I. B. MENCKENII

SCRIPTORES RERVM GERMANICARVM.

PRAECIPVE

SAXONICARVM.



P. Decker delin. Bernigeroth sc. Lips.



Io. Burchardus Menckenius.
I. V. D. Potent. Reg. Pol. et El. Sax. Consiliarius aulicus
et Historiographus, Histor. in Acad. Lips. Prof. Publ.
Societatis Regiæ Britannicæ et Borus. Socius.

Hausman Regis Pol. pict. pinx. Resbach sculpsit Lipsiæ 1728

SCRIPTORES RERVM GERMANICARVM, PRAECIPVE SAXONICARVM,

IN QVIBVS

SCRIPTA ET MONVMENTA ILLVSTRIA, PLERAQVE HACTENVS INEDITA,

TVM AD

HISTORIAM GERMANIAE

GENERATIM, TVM SPECIATIM

SAXONIAE SVP. MISNIAE, THVRINGIAE ET VARISCIAE

SPECTANTIA,

VEL NVNC PRIMVM IN LVCEM PROTRAHVNTVR, VEL CVM CODICIBVS MSS. COLLATA NOTVLIS ILLVSTRANTVR.

EX SVA BIBLIOTHECA ALIISQVE EDIDIT

IO. BVRCHARDVS MENCKENIVS,

I. V. D. POTENTISSIMO REGI POLON. ATQVE ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS AVL. ET HISTORIA, HIST. IN ACAD. LIPS., PROF. PVBL. ET SOCIET. REG. BRITANN. ET BORVSS. SOCIVS.

TOMVS I.

CVM FIGVRIS AENEIS.



MONUMENTA GERMANIAE

LIPSIAE,

IMPENSIS IOANNIS CHRISTIANI MARTINI.

M DCC XXVIII.

Vogt. 1736.

SACRAE REGIAE MAIESTATI,
AVGVSTISSIMO AC POTENTISSIMO

REGI,

PRINCIPI SERENISSIMO,

DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

REGI POLONIARVM,

MAGNO DVCI LITHVANIAE,
RVSSIAE, PRVSSIAE, MASSOVIAE,
SAMOGITIAE, KIOVIAE, VOLHINIAE,
PODOLIAE, PODLACHIAE, LIVONIAE,
SMOLENSKIAE, SEVERIAE AC
CZERNICHOVIAE, &c.

DVCI SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE,
MONTIVM, ANGRIAE ET WESTPHALIAE,
S. R. IMPERII ARCHIMARESCHALLO
ET ELECTORI, LANDGRAVIO THVRINGIAE,
MARCHIONI MISNIAE AC SVPERIORIS PARITER
ET INFERIORIS LVSATIAE, BVRGGRAVIO MAG-
DEBVRGI, COMITI PRINCIPALI HENNEBERGICO,
COMITI MARCAE, RAVENSBERGI ET BARBYAE,
DYNASTAE IN RAVENSTEIN,
&c. &c.

DOMINO SVO LONGE CLEMENTISSIMO.



POTENTISSIME REX,

DOMINE LONGE CLEMENTISSIME,

CVm SACRATISSIMA MAIESTAS TVA tot excelsas ac vere Regias complectatur Virtutes, ut, quæ Majoribus Tuis singulæ singulis erant propriæ, in Te uno omnes clarissime eluceant, &, ut de FRIDERICIS tantum dicam, non modo GRAVEM illum, STRENVVMQVE & BELLICOSVM, verum & PLACIDVM prorsus nobis reddas; in eo tamen illos videris supergressus, REX POTENTISSIME, quod cum belli pacisque artibus reliquis Litterarum quoque amorem conjunxisti, Virosque illis probe imbutos tantum abest ut aversëris, ut potiùs in delitiis habeas foveasque. Ut mirum adeo non sit, passim hoc tempore de Saxonia, atque adeo de Lipsia nostra, ipso magnorum Prin-

Principum judicio, * *affirmari, nunquam altius apud nos provectas fuisse bonas litteras, quam sub felicissimo* AVGVSTI *regimine. Non memorabo nunc, quanta quamque exquisita* REGIAE MAIESTATI TVAE *insit Architecturæ tam Civilis quam Militaris, rei item antiquariæ, nummariæ, statuariæ, pictoriæ cognitio, quippe quæ ita omnia perspecta habes, ut in illis natus educatusque videaris. Id tantum meminisse juvat, quod quoties Tibi,* REGVM OPTIME, *libros novos, qui ad hæc studia pertinerent, tradere licuit (licuit enim subinde) eos non sine singulari gratiæ animique benevolentissimi significatione abs me accepisti, acceptos alacriter evolvisti, deque iis, quæ continerent, doctos cum adstantibus sermones instituisti. Et gratissima subit recordatio illius temporis, quo* MAIESTAS TVA *me in conclave interius, remotis arbitris, intromissum, & clementissime exceptum, postquam de Gemmis veterum opus Etruscum obtulissem, ad mensam deducebat &, velamine retecto, incredibilem veterum Gemmarum apparatum, eleganti ordine dispositum, quem propriæ custodiæ servare consuevit, mihi aperiebat, prehensamque manibus Palladem, veteris ævi monumentum stupendum, mihi accuratius inspiciendum tradebat, hoc ipso quasi significans, quantum ipsæ Palladis artes* MAIESTATI TVAE *curæ cordique essent. Quid multa? tanta in Te,* REX MAXIME, *bonitas erat & clementia, ut me etiam discedentem verbis gratiosissimis prosequereris, scilicet, ut, si quid porro haberem curioso oculo dignum, iterum adire* TVAM MAIESTATEM *haud erubescerem. Hæc immensæ Tuæ erga immerentem gratiæ documenta certissima dum apud animum meum non sine maxima [illegible]unditate recolo, firmissima spe erigor, futurum, ut, qui tam clementer an-*

* Cum ante annum Cives quidam nostri ad Potentissimum Sardiniæ Regem Augustæ Taurinorum admissi, & cujates esse esse, dicerent, interrogati, Lipsiam patriam nominassent, mox dixisse Rex fertur: *se tres hoc tempore potissimum agnoscere litterarum sedes, Lutetiam in Gallia, in Anglia Londinum & in Germania Lipsiam.*

antea aliorum opera accipere dignatus es, non detrectaturus plane sis, REX POTENTISSIME, Volumina ista, mea qualicunque opera vulgata, quæ res non modo Germaniæ universæ, sed præsertim Saxoniæ, quæ TE PATREM PATRIAE profundissime veneratur, alta nocte hactenus pressas, susciteant, & ad seram, si quid augurari licet; posteritatem transmissura sunt. Ex quo enim splendidam Historiographi Saxoniæ provinciam, B. Tentzelii morte vacantem, longe clementissime mihi demandasti, nihil prius, nihil antiquius habui, quam ut, quicquid passim in scriniis lateret monumentorum veterum, quod res nostras illustrare posset, sollicite mihi compararem; quo factum, ut non modo Saxonica, Misnica, Thuringica multa, verum & alia omnem Germaniæ historiam illustrantia ad me deferrentur; quæ tandem, Virorum doctissimorum consilium & exemplum secutus, nec nullo, quod spero, eruditi Orbis fructu, in unum Corpus collecta, nunc ad REGIÆ MAIESTATIS TVÆ pedes humillime depono. Quæ si apud tantum HEROEM, cui sacra sunt, præsidium invenerint, jam satis me, spretis aliorum judiciis, operæ pretium fecisse arbitrabor; Deum vero Opt. Max. noctes atque dies precibus meis lacessere non desinam, ut salvum nobis omnique ex parte beatum diutissime præstet REGEM LONGE CLEMENTISSIMVM; protegat PRINCIPEM REGIVM SERENISSIMVM, Virtutum paternarum ex asse hæredem; tueatur dulcissimos NEPOTES, cum MATRE SERENISSIMA, sarciatque proxime inæstimabilem, quam nuper passi sumus, jacturam; servet denique universam DOMVM SAXONICAM florentissimam in sæcula!

REGIÆ MAIESTATIS TVÆ

longe omnium devotissimus Servus

IOANNES BVRCHARDVS MENCKENIVS.



PRÆFATIO TOMI I.

ANtequam Tibi exponam, Lector benevole, quid in hoc opere a nobis fuerit præſtitum, rationem haud dubie exſpectas, quare non eadem ac perpetua nobis fuerit voluntas in edenda, quam publico programmate olim promiſimus, ſingulari Scriptorum Saxonicorum, Miſnenſium ac Thuringicorum collectione, quæ non rariora modo, ſed & paſſim obvia ſcripta complecti debebat, ut haberent nempe exteri, unde integrum hiſtoriæ noſtræ ſyſtema peterent. At dum id egi, & interea dies diem traxit, tot ad me perlati ſunt codices MSS. qui nunquam lucem adſpexerunt, nec illi ad noſtram modo ſed univerſæ Germaniæ hiſtoriam ſpectantes, ut abjecto, priori conſilio, rem paullo majoris momenti ſuſcipiendam, atque hæc demum Bibliothecæ meæ cimelia, in quibus quidem Saxonica eminebant, cum perpaucis impreſſis quidem, ſed rariſſime obviis, & nunc vel ad codices reviſis vel notis auctis atque illuſtratis, ſub generaliori inſcriptione in lucem protrahenda decernerem. Quanto mihi hic ſubinde auxilio fuerint Viri ſpectatiſſimi præſtantiſſimique, qui vel Bibliothecas ſuas aliasve, quarum curam habebant, certatim mihi aperuerunt, vel animadverſionibus ſuis ſcripta nonnulla exornarunt, paulo infra ſuo loco, prout decet, commemorabitur. Nobis quidem integrum minime fuit, omnia, prout decet, notis colluſtrandi, atque adeo paucæ tantum, quæ ſub manu natæ paſſimque operi allitæ ſunt, debentur. Speramus tamen, nihil præterea a nobis omiſſum fuiſſe, quod ad integritatem codicum exprimendam pertineret, eoque plagulas plurimas operis iterum revidimus, (quo minus enim omnes poſſemus ipſi conferre, morbus, quo, cum prelum maxime ferveret, ſatis diu decumbendum nobis fuit, prohibuit) ut certi quodammodo eſſe poſſint Lectores, ſi quam dubiam invenerint lectionem, eam non aliter in ipſis codicibus deprehendi: maluimus enim errare cum MSStis, diſtinctionibus etiam ſingulis retentis, quam intempeſtive & naſutule hariolari. Id quod patebit ſtatim in primo Opuſculo, quod ita ſcrupuloſe ex membrana Bibliothecæ meæ CCCC circiter annorum deſcriptum eſt, ut ſphalmata quoque fuerint retenta, quæ tamen quivis facile emendaverit. Eſt illud

I. *Autoris Anonymi Chronicon vetus a Carolo M. usque ad mortem Friderici II Imp.*

Etenim integrum Chronicon, quod ab ipſa creatione, ut pleraque illorum tem-

temporum, incipit, deſcribere operæ pretium haud putavimus, a tempore Francorum, imprimis Caroli M. incipientes, & deinde quoque Eccleſiaſtica quædam aliaque quæ parum ex uſu viſa, prætermittentes: lubet tamen ipſum Autoris exordium huc transferre. Ita vero ſe habet: *Incipit hiſtoriarum liber ſub Cronicis & Catalogo omnium Regum & Pontificum, ſiſtens acta antiquorum Patrum Ebræorum, Gentilium & Græcorum, prout liber* Pentheon *aperte declarat, qui ea ſe a Moſe, Joſepho, Clemente, Yſidoro, Ieronymo & aliis hiſtoriographis veteribus & modernis habere proponit, ſub brevitate narrare. &c.* Quid ſibi velit per librum *Pentheon* ſeu potius *Pantheon*, haud difficulter aſſequi licet, cum proximum ætati ſuæ hiſtoricum Gottfridum Viterbienſem, Presbyterum, a ſacris ſcriniis Conrado III & Friderico I, reſpexiſſe videatur, qui cum Chronicon univerſale ſeu omnium Principum (qui Dii vocantur) proſa pariter & vorſa oratione condidiſſet, illud *Pantheon* inde inſcripſit, a Piſtorio Tomo II Scriptorum editum: quanquam Noſter re vera ſit multum diverſus, cumque Viterbienſis vix nominet Henricum VI, Noſter paulo longius procedit & diſerte ſcribit fol. 31, cum Henrici VI nuptias cum Conſtantia Mediolani An. 1185 memoraſſet: *huc usque libri* Pentheon *ſcripta poſuimus, addentes interdum alicubi defectum hiſtoriarum ex hiſtoricis eccleſiaſticis & nihil fabuloſum inferentes, ſub compendio nomina & corpus & annos Imperatorum & Regum ab initio mundi curavimus enarrare. Cetera, quæ ſequuntur, quod recentis memoriæ ſunt, nos ea nobis a viris probabilibus tradita & a nobis partim oculata fide aſpecta & auribus noſtris audita, quanto veracius poſſumus, etſi non cuncta, favente Domino proponemus. Actum eſt hoc opus anno Domini MCCXLIII menſe Februar. &c.* Interim ut in medio relinquamus conjecturam noſtram, cum hic iterum librum non *Pantheon* ſed *Pentheon* nominet, dignus tamen viſus nobis eſt autor, qui in lucem protraheretur, cum fabulas non adeo ſectetur, ut quando Fridericum Barbaroſſam Alexandri III mandatis per omnia quidem obediviſſe ſcribit f. 30, nihil tamen de conculcatione Imperatoris addit; contra habet non ubivis obvia, ut de morte Friderici I Imp. de pactis item inter Philippum & Ottonem IV Impp. quorum huic Regnum Arelatenſe ceſſiſſe, Noſter affirmat, & alia. Succedunt

II. *Lectiones emendatiores & auctiores Chronici ALBERICI, Monachi Trium Fontium Leodienſis diœceſis, ab A. 960 ad 1241.*

Integrum Chronicon vulgavit Celeb. Leibnitius in Acceſſionibus ſuis hiſtoricis, ita tamen, ut inde ab A. 960 novam quaſi ejus periodum conſtituerit, quæ & ſola ad me pervenit e Belgio, in pulcro, nec tamen adeo vetuſto Codice exarata. Hunc quando cum Leibnitiano conferrem, utique operæ putavi, tot diverſiſſimas ab editis, & ut probabile viſum, genuinas lectiones in lucem protrahi, quo libro utiliſſimo integritas ſua conſtaret. Quis fuerit hic Albericus, ipſe non uno in loco prodit, in titulo quoque ſe Monachum trium Fontium Leodienſem vocans, & ad A. 1237 inter alia ſcribens: *Obiit Dom. Alexander, primus Abbas noſtræ Eccleſiæ novi Monaſterii Leodienſis*, unde & de vicinis rebus Gallicis & Lotharingicis, Metenſibus ſcilicet & Verdunenſibus, annotandis præ ceteris fuit ſollicitus. Videtur vero pluribus annis huic Chronico inſudaſſe, cum ad An. 1216 Iſabellam, Joannis Angliæ Regis uxorem, modernam appellet Angliæ Reginam, rurſusque ad An. 1239 præter oculatum teſtem producat Joannis de Palatio Carpini Hiſtoriam Tartarorum A. 1246 conſcriptam: & mirum videri poteſt, quod jam ad A. 1106. diſerte ſcribat: *Ex aliorum libris lecta poſuimus. Cæterum quæ ſequentur, quia recentis memoriæ ſunt, a probabilibus viris tradita, vel a nobis ipſis viſa, vel audita, ponemus*; quæ tamen minime obſunt, quo minus eundem totius operis autorem

rem fuiſſe exiſtimemus. Et recte quidem de ipſo jam judicavit Cl. *Jacobus Thomaſius*, quando de Plagio litter. §. 585 Albericum noſtrum inter eos nominat, qui centone quodam, ex variis Chronicis conſarcinato, componuntur: nec quisquam ſane accuratius ubivis notavit, per quos profecerit, in quibus ſunt longe plurimi hodie prorſus deperditi, quorum tamen fragmenta Noſtro adhuc debemus. Præterea ad commendationem Scriptoris hujus pertinet, quod non res modo in Republica geſtas per ſingulos annos non ſine delectu commemoret, verum & primus horum ſcriptorum Hiſtoriam litterariam præclare juvet, neminem omittens hominum paulo doctiorum, barbaris etiam ſæculis florentium, cujus non ſcripta adducat diligenter, imo epitaphia atque integras quandoque epiſtolas afferat: quæ hoc loco eo lubentius memorare volui, quod Leibnitius in editione ſua nihil fere de Autore commentatus eſt.

III. *Andreæ Presbyteri Chronicon breve ab A. 568 usque ad A. 874.*

Vetuſtum hoc ſatis, quanquam brevius, quam vellemus, Chronicon eſt, quod ex membrana Seculi fere IX notas habente ac forte autographa, quod eodem calamo quædam correcta aut ſupra ſcripta monſtraret, productum, communicavit mecum Juvenis doctiſſimus modeſtiſſimusque, qui ſe non alio, quam Hermanni Philomuſi nomine a me appellari paſſus eſt, tum forte revelandus, cum Lucii Licinii, quas promittit, Epiſtolas in lucem protrahet. Vixiſſe autorem tempore Ludovici II Imp. cujus funus non modo Brixia Mediolanum comitatus eſt An. 874, verum & partem aliquam, ut ait, a flumine Oleo ad Adduam flumen, cum aliis religioſis viris deportavit, ut patet f. m. 100. Nec multo longius procedit opus, in Carolomanni in Italiam adventu & Caroli Calvi fuga ex Italia fere abrumpens. Nomen Andreæ ipſe prodit, & Presbyterum ſe eſſe teſtatur, poſtquam res geſtas Longobardorum recenſuiſſet, his verbis: *Hanc autem abbreviationem ſupra ſcriptam, in quantum potui, excerpſi ego Andreas, licet indignus Presbyter, de Hiſtoria Longobardorum* (indicat Paulum Diaconum, cujus ſæpe verba refert) *& eorum quæ hic ſubter continentur Hiſtoria minime ad noſtram pervenit notitiam, ſed in quantum per ſeriem litterarum ſeu per antiquos homines potui veraciter ſcire, ſcribere delectatus ſum.* Quid? ſi dicamus hunc eundem eſſe *Andream* Presbyterum Ravennatenſem, qui & *Agnellus* appellatus, autorem Hiſtoriæ Pontificum Ravennatum, quam Celeb. *Ludov. Ant. Muratorius* tum ſeorſim tum inter Italicarum rerum Scriptores Tom. II magna cura edidit. Et ætas quidem id facile perſuadet, cum Agnellus ille, Cl. Muratorii judicio, circa A. DCCCV natus, & noſter Andreas circa A. DCCCLXXVIII, quo fere telam abrupit, mortuus videatur: præterea quoque loquendi modus idem, ut Philomuſus noſter ſingulari exemplo docuit in Nota ad f. 92, ſaltem patria adhuc crucem figit, cum ille Ravennas, hic Mediolanenſis vel Mediolano vicinus fuiſſe videatur. Ceterum cum nihil non illius ætatis in pretio haberi mereatur, rem non ingratam harum rerum amantibus me facturum ſperabam, ſi pauca illa, quæ in membrana ſatis vetuſta poſſidebam, nec alibi edita ſciebam, adderem; nempe

IV. *Annales Francorum ab A. 801 ad A. 822.*

etſi non neſciebam, Autorem rebus ſeriis & notatu non indignis portenta quoque fabulis ſimilia admiſcuiſſe. Inter impreſſos libros rariſſimus hactenus exſtitit:

V. *PETRI SAXII, Arelatenſ. Eccleſiæ Canonici, S. Theol. Doct. Pontificium Arelatenſe, ſeu Hiſtoria Primatum S. Arelatenſis Eccleſiæ;*

quem editum olim Aquis Sextiis 1600, 4, ſed mox, neſcimus qua de cauſa, ſuppreſſum, & viginti vel triginta Joachimicis venditum, jam pridem optabant eruditi in collectione aliqua recudi. Nec eum a noſtra alienum putavimus, tum quod Imperatores Germanici diu tenerent Regnum Arelatenſe, tum quod ex Arelatenſi haud dubie ſtirpe prodiiſſet primus Thuringiæ Comes Ludovicus Barbatus, Caroli quippe Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis filius, unde & paſſim Scriptores, ut Tenzelius in hoc ipſo opere Tomo II f. 998, hanc ſtirpem primam Comitum ſeu Landgraviorum Thuringiæ *Arelatenſem* vocare conſueverunt. Quanquam vero *Chriſtianus Matthæus Kneſebeck* in *Prodromo Juris publici univerſalis, Rodopoli 1700, 4* edito, complura diplomata ex opere illo, quod totum ex diplomatibus compoſitum & collectum eſt, excerpſerit, nondum tamen reſtinxit ſitim eruditorum; quibus nunc demum, recuſo integro opere, ſperamus nos ſatis feciſſe. Dedimus vero imprimis operam, ut ſphalmata, quæ frequentia & conſtantia (ut cum p. 291 & ſequenti octies nobis *Manſredus* pro *Maufredo* reponendus fuit) occurrebant, ut ſenſum fere obſcurarent, tollerentur, juſtis imprimis diſtinctionibus poſitis, ita tamen, ut diplomata intacta relinqueremus; citationes etiam in margine ſine nota appoſitas ſuis locis aſſignavimus, & præterea brevia ſummaria margini adſcripſimus. Cum vero figuræ nunc paulo aliter diſponendæ fuerint, accidit incuria typographi, ut typi duobus locis æri non ſatis reſponderent, cui malo medelam attulimus in erratis in fine hujus Tomi conſpicuis. Ceterum quod ad Autorem, quem *de la Roche* apud ſuos nominatum arbitramur, nihil fere de ipſo proditum reperimus, quam quod ipſe ſe ſub Johanne VIII Avenione in Collegio & æde B. Nicolao ſacra per ſeptennium ſtudiis operatum, & ſub Horatio Montano A. 1602 in Archiepiſcopale Sodalitium S. Arelat. Eccleſiæ receptum, Petri d' Angiers hortatu laborem hunc aggreſſum eſſe, memorat f. 329 & 367.

VI. *Diplomata Abbatiam Chomburgenſem prope Halam Suevorum ſitam concernentia ab A. 1090, quo fundata, ad A. 1480.*

Non ignobile eſt in finibus Sueviæ & Franconiæ monaſterium Chomburgenſe, ſæpe &, ſed minus, accurate, Comburgenſe aut Cambergenſe dictum, in monte ſitum, quem fluvius *Chobe* ſeu *Kochen*, qui & nomen dedit, præterfluit. Et habuit Chombergum olim Nobiles de Chomberg, inde Epiſcopos Auguſtanos, & horum permutatione, Comites Rotenburgios dominos, ex quibus Richardus arcem illic extruxit, quam deinde filius ejus Burchardus, conſentientibus Fratribus, S. Benedicto ſacravit: inde Seculo XII Abbatiæ nomine paruit Epiſcopo Herbipolitano, habetque hodie Advocatos Pincernas de Limpurg, qui advocatiæ hujus feudum recipiunt ab Herbipolitano, uti pluribus apud Martinum Magerum de Schœnberg, qui Prælaturæ hujus olim Syndicus fuit, in Advoc. armata legitur; quocum conferri etiam poteſt Mart. Cruſius in Annalibus Suevicis, ubi & Abbatum Catalogum texere tentavit, ſed admodum imperfectum, & a nobis ſub auſpicium Diplomatarii hujus ex ipſis diplomatibus ſuppletum. Integrum Diplomatarium & multo, quam dedimus, copioſius (ea enim, quæ minoris momenti erant, omiſimus) nobis tranſcripſerat Illuſtris *Jo. Ludov. Zollmannus*, Ser. Duci Saxo-Cizenſi quondam a ſanctiori Senatu, ſed promiſcuo ordine, prout ſe obtulerant diplomata, exaratum, quæ adeo nunc juſto ordine diſpoſuimus, nec ingrata, Suevis maxime & Franconibus, futura ſperamus. Enimvero, cum noſtra

jam

jam typis impreſſa eſſent, comperimus, Clariſſimum *Schannat* Autorem anonymum de origine & Abbatibus Cœnobii Comberg. Vindemiis ſuis Litter. Tom. II inſeruiſſe, & Catalogum quoque Abbatum addidiſſe; at cum ille res fere exigui momenti contineat, & hic tantum non ad verbum exſcriptus ſit ex Cruſiano admodum vitioſo, utroque facile caruimus. Quod vero idem Vir Clar. Diplomata quoque Chomburgenſia pollicetur, nunc quidem iis edendis ſuperſedere poterit.

VII. *Diplomata LV res Comitum Gleichenſium ab A. 1217 ad 1508 concernentia;*

quæ collegimus ex Caſparis Sagittarii, immortalis memoriæ Viri, Hiſtoria Comitum Gleichenſium, quam prelo paratam reliquit, quamque cum pluribus aliis ejus MSptis diplomatibusque Oldeslebienſibus & Capellendorfenſibus immenſa liberalitate & inſerviendi ſtudio mecum communicavit Celeb. *Polycarpus Leyſerus*, Academiæ Helmſtadienſis ornamentum, ad quem Sagittariana omnia pervenerunt. His addidimus mox etiam

VIII. *Diplomata Bremenſia XVII.*

quæ omnia excerpſimus e Chronico Bremenſi majori vernaculo, Saxonica dialecto ſcripto, quod eſt in Bibliotheca noſtra, excepto tamen diplomate tertio, quo Otto III Eccleſiæ Hamburgenſis privilegia confirmat, quod deſcriptum accepimus ex eodem Codice Vindobonenſi, unde ſua diplomata, a noſtris alioquin plane diverſa, deſcripſerat Erpoldus Lindenbrogius inter Script. rer. Germ. Septentr. Succedunt

IX. *Diplomata Oldislebenſia CXCVII.*

&

X. *Capellendorfenſia CLXXXVII.*

Non ignobilis in Thuringia vicus prope Saxenburgum haud procul a flumine Unſtrut Oldislebia fuit, clarus maxime monaſterio Benedictinorum, qui illic ſub Abbate diu ſteterunt, donec ad Proteſtantium ſacra perducerentur: unde pactum poſtea inter Principes Sereniſſimæ Domus Saxon. Erneſtinæ, ut eſſet perpetuo penes familiæ Seniorem, cui pro cura directorii debetur velut in ſolatium, eoque mortuo tranſit anno evoluto ad Seniorem proximum. Capellendorfium arx hodie & præfectura in Thuringia, ad Ducem Saxo-Vinarienſem ſpectans, olim Sanctimonialium ſub Abbatiſſa conventu Ordinis S. Benedicti diœceſeos Moguntinenſis florebat, cujus pariter jam pridem mutatum fuiſſe ſtatum, e poſtremis his documentis Capellendorfenſibus facile intelligitur. Et quamvis hæc diplomata non omnia ejusdem ſint valoris, non omni tamen fructu carent, cum præter Burggravios Kirchbergenſes etiam familiæ Pincernarum de Apolda, itemque de Varila, hinc lumen aliquod mutuari queant. Paulo magis tamen lectu digna ſunt

XI. a) *Diplomata XXXVI. e Bibliotheca Academica Lipſ. membranis deſcripta &c.*

quæ magnam quidem partem ad Caltenbornenſe monaſterium, ſed & ad alia, Portenſe nempe, Montis Sereni, ipſumque Paulinum Lipſienſe ſpectant. His opportune hoc loco addidimus tum Conradi Marchionis Miſniæ Diplomata duo, donationes S. Sepulcro & Hoſpitali Hieroſ. A. 1145 factas continentia, tum compoſitiones quasdam amicabiles inter Principes & Epiſcopos aliquos Germaniæ, Wilhelmi potiſſimum Ducis Saxoniæ autoritate & arbitrio, A. 1460 factas, ex aliis ejusdem Bibliothecæ Codicibus chartaceis depromtas. Poſt hæc res quorundam Imperatorum illuſtrare ſuſcepimus, exſtatque adeo

XI. b.) *Vita Caroli Magni, auctore DONATO ACCIAIOLO, Florentino, eleganter descripta, & ex MSto plenius edita.*

Libellus est exiguus, sed compto admodum sermone compositus, cujus Autor etsi sæpe secutus sit Eginhartum, habet tamen etiam, quæ vel apud hunc minime, vel paulo aliter expressa, inveniuntur, uti passim ostendimus. Incidit nempe in manus meas Vita hæc Caroli M. ante duo circiter sæcula manu exarata, nullo tamen autoris nomine apposito. Statim ex venusta dictione Acciajolum auctorem suspicatus sum, quem etiam memineram a Georgio Wicelio Hagiologio suo insertum. Nec me fefellit opinio; reperi enim illic eundem librum fol. CLXXVIII b. seqv. sed omissa Præfatione & majori parte finis, quæ in meo Codice exstabant; quem adeo secutus sum, ita tamen ut cum Wiceliano eum subinde compararem. Qua occasione non possum non Wicelium a ridiculo errore, cujus nomine passim a viris eruditis traducitur, vindicare. Primus, ni fallor, inter hos Vossius *de Hist. Lat. p. m. 561.* eum accusavit, quod Plutarcho stolide Caroli M. vitam tribuisset, quem inde & Bælius in vita Acciajoli aliique secuti sunt. Sed fefellit hos, quod Wicelius in margine adscripserat: *ex Plutarcho*; si vero Catalogum Autorum, quorum testimoniis usus est Wicelius, inspicimus, hæc occurrunt: *Auctor incertus, qui Diui Caroli I vitam descripsit, adjunctam in calce Vitis Plutarchi.* Nimirum, iisdem autoribus, constat, Acciajolum Vitas quasdam supremorum belli Ducum ex Plutarcho Latine vertisse, quibus ultimo loco hanc Caroli M. vitam, a se ipso compositam, addidit; unde patet, Wicelium non tam insipidum fuisse, ut Plutarchum autorem crediderit (cur enim non diserte nomen præposuit?) sed eum brevibus verbis illam ipsam editionem vitarum Plutarchi innuere voluisse, cum adderet in margine: *ex Plutarcho.*

XII. *Legenda Patroni Germaniæ S. Bonifacii Libris II, Latine, cum alia Legenda Bonifacii vernacula paulo diversa.*

Etsi Legendæ Latinæ partem, nempe inde a Capite VIII Libri II jam publicaverat B. Tentzelius in Supplem. II Hist. Goth. ut indicavimus f. 845; attamen cum *B. Sagittarius* opusculum totum luce non indignum judicaverit in Epist. de antiquo statu Thur. p. 60 & in Antiquitatibus Christianismi Thur. p. 349, 350. & exemplum in meas manus incidisset, quod & Tenzeliano subinde, ut collationes docent, correctius, & simul Viri docti notis illustratum esset, ei hunc locum minime in Collectione nostra denegandum, notas tamen Tentzelianas, quæ in omnium sunt manibus, minime describendas, putavi. Et quamvis non bene recorder, unde ad me venerit hic Codex, facile tamen crediderim, ex Sagittariano illo descriptum esse, cum ipse fateatur l. c. pag. 349, se eum e Bibliotheca Neumeyeriana comparasse, & nostro in titulo adscripta sint verba: *e MSto vetusto Jo. Vilhelmi Neumeyeri a Ramsla.* Quanquam Tentzelius potius l. c. p. 343, eundem Codicem antea *Hortlederi* fuisse, a quo & scholia addita, olim ab Ill. *Zollmanno*, modo supra laudato, edenda, diserte profitetur: ut adeo minime dubitem, hæc ipsa, quæ dedimus, scholia *Hortlederi* illa esse, etsi nomen Viri addere in titulo nondum ausi sumus. Ceterum in eo haud dubie fallitur optimus Sagittarius, quando in fine Codicis sui post verba *per infinita seculorum secula* legit: A. MCVI, atque adeo Autoris ætatem nimium extollit; cum jam Tentzelio l. c. p. 354 suboluerit, loco numeri illius potius legendum esse: AMEN.

XIII. *Ermoldi Nigelli, Abbatis, ut videtur, Anianenſis & Autoris ſynchroni, de rebus geſtis Ludovici Pii Auguſti ab A. 781 ad 826 Carmen elegiacum, e* Lud. Ant. Muratorii *Scriptor. rer. Ital. Tom. II Parte II.*

Quanta hujus operis, poſt Marquardum Freherum, qui primus illud detexiſſe videtur, a Lambecio, Neſſelio, Gentilotto, repetitis vicibus promiſſi, exſpectatio hactenus fuerit inter eruditos, publice conſtat. Et quamvis ea tandem Celeb. Viro, *Ludovico Ant. Muratorio*, Amico noſtro æſtumatiſſimo, obtigerit felicitas, ut illud inter Scriptores ſuos rerum Italicarum nuper in lucem protraheret, attamen cum hæc Collectio ſumptus requirat, & raro in Germania noſtra ſit obvia, adhuc carere videbamur hoc theſauro. Quamobrem non male mihi viſus ſum de Germanis noſtris, qui non minus ſibi Nigellum, quam Itali, vindicant, mereri, ſi opus haud ita pridem editum cum omni apparatu doctiſſimique *Muratorii* notis denuo incudi ſubjicerem. Quod vero ad uſum hujus carminis attinet, quo multi illius ætatis mores, & geſta imprimis Ludovici, ſatis alioqui perplexa, illuſtrantur, tum & quæ ad Autorem pertinent, de his quo minus fuſius agamus hoc loco, otium nobis fecit Cl. *Muratorius*, cujus doctam Præfationem ſuo loco f. 866, ut par erat, præmiſimus.

XIV. *Benzonis, Epiſcopi Albienſis, Panegyricus rhythmicus in Henricum III Imp. alias IV Germ. Reg.*

Libros hos VII *Benzonis*, Epiſcopi Albenſis, ſeu Albienſis in Italia, ut ſe ipſum ſubinde nominat, de rebus ad Henricum, quem vulgo IV dicimus, Imp. pertinentibus, non ineleganter, quamvis ſubinde, ut exiſtimo, corrupte deſcriptos, opportune, jam ferventibus hujus operis typis, nobis transmiſit Summe Venerandus inter Suecos Epiſcopus *D. Ericus Benzelius*, (cujus amorem mihi pridem in Itinere Belgico conciliatum gaudeo) tradente, dum Lipſiam tranſiret, Illuſtriſſimo Comite *Claudio Ekeblad*, ſplendidiſſimi Senatoris Suecici Filio, paternarum virtutum æmulo. Enimvero ſingulare producimus ſæculi XI monumentum, cujus Autor, literarum pro illa ætate haud ignarus, ſimul Hiſtoricum, Panegyriſtam & Poetam agere voluit. Quem ordinem ſibi præſtituerit, haud facile divinaveris; nunc enim monita dat Henrico IV Imp. nunc eum in Pontificem excitat, nunc quæ ipſe pro Cæſare patraverit, enarrat, & mercedem præſtolatur, ſe Epiſcopum inter alia ſine Epiſcopatu languentem oculis & pedibus f. 1060. init. vocans (conf. f. 1045. B. 1073 A. 1058 A. B. 1059 D. & pluribus locis aliis, quibus de Benzone Epiſcopo Albenſi h. e. de ſe ipſo loquitur) ubique vero maximum contra Papam zelum prodit. Cujus rei ut aliqua proferamus exempla, diſerte ait f. 1051 C: *Roma quondam Caput mundi facta Babylonia*: f. 1060 B. docet, Papæ & Epiſcoporum ordinationem pertinere ad Imperatorem; f. 1061 C. *Henricus*, inquit, *audivit, tres diabolos uſurpaſſe Cathedram apoſtolicæ ſeſſionis*; p. 1064 C. ubi Prandellus ope Richardi Capuani Papam conſtituit Alexandrum II, ita Noſter: *Ecce pugna inter angelos & diabolos, dum Rex cum Epiſcopis ordinat ſuum Papam juſte & legaliter, Prandellus cum Normannis e contrario ſuum Symonialiter*; imo eundem Alexandrum pag. 1064 C. vocat *Antichriſtum*. Quod ad ſtyli, quo utitur, rationem attinet, in ſimilibus & exemplis, e ſacris & profanis autoribus petitis, totus eſt, vocabulis quoque Græcis, etſi Latine ſcriptis & ſubinde quoque in Latinum ſonum detortis, frequentius utitur, voces quandoque easdem repetit, ut f. 1047. C. *Intro, intro*, ibid D. *bonorem, bonorem*, f. 1069 C. *date, date*, it. ibid. *cogitate, cogitate*; nunc literas duplices ſimpliciter effert, ut *muſitare, eicitur, ſubiciunt, proicit, abſciſis*; nunc ſimplices geminat, ut *ſummere, peccore, occioſi*; nunc literas permutat,

tat, ut *æ* cum *e*, *æccleſia*, *c* cum *t*, *tocius*, *inercium*, *vicia*, *m* cum *d*, *ammirantes* pro *admirantes*, *y* cum *i*, *Phylippi*, *hyſtoriæ*, *Phyliſtei*; literam *h* vocibus ſæpe præfigit, ut *hortographia*, *huberantia*, *horcheſtra*, *hymago*, *hori*, *honere*, ut longe plura alia taceamus, quæ num autori omnia, an ſcribæ (nondum enim de ætate Codicis ſatis nobis conſtat) tribuenda ſint, in medio relinquimus. Ceterum cum Oedipo ſubinde opus eſſet, nec mihi otium ſuppeteret, librum, quem brevi typis ſubjici ordo poſtulabat, accurate perluſtrandi, adduci ſe paſſus eſt Conſ. *Franckenſteinius* noſter, ut ſtans velut pede in uno notas quasdam adderet, quas Lectori minime quidem ingratas futuras exiſtimamus.

XV. EBERHARDI WINDECKII, *Mogunt. Hiſtoria Vitæ Imp. Sigismundi vernacula.*

Non ignota hactenus, quin diu potius expetita eruditis fuit hæc vita Sigismundi, cujus edendæ ſpem aliquam triginta fere abhinc annis fecit Celeb. Vir, *Hermannus von der Hardt*, in Proleg. Tomi V. Actor. Concilii Conſtant. p. 6 ſeqv. teſtatus eo in loco, ſe tres libri Codices MSS. nactum eſſe, primum e Bibliotheca Cæſareo-Vindobonenſi, alterum e Saxo-Gothana, & tertium Ill. Leibnitii beneficio, ſimulque novum de vita & rebus geſtis Cæſaris Sigismundi opus, a ſe concinnandum, pollicitus. At cum Vir ille Celeb. jam pridem alia ſectatus, abjeciſſe conſilium illud videatur, mihi datum putavi, ut librum, quamvis vernaculum, in Collectione mea integrum atque incorruptum vulgarem. Nec defuit mihi exemplum, omnium, ut arbitror, vetuſtiſſimum, Saxo-Gothanum illud, quod & Cl. *Hardtius* in manibus habuit, e bibliotheca Ducali a Viro Summo & ad ornandas litteras nato, *Ern. Sal. Cypriano*; cui & alia debet hæc Collectio, tam prompte procuratum, ut maximas ei vel hoc nomine gratias non ego modo ſed orbis literatus debeat univerſus. Cumque ex verbis in fine codicis adſcriptis pateat, eum ab *Ulrico Aicherio* Egræ jam tum A. 1461 deſcriptum eſſe, exiſtimaverim, hunc fere primum diſperſas Autoris chartas, quas, ut in Præfat. teſtatur, amanuenſi ſuo *Henrico Noribergenſi* dictaverat, collegiſſe, & annorum ratione parum accurate habita deſcripſiſſe. Multa enim, ut luculenter patebat, alieno loco erant poſita, quæ ſecundum juſtam temporis ſeriem transponenda putavimus, ne rudem & indigeſtam molem Lectori obtruderemus. Contuli ſubinde & recentiorem Codicem jam pridem in Bibliotheca mea exſtantem, qui tamen raro opis quippiam attulit. Quod ad Autorem *VVindeckium* attinet, ait is f. 1072, ſe quindecim annorum puerum Moguntia, quæ ei patria, profectum cum magnæ autoritatis mercatore Pragam, Sigismundo inde per quadraginta annos usque ad ejus obitum adhæſiſſe, & plerisque rebus, quas ipſe geſſit, præſentem fuiſſe. Patet vero imprimis e C. 132, eum a Sigismundo in rebus arduis fuiſſe in conſilium adhibitum, unde haud injuria ejus Conſiliarium dixeris, & ſi paulo ante conferas C. 130, eum, quod eſſet civis Moguntinus, etiam apud Archi-Epiſcopum ſingulari gratia floruiſſe, ejusque negotiis apud Cæſarem conſuluiſſe, intelliges. Rebus anguſtis Imperatoris proſpexiſſe deprehenditur Cap. 51 & 52, cum ejus nomine pretioſa quædam cimelia oppignoraret Brugis pro 18000 florenis, ſe ipſum vadem conſtituens; quam ſummam Sigismundus ægre refundebat. Tacemus, quod mox etiam ad Moguntinos, Wormatienſes & Spirenſes miſſus fuit, urbes quasdam illis oppignoraturus, quod quidem negotium ſucceſſu caruit, ut patet Cap. 59. Quibus ſane rebus ita ſibi devinxit Cæſarem, ut hic illi annuos reditus in vectigali Moguntino conſtitueret, etiam paullo ante mortem Sigismundi confirmatos, qua de re vide fol.

1182, 1276 & in præf. 1075. De fide vero hujus Scriptoris minime dubitaveris, cum res deſcripſerit, quibus ipſe interfuit, & præterea de dexteritate ſua juratus teſtetur in Præf. l. c. his verbis: *So vviſſe Got Got von Himelreich, das ich nicht in diſer Legende nyman zu libe noch zu leide nicht getan han ſchreiben, denne als es vorgangen iſt.* Certe cleri vitia non tacet, ejusque ambitionem & avaritiam omnis calamitatis illius temporis fontem eſſe, non uno in loco fatetur. Uti vero nihil in toto libro occurrit, quod non lectu dignum videatur, paſſimque etiam integræ epiſtolæ & acta publica inſerta ſunt, ita imprimis jucunda videntur, quæ res domeſticas Sigismundi concernunt. Ita cap. XXXII ſtupri violenti virgini nobili illati haud obſcure inſimulatus eſt a Duce Auſtriæ Friderico, apud quem tum hoſpitabatur, quamvis revera ipſe Fridericus virginem compreſſiſſet. Cap. LXXXVI ejus in uxorem Barbaram indignatio hujusque miſeria deſcribitur. Cap. CVIII exhibetur matricula Imperii omnium antiquiſſima de anno ſcilicet 1422, cum antiquiſſima adhuc habita fuerit ea, quæ A. 1432 promulgata. Quod ſi evolvas caput CXLIX, Dattium quoque multis in locis emendandum & ſupplendum deprehendes; ut nihil dicam de Romana Sigismundi coronatione & arrogantia ſummi Pontificis. Illud vero nobis maxime ridiculum viſum eſt, quod, cum venenum Sigismundo propinatum eſſet, Medicus quidam Viennenſis, ſed natione Suevus (*ein grober Svvop*, ut Noſter loquitur) accedens pedibus eum per integras fere horas 24 ſuſpenderit, qua de re f. 1087. Sed præfari fas eſt, non excerpta dare; alioquin longe plura hic proponi ſpecimina poſſent. Nec in una Sigismundi vita ſubſiſtit Autor, ſed paulo longius et, rebus Alberti II deguſtatis, ad coronationem Friderici III Imp. A. 1442 factam, progreditur, in inveſtitura Marchionis Brandenburgenſis aliorumque Principum & Epiſcoporum Aquis eodem anno celebrata finiens.

XVI. ANTONII DE MUSICA, *Antverp. Commentariolus rerum a Carolo V Imp. ad S. Digerium geſtarum.*

Teſtem iterum *αὐτόπτην* producimus, qui ea ſcripſit, ut ait in Dedicatione ad Regem Angliæ Henricum VIII, quæ ipſe ſæpiſſime capitis ſui periculis expertus eſt: adhærebat enim Commiſſarii nomine & ob peritiam linguarum, Franciſco Duarto, Proviſori totius Exercitus Cæſarei generali, cui quotidiana exercitus acta referebantur. Non indignum hoc loco opuſculum putavi, quod ex Codice autographo Bibliothecæ Regiæ Londinenſis Celeb. Wittebergenſium Theologus, D. *Jo. Guil. Janus, νῦν ἐν ἁγίοις*, ante paucos annos deſcripſerat, ideo maxime, quod hæc ipſa S. Digerii obſidio, A. 1544 ſuſcepta, (quo & Libellus oblatus eſt Regi Angliæ, in ipſis forte caſtris ſcriptus) ad noſtram quoque hiſtoriam, Mauritii nempe Saxoniæ Ducis res geſtas, ſpectat, qui Cæſari MCCC & plures equites adduxiſſe, f. 1296, & ſtrenue multa geſſiſſe tum in obſidione, f. 1300 & 1301, tum poſt urbem captam, f. 1307 memoratur. Etſi vero Autor ſtilum ſuum modeſte vocet rudem & plane nudum, nec Latini ſermonis nitore decoratum, quod magis, ut loquitur, eſſet in aulis Principum & bellicis negotiis verſatus, quam in Palæſtra literaria, minime tamen contemnendus, imo rebus, quas deſcribit, admodum videtur accommodatus, ſi pauca excipiamus negligentius ab homine militari expreſſa. Parvum libellum excipiunt hoc prolixiores.

XVII. *Annales Reipubl. Auguſtanæ, ſeu Augſtburgenſes, ab* ACHILLE PIRMINIO GASSARO *relicti & ex autographo nunc primum editi.*

Etſi de *Gaſſari* hujus, Lindaviæ d. 3 Nov. 1505 nati & Auguſtæ d. 4 Dec. 1577

melancholia & febre ardente mortui, vitæ nonnihil Mart. Cruſius Annal. Suev. Parte III L. XII p. 763 & alibi commentatus ſit, quæ Melch. Adami in Vitis Medicor. rurſusque ex hoc, ſub *Pirminii* quidem nomine, quod illi demum A. 1512 in confirmatione a Jo. Fabro, Vicario tum temporis Parochiæ Lindav. inditum, Paulus Freherus in Theatro Vir. erud. deſcripſit, ut adeo ad illos remitti lectores noſtri poſſint; attamen cum paulo plura, quæ ad tantum virum ſpectant, nobiſcum perbenigne nuper communicaverint Ampliſſimus graviſſimusque Reip. Auguſtanæ Senator, *Wolffgangus Jacobus de Sulzer*, Jun. & Conſultiſſ. *Marcus Chriſtophorus Koch a Gailenbach*, Dicaſterii publici ibidem Aſſeſſor, ea quoque hic commemorabimus. Ita in Protocollo Collegii Med. Auguſt. Tom. I ab initio hæc de eo leguntur: „Auriaci in Gallia promotus huc venit circa An. 1546. „Uxorem habuit Annam Mariam Echin (*potius* Ohnin) Hieron. Tuecheri vi„duam relictam (*quæ ipſi jura civitatis Auguſtanæ attulit*) qua defuncta aliam du„xit, Scholaſticam Bühlerin 1552 qua non ita multo poſt repudiata (*nempe ipſa „eum ſic ſatis turpiter deſeruerat, ut ipſe Gaſſarus f. 1902 in Chronico memorat*) vixit cum „filia ſua & genero Machario (*alii* Matthæum *vocant*) Rumlero ad 4 Dec. 1577. „A. 1568 ſtipendium a ſenatu meruit menſtruum 100 fl. ſeu aureos per annum fere „integrum, quo peſtis hic ſæviit; item A. 1572.„ Dominicus Cuſtos in Effigiebus Clariſſ. literis Virorum Auguſtæ Vindel. 1612 in fol. excuſ. in Præfat. lit. B. ita de Noſtro: „Reip. Auguſtanæ Phyſicus, Medicus & Hiſtoricus inſignis, „Medicus certæ quidem & peritiæ & felicitatis, ut inter alios a Johanne etiam „Alberto Illuſtriſſ. Duce Megapolitano, eodemque perliterato Principe non „unas eum literas plane familiares (ut alios ejusdem Ordinis & tum Eccleſiaſti„cæ tum profanæ conditionis Principes prætream) accepiſſe, ex fide digno ho„mine acceperim.„ Exſtat & Gaſſari hujus effigies ab ea, quam ex codice Gothano expreſſimus, paulo diverſa, cum hac inſcriptione: „Georgius Sighardus, „Pharmacopola Auguſtanus, *Achilli Pirminio Gaſſaro*, Lindavienſi, Auguſtanæ „Reipubl. Archiatro, Viro experientia, doctrina, morum candore, pietate, „hoſpitalitate & in exules religionis ergo, bonarumque artium ſtudioſos amore, „& in ὁμοτέχνους benevolentia, nemini ſecundo, compatri ſeu potius parenti „ſuo, ob inſignia in ſe collata beneficia, ad perpetuam memoriam hanc effigiem „F. C. (*fieri curavit*) V. A. (*vixit annos*) LXXII, M. (Menſ.) II. OB. Prid. Non. Dec. „An. MDLXXVII.„ Joh. Langius Lib. II Epiſt. Med. Ep. 39 eum vocat *alterum in re Medica Achillem*; & quanti eum fecerit Conradus Geſnerus, qui nihil inde ab A. 1561 ad 1565 edidit, quod non antea Noſtro revidendum commiſerit, ex Epiſtolis illius Medicinalibus a p. 22 ad 44, quo loco Epiſtolæ his annis ad Gaſſarum ſcriptæ plures continentur, abunde patet, unde & multa, quæ ad familiam Noſtri ſpectant, peti poſſunt: ut taceam Epiſtolas Geſneri ad Adolphum Occonem ibidem a f. 47 ad 81, quæ fere omnes Gaſſari elogiis plenæ ſunt. Neſcio vero, num ad laudes quoque ejus ſpectet, quod, ut erat elegantiorum literarum amans, ingentem librorum copiam collegerit (unde *belluo librorum* dictus) quam poſt ejus mortem Huldericus Fuggerus ſibi comparavit, ac poſtea teſtamento cum reliquo apparatu reliquit Palatinatui, ut teſtatur Melch. Adami, non quidem in Vitis Philoſ. p. 305, ad quem locum fruſtra provocat Bælius ſub *Fuggero*, ſed potius in Vit. Medic. p. 234. Addimus nunc brevem Genealogiam e veteri codice Genealogico manu ſcripto nobiſcum communicatam:

Peter Gasser { *Ulrich Gasser* Maximil. I. Chirurgus — *Ursula von Randegg, Caspari & Annæ Steinerin* de Gottmadingen filia.

Achill. P. Gassar Med. Doct.
1 *Catherina VVerderin* von Veldkirch. { *Luther* †1554. *Anna* Uxor *Macarii Rumlers.*
2 *Anna Maria Ebenin* von Augsburg cop. 12 Maj. 1546 † 1550.
3 *Scholastica Bühlerin* cop. 30 Mart. 1552.

Quod ad scripta ejus, non immorabimur quidem ceteris, in quibus memorantur libellus *de peste*, vernaculus, quem cum Veldkirchæ medicinam faceret, scripsit & Noribergæ edidit 1544 in 4, cujus & epitome ἀνανύμως prodiit anno sequenti unica plagula in 4; tum *Aphorismorum Hippocratis methodus nova*, Sangalli 1584, 4; *Curationes & observationes Medicæ* a G. H. Welschio in Sylloge observat. Med. & *Collectanea practica*, ab eodem in Centuria Consil. Med. repetita; quibus M. Adami l. c. *Catalogum Regum Hierosol.* & tabulam Mathematicam, *Sciaterion pedarium* inscriptam, & J. G. Schenckius in Bibl. Medica p. 6 sq. adjecit *Epigrammata ad Dioscor. Euporistam Nonnam Medicum*, testaturque hic præterea, eum opera Lucæ Stenglini, Collegæ sui, Medici celebris, Alexandri a Süchten Propositiones Sarmaticas Medicas, monstrosas & impias, refutasse. Ut erat vero antiquitatum German. linguæ imprimis Germ. vetustæ, studiosissimus; ita non omittendum, quod *Otfridi Evangelia Gothica* primus fere descripsit & illustravit, ut vel in Actis Erud. anni superioris p. 146 indicatum. Celeb. Eckardus in Historia studii Etym. c. IX p. 86. testatur, addidisse illum Lexicon vocum veterum „ & intellectu difficilium, utque imprimeretur, misisse Conr. Gesnero, sed „ Typographi defectu coactum esse opus in manus Matthiæ Flacii Illyrici remit- „ tere, qui ea tempestate totus fuerit in colligendis monumentis, unde Testes „ veritatis erueret, & Centurias Hist. Eccl. ornaret atque stabiliret.„ Conf. & van Stade Specimen Lection. Franc. p. 38. Quæ confirmantur quodammodo ab ipso Gesnero in Epist. Med. p. 28 de die 22 Apr. 1563: „Laudo tuam industriam & „ virtutem, quod tantum laboris in describendo codice Ottfridi posueris; qui „ quanto minus plausibilis forte est in vulgus, tanto plus admirationis & laudis „ apud homines antiquitatis simul ac pietatis studiosos meretur. Nam si exter- „ nas linguas & quæ in eis antiquissima sunt imprimis, magno studio plerique „ promovent, & id sibi laudi ducunt, quanto magis laudandi sunt illi, qui ut pa- „ triam linguam illustrent, laboris & sumtus nihil subterfugiunt? Magna certe „ illorum & sincera animi liberalitas est, cui tum præsentes, cum posteri omnes „ plurimum debeant. Inter hos vero Te vel principe loco numerandum non dis- „ simulabo, si quando Mithridates noster recudetur; cui folium unum ex tuo „ Otfrido addam speciminis causa, si vixero.„ Præterea historica duo ejus opera, præter hoc nostrum, memorantur, quæ in Bibliotheca Augustana exstant, nempe: *Catalogus Regum omnium, quorum sub Christiana professione per Europam adhuc Regna florent, in gratiam Domini Ulrici Fuggeri, Kirchbergæ & VVeissenhorni Comitis &c. anno Salutis 1554 collectus & primum editus*, in 4. Augustæ Vindel. ut ex dedicatione liquet. vid. El. Ehingeri Catal. Bibl. August. p. 547, ubi tamen pro anno impressionis 1554 perperam annus 1559 notatus est. Alterum ibidem exstat hoc titulo: *Historiarum & Chronicorum Mundi Epitome velut Index*, Basil.

1532, in 8, Leonardo Baiero Eslingenſi, Patrino, dedicatum, quem Præceptorem chariſſimum appellat; ex cujus libri inſpectione patet, quod ad A. 1531 usque procedat. Fallitur itaque imprimis Caſp. Sagittarius in Introd. ad Hiſtor. Eccleſ. p. 122, qui eum ad Annum tantum 1520 pertingere aſſerit. Jam quod ad Annales noſtros elucubratiſſimos diuque deſideratos attinet, non ignoro quidem, Georgium Draudium in Bibl. Claſſ. T. I p. 727, Lipenium in Bibl. Philoſ. p. 137, B. G. Struvium in Bibl. Hiſt. c. XVII §. 25 p. 482 & J. C. Neu in Acceſſ. ad Deghor. Wheari Relect. hyemal. Part. II p. 146, eos inter libros editos numerare, quaſi prodierint Hanoviæ 1593 in fol. aſt facile putaverim reliquos omnes a Draudio deceptos, qui ut ſolos fere Francofurtenſium Catalogos ſequi conſuevit, cum annunciatum illic librum deprehenderet, pro jam edito venditavit. Quamvis vero fruſtra hactenus Viri Auguſtani curioſiſſimi editioni illi inſidiati fuerint; non negaverim tamen partem libri imprimi eodem forte anno cœptam, ſed editionem, cum nondum prelo abſoluta eſſet, cura magiſtratus Auguſtani & quorundam e familia Patritia, qui, quæ in præjudicium ſuum Autor nimis verax ſcripſerat, tam cito, plerisque adhuc vivis, propalari indignabantur, abruptam atque inhibitam fuiſſe, ut illius anni Acta in Archivo aperte teſtari dicuntur. Et comperimus, Nobiliſſimum Jo. Balthaſarem Gullmannum, Reip. illius Senatorem graviſſimum, e Spizeliana Bibliotheca jam pridem obtinuiſſe exemplum ſingulare partim impreſſum, partim MStum. Præmiſſo titulo: *Annales Auguſtani, de celeberrima urbe Imperiali Auguſta Vindel. deque ejusdem ſitu & origine, variarum rerum copia, ædificiorum tam publicorum quam privatorum magnificentia, forma gubernationis politicæ, rebus geſtis pacis & belli tempore, frequentia populi, proſperitate aeris, Scholæ & Eccleſiæ ſtatu, Patriciorum ſucceſſione, civium urbanitate, aliisque antiquis monumentis a Clariſſimo & doctiſſimo Viro Achille Pyrminio Gaſſaro, Lindavienſi, piæ memoriæ Reipubl. Auguſtanæ Doctore, Medico & Phyſico ſagaciſſimo & feliciſſimo, olim conſcripti*; tum & verſiculo:

Omnia ſi Sueviæ perluſtres climata terræ,
Non eſt Auguſta pulchrior urbe locus,
A. MDXCVI.

hexaſtichis item duobus, altero ad Autorem, altero in Auguſtam urbem, quæ omnia manu exarata ſunt; ſequuntur ibi plagulæ impreſſæ triginta tres, quæ paginas complent 132: reliqua, atque adeo maxima libri pars, acceſſere pariter manu ſcripta usque ad A. 1576 ſeu libri finem, quæ denique excipit Index materiarum & quædam alia. Nos quidem uſi ſumus Codice ampliſſimo Gothano, eoque ſatis vetuſto, a Summe Reverendo *Cypriano* nobiſcum perbenevole communicato, quem pro autographo habendum exiſtimavi, eo potiſſimum argumento, quod plurima, ſuis locis inſerenda, adſcripta eſſent eadem prorſus manu, qua ipſe textus exaratus erat, quæque adeo, cum & ſtylum autoris facile proderent, in contextum retulimus. Enimvero ſubdubitare deinde & pœne deſerere ſententiam meam cœperam, cum laudatiſſimus *Sulzerus* inter alia mihi nuntiaſſet, integros hos Annales ex Autoris autographo, ſi paucas paginas excipias, quæ aliam manum produnt, exſtare apud Illuſtrem Baronem de Rehlingen in loco Ainhoffen, qui ab Auguſta urbe duobus milliaribus diſtat, cujus exempli titulum, noſtro

paulo

paulo breviorem, hunc producit: *Annales civitatis ac Reipubl. Augſtburgenſis, per Achillem Pyrminium Gaſſarum, Lindav. Medicum Doctorem, non parvo labore perdiu collecti*; quem excipit diſtichon:

Civibus Augſtburgi quæ recta aut prava gerantur,
Simplicibus verbis vos docet iſte liber;

tum vero Præfatio ſeu Dedicatio ad Magiſtratum Auguſtanum; qua cum Codex noſter careat, viſum nobis eſt eam ad Appendicem libri rejicere, ne Lectori eam invidiſſe crederemur. Præmiſſa vero etiam ſub initium Codicis iſta memorantur: *Ego Ach. Pyrm. Gaſſerus, Lind. Medicus Doctor, Annalium Augſtburgenſium hunc librum mea manu,* ante omnes alios ſimul *conſcriptum, Nobili ac doctiſſ. legum Doctori, ſacri Palatii Comiti, Domino Davidi Byrglino, Auguſtenſi, veteri Amico, cauſa mortis dono, anno ſalutis Chriſtianæ MDLXXVII Menſe Novembri, quo ego ipſe ſeptuaginta duos vitæ meæ annos jam exacte tresque dies compleveram. Chriſte benigne juva!* Facile autem ex verbis, quibus, ſe hunc librum manu ſua *ante omnes alios ſimul* conſcripſiſſe, declarat, intelligitur, Autorem poſt hoc exemplum pluries librum, quamvis non ſimul, ſed ſubſecivis horis deſcripſiſſe, ut adeo mirum non ſit, ſi autographa quoque ejus plura paſſim deprehendantur. Certe plura eum exempla manu deſcripta amicis obtuliſſe, inter alia luculenter confirmatur ex Epiſtola Jo. Bapt. Heinzelii, Senatoris Auguſtani, è VIIvirorum Collegio, quem Gaſſarus Silentiarium vocaverat, ad eundem Gaſſarum, a Conſ. *Kochio a Gailenbach* mecum communicata, & Appendici pariter addita poſt Præfationem, qua ei gratias habet pro Codice Annalium ſibi donato, quanquam ad annum tantum 1561 tum procurrente, idque munus aurei poculi munere rependit, ſimul hortatus, ut librum Magiſtratui Auguſtano dedicet, nec temporum perturbatione ſe deterreri patiatur. Et quanti fecerit noſtrum Heinzelius, ex alia quoque ejus Epiſtola A. 1557 data ad Marcum Wagnerum, Frimarienſ. qui eam cum aliis in calce Tractatus vernaculi de Regno Thur. Jenæ 1593 editi produxit, patet, ubi ita inter alia: „Achilles noſter vetuſtiſſimarum rerum eſt ſtudioſiſſimus,“ ut id lucubrationes ejus cuivis demonſtrant. Habet & ille multa monu-“ menta hinc inde collecta - & Achilleam bibliothecam tutiſſimo inviſere“ potes. De Odalrico Epiſcopo noſtro fragmentum, quod miſiſti, Gaſſaro“ pergratum fuit. De noſtra Prætoria Auguſta in vetuſtiſſimis monumentis“ ſiquid inveneris, diligenter annota, & vel mihi, vel Gaſſaro iſtas reliquias“ mitte, experieris nos tuæ operæ non immemores.„ Unde ſimul intelligitur, Heinzelium, quantum in ipſo fuit, Gaſſaro in ſcribenda hiſtoria fuiſſe auxilio. Ceterum codex noſter Gothanus Ainhoffenſi prorſus ſimilis videtur, cum uterque in folio regio ſcriptus, uterque multis ad marginem additionibus refertus, ad eundem plane annum 1576 excurrat. Inter varios quoque, qui paſſim in Suevia circumferuntur, codices memorari meretur is, quem ſervat Prænobiliſſimus *Sigismundus Jacobus Amman*, Patritius Auguſtanus, a ceteris omnibus in eo diverſus, quod poſt titulum & præfationem ad Magiſtratum varia exhibet in ceteris minus obvia, nempe 1) quædam, quæ de ſua vita ipſe Gaſſarus reliquiſſe traditur, 2) Excerpta ex Henr. Pantaleonis & 3) Hier. Wolfii ſcriptis de Gaſſaro, 4) Xyſti Betulei carmen in autorem, 5) Cyriaci Wan-

genbergii Epiſtola ad autorem, 6) Dedicatio autoris ad J. B. Heinzelium, & 7) ejusdem Reſponſoria ad autorem, ut & 8) dedicatio Autoris ad Henricum Rehlingerum de Radau: unde facile confirmatur, Gaſſarum pluribus opus ſuum inſcripſiſſe. Quod ad fidem Gaſſari noſtri attinet, non morabor eos, qui, cum arcana domus ab eo propalari nolint, eum in ſuſpicionem odii & invidiæ adducere laborant; illud optandum erat, ut fontes, e quibus ſua hauſit, indicare dignatus eſſet. Interim rerum Auguſtanarum gnari, & in his nuperus Hiſtoriæ Auguſtanæ ſcriptor, David Langenmantel in Præfat. libri: *Hiſtorie des Regiments der Reichs-Stadt Augsburg*, diſerte fatentur, ſe experientia edoctos, quod Gaſſarus limpidiſſimos ubique fontes deguſtaverit. Et profitetur ipſe Autor in Præfatione, nunc ad calcem rejecta, ſe tantum non linteis ad componendum hoc opus libris uſum, opemque ab Heinzelio laudato, qui innumeros libros, & civium domeſtica Chronica aliasque tabulas vetuſtas comparaverit, tum & a Clemente Venatorio, publico Senatus miniſtro, qui præſertim in Præfectorum ac Conſulum Catalogo adjuverit, ſibi latam prædicat; nec diſſimulat, ſe res etiam odioſas attigiſſe, citra maledicendi tamen libidinem, cum nihil ex ſeſe finxerit, autoresque omnium in promtu habeat. Nec neglexerunt noſtrum, qui poſt eum hiſtoriam Auguſtanam aggreſſi ſunt: nam ut de Engelberto Werlichio nihil dicam, qui poſtquam prima parte Chronici ſui Auguſtani vernaculi, Francof. ad Mœn. 1595 in fol. editi, Velſeri res Auguſtanas traduxit usque ad An. DLII, quo ille deſinit, Parte II reliqua ex Gaſſaro usque ad A. MDXX, omiſſis tamen paſſim nonnullis, addidit; ipſi quoque Pontificii Scriptores, qui eum alioquin in hiſtoria Reformationis partium ſtudii accuſant, in ceteris eum ſæpius ſecuti ſunt. Quandoquidem & Car. Stengelius, Abbas Anhuſanus Ord. S. Ben. in Commentariis rerum Augustæ Vindel. Ingolſtadii 1647 in 4 editis, ſæpe Gaſſaro uſus deprehenditur, etſi eum non nominet; & Regimbaldus Mœhner, Ord. S. Bened. ad S. Ulr. in Annalibus ad An. 1640 productis, qui adhuc inediti exſtant in Bibliotheca ad S. Ulr. & magnæ ſunt apud Pontificios autoritatis, pleraque & potiſſima e Gaſſaro deprompſiſſe fertur, ad quem etiam ſubinde provocare non veretur. E noſtris hos Annales cum fructu conſuluit Illuſtr. Seckendorfius, qui Codice noſtro Gothano uſus, ſubinde in Hiſtoria Lutheraniſmi ad Gaſſarum provocat, Celeb. item Ern. Sal. Cyprianus Cent. II documentor. Hiſt. Reform. p. 40, ut Paul. Henznerum Itinerar. p. 584, Tentzelium in Colloqu. menſtr. 1692 M. Aug. p. 695, Joach. Frid. Fellerum in Monumentis ined. p. 27, Jac. Bruckerum in Commentat. de vita & ſcriptis Eliæ Ehingeri paſſim, aliosque taceamus. Ceterum cum & laudatiſſimus *Ammanus* Gaſſarianæ familiæ inſigne nobiſcum communicaverit, noluimus idem invidere curioſo Lectori, atque adeo dedimus illud in TAB. VI Fig. 21, ubi Leo gradiens, cochlear argenteum tenens, in area albo-rubra, & in ſuperiori parte idem Leo dimidia ſui parte cum eodem cochleari ſpectatur.

XVII. COSMÆ, *Pragenſ. Eccl. Decani, Chronica Bohemorum Libri III ad edit. Freber. recogniti & notis illuſtrati a* Chriſtiano Gottlieb Schwartzio, *Prof. Publ. Altorf.*

Cum Marquardus Freherus Scriptores ſuos rerum Bohemicarum in lucem ederet Hanoviæ typis Wechelianis A. 1602, primo loco *Coſmæ* Pragenſis Decani

ni, Chronica Bohemorum ceu omnium antiquiſſima exhibebat, ſed vix ſexta ſui parte; Codice quippe uſus tum adeo manco, ut & in Libro I multa & Libri II pars maxima, integerque Liber III deſideraretur. Enimvero cum quadriennio aut quinquennio poſt Pragam perveniſſet, incidit in exemplum multo plenius atque omnino integrum, quod ut mox A. 1607 Hanoviæ iisdem typis imprimeretur, addita S. Adalberti vita & quibusdam aliis, effecit. Non dubito vero eum uſum fuiſſe eodem Codice, quem adhuc hodie extare Pragæ apud Rev. Patres Societ. Jeſu comperimus: cumque in illo pariter habeatur Beneſſii a Weidmühl vita Caroli IV Imp. quam dudum huic Collectioni inferre optavi, non poſſum non Rev. Patres vel publico nomine hoc loco obteſtari, ne eam ulterius fruſtra ab eruditis deſiderari patiantur. Ceterum neſcio qui factum ſit, ut pauciſſima hodie editionis Freherianæ poſtremæ exempla proſtent, nec ignoro, librum quamvis exiguæ molis, venditum tamen eſſe quinque vel ſex Joachimicis. Cum vero is ab inſtituto noſtro non eſſet alienus, maxime cum contineret multa, quæ ſpectant ad res Saxonicas & Miſnicas, quarum cum vicinis Bohemicis præcipua ſemper fuit cognatio: autor mihi imprimis exſtitit Celeb. *Chriſtianus Gottlieb Schwartzius*, Altdorfenſis Academiæ lumen & decus eximium, ut librum publico commodo recuderem, notas etiam ſuas liberaliter pollicitus; & quamvis ipſe nomen ſuum in titulo exprimi vetaverit, id tamen vel hoc loco revelari haud ægre, ut ſpero, feret, cum facile intelligat, quantum interſit Lectorum, ut ſciant, cui bellaria iſta debeant. Majora tamen & multo ſtudio elucubrata dabit Tomo III, quem nunc paramus, ubi Petri Albini de Burggraviis Leisnicenſibus libellum oppido rarum diſſertationibus & animadverſionibus ſuis, ipſe Leisnicenſis, illuſtrabit. Quod ad noſtrum Autorem, bene notavit idem Cl. Schwarzius tum ſub initium, tum ad A. 1091, eum diverſum fuiſſe a Coſma Epiſcopo Pragenſi, quippe jam A. 1098 e vivis erepto, cum noſter contra A. 1099 ſacerdotio initiatus, demum A. 1125 die 21 Oct. octuagenarius deceſſerit. Quid vero exiſtimandum ſit de Coſma noſtro, lubet verbis Balbini ediſſerere, qui in Epit. rer. Boh. Lib. III c. 8. p. 212 de eo ita ſcribit: „Poſt *Chriſtannum*, antiquiorem, quam *Coſmam*, (cujus libri ſuperſunt hoc tempore)“ Scriptorem Bohemia non habet, quod equidem ſciam. Is tanta diligentia“ tantaque fide, a Brzetislao I usque ad Wladislai I mortem (videlicet ab A. 1038“ ad A. usque 1125) Hiſtoriam Bohemiæ duxit, ut ceteri poſt eum, qui addere &“ augere hiſtoriam noſtram voluerunt, aut nihil omnino dignum, aut errores“ tantum attulerint, aut narrationibus implicatis & in ſe redeuntibus omnia“ confuderint &c.„ Certe hoc major ejus utilitas eſt, quod hiſtoriam ad ſua usque tempora & ipſam fere mortem, nempe ad A. 1125 menſem Junium, deduxit. Quam addidit Freherus in editione illa poſteriori vitam S. Adalberti, Epiſcopi Pragenſis, Bohemorum, Polonorum, Pruſſorumque Apoſtoli, eam nemo multum in noſtra collectione deſideraverit, quippe ad res Germ. vix ſpectantem. Nec libellus hic inter rariores amplius reponendus, quem & Henricus Caniſius paulo ante Freherum primus ediderat Tomo V antiqu. Lection. Parte II, quæ editio ita concordat, etiam in mendis, cum Freheriana, ut altera ex altera deſcripta videatur; & Editores Actor. Sanctor. ad M. April. Tomum II f. 178, multo accuratius & correctius ſecuti exemplum dederunt; iterumque in nupera editione operis Caniſiani Tom. III f. 45 ſq. doctiſſimus Jac. Baſnagius recudit; ut taceam eundem etiam a Bzovio Annal. f. 598, ſub falſo quidem Sylveſtri II

auto-

autoris nomine, editum. Et forte ipſe Freherus hanc vitam Chronicis Coſmæ haud attexuiſſet, niſi ipſi in mentem veniſſet, quaſi ab eodem *Coſma*, cui eum levi admodum argumento tribuit, profecta fuerit. At probavit Balbinus Epit. rer. Boh. Lib. III Cap. VIII p. 212, & ſtylum in utroque Scriptore diverſum elucere, & utrumque aperte ſibi ſubinde contradicere; cui ſententiæ accedit etiam Baſnagius præf. l. c. qui ex ipſo opuſculo oſtendit, autorem vixiſſe ſub Ottone III, & Adalberto ipſi comitem aliquando exſtitiſſe, cum contra Coſmas ille vixerit haud dubie Seculo XII. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Quod reliquum eſt, non poſſumus, quin publice etiam commendemus diligentiam Viri Juvenis maxime induſtrii, *Chriſtiani Gottlob Haltauſs*, Lipſ. qui & plurima ex vetuſtis membranis accurate magnaque felicitate deſcripſit, & quædam vernacula recentiora latinitate donavit, & contenta margini appoſuit, indicem quoque ſuo tempore operi additurus.

CON-

CONTENTA TOMI PRIMI.

I.

AUTORIS ANONYMI, *qui tempore Friderici II Imp. vixit, Chronicon vetus, ex libris* Pentheon *excerptum, de Imperatoribus Rom. a Carolo M. usque ad mortem Friderici II productum; e membrana Bibl. Menckenianæ. Accesſere ex eodem codice excerpta ex ejusdem Autoris catalogo Pontificum, pariterque ejusdem catalogus Eccleſiarum Patriarchal. Cardinalium item & Presbyterorum Eccl. Romanæ. fol. 1.*

II.

Lectiones emendatiores & auctiores Chronici ALBERICI, *Monachi trium fontium, Leodienſis diœceſis, vel ejus Continuatoris, ab Anno 960 ad 1241, habita ratione Editionis* Leibnitianæ, *ex optimo codice Bibliothecæ Menckenianæ excerptæ. fol. 37.*

III.

ANDREÆ Presbyteri, *Itali, Scriptoris Seculi IX, Chronicon breve, hactenus ineditum, ab Anno 568 ſeu ab adventu Longobardorum in Italiam usque ad mortem Ludovici II Imp. h. e. ad Annum 874 & paulo ultra, e Muſeo, & cum notis* Hermanni Philomuſi. *fol. 89.*

IV.

Annales Francorum vetuſti, quibus quædam a Carolo M. & Ludovico Pio ab A. 801 ad A. 822 geſta traduntur, hactenus inediti, e membrana Bibliothecæ Menckenianæ. fol. 101.

V.

PETRI SAXII, *Arelatenſis Eccleſiæ Canonici, S. Theol. Doctoris, Pontificium Arelatenſe, ſeu Hiſtoria primatum S. Arelatenſ. Eccleſiæ, ob rerum Arelatenſium cum Germani-*

cis & Thuringicis affinitatem, & miram Libri raritatem, ex Editione Aquis Sextiis 1620, 4. vulgata accurate recusa. fol. 107.

VI.

Diplomata Abbatiam Chomburgensem, prope Halam Suevorum sitam, concernentia, ab An. MXC, quo fundata est, ad Annum MCCCCLXXX justo ordine dispositа, ex autographis plusquam CCCC selecta, accurate descripta, iterumque singulari studio collata; e Bibl. Zollmanniana. Præmissus est catalogus Abbatum Chomburgensium, ex Diplomatibus emendatus, auctus & suppletus. f. 379.

VII.

Diplomata LV, res Comitum Gleichensium ab A. MCCXVII ad MDVIII illustrantia, ex Casparis Sagittarii *autographis & historia Comitum Gleichensium MS. accurate descripta; e Bibliotheca* Polycarpi Leyseri, *Jur. & Med. Doct. & Profess. Histor. & Poes. in Academia Julia Celeberrimi. f. 533.*

VIII.

Diplomata Bremensia XVII anecdota, pleraque potissimum e Chronico Bremensi majori, dialecto Saxonica, duobus volum. conscripto, sed nondum edito, decerpta; e Bibl. Menckeniana. f. 583.

IX.

Diplomata Monasterii Oldeslebensis CXCVII, ex libro copiali, qui Gothæ servatur, descripta a Caspare Sagittario; *e Bibliotheca Leyseriana. f. 614.*

X.

Diplomata Capellendorfensia CLXXXVIII, e quibus tum alia multa, tum imprimis Genealogiæ Burggraviorum Kirchbergensium egregie illustrari possunt; e Casp. Sagittarii *codice MS. inedito, in Bibliotheca Leyseriana Helmstadii existante f. 675.*

XI. a)

Diplomata XXXVI, varia Miſniæ & Thuringiæ Monaſteria concernentia, aliaque notatu digna, e Bibliothecæ Academicæ Paulinæ Lipſienſis authenticis Membranis deſcripta. Acceſſere ex eadem Bibliotheca Conradi Marchionis Diplomata duo, ſeu donationes S. Sepulchro & Hoſpitali Hieruſ. factæ, ut & compoſitiones aliquot Principum, ex quibus inter alia autoritas Wilhelmi D. Saxon. patet. f. 763.

XI. b)

Vita Caroli M. autore DONATO ACCIAJOLO, *Florentino, eleganter deſcripta, & ex MSto Menckeniano pleniùs edita. f. 813.*

XII.

Legenda Patroni Germaniæ Sancti Bonifacii, Libris II, quorum poſtremo ſigillatim Thuringica continentur; acceſſit legenda Bonifacii vernacula, ab illa ſubinde diverſa & ſolam fere Thuringiam concernens; e MSto vetuſto Joh. Wilhelmi Neumeyeri a Ramsla: *cum Notis. f. 833.*

XIII.

ERMOLDI NIGELLI, *Abbatis, ut videtur, Anianenſis, & Auctoris ſynchroni, de rebus geſtis Ludovici Pii Auguſti ab Anno* DCCLXXXI *usque ad Annum* DCCCXXVI *Carmen elegiacum, nuper inter Scriptores rerum Ital. To. II parte II ex vetuſtiſſimo codice Cæſareæ Vindobonenſis Bibliothecæ editum, cum notis doctiſſimis* Ludovici Antonii Muratorii, *Seren. Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfecti. f. 865.*

XIV.

BENZONIS, *Epiſcopi Albienſis, Autoris coævi, Panegyricus rhythmicus, ſeu Commentariorum de rebus Henrici III Imp. ſeu IV Regis Germ. Libri VI; e membrana Bibliothecæ Upſalienſis, cum notis extemporaneis D.* Jacobi Auguſti Franckenſteinii, *JCti. f. 957.*

XV.

EBERHARDI WINDECKII, *Mogunt. Hiſtoria Imp. Sigismundi vernacula, e vetuſtiſſimo & fere coævo Codice Bibliothecæ Ducalis Saxo-Gothanæ nunc primum edita, cum codice MS. recentiori diligenter collata, reviſa & ad juſtam annorum ſeriem reducta. f. 1073.*

XVI.

ANTONII DE MUSICA, *Antv. Commentarii rerum ab Imp. Carolo V apud S. Digerium geſtarum, ad Reg. Angl. Henricum VIII; e Cod. Bibl. Regiæ Londin. f. 1289.*

XVII.

ACHILLIS PIRMINII GASSARI, *Lindavienſis, Annales de vetuſtate originis, amœnitate ſitus, ſplendore ædificiorum, ac rebus geſtis civium Reipublicæque Auguſtburgenſis, multo ſane labore, ſumma etiam fide perdiu collecti, & juxta ſeriem annorum nativitatis Jeſu Chriſti ad Roman. Imperatorum Francorumque Regum tempora, nec non tam ad politici, quam Eccleſiaſtici ibidem Magiſtratus faſtos accuratiſſimo ordine digeſti; e codice autographo Bibliothecæ Ducalis Saxo-Gothanæ nunc primum editi; acceſſit Appendix e codice Auguſtano. f. 1315.*

XVIII.

COSMÆ, *Pragenſis Eccleſiæ Decani, Chronicæ Bohemorum Libri III, opus ad exemplar Freherianum, quod Hanovia typis Wechelianis Anno MDCVII prodiit, recognitum & notis illuſtratum a Viro doctiſſimo; præfixa Ducum ac Regum Bohem. Elogia, verſibus decantata a* Mart. Cutheno & Caſp. Cropacio. *f. 1967.*



AVTORIS ANONYMI,

QVI

TEMPORE FRIDERICI II. IMP.

VIXIT,

CHRONICON VETVS,

EX LIBRIS PENTHEON EXCERPTVM,

DE

IMPERATORIBVS ROM.

A CAROLO M. VSQVE AD MORTEM FRIDERICI II.

PRODVCTVM.

E MEMBRANA BIBL.

MENCKENIANAE.

ACCESSERE EX EODEM CODICE

EXCERPTA EX EIVSDEM AVTORIS CATALOGO PONTIFICVM,
PARITERQVE EIVSDEM CATALOGVS ECCLESIARVM PATRIARCHAL. CARDINALIVM ITEM ET PRESBYTERORVM ECCL. ROMANAE.

Nota de nomine Francorum unde traxit originem.

A imperatore *Valentiniano* vocati sunt *Franci* id est *feroces*. Nam cum idem imperator toto orbe in prouinciam Romanorum subiecto. A cum *alanos* inter *meothidas* paludes receptos delere non potuisset. edictum protulit vt gens quecunque *alanos* deleret ac vinceret. per decem annos proximos libera esset ab omni tributo. Quare *germani* ipsi glorie cupidi aduersus *alanos* mouent exercitum. eosque vincunt & omnino extinguunt. Vnde & per decem annos proximos a tributo liberati fuere. vnde propter hoc *franci*. id est *feroces* perpetuo sunt vocati. vnde tunc temporis *germania* & *alemannia francia* vocabatur. que nunc dicitur *francia. galliam* nominabant. sed modo dicitur *francigena* qv. genita a francis. Expletis autem decem annis dum romani a *francis* solita tributa repeterent. *franci* ob ipsam libertatem effrenes effecti ipsum tributum soluere renuerunt. quapropter dum a Romanis contra eos pugnatur. occiso in prelio *priamo* troiano principe eorum. in partes Regni *turingie* se contulerunt cum principibus suis filiis dicti *priami*. & *antheneris* tercii nomine *marchomede* & *symone*. Porro defuncto *symone* communicato consilio filium *marchomedis* nomine *ferramum*. dum regem sibi creauerunt. leges quoque per auctores suos. s. per *guisogalstardum* & *salagustum* compositas ex tunc habere ceperunt. vnde a *salagusto* illo *lex salica* nomen accepit. qua lege vsque hodie *franci* vtuntur. qui & *salici* nuncupantur. Mortuo igitur *ferramundo*. filius eius *crinitus* successit. a quo Reges *francorum criniti* sunt appellati. Hiis temporibus *francia* cepit crescere. *Roma* autem minui. Gentes autem. que *romanis* subacte erant. iam ceperunt per se ipsas regnare. *Romani* e conuerso qui semper imperauerant. aliis seruire cogebantur. *Gothi* enim cum iam ipsam vrbem fuissent depopulati. vltra *ligerim* fluvium in *gallia* confederunt. *Burgundiones* quoque iuxta *rodanum* habitauerunt. *Franci* vero regno vadato *Romanos*. qui ibi habitabant. fugauerunt. Postea captis vrbibus *tornacho* & *cameraco* inde paulatim progressi *Remis* sueſſe-

Notetur παραχρησμός.

Lex salica unde dicta?

Reges Francorum criniti.

Casus imperii Romanorum.

Reges Merouingi.

Clodoueus fit Christianus.

Sanctum oleum.

Majores Domus Francie.

Carolus Martellus creatur Rex Francorum.

Francia diuisa.

Childericus Rex deponitur.

Pipinus uindex Ecclesie Rom. contra Longobardos.

S. Bonifacii mors.

Pipini Uxor.

Prima causa translationis Imperii.

Secunda causa.

sueſſenam aurelianum & coloniam que tunc *agrippina* vocabatur. *treuerim* ac pene etiam. *galliam* atque *germaniam*. ab *acquitania* vſque in *baluariam*. ſibi vendicant & ſubiiciunt. Deffuncto vero Rege *crinito*. ſucceſsit ei Rex *gildebertus*. qui genuit *clodoueum*. quo deffuncto. factus eſt Rex *micropeus*. filius eius. a quo Reges *francorum micropei* ſunt appellati. Quo deffuncto *Gildericus* filius eius ſucceſsit & precepit *aggrippinam*. propter incolatum *francorum coloniam* appellari. qui alium genuit *clodoueum*. qui primus chriſtianus fuit inter reges *francorum*. a beato *Remigio* baptizatus. qui ſubiugatis *alemannis*. *gothis aquitanis* bellum indicit.

De oleo ſancto. quo reges francorum unguntur.

Dum autem Rex a ſancto *Remigio* baptizatur. angelus domini prebet ei oleum quo ungatur. quod oleum vſque in vnctione regum *Francorum* habetur & in perpetuum reſeruatur: Cuius filii & nepotes & pronepotes regnauerunt in *francia* vſque ad *pipinum* nonum. patrem *Karoli* magni. Erat autem eorum princeps de cognatione eorum. vocabatur ex officio ſuo *maior domus*. quorum primus dicitur ſuiſſe *ardulphus* vel *arduldus*. qui poſtea fuit epiſcopus *metenſis*. ſecundus fuit *anſgiſus*. tercius *pipinus groſſus*. quartus *karlomartellus*. quinctus *pipinus* nanus. qui per electionem *francorum* Rex factus & patricius Romanorum per *zachariam*. papam vocatus eſt. cuius temporibus *greci rome* dominium perdiderunt & *franci* imperium *rome* & in occidente habere ceperunt.

De Pipino patre Karoli magni.

Nam deffuncto *Karlomartello* in *ligune* ciuitate que vocatur *aquis*. *pipinus* filius eius & *Karlomagnus* frater eius cum tercium fratrem eorum. *griffonem*. tamquam hoſtem. a regno fugaſſent. regnum inter ſe diuidunt. *Karlomagnus* accepit *auſtriam*. *alemanniam* & *turingiam*. *pipinus* autem *burgundiam*. *neuſtriam* & omnem *prouinciam* & *rodanum* fortiter --- Tempore procedente *karlomagnus* fratri ſuo *pipino* omnem terram. reliquit & ipſe monaſticum. habitum. in monte *Syracti* vbi olim latuit beatus *ſilueſter*. per papam *zachariam* accepit. & inde propter nimiam. hominum frequenciam. ad montem *caſſinum* ſe transfert. & clericus factus ibidem vitam finiuit. Cumque eccleſia eſſet a *gothis* qui & *vaſcones* dicuntur & *longobardis* afflicta & inſtanter a *francis* auxilium poſtulaſſet. *pipinus* dictus *nanus* cum eſſet maior domus ad papam *Zachariam* legatos ſuos miſit & quid de regno *francorum* ei videretur queſiuit. Papa itaque mandauit. melius eſt illum eſſe regem qui tocius regni curam & poteſtatem habet quam illum qui ſolo nomine rex eſt. Stabat enim in Rege ſola nominis vmbra. In *pipino* vero poteſtas & dignitas efficaciter apparebat. Erat tunc *illericus* rex ignarus & inutilis ex antiquorum regum *francorum* genealogia. qui Reges a *mirqueo* ſupradicto *mirouei* ſunt vocati vel fuerunt appellati. Reuerſis igitur legatis ab vrbe. omnis *gallia* conſilio *zacharie* pape libenter conſenſit.

De electione pipini in regnum francorum.

Vnde anno ab incarnatione domini. DCC LII. auctoritate pape *pipinus nanus* a *bonifatio* maguntino archiepiſcopo aliisque regni principibus in ciuitate *ſueſſona* in Regem eligitur & regalem recepit vnctionem. Sequenti autem anno *zacharia* papa deffuncto. *ſtephanus* papa ſucceſſit. qui cum ab *agiſtulpho* Rege *longobardorum* multa mala pateretur. *pipino* a prelio *ſaxonum* reuertenti occurrit in villa que dicitur *chariſius*. rogans eum vt eccleſie Romane ſuccurrat. Ipſe autem contra *agiſtulphum* regem *longobardorum* exercitum mouet & *ytaliam* intrare diſpoſuit. Cum autem *longobardi* per anguſta montium poſitis ante ſe validis muris deffenſionem ſibi paraſſent. *pipinus* occiſis ex eis plurimis murorum clauſtra confregit in plano *lombardie* pertranſiens. *Agiſtulphum* in *papia* obſedit. qui a *pipino*. XL. obſides dare & iurare compellitur ne Romanam eccleſiam amplius infeſtet. vbi *ſtephano* papa honorifice cum militia *francorum* romam. remiſſo ipſe in *franciam* remeauit. Hoc anno dictus *bonifacius* a *frixonibus* martirio coronatur. *Agiſtulphus* vero poſt *pipini* receſſum ruptis promiſſionibus. eccleſie cepit ſeuior eſſe. vnde *pipinus* in forti manu *ytaliam* ingreditur. & *agiſtulphum* in *papiam* obſedit qui omnia corrigere & fortioribus promiſſionibus & plurimis obſidibus coartatur. Inſuper *Rauannam*. cum quibusdam aliis vrbibus coactus eſt eccleſie reſignare. Ipſe autem *pipinus* in *galliam* eſt reuerſus.

De Berta uxore pipini filia regis Vngarie.

Hic autem duxit *bertam* in vxorem *grandipede* filiam eraclii regis Vngarie. matre vero greca. de qua natus eſt *Karolus magnus*. in quo grecorum imperium. translatum eſt in Romanum tempore *conſtantini* quincti vltimi imperatoris grecorum filii *leonis*. LXX. ab auguſto.

Que fuit cauſa translationis imperii conſtantinopolitani in ytaliam.

Multiplex fuit cauſa translationis. prima fuit dictorum imperatorum. & *leonis* & *conſtantini* malicia. nam *leo* ymagines domini iuſſit incendi & ſanctos ſue iniquitati reſiſtentes decollari. Inter quos paſſa eſt beata *theodoſia*. cuius corpus adhuc integrum. *conſtantinopoli* reſeruatur. vnde *gregorius* papa tercius qui tunc erat totam *ytaliam* a ſuo imperio deſcendere perſuaſit. Item *conſtantinus* predictus demoniis immolabat. & patre ſuo deterior factus luxurie & omni immundicie deditus eccleſiam dei grauiter affligebat. vnde eciam ſuis iniquitatibus ipſe & pater eius meruiſſe videntur vt eorum regnum diuideretur. Secunda cauſa fuit quod cum eſſet eccleſia & tota *ytalia* tam a gothis quam a *longobardis* grauiter oppreſſa. *leo* papa qui tunc erat imperatoris *conſtantini* filii *leonis* auxilium poſtulauit.

stulauit. Qui dum ei negaret *pipini* ducis *francorum* subsidium implorauit. qui vt dictum est cum electus esset in Regem a conctis oppressionibus ecclesiam liberauit. Propter quod *Romanus patricius* est vocatus. Tunc enim *luprandus* pater dicti *agistulphi* in *papia* regnabat. verum cum mortuus esset *agistulphus desiderius* rex in *papia* successit eidem. qui dum in principio initis esset ecclesie. pacis contra papam federa violauit. Hiis diebus *constantinus* predictus persequtor xxxv. imperii sui anno mortuus est eique filius eius *leo* successit & regnum tenuit per sex annos. Tunc temporis erat *stephanus* papa terciius cui successit *adrianus* qui sedit annis xxiv. m. decem. dies xxviii. qui cum a predicto *desiderio* plurimum turbaretur *karolum* rogauit vt sicut pater eius ecclesie subueniret. Ipse autem habito consilio principum respondit. quod si ecclesia vellet ipsius defensionem quod committeret sibi *ytalicorum* & *grecorum* imperium gubernandum ab ipso & successionibus suis. cum alias superfluus esset labor vel superuacuus nisi tota *ytalia* a proprio principe regeretur: cum pater eius *pipinus* hoc plures labores subierit & expensas. *Non valet imperium nisi cesaris ense regatur.* Scripsit eciam sic. *Roma potens viguit. dum cesar in vrbe resedit. Publica res creuit. gens ytala pace quieuit. Terra suis dominis digna tributa dedit.* Si Roma cupit reparari. *Expedit imperii que peto iura dari.*

Tertia causa.

De primo ingressu Karoli in ytaliam.

Ad quod papa & ciues Romani. sic conuenerunt cum ipso vt ipse & eius successores in *theotonia* residentes regant *ytaliam* sub imperio Romanorum ad quod *Curia francorum precibus consensit eorum.* Vnde magno exercitu congregato intrauit *Karolus liguriam.* in campo figens sua temptoria. qui *mortana* dicitur pro eo quia plurimi sunt ibi mortui de *lombardis.* ibi enim cum *desiderio* rege conflictum fecit & fugauit usque *papiam.* Cum autem ipsum in *papia* obsedisset. *Rolando* & *oliuerio* principibus cum exercitu in obsidione dimissis *Romam.* in peregrinationem venit. nec tamen tunc voluit coronari sed statim ad exercitum remeauit. Capta itaque ciuitate *papie* cum *desiderio* Rege. Vxore & filiis suis eos in carcerem. *aquisgrani* reclusit. vbi dies suos in exilio finierunt & sic *ytaliam.* a *longobardis* quam ccv. annis tenuerunt liberauit.

Desiderius opprimitur.

Quarta causa translationis imperii.

Quarta fuit causa translationis. hec. Regnante in *francia karolo magno constantinus* filius *leonis* lxx. ab augusto in imperium successit grecorum. s. filius *leonis* cuius filia *karolo magno* a matre desponsata alii copulatur. Ipse autem *constantinus* consilio matris sue *yrene.* non multo post cecatus obiit vt dicitur. Regnauitque post eum mater sua v. annis: vnde postquam deuenerat in manu femine imperium. dignum erat vt ad *francos* viros potentissimos transferretur.

Quarta causa.

De coronatione Karoli magni in imperatorem.

A. 801. Anno igitur ab incarnatione domini dccci. ab vrbe autem condita. MDLII. *karolus magnus* XXXIII. anno Regni sui a *leone* papa quarto populo Romano acclamante & laudes imperiales cantante glorioſissime coronatur. subiugatis iam sibi *Boioemis* & *danis. saxonibus. aquitanis. normannis. britannis. pannoniis* & aliis multis prouinciis. Qualis autem fuit *karolus* actor describit dicens. *Dupla fuit iuuentus mansura pusilla parentis Maior erat species. virtus audacia mentis. Fama fuit celebris. gloria multa minis.* Erat autem corpore. amplo & robusto. statura eminente. apyce capitis rotundo. oculos habuit pregrandes & vegetos. nasum paululum excedentem mediocritatem. cesariem pulchram faciem letam & ylarem. eloquencia copiosus. in cibo temperatus. in potu temperatior. fuit ergo LXII. ab *augusto.*

Forma Caroli M.

De conspiratione pape Leonis qui bis cecatus fuit.

Karolus igitur augustus illos qui in papam *leonem* sacrilegium commiserant *campolum* s. *primicerium* & *paschalem* sacristam. sententia capitis condempnatos interuentu ipsius pape viuere permisit. & ad agendam penitentiam exilio relegauit. nam istis duobus procuratoribus *leo* a Romanis flagicioſissime tractabatur. ita vt oculis vna die cecatus & bis lingua truncatus fuisset. ad basilicam beati patri de nocte productus est vbi virtute dei oculos lumen & linguam cum loquela recuperauit vel recepit. Iste enim *leo* sedit xx. annis M. sex. diebus xlvii. ante Kl. iulii obiit. Porro *yrene* grecorum imperatrix missis legatis pacem. inter *grecos* & *francos* ordinari rogauit. cum quibus *karolus* missis suis nunciis *yrenem* sibi in vxorem. postulauit. Cui dum *yrene* annuisset. *Gutbicius* tunc patricius presentibus legatis *karoli* cepit eam. & in monasterium. reclusit atque fratrem *nicepharium* imperatorem fecit. *Nicepharius* vero legatos ad *karolum* transmisit & cum eo iniit pacis fedus. Rex quoque persarum *karolum* cum muneribus honorauit. *Nicephorio* vero a burgaris interfecto. *Michael* gener eius constituitur. qui cum *karolo* pacem renouatam firmauit. qui eciam a burgaris est occisus.

Pax Caroli M. cum Irene.

Carolus petit eam in vxorem.

Irene deruditur in monasterium

Pax Caroli cum Nicephoro.

itemque cum Michaele.

De Leone vltimo imperatore grecorum qui cum karolo perpetuam pacem fecit.

Cui succedit *leo* filius *baridi* patricii qui cum *karolo* pacem perpetuam firmauit. hoc modo vt alter ab altero semper iuuetur & grecus imperator habeat orientem. *Karolus* vero & sui successores habeant *romam* cum toto occidente. nam Regni *karoli* tunc erat terminus a *bulgaria* siue ab *illirico* vsque ad *yspanos.* a *danays* vsque ad farum *sicilie.* exceptis adiacentibus regionibus vtpote *boemia. polonia. dalmacia. ystria. venecia. britannia* & aliis quibusdam prouinciis. Quibus omnibus in pace dispositis concessum *karolus* sibi culmen adegit. *legibus obtinuit quod quasi preda fuit.* vnde quod quasi ex rapina vsurpauerat postmodum de iure possedit quod de voluntate eius. cuius erat. habuit & possedit.

Descriptio regni Caroli.

De Karolo eunte in anſoniam & eius reditu per apuliam & per vrbem.

Poſt hec oracionis cauſa *Jheroſolimam* per *conſtantinopolim* tranſiit & in *anſonia* multos recepit honores. factaque ibi oracione & omnibus locis viſitatis per *ſiciliam* poſtmodum. remeauit & Regem ſiculum baptiſmatis vnda reſperſit. atque ipſum dogma ſancte romane eccleſie tenere fecit. Deinde venit *meſſamiam*. & inde per *farum* tranſiens ubi pertulit multa dampna ſuorum. tranſiit per *calabriam*. deinde per *apuliam* & omnibus ibidem in pace dimiſſis venit *Romam*. & ibi coronatus multos honores recepit. papa *leone* in vrbe reſidente. vbi recepta benedictione a papa in *gallias* rediens *aquiſgranenſem* eccleſiam beate marie opere mirifico edificauit.

Carolus fundat templum Aquisgranenſe.

Tandem vero *Karolus* exercitu congregato perrexit in *hyſpaniam*. & eam totam ſuo imperio ſubmiſit. tamen per annos XIV. laborauit ibidem. & plurimas gentes conuertit. plurimas vero amiſit. Inde *aquiſgranum* reuerſus poſt infinitas victorias in palatio *aquiſgranenſi* vbi ipſe principalem ſedem. imperatoriam conſtituit. finem vite ſuſcepit anno XLVI. regni ſui. Imperii vero XXIII. Etatis ſue anno LXXII.

Carolus vincit Hiſpaniam.

Mors Caroli M.

Karolus conſtituit quatuor ſedes imperio principales.

Ibi enim primam ſedem conſtituit. ſecundam *arelati*. terciam *modene* ſ. *mediolani*. quartam *Rome*. Et in qualibet coronatur imperator futurus. ſed a ſummo pontifice *rome* recipit principalem. & inungitur ab eodem & confirmatur ab ipſo. *Karolus* vero adhuc viuens *ludouicum* filium ſuum ſucceſſorem. ſibi & imperatorem creauit. De cuius progenie & qualiter imperium diuiſum fuerit ſuo loco dicemus.

Nota. *Poſt hæc auctor varias inſtituit digreſſiones, uti de origine & rebus Gothorum. ac Longobardorum, de Hunno Attila, de Judæis, de Romanis, de Alexandro M. de Carthaginienſibus, de Machabæis, de Imperatoribus Romanis & ſic donec per longum intervallum ſatis confuſo ordine ad Carolum M. eiuſque poſteros revertatur.*

De primo Ludouico filio Karoli imperatore LXXIII.

Ludouicus I. Imp. A. 815.

Anno igitur ab incarnatione domini DCCC XV. *Ludouicus* filius *karoli magni*. quem ipſe *karolus* adhuc viuens ſucceſſorem ſibi & imperatorem conſtituit qui fuit LXXIII. ab Auguſto comperta morte patris ad palacium. *aquiſgrani* redire feſtinat ab *aquitania*. vbi conſenſu omnium principum imperator creatur. qui primo regni eius anno per delationes quorundam comperit quosdam regni primates aduerſus *leonem*. papam conſpirantes interfectos fuiſſe. ad quod perſcrutandum vocat ad ſe neporem ſuum regem *ytalie*. qui *romam* pergens. ibique egritudine tactus ſtatum rei per comitem *heroldum*. auguſto mandauit. *Leo* quoque papa miſſis ad *Ludouicum*. nunciis de hiis que ſibi impoſita fuerant ſe purgauit.

Ludouicus primus elegit ſibi. ſocium in imperio Lotharium filium ſuum & alios filios ſuos Karolum ſecundum. & Ludouicum ſecundum minores. vnum acquitanie. alterum bagarie prefecit.

Imperator poſtea *aquiſgrani Lotharium* filium. ſuum ſocium imperii elegit. alios filios ſuos reges vocatos vnum *acquitanie*. alterum *bagarie* prefecit. ſed paulo poſt *bernardum* nepotem ſuum regem *ytalie* cum aliis *ytalie* ciuitatibus. contra ſe reperit conſtraſſe. aduerſus quem dum *Ludouicus* parat exercitum. ille animo fractus occurrit. & tradit ſe imperatori. Imperator tunc *aquiſgrani* data ſentencia in *bernardum*. & alios ſue factionis coniuratores. cum eſſent capite puniendi iuſſit eos omnes cecari.

Bernaraus Italiæ Rex punitur.

De Lothario filio Ludouici imperatore LXXIV.

Deinde filium ſuum. *lotharium*. in *ytaliam*. mittit vbi *lotharius* rebus ordinatis in ſancto paſcha a Romano pontifice coronatur.

Ludouicus de regno pellitur arcibus vxoris.

Poſtea *ludouicus* propter mala vxoris ſue opera vt dicitur a regno pellitur. & iterum reſtituitur. Deinde poſt pauca anno imperii ſui VI. diem clauſit extremum.

Mors ejus A. 861.

Anno ab incarnatione domini DCCCLXI. dum *lotharius* reuerſus ab *ytalia* monarchiam habere proponit. LXXIV. ab *auguſto*. & fratres eius *karolus* & junior *ludouicus* imperii dignitatem habere volentes *lothario* bellum indicunt. cunctisque regni viribus ſimul hinc & inde contractis mirabiliter habent congreſſum. apud *fondaniacam*. vbi vires tocius regni *francorum* vſque adeo ſunt inminute vt iam non regnum eorum dilatare ſed ſua cogitet vix vnus quiſque contra gentes circumpoſitas poſſe tenere. ibi *karolo* & *ludouico* ſecundis vix victoria cruenta conceſſit. Deinde concordia inter ſe facta eſt.

Prælium fatale.

Hic diuiditur imperium inter nepotes karoli magni ſ. Lotharium Karolum. & Ludouicum minorem.

Hiis tribus fratribus ſic diuiditur imperium. *Karolus* ſecundus a mari *britannico* vſque ad fluvium. *moſan* in partem obtinuit. *Lothario* a *moſa* vſque ad * renum fluvium. *belgica gallica* ceſſit. que vſque hodie. *Lothoringia* ſuo nomine ſolita eſt appellari. *Ludouicus* autem ſecundus a *Reno* verſus orientem. omnem *germaniam*. *alemanniam* & *bagariam* in ſortem ſuſcepit. Diuiſo igitur *francorum* regno. *Lotharius* cui vt dixi cum *lotharingia* romanum imperium deuenerat. LXXIV. ab auguſto imperauit. *Michaele* filio *theofili* apud *grecos* in vrbe regia imperante.

Diviſio inter filios Ludovici Imp.

Normani per *ligerim* fluvium intrantes ciuitates quaſdam. irrumpunt & circumquaque diffuſi cunctam *prouinciam andegauenſem*

Normannorum incurſio.

* Refert autor alibi: *Renus antiquo tempore dicebatur Iemandus & inde alemandia nuncupatur. Inde alemandus id eſt totus vir.*

vaſtantes

vastantes *turonensem* eciam occupantes beati martini ecclesiam cremauerunt.

Eo tempore *karolus* secundus. nepos *karoli magni*. cui vt supra dixi occidentalia regna in ditione cesserunt, cepit *karolum* regem *acquitanie*. ac episcoporum consilio tonsum. monachum conuersum in monasterium sancti *medardi* fecit.

Carolus, Rex Aquitaniæ in monasterium cogitur.

De diuisione imperii in tribus filiis Lotharii imperatoris

A

Porro *lotharius* imperator tribus filiis suis regnum quod ei contigerat partitur. *Ludouico* iuniori tercio *ytaliam*. cum nomine imperatoris. Lothario iuniori secundo *lotharingiam*. *karolo* tercio filio suo *prouinciam* tradens. Ipse vero ordinatis omnibus in *prumiensi* monasterio xvi. imperii sui anno post mortem patris monachus efficitur. Vnde ad quartum deffectum imperium Romanum deuenit. scilicet in tres partes diuiso regno francorum tercie partis tercia pars esset eius imperium.

Diuisio inter filios Lotharii Imp.

Lotharius fit monachus.

De Ludouico tercio juniore filio lotharii primi imperatore lxxv.

B

Cum igitur *lotharius* deposito cingulo milicie monachus fieret anno ab incarnacione domini dccc.l. *ludouicus* tercius Junior filius ipsius *lotharii* primi serenissimus lxxv. ab *augusto* suscepit imperium regnante basilio apud *grecos*. qui occiderat *michaelem*. Non multis post diebus *karolus* tercius frater eius qui *prouinciam* pro parte regni susceperat moritur. vacat. vnde *lotharius* frater eius qui regnum *lotharingie* tenebat contra patruum suum *karolum* secundum filium *lotharii* primi qui tenebat *aquitaniam* contendit. Porro rex *ludouicus* secundus alter patruus ipsius *lotharii* qui *germaniam* & *bagariam*. tenebat prelia contra **solanos* magnifice gessit. Deinde ad regnum *gallie* quod *karolus* secundus frater eius in diuisione regni acceperat. a quibusdam principibus suis gallie vocatus in partes illas cum exercitu transiit & regnum *karoli* secundi fratris sui scil. a *mari britannico* vsque ad *mosam* inualit & usque processit. Cumque relicto ibi exercitu in *germaniam bagariamque* rediisset. principes qui eum illuc inuitauerant in graciam regis sui *karoli* redierunt. Vnde exercitus *ludouici* secundi qui ibi remanserat a *gallia* exire compellitur

Ludouicus III. Imp. A. 850.

**lege: sclauos.*

C

Hoc tempore sarraceni apuliam intrant.

Hiis diebus *sarraceni* ex *affrica* progressi *beneuentorum* regionem deuastabant. contra quos imperator *ludouicus* tertius *lotharium* secundum fratrem suum in adiutorium inuitat. qui cum exercitu ingressus *ytaliam*. cum inique & enormiter iret tam ex calore quam ex morsibus aranearum in penam culparum suarum de gente sua multos amisit. Ipse quoque *lotharius* secundus in via morbo correptus apud *placenciam* obiit. *Karolus* autem tercius rex *gallie* frater eius audita morte *lotharii* regnum eius scil. *lotharingiam* inuadit. Ad hec *ludouicus* III. ipsum regnum *lotharingie* cum *karolo* secundo patruo suo habita inter se pactione diuidit. Ita tamen. quod *ludouicus* imperator *aquisgrani* palacium cum sua portione haberet.

D

Mors Lotharii II.

Hoc tempore beneuentani ceperunt rebellare imperio.

Non multo post tempore transacto *adilgisius* dux *beneuentanus* sub fiducia *grecorum* adiunctis sibi *campanis*. *lucanis* atque *samnitibus ludouico* imperatori rebellare proponit. Imperator itaque collectis copiis armatorum *beneuentum* bello inuadit. Cui dux in dolo datis muneribus a finibus suis discedere persuasit. Imperator rediens omnes ciuitates *campanie* & *lucanie* preter *capuam* sine graui labore cepit. *Capua* eciam deinde capta & episcopo cum clero portante reliquias ante pedes eius lacrimis veniam postulante in graciam eos recepit. totamque *campaniam* & *apuliam* a *grecis* occupatam inuadit. Paulo post imperator ex consilio ducis predicti dimisso exercitu *beneventum* ingreditur. dux & ciues circa meridiem contra imperatorem dormientem faciunt insultum. Ipsumque cum palacio comburere minantur nisi iureiurando promittat se fines eorum non amplius ingressurum. Imperator post hanc ignominiosam pactionem *romam* venit. ibique coram *iohanne* pontifice presente senatu causam exponit. propter quod dux a senatu hostis iudicatur. Imperator vero a iuramento quod non sponte fecerat. sed pro vita saluanda absoluitur per apostolicum. Et quamuis esset absolutus ad euitandum tamen scandulum non iuit *beneventum*. Verumptamen reginam illuc cum exercitu destinauit. Vnde dux perterritus in *sardiniam* fugit. & ab ira cesaris declinauit. Vnde tunc *ludouicus* in pace obtinuit usque *pharum*.

Beneuentanorum insolentia.

Hiis diebus *franci* creant sibi regem *ottonem* filium *Roberti*.

De Karolo secundo imperatore patruo ludouici lxxvi.

Anno igitur ab incarnatione domini dccc lxxiv. *Ludouicus* suauissimus imperator vltimum diem clausit anno imperii sui xix. Eodem anno *karolus* secundus patruus eius senior occidentalis *francie* rex cum suis *francigenis romam* veniens imperium a *Romanis* pecunia vt dicitur impetrauit. regnauitque lxxvi. ab augusto.

A. 874.

Carolus II. precarius Imperator

Non multo post *ludouicus* secundus frater eius rex *germanorum* & *bagariorum* in castro *francone* obiit. qui tres filios reliquit. *Karolomagnum* secundum. & *karolum* quartum.

Mors Ludouici Germanici.

Porro *karolus* secundus imperator morte fratris sui *ludouici* secundi audita regnum *lotharingie* molitur inuadere. Primo itaque *aquisgrani* palacium occupauit & inde *coloniam* progreditur.

Interea dum ibi morabatur principes tam *gallie* quam *germanie* omnes eum precibus pulsant. quare fratre suo *ludouico* rege *germanorum* mortuo iam redeat accipere regnum paternum. & patriam liberet a *Normanorum* incursione. qui festinans reuertitur. Assumptisque *lombardis* & *bauaris*. *saxonibus*. *alemannis*

Caroli II. expeditio in Normannos.

tannis atque *turingis* aliisque pluribus contra *Normanos* qui adhuc in regno morabantur mouet exercitum.

Dux normannie christianus efficitur.

Ideoque *godifridus* dux *normanorum* christianus efficitur & ab imperatore de sacro fonte suscipitur filiamque *lotharii gisleram* vxorem accepit. & totam terram *frisonem* in dotem. & sic a finibus regni cum suis discessit. Anno sequenti *ludouicus* filius *karoli francorum* regis obiit. & fratrem suum *karolomagnum* heredem reliquit qui non multo post ab apro percussus decessit.

Frisia Normanno in dotem datur.

Mors Karolomanni.

Occidentalis ergo *gallie* principes amici *karolum* imperatorem qui tunc solus de stirpe *karolorum* superesse videbatur vltro inuitant. Eique venienti omnes subiiciuntur.

Karolus II. Paulo post idem *karolus* imperator corpore & animo tantum egrotat vt ab omnibus invtilis haberetur.

fit ad regnum inutilis.

De Arnulpho imperatore.

A. 886. *Arnolphus Imp.* Propter quod *arnulphus* supra memoratus ad imperium ab omnibus est electus anno ab incarnacione domini DCCCLXXXVI. infirmus autem imperator *karolus* ad tantam penuriam deuenit vt eciam pane carens ab arnulpho paucos redditus ad vite solacium gratanter accepisset. Ab hoc tempore usque ad *ottonem* primum imperatorem inuenimus imperium fuisse regnatum. *Karolo* enim isto mortuo qui VII. annis regnauit. & VII. anno priuatam vitam relicto imperio duxerat. imperium diuersis modis cingebatur. cum singule prouincie singulos reges nitebantur creare. *Arnolpho* tamen maxima pars cessit. cum *ytalia* in *lombardia* sibi regem *berengarium foru Julienſem* constituit.

Eo tempore vngari. primo in pannoniam veniunt.

Vngarorum aduentus. Hiis diebus gens *vngarorum* ex *scicia* ingressa in *pannoniam* primitus venit & eiectis inde *auaribus* perpetualiter vsque hodie permansit. Ista gens *vngarorum* illo tempore tam inculta fuisse narratur. vt carnibus crudis ad cibum humano vero sanguine vterentur ad potum. & carnibus equorum. vulpium. luporum & cattorum crudis vterentur.

Fines Orientalis Francie. Porro *arnulphus* totam *orientalem franciam.* que hodie *theutonicum regnum* vocatur. scilicet *bagariam. sueuiam. turingiam. saxoniam. frisiam* & *lotharingiam* rexit & totum *teuman.* *Occidentalem* vero *franciam otto* tenuit *arnulphi* auctoritate.

A. 894. *Arnulphi expeditio, in Italiam & Lombardos.* Deinde anno domini. DCCC XCIV. compositis omnibus rebus in *germania arnulphus* cum exercitu *lombardiam* ingreditur. captaque ciuitate *pergamo* comitem *ambrosium* in furca suspendit. vnde totam *ytaliam* perterritam sue subdicioni subiecit. *Arnulphus* per *galliam* per *montem iouis* rediit.

Hic fuit scisma in imperio romano.

Eodem tempore *guido* dux *spoletanus* qui regnum usurpauerat moritur. cuius filius *lambertus romam.* veniens fecit se imperatorem vocari. *Arnulphus* filio suo *cenobuldo* tunc donauit *lotharingiam.*

Arnulphus Cenobuldo filio suo donat Lotharingiam.

Deinde *Arnulphus* a papa *formoso* vocatus iterum *ytaliam* ingressus *romam* venit. & ab ipso pontifice coronatus augusti nomen sortitus est.

Reuerso ab vrbe *arnulpho. lambertus* filius *guidonis* qui imperium inuaserat moritur. & *ludouicus* filius *besonis* a *longobardis* ad imperium inuitatur.

Quotquot autem regnauerunt post *karolum* tercium vsque ad primum *ottonem* non imperatores & augusti sed inuasores consueuerunt appellari.

Non multo post mortuo *besone* rege *francorum* occidentalium *karolus* ibi rex creatur.

Arnulphus XI. anno imperii sui imperator mortuus est. Post quem *cenobuldus* filius eius regnum nititur vsurpare. qui propter impacientiam & feritatem suam non potuit illud habere.

Mors Arnulphi.

De Ludouico filio arnulphi rege tocius belgice & imperatore LXXIX.

Hinc anno domini DCCCCII. *Ludouicus* filius *arnulphi* rex creatus atque a principibus *lotharingie* qui offensi erant a *cenobuldo* inuitatur ad regnum tocius *belgice.* quo comperto *cenobuldus* dum multa mala committeret. regnumque multa preda & incendio & cede cruentaret tandem a comitibus occiditur. Itaque *ludouicus* filius *arnulphi* regno libere potitur.

A. 902. *Ludouicus IV. Imp.*

Cenobuldi tyrannis.

Mors.

De Ludouico filio besonis imperatore.

Anno domini DCCCCV. *Ludouicus* filius secundi *besonis* imperium adeptus *berengarium* expulsit. cum tocius *ytalie* regno pro suo arbitrio potiretur dimisso milite *veronensi* cum paucis se contulit vbi a ciuibus captus per tradicionem reuocato *berengario* est cecatus.

A. 905.

De Berengario imperatore.

Berengarius ex tunc regnum *ytalie* cum imperio romano obtinuit.

Circa idem tempus *albertus* nobilissimus comes *francorum* nepos *Ottonis* ducis *saxonum* ex filia *corradum* comitem occidit. qui *albertus* a quibusdam dicitur fuisse filius *ludouici* regis. propter quod rex predictum *albertum* bello inuadit. Ille vero impotens cum regi se insistere non posse videret ex consilio *artonis* archiepiscopi magontini ad Regis personam venit. vbi positus in causa capitali sentencia condemnatur.

Albertus Comes Francorum occidit Conradum Comitem.

Ludouicus rex *francie orientalis* anno imperii sui XI. sine herede decessit. secundum scripta quorumdam in isto rege *ludouico* & in fratre suo *cenobuldo* predicto *karolorum* genealogia finem accepit ad tempus.

Mors Ludouici IV.

Igitur *ludouico* iam deffuncto *Otto* dux *saxonum* ab omnibus petitur. qui tamquam senio grauis rex fieri recusabat.

Otto Dux Saxoniæ recusat imperium.

De primo Corrado imperatore LXXXII.

Quo recusante *corradus* primus accepit imperium anno * imperii DCCCCXIII. Iste *corradus* fuit filius illius *corradi.* quem occiderat predictus comes *albertus.* quem quidem asserunt filium esse fratris regis *ludouici* tunc deffuncti.

A. 913. *Conradus I. Imp. lege: deinde.*

defuncti. Et propterea eum ponunt nouissimum omnium *karolorum*.

Vngarorum clades. Anno primo regni *corradi Vngari* a *sueuis* & *auaris* sternuntur.

Mors Conradi. *Corradus* rex anno VII. regni sui obiit.

De primo Henrico imperatore.

A. 920. *Henricus I. Imp.* Eiusque consilio *henricus* filius ducis *ottonis* in regnum subrogatur anno domini A DCCCCXX. Ab ipso tempore dicunt quidam. post *francorum* imperium fuisse *theotonicorum* imperium primum. patet enim ex multis auctoritatibus regnum *theotonicorum* quod nunc est imperium. partem esse regni *francorum*.

Nota imperium partem regni francorum fuisse. duas esse francias.

Ibi enim primi *franci* fuerunt citra *renum*. que hodie *francia orientalis* vsque ad terminos *bagarie* appellatur. *Secanam* & *ligerim* fluuios. què *prouincia* prius dicebatur *gaudina* sed a *karolo martello* auo *karoli magni* primum *francia* vel *francigena*. id est a *francis genita* est appellata. In lingua vero *theotonica* vnde *Karolus Martellus Germanus fuit.* ipse *karolo martellus* fuerat oriundus vocauit B eam nomine suo *karlinguam* sicut a *cesare cesarea* nuncupatur. Hoc autem ideo fecit quod ipse eos suo gladio subiugauit & regno *francorum orientalium* adiunxit. Alia quedam racio manifesta monstratur. Nam tempore *karoli magni* regis *francorum* tota *gallia* id est *celtica. belgica. lugdunensis* omnisque *germania* què est a *Reno* vsque ad *illiricum* vna *francia* fuit. Postea vero regno inter filios filiorum diuiso. aliud *orientale* aliud *occidentale* regnum *francie* dicebatur. vtrumque tamen vocabatur Regnum *francorum*. In *orientali* ergo regno *francorum* quod usualiter dicitur *theotonicum* ab antiquis deficiente stirpe *karolorum henricus* primus de gente *saxonum* successit in regnum manente adhuc in occidentaC li *francia*. id est *parisiis* & *remis* rege *karolo* quodam de progenie similiter *karolorum*.

Otto M. imperium Rom. ad Germanos transtulit. Istius *henrici* filius *otto* scilicet postea Romanum imperium reduxit ad *francos*. quod iam a *lombardis* fuerat vsurpatum. Et propterea idem *otto* forsitan primus Rex vel imperator dictus est. quod ipse primus extra progeniem *karolorum* rex de sanguine *saxonum* factus. non quidem primus apud *theotonicos* regnauit. sed primus imperium Romanum a *lombardis* ad *theotonicos* reuocauit.

Henricus Auceps vincit Vngaros. Iste *henricus* rex *vngaros* in *saxoniam* violenter ingressos mirabili cede prostrauit & sacram lanceam imperii que coram imperatoribus fertur a *Radulfo* rege *burgundie* minis D extorsit.

Sacra lancea inter insignia imperii. Alii dicunt ab *osone* rege *prouincie* fuisse translatam ad imperium tempore primi *ottonis*.

Mors Henrici. Et post multa virtutis sue opera dum ad obtinendum imperium *romam* pergeret antequam *Romam* peruenisset diem clausit extremum. relicto filio suo *ottone* primo.

De primo Ottone imperatore LXXXIV.

A. 936. *Otto I. Imp.* Iste autem *otto* anno domini DCCCCXXXVI. in palatio *aquisgrani* in imperium coronatur ab archiepiscopo *maguntino*.

Iste *otto* iocundum illos hystoriographos qui *arnulphum* in cathalogo imperatorum posuerunt & alios reges qui interim in *ytaliam* imperium tenebant a cathalogo excluserunt LXXVII. ab *augusto*. secundum verò Romanos hystoriographos qui *arnulphum* a cathalogo excluserunt. & *ludouicum* atque duos *berengarios* & *hugonem berengarium* & *albertum* in cathalogo priorem ponunt est LXXXIV. ab *augusto*.

Ab eo tempore regnum *Romanorum* post *francos* & *lombardos* imperatores predictos ad *theotonicos* est reuersum & ad *francos orientales*. vnde in quibusdam quodammodo iam videbatur elapsum. quod non fuerit sublatum sed eclipsim passum quandiu tot & tanti diuersi incensores successiue vel confuse imperium tenuerunt.

Iste *otto sclauos* & *boemos* sibi resistentes compescuit. *Vincit Slauos & Bohemos,*

Qui dicuntur belgici.

Belgicos id est *lothoringos* dum ei *reni* transitum prohiberent vertit in fugam. vnde *ludouicus* filius *karoli occidentalis gallie* terram belgicam quam pater suus ante perdiderat recuperare intendens *alsaicam prouintiam* ingreditur. a qua eum *otto* expulit violenter & totam belgicam in deditionem redegit. Et ex tunc omnes *theotonici* reges sine contradictione semper *belgicam* tenuerunt. *item Belgam.*

Eo tempore *berengarius ytaliam* nimia feritate premebat. *Otto* autem *ytaliam* potenter ingressus depulso *berengario papie corradum*. ducem contra *berengarium* reliquit. Ipse autem in *galliam theotonicam* remeauit.

Berengarius consilio ducis *corradi* ad *ottonem* pergit veniam impetraturus. vbi cum per triduum ei rex audienciam denegasset. vix tamdem per ducem. & per regiam prolem. obtinuit quod ei *otto* apud *regium* in *lombardia* diem illuc venienti prefixit. Ibi postea presentatus regnum *ytalie* de manu *ottonis* suscepit. excepta *marchia aquislegiensi* & *veronensi*. Reuersus in *ytaliam berengarius* per suam tiramnidem totius in se odium *ytalie* incitauit. *Berengarius supplex venit ad Ottonem.* *Berengarius de nouo grassatur.*

Eo tempore vngarorum gens perrupit.

Eo tempore *vngarorum* gens perrupit & totam terram quasi locustam cooperuit. quos *otto* tanta virtute prostrauit vt non solum ab infestacione aliorum quiescerent. sed pro se timentes terram suam vallo & palude munirent. quibus deuictis & fere omnino extinctis *otto* in palacio *aquisgrani ottonem* filium suum sublimauit in regnum. Deinde collecto exercitu in *ytaliam* contra tiramnidem *berengarii* peruenit. qua subiugata ad vrbem *Romam* progressus a *Johanne* papa & toto populo dignissime est receptus & imperatoris nomen ac dignitatem sortitus. *Otto victor Vngarorum.*

Anno sequenti *Otto* in monte sancti leonis obsidet *berengarium*. cuius filius *albertus* in *corsicam* fugit. qui postea ad *Johannem* papam accedens. eum in partem suam multis promissionibus inclinauit. quo audito *otto* imperator dimissa obsidione *romam* ducit exercitum. vbi quidem Romani timentes vna *Otto oppugnat Berengarium.*

cum

cum papa *Johanne* fugiunt. Alii datis obsidibus *ottoni* subiiciuntur.

Hoc tempore fuit scisma in ecclesia romana.

Imperator vero scribit *iohanni* pape ut redeat. nolente *Otto* congregata synodo substituit *leonem* papam. Deinde *berengarium* in deditionem accepit. quem in *bagariam* exilio relegauit. & de Romanis centum obsides accepit quos apud *spoletum* rogatu *leonis* pape relaxauit.

Berengarius exul in Bauaria.

Ottone recedente Romani papam *iohannem* recipiunt expulso *leone*.

Leo vero imperatorem adiit. Interea *Johannes* moritur. cui a Romanis *benedictus* est subrogatus.

Nota quod iste Otto vrbem depressit & papam & eciam Romanos.

Otto vero propter hoc ad vrbem festinat. quam obsidione constrictam & fame incredibili. fatigatam ad deditionem coegit. tali dumtaxat condicione inserta vt apertis portis eum susciperent. & inde *Benedictum* depositum secum deducens in suam *franciam* remeauit. Non multo post deficientibus a *ytalicis* imperator *alpes* transcendit. & natale domini *rome* celebrato XIII. ex maioribus preter prefectum qui erga papam *leonem* mouerat factionem patibulis vna die suspendit. Deinde filium suum *ottonem* fecit a *leone* pontifice coronari & augustum vocari.

Ottonis gesta Roma.

In Apulia & Calabria.

Ipse *otto* postea *grecos* in *apulia* & *calebria* superauit. & Romanum imperium ad *francos orientales* reduxit. Deinde XXXVII. regni sui anno. imperii XIII. obiit *magdeburgi*.

De ottone imperatore qui a quodam milite per barbe pilos trahitur & deboneſtatur.

Iste *Otto* dum esset coronatus in vrbe die pasche iussit magnum conuiuium celebrari & antequam ipse cum principibus iret ad mensam. iussit omnes cibos coctos prius apponi. vbi dum filius parvulus *coriadi* magni ducis intraret in mensa puerorum. cepit de ferculis appositis comedere. quod seneschalus videns ipsum puerum grauiter cum fuste percussit & humi prostratum forcius verberauit. Et cum miles custos & magister pueri hoc videret eundem eciam seneschalum cum vno ictu occidit. Ad hec tumultus magnus factus est. & mortuum omnes lugent. Imperator occurrit. & que fuit causa mortis requirit. Scito autem ordine rei querit a milite si hec vera essent. Quo confesso imperator mandat ipsum in continenti suspendi. Cui miles ait. Cesar discute prius que fuerit causa mortis eius. & mei hodie cum sit pascha domini. miserere. Lex enim dixit quod nemo in pascha debet condempnari. Imperator vero ait. quia tu sine lege eum occidisti. sine lege peribis. Miles autem cum nullum misericordie remedium fieret imperatorem aggressus quod fortis erat & humi prostratum. & manu guttur ipsius premente quasi vsque ad suffocationem barbam cum *granone* cepit fortissime depilare. atque ipsum subscamno manibus & pedibus fortiter angere. Itaque imperatorem suffocare videbatur. Cumque turba irrueret super militem. & imperatorem. de ipsius manibus vi traxissent. barba tamen *ottonis* depilata gutture vnguibus excoriato & capite coronato sine laude manente ipsum occidere nitebantur. verum *otto* defendit eum & ad cor reuersus quod in penam hoc receperat. dum non licuit in festo eum occidi. Et eo ad se vocato ait. quia vltio dei fuit quod sic fecisti non tibi imputo sed furori meo. tu autem esto incolumis. Ita tamen quod ad presenciam meam non accedas ne forte reminiscar ire preterite & vlciscar in te scelus perpetratum.

Barba Ottonis l. euulsa.

Cumque post tempus *otto* esset in obsidione cuiusdam castri in monte sancti leonis in feruenti estate & media die dormiret. atque totus exercitus quiescret pre calore. & miles predictus in balneo resideret. accidit quod hostes a castro exeuntes & latitando exercitum properantes ad imperatorem quasi venerunt. Quem vel cepissent vel pocius occidissent. nisi quod miles nudus a balneo exiens. solo clipeo cum ense accepto clamare cepit & hostes fortiter insequi. *Regia pars crescit: timet hostis & inde recessit. Miles vt insequitur nudus fera bella calescit.* Miratur cesar de milite nudo qui sic insequebatur hostes & superabat eos propter quod *Laus equitis nudi grandis ubique fuit.* Mane autem sequente iussit imperator militem ad se venire. qui ait. quomodo veniam cum prohibitus sim venire coram eo semper. qui si reminiscitur ire preterite forsan preterita mala luam. Tamdem compulsus venit. Cui rex quasi ad terrorem ait. *Nonne tuis manibus nostri periere capilli. Nonne furore tui barba pilata fuit.* Quare fuisti ausus ad presenciam meam venire. Cui miles. fateor quod dicis. sed culpa michi fuit remissa. *Non decet vt culpas iterum rex suscitet illas. Securus venio rege vocatus ego.* Tunc *Otto* surrexit & amplexatus est eum dicens. Gaudeas deinceps dignus es vt sis amicus regis & sic eum pre aliis honorauit.

Militis nudi fortitudo.

De Ottone tercio (potius secundo) imperatore
LXXXVI.

Anno domini DCCCCLXXV. *otto* tercius secundi *ottonis* filius patri successit LXXXVI. ab *augusto*. Iste dum *grecos* incaute per *calabriam* insequitur. amisso milite de naui exiliens natando evasit. Iste autem cum *ytalici* principes sibi seditionem fecerunt. omnes in dolo pacis ad vrbem vocauit. & eis omnibus ad prandium inuitatis & vocatis. quotquot reos inuenit ex inquisicione facta fecit in mensa decollari. aliis nichilominus comedentibus qui non fuerunt participes factionis.

A. 975. *Otto II. Imp. vincitur a Grecis. Cruentum ac ferale conuiuium.*

Iste *otto* X. imperii sui anno obiit & ante ecclesiam sancti petri in tumba marmorea honorificam habuit sepulturam.

Mors Ottonis.

De Ottone quarto (potius tercio) imperatore
LXXXVII.

Anno domini DCCCCLXXXIV. *otto* quartus admodum puer patri succedit. Et anno imperii sui XVII. apud *aquisgranum* diem suum clausit.

A. 984. *Otto III Imp.*

De

De henrico secundo imperatore.

A. 1001. *Henricus II. Imp.*

Quo sine herede defsuncto. *henricus* secundus. claudus natione *noricus* & dux *noricorum*. id est *babarorum* ab omnibus principibus est electus LXXXVIII. ab augusto. anno ab incarnatione domini M. I. Iste multis bellis prospere gessit in *germania, boemia. ytalia & apulia*. Postremo a domino data sibi requie. cum esset christianissimus episcopatum nobilissimum *babenbere* gloriose fundauit & dicauit.

Fundatio Ecclesiæ Bambergensis.

Regi quoque *vngarorum stephano* sorore sua copulata tam ipsum regem quam totum ipsius regnum vocauit ad fidem. Hunc *stephanum* omnes *vngari* vt sanctum venerantur pro eo quod per eum inicium fidei acceperunt.

Vngarorum conversio ad Christum.

Iste *henricus* imperator piissimus anno regni sui XXIV. Imperii vero XI. diem suum clausit in ecclesia *babenbergensi* humatus vbi sepulchrum crebris miraculis sepe & manifeste ornatum tota illa prouincia magnifice veneratur.

De Corrado secundo imperatore LXXXIX.

A. 1020. *Conradus II. Imp.*

Anno domini. M XX. defsuncto *henrico*. *Corradus* dux natione *francus* consilio ipsius *henrici* imperatoris. cuius tamen dum viueret graciam non habebat. ab omnibus in imperium est electus LXXXIX. ab augusto. Iste ex matre de primis *francorum* regibus qui a *troia* venerunt & a sancto *Remigio* fuerunt baptizati originem traxerat. & de predecessoris sui *henrici* claudi nepte quam nolente imperatore acceperat vxorem habebat nomine *gisilam* de genere *karolorum* erat.

Laus Conradi II.

Itaque *corradus* iste armis strenuus. consilio prouidus. sapiencia florens. peritus in Jure ciuili & in religione christiana deuotus.

Polonia imperio tributaria

A tempore istius *corradi* prouincia *polonoriam* imperio soluit tributum.

Coronatio Conradi.

Corradus filium suum post se ordinat regnaturum nomine *henricum* adhuc puerum. quo facto *ytaliam* ingreditur. Deinde *Romam* veniens in die paschali a *Johanne* papa coronatur imperii dignitatem sortitus.

Conflictus inter Romanos & Germanos.

Eadem ebdomada bellum inter *romanos* rixantes & *thetonicos* oritur. fugatis autem cesisque ibi multis de *romanis* imperator triumphauit. & in *franciam* suam per montem *pirenem* rediit.

Conradus acquirit imperio Burgundiam.

Eodem tempore *Radulphus* rex *burgondie* moriens *henrico* filio imperatoris *corradi* nepoti suo regnum cum corona aliisque insignibus sub testamento reliquit.

Vnde comes celticus *otto* asserens ad se regnum *burgondie*. seu *lugdunensis gallie* pertinere inuadit illud.

Imperator ad hec indignatus cum exercitu regnum illud inuadit vel intrauit. & *ottonem* ad deditionem coegit & omnes principes suos in suam fidelitatem susceptit.

Ingreditur denuo Italiam.

Deinde populo *ytalie* contra imperium rebellante. *cremonam* venit. ibique Romanum pontificem obuium habuit. demum causa *ottonis romam* vadit. & inde in *apuliam*. multis ciuitatibus visis per mare adriaticum redire disposuit. vbi propter intemperiem aeris principes multos amisit.

Inde reuersus in *franciam* ibi obiit XIV. imperii sui anno.

Mors Imperatoris.

Iste corradus nulli violatori pacis parcebat.

Iste *corradus* secundus Imperator nulli violatori pacis parcebat. vnde comes *lupoldus* violator pacis timens occidi ab imperatore fugit in insulam remotissimam. Ibique cum vxore sua solus in tugurio latitabat. Demum contigit imperatorem ex venatione sua casu fortuito illuc diuertisse. Et ea nocte peperit comitissa masculum. quo vagiente vox de celo ait:

Ejus Character.

O Imperator infans iste erit tibi gener & heres.

Hinc interseritur historia de filio comitis Lupoldi, quæ jam totidem fere verbis apud Sifridum extat.

De Henrico tercio imperatore LXXXX. *in quo germen karolorum est reductum.*

A. 1040. *Henricus III. Imp.*

Anno domini. M XL. *henricus* tercius supra memoratus imperatricis *gisele* filius qui ceperat patre viuente regnare. patre mortuo LXXXX. ab *augusto* cepit regnare.

In ipso dignitas imperialis que per longum tempus extra *karolorum* genealogiam deducta iam exulauerat. ad nobilissimum genus *karolorum* per matrem eius *gisilam* est reuocata.

Mores & virtus eius.

Iste *henricus* patri suo equalis in virtutibus & precelsior fuisse perhibetur.

Bohemos in ordinem redigit.

Primo quidem *boemie* ducem tunc imperio offensum in dedicionem accepit.

Ejus bellum Vngaricum Petri Regis causa.

Petrum autem regem *vngarorum* a regno expulsum & exulem suscepit. atque inserto prelio cum *vngaris* innumerabilem eorum multitudinem fundit. *pannoniamque* ingressus *petrum* ipsum regno suo restituit. ac de incepto redarguitur. Eo quod per manum laycam ad gubernacionem vniuersalis ecclesie introitum habuerat.

De consilio itaque ipsius prioris purpuram deponit & habitum peregrini assumit & iter arripiens eumdem priorem secum deducit.

Igitur cum ambo simul *romam* venissent consilio *aldiprandi. leo* papa in summum pontificem eligitur. qua causa romana ecclesia qualitercunque tunc cepit ad electionem summi pontificis nouiter reformari.

De synodo magontino.

Post hec synodus *magoncie* celebratur in prouincia ipsius pape *leonis* & *henrici* imperatoris.

Imperator res ordinat in Vngaria.

Item sequenti anno imperator *pannoniam* hostiliter aggrediens *leonem* papam secum deducit. & ibi omnia feliciter ordinauit.

Hoc tempore romani intrant apuliam. sub tempore roberti vuiscardi.

Pontifex infelix miles.

Eo tempore gens *romanie* consurgens sub *roberto Vuiscardo* viro strenuissimo & magne recordationis duce *apuliam* ingreditur vbi incolas terre variis modis. nunc potencia. nunc dolo & fraude afflixit. quos *leo* papa *romam* cum milicia a *gallia* rediens incipit cohercere. & ab *apulia* intendit expellere.

Inserto autem cum eis prelio multisque prostratis propter quod victus cogitur fugere

beneuentum. Tanta autem ibi ex vtraque parte cecidit multitudo vt acerrus factus ibi de ossibus mortuorum usque hodie ab indigenis solebat viatoribus ostentari.

Anno ex tunc proximo papa *leo* moritur & in ecclesia sancti *petri* sepelitur. Cui successit *gebehardus æsteretensis* episcopus qui *victor* papa est nominatus. Cui post duos annos successit *stephanus theotonicus* natione.

Imperator vero *ytaliam* ingressus comitissam *beatricem* matrem comitisse *matulde* consanguineam - - - vidulam *bonifacii* marchionis secum deducit.

Post hec defuncto *gregorio* papa VII. apud *salernum gilberto* autem *rome* per imperatorem cathedram obtinente. pauci *romani* propter metum imperatoris. abbatem *desiderium* de *monte cassino* * inuictum ad papatum traxerunt. qui eciam dato precio custodibus occulte qui in ciuitatem leoninam custodiebant sub silencio noctis apud sanctum petrum in cathedram posuerunt. & *victorem* cum nominauerunt. qui post quatuor menses fluxu ventris detentus vitam finiuit.

*Lege: invitum.

Eo tempore readquisitum est sepulchrum domini studio domini pape vrbani.

Eo tempore ciuitas *iherusalem* a paganis conculcata erat atque detenta. Sepulchrum autem domini ab eis questus causa veneraliter habebatur.

Expeditiones sacre institute.

Tunc factus *vrbanus* papa propter miseriam *iherosolimorum* transiens in *gallias* ad defensionem sancti sepulchri christianorum arma commouit atque ex diuersis nationibus. c. milia hominum ad arma collegit. Eisque duces istos prefecit. *Godefridum* ducem *lotharingie.* Comitem sancti *egidii.* scilicet *Raymundum.* *Robertum* comitem *flandrie.* & *Hugonem* fratrem *philippi* regis *francie.* Curam autem omnium eorum in christo. episcopo *podiensi* commisit.

Duces exercitus christianorum in Terram Sanctam.

Rumores istos alii christiani audientes ex omnibus regionibus. & linguis & insulis cum inestimabili multitudine affluxerunt asserentes se apostolos & predicatores christi esse. atque aduersus inimicos crucis christi pugnatores *godefrido* christi duce per *bulgoriam* cum magna difficultate *constantinopolim* peruenerunt. Vbi multum dolum & impedimentum a rege *grecorum alexio* perpessi. commissa cum *grecis* pugna. pontem vrbis regie expugnant. & transeuntes sub vrbe succendunt. Ibique recensitis trecentis milibus bellatorum in *nicenam* turrem quondam christianorum venientes eam a paganis expugnauerunt. & imperatori eam dederunt.

Dolus Alexii.

Deinde per *maritimam rutenorum* congressi multam ibi rerum habundanciam inuenerunt.

Principes eciam *sarracenorum* sibi occurrentes bello pressserunt.

Obsidio & expugnatio Antiochie.

Hiis igitur elati successibus obsidione *anthiochiam* cingunt. vbi per nouem menses morantes deficientibus copiis. & exercitu debilitato valde humiliati sunt. Deus autem illorum misertus. vrbem cum omni copia *turcorum* tradidit in manus eorum.

Cum igitur rumor eorum vniuersum orientem terreret. Rex *babiloniorum* dirigit ad eos legatos poscens confederationem eorum in dolo. cum quibus legatis pergunt in *babiloniam* legati *francorum* & honorifice dum proceritas & pulchritudo eorum aspicitur. dum virtus eorum consideratur. dum magis esse quam homines ab illis asseruntur.

Calliditas Babyloniorum.

Rex *babilonie* a suis accepto consilio mouet illico exercitum & *iherusalem* obsidione cingit. dicens eis se cum *francis* fedus & amiciam contraxisse. cum quibus eciam vellet destruere. nisi se & vrbem *babilonie* regi subditos exhiberent.

Turci itaque vrbem tenentes propter metum christianorum se & vrbem in manu principis dederunt. qui electis omnibus *turcis* vrbem cum *sarracenis* muniuit. & sic christianorum propositum suo ingenio prepediuit.

Inter hec christiani capta vt diximus *anthiochia* quia deum non digne glorificasse videntur tanta cinguntur multitudine *sarracenorum* vt priorem vbertatem fames tam intollerabilis sequeretur vt eciam vix ab humanis carnibus abstinerent. Et respiciens autem dominus populi sui contricionem lanceam qua christi sacratissimum latus legitur perforatum in locis illis per reuelationem eis monstrauit. cuius virtute christiani confisi quamuis debiles & famelici cum *sarracenis* bellum committunt. fusisque mirabiliter omnibus non sua sed christi fortitudine omnes vicerunt.

Sacra lancea.

Inde procedentes in *syriam barram* & *anricam* vrbes ceperunt. vbi moram facientes tanta rerum inopia narrantur contriti. vt eciam humana corpora fetida famelici aliqui deuorarent.

Post hec ad ciuitatem sanctam iam a *sarracenis* inhabitatam atque munitam acies direxerunt. Ciuitatem obsessam cum capere non possent. habito consilio. christum humilitatis magistrum imitantes. nudis eam pedibus circuire disponunt. Igitur in die que dicitur, diuisio apostolorum ciuitas capitur. & hostes ibidem comprehensi tanta sunt occisione prostrati. vt in porticu salomonis sanguis occisorum vsque ad equorum genua peruenirent.

Dira fames.

Hierosolyma a Christianis capiuntur.

Ex tunc ciuitas *iherusalem* a christianis est possessa.

Porro *ammiratus babiloniorum* apud *ascalonem* manens innumerabilem collegit exercitum. tamquam *iherusalem* & *antiochiam* per suam potenciam recepturus.

Ad hec christiani sarcinis suis & infirmis in vrbe relictis. exercitui *babiloniorum* in campo occurrunt. Cumque infinitam hostium multitudinem conspexissent fusis ad deum precibus. pauci contra hostes procedunt. & mirum in modum per diuinum auxilium cum v. milibus equitum & xv. milibus peditum *sarracenorum.* c. milia equitum & ccc. milia peditum vertere terga compellunt & spolia immensa diripiunt.

Mirabilis victoria.

Ceciderunt ex *sarracenis* in eo prelio plus quam c. milia gladio extincti. sed circa portam *ascalone.* cc. milia in introitu ciuitatis sunt suffocati.

ſuffocati. Innumeri quoque ſubmerſi ſunt.

Peracta victoria principibus ad propria remeantibus. dux *godefridus* exercitum qui remanſit ſapienter conduxit. Ipſe ſepe *romanos* & *theothonicos* inuicem ob inuidiam rixantes tamquam vtriusque linguæ peritus ad pacem & concordiam ſalubriter informauit.

Papa Vrbanus celebrauit tunc ſynodum apud clarum montem.

Interea *vrbanus* papa celebrato conſilio apud *clarum montem Romam* reuertitur & *gilbertum* qui per imperatorem cathedram *rome* tenebat ab vrbe expellit. ſola ibi domo *creſcencii* id eſt caſtello ſancti *angeli* remanente inde cathedra ſua recepta egreſſus ab vrbe vſque *ſiciliam* peragrauit vnde quoque plurima collecta ibi pecunia petit *Romam* & reuerſus cuſtodes caſtri corrumpit pecunia. atque in hunc modum expulſo *gilberto* tam vrbe quam cathedra libere potitur. Ipſe vero anno XII. obiit & cathedram *paſchali* pape reliquit.

Caſtellum S. Angeli.

Tunc fuit rex iheruſalem balduinus.

Interea dux *godefridus* in *iheruſalem* moritur & auctoritate ſummi pontificis rex appellatur anno domini M. C.

A. 1100.

Conradi filii Henrici IV. mors.

Anno ſequenti *corradus* filius quarti *henrici* imperatoris. cui pater *ytaliam* commiſerat. *florencie* obiit.

De ſucceſſione henrici quinti. filii henrici quarti. qui contra patrem ſtatim conſpirat. ex eo quod excommunicatus erat a papa vrbano.

Poſt hec Imperator pater eius apud maguntiam. natiuitate domini celebrata *henricum* filium eius qui fuit quintus *henricorum* regnaturum poſt ſe principibus aſſignauit. ſeque *iheruſolimam* iturum deuouit & publice denunciauit anno ſecundo.

Item apud *maguntiam* imperatore exiſtente *henricus* filius eius contra eum rebellionem molitur apud *radixbonam* conſilio *bagarorum* habens occaſionem quod pater excommunicatus ab *vrbano* Romano pontifice haberetur pro eo quod baculum & annulum pontificibus auferebat. Et in inſtitutione ipſorum aſſumptisque principibus *ſaxoniam* contra imperium facile commouendam intrauit. & *ſaxones* ſue voluntati coniunxit.

Imperator Simoniæ accuſatur.

Tunc *Rutabardus maguntinus* archiepiſcopus apud *nortuſam* conſilio celebrato imperatorem ſymoniacum condempnauit. Poſt hec filius *caſtrum noricum* expugnauit.

Hoc tempore eccleſia romana libere potitur electione. per alexandrum papam.

Hiis temporibus *alexander* primo *lucenſis* epiſcopus communi voto & electione promouetur in ſummum pontificem. qui eccleſiam romanam diu ancillatam in priſtinam libertatem reduxit.

Itaque imperium *henrici* in ſe ipſum diuiditur. & conſpirantibus *ſaxonibus* rebelliones fiunt. detractiones & inhoneſta plurima de imperatore ad aures ſummi pontificis referuntur.

Eodem tempore fuit ſciſma in eccleſia romana

Interea *alexander* moritur & *alchibrando* archidiacono ſuo. qui *gregorius* VII. fuit apoſtolatum reliquit. quod quia ſine imperatore actum eſt. ſciſma grauiſſimum eſt exortum.

Ipſe itaque *gregorius* ad ſymoniam reprimendam intendens imperatorem. ipſum ad ſynodalia pro huiusmodi frequenter vocauit. connubia clericorum a ſubdiaconatu & ſupra in eternum prohibuit. ac ſe ipſum athletham dei pro domo domini murum conſtituit.

Connubia clericorum prohibita.

Imperator *ſaxones* bello petit. & bello inferto. ceſis hinc inde quam pluribus cruentam victoriam vix obtinuit.

Henrici IV bellum contra Saxones.

Cecidit ibi *gebhardus* pater ducis *lotharii* qui poſtea imperauit.

Mors Gebhardi patris Lotharii.

Eo tempore Vuillermus comes normannie deiecta maiori britannia ſibi apuliam ſubiugauit. cuius frater robertus Vuiſcardus regem ſicilie ad fidem conuertit.

Eodem anno *Vuillermus* comes *normannie* maiorem *britanniam* que nunc dicitur *anglia* expugnauit. Regem ipſius *eraldum* occidit. Deinde *normannis* ibi poſitis totaque prouincia in ſeruitutem redacta tranſtulit ſe in *apuliam*. & eam ſibi cum *calabria* & *ſicilia* ſubiugauit.

Quo defuncto *robertus Vuiſcardus* frater eius *ſiculos* paganos ad fidem conuertit. quo poſt modum in obſidione *alexandrie* commorante vocatur a *Romanis* contra imperatorem. qui ei dare imperium promittebant.

Roberto imperium offertur a Romanis.

Cumque ibidem copioſo exercitu dimiſſo *romam* veniret & fugatis hoſtibus promiſſa ſibi obtinere non poſſet. vrbem a parte lateranenſi combuxit & montes pro maiori parte deſtruxit. atque partes trauerſim exiens fracto muro audiuit vocem ſibi dicentem: *Roberte. Roberte. Tu hodie combuxiſti ex parte vrbem. & tuus natus alexandriam cepit.* Deinde transtulit ſe ad *danaos* qui *apuliam* inuaſerant. & cum pauper eſſet in rebus de corio fecit fieri numos. vt de eis exercitus copiam haberet. Et cum *danaos* expugnaſſet. eos in numos argenteos conuertit.

Ira ejus & vindicta.

Moneta de corio.

Robertus Vuiſcardus moritur. Et rogerius frater eius dux apulie & ſicilie conſtituitur.

Tandem obiit ſine prole. cui frater eius pater regis *rogerii* ſucceſſit in regnum. *Apulus & calaber. ſiculus ſibi ſeruit & aſer.*

Interea *henricus* iunior contra patrem mouet exercitum. & pater contra eum. vtriusque tamdem exercitus ſupra *renum* fluvium caſtra metatur. *reno* in medio exiſtente. Erat autem patris maxima potencia in exercitu *böemorum* & in marchione *auſtrie*. quod cum filius conſideraſſet tam *boroes* ducem *boemorum* quam *lupordum* largiſſimis promiſſionibus ab auxilio patris ſui auertit. quibus abeuntibus pater debilitatus in campo confuſus diſceſſit. ab illo itaque die pater imminuitur & filius augetur. Poſtea filius & pater apud *pinguiam* collocantur. vbi filius mouet patrem vt exeat ab excommunicatione. qui petit principes a-

Bellum inter Cæſarem & filium.

pud *maguntiam* congregari. Ibique coram eis de eadem causa tractari.

Imperator henricus quartus denunciatur excommunicatus coram principibus. & sic ipse regalia omnia resignat henrico quinto filio suo.

Itaque petente patre generalis curia *maguncie* indicitur. Ibique pater & filius omnibus principibus presentantur & presentibus apostolice sedis legatis. imperator coram omnibus excommunicatus pronunciatur. Vnde eciam in quodam castro custodie mancipatur. Vbi dum audienciam peteret principes eum dolo circumueniunt. & quodammodo cogunt. vt filio suo regalia insignia non differat resignare. Anno regni sui LII. Imperii vero XL. Reuersi igitur principes a patre ad filium imperialia signa detulerunt. eumque a patre tunc electum denunciantes per manus legatorum Romani pontificis creant imperatorem XCII. ab. augusto.

Nota quod ante hunc imperatorem eciam legimus alium excommunicatum fuisse. Cui succedit henricus quinctus Imperator XCII.

Nota quod ante hunc imperatorem non legimus aliquem a Romano pontifice excommunicatum fuisse. aut imperio priuatum nisi forte illud pro excommunicatione reputetur. quod *philippus* primus christianus imperator ad breue tempus a romano pontifice inter penitentes legitur collocatus. aut illud quod *theodosius* ob cruentam hominum cedem a liminibus ecclesie legitur sequestratus.

Christiani Ascalonam expugnant. Circa idem tempus *balduinus* Rex *iherosolimorum ascalonam* obsessam sibi tributariam fecit.

Alexii foedus cum Turcis. Tunc *alexius* rex *constantinopolitanus* christiane prosperitatis aduersarius *turcos* in desperatione positos in amiciciam suam confederauit. eisque turrim *niceam* christianorum sanguine conquisitam concessit.

Henrici quarti exilium. Imperator vero *henricus* quartus omnibus regalibus filio resignatis & omnium principum suffragio destitutus & factus egenus dum per *Renum* fluvium *coloniam* peruenisset. ibi non sicut exul. sed vt imperator a ciuibus suscipitur. Indeque procedens *leodium*. insignuauit omnibus tam verbo quam literis a principibus se fuisse deceptum. & ad resignanda regalia a filio coartatum. qui cum ibi moraretur. *leodii* moritur & more solito regio sepelitur ibidem. Sed postea mandato *paschalis* romani pontificis a cimiterio eiicitur. & ciuitas *leodii* excommunicatur. eique omnis christiana sepultura denegatur.

Mors. Odium Pontificis in defunctum.

Hic. imperator iacuit intumulatus apud spiram.

Corpus autem eius a *leodio* in vrbem *spiram* supra *renum* vbi in honore sancte *marie*. mirabilis structure ecclesiam fundauerat. sed non perfecerat. est in feretro deportatum & in cappella sancte *affre* sine sepultura per spacium quinque annorum in feretro conseruatum.

Henricus V. papa concedit ius annuli & paculi. Patrem ad sepulturam redimit. Ad hec *henricus* quinctus filius eius cum papa composuit restituens annulum & baculum ecclesie. quibus pater contraxerat symoniam. & papa mandauit corpus *henrici* quarti tradi ecclesiastice sepulture.

Henricus quinctus venit ad vrbem. & papam paschalem capit. Tandem ei omnia iura sua restituit.

Henricus quinctus mortuo patre mirabili collecto exercitu tunc anno post obitum patris sui per *montem iouis* transit *Romam* proficiscens. Cumque supra *padum* castra metatus preciperet exercitum recensui. inuenti sunt XXX. milia militum. exceptis omnibus qui ad eum de *ytalia* confluxerant. vnde per *montem epaduum* transiens *burgum pontis tremuli* turribus & muris valde munitum expugnauit atque destruxit pro eo quod ciues illi ecclesiam sancti *donati*. id est episcopium quod erat extra ciuitatem destruxerant sedem episcopalem infra menia ciuitatis ponere intendentes.

Demum *romam* veniens & in gradibus beati petri a *paschali* papa cunctisque cardinalibus & a populo romano cum crucibus in processione & gaudio est susceptus.

Henricus V Paschalem capit. Ipse autem imperator papam *paschalem* consilio quorumdam sceleratorum captum detinuit. & *vldrico* patriarche *aquilegensi* cum reuerencia custodiendum commisit. Tunc orto ex improuiso tumultu & ornatu ecclesie. cunctisque rebus clericorum inuasis atque distractis qui expectabant gaudium luctum incurrunt.

Causa captiuitatis. Occasio autem & causa illius captiuitatis talis fuisse narratur. quia imperatore *romam* tendente. papa cum eo tali pactione conuenerat. vt imperator episcoporum regalia relaxaret. Hec pactio sacramentis & obsidibus inter papam & imperatorem asseritur firmata fuisse. quam dum renitentibus episcopis papa adimplere non posset. cum per omnia innocens esset tamquam reus custodie mancipatur.

Huius factionis consiliator precipuus dicitur fuisse *Albertus* eius scilicet in patria cancellarius. qui postea fuit archiepiscopus *maguntinus*. Quem cum imperator postea per diuinum indicium senciit inimicum. papa aliquandiu capto & detento. Imperator a ciuibus reuocatur. & episcoporum inuestituras. id est annulum & baculum a papa recipiens. ipsum papam & ciues *romanos* muneribus reconciliare curauit. & a papa coronatus fauorem & nomen imperiale sortitur. Anno domini. M C XI. anno vero regni sui ex quo pater sibi regalia resignauerat VI.

Imperator coronatur.

A.IIII.

Hiis itaque transactis synodus episcoporum post celebrata priuilegium factum inter papam & imperatorem reprobauit. vbi papa *paschalis* coram episcopis omnibus papatui renunciauit. & eis resignauit mitram & mantellum.

Episcopi autem videntes ipsum insontem eum in pristinum honorem restituerunt. qui papa de consilio synodi imperatorem excommunicationis vinculo innodauit.

Henricus V. excommunicatur.

Imperator ab vrbe in *franciam* reuersus. filiam *henrici* regis *anglorum martildem* vxorem duxit. nupciasque magnificas *maguncie* celebrauit.

Nuptiæ eius.

In ipsa curia *lotharius* dux *saxonie* qui postea fuit imperator tunica lanea pro penitencia

Lotharii supplicis habitus.

cia indutus & pedibus discalciatus procidit ante pedes imperatoris.

Tantus enim omnes terror inuaserat vt aliquis voluntati sue resistere non auderet.

Dum Imperator celebrat nupcias suas multe conspirationes contra eum sunt a principibus. & tamdem excommunicatur a papa calixto propter scisma.

Ceterum in ipsa nupciarum celebratione A vbi omnes conuenerant facte sunt contra terribilitatem eius multe principum conspirationes. & ex tunc tam occulte quam manifeste multi incipiunt rebellare. ex consilio autem & suggestione archiepiscoporum. scilicet *frederici colonienſis* & *alberti maguntini* & aliorum quorundam. *Calixtus* papa qui post *paschalem* & *gelasium rome* pontificatum acceperat. Imperatorem excommunicauit. Scisma itaque reuocato imperator *romam* pergens *bardium* natione hyspanum in cathedram per suam violenciam collocauit. quem postea *romani* imperatore recedente. apud *sutrium* uelut captum & in camelo superpositum cum ignominia deportauerunt B & in cauea prope *solernum* perpetue custodie tradiderunt.

Imperator absoluitur a legato & restituit omnia iura ecclesie romane & tamdem recidiuauit.

Interea Imperator videns a se regnum paulatim deficere & exemplum patris sui mente reuoluens propter metum anathematis quo vrgebatur. collecta curia generali apud *Vuormaciam* inuestituram episcoporum scil. annulum & baculum in manus legati nomine *lamberti*. qui postea fuit papa *Honorius*. publice resignauit. per quem fuit ab anathemate absolutus.

Imperator Romam obsidet. Imperator postea recidiuans festinato cursu in *ytaliam* vrbem obsedit. quibus contra C eum incaute progressis plurimos cepit. quos fere omnes aut cecauit aut deuastauit.

Moritur. Deinde reuersus in patriam morboque correptus obiit in ciuitate *spira* vbi ecclesiam supra dictam compleuerat atque ditauerat. Sepultus est iuxta patrem. avum & attavum suum anno imperii sui XIIII.

Deffuncto henrico quinto. Lotharius secundus imperator dux saxonum eligitur voto omnium principum. contra quem fredericus dux sueuorum & corradus frater eius nepotes henrici imperatoris rebellauerunt. qui excommunicati sunt a papa honorio secundo. Hic fuit.

XCIII. *ab augusto.*

A. 1125. Lotharius Imp. Anno domini M.CXXV. deffuncto *henrico* D quinto absque herede conueniunt proceres *maguncie*. ibique habito de successore consilio. quatuor regni obtinentes scil. *lotharius* dux *saxonum*. *fridericus* dux *sueuorum*. *leopardus* marchio orientalis. *karolus* comes *flandrie* ad regnum designantur. Tamdem *lotharius saxo* prior omnium renitens ad regnum tractus presente legato sedis apostolice XCIII. ab *augusto* regnauit.

Familie Henrici est infensus. Iste cepit per omnia humiliare progeniem *henrici* imperatoris. contra quem dux *fredericus* predictus & frater eius *corradus* nepotes *henrici* imperatoris ex sorore diu rebellauerunt. propter quod papa *honorius* successor *calixti* eos excommunicauit. Verumptamen predictus *corradus* a fratre suo *frederico* & a quibusdam aliis factus est rex contra *lotharium*. qui cum pauco exercitu intrat *ytaliam* & apud *mediolanum* coronam portauit.

Deinde ad partes *Romanorum* processit. & tamdem rebus exaustus in patriam remeauit. *Pax Conradi antiimperatoris cum Lothario.* pacem cum *lothario* componens. vt ipse primus inter principes sederet. & primus vexilla portaret. diuiso regno quieuit.

Hoc tempore fuit scisma in ecclesia Ramana.

Eo tempore oritur scisma *rome* inter *innocencium* & *anacletum*.

Innocencius autem transiens in *galliam* venit *leodium*. vbi *lotharius* ei occurrit. auxiliumque promittit. Vnde *innocencius* papa apud *clarum montem* consilio celebrato *romam* rediit. & Regem *lotharium* in lateranensi palacio apud *Coronatio Lotharii.* sanctum saluatorem coronauit.

De coronatione lotharii.

Non enim poterat apud sanctum petrum morari propter potenciam *anacleti* filii *petri leonis*.

Lotharius in patriam rediit.

Imperator lotharius transit in apuliam cum innocencio papa & fugauit ducem rogerium.

Rursusque reuocato exercitu *romam* post biennium remeauit. vbi assumto secum *innocencio* in *apuliam* transiit & *Rogerium siculum* supra dictum qui tunc dux *apulie* vocabatur inde fugauit & *raxonem* comitem ibi ducem constituit. ciuitatem *barum* cepit & totam *apuliam* occupauit. Inde reuersus *verone* *Obitus.* morbo correptus vitam finiuit anno regni sui XII.

Corradus tercius imperator eligitur apud confluenciam voto omnium principum XCIII. *imperator.*

A. 1138. Conradus III. Imp. Cui *corradus* tercius supra dictus anno domini M.C.XXXVIII. apud *confluenciam* inter *maguncium* & *coloniam* in regem eligitur presente episcopo *portuensi* apostolice sedis legato XCIIII. ab *augusto*. Statim *aquisgrani* in sede *karoli* a principibus constitutus. ab eodem legato est coronatus. *Saxones* & *Henricus Superbus* electioni Regis Conradi adversantur. *saxones* tamen & dux *bauarie henricus* tunc in eum non consenserunt. asserebant eciam non regem legitimum. sed per surreptionem creatum.

Rex prefigit eis omnibus curiam generalem apud *harabibers* ad quam venientes simul cum imperatrice vidua *lotharii* in graciam & pacem regis sunt recepti. excepto solo duce *bauorum henrico* qui cognominabatur. *Henricus est contumax.* *superbus*. apud quem insignia & regalia contumaciter adhuc detinebantur. Erat enim gener defuncti imperatoris *lotharii*. & ex hoc tenens regalia ad regnum quantum poterat aspirabat. Cautus vero tamdem regalia id est crucem & lanceam restituit. Graciam autem regis non impetrauit.

Postea vero iudicio principum a Rege pro- *Proscribitur.* scriptus & ab omnibus suis derelictus. vix quatuor militibus comitatus in partes *saxonie* miserabiliter cessit & post pauca vitam finiuit. *Moritur.*

Eo tempore rogerius siculus vincitur a duce raynone apulie. Et post pauca resumptis viribus eiicit omnes imperiales de apulia. & facit se regem sicilie appellari.

Hiis temporibus *Rogerius siculus apudiam* rursus ingressus cum duce *Raynone* quem *lotharius* ibi prefecerat habet conflictum. victusque secedit.

Interea *anacletus rome* moritur. & eo mortuo scisma terminatur.

In Sicilia gesta.

Post pauca dux *apulie Rayno* moritur & *rogerius* in *apuliam* reuertitur. & terram duce orbatam nec rebellantem occupat. *Robertum* principem *capuanum* cum omnibus nobilibus eiciit. & residuos variis tormentis affligit. ad vltimum se regem *sicilie* & *apulie* precipit appellari

Princeps *robertus* cum omnibus comitibus expulsis ad regem *corradum* secessit. Rex benigne omnes recepit & longo tempore in *alemannia* secum tenuit. sed in *apuliam* transire non potuit. quia eum grauis imperii necessitas prepediuit.

Papa capitur in bello

Ad hec papa *innocencius* vir magnanimus cum populo romano contra *rogerium* collecto exercitu *apuliam* ingreditur. vbi incaute conductus a *rogerio* deuincitur. & capitur iuxta castrum *gallugum*. quo cum reuerencia detento regnum in feudum ab ecclesia sub annuo censu recepit vsque ad terciam generacionem tenendum in locatione ab ecclesia romana. & nomen & auctoritatem regiam cum benedictione apostolica tam in *sicilia* quam in *apulia* sicut volut plenarie impetrauit. Et ex tunc auctoritate apostolica rex factus cum iam nullum preter *corradum* haberet obstaculum.

Pax Rogerii cum Pontifice.

Velpho in Conradum arma gerit

Velphonem fratrem *henrici superbi* predicti pretio suo conductum contra *corradum* in *alemannia* concitauit. quem rex in vno prelio iuxta castrum *Wiltulbertus* eleganter vinxit. suosque prostrauit.

Item *henricus* filius *corradi* qui si vixisset postea fuerat regnaturus eumdem *Velphonem* bello deuincit.

Welpho a Conrado interficitur.

Velpho tamen dum *corradus* vixit pro *Rogerio* stetit & regnum pro viribus impediuit. Tamdem a *corrado* manu propria decollatur.

De morte regis rogerii & substitucione Willermi maioris: & de transitu imperatoris in subsidio terre sancte interdum cum ludouico rege francorum.

Interea rex *rogerius* moritur. cui succedit *Vuillermus* rex *sicilie* pater alterius *Vuillermi*. & frater *constancie* imperatricis. qui dum imperator esset circa plura intentus regnum tenuit in quiete.

Expeditio sacra.

Nam idem imperator signo crucis assumpto cum innumerabili exercitu vilitare proposuit terram sanctam vt pro multitudine hominum nauigia inuenire non posset. cum *ludouico* rege *francie* per *vngariam* iter arripuit. In

Exercitus Christianorum.

cuius exercitu exceptis aliis milia milena militum erant. Deinde *constantinopolim* venerunt.

Fraus Grecorum.

& cum per *yconium* transirent fraude *grecorum* diu per deserta vagantes copiis & venalibus iam exhausti cum bello conserto cum *turcis* cum fame tamen quam calore plurimos de exercitu amiserunt & equos fere omnes. itaque milites cogebantur pedester ambulare.

Imperator Damascum frustra obsidet.

Tamdem imperator obsidet *damascum* vbi multos de suis amisit. & ciuitatem cepisset. nisi quod suorum quorumdam proditio interuenit: Demum perrexit *iherosolimam* in modico comitatu. sed quia exercitum non habebat non potuit quietem regis siculi prepedire in suo recessu. at facta oracione in *alemanniam* rediit fere suis omnibus iam exhaustus.

Eo tempore romani ceperunt renouare contradicente papa.

Hiis temporibus *romani* ceperunt innouare senatum qui longis antea curriculis ita cessauerat. vt nec mencio eius *rome* haberetur. quem papa *innocencius* ingenio precio & minis soluere conatus non potuit. morboque preuentus diem vltimum clausit.

Cui sacerdos laudabilis *celestinus* successit. quo infra annum defuncto in cathedram *lucius* papa consedit.

Iste intendens senatum extinguere cum ingenti milicia capitolium *rome* conscendit. vt sedentes ibi tunc senatores cum dedecore remoueret. senatus autem. populusque romanus ad arma conuersus papam cum suis omnibus a capitolio in momento repellunt. vbi papa lapidibus magnis percussus vsque ad obitus sui diem qui proximo sequutus est non sedit in sede. Cui tunc successit *eugenius* abbas sancti *anastasii* de vrbe. cuius tempore obiit *corradus* imperii sui anno XXIV. apud *bambemberc*.

Mors Conradi.

Hoc tempore obiit corradus imperator. De manuele imperatore constantinopolitano. & andronico successore ipsius. qui fuit malus.

Tunc *constantinopoli manuel* imperabat habens vxorem theotonicam sororem scil. vxoris regis *corradi*. cuius consobrinus. scil. *andronicus* tempore iuuentutis sue rapuit quamdam suam consobrinam cum qua secessit in terram *turcorum*. Ibique usque ad obitum *manuelis* tamquam exul permansit.

Defuncto itaque *manuele*. & filio eius *alexio* pro patre regnante. *andronicus* cum exercitu *turcorum constantinopolim* venit. & vrbe occupata *alexium* & sororem eius *mariam* & *rayne-*

Crudelitas Andronici.

rium maritum eius lombardum marchionem de *monte ferrato* interimit. omnes fere *grecie* principes occidit aut cecari precepit. latinos omnes in *grecia* commorantes mandat occidi. se solum imperatorem iubet terribiliter venerari.

De ysaac imperatore constantinopol.

Vnum solum principem *ysaac* de regio semine. sed pauperem valde. ficta dilectione in vrbe seruauit. quem tamdem habens suspectum similiter perdere cogitauit.

Ille vero cum de nocte occasione colloquii ab *andronico* vocaretur. ut periret dolo cognito fraudeque presita. nuncium qui eum ad mortem vocat manu sua repente interficit. & apud sanctam *sophiam* conuocatis ciuibus causam traditionis exponit asserens vniuersum populum similiter periturum nisi tirannus *andronicus*

Andronici horribilis exitus.

dionicus perimatur. Facto igitur clamore in populo *andronicus* capitur & vno oculorum cecatus vt cum altero vsque ad mortem suam. sua tormenta videret. Inde membratim succiditur & populo lapidatus laqueo per omnes vicos vrbis cum decore trahitur & miserabiliter exanimatur.

De frederico nepote corradi imperatore xcv. ab augusto.

A. 1146. *Friderícus I. Imp.*

Mortuo igitur *corrado* succedit ei *fredericus* primus filius *frederici* ducis *sueuorum* fratris scilicet *corradi* imperatoris predicti Anno domini MCXLVI. natus ex progenie clarissima *karolorum*. qui communi voto omnium & consensu principum apud *frankenebere* electus est ad imperium xcv. ab *augusto*. qui dum apud *aquisgranum* coronam regiam recepisset. intrauit *yraliam* & apud *mediolanum* cupiens coronari inuenit eos rebelles. qui confederauerant ei pro maiori parte *lombardos*. *fredericus* vero sex annis obsedit eam. & tamdem eam in deditionem recepit. multis tamen ex suis amissis.

Mediolanenses Friderico I. resistunt.

Diuturna obsidio Mediolani.

Deinde *astensem ciuitatem* sibi rebellem expugnauit & omnes muros & turres euertit deinde *tridonem* obsedit. & tamdem ciuitate capta *cedonem* se recepturus in castro. quo cum machinis capto magnam stragem ex hominibus fecit.

Interea *adrianus* papa mittit ei legatos vt moras tollat & pergat ad vrbem coronam recepturus ab ipso. Nam melius ei erat. si pugnaret imperator quam rex tantum.

Ipse autem transiens per *placenciam* sibi rebellem omnia sua rura cremauit & *brixiam* deuastauit *artuldo* receptore ipsius suspenso. *parma* tamen pro eo erat.

Tuscia Friderico I. fidelis.

Deinde per *bononie* campos veniens venit *florenciam* quam cum tota *tuscia* inuenit sibi deuotam. Tamdem venit *viterbium* vbi exercitus valde fessus propter balnea recreationem recepit. nam *viterbium* dicitur quasi *vide meritum* tum propter fertilem patriam tum propter copiam balneorum. olim enim *romani* cum redibant ab exercitu. mittebant illuc omnes fessos milites & senes pariter & infirmos ad refocillandum & ibi requiescebant. vnde *meritum vite* dicebatur.

Viterbium unde dictum.

Fridericus Romam venit.

Cumque illuc aliquam moram fecissent venit cum exercitu copioso ad vrbem. Papa autem ei fauorem prestante. qui in monte malo sua temptoria fixit.

Romani vero vsus & libertates antiquas expetebant ab eo si vellet in vrbe captare coronam.

De pugna inter fredericum & romanos & de coronatione ipsius.

Propter quod senatus contra eum ad arma consurgit. & temptat eum ab vrbe repellere sine corona. Rex vero animo fortis papa ei imperante aditum de nocte armata manu intrauit sanctum petrum & summo mane nolentibus & renitentibus *Romanis* coronatur ab *adriano* papa.

Romani vero ad arma consurgunt & cum imperatore conflictum faciunt iuxta *tyberim* fluvium vbi tot hinc inde mortui fuerunt quod aqua *tyberis* facta est tota rubra ex sanguine mortuorum. Tamdem obtinuit imperator vrbe remanente dolente spe male frustrata.

Cruenta pugna.

De ira cæsaris contra spoletanum.

Post hec cæsar volens in patriam remeare vt suum exercitum renouaret dum a *spoletanis* tributa peteret. & ipsi falsam monetam soluerent. augustus iratus ciuitatem cremauit. & plurimos ex ciuibus interfecit. quorum spolia omnia exercitus secum portauit. Cumque per montes *verone* transirent & essent quasi inter montes recluſi *veronenſes* insurgunt in eos & lapidibus obrutos multos occiderunt. dum supra montes rustici residerent. Et huiusmodi conflictum per quatuor dies tulerunt.

Veronenses premunt imperatorem.

Imperiales autem iam de vita desperantes per occultos aditus cum conatu ad cacumina moncium ascendentes populo *veronensium* malefacta rependunt & eos ad yma ruunt. quibus deuictis & captis cesar iubet quosdam truncari. quosdam exoculari. nobiles vero suspendi & ciuitatem incendi.

Cæsaris in eos victoria.

Hoc tempore scisma fuit in vrbe.

Tunc temporis *adrianus* moritur & factum est in vrbe scisma. nam *octouianus* ei restitit. *Alexander* cogitur exire vrbem.

Imperator vero hoc audito venit *mediolanum* & eos rebelles inuenit vt prius. Sed *lombardis* omnibus confederationem simul facientibus Imperator vincitur & fugatur. Rursusque exercitu congregato venit in *liguriam*. & obsidet *alexandriam* quam contra eum fecerat *alexander*. Et *lombardis* magnum exercitum congregantibus vt eciam auxilium *alexandrie* prestarent Cesar ab oppositio relicta obsidione *lombardis* obuiare procurat. quibus deuictis & pro mortuis ab ipso receptis veniunt ad pedes cesaris veniam postulantes.

Imperator a Mediolanensibus vincitur.

Vincit Lombardos.

Cesar amore dei parcere senxit eis. & fidelitatis iuramento recepto ab ipsis eos abire permisit.

Lombardi autem iuramenti federe violato guerram post octo dies iterum mouent & *mediolanenſiam* quasi adiutores effecti forciori manu ad bella resurgunt & iterum bellum cum imperatore committunt. & licet cesar prius victoriam videretur habere. tamdem deuictus de campo fugiendo recessit. propter quod tam cesar quam *ligures* ab armis per aliquantulum temporis spacium quieuerunt. ad vltimum vero cesar multo sanguine prius fuso obtinuit de *lombardis* & *mediolanenses* in villas redegit.

Lombardi rebelles.

Pellunt Imperatorem.

Fridericus hostes conterit.

His itaque transactis cum iam per XVIII. annos scisma fuisset. tamdem vincit *alexander*. cuius mandatis cesar per omnia obediuit & cum eo apud *venecios* pacem fecit. papa vero tunc congregauit imperium vel consilium generale in vrbe. in quo illustrauit ecclesiam & ecclesiasticam libertatem.

De henrico VI. filio frederici qui duxit uxorem constanciam filiam rogerii regis sicilie

Tunc temporis. scil. anno domini MCLXXXV. A. 1185. quinta indictione. v. kalendas februarii. *heinricus*

Henrici VI nuptie.

cus sextus filius ipsius *frederici* augusti cum regina *constancia* filia *rogerii* regis *sicilie* que iam processerat in diebus suis glorioſas nupcias celebrauit *mediolani* apud sanctum *ambrosium* anno etatis sue XXI.

Huc vsque *libri* * *pentheon* scripta posuimus addentes interdum alicubi deflectum historiarum ex historiis ecclesiasticis & nichil fabulosum inserentes sub compendio nomina & corpus & annos imperatorum & regum ab inicio mundi curauimus enarrare.

Cetera que sequuntur quod recentis memorie sunt nos ea nobis a viris probabilibus tradita & a nobis partim * occultata fide aspecta & auribus nostris audita quanto veracius possumus & si non cuncta fauente domino proponemus.

* Legendum: *oculata.*

Actum est hoc opus anno domini MCCXLIII. mense februar. ecclesia Romana vacante tempore imperatoris *frederici* secundi anno imperii sui XXIII. regni *sicilie* XIV. regni vero *iherusalem* VIII.

De transitu imperatoris frederici in terram sanctam & eius morte.

Tamdem *fredericus* consilio celebrato & rebus bene dispositis in *ytaliam* atque signo crucis assumpto per *vngariam* deinde per *greciam* transit in subsidium terre sancte cum filio suo *frederico* viro prudentissimo strenuo & facundo.

Cum tamen contra soldanum *yconii* bella plurima commisisset tamdem ipsum ad dedicionem coegit. Deinde cum ad *iherusalem* pergeret & flumen quoddam vadaret dum vellet quemdam *theutonicum* liberare qui submergebatur in flumine, accidit quod pectus allisit ad lapidem magnum qui erat in flumine dum nataret. vnde tam ex collisione quam labore debilitatus animam & spiritum in eodem loco emisit. Anno imperii sui XXX.

Fridericus I. Imp. flumine mergitur.

Fridericus filius Barbarosse decedit.

Fredericus autem filius eius ad terram sanctam deducit exercitum & post pauca apud *tyrum* diem clausit extremum.

De Henrico sexto filio frederici imperatore XCVI. ab augusto.

A. 1190. *Henricus VI. Imp.*

Interea *henricus* sextus filius *frederici* in regem *romanorum* a principibus electus comperta morte patris dum in *tuscia* moraretur accessit ad vrbem & a *celestino* papa tercio primo anno pontificatus sui imperium & coronam suscepit LXXXXVI. ab *augusto* anno ab incarnacione domini M CXC.

Henrici VI expeditio in Siciliam.

pag. 458. lin. 13. pro Corbuth Senonis, *l.* Corbulh Senonenſis.
22. poſt Ciſtercienſis, *l.* pluribus Abbatibus.
23. poſt Metis, *l.* publice.
pag. 459. lin. 2. pro Hemericus, *l.* Haimericus.
15. pro cum, *l.* qui.
17. poſt cæteri, *l.* Et iterum.
19. pro Juorienſis, *l.* Yvorienſis.
22. poſt quemdam, *l.* Abbatem.
26. Archi-Epiſcopus *habet MS.*
28. poſt &, *l.* mater.
pag. 460. lin. 3. pro quem, *l.* quos.
9. pro Epiſcopatum, *l.* Epiſcopum.
10. pro judicium, *l.* Sententiam.
16. pro Flandriam, *l.* Flandrinam.
26. poſt difficultate, *l.* & maturitate.
pag. 461. lin. 1. pro quo, *l.* qua.
3. Lintgarda *habet MS.*
12. pro Sacrilegas, *l.* Sacrilegus.
15. pro Windocini, *l.* Vindocini.
pag. 462. lin. 6. pro quadringentos, *l.* quadragintos.
12. poſt Principibus, *l.* itaque.
13. pro ex iisdem infantibus in ſua, *l.* infantes in ejus.
18. pro fide chriſtiana, *l.* chriſtianitate.
25. pro hoc, *l.* hæc.
30. pro ingreſſus, *l.* aggreſſus,
pag. 463. lin. 5. deleatur Rex.
6. pro probatiſſimus, *l.* probiſſimus.
19. pro ſalire, *l.* ſalſare.
22. poſt ſed, *l.* de.
24. poſt igitur, *l.* de.
25. Malagon *habet MS.*
pag. 464. lin. 5. pro ſuo collocavit, *l.* ſuos locavit.
9. pro Belzon, *l.* Belzoa.
pag. 465. lin. 1. pro ſibi, *l.* ibi.
8. poſt ſua, *l.* illud.
16. pro Rochemador, *l.* Recheamador.
28. coxerunt *habet MS.*
pag. 466. lin. 7. poſt aliis, *l.* &.
11. poſt vita, *l.* ſua.
12. pro ipſius, *l.* iſtius.
17. pro Galliciæ, *l.* Galaciæ.
29. poſt Ciſtercienſium, *l.* ordinis.
pag. 467. lin. 8. Alſaz *habet MS.*
27. pro ſummas, *l.* ſummos.
29. & 30. pro locos, *l.* cocos.
pag. 468. lin. 6. pro acceſſit, *l.* accepit.
8. pro injurias afficiebant, *l.* injuriis afficiebantur.
10. pro & *l.* ab.
18. majorem *habet MS.*
26. pro quod, *l.* Quas.
31. MS. habet Moretonii & Domni Martini & Albæ Marnæ inſulam bonam
pag. 469. lin. 6. pro ſancti, *l.* Beati.
12. pro cum, *l.* ſub.
14. pro anno iſta, *l.* in anno iſto.
19. & 23. pro Gaillart, *l.* Gaillac.
pag. 469. lin. 20. pro Rabattonum, *l.* Rabattenum.
21. pro dirimit, *l.* diremit.
pag. 470. lin. 3. pro Ferdinandus, *l.* Fernandus.
18. pro fratri, *l.* fratris.
21. pro dicebant, *l.* dicebat.
23. poſt Comiti, *l.* Philippo.
28. poſt collo, *l.* ſuo.
pag. 471. lin. 2. innexum *habet MS.*
3. pro exportari, *l.* deportari.
7. pro ita ut quod, *l.* itaque.
21. pro vellet, *l.* vellent.
27. pro Gvillelmum, *l.* Gvillelkinum.
31. pro eo, *l.* eodem.
pag. 472. lin. 11. poſt Rex, *l.* Philippus.
13. pro Brugias *l.* Burgias.
16. poſt Bouis, *l.* &.
22. pro in, *l.* cum.
23. pro Brugis, *l.* Burgis.
pag. 473. lin. 26. poſt obſidione, *l.* penitus.
28. pro domum, *l.* demum.
29. pro ferentes, *l.* capientes.
pag. 474. lin. 2. pro interfecerunt, *l.* interfecerant.
4. pro Moncaria, *l.* Morcaria.
12. pro Agennenſes, *l.* Agiunenſes & captio.
15 pro quincim, *l.* quindecim.
21. & peregrinos pedites fere DCC inermes, *deeſt in MS.*
24 pro perverterent, *l.* percuterent.
pag. 475. lin. 13. pro Sanctio. *l.* Alfonſo.
21. poſt mortem, *l.* vero.
22. poſt occiſi, *l.* &.
27. pro amphibologicæ, *l.* amphiboliceæ.
29. pro alium. *l.* aliam.
30. pro quis, *l.* cujus.
pag. 476. lin. 16. pro nobis, *l.* nobiſcum,
18. deleatur annos. *it.* ex *habet MS.*
23. pro Alhigira, *l.* Alhigera.
24. poſt Certe, *l.* præter.
pag. 477. lin. 3. pro Daborg, *l.* Dabor. & *pro* formiſſimus, *l.* formoſiſſimus.
4. deleatur etiam.
7. pro garda de Stopes, *l.* Gardia de Stepes. *it.* Hutam *habet MS.*
20. pro dicitur Hyolenus, *l.* dicebatur Hyoleng.
28. pro Rainaldum, *l.* Renaldum.
pag. 478. lin. 4. pro ſomoſus *l.* famoſus.
12. Anoeniſium, *habet MS.*
18. pro Thoarejo. *l.* Thoarcio.
31. deleatur tres fratres.
33. pro Nouconenſis, *l.* Novionenſis,
pag. 479. lin. 14 pro dictum, *l.* ipſum.
20. MS. habet filius fuit Roberti fratris Gilonis.
27. pro Salesberiæ, *l.* Salebriæ, & *pro* Ferdinandus, *l.* Fernandus.
29. poſt filiam, *l.* Mariam.
31. poſt venit, *l.* usque.
33. pro Moretona, *l.* Moretania.
pag. 480. lin. 5. pro Moretonia, *l.* Moretania.

pag.

pag. 480. lin. 6. & 8. pro Garinus, *l.* Gvarinus.
27. deleatur ingenii &.
pag. 481. lin. 7. pro de rapinis & lachrymis pauperum & Ecclesiarum, *l.* de lachrymis pauperum, & de rapina Ecclesiarum.
18. & 26. & passim pro Garinus *l.* Gvarinus.
21. pro Garino: Frater Garine, *l.* Guarino: Frater Guarine.
pag. 482. lin. 28. pro eos, *l.* eas.
33. pro dextero, *l.* dextera.
pag. 483. lin. 10. pro Stropha, *l.* Scrofa.
25. pro Bernardus de Tenqvenbute, *l.* Bernardus de Hœrstemale miles fortissimus, Otto de Tinqvenebute.
28. pro Randerodo, *l.* Randenrodo.
32. post sibi, *l.* qvasi.
pag. 484. lin. 5. pro Brocarum, *l.* Drocarum.
ead. ser. pro Autissiodori, *l.* Antisiodori.
11. pro illius, *l.* ipsius.
15. pro Roboreto, *l.* Roborato.
21. pro Arnulphus Daudenarde, *l.* Arnulfus Dadenarde.
29. pro quadrigis inter, *l.* quadrigis impolitis iter.
30. pro Bapalmas, *l.* Batpalmos.
pag. 485. lin. 15. pro Albæ Marlæ & Varennarum, *l.* Albæ Marnæ & Warenarum.
17. pro Hainoniam, *l.* Hainaviam.
20. post qui, *l.* de.
32. pro mures, *l.* muros.
pag. 486. lin. 14. pro Henricus, *l.* Herveus.
30. post omnia, *l.* ita.
pag. 487. lin. 4. pro non bene ferratus est fernandus, & bene unculatus, *l.* Modo bene ferratus est ferrandus & bene vinculatus.
9. pro duce, *l.* Comite.
10. pro amicitia, *l.* amicitiam.
21. Cohoth *habet MS. it. pro* quam, *l.* quem.
pag. 488. lin. 9. pro pistorium, *leg.* Pisleriu.
10. post Philippi, *delcatur* Regis.
11. pro contra, *l.* in.
13. pro Pessulanitis, *leg.* Pessulamitis.
26. Werdam *habet MS.*
pag. 489. lin. 6. pro Romanorum, *l.* Romano, nili.
13. pro Corcejo, *l.* Corceto.
23. pro qvum, *l.* quam.
29. pro Jovevilla, *l.* Jonevilla.
pag. 490. lin. 3. pro prædictis, *l.* præcipuis.
7. pro pro, *l.* per. *it. post* primates, *l.* autem.
10. absentium *habet MS.*
13. post Johannis, *l.* Regis Andreæ Hungariæ; Regis Hierosolymitani Joannis.
16. post hujus, *l.* magni.
23. pro condemnatus *l.* condemnamus.
pag. 490. lin. 26. pro &, *l.* ut.
33. pro quod inter alia quæ in, *l.* & inter alia, quæ ex.
pag. 491. lin. 6. pro obtinent Alexandria, *l.* obtineat, Alexandrina.
33. pro ejus, *l.* ejusdem Papæ.
pag 492. lin. 22. pro firmatæ conditionibus, *l.* firmitate.
pag. 493. lin. 12. pro Gloceſtriam, *l.* Rouceſtrium.
26. pro (Engelberti, *l.* Angelberti.
28. deleatur soror.
29. pro Luscebore Ermesindis, *leg.* Luscebore Ermesindis relicta.
pag. 494. lin. 2. post armis, *l.* jam.
8. post easdem, *l.* treugas,
24. post articulo, *l.* ipsi.
28. pro citris, *l.* cibis.
pag. 495. lin. 3. pro Taneth, *l.* Tanoth.
23. post Francia, *l.* captus.
24. pro Humbram, *l.* Humbrum.
32. pro Beaucaire, *l.* Bacaire.
pag. 496. lin. 6. Centius *est in MS.*
10. pro Mathilde, *l.* Beatrice.
25. pro formar, *l.* firmat.
26 redditum est *habet MS.*
31 pro Arnaldi, *l.* Arnoldi.
pag. 497. lin. 28. pro Meliduni, *l.* Melduni.
pag 498. lin 5. pro Gvillelmus, *leg.* Gvillekinus.
17. pro exhæredavit, *l.* exhæreditavit.
18. pro Ichonio, *l.* Yconio.
21. pro, Mesfadinus, *leg.* Mesfadinus.
26. pro Meliamoden, *l.* Meliamodon.
28. Malters *habet MS.*
ead. ser. pro Melhinoor, *l.* Melchinor.
30. pro Falafas, *l.* Falfas.
pag. 499. lin. 2. post valet, *l.* cuilibet.
10. pro Hoc *l.* Et hoc eodem.
pag. 500. lin. 9. pro Jovevillam, *l.* Jonevillam.
11. pro Saronasia, *l.* Sarmasia.
21. pro Vaudoni monte, *l.* Wandani monte.
22 deleatur in ejus loco.
pag. 501 lin 10. pro Satonagio, *l.* Satanagio.
31. post pannos, *l.* sericos.
pag. 502. lin. 5. deleatur Episcopus.
11. deleatur Galtero.
16. deleatur Odonis.
17. Tilia *habet MS.*
ead. ser. pro Renaldus, *l.* Renoldus.
18. pro Malo Leone, *l.* Malleone.
23. pro Archis, *l.* Archeis.
33. pro ea, *l.* eadem.
pag. 503. lin. 3 rehabere, *habet MS.*
29. pro Iconum, *l.* Yconium.
33. post palmæ, *l.* &.
pag. 504. lin. 5. post aquam, *l.* hoc.
12. fagi *habet MS.*
27. pro (Noviomensis,) *l.* Noviomensis.

pag. 505. lin. 6. pro Nicholienſis, *l.* Nichoſienſis.
6. Lucovienſis *habet MS.*
8. pro Garini, *l.* Gvarrini.
9. pro Jovevilla, *l.* Jonevilla.
12. pro Matiſconenſis, *l.* Maſticonenſis.
18. Aumaricum *habet MS.*
19. quam cum eodem *habet MS.*
pag. 506. lin. 15. pro tam, *l.* jam.
25. Cervian *habet MS. & pro* apoſtataverunt, *l.* apoſtataverat.
29. poſt Gvido, *l.* cum eſſet.
pag. 507. lin. 7. Rogemont *habet MS.*
26. poſt celebrata eſt, *deleatur* in Anglia.
pag. 508. lin. 10. pro devicti, *l.* devicto.
15. pro Alapiæ, *l.* Halapiæ.
25. pro ceſtellis, *l.* caſtellis.
27. deleatur in. *it.* pugnatores *habet MS.*
28. pro &, *l.* Ea.
ead. ſer. poſt ſunt, *l.* &.
pag. 509. lin. 3. Ornatia *habet MS.*
6. pro quadringenti (LX,) *l.* quadraginta.
11. pro Eskiſiam, *l.* Eskiſitum.
25. reddere *habet MS.*
pag. 510. lin. 6. pro Rotamagum, *l.* Rothomagum.
9. deleatur Archi-Epiſcopis.
13. pro Rodulphum, *l.* Radulfum.
pag. 511. lin. 1. unicam *habet MS.*
3. pro Matiſconenſis, *l.* Maſtiſconenſis.
18. teſtificantia *habet MS.*
27. librarum *habet MS.*
pag. 512. lin. 1. deleatur ante.
3. pro Remundus, *l.* Reimundus.
6. Bedieres *habet MS.*
18. pro Vernoith, *l.* Vernoilh.
ead. ſer. pro cervinis, *l.* ericinis.
pag. 513. lin. 3. Yſabellæ *habet MS.*
13. perſonas *habet MS.*
18. pro adornati, *l.* ordinati.
20. pro dicendo, *l.* ducendo.
pag. 514. lin. 18. deleatur & proceribus.
pag. 515. lin. 6. pro paſtorales, *l.* paſtoralis.
9. pro iſtum, *l.* ipſum.
14. poſt nobis, *l.* non.
16. pro denunciatio, *l.* denunciationem.
pag. 516. lin. 7. Malapota *habet MS.*
21. pro Attrebatenſi, *l.* Attrebatenſis.
pag. 517. lin. 15. Cachenai *habet MS.*
20. pro eum, *l.* cum.
pag. 518. lin. 1. pro Alria, *l.* Alna.
3. pro Bertrannum, *l.* Bertrandum.
10. deleatur hoc anno.
11. pro Arnaldus, *l.* Arnoldus.
26. pro Angilbertus, *l.* Angelbertus.
27. poſt columna, *l.* decimo.
28. Yſemberg *habet MS. it. pro* cum, *l.* eum.
29. ab advocatia *habet MS.*
pag. 518. lin. 13. Cardinalis Comini Conrardi. Quærebatur etiam autoritate, *non eſt in MS.*
pag. 519. lin. 2. pro Mertoris, *l.* Mercatoris.
11. deleatur eo.
12. pro Romiæ *l.* Bonnæ.
25. pro Scindens, *l.* Scindendo.
A *pag. 520. lin. 2. pro* Epiſcopus etiam ſuſpenſus. *l.* Epiſcopus autem etiam.
13. poſt provincia, *l.* uſque.
15. poſt renovavit, *l.* Sed.
21. pro ſanior, *l.* ſenior.
23. pro diſertum, *l.* diſcretum.
32. pro Ambazia, *l.* Ambaziæ.
pag. 521. lin. 6. pro (prumium;) *l.* Pruuin.
11. pro ſex grangiarum, *l.* Sergrangiarum.
21. pro Valeranus, *l.* Walerannus.
22. pro vir, *l.* vix.
24. pro Rede, *l.* Rode. *it. poſt* ordinis, *l.* Sancti, *it. poſt* Ludovicus, *l.* etiam.
30. deleatur Comes.
B *pag. 522. lin. 3. poſt* Novembris, *l.* quinta feria.
10. poſt Bellojoco, *l.* cum.
12. pro Robertus, *l.* Albertus.
14. pro cui gener ſuus Friderícus, *l.* qui gener ſuus Fredericus Imperator.
25. poſt Epiſcopus, *l.* in.
27. pro conſentire, *l.* recipere.
29. pro Aconenſem, *l.* Hionenſem.
pag. 523. lin. 1. pro feria, *l.* facta.
3. pro Catalaunenſi, *leg.* Cathedrali.
7. pro Hugelinus, *l.* Hugolinus.
8. pro Agnania, *l.* Anania.
10. poſt Primus, *l.* namque.
11. pro Gervaſius ſuis, *l.* Gerartius.
C *13.* electoribus *habet MS.*
24. pro Aconenſis, *l.* Aronenſis.
27. Reollam *habet MS.*
pag. 524. lin. 8. pro cum ſupradicto Epiſcopi, *l.* cum eo.
16. pro quinque Eccleſiarum, *leg.* quinque Eccleſienſi, & *pro* Voſprimienſi, *l.* Viſprinienſi.
22. pro Lembergenſis, *l.* Lemburgenſis.
32. pro Barvech, *l.* Berech.
pag. 525. lin. 10. poſt Trudo, *l.* antiquitus.
15. pro civitatem, *l.* villam.
16. pro Valtiodoro, *l.* Waltiodoro.
26. pro ſibi, *l.* ibi.
29. pro primus eorum fuit, *l.* quorum fuit unus.
D *pag. 526. lin. 10. pro* perpenderat, *l.* pependerat.
13. deleatur & integer.
15. Liſtet *habet* MS.
16. pro Logiſtelao Odoſii, *l.* Logeſtelao Odoſeji.
ead. ſer. pro Liſter, *l.* Liſtet.
18. pro Genueſiæ, *l.* Gveneſiæ.
19. pro Logeſtelaum, *l.* Logeslaum.
22. pro campulo, *l.* Canipulo.

pag.

pag.526. lin. 23. poſt illius, *l.* fortiter.
31. pro Roma egreſſus, *l.* â Roma regreſſus.
pag.527. lin. 16. pro Sambria, *l.* Sambiter.
17. poſt Franciſci, *l.* Confeſſoris.
23. poſt ſex, *l.* circiter.
pag.528. lin. 6. pro 1214. *l.* 1212.
7. poſt Interim, *l.* tamen.
pag.529. lin. 6. pro tamen, *l.* ſemper.
10. pro Item, *l.* Et.
12. pro Caſtum, *l.* Caſtrum.
28. pro Ligius, *l.* liges.
pag.530. lin. 2. pro recepto, *l.* accepto.
8. pro conſilium, *l.* Concilium.
16. & 17. & inde culpantur, ipſa Regina & Dominus Cardinalis *deeſt in MSto.*
20. poſt Magiſtri, *l.* Et.
pag.531. lin. 2. pro depoſitis, *l.* diſpoſitis.
21. poſt communi, *l.* omnium.
32. poſt vero, *l.* prædicto.
pag.532. lin. 14. pro ſunt, *l.* dicti.
21. poſt ſuos, *l.* ſe.
25. pro erat in, *l.* eſt.
28. pro Namurci ſaiſavit, *l.* Namutii ſaiſivit.
pag.533. lin. 6. pro Lapion, *l.* Lapium.
14. Coradini *habet MS.*
16. pro Gveſilii, *l.* Garſilii.
pag.534. lin. 7. pro Bononienſes, *l.* Bolonienſes.
16. pro Charrochium, *l.* Carrochium.
24. pro retrocedere, *l.* retroducere.
27. poſt cibariis, *l.* bladis, veſtibus, donariis & ornatibus.
30. nobilis *habet MS.*
31. pro ſe, *l.* ſibi.
32. pro Kiburgenſis, *l.* Hiburgenſis.
pag.535. lin. 4. depoſitionem *habet MS.*
7. deleatur ſancti.
9. poſt Barri, *l.* ſuper Ducem Matthæum.
23. poſt incendebat, *l.* Et ecce.
26. poſt autem, *l.* ita.
32. pro ille, *l.* ibi.
pag.536. lin. 3. deleatur hoc anno.
4. pro Afulſus, *l.* Aſulfus.
12. pro Leopoldus, *l.* Lupoldus.
18. pro Albia, *l.* Abbatia.
pag.537. lin. 6. pro fuierit, *l.* fecerit.
14. pro compellimus, *l.* compellemus.
22. pro Courtenarum, *l.* Courtenay.
27. pro Wilhelmus, *l.* Witelmus.
28. pro conſuluimus, *l.* conſulimus.
29. poſt literas, *l.* ſuas.
pag.538. lin. 17. pro determinata, *l.* determinato.
20. Laudenſis *habet MS.*
pag.539. lin. 1. poſt Thoma, *l.* Igitur.
19. pro Eleemoſyna, *l.* Eleemoſynas.
pag.540. lin. 16. pro frumenti, *l.* frumento.
20. pro Heſperiæ, *l.* Heſperia.
21. pro Antonius, *l.* Antoninus.
27. pro xenia, *l.* exenia.
30. pro & (cum) *l.* ut.
pag.541. lin. 3. pro pervenire, *l.* pervenirent.
9. pro miracula, *l.* mirabilia.
13. pro quod, *l.* ea quæ.
pag.541. lin. 33. pro Vbeda, *l.* Obeda.
pag.542. lin. 2. deleatur Ludovici.
pag.543. lin. 9. pro denariis, *l.* donariis.
pag.544. lin. 24. pro congerit, *l.* coëgerit.
30. pro diſſidentiæ, *l.* diffidentiæ.
pag.545. lin. 6. poſt illi, *l.* ibi.
7. poſt ſervum, *l.* & ſervus dominum.
9. pro ArchiE-piſcopus, *l.* Archi-Epiſcopum.
21. pro concurrerunt, *l.* cucurrerunt.
26. pro de novo per quam conjicitur, *l.* per quam convincitur.
28. pro illa, *l.* villa.
32. pro nani (f. mali,) *l.* vani.
pag.546. lin. 2. pro ita quod, *l.* itaque.
4. pro cingulum, *l.* circulum.
6. poſt nocte, *l.* operari; excoriavit cattum unum, & duas columbas, & ſcidit per medium. Deinde tres Dæmones.
9. poſt appoſuit, *l.* quem totum in momento devoraverunt. Duas columbas magno Dæmoni appoſuit.
12. pro alpha & ω, *l.* & co.
23. pro quæliber, *l.* quilibet.
27. pro accepit, *l.* acceperit.
32. pro Junii, *l.* Julii.
pag.547. lin. 19. pro ab imperatore conſtitutos, *l.* imperatoris.
20. MS. habet d'ellemarkece.
24. pro ſequenti anno, *l.* ſequentis anni.
pag.548. lin. 1. Campaniæ *habet MS.*
4. Aſeſpigalz *habet MS.*
7. poſt nuntiatum eſt, *l.* Hic interſeratur quod poſt Principem Antiochiæ, qui dictus eſt Renaldus, de manu Salahadani fuit occiſus.
16. pro Brixianus, *l.* Buxianus.
19. pro fidelium, *l.* fidelibus.
22. ſolerter *habet MS.*
24. deleatur juſtitiæ.
33. pro Domino Regi, ſicut dictum eſt, *l.* ſicut dictum eſt Domino Regi.
pag.549. lin. 8. deleatur treugarum.
10. deleatur cum.
14. pro protulerit, *l.* pertulerit.
15. conſtitutam *eſt in MS.*
22. abſque *habet MS.*
24. pro thelonia, *l.* telonia.
31. cum *habet MS.*
pag.550. lin. 1. Keiniszuthe *habet MS.*
20. poſt mori, *l.* Robertum.
21. poſt Regis, *l.* qui.
29. poſt anno, *l.* Et ipſe.
pag.551. lin. 2. deleatur prædictus Rex.
8. Edmundus *habet MS.*
9. pro Epiſcopus, *l.* Archi-Epiſcopus.
12. pro Gvillekeni, *l.* Gvillekini.
23. pro Romanorum, *l.* Chriſtianorum.

pag.551. lin.32. pro Avinianorum, *l.* Avignianorum.
33. pro habębant, *l.* habent.
34. pro Jacobianorum, *l.* Jacobinianorum.
pag.552. lin. 8. pro (officiorum) acceperunt, *l.* officiorum acciperent.
10. litera *habet MS.*
14. pro cogitari, *l.* occultari,
pag.553. lin. 4. post assumtione, *l.* & in Septembri.
5. transmarinis *deest in MS.*
14. post corpus, *l.* Beati.
19. pro beati, *l.* Sancti.
27. pro quibus, *l.* Orationibus.
pag.554. lin. 19. post damna, *l.* multis.
22. pro perveniens, *l.* proveniens.
25. Hungerii *habet MS.*
27. pro Ita quod, *l.* itaque.
29. post etiam, *l.* in.
pag.555. lin. 10. accusata *habet MS.*
ead. ser. pro & comprehensa, *l.* comprehensa est.
15. pro verum, *l.* vere.
16. deleatur & deinde combusta.
22. pro Nivemensis, *l.* Nivernensis.
29. pro ipsam, *l.* Episcopum.
31. pro quendani (filium,) *l.* quemdam filium.
pag. 556. lin. 17. apparuit *deest in MS.*
24. pro qui, quamdiu, *l.* quæ quamdiu.
pag.557. lin. 7. pro instructæ fuerunt, *l.* instauratæ sunt.
10. pro ita quod, *l.* itaque.
19. post Ecclesia, *l.* sed.
23. Regis (Franciæ) Carolus, Comes Andegavensis: quarram filiam frater *non est in MS.*
pag.558. lin. 1. MS. habet quæ Joanni Comiti peperit.
5. Vastachius *habet MS.*
6. pro Vastachii, *l.* Wastachii.
7. duceret *deest in MS.*
8. pro illa, *l.* prædicta.
10. Jacinti *hab. MS.*
16. pro balistatores, *l.* Balistarios.
20. sororis *habet MS.*
22. pro Andrevilla, *l.* Ardrevilla.
23. pro Mecenen: *l.* Mycenen: & *pro* Lacremon, *l.* Lacremonensem.
pag.559. lin. 2. post magnus, *l.* Imperator.
4. pro ita quod, *l.* itaque.
14. pro habent, *l.* habebant.
pag.560. lin. 20. pro ita quod, *l.* Itaque.
23. pro habebant, *l.* habent.
24. deleatur Episcopus.
pag.561. lin. 1. pro Episcopum, *l.* Episcopatum.
11. pro supposito, *l.* Superpositio.
13. pro Census, *l.* Sensus.
20. pro Gvinardus, *l.* Gviardus.
24. post nostri, *l.* videlicet.
27. post quod, *l.* esset.
pag.562. lin. 6. pro ei Rex dedit &, *l.* & Rex dedit ei.
pag.562. lin. 15. pro Antilliodorensis, *l.* Autiliodorensis.
26. pro mutilis, *l.* inutilis.
31. pro qua, *l.* quæ.
32. pro nostram, *l.* vestram.
33. pro Jacoborum, *l.* Jacobitarum.
pag.563. lin. 5. pro mortis, *l.* montis.
9. pro testamentum, *l.* testimonium.
ead. ser. pro adhuc, *l.* Ad hoc.
16. pro Jacobitus, *l.* Jacobita.
19. post Regis, *l.* &.
20. pro Jakelinus, *l.* Javellinus.
21. post majorem, *l.* manentes.
22. deleatur & regna.
pag.564. lin. 7. ostium *habet MS.*
9. pro gentium, *l.* gentilium.
21. pro Comoniam, *l.* Comaniam.
29. pro Patavienśi, *l.* Pictavienśi.
pag.565. lin. 10. pro Ginardus, *l.* Gniardus.
12. pro Galeramus, *l.* Galleranus.
13. pro Galeranni, *l.* Gallerani.
17. pro Galeranni, *l.* Valeranni.
29. Herstal *habet MS.*
pag.566. lin. 11. pro manifestata, *l.* manifesta.
15. sine dilatione quot capita, tot fugæ *habet MS.*
17. post Metensis, *l.* Jacobus, qui erat præpositus Leodiensis.
18. post auxilium, *l.* suum.
pag.567. lin. 1. post Pontifex, *l.* Trajectensis.
11. pro ex portatione, *l.* in exportatione.
12. pro crescentis, *l.* excrescentis.
13. pro Ichumii, *l.* Ychonii.
17. & de se terram teneret *non est in MS.*
28. pro bene, *l.* bonus.
23. post omni substantia, *l.* eorum.
pag.568. lin. 2. post Lotharingiæ, *l.* Sed &.
ead. ser. pro Charmata, *l.* Charmento.
7. Bogvenarii *habet MS.*
12. pro & in, *l.* & ita.
25. pro eo, *l.* est.
27. pro Domini, *l.* Dominicum.
pag.569. lin. 3. Montwimert *habet MS.*
6. pro Guinardus, *l.* Guiardus.
22. pro Rodulphus de Torata, *l.* Radulfus de Torota.
27. post sexus, *l.* ætatis.
28. pro quando, *l.* quoniam.
31. pro Ecclesiam, *l.* vetulam.
pag.570. lin. 8. pro necesse, *l.* nostrum.
11. pro terit, *l.* currit.
14. hunc ad suam sectam cum sociis convertit, *non est in MS.*
25. pro Domina (Domino) *l.* Domino Joanni.
32. similiter cum Soldano Damascено, *non est in MS.*
pag.571. lin. 4. pro Hesduvino, *l.* Hesduino.
11. pro subjecit, *l.* subjiciet.
12. pro suscipiet, *l.* suscipiens.
13. pro quarum, *l.* quorum.
14. post Provinciam, *l.* sunt extensi. Ipsam jugiter Provinciam.
15. pro perhibet, *l.* prohibet.

pag.

pag.571.lin.18.post nisi, *l.* Deum.
27.pro Romani, *l.* Comani.
30. pro provenerunt, *l.* pervenerunt.
pag.572.lin. 2. deleatur eorum.
4.pro Comes Nivemensis, *l.* & Comes Nivernensis.
10. pro Calridonensis, feudum, *l.* Cabilonensis, feodum.
ead.ser.pro Matisconensis, *l.* Masticonensis.
26.pro Joppam & Jerusalem, *l.* Joppensem & Ihrlinsem.
31.pro Antissiodorensis, *l.* Autisiodorensis.
pag.573.lin.1.pro Ingelrami, *l.* Ingelranni.
5.pro Semigallensem, *l.* Semigalliensis.
pag.574.lin.17.pro Vice-Comitis, *l.* Comitis.
26.pro Adolphus, *l.* Adulfus.
27.post Archi-Episcopi, *l.* & nepos ejusdem Archi-Episcopi.
28.pro Valerianni, *l.* Waleranni.
pag.575.lin.6.pro eum, *l.* ipsum.
8.pro de Valentia, *l.* Valentiæ.
9.post pacto, *l.* ut.
pag.575.lin.11. pro Novionensis Nicolaus, *l.* Noviomensis Nicholaus.
pag.576.lin.5.pro Badieres, *l.* Bedieres.
10. dicta *habet MS.*
15.post &, *l.* in.
25.pro XI, *l.* novem.
29.pro subvertetur, *l.* subjicietur.
pag.577.lin.1.pro perdet, *l.* per.
4.pro quam, *l.* quoniam.
5.pro indicio, *l.* judicio.
8. Comanos *habet MS.*
10.pro Novionensis, *l.* Noviomensis.
12.post Papæ, *l.* qui.
16.pro de, *l.* ad.
22.pro patruus, *l.* pater.
30.pro (Saphati) *l.* Saphat.
pag.578.lin.3. pro Vandoni montis, *l.* Wandani montis.
6.pro una cum, *l.* cum una.
22. pro ibi, *l.* sibi.
26.pro Vastachii, *l.* Wastachii.
31. post duxerat, *l.* dominus. *it. pro* Nargeldus (Nargoldus) Balivus, *l.* Nargoldus Balius.
32.pro Nargeldus, *l.* Nargoldus.
pag.579.lin.3.pro suspensi, *l.* appensi.

III.

ANDREAE PRESBYTERI, ITALI,

SCRIPTORIS SECVLI IX.

CHRONICON BREVE,

HACTENVS INEDITVM,

AB ANNO 568. SEV AB ADVENTV

LONGOBARDORVM IN ITALIAM

VSQVE AD MORTEM LVDOVICI II. IMP.

H. E. AD ANNVM 874. ET PAVLO VLTRA.

E MVSEO, ET CVM NOTIS

HERMANNI PHILOMVSI.

Narsis a Romanis accusatus.

NArsis patritius Romanorum bella sustinuit & eos semper defendit. invidia Romani contra eum pertulerunt ad Iustinianum a) Imperatorem & accusaverunt. quare & ipse Augustus & Sophia uxor eius mandarunt ei quia eunuchus erat ut ad se veniret & lanam in gineceo per pensionem dividere. Narsis vero patritius sic ei mandavit non tantum se lanam divisurum sed etiam talem telam orditurum, esse qualem ipsa dum viveret deponere non posset. Legatos itaque Narsis ad Langobardos misit & pomorum genera vel reliqua dignitatis transmittens ut animos eorum amabiles faceret quatenus in Italiam venirent & plene eam absque pugna perciperent. Langobardi mox ut audiunt gavisi sunt gaudio. Pannoniam vero amicis suis Auarorum genti b) commendaverunt. quam possessam habebant per annos XLIII ipsi cum uxoribus & natis & omnibus quæ habebant exierunt de Pannonia Mense Aprile Indictione prima altero die post Pascha Domini qui fuit XI. April. cum iam Domini incarnatione Anni Quingenti sexaginta Octo essent evoluti. Igitur Langobardi introierunt Italiam per Foroiulanorum terminum. *Alboin* nepoti suo *Gisolfo* Foroiuli concessit, c) cum reliquis nobilibus Langobardis. His di-

Langobardos in auxilium vocat.

Longobardorum adventus in Italiam.

a) Justiniano tribuitur quod Justino tribuendum foret.

b) Paulus Diaconus in *Libro I. de gestis Langobardorum*, Hunnis commendatam Pannoniam scribit. At Paulo Hunni & Auari aut Auares vnus idemque populus est. Equidem Auares primum Hunnos, postea a Regis proprio nomine Auares appellatos fuisse, ibidem scribit.

c) Scilicet regendum, primumque Ducem constituit concessitque nobilissimos de gente, qui cum ipso illic habitarent, notante Paulo Diacono *de gestis Langob. Lib. II.*

ebus Langobardi Italiam invaserunt Vincentiam Veronamque & reliquas Venetiarum civitates ceperunt & per tres annos Ticinum possederunt. Interim Alboin invasit omnia usque ad Tusciam praeter Romam & Ravennam. Ticinenses vero per tres annos se continentes, per obsides quos dederunt iam videntes sua fortia circa se subiugata Langobardis se tradiderunt. Pauca vero ex multis dicam. Rex Alboin postquam in Italia tres annos & sex menses regnavit insidiis suae coniugis d) interemptus est. Langobardi ex communi consilio *Clefonem* e) nobilissimum in urbe Ticinensium sibi Regem constituerunt. regnavit is anno uno mensibus sex. a puero qui ipsi erat ab obsequio gladio iugulatus est. Post eius mortem Langobardi per annos x. Regem non habuerunt sed sub potestate Ducum fuerunt. Post autem annos x. elegerunt *Autari Clefonis* filium. Autari vero duxit uxorem *Teudelindam* nomine filiam garibaldi Bajoariorum Regis sanctam & nobilissimam ipsa aedificavit Ecclesiam sancti Iohannis sitam in Moditia. Rex *Autari* apud Ticinum uenenum ut tradunt accepto moritur postquam sex regnaverat annos. Langobardi ex communi consilio suae Reginae *Teudelindae* licentiam tribuerunt qualem ipsa sibi sociare voluisset coniugio talem & ipsi constituturos Regem. quid multa? accepit *Agilulf* Ducem Taurinensium & regnavit annos xxv. & mortuus est. Et regnavit pro eo filius eius *Adalovald* annos x. de regno ejectus est. In eius regnum successit *Arioald* & regnavit annos xii. & mortuus est. Regnavit pro eo *Rothari* qui edictum Langobardorum composuit. reliqua ejus digna & fortia & bella quae gessit nonne scripta sunt in *Chronica Langobardorum* f) sicut & ea quae supra. Regnavit Rothari annos xvi. & mortuus est. *Rodoaldi* filio suo regnum reliquit. *Rodoald* vero cum uxorem cujusdam stuprasset ab eodem interfectus est postquam v. regnasset annis septemque diebus. Huic successit in regno *Aripert*. regnavit annis novem & mortuus est. Reliquit regnum duobus filiis suis *Pertarit* & *Gudiperti*. Horum inter ipsos fratres malihominis discordiam fecerunt in tantum ut alter alterius regnum invaderet. *Grimoald* Beneventanorum Dux ex mandato veniens *Gudiperto* gladio interemit expleto anno post mortem patris & sex mensibus, *Pertarit* fugam arripuit. *Grimoald* regnum accepit. Multa quidem ejus Historiola continet *Chronica* sed pauca in hac adbreuiatione conscribam. Hic in edicto Langobardorum novem composuit. Capitula. regnavit annos novem & mortuus est. Reliquit regnum *Garibaldi* filio suo. *Pertarit* vero, quem iam diximus fuga lapsus erat egressus de Gallia navem ascendit ad Britanniam Insulam ad regnum Saxonum transmeavit dum in pelago navigasset divinus nuncius de ripa clamans ei dixit: revertere *Pertarit* in terram tuam quia tertia die est hodie quod Grimoald defunctus est. quid plura? reversus est & gratanter a Langobardis susceptus & ad regna gubernacula constitutus est mense tertio post mortem *Grimoaldi*. Regnavit *Pertarit* annos decem & septem & mortuus est. *Cunipert* suo filio regnum reliquit. Multa quidem ejus historiola scripta invenimus. contra Alahis Tyrannum fatigatione sustentus est sed Cunipert triumphum victoriae reportavit cum exultatione regnavit post mortem patris annos xii. in campo Coronate ubi bellum contra Alahis gessit in honorem beati Georgii g) Martyris Monasterium construxit. Reliquit regnum *Luitpert* filio suo. surrexit contra eum Aripert & vivum comprehendit & non post multos dies in balneo vita privavit. Regnavit Aripert annos xii. in flumine Ticino ab aquis necatus est. *Ansprand* ejus regnum arripuit & regnavit mensibus tres. Reliquit regnum *Luitprand* filio suo. fuit autem *Luitprand* multae sapientiae clemens pudicus orator pervigil elemosinis largus. Legem quoque Langobardorum ampliavit & in edicto corpore conscribi jussit. Regnavit annis triginta & uno septemque mensibus & mortuus est. Haec autem superscripta suimmatio cui incredibilis apparet si relegat totam *Historiam Langobardorum* omnia sibi veraciter invenit in quantum hic scripta sunt & plura multa illic invenies de nobilitate illorum vel victoriis & de bellis quae gesserunt. Hanc autem adbreviationem ipsa scriptam in quantum potui excerpsi ego *Andreas* licet indignus *Presbyter* h) de *Historia Langobardorum* & eorum quae hic subter continentur historia mihime ad nostram pervenit notitiam sed in quantum per seriem litterarum seu per antiquos homines potui ve-

I. *Alboin.* II. *Clebo.* III. *Autari.* IV. *Agilulfus.* V. *Adalovald.* VI. *Arioald.* VII. *Rothari.* VIII. *Rodoald.* IX. *Aripertus.* X. & XI. *Pertarit & Gudipert.* XII. *Grimoald.* XIII. *Garibald.* XIV. *Pertarit.* XV. *Cunipertus.* XVI. *Luitpert.* XVII. *Aripert.* XVIII. *Ansprand.* XIX. *Luitprand.*

d) Rosimundae, Cunimundi Regis Gepidarum, in praelio ab Alboino victi & occisi, filiae, ut videre est in Pauli laudatae *Historiae Lib. I.* qui etiam causam illatae a coniuge mortis recenset fuse; ut & in Agnelli *Pontificali Ravennatensi* in vita Petri Senioris.

e) Idem nomen est *Claffo* aut *Claffo*, eiusque nominis laudatus Paulus scribit Regem fuisse Langobardorum, cum adhuc in Rugelanda commorarentur.

f) Pauli Diaconi Libros *de gestis Langobardorum* innuit, eorumque passim nomine *Chronicae* seu *Historiae Langobardorum* meminit. Vide quae inferius annotavi sub litera *b*)

g) Recte noster codex cum manuscripto Pauli de gestis Langob. Ambrosiano pervetusto, tametsi plerique codices Pauli habeant *Gregorii*.

h) Quae hucusque Andreas noster de rebus Langobardorum protulit, excerpsit e Pauli Diaconi Libris *de gestis Langobardorum*, servatis plerumque ipsis Pauli verbis, aut leviter saltem immutatis, uti patebit cuilibet utrumque conferenti. Quae vero subsequuntur, aut ex schedulis aut relatione aliorum collegit, quod nulla earum rerum vulgata esset Historia. Liber hic apponere Agnelli in vita S. Exuperantii locum huic ut ovum ovo similem: *Nunc praedictum Pontificalem a tempore B. Apollinaris post eius decessum pene annos DCCC. & amplius ego Agnellus qui & Andreas exiguus Sanctae meae huius Ravennatis Ecclesiae Presbyter rogatus & coactus a fratribus ipsius sedis composui & ubi inveni quid illi certius fecerunt vestris aspectibus allata sunt & quod per seniores & longaevos audivi vestris oculis non defraudavi. & ubi Historiam non inveni aut qualiter eorum vita fuisset nec per annosos & vetustos homines neque per aedificationem neque per quamlibet auctoritatem ne intervallum Sanctorum Pontificum fieret secundum ordinem quomodo unus post alium hanc sedem obtinuerunt vestris orationibus me deo adjuvante illorum vitam composui &c.*

raciter

raciter scire scribere delectatus sum. Defuncto itaque *Luitprand Ratchis* electus a Longobardis Rex est. regnavit annos v. & posuit in edicto capitula octo. hic *Aistolfi* germano suo regnum reliquit. eorum facta retinere non possumus sed quantum audivimus audaces uterque fuerunt & eum tempore Longobardi a nulla gente perterriti fuerunt. Regnavit annos octo & posuit in edicto Capitula XIII. & mortuus est. *Desiderii* regnum reliquit. qui cum regnasset annos tres suum filium *Adelchis* nomine ex consensu Longobardorum sub se Regem constituit. sub quorum tempore in aliquantum pax fuit. quandam etiam filiam suam Carolo nomine *Karolus* Pipini filius Francorum Rex conjugio sibi sociavit aliam vero filiam *Luipergam* nomine sociavit sibi *Taxilo* Bajoarorum Rex. & pacem firmissimam ex utraque parte firmaverunt sed minime conservaverunt. Causa autem discordiæ ista fuit. Habebat *Carolus* germanum majorem se *Karlemannum* sic ut erat furibundus & pessimum contra *Carolum* iratus surrexit & cum jurare fecit ut ipsam Berterad ultra non haberet conjugem. quid multa? Remisit eam Ticinum unde dudum eam duxerat. Mater vero eorum hanc separationem audiens Carlemanni filii sui cum parentibus inimicitias finivit. His temporibus i) Ecclesiam Romanam *Leo* Papa regebat & oppressiones a Langobardis multas patiebatur. quo ex sede propria exiens in Franciam repedavit cum multis sapientissimis litterarum maxime cantoribus. Francorum gens hæc audiens magno gavisi sunt gaudio. *Karolus* ipse cum suis obviam pedibus venerunt eumque optimum considere locum fecit civitatem quæ dicitur Metis. qui ibidem per annos tres residentes tantæ quidem dignitatis cantores ibi fecerunt ut per totam Franciam Italiamque multæ civitates ornamentum Ecclesiæ usque hodie consonant. Papa vero probata gente Francorum qui erant astuti & nobiles consilium eis dedit ut super Langobardos venirent & Italiam possiderent. Ipse vero ad suam sedem Romanæ Ecclesiæ remeavit. *Karolus* quidem non benignitatis suis oblitus est tantæ benignitatis quam ei Desiderius Rex tribuit congregato multo Francorum exercitu ex iussu Apostolici sacramenta irrita facta sunt. & in Italiam contra Langobardos veniens cum divino iudicio terror in Langobardos irruit absque gravi pugna Italiam invasit anno *Desiderii* octavo decimo & *Adelchis* xv. Indictione XII. cum iam CCV. anni essent evoluti postquam Langobardi Italiam ingressi sunt. *Desiderius* vero eodem tempore mortuus est. k) *Adelchis* eius filius navim præparans ultra mare egressus est. l) Tantaque tribulatio fuit in Italia. alii gladio interempti alii fame perculsi alii a bestiis occisi ut vix pauci remanerent in Vicis vel in Civitatibus. Forojulanis tunc temporis Dux *Rotcausus* m) præerat & in Vincentia *Gaidus* qui audita Francorum devastatione & eorum adventu quod in Forum Iuli properarent congregatis quos potuerant obviam eis ad pontem qui dicitur Liquentia n) exierunt & ibidem magnam stragem de Francis fecerunt. Karolus vero hæc audiens mandavit eos de fidelitatis fidem suscepturum & honoraturum si vellent. *Rotcausus* & *Gaidus* Duces cum Nobilibus Forojulanis consilium inierunt ut viriliter se contenderent. Erat quidam ex ipsis cui jam munera Caroli excæcaverat cor quod tale dedit consilium. Quid faciemus quomodo eis resistere possumus caput non habemus. Rex confortationis nostræ iam devictus est. eamus in eorum fidelitatem bene nobis erit. Quid dicam? ut optabat fecerunt. Attamen eorum *Carolus* servavit honorem. Igitur subjugata & ordinata Italia ad Romam perrexit ibidem palatium construxit. deinde terra pacificata & sacramento data Pipino suo filio regendam Italiam concessit. Ipse vero *Karolus* post aliquantum tempus in Franciam reversus est obsides quoque ducens secum quique in Italia maiores nati & nobiliores erant. sed post non multum tempus ab eodem *Carolo* meruerunt & honorati sunt ab ipso & ad suam reversi sunt patriam. *Pipinus* vero vivente patre defunctus est. reliquit filium *Bernardum* nomine cui Karolus Italiam concessit quæ cum esset penuria & fame occupata subito ut *Bernardus* regnum accepit dignitatem ubertatemque recepit & sic fuit dum ipse regnavit. Karolus cum sex annos in Francia & postquam Italiam ingressus est XLI. annos regnasset defunctus est in pace senectute ætate & plenus dierum atque per eum nomen Francorum longe lateque percrebuit sicut usque ad hodiernum diem. Reliquit sedem suam in Francia Hludovico filio suo. Iste incepit vocari Imperator ex Francorum gente. Conjux vero ejusdem Hludovici Hermengarda nomine inimicitias contra *Bernardum* Langobardorum Regem furore mandavit ei quasi pacis gratia ad se veniret. Ille ab ipsis nobilibus legatis sacramenta fidei suscepit & Franciam ivit. Hermengarda mox ut potuit sicut audivimus nesciente Imperatore oculos *Bernardi* evulsit. ipse ipso dolore defunctus est postquam quinque regnaverat annos duos sub *Carolo* tres sub

Hic tu

XX. *Ratchis.*

Desiderius moritur.

Adelchis fugit.

Reliqui se dedunt.

XXI. *Aistolfus.*

XXII. *Desiderius.*

XXIII. *Adelchis.*

Desiderii filiæ elocatæ.

Leo Papa evocat Carolum M.

Carolus M. Pipino Italiam tradit.

Quo mortuo succedit Bernardus.

Carolus M. invadit Italiam.

Ludovicus Pius.

Bernardus excæcatus.

i) Omnia hic miscet auctor: trium hominum res in unum congerit. Stephanus Papa cum ad Pipinum Regem Francorum Caroli Magni Patrem in Franciam pro iustitia S. Petri a Langobardis expetenda venisset, per suos Clericos perfectiorem Cantilenæ scientiam invexit indeque usus eius longe lateque invaluit. Is aliquandiu in Francia hæsit. Hadrianus Papa Carolum Magnum ad Regnum Italiæ invitavit, idque Carolus cum affectasset, Hadriano vivente, adeptus est. Leo vero Papa cum a Romanis suis caperetur, excæcaretur, dura quævis pateretur, evasit & ad Carolum confugit eiusque ope & auxilio in pristinam dignitatem rediit. At fateri oportet, ita hæc apud veteres auctores turbata esse, ut nonnisi maximo labore non dicam verum sed verosimile elicias.

k) Desiderium Regem a Carolo Magno captum, & in Franciam ductum, omnes auctores perhibent.

l) Constantinopolim profugisse, omnes testantur.

m) Alii *Rotgaudus.*

n) Pons Liquentiæ fluminis, quod a Forojulii quadraginta octo millibus distat & est in itinere Ticinum pergentibus, notante Paulo in *Lib. V. de R. G. L.*

Hludovico.

Ludovici Imp. elogium.

Hludovicus. Erat quidem *Hludovicus* Imperator multæ sapientiæ consilio prudens misericors & pacis amator, erat quippe sub eo tranquillitas magna ex omni parte diligebat lectores cantores & cunctos servientes Deo ministrantes Ecclesiæ. Habuit filios tres id est *Lotharium* & *Hludovicum* de *Ermengarda* & *Carolum* de *Iuditha* quam post mortem *Ermengardæ* in conjugium suscepit. Quidem prædictus Imperator *Hludovicus* suum filium *Lotharium* sub se in sedem Imperialem constituit vivente se patre. Habuit *Lotharius* filium *Hludovicum* nomine cui avus suus *Hludovicus* Italiam concessit, *Hludovico* filio suo Baioariam *Carolo* Aquitaniam. Honor autem major id est Imperialis crescebat cottidie *Lotharii* cui inimici homines consilium dederunt quatenus *Judithan* novercam suam genitori suo tollerent & in Italiam abducerent sicut fecerunt in Civitate Dartonensi & in custodiam miserunt: quis potest dicere furorem quo pater eius vehementer iratus egit: sed omnia fortia *Lotharius* habebat. Igitur non post multos dies dum se recognovisset *Lotharius* quod malum egisset consilium novercam suam remisit genitori suo & ira inflammatus contra illos qui ei tam pravum consilium dederunt alios occidit alios in exilium misit. Tunc temporis Ecclesiam Mediolanensem Angelbertus Archiepiscopus regebat. Volebat Imperator o) dicere quod ille in ipso consilio fuisset & misit ad eum nobiles qui eum in gratiam inmiserunt. Sed dum ante Imperatorem ducerent ille tantum caput inclinavit & verba salutatoria dixit ad pedes noluit venire propter reverentiam & honorem ecclesiarum. tunc Imperator dixit: sic te quasi sanctus Ambrosius sis. Archiepiscopus respondit nec ego sanctus Ambrosius, nec tu Dominus Deus. Imperator vero subjunxit ei ite ad genitorem meum cujus odium me fecistis habere reducite me ad pristinam gratiam. Ille autem hæc audiens perrexit in Franciam. Hludovicus Imperator honorifice eum suscepit. dum ad mensam uterque reficiendi causa exurgerent Imperator dixit: bone Archiepiscope quid debet facere homo de inimico suo. Ille respondit Dominus dixit in Evangelio diligite inimicos vestros & benefacite his qui vos oderunt. Imperator dixit & si hæc non fecero Archiepiscopus respondit si non feceris non habebis vitam æternam si in ipso odio mortuus fueris. Imperator vero iratus dixit si me vindicabo de adversario meo non habebo vitam æternam & statim subjunxit vide *Angelberte* quomodo hæc verba defendas & constituta est defensio in mane. mane autem facto collegit Imperator sapientes prout subito poterant conflictum habentes de his verbis contra Archiepiscopum. Archiepiscopus in eorum præsentia dixit scitis quod sinus omnes fratres in Christo illi autem respondentes dixerunt scimus quia unum patrem vocamus in cælis. Ille autem dixit ergo si scitis quod fratres simus sive liber & servus sive pater & filius. Apostolus Johannes dixit qui odit fratrem suum homicida est & omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Si ergo odiosus homicida reputabitur quomodo vitam æternam possessurus erit. Illi autem convicti ad hæc verba consenserunt. Imperator vero manum in terram ponens veniam petivit & gratiam filio suo reddidit. Imperavit ipse tam solus quam simul cum filio annos xxx. Indictione Tertia p) sic fuit sol obscuratus in hoc mundo & stellæ in celo apparebant, iii. Nonas Majas hora nona in Letania Domini quasi media hora. facta est tribulatio magna cumque hoc populus intenderet multi existimabant quod amplius hoc seculum non staret. sed dum hanc angustiam contemplarentur resultit sol & quasi tremidus umbraculam fugere cepit. ipsa nocte sequente prope matutinum tempus facta est lux quasi in die. Hæ signa in celo apparentibus Doctores in suis monitionibus dixerunt: estote fratres parati quia adimplētum est quod in Evangelio Dominus dixit cum hæc signa videritis scitote quia prope est dies Domini magnus & manifestus. sequenti autem mense Junio Hludovicus Imperator defunctus est suosque dies finivit in pace. Post ejus mortem discordia inter ipsos tres germanos orta est. q) Surrexit *Hludovicus* & *Carolus* ex una parte *Lotharius* ex altera. Cumque nulla pars cederet pungentes se ubi nuncupatur Fontanense r) acies hinc & inde ex utraque parte constructa & facta est strages magna maxime nobilium Aquitanorum. tantique ibi viri fortes per contentiones & improvidentiam debellati sunt quanti potuissent per bonam concordiam & salubre consilium multa milia sternere paganorum unde sic dissipata est nobilitas Aquitanorum quietiam Normanni eorum possidant terras nec est qui eorum furiis resistat. Imperavit *Lotharius* post mortem patris sui tam solus quam simul cum *Hludovico* filio suo annos xv. & mortuus est. Reliqui tres filios id est jam dictum *Hludovicum* qui sub eo imperavit in Italia annos vi. Lotharium in Francia *Karolum* in Provintia. sed Carolus non post multos dies defunctus est. *Lotharius* ex sede propria exiens in Italiam veniens pacis gratia videndum germanum suum ubi cum ipso locutus est in finibus Beneventanis in pago Venusiano dum iret & reverteretur multa devastant pauperum domos blasphemiam multam incurrit. Revertens autem in itinere ægrotare cepit subito in Civitate Placentina defunctus est & ibi corpus ejus conditum, ejusque hominibus multis simili modo contigit. Pauca quidem sane cum per gesta filiorum Regum componam animus meus ad reliqua facta percurrit. Multam fatigationem Langobardi & oppressionem a sclavorum gente sustinuerunt usque dum Imperator forojulanorum *Eberhardus*

Judithæ uxor Ludovici Pii a Lothario capta.

& liberata.

Angelberti factus.

Ludov. Pius filium in gratiam recipit.

Ludov. Pii obitus.

Prælium inter ejus filios.

Lotharii obitus & filii.

Autoris brevitas.

Ludovici II. Imp. gesta.

o) Lotharius.

p) Id etiam referunt Annalista Bertinianus & Andreas Presbyter in Pontificali Ravennatensis Ecclesiæ in Vita Georgii.

q) Hoc bellum satis fuse describit Agnellus sive Andreas Presbyter in Pontificali E. R. in Vita Georgii.

r) Dictus Agnellus vocat hunc locum *Fontanetum*, Annalista vero Bertinianus *Fontanidum* alii altier.

Prin-

Principem constituit eo defuncto *Vmrob* filius ejus principatum suscepit. De Burgundia vero surrexit quidam dictus *Hupert* nomine qui aliquanto tempore Domino Imperatori *Hludovico* se fidelissimum esse dicebat postmodum Burgundionibus adjunctus rebellare disponebat oblitus tantorum beneficiorum quæ ei Imperator tribuit & sacramenta quæ dederat irrita fecit. Dominus *Hludovicus* hæc audiens *Cunrath* cum reliquis fidelibus suis direxit & eundem *Hupert* in campo comprehendit & occidit. & multi quoque ejus partis interempti sunt. Igitur antequam hæc rebellatio facta fuisset tanta quidem nix in Italia cecidit ut per centum dies in planis locis maneret & fuit gelu gravissimum multa semina, mortua fuerunt vites pene omnes in planis locis exsiccate sunt & vinum intra vascula glaciavit ut etiam per foramen spinarum nihil exiret donec rumperetur ipsa glacies cum fuste ab ante ipsa spina, hoc fuit tempus Domini *Hludovici* Imperatoris anno x. Indictione octava. His itaque sub brevitate relatis transcursis adventum primi ordinis sicut cepimus exsequamur. At vero Dominus *Hludovicus* Augustus multam quidem oppressionem a Sarracenorum gente in finibus Beneventanis sustinuit & ex semper hostibus s) *Anelmassser* eorum Principem cum multis Sarracinis ibi consistentibus occidit. Reliqui in Castro qui dicitur Bari se fortiter munierunt ubi Dominus Imperator per v. annos terras cum Francis & Langobardis & ceteris nationibus suis fidelibus possedit simul etiam cum sua conjuge *Angelberga* nomine & multis similiter. Circa hæc tempora Bulgarorum gens divina aspiratione accensa est quatenus Christiani fierent & Christum Dominum colerent cui tantus amor caritatis in eorum Regem pervenit ut per se ipse ad Ecclesiam Beati Petri Romam veniret & ibi dona obtulit & a Domino Papa *Nicholao* catholica fide munitus, divinitatis scientia instructus baptizatus & fide sancta confirmatus recepit doctores ab eodem Domino Apostolico & in suam reversus est patriam. Igitur dum Dominus *Hludovicus* cum suis Bari custodiret nuncii venerunt de finibus Calabriæ dicentes Domine Imperator vestri esse volumus & per vestram defensionem salvi fore confidimus. gens sarracenorum venit terram nostram dissipavit civitates desolavit Ecclesias suffudit tantum avobis petimus ut des nobis caput consortionis quod nos adjuvet & confortet sacramenta vobis damus, tributa solvimus. Tunc Dominus Imperator misericordia motus non gaudens cupiditate eorum promissionum sed de illorum dolens malitia elegit strenuos & nobilissimos viros *Ottonem* de finibus Bergomensibus *Oschis* & *Gariardo* Episcopos & confortavit eos Dominus Imperator & dixit ite in pace fideles Christi angelus Domini bonus comitetur vos ut & ego videam vos & labores quos vobis imponam merear. Tunc simul cum ipsis missis perrexerunt & unde egerunt firmitatis sacramenta receperunt & adunarunt secum magis ac magis fideles populos. Cumque venerunt in quendam vallem ubi ipsi Sarraceni erant fidentes absque ullo timore annonam metentes simul cum captivis quos habebant tunc christiani irruentes super illos & Sarracenos quantos ibi invenerunt occiderunt & captivos liberaverunt. Ut hæc audivit eorum Princeps *Cincimo* nomine de Civitate Amantea obviam eis exiit præparatus viriliter quod cum Franci comperti esset jungentes se hinc ex una parte & illi ex altera facta est strages magna, Sarracenorum qui fugam petierunt. Christiani vero post eos secuti interficientes usque ad portam civitatis. Oto vero & prædicti Episcopi & eorum secutores triumphatores reversi sunt ad Dominum Imperatorem. Imperator vero magnum gavisus est gaudium & honorem dignitatis eis tribuit. *Cincimo* vero de suis & patria sua adjutorium colligens multitudinem Sarracenorum qui iter facientes usque Bari cum ipso iverunt per multa dispendia, adjutorium Soldani. Erat eis nunciatum quod Christiani celebrarent magnum diem festum sicut erat hoc est nativitas Domini nostri Jesu Christi dicentes Deum suum colunt die illa neque pugnaturi neque arma levaturi sunt. eamus super illos comprehendamus eos omnes in simplicitate sua. Hoc consilium Domino Imperatori nunciatum est tunc moniti ut gallotinnio matutino & summo diluculo Episcopi & sacerdotes missarum sollemnia celebrarent & populus communionem vel benedictionem acciperet sicuti & fecerunt. Et exierunt quærentes Sarracenos & illis quærentibus Franci juncti sunt in loco ——— Et factus est sonitus magnus clangore buccinæ tinnitu equorum strepitu populorum. Cumque prope se conjungerent fideles Christi oraverunt dicentes Domine Jesu Christe tu dixisti qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum in me manet & ego in eo ergo si tu nobiscum quis contra nos. statim commissum est prælium. Cumque forti intencione pugnarent arma cœlestis confortavit Christianorum pagani vero terga vertentes fugere cœperunt. Christiani autem post eos cædentes non cessabant donec multitudinem paganorum interficerent Soldanus hæc audiens metu magno tristari cœpit. Sequenti mense Februario quinto expleto anno quod Bari possessam habebat Dominus Imperator comprehendit Soldanum & reliquos Sarracenos ibi consistentes interemit anno xxi Indictione iv. Sarraceni vero in sua terra hæc audientes elegerunt fortissimos viros sicut audivimus viginti milia hominum dicentes grandis ignominia de occisis nostris consonat eamus illuc cumque navigium præpararent ascenderunt & navigaverunt & exierunt in fines Beneventanos tunc dixerunt per suæ audatiæ elationem quid nos fiducis habere debemus in navibus nostris dissipemus eas quia Franci adversum nos nihil possunt & sic prævaluerint adversum nos sine ullo metu in regnum nostrum

Bulgari converti.

Saraceni sæpe victi.

s) De bello a Ludovico Imp. cum Saracenis gesto fuse agit Anonymus Salernitanus in Chronici sui Cap. LXXXVII. & seqq. Verum nihil ferme eorum ibi, quæ noster hic.

strum pergere possunt & dictis factis Francos querere ceperunt. Nunciatum id est Domino Imperatori qui statim misit principes suos *Wirocb Agefrid & Boso* cum electa manu Francorum & Langobardorum vel cæterorum nationum jungentes se in loco ad sanctum Martinum ad Stradam scilicet prope Capuam ad Vulturnum aciem hinc & inde constituta utraque parte forti intencione pugnante. Dei adjuvante misericordia Sarraceni devicti & debellati sunt multitudine innumerabiles quia quod gladius non interemit in fluvio Vulturno necati sunt. Sic Dei judicio complacuit qui venerant exaltati facti sunt humiliati. Hac victoria patrata Dominus Imperator in Beneventi Palatio sedebat. tunc *Adelchis* principatum Beneventanorum regebat cui Imperator se & omnia credebat quique dilectione caritatis se diligebat. Antiquus hostis qui semper contra dilectionem inimicitiam quærit exsurrexit per malos homines inter se occulte dicentes quid gravati sumus sub potestate Francorum. t) taliter Beneventani per fraudem uno consilio egerunt ut redderent malum pro bono quatenus ubicumque fidelissimos Imperatores invenissent ibi custodirent & ad Imperatorem non dimitterent redire. Erant enim Franci separati per castella vel civitates fidentes absque ullo terrore credentes fide Beneventanorum. fuit autem iste contrarius discessionis dies xxv. id. Augusti usque ad quintodecimum Kal. Octobres Ind. xv. Sed Deus qui Dominum Imperatorem ad regni gubernacula Imperialis ordinaverat cum ipso erat sicut legitur cor Regis in manu Dei est. & taliter fideles suos ad se venire fecit. Cœlestis timor autem super Beneventanos irruit, vix quo integrum illis fuit ut pacifice potuissent eos dimittere qui lætabundi ad Dominum Imperatorem reversi sunt. Eodem anno evoluto multa signa monstrata sunt. vinum poliquam vindemiatum & intra vascula missum statim turbulentum fuit. in ipsa Pascha Domini per arbores vel folia & reliqua loca parebat quasi terra pluvisset. Sequente autem IV. Non. Maji pruina cecidit: multæ vites in planis locis seu in vallibus palmites cum uvis siccatæ sunt. similiter & silvæ tenerrimæ cum suis foliis aridæ factæ sunt. Sequente autem mense Augusto multæ locustæ advenerunt de Vicentinis partibus in finibus Brefcianis deinde in Cremonensibus finibus inde perrexerunt in Laudenses partes sive etiam in Mediolanenses erant enim pergentes sicut Salomon dixit locustæ regem non habent sed per turmas ascendunt devastaverunt enim multa grana minuta mili vel panici. Completus annus centesimus ex quo Francorum gens Italiam ingressa est anno Dominicæ Hludovici Imperatoris XXIII. & mens. IV. Ind. VI. finita. Ingrediente VII. Ind. hoc est anno incarnationis Domini nostri Jesu A. 873. Christi Octingentesimo LXXIII. transacto. Imperator vero venit de finibus Beneventanis post multam victoriam super Sarracenos factam. Igitur post annum hoc est Indictione octava stella cometis in cœlo comparuit similitudine radiæ longæ caudæ per totum mensem Junium mane & vespere. Deinde in mense Julio Sarraceni venerunt & civitatem u) cum multo igne cremaverunt. sequenti autem mense augusto *Hludovicus* Imperator defunctus est pridie Idus Augusti in finibus Brefcianis. *Antonius* vero Brefcianæ Episcopus tulit corpus ejus & posuit eum in sepulchro in Ecclesia Sanctæ Mariæ ubi corpus Sancti Filastrii requiescit. *Anspertus* Mediolanensis Archiepiscopus mandavit ei per Archidiaconum suum ut reddat corpus illud ille autem noluit. tunc mandavit *Garibaldi* Bergomensi Episcopo & *Benedicti* Cremonensi Episcopo ut cum suis sacerdotibus & cuncto clero sicut ipse Archiepiscopus faciebat. Episcopi vero ita fecerunt & illuc perrexerunt trahentes eum a terra & mirifice condientes die quinto post translitum in pheretrum posuerunt cum omni honore hymnis Deo psallentes in Mediolanum perduxerunt. *veritatem in Christo loquor ibi fui & partem aliquam portavi & cum portantibus ambulavi a flumine qui dicitur Olco usque ad flumen Adua.* Adductus igitur in civitatem cum magno honore & lacrimabili fletu in Ecclesia beati Ambrosii confessoris sepelierunt die septimana ejus. Imperavit annos XXXII. Post ejus obitum magna tribulatio in Italia advenit. colligentes se majores nati in civitate Ticino simul cum *Angelberga* sua Regina mense Septembri Indictione nona pravum egerunt consilium quatenus ad duos mandarent regnum, w) id est *Karolo* in Francia & *Hludowico* in Bajoaria sicut & fecerunt. Tunc *Karolus* veni nescienti quicquam de *Hludowico*. *Hludovicus* nesciebat quod *Karolus* venisset & misit filium suum *Karolum* nomine quem propter distantiam homines ceperunt *Karoletum* nominare. *Karolus* Rex venit Papiam. *Karoletus* in fines Mediolanenses cum de patruo suo comperisset quod esset in Papia ceperunt homines qui se *Carlileto* adjunxerunt multa mala facere hoc est *Beringherium* cum reliqua multitudine statim venerunt in fines Bergomenses residentes in Monasterio Fara per hebdomadam unam domus devastantes adulteria vel incendia facientes. tunc multi Bergomenses relinquentes domos suas plenas vino & annona tantum cum uxoribus & parentibus in civitatem vel in montes perrexerunt. *Karolus* Rex hæc audiens statim præ ipsis malefactoribus cum multitudine populorum perrexit in Bajoariam. tunc *Karlomannus* germanus ejus obviam veniens *Karolo* Regi ad fluvium qui dicitur Brenta & pacificis verbis se invicem salutaverunt & pactum usque in mensem Majum firmaverunt. *Carlomannus* ivit in Bajoariam. *Karolus* Rex perrexit Romam & Ecclesiæ beati Petri dona obtulit ab

Beneventanorum Conspiratio contra Imp.

Mediolani sepultura.

Successores Caroli & Ludovicus.

Carolomannus pacificatur cum Carolo.

t) Fusius hanc rem narrant laudatus Anonymus Salernitanus in Chronico suo & Annalista Bertinianus.

u) *Civitatem*) nempe *Beneventanam.*

w) *Quia semper Italienses* (judicium est Luitprandi Ticinensis in *Historiarum Lib. I.*) *gemmis uti dominis volunt, quatenus alterum alterius terrore coerceant.*

Aposto-

Apostolico Johanne unctus & honore Imperii coronatus in Papiam reversus est mense Januario supra scripta Indictione nona. Cumque idem *Karolus* Imperator de Roma reversus in Papia sederet audivit quod *Karlomannus* Hludovici filius contra eum veniret cumque exercitum suum adunare vellet & cum eo bellum gerere quidam de suis in quorum fidelitatem maxime confidebat ab eo defecti cum *Carlomanno* se conjungebant quod ille videns fugam iniit & in galliam repedavit statimque in ipso itinere mortuus est. *Carlomannus* vero regnum Italiæ disponens post non multum tempus ad patrem in Bajoariam reversus est Inter hæc[x]

IV.
ANNALES FRANCORVM VETVSTI,
QVIBVS QVAEDAM A
CAROLO M. & LVDOVICO PIO,
AB A. 801. AD A. 822. GESTA TRADVNTVR,
HACTENVS INEDITI;
E MEMBRANA
BIBLIOTHECAE MENCKENIANAE.

Karolus magnus imperator consecratus est anno regni sui XXXIII. *sicque imperauit annis* XIV.

A. 801. ANno dominicæ incarnacionis DCCCI. ab urbe vero condita. M. DLV. *Karolus* magnus rex *Francorum Pippini* regis filius, LXXIII. loco ab *Augusto*, Romanorum imperator consecratus est, anno regni sui XXXIII. sicque imperauit annis XIV. Cum enim pro calumpnia *Leoni* Papæ ingesta *Romam* veniret, & natiuitatem domini ibi celebraret, in ipsa die sanctissima ad missarum sollempnia veniens, dum ante confessionem beati Petri apostoli ab oracione surgeret, nichil minus speranti, *Leo* papa coronam imposuit & imperatorem Romanum pronunciauit, & a cuncto Romano populo acclamatum est: *Karolo Augusto a Deo coronato magno & pacifico imperatori Romanorum vita & victoria!* Post quas laudes unctus ab apostolico & antiqvorum more Principum ab eo adoratus. ablato Patricii nomine imperator & augustus appellatus est. Conquirente rege aduersarii papæ secundum legem Romanam decollationi addicti sunt. Post paucos dies habita quæstione de aduersariis papæ secundum legem Romanam ut majestatis * regi decollacioni adjudicati sunt. Pro quibus tamen papa pio affectu intercessit; nam & vita & membrorum integritas eis concessa est; cæterum pro facinoris magnitudine exilio deportati sunt. Quidam autem dicunt, quod de majoribus eorum uno die in Lateranensi campo CCC. decollati sunt. Innocenciam vero beati *Leonis* papæ dominus ita approbauit, ut clariores ei postea oculos donauerit, si quidem signum uirtutis illius pulcherrima cicatrix in modum tenuissimi fili turturinas acies niueo candore decorauit. Ordinatis deinde Romanæ urbis & apostolici totiusque *Vtaliæ* non tantum publicis sed eciam ecclesiasticis & priuatis rebus imperator, VIII. Kl. maji *Romam* egressus est. Hic est annus regni ejus XXXIII. imperii vero primus.

Carolus M. Imperator salutatus Romæ.

Carolus in adversarios Papæ animadvertit.

*Lege: rei.

802. Anno Domini DCCCII. *Hyrene* imperatrix de *Constantinopoli* misit legatum suum nomine *Leonem* ad imperatorem *Karolum* de pace firmanda inter *Græcos* & *Francos*, & imperator vicissim misit *Jesse* episcopum Ambianensem & *Elingaudum* comitem *Constantinopolim* pro ea re vel causa, & ut postularent *Hyrenen* imperatricem, ut ei jungeretur in conjugio. Quæ in hoc consensisset, si non ejus patricius inhibuisset præualens & imperium in fratrem suum *Nicephorum* transferre satagens. Nam cum adhuc in urbe essent legati *Karoli*, *Nicephorus* imperium invasit, & *Hyrenen* in monasterium, quod ipsa construxit in insula quadam, relegauit.

Caroli & Irenes mutuæ legationes.

803. Anno Domini DCCCIII. Imperatoris *Karoli* legati de *Constantinopoli* reuersi sunt & cum eis uenerunt apocrisarii *Nycephori* qui tunc rempublicam apud eos regebat, *Mychael* episcopus & *Petrus* abbas & *Calixtus* candidatus, qui inuenerunt imperatorem in *Germania* super fluvium *Sala* in loco, qui dicitur *Salz*, & pactum faciendæ pacis in scripto susceperunt;

Legatio Nicephori ad Carolum.

x) Hic desiit Auctor noster forte morte præventus, cum ulterius Chronicon suum continuare jam cepisset. In codice authentico nihil profecto (verba sunt Amici mei) erasum est vel abscissum mutilatumve. Mirum videbitur, ab ipso Auctore aut plura non fuisse scripta aut alio libro relata; enimvero cum hæc acta sint ipsius Auctoris ætate, scriptionis filum aut alia negotia, aut quod eorum quæ literis mandanda sumpsit, eventus adhuc esset dubius, aut casus aliquis abrupisse videtur.

indeque cum epistola imperatoris *Romam* regressi domum sunt reuersi.

804. *Saxones transferuntur.* Anno Domini DCCCIV. Imperator *Aquisgrani* hyemauit, æstate autem ducto exercitu in *Saxoniam*, omnes, qui trans *Albiam* habitabant, *Saxones* cum mulieribus & infantibus transtulit in *Franciam* & pagos transalbianos *Abodritis* dedit.

Danorum in Germaniam aduentus. Eo tempore *Godefridus* rex *Danorum* uenit cum classe & omni equitatu suo ad locum, qui dicitur *Sliesdorp* in confinio regni sui & *Saxoniæ*, promisit enim se ad colloquium imperatoris uenturum, sed consilio suorum territus, propius non accessit, sed quidquid volebat, per legatos mandauit; nam imperator super *Albim* fluuium sedebat in loco *Holdunsteti* dicto.

Leo Pont. Imperatorem in Gallia conuenit. Eadem quoque æstate perlatum est ad imperatorem, sanguinem Domini in *Mantua* fuisse repertum, misitque ad Papam, ut hujus famæ ueritatem perquireret. Qui nacta occasione exeundi primo in *Longobardiam* quasi pro inquisicione prædicta profectus est, indeque subito arrepto itinere ad imperatorem mandauit ei medio Nouembris se uelle cum eo natiuitatem Domini celebrare. Qui statim misso filio suo *Karolo* ad sanctum *Mauricium* honori eum suscipere jussit, ipseque obuiam ei *Remis* pergens apud *Carisiacum* villam natiuitatem Domini celebrauit; deinde *Aquas* perduxit donatumque magnis muneribus per *Bajoariam* ire uolentem deduci fecit vsque *Ravennam*.

805. *Lechoo Bohemus occiditur.* Anno Domini DCCCV. Imperator misit filium suum *Karolum* cum exercitu in *Boemiam*, qui depopulatis omnibus, Ducem terræ illius nomine *Lechonem* occidit; indeque regressus ad patrem, in *Vosego* silua uenatui studentem inuenit.

806. *Carolus dividit provincias.* Anno Dni DCCCVI. Imperator habito conuentu iniit consilium cum primoribus *Francorum* de pace instituenda atque seruanda & de diuisione regni facienda inter filios suos in tres partes, ut sciret unusquisque, qvam partem tueri & regere deberet & si sibi superstes deueniret. De hac particione testamentum est factum & jurejurando ab optimatibus confirmatum.

807. *Dona Regis Persarum.* Anno Domini DCCCVII. Legati regis *Persarum* uenerunt ad imperatorem deferentes ei munera, papilionem & tria tentoria uario colore facta miræ magnitudinis & pulchritudinis omnia byssina tam tentoria qvam funes eorum; præterea pallia serica multa preciosa atqve ungenta & balsamum nec non & horologium ex auricalco arte mechanica mirifice compositum, in quo duodecim horarum cursus ad clepsidram uertebantur cum totidem æreis pillulis quæ ad complecionem horarum decidebant, & casu suo subjectum sibi cymbalum tinnire faciebant, abditis in eodem ejusdem numeri equitibus, post per xii. fenestras, completis horis, exhibant & impulsu egressionis suæ totidem fenestras, quæ prius apertæ erant, claudebantur. Alia quoque multa erant in ipso horologio, quæ enumerare longum est.

808. *Expeditio contra Godefridum Danorum Ducem.* Anno Domini DCCCVIII. Imperator audiens *Godefridum* regem *Danorum* in *Abodritos* cum exercitu trajecisse, *Karolum* filium suum cum manu ualida *Francorum* & *Saxonum* misit contra eum, si forte terminos *Saxoniæ* aggredi temptaret. Ille autem expugnatis aliquot *Sclauorum* castellis, cum magno copiarum suarum detrimento reuersus. Nam manu promptissimos amisit, inter quos & filium fratris sui nomine *Reginoldum*.

809. *Ludouici in Italia gesta irrita.* Anno Domini DCCCIX. *Ludewicus* rex filius imperatoris cum exercitu *Hyspaniam* ingressus *Dertosam* ciuitatem obsedit, sed non ualens eam capere dimissa obsidione in *Aquitaniam* se recepit.

810. *Veneti vincuntur.* Anno Domini DCCCX. *Pypinus* rex *Italiæ* filius imperatoris perfidia ducum Venetico-rum incitatus *Venetiam* bello terra marique jussit appetere, subjectaque *Venecia* duces eorum in dedicionem accepit.

Godefridus vastat Frisiam. Imperator adhuc *Aquisgrani* agens & contra *Godefridum* regem expedicionem meditans, nuncium accepit classem ducentarum nauium de *Normannia Fresiam* appulisse totasque Fresaico littori adjacentes insulas uastasse jamque exercitum illum in continenti terra. Qui congregatis quanta potuit celeritate copiis e regione contendit, positisque juxta *Wisaram* castris, minarum *Godefridi* præstolatur euentum. Nam rex ille superbus uanissima spe uictoriæ inflatus, cum imperatore se congredi uelle jactabat. Sed dum imperator statiua castra haberet, diuersarum rerum nuncii ad eum venerunt, classem scilicet prædictam fuisse regressam, *Godefridum* regem a quodam satellite suo, siue ut quidam dicunt, a filio, cujus matrem nuper alia conjuge ducta dimiserat, interfectum; *Hochburi* a) castellum *Albiæ* flumini appositum, in quo *Vdo* legatus imperatoris & *Orientalium Saxonum* erat præsidium, a *Wilcis* captum & *Pippinum* filium ejus regem *Italiæ* VIII. Idus Julii defunctum. Quibus auditis disposita pro temporis condicione *Saxonia*, domum reuertitur. Eodem anno sol & luna bis defecerunt, sol VII. Idus Junii & II. Kal. Decembr. luna XI. Kal. Julii & XVIII. Kal. Janu.

Pipinus Rex Italiæ mortuus. *Ruothdrut* filia imperatoris major natu VIII. Idus Junii obiit.

Godefrido rege *Danorum* mortuo *Hemmigis* fratris sui filius in regnum successit & pacem cum imperatore fecit.

811. *Caroli M. gesta Hamburgi, in Pannonia & Britannia.* Anno Domini DCCCXI. Imperator pace cum *Hemmigo* firmata & placito generali *Aquis* habito, in tres partes regni sui totidem exercitus misit, unum trans *Albiam* in *Limones*, qui & ipsos vastauit, & castellum *Hochburi* superiori anno a *Wilcis* destructum restauruit; alterum in *Pannonias* ad controuersias *Hunorum* & *Sclauorum* finiendas; tercium in *Brittones* ad eorum perfidiam puniendam. Qui omnes prospere egerunt.

a) h. e. *Hamburgi*, ut plerique censent.

Carolus filius Caroli M. mortuus.

Karolus filius imperatoris major natu obiit II. Non. Decembr.

812. *Pax cum Oriente firmita.*

Anno Domini DCCCXII. *Nycephorus* imperator Constantinopolitanus pugnans contra *Bulgares* occiditur & *Michael* gener ejus imperio potitur. Qui legatos *Karoli* imperatoris ad *Nycephorum* missos suscepit & absoluit, cum quibus & legatos suos direxit, per quos pacem a *Nicephoro* cœptam firmauit.

813. *Carolus M. Ludov. filium Imperii consortem fecit.*

Anno Domini DCCCXIII. Imperator habito generali conuentu *Aquisgrani* filium suum *Ludewicum* regem *Aquitaniæ* ad se uocauit eique coronam imponens imperialis nominis sibi consortem fecit. *Bernhardum* vero nepotem suum filium *Pippini* filii sui *Ytaliæ* præfecit & regem appellari jussit. *Concilia.* Concilia quoque jussu ejus super statu ecclesiarum corrigendo per totam *Galliam* ab episcopis celebrata sunt. Quorum unum *Mogonciæ*, alterum *Remis*, tercium *Remis*, quartum Cabillone.

Michael Imp. Oradiadem deponit.

Michael imperator *Bulgares* bello appetens, haut prosperis successibus utitur, ac proinde domum reuersus depositio dyademate monachus efficitur, in cujus locum *Leo* filius *Bardæ* patricii constituitur.

Pons Rheni igne absumitur.

Pons *Reni* apud *Mogontiacum*, quem imperator per X. annos ingenti labore & opere mirabili de ligno ita construxit, ut perhenniter posse durare uideretur, in mense Majo ita tribus horis fortuito incendio conflagrauit, ut præter hoc, quod aqua tegebatur, ne una quidem hastula ex eo remaneret.

814. *Caroli M. mors.*

Anno Domini DCCCXIV. *Karolus* imperator dum *Aquisgrani* hyemaret, febre & pleurisi tactus, V. Kal. Febr. rebus excessit humanis, anno ætatis circiter LXXI. regni autem XLVII. subactæ vero *Ytaliæ* XLIII. ex quo uero imperator & augustus appellatus est anno XIV. & sepultus est in basilica sanctæ dei genitricis, quam ipse *Aquisgrani* ædificauerat. *Ludovicus fil. succedit.* Cujus rei nuntium cum *Ludewicus* filius ejus in *Aquitania* accepisset, XXX. postquam id acciderat die *Aquisgrani* venit, summoque omnium *Francorum* consensu, ac fauore patri successit, & ad suscepti regni administracionem cura conuersa, primo legationes, quæ ad patrem venerant, auditas absoluit, inter quas præcipua fuit *Leonis* imperatoris, qui *Michaeli* successit. Habito autem *Aquisgrani* generali conuentu, ad justicias faciendas legatos in omnes partes regni misit, duos ex filiis suis *Lotharium Bajoariæ*, *Pippinum* præfecit *Aquitaniæ*.

815. *Bernhardus Rex Ital.*

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXV. *Ludewicus Karoli* magni filius, LXXIV. loco ab *Augusto* regnauit, regnumque XXVI. annis obtinuit. Huic anno primo regni sui allatum est, quosdam de primoribus Romanorum ad interficiendum *Leonem* papam conspirasse, hoc quoque indicio ad pontificem delato, omnis illius factionis auctores jussu illius trucidatos fuisse. Quod cum moleste ferret, *Bernhardum* nepotem suum regem *Ytaliæ* ad se uocauit, eumque ad inuestigandum, quod dictum est, misit. Qui cum *Romam* uenisset, ægritudine decubuit. De rebus, propter quas uenerat, per *Heroldum* comitem, qui ad hoc ei legatus fuerat datus, regi *Ludewico* demandauit, quicquid compererat. Quem legati pontificis subsecuti, de hiis quæ Domino suo objiciebantur, regi *Ludewico* per omnia satisfecerunt.

816. *Ludovicus a Pontif. coronatus.*

Anno Dn. DCCCXVI. dominus *Leo* papa anno pontificatus sui XXI. de corpore migrauit, VIII. Kal. Jun. *Stephanus* quoque dyaconus in locum ejus papa ei ordinatus est, qui sedit mensesVII. Hic ergo post consecrationem suam nondum duobus mensibus exactis, quam maximis potuit itineribus ad imperatorem uenire contendit, missis interim duobus legatis, qui pro sua consecratione imperatori suggererent. Quod ille audiens *Remis* ei occurrit, misisque obuiam hiis, qui eum illo deducerent, honorifice illum ibi suscepit. Pontifex uero statim aduentus sui causam insinuans, celebratis demum missarum ex more sollempniis, (*Ludewicum*) cum dyadematis impositione coronauit, Romanorumque imperatorem pronunciauit anno regni sui II. secundum alios VII.

817. *Paschalis Pontif. confirmatur.*

Anno Domini DCCCXVII. *Stephanus* papa tercio mense postquam *Romam* uenerat, nondum exacto VIII. Kal. Febr. obiit, cui *Paschalis* successor electus, post completam sollempniter ordinacionem suam, munera & excusatoriam imperatori epistolam misit, sibi non solum volenti sed eciam plurimum * penitenti pontificatus honorem impactum asseuerans.

Ludov. Imp. Lotharium Imperii socium constituit.

Imperator uero generalem conuentum *Aquisgrani* habens, filium suum primogenitum *Lotharium* nominis atque imperii socium sibi constituit, cæteros reges appellatos, unum *Aquitaniæ*, alterum *Bajoariæ* præfecit.

Conspiratio Bernhardi.

Post hæc nunciatum est, *Bernhardum* nepotem suum *Ytaliæ* regem quorundam prauorum hominum consilio tyrannidem meditatum fuisse, jamque omnes introitus *Ytaliæ*, quos clausas * dejecit, impositis præsidiis firmasse, atque omnes *Ytaliæ* ciuitates in ejus uerba jurasse, quod ex parte uerum, & ex parte fuerat falsum. Ad quos motus comprimendos imperatore celeriter cum exercitu ueniente, *Bernhardus* rebus suis diffidens, armis depositis, apud *Cabillonem* imperatori se tradidit.

818. *Poena seditiosorum.*

Anno Dn. DCCCXVIII. detecta fraude conjurationis & seditiosis omnibus in suam potestatem redactis, imperator *Aquisgrani* reuertitur, transactoque quadragesimali jejunio, paucis post sanctam pascha diebus conjuracionis auctores simul & regem judicio *Francorum* capitali dampnationis sententia luminibus tantum jussit orbari.

Irmingardis uxoris I. Ludov. Imp. mors.

Irmingardis regina V. Non. Oct. obiit.

819. *Juditha, uxor secunda Lud. Imp.*

Anno Dn. DCCCXIX. conuentus *Aquisgrani* post natiuitatem Domini habitus est, in quo multa de ecclesiarum statu tractata sunt. Legibus eciam capitula quædam perneccessaria, quæ deerant, addita sunt. Quo peracto imperator, inspectis plerisque nobilium filiabus, *Welpi* comitis filiam nomine *Judith* uxorem duxit, quæ genuit ei *Karolum calum.*

* lege: *renitenti.*

* legendum: *dicunt.*

820. Anno Dn. DCCC XX. propter juges pluuias & aërem nimio humore resolutum magna incommoda contigerunt. Nam & hominum & boum pestilentia grassata est, frumenta quoque & legumina corrupta sunt.

821. *Leo Imp. CPlit. cæsas.* Anno Dn. DCCC XXI. allatum est imperatori *Ludewico* de morte *Leonis* imperatoris Constantinopolitani, quod anno præterito in basilica sanctæ Dei genitricis intra palacium interemptus sit conspiracione quorundam optimatum suorum & præcipue *Michaelis* comitis domesticorum, qui prætorianorum militum studio insulas suscepit imperii & VIII. annis regnauit.

822. *Portenta in Thur.* Anno Domini DCCC XXII. in regione *Turingorum* quodam in loco juxta fluvium quendam cespes longitudine pedum I. latitudine XIII. altitudine sesquipedali de terra sine manibus præcisus & sublatus ab eo loco, in quo sumptus est, XXV. pedum spacio distans inventus est. Item in parte *Orientalis Saxoniæ*, quæ *Sorabor*um finibus contigua est, in quodam deserto loco juxta lacum, qui dicitur *Arnse*, in modum aggeris terra intumuit, ut intra limitem unius leugæ longitudine porrectum, sub unius noctis spacio absque humani operis molimine, instar valli surrexit.

Lotharius fil. Ludd. ducit Irmingardam. Dominus imperator filium suum *Lotharium* pro disponendis regni negociis, in *Italiam* misit, cui præcedenti anno conjunxerat *Irmingardam Hugonis* comitis filiam, de qua ille suscepit *Lotharium*, postea excommunicatum, *Ludewicum* post se regnantem & *Karolum* - - - *Cætera desunt.* *Eius filii.*

V.

PETRI SAXII,

ARELATENS. ECCLESIAE CANONICI, S. THEOL. DOCTORIS,

PONTIFICIVM ARELATENSE,

SEV

HISTORIA PRIMATUM

S. ARELATENS. ECCLESIAE,

OB RERVM ARELATENSIVM CVM GERMANICIS ET PRAESERTIM THVRINGICIS AFFINITATEM ET MIRAM LIBRI RARITATEM,

EX EDITIONE, *AQVIS SEXTIIS* 1620. 4. VULGATA, ACCVRATE RECVSA.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

GASPARI A LAVRENTIIS,

SANCTAE SEDIS ARELAT. ARCHIEPISCOPO.

VEnerandas Antecessorum tuorum imagines (illustrissime Princeps) quod nullus antea, tuis & Christianæ reipublicæ oculis subjectum, & consecratum eo: non alio prorsus argumento, quam vt Ecclesiæ, cuius gubernaculo moderaris, antiquitatem, sanctitatem, & maiestatem edisseram; tribus enim hisce nominibus, nulli in Gallia, ne dicam in Europa, post Romanam, secunda est sedes Arelatensis.

Enimuero cui antiquitate concedat, ea quæ in Apostolis Petrum ac Paulum; in Apostolorum auditoribus, Trophimum, Dyonisium, & Regulum habet fundatores? O limpidam Christianæ fidei & doctrinæ scaturiginem! à qua purissimos latices, suos in agros defluxisse, non reliqua tantum extra Salyos Francia; sed Gallia vniversa gloriatur. Quin etiam ipsi Allobroges ut non minimam gratiam maioribus tuis rependerent, ethnicos ritus cum prisco nomine mutarunt, & Sabaudi ab vno decessorum tuorum Sabaudio, sortiti sunt appellationem. O fœcundam nobili, o nobilem fœcunda prole Ecclesiam Arelatensium! Ipsa sane pietas animos Galloruin perpulit, vt sanctissimam matrem, honoris & gloriæ titulis, quibus quibus liceret, prosequerentur. Quis enim ignorat jus clauium præsulibus nostris, cum Primatu per vniversam Galliam, & Pontificiam trans alpes præfecturam, annuentibus Francorum Regibus & summis reipublicæ Christianæ dictatoribus, fuisse impertitam?

Neque vero antiquitati impar est sanctitudo: vt enim Beatum Trophimum, & primæua nascentis Christianæ religionis integritate clarissimos Antistites, qui proxime illum exceperunt, missos faciam; age, quis etiamnum justa Panegyri summam Hilarii paupertatem, cum animi & generis nobilitate coniunctam, commendet? Quis etiam-num ad diui Archimandritæ Honorati miranda opera non obstupeat? Quis synceram Cæsarii castimoniam,

am, doctrinam, religionem, num ſuſpiciat? ſuſceperunt, obſtupuerunt, commendarunt primi toto orbe præſules, & ſcriptores Chriſtiani. Proh! quales preterea viri magiſne diuinis moribus quam ingenii ſolertia commendabiles, Eonius, Heros, Ravennius, Aurelianus, Sapaudus, Virgilius, Gibelinus, Ludouicus Alemandus? ne cæteros dicam, quorum fama non latet quaqua patet Orbis. Equidem nemo non fateatur eam eſſe plerorumque de tuis anteceſſoribus integritatem, vt ſiue tua, ſiue illorum, Eccleſia jure optimo Sancta audierit naſcente, Sancta audiat durante, Sancta auditura ſit deſinente republica Chriſtiana; quæ deſinet numquam, niſi mundi machina corruente vt reſtauretur.

Atenim cum nec concedat Antiquitas Sanctitudini, nec Sanctitudo Antiquitati; certe ambabus ſuppar videtur Eccleſiæ noſtræ decus & gloria; quæ ex vrbis ipſius dignitate & Majeſtate non mediocriter creſcit. Vrbem & Eccleſiam paludatus ille reipublicæ Chriſtianæ conditor Conſtantinus, Conſtantinam appellauit; Federicus Ænobarbus, & Carolus quartus Imperatores diademate inſigniti ſunt in Auguſto huius vrbis templo, quod Childebertus Clodouæi filius dotauit, fouit, amplificauit.

Qui potuit tantum decus tamdiu deliteſcere? ſim ingratiſſimus, ſi tenebras illas non accendam. Et vero cum tibi (Primas & Princeps Illuſtriſſime) tum Gallis omnibus Antiſtitibus, acceptiſſimum fore exiſtimaui, ſi Primipilos & fidei noſtræ athletas ac anteſignanos, Patres & Principes vniuerſo Orbi ſuſpiciendos ederem; edidiſſem Profecto multo ante tempore niſi majora molirer, & pro collegii noſtri re conſeruanda difficillimis negotiis præpedirer. Hanc igitur epitomem ex integro corpore Hiſtoriæ excerptam tibi offero, atque vt qua fictus es humanitate humaniſſime excipias, obteſtor: ſi facis, aduerſarium pertimeſco neminem; illa enim tua laurus, quam vt gentilitio ſtemmate, ſic re & nomine præfers, aduerſus omnia inuidiæ & odii fulmina me illæſum tutabitur, modo tuus ſim, ſum equidem ex voto.

P. Saxius.

LECTORI S.

Immaturi huius fœtus, cauſa eſt (amice Lector) Seuertius inter Canonicos Lugdunenſes Theologus, vir multæ lectionis, doctrinæ, & pietatis, qui Galliarum Epiſcopos deſcribens a nobis petiit Arelatenſes Archipræſules: miſimus ſane aliquo hiſtoriæ, & annorum calculo deſignatos: ille vero ſuis inniA xus coniecturis ordinem immutauit non ſine veritatis hiſtoriæ iactura, cauſamque reddit in Patroclo noſtro, quod videlicet non edidiſſem textus Papales: hoc igitur nomine prouocatus, non ſine dolore ante verum partus diem enixus ſum.

Democares, Sauaro, Noſtradamus; Chenutius, Robertus & Seuertius omnium poſtremus præſulum noſtrorum nomina ediderunt. Democares imperfecte admodum, Noſtradamus aliud agens quorundam nomina deſcripſit. Chenutius Sauaronem ſecutus eſt, ipſe Sauaro per antiquam membranam Archiui poſtri legit: Robertus forte tutius: omnes vero nomina innouarunt, textuque deprauato incognitos fecerunt Antiſtites probe antea viſos, cognitosque: Seuertius ſeriem, quam mutuo a nobis accepit, pro libito, quod non debuerat, immutauit. Nos igitur nomenclaturam & hiſtoriam prælo damus: ſed cum ex allatis detrimenta, & acceſſiones accipiat hominum meB moria, literarumque & membranarum fidelis ac permanens ſit veritatis cuſtodia, idcirco vt rerum geſtarum narratio maiorem ſibi conciliet authoritatem, textus ipſos Pontificios, Regios, publicosque (quod a nobis deſiderarat Seuertius) proferimus.

Hærebis forte in voce Epiſcopi; ſed dictio id fecit, a diuo enim Petro Apoſtolo Archiepiſcopi fuere, etſi tales non dicti, vt nec alii occidentis Antiſtites, quod ſæpius notaui: accidit etiam ex varia authorum lectione, vt Emengarda, Bertrandus, Trencatailla, & Balthii aliter legantur, cum hoc germanum ſit verumque nomen.

C *Poſtremo obſeruabis gentilitium ſtemma Eccleſiæ noſtræ Aquilam eſſe. Vrbis vero Leonem ſeu Leopardum, cum antea maiores noſtri quinque vultus humanos ſubiectis ſemicirculis deferrent: ciues vero cruce quam delapſa cælo manus exhiberet vterentur, quod in tabella huic operi præfixa deſcripſimus. Cur tamen nullam de illis mentionem fecimus? cauſa fuit incerta ætas; incertusque author: coniecturas quidem habebam præ manibus, ſed infirmas nulloque certo argumento probantes, eas igitur miſſas fecimus, tuumque hac in re iudicium (amice Lector) expectamus.*

Cætera ſi quæ ſunt, quæ reprehendas, doce: D *veritatem enim amamus: ſi quæ nos ipſi arguimus improbas: tibi & nobis materia ſcribendi ſupereſt, nam qui ante nos iſta mouerunt, non domini noſtri; ſed duces ſunt: patet omnibus veritas, nondum eſt occupata, multum ex illa etiam futuris relictum eſt, grato igitur animo hoc qualecumque opus habe, ſi aliter facis, Melanthius ego alter dicam, mercedem quam non debebas mihi perſoluis. Vale.*






PONTIFICIVM ARELATENSE.

SEV

HISTORIA PRIMATVM SANCTAE ARELATENSIS ECCLESIAE.

I.

Arelatis urbis descriptio.

ARELATE ad ostia a) Rodani in Mediterraneo, cliuo rupis satis leni assidet, & in planitiem sese producens, in longum extenditur. Bifida antiquis dicta, quod vtramque Rodani ripam (vt etiam num) ciues habitarent.

duplicemque per vrbem
Qui meat, & dextræ Rodanus dat nomina ripæ. b)

Expressitque elegantius magnus ille Eucherius c) Lugdunensis. Sub ipsa itaque felicissimæ ciuitatis mœnia fidelium humeris funus inclyti victoris (Genesii scilicet) infertur; vnde nunc inter vtrasque vrbis illius partes gemino honore gloriosus, illam ripam triumpho sanctificat, hanc sepulcro; illam sanguine illustrat, hanc corpore. Confœderatas vrbes vocat Hilarius d) noster, quas Rodanus e) ex alpibus se rapiens per Lemanum lacum, segnemque deferens Ararim, nec minus se ipso torrentem Isaram, & Druentiam, intersecat. At fusius Marcellinus. f) A Pæninis alpibus effusiore copia fontium Rodanus fluens, & procliui impetu ad planiora digrediens, proprio agmine ripas occultat, & paludi sese ingurgitat (nomine Lemano) eamque intermeans nusquam aquis miscetur externis; sed altrinsecus summitates vndæ præterlabens, quæritans exitus viam sibi impetu veloci molitur: vnde sine iactura rerum per densa paludum fertur, & Sequanos, longeque progressus Viennensem latere sinistro perstringit, dexter Lugdunensem: & emensus spatia fluctuosa Ararim, quem Sauconam appellant, inter Germaniam primam fluentem suum in nomen adsciscit; qui locus exordium est Galliarum; exindeque non millenis passibus, sed leucis itinera metiuntur; vbi Rodanus aquis aduenis locupletior vehit grandissimas naues ventorum flatu iactari sæpius adsuetas, finitusque inter valles, quas ei natura præscripsit, spumeus gallico mari concorporatur per patulum sinum, quem vocant ad gradus, ab Arelate octauo decimo ferme lapide disparatum. Pons olim vtramque ripam conjungebat, non lapideus; licet ex vtraque vrbis parte medii fornices, aliaque non contemnendi operis vestigia appareant; sublicius enim erat, pontemque tabulatum vocat Cassiodorus g) in Epistola Athalarici ad Senatum. Arelate (inquit) est ciuitas supra vndas Rodani constituta, quæ in orientis prospectum tabulatum pontem per nuncupati fluminis dorsa transmittit; cui fauet Ausonius: h)

Præcipitis Rodani sic intercisa fluentis,
Vt mediam facias nauali ponte plateam:

Insinuatque Paulinus, i) licet vrbem non nominet,

Præcipitem Rodanum, molli quæ ponte subegit
Et iunxit geminas connexo tramite ripas.

Saxa ab Oriente urbis unde

2. Ab Oriente ad meridiem, horridam illam planitiem habet, saxis asperam, rupibus semicinctam, quæ tandem in mare desinit: quæ quidem planities quasi rotunda septem leucas diametrales continet, tecta lapidibus adeo paruis vt quilibet vna manu pene prehendi possit: inter quos tantum herbæ crescit nutriendis animalibus, vt id maxime mirum videatur, ventisque adeo validis obnoxia, vt Strabo k) dicere ausus sit, equorum sessores hoc vento in terram dejici (Gallice *la Crau* kk) dicitur) lapidosa pluuia hos campos abundare refert Petrarcha, l) Strabonem & veteres sequutus: qui fabulantur Herculem in vasta illa planitie a Gigantibus inermem prouocatum, Jouem parentem exorasse, qui subito imbre lapideo omnes ad vnum deleuit, lapidibusque contriuit. Hoc idem recitat Æschilus:

Jupiter Alcidem quando respexit inermem,
Illachrimans, Ligures saxoso perpluit imbre.

Quem merito irridet Possidonius, rejicitque historiam inter inanes Græcorum fabulas. Vnde ergo hi lapides? respondet Aristoteles: m) Quando fuerit multus spiritus, mouet terram, vnde tremor & terræ motus excitatur: vbicumque autem factus fuerit talis terræ motus, egreditur multitudo lapidum sicut ebullientium in cribris: hoc enim modo facto terræ motu, quæ circa sypilon euersa sunt, & campus vocatus Phlegræus, & quæ circa ligusticam regionem. Loquutum vero Aristotelem de campis nostris Strabo n) ipse, Æschilus, Pomponius, Florus o) & Plinius p) docent, dum recitant Arelatenses Salyos dictos & Ligures. Porro Ligurum celeberrimi vltra alpes Salyi. Nec herbâ solum nutriendis animalibus abundat hæc planities, offert enim [illegible] purpuram vermiculos omni musco cibetaue, aut ambra suaueolentiores, quo-

a) Plin. lib. 3. cap. 4. nat. hist.
b) Ausonius in Mosella.
c) In homil.
d) Apud Surium 25. aug.
e) Plin. lib. 3. cap. 4. hist. nat.
f) Ammian. Marcel. gesta rerum lib. xv.
g) Lib. 8. variar. lect. Epist. 19.
h) Epigramm. de Arelate.
i) Lib. 6. de vita S. Martini.
k) Lib. 4.
kk) Latine Crauus campus, vel Campocrauus, Crauicampus, vel Craudicampus.
l) Epist. ad Sacromaurum de Pomeriis equitem & Monachum.
m) In lib. 2 Metereol. cap. 2.
n) Lib. 4.
o) In bello ligustico.
p) Lib. 3. nat. hist. cap. 5.

rum

rum libra aureo nummo permutatur; quodque magis mireris compertum est anno vno prouentum hunc, vndecim aureorum millibus æstimatum q) : Manna etiam in illa reperitur, adeo vt non nunquam ad trium aureorum pretium libra accedat: frumenti, & olei copia quoque maxima interdum recipitur, vinoque generoso præcipue commendatur.

Ab occasu urbis Camaria unde dicta?

3. Ab occasu vrbis ad Septentrionem Camaria est insula, Caji Marii r) nomen ferens, vel Charæ Marchiæ, pretiosa scilicet, vt explicat Geruasius Tillesberiensis s) in regno Arelatensi Equitum Magister: ab incolis corrupte dicitur Camarga: aurea vera insula, frumenti, pabuli, vini, & salis feracissima: humani cordis figuram exprimit, continetque septem prouinciales leucas: duabus partibus Rodano alluitur, tertia mare appetit: quas autem habet ad Rodanum oras, illæ cæduis syluis ornantur; quæ vero in mare desinunt, salinas præbent penitus admirandas, in quibus olim Hilarius noster desudauit, vt vitam substentaret. In eadem insula visuntur ad duo millia Villarum; Equorum; & Boum viginti millia, inter quos ferocissimi Tauri; innumeros præterea ouium greges luxurioso soli sui fœtu nutrit; stagnantque passim aquæ, in quibus infinita piscium copia: memorabile autem est Rodanum extra alueum effusum ita solum alga limoque relicto foecundare, vt iacta ab Arelatensibus frumenta non raro cum trigesimo, aut quadragesimo prouentu (licet Petrarcha cum septuagesimo dixerit) recipiantur; nullas aquas nisi aduectitias vicino e Rodano potant incolæ.

Ejus descriptio.

Arelatum fundator quis?

4. Porro Arulum Priami nepotem, capta & euersa Troia, in has oras extorrem, Arelates fundatorem contendunt aliqui, contra adnitentibus aliis, qui antiquiorem illam prædicant: diluuio enim cessante Arelum t) Gadi filium illam condidisse volunt, quo respexisse videtur Ericus. u)

Vrbs Arelas fundatoris cognomine primi,
Hoc dixisse ferunt, incerto tempore nomen.

Libenter Straboni manus darem, & aliis, qui illius originem Phocensibus concedunt, voluntque, Ionum colonias in Prouinciam deductas: Auenionem Cauarum, Massiliam Phocensium, Arelatem Salyum, & quamplurimas alias vrbes ædificasse: me tamen Trogi Pompei authoritas & Iustini x), qui illum compendiose explicauit ab hac sententia reuocat. Itaque (inquit) in vltimam Oceani oram procedere ausi Phocenses, in sinum Gallicum ostio Rodani deuenere, cuius loci amœnitate capti; reuersi domum, referentes, quæ viderant, plures sollicitauere: duces classi Furius & Prothys fuere: itaque ad Regem Segoregiorum, Senanum nomine, in cuius finibus vrbem condere gestiebant, amicitiam petentes conueniunt: forte eo die Rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiæ erat, quam more gentis electo inter epulas genero, nuptum tradere illi parabat. Itaque cum ad nuptias inuitati omnes Proci essent, rogantur & Græci hospites ad conuiuium: introducta deinde Virgo, cum iuberetur a Patre aquam porrigere ei, quem virum eligeret, tunc omissis omnibus ad Græcos conuersa aquam Prothi porrigit, qui factus ex hospite gener, locum condendæ vrbis a Socero accepit. Quis hos Græcos Massiliam appulisse diceret? cum apud omnes constet, Massiliam ab his Phocensibus conditam; ædificium vero (inquit Strabo) y) Phocensium est Massilia sita in saxosa regione. Non Aquæ-Sextiæ z), quæ Sextum Domitium Caluinum Romanum Consulem, suum volunt authorem: de Heraclea meminit Plinius. aa) Sunt authores (inquit) & Heracleam oppidum in ostio Rodani fuisse: nec erat Heraclea Senani Regia (quæ Poldo bb) est oppidum S. Ægidii) in Arecomicis sita, vt Nemausus. Auenio vero, quam aliqui horum Phocensium coloniam dixere, inter oppida Latina a Plinio cc) recensetur. Oppida (ait) latina; Aquæ-Sextiæ Salyorum & Auenio Cauarum. Sola igitur Arelate erit Senani Regia: Salyi enim sunt Arelatenses, idemque sonant Salyi, & Segoregii. Condendæ sane Massiliæ facultatem dedere Arelatenses, quos equidem sine authore Aborigines censeo.

Arelate unde dicta?

5. At vnde dicta Arelate? ab ara elata, seu lata ex Gerniasii dd) mente, illo enim auctore Guagninus ee) recitat. Nam in eo loco prope ciuitatem, quæ Rochera dicebatur, duæ columnæ extructæ erant, & super eas ara imposita, vbi quotannis ad Kal. Maji frequens vndique populus humanas hostias pro sua sospitate mactare consueuerat; itaque tres iuuenes pecunia publica emptos anno toto saginabant, quos constituta die ad ipsam aram immolabant, victimarum sanguine circunstantem populum aspergentes; quem ritum diuus Trophimus in septuaginta duobus Christi discipulis vnus, illo ex Iudæa missus sustulit, docens, non cruore, hominum, sed Christi sanguine illos debere aspergi. Verum ante hæc cruenta sacrificia oportuit vrbem fuisse, & aliquo dictam nomine. An ab areis latis & spatiosis, Craudi campo scilicet & Camaria, in quorum medio sita est? Meliusne, si etymon a Græcis inquiramus? quibus Arelatenses sunt Martis populus ἄρηος λας seu plebs Martia ἄρηολας; si enim priſca Latinorum vsurpatione pronuncietur vt ε & dorice λάς pro λαὸς, elidaturque σ quod interiacet, fiet Arelas: quod nomen tamen variant authores, Arelas, Arelatus, Arelatum, & Arelate.

Ejus homonyma.

6. Labentibus tandem sæculis alia tulit nomina, priscis Græcis fuit Theline; Auienus enim ait:

q) Petrus Quiqueran. de laudibus Prouinciæ.
r) Plutarch. in vita Caji Marii.
s) Lib. de Otio Imperiali.
t) Geneſis cap. 46.
u) Lib. 2.
x) Lib. 43.
y) Lib. 4. z) Ibidem.
aa) Lib. 3. cap. 4. hist. natur.
bb) In antiquitatibus Nemausensibus.
cc) Lib. 3. cap. 4. hist. natur.
dd) In Lib. de otio Imperiali.
ee) In Carolo V.

Arelatus illic ciuitas attollitur
Theline vocata sub priore sæculo,
Graio incolente.

Nec improprie, θηλὴ enim Græcis mamma est; quod elogium (cùm vberrimis Arelatensium agris, quasi mammis, Romanorum Prouinciæ alerentur) Valentinianus & Theodosius in columna, quam in Hilario describemus, egregie renouarunt; dixeruntque Mamilariam. Scio equidem hanc columnam ab aliquibus milliarem dici, solebant enim Romani tum in viis militaribus & Regiis, tum in agrorum finibus, lapidibus vti, vt videre est ex lege Manilia de limitibus & finibus agrorum. Vnde C. Manilius, qui legem tulit, limitanus dictus est; quod notat Ottoman, ff) hosque lapides Amnianus gg) vocat terminales: Scaliger hh) tamen aliter sentit, existimatque Coloniæ elogium esse. Emerita enim Lusitanica matricis nomen sortita est, aliaque ex occasione fuere (vt ipse adnotat) coloniis imposita nomina, ipsamque Arelatem omnium Galliarum matrem dixere comprouinciales Episcopi. Leonem magnum ii) pro restituendis Arelatensis Ecclesiæ iuribus interpellantes: quare vero dicta sit Arelate Mamilaria, se nescire fatetur Scaliger: cum tamen ab Arelatensium agris & ab illorum Ecclesia opem fidemque hauserint Galli, quis non dicet a mammis Mamilariam?

7. Florente postmodum Republica Romana, Colonia Sextanorum, kk) quod in eam sextæ legionis milites deducerentur, effecta est; primus in illam, Coloniam deduxit Tiberius, ll) Tiberii Imperatoris pater; sed oppressa libertate, Cæsar Coloniam Iuliam dixit, additumque fuit (vt existimo) nomen Piæ Coloniæ non ante Antoninum Pium. Coloniæ nomine legitur in antiquis lapidibus:

Colonia nomen in inscript.

D. M.
L. STATIÆ FIRMÆ.
COL. ARELATE VICINA
FILIÆ
PIENTISSIME.

& Aquis-Sextiis:

P. SEXTIVS FLORVS IIIIL. VIR AVG.
COL. IVL. AQVIS. ET COL. AREL.
VALERIÆ SPVRIÆ FLASSINÆ.
VXORI PIENTISSIMÆ SEX VALERIO PROCVLINO ET SVIS.

de Sexta legione habet Simeon mm) & Plinius nn)

T. IVLIVS TRIBVNVS MILITVM
LEG. VI. VICTRI. PFAT.

Demum Cæsarem Iuliam dixisse testatur lapis Aquas-Sextias delatus:

D. M.
IVLIÆ Q. FILIE
REINE MORTVÆ.
D. L. II. V. I.
P. PONE. F. COL.
IVL. AREL. IVLIECIANVS PARENTI DVLCISSIMO.

Pia vero in notitia Imp. oo) ex veteri emblemate inscribitur, & pia Paternaque; in Rauennii vita ex duplici marmore.

COLONIA IVLIA PIA ARELATE.

Constantinam, voluit dixitque Constantinus magnus: pp) Vrbem Genesii, laudauit Fortunatus; qq) Albaque dicta est priscis Francorum rr) Scriptoribus; & Ausonius ss) Consularibus fascibus nobilitatus, in orbe Gallico Gallulam Romam prædicauit; quod nomen vrbis pauciſſimæ (insignes tamen) obtinuerunt: Augustodunum enim Celtica Roma appellatur; tt) Aquileia, quam funditus euertit Attila; uu) Capua quæ soli sui deliciis & amœnitate Annibalis vires fregit, Romæ nomen xx) habuerunt: Sidonius yy) ipse Constantinopolim nouam Romam commendat; & Salvianus zz) noster Carthaginem in orbe Africano quasi Romam miratur: quodque maius est & præcipuum, primaria fuit Burgundiæ regum sedes, authore Ligurino:

Quaque caput regni sedesque fuisse vetusti
Fertur Arelatum, priscorum gloria regum.

Arelates mentio in Iure.

8. Arelates præterea Vrbis tanta fuit gloria, vt in iure illius meminerint authores L. codicillis D. de vsu & vsu fr. leg. l. habebat. D. de inst. act. reperiuntur etiam leges latæ Arelate: Constantinus enim magnus legem tulit Arelato Id. Aug. Sabin. & Ruf. conss. supplicare cod. vt lite pendente, &c. Idem tulit legem; ex illo de appellationibus: idem legem officiales de diuers. offic. & apparit. Imperator Valentinianus & Valens tulerunt Arelate legem, cum ad quamlibet de condit. in publ. horreis C. lib. 10. illos sequuti Leo & Maiorianus A. A. qui Arelato v. Kal. April. Magno & Apollonio Conss. promulgarunt Nouel. constit. de Episcoli iudicio, quæ extat in C. Theod. legum Nouel. D. Maioriani lib. 4. tit. 2. Qua etiam in vrbe Gynecii, & Thesaurorum præpositus, & procurator monetæ degebat: in Notitia Imperii, his verbis: Præpositus thesaurorum Arelatensium (Arles nunc dicitur) Vrbs in Prouincia ad Rodani ripam sita. Hic cudebatur moneta, argentum armis inducebatur; & procurator Gyneciorum degebat.

Vrbis gloria.

9. Constat denique vrbem ciuium gloria insignem Galliarum primariam fuisse, nec antiquitate solum, soli sui fœcunditate, Vrbis amplitudine, Principum dignitate; verum etiam

ff) In legibus Romanorum.
gg) Lib. 18.
hh) In Ausonian. reflect. lib. 2. cap. 3.
ii) Extat in Rauennio.
kk) Plin. lib. 3. c. 4. nat. hist.
ll) Sueton in Tiberio.
mm) In antiquis Prouinciæ inscriptionibus.
nn) Lib. 3. c. 4. hist. nat.
oo) In Prouincia Galliæ Riparensi.
pp) In cod. M. S. vita S. Trophimi, & in alio cod. M. S. (auth. Apollol.
qq) Lib. 5. carm. poem. 2.
rr) Fauchet. Nic. Ægid. Gerard. du Haillan & aliis.
ss) In claris vrbibus.
tt) Sigebert.
uu) Ant. Sabellic.
xx) Leander.
yy) In panegyrico Anthemii aug.
zz) Lib. 7. de Gubern. Dei.

fide,


ΤΓΤΑΒΙ
pag. 216.
Fig. 2
Fig. 3
Fig. 1
Bocklin. sc.

fide, & religione: duplici enim Apostolatu, Gallico, & Allobrogico commendatur, de Gallico testatur Zozimus Papa. a) Ad quam Vrbem (scilicet Arelatensem) primum ex hac sede directus est Trophimus summus Antistes, ex cuius prædicationis fonte totius Galliæ fidei riuulos acceperunt: cum enim Paulus gentium Apostolus in Hispanias proficisceretur, ex B. Petri Apostolorum Principis præcepto, Trophimum Arelate reliquit, primumque inaugurauit Galliarum Episcopum; visitur Arelate domuncula ad quam diuertisse fertur Paulus, studioque fidelium ipse vicus in quo sita est, S. Pauli nomen retinuit, & quoties Canonici matricis Ecclesiæ solemniter ad ædem Virginis (vulgo de majori) procedunt; toties in D. Pauli memoriam orationem ante domunculam recitant, adstante clero & plebe. Allobrogicum confirmant Gerardus, b) & Claretus, c) merito igitur duplicem dixit Ausonius:

Pande duplex Arelate tuos blanda hospita portus
Gallula Roma Arelas, quam Narbo Martius, & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis,
Præcipitis Rodani sic intercisa fluentis,
Vt mediam facias naualis ponte plateam,
Per quem Romani commercia suscipis orbis,
Nec cohibes; populosque alios; & mœnia ditas,
Gallia quæis fruitur, gremioque Aquitania lato.

Anno Christi 61.

S. TROPHIMVS.

S. Trophimus.

I. SANCTVS TROPHIMVS, ciuis Ephesinus in Asia, & vnus ex septuaginta duobus discipulis Christi, vt testantur, tum authores d) nobilissimi, tum marmorea diui Antistitis effigies in atrio ædis nostræ Metropolitanæ collocata, ante annos mille: cuius pallium stilo vetustioris æui inscribitur hoc Epigrammate:

Cernitur eximius vir, Christi discipulorum
De numero Trophimus hic, septuaginta duorum.

Porro missum esse a B. Petro Apostolo nuntium, & euangelii interpretem ad Gallos, affirmat Innocentius. e) Præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, & Siciliam, Insulasque interiacentes, nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus, aut eius successores constituerunt Sacerdotes.

Arelatem igitur a B. Paulo Apostolo f) amico, & perneccessario in Hispaniam proficiscente adductus est, anno salutis LXI. vt primus Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ fundamenta iaceret; iecit vero firma, & profunda vsque adeo, vt ex eius prædicationis fonte (verba sunt Zozimi g) Papæ) omnes Galliæ fidei riuulos acceperint, h) horrendumque illud sacrificium duorum infantium toto anno saginatorum, quos nostri maiores mactabant ad aram solemnem, vt ex illo innoxio sanguine aspersus populus diis gratior redderetur, sacro & potenti verbo substulit.

Arelat. Primatus in Galliam omnem.

Denique vir, virtute & miraculis summus, Arelatensi Ecclesiæ obtinuit a Romana sede primatum in Galliam vniuersam, vt habetur i) Cap. in Galliarum. Et vero priuilegium illud in diui Trophimi gratiam concessum, quadraginta quatuor patrum, qui in Gallia Narbonensi conuenerant, ad Leonem magnum datæ litteræ testantur: lecta enim Epistola quam idem Leo Pontifex ad Flauianum in Orientem miserat, seorsum alias dederunt, in quibus id manifestum, certumque redditur. k) Credentes (aiunt) plenum esse rationis, atque iustitiæ; vt sicut per beatissimum Petrum Apostolorum Principem Sacrosancta Romana Ecclesia teneret supra omnes totius mundi Ecclesias Principatum: ita etiam intra Gallias Arelatensis Ecclesia, quæ S. Trophimum ab Apostolis missum Sacerdotem habere meruisset, ordinandi Pontificium vendicaret.

Ad superos Sanctissimus Primas Primatum Arelatensium abiit, hoc primo nascentis Ecclesiæ sæculo. IV. Kal. Ian. & sane hallucinatur Gregorius Turon. l) qui eum animam exhalasse sub Decio Imperatore docet: illi enim aduersantur, nobis fauent Acta Apostolorum, m) Martyrologium Romanum, n) Ado ipse Viennensis, o) & (quod omnem superat difficultatem) Martianus noster secta Nouatianus, qui Decio æqualis ad clauum Arelatensis Ecclesiæ sedebat. Quocirca si conjectura uti licet, obiisse censeo Sanctum Trophimum, anno salutis XCIII. aut XCIV. ne vacasse Ecclesia credatur, sepultusque est in ædibus, quas ipse Christo & Virgini extra muros vrbis consecrarat, cuius Epitaphium subjicimus, licet subsecutis post sæculis appositum videatur. 94.

a) In cod. M.S. author. Apost.
b) In Hist. Franc.
c) In officio Sancto. S. Arel. Eccles.
d) Geruasius Tilberiens. regni Arelat. Marescallus in lib. de otio Imperiali, Guaguinus Hist. Franc. lib. 9. in Carolo V. Vetus Breuiarium Arelat. Petrus de Natalib. in Trophimo. Dorotheus in sinopsi Anton. 1. par. c. 28. tit. 6. §. 6.
e) Ad Decentium, & Baron. in Annal. Anno 46. n. 2.
f) Authores, qui volunt Paulum in Hispanias profectum, *Græci*: Hipolytus in lib. de sept. duob. discip. Christi; Athanasius ad Dracont. Cyrillus Catecheſi decima septima; Epiphan. hæres. 27. Ioan. Chrysostom. in præf. in Epist. ad Hebræos; in homilia de Laude Pauli & in Matth. hom. 76. Theodoretus in Epist. ad Timot. 2. cap. vlt. in Epist. ad Philip. c. 1. & in Psalm. 116. Sophron. Episc. Hierol. in sermone de Natali Apost. &c. *Latini*: Hieron. in Esaiam c. 11. Greg. Moral. lib. 31. c. 22. Isidorus de vita & obitu Sanctorum cap. 71. Beda in Martiro l. 2. Kal. Aprilis. Ado in Chron. ann. Domini 59. Petrus Cluniac. lib. 1. Ep. 2. vet. Edit. Zozimus Papa cuius Epist. reperitur Tom. 1. conc. apud. Baron. an 417. num. 41. & in M.S. codice nostro Author Anonymus vitæ B. Genulphi in Bibliot. Flor. part. 1. cap. 10. Guaguinus in Hist. Franc. & nostri M.S. codices, &c.
g) In M.S. codice.
h) Guaguinus ex Geruasio Marescallo regni Arel.
i) 25. quæst. 2. cap. in Gal.
k) Baronius Anno 450. num. 52. & M.S. codex Arel.
l) De gestis Francorum lib. 1. c. 30.
m) Cap. 20. & 21. & Paulus 2. ad Timoth. c. 4.
n) 29. Decemb.
o) In Chronic. Anno 59.

EPITAPHIVM DIVI TROPHIMI.

Trophimus hic cólitur, Arelatis præsul auitus,
Gallia quem primum sensit Apóstolicum.
In hunc Ambrosium proceres fudere liquorem,
Clauiger ipse Petrus, Paulus & egregius.
Omnis de cuius suscepit Gallia fonte
Clara salutiferæ dogmata tunc fidei.
Huic constanter ouans ceriacem Gallia flectit, A
Et matri dignum præbuit obsequium.
Insignisque ----- ingens cui gloria semper,
Gaudet Apostolicas se meruisse vices.

S. DIONYSIVS.

S. Dionysius. II. SANCTVS DIONYSIVS, a Clemente summo Pontifice in Gallias destinatus, Arelatem primo cum sociis appulit, Eugenius enim Toletanus illum secutus est, verba Mariniæi Siculi p) sunt. Scriptura siquidem continebat, hunc Eugenium a B. Dionysio, in Galliam proficiscente, ab vrbe Arelatensi in Galliam directum, Toletanæ sedi præfuisse. Vario apud authores anno, & apud Baronium Christi xcix. Causa vero 98. mittendi in Gallias insignem adeo, totaque Ecclesia spectatum Antistitem ea incumbebat, quod primi illi a Petro ad prædicandum ibidem Euangelium missi discipuli vita functi erant: volebat etiam diuina prouidentia, vt, quemadmodum e Græcia per priscos Phocenses, humana illa, seu potius inhumana sacrificia, Arelatem, tanquam ex fœtidissimo riuulo effluxerant: illa eadem expurgaret, & quidquid gentilitii erroris in Gallias per Græcos inuectum fuerat, Græcorum industria, labore, & doctrina tolleretur.

Græci sacrificii in Galliam inferunt & tollunt.

Legitimus igitur Trophimi successor Dionysius, Arelate sedem aliquandiu fixit; Ecclesiam Petro, & Paulo consecrauit, q) versoque in terram Martis templo, Dæmones in hæc verba exclamare compulit: heu! quid faciemus? Paulus seruus Christi vsque Illyricum nos persecutus est, & per mare liberati huc venimus; modo ab alio Paulo Græco, sociisque eius, quorum nomina nescimus, hic consecuti, & catenis ferreis ligati sumus: muneribus tandem Pontificiis Arelate absolutis, Lutetiam Parisiorum se contulit, dato successore, Regulo discipulo.

S. REGVLVS.

S. Regulus. III. SAnctus Regulus S. Ioannis Euangelistæ r) discipulus, D. Dionysium D Romam & in Gallias secutus, Arelatensem Ecclesiam rexit, vsque ad tempus, quo Dionysius Martyr occubuit. Dum enim Arelate Sacra Missarum de more faceret, sane vt aliorum Martyrum, sic nomina Dionysii & sociorum quos nondum audierat passos, inconsiderate protulit: miratus ea sibi non cogitanti nomina excidisse, vidit in altari tres columbas cruci insidentes, quarum e rostris ea pendebant graphice scripta: quo quidem prodigio cognouit Sanctos Martyrio vitam consummasse. In Celticam igitur Galliam migrauit, Syluanectensem Ecclesiam administraturus, delecto Arelate anno Christi cxxi. Feli- 121.
cissimo successore. Annua eius festiuitas quotannis celebranda recurrit die xxx. Martii mensis, ex Martyrologio Romano apud Baronium, de quo in eadem Ecclesia Siluanectensi hic decantatur Hymnus, qui sententiæ nostræ de Dionysio & Regulo Pontificibus Arelatensibus fauet:

Regulus
Romam caput vrbium,
Quærens Dionysium
A Mycænis venerat,
Cum quo vel cum ceteris
Sociis itineris
Arelatem properat:
Vbi Pastor residens
Signum vidit euidens
De Sanctorum gloria.
Quemque suo nomine
Monstrans colla sanguine
Columbarum varia. B

S. FELICISSIMVS. SEV FELIX I.

Felix I. IV. QVo præcise anno sacrum lituum sumpserit Felicissimus, quo deseruerit, licet ignoretur, perducta tamen ad inferiores analogia, credibile est ipsum ab anno cxxi. vsque ad annum cxl. vitam produxisse. 140.

GRATIVS.

Gratus. V. HIc & sex proxime adsequentes tardius exeruntur in vnico M. S. codice, qui C nobis supereſt, sed cum in illo tardiore loco nullum supersit tempus, medium, vt saltem ex verisimili inducantur, hic vero tempus vacuum sit; ideo illos spatiose & oportune inter Felicissimum, & Martianum inserimus. Gratius vero sedit vsque ad annum clx. 160.

AMBROSIVS.

Ambrosius VI. AMbrosius iuxta allatos proportionum calculos sedit vsque ad annum clxxx. 180.

MARTINVS.

Martinus. VII. MArtinus, Ambrosii successor, vsque ad annum cc. 200.

INGENVVS.

Ingenuus. VIII. ORdinatus est Ingenuus defuncto Martino, Ecclesiamque Arelatensem administrauit annis saltem xx. obiit vero Christi ccxx. 220.

AVGVSTINVS.

Augustinus. IX. INgenuum secutus est Augustinus: vitam & dignitatem reliquit anno ccxxx. 230.

p) Lib. 5. de rebus Hispaniæ.
q) Vita Reguli. M. S.
r) Petrus de Natalibus. Fasciculus temporum. Antonimus 1. part. c. 27. tit. 6. §. 2. Baron. in Martyrolog. 30. Martii. Vsuardus. Mombritius Tom. 2. M. S. Codex.

HIERONYMVS.

Hieronymus. 240.

X. Hieronymus statim vt coniicere licet in demortui locum subrogatus est, sedemque repleuit ad annum CCXL.

SAVITIVS.

Savitius. 252.

XI. Savitius Martianum præcessit, seditque saltem per annos XII.

MARTIANVS.

Martianus, Novatianus.

XII. Martianus, Arelatensis Ecclesiæ sedem adeptus, Nouatiani erroribus irretitus, qui nolebat lapsos in Ecclesiam recipiendos, tantum Ecclesiæ Gallicanæ timorem incussit, ne præsules alios, authoritate Metropolitani, in suam sententiam pertraheret: vt Faustinus cæterique Galliarum Episcopi, ad D. Cyprianum; Cyprianus, s) ad Stephanum I. Pontificem (cuius erat Metropolitanum deponere) scripserint, rogaturi, fas esset Hæreticum Martianum de gradu abiicere, & electum a ciuibus Arelatensibus, abiecto suffici: quod an factum sit, melioremue ad frugem se receperit Martianus, quis asserat? certe quidem ab Elencho Antistitum Arelatensium, quem in Archiuo nostro asseruamus, expunctus reperitur: restituitur tamen ab inuito, cum nomen titulumque Arelatensis Episcopi possederit; præfuit Ecclesiæ vsque ad initium tertii sæculi; si annos aliquot vacuos nolimus admittere.

300.

S. MARINVS. SEV MAVRINVS.

S. Marinus.

XIII. Sæculum tertium aperitur Marino Arelatensi præsule: hic fuit apud Gallos sanctitate & eruditione insignis, vnde Cæciliano (quem Maiolinus Donati hæretici partes fouens, e sede pellere tentabat) cum Materno Agripinensi, & Reticio Augustodunensi datus est judex a Magno illo Constantino t) in fide adhuc rudi, & nondum probe judiciorum Ecclesiasticorum formam callente: ab his autem judicibus, quos Imperator delegauerat, dimissus est ad Melchiadem summum pontificem, & judicem controuersiarum fidei summum Cæcilianus, u) atque absolutus est. Appellauere ad Imperatorem nulla judicii ratione habita Donatus & Majolinus, coactusque fuit Imperator primum Concilium Arelatense w) indicere; ad quod ducenti ex Augustino, x) sexcenti ex Adone, y) trecenti decem & octo ex nostro Codice z) patres conuenere; sancitæ demum leges Marino præsule, & Syluestro primo pontifici oblatæ, vt ipsas secundum pristinum Ecclesiæ morem probaret.

An affuerit in Concilio Arel.

Iterum tamen Cæcilianus impostura liberatus, & Maiolinus pœnas non dedit, hæretico debitas. Est sane quod mirer auctorem quempiam, aa) qui ex Adonis textu conatus est elicere Marinum minime Concilio interfuisse, cum tamen in Epistola Synodali, quam patres ad Syluestrum misere, hæc expresse habeantur: Domino & Sanctissimo fratri Syluestro Episcopo, Marinus; vel cætus Episcoporum qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi, quæ decreuimus communi Concilio charitatiue significamus.

At ne mireris, lector, Arelatem hac ætate oppidum dictam, illius enim muros Crocus bb) Alemanorum dux sub Mariano præside, (sed legendum credo sub Martiano præsule) solo æquarat; ideoque non ausi sunt patres vrbem dicere, idque non ex mente mea, sed Sulpitii apud Ciceronem. cc) Ex Asia (inquit) rediens cum ab Ægina Megaram versus nauigarem, cœpi regiones circumcirca perspicere, post me erat Ægina, ante Megara, dextra Pyræus, sinistra Corinthus, quæ oppida quodam tempore florentissima, nunc prostrata & diruta ante oculos iacent; cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevis esse debet, cum vno loco tot oppidorum cadauera proiecta jaceant. Vno carmine Rutilius dd) sententiam nostram exprimit:

Non indignemur mortalia corpora solui
Cernimus exemplis oppida posse mori.

Muros vero nostros, vrbemque instaurauit Constantinus Magnus, & a suo nomine Constantinam jussit appellari: lego enim in nostro ee) Codice M. S. a piissimo Augusto Constantino reædificata est Arelas, quæ nescio quibus ruinis defecerat, & vt apicem semper obtineret dignitatis, dilectionis signo nomen suum imposuit ei. His suffragatur Honorii & Theodosii A. A. ff) decretum. Ac plane præter necessitates publicas etiam humanæ ipsi conuersationi non parum credimus commoditatis accedere, quod in Constantina vrbe jubemus annis singulis esse concilium. Ergo quis non videt hallucinari Scaligerum, gg) dum nomen Constantina & Constitutionem Honorii & Theodosii ad Constantinum Britannum, & Tyrannum reuocat. Legebatur etiam in marmore extra portam militarem, & in ædibus Templariorum Arelate.

Arelate a Constantino M. instaurata.

IMP. CÆS. FL. VAL. CONSTANTINO P. F. AVG. RESTITVTORI.

Arelatem vero vt suam adamasse Constantinum, non ex nomine, & restauratione murorum tantum conuincitur: imo ex filio, cui Arelatensis nomen dedit: cum enim Arelate natus esset, hh) vulgo Constantinus Arelatensis ab historicis dictus legitur; nec diu oppidi nomen tulit vrbs clarissima; nam Prudentius ait ii)

s) Lib. 3. Ep. 13.
t) Optat. Mileuitan. contra Parmenionem. Lib. 1.
u) Euseb. lib. 10. c. 5.
w) Dist. 16. tom. conc. 1.
x) Lib. 1. c. 5. in Epist. contra Parmenionem.
y) In Chronicis ætate sexta.
z) Codex M. S. auctoritatum S. sedis Apost. & Imperat.
aa) Scuertius in Catalogo Episcoporum Arelatensium, quem a me habuit.
bb) Gregor. Turon. Lib. 1. cap. 34.
cc) Lib. 4. Epist. dd) In Itiner. Lib. 1.
ee) Codex auctoritat. Apost. ff) Ibidem.
gg) In Ausonianis lectionibus Lib 1. cap. 24.
hh) Sext. Aurel. Victor. in Constantino & Zosimus hist. Lib. 2.
ii) Peristephanum.

S. Geneſii martyrium.

teque præpollens Arelas habebit Sancte Geneſi.

Geneſius Arelatenſis fuerat, celebriſque illius memoria extat in tabulis kk) Eccleſiaſticis, his verbis: Eodem die, Beati Geneſii Arelatenſis, qui exceptoris functus officio, cum impia, quibus Chriſtiani puniri iubebantur, edicta nollet excipere, comprehenſus, atque decollatus, Martyrii gloriam proprio cruore baptizatus, accepit. Idque confirmat Greg. ll) Porro ciues, Geneſium, cum ceruicem a tyranni crudelitate ſubduceret, velletque in eam vrbis partem transmeare, in qua hodie ſuburbium eſt. *Trencataille*, vndis Rodani recedentibus, ſicco veſtigio traieciſſe exiſtimant: imo ſæculorum conſenſu id probante, affirmant Geneſium e flumine egredientem a ſeruo publico percuſſum, caput præ manibus geſtaſſe, vt alterum Dionyſium, ad illum vſque locum, vbi morus ſanguine martyris irrigatus excreuerat: rem tamen paulo aliter Greg. mm) Paulinus, nn) Nolanus, Eucherius, & Hilarius oo) Arelatenſis, contigiſſe narrant; Hilarius enim Arelatenſis, quem Paulinus Nolanus & Eucherius ſequuntur, obſequentes vndas aſſerit iter Martyri præbuiſſe. Incumbente (ait) perſecutionis mole, inſequentibus Diaboli miniſtris, Rodani ſe immittit fluentis, in vlteriorem ripam de ciuitate in ciuitatem flumine obſequente tranſgreditur, non vt glorioſam mortem fugeret; ſed vt martyrii ordini nihil deeſſet, ſubditque paulo poſt; illic adprehenſus Chriſto immolatur, & triumphali cruore perfunditur, vnda precioſi ſanguinis Baptiſmi ſacramenta complentur, cadit in pretium veritatis, hoſtis pietatis. Greg. pp) a re geſta miraculum abfuiſſe dicit. Super Rodanum (inquit) fluuium, vbi beatus Martyr (Geneſius ſc.) nataſſe fertur.

Pictores mendaces.

Caput vero geſtaſſe, cum nullibi legero (licet ita illum Pictores, & Statuarii effingant) non aſſero, celebrem tamen miraculis agnoſcit Eccleſia. Greg. qq) enim Turon. Eſt autem (inquit) ibi arbor, vbi dicitur decollatus fuiſſe (Geneſius ſcilicet) genere morus, ex qua infirmis multa plerumque beneficia, impertiente Martyre, ſunt conceſſa: ſed decurſis temporibus, cum rami cortexque eius pro ſaluatione a multis detraherentur, areſacta eſt; veruntamen adhuc fideliter petentibus viuit, ſimilia præbens medicamina, quod ſupereſt de columna.

Plurima ſuperſunt miracula, in quibus non hæreo; vnum tibi erit præ multis, quod Hilarius noſter, qui præſens periculo interfuit, eleganter deſcripſit.

INSIGNE MIRACVLVM B. GENESII.

AB. HILARIO ARELATENSI EPISC. CONSCRIPTVM.

Geneſii miraculum.

Opera Dei narrare honorificum eſt. Ergo operæ pretium eſt miracula diuini operis, ad ſancti Martyris Geneſii gloriam referenda, narrare: natalis enim ipſius die, frequens ille in ciuitate Arelatenſi caſus, pontis abrupti periculo, vrbem totam nimio timore concuſſit & animis ſubiti pauoris diſcrimine concuſſis, ſolemnitatis lætitiam recepta ſalutis gratia, lætiorem reddidit, iucunditate duplicata. Nam cùm ſuos in hac celebritate, plus etiam quam ſuos Arelas populus coegiſſet, quorum in illa die gaudiis agendis ipſa ciuitas angusta erat, ſemitæ & ſpatia camporum, hærente in agmine, & laborantibus ſua cunctis denſitate ibat in vlterioris fluminis ripam, in honorem Martyris, Chriſto deuotus exercitus, cum charis conjugibus, dulcibus pignoribus, plura ſimul beneficia habere feſtinans. Nec contentus uno in loco vota perfundere, in Eccleſia peruigil, antelucanus ad locum cædis ſanguinis feſtinabat: item ad ſepulcrum, gaudiorum immolans hoſtias, quaſi occupaturus aures martyris properabat. Nec clericorum officia ſolemniter ordinata, nec ipſum denique lucis tempus expectabat. Splendor ſiquidem feſtiuitatis, collucente vrbe tota, omnem omnimodis pepulerat noctis horrorem. Interim via illa nualis, qua inter confœderatas ſibi vrbes illius terribilis Rodani terga calcantur, ſubito aut ſub iniuſto faſce; aut nimio materiarum pondere; aut per obliquam amnis illapſum, prona diffiſa eſt. Incertum eſt, quo caſu: certum tamen, cuius inſidiis pretioſum onus, hoc eſt, fidelium tuimam in mediis fluctibus male pendula ſtrata depoſuit adſtante me, quod veraciter loquor & pedem ab ipſo (vt ita dixerim) ponte referente. Ingens illico fragor populi tam ruentis, quam circumſtantis, exoritur: pauor tota vrbe percurrit: hic conjugi, ille filiis, alii propinquis, alii amicis, omnes ſimul diuerſis affectibus metuunt, qui parum ciuibus.

Inter hæc Sanctæ recordationis Antiſtiti Honorato, quo tunc ille populus paſtore gaudebat, vni quidem pro omnibus metuenti omne cladis pondus incumbit. Quos tunc illa pietas ſtimulos accepit? quam ſubita animi ægritudine ægris ægrior fuit, erectis confeſtim ad cælum oculis, intentione cordis humilibus exæquata, ita a nobis circumſtantibus mentis exceſſu totus abſceſſit, vt nemo dubitaret, quin tribunalibus Chriſti cum S. Geneſio, opem præſentis mali impetraturus adſtaret. Agebantur interim grandi tumultu miſeranda naufragia, mixti hominibus phalerati equi impedito indignantes natatu, altis pectoribus crura iactabant, quicquid obuium fuerat, ſeu admoniti periculo, ſeu pauidi inſtinctu, proculcantes pauida virtute: impliciti charis oneribus matrum vlnam & preſſi caueis matronalibus famuli & tota itineris ſui immixta fragminibus pompa ſolennis. Nemo hoc loco malus interpres occurrat, nemo tantam martyris gloriam maligna obtrectatione obſcuret, & ripæ vicinam turbam, nullus alleget; nemo vndis exceptos aſſeret, quos palam dextra diuina ſaluauit. Depreſſa peregrinorum mercibus quotidie iisdem ripis inæſtimabilium onerum nauigia jungantur: na-

kk) 8. Kalend. Septembris. Vſuardus, Ado, Beda & Baronius Annal. An. 303. n. 130.

ll) Turon. L. 1. miracul. cap. 68.

mm) Ibidem.

nn) Homil. 60.

oo) In homiliis, quæ Euſebio adſcribuntur, cum tamen ſint Hilarii Arelet.

pp) Turon. cit. qq) Ibidem.

uem

niem illic ferendis pontibus, tanquam iacere fundum desperaret, aggeribus ordinatio antiqua constituit. Tantum cum hoc vasto gurgite stipati populi pondus exposuit, quantum longissimis, validissimis, eodemque confractis pondere trabibus, acceperat.

OCCVRRAT *nunc animis atque oculis replicantium simul totum Rodanus, ruina, naufragium, implicanda turba miserorum, diuersa in vnum diaboli insidiis conglomerata pernicies. Nihil periculo defuit, vt ad gloriam Martyris nihil deesset: quando enim alumnos ipsius mergeret fluuius, quem eodem die piis natalibus consecrasset. O magna Dei gloria! Erupit e vasto gurgite gloriosus exercitus, Iordanem iterum crederes rupto diuinitus omne patuisse, aut iterum maria populo Dei, sicut sub Moyse quondam Duce, in virgæ imperio iter, inter fluenta solidum præbuisse. Neminem ruina quassauit, neminem grauatum, vestibus fluuius inuoluit, nemini hausium suum fluuius ingessit. Illæsos omnes atque incolumes vernacula ac familiaris ripa suscepit. Pompa omnis sicut ingressa fuerat egressa est. Matresfamilias ex profundo famulorum suorum ceruicibus, mobilium cubiculorum secreta viderunt: acus ipsæ, vt ita dixerim, sicut affixæ fuerant, maternis manibus hæserunt. Nemo damnum aliquod rei, nemo dispendium salutis accepit. Occurrunt pignora chara pignoribus: vnusquisque proximum suum, cui plurimum inuerat, lætus amplectitur. Ostensum est salute dignum fidelis populi officium. Et denique plurimi (quod mecum forsitan & qui fecistis agnoscitis) illico, ne vel leuiter turbare deuotionem Sanctam liceret inimico, vestibus vt erant madidis nauigia conscendunt & matutinum rigorem fluuii, spe feruente contemnunt, festini quo intenderant, ad locum scilicet cædis animo victore perueniunt, alacritate maiori post periculum recens vota fusuri. O! dignæ audiri preces, quæ non fractæ injuriis imputare nesciunt, quod periclitati sunt: grates referre sciunt, quod euaserant. Omnes gaudio tripudiant, assistunt denique solemnibus læti: interfuisse periculis juvat, quia conspicabile interfuisse miraculis. Tantum cuique fuit de salute dubitasse, vt salutem suam mirabiliter acquireret. Integro suorum numero Honoratus pastor exultat: qui quidem hæc manu politiori, maiorique gratia mansuris, perpetuo sæculo, scriptis mandare potuisset, nisi diuini numeris conscius, in legatione sancti martyris particeps designatus, quod se præsule Dominus hæc contulisset, insolentius exultare timuisset. Et quidem ad nos beneficia per plures diffusa perueniunt: cæterum quanti in se priuata cognoscunt? Quod soli Deo adscribimus, qui omnium conditor & conscius colitur & viuit cum filio & spiritu sancto per infinita sæcula sæculorum, Amen.*

325. Ad Marinum redeo, qui vitam propagauit ad indictionem Concilii Nicæni, cui (si coniectura non improbatur) per legatum adfuit, Nicasium (nempe) Dinienſem Galliarum legatum, in Arelatensi Ecclesia, post Martinum successorem.

MARTINVS II.

XIV. MArtini tempus non tantum ex nostro M. S. rr) Codice sed etiam ex concilio Arelatensi secundo certum redditur: scrupulus tamen ad chronologiam supersest nonnullus; tum quod hæc Synodus secunda eosdem habeat patres subscriptos, quos prima; tum quod nulla de Photino & Bonozo hæreticis ante Siricii tempora (qui anno octogesimo quinto supra sæculum tertium vixit) memoria habeatur. At multiplici ratione hic scrupulus penitus euellitur; nimirum Donatistæ, qui opera Optati Mileuitani detruncarunt, hoc Concilium cum primo permixtum confusumque voluere, vt sententia in ipsos prolata nullum pondus & authoritatem ex concilio mutilo & incerto sibi conciliaret: canones vero, qui de Bonozo & Photino mentionem faciunt, nullus est, qui non videat ex marginali annotatione in textum suberinductos. Stet ergo, concilium Arelatense secundum proxime a peracto Nicæno fuisse celebratum, quod voluere authores permulti, nec obscuri nominis. tt) *Martinus II.*

326.

Porro de primatu Arelatensi eo in concilio egere patres; vnde colligere est, æmulos iam aliquos fuisse, qui Arelatensem Ecclesiam ex S. Trophimi Priuilegio primatum consecutam, in dubium vocabant: præsente tamen Vero (non Claudio) Viennensium Episcopo, nec reclamante, decreuere patres: *Primatus Arelat. d. sensus.*

AD ARELATENSIS EPISCOPI ARBITRIVM, SYNODVM CONGREGANDAM (AD QVAM VRBEM EX OMNIBVS MVNDI PARTIBVS PRÆCIPVE GALLICANIS SVB S. MARINI TEMPORE LEGIMVS CELEBRATVM FVISSE CONCILIVM ATQVE CONVENTVM) SI QVIS COMMONITVS, INFIRMITATIS CAVSA DEFVERIT, PERSONAM VICE SVA DIRIGAT; SI QVIS AVTEM ADESSE NEGLEXERIT, AVT COETVM FRATRVM (ANTEQVAM DISSOLVATVR CONCILIVM) CREDIDERIT DESERENDVM, ALIENVM SE A FRATRVM COMMVNIONE COGNOSCAT, NEC EVM RECIPI LICEAT, NISI IN SEQVENTI SYNODO FVERIT ABSOLVTVS. uu)

Obseruatum labentibus post sæculis hoc decretum, testantur omnes Pontificum Romanorum ad Arelatenses Episcopos litteræ. Nolim vero censeas, ex hoc canone ortam esse in Metropolitana Arelatensium Ecclesia dignitatem primatus; certum enim indubitatumque est, a D. Trophimo, tanquam vero germanoque fonte, in subsequentes Episco-

rr) Codex ille inscribitur liber plurimorum Confessorum.

tt) Baron. Anno 314. n. 50. licet dubius. Azor Inst. Moralium p. 2. Lib. 5. c. 19. Genebrard. in Sylvestro & Gauterius, præceptor in Theologicis quondam meus, in tabula chronographica sæcul. 4. col. 3.

uu) Concil. Arelat. 2. can. 18.

pos

pos effluxisse. Martinus igitur licet certo sit ordine proximus Marino, incerto tamen est exitu; potuitque sedere ab anno CCCXXV. ad annum CCCXXXV. 335.

NICASIVS.

Nicasius. XV. DInia Sentiorum, xx) aut Ebroduntiorum yy) oppidum est antiquo Episcopatu insigne in Prouincia Romanorum, cui A præerat Nicasius tempore concilii Nicæni: zz) Oecumenico enim concilio Galliarum Legatus subscripsit: sed moneo, prouinciæ Galliarum nomine intelligi Galliam totam debere, non prouinciam Alpinam, in qua sita est Dinia, vt recte aduertit Massonus: a) quam legationem tanta cum laude exercuit, vt defuncti Martini nostri locum supplere meruerit; coniectura facilis & expedita est; tum quod celebris & magni nominis esset in prouincia nostra, arduis etiam negotiis rite perfunctus; tum quod ipsum hac ætate, aut connominem nobis offerat Elenchus noster: ad clavum igitur sedit ab anno CCCXXXV. ad CCCXLIII.

VALENTINVS.

Valentinus. XVI. MAiorumne incuria, aut alia quauis forte expunctus fuerit ex Arelatensis Ecclesiæ fastis Valentinus, licet ignoretur: restituatur tamen necesse est. Initium sedis habuit anno salutis CCCXLIII. Colonienſi b) & Sardicensi c) conciliis præsens interfuit. In hoc de Athanasii cæterorumque exulum causa agebatur contra Eusebianos; quibus ad concilium se conferre apud Sardicam d) (quæ finis Illyrii Mysiæ atque Thraciæ reperitur, a Philipoli montis interstitio cui nomen Tituris separata; nobilis tunc ciuitas C e), quæ a Turcis capta Triaditze f) dicta est) recusantibus, calculo omnium Patrum, secundum sententiam Iulii Papæ g) antea Romæ latam absolutus est; simulque omnes ab Eusebianis ab Alexandrina ecclesia ejectos atque damnatos, postliminio in pristinum statum sancta Synodus restituendos esse decreuit. In illo vero (Colonienſi scilicet) Euphrates Coloniæ Agrippinæ ciuitatis Episcopus, Christi diuinitatem negabat; in hunc sententiam dixit Valentinus: Quia Euphrates Christum Deum negat, consentio eum Episcopum esse non posse, qui nec laicam debet communionem accipere. D

Euphrates defensus. Suspicione minime vacare hanc Synodum, eximat Baronius h) haud enim facile adduci potest, vt credat, hominem infami adeo nota inustum i) (Euphratem scilicet) quantumlibet palinodiam recantasset, tam breui temporis spatio in pristinam sedem restitutum, & inter eximios sanctitate & doctrina viros, Galliarum Episcopos, qui Sardicensi interfuerunt, esse delectum, quem præsertim grauior hæresis, quam Arii infamasset: consecuto enim post anno, a Colonienſi concilio cum Vincentio Capuano honorificentissima legatione functus est ad Constantium Imperatorem, Antiochiæ commorantem; vt quos ipse ejecerat, a Synodo absolutos, pateretur in suas sedes reuerti: quicquid sit, Valentinus noster annum supra tertium sæculum non est prætergressus. 350.

SATVRNINVS.

XVII. DEsideratur etiam Saturninus in vnico illo Episcoporum Arelatensium indice, qui ad manum nostram peruenit; sed dispari a Valentino causa: fuit enim Saturninus homo præpotens, factiosus, & Arianus; cuius mentem & animum expressit Hilarius k) Expectatis enim (inquit ille) sanctæ & indemutabilis perseuerantiæ glorioſum triumphum, non cedendo Saturnini minis, potestatibus, bellis, &c. Illius vero in Galliis authoritatem declarat Seuerus: l) Gallias nostras Saturninus Arelatensium Episcopus, homo præpotens & factiosus, premebat: graphice illum etiam alio in loco describit, dum videlicet ita: Arianorum partes sustinebat, vt, quæcumque in contrarium consilia sese opponerent, vi & potestate tyrannica frangeret. Resistebat (ait ille) sanis consiliis Saturninus Arelatensium Episcopus, vir sane pessimus, & ingenio malo prauoque; verum etiam præter Hæresis infamiam, multis atque nefandis crimininibus conuictus. *Saturninus.*

Ejus animus pertusus. Is porro Saturninus in Episcopum Arelatensem electus, fauore Constantii imperatoris fretus, tantas in Galliis contra Orthodoxos procellas excitabat, vt ad illas sedandas coactus fuerit Liberius Papa legationem ad Imperatorem Arelate tunc agentem destinare: m) qua functus est Vincentius aliique collegæ: nec in alium locum transferenda sacra comitia censuit Cæsar. Conuenere igitur Arelatem n) patres, dictaque est in Athanasium sententia damnationis, cui Vincentius ipse Capuanus, summi Pontificis vices agens, turpiter lapsus subscripsit. Secundo deinde ab hinc anno celebrari concilium Mediolani curauit Liberius, vt conflatas ab Arianis in Athanasium calumnias solueret, & ab insolenti indignaque subscriptione reuocaret Episcopos: aliter tamen se res habuit Constantio tyrannice contra Ecclesiam perseuerante: de illo enim concilio, Hilarius (ait Eusebius o) Vercellensis Episcopus) post Arelatensem Synodum, cum Paulinus (Maximo in Ecclesia Trenerensi suffectus) Episcopus, tantis istorum 353.

xx) Mytteus in Geographia Ecclesiast. verbo Dinia.
yy) Plin. nat. hist. lib. 3. cap. 4.
zz) Tom. Conc. 1. & Baron. Anno 325. n. 1.
a) In notitia Episcopatuum Galliæ.
b) Tom. 1. Concil. & Baronius anno 346. n. 7.
c) Socrates lib. 2. c. 15 Sozom. lib. 3. cap. 11. in fin. Baron. anno 347. n. 1. Tom. Conc. 1.
d) Plin. lib. 5. cap. 29.
e) Socrat. lib. 2. c. 18.
f) Theodorus comment. in Præfat. ad canon. conc Sardic.
g) Baronius anno 347. num. 19.
h) Anno 346. n. 7.
i) Athanas. ad Solitarium & Theodore lib. 2. c. 9. & 10.
k) Hilarius lib. de Synodis.
l) Seuerus lib. 2. tom. 2. Bibliot. Sanctæ.
m) Baronius anno 353. n. 16.
n) Seuerus lib. 2.
o) Sozomen. lib. 4. c. 8. & Baronius anno 355. n. 3. & Socrat. lib. 2. cap. 29.

scele-

sceleribus contraisset, venire Mediolanum præcipitur, collecta iam illic malignantium synagoga. p) Quartus autem ordine inter subscriptos reperitur Saturninus noster.

Cum vero harum Synodorum authoritate celebres fama Episcopi in exilium acti essent, Hilarius & Episcopi Gallicani in vnum conuenere, vt se a comunione Saturnini & sociorum separarent: indignatus non mediocriter Saturninus, se Primarium Antistitem Galliarum, & Arianæ antesignanum factionis, ab Episcopis suæ Prouinciæ communicatione secludi, egit e fauore Constantii, vt in sua ipsius diœcesi, prope Arelatem Biterris concilium cogeretur. Biterra (Plinio Bitera) Septimanorum olim a monte, & orgo vocabatur, posteaque Biterris dicta est quasi bis terra, ob abundantiam annonæ; monti præalto assidet, ad cuius radices decurrit amnis Orgius: vrbs est Episcopalis; illic igitur Synodum q) indixit Saturninus, & vi Præsidum catholici Episcopi venire compulsi sunt, datis iussu imperatoris tractoriis pro viatico publico assequendo: Diplomata enim ea ætate concedebant imperatores, quæ tantæ erant æstimationis, vt absque imperatoris assensu r) nequaquam a Proconsulibus dari solerent: dabantur autem missis vel a principe euocatis, adscriptis diuersoriis, in quibus alerentur sumptibus publicis: ipseque Hilarius patrum sententia exilio damnatus solum vertit; hæc enim Seueri s) verba sunt. Hilarius Pictauorum Episcopus exilio damnatur: Rodanium quoque Tholosanum Antistitem, qui natura lenior, non tam suis viribus, quam Hilarii societate non cesserat Arianis, eadem conditio implicuit.

Concilium Biterræ.

Vnde dicta Biterra?

356.

De hac vero & Arelatensi Synodis; tum de genio Saturnini vt nobis constet, verba Seueri profero: t) Cæterum a nostris; tum apud Arelatem, ac Biterras Galliarum oppida, Episcoporum concilia fuere. Petebatur, vt, priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent, & tum demum de re cognoscendum, cum de persona judicium constitisset; sed Valens sociique eius prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi. Conquieuere demum hi turbines, redditaque est pristina Ecclesiæ tranquillitas, & Hilarius ab exilio reuocatus u) vbique in Galliis Synodos conuocabat, vt ad sanam mentem redirent, qui Arianis aut vi, aut precibus, aut seducti adhæserant.

Saturnius vero conuictus hæreseos, & extra Ecclesiam eiectus, contumax hæsit in errore, vt patet non solum ex citatis Seueri verbis: w) resistebant sanis consiliis Saturninus Arelatensium Episcopus; sed etiam ex illa Synodi Epistola, quam Gallicani Præsules ad orientales Episcopos direxerunt. x) A sacerdotio, inquiunt, Saturninum, qui statutis salubribus impiissime contradixit, secundum fratrum nostrorum geminas iam litteras excommunicatum, ab omnibus Gallicanis Episcopis charitas vestra cognoscat, quem & vetera (dissimulata iamdiu licet) crimina, & cætera edita epistolis suis, nouæ temeritatis irreligiositas, indignum Episcopi nomine esse fecerunt.

Ex his conuincimur, omnes Gallicanos Episcopos resipuisse, Saturninum vero in impietate perseueraſſe; si tamen lata in eum sententia depositionis rata fuerit: etenim quis in eius locum suffectus sit, nullus author prodit. Nec tamen Rubio y) adhærere possumus existimanti, Primatiæ dignitatem Arelatensibus propter Saturnini facinora sublatam, quandoquidem constat ex antiquioribus, & recentioribus Saturnino summiorum pontificum diplomatibus, Arelatenses Episcopos hoc jure fuisse vsos.

Saturnius datate perseueraſſe dicitur.

At cum Saturnino sedente, Constantius circenses & theatrales ludos Arelate in Amphitheatro (vulgo Arena) exhibuerit, de illis dicendum est. Primus hos ludos fecit z) Romulus, quarto mense ab vrbe condita, quo die Sabinas rapuit, circensesque dixit aa), quod ensibus circundarentur; nam cum rudis vetustas, non loca huiusmodi ludis apta ædificasset, inter flumina & enses eos agebat, vt ignauis præseris esset vtrimque periculum: Postea Tarquinio Prisco rege bb) locus est designatus circo, qui maximus dictus est; temporarium, deinde erexit cc) L. Mummius in quo populus Romanus stans ludos spectabat; mansurum ex quadrato lapide constituxit Pompeius Magnus. dd) I. Cæsar ee) circum fecit longitudine trium stadiorum, latitudine vnius; sed cum ædificiis jugerum quaternum, ad sedem CCLX. millium; idem, solum tantum foro extruendo, sestertiis mille ducentis emisse dicitur; eoque pompa & sumptus progressus est, vt Martialis, ff) Domitiani Imperatoris Amphitheatrum omnibus miraculis superbisque ædificiis antepositum.

Ludi Circenses Arelate.

Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro,
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Florente tandem imperio, deductisque in Prouincias Coloniis, iidem exhibiti fuere ludi, extructæ Arenæ, & ædificata Amphitheatra.

Nobilissimum exurgit Arelate, quinquaginta sex arcus seu fornices habens, amplissimis subterraneis fossis subnixum eleganti olim marmore, gg) adornatum, nunc vrbanis priuatisque ædificiis inseruit: illic deuicto Magnentio, cæterisque imperii perduellibus, qui

p) Ex tabula Archiui Vercellensis Ecclesiæ & Baron. anno 355. n. 22.
q) Seuerus lib.
r) Plinius lib. 10. Epist. 121. 122.
s) Lib. 2. hist. Eccles.
t) Lib. 2. hist. Eccles.
u) Seuerus lib 2. hist. Eccles. & Fortunatus, apud Baronium anno 360. n. 15. & Epistola Synodi Parisiensis, quæ habetur in officina Ecclesia, Pet. Pitoei a Fabro edita.
w) Hist. Eccles. lib 2.
x) Hilarius Frag. lib. 1. 2. 3. habetur in officina Eccles. (Pitæi.
y) Hist. Lugd. lib. 10. c. 4.
z) Fabius pictor ex Theatro vitæ humanæ vol. 10. lib. 2
aa) Seruius.
bb) Sabellicus lib. 4. Ennead. 2.
cc) Theatrum vitæ humanæ vol. 10. lib. 2.
dd) Tacitus lib. 14.
ee) Tacitus & Suetonius.
ff) Lib. 1.
gg) Vt patet ex vita Hilarii Arelat.

qui rebellionem fecerant, ludos celebrari voluit Constantius: quod Marcellinus hh) testatur: Arelate hyemem agens Constantius, post theatrales ludos atque circenses ambitioso editos apparatu, ad diem sextum octobris, qui imperii ejus annum tricesimum terminabat, insolentia pondera grauius librans, si quid dubium deferebatur aut falsum pro liquido accipiens, &c. At magnum fuisse apparatum ne dubites, Tertullianus ii) in hos ludos inuehit, his verbis: Sed circensium paulo pompatior suggestus, quibus proprie hoc nomen Pompa præcedit; quorum sit in semet ipsa probans de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de thensis, de Armamaxis, de sedibus, de coronis, de exuuiis; quanta præterea sacra, quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant; quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moueantur, sciunt homines illius vrbis, in qua dæmoniorum conuentus consedit. Sed cum luxus pompam comitetur, hos ludos euitandos docet Hieronymus kk): Arena, inquit, sæuiat, circus insaniat, theatra luxurient. Iulianus ipse licet a ritibus nostris abhorreat, Constantium ll) decessorem suum irridet, quod dies integros in his ludis & spectaculis transigeret.

At jam ad Saturninum reuocetur oratio, qui animam efflauit anno salutis CCCLXII. aut circa. 362.

CRESCENTIVS.

Crescentius.

XIIX. Hic, inter Saturninum, & Concordium ponitur, nullo annorum certo calculo: vixisse tamen creditur ad annum CCCLXX. 370.

CONCORDIVS.

Concordius.

XIX. COncordium ex palæstra Lerinensi, ad Arelatensis Ecclesiæ administrationem vocatum, refert Salernus mm): sed perperam, primum enim inquilinum agnoscit Lerina Honoratum nostrum sæculo IV. inchoato. Concordius vero sedit in concilio Valentiæ Segalaunorum seu Cauarum ad Rodanum: cuius tantum extant quatuor canones editi, anno salutis CCCLXXIV. In Kalendario nostro Sanctis adscribitur, decessitque, vt verisimile est, anno CCCXXC. Porro de sanctissimi præsulis rebus gestis, præter effractum sepulcrum, nihil supereſt, in æde diui Honorati ad pomerium vrbis, in fornice, qui est subtus altare, si tamen illius est, non vero cuiusdam Sacrificuli, continetque hoc elogium: 374. 380.

Integer atque pius, vita, & corpore purus:
Æterno, hic positus viuit Concordius, æuo.
Qui teneris primum ministrum fulsit in annis,
Post etiam lectus, cælesti lege sacerdos
Triginta, & geminos, decimum vix reddidit, annos
Hunc cito sydereum raptum omnipotentis in aulam
Et mater blanda, & fratres in funere quærunt.

Pura putaque ex marmore verba scribo.

Columbæ ramos in rostris deferentes, & labarum hac figura effformatum ☧ illius Sarcophagi partem anteriorem exornant; sed de his alias vbi commodior erit locus.

CONSTANTINUS.

XX. COnstantinus, in Archiuis dii a me quæsitus, minime repertus est: illum tamen nobis restituit, Massonus nn); conuenerant enim patres Aquileiæ Carnorum Metropoli, vt sententiam in Palladium, & Secundianum Arianos dicerent, cui in hunc modum subscripsere: Theodorus Episcopus Octodorensis; Dominus Gratianopolitanus; Constantinus Episcopus Arelatensis (alii vero legunt Episcopus Arausicæ) & Proculus Episcopus Narbonensis. Subdit vero Massonus: Inepte enim ab ineptiori Librario Massiliensis scriptum est primæ, cum prima sit Narbonensis: confirmari tamen potest Massoni de Constantino assertio; quod non ea ætate Constantinus fuerit Arausiensium Episcopus; imo Eutropius Sanctitate, & miraculis clarus: habitum est enim Aquileense concilium oo) anno salutis CCCXXCI. temporibus Valentiniani secundi, quo imperante refert Petrus pp) floruisse Eutropium, dubiumque sane solueret Verus Episcopus, si ea quæ de Eutropio conscripsit, extarent; Vsuardus qq) enim, Ado, & Sigebertus narrant Eutropii acta a Vero Episcopo fuisse litteris consignata. Vitam propagauit Constantinus ex coniectura, ad initium quarti sæculi. 400.

Constantinus. 381.

S. HEROS.

XXI. HEros B. Martini rr) Turonensis discipulus, vidit alterum Constantinum ss) Imperii solium Arelate collocasse; sed infelici illa ætate, qua barbaræ nationes, velut torrentes fractis obicibus Gallias inundarunt: cuius cladis meminit Hieronymus tt) Innumerabiles, inquit, & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, & (o lugenda Respublica!) hostes Pannonii vastarunt. Quo respexit Rutilius uu), dum reditum suum in Gallias describit:

S. Heros.

Gentes Galliam inundant.

At mea dilectis fortuna reuellitur oris,
Indigenamque suam Gallica rura vocant.
Illa quidem longis nimium deformia bellis.

& noster Sydonius: xx)

hh) Lib. 22.
ii) Lib. de Spectaculis.
kk) Ad Marcellam.
ll) In Misopoge.
mm) In Chronolog. Sanct. & alio. vir. illust. ac Abbat. insul. Lerin. part. 2. fol. 149.
nn) In notitia Episcopatuum Galliæ, quæ Francia est.
oo) Baronius 381. n. 102. in annalibus.
pp) In Catalogo lib. 5. cap. 57.
qq) De Scriptoribus Ecclesiast. cap. 73.
rr) Vignerius in Burgundionum chronico.
ss) Sozomenus lib. 9. c. 11. & Prosper in chron.
tt) Epist. 11. ad Agerruchiam.
uu) In Itiner. Lib. 1.
xx) Carmine 7. v. 295.

solitis

solitis defessa ruinis,
Gallia.

Quæ mala Stiliconis natione Vandali, vtriusque militiæ magistri sub Honorio, proditione contigisse Rutilius yy) indicat:

Quo magis est facinus diri Stiliconis acerbum,
Proditor arcani qui fuit imperii.

Sane confirmat Lampadius zz); cum enim de fœdere inter Honorium, & Alaricum sanciendo in Senatu ageretur, & Stilico in sententiam, qua aurum Alarico decerneba- A
tur, vt pacem haberet Honorius, inclinaret, libere respondit Lampadius: NON EST ISTA PAX, SED PACTIO SERVITVTIS.

Turbatis hunc in modum Reip. Rom. rebus, Constantinus, qui in Britannia erat, spe nominis elatus, a militibus purpuram, ab Arelatensibus Augustam sedem, & ab Honorio Consulatum accepit. De purpura Sozomenus a): Milites (inquit) qui in Britannia erant, Marco & Gratiano in imperium euectis, trucidatisque, Constantinum Imperatorem elegere, quod putarent eum ex nominis sui præsagio imperium constanter obtenturum. De Regia Arelate & filio Cæsare designato, loquuntur Historici b), & fornix, B
qui hac inscriptus Epigraphe adhuc supererat Arelate: (bb)

Constantinus Imp. electus.

Prope portam S. Martini ad Rodanum.

CONSTANTI. F. PRINCIPI
ONS:

Consulatum, asserit Sirmundus c), ex Olympiodori Thebæi sententia, & lapide Trevirensi, cuius inscriptionem græcam Iosephus Scaliger d) protulit, licet cuius Constantini fuerit, non dicat.

ENΘΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ ΕΥΣΕΒΙΑ ΕΝ ΕΙ-
ΡΗΝΗ ΟΥΣΑ ΙΕΡΟΚΩΜΙΤΙΣ ΑΠΟ
ΚΩΜΗΣ ΑΔΔΑΝΩΝ ΖΑΣΑΣΑ ΜΙ
ΚΡΟΝ ΠΡΟΣ ΕΤΩΝ ΙΕ. ΤΠΑΤΕΙΑ
ΟΝΟΡΙΟΥ ΤΟ Η. ΚΑΙ ΚΩΝΣΤΑΝ
ΤΙΝΟΥ ΤΟ Α. ΜΗΝΙ ΠΑΝΕΜΟΥ
ΙΒ. ΗΜΕΡΑ ΚΑ. Β ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ.

Latine vero reddita sic legitur:

Hic iacet Eusebia in pace;
Huius sacri pagi incola ex vico
Addonorum, vixit parum
ad annos circiter quindenos consulatu
Honorii septimo & Constantini
primo, mense Panemi duodecimo,
die tricesima, viuat in pace.

Felix interea Constantinus, si Honorio collega, in optatis tantum habuisset imperium Romanum in pristinum splendorem restituere, nec voluisset Honorium angustiis pressum, opprimere, sibique totum imperium vindicare: at cum in honore esset, non intellexit, imo ex maximo honore maximam sibi ignominiam comparauit; Alarici namque auxilio fretus, ad inuadendam Italiam se jam accingebat; audita vero Alarici morte consternatus Arelatem, vt tradit Sozomenus, e) se recepit: transmisitque illico in Prouinciam Romanorum exercitum Honorius, Constantio, Valentiniani postmodum patre, copiarum duce, qui Arelatem f) obsidione vallauit, quam commeatu & auxiliaribus interceptis cum minime sustineret Constantinus, quarto obsidionis mense in deditionem venit, ab Herote g) in sacerdotem Ecclesiæ matricis cooptatus, vt capitis pœnam declinaret. Post victoriam, ait Sozomenus h), rursus trajiciente Honorii exercitu ad ciuitatem (Arelatem sc.) certior factus Constantinus, Ebodichum esse sublatum, ipse sibi purpuram & Imperii insignia detrahit, & ad Ecclesiam confugiens ordinatur presbyter. Tum accepto prius iureiurando, qui intra mœnia erant, portas aperiunt, ac veniam consequuntur omnes. Itaque ex eo tempore prouincia ista rursus ad Honorii imperium reuersa est, ac ducibus ab illo constitutis paruit. Constantinus autem vna cum Iuliano filio in Italiam transmissus, antequam eo perueniret, occiditur. Orosius i) non Iulianum, imo Constantem Constantini filium nominat. Cætera vero, quæ tum Arelatem; tum reliquos Tyrannos respiciunt, Sozomenus diligenti narratione est prosequutus, quæ apud illum videre poteris.

Purpuram deponit.

Deuictis Tyrannis, summa rerum potitus Constantius, cum exulcerato in Herotem esset animo, quod illum aduersantem in vrbe haberet; aut quod a partibus Constantini fuisset, e sede expulit, intruso in eius locum Patroclo, anno salutis CCCCXII. rem gestam narrat Prosper. Eodem k) tempore Heros vir Sanctus, & B. Martini discipulus, cum Arelatensi oppido Episcopus præsideret, a populo ipsius ciuitatis insons, & nullis insimulationibus obnoxius, pulsus est: inque eius locum Patroclus ordinatur, amicus; & familiaris Constantis * Magistri militum; cuius per ipsum gratia quærebatur: eaque res inter Episcopos regionis illius, magnarum discordiarum causa fuit. Hanc sibi a Constantio illatam iniuriam, constanti & inuicto tulit animo Heros: totusque conuersus contra Celestii, & Pelagii hæresin, certamen aggreditur ad illos profligandos: meruitque Ecclesiæ Arelatensis Kalendario adscribi. Hic ergo annus CCCCXII. vltimus est sedis Sancti Herotis, quem in precio habitum hac ætate narrat Vignerius. l)

C D

412.

PATROCLVS.

Patroclus.

XXII. EXtincta Constantini tyrannide, Patroclus in Herotis pulli locum suf-

yy) In Itiner. Lib. 2.
zz) In Zozimo Lib. 5.
a) Lib. 9. cap. 11.
b) Zozimus Lib. 5 Sozomen Lib. 9. c. 11.
bb) Prope portam S. Martini ad Rodanum.
c) In notis ad Sydon. Apoll.
d) Lib. 5. de emendatione temporum.
e) Lib. 9. c. 12.
f) Idem Lib. 9. c. 13. Prosper in Chron. Marcellin. Comes & Vigner. in Burg. Chron.
g) Frigeridus apud Greg. Turon. Lib. 2. c. 9. hist. Franc.
h) Cap. 13.
i) Lib. 7. c. 40.
k) In Chron.
*) Constantii.
l) In Burg. Chron.

fectus, ſtuduit quam diligentiſſime, vt Zozimus ſummus Pontifex jura & priuilegia Arelatenſis Eccleſiæ integra & illæſa conſeruaret: nec fuit caſſus labor. Zozimus enim ad vniuerſos Galliarum Epiſcopos litteras dedit, de priuilegiis Arelatenſis Eccleſiæ
417. conſeruandis.

ZOZIMVS VNIVERSIS EPISCOPIS, PER GALLIAS, ET SEPTEM PROVINCIAS, CONSTITVTIS.

Litteræ de privil. Arel. Eccleſiæ ſeruandis.

Placuit m) *Apoſtolicæ ſedi, vt ſiquis ex qualibet Galliarum parte, ſub quolibet Eccleſiaſtico gradu ad nos Romam venire contendit, vel alio terrarum ire diſponit, non aliter proficiſcatur, niſi Metropolitani Arelatenſis Formatas acceperit, quibus ſacerdotium ſuum, vel locum Eccleſiaſticum, quem habet, ſcriptorum eius aſtipulatione perdoceat: quod ea gratia ſtatuimus, quia plures Epiſcopi, ſiue presbyteri, ſiue Eccleſiaſtici ſimulantes (quia nullum documentum formatarum extat, per quod valeant confutari) in nomen venerationis irrepunt, & indebitam reuerentiam promerentur. Quiſquis igitur, fratres chariſſimi, prætermiſſa ſupradicti Formata, ſiue Epiſcopus, ſiue presbyter, ſiue diaconus, aut deinceps in inferiori gradu ſit, ad nos venerit: ſciat ſe omnino ſuſcipi non poſſe. Quam auctoritatem nos vbique miſiſſe manifeſtum eſt, vt cunctis regionibus innoteſcat, id quod ſtatuimus omnimodis eſſe ſeruandum. Siquis autem hæc ſalubriter conſtituta temerare tentauerit, ſponte ſua ſe a noſtra nouerit communione diſcretum. Hoc autem priuilegium Formatarum Sancto Patroclo fratri & Coepiſcopo noſtro meritorum eius ſpeciali contemplatione conceſſimus. Iuſſimus autem præcipuam, ſicuti ſemper habuit, Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſium ciuitatis in ordinandis ſacerdotibus teneat auctoritatem; Viennenſem, Narbonenſem primam, & Narbonenſem ſecundam Prouincias ad Pontificium ſuum reuocet. Quiſquis vero poſt hac contra Apoſtolicæ ſedis ſtatutas & præcepta maiorum, omiſſo Metropolitano Epiſcopo, in prouinciis ſupradictis quemquam ordinare præſumpſerit, vel is, qui ordinari ſe illicite ſciuerit, vterque ſacerdotio ſe carere cognoſcat: quomodo enim poteſt auctoritatem ſummi pontificis obtinere, qui, quæ erant pontificis ſeruare, contempſit? Omnes ſane admonemus, vt quique finibus territoriiſque ſuis contenti ſint: de qua re ne ad nos querela vlterius redeat, admonemus.*

Dedit enim exemplum Arelatenſis Eccleſia, quæ ſibi Citharistam n) *& Gargariam parochias in territorio ſuo ſitas incorporari jure deſiderat, ne de cætero vllus ſacerdos in alterius ſacerdotis præſumat injuriam. Sane quoniam Metropolitanæ Arelatenſium vrbi vetus priuilegium minime derogandum eſt, ad quam primum ex hac ſede Trophimus ſummus antiſtes, ex cuius fonte totius Galliæ fidei riuulos acceperunt, directus eſt: idcirco quaſcunque parochias in quibuſlibet territoriis etiam extra prouincias ſuas (vt antiquitus habuit) inteſmerata auctoritate poſſideat. Ad cuius notitiam, ſi quid illic negotiorum emerſerit, referri cenſuimus, niſi magnitudo cauſæ etiam noſtrum requiras examen.*

Dat. xi. Kal. April. Honorio Aug. x. & Conſtantino: ſed irrepſit mendum, annus enim primus Zozimi Papæ, incidit in conſulatum Honorii xi. & Conſtantii ſecundum.

Hanc eandem epiſtolam Syluestro primo tribuit Boſchus, o) ſed titulus Epiſtolæ, & datarium, ipſum mendacii arguit: nec Paſchaſius (cuius ibi fit mentio) nec Claudius (vt vult Ado) ea ætate Viennenſi præerant Eccleſiæ, ſed Verus, vt ex ſubſcriptione concilii Arelatenſis ſecundi (quæ eſt primi, vt notauit Baronius p)) manifeſtum redditur: ſubſequentes etiam mihi patrocinantur Epiſtolæ: circulares enim dedit Zozimus Aurelio q) & vniuerſis per Africam conſtitutis Epiſcopis, etiam per Gallias & ſeptem Prouincias, & Epiſcopis per Hiſpaniam conſtitutis a pari, irritaſque voluit ordinationes abſque Patroclo factas, his verbis. Quid illud, quod prætermiſſo fratre noſtro Patroclo Metropolitano Epiſcopo Arelatenſium ciuitatis (ſine cuius auctoritate iuxta maiorum canones nulla penitus potuit ordinatio celebrari) tumultuoſe & turbide indebitis ſacerdotia impinguntur, nec ſaltem comprouinciales Epiſcopi corrogantur, vt error velamento aliquo tegeretur.

Addidit etiam litteras ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis & Narbonenſis ſecundæ ad commendandam antiſtitis noſtri auctoritatem. Indecens r) auſus, & in ipſo veſtibulo reſecandus, hoc ab Epiſcopis ob certas cauſas concilium agitantibus extorquere, quod contra ſtatuta patrum & ſancti Trophimi reuerentiam, qui primus Metropolitanus Arelatenſis ciuitatis ex hac ſede directus eſt, concedere, vel mutare, ne huius quidem ſedis poſſit auctoritas. Apud nos enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decreta patrum ſanxere reuerentiam. Et quia redire in ordinem ſuum intermiſſa præcipimus, F. C. Metropolitanus Arelatenſis ciuitatis Epiſcopus iam inde a Trophimo ordinationis ſeriem temporibus roboratam inuiolabili in vtraque Narbonenſi & Viennenſi auctoritate poſſideat.

Eius dem Litteræ alia.

Inuehitur deinde acriter in Hilarium Narbonenſem. Ergo s) licet ſola, quæ in ſede Apoſtolica habita ſunt, potuiſſent geſta ſufficere, tamen etiam hac te auctoritate confringimus & præſumptioni tuæ (quam extuliſſe contra veterem conſuetudinem videbaris) modum noueris juſtæ præſcriptionis indictum; neque æſtimes tibi vlterius pontificatum de

m) Baronius Anno 417. n. 14. & in noſtro M. S. Codice Authoritatum Rom. Pontif. & Imperat. fol. 3.
n) De Citharista Plin. Inſt. natur. Lib. 3. c. 4. num. 10.
o) In Bibliotheca Floriac. pag. vlt.
p) In Annal. Eccleſ. Anno 417. n. 43.
q) Baronius 417. n. 44. & Codex noſter iam cit. fol. 21.
r) Codex M. S. fol. 24. & Baron. Anno 417. n. 49.
s) Baronius ibidem n. 50. & Codex noſter fol. 25.

ordinan-

ordinandis sacerdotibus vendicandum, cum hoc videas Arelatensis Episcopo ciuitatis, & per Apostolicam sedem, & per Sancti Trophimi reuerentiam, & per veterem consuetudinem & nostra recenti euidentissima definitione deferri.

Legitur quidem apud Boschum t) reuocata a Zozimo quam tulerat aduersus Simplicium sententia ex mente concilii Taurinensis. Et licet Arelatensi Episcopo, antequam Legatus tuus venisset, propter reuerentiam Sancti Trophimi jus & pontificium super tres Prouincias habere scripserimus, tamen si ita est, vt scripta tua nobis missa continent, interim vsque dum lucidius ventiletur, potestatem antiquam tibi manere permittimus, vt sicut in Taurinensi grauissimorum Episcoporum Synodo, patis consilio decretum est, viciniores tibi intra prouinciam ciuitates vindices, donec plenius rei ordinem charitas Apostolica prosequatur. Ex his facile demonstratur (si hæc Epistola vera & germana sit,) quare Viennensis Episcopi contra Arelatensem Ecclesiam insurrexerint, nempe vt Synodus Taurinensis rata haberetur, vt se ab antiquo Arelatensium Episcoporum jure (a diui Trophimi ætate quæsito) subducerent: quod quidem mox dilucidius apparebit.

Nec his contentus fuit Zozimus, vt, quo animo esset erga Arelatensem Ecclesiam, explicaret, imo Vicariam Patroclo in Galliis præfecturam Apostolicam contulit. Quicunque u) igitur ex Gallicanis vndique regionibus veniunt, sub quouis Ecclesiastico nomine vel gradu, formatas per te commoniti mittendas esse cognoscant; alioquin sibi computabunt, si inefficaciter hac solemnitate postposita, te inconsulto ad nos venire contenderint: quod ab Episcopis, vsque ad vltimum Ecclesiasticum gradum obseruari conueniet. Quin etiam Proculus Massilienſis, qui Taurinensi concilio innixus, illicitas ordinationes præsumebat, ab eodem Zozimo x) damnatus est. His satis superque consultum Arelatensis Ecclesiæ dignitati intellexit Patroclus.

418.

Honorii & Theodosii Impp. de agendo quot annis conuentu Arelate. Rescripta.

Nec ingrato fuere in vrbem Imperatores animo: Honorius enim & Theodosius, de agendo singulis annis Arelate conuentu septem prouinciarum, rescripserunt ad Agricolam Galliarum præfectum: ex qua constitutione, quia constat cuncta in Galliis tyrannos turbasse; Arelatem non ab hoc vltimo Constantino tyranno dici Constantinam: nec Constantinum magnum: nec Constantinum tyrannum; imo Honorium, & Theodosium illam edidisse: testem enim habeo Hincmarum, y) & antiquum nostrum Codicem, contra Cusani z) & Scaligeri aa) sententiam, nec ex recenti jure conflatam, imo ex antiquo; ideo illam ex membranis nostris integram subjicio.

HONORIVS ET THEODOSIVS AVGVSTI V. I. AGRICOLÆ PRÆFECTO GALLIARVM.

Saluberrima bb) *magnificentiæ tuæ suggestione inter reliquas Reipublicæ vtilitates euidenter instructi, obseruanda prouincialibus nostris, ideſt per septem prouincias mansura in æuum auctoritate decreuimus; quod sperari plane abipsis prouincialibus debuisset. Nam cum propter priuatas ac publicas necessitates, de singulis ciuitatibus non solum de prouinciis singulis, ad examen magnificentiæ tuæ, vel honoratos confluere, vel mitti legatos, aut possessorum vtilitas, aut publicarum ratio exigat functionum: maxime opportunum & conducibile judicamus, vt seruata posthac annis singulis consuetudine, constituto tempore in Metropolitana, ideſt in Arelatensi vrbe, incipiant septem prouinciæ habere concilium. In quo plane tam singulis quam omnibus in commune consulimus. Primum vt optimorum conuenta sub illustri præsentia præfecturæ, si id tamen ratio publicæ dispositionis obtulerit, saluberrima de singulis rebus possint esse consilia. Tum quidquid tractatum fuerit, & discussis ratiociniis constitutum, nec latere potiores prouincias poterit & parem necesse est inter absentes æquitatis formam justitiæque seruari.*

Ac plane præter necessitates publicas, etiam humanæ ipsi conuersationi non parum credimus commoditatis accedere, quod in Constantina vrbe jubemus annis singulis esse concilium. Tanta enim loci opportunitas, tanta est copia commerciorum, tanta illic frequentia coementium, vt quidquid vsquam nascitur, illic commodius distrahatur. Neque enim vlla prouincia ita peculiari fructus sui felicitate lætatur, vt non hæc propria Arelatensis soli credatur esse fœcunditas. Quicquid enim dives Oriens, quicquid odoratus Arabs, quicquid delicatus Assyrius, quod fertilis Africa, quod speciosa Hispania, quod fortis Gallia potest habere præclarum, ita illic affatim exuberat, quasi ibi nascantur omnia, quæ vbique constat esse magnifica. Iam vero decursus Rodani & Tyrrheni recursus, necesse est vt vicinum faciant, ac pene conterminum, vel quod iste præterfluit, vel quod ille circuit.

Cum ergo huic seruiat ciuitati quicquid habet terra præcipuum, ad hanc velo, remo, vehiculo, terra, mari, flumine deferatur, quicquid singulis nascitur: quomodo non multum sibi Galliæ nostræ præstitum credant, cum in ea ciuitate præcipiamus esse conuentum, in qua diuino quodammodo munere commoditatum & commerciorum opportunitas tanta præstatur? Siquidem hoc, rationabili plane probatoque consilio, jam & vir illustris præfectus Petronius obseruari debere præceperit, quod interpolatum vel incuria temporum, vel desidia tyrannorum, reparari solita prudentiæ nostræ auctoritate decernimus, Agricola parens charissime atque amantissime. Vnde illustris magnificentia tua & hanc

t) Biblioth. Floriac. part. vlt. p. 29. & Baron. 417. n. 52.
u) Baronius Anno 417. n. 57. & Codex noster fol. 26.
x) Baronius Anno 418. n. 40. & 41. & Codex noster (fol. 28.
y) Epist. 6. c. 17.
z) Lib. 3. Concord. a Cathol. 35.
aa) In lectionibus Ausonianis lib. 1. c. 24.
bb) Codex M. S. Auctoritet. Apost. & Imper. fol prim. ex quo primus Authorum, qui publice scripserunt, desumpsit Sirmondus in suis ad Sidonium notis, quem plurimi secuti sunt & exscripserunt.

præceptionem noſtram, & priorem ſedis ſuæ diſpoſitionem ſecuta, id per ſeptem prouincias in perpetuum faceret cuſtodiri; vt ab idibus Auguſti, quibuscunque mediis diebus, in Idus Septembris, in Arelatenſi vrbe nouerint honorati, vel poſſeſſores, judices ſingulorum prouinciarum, annis ſingulis concilium eſſe feriandum. Ita vt de Nouempopulana, & ſecunda Aquitania, quæ Prouinciæ longius conſtitutæ ſunt, ſi earum judices certa occupatio tenuerit, ſciant legatos juxta conſuetudinem eſſe mittendos.

Qua prouiſione plurimum & Prouincialibus noſtris gratiæ nos intelligimus, vtilitatis quæ præſtare, & Arelatenſi vrbi, cuius fidei, ſecundum teſtimonia atque ſuffragia parentis patriciique noſtri, multa debemus, non parum adjicere nos conſtat ornatui. Sciat autem magnificentia tua, quinis auri libris judicem eſſe mulctandum; terris honoratos vel curiales, qui ad conſtitutum locum intra definitum tempus venire diſtulerint.

Anno 418. *Dat. XV. Kalend. Mai. accepta Arel. XKalend. Iunias Domino Honorio XII. & THEODOSIO.*

Octauum

Summam igitur tum in Eccleſiaſticis, tum in Politicis rebus auctoritatem Arelate conſecuta, Patroclum vidit, vltore numine, proſtratum: vallata enim Gothorum armis, & Aëtii virtute liberata, altero poſt anno, Felix Magiſter militum occultis inſidiis Patroclum interemit, ipſumque Felicem Aëtius, quod Proſper cc.) explicat de obſidione: Arelas nobile oppidum Galliarum a Gothis multa vi oppugnatum eſt, donec imminente
425. Aëtio non impuniti diſcederent; quam obſidionem ad Theodoricum ſeniorem reuocat Iſidorus, dd) dum ait: Littorius dum primum res proſperas aduerſus Gothos, qui ſub rege Theodorico Arelatem obſederant, geſſiſſet. ee) De nece Patrocli & Felicis his ipſis Coſſ. Theod. XII. & Valentiniano 2. Chriſti ſcilicet anno CCCCXXVI. Patroclus Arelatenſis Epiſcopus a Tribuno quodam barbaro vulneribus laniatus occiditur: quod facinus ad occultam juſſionem Felicis Magiſtri militum referebatur; verum quod ad Felicem Magiſtrum militiæ ſpectat, qui nefarium adeo ſcelus patrauit, haud inultus abiit; occiſus eſt enim vna cum vxore ſua ab Aëtio Magiſtro militum poſt triennium, vt auctor idem eſt Pro-
426. ſper. ff) Annus igitur Chriſti CCCCXXVI. vltimus eſt Patrocli, qui licet pulſo Herote, viro digno & Sancto, alienam ſedem violentus inuaſerit, de Eccleſia tamen Arelatenſi bene meruit.

S. HONORATVS.

S. Honoratus. XXII. SAnctus Honoratus ex Salerno, gg) natione Gallus, patria Burgundus, genere Senatorius, & illuſtris (ſed ex Baronio hh) Arelatenſis) quem divus Eucherius ii) primo inſularum, deinde vero Magiſtrum Eccleſiarum appellat, e Lerini inſulæ in mediterraneo mari poſitæ monaſterio (cuius fundamenta iecerat) in Arelatenſem Epiſcopum, occiſo Patroclo euectus fuit: ſtatu vero Eccleſiarum Galliæ Narbonenſis & Viennenſis, a nouatoribus turbato, qui peregrinarum veſtium vſum antiquis abrogatis in Eccleſiam inducebant, ecce monuit Cœleſtinus, vt moribus magis quam indumentis, ſtuderent deco- 428.
rem præ ſe ferre; in qua quidem Epiſtola primatus Arelatenſis demonſtratur, delato ad illum Danielis cuiusdam judicio his verbis: Daniel (kk nuper miſſa relatione ex orientalibus ad nos partibus, ab omni, quod tenuerat, Virginum monaſterio, nefariis eſt obiectionibus accuſatus: multa a multis obiecta flagitia. In quanam lateret terrarum parte, quæſitus eſt: vt ſi ſuæ innocentiæ confideret, contra ſe judicium poſtulatum minime declinaret. Miſſæ ſunt ad Arelatenſem Epiſcopum per Fortunatum ſubdiaconum noſtrum præceptiones; vt ad judicium Epiſcopale deſtinaretur: praxis ergo judiciorum ea erat, vt ex officio primariæ dignitatis, cauſæ ad tribunal Epiſcoporum Arelatenſium deferri ſolerent, ſicut ex vniuerſo orbe ad Romanum pontificem. Ad poſtremum eadem in Epiſtola ſubdit Cœleſtinus: Maſſilienſis vero Eccleſiæ ſacerdotem qui dicitur (quod dictu nefas eſt) in necem fratris ſui taliter gratulatus, * vt hinc qui eius ſanguine cruentatus aduenerat, portionem cum eo habiturus occurreret; veſtro eum audiendum collegio delegamus; alludens plane ad Patrocli Arelatenſis Epiſcopi necem.

Fratrem habuit Honoratus Venantium nomine, cum quo peregrinationem ſuſcepit. Exeuntes ll) (inquit Hilarius noſter de Honorato & Venantio loquens) de terra & de domo & de cognatione ſua, exemplo pares, vere Abrahæ filii demonſtrantur: narratque aliquibus interiectis, Venantium in itinere defunctum: illud commemorare ſufficiat intrepide ab illis, pro Chriſti deſiderio, maris rheuma toleratum, ſqualorem ac ſterilitatem Achaici littoris expetitam, & tam delicate, tam molliter educatos, contra tantas aquarum & aurarum varietates decertaſſe, quod quam graue, quam intolerabile illi teneritudini fuerit, exceſſus illic germani ſui beatiſſimi in Chriſto viri Venantii & infirmitates ſuæ ſuorumque proteſtabantur. Caprariſium ſenem ſuorum laborum habuit teſtem, & itineris ducem, demum Leontio Foroiulienſi Epiſcopo in prouincia Romanorum perfamiliaris fuit, illiusque vicinia illectus Lerinum coluit, robuſto admodum cor-

cc) In Chron.
dd) In Chron Goth.
ee) Proſper in Chron.
ff) In Chron.
gg) In Chronologia Sanct. & illuſt. viror. Inſulæ Lerinenſis part. 1.
hh) In Annalibus Eccleſiaſt. anno 445. n. 20. & Petrus de natalibus in Catalogo Sanctorum Lib. 2. c. 86.
ii) In Præfatione ad Salon. Lib. de difficilioribus vet. & nou. teſtam. quæſt.
kk) Baronius in Annalibus 428. n. 17. & inter. Epiſt. Cœleſt. Papæ n. 1.
* Forte *graſſatus*. Menell.
ll) Hilarius Arelat. in oratione Funebri Honorati deceſſoris ſui, apud Salernum in Chronol. Sanct. Inſulæ Lerin. & M. S. Codex Arelat. Eccleſia, qui inſcribitur Liber plurimorum Confeſſorum.

pore

Charitas in vultu Honorati.

pore, & vultu ad decorem accommodato; tantaque illi charitatis cura, vt Eucherius mm) Lugd. dixerit, quod si arbitrio suo charitas humana forma exprimenda esset, Honorati vultu pingi debere videretur.

Biennio tantum in Episcopatu vixit, licet aliter Baronius & Salernus existiment. Hilarius (quem Petrus de Natalibus nn) Gennadium virum effrenem & indomitum ab Honorato ad pœnitentiam prouocatum dicit) illius in sede Arelatensi oo) successor, expresse sententiam nostram confirmat. In summa vero (inquit) ex illo breui quo vobis indultus est tempore, facile metiri datur, quod plus de illo, quid minus dixero: expreiliusque Anonymus pp) in vita Hilarii, (siue ille sit Rauennius seu Honoratus Massilienſis) emenso biennio (scilicet ab eius in Episcopum ordinatione) cum ad meriti proprii percipiendum præmium vitæ istius cursu beatus pontifex vocaretur Honoratus, missis epistolis, vt extremis suis interesse deberet, Hilarius admonuit. Tantum virum laudarunt permulti illo sæculo celebres viri, & inter alios Sidonius: qq)

Fratribus insinuans, quantos illa insula plana
Miserit in cœlum montes, quæ sancta Capraſi
Vita senis, iuuenisque Lupi, quæ gratia patrem
Manſit Honoratum.

Eucherius rr) etiam Lerinæ suæ amore raptus, tum de Lerina, tum de Honorato hæc habet: Equidem cunctis eremi locis quæ piorum illuminantur secessu, reuerentiam debeo, præcipue tamen Lerinam meam honore complector, quæ procellosi naufragiis mundi effusos, piissimis vlnis recuperat, venientes ab illo sæculi flagrantes æstu blande introducit sub vmbras suas, vt illic spiritum sub illa interiore domini vmbra anheli resumant; aquis scatens, herbis virens, floribus renitens, rilibus, odoribusque jucunda, paradisum possidentibus se exhibet quam possidebunt, digna quæ Honorato auctore fundata sit, quæ tantis institutis tantum nacta sit patrem, Apostolici spiritus vigore & vultus honore radiantem: digna quæ illum suscipiens, ita emitteret, Arelatensis scilicet Ecclesiæ pastorem. Habetur tandem insignis de illo in Martyrologio ss) Romano memoria. Migrauit igitur ad Christum ex Chronologia nostra anno salutis cccexxix.

Lerinæ insulæ laus.

429.

S. HILARIVS.

XXIV. S. Hilarius S. Honorati tt) decessoris, sui affinis fuit, conciuis, & in Christo filius: deseruerat enim insulam Lerinensem, quam tantopere adamabat Honoratus, vt Hilarium Christo lucrifaceret; felicemque se prædam, & tanti viri triumphum fatetur Hilarius: imo se illius exhortatione mundi exulem, insulæ Lerinensis incolam, cœlique terrestris ciuem gloriatur. Beato Augustino uu) discipulus adhæsit; vix tamen mihi persuadeo Hilarium xx) qui anno cccexi. e Sicilia Beatum Augustinum de erroribus Pelagii certiorem reddidit, nostrum Hilarium esse, qui annum ætatis vndecimum tunc vix attigerat: aliusque plane est a nostro, qui in Galliis anno sæculi vicesimo sexto, vna cum Prospero in Pelagium, illiusque sectatores insurrexit: dolemus autem arma, quibus indefesso studio in hostes dimicauit, iniuria temporum excidisse. Nec erat Episcopus, quando ad ipsum scripsit Augustinus, vt Baronius yy) conjicit; qui etiam erroris arguit auctores, qui in præfatione ad dictas ipsorum Epistolas affixa, vtrumque (Hilarium sc. & Prosperum) Episcopos nominant, cum illos Augustinus ipse Episcopus, filios, non fratres appellarit: eodemque plane vtitur argumento ex Epistola Cœlestini Papæ; cui cum vitro assentiamur, Hilarium minime Episcopum fuisse, dum Augustinum monuit de Pelagianorum erroribus: ægre tamen ab illo discedimus propter Cœlestini Epistolam: si enim, vt ipse notat, anno sæculi tricesimo prima data fuerit Epistola Cœlestini, jam Episcopatum adeptus fuerat Hilarius, & licet Prosper, sacris insulis nondum fuisset decoratus, librariorum tamen errore fieri, potest, vt laborum participes, eiusdemque causæ impugnatores, socios pariter & Episcopos dixerint, talesque agnouerint posteri.

Talis igitur tantusque vir, qui tot labores pro Ecclesia Catholica aduersus eiusdem Ecclesiæ hostes susceperat, Arelatem vocatus est, vt Honorati locum suppleret; ne autem Episcopatum susciperet reluctatione maxima vsus est, & vix adduci potuit, vt Episcopus crearetur, donec electionem columbæ Deus confirmasset; rem gestam narrat Rauennius, zz) Itaque (inquit) cum tali affectu cunctorum animos atque vota vulnerasset, ac mœsto ducentium agmine vallaretur: Alemanicum descendens castellum, niueæ columbæ desuper aduenientis, & residentis in capite diuino confirmatus attactu, omne amputauit ambiguum, quæ nec ab illis ciuium, militumque frequentibus turbis atque custodiis, vel abigi potuit, vel territa fugari, quin beato vertici superposita Domini voluntatem, dum secura, resident, apertissime demonstraret.

Renitens, Columba confirmatur.

Liberaliter & nobilissime educatus fuerat Hilarius, Pontificisque auctus dignitate omnes vltimæ paupertatis numeros explevit; bona

S. Hilarius.

mm) Apud Claret. in Officio Sanctorum Sanct. Arelat. Ecclesiæ lect. 6. diui Honorati.

nn) In Catalogo Sanctorum Lib. 2. c. 86.

oo) In oratione Funebri jam citata.

pp) In manuscripto Codice Ecclesiæ Arelatensis, & Salernus in Chronologia insulæ Lerinensis.

qq) Carmine Eucharistico ad Faustum.

rr) In Epistola ad Hilarium eremum petentem, quam Dionysius Faucherius insulæ Lerinensis Monachus pietate & eruditione excellens, conciuis meus, primus edidisse in lucem legitur in chron. Lerin.

ss) 16. Januarii.

tt) Salernus edidit vitam Hilarii in chron. Lerinensi Honorato Massil. authore. Codex vero meus authorem habet Reuerentium vel Rauennium.

uu) Epist. diui Hilarii ad August. quæ reperitur in 7. oper. volumine diui August.

xx) August. Epist. 98.

yy) In Annalibus Eccles. Anno 426.

zz) In vita Hilarii.

enim

enim sua (ait Prosper a)) aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogauit: imo b) sic paupertatem coluit, vt Salinarum areas expetierit, propriisque manibus automata (quæ ad aquas Sali conficiendo deferendas instrumenta sunt) attrectarit, vt vitam sustentaret. Quis vero eius pietatem eloquatur? Quæ tanta fuit, vt domesticis facultatibus absumptis, ipsa etiam Ecclesiæ Vasa sacra in captiuorum redemptionem impenderit. Fecit (ait Rauennius c)) vt sacra mysteria, captiuis solatia potius, quam præstarent Ecclesiis ornamenta: sed attende effusæ liberalitatis præmia etiam multiplicato fœnore a Deo Arelatensi Ecclesiæ collata, quod narrat Prosper. d) Cum merito (inquit) suæ perfectionis fieret Arelatensis Ecclesiæ Episcopus (Hilarius scilicet) quæ illa tunc habebat Ecclesia non solum possidebat; sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliauit.

Cum vero ex Insulæ Lerinensis tranquillo portu, in Episcopatum velut in turbatum negotiorum pelagus, inuitus nolensque soluisset, sollicitius agere cœpit, vt Ecclesiastica disciplina arctius obseruantiæ fibulis constringeretur, omnemque adhibuit curam, vt custodita, sarta tectaque conseruaretur: ideoque tres Synodos indixit. Primam Regio, in Prouincia Romanorum, cuius populi Rei Apollinares dicti. Vetus est Nemauli inscriptio, quæ id probat:

Regii populi dicti Rei Apollinares.

POMPEI MATERNI CIVIS REI.

Legitur etiam in tabula Itineraria Peutingeri & in Sirmondo, e) Epigraphe:

M. SEVERIVS. M. F.
FABVLATOR FLAM.
ROM. ET AVG. IIII. VIR. PONT.
COL. REIOR. APOLLINAR.
SIBI. ET. CAREIÆ CAREI. FIL.
PATERCLÆ OPTIM. VXORI.

Alteram Arausiæ f) Secundanorum & tertiam Valione g) Vocontiorum, quibus interfuit primusque subscripsit.

Rebus autem domi compositis Gallias lustrauit, vt ex antiquo primatus Arelatensis jure, leges præscriberet. Proiectus in Viennensium prouincia, & Celidonius Bisuntinensium Archiepiscopus agebat; ambos depositos, ambos Romam appellantes pedestri itinere non vocatus sequitur Hilarius, de suo (vt credebatur) Primatu disceptaturus. Verba auctoris h) referre placet: Ille (scilicet Celidonius) vrbem credidit expetendam; ibique se injusto adstruit rigore condemnatum. Quod ibi comperit vir beatus, quanto studii ardore, zelo superno fuerit inflammatus, vt non hyemis asperitatem, non alpium stridores attenderet vel * fragores, non vitrea glacialis crustæ spicula, protinus resoluenda desuper gladii ictu similes expauerit aculeos dependentes * vis rigoris terrorem mortiferum gelu concreto velut vibratam dexteram imitantes. Verum ille inconcussa fidei radice constanter animatus, præsertim qui ad tantam voluntarius venerat paupertatem, vt pedibus iter aggrediens, conficere non timeret, intrepidus vrbem Romam sine sagmario, vel sago, omni difficultate superata; festinus intrauit Apostolorum ac Martyrum, occursu peracto, B. Leoni Papæ illico se præsentat cum reuerentia impendens obsequium, & cum humilitate deposcens, vt Ecclesiarum statum more solito ordinaret, adstruens aliquos apud Gallias publicam merito excepisse sententiam, & in vrbe sacris altaribus interesse, rogat atque constringit, vt si suggestionem suam libenter exceperit, secrete jubeat emendare, & se ad officia non ad causam venisse: porro autem si aliud velit, se non fore molestum. Subodorata demum ab Hilario Leonis mente, qui ex præscripto Nicæni concilii sententiam ferre paratus erat, haud expectata sententia vel obtenta licentia, ab vrbe recedens Arelatem rediit: aduersus quem S. Leo, ne ab Hilario noui motus in Galliis excitarentur, Imperatorem interpellauit, vt ex rescripto Valentiniani ad Aëtium magistrum militiæ in Galliis colligi potest, quod, quia nobilissimam rei gestæ huius temporis historiam continet, describemus.

Rescriptum aduersus Hilarium Episcopum Arelatensem.

Certum i) *est nobis & imperio nostro, vnicum esse præsidium in supernæ diuinitatis fauore: ad quem promerendum præcipue Christiana fides & veneranda nobis religio suffragatur. Cum igitur sedis Apostolicæ primatum, S. Petri meritum qui princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, sacræ etiam Synodi firmarit auctoritas, nequid præter auctoritatem sedis istius inlicitum præsumptio attentare nitatur: tunc enim demum Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si rectorem suum agnoscat vniuersitas. Hac eum hactenus inuiolabiliter fuerint custodita, Hilarius Arelatensis (sicut venerabilis viri Leonis Romani Papæ fideli relatione comperimus) contumaci ausu inlicita quædam præsumenda tentauit; & ideo transalpinas Ecclesias abominabilis tumultus inuasit, quod recens maxime testatur exemplum. Hilarius enim (qui Episcopus Arelatensis vocatur) Ecclesiæ Romanæ vrbis inconsulto Pontifice, indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate vsurpans inuasit: nam alios incompetenter * remouet, indecenter alios, inuitis & repugnantibus ciuibus ordinauit: Qui quidem quoniam non facile ab his, qui non elegerant, recipiebantur, manum*

* Frigora.
* vi Frigoris
* remouens.

a) Lib. 2. c. 9. de vita contemplatiua & in decret. part. 2. cauſ. 12. quæſt. 1. can. expedit.
b) Rauennius in vita Hilarii.
c) In vita Hilarii.
d) Lib. 2. c. 9. de vita contempl.
e) In notis ad Sydon. Apoll.
f) Baron. an. 441. n. 3.
g) Idem 442. n. 3.
h) Rauennius in M. S. Codice vitae S. Hilarii.
i) Nouellæ Valentin. inter nouellas Theodoſ. poſt. Codic. Theod. tit. 24. de Epiſc. ordin.

ſibi

fibi contrahebat armatam & clauſtra murorum in hoſtilem morem vel obſidionc cingebat, vel aggreſſione reſerabat, & ad ſedem quietis pacem [a] *prædicaturus per bella ducebat. His talibus contra Imperii maieſtatem & contra reuerentiam Apoſtolicæ ſedis admiſſis, per ordinem religioſi viri vrbis Papæ cognitione diſcuſſis, certa in eum ex his, quos male ordinauerat, lata ſententia eſt. Et erat ipſa quidem ſententia per Gallias etiam ſine imperiali ſanctione valitura. Quid enim tanti pontificis auctoritate in Eccleſias noui liceret? Sed noſtram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vlterius vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola manſueti præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani pontificis liceat obuiare. Auſibus enim talibus fides & reuerentia noſtri violatur imperii. Nec hoc ſolum quod eſt maximi criminis ſubmonemus: verum ne leuis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur: hac perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum Prouinciarum, contra conſuetudinem veterem liceat ſine Viri venerabilis Papæ vrbis æternæ auctoritate tentare: ſed illis, omnibuſque, pro lege ſit, quicquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis auctoritas: ita vt quiſquis Epiſcoporum ad judicium Romani Antiſtitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiuſdem Prouinciæ adeſſe cogatur: per omnia ſeruatis, quæ diui parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt, Aëti pater chariſſime Auguſti. Vnde illuſtris & præclara magnificentia tua præſentis edictalis legis auctoritate faciet quæ ſunt ſuperius ſtatuta ſeruari decem librarum multa protinus exigenda ab vnoquoque judice qui paſſus fuerit præcepta noſtra violari;* ET MANV DIVINA. *Diuinitas te ſeruet per multos annos, parens chariſſime. Dat. viii. Id. Iunii Romæ Valentiniano Aug. vi. conſ.*

445.

Ex his conſtat, Leonem Romæ Synodum habuiſſe, qua Hilarius condemnatus eſt, cuius ipſe Leo meminit: k). Suis vnaquæque Prouincia ſit contenta conciliis: nec vltra Hilarius audeat conuentus indicere Synodales, & ſacerdotum Domini judicia, ſe interſerendo, turbare, qui non tantum nouerit ſe alieno jure depulſum; ſed etiam Viennenſis Prouinciæ, quam male vſurpauerat, poteſtate priuatum. Nec ideo putes Arelatenſi Eccleſiæ Galliarum Primatum ablatum, aut Hilarii ſanctitatem in dubium vocandam propter offenſum animum S. Leonis in ipſum: de primatus enim Arelatenſis jure quæſtionem ſubjicio.

Hilarius num juſte damnatus?

Primatus Metropolis, & Vicaria Pontificum trans alpes præfectura Sanctæ Arelatenſis Eccleſiæ.

Primas & Metropol. ut differant?

Etſi Primatis, & Archiepiſcopi dignitas eadem aliquando ſit, omneſque Metropolitani ſuarum prouinciarum capita extent ſeu Primates; ita vt nullos ſuperiores præter Patriarchas agnoſcant: alium tamen a Metropolitano Primatem eſſe, nos docet Anacletus, l) qui Patriarchas, & Primates vnam eandemque formam, licet diuerſo nomine, tenere nos docet. Rejicimus igitur nomenclaturam, & eum, qui in maioribus ſedibus conſtitutis præeſt diuerſis in Prouinciis, Primatem habemus: Metropolitanum vero eum cenſemus, qui in ſua Prouincia minorum ſedium Epiſcopos ſibi habet audientes: id vero aut ciuitatis jure, aut Pontificum Romanorum priuilegio, vel certe ex Apoſtolatu accidiſſe conſtat.

Arelatenſem Epiſcopum hac ratione fuiſſe Occidentis Primatem, idque Gallos & Africanos Epiſcopos agnouiſſe certum indubitatumque eſt. Cum enim anno ſalutis CCLVII. Marcianus Arelatenſis Epiſcopus, & Primas in Nouatianorum techinas incidiſſet; Fauſtinus Lugdunenſis Epiſcopus, cæteriquc Galliarum Metropolitani, ipſique Africani per Cyprianum doctiſſimum Martyrem ad Stephanum Papam ſcripſerunt, vt e Primaria (inquit Baronius) Galliarum ſede hæreticus pelleretur. Et ſane ſummæ ſedis Antiſtes adeundus minime erat; nec orbis Africani interpellandi Epiſcopi, ſi a minoris, aut qualiscumque ſedis Præſule tantum ſcelus fuiſſet admiſſum. Coniecturam auget Saturninus, qui anno CCCLVI. Arianorum partes ſuſtinens, celebrata apud Biterras in prouincia Narbonenſi Synodo, Hilarium Pictauienſem ſolum vertere coegit: nec obmutuiſſet ſanctiſſimus Præſul, apologiis aduerſus ipſos Imperatores editis nominatiſſimus, ſi Primatus jure Saturninus minime ſuffultus concilium indixiſſet: nec poterat in aliena prouincia eam ſibi arrogare authoritatem, niſi Primatus dignitate auctus. 257. 356.

Hæc attente perpendens non Viennenſis ſolum Epiſcopus; imo & ipſe Proculus Maſſilienſis de Metropolitarum, & Primatuum jure ſtabiliendo auſi ſunt controuerſiam in concilium Taurinatenſe mittere, contra Arelatenſem Primatem: & a patribus indefinite pronunciatum eſt, vt, qui ſuam ciuitatem Metropolin probaſſet, is totius prouinciæ Primatum obtineret. Erat vero Arelatenſium ciuitas ætate illa non Prouinciæ ſolum Metropolis; imo omnium Galliarum Primaria, & princeps, in quam Honoratorum, judicum, poſſeſſorumque ordines ſeptem, ſeu ſeptemdecim prouinciarum confluebant; non enim ex Honorii & Theodoſii decreto id primum obſeruatum; imo & Petronii, ſi non ante, præfectura, quæ ante concilium Taurinatenſe contigit. Verum exiſtimauit Patroclus Arelatenſium Epiſcopus, dignitati Arelatenſis Eccleſiæ aliquid detrahi poſſe, ſi ea, quæ ex Marciani & Saturnini ab Eccleſia catholica deſectione, ipſaque Principum in Romanos Cæſares perduellione tentata fuerant, diplomate, nouiſque P. P. & A. A. codicillis non reſarcirentur, munirenturque; vt hos in politicis; in Eccleſiaſticis illos haberet dignitatis ſuæ *Arelatenſis Primatus oppugnatur.*

[a] *Praedicaturum.*

k) Epiſt. 89.

l) Epiſt. 2. ad Italiæ Epiſcopos.

authores, fautores & assertores: non igitur Zozimi, Honorii, Theodosiique decretan oua sunt; Viennensium, Narbonensiumque prouinciæ nouæ jure Arelatensibus attributæ. Dum vero Viennenses, Narbonensesque audis, non ideo putes cæteras Galliarum Metropoles ab Arelatensium Primatu secluſas, disiunctasque: contrarium enim asserunt, quotquot sub Merouingiorum stirpe Arelate, & in Galliis fuere præsules: nulli enim eorum, qui sub franci Regis authoritate erant, alio ire licebat sine Arelatensis Episcopi formata, ille Synodos indicebat, & agitatas de fide quæstiones discutiebat, dirimebatque: firmasque adeo radices in Gallia egerat Arelatensium Primatus, vt si alicui Episcoporum aliquam dignitatem conferre voluerint Pontifices Romani (quod de Ecclesia Rheinensi testatur Hincmarus ipse Rhemensis) integro Arelatensis Ecclesiæ manente priuilegio in delegatis sibi antiquitus prouinciis id factum est, quale hac in causa illustrius elogium proferri potest?

Sed Hilarius Arelatensis (aiunt omnes) a Leone Magno, & Valentiniano, vt aliorum jurium vsurpator exagitatus, damnatusque est: miraturque Scaliger, doctos viros non aduertisse Arelatem nouam Metropolin; miramur vero nos ita Scaligerum hoc splendescente sole micantibus veritatis radiis cœcutiisse, vt non viderit, non de Metropoli, aut primatu Viennensium in Arelatenses exortam quæstionem: sed si Viennensis Arelatensi Antistiti subiacere deberet; quod sane noluit Leo; quatuor ciuitatibus Viennæ attributis: atque vt æternum sileat Scaliger, cæteras ciuitates totius prouinciæ Viennensis Arelatensium Metorpoli adierit ipse Leo: a quo vero originem habuerit nominatissimus iste Arelatensium Primatus, omnes Romani Pontifices nouo jure minime quæsitum indicant; imo ab Apostolorum authoritate, loci priuilegio, fidei doctrinæ, & religionis fonte effluxisse contendunt omnes; explicantque dilucidius comprouinciales Episcopi, ad ipsum Leonem scribentes; deberique in omnes Gallias Arelatensi Ecclesiæ Primatum per Trophimum, vt in orbem vniuersum Romanæ per Petrum profitentur.

Verum etsi Primatum obtinuisse Arelatensis detur, sola dignitas penes illos non praxis & vsus remansit. Quis vero concilia synodosque indixit? Quis exortas fidei controuersias diremit? Ad quem Encyclicas Epistolas, vt per illas aliis innotescerent, scripsere Pontifices? Quis sibi Formatarum jus, Arelatensi præsule excepto, in Galliis arrogauit? Hæc nimis forte vaga, & effusa: viciniorum exemplis ago. Mammercus Viennensis Episcopus, orbi propter sanctitatem notus, Diensibus Episcopum consecrarat, in illum inuehit Hilarius Papa, minaturque, si perseueret indebitos poscere Primatus, fore vt ad Arelatensem Ecclesiam Viennensium priuilegia reducantur, quo migrauere principio. Hermeten Narbonensem eadem denunciatione perstringit, animique demissionem Leontii Arelatensis damnat, quod nolit, aut non audeat de his, quæ ad ipsius Monarchiam pertinent, cognoscere: sunt etiam in exemplo libelli a Symmacho Papa obtento, quæ Aquarum Sextiarum Episcopos tangant. Superuacaneum est Leonis, Symmachi, Hormisdæ, Felicis, Agapeti, Vigilii, Pelagii, & Gregorii Epistolas describere: illæ enim Primatum Arelatensium citra controuersiam probant, confirmantque. Insciis forte Gallis Episcopis? Insciis Augustorum præfectis? Regibus Cæsaribusque? ita sane si ipsi Gallicani Episcopi, Belizarius, Childebertus, Theodora Augusta, & ipse Iustinianus Imperator summos Pontifices non exorassent, vt eadem nominis dignatione vniuersis Galliis Arelatenses Episcopos præficerent, qua decessores. Hæc Arelatensis Ecclesiæ osores dicerent, diceretque ipse Scaliger, si illorum Epistolæ non haberentur, viderentur legerenturque.

Vno verbo rem ago. Augustinus sub finem sæculi sexti in Angliam (accepto in omnes Ecclesias jure a Gregorio Magno) proficiscebatur, quo cum in Galliis vti vellet, aduersantem habuit Arelatensem Episcopum: consultusque Gregorius, respondit, nihil Augustino licere in Galliis, Arelatensi inconsulto Antistite, qui non nouæ recentisque dignitatis beneficio in Galliis; imo a sæculis (vt ait Gregorius) quæsito vtebatur. Intermissum posthac Primatiæ munus ad Rotlandum vsque, Rostagnum, Ylterium, & Raiambaldum Arelatenses Episcopos, causa vero multiplex fuit. Saracenorum toto sæculo septimo strages; varii principatus in quos Gallia deficiente Caroli Magni stirpe scissa est; summorum etjam Pontificum intererat tam amplam dignitatem traslatitiam esse, ne auderent aliquando ex perseuerante in Arelatensi Ecclesia tam insigni priuilegio cum ipsis summis Pontificibus Arelatenses Episcopi de jure ipso dignitateque contendere: quod indicat Gregorius septimus ad Manassem Rhemensem scribens; expressiusque ipse Leo Magnus refert, dum ait, Hilarium nostrum Ecclesiarum statum, in concordiam sacerdotum nouis præsumptionibus turbaturum excessisse (Roma scilicet) ita suæ (verba sunt Leonis Gallicanos Episcopos alloquentis) vos cupiens subdere potestati, vt se B. Apostolo Petro non patiatur esse subiectum, quod aduertit Filesacus, m) dum recitat, Arelatensem Episcopum illa Apostolicæ delegatione & Primatu in tantam arrogantiam fastumque prorupisse, vt summum Pontificatum, & vt ita dicam Papatum, in Galliis sibi jam designaret: nec alia verior notiorque est ratio, cur in Arelatensi Ecclesia cessarit Primatus dignitas.

Ejus exercitium.

Non est, quod immorer in vicaria præfectura; omnium enim negotiorum, rerumque curam trans Alpes, Arelatenses Episcopos spectasse, toto ferme hoc opere probatur; & diplomata, summorumque Ecclesiæ Catholicæ Antistitum Epistolæ, quæ de Primatu mentionem faciunt, vicariam præfecturam inculcant.

m) De Sacra Episcoporum authoritate cap. 9. f. 12.

Nodus

Scaliger refutatus.

Nodus vltimus superest Scaligero n) difficillimus, ait enim in posthumis: Arelate autem an vnquam institutus fuerit, an per tacitum consensum in eo jure quod sibi vindicauit ad hanc diem manserit, nescio: & vt dixi res non est vetusta. Itane quæ in orbis conspectu acta sunt, ate, qui cuncta lustras, minime visa? quando Arelate fuerit archisolium, nescis? quia ex te recens est ea dignitas, eius institutionem te ignorare fateor: verum si ab Apostolorum temporibus ad nostram ætatem jugiter fluxerit, te nescire nisi dissimulas, vix mihi persuadeo: subdis consensum forte intercessisse, ideoque in jure quod sibi vindicauit, permansisse: at nullius nisi vicinorum consensus id præstare poterat; qualis vero ille Aquensium, Narbonensium, Viennensium, ipsorumque Massiliæ Episcoporum consensus? qui omnes ad vnum lites mouerunt, vt Ecclesias suas ab Arelatensi Apostolatu, authoritateque subducerent: causam notaui Marciani, & Saturnini hæresim, Herotemque a Patroclo sede pulsum: miraris sane, nec sine causa, doctos viros id non aduertisse, mira- B mur nos, te in re clarissima notissimam veritatem fateri noluisse, ignorare voluisse. Nonne Episcopales sedes sub se habere, Episcopos inaugurare, concilia & Synodos indicere, id est Archiepiscopum esse? Si ita est, cur Arelatensem Episcopum incusas? An non omni ætate comprouinciales Episcopos habuit Arelate? ad quos etiam scripsere Pontifices, dum ad eos, qui ordinatione Arelatensis Episcopi consistunt, litteras, epistolas, nuncioſque dirigebant? quinam illi, qui legati, & oratores summam sedem toties adierunt, & P. P. pro Arelatensis Ecclesiæ juribus conseruandis toties interpellarunt? an non Episcopi? quis pro sedibus Episcopatibus dirimendas quæ- C stiones habuit? an non Arelatensis præsul? missas facio Synodos, cum ex ipsis conciliorum decretis constet, ad illum synodorum indictionem spectasse; resque adeo clara sit, vt volentem etiam dubitare non sinat.

Argumenta Scaligeri soluo. Omnes (inquit) Metropoles jure ipso sunt Archiepiscopatus, sed Arelate numquam fuit Metropolis, ergo nec Archiepiscopatus. Non inde sequitur, ergo nulla alia ciuitas Archiepiscopatus esse potest: Metropoles enim omnes diuersis temporibus, variisque ex causis institutæ: nec enim vna constansque est Galliarum diuisio: aliam enim edidit Augustus; aliam Constantinus: si ergo Apostolorum ætate, qua Augustus, Tiberius, & alii Cæsares vixere, Ecclesiæ fundatæ sint, aliæque ipsis attributæ; D quis erit Scaligero effugii locus? Burdegala fuit ciuitas ex Notitia imperii, ab æuo tamen Archipræsulatus dignitatem tulit. Oriens, Occidensque alia exempla suppeditat: non enim vno tempore incrementum sumsit Ecclesia, vnde nec vno tempore omnes maiores minoresque sedes institutæ. Verum in his non immoror, tanta enim fuit Arelatensis Ecclesiæ maiestas, primatusque illius in Galliis dignitas, vt Ausonius, consularibus insulis nobilitatus, Gallulam Romam Arelatem dixerit. Possem etiam ex ipsis lapidibus Arelatensem prouinciam eruere. Lugduni ad Ararim hæc legitur inscriptio:

Arelatis dignitas ex In cr.

A
SERVILIO
MARCIANO
C. SERVILII
DOMITI. FILIO
SACERDOTI AD
TEMPLVM. ROMÆ
ET AVGVSTORVM
ARELAT. PROVINCIÆ
GALLIÆ

Ista vero Arelate:

M. F. E-.... PRAEFECTI....
PROMAG. FAB... PROVINCIAE
NARBONENSIS...AQVITANICAE..B..
ADIVTOR CASSI.....MONT.....
PROCON....G.....PROVINCIÆ AVRELII
FLACCI PROV.....ITEM CASTREN...
IS.....PROVINCIÆ ARELAT.....
M..ETTII RVFI MAG. EQVIT....TRIB...
MILITVM. L. VI.....SACERDOS CAES.
VIENNE.....DE..M....EX DO...HONORI
EI STATVA EQVESTRI ORNA.....
PROC. AVG. EPIS....RE.....HEL. VER
M. ELECTVS.....AVR.....ACCIPIENDO
IN..PRO. AQVITANICA

Has vero inscriptiones posterioris æui dicet aliquis. Posterior sane est quæ Arelate legitur, de Aëtio enim meminit: sed constat ante Honorii, & Theodosii ætatem jure Metropolis vsam esse Arelatem, ex ipsamet constitutione, quæ A. A. decretum ad Petronium non vt authorem reuocat, imo illius ætate id jam obseruatum insinuat, Tyrannorumque desidia cum interpolatum esset, decreto & sanctione renouarunt Imperatores Honorius & Theodosius: nec vt jam dixi, in Galliarum diuisionibus immoror, cum in Ecclesiasticis nulla attendenda sit ætas, nisi ea, quæ Apostolos habuit præsulatuum authores: germanam enim, veramque Episcopatuum rationem, licet non abnuam ciuilium dignitatum instar fuisse principalius præscriptam; præcipue tamen in Apostolatu, & populorum fide consistit: ea est summorum Ecclesiæ Principum mens, constans perseueransque doctrina; ipse Zozimus Papa dum nouo diplomate Arelatensem Metropolim confirmare voluit, non alio vsus est argumento: quotquot illum præcesserunt, sequutique sunt summi pontifices, Trophimi Apostolatum semper agnouerunt, & in illo vt in firma solidaque petra Arelatensis Ecclesiæ dignitatem fundarunt, erexerunt, confirmaruntque.

Interea cum sciret Scaliger, Pallium munus esse præcipuum Archiepiscoporum, nec dari a summis Pontificibus nisi in maioribus sedibus constitutis, sibi ipse obiicit; Pallio quidem vsum Arelatensem Episcopum, sed tantum hæc Episcopalia ornamenta differre ab

Pallium.

n) Duabus ad Carolum Labbæum Epistolis.

Archiepiſcopatu; quantum conſulária & decurionalia a Conſulatu & Decurionatu; exemplumque affert Dolenſis Epiſcopi, addo ego Syagrii Heduenſis præſulis, de quo Gregorius magnus. o) Ego ſane non eo inficias, pallium aliquando vicariis ſummorum Pontificum, licet Epiſcopis minorum ſedium, fuiſſe conceſſum; ſed ſemel aut iterum, nec eos Archiepiſcopi nomine vſos. Quod enim attinet ad Dolenſem, id factum Armoricæ Britanniæ Regulorum voluntate & authoritate, tradit & explicat Chopinus; p) non vero Pontificum, loci, aut fidei priuilegio: quod tamen aliter contigit Arelate, quæ propter fidem Galliis datam a Trophimo, Gallula Roma dicta eſt: itemque in occidentali orbe Conſtantina, vt in Orientali Conſtantinopolis, ob principem & primariam inter cæteras vrbes dignitatem: Matrimonium Galliarum Valentiniano, & Honorio dicta eſt, quaſi Galliarum mater: vt enim teſtimonium pro teſte, ita matrimonium pro matre, quæ vox perinde eſt vt Metropolis: Gregorius enim magnus Virgilium Arelatenſem Galliæ Metropolitanum vocat, & vbique in vetuſtis codicibus monumentiſque Sancta mater Eccleſia Arelatenſis vocata ſemper occurrit: Honorii & Theodoſii conſtitutio Metropolitanam aſſerit, quod tamen cæcutienti Scaligero minime viſum.

Matrimonium illictum pro matre.

Legit poſtremo Scaliger notitias ante ccc. annos ſcriptas, in quibus adhuc Arelatenſis præſul non Archiepiſcopus, ſed Epiſcopus ſub Metropolita Viennenſi cenſebatur; ridetque Zozimi Papæ Epiſtolam, vt commentitiam. De Notitiis, quas ego legi, nulla eſt, quæ cum Scaligero ſentiat: de Zozimi cæterorumque Romanorum Pontificum Epiſtolis, non me audiat Scaliger, ſed iudicium clariſſimi Baronii in appendice poſt ſeptimum Annalium Tomum.

Legimus (ait) *eas omnes* (Epiſtolas ſcilicet, quas ab Arelatenſi Eccleſia acceperat, ediditque ſparſim in Annalibus,) *easdemque omni adhibita diligentia examinauimus, atque diſcuſſimus: an omni ex parte veritati conſentiant, cohæreant rebus perſonis atque temporibus, de quibus tractant; & inuenimus quidem ipſas veritate conſtantes, fide ſinceras, integras, vere legitimas, atque germanas; venerandaque antiquitate decoras, quibus & maiorem conferat venuſtatem, ſi quis ipſis næuus ex depravata aliquantulum lectione interdum inhæreat.*

Quod attinet ad Boſchum Cœleſtinum Monachum, illum explodit ipſe Scaliger, refellitque Baronius de furto conuictum; nec tanti illum facio, vt in illo confutando hæream, achroniſmo maxime perpetuo laborantem, & cuius præcipuum munus eſt, gratiam quærere, & ementito illam calamo mercari: ad poſtremum venio. Cæſarius primus eſt, qui Archiepiſcopi nomine inſignitus fuit: ſcio equidem nomenclaturam illam græcam eſſe, nec in occidentem inuectam ante Cæſarii ſæculum, ſeſellitque vox illa (Epiſcopi) ſimplices, vt ait Baronius, qui nomenclatura illa Patriarchalium ſedium, imo & ipſius Romanæ Eccleſiæ præſules æque dici ſolere Epiſcopos docet. Stet ergo, Arelatenſem Eccleſiam Primatus dignitate, Metropolis authoritate, Vicariæque in Galliis Pontificum præfecturæ majeſtate ab ipſis Apoſtolorum temporibus, priuilegio loci, fideique fuiſſe inſignitam.

Archiepiſcopi vox quando inuecta?

Ratam & confirmatam habes non in hac ſolum, quam iam egimus, diſputatione, ſed in multis huius elenchi partibus, dignitatem primatus Metropolis & præfecturæ apoſtolicæ Arelatenſis. Itaque ſupereſt tantummodo, vt næuum ſanctis diui Hilarii moribus, propter acerrimas Sancti Leonis Epiſtolas, impreſſum eluamus. Arguitur enim, quod Paulo ardentius, quam par fuerit, Eccleſiæ Arelatenſis jura ampliare conatus, tanti Pontificis indignationem incurrerit. Verum famæ & ſanctitatis diui Hilarii vindex eſt nulli recuſandus, accuſator ipſe Leo ſanctiſſimus ſcribens ad Arelatenſis Prouinciæ Epiſcopos, q) *Quod ergo* (inquit) *in Arelatenſium ciuitate defuncto ſanctæ memoriæ Hilario, virum etiam nobis probatum, fratrem Rauennium, ſecundum deſideria cleri, honoratorum, & plebis, vnanimiter conſecratis, bonum fraternitatis veſtræ opus judicio noſtro roboramus.*

Quod ſi Baronius tanti viri præ manibus vitam habuiſſet, quam conſcripſit Rauennius, illius in Arelatenſi ſede ſucceſſor, non perplexus dubiuſque, imo conſtans & firmus illius ſanctitatem comprobaſſet. Nec enim obſtinato & peruicaci vixit in Leonem animo, imo (vt ait Rauennius r)) perfectione ſanctus, & pietate ſanctiſſimus, totum ſe ad placandum tunc animum ſancti Leonis inclinata humilitate conuertit: legatione Romam functus eſt Rauennius, quem ſubſecuti ſunt S. Nectarius & Conſtantius præcipui prouinciæ ſacerdotes, vt magni Leonis animum delinirent. Nec conticuit ipſe reus (ſi tamen reus) ſanctus Hilarius; quam plurimas enim editas ab eo apologias, vt cauſam tueretur ſuam, aſſerit Rauennius s), licet illum laudet Baronius, quod obmutuerit, his verbis: Certe quidem haud mediocre ſpecimen edidit Chriſtianæ modeſtiæ; dum ita exagitatus, tam a Pontifice, quam ab Imperatore (ſicut enim fremitus Leonis, ita & ira regis) tamen omnino conquierit, neque contrariis editis apologiis ſuam cauſam defendit; cum alioqui id præſtandi, & vis eloquentiæ ipſi ſuppeteret, & jura a prædeceſſoribus prætenſa ſuſtragarentur: nihilominus, Rauennius ait, & quia quantum in hac cauſa dictauerit huic operi nulla poſſum ratione connectere. Hæc autem profecto non mediocriter dolemus excidiſſe.

445. n. 17.

Prouerb. 19

Totius autem rei geſtæ ſeriem narrat Auxiliaris Præfect. Prætо. ad eundem Hilarium

o) Lib. 7. Indict. 2. Epiſt. 112.
p) Lib. 3. de Domanio Franciæ tit. 8. n. 5. Baronius A. 449. n. 61. & Cod. M. S. auct. Apoſt. f. 6.
r) In vita diui Hilarii ex Cod. M. S.
s) Ibidem.

reſcri-

reiicibens: *Sanctos* t) *Nectarium & Constantium sacerdotes cum beatitudinis tuæ parte venientes, digna admiratione susceptí, cum his sæpius sum locutus de virtute animi atque constantia, contemptuque rerum humanarum, qui inter fragilitates nostras semper beatus es: Nam quid potest in hac corporea vita esse secundum? quæ cum sit misera; tamen non potest esse perpetua: locutus sum etiam cum sancto Papa Leone, hoc loco credo aliquantum animo perhorrescis; sed cum propositi tui tenax sis & semper æqualis, nulloque commotionis felle rapiaris, sicut nullis extolleris illecebris gaudiorum, ego nec minimum quidem factum beatitudinis tuæ, arrogantiæ memini contagione fuscari, sed impatienter ferunt homines, si sic loquamur, quomodo nobis conscii sumus; aures præterea Romanorum quadam teneritudine plus trahuntur, in quam si se sanctitas tua subinde dimittat; plurimum, tu nihil perditurus acquires; da mihi hoc, & exiguas nubes paruæ mutationis serenitate compesce, &c.*

Auxiliaris nomen in Inscript.

Istius vero Auxiliaris mentionem habes in inscriptione u) illius columnæ, de qua egi in præludio.

SALVIS DD. NN.
THEODOSIO ET
VALENTINIANO
P. F. V. ACTRIVM
SEMPER AVG. XV
CONS. VIR. IN L.
AVXILIARIS PRÆ.
PRAETO. GALLIA.
DE ARELATE MA
MILIARIA PONI. S.
M. P. I.

Decimus quintus Valentiniani cons. est. 435.

Hanc columnam miliarem volunt permulti: illis enim vtebantur in viis regiis & militaribus romani vt iam attigimus supra, alii vero coloniæ nomen interpretantur; notat enim Scaliger, Colonias x) præter populos suos & conditores alia etiam nomina habuisse.

Sed ad Hilarium redeo; illum laudarunt quam plurimi scriptores Prosper iam citatus, Sidonius Apollinaris, Isidorus y) Eucherius z) Gennadius aa) Ado Viennensis bb) & ipse Constantius, qui ait: Aduenientem beatissimum virum vrbis Arelatensis Episcopum religiosa gratulatione suscepit, Apostolicum instar sui temporis sacerdotem susciplens. Illustrabatur eo tempore ciuitas Hilario sacerdote multimoda virtute pretioso, erat enim fidei igneus torrens, cœlestis eloquii & præceptionis diuinæ operarius indefessus, qui venerabilem sanctum virum Pontificum affatu vt patrem, reuerentia vt Apostolum sublimabat: tanta autem doctrina & vi eloquentiæ excelluit, vt Liuius cc) Poëta non ignobilis ea ætate frequenter diceret, si Augustinus post Hilarium fuisset, judicaretur inferior.

Hilarii Opera.

Porro de tanto viro tantum supersunt quædam homiliæ (inter Eusebii Emisseni homilias insertæ) oratio funebris de sancto Honorato, Epistola duplex, illa ad Augustinum, dd) hæc ad Eucherium ee); cætera aut temporum iniuria periere, aut certe alicubi delitescunt, lucem visura, quando iniquis vsurpatoribus boni publici libuerit. Sororem habuit Pimeniolam, quæ Lupo (nondum Trecensi Episcopo) nupsit, & fratrem Anonymum, cuius ipse meminit in Epistola ad Augustinum.

Fractus tandem laboribus vigiliis & jeiuniis animam Christo reddidit non Valentiniani & Marciani A. A. tempore, sed sub Consulatu Asterii & Protogenis, Theodosio & Valentiniano imperantibus; quod nos docet Epistola Leonis, ad Rauennium data: incidit-que is annus in Christi CCCCXLIX. Nec illud prætermittere fas est, tanto illum Arelatenses fuisse amore prosecutos, vt, si quid juramento vellent confirmare, per Hilarii nomen præstarent, quemadmodum Ethnici per Iouem. Defuncto non solum fideles Christiani, sed etiam Iudæi justa persoluerunt. Auctor vitæ hh) ipsius id narrat: noctis vigiliis expeditis cum mœstis Solis claritas reputaretur obscura, ad exequias venerandas non solum fidelium sed etiam Iudæorum concurrunt agmina copiosa, omnium lachrymæ se superare certabant, deficiente voce gemitus increscebant, hebræam concinentium linguam in exequiis honorandis audisse me recolo. Nam nostros ita mœror obsederat, vt ab officio solito impatiens dolor inhibuerit magnitudo, in ædem diui Honorati (quam eius vitæ scriptor vocat Gentii, propter illius cineres, qui in eadem diui Honorati Ecclesiæ asseruabantur) illius corpus extra muros illatum est, & in subterraneæ crypta collocatum; quam patres diui Francisci de Paula sectatores, nouo opere, sed propter antiquitatis dispendium forte nimis nouo, exornarunt.

449.

Iusiurandum per nomen Hilarii.

Quod vero sanctitate non vulgari claruerit, in publicis Ecclesiæ Romanæ monumentis ii) titulo meruit sanctitatis adscribi, anniuersariaque non solum apud nos, sed etiam vbique locorum memoria coli. Eius reliquias, dum Franci hac vltima ætate ciuile bellum conflarunt, quod extra vrbem in tuto minime esset, intra vrbem & in templum sanctæ crucis adsportarunt ciues; solum supersunt fragmenta tabulæ marmoreæ prægrandis, in quibus hoc Epitaphium Romanis litteris scriptum legitur & in fronte hæc habet verba:

SACROSANCTAE LEGIS
ANTISTES HIC REQVIESCIT

Antistes Domini, qui pauperatis amorem
Præponens auro, rapuit cœlestia regna

t) Rauennius in vita S. Hilarii M. S.
u) Reperitur in ædibus de Laual. Arelate, illamque habuit ab Auo meo, Hectore Saxio, Heroinæ Vallensis pater.
x) In Lectionib. Ausoniae. c. 30.
xx) Lil. de vita contemplativa 2. c. 9.
y) In Carmine Eucharistico ad Faustum.
z) Lib. de viris illustribus c. 15.
aa) In Praefat. lib. quaest. veteris & noui testam.
bb) Lib. de viris illustribus c. 69.
cc) Anno 458.
dd) In vita S. Germani Antisiodor. Lib. 1. c. 33.
ee) Apud Rauennium in M. S. Cod. vitae S. Hilar.
ff) Habetur tom. 7. oper. diui August.
gg) Apud Massonum in descript. fluminum Gall. p. 471.
hh) Rauennius iam citatus.
ii) 3. Non. Maji.

Hilarius cui palma obitus & viuere Chriſtus

Contemnens & erat terreni corporis vſum,
Hic carnis ſpolium liquit ad aſtra volans.
Spernit opes dum quærit opes, mortalia vitans,
Perpetuis cælum donis terreſtribus emit;
Gemma ſacerdotum, plebiſque orbiſque magiſter;
Ruſtica quin etiam pro Chriſto munia ſumens,
Seruile obſequium non dedignatus adire.
Officio vixit minimus, ſed culmine ſummus;
Nec mirum ſi poſt meruit tua lumina Chriſte
Angelicaſque domos intrauit, & aurea regna,
Diuitias paradiſe tuas, fragrantia ſemper
Gramina, & halantes diuinis floribus hortos
Subiectaſque videt nubes & ſydera cœli.

RAVENNIVS.

Rauennius XXV. RAuennius Leoni Pontifici propter obitam (de qua diximus) pro Hilario legationem maxime poſt defunctum Sanctæ memoriæ Hilarium inauguratus, a Leone Pontifice litteras accipit, quæ primatum Arelatenſis Eccleſiæ confirmant, cuius exemplar integrum habe.

Dilectiſſimo Fratri Rauennio Leo.

Leonis litteræ ad Rauennium.

449. *Circumſpectum* ll) *te volumus eſſe atque ſollicitum, ne quid ſibi plectenda poſſit vendicare præſumptio; quæ cum aditum falſa ſubreptione repererit, ad maiorem ſe temeritatem nomine vſurpatæ dignitatis extendit. Petronianum quendam vagum & ſemper erroreum, certa nos clericorum tuorum ſuggeſtione didicimus, per Gallias ſe noſtrum eſſe Diaconum jactitaſſe, & ſub huius honoris obtentu, diuerſas eius Prouinciæ Eccleſias circuire; cuius audaciæ tam nefandæ dilectionem tuam, frater chariſſime, ita volumus obuiare, vt eum admonitis etiam totius prouinciæ Epiſcopis in ſua falſitate detectum, ab omnium Eccleſiarum communione, ne vlterius hoc vſurpet, expellas. Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Data ſub die* VIII. *Kal. Sept. Aſterio & Protogene coſſ.*

Ex his intelligas a ſancto Leone non collatum Viennenſibus, non ablatum Arelatenſibus primatiæ munus. Nam Rauennium pontifex alloquitur vti præpoſitum Galliæ totius Epiſcoporum. Miſit præterea celebrem illam contra Neſtorianos & Eutychianos Epiſtolam, quam prius in orientem ad Flauianum direxerat; qua accepta Synodum in Gallia Narbonenſi celebrauit Rauennius, vt patet ex Epiſtola quam ad ſanctum Leonem reſcripſerunt patres: at antequam ſolueretur Synodus, cui præfuit Rauennius, interfuitque Ruſticus Narbonenſis & quadraginta quatuor alii Epiſcopi, vt patet ex ſubſcriptione vno omnes conſilio libellum ſupplicem ſummo Pontifici dederunt pro reſtituendis Arelatenſis Eccleſiæ juribus. Is autem Epiſtolæ titulus adſcribitur, textumque integrum ſubjicio.

Preces Miſſæ ab vniuerſis Epiſcopis ad Leonem Papam.

Synodus Patrum Galliæ ad Papam.

Memores mm) *quantum honoris & reuerentiæ beatiſſimæ ſedi Apoſtolicæ, cui vos Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro meritis Sanctitatis voluit præſidere, ſemper debitum fuerit, ſemperque debeatur: ordinationem, qua functus frater & coepiſcopus noſter Rauennius in ciuitate Arelate poſt tranſitum beatæ recordationis Hilarii Epiſcopi, concordantibus omnium votis, ad ſummum pontificium, domino fauente proiectus eſt, miſſis continuo litteris Apoſtolatui veſtro indicare curauimus. Quibus a beatitudine veſtra tanta dignatione & charitate fuiſſe reſponſum, immenſas gratias agimus: etſi tantas, quantas debemus, referre non poſſumus.*

Notum licet nobis ante jam fuerit, prædictum ſanctum fratrem & coepiſcopum noſtrum, maxime coronæ veſtræ gratia, morum ſuorum manſuetudinem & ſanctitatem meruiſſe, perceptis nunc tamen beatitudinis veſtræ litteris, quanto cum charitate complectamini, euidenter agnouimus. Vnde præmiſſis officiis, quæ Apoſtolatui veſtro jure debentur, ſuggeſtionem noſtram, quæ juſtitiæ partibus fungitur, audiendam a corona veſtra, minime dubitamus. Quippe cum non aliqua noua inſtitui, ſed priſca per vos optamus, & antiqua reparari; Nec enim juſtum eſt, vt honorem eius, quem (vt probauimus) impenſe diligitis, illa res minuat, quæ pietatem veſtram alte offendit. Et ſane manifeſtum eſt Eccleſiæ Arelatenſi diuinæ gratiæ fauorem adeſſe, cui talem habere contigit ſacerdotem, per quem priuilegia dignitatis antiquæ, quæ dolebat ſibi pro tempore diminuta, gauderet in perpetuum recentioribus Apoſtolicæ ſedis auctoritatibus reformata.

Omnibus etenim regionibus Gallicanis notum eſt, ſed nec ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatenſis ciuitas, miſſum a beatiſſimo Petro Apoſtolo, Sanctum Trophimum habere meruit ſacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum, bonum fidei & religionis infuſum: priuſque alia loca ab hoc riuo fidei, quem ad nos Apoſtolicæ inſtitutionis fluenta miſerunt, meruiſſe manifeſtum eſt ſacerdotem, quam Viennenſis ciuitas: quæ ſibi nunc impudenter, ac notabiliter Primatus expoſcit indebitos. Iure enim ac merito ea vrbs ſemper apicem ſanctæ dignitatis obtinuit, quæ in Sancto Trophimo primitias noſtræ religionis prima ſuſcepit, ac poſtea intra Gallias, hoc quod diuino munere fuerat conſecuta, ſtudio doctrinæ ſalutaris effudit. Cuius honoris obtentu Eccleſiam Arelatenſem omnes deceſſores prædeceſſoreſque noſtri velut matrem debito ſemper honore coluerunt, tenenteſque traditionem totam ab hac ſibi ciuitatis noſtræ ſede Epiſcopos po-

ll) Baronius anno 449. n. 62. & in noſtro Cod. MS. fol. 6.

mm) Baronius 450. n. 52. & Codex MS. fol. 8.

ſtituerunt.

ſtularunt. Ab huius Eccleſiæ ſacerdote tam deceſſores noſtros, quam nos ipſos, conſtat in ſummum ſacerdotium, donante Domino, conſecratos. Quam quidem antiquitatem ſequentes prædeceſſores beatitudinis veſtræ, hoc quod erga priuilegia Arelatenſis Eccleſiæ inſtitutio vetuſta tradiderat, promulgatis (ſicut & ſcrinia Apoſtolicæ ſedis procul dubio continent) auctoritatibus confirmarunt: credentes plenum eſſe rationis atque juſtitiæ, vt ſicut per beatiſſimum Petrum, Apoſtolorum, principem ſacroſancta Eccleſia Romana teneret ſupra omnes totius mundi Eccleſias principatum; ita etiam intra Gallias Arelatenſis Eccleſia, quæ ſanctum Trophimum ab Apoſtolis miſſum ſacerdotem habere meruiſſet, ordinandi pontificium vendicaret; his ſecundum religionem vtitur priuilegiis Eccleſia memorata.

Cæterum multa ſunt, quibus ſecundum inſtituta principum, cunctis intra regiones noſtras ciuitatibus præferatur. Hæc in tantum a glorioſiſſimæ memoriæ Conſtantino peculiariter honorata eſt, vt ab eius vocabulo præter proprium nomen, quo Arelas vocitatur, CONSTANTINÆ nomen acceperit. Hanc clementiſſimæ recordationis Valentinianus & Honorius fideliſſimi principes ſpecialibus priuilegiis & vt verbo ipſorum vtamur, Matrimonium Galliarum appellando decorarunt. In hac vrbe quicunque intra Gallias ex tempore prædictorum oſtentare voluit inſignia dignitatis, conſulatum cæpit & dedit. Hanc ſublimiſſima præfectura, hanc reliquæ poteſtates, velut communem omnibus patriam, ſemper inhabitant. Ad hanc ex omnibus ciuitatibus multarum vtilitatum cauſa concurritur, & plane ita ſibi erga priuilegia memoratæ vel Eccleſiæ, vel ciuitatis diuina (vt credimus) diſpenſatione omnia conſenſerunt, vt ſemper ſicut Eccleſia Arelatenſis intra Gallias Primatum in ſacerdotio antiquitatis merito, ita etiam ciuitas ipſa principatum in ſæculo, opportunitatis gratia poſſederit. Vnde factum eſt, vt non ſolum prouinciæ Viennenſis ordinationem, ſed etiam trium prouinciarum, contemplatione ſancti Trophimi (ſicut & ſanctorum prædeceſſorum veſtrorum patefacta ſibi teſtatur auctoritas) Arelatenſis Eccleſiæ Sacerdos ad ſolicitudinem ſemper ſuam curamque reuocarit. Cui id etiam honoris dignitatisque collatum eſt, vt non tantum has prouincias, verum etiam omnes Gallias ſibi Apoſtolicæ ſedis vice mandata, ſub omni Eccleſiaſtica regula contineret.

His itaque omnibus intimatis, & in notitiam beatitudinis veſtræ fideli aſſertione perlatis, quæſumus & obſecramus coronam ſanctimoniæ veſtræ, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui in vobis juſtitiam, patientiam, tranquillitatem, & bona totius ſanctitatis ac perfectionis elegit, & per beatiſſimum Apoſtolum Petrum, quem vita & conuerſatione veſtra nobis diuino munere redditum credimus, vt quicquid Arelatenſis Eccleſia (ſicut ſuperius indicauimus) vel ab antiquitate ſuſcepit, vel poſtea auctoritate ſedis Apoſtolicæ vendicauit, id omne ad ſuum pontificium reuocare eiuſdem Eccleſiæ ſacerdotem beatitudinis veſtræ auctoritas in perpetuam manſura præcipiat. Ipſi autem vel officiorum cauſa, vel huius legationis obtentu, ſanctimoniæ veſtræ nos præſentaſſemus aſpectibus, niſi alios infirmitas, alios anni præſentis penuria, ab hac votorum noſtrorum cupiditate reuocaſſet: ſed confidimus in Domino Ieſu Chriſto, qui precibus & deſideriis noſtris effectum proniptiſſimæ pietatis veſtræ præſtitit, quod qui nunc legationis officio fraudamur, gratiarum poſtea referendarum per nosmet ipſos actione fungemur.

Petronius & Regulus legati has preces ad Leonem detulerunt, quod vbi reſciuere Viennenſes, ne a dignitate, quam Hilarii tranſgreſſione acquiſierant, deciderent, ſuos etiam nuntios miſere: auditis autem Arelatenſium & Viennenſium Legatis & Oratoribus, perſtitit in ſententia magnus Leo, vt Arelatenſis Eccleſia nihil ſumeret eorum, quæ eſſent Viennenſis Eccleſiæ. Ne autem excidat, & quia magni momenti eſt, integram ex noſtro codice deſcribo.

Dilectiſſimis fratribus, Conſtantino, Arnitario, Audentio, Seueriano, Valeriano, Viſo, Stephano, Nectario, Conſtantio, Maximo, Aſclepio, Theodoro, Iuſto, Ingenuo, Auguſtali, Superuentori, Vnantio, Fonteio, Palladio. *Epiſtola Leonis.*

LEO.

Lectis nn) *dilectioni veſtræ litteris, quas ad nos filii noſtri Petronius & Regulus Diaconus detulerunt, quam beneuolum fratri & coepiſcopo noſtro Rauennio impendatis affectum, euidenter agnouimus: ſiquidem poſtulaſtis, vt ei quod deceſſor ipſius merito nimiæ præſumptionis amiſerit reformetur, ſed petitionem fraternitatis veſtræ Viennenſis Epiſcopus miſſis litteris & Legatis ſuis ſuggeſtione præuenerat, conquerens Arelatenſem Epiſcopum ordinationem ſibi* Vaſenſis *Antiſtitis vſurpaſſe. Cum itaque nobis ita & paternarum reuerentia ſanctionum & omnium veſtrum ſeruanda ſit gratia, vt in Eccleſiarum priuilegiis nihil conuelli, nihil patiamur excidi: conſequens fuit, vt ad conſeruandam intra Viennenſem & Arelatenſem prouincias pacem adhiberetur juſtitiæ moderatio, quæ nec antiquitatis vſum, nec deſideria veſtra negligeret.*

Conſideratis enim allegationibus vtriuſque partis præſentium clericorum, ita ſemper intra prouinciam veſtram & Viennenſem & Arelatenſem ciuitates, clarās fuiſſe reperimus, vt quarundam cauſarum alterna ratione, nunc illa in Eccleſiaſticis priuilegiis, nunc iſta præcelleret, cum tamen eiſdem commune jus quondam fuiſſe a gentibus proderetur. Vnde Viennenſem ciuitatem (quantum ad Eccleſiaſticam juſtitiam pertinet) inhonoratam penitus eſſe non patimur, præſertim cum de receptione priuilegii, auctoritate jam noſtræ diſpoſitionis vtatur. Quam poteſtatem Hilario Epiſcopo ablatam, Viennenſi Epiſcopo credimus deputan-

nn) Baronius 450. n. 57. & Codex MS. fol. 13.

dam:

dam: qui ne repente semet ipso factus videatur inferior, vicinis sibi quatuor oppidis præsidebit; id est Valentiæ, & Tarentasiæ, & Genevæ, & Gratianopoli, vt cum eis ipsa Vienna sit conjuncta, ad cuius Episcopum omnium prædictarum Ecclesiarum solicitudo pertineat: reliquæ vero ciuitates eiusdem prouinciæ sub Arelatensis Antistitis auctoritate & ordinatione consistant: quem pro modestiæ suæ temperantia ita futurum credimus studiosum charitatis & pacis, vt nequaquam sibi credat ablatum, quod fratri videat esse concessum.

Data III. *Non. Maji Valentiniano Aug.* VII. *& Abieno* V. V. *Conss.*

In fine huius Epistolæ hæc, quæ sequuntur, verba habentur.

*Hoc præceptum Domini Leonis confirmatum est a sede Apostolica * præsidente Symmacho Papa Probo v. c. conss.*

Seorsim alias dedit Rauennio, aliisque ex causis, sed eas hic inserere non est nostri instituti; præsertim cum eas Clarissimus Baronius in suis Annalibus, & Binius in Conciliis vulgarint: allusit vero Leo magnus (in juris communis inter Arelatensem & Viennensem vrbes allegatione) ad illud, quod in Notitia Imperii legitur. oo) Præfectus classis in flumine Rodani Viennæ siue Arelate residebat, nimirum vtraque in ciuitate stationem habebat; supersuntque hodie quamplurimæ inscriptiones huius rei testes, quas profero:

Præfectus classis in Rodano vbi sederit?

In Villa Gallicolana ad Rodani Ripam.

D. M.
L. SECVNDIO.
ELEVTHERO.
NAVICVLAR. AREL.
ITEM IIIIII. VIR. AVG.
CORPOR. CIPA.
SECVNDIA.
TATIANÆ FIL.
PATRI PIENTISSIMO.

Hæc ad nautam Druenticum spectat:

In Ecclesia S. Laurentii Arelate.

L. IVLIO SECVNDO.
VTRICLARIO CORP.
C. I. P. A. QVI. LEGAVIT.
EIS TESTAMENTO SVO.
* CC VT EX VSVRE
OMNIBVS ANNIS SACRI.
FICIO EI PARENTETVR.
ITEM NAVTA DRVENTICO.
CORPOR. MOGITV.MA.
EPIPODIVS FILIVS NA.
PATRI PIENTISSIMO.

Apud Parthenones S. Cæsarii Arelate.

D. M.
G. PAQVI OPTATI.
LIBER PARDALÆ IIIIII.
AG. COL. IVL. PAT. AR.
PATRONO EIVSDEM.
CORPOR. ITEM PATRON.
FABRORVM NAVAL. VTRICLAR.
ET CENTONAR. C. PAQVIVS.
EPIGONVS CVM LIBERIS SVIS.
PATRONO OPTIME MERITO.

Nec hiemio prætereunda est inscriptio, quæ eiusdem Pardalæ vxorem spectat:

D. M.
ET
SECVRITATI.
AEMILIAE EVCAR.
PIAE.
C. PAQVIVS PARDALAS.
CONIVGI CARISSIMAE.
V. A. XXXXI. M. VIII. D. X.

Hoc etiam legitur Epitaphium in ruderibus ex aduersa Rodani ripa.

AVR. SEPTIMIVS DEMETRIANVS NAVTA DRVENTICVS VIVVS SIBI POSVIT.

Intelligis ergo sopitam quæstionem Viennensium contra Arelatenses, cum ipse Leo Arelatensibus (fortasse ob querelam Hilarii parum æquus) restituerit, quæ substuliſſe videbatur. Suas sub scalas lateat iterum Scaliger, lateat Boschus, qui Metropolim vltimis his sæculis institutam vocat Arelatem.

Sed hic obiter dicam Thorismodum Theodorici in acie contra Attilam cæsi filium, audita Aëtii, magni illius Galliarum vindicis, per Valentinianum nece, spe rerum bene gerendarum ad Arelatenlis vrbis obsidionem incitatum, quem tamen Ferreolus præfect. Prætorio, verbis suasoriis a proposito reuocauit, quod Sidonius his verbis explicat pp) *Prætermisit regem Gothia ferocissimum (Thorismodum) inflexum affatu tuo melleo, graui, arguto, inusitato, & ab Arelatensium portis, quem Aëtius non potuisset prælio, te prandio remouisse;* alludens plane ad superiorem Theodorici senioris obsidionem, de qua egimus in Patroclo, ex quo facile datur intelligi, Ferreolum Episcopum Arelatensem non fuisse, quod viro qq) docto visum est. Rauennio enim, qui hoc tempore sedebat, successit Leontius vel Augustalis: illis Æonius, Æonio Cæsarius; Thorismodus vix tertium absoluit in regno annum, cum Theodoricus frater, qui illi successerat, iterum in Arelatenses arma mouet, sed Ægidius Comes ab hostili vallatus exercitu, facta eruptione hostem fugauit, certe licet vrbem non nominet Paulinus, aperte tamen designat his verbis: rr)

Haud alio penitusque ipso rerum ordine venit
Nuntius, illam vrbem tanta obsidione solutam,
Præcipitem Rodanum molli quæ ponte subegit
Et junxit geminas connexo tramite ripas.

Desiit esse in viuis Rauennius anno circiter CCCCLXI quem haud dubie prætergressus non est, vt patet ex Epistola, quam Hilarius Papa ad Leontium, Rauennii successorem, de sua in Pontificem summum electione, rescripsit.

453.

456.

461.

oo) In Commentario & in prouincia Gallia Riparensi.
pp) Lib 7. Epist. 12.
qq) Sauaro in suo ad Syden. Commentar.
rr) Paulinus lib. 6. de vita S. Martini.

S. AVGVSTA-

S. AVGVSTALIS.

Augustalis XXVI. HIllario, Rauennium: Rauennio, Leontium: Leontio, Eonium: Eonio, Cæsarium succeſſiſſe in Arelatenſi ſede, certiſſimum eſt; tum ex elencho, qui reperitur in antiquo noſtro codice; tum ex Pontificum Romanorum ad Arelatenſes Epiſcopos litteris: ſi tamen Auguſtalis fuerit Arelatenſis Epiſcopus, vt Bedæ viſum eſt; ſane celebris die VII. Id. Sept. in Martyrologio Romano eius memoria legitur; etſi Baronius in notis, illum Arelate minime ſediſſe ſuſpicetur, quod concilio Arauſicano ſubſcriptus reperiatur, tempore ſancti Leonis habito, quo eidem ſedi Arelatenſi præerat S. Hilarius, qui eidem Synodo interfuit. Sed hæc ratio inanis redditur; ſubſcriptus enim reperitur Epiſtolis, quas Rauennio viuente miſere ad Pontifices Comprouinciales Arelatenſis Eccleſiæ: præfixumque illius nomen legitur litteris, quas viciſſim ſummi Pontifices ad eoſdem reſcripſerunt. Etenim ſi noſter fuerit, inter Rauennium & Leontium interſeratur neceſſe eſt: interfuit enim, vt diximus, concilio Arauſicano, quod diuo Hilario præſide celebratum eſt, & commendatur omnibus ferme in litteris, quas ad Rauennium dedit Leo magnus; at cum obitus Rauennii nullo certo anno adnotetur, ſane Auguſtalem recto hic ordine locari, aut alterius ſedis Epiſcopum fuiſſe, fatearis neceſſe eſt. Cuiuſdam Trophimi Auguſtalis Fabri Tignarii filiæ inſcriptio legitur Arelate, quam hic, ne pereat, appono:

Inſcriptio filiæ Trophimi Auguſtalis.

Apud Patheones Cæſarianos Arelate

L. IVLIA AVGVS.
TALIS FABRI
TIGN. CORPOR.
AREL. L. IVLIVS.
TROPHIMVS.
PATER INFOE.
LICISSIMVS.

LEONTIVS.

Leontius. 462. XXVII. LEontius anno ſalutis CCCCLXII. Sedem auſpicatus eſt, teſtem habeo Hilarum Papam, qui creatus ſummus Pontifex ad illum alioſque Metropolitanos ex more reſcripſit, vt per illum aliis innoteſceret. Deinde ss) (inquit pontifex) vt diſpoſitione tuæ fraternitatis omnibus per vniuerſam prouinciam fratribus, & conſacerdotibus innoteſcat, quod humilitatem meam dextera Domini viſitare dignata ſit, & in Apoſtolicæ ſedis regimen, non merito, ſed pro ſuæ gratiæ abundantiſſima largitate commiſerit. Quod ſi illud pro confirmando noſtræ Primatiæ munere minime ſufficiat argumentum, addo quod id temporis Hermes a Biterrenſibus in Epiſcopum Narbonenſem ordinatus fuerat, inconſulto Leontio Arelatenſium Epiſcopo, quam quidem electionem non ferendam ratus Hilarus, tt) Epiſcopis prouinciæ Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ, & ſecundæ, & Alpium Apenninarum reſcripſit, ablatum Primatus (hoc eſt Archiepiſcopi munus) Narbonenſibus, conceſſumque Conſtantio Vceticæ Eccleſiæ. Antiſtiti, quandiu ſuperſtes foret, eoque defuncto (Herme ſcilicet) faciendorum mos Antiſtitum, Narbonenſi mox reddatur Eccleſiæ; quem non ciuitas, ſed cauſa præſumptionis amiſit.

Et quia Leontius conticuerat, ſubdit Hilarius: Per annos itaque ſingulos (decreto nempe concilii ſecundi Arelatenſis) ex prouinciis, quibus potuerit congregari, habeatur Epiſcopale concilium, ita vt opportunis locis, atque temporibus ſecundum diſpoſitionem fratris, & coëpiſcopi noſtri Leontii, cui ſolicitudinem in congregandis fratribus delegauimus, Metropolitanis per litteras eius admonitis celebretur. Acriter vero ſeorſim inuehitur in Leontium idem Hilarus, cuius Epiſtolam, quia primatum Eccleſiæ Arelatenſis confirmat, tibi edendam integram curauimus, ex noſtro Codice excerptam.

Dilectiſſimo Fratri Leontio Hilarus.

Hilari Epiſtola.

Miramur uu) *fraternitatem tuam ita legis catholicæ immemorem eſſe, vt quæque iniqua, & contra patrum noſtrorum ſtatuta in prouincia, quæ ad Monarchiam tuam pertinet, ſi ipſe aut non vis, aut non potes, etiam nec nos ſilentii tui taciturnitate permittas corrigere. Siquidem quod & rumore cognouimus, & quantum diligenter a Diacono Iohanne, qui a magnifico viro filio noſtro Frederico litteris ſuis inſinuatus eſt, requiſiuimus, quod iniquiſſima vſurpatione quidam Hermes Epiſcopatum ciuitatis Narbonenſis execrabili auctoritate præſumpſerit. Quam rem decuerat ſanctitatem tuam, vt nobis in veſtigio indicaret. Qua de re, frater chariſſime, monemus, vt fides adhibeatur aſſertis, ſepoſita excuſatione ad nos tam dilectionis tuæ, quam fratrum noſtrum, aut per portitorem litterarum, aut per quem ipſi elegeritis ſubſcriptam manuum veſtrarum relationem tranſmittatis, vt quid definire poſſimus, reuerenti pagina poſſitis agnoſcere.*

Dominus te incolumen cuſtodiat, frater chariſſime. Data III. Non. Nouemb. 462.

Mira ſane, & laudanda Leontii noſtri humilitas, qui licet Primatus honore ſubnixus, noluit tamen in Hermetem animaduertere: ſciebat nimirum Hilarium Arelatenſis ſedis Epiſcopum, ſuumque deceſſorem, eadem ex cauſa, Leonis Pontificis iram incurriſſe; fuitque opus Federico, Theodorici in prælio contra Attilam cæſi, filio, vt Hermetis tranſgreſſionem ſciret Hilarus. Nec pro ſola Hermetis, verum etiam pro Mammerci Vienenſis cauſa, eodem in conſilio perſeuerauit Leontius: eodem enim pede, quo Hilarius noſter, Mammercus ſanctitate, & eruditione inſignis lapſus erat, Dienſibus, quorum ciuitas Dea auguſta Vocontiorum, vt legitur in lapide Arelatenſi, Epiſcopum concedens.

Dienſis Ciuitas Dea auguſta Vocontiorum.

ss) Baronius 462. n. 3. & 4. & Codex noſter fol. 34. & 35.
tt) Baronius 462. n. 6. & Codex M. S. auctoritat. Apoſt. fol. 30.
uu) Baronius 462. n. 5. & Codex M. S. author. Apoſtol. fol. 29.

In Noſtchomio.

CÆCILIAE. D. F. APRVLLAE FLAM. DESIGNATÆ COL. DEA. AVG. VOC. ☉ ANNOS XIIII. MENS. II. DIES. V. MARITVS VXORI PIISSIMAE POSVIT.

Colonia (vt hic videre eſt) Romanorum; hac ætate caret proprio, & paret Valentinenſi Epiſcopo. Dienſibus (inquam) inconſultis mittens, & conſecrans Epiſcopum, lapſus erat Mammercus: qua de re certiorem reddidit Pontificem Gunduicius Magiſter in Galliis militum; conqueritur vero Hilarus, ſe a Leontio huius errati monitum non fuiſſe. Epiſtolæ vero tenor talis eſt.

Dilectiſſimo Fratri Leontio Hilarus.

Qualiter xx) *contra ſedis Apoſtolicæ veniens conſtituta, ſacerdotalem modeſtiam Mammercus Epiſcopus Viennenſis exceſſerit, dilectionis tuæ debuimus relatione agnoſcere, vt auſibus talibus maturum, & iuxta Eccleſiaſticum ordinem, regularium congruum judicium proferremus.*

Quantum enim filii noſtri viri illuſtris Magiſtri militum Gunduicii ſermone eſt indicatum, prædictus Epiſcopus inuitis Dienſibus, & qui ad Eccleſiarum eius numerum, quem ei Apoſtolicæ ſedis deputauit auctoritas (ſicut in ſcriniis noſtris legimus) minime pertinebant, hoſtili more (vt dicitur) occupans ciuitatem, Epiſcopum conſecrare præſumpſit. In quo, frater chariſſime, ſi ita eſt, quam multiplex culpa ſit, pronuntiare poſſemus, niſi judicii (vt diximus) & moderatio nobis eſſet, & ordo ſeruandus. Atque ideo memor ſolicitudinis, quam dilectioni tuæ ſcis eſſe commiſſam, quicquid nunc ad noritiam noſtram delatum eſt, in conuentu Synodali, qui ſecundum ſtatuta noſtra annis ſingulis, te ſibi præſidente, eſt congregandus, diſcutere quæ ſunt acta debebis, & prædicto rationem facti ſui, ſub vniuerſo cœtu fraternitatis exigere, ac deinde omnium litteras noſtræ intimare notitiæ: vt quod Sancto Spiritu dictante faciendum eſt, ad comprimendos conatus illicitos ordinemus.

Deus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Data vi. id. Octob. Baſilio v. c. cons.

Nec ad Leontium ſolum hac de re ſcripſit Hilarus; imo yy) ad Lugdunenſis, Viennenſis, Narbonenſis primæ & ſecundæ Alpinæ Epiſcopos; eos de Mammerci tranſgreſſione certiores facturus his verbis: Tamen repetitis litteris ea nunc quoque obſeruanda decernimus (vt ſcilicet a Leontio indicantur, celebrenturque Synodi) præcipue cum grauiſſima Viennenſis ciuitatis Epiſcopus inuoluatur offenſa, in injuriam fratris & coëpiſcopi noſtri Leontii, Dienſibus Antiſtitem conſecrando. Atque vt certo firmoque judicio hæc poſteris conſignaret, decretum hoc appoſito titulo edidit.

Præceptum Hilari Papæ de Eccleſia Dienſe, vbi Epiſcopus indebite a Viennenſi Epiſcopo ordinatus eſt.

Dilectiſſimis Fratribus, Victuro, Ingenuo, Idacio, Euſtaſio, Fonteio, Viuentio, Eulalio, Fauſto, Auxanio, Proculo, Auſonio, Paulo, Memoriali, Cæleſtio, Proiecto, Eutropio, Aziciano, Viſo, & Leontio, Hilarus.

A *Solicitis* zz) *admodum nobis, & ex his, quæ proxima ad nos relatio certa detulerat, multa expectatione ſuſpenſis, litteræ dilectionis veſtræ, fratre & Coepiſcopo noſtro Antonio, quem dignum tanta legatione probamus interpretem, deferente, ſunt traditæ, quæ nos ab ipſis contextus ſui contriſtauere principiis: nam qui requieſcere ſolicitudinem noſtram, & magna ex parte releuari in his, quæ a Sanctæ memoriæ deceſſore meo de Viennenſi Epiſcopo præfixa ſunt, credebamus, euidenti aſſertione cognouimus, & non ſine dolore mirantur, deſinitiones illas a Mamerco Epiſcopo nunc potuiſſe tranſcendi, per quas Eccleſia priuilegium probarat acquiri; cum præcipue Sancti fratris* B *& Epiſcopi noſtri Leontii moderatio formam continentiæ præbere debuerit ambienti: aut ſi ſpiritu æmulationis inflatus, eum (quod non oportuit) arbitratus eſt negligendum, deceſſoris ſui ſaltem inſtructus exemplo, illius imitaretur temperantiam, cuius honore perfungitur: nec tranſgrediendo violaret, quod iam nunc, niſi patientiæ moderamina teneremus, poſſet amittere. Cui vnquam profuit mens rebellis? aut quem ſuperbiæ non inclinauit elatio? Altior eſt humilitatis gratia, cui paupertate ſpiritus ad præmium promiſſæ beatitudinis iter regni cæleſtis aperitur. Nec perfunctorium præuaricator exiſtimet eſſe quod fecit,* C *ſi eruditis doctrinis Eccleſiaſticis, quid vterque mereatur, agnoſcit: cum alter ſecundum propheticam vocem *) in medio Dominicæ domus habitare prohibetur: alter, ſuſcipiente ſe domino, ſemper junctus aſſeritur, cuius conſolatione ſaluatur. Poſſent venerabilium veterum multa replicari, quæ juxta veritatem dicta monſtrantur: ſed ab eadem cauſa, quæ ſe, vt loqueremur, injecit, recentiora ſunt exempla ſimenda. Non dignitatem Viennenſis Eccleſiæ Mamercus Epiſcopus meminit Arelatenſis Antiſtitis quondam tranſgreſſione creuiſſe, & pro corrigendis, quæ perperam gerebantur,* D *inuiolabili poſtea definitione compoſitum, ne alter in totum veteri honore per vitium præceſſoris reperiretur exutus.*

Sicuti ergo, & veſtræ dilectionis relatio, & fratris, & Coepiſcopi noſtri Antonii inſinuatio reſeruauit, claret prædictum, priuilegia certis concluſa terminis velle perdere plus volendo. Qui abuſus fratris & conſacerdotis Leontii moderamina, Dienſibus contra fas Epiſcopum, etiamſi eſt meritus, non timuit conſecrare: in quo factum eius conuenerat ſic reſolui,

xx) Baronius anno 463. n. 4. & Codex M. S. authorit. Apoſt. fol. 35.

yy) Ibidem n. 5. & in Codice noſtro fol. 20.

zz) Baronius anno 464. n. 4. & Codex M. S. auct. Apoſt. fol. 14.

*) Pſalme 100.

vt

vt juxta eorum, quæ perpetrata sunt qualitatem, non sine jactura proprii ordinis etiam illum a sacerdotali consortio submoueri cerneret, quem creauit indebite, quemque indignissime fecisse conuincitur, correctum justa vltione seniret, nec conceptæ audaciæ incastigata temeritas licentiæ se peperisse putaret exemplum.

Verum ad Ecclesiarum quietem tantæ transgressionis vulnera, memores Apostolicæ sapientiæ curari volumus ante fomentis, vt corporis nostri membrum forte sanandum in integritatem pristinam per mitiora medicamenta reuocetur: nec credatur negligi, quod interim non monetur abscindi. Præuia medendi semper austeritatis est lenitas, nec omnis ferro statim culpa compescitur, aut inexplorato, vel quod facile prodesse possit offertur; nunc enim temporis opportunitas, nunc languentis necessitas, nunc medicina ipsius, & modus est quærendus, & qualitas: vt omnis per se sapientiam facta in vitiis reprimendis solicitudo, curantis gaudeat reparatione quod saluat, nec careat moderatione quod resecat.

His igitur vestra fraternitas grauiter prudenterque perpensis, alia apud nos dissimulare posse non æstimet: in quorum se maxime contumeliam, qui non immerito pulsatur, erexit; fratri enim nostro Leontio nihil constitutum a Sanctæ memoriæ decessore meo juris potuit abrogare, nihil valuit, quod honori eius debetur offerri: quia Christianorum quoque Principum lege decretum est, vt quicquid Ecclesiis earumque rectoribus pro quiete omnium Dominii sacerdotum, atque ipsius obseruantia disciplinæ in auferendis confusionibus Apostolicæ sedis Antistes suo pronuntiasset examine, venerantur accipi, tenaciterque seruari cum suis plebibus charitas vestra cognosceret, nec vnquam posse conuelli; quæ & sacerdotali Ecclesiastica præceptione fulcirentur, & Regia.

Vnde, fratres charissimi, præsumptionem prædicti, quæ in fratris & Coepiscopi nostri Leontii processit injuriam, ita conuenit tolerare digne nunc interim vltionis immunem, vt si transgressor remediis abutitur satisfactionis & veniæ, nec culpam præsentis excessus curandam futuræ obseruantiæ sedulitate promittit, redeunte querimonia; eo priuilegia Viennensis Ecclesiæ ad Arelatensem Antistitem transferantur exemplo, quo migrauere principio. Vnde moderationis nostræ nomen tenentes, ad Veranum fratrem coepiscopum nostrum scripta direximus, vt prædictum de nostra legatione conueniat, quatenus, quod de eo retuleritis, agnoscat: quia onerosum esse non debet delinquentem fratrem de propriis excessibus increpare, quibus præceptum constat frequenter ignoscere. Necesse est autem si nullum correctionis eius indicium sumpserimus, quod illa est professione retinendum, quam definitione sedis Apostolicæ, periculo ordinis sui obseruandam semper sine vlla deinceps transgressione testetur, ad Arelatensem Ecclesiam eosdem quatuor ciuitates, quarum non fuit, erit non fuerit Mamertus Episcopus, ordinationem esse reuocandas. Quod etiam tunc oportebit fieri, si vllus vnquam post eum, quem nunc charitate corripimus, & vlterius ab illicitis confidimus abstinere, præsumptionis huius imitator extiterit. De hoc sane, qui licet indebite Diensibus cognoscitur ordinatus, justitiæ ratione censuimus, vt sacerdotium eius, fratris & Coepiscopi nostri Leontii confirmetur arbitrio, a quo rite debuit consecrari.

Deus vos custodiat, fratres charissimi, æuo longiore.

Data vi, Kal. Mar. P. C. Basilii, V. C. cons. *Antistitum ambitio in ampliandis limitibus.*

Plerique id ætatis Antistites ambitioso ardebant studio, limites suarum diœceseum ampliandi, contra quos idem Hilarus a) ad Leontium nostrum in causa Ingenui Ebredunensis Alpium Maritimarum Metropolitani auream hanc sententiam scripsit; Expectatio fructus nostri ministerii, non in latitudine regionum, sed in acquisitione ponitur animarum.

474. At infelix sane Leontius, quod Arelatem non armis subactam, sed fœdere junctam (vt Sidonius docet) a Romanorum imperio defecisse viderit ad Euricum (aliis Euaricum) Visegothicum, Hispaniis enim incursione vastatis, descendit in Gallias, atque Aruernum obsedit, fugatusque est Ecdicii magni virtute, non bellica, sed miraculo parta, vt Sidonius b) & Gregorius c) testantur; tentatam tamen semel ciuitatem iterum aggredi parauit. Occasio sese multiplex offerebat, in declinium positæ, & jam penitus collapsuræ Romani imperii res videbantur, tyrannis vndique emergentibus: Aëtio d) enim de medio sublato, Maximus Valentinianum occidit, ipse Maximus tertio tyrannidis mense membratim Romæ a Romanis tractus discerptusque est; ipsa Roma Genserico paruit, ab Eudoxia furente, contra Maximum euocato; Auitus e) Magister militum in Galliis, & legatione apud Theodoricum Visegothicum fungens, deploratis imperii rebus Imperator est acclamatus, purpuramque Arelate f) induit. Dehinc (ait Idacius) apud Arelatum Augustus appellatus, Romam pergit, & suscipitur; anno vero nondum emenso, Placentiæ imperii insignia deponit. Euagrius g) extinctum peste, Nicephorus h) fame, Gregorius Turon. i) itineris difficultate tradunt. *Arelate ab Imperio Rom. defic.*

Interregnum fuit, quo Arelate a Theodorico obsidionem passa est; sed (vt jam superius attigimus) facta eruptione illum fugauit Ægidius Comes, & a mœnibus repulit. Maiorianus volente senatu imperium adiit, & ab ipso rempublicam fulciri posse sperabatur; Arelate vt in primaria & principe Galliarum vrbe moram fecit, legesque k) condidit; sed

a) Tom. 2. Concil. in Epist. decret. Hilari Papæ.
b) Lib. 3. Epist. 3.
c) Turon. lib. 2. cap. 24.
d) Marcellin. Comes. in Chron. Cassio. Paulus Diacon.
e) Sidonius in Paneg. Aui.
f) Idacius in Chron.
g) Lib. 2. c. 7.
h) Lib. 15. c. 11.
i) Lib. 2. c. 11.
k) Cod. Theod. lib. 4. tit. 1.

dolo Ricimeris l) interemptus est. Ricimer Seuerum euexit in regiam; exaltatum m) veneno depressit; ludebat, imo illudebat Ricimer imperio; ex oriente enim Anthemium n) euocauit, data in vxorem filia; illumque paucis abhinc annis de medio sustulit: Olibrius, Glycerius, Nepos, Augustulus, tantum abest, vt Imperatores censeantur; quin etiam ipso Imperatoris nomine indigni sunt; fluctuante enim republica, imperii ruinis attriti sunt.

Euricus Gallias inuadit.

Hæc, inquam, quæ viginti annorum spatio acciderunt, Gallias inuadendas esse Eurico suaserunt; sed alia fuit occasio, Præfectorum nempe auaritia, illos enim Euricus sæpissime muneribus tentauit: Aruandus, Galliarum Præfectus, & Seronatus, o) illustrium virorum querelis pulsati, crimine læsæ maiestatis postulati sunt: Prouinciæ legati fuere, qui illos accusarent Tonantius Ferreolus Expræfectus (cui depulsi ab vrbe Theodorici laudem debet Arelate) Petronius Arelatensis fori togatus, & Thaumastus, quem Arelatensem fuisse indicat sepulcralis inscriptio Thaumastæ, e ruderibus his annis proxime elapsis eruta, quæ talis est.

Thaumastæ Epitaphium.

HIC IN PACE REQVIESC-
BONÆ MEMORIÆ
THAVMASTA QVÆ V-
XIT ANNOS LX ET ORI
-SUB DIEP. R. IDIB-D
INDICTIONE. VN
MA ITERVM POST
LAMPADI. ET. ORES:
VV CC.

Quæ omnia Saluianus p) sæculi sui Hieremias deplorat, his verbis: Qui in similitudinem immanium Bestiarum, non rexerunt traditos sibi, sed deuorarunt: nec spoliis tantum hominum (vt plerique latrones solent) sed laceratione etiam, & (vt ita dicam) sanguine pascebantur: ac sic actum est, vt latrociniis Iudicum strangulati homines, & necati, inciperent esse quasi barbari, quia non permittebantur esse Romani. Hæc autem exclamans causam tradit, cur exclusis Romanis, barbari potiti sunt Galliis. Sed ad malorum culmen accessit ingens penuria, quæ Galliarum prouincias vexauit, populosque mirum in modum afflixit, Sidonius q) enim ad Patientem Lugdunensem Episcopum scribens ait: Quapropter etsi ad integrum conjicere non possum, quantas tibi gratias Arelatenses, Regienses: Aueniocus, Arausionenses quoque & Albensis, Valentinæque, nec non & Tricastinæ vrbis professor exoluat; quia difficile est, eorum ex asse vota metiri, quibus noueris alimoniam sine asse collatam.

His igitur malis quasi torrens effractis obicibus sese in Gallias effudit Euricus, & quas vi non potuit, pacis legibus & conditionibus subegit. Est in Sidonio r) Epistola, quæ id his verbis indicat: Per vos mala fœderum currunt, per vos regni vtriusque pacta, conditionesque portantur. Agite quatenus hæc sit amicitia, concordia principalis: vt Episcopali ordinatione præmissa, populos Galliarum, quos limes Gothicæ sortis incluserit, teneamus ex fide, si non tenemus ex fœdere: sibi enim timebat & Aruernis Sidonius, scribebatque ad Basilium Aquarum Sextiarum Episcopum, legatione tunc publica apud Euricum pro concordia fungentem. Tandem Arelate s) aut armis, aut fœdere potitus est Euricus: illa sola maiestatem imperii in Galliis tuebatur, in illa sedem fixit Euricus, & in illa vltimum vitæ diem inuenit; quod tradit Iornandes, Arelatoque degens, decimo nono anno regni sui, vita priuatus est. 475.

Leontius duo.

Sed ad Leontium redeo: est equidem illius celebris apud Sidonium t) mentio, vt Sauaro in prima commentariorum suorum editione censuit, negauit vero in posteriore, alium nescio quem Leontium commentus; huicque secundæ sententiæ dubius adhæret Baronius: u) Sed licet connomines ea ætate fuerint alii, a nostro tamen multis annis distant, suntque in Epistola Sidonii quam plurima, quæ Arelatem designant. Leontius porro Foro-Julienſis (qui visus est illis a Sidonio laudatus) nostro anterior fuit, nec ad hanc ætatem peruenire potuit; jam enim ante annum cccccxvii. sedebat, cuius vicinia illectus Honoratus noster, Lerinum coluit: alter vero Burdegalensis (quem Sidonio vult cognitum eadem Epistola Brouerus x) apud Fortunatum) nostro longe posterior fuit. Porro licet ægre a tantis viris dissentiamus, sunt tamen, quæ peruicacem quemque conuincant; agitur enim in Sidonio de priuilegio loci, & de Togatis, illic perorantibus: certum vero est Arelate vniuersis Gallis jus ea ætate dictum, quod ipse Sidonius y) testatur Arelatem profectus, Maiorianum vt Imperatorem viseret, a quo epulo exceptus est, posteraque die in forum descendit: degebat etiam Arelate Petronius Iure Consultus, ad quem Sidonius z) scripsit sæpissime: omnemque tollit dubitationem Hilarus Papa, & Synodus Arelate in Fausti causa habita, cui præfuit Leontius, vt indicat ipse Faustus. aa) Sententiæ nostræ fauet probabilissima coniectura Sirmondi: Ad Basilium Aquarum Sextiarum Episcopum scribens Sidonius, bb) eum vrbe medium esse dicit, inter Leontium Arelatensem, Faustum Reiorum, & Græcum Massiliæ E-

l) Marcel. Idac. Cassiod.
m) Cassiod. in Chron.
n) Cassiod. Euag. lib. 2. Niceph. lib. 11. cap. 11.
nn) Sidonius lib. 1. Ep. 7.
o) Idem lib. 2. Epist. 1.
p) Lib. 5. de gubernat. dei.
q) Lib. 6. Epist. 12. & Greg. Turo. lib. 2. c. 14.
r) Lib. 7. Epist. 6.
s) Hugo Floriac. in Iustino. Freculphus lib. 5. c. 17. Sigebert. in Chron. Iornand. de rebus Geticis & alii.
t) Lib. 6. Ep. 3. u) Anno 445. n. 16.
x) In notis lib. 4. Carm. 9. & 10.
y) Lib. 1. Epist. 2.
z) Lib. 2. Epist. 5. lib. 5. Epist. 1. lib. 8. Epist. 1.
aa) Apud Baronium 490. n. 30.
bb) Lib. 7. Epist. 9.

pisco-

piſcopos; ſane inter has vrbes medio prope ſpatio ſita eſt Aquenſium Metropolis.

Poſtremo his enodatis difficultatibus; annus illius obitus nobis remanet incertus, licet certus germanuſque illius in ſede Arelatenſi ſucceſſor, ex noſtris chartis nobis appareat: conjicere tamen facile eſt ad annum 480. CCCCLXXX. ſedem produxiſſe.

IOANNES. I.

Ioannes I. XXIIX. IOannes ſolo nomine, & proxima Leontio ſucceſſione cognitus eſt; ſed credo res illius geſtas, furore Gothico & Ariano Eurici regis debacchante obſcuras remanſiſſe: at ne putes, hæc inter fabulas rejicienda, quantam Eccleſiis Gallicanis cladem intulerit Euricus, explicat Sidonius. cc) Videas (inquit) in Eccleſiis aut putres culminum lapſus, aut valuarum cardinibus auulſis, Baſilicarum aditus hiſpidarum veprium fruticibus obſtructos. Ipſa (proh dolor!) videas armenta non modo ſemipatentibus iacere veſtibulis, ſed etiam herboſa viridantium altarium latera depaſci. Sed jam nec per ruſticas ſolum ſolitudo parochias, ipſa inſuper vrbanarum Eccleſiarum conuenticula rareſcunt. Quid enim fidelibus ſolatii ſupereſt, quando clericalis non modo diſciplina, verum etiam memoria perit? Equidem cum clericus quiſque defungitur, ſi benedictione ſuccidua non accipiat dignitatis hæredem, in illa Eccleſia ſacerdotium moritur, non Sacerdos. Atque ita quid ſpei reſtare pronuncies, vbi facit terminus hominis finem religionis? Altius inſpicite ſpiritualium membrorum damna: profecto intelligetis, quanti ſubripiuntur Epiſcopi, tantorum nobis fidem populorum periclitaturam.

Euricus Eccleſiis infeſtus.

Quæ igitur cauſa verior dari poteſt? ſilentio obuolutas eſſe Ioannis res geſtas, cum liqueat dira barbari Regis preſſas fuiſſe tyrannide. Qui ſi Arelate ſederit, ægre decennium ſuperauit, cum conſtet, a Gelaſio datas ad Eonium litteras, qui Felici ſucceſſit anno ſalutis 492. CCCCXCII.

S. EONIVS.

S. Eonius. XXIX. S. Eonius Cabilino dd) ſeu Cabilono quod Arar alluit, in ripa Heduorum natus eſt, perturbatoque factionibus Arianis hoc tempore, Arelatenſibus datus eſt Epiſcopus. Ad eum de mutua conſeruanda charitate cum fide catholica, Gelaſius Papa ſcripſit, confirmatque primatus dignitatem. 494. Epiſtola vero ſic ſe habet.

*Dilectiſſimo * Eonio. Gelaſius.*

Gelaſii Papæ Epiſtola.

Inter ee) *difficultates varias copiam nos reperiſſe gratulamur, qua per diuinam gratiam ſedis Apoſtolicæ regimen nos adiiſſe pandentes, prætermiſſam diu cum tua miſceremus fraternitate ſermonem, & ſalutatione directa, mutua charitate ſolliciti dilectionis quoque tuæ proſpera quæreremus. Quanto enim totius ouilis cura, Chriſto Domino delegante, ſuſcepta beati Petri Apoſtoli gubernatio principalis vniuerſo gregi in orbe terrarum* tanto pietatis affectu cunctas Eccleſias, earumque rectores amplectitur, & inter diuerſos mundi turbines, ſi paterna fide vel traditione firmiter perſeuerant, vbi primum facultas arriſerit, & quærit anxia, & gauiſa cognoſcit. Quapropter, frater chariſſime, inſtantius religioſis viris filiis noſtris Euphronio presbytero & Reſtituto viro religioſo, qui ad Italiæ partes ad prouidendam congregationi ſanctæ ſubſtantiam commearunt, remeantibus ad propria, ſilere nequiuimus: ſed omni voto dilectionem tuam duximus admonendam: quatenus & vigere apud nos alternæ viſcera gratiæ, fratres & Coepiſcopi noſtri per Gallias conſtituti, charitate tua vulgante, cognoſcerent: & deſiderantibus, omnium, per quos tua charitas voluiſſet, referret mutuo ſoſpitatem, conſtaretque nullatenus quantumlibet ſæculo detrahente diuelli; ſed catholicam profeſſionem manere ſemper vbique coniunctam.

Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime.

Dat. x. *Kal. Septemb. Aſterio & Præſidio* v. v. *conſ.*

Clariſſimus Baronius ff) exiſtimat mendum irrepſiſſe in titulum, & Cæſarii eſſe, quæ ſunt Eonii; deceptus Epiſtola Felicis ad Cæſarium, Datario enim falſo adnotato poſt conſulatum M. Seu. Boetii V. C. quod debuit dici ex noſtro Codice poſt coſſ. Maborti ſeu Mauortii, Epiſtolam credidit a Felice tertio datam, quæ Felicis quarti eſt. Ex hoc in alterum errorem lapſus, Eonio Cæſarium illegitimo calculo ante poſuit; ſed primam hanc ſententiam, quæ viros doctos diu, multumque torſit, ſecunda meliore mutauit. At quod audieris intermiſſum diu ſcribendi munus in initio Epiſtolæ, id puta accidiſſe non ex interrupto Primatus officio; imo ex eo, quod Ioannes & Eonius turbulentiſſimo tempore, flagrante vndique factionibus Arianis prouincia, Epiſcopatus dignitati humeros ſubjecerunt, 499. nec propterea tacuit Eonius, imo dirimendas iterum cum Archipræſule Viennenſi lites habuit. Hortatur enim Eonium Symmachus gg) Papa, vt in ordinandis per ſingulas vrbes ſacerdotibus, cana ac reuerenda ſeruetur antiquitas; elapſoque poſt menſe, iterum illum monet, vt vna cum Viennenſi legationem inſtituat, vt auditis partibus, judicium non ita facile infirmetur. Epiſtolam ſubjicio:

Baronius refutatus.

Dilectiſſimo Fratri Eonio, Symmachus.

Symmachi Epiſtola.

Mouit hh) *equidem nos, quod dilectionis tuæ relatio declarauit: * namque contra regulas Eccleſiaſtici conſtituti, & aduerſum reuerenti-*

* nempe.

cc) Lib. 7. Epiſt. 6.

dd) Cyprianus in vita S. Cæſarii lib. 1.

ee) Baronius anno 494. n. 26. & Codex noſt. MS. author. Apoſt. fol. 36.

ff) Ibidem.

gg) Baronius anno 499. n. 36. & Cod. MS. author. Apoſt. fol. 36.

hh) Baronius anno 499. n. 37. & Cod. MS. author. Apoſt. fol. 38.

ani canonum, tractatum per subreptionem Viennensis Ecclesiæ Pontificis, sedi Apostolicæ præsidente Prædecessore nostro, se inculpabiliter aliqua meruisse; cum si sit vera conquisitio effectum non possint impetrata frivole possidere, nec a nobis aliquid noui poterit ordinari, nisi quæ a Patribus Prædecessoribusque nostris in hac causa statuta clarnerint. Tamen ne facile alterius partis absentia præiudicabiliter videremur aliqua decreuisse, id magis duximus ordinandum, vt fraternitas tua competenti tempore de Ecclesiastico ordine instructum non moretur & omni causa dirigere, qui apud nos veritatem causæ competenter alleget; quatenus pertractatis omnibus, quod statuendum est, sub deliberationis robore sentiatur. Illud etiam dilectionem tuam facere debere præcipimus, vt fratrem & Coepiscopum nostrum Viennensis vrbis Antistitem misso nuncio, & scriptura commoneat, vt constitutis diebus, is quoque hominem proprium dirigat, qui partis eius allegationes competenter insinuet: vt de promotis ab vtraque parte suggestionibus, securius, quæ in perpetuo seruanda sint, disponantur. Quia semper suspectus judicat, qui sub vnius, quod videtur eligit deploratione sancire.

Dominus te incolumem custodiat, frater charissime.

Data sub die III. *Kal. Nouemb. P. C. Paul. V. C.*

Non vnum Pontificem, vnoque sæculo Arelatensium, & Viennensium Controuersia vexauit; imo plures, multisque sæculis: meminit autem Symmachus Anastasii Papæ decessoris sui, qui hac de re judicium sententiamque dixerat: exciderunt tamen Anastasii decreta, vt & Joannis nostri res gestæ, qui Eonium præcessit.

Congestis demum in vnum permultis aureorum millibus, quos Ecclesiæ reliquit (quibus deinde Cæsarius successor iam delignatus in redimendis captiuis, alendisque pauperibus vsus est) vita functus est. Porro (ait Cyprianus ii) Tolonensis Episcopus, & sancti Cæsarii discipulus) Arelatem Gothis cum innumera captiuorum turba reuertentibus, replentur sacræ Basilicæ, repletur Ecclesiæ domus infidelium multitudine, & cum multa inopia laborarent, quæ ad victum, vestitumque pertinerent, affatim eis præbuit vir beatus, donec omnes ab ipso essent redempti eo argento, quod venerabilis Eonius, antecessor eius, Ecclesiæ mensæ reliquerat: & alio loco cum agit de obitu sancti Eonii, Cæsarioque successore: Sanctus (inquit) Eonius Episcopus, Clerum & ciues aliquot alloquitur, ipsosque rerum Dominos per internuncios appellat, vt, postquam ipse Domino volente, decesserit, nullum alium quam Cæsarium sibi substituant, vt Ecclesiasticum vigorem, quem quærebatur in multis regulis ægritudine sua fuisse mollitum, per servum Christi Cæsarium ad statum suum, & vigorem gratularetur reuocari fraternitas, esseque subsequens labor, emolumentum aliquatenus decessoris, vt cum talem postmodum relinquebat posteris, augmentum æternæ hæreditatis, etiam in sanctissimi viri electione percipierent, & non deesset post transitum socius, electionis voto, qui etiam superstes, auctor extitit in decreto.

Itaque his omnibus diuina prouidentia fideliter ordinatis, securus de successore beatus Eonius migrauit ad Dominum, sepultusque est in ædibus diui Honorati extra muros, in illa Crypta, de qua jam in Hilario loquuti sumus. Memoria eius ab Ecclesia kk) anniuersario die colitur ante vltimum Augusti diem, currebatque annus, dum satis celsit pius.

S. CÆSARIVS.

XXX. CÆsarius eo anno Episcopatum adeptus est, quo reliquit Eonius, eius affinis, & ciuis. Trithemio ll) enim, & Gennadio, ll) aliisque ducibus in Cæsario, erratum toto cœlo; neque vt mea sententia firmas radices agat, aliud requiritur argumentum præter auctoritatem Cypriani (qui illum in Episcopatu quadraginta annos exegisse testatur) & successoris Auxanii, qui anno DXLIV litteras a Vigilio Papa accepit, quibus ipsi de sua in Episcopum electione gratulatur. Felicis etiam quarti jam in Eonio errorem attigi, ex falso M. Seu. Boëtii datario, quod debuit esse Mabortii, vt ex Authentico nostro codice deprehenditur. Imo ipse Baronius mm) (licet diuersis in locis de Cæsario agat) hoc anno debite reposuit.

In Lerinensi palæstra miles desudauit sub Abbate Porcario; Cellarius ita jejuniis corpus & vigiliis vexauit, vt coactus fuerit Arelatem venire valetudinis curandæ causa: illum Firminus & Gregoria, Arelatenses patricii, domo excepere, datusque est Afro Pomerio Rhetori edocendus; verum ab humanioribus litteris visione territus, auocatus est, & ob præclaras ingenii dotes, Eonio Pontifici obiatus, ab illo (vt propinquus genere, & vrbe) agnitus; imo, & omnibus beneuolentiæ officiis cumulatus est: illico enim Eonio procurante, Diaconus & presbyter ordinatus defuncto in insula suburbana Abbate, in illius locum substitutus est Cæsarius; tertioque exacto anno in Eonii locum suffectus.

Creatus Episcopus, bis exilio mulctatus est, apud Alaricum, & Theodoricum Gothos reges delatus; de prima accusatione hæc habet Cyprianus: nn) Itaque iis, qui tum aderant, instigantibus, nec innocentiæ fides attenditur, nec accusationis veritas inquiritur, sed vana, & iniqua delatione damnatus, ab Arelate extractus, cogitur apud Burdegalenses exulare. In itinere, & vrbe miraculis clarus enituit, flammas enim Burdegalam incendio deformantes, precibus exigente populo extinxit. Est etiam notatu dignum, quod cum Ariani principis auctoritate, extorris de-

ii) In primo libro vitæ S. Cæsarii.
kk) Breuiarium iuxta ritum S. Arelatensis Ecclesiæ.
ll) Lib. 3. c. 84. Item lib. de vitis Illust. ord. S. Benedicti. c. 16. & de script. Eccles.
ll) Gennad. lib. de script. Eccles. 86. c.
mm) In Annalibus Eccles. Anno 544. n. 11.
nn) Lib. 1. vitæ beati Cæs.

geret,

geret, reddenda docuit Cæsari, quæ sunt Dei, Deo, & se in Ariano principe dogmatis prauitatem solum contemnere. Erubescant igitur nostrates hæretici, qui non solum Christianissimo iustissimoque Principi non obediunt, imo arma in eius, regnique perniciem vertunt. De oo) secunda vero idem auctor prodit: Denuo in eum accusatione conficta id efficit (scilicet dæmon) vt Rauennam vsque sub custodia pertraheretur, vt implerétur etiam in illo quod habet Scriptura diuina: Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus. Vtrumque tamen Regem Angelici vultus aspectu, & innocentiæ securitate ita permouit; vt non solum pacate humaniterque illum exceperint; sed oblatis etiam muneribus honestarint: quibus publice venditis, captiuos redemit, domumque quasi ex triumpho rediens ingressus est. His (inquit Cyprianus) ita gestis Sanctus vir Arelatem reuersus, excipitur cum Psalmodiis & canticis, & qui in Italiam exulatum ierat, confecta captiuorum redemptione, octo solidorum millia ab Italia reportauit. Sed antequam Arelatem rediret, a Symmacho Papa Romam vocatus est, a quo pallium, cæteraque Sacerdotalia ornamenta pro se & Arelatensi clero obtinuit.

Atenim error de tempore, quo Arelate sedit, facile patet cuiuis cogitanti; quod quamplurimis conciliis præfuit, atque vt Primas, primus illis subscripsit. Anno enim salutis (4 Id. Sept. Messala consule) DVI. Concilium pp) Agathense celebratum est, cui nomen apposuit suum his verbis: Ego Cæsarius in Christi nomine Episcopus, juxta id, quod vniuersis Coëpiscopis meis, qui mecum subscripserunt, placuit; instituta patrum secutus, &c. Hunc vero Cæsarium, qui Agathensi adfuit, & præfuit concilio, non alterum esse a nostro, constat ex patribus Concilii Meldensis. qq) Sanctus Cæsarius Ecclesiæ Arelatensis cum aliis triginta quinque Episcopis, omnes (inquiunt) deinceps clerici, siue laici, Iudæorum conuiuia euitent. Qui canon respondet canoni quadragesimo huius concilii. Indixit etiam tertium Arelate Concilium, rr) non Vincomalo & Opilione coss. anno salutis CCCCLV. sed Opilione cum Iustino Augusto consulatum agente anno DXXIV. Vincomalus enim a sciolo additus est, erroremque induxit annorum fere septuaginta.

In hoc prouinciali concilio dedicata est Basilica Beatæ Mariæ, quam vulgus Virginem de Maiori appellat, hodie est collegium Canonicorum. Post illud Concilium, conuocatum est Arausicanum, cui præfuit ipse Cæsarius anno Domini quingentesimo vndetrigesimo, non Basilio iuniore, sed Decio coss. anno DXXIX. Fatetur vero Clarissimus Baronius, ss) se collectorem Conciliorum secutum bis errasse: errorem vero emendauit in Annalibus. Iisdem plane rationibus de Carpentoratensi, Vasionensi, Epaunensi conciliis agit, quibus præfuit Cæsarius, nec in illis explicandis immoramur; ne agamus, quod egit doctissimus Ecclesiasticorum annalium auctor. tt) Conuocarat etiam Valentiæ ad Rodanum Synodum, sed morbo impeditus minime adesse potuit. Cyprianus illius discipulus, vt legatus interfuit, testaturque, uu) non Felicem quartum; imo Bonifacium secundum, Cæsarii libros contra Faustum approbasse. Nam (inquit ille) beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ Ecclesiæ Papa, olim eadem colluctatione comperta, calcata intentione iurgantium, prosecutionem Sancti Cæsarii Apostolica auctoritate firmauit. Ex quibus videre est, Cæsarii libros bis Apostolica auctoritate firmatos: sedit vero Bonifacius anno Christi DXXX. 530.

Iam vero vt nullus dubitationi supersit locus, errorque de Cæsarii tempore penitus eradicetur, summorum Pontificum percurramus Epistolas, diuersis temporibus variisque ex causis ad eum datas. Symmachus Romæ sedit ab anno CDXCIX. ad annum DXIV. Cæsarioque pallium concessit, & Primatum confirmauit, his verbis: Charitati xx) tuæ per omnes Gallicanas regiones vtendi * pallei concessimus facultatem. Exemplum libelli, sicut a persona beati Apostoli Petri Episcopatus sumpsit initium, ita necesse est vt disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis Ecclesiis, quod obseruare debeant, euidenter ostendat, hæc vero confirmantur a Cypriano. yy) Atque ipse etiam Pontifex Symmachus præclara eius meritorum dignitate permotus, non solum eum verissime Metropolitani honore præditum voluit; sed etiam speciali quodam priuilegio, pallii vsum ei permisit, & Diaconos eius perinde, vt Romanæ Ecclesiæ Diaconos, Dalmaticis vti voluit, insuper etiam, quæ Metropolitanum Aquarum Sextiarum tangunt, addidit Symmachus, Epistolamque subjicio.

*Pallii.

Dilectissimo Fratri Cæsario, Symmachus.

Symmachi epistolæ.

Qui zz) *veneranda patrum statuta custodit, amicum se absolute religionis ostendit: & qui prouidet, vt locum excessibus non relinquat, demonstrat se de bono gratiæ cogitare. Rationabile est, vt sancta Arelatensis Ecclesia propriis priuilegiis perfruatur: & quod vetustas præstitit, & patrum auctoritas roborauit, noua non debet violare præsumptio. Sic tamen, vt cæterarum Ecclesiarum priuilegia temporibus acquisita non titubent: quia nec potest ex parte firmum esse, quod generalitatis tangit injuriam. Manentibus siquidem his, quæ patrum constituta singulis Ecclesiis concesserunt, decernimus, vt circa hæc, quæ Galliæ prouinciis de causa religionis emerserint, solertia tuæ*

oo) Ibidem.
pp) Baronius Anno 506. n. 2. 3. 4. & reliquis.
qq) Can. 73.
rr) Baronius Anno 453. n. 42.
ss) Baronius Anno 529. n. 1.
tt) Ibidem.
uu) Lib. 1. vita S. Cæs.
xx) Cod. M. S. Author. Apost. fol. 42.
yy) In vita Cæsarii lib. 1.
zz) Baronius Anno 514. n. 4. & Codex M.S. auct. Apost. fol. 43.

fraternitatis inuigilet. Et si ratio poposcerit præsentiam Sacerdotum, seruata consuetudine, vnusquisque tuæ dilectionis admonitus auctoritate, conueniat: & si Dei adjutorio controuersia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis applicemus: alioquin existentis negotii qualitas ad sedem Apostolicam, te referente, perueniat: vt cunctis ordine suo peractis, vnde inimicus bonitatis sibi blandiatur, locum inuenire non possit. Igitur quemadmodum supra diximus, per singulas Ecclesias beneficia, quæ sunt diu custodita, seruentur. Etsi tam Ecclesiæ Aquensis Antistes, vel alius quilibet Metropolitano Pontifici juxta canonum definitionem vocatus obtemperare noluerit, noluerit subdendum se (quod non optamus) Ecclesiasticæ disciplinæ. Et in hac parte magnopere volumus esse sollicitum, vt si quis de Gallicana regione Ecclesiastici ordinis, atque officii, ad nos venire compulsus fuerit, tam fraternitatis tuæ notitia iter peregrinationis arripiat: vt nec honos eius per ignorantiam aliquam contumeliam patiatur, & ambiguitate depulsa a nobis animo securo in communionis gratiam possit admitti.

Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. III. Id. Iun. Senatore V.C. coss.

Porro Symmachi Epistolæ hic, qui sequitur, inhæret in nostro scripto codice libellus.

EXEMPLVM LIBELLI. P.

Quantum omnibus Ecclesiarum pontificibus, quæ in toto orbe diffusæ sunt, Apostolica sedes sibimet vendicat principatum, & Synodalibus decretis firmior eius præcellit auctoritas, tantum potestatis suæ prouisione dudum a sese concessa debent inconcussa seruari. Quatenus Arelatensis Ecclesia fruatur priuilegiis suis, quæ nunc per Antistitem Cæsarium seriem suæ petitionis insinuat, & quam hactenus habuit potestatem, vestra nunc deposcit auctoritate firmari; & quod veneranda fides quondam perennis sanctione custodiri præcepit, & pragmaticis specialiter decreta sunt constitutis, beatitudinis vestræ præceptis suis etiam nunc confirmet auctoritas. Aquensis etiam ciuitatis Episcopum, sanctitatis vestræ moneri præcipite constitutis, vt dum a Metropolitano Antistite Ecclesiæ Arelatensis ad Synodale concilium fuerit euocatus, vel aliqua ordinationis causa eum sibi postulet religio diuina necessarium, minime venire frustretur: quatenus ea, quæ longæuis sæculis priscorum sanxit auctoritas, vobis præsulibus præsenti, futuræque ætati inuiolata seruentur.

F. Data 6 ab Egidio Abbate & a) Omissionoro.

Nec ea priuilegia voluit alios Episcopos latere Symmachus, certos enim eos reddiderat anno proxime elapso, se magni Leonis decretum in causa Arelatensium & Viennensium confirmasse; his verbis:

Dilectissimis Fratribus, universis Episcopis per Gallias consistentibus, Symmachus.

Sedis b) *Apostolicæ instituta prædicanda solicitant, vt de concordia vniuersalis Ecclesiæ, quæ toto orbe diffusa est, pervigili cura tractemus: quæ in eo præcipue efficacius adolescit, si ea, qua a patribus statuta sunt, ætas subsequens reuerenter obseruet. Cæsarius siquidem frater & Coepiscopus noster Metropolitanæ Arelatæ ciuitatis Sacerdos Ecclesiæ, beati Apostoli Petri liminibus præsentatus, eâ, quæ pridem de priuilegiis Ecclesiarum constituta sunt, nostris postulauit innouari sermonibus. Cuncta igitur inter Ecclesias Arelatensem, & Viennensem a decessore nostro beatæ recordationis Leone Papa, quæ super hac parte ordinata sunt, Ecclesiæ Romanæ fidelis declarat institutio. Atque ideo ne ea, quæ semper veritatis est æmula, sibi aliquid vendicare queat obliuio, & prioris decreti vigor, temporis diuturnitate vergatur in senium: necessarium duximus olim promulgata in lucem reddere nostris affatibus. Idcirco quemadmodum decessor noster Leo Papa diuim cognitis allegationibus partium, definit parochiarum numerum vel quantitatem Arelatensi & Viennensi sacerdotibus deputandam, & nos præcipimus nullius vsurpatione transgredi. Sed (vt ante prædiximus) juxta indulgentiam supradicti pontificis Valentiam, Tharantasiam, Geneuam, Gratianopolim oppida Viennensis Antistes juri suo vendicet: nec quicquam amplius ab his, quæ semel ab Apostolica sibi sede concessa sunt, æstimet præsumendum. Alias vero Parochias, vel diœceses cunctas priuilegio & honore suo Arelatensis Episcopus, sub temporum continuatione defendat. Nec enim obseruatio & vetustatis reuerentia custoditur, si amplius de humilitate gloria sacerdotalis attollitur. Proinde fratres charissimi, singuli honoris sui distributione contenti, nec per sæcularia patrocinia, nec per cujuslibet excusationis obtentum illicita præsumptione terminos concessæ potestatis excedant. Studere siquidem vnusquisque debet deuotionis officium magis gratia, quam de ambitione, ne & Domini nostri offensam, & humanam in se lacessat inuidiam. Tacere nos ista commissæ dispensationis jura minime patiuntur: vt & de his, qui Ecclesiasticis regulis obsecundant, perseuerantibus in concordia sedis Apostolicæ gratulemur; & illi, qui catholicis disciplinis obtemperare destiterunt, ab Ecclesiæ gratia & charitate se alienos ostendant.*

Dominus vos incolumes custodiat, fratres charissimi.

Dat. Idib. Nouemb. Probo V. con.

Eisdem vestigiis adhæsit Hormisda, Symmachi successor, qui sedem Romanam obtinuit ad annum vsque DXXIII. & Cæsarium fecit certiorem, Dardanos & Illyricos Episcopos ad Ecclesiæ communionem rediisse; quem

a) Hoc nomen ignotum fuit Baronio punctis enim illud exarauit in appendice ad Tom. 6. Annalium.

b) Baronius anno 513. n. 46. & Codex M. S. auctor. Apost. fol. 39.

enim

enim habuerat (vt ipsemet Hormisda c) testatur) doloris participem, eiúndem voluit tanti gaudii esse consortem. Felici quarto, Bonifacio & Ioanni Romanis Pontificibus cognitus fuit Cæsarius: illi vero Romæ sederunt ab anno Christi DXXVI. ad annum DXXXIV. duo primi illius contra Faustum libros auctoritate Apostolica confirmarunt; imo Felix d) ad illum scripsit, non licere ex laica conuersatione ad officium sacerdotale, ante probationem temere promoueri: vltimus (Ioannes scilicet) e) Cæsarium scriptis salutauit, Ecclesiamque contumelioſi Episcopi, quem propter crimina deposuerat, ei commendauit. Depositus sedem Apostolicam appellauit, eam occupante Agapeto, cuius sententia ad celebrationem missarum, redintegratus est. De commendatione Ecclesiæ hæc habet in fine Epistolæ: *Omnem* f) *vero hanc solicitudinem* (visitationis scilicet) *Cæsario fratri & Coepiscopo nostro injungimus, ad cuius curam cuncta, quæ necesse sint, pertinere censuimus.* Sententia vero Agapeti hæc est: *Suspensus* g) *igitur* (sicut præfati sumus) *Episcopus Contumelioſus habeat tantum, quam præsumpsisse dicitur, celebrationem missarum: & patrimonio Ecclesiæ in gubernatione Archidiaconi ejusdem Ecclesiæ constituto: ita vt alimonia sufficienter Episcopo non negentur.*

Postquam vero Cæsarius suas opes in pauperum, vel captiuorum commoda erogauit, nec (inquit Cyprianus h)) ab illis, quæ ad diuini mysterii dispensationem pertinent, abstineret, thuribulis, calicibus, patenis pro eorum redemptione datis, excussisque a cancellorum columnis, ornamentis argenteis, ad Agapetum scripsit, vtrum bona Ecclesiæ hac ex causa alienare liceret: at licet Sanctus Sanctum pro re sancta rogaret; non licere respondit, appositio concilii tertii Romani sub Symmacho celebrati: decreto; quod non integrum, imo ex parte tantum exscribimus. *Sed* i) *etiam liceat quibuscunque Ecclesiasticis personis vocem contradictionis afferre, & Ecclesiastica auctoritate fulciri, ita vt cum fructibus possint alienata reposcere, nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis considerationc dispergit.*

Bona Eccl. an in pauperes eroganda?

Ad vltimum ipse Vigilius, qui anno Christi DXL. Pontificatum Romæ gessit, consultus de injungenda pœnitentia Theodeberto Regi Francorum, ob incæstuosas nuptias contractas, ad Cæsarium, vicaria in Galliis Apostolicæ sedis præfectura fungentem, litteras dedit his verbis: k) *Quapropter charitas tua totius facti qualitate, ac pœnitentis ipsius compunctione perspecta, prædictum gloriosum Regem filium nostrum* (Theodebertum) *& de temporis obseruatione non omittat instruere, & ne vlterius tale aliquid præsumatur, instanter exposcat. Illud quam maxime præcauendum, vt ne ipse, qui hoc noscitur admisisse, ad eosdem vomitus reuertatur: sed diuisis etiam habitationibus commanentes, ab omni suspicione commissi facinoris reddantur immunes.* Habes igitur, lector, abunde satis tempus, quo Cæsarius Arelatensis fuit Episcopus, vindicatum ab errore, & achronismo, omnium fere antehac Scriptorum; & ex hac defensione maxime illustratum: obiit enim exeunte anno DXLIII. 543.

Arelate celeberrimi monasterii fundamenta jecit, illisque regulas monasticas obseruandas præscripsit, & Cæsariam sororem Massiliæ edoctam religiosum institutum (postea Magistram sanctæ Radegundis) præfecit. Illius præconia canit Fortunatus: l) *Soror Cæsarii quæ?*

Has inter comites coniuncta Cæsaria fulget,
Temporibus nostris Arelatense decus:
Cæsarii monitis luci sociata perenni,
Si non martyrii, virginitatis ope.

& inferius:

Dulce decus, vbi sit veneranda Cæsaria præsens,
Præsule Cæsario non caritura tuo.

Magistram fuisse S. Radegundis, declarat sæpe Fortunatus, ll) vt cum ait de eadem sancta Radegunde, monasticam vitam profitente:

Regula Cæsarii linea nota tibi est.

& alibi: m)

Concipiente fidem Christi Radegundis amore,
Cæsarii lambit regula, quidquid habet.

& ad Martinum Galliciæ Episcopum: n)

Atque adscita sibi seruetur in vrbe Genesi,
Regula Cæsarii præsulis alma pii,
Qui fuit Antistes Arelas, de sorte Lerini.

Plures habuit discipulos, quorum præcipui vitam eius posteris consignarunt: licet enim solus Cyprianus vulgo scripsisse dicatur, Codex o) tamen meus hoc præfixo titulo legitur: *Incipit prologus in vita S. Cæsarii, quam Dominus Cyprianus & beatus Firminus & sanctus Viuentius Episcopi, nec non presbyter Messianus & Diaconus Stephanus scripserunt.* Cyprianus fuit Tolonensis Episcopus, Firminus Vcetiensis non Vticensis, vt existimauit Baronius, p) dum in concilii Aurelianensis subscriptione Vticam legit, pro Vcetia, quæ vere non in Africa, sed in Gallia Narbonensi prima sita est. Quis fuerit Viuentius, non legi, nisi forte sit Viuentius, qui Lucidi Epistolæ subscripsit. De Messiano presbytero est Epistola elegans in nostro Codice q) de *Discipuli.*

c) Baronius Anno 518. n. 85. & Codex M. S. auctor. Apost. fol. 47.
d) Codex M. S. auct. Apost. fol. 45.
e) Cod. M. S. fol. 50. f) Cod. M. S. fol. 51.
g) Baronius Anno 535. n. 112. & Codex noster M. S. fol. 53.
h) In Cæsarii Lib. I.
i) Baronius Anno 535. n. 109. & 110.
k) Baronius Anno 538. n. 28. dum videlicet Vigilius se Pontificem gereret contra Siluerium, & Codex M. S. fol. 55.
l) Lib. 8. de Virginibus Carm.
ll) Lib. 8. Carm. de nomine suo.
m) Lib. 8. Carm. 2. n) Fortunatus lib. 5. Carm. 2.
o) Codex plurimorum Confessorum inscribitur. M. S.
p) Anno 552. n. 27.
q) Codex iste dicitur capituli Authenticum.

consecratione Ecclesiæ diui Hermetis ad Vincentium Episcopum: vetus est etiam inscriptio Arelate r) de Messiano connomine, quæ ne pereat, hic edandam curaui:

Inscript. de Messiano.

D. M.
M. IVNIO MESSIANO VEDECI CORP.
ARELAT. EIVSD. CORP. MAG. IIII. F.
QVI VIXIT ANN. XXXIII. M. V. D. X.
IVNIA VALERIA ALVMNO CARISSIMO.

Valeriæ gentis supersunt etiam Arelate quamplurimæ inscriptiones, vnam subjicio:

& Valeriis

T. VALERI DIONISI.
D. VALERIA CHARISS. M.
VXOR ET VALERIVS
MARCELLVS ET FELICIO
PATRI PIISS.

Fuit etiam Ægidius illius discipulus: magnum illum Ægidium Abbatem intelligo, quem Theodorici Ostrogothi Romanorum Regis (non Francorum, vt perperam aliqui censent; subarat enim Ostrogotho ea ætate Arelate) venatores in spelunca cum cerua delitescentem repererunt; extructis denique vbique templis, captiuis ex omnibus terrarum partibus redemptis, conciliis per Gallias celebratis, scriptis doctissimis, elucubratis, ex quibus tantum Homiliæ ad populum Arelatensem, & quædam *de statu animæ* in Bibliotheca s) patrum sub *Felicarii* nomine supersunt, in vita & post mortem editis frequentissime miraculis testamentum condidit in Ecclesiæ suæ, virginumque vtilitatem, quod vt nobile antiquitatis monimentum, licet mendosum, puluere exesum, & testium subscriptione decurtatum, subjicio.

Testamentum B. Cæsarii Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ Episcopi.

Pax Ecclesiæ Arelatensi. Cæsarius Episcopus presbyteris Diaconibus, sanctæ ac venerabili Cæsariæ Abbatissæ, quam Dominus per meam paruitatem in monasterio nostro præposuit, ac vniuersæ congregationi, quam ibi Dominus sua gratia collocauerit, in Domino æternam salutem. Cum Ecclesiastica pietas consuetudinis suæ rem faciat, ordinabiliter scilicet, quo peregrinis & destitutis opem largitionis impendat: quanto magis cum opportunitas aut necessitas fuerit, vt sanctis quibusque & Deum timentibus aliqua largiatur, amplius debet pia miserendi sua viscera dilatare? Et ideo juxta hanc epistolam, quam manus nostræ subscriptione roborauimus, cuique diem & consulem subtus adiecimus, Deo dispensante hoc testamentum meum condidi, vel manu propria subscripsi atque jure prætorio, vel jure ciuili, & ad vicem illorum, eodicillo firmaui. Ego Cæsarius peccator cum debitum humanæ carnis reddidero, cunctum monasterium Arelatense S. Iohannis, quod ego condidi sub potestate Arelatensis pontificis canonice sit, hæredemque meum esse volo ac jubeo. Cæteri, cæteræue exhæredes sint. Totum quod cuique aut per hoc testamentum meum dedero legauero dariue jussero, vt detur fiat. Cæterum autem, Arelatensem Episcopum cohæredem meo monasterio relinquo: quosque liberos quasque liberas esse jussero, liberi, liberæue sint omnes.

Cæsarei Testam.

Ego tamen cum nihil de parentum bonis habuerim, hoc testamentum meum præsumere erubui: Illa tamen me sententia compulit, vt plerosque Saluatoris formidanda, qua iniqui audituri sunt dicentem, Ite in ignem æternum, pietatis affectu aliquid Ecclesiæ meæ contulisse. Et ne forte post obitum meum aliquid de parentibus meis, excepris iis rebus, quas illis pro elogiis donaro, inquietare præsumant, cui præsum Ecclesiam: ideo hanc voluntatem meam tractare amplius desideraui, qua de parentibus meis ne apud ipsum monasterium præfatum, vel Pontificem Arelatensis Ecclesiæ, præter id, quod illis dedero ac dederim præsument requirere. Sancto & Domino meo Archiepiscopo qui mihi indigno digne successerit, licet omnia in sua potestate sint, tamen si libet, & dignum ducit, indumenta pascbalia, quæ mihi data sunt omnia illi seruiant simul cum casula villosa & tunica, vel galnape; quod melius dimisero. Reliqua vero vestimenta mea excepto birro amiculari, mei tam clerici quam laici, cum gratia vel ordinatione Domini Archiepiscopi, sibi ipso jubente imo donante diuidant. Ea vero, quæ monasterio ante per donationem cernuli nunc affirmo: & si cui aliquid per epistolam, aut per pittatium, aut verbo, pietatis intuitu contuli valere volo.

vel per quæ.

Hoc etiam essuere precor quatenus cellam, quam bonæ memoriæ Augustus subdiaconus in atrio S. Stephani eundibus parte dextra habuit, successoribus monasterii propter custodiam illorum firmam D. Archiepiscopus perpetuo dignetur jure concedere: ita vt eam sibi succedendam monasterii prouisores habeant. Et hoc specialiter volo, & ita, Domine Archiepiscope, precor sive prouisorem ad monasterium, sive presbyterum ad Basilicam S. Mariæ, nullum aliunde habeat congregatio Sancta, nisi quem ipsa elegerit, vel ordinari petierit. Et licet de tua D. Archiepiscope, pietate præsumam, tamen ne forte contra monasterium nostrum aliquorum suggestiones importunas habeatis, adjuro vos per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum & per tremendum diem judicii, ne vnquam apud vos prævaleat hostis antiquus, aut ancillas vestras contristari acquiescatis; aut aliquid illis auferri de iis, quæ possident eisque cantulimus permittatis: quia Deo propitio non sine discretione, vel justitia quibuscunque Sæcularibus jure directo res Ecclesiæ vendidimus: nisi hoc tantum quod Ecclesiæ minus vtile & infructuosum est. Et quod animabus sanctis & Deo vacantibus cum sanctorum fratrum consensu vel subscriptione tribuimus, perpetuo illis jure permaneant.

Vos vero Dominæ filiolæ per S. Trinitatem inseparabilem & per Domini nostri Iesu Christi

r) In Campis vulgo Elisiis juxta sacellum Domin. de la Tour.

s) Tom. 2.

aduentum

aduentum adjuro, vt Pontificem, qui mihi indigno ordinante Deo, succesſerit digne, omni affectu vt Dominum rogetis ac pura mente diligatis, & ne per veſtram contriſtetis inobedientiam. Confidimus enim de Dei miſericordia, quod ita omnibus ſacerdotibus, quibus religionis collatio eſt, caſtum amorem impendat, vt nihil vobis, quod ad ſuſtentandum corpuſculum opus eſt, deeſſe permittat. Te iterum atque iterum, Pontifex optime, rogo, gratia diuina præfati monaſterii vt curam maximam habeas, & familiam illarum cum grandi pietate ſatagas prouideri. Quod ſi alicuius perſona injuſtum tibi dederit conſilium, cum auctoritate reſpondendum deprecor: quia hoc, quod Epiſcopi agitur verbo, non ſolum aufferri non debet; verum etiam nec omnino poteſt. Tum præcipue quia & hoc ipſa S. Papæ Vrbicani ſuaſit auctoritas, vt hoc de Sancto & Domino meo Pontifice credam. Numquam enim apud te prævalebit tam iniqua ſuggeſtio, vt contra juſtam voluntatem qualiſcunque Antiſtitis pro meo ſtudio ſubſtantia ad te multum profecerit, & prope duplicata ſit. Additur ad hoc, quod Deus miſericors per paruitatem meam, etiam immunitatem tributorum, tam juxta vrbem & infra, quam etiam in ſuburbanis, & villis ex maxima parte conceſſit.

Agellum igitur Auchurianum, vnde paruam particulam monaſterio dedimus, multa ſeruauimus, nam plus minus centum aripennes vineæ, & trecentorum modiorum campos reſeruauimus; ita quod ſupra dictum monaſterium, tantum modiatas de terra quam ego plantaui, habeat modiatas quadraginta, & de vetere vinea vix triginta aripennes contulimus: Agellum Gallicumanum, Mercloanum, vel Agellum Gemellos, cum ſtagnis & paludibus cum omni jure & termino ſuo: & paſcua in campo Lapideo, vel ſi qua alia ſunt, vel campum in Triſinitio ſuper viam munitam, vel reliqua quæcunque ſunt: Agellum Oruedum & Agellum Martinatis, & agellum Siluanum, in quo eſt ſita Eccleſia S. Mariæ de Ratis, & agellum Miſſiamanum cum omnibus ſibi pertinentibus paſcuis, paludibus cum omni jure & termino ſuo, Sanctæ tuæ Eccleſiæ reſeruauimus in ſtipendiis earum. Vnde te, S. Pontifex, adjuro, vt ſi Deus omnipotens per manus ſe timentium ſanctæ matri Eccleſiæ, monaſterio ſanctarum virginum aliquod maius bonum dederit, tua ſancta dilectio vnum ab altero non diſiungat. Si vero (quod Deus non patiatur) congregatio ibi, aut congregata non fuerit, aut forte poſtea (quod abſit) cum congregata non fuerit, aut eſſe deſierit, ad matrem Eccleſiam reuertantur.

*Hæc quidem ego, vt timori meo ſatisfacerem, ſcripſi. Nam abſit, vt de tua, piiſſime Pontifex, inſcientia inculperis: quia (vt ſupra jam dixi) pietas diuina conceſſit, vt per meam humilitatem immunitas Eccleſiæ in tot capitibus daretur. Quod monaſterio cum fratrum conſenſu dedimus, per hanc voluntatem meam confirmo. Ancillæ noſtræ Cæſariæ Abbatiſſæ, Mantum maiorem, quem de cannabe fecit, dari volo. Domino meo Cypriano Epiſcopo Mantum & * cunctorum meliorem dari volo. Quidquid ſeruo meo Briciano contuli, nunc per hoc teſtamentum meum confirmo. Agritia puella mea propria libentiſſime monaſterio & Cæſariæ Abbatiſſæ ſeruiat: & vere gariolas, quas illis vel parentibus eorum dedi, confirmo. Omnes cubicularios meos tibi, Domine Epiſcope, coram Deo & Angelis eius commendo.*

* Cunctorum unus melius.

Condito teſtamento, in monaſterio virginum ſepeliri voluit. Eius ſepulcrum barbarico furore deſtructum, euerſumque Chriſtiani reſtaurarunt, & Epitaphio inſcripſerunt: quod antequam referam, explicare debeo, qua ratione ſub Cæſario Arelate Francorum opibus acceſſit.

Eurico t) crudeli & barbaro Regi ſucceſſit Alaricus filius, Arianæ ſectæ deditiſſimus; in illum, vt Eccleſiæ Catholicæ hoſtem, Clodoueus Chriſti fidem amplexus arma mouit, jam ob Alemanos deuictos & Burgundiones fiduciarios Francis redditos, audacior; Aredii enim noſtri, Arelatenſis patritii, facinus egregium Aymonius u) narrathis verbis: Sed opere & induſtria Aredii viri ſapientis, qui ab Arelatenſi vrbe auxilium Gundebaldo laturus aduenerat (contra Clodoueum ſcilicet) idem rex auro hoſtem repulit, quem ferro nequiuerat, juramento fidelitatis, vt auctores teſtantur præſtito, fortiterque Alaricum præliantem occidit Clodoueus. Iratos vero reges ſibi amicos & affines, cum monitis & oratoribus conciliare minimé Theodoricus Oſtrogothicus potuiſſet, auxiliares Alarico copias in prouinciam eduxit, vt Francos Carcaſſonam obſidentes repelleret: id fideliter narrat Procopius, x) licet qui impenſius rebus Gothicis ſtudent, non ita ſincere. Procopii verba hæc ſunt: Theodorico deinde cum Gothorum exercitu aduentante, trepidanter Germani (Franci ſcilicet) obſidionem Carcaſſonæ ſoluerunt; indeque profecti, eam Galliarum & præter Rodanum flumen mox occupant regionem, quæ in Oceanum vergit: quos cum loco depellere Theodoricus nil poſſet, vt ſibi haberent, quæ jam occupaſſent, permiſit; ipſe vero reliquam Galliarum tunc partem recuperauit, ſuſceptaque demum nepotis tutela celerrime Rauennam reuertitur, Præfectis & copiis continenter in Galliam miſſis: ſed Franci primæ & ſecundæ Aquitaniæ occupatis finibus rurſum Viſigothos tenuerunt, coſque ex Galliæ finibus pellere ſtatuerunt.

Arelate ut peruenerit ad Francos.

Arelate ad Rodanum eſt, laborarunt maxime Franci vt illam caperent; Gothi vero, ne ſuccumberent, acriter pugnarunt; Tolumnus in vrbe erat, cuius laudes dum Athalaricus y)

t) Iornandes de rebus geſt.
u) Lib. 1. de geſt. Franc. c. 19. & Guagninus licet paulo aliter in hiſt. de geſt. Franc. in Clodoueo.
x) Lib. 1. de bello Gothico.
y) Caſſiod. lib. 8. variar. Epiſt. 10.

Theodorici successor explicat, totius rei gestæ seriem his verbis narrat: *Admonet* (inquit) *etiam expeditio Gallicana, vbi jam inter duces directus, & prudentiam suam bellis, & periculis promptissimus ingerebat. Arelate est ciuitas supra vndas Rodani constituta, quæ in orientis prospectum tabulatum pontem per nuncupati fluminis dorsa transmittit. Hunc & hostibus capere, & nostris defendere necessarium fuit. Quapropter excitata sunt Gothorum Francorumque validissima tempestate certamina. Affuit illic dubiis rebus audacia candidati* (Tolumni scilicet) *vbi tanta cum globis hostium concertatione pugnauit, vt & inimicos a suis desideriis amoueret, & vulnera factorum suorum signa susciperet: vulnera inquam opinio inseparabilis sine assertore præconium, propria lingua virtutis, quæ licet ad præsens periculum ingerant, reliquum tamen vitæ tempus exornant.*

Franci transitu Rodani prohibiti alio trajiciunt, illosque iterum fortiter summouit Tolumnus, nec vi, nec fame capi potuit; quod Cæsarii precibus tribuit Cyprianus: z) *Nos quidem* (inquit) *credimus, & confidimus in Domini misericordia, fide & precibus beati Cæsarii id effectum esse, vt ipsius temporibus ita obsessa sit ab hostibus ciuitas Arelatensis, vt tamen nec capi potuerit, nec prædæ patere: atque sic deinde a Visigothis in Ostrogothorum ditionem peruenit: coactus tamen est solum vertere Cæsarius.* Vrbis obsidionem, eiusque exilium prolixe magis quam nostrum ferat institutum lege apud Cyprianum. aa)

Porro laboriosissimam fuisse obsidionem indicat Theodoricus, dum ad quartam indictionem tributum Arelatensibus relaxauit: bb) *itaque* (inquit) *qui nostris partibus * perdurantem gloriosæ obsidionis penuriam pertulerunt, per indictionem quartam fiscalia tributa, nostra relaxat humanitas.* Subdit vero de ciuium fidelitate: *Preciosum vectigal jam nobis dederunt suæ fidei, injustum est, vt viles pecunias exigamus ab illis, qui gloriosas conscientias obtulerunt.* At ne in aliquo optimi Principis officio deesset, annonam ex Italia deduci Arelatem & ad alia Prouinciæ loca curauit. *Tritici* (inquit ad Gemellum scribens) *itaque speciem ob exercituales expensas, nostra prouidentia de Italia destinauit, ne fatigata prouincia huiusmodi * læderetur: ad castella supra Druentiam constituta, de Massiliensibus horreis constat esse portandam.* Erigi etiam voluit suis impensis excisas vi bellorum turres. Vniuersos Arelatenses possessores alloquitur: dd) *Pro reparatione itaque murorum Arelatensium vel turrium vetustarum, certam pecuniæ direximus quantitatem; victualia quoque, quæ vestras releuare videantur expensas, fecimus præparari, vt nobis destinentur, cum tempus nauigationis arriserit.*

Obiit demum Theodoricus ee) & demortui sceptrum accepit Atalaricus ff) ex Amalasuenda filia nepos, qui immatura morte præuentus, Theodatum gg) consobrinum habuit successorem, cumque ingrato in Amalasuendam esset animo, Iustiniani Imperatoris vires in Gothos excitauit. Bellisarius spectatus bello Dux hanc prouinciam suscepit, cuius aduentu cognito, Theodatus cum Francis pacisceitur, vt eam prouinciæ portionem, quæ Gothis parebat, haberent, & aureorum viginti millia acciperent, ea conditione, vt cum Gothis aduersus Bellisarium bellum gererent. At antequam hæc perfici potuissent, Theodatus a suis ob ignauiam pulsus est, & Vitigis successoris jussu occisus. Vitiges extemplo oratores in Franciam misit, qui Prouinciam & pecuniam darent: accepta pecunia, & diuisis pro cuiusque Imperii portione vrbibus inter Clodouei magni filios, Arelate Childeberto cessit anno salutis DXXXVIII. quod petentibus Francis a Iustiniano confirmatum est diplomate. Verum igitur est quod Cyprianus tradit: *Hodieque* (Arelate scilicet) *in Christi nomine paret Clarissimo Regi Childeberto* (Clodouei filio) *vt possit de ea quoque dici, transierunt de gente in gentem & de regno ad populum alterum, & non permisit Deus sub illo* (Cæsario scilicet) *hominem nocere Arelatensibus suis.*

Igitur Franci Arelatem incolere cœperunt, de quibus hæc habe ex Notitia hh) Imperii & Procopio. ii) PROCVRATOR monetæ Arelatensis, de qua vrbe supra. Imperante Iustiniano, hic non vultus Principis (vt alibi) monetæ imprimebatur, sed ipsorum Arelatensium insigne. Procopius, vt *Gallias* (inquit) *germani haberent, Iustinianus permisit, ex quo tempore Principes Germanorum Massiliam & cætera circa id mare loca tenuerunt, relatumque & Arelate residentes, ad certaminis equestris spectaculum.* Aureum nummum, natiuo e Galliarum metallo, hi cudunt; non Romani Imperatoris, vt cæteri solent, imagine, sed sua impressa, qui erat Genius forma hominis alati percussus, visiturque adhuc in atrio diui Honorati extra muros tumulus his geniis adornatus. Genius monetæ relatus

Childeberti noui principis pietatem testatur Monasterium virorum celeberrimum, quod in Monte maiori extra muros ædificari jussit; quod absolutum a Vigilio Papa voluit Apostolica auctoritate firmari, cuius rei testem habeo diuum Gregorium, kk) ad Virgilium Arelatensem scribentem: sed de his satis. Sepulcrique inscriptionem a Gemino Paulo denuo instauratam, verbatim exscribamus.

z) In vita Cæsarii M. S.
aa) Ibidem.
bb) Cassiodor. lib. variar. I. Epist. 32
cc) Cassiod. variar. lib.
dd) Cassiod. variar. lib. 3. Epist. 44.
ee Procop. lib. 1. & bello Goth.
ff)) Proc. ibid. & Cassiod. in Chron.
gg) Ibidem.
hh) In Prouincia Riparensi.
ii) Lib. 3. de bello Gothorum hæc singulariter de vrbe nostra refert Pancirolus in Commentariis ad Notitiam Imperii.
kk) Lib. 7. Epist. 115.

EPITA-

EPITAPHIVM. B. CÆSARII.

Cæsarii Epitaph.

Cernitur hic pario renouatum marmore tegmen,
Patri Cæsario, pontificique Sacro.
Quod scelerata cohors rabie destruxit acerba.
Hanc virtute Dei sorbuit vnda maris.
Præsul & in stagno Arelatis sede locato,
Geminus id Paulus strenue compsit opus.
Cui Christus tribuat cœlestis præmia vitæ.
Cœtibus Angelicis consocietur ouans.
Et nobis venerande pater miserere precando,
Diluat vt nostra crimina cuncta Deus.

AVXANIVS.

Auxanius. XXXI. PAtriciana fuit Auxaniorum familia, nam Aruandus (vt jam diximus) crimine læsæ maiestatis sub Anthemio Imperatore postulatus, cum a Sidonio Auxanioque, vt caute & cum consilio rem ageret, suaderetur, ll) *abite*, respondit Aruandus, *degeneres & præfectoriis Patribus indigni, cum hac superfluanea trepidatione, mihi, quia nihil intelligitis, hanc negotii partem finite curandam.* 544. Nascente igitur anno DXLIV. quis in defuncti Cæsarii dignitatem Auxanium præfectorio patre natum substitutum neget? Ad ipsum enim hoc anno Vigilius Papa litteras dedit, acceperat autem vicissim ab eo per Ioannem presbyterum & Terentium Diaconum ipsius Legatos; reddiderat liquidem Auxanius Pontificem de sua promotione certiorem, vsumque Pallii postularat. Respondit vero Vigilius, mm) se ordinationem quidem probare, vsum vero Pallii se, inconsulto Imperatore, mittere non posse. *De his vero* (inquit) *quæ Charitas vestra tam de vsu pallii, quam de aliis sibi a nobis petiit debere concedi, libenti hoc animo, etiam in præsenti facere sine dilatione potuimus, nisi cum Christianissimi Domini filii nostri Imperatoris, hoc (sicut ratio postulat) voluissemus perficere notitia, Deo auctore; vt & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum quæ postulastis, cum Christianissimi principis consensu conferuntur, & nos honorem fidei eius seruasse cum competenti reuerentia judicemur.*

Pallii concessio jus Imperii.

Ex his intelligere est, redacta in Francorum potestatem Arelate, non ausum esse Vigilium, absque impetrata ab Imperatore licentia, Auxanio pallium mittere; vt patefaceret, se omnibus officiis velle Imperatoriis gratiam demereri. Cognita igitur per legatos Augusti voluntate, pallium & vicariæ præfecturæ in Galliis potestatem Auxanio delegauit, Belisario deprecante & Childeberto Rege volente; sed ne aliquid sine auctore videar dixisse, Pontificis litteras profero.

Dilectissimo Fratri Auxanio, Vigilius.

Sicut nn) *nos pro tuæ charitatis affectu, & pro glorioſissimi filii nostri Regis Childeberti Christiana deuotione mandatis, vices nostras libentissima voluntate contulimus: ita fraternitatem tuam conuenit Deo placitis operibus tantæ sedis auctoritate digna conuersatione vti, atque disponere, vt bonis actibus innotescens, rectum circa charitatem judicium nostræ dilectionis ostendas. Conuenit enim nos doctoris gentium mandata recolere, quibus Timotheum discipulum suum instructionibus Sanctis hortatur, dicens. Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Et sicut item Apostolorum primus saluberrima admonitione præcipiens, pascite qui in vobis est gregem Dei, consequenti adhortatione subiungit: forma facti gregis ex animo, & cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.*

Vigilii Pont. epistola. 1. Tim. 4. 1. Pet. 5.

Si quæ ergo inter fratres, & Coepiscopos nostros in locis charitati vestræ, præsenti auctoritate commissis, seminante illo auctore ex antiquitate zizaniæ, *dissentiones emerserint: adhibitis vobiscum Sacerdotibus numero competenti, causas Canonica & Apostolica æquitate discutite, ea modis omnibus prælato judicio finituri, quæ Deo placitis decessorum nostrorum possint regulis conuenire.*

* Iniquitate.

Si qua vero certamine aut de religione fidei (quod Deus auferat) aut de quolibet negotio, quod ibi præ sui magnitudine terminari non posset, euenerint: totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicæ sedi terminanda seruate. Vt vniuersis a fraternitate vestra competenti ratione dispositis, pax, quæ voce collata est Ecclesiæ Dei, *quæ vna est in toto Orbe diffusa, stabili firmitate seruetur, ne antiqui hostis possit quassatione vexari, in illius Petræ Christi Dei Domini & Saluatoris nostri erectione firmata stabilitate persistens. Quæ cuncta vt fraternitas vestra melius per Dei gratiam possit implere, vniversis Episcopis, quibus te præesse voluimus, auctoritatis nostræ est serie declaratum. Nullus ergo de Pontificibus tuæ per has vices ordinationi commissis (sicut & ad eos data loquitur nostra præscriptio) in longinquis quibuslibet locis audeat proficisci, nisi solenni more (sicut decessore nostro, prædecessori vestro similiter concedente, consueuerant) Formatam vestræ charitatis acceperit.*

* Salutaris.

Oportet ergo fraternitatem vestram incessantibus supplicationibus Deo nostro preces effundere, vt Dominos filios nostros clementissimos principes Iustinianum atque Theodoram sua semper protectione custodiat, qui pro his nobis vestræ charitati mandandis, suggerente glorioſissimo, & excellentissimo filio nostro Patricio Belisario, pro quo vos item conueni

11) Sidon. lib. 1. Epist. 7.
mm) Baronius Anno 544. n. 11. & Cod. M. S. Auct. Apost. fol. 59.
nn) Baronius Anno 545. n. 3. & Cod. M. S. auct. Apost. fol. 56.

exorare, pia præbuerunt deuotione consensum. Hortamur quoque, vt sacerdotali opera inter gloriosissimum virum Childebertum Regem, sed & antedictum clementissimum principem conceptæ gratiæ documenta, paterna adhortatione seruetis. Bene enim Domini, & Saluatoris nostri, quæ populis prædicamus, mandata ante oculos retinemus, quibus ait: Beati
Matth. 5. *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Et quia digna credimus ratione compleri, vt agenti vices nostras Pallii non desit ornatus: vsum tibi eius (sicut decessori tuo, prædecessor noster Sanctæ recordationis Symmachus legitur contuliſſe) beati Petri functa auctoritate concedimus. Ea vero, quæ de præsenti ordinatione nostra, directa præceptione signauimus, ad vniuersos Episcopos per charitatem tuam volumus peruenire.*

Dominus te incolumem custodiat, frater charissime.

Dat. xi. Kal. Iun. Quarto P. C. Basilii V. C.

Etenim, vt Arelatensium ciuium animos sibi conciliaret Childebertus, apud Vigilium Pontificem egit de tuenda, conseruandaque Arelatensis Ecclesiæ dignitate. Vt vero Regis ratas esse preces omnibus pateret, Vigilius ad omnes Episcopos prouinciarum per Gallias, qui sub regno, vel potestate gloriosissimi Childeberti Regis Francorum constituti erant, sed & ad illos, qui ex antiqua consuetudine ab Arelatensi Antistite consecrati, vel consecrandi erant, rescripsit, se vices suas commisisse Auxanio. Epistolam trado.

Dilectissimis Fratribus vniuersis Episcopis Prouinciarum omnium per Gallias, qui sub regno, vel Potestate Gloriosissimi Filii nostri Childeberti Regis Francorum constituti sunt, sed & his qui ex antiqua consuetudine ab Arelatensi consecrati sunt vel consecrantur,

Episcopi Vigilius.

Vigilii epistola altera.

Quantum oo) *nos diuina potentia Apostolorum primi sedem non pro nostris meritis, sed pro ineffabili misericordiæ suæ pietate habere, constituit; tantum nos de vniuersarum Ecclesiarum dispositione, & pace, & statu curam habere etiam conuenit, cum gentium di-*
2. Cor. 11. *cat Apostolus: Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quomodo ergo inter Domini sacerdotes, sancta & Deo placita potest manere concordia, nisi vt si humani generis hostis antiqua nequitia consuetam zizaniam seminare voluerit, is, qui absentium nostram sedis Apostolicæ viribus perfruendo spirituali gratia repræsentat, auferat certamen exortum? Quapropter Auxanio fratri & Coepiscopo nostro Arelatensis ciuitatis Antistiti, vices nostras charitas vestra nos dedisse cognoscat: vt si aliqua (quod absit) fortassis emerserit contentio, congregatis sibi fratribus, & Coepiscopis nostris, causas Canonica & Apostolica auctoritate discutiens Deo placita æquitate diffiniat.*

Contentiones vero si quæ (quas Dominus auferat) in fidei causa contigerint, aut tale emerserit forte negotium: quod pro magnitudine sui, Apostolicæ sedis magis judicio debeat terminari: ad nostram discussa veritate, perferat sine dilatione notitiam. Et quia necesse est, vt aptis, Deo propitiante, temporibus Arelatensis Episcopus nostris viribus fungatur, quoties judicauerit expedire, pro facienda consolatione communi Episcoporum debeant congregari personæ. Nullus inobediens eius forte mandatis sit: quod si fuerit, a congregatione suspendatur, nisi aut corporalis infirmitas, aut justitiæ causa eum excusatio venire prohibeat: ita tamen, vt si se, quominus occurrat, rationabili exceptione defendere, ad Synodum pro suo presbyteri aut Diaconi dirigat loco personam; quatenus quæ a nostro Vimrio congregatis fratribus diffinitiua sententia fuerint terminata, ad eius, qui absens est per suos perducta notitiam, sincera & inuiolabili stabilitate seruentur: necesse est enim, quoties in nomine Domini eius famuli ad tractandâ quæ ipsi sunt placita colliguntur, sancti Spiritus non deesse præsentiam. Ita enim Christi Dei Domini & Saluatoris nostri mandata nos instruunt, quibus ait: Vbi fuerint duo aut tres in no-* Vic
Matth. *mine meo congregati, ibi ero in medio eorum. Quid ergo se æstimat subiturum, qui Deo odiosa superbia in illa congregatione interesse contemnit, in qua se Dominus noster affuturum pia promissione denunciat?*

Illud pari auctoritate mandamus, ne quisquam sine prædicti fratris & Coepiscopi nostri Formata, ad longinquiora loca audeat proficisci, quippe quia & decessorum nostrorum, decessoribus eius, quibus vices suas libentissime contulerunt, sanctæ sic definiunt jussiones: vt his omnibus obedientia Deo placita custoditis, pax, quæ a Christo Deo Domino & Saluatore nostro Apostolis tanquam hæreditario est nomine derelicta, in Ecclesia Dei, quæ vna est toto Orbe diffusa, firma stabilitate seruetur.

Dominus vos incolumes custodiat, fratres charissimi.

Dat. xi. Kal. Iul. Quarto P. C. Basilii V. C.

Prætextatus etiam Aptensis (vt opinamur) Episcopus, Epaunensi enim Concilio (quod Cæsario prælide celebratum est) reperitur illius vrbis, eoque nomine subscriptus Antistes, delatus est ad Vigilium, qui pp) illius causam Auxanio discutiendam, vt Primati commisit. Apta vrbs est Romani operis in prouincia Romanorum, Iulia dicta, eorumque Colonia, estque Arelate qq) inscriptio, quæ Coloniam probat.

Apta
Coloni

D. M.
IVL. C. F. ERTVLN.
FLAM. COL. APTA.
L. VALERIVS ATILIAN.
NEPOS.

oo) Baronius Anno 545. n. 8. & Codex M. S. auct. Apost. fol. 60.

pp) Baronius anno 545. n. 7. & Codex M. S. auct. Apost. fol. 58.

qq) Arelate in ædibus patrum Dominicanorum.

Nec

Nec secundum annum in Episcopatu excessit Auxanius, vt mox in Aureliano demonstrabitur. Et vere opinamur errare eos, qui Arelatensibus Archiepiscopis hic inserunt Eusebium, vt Vasæus rr) & Ribadenera ss), pium illius in Lauriano martyre sepeliendo officium prædicantes: at quomodo id verum, si Cæsario Auxanius, & Auxanio Aurelianus, nullo alio intermedio successerint? Nisi forte velis Eusebii nomen pro Auxanio appositum. Fuit præterea Auxanius suo sæculo commendatissimus; Episcopus enim alterius ciuitatis iam erat sub Cæsario, primusque Epistolæ Lucidi a Synodo Arelatensi sub Leontio approbatæ, subscripserat. Non tamen videtur is esse, qui Legationis munere fungens cum Fausto sententiam dixit in Viennensem Episcopum, qui Diensem ordinarat. Hilarus tt) enim Papa (ait) Vnde omnia, quæ a vobis sunt (in causa scilicet Diensis Episcopi) per fratres & Coepiscopos nostros Faustum, & Auxanium definita roborantes, &c. obiitque anno salutis DXLVI.

Eusebius falso infertur.

PRÆSAIVS.

XXXII.

Præsaius.

OSANIVS.

XXXIII. ETsi in nostro Codice reperiantur hi duo ante Aurelianum; Osanius tamen idem esse videtur cum Auxanio; nec Præsaius sedisse potuit, cum Auxanio immediate successerit Aurelianus; *) vnde illos superinductos censeo.

Osanius.

S. AVRELIANVS. SEV AVRELIVS I.

XXXIV. ANnus numerabatur DXLVI. cum Auxanii demortui sedem occupauit Aurelianus; ciuis (vt coniectura assequi licet) Arelatensis: erat enim Aurelianorum gens ex Gallia Narbonensi; vt indicant Ennodii uu) litteræ, hæ ad Aurelianum presbyterum, illæ xx) ad Episcopum, & vita yy) Sancti Virgilii Arelatensis, quæ Aureliani Diaconi nepotem ab ipso in vitam reuocatum tradit. Fuit ea ætate eritque semper Arelate Nobilium Domicilium: Firminus zz) enim, Lupicinus a), Camillus b), Liberius c), illustres, & Clarissimæ Fœminæ Gregoria d), Euprepia e), Etheria f), Archotamia g), & Camilla h), ipsiusque Ennodii Ticinensis Episcopi vt in patrito solo parentes peregrinabantur. Inauguratus Aurelianus, ad Vigilium Papam Legatos misit, intercedente Childeberto Rege, Pallium, Vicariamque summi Pontificis in Galliis præfecturam sibi dari rogaturus. Habemus enim præ manibus ad Aurelianum Epistolas Vigilii, in quibus de his habetur mentio. Epistolæ vero exemplar sic se habet.

S. Aurelianus.

546.

Nobiles Arelate clari.

Dilectissimo Fratri Aureliano Vigilius.

A *Administrationem vicium nostrarum fraternitati vestræ animo libenti committimus, & credimus charitatis vestræ officio actibus Deo placitis diligenter vniuersa compleri, quando & summi sacerdotii consocio vos dignos diuina esse gratia iudicauit, & glorioſissimi Childeberti Francorum Regis Christiana & Deo placita in perhibendo vobis testimonium voluntas accessit. Quapropter vices nostras, vestræ charitati hac auctoritate committimus, vt vniuersa, quæ decessorum nostrorum, vel canonum statuta sanxerunt, Deo congruis operibus faciendo atque seruando & nostrum & prædicti glorioſi Regis iudicium circa charitatem tuam* B *rectum fuisse possis ostendere: Sacrarum enim scripturarum nos docet auctoritas, quia Christus Deus & Dominus Saluator noster, prius vniuersa, quæ bona sunt, facere voluit quam docere: scriptum est enim. Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cæpit Jesus facere & docere, vsque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est. Item quid commonendo Timotheum Doctor Gentium dicat Apostolus; fraternitatem tuam semper ante oculos habere confidimus: ait enim: Confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu: & quæ audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Et item ipse: solicite cura te ipsum probabilem exhibere Domini operarium, inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Et iterum: labora sicut bonus miles Christi Iesu. Intellige, quae dico: dabit enim tibi* C *Dominus in omnibus intellectum.*

Vigilii epistola.

Actor. 1.

2. Tim. 2.

Ibidem.

Siquidem ergo inter fratres, Diabolus humani generis hostis antiquus Zizaniam seminauerit calliditate nequitiæ consuetæ, aut de aliquo Sacerdote fraternitatis tuæ, seruatis maiorum per omnia constitutis, fuerit querela deposita: adhibitis tibi fratribus & Coepiscopis secundum qualitatem negotii numero competenti, causam Canonica, & Apostolica auctoritate discutiens, ea sententia definies, quæ, D *& decessorum nostrorum conueniat statutis, & Deo, æquitatem in omnibus diligenti, sit grata. Si quod vero de religione fidei (quod Deus auferat) fuerit certamen exortum, aut tale aliquod negotium fortassis emerserit, quod prae sui magnitudine ibidem nequeat definiri: veritate discussa, relationis serie distincta, ad*

rr) In Chron. Hispanico.
ss) In vitis Sanctorum.
tt) Baronius anno 463. n. 6.
*) Vt patet ex litteris Vigilii ad Episcopos, qui erant in regno Childeberti, datis.
uu) Lib. 8 Epist. 13. & 35.
xx) Lib. 9. Epist. 27.
yy) Codex noster M. S. Sancto Conf.
zz) Cyprian. in vita Cæsar.
a) Ennodius in Dictionar Scholast. 2. &c.
b) Lib. 3. Epist. 15.
c) Idem lib. 4. Ep. 21.
d) Idem lib. 5. Epist. 1. & lib. 9. Ep. 23.
e) Cyprianus in vita Cæs.
f) Ennod. lib. 6. Epist.
g) Idem lib. 8. Epist. 35.
h) Ibid. lib. 9. Epist. 9.
i) Baronius anno 546. n. 61. & Cod. M. S. auct. Apost.

(fol. 64.)

nostram

noſtram conſultationem potius vt remittas, hortamur: quia ita deceſſores veſtros, qui deceſſorum noſtrorum vices egiſſe monſtrantur feciſſe, teſtimonium noſtri declarat ſcrinii: quatenus ea diſpoſitione ſeruata, Eccleſiæ vnitas ſtabili firmitate perſiſtens pacis bono in omnibus perfruatur, cuius velut hæreditarium munus Chriſtus Deus, & Saluator noſter ad cælos, vnde nunquam defuit, rediturus diſcipulis ſuis legitur reliquiſſe, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.

Ioan. 14

Et vt vniuerſa fraternitas veſtra diligenti poſſit ratione complere, Epiſcopis, quibus pro vice noſtra te præeſſe voluimus, nos præcepta deſtinaſſe ſignamus, vt & illi vobis obedientiam exhibere debeant competentem, & fraternitas tua eos in Chriſti charitate complectens, exemplis bonorum potius operum, ad quæ ſunt Deo placita facienda ſemper, inuitet. Illud pari eis auctoritate ſignauimus; ne quis ſine formata tuæ fraternitatis ad longiora loca audeat proficiſci; ſed vt conſuetudinem illam debeant cuſtodire, quam conſtat ſemper noſtræ ſedis habuiſſe Vicarium, & a vobis Formatam poſtulent, ſi cauſarum ſuarum neceſſitate compulſi ad longa itinera deſtinare diſponunt. Sed ne in aliquo ſedis noſtræ Vicarius minor ſuis deceſſoribus videatur, neceſſarium fore credimus, Pallii vobis vſum, quemadmodum deceſſori veſtro hactenus dederamus, præſenti auctoritate concedere: vt & morum & omnium bonarum rerum vobis, beato Petro Apoſtolo ſuffragante, non deſit ornatus.

Oportet ergo charitatem veſtram, ſacerdotali ſemper ſtudio inter Dominos filios noſtros clementiſſimos principes, & glorioſiſſimum virum, id eſt, Childebertum filium noſtrum Regem, gratiæ intactæ fœdera cuſtodire. Scitis enim, nec nos conuenit ignorare, quod neceſſario prædicatis, quia Scriptura pronunciat,

Rom. 10

dicens: Beati pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Et hoc quoque veſtrum facere deſideramus affectum, vt glorioſo viro filio noſtro patricio Beliſario deſtinatis ſcriptis gratias referatis, qui homini veſtro laborem ad clementiſſimum principem abſtulit tranſeundi, ſed mox vt reſponſum recepit, nobis ſuis litteris indicauit.

Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime.

Dat. xi. Kal. Septemb. Quinquies poſt conſul. Baſilii. V. C.

At ne hæc, quæ in totius orbis conſpectu agebantur, aliquem fugerent, alias eodem argumento dedit Vigilius vniuerſis Galliarum Epiſcopis reddendas Epiſtolas.

Dilectiſſimis Fratribus vniuerſis Epiſcopis, qui ſub Regno Glorioſiſſimi Filii noſtri Childeberti Regis ſunt per Gallias conſtituti,

Vigilius.

Vigilii epiſtola.

Admonet k) nos loci noſtri miniſterium diuina miſericordia Domini collatum, Domini gratia protegente, nec legentis euitando periculum, bonis potius palmam retributionis promiſſæ, & ſtudeamus & mereamur accipere. Vnde quantum nobis Chriſtus Deus Dominus & Saluator noſter primi Apoſtolorum locum, pro ineffabili pietatis ſuæ gerere largitate conceſſit, tantum nos de vniuerſarum pace Eccleſiarum, quæ licet in multis, vna tamen eſt toto Orbe diffuſa, inceſſanti ſtudio conuenit eſſe ſolicitos. Quippe quia nos ſacrarum ſcripturarum eloquia reddunt diligenter inſtructos. Quod cum Moyſes Dei famulus diuinis juſſionibus obſecundans, ad montem voluiſſet aſcendere, loco ſui Aaron & Hur legitur reliquiſſe, dicens: Expectate hic, donec reuertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiſcum, ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetur ad eos. Ita enim inter ſacerdotes Domini poteſt pax ſuper omnia Deo placita cuſtodiri, ſi fuerit qui vicium noſtrarum auctoritate ſubnixus, perſonam noſtram in Galliarum partibus præſentans, ſecundum conſuetudinem a noſtris deceſſoribus attributam, ſapientiam ſolicita indagatione cuſtodiens, ſiquam humani generis hoſtis antiquus Zizania inter Dei famulos, nequitia conſueta ſeminare tentauerit, ſapientiæ ſuæ moderamine, adhibitis ſibi fratribus, & Coepiſcopis noſtris, juſtitia Deo placita, ſcandala orta ſubmoueat.

Exod. 24

Vnde quia dudum Auxonia quondam Arelatenſis ciuitatis Antiſtiti, vicium noſtrarum ſolicitudinem dederamus, ſed curſum vitæ præſentis implendo, de hac luce migrauit, in cuius loco Aureliamus frater noſter noſcitur ſucceſſiſſe: neceſſarium valde credimus ſolicitudinem hanc a nobis antefato debere committi, confidentes illum & pro loci ſui qualitate bonis artibus vniuerſa quæ Deo placeant poſſe complere, & maxime cum glorioſus filius noſter Childebertus Rex teſtimonium bonæ conſcientiæ, pro Chriſtianæ ſuæ voluntatis deuotione perhibuit. Oportet ergo charitatem veſtram ei in omnibus, quæ ſeruatis per cuncta, Canonibus, ſalubriter ſecundum noſtrorum definita maiorum pro noſtra auctoritate cenſuerit, præbere obedientiam competentem.

Et quia omnino neceſſe eſt, vt pro diuerſis confratribus Deo juvante tractandis, ſtatutis, aptiſque temporibus Epiſcoporum Synodum debeat congregare: idcirco præſenti auctoritate cenſemus, vt nullus, vbi, aut quando conſtiterit, ſe audeat excuſare, excepta infirmitatis cauſa, quam humana non poteſt vitare fragilitas, aut certe quem digne excuſationis ratio fecerit non venire: Omnibus nihilo minus ſcientibus, quod Chriſtus Dominus & Saluator noſter pia inſtitutione pronunciat, dicens, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a patre meo, qui in cœlis eſt. Quemadmodum autem, quis ſibi quæ poſtulat credit poſſe concedi, ſi congregationis Sanctæ conuentum, vbi Dominus præſentiam ſuam promiſit modis omnibus affuturam, ſine aliqua rectæ excuſationis cauſa euitare crediderit: ſed ſicut præfati ſumus, ſi juſta cauſa illum ad Synodum fecerit non venire, pro ſe, aut presbyterum, aut Dia-

Matth.

k) Baronius ibidem n. 65. & Cod. M. S. auct. Apoſt. fol. 62.

comum

conum destinare non differat, quatenus quæ fuerunt constituta, per eos possit agnoscere, & definita complere. Pari auctoritate mandantes, vt nullus sine prædicti formata ad longinquiora loca audeat proficisci; præsertim quia & decessorum nostrorum decessoribus eius, quibus vices suas commisisse præteritis temporibus referuntur, sic definiunt statuta; vt his omnibus obedientia Deo placita custoditis, pax Ecclesiarum stabili firmitate persistat, & sicut doctor gentium dicit Apostolus, Ecclesia Dei possit sine ruga, & macula permanere.

Dominus vos incolumes custodiat, fratres charissimi.

Ecclesia vero ea ætate a schismaticis mirum in modum vexata est; ferebatur enim, Vigilium, tria capitula damnantem, contra Calcedonense concilium insurgere; quo accepto rumore, Aurelianus Legatum Romam destinauit Anastasium, solicitus, num contra Calcedonense Concilium Vigilius staret, quid vero rescripserit Vigilius 1), habe ex ipsius Epistola ad Aurelianum; cuius meminit Iustinianus Imperator in litteris ad quintam Synodum datis, & ibidem recitatis.

Fraternitas ergo tua, quem Apostolicæ sedi per nos constat esse Vicarium, vniuersis Episcopis innotescat, vt nullis aut falsis scriptis, aut mendacibus verbis, aut nuncii qualibet ratione turbentur: sed potius primi Apostolorum (sicut conuenit) verba sectentur, dicentis: Aduersarius vester Diabolus vt Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Et quod idem Doctor gentium dicit Apostolus: Rogo autem vos, fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis: in Domino confidentes; quia (sicut præfati sanctus) ab Apostolis fidem traditam, & a prædictis Sanctis quatuor conciliis declaratam, & a decessoribus nostris, & ab antedictis patribus prædicatam, atque inuiolabiliter custoditam, sincera voluntate tenuimus, tenemus, venerati sumus, & veneramur, atque defendimus, & contra eam facientes Apostolica auctoritate damnamus.

1. Pet. 5.

Rom. 16.

552. Expleuit vero omnes Vicarii Pontificii numeros Aurelianus, Totilamque reuocauit a consilio destitutam habitatoribus Romam ac desolatam relinquendi; legitur enim eadem in Epistola: *Sic fraternitas vestra in hac quoque parte solicita, & glorioso filio nostro Childeberto Regi, quem Christianitatis studio, veneratione integram sedi Apostolicæ (cui nos Deus præesse voluit) cognouimus exhibere, supplicare non desinas, quatenus in tanta rerum necessitate, circa Dei Ecclesiam, solicitudinem (sicut & confidimus) Christiana deuotione persoluat, vt, quia Gothi cum Rege suo in ciuitatem Romanam perhibentur ingressi, hoc eis dignetur scribere, ne se in Ecclesiæ nostræ præjudicio (quippe velut alienæ legis) immiscent, & aliquid faciat, aut fieri qualibet ratione permittat, vnde possit Catholica Ecclesia perturbari.* Oportuna vero Pontificis votis occasio sese obtulit Aureliano, & Childeberto. Cum enim Totilas Theodeberti filiam sibi vxorem dari ambiret, eam m) recusauit pater, quod interesset gloriæ Regis Francorum, vt caput Imperii Roma staret incolumis, nec Regem Italiæ videri, qui vrbem Romam pene vastasset. Libera Francivoce, & Aureliani litteris permotus Totilas, ciues alio migrare jussos, Romam reuocauit, jussitque annonam in vrbem inferri; imo nouis ædificiis illustrauit. Aurelianensi deinde Synodo n) interfuit Aurelianus, in qua de his, quæ in oriente agebantur, occasione trium capitulorum Calcedonensis concilii, tractatum est: fuit celebris ea patrum corona, & sanctissimis viris exornata.

Aureliani apud Totilam auctoritas.

At dum in sanctis versamur, fuit alias Arelate celeberrimum monasterium ab Hilario o) nostro erectum, cuius tamen hodie, ne vlla quidem non dicam vestigia, imo monimenta extant, a Gothis, vt opinor, quod in Suburbio esset, excisum, & a Childeberto Rege dum ex Hispaniis rediret victor, de nouo instauratum, vt alio in loco jam diximus. Illi primus Sanctus Florentinus præfuit Abbas. Sed quomodo duodecies post consulatum Basilii, qui annus Christo est DLIII? Sedit Hilarius CCCCXL. & quod præcipuum est, Cæsarius ante adeptum Episcopatum, nonne Hilariano cœnobio ab Eonio Abbas est concessus initiante sæculo quinto? Mendum igitur irrepsit in Epigraphem, seu subscriptionem sepulcralem, quod non aduertit clarissimus Baronius. p). Cur etiam non liceat suspicari datarium consulum, non esse obitus, imo operis & marmorei sepulcri indicem, cum in carmine multa sint, quæ coniecturæ faueant. Inlatus enim fuit ex ruinis & ruderibus destructi templi Sanctus Florentinus in Ecclesiam sanctæ Crucis, permissumque a sede Apostolica, quod frequens esset in edendis miraculis, vt a populo coleretur, ideoque illius cineres hoc marmore (quod hodie in eadem Ecclesia sanctæ Crucis visitur) inclusi & acrosticho carmine, quod nomen, munus & obitum signat, inscripti.

S. Florentini Epitaphium.

EPITAPHION. S. FLORENTINI ABBATIS. pp)

Fulgida regna petens cœlesti sorte vocatus,
Lucis & æternæ penetrans fastigia lætus;
Optimus atque pius nunc Florentinus in isto
Resplendet tumulo, meritis sanctissimus Abbas.

Efferæ qui quondam linguæ discrimina colcans,
Nec optare malum studuit, nec lædere quemquam.

Terruit

1) Integrum exemplar est in Tom. 1. Epist. Rom. Pontif. & apud Baron. anno 550. n. 9. & in nostro Cod M. S. auct. Apost. fol. 67.

m) Historici Francorum.

n) Baronius anno 552. n. 25.

o) In vita diui Hilarii Arelatensis.

p) Anno 553. n. 254.

pp) Cujusnam Cœnobii fuerit Abbas ille Florentinus, asserere non audeo; si enim Hilarianus monachi nomen est, non, Cœnobii, quæ conieçimus, corruunt; vixisse certe sæculo barbaro nos docet Epitaphium, aut saltem appositum.

Terruit ipse tamen faciles, sed publice verbis,
Iustitiæ tramitem seruans cum pace paterna.
Nescia iurandi pandens colloquia cunctis,
Verba Dei solers toto de pectore prompsit,
Sancta quibus Domini resonant præconia semper,
Atque per assiduis concentibus æthera plaudunt. A
Bella gerens carnis pestifera vitia contra
Belligeransque palam sæuissima prælia vicit.
Ast hinc celsa poli capiens iam præmia felix
Sanctorum socius, fruitur cum laude coronam.
Hujus namque viri corpus per cuncta sacratum,
Iam dudum aduectum Domini cum laudibus amplis,
Constantinus ouans posuit feliciter Abbas,
Intra B. Crucis condens fastigia sacræ,
Nec non & tumuli preciosa regmina firmans, B
Præstruxit solida crustato marmore fulcra.
Attamen exactis iam septem denique lustris,
Condita quo fuerant præfati membra sepulchro
Effulsere Petri tandem de sede Beati
Quæ propriis meritis pandunt hic signa salutis
Virtutumque simul præstant, & commoda larga,
Infirmis validum dantes per cuncta vigorem.
Ergo potens pastor compensa præmia voti
Splendida: sed Christo commenda sæpe poctam,
Cujus parua tibi prompserunt carmina laudem; C
Ianuarinum ex hoc quem candida mente nutristi,
Tantillumque simul sculptorem marmoris hujus
Annixis precibus Domino per sæcula cuncta
More tuo placidus commenda jugiter. Hinc iam
Esse quoque & monachum nosti, quem Sancte Benignum
Nunc & in æternum Hilarianum semper adorna.

In marmore post versus ista sequuntur:

Primus itaque præfuit Sanctus Florentinus D
Abbas monasterio nostro per annos V. qui vixit annis P L M L. obiit prid. Id. April. duodecies. P. C. Basilii V. C. Iunioris Indict. prima. Post hunc secundus fuit Dominus Redemptus Abbas.

555. Vidit tandem Aurelianus antequam decederet, anno DLV. consummatum perfectumque Monasterium virorum, quod Arelate extruendum mandauerat Childebertus viuente Cæsario, vulgo monasterium montis maioris appellatur. Eximiis illud donauit priuilegiis Vigilius, quorum mentionem habes in Gregorio. q) Denique hoc eodem anno Aurelianus r) sanctitate clarus, Lugduni (Plinio Colonia Romanorum est, aliis interdum Araria, quod ad Rodani & Araris confluentes posita sit, verum Sidonio s) Rodanusia) decessit die decima sexta Iunii.

SAPAVDVS SEV SABAVDIVS.

XXXV. SApaudus vel (vt nonnullis placet) Sabaudius, illustri & Augusto sanguine ortus, Placido patre, viro clarissimo & Patricio, cuius originem ad Auitum Cæsarem, Fortunatus t) refert:

Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre,
Quæ tibi tian conjux, est modo chara soror,
Lumen ab Arcadio veniens genitore refulget,
Quo manet augustum germen, Auite, tuum.

Sunt etiam in Chronico Cassinensi, quæ Tertullum Placidi nostri & exconsulis parentem indicant: cuius gentis Inscriptiones, quæ Arelate extant, subjicio, ne pereant.

u) D. M.
SEMPRONIÆ.
Q. V. FILIÆ.
TERTVLLÆ.

Aliud vero Epitaphium Tertullæ sic se habet: x)

D. M.
IVDRIAE TERTVLLAE. C. F.
CONIVGI AMANTISSIMAE.
ETANIAE AELIANAE FILIAE.
DVLCISSIMAE TERENTIVS.
MVSEVS HOC SEPVLCRVM.
POSVIT.

y) L. HOSTILI TER.
SILVANI.
ANN. XXIIII. M II. D
XV. MATER FIL. PIISSIMO
MISERA ET IN LVCTV
ÆTERNALI BENEFICI
NOVERCÆ.

Defuncto inquam Aureliano, Sapaudus Arelatensis Episcopus inauguratus, Flauianum Diaconum & Nestorium subdiaconum Legatos Romam ad Pelagium misit, vt ex more vices Pontificias, & Pallium obtineret: illis datus est socius eadem ex causa Childeberti Regis nuntius: ex voto respondit Pelagius, cuius Epistola sic se habet:

q) Lib. 7. Epist. 115.
r) Martyrolog. Rom. 16. Iunii.
s) Lib. 1. Epist. 5.
t) Lib. 1. Carm. 14.
u) Arelate in Templo B.M. Virginis vulgo *la maiour.*
x) Arelate in ædibus D. Honorati extra muros.
y) In Ecclesia S. Crucis.

Dile-

556. *Dilectissimo Fratri Sapaudo Pelagius.*

Pelagii Epistola. *Maiorum* z) *nostrorum, operante Dei misericordia, cupientes inhærere vestigiis, & eorum actus diuino juvamine in omnibus imitari: charitati tuæ per vniuersam Galliam Sanctæ sedis Apostolicæ, cui diuina gratia præsidemus, vices iniungimus: hoc enim antiquitatis memoria docet: hoc Ecclesiæ Romanæ testantur scrinia, a sanctis patribus & decessoribus nostris tuis decessoribus esse concessum: vt illius stabilis petræ sempiterna soliditas, supra quam Dominus Saluator noster propriam fundauit Ecclesiam, a Solis ortu vsque ad occasum Primatus sui apicem successorum suorum auctoritate, tam per se, quam per vicarios suos firmiter obtineret. Nos autem (sicut dicit beatus* Cor. 10. *Apostolus) non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi vsque ad vos: nec enim quasi, qui non pertingentes ad vos super extendimus nos. Sic ergo participata solicitudine, sanctam Dei vniuersalem Ecclesiam nostri per Dei gratiam rexere maiores. Hinc est quod & nos fraternitati tuæ huiusmodi curas iniungimus, vt sedis nostræ Vicarius institutus ad instar nostrorum in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas, & quicquid ad gubernationem, vel dispensationem Ecclesiastici status gerendum est, seruatis patrum regulis, & Apostolicæ sedis constitutis, diuini judicii consideratione dispenses, talemque te in custodiendis canonibus Sancta conuersatione demonstres, qualem tanti loci decet esse Vicarium.*

1. Tim. 5. *Memor sententiæ Beati Pauli Apostoli, qua Timotheum discipulum solicite Magister informat, dicens: Testor coram Deo & Christo Iesu, & electis Angelis suis, vt hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in aliam partem declinando: vt erogetur, charissime frater, auctoritas Pontificis & Pastoris mansuetudo, per nos tibi locum Vicarii sicut & decessoribus tuis, noueris gratiæ largitate concessum. Quia licet apud Dominum non sit acceptio personarum, tuam tamen charitatem etiam carnali generatione constat esse præclaram. Et ideo conuenit, vt quanto in te Dominus multiplicia bona largitus est, tanto in sacerdotalibus actibus probitatem morum exhibeas clariorem. Scriptum*

1. 12. *est enim: cui commodauerunt multum, plus petent ab eo. Vsum quoque Pallii tibi alacriter*

Actuo- que. * *affectioseque concedimus, pariter etiam Pallium dirigentes: vt in tanti loci fastigio constitutus, præclaro quoque habitu decoreris, scituras, omnibus Ecclesiastici gradus hominibus, nullam haberi licentiam sine Formata tuæ charitatis, ex quacunque Galliarum parte longiores petere regiones, ne probibita præsumentes ipsi se proprio priuare videantur officio. Haec igitur per Flauium Diaconum & Nestorium subdiaconum Ecclesiæ tuæ, per quos Epistolas tuas accepimus, scribenda esse curauimus, in quorum etiam conuersatione, laudabilis tuæ charitatis agnouimus institutum.*

Dominus te incolumem custodiat, frater charissime.

Dat. 3. Non. Feb. anno XI. *P. C. Basilii V. C.*

Ad ipsum vero Regem Francorum hanc scripsit Epistolam, qua illum hortatur, vt A Ecclesiam Arelatensem honore, Francorum Regum postulatione, auctam foueat, & tucatur: cuius exemplar hic subjicio, ne te aliquid rerum nostrarum lateat.

Domino Filio meo, merito Glorioſissimo, atque Præcellentissimo, Childeberto Regi, Pelagius.

Excellentiæ aa) *vestræ litteras, post illas, quas Legati vestri detulerunt, etiam per eos, quos frater & Coepiscopus noster Sapaudus ad nos direxit, reuerenter accepimus: & salutis vestræ, quæ nobis semper optanda est, cognoscentes indicia; gratias diuinæ pietati retulimus; exorantes clementiam eius, vt vos largiflua pietate sua conseruet incolumes. Litteras autem nostras præfato consacerdoti nostro Sapaudo secundum petitionem vestram direximus, vsum Pallii pariter concedentes: quia in scrinio Ecclesiastico huiuscemodi exempla reperimus, quibus ostenditur, Arelatensibus Episcopis a Sanctæ recordationis decessoribus nostris hæc fuisse collata. Propterea salutantes cultu regalibus insulis debito, postulamus, vt ita cum atque Ecclesiam eius gratia excellentiæ vestræ foueat & tueatur, ne quem per vices nostras augeri, propitiante Domino, postularis, in aliqua parte cuiquam Gallicanorum Sacerdotum, vel cuiuslibet ordinis Ecclesiastici personis (quod non oportet) contemptibilis habeatur, & in ea auctoritate Sanctæ sedis Apostolicæ, & genio vestro, qui pro eo suffragatores accedetis (quod absit) videatur in aliquo derogari.* Pelagii Epistola ad Childebertum.

Perincolumem excellentiam vestram Deus noster custodiat.

Domine fili glorioſissime atque præcellentissime.

Primi autem Sacerdotis priuilegio vsus est in concilio Parisiensi bb), in causa Saphoraci Parisiensis Episcopi, qui de pessimo crimine postulatus, e sede electus est: Senonensi enim, Viennensi & Treuerensi posthabitis Episcopis, primus subscripsit Sapaudus. Porro tum Childebertus, tum Sapaudus, Legatos iterum Romam misere, ille petiturus, sibi liceret reliquias Apostolorum Petri & Pauli colere & venerari, quæ per Bonum Romanæ Ecclesiæ subdiaconum Arelatem missæ sunt; Iste vero questurus, quod contra Primatus Arelatensis jura & auctoritatem, Episcopus quidam ab ipso ordinatus, ad aliud tribunal judicandus traheretur. De reliquiis hæc ad Childebertum Pelagius cc): *Reliquias vero tam beatorum Apostolorum, quam Sanctorum*

z) Baronius anno 556. n. 18. & Codex M. S. auct. Apost. fol. 77.

*) Baronius habet XV. post. C. Basilii sed noster Cod. XI.

aa) Baronius A. 556. n. 20. Codex MS. auct. Ap. & fol. 79.

bb) Tom. conc.

cc) Baronius anno 556. n. 29. & Codex M.S. auct. Apost. fol. 73.

Martyrum iam quidem per ſeruos Dei monaſterii Lerinenſis direximus: ſed & nunc, quas Legati veſtri poposcerunt, nos miſiſſe ſignamus, deputantes hominem Bonum ſubdiaconum ex clero Eccleſiæ noſtræ, a quo vſque ad fratrem & Coepiſcopum noſtrum Sapaudum, jubente Domino deferantur. Et ad Sapaudum dd): *Quia Legati filii noſtri glorioſiſſimi Regis Childeberti, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & aliorum ſanctorum Martyrum reliquias poposcerunt: neceſſe habuimus hominem Bonum, ſubdiaconum de clero noſtro dirigere, qui eas vſque ad fraternitatem tuam cum reuerentia deportaret. Et ideo ſalutantes hortamur, vt quæſita occaſione nauis, ſiue terreno, cum talibus perſonis, de quibus nulla periculi poſſit eſſe ſuſpicio, ad nos eum, juuante Domino, remittatis.*

Quoad querelas Sapaudi, *Miramur* (pergo vti verbis alterius ad Childebertum Pelagii ee) Epiſtolæ) *quia & qvantum nobis præſentium portitorum ſuggeſtio patefecit, paſſi eſtis ſubripi vobis fratrem & Coepiſcopum noſtrum Arelatenſis ciuitatis Antiſtitem, cuius Eccleſia in regionibus Gallicanis Primatus priuilegio, & ſedis Apoſtolicæ vicibus decoratur, ad petitionem Epiſcopi ab ipſo ordinati, in judicium ſequentis ciuitatis Epiſcopi (quod nulla Eccleſiaſtica lege vel ratione conceditur) judicandum juberetis occurrere: vt ipſo de conculcato loci ſui præjudicio conquerente, illum, qui vſurpauit, neceſſe ſit de illicita præſumptione culpari. Pro quibus Chriſtianitatis veſtræ confidentia freti, paterno ſtudio poſtulamus, vt ſi qvid eſt tale factum, congrua ſatisfactione celeriter amputetur, nec vllum ſui exemplum in perturbatione Eccleſiarum, quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur.*

His Legationibus functi ſunt Ruffinus, vir magnificus, & Felix, vir honeſtus, hoc enim elogio illos datos in litteris iam recitatis lego. Illo præſule ff) decima tertia Synodus Arelate celebrata eſt, in qua mendoſe Sarpidius nominatur; ſecundam etiam Matiſcone Synodum indixit, illique primus ſubſcripſit.

Cæſariani Coenobii virginum celebritas.

Cæterum de Cæſariano virginum monaſterio mentionem ſuperius fecimus, celebri equidem tota Gallia, cuius inſtitutum ſecuta fuit Radegundis, illuſtre Reginarum Francorum decus, optabantque nobiliores Francorum Virgines ſanctam adeo regulam ſectari: legitur enim in noſtris codicibus M. S. Cæſariæ gg) Cæſarii, ſorori ſuffectam Cæſariam alteram, ducentarum virginum matrem: cui ſucceſſit Liliola, cuius leges ſuſcepit Theodegildis hh) (Chariberti Regis apud militarem Blauiam, antiquum Santonici littoris oppidum, demortui vxor, quæ Guntramni ambiebat thorum) licet inuita; ſed non in angulo tantum parthenonum harum delituit ſplendor; imo radiis virtutum vniuerſum orbem Gallicum illuſtrauit. Martia ii) Valeriano & Clementia parentibus Vaiſione Vocontiorum nata eſt, quam proparens Ruſticulam dixit, Liliolæ (quod illam Cheraonius Guntramni Regis familiaris vi abduxiſſet) educanda data fuit, Sapaudo & Siagrio Auguſtodunenſi auctoribus, quæ & Antiſtita poſt Liliolam in tantam euaſit Sanctitatem, totque effulſit miraculis, vt ſacris Eccleſiæ noſtræ tabulis adſcribi meruerit, illiusque cineres religioſe colit in ædibus noſtris populus; eius vitam Florentius Tricaſtinus presbyter ſcriptis mandauit, & Celſæ, Celſi patritii (vt conjicio) affini inſcripſit. Tricaſtinorum meminit Poeta:

Iamque Tricaſtinis incedit finibus agmen,

villa hodie ſeu vicus Sancti Pauli in Prouincia Delphinatium, ſeu Gallicorum Allobrogum.

571. *Arelate qui obtigit in diviſione Galliæ?*

Porro Cherebertus, Chilpericus, Guntramnus, & Sigebertus, Clotarii (qui Childeberto ſucceſſor datus fuerat) filii, regnum in æquas partes diuiſere, kk) primus Pariſiorum, alter Sueſſionum, tertius Aurelianorum, quartus Mediomatricum Reges dicti. Aurelia ad Ligerim regnum Burgundiæ fuit, quod citerioris Burgundiæ fines continebat, ac Rodanum etiam tranſcendens Allobroges complectebatur; quibus etiam Prouinciam contributam Guntramnus contendebat. Sed cum nullum vnquam regnum niſi domeſticis bellis exortis diuiſum ſit, Sigebertus, Firmino II) ſeu Audouario Duce, Arelatem ſuam fecit, quæ Guntramni erat. Nihil cunctatus Guntramnus in aciem deſcendit, Celſo Patritio Duce (Arelate enim ſub Burgundiæ Regibus, Patritiis ſuberat loco Præfectorum Romanorum) & Arelatem flexit, quam ingenti cinxit obſidione. Sapaudus obſeſſus, & cuius non multum intererat, vt Sigeberti milites vincerent, aut vincerentur, quod victi non vltra erant Arelate permanſuri, & ſi victores forent, gratias ſibi deberi cenſeret, Firmino perſuaſit, vt militem vrbe educeret, fortiterque cum Celſo pugnaret; ſi enim res proſpere cederet, aut victus miles in acie occumberet, vtroque caſu in vrbem recipiendum. Res aliter quam Firminus ſperabat ceſſit, nam & ipſe victus occubuit, vrbisque portis a Sapaudo intercluſis, cum militi nulla remigrandi poteſtas fieret, ira & furore in deſperationem acti, fugam ineunt: alii vero ſubiectis clypeis ſe Rodano committunt; ſed aut ferro, aut flumine omnes ad internecionem cæſi ſunt: Firminus & Audouarius, victoris indulgentia, incolumes domum rediere, Celſusque in vrbem triumphans eſt introductus.

Longobardi Galliam lacceſſunt.

At calamitatibus nobilis fuit Sapaudi ætas; Longobardi, Saxones, & Gothi diuerſis temporibus non contemnendam Arelatenſium agris vaſtitatem intulerunt. Longobardi mm) a Narſete in Italiam acciti, quod non ſolum ab Auguſto Cæſare reuocaretur, ſed quod

dd) Baronius anno 556. n. 21. & Cod. M. S. fol. 75.
ee) Baronius anno 556. n. 25. & Codex M. S. fol. 80.
ff) 16. diſt.
gg) Vetus martyrologium Arelatenſe.
hh) Greg. Turon. lib. 4. de geſtis Franc. c. 25.
ii) Ruſticulæ vita habetur in veteri martyrologio M. S. Eccleſ. Arelat.
kk) Greg. Turo. lib. 4. de geſt. Franc. c. 22.
ll) Idem Greg. lib 4. c. 30.
mm) Paul. Diac. de geſtis Longobard lib. 2. cap. 6.

Sophia

Sophia Augusti vxor reuocationi contumeliam addidisset: Alboinus Longobardus accersitus, Saxones nn) ad eandem secum fortunam subeundam permouit; nec Longinus qui Exarchi inauditum Italis nomen sumpsit, Narsetisque successor, potuit Alboini successus secundos impedire, quod in Insubria fertilissimisque Galliæ Cispadanæ campis sedes delegissent. His secundis rebus elati Longobardi, ausi sunt finitimam Francorum gentem bello vexare: verba Massoni oo) sunt, facta in alpibus ingenti præda, fusis Guntramni copiis, Pænio earum duce interfecto, domum redeunt. Maioris lucri æstu incitati, iterum transcendunt Coctias, excurruntque ad oppidum Alpinæ gentis Eberodunum, non procul ab eo jugo vnde Druentia oritur, Lucano, & Liuio, aliisque scriptoribus minime ignotus. Guntramnus Mummolenum Pænio successorem dederat, antiquo genere natum, & ingenio solertem: vtar enim Fortunati verbo. Noui ducis opera magni fuit in vincendis fugandisque barbaris.

575.

Alboino successit Clephi Rex, eo ex humanis sublato, Longobardi aliquandiu duces pro Regibus habuere. Tiberio Cæsare, Amo, Zabanus, & Rhodanus, alpinas gentes sibi iterum diripiendas, ac vastandam interiorem Galliam sumpserunt. Amo ab Eberoduno, secundo Druentia Auenionem vsque Cauarum vrbem, Arelatem, Aquas Sextias, & cætera Prouinciæ loca populatus est: Alter regionem, quæ inter Druentiam, & Isaram jacet, in qua est Druma (amnis Ausonio cognitus) & Dia oppidum, ac Valentia ciuitas, ad quam castra posuit. Tertius secundo Isara Gratianopolim obsidere ausus est. Hos duces Mummolenus celeri fuga sibi salutem quærere compulit, profligatis ad Eberodunum eorum copiis.

Nec putes barbaram & ferocem gentem paruam Italis calamitatem intulisse, illius meminit Pelagius pp) in suis ad Sapaudum nostrum litteris, licet apud Baronium mendose legas Auxanium, in Epistola enim mentionem habes de reliquiis Sanctorum ad Sapaudum missis. *Si enim* (ait Pelagius) *mundo venerabilem iudicatis hanc vrbem, si ad pacem sedis Apostolicæ cunctarum regere Ecclesiarum moderamina prædicatis; cur non & tribulationes nostras, & temporales angustias, charitatis comparsione gemitis, scientes per Apostolum nobis ore mandari, vt nos inuicem diligamus, vt onera inuicem nostra portemus, vt quoties fratrum quicumque vritur, nos vramur, dum pene in conspectu vestro tantus sanguis innocentium sit effusus: ita sacra violentur altaria; ita catholicæ fidei ab Idololatris insultetur.* De Longobardis vero hæc intelligi debere suadent, quæ subdit. *Propter quod nihilominus admonemus, vt quoad virtutem quæritis, eorum templa a pollutione gentium liberari, in quantum vobis est possibile, festinetis: & vestris Regibus instantissime suadeatis, quatenus ab amicitiis & coniunctione nefandissimi hostis Longobardorum salubri se prouisione segregare festinent.* Franci tamen his non obstantibus cum Longobardis fœdus icerunt: ait enim Massonus: qq) Flauius Autharis non multo post moritur, Agilulpho successore, cui pacem deprecanti Childebertus dedit.

Gothi Gallis infesti.

Cum vero Mummoleno seu Mummulo res prospere cessissent, aliud bellum gessit Guntramnus contra Gothos, qui in Gallia Narbonensi fixas sedes habebant, sed infeliciter, vt Isidorus rr) narrat. *De Francis enim cum sexaginta ferme armatorum copiis Gallias irruentibus, misso Claudio Duce aduersus eos glorioso triumphavit* (Recaredus scilicet) *euentu, qua victoria non insolentior factus Reccaredus, pacis leges missa legatione ad Guntramnum expetiit, quas cum minime præscriberet Guntramnus, Arelatensium agros fœdauit.* Reccaredus filius Leuieldi. Reccaredus (inquit Gregorius ss)) filius Leuieldi, de Hispaniis egressus caput Arictis castra obtinuit, & ex Pago Tholosano maximam partem depopulatus est, hominesque captiuos abduxit. Vgernum Arelatense castrum inrupit, reliquas cunctas cum hominibus abstulit, & sic se intra muros Nemausensis vrbis inclusit. De Vgerno Arelatensium Castro meminit Strabo, tt) illique est ὄυγερνον. Cyprianus uu) etiam in vita Cæsarii illud laudat. Vgernum pro Orgone vsurpatum vult Massonus; xx) quod an verum sit, alias dicemus.

Sed forte bello tantum afflixit Deus Arelatensem Prouinciam? imo fame & peste. De fame Gregorius: yy) *Magna* (inquit) *hoc anno fames pene Gallias rotas oppressit, nam plurimi vuarum semina, Flores Auellanorum, nonnulli radices herbæ Filicis arefactas, redactasque in puluerem, admiscentes parum farinæ, panem conficiebant* &c. de peste idem Gregorius zz) alio loco subdit: *Grauis tunc ipsam prouinciam lues depopulata est.* Constanti tamen animo aduersus tot ingruentia mala, bellum, famem & pestem Sapaudus insurrexit, nec a curis Episcopalibus, licet vndique premeretur, cessauit, quod quamplurimæ Pelagii ad ipsum testantur Epistolæ, quas habes apud Baronium, Synodi, & concilia. Nec illud omittendum, quod Allobroges adeo luculenter fidem docuisse fertur, vt meruerit non modo illorum Apostolus dici, verum etiam ipsis nomen cum religione noua nouum imponere, vt Francorum Historici a) & Claretus b) olim Ecclesiæ nostræ Archidiaconus existimarunt. Is tamen non sum, qui a Sabaudio Sabaudiam & Sabaudos arbitrer du-

Sabaudia an a Sapaudo dicta?

nn) Paul. Diac. ibid. 12.
oo) In Francorum annalib. Clotario 2. Rege & Greg. Tur. lib. 4. cap. 36.
pp) Baronius anno 585. n. 10.
qq) In Francor. Annalibus Clotario 2. Rege.
rr) In Chronico Gotho.
ss) Lib. 5. cap. 30.
tt) Strabo lib. 4.
uu) Cyprian. in vita Cæs. lib. 1.
xx) In descriptione fluminum Galliæ.
yy) Turon. lib. 7. cap. 45. annus 587.
zz) Lib. 8. cap. de gestis Franc.
a) Duhaillam.
b) In officio Sanctorum sanctæ Arel. Ecclesiæ.

xiiie appellationem. Prosper c) enim Sabudio antiquior, Sabaudiæ mentionem fecit; multoque antiquius illud nomen dici posse non sum nescius, a Ioue nempe Sebadio (quasi Sebadia) qui in alpibus, auctore Pausania, celebratur: sane constat Paradinum Sauoye a salua via voluisse.

Celebrato tandem Valentiæ d) ad Rodanum Concilio excessit e vita Sapaudus, vt genere; ita virtutibus clarissimus, anno salutis DXXCIX. Et teste Gregorio e) Turon. in eius locum Licerius Regis Guntramni Referendarius est adscitus. Obiit (inquit ille) & Sabaudus Arelatensis Episcopus, in cuius locum Licerius Regis Guntchramni Referendarius est adscitus. Grauis tunc Prouinciam ipsam lues depopulata est.

589.

LICERIVS.

Licerius. XXXVI. LIcerius, Guntramni Regis Referendarius, functo Sapaudo Episcopum egit Arelate, quam fœdabat deploratissima pestis, & bellum quod Reccaredus perpetuus Guntramni Regis hostis vrgebat. Mendose apud Bedam f) Æterius legitur, & apud alios. Sub illo Protasius, Aquarum Sextiarum Episcopus, Arelatensis Ecclesiæ jura administrauit: a Gregorio Vicedominus appellatur; cum enim ea, quæ spectabant ad B. Petri patrimonium, Gregorius Papa a Virgilio repeteret, ad Protasium rescripsit, ne forte ea præstare renueret Virgilius. *Si forte* (inquit) *aliquo se modo, quod non credimus, excusare voluerit* (Virgilius) *vos, qui veritatem ipsam subtilius nostis revera, qui in Ecclesia ipsa tunc temporis curam Vicedomini gerebatis, qualiter se habeat causa, disserite.*

Patrimonium Romana habebat Ecclesia in Prouincia Romanorum, & modicum quidem fuisse argumento est vox illa patrimonioli, qua vtitur Gregorius ad Candidum scribens, cui regendi illud cura commissa erat; est etiam Epistola ad Dinamium, qua idem Pontifex scribit se per Hilarium de Ecclesiæ suæ reditibus accepisse Gallicanos solidos quadringentos. Mentionem fecimus g) supra litterarum Pelagii ad Sapaudum, quæ etiam de hoc patrimonio verba faciunt. *Sed* (inquit) *& illud ad commemorationem tuæ fraternitatis adducimus, vt (sicut jam pridem scripsimus) vestes, quæ pauperibus erogentur; id est cuculas & tunicas atque Saga, de eo, quod pro pensionibus Ecclesiasticarum possessionem nobis Dominus filius noster placidus directurus erat, comparari faciatis, & ad portum Romanum, Deo propitiante, dirigere, quatenus solicitudinem nostram, ex parte aliqua relevetis: quia tanta egestas & nuditas in ciuitate ista est, vt sine dolore & angustia cordis nostri, homines, quos honesto loco natos, idoneos noueramus, non possimus aspicere.* Has calamitates & injurias Romanos a Gothis accepisse certum est, ex bellis inter ipsos & Belisarium illa ætate gestis: nec anno integro sedere potuit Licerius.

PASCHASIVS.

Paschasius XXXVII. LIcerio sufficiunt nostri codices Paschasium, quem Greg. Turmissum fecit; an quod breuissimo tempore sederit? verba eius sunt. Obiit autem Licerius Arelatensis Episcopus in cuius Ecclesiam Virgilius Abbas Augustodunensis, opitulante Syagrio Episcopo, substitutus est. 591.

S. VIRGILIVS.

Virgilius. XXXIIX. VIrgilius Aquitanus, quem nobis Samos* municipium anno DXCI. ex Abbate h) Lerinensi (non Augustodunensi) dedit Episcopum, naturæ portentum fuit: licet enim abstinentia, & austero supra fidem victu vsus fuerit, vitam tamen produxit ad annum vsque ætatis CXXVII. *Amittens spiritum* (inquit auctor vitæ ipsius) *ad cœlestia migrauit, anno centesimo vigesimo septimo ætatis suæ*, quem secuti sunt Arnaldus Vion i) & Vincentius Barralis. k) Admodum fuit familiaris diuo Gregorio, & quam plurimis ab illo salutatus litteris: l) scripsit enim ad illum & ad Theodorum Massilienſem, Iudæos non esse vi ad fidem compellendos; imo verbis, & sacræ Scripturæ sententiis suadendos, reuocandosque. *Plurimi siquidem* (inquit) *Iudaicæ religionis viri in hac prouincia commorantes, ac subinde in Massiliæ partes pro diuersis negotiis ambulantes, ad nostram perduxere notitiam, multos consistentium in illis partibus Iudæorum vi magis ad fontem baptismatis, quam prædicatione perductos: nam intentionem quidem huiuscemodi, & laude dignam censeo, & de Domini nostri dilectione descendere profiteor: sed hanc eandem intentionem, nisi competens Scripturæ sacræ comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proueniat, aut juxta aliquid, animarum, quas eripi volumus (quod absit) dispendia subsequantur.* Petenti vero Virgilio Pallium, & Præfecturam Gallicanam, Childeberto Rege auctore, respondet.

* forte Samur.

Judæi an vi conuertendi?

Virgilio Episcopo Arelatensi, Gregorius.

Gregorii epistola ad Virgilium.

O! quam m) *bona est charitas, quæ absentia per imaginem, præsentia sibimet ipsis exhibet per amorem, diuisa vnit, confusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta consummat: quam recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat; quia virtutes quidem cæteræ, perfectionem generant; sed tamen eas charitas etiam ligat, vt ab amantis mente dissolui iam nequeant. Hac itaque virtute, frater charissime*

c) In Chron.
d) Cyprianus in vita Cæs.
e) Turon. de gestis Franc. l. 8.
f) De gestis Anglorum lib. 1. c. 23.
g) Codex M. S. auct. Apost. fol. 81.
h) Author incertus vitæ ipsius M. S. quem edidit Salernus in Chronolog. S. Lerinen. cuius autographum penes me est.
i) Lib. 2. ligni vitæ.
k) In Chronol. Lerin.
l) S. Greg. lib. 1 indict. 9. Epist. 45.
m) Greg. lib. 4. ind. 13. Epist. 50. & Codex M.S. auct. Apost. fol. 98. & 103.

rissime, plenum te esse reperio, sicut mihi de te, & hi, qui ex partibus Gallicanis veniunt, & Epistolæ tuæ ad me directæ verba testantur: quod vero in eis juxta antiquum morem vsum pallii, ac vices sedis Apostolicæ postulasti, absit ne aut transitoriæ potestatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum, in vicibus nostris, ac Pallio quæsisse te suspicer: sed quia cunctis liquet, vnde in Galliarum n) regionibus fides sancta prodierit, cum priscam consuetudinem sedis Apostolicæ fraternitas vestra repetit; quid aliud quam bona soboles ad sinum matris Ecclesiæ recurrit? Libenti ergo animo postulata concedimus, ne aut vobis quidquam de debito honore subtrahere, aut præcellentissimi filii nostri Childeberti Regis petitionem contempsisse videamur; sed iam nunc studio maiori res indiget, vt cum honor crescit, etiam solicitudo proficiat, & erga cæterorum custodiam vigilantia excrescat: vitæ quoque merita subiectis in exemplum veniant, & nunquam sua per suscepti honoris gratiam, sed lucra cælestis patriæ, vestra fraternitas exquirat.

Nostis enim, quod beatus Apostolus gemens dicat: omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Christi Iesu: quibusdam namque narrantibus agnoui, quod in Galliarum, vel Germaniæ partibus, nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perueniat; quod si ita est, flens dico, gemens denuntio: quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit: scimus quippe ex Euangelio, quid redemptor noster per semetipsum fecerit, qui ingressus templum, cathedras vendentium columbas euertit; columbas enim vendere, est de Spiritu Sancto, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere: ex quo, vt prædixi iam, innuitur, quid sequatur: quia, qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo judice cathedræ ceciderunt: qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur; nam ipse quoque, qui precio ad sacrum ordinem perducitur, iam in ipsa prouectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venundare, quod emit, & vbi est, quod scriptum est? Gratis accepistis, gratis date; & cum prima Simoniaca hæresis sit contra sanctam Ecclesiam exorta, cur non perpenditur, cur non videtur: quia eum, quem quis cum precio ordinat, prouehendo agit vt hæreticus fiat.

Alia quoque nobis est res valde detestabilis nunciata, quod quidam ex laico habitu per appetitum gloriæ temporalis defunctis Episcopis tonsurantur, & fiunt subito Sacerdotes: quæ in re iam notum est, qualis ad sacerdotium venit, qui repente de laico habitu ad sacrum transit ducatum; & qui miles nunquam extitit dux religiosorum fieri non pertimescit: quam ipse prædicationem habiturus est, qui fortasse nunquam audiuit alienam? aut quando aliena mala corrigat, qui necdum sua fleuit? & eum ad sacros ordines Paulus Apostolus Neophytum venire prohibeat: sciendum vobis est, quia sicut Neophytus tunc vocabatur, qui adhuc nouiter erat eruditione plantatus in fide: ita nunc inter Neophytos deputamus, qui adhuc novus est in Sancta conuersatione: scimus autem, quod ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, nisi nouitatis suæ humore siccentur, ne si ante pondera quam solidantur accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant; & cum ad ædificium arbusta succidimus, vt prius viriditatis humor exsiccari debeat, expectamus: ne si eis adhuc recentibus fabricæ pondus imponitur, ex ipsa nouitate curventur, & confracta citius corruant, quæ immature in altum leuata videbantur: cur ergo hoc non subtiliter in hominibus custoditur, quod in lignis quoque ac lapidibus tanta consideratione perpenditur? Qua de re necesse est, vt vestra fraternitas præcellentissimum filium nostrum Childebertum Regem admonere studeat, vt huius peccati maculam a regno suo funditus repellat: quatenus omnipotens Deus tanto illi apud se maiora retribuat; quanto eum conspicit & amare, quod ipse diligit, & vitare, quod odit.

Itaque fraternitati vestræ vices nostras in Ecclesiis, quæ sub regno sunt præcellentissimi filii nostri Childeberti, juxta antiquum morem Deo auctore committimus, singulis quidem Metropolitis, secundum priscam consuetudinem proprio honore seruato. Pallium quoque transmisimus; quo fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola missarum solemnia vtatur: sicuti autem longius quisquam Episcoporum pergere forte voluerit, sine tuæ sanctitatis auctoritate, ei ad loca alia transire non liceat: si qua vero inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur, atque decidatur: si autem decidi nequiuerit, discussa veritate ad nostrum judicium referatur. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, honoremque perpetuum vos in moribus seruare concedat.

Data die 6. Iun. Indict. xiii.

Hæc vero vt maius pondus auctoritatemque sortiantur, habes confirmata in subiecta Epistola, quam idem Gregorius Papa ad Childebertum secundum, Galliarum Regem direxit:

Childeberto Regi Francorum, Gregorius.

Lætos nos excellentiæ vestræ vehementer fecit Epistola, o) quæ pia vos affectione de honore & reuerentia sacerdotali testatur esse solicitos: Hinc etenim cunctis ostenditis fideles Dei vos esse cultores, dum Sacerdotes ipsius, grata ac debita veneratione diligitis, & Christiana deuotione, quicquid ad eorum augmentum per- *Ej. epistola ad Childebertum.*

n) Hæc confirmant Zozimi Papæ Epist. quam vt commentitiam explodit Scaliger, probantque fidem ab Ecclesia Arelatensi in Gallias efluxisse.

o) Lib. 4. indict. 13. Epist. 53. & Codex M. S. Auct. Apost. fol. 100. & 104.

tinet

tinet, agere festinatis: vnde & gratanter ea, quæ scripsistis, accepimus, & quæ voluistis, animo libenti concessimus, atque ideo fratri nostro Virgilio Arelatensis ciuitatis Episcopo, vices nostras juxta antiquum morem & excellentiæ vestræ desiderium, Deo fauente, commisimus; cui etiam & Pallii vsum, sicut prisca habuit consuetudo, concessimus. Sed quia aliqua ad nos perlata sunt, quæ & omnipotentem Deum nimis offendunt, & quamplurimum sacerdotii honorem, A reuerentiamque confundunt: quæsumus, vt potestatis vestræ admitente censura, modis omnibus emendentur, ne dum laudandæ deuotioni vestræ res temerariæ atque peruersæ repugnent, aliorum (quod absit) culpa, aut regnum vestrum grauetur, aut anima.

Peruenit autem ad nos obeuntibus Episcopis, quosdam ex laicis tonsurari, atque ad Episcopatum præcipiti saltu conscendere, & qui discipulus non fuit, inconsiderata ambitione magister efficitur, & quoniam quod posset docere non didicit, sacerdotium tantummodo gerit in nomine: nam laicus in sermone pristino perseuerat, & opere: quomodo ergo pro aliorum peccatis intercessurus est, qui sua primitus non defleuit? talis enim pastor non munit gregem, sed decipit: quia dum contradicente verecundia, non potest aliis hoc, quod ipse non facit, suadere: quid est aliud? nisi vt plebs Dominica prædonibus populanda remaneat, & inde sumat interitum; vnde salutiferæ protectionis magnum debuit habere subsidium: quod quam prauum sit, quamue peruersum, ex sua quoque ordinatione excellentiæ vestræ celsitudo perpendat: certum namque est, non vos ante exercitui ducem præponere, nisi vobis labor eius, fidesque probata constiterit: nisi eum vitæ ante actæ virtus, & solicitudo aptum esse monstrauerit: si vero non aliis, nisi eiusmodi viris committitur gubernandus exercitus: C qualis dux esse debeat animarum, ex istius rei consideratione, seu comparatione bene colligitur: sed verecundum nobis est, & dicere pudet, quia ducatum sibi Sacerdotes arripiunt, qui exordium religiosæ militiæ non viderunt.

Simul autem & illud valde nobis execrandum est nunciatum, quod sacri ordines per Simoniacam hæresim, id est, accepto præmio, conferuntur; & quia pestiferum nimis est, & sanctæ Ecclesiæ vniuersali contrarium, in sacrum quempiam ordinem, non meritis, sed precio collocari: hortamur, vt tam detestabile facinus de regno suo excellentia vestra prohiberi præcipiat: nam ipse se ad hoc officium ostendit prorsus indignum, qui domum Dei pecunia mercari non metuit, & commodis præsumit appetere, quod habere per gratiam non meretur. D

Hæc igitur, Præcellentissime fili, idcirco admoneo, quia animam vestram saluari desidero, quæ etiam dudum scribere volui, si voluntatem meam innumeræ occupationes non præpedissent: at postquam se congruum rescribendi tempus ingessit, quod facere me oportuit, non omisi.

Salutantes itaque excellentiam vestram, paterniæ charitatis affectu petimus, vt cuncta, quæ supra scripto fratri & Coepiscopo nostro fieri, seruarique mandauimus, fauoris vestri præsidio compleantur; ne cuiusquam ea aliquo modo elatione, aut superbia conuelli permittatis; sed quia per prædecessores eius singulos, sub glorioso patris vestri regno seruata sunt: ita quoque auxilio vestro, solicita omnino deuotione seruentur. Oportet ergo vt hoc nobis vicarie rependatur, & sicut vestram nos implere non distulimus voluntatem: ita & vos propter Deum, & beatum Petrum Apostolorum Principem, nostra faciatis in omnibus seruari statuta: quatenus excellentiæ vestræ laudabilis, & Deo placita se circunquaque tendat opinio.

Data die XII. mensis Aug. Indict. 13.

Ne vero hæc auctoritas Virgilio nostro licet ex antiqua consuetudine collata, Gallicanos fugeret Episcopos: ad illos etiam dedit Epistolam, cuius tenor est:

Vniversis Episcopis Galliarum, qui sub Regno Childeberti Regis sunt, Gregorius. *Ej. epist. ad Episcopos Galliæ.*

Ad p) *hoc dispensationis diuinæ prouisio gradus diuersos, & ordines constituit esse distinctos; vt dum reuerentiam minoribus potiores exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent: vera concordiæ fieret ex diuersitate contextio, & recte officiorum gereretur administratio singulorum; neque enim vniuersitas poterat alia ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret: quia vero quæque creatura in vna eademque qualitate gubernari, vel viuere non potest, cælestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sunt Angeli, & sunt Archangeli, liquet, quod non sunt æquales: sed in potestate & ordine, sicut nostis, differt alter ab altero: si ergo inter hos, qui sine peccato sunt, ista constat esse distinctio, quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere? cui nouit etiam Angelos obedire: hinc etenim pax, & charitas, mutua se vice complectuntur, & manet firma concordiæ in alterna & Deo placita dilectione sinceritas.*

Quia igitur vnumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit vnus, ad quem possit recurri, præpositus: idcirco opportunum esse prospeximus, in Ecclesiis, quæ sub regno præcellentissimi filii nostri Childeberti Regis sunt, secundum antiquam consuetudinem, fratri nostro Virgilio Arelatensis ciuitatis Episcopo vices nostras tribuere: quatenus & catholicæ fidei integritas, id est sanctarum quatuor Synodorum, Deo protegente, solicita deuotione seruetur, & si inter fratres, consacerdotesque nostros aliqua euenerit forte contentio; auctoritatis suæ vigore, vicibus nempe sedis Apostolicæ functus, discreta moderatione compescat: cui etiam iniunximus, vt si quarundam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi in numero competenti fratribus, & Coepiscopis nostris, salubriter hoc, seruata æquitate discutiat, & Canonica integritate definiat:

p) Lib. 4. Indict. 13. Epist. 52. & Codex M. S. auct. Apost. fol. 99. & 103.

Si

Si quam vero contentionem, quod longe faciat diuina potentia de fidei causa euenire contigerit; aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine iudicio sedis Apostolicae indigeat: examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem: quatenus ea a nobis valeat congrua sine dubio, sententia terminari.

Et quoniam necesse est, vt ad eum cui nostras A *vices iniunximus quoties oportere perspexerit, pro faciendo collatione aptis debeant Episcopi conuenire temporibus: Hortamur vt nullus mandatis eius inobediens esse praesumat, nec communi congregationi interesse postponat, nisi aut corporis infirmitas quempiam fortasse vetuerit, aut cuiusdam eum causae excusatio iusta minime venire permiserit. Hi tamen, qui prohibente aliqua necessitate nequeunt in Synodum conuenire, loco suo presbyterum aut Diaconum dirigant: quatenus quae a nostro Vicario, Deo auxiliante fuerint definita, ad eum, qui absens est, per ipsum, quem miserit, fida relatione perueniant; vt inconcussa firmitate seruentur, &* B *nullus ea, quae constituerit, audeat occasionis excusatione violare.*

Hoc etiam vos pariter praeuidimus admonendos, vt nullus vestrum ad longinquiora loca, sine praefati fratris, & Coepiscopi nostri Virgilii auctoritate, tentet aliquo modo proficisci: scientes quia & praedecessorum nostrorum, qui vices suas eius praedecessoribus commiserunt, sic procul dubio mandata definiunt. Hortamur praeterea, vt de officio suo sit quisque vestrum sollicitus, vt qui promissam cupit mercedem passionis accipere, commissum sibi gregem solicitudine & oratione custodiat, ne Lupus insidians oues creditas inuadendo dilaniet, & sit in retributione poena, pro munere. Optamus igitur, fratres charissimi, & totis Dominum omnipo- C *tentem precibus exoramus, vt dilectionem vestram in amoris sui constantia faciat magis magisque feruescere, atque in pace Ecclesiae manere, & in vna vos concedat magnopere retineri concordia: nunciatum vero nobis est, quod per Simoniacam haeresim ad sacros quidam ordines adducuntur, & hoc supra-scripto fratri & Coepiscopo nostro Virgilio, per omnia prohibendum mandauimus, quod vt vestra fraternitas recognoscat, & studiose custodiat, & ipsa coram vobis est Epistola relegenda.*

Dat die XI. *mens. Aug. Ind.* 13.

Verum enim vero Augustinum, a Gregorio, q) missum in maiorem Britanniam, vt illius D Prouinciae populos fidem, cultumque diuinum doceret, concessa in omnes Ecclesias pontificia potestate, vti vetat in Galliis, Virgilius Galliarum Primas: Quocirca Pontificem consulit Augustinus, in his, quae ad munus, officiumque suum pertinent, a Virgilio Arelatensi impeditum.

NONA INTERROGATIO B. AVGVSTINI. 600.

Postulo etiam qualiter debeamus, cum Galliarum atque Britannorum Episcopis agere.

QVALITER METROPOLITANVS IN ALIENA PROVINCIA SE HABERE DEBEAT.

Responsio B. Gregorii Papae.

In Galliarum Episcopos, nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis praedecessorum meorum temporibus, Pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos priuare authoritate percepta minime debemus. Si igitur contingat, vt fraternitas tua ad Galliarum prouincias transeat, cum eodem Episcopo Arelatensi debet agere, qualiter, si qua sunt in Episcopis, vitia corrigantur: qui si forte in disciplinae vigore tepidus existat, tuae fraternitatis zelo accendendus est; cui etiam Epistolas fecimus, vt cum tuae sanctitatis praesentia in Gallis fuerit, & ipse tota mente subueniat, vt quae sunt iussioni creatoris nostri contraria, ab Episcoporum moribus compescatis; ipse autem authoritate propria Episcopos Galliarum iudicare non poteris; sed suadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eorum imitationi monstrando, prauorum mentes ad sanctitatis studia reformando: quia scriptum est: per alienam messem transiens falcem mittere non debet, sed manu spicas conterere, & manducare: falcem ergo iudicii mittere non potes in eam segetem, quae alteri videtur esse commissa: sed per effectum boni operis, frumenta dominica vitiorum suorum paleis expolia, & in Ecclesiae corpus monendo, & persuadendo, quasi mandando conuerte: quicquid vero ex auctoritate agendum est, cum praedicto Arelatensi Episcopo agatur, ne praetermitti possit hoc, quod antiqua patrum institutio inuenit. Britannorum vero omnium Episcoporum curam tuae fraternitati committimus, vt indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, peruersi auctoritate corrigantur. *Gregorii Responsio.*

Cohaerent haec sane optime: ait enim Gregorius, *se litteras Virgilio nostro dedisse*, quod verum est; & eadem in causa Augustini illius verba sunt: *Atque* r) *ideo indicauimus sanctitati vestrae Augustinum seruum Dei praesentium portitorem, cuius zelus, & studium bene nobis est cognitum, cum aliis seruis Dei pro animarum nos illuc compendio transmisisse, sicut ipse vobis coram positus poterit indicare; in qua re oratione vos eum & auxiliis adjuuare necesse est, atque vbi opus exegerit solatiorum vestrorum ei praebere suffragia, & paterna ac sacerdotali illum consolatione, sicut conuenit, refouere.* Titulus autem Epistolae is est: VIRGILIO EPISCOPO ARELATENSI; METROPOLI GALLIAE, GREGORIVS. Dum vero haec audis (amice lector) quae in medium afferri possunt lucidiora? tum vt Arelatensis Episcopi Metropolis, Primatus, Pallium, & Praefectura vi-

q) Greg. Lib. 12. Epist. 31. indict. 7. & 25. quaest. 2. cap. in Galliarum & Cod. M. S. auct. Apost. fol. 96. in nostro M. S. Cod. is titulus praefixus legitur Sententia Sancti Gregorii missa ad Augustinum Anglienſem Episcopum Menckenii Scriptor. Rer. Germ. Tom. I. qualiter debemus cum Galliarum atque Britannorum Episcopis agere.

r) Lib. 5. indict. 14. Epist. 53.

caria confirmentur; tum vt obscuræ inuidentis animi tenebræ Boschi s) ac Scaligeri t) perspiciantur.

His priuilegiis, & virtutibus insignis, abstinentia quoque, jejuniis, & carnis macerationе nulli secundus, miraculorum præterea laude, in vita & post mortem, admirandus Virgilius, vrbem ædificiis auxit: templum enim diuo Stephano dicauit, a sacris, quos continet, cineribus sancti Trophimi nuncupatum. Alteram ædem in diui Honorati, Lerinæ Insulæ fundatoris, honorem construxit extra muros, in campis illis, quos etiam nunc Elysios vocamus, propter infinitam sepulcrorum multitudinem, quam illic licet intueri. Hodie cessit in vsum Reuerendorum Patrum, qui diui Francisci de Paula regulam profitentur.

De reliquiis S. Stephani. Sed cum locus sese offerat, qui probationi reliquiarum Sancti Stephani maxime inseruit, quis non religioni ducat illum silentio obuolvere? *Nec hoc* (inquit vitæ auctor incertus) *ad confortanda corda Arelatensium esse censui mus obmittendum, quod dum beatissimus Antistes, ad ipsius Basilicæ templum, quod cum magna deuotione construxerat, cum caeteris Episcopis, qui ad dedicationem templi conuenerant psallendo, sacras cum honore maximo reliquias beati Stephani, vel aliorum sanctorum aduehe ret, in ipsius vrbis porta improuise versus iste ex ordine sic venit:* HAEC PORTA DOMINI, IVSTI INTRABVNT PER EAM: aliter legitur in u) Clareto Ecclesiae olim nostrae Archidiacono, viro pietate, & eruditione insigni; ad parietem enim e repente, nec humana manu exaratum versum hunc tradit: HAEC PORTA DOMINI IVSTI INSTRABVNT PER EAM.

Arelate in tuto, In politicis vero non est, quod immoremur, licet enim Arelate, vt iam ex Procopio x) diximus, Burgundionum Regia esset: Patricii tamen, quorum dignitas inter eos maxime in Subalpinis Prouinciis eminebat, illam curabant: nec erat flagrante bellis ciuilibus Francia, Gothis pacem colentibus, viuentibusque alto in otio Longobardis, quod Arelate timeret: aderit enim aliquando sæculum, quo ferocissimus mortalium hostis (Saracenus scilicet) nec vrbi, nec templis, nec ciuibus parcet: imo præda, cæde, & incendio cuncta deformabit. Virgilii igitur sanctitati, & meritis dandum est, quod illo viuente nulli sint in Prouincia Arelatensi motus excitati. Ita vt verissime, qui illius vitam conscripsit, his verbis vsus fuerit. *Omnes* (inquit) *ergo diuinitate propitia nouerunt, sicut psallentium turba praedixit, vrbem Arelatensem per defensorem Virgilium in omnibus esse munitam: nec permitti potest, vt locum illum hostiles cunei valeant irrumpere, vbi ille Christo dignoscitur militasse.*

Virgilii discipuli. Porro binos habuit discipulos Virgilius noster, Fulgentium & Aristarchum, quorum vltimus vitam illius stupendam (licet nullo præfixo Auctoris nomine legatur, in textu vero sit clarissimum his verbis: Subdiaconus quidam nomine Aristarchus conuersatione sanctissimus, circumstantibus palam rei gestæ tenorem exposuit) stupendam (inquam) & miraculis celebrem populo explicauit. Indicato demum mortis die animam sacratissimam exhalauit anno salutis DCXL. Locum vero, in quo animam reddidit, vsque adeo (Aristarcho auctore) fragrans odor illico perfudit, vt vniuersos verni temporis flores inibi Deus congregasse visus sit. Corpus eius in ædes, quas Domino Saluatori, & beato Honorato construxerat, illatum, marmoreo tumulo ciues Arelatenses condiderunt. Arnoldus Vion y) de illo hæc scribit: *S. Virgilius Gallus monachus Lerinensis & Abbas Augustodunensis* (Gregorii z) Turon. errorem sequitur, vt iam attigi, fuit enim Abbas Lerinensis) *in locum Licerii Archiepiscopi Arelatensis creatur, anno quingentesimo nonagesimo primo, qui videtur peruenisse vsque ad annum* DCXL. Annua eius celebritas (meruit enim sanctorum numero adscribi) colenda recurrit 3. non. Martii a Lerinensibus, 7. vero Id. Octob. ab Arelatensibus. 640.

FLORIANVS.

XXXIX. FLorianus Virgilio, & Theodosio medius inseritur in nostro Codice: quin Cypriani etiam cuiusdam Arelatensis mentionem habes, apud Walfridum aa) differentem de Fridiburga, Gunzonis Ducis filia, & Sigeberti Regis Sponsa: Cyprianus Arelatensis (inquit) a Sigeberto interrogatus de vxore, libere respondit; Sed cum haec acciderint anno DCXIV. minime cohaerere cum nostro indice possunt. Praerat enim Virgilius nobis ea aetate, & codex illius non meminit. Si ergo Florianus & Cyprianus Arelatenses Episcopi fuerint, annum DCXLIX. minime excesserunt. Theodosius enim successor calculum nostrum historicum premit. *Florianus.* 649.

THEODOSIVS.

XL. RVsticula bb) (quae cum parthenonibus Caesarianis, Arelate maxima cum sanctitatis laude vixit, illisque praefuit) supremum diem habuit anno aetatis septuagesimo septimo, Theodosio praesule, qui iussus adesse cc) Concilio, Cabiloni ad Ararim, quod a constitutis patrum recessisset, eo conuenire distulit, eam ob rem Patres in annum sequentem concilium Arelate indixerunt; vt illo praesente res ageretur; atque vt nullum Theodosio effugium esset, conuocati dederunt litteras Patres ad illum. 664. *Theodosius.*

s) In indice historico Archiepisc. Viennensi.
t) In posthumis Epist. ad Carolum Labbæum.
u) In officio proprio sanctorum S. Arelat. Eccles.
x) Lib. 3. belli Gothi.
y) Lib. 2. Ligni vitæ.
z) Hist. Franc. lib. 9. cap. 13.
aa) Strabo in gestis S. Galli apud Surium 16. Oct. c. 12.
bb) Florentius presbyter vitam Rusticulae scripsit, ex nostro M. S. Cod.
cc) Baronius anno 662. n. 3. & Binius in Conc.

DOMI-

DOMINO SEMPER PECVLIARI SVO THEODOSIO, COETVS EPISCOPORVM QVI NVPER EST IN CABILLONE VRBE, CVM CHRISTI GRATIA ADVNATVS.

Omnibus veridica relatione perpatuit, quod nec vos credimus ignorasse: quod gloriosus Dominus Clodoueus Rex in supra scripta vrbe Cabillone VIII. Kal. Nou. Synodale praecepit esse A Concilium: vbi omnibus nobis, qui in Basilica Domini *) Vincentii pariter residentes, vestrum aduentum (dum vos propinquos etiam in ipsa vrbe esse audiuimus) omnimodis praestolati sumus, vt daretis intelligere, pro qua re vos in ipso concilio noluistis adesse, dum multa aduersus vos, & de indecenti vita, & de excessu Canonum (quod maxime condolemus) peruulgata narrantur: nam & scripta qualiter vos constitit poenitentiam fuisse professos, vestra manu & comprouincialium vestrorum videmus manibus roborata, vnde vos credimus iam legisse, nec nos poenitentiam ignoramus: quod qui publice poenitentiam profitetur, Episcopalem cathedram nec tenere, nec regere potest: propterea salutantes beatitudinem vestram honorifice indicamus, vt vsque ad aliam Synodum de Arelatensi sede, vbi vos constat cathedram Pontificalem tenuisse, debeatis omnimodis abstinere, & de facultate ipsius Ecclesiae nihil ad vestram dominationem, donec in audientia ante fratres conueneritis penitus praesumatis.

Sed apud auctorem nullum legi concilium celebratum; aut Theodosium sede pulsum, quod tamen patres fuerant minitati.

IOHANNES II.

Iohannes II. XLI. IOannes aut Theodosio sede pulso, aut contra anti-episcopum Theodosium legitimis comitiis Arelatensis Episcopus est declaratus; Beda dd) enim Surius ee) & Mosander ff) eum nostris Antistitibus annumerarunt: cum enim Vitalianus Papa in Britanniam maiorem ministrorum copia laborantem mitteret Theodorum, hic Arelate pertransiit, & Vitaliani Epistolis Ioanni oblatis, ab illo detentus est, donec in Angliam proficiscendi, ab Ebroino Galliarum Praefecto, facultatem obtinuit. Accipe Bedae ipsius verba: *Theodorus ordinatus est a Vitaliano Papa anno Dominicae incarnationis* DCLXIIX. *sub die septimo Kal. April. Dominica: & ita vna cum Hadriano, sexto Kal. Iun. in Britanniam missus est, qui cum pariter per mare ad Massiliam, & inde per terram Arelatem peruenissent, & tradidissent Ioanni Archiepiscopo ciuitatis illius scripta commendititia Vitaliani pontificis, retenti sunt ab eo, quousque Ebroinus maior domus Regiae, copiam pergendi, quo vellent, tribuit eis.* 668.

Obitus Ioannis incertus est, perducta tamen ad subsequentes analogia annum potuit attingere salutis DCLXX.

IOANNES III.

Iohannes III. XLII. SOlo mihi nomine Ioannes iste est cognitus, alteri Ioanni proximus in tabulis nostris, decessitque anno Christi incarnati circiter DCLXXV. 675.

FELIX II.

Felix II. XLIII. FElix hic a me feliciter restituitur, a membranis enim nostris infeliciter exciderat. Illo viuente Monothelitae Christianum Orbem turbabant, quos vt comprimeret Agathio Papa Romae gg) Synodum coegit, qua absoluta per legatos, quae in ipsa decreta fuerant, Constantinopolim allata sunt: apertaque est sexta Synodus hh) Constantinopolitana, cui Felix noster, & Taurinus Ecclesiae Tolonensis in Prouincia Romanorum Diaconus subscripsere. Felix noster his verbis. *Felix Humilis Episcopus sanctae Arelatensis Ecclesiae, & legatus venerabilis, Synodi per Galliarum Prouincias constitutae.* Felicem nolim intelligas, per solam Narbonensem Galliam (in qua Arelate sita est) imo omnium Galliarum Legatum: quod & in pari casu accidit Nicasio Dinienst Nicaenae Synodo subscribenti, vt jam notauimus in Nicasio. Exitum vitae inuenit anno Christi DCLXXXIV. 684.

ANASTASIVS.

Anastasius. XLIV. ANastasius cum reliquis vsque ad Alephantum praesulibus nostris, certo Diario caret, titubatque eorum Historia nulli innixa fundamento, praeterquam ordine nominum, quae in tabulis nostris reperiuntur. Causa est, quod bello & ignorantia tot difficilimis temporibus, Franci Ecclesiarum bona sibi vendicarent: procurauit enim apud Carolum Martellum ii) Hadrianus, vt antiqua jura Ecclesiis redderentur, litterisque Bertericum Viennensem monuit. Quod *quia* (inquit) *iam Archiepiscopalis dignitas per octoginta annos a Francis esset conculcata, ultore etiam numine, Saracenorum, seu Agarenorum ensis per Prouinciam debacchabatur; quos tandem Carolus Martellus attriuit.* Sedit autem Anastasius, vt arbitror, ab anno DCLXXXIV. ad annum DCXC. 690.

AVSTROBERTVS.

Austrobertus. XLV. SAeculum septimum absoluit Austrobertus. 700.

WALBERTVS.

Walbertus. XLVI. OCtavum aperuit Walbertus, quinque saltem exactis in Episcopatu annis. 705.

AVRELIVS II.

Aurelius II. XLVII. AVrelio per aliud quinquennium successore; is ergo est (annus DCCX. 710.

*) Templum Cabiloni Primarium S. Vincentio. sacrum.
dd) Lib. 4. c. 1.
ee) 19. Sept.
ff) In vita Theodorici Tarsensis.
gg) Tom. 3. Conc. anno 680.
hh) Tom. 3. Conc.
ii) Biblioth. Floriac. edita a Boscho part. vlt. pag. 46.

S. POLYCARPVS.

S. Polycarpus. XLIIX. INfelici ætate vixit Polycarpus, felix tamen, quippe qui in sanctorum numerum relatus est: cernere enim licet depictam eius effigiem in altari matricis Eccle- A siæ, cum imaginibus aliorum Antistitum nostrorum, qui in diuis recensentur, ornatam beatitatis emblematibus. Falluntur, qui sepultum illum censent in sacello Virginis, quod est in campis Elisiis, nam sepulcri Epigraphe virum coniugatum notat, non Episcopum.

IVLIA ZOZIME. C.
POMPONIO. POLYCARPO.
D. MARITO PIENTISSIMO. M.
ET SIBI VIVA POSVIT.

Vixit porro Polycarpus ad annum vsque
720. DCCXX.

MARTINVS III.

Martinus III. XLIX. MArtino superinducunt aliqui Eucherium quendam; sed enim kk)
725. Eucherius hac ætate Sanctimonia conspicuus, Aureliae ad Ligerim, non Arelate ad Rodanum sedit: egit Martinus quintum in Episcopatu annum.

PROTASIVS.

Protasius L. PRotasius continuo in armis fuit, illo enim sedente, nouis rebus studuerunt Burgundii ll) Gerardo de Russilione auctore, qui se ex antiqua Burgundionum Regum stirpe asserebat: illos tamen Carolus Martellus (imbellibus Francorum Regibus ignauia & otio victis) facile superauit, praesidioque Lugduni ad Ararim, reliquisque in ciuitatibus imposito, Prouinciam in officio manere coegit. Hic ille est Carolus, *qui caeteris* (vt ait Frodoardus mm) *qui ante se fuerant, audacior, non solum Rhemensem, sed etiam alios Episcopatus Regni Francorum laicis hominibus & Comitibus dedit; ita vt Episcopis nihil potestatis in rebus*
732. *Ecclesiae permitteret.*

His sopitis motibus, vidit Protasius, a Saracenis nn) extra fines suos effusis, infesto agmine Galliam Narbonensem occupari, occupatam a Martello liberari. Aduerte Saracenos fuga lapsos, conscendisse easdem quibus venerant naues, & vi non solum tempestatis, verum etiam armis Arelatensium fuisse fluctibus mersos, vt demonstrat inscriptio sepulcralis, quam in Caesario retulimus.

Protasius vixisse mihi videtur ad annum vsque DCCXXXII.

GEMINVS PAVLVS.

Geminus. LI. NVllibi lego, hunc Geminum nobis praefuisse praesulem, allata tamen naufragii Saracenorum historia, & S. Caesarii Epitaphium, nos cogit illum hic inserere, sic enim se habet:

Cernitur hic pario renouatum marmore tegmen,
Patri Caesario, Pontificique sacro.
Quod scelerata cohors, rabie destruxit acerba,
B *Hanc virtute Dei sorbuit vnda maris.*
Praesul & in stagno Arelatis sede locato,
Geminus id Paulus strenue compsit opus.

Haec nos ita constringunt, vt de vrbis Arelatensis obsidione, dum Athimus Saracenorum Rex a Martello Auenione ad Rodanum est inclusus, licet omnes Historici sileant, & a nostro Gemino pulsos, fugatosque, non sinant licet inuitos dubitare, nisi forte Geminum illum non praesulem; imo praesidem velis, cuius Epitaphium in aedibus diui Honorati extra muros legebatur in sepulcro marmoreo: sed in eo nulla huius egregii facinoris mentio, vt constat ex ichnographia mox apponenda, C quae fidem, dignitatem, & in obeundo munere diligentem citraque inuidiam exprimit integritatem: qui enim in medio sedet manu Euangelium offerens, & altera benedictionem impertiens, Christus est docens, quem Geminus sublata cruce, quasi de fide, cultu, & religione securus, sequitur: dignitatis vero non alia notior figura caput submittentis, vt humilitatem profiteatur: at vbi innocentia & in rationibus exigendis integritas? nonne in manuum lotione? Quid nouem prouinciae? de quibus hic mentio. Nouem Prouinciarum D nomine, Nouem-populaniam intelligi debere existimo, a nouem populis dictam, in qua sunt Vibisci, quorum ciuitas Burdigala, Vasates, Meduli, Boii, Ausci, Conuenae, Consuarani, Bigerrones, Tarbelli.

Sarcophagi descriptio.

Vixit igitur Geminus, si nobis praefuit, per annos tres.

Marmorei sepulcri Gemini Praesidis nouem Prouinciarum Ichnographiam: vide TAB. I. fig. 1.

VIR AGRIPPINENSIS NOMINE GEMINVS HIC IACET
QVI POST DIGNITATEM PRAESIDIATVS ADMINISTRATOR
RATIONVM QVI NOVEM PROVINCIARVM DIGNVS EST HABITVS
HIC POST ANNOS XXXIIX M II ET DIES SEX FIDELIS IN FATA CONCESSIT
CVIVS INSIGNEM GLORIAM CIVES SEPVLCRALIA ADORNAVERVNT

INNODIVS.

Innodius, LII. INnodius per annum alterum sacrum
737. Ilituum administrauit.

GEORGIVS.

Georgius. LIII. GEorgio Praesule, Saraceni superio-
738. ris cladis memores, vires repara-

kk) Carolus Sausseius in Annalibus Ecclesiae Aurelianens. lib. 5.
ll) Incertus Pithoei author anno 727.
mm) In Chronico.
nn) Incertus Pithoei author.
*) Aut Episcopum nostrum, aut ciuem hac aetate clarissimum.

runt,

runt, nouosque cogentes exercitus, maiori impetu Galliam Narbonensem inuadentes, Arelatem obsidione vallarunt: eaque capta, munitissima circumquaque loca ceperunt, ne hostibus vsui esse possent: inter quae fuit nobilissimum illud montis maioris monasterium, quod extra muros aedificari iusserat Childebertus. Heu! quas strages in miseros Arelatenses, in sacra templa direptiones, incendia, & sacrilegia perpetrarunt: quot in virgines stupra; nemo sane mortalium digne exprimat! Sed cur templum diuo Stephano a Virgilio dicatum, quod nunc S. Trophimi est, a gente barbara, & quae a ritibus nostris abhorret, non est excisum? oo) Sanson sancti Zoili Abbas, qui inter ipsos Saracenos degens sanctitate claruit, his verbis indicat: *Omnes*, inquit, *Basilicas vrbis* (Cordubae scilicet) *tributarias fecit esse, & impurus hostis* (nempe Saracenus) *de purissimis oblationibus fidelium, in vsum templi collatis Dominici, thesauros fisci inhiatus est ampliare, vt spoliando mensam Christi, & ditando palatia fisci; videretur aquam sitientibus auferre, & amplissimo maris sinu infundere, sicque peractum est, vt venale Sacerdotium substinentes ipsae Basilicae, non more solito dignos recipere, & indignos queant Sacerdotes repellere.* Exigebat liquidem gens auara a Christianis tributum, vt solito more templa frequentarentur.

Arelate a Saracenis capta.

Occupantes vero Prouinciam Arelatensem Saracenos vicit Martellus fortiter, & in fugam adegit, quod pp) Sigebertus his verbis explicat: *Arelato vrbe Galliarum capta a Saracenis, & omnibus circumquaque demolitis, Carolus adscito sibi ad auxilium Luitprando Rege Longobardorum eis occurrit, eosque terrore nominis sui in fugam vertit.* Francos vero a Longobardo Rege adiutos qq) sepulcralis Luitprandi inscriptio testatur:

deinceps tremuere feroces
Vsque Saraceni, quos discipulit impiger ipsos
Cum premerent Gallos, Carolo poscente iuuari.

Causam vero Saraceni belli ex annalibus tradit Vignerius. rr) Absente Carolo, Mauritius Burgundionum Prouincialiumque animos pertentare, & ad defectionem solicitare ausus est. Reuersus vero, fugae tantum locum inuenit, ciuitatibus, quae defecturae videbantur, confirmatis; quiete Burgundionibus Prouincialibus restituta.

At quis dicat ense barbaro furente, Georgium a tam infesta clade subductum? si incolumis euaserit, annum certe DCCXL. non est praetergressus. 740.

RATBERTVS.

Ratbertus.

LIV. Silente historia, nihil habemus de Ratberto dicendum; existimamus tamen sedisse ad annum vsque DCCXLV. 745.

KAVISARIVS.
SEV
KAVILLARIVS.
SEV
KAVILLANVS.

Kavisarius.

LV. Commentitia huius Kauisarii circumfertur Epistola, qua comprouinciales de impertiendis eleemosynis, reaedificationi templi sancti Honorati destinandis, hortatur. Praeter achroniſmum, quo laborat, nam meminit Caroli Magni & multorum Praesulum, quos subsequens aetas Arelatensi Ecclesiae dedit; legitimo etiam authori a nostro Codice restituitur, vt infra dicemus in Michaele de Moresio, Antistitum nostrorum Octogesimo secundo. Cum vero non alius commodior nobis locus videatur (praesertim quadam nominum Nazarii, & Kauisarii Analogia ducti) hic Nazarium collocamus; ss) Salernus enim annumerat Praesulibus Arelatensibus Nazarium Lerinensem monachum, sed circa Hilarii nostri aetatem: nullis tamen in Codicibus nostris annotatum; an vero Salernus pro Kauizario Nazarium scripsit? aut vnus, aut ambo peruenerunt ad annum DCCLX. 760.

Nazarius.

WILIMARIS.

Wilimaris.

LVI. Sola nota hic apponitur Wilimaris, qui si decennio sedit, iam decimus annus numerabitur. 770.

WILIARIS.

Wiliaris.

LVII. Et Wiliaris a me illaudatus pertransit, absoluitque, vt coniicio, annum DCCXXC. 780.

ARLADIS.

Arladis.

LIIX. Hvius etiam vt superioris gesta alto fuere sepulta silentio; vixit Episcopus per annos saltem quinque. 785.

ALEFANTVS.
SEV
ELIFANTVS.

Alefantus.

LIX. Alefantum, quem ex solo nomine agnoscebam, vere his temporibus Arelate sedisse, me docuit clarissimus Catellus Tholosani Senatus Consiliarius; vt enim iis, quae inter Narbonensem, & Vrgelitanum Episcopos vertebatur de quibusdam fundis, omnino sopiretur: Narbone Martio decimanorum Coloniae, quam Atax fluuius riuo in eam deducto interluit, celebratum est Concilium indict. XII. anno XXIII. Caroli, v. Kal. Iulii, & Christi DCCXXCIIX. Cui praesens interfuit cum Witecindo Nemausensium, Iustino Agathensium, & Amico Magalonensium Episcopis, Alefantus noster, Elifantus ibidem nominatus, exitumque vitae fortitus est secundo ab hinc anno, qui Christi est DCCXC. 788. 790.

oo) Apud Moralem in Praefat. ad Eulogium.
pp) In Chron.
qq) Romae in Basilica Apostolorum Petri & Pauli legitur Epitaph. Luitprandi Longobard. Regis.
rr) Annales veteres & Vignerius in Burgundionum Chron.
ss) In Chronologia Sanct. & Illust. viror. insul. Lerinens. part. 2. pag. 149.

LVPVS.

Lupus. LX. LVpus saeculum tum initio, tum exitu funestissimum absoluit. Saraceni enim furore solito Piraticam exercentes, graue
793 damnum Septimaniae, & Gothiae intulerunt. Haec habent veteres Francorum Annales: tt) *Qua accepta clade* (inquit nu) Eginhardus) *per omnes portus, & ostia fluminum, qua naues recipi posse videbantur, Stationibus & excubiis dispositis, ne qua hostis exire posset, tali munitione prohibuit.* Fecit idem a parte Meridiana, in littore Prouinciae Narbonensis, ac Septimaniae, toto etiam Italiae littore vsque Romam, contra Mauros nuper piraticam exercere aggressos; ac per hoc nullo graui damno, vel a Mauris Italia, vel Gallia, atque Germania a Northmannis, diebus suis affecta est. Verum cum aliis, quam tum Piratis rem actam esse, docet inscriptio mox afferenda. Saraceni enim oppugnarant, expugnarantque Arelatem: illos obsidione cinxerat, viceratque Carolus: at victi se in tutiora loca recepere, cuniculos enim miro opere fabricatos, in diuersas agrorum partes erumpentes fecerant, quos annis praeteritis vidimus, dum vallo muniretur porta militaris, licet fluentibus disiectisque temporum iniuria fornicibus, quos etiam insequutus ad internecionem pene deleuit; aedemque cruci, ob inimicos crucis Christi deiectos, in ipso victoriae loco dicauit. Hac de obsidione quamuis taceant scriptores, loquuntur lapides: vetus enim est in Ecclesia sanctae Crucis ad radices montis maioris, quam subiicimus, inscriptio; quae rem gestam continet.

Saracenorum cuniculi.

NOVERINT VNIVERSI, QVOD CVM SERENISSIMVS PRINCEPS CAROLVS MAGNVS FRANCORVM REX CIVITATEM ARELATEM, QVAE AB INFIDELIBVS DETINEBATVR, OBSEDISSET, ET IPSAM VI ARMORVM CAEPISSET, ET SARACENI IN EADEM EXISTENTES PRO MAIORI PARTE AVFVGISSENT IN MONTANA MONTIS MAIORIS, ET IBIDEM SE RETRAXISSENT, ET IN EADEM SE MVNISSENT, ET IDEM REX IBIDEM CVM EXERCITV SVO VENISSET PRO IPSIS DEBELLANDIS, TRIVMPHVM DE IPSIS OBTINVISSET, ET DE IPSO GRATIAS DEO AGENDO IN SIGNVM HVIVSMODI VICTORIAE PRAESENTEM ECCLESIAM IN HONOREM SANCTAE CRVCIS DEDICARI FECIT, ET PRAESENS MONASTERIVM IN HONOREM SANCTI PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS DEDICATVM, QVOD AB IPSIS INFIDELIBVS PENITVS DESTRVCTVM FVERAT, ET INHABITABILE REDACTVM, IDEM REX IPSVM REPARAVIT, ET REAEDIFICAVIT, ET MONACHOS IBIDEM PRO SERVIENDO DEO VENIRE FECIT, ET IPSVM DOTAVIT, ET PLVRA BONA EIDEM CONTVLIT: IN QVO QVIDEM MONASTERIO PLVRES DE FRANCIA IBIDEM DEBELLANTES SEPVLTI SVNT, IDEO FRATRES: ORATE PRO EIS.

Impostura suspicione forte non vacat haec inscriptio, authores enim plurimi, Carolum Martellum Arelatem a Saracenis recepisse praedicant; nullus Carolum Magnum. Verum enim vero inspicienti solertius verba inscriptionis illius, a vero nihil in illis alienum apparet; nam ab infidelibus occupatam, & a Saracenis liberatam Arelatem indicat. Quos infideles vero-similiter existimas? Gothos & Mauros ex Hispania deuicta per Occitaniam palabundos, qui facile cum reliquiis Saracenorum societatem, & coniurationem inierint in victorem Carolum Magnum, iterumque Arelatem nostram recuperarint, & iterum perdiderint. Vacuae quidem, & desertae Sancti Petri insulae Monasterium a Childeberto fundatum, a Carolo Magno restitutum, & muneribus auctum membranae nostrae testantur in Yterio; verum de reportata in Saracenos victoria silent. Quibus cum assentiar, fidem tamen non nego affirmantibus, quod eadem in insula, secundo ab hoc saeculo, Pontius Ecclesiam sanctae Crucis, olim a Carolo Magno constructam (forte collapsam & restauratam) dedicauit, Ramberto Abbate.

Inscriptionis genuina?

Venit etiam in huius rei confirmationem Ecclesia, quae Arelate extat, quam Carolus Magnus diui Luciani cineribus celebrem fecit, Tilpino Rhemensium Episcopo missarum solemnia celebrante, quam tamen non a fundamentis construxisse, sed tantum restauraſſe, certos nos reddunt fornices subterranei, quibus innititur templum: prima enim Reip. Christianae saecula redolent, cum in subterraneis locis; non autem in publico Religionis suae cultum fideles profitebantur.

At Lupus noster pastor ouium esse desiit saeculo D CCC. transacto. 800.

IOANNES IV.

Ioannes IV.

LXI. MInus equidem caecutiet deinceps Episcoporum nostrorum Historia, praeeunte archiuorum face. Ex aulico Episcopus Ioannes, testis adfuit testamento Caroli Magni, a quo dimissus, Arelate S. Cypriani ossa, quae Lugdunum deferebantur, coluit & veneratus est, vt coniicio ex his versibus: xx)

Vt tua, Cypriane, Martyr
Seruaret, loculus neglectus ossa,

subditque:

Conscendunt celeres ratem paratam,
Nec saeui metuant pericla ponti
Egressis, Arelas opima portu
Occurrit placido, sinuque laeto
Fessos excipit, ac fouet benigne.

Indixitque postmodum Concilium, yy) quod habes hac praefixa nota: Dum anno XLVI. Inclyti & Orthodoxi Domini, & Principis nostri Caroli Imperatoris sub die sexta idus Maias aera octingentesima quinquagesima prima, vnanimitatis nostrae conuentus in Arelatensium vrbe, in Basilica Sancti Stephani martyris primi, aggregatus consisteret. Viginti

tt) Incertus Pithoei auctor inscriptoribus coetaneis.

nu) In vita Caroli Magni.

xx) Agobardi Carmen editum cum aliis eiusdem auctoris operibus Parisiis cusis anno 1605.

yy) Tom. 3. Conciliorum Binii Ao. 813. sub Leon. 3.

sex

sex in illo patrum consessu sanciti Canones; solutaque Synodo ad Imperatorem allata decreta, & rerum gestarum coram ipso facta est collatio.

Missas vero hic facimus fabulas, quæ Tilpini nomine circumferuntur de Carolo Magno, spectantque ad vrbem nostram: religioni enim A ducimus, historiæ (quæ veritatis est indagatrix) fabulas miscere. Nec Tersini, Sansonis, aliorumque Prouinciæ, Burgundiæque subregulorum, vt aliquibus visum est, mentionem facio, cùm vnum Regem Orbis Gallicus spectaret. Supererat adhuc in humanis Ioannes noster anno decimo septimo supra octingentesimum; occurrit enim obuius Stephano Pontifici, ex Ludouici Pii mandato: incertus enim author zz) Pithoei id tradit, his verbis: *Stephano obuium Hldebaldum Archicapellanum Sacri palatii, Theodulphum Episcopum Aurelianensem, Ioannem Arelatensem, aliorumque ministrorum Ecclesiæ copiam, procedere jussit.* Annus ergo XIX. supra DCCC. vltimus fuit vitæ Ioan- B 819. nis. Sunt aliqui, qui legunt non *Arelatensem*, imo *Attrebatensem*.

NOTO.

Noto. LXII. NOto, mihi notus ex permutatione a) fundorum, quam egit cum Leymbulpho Comite, & quam Ludouicus præsente Notone, & Leymbulpho Aquisgrani (tumulo, & reliquiis Sancti Caroli Magni Imperatoris, celebri) approbauit, anno regni sui duo- 825 decimo, qui annus Christo est DCCCXXV. Dum *Leymbulphus Comes quis?* Comitem Leymbulphum audio, illum toti Prouinciæ sub Regia Francorum auctoritate præfuisse censeo: cur enim id mihi suspicari non liceat? Cum Comitibus illis, quos alibi Palatinos legis, successerint Duces, de quibus statim agemus; aut forte sub his Ducibus, quibus plures suberant Prouinciæ, fuere Comites, aut Prouinciæ, aut singulis vrbibus præpositi. Præfuit b) Concilio Tolosano, quod Imperator indixit ad expianda Francorum peccata, edicto promulgato, cuius verba referre placet. *Quapropter statuimus, atque decreuimus, cum consultu Sacerdotum, cæterorumque fidelium nostrorum, huius rei gratia, ob placandum scilicet contra nos, nobisque subiectos Domini furorem, conuentus eorundem Episcoporum, in quatuor Imperii nostri locis, congruentissime fieri, in Moguntiacensi vrbe, in Parisiorum vrbe, apud Lugdunum, quarto etiam apud Tholo-* D *sanam vrbem, quo simul conueniant Noto, Bartholomæus, Adalelmus, Agiulphus cum Suffraganeis suis.* Testem præterea adhibitum obseruo Notonem, dum Ebbo Rhemensis Episcopus, se Episcopatu indignum iudicauit, quod author fuisset exauctorationis Ludouici Imperatoris in villa Theodonis; cum enim Hincmarus, Ebbone defuncto, nollet ab illo ordinatos recipere, eaque de causa Synodus Suessione indicta esset, anno Christi DCCCLIII. Lupus Ferrariensis libellum obtulit Carolo Principi, qui iudicium ab Ebbone contra se ipsum prolatum continebat, præsentibus Archiepiscopis permultis, & testificatione testium Notonis Archiepiscopi & Theodorici. At licet tunc testis ex libello datus fuerit in causa Ebbonis, non inde tamen concludere licet, ad hanc illum ætatem peruenisse: sit igitur terminus illius vitæ annus II. supra DCCC.

Etsi veritatem in Politicis assequi difficile admodum sit, certum tamen indubitatumque est, penes Duces vrbis Imperium remansisse; *Bellum inter Lotharium & Fratres.* Ludouicus enim iam fatis cesserat. Lotarius c) vero Rex Italiæ, & quod maximus stirpis esset Augustusque destinatus, ad se omnia reuocabat: & qui ne patri quidem Augusto pepercisset, multo ferocior in fratres erat. Ludo- 841 uicus, Caroluſque aduersus fratris cupiditatem communi animo, consilioque bellum gessere: dimicatum fortiter vtrinque, nobilitas Francica omnis cæsa, & miserabilis omnium cædes facta est in finibus Altisiodorensium. *In hoc autem bello* (Vignerius d) ait) *Guerricum* e) (aliis Guerinum) *Prouinciæ Ducem cum Prouincialibus & Tholosanis, Carolo adfuisse, in quodam vetere Chronico manuscripto testatum habemus. Exin induciæ factæ, quæ pacem fratribus dederunt; Lotharius pacis conditionibus Imperator dictus est, illiusque imperio attributæ quamplures Prouinciæ;* verba Vignerii f) sunt. Constat porro omnium authorum testimonio, Lothario eorum fratri, cum Italico Imperio, & Alpibus ipsis, quicquid inter Rodanum, Ararim, Mosam, Rhe- C numque interiacet, in sortem obuenisse; adeo, vt Burgundia, quæ est cis & vltra Iuram, eius Imperio semper paruerit. Sed enim *Arelate juris Lotharici facta.* Arelatem Lotharici juris fuisse quis neget? cum Bolocratus tertio ab hinc anno defectionem ab illo fecerit: quem tamen irrito conatu spe sua decidisse, testantur authores. Id expresse Vignerius g) recitat, *Bolocratus* (inquit) *siue Solcratus Arelatensis Comes, defectionem a Lothario Imperatore moliri visus, misso in eum exercitu, ad officium fidemque redire compulsus est.* At Vignerius h) authorem incertum sequutus est, cuius uerbis vtor. *Hlutarius Solcratum Ducem Arelatensem, & re-* 845 *liquos Comites illarum partium rebellare molientes in deditionem accepit, & prout voluit, Prouinciam ordinauit:* hæc sunt quæ Notone nostro viuente explicare debuimus.

S. ROTLANDVS.

Rotlandus. LXIII. EA ex sanctissimi Præsulis nomenclatura nemo non intelligit accidisse, ut anilibus fabulis decantatus ille toto Orbe Rotlandus Britannici littoris Comes, A- 855

zz) In vita Ludouici, filii Caroli Magni.
a) In autographo Capitulari fol. 17.
b) Extat ante Concilium Parisiense sub Lud. tom. 3. Conciliorum anno 829. sub Leon. 4.
c) Aemilius Historia de gestis Franc.
d) In Burgundionum Chronico.
e) Massono Warinus dicitur in Annalibus Francorum.
f) In Chron. Burgundionum.
g) In Burgundionum Chron. & Chesnius in Histor. Burg. & Arel. Reg. & Comitum.
h) Ibidem.

relate

relate vixisse, bella egisse, sepultus esse celebretur. Quintum jam agebat in Episcopatu annum, cum accessit Valentiam i) ad Rodanum, ut cum cæteris Episcopis Godescalcum male de prædestinatione sentientem condemnaret, & de Episcopi Valentinæ vrbis, criminibus diffamati, causa cognosceret: tertio capite agitur de prædestinatione, duodecimo de duello & singulari certamine: *Statuimus* (inquiunt patres) *iuxta antiquum Ecclesiasticæ obseruationis morem, vt quicunque tam iniqua, & Christianæ pacis inimica pugna alterum occiderit, seu vulneribus debilem reddiderit, velut homicida nequissimus, & latro cruentus ab Ecclesia, & omnium fidelium cœtu separatus, ad agendam pœnitentiam modis omnibus compellatur. Ille vero, qui occisus fuerit, tanquam sui homicida, & propriæ mortis spontaneus appetitor, a Dominicæ oblationis commemoratione alienus, nec cadauer eius iuxta Sanctorum Canonum decretum, cum psalmis vel orationibus ad sepulturam deducatur.*

Per id vero tempus Arelatem Lothario paruisse, caput septimum eiusdem Concilii probat. Memorabile enim est patres queri, Episcopos indoctos a Principe Ecclesiis dari; idcirco eum rogandum, vt deinceps Canonicam electionem clero & populo permittat. *Et quia* (inquiunt) *indiscussi, & inexaminati, scientiæque litterarum pene ignari, minusque Apostolicæ præceptioni appropinquantes, peccatis nostris agentibus, per ciuitates Episcopi ordinantur: qua occasione maxime vigor Ecclesiasticus deperit, vt si quando alicuius ciuitatis Episcopus vocatione Domini decesserit, a glorioſissimo principe* (Lothario scilicet) *postuletur, vt Canonicam electionem clero, & populo ipsius ciuitatis permittere dignetur.*

Soluta Synodo, mutata veste, Cæsar monachus apud Prumiam sponte factus decessit, hoc eodem anno tertio Kal. Octobr. Ludouicus, Lotharius, & Carolus Imperium in æquas partes diuisere, & Carolo, quod nostri est instituti, cum altera Burgundiarum attributa fuit Prouincia, in qua sita est Arelate. Carolus vero non diu superstes fuit. Ludouicus, & Lotharius sine certamine demortui fratris sine liberis regnum partiuntur. Ludouico Prouincia cessit. Regino k) tamen dixit Lotharium cum Carolo Francorum Rege de Caroli successione decertasse, Prouinciamque obtinuisse: attamen Vignerius l) fieri posse dixit, ut loco Caroli sit Ludouicus in Reginone legendum.

Arelate Carolo tributa; 858

Inde. Ludouico.

Ludouicus Prouincia auctus, Rotlando m) Crudatense cœnobium ad Rodanum, diplomate confecto, dedit. Porro tanti præsulis erga Apostolicam sedem enituit fides. Lotharius enim VValdradam pellicem deperibat, illiusque libidini fauebant Gallicani Episcopi; a quorum studiis separauit se Rotlandus, memorque antiquorum temporum, quibus ante omnes Galliarum Episcopos, Archiepiscopus Arelatensis speciali prærogatiua ab Apostolica sede honore decoratus erat, vicesque Pontificum Romanorum gerebat, a quibus desciuisse, cum ex Regnorum inter Ludouici Imperatoris filios diuisione, tum ex temporibus, quæ Arelate luctuosissima contigere, certum est, ad Nicolaum summum Pontificem vtraque de re scripsit, cui in hunc modum respondit.

Nicolai Papæ Epistola. 864

Rotlando Archiepiscopo Arelatensi, Nicolaus Episcopus.

Susceptis n) *sanctitatis tuæ litteris, totis humilitatis dono refertis, cunctarumque virtutum floribus redimitis, multiplices gratiarum cultus omnium bonorum auctori rependimus; tuamque a multis retro temporibus erga sedem, Apostolicam agnitam deuotionem plurimum commendamus, atque vt in hoc salubri proposito perseueres, fraternitatem tuam obnixius adhortamur. Sincerum Sanctæ conuersationis pedem, quo tendere debeas, perspicacius cognoscere poteris, & superuenientia prauorum iacula præuidere, & declinare liberius, reuelante Domino, præualebis, si in Apostolicæ sedis petra, more maiorum præsidium tuum locaueris, eiusque fidei doctrinis vel decretis arctius inhærere contenderis: quam ille sua sacrauit sessione, quem Dominus Iesus Christus Ecclesiis suis noluit primum, & speciale retinere fastigium, quin & cælestis atrii delegit summum constituere ianitorem. Quod iam beatitudinem tuam strenue persequentem, debitis attollimus omnino præconiis, non solum in hoc, verum etiam in eo, quod Apostolatum nostrum ad perseuerantiam cohortaris. In quo enim tam manifeste nostrarum sanctionum & decretorum ostendere te poteris esse custodem, quam in eo, quod nostram quoque soliditatem supra firmam petram fundatam, vt in his perseueret, studiosius animare procuras?*

Quod autem deprecatur tua fraternitas, vt scrutemur, quales predecessores nostri circa prædecessores tuos antiquitus fuerint; & postulas, vt liceat tibi rescripto cognoscere, vtrum fideliter crebro litteris vel legatis nos audeas frequentare, & quæque congruentia temporibus opportunis suggerere: sciat beatitudo tua, nos bene cognoscere, quod prædecessores mei inter alia honoris beneficia prædecessores tuos adeo dilexerint, vt eis vices suas in illis partibus retinere consenserint, quemadmodum quinta refert sancta & vniuersalis Synodus. Tu vero si promissa tuæ dilectionis perfeceris, & nobis consentiendo, contra prauos quosque vel circa molestos nobis hærere contenderis, & a decretis nostris deuiare refugeris: noueris te deinde Apostolatus nostri clypeo protegendum, & charitatis ac pietatis brachiis, modis omnibus complectendum; Sanctam quoque Ecclesiam diuinitus tibi creditam, nostra solicitudine & vigilantia, Deo auctore, peramplius & perfe-

i) Tom. 3. Conciliorum Seuerini Binii anno 855. sub Leon. 4.

k) In Chronic.

l) In Burgundionum Chron.

m) In autographo Capituli Arelatensis. fol. 2.

n) In Codice M. S. auctor. Apost. fol. 164.

ctius

Ecclesiæ augmentandam: mittere autem nobis Legatos vel litteras tanto libere debetis, quanto charitas, qua circa sanctitatem flagramus, (quam latum mandatum psalmographus nuncupat.) intra sinum amplitudinis suæ omnes recipit, omnes fouet, & protegit proximos suos: quia juxta Apostolum Paulum benigna est, & 1. Cor. 13. *omnia sustinet. Verum a charitate tua vnum hoc necessario postulamus, scilicet vt cum aliquem ad Apostolicam sedem miseris, studeat eum tua monere fraternitas, quatenus in redeundo non vsquequaque festinus appareat; eo quod omnium Ecclesiarum Dei (sicut ipse nosti) cura constringimur. Et cum vndique ad sedem Apostolicam multi diuersa quærentes confluant: efficimur tardi ad singulos, dum volumus benignitatem & dapsilitatem spargere per diuersos. Illud autem valde placuit, vnde etiam immenso tripudio exultauimus; scilicet, quoniam ab Apostolatu nostro, scisciteri, quid tua Sanctitas sequi debuisset prudenter decreuisti. Verum quamuis multa sint, quæ tibi mittere possemus: interim tamen quæ in alia Apostolatus nostri Epistola beatitudini tuæ intimamus, solum tuæ solertiæ sint peruigili cura sectanda, præcipuoque studio peragenda. Si quid deest circa nos, circa sedem B. Petri, non est aliud signum deuotionis tuæ, quam polliceris, nisi obtemperantia & consummatio decretorum, & definitionum nostrarum; qui licet indigni, per abundantiam tamen gratiæ, ipsius vicarii sumus.*

Dat. mense Maii die XII. *Ind.* XII.

869 Procurata demum Arelatensi Ecclesiæ pristina dignitate, apud Saracenos captiuus, liber ad Deum recessit anno Christi DCCCLXIX. Vt enim Saracenos Arelatensium agris perpetuo infestos repelleret Rotlandus, Abbatiam sancti Cæsarii in Insula Camaria sitam (non *vacuam* vt perperam ait Aymonius, o) *manu*) impetratam ab Imperatore, dum aggere terreo, fossa & aliis artibus munit, ab hostibus circumuenitur; & antequam suppetias ferrent Arelatenses, capitur: mutuis deinde conditionibus initis liberandus quidem erat; defunctus tamen, non viuus, ciuibus suis redditus est. *Nam* (verba Aymonii p) sunt) *in Saracenorum nauibus fame occubuit* XIII. *Kal. Octob.* Saracenis autem ingeniose accelerantes de redemptione illius, quasi non possent amplius ibi immorari, si illum vellent recipere, redemptores illius pro eo redemptionem dare accelerarent, ediderunt, quod & factum est; & Saraceni suscepta omni redemptione, miserunt eundem Episcopum sedentem in cathedra, indutum vestimentis sacerdotalibus, cum quibus captus fuerat, & velut pro honore deportauerunt eum e nauibus in terram; redemptores autem illius volentes eum alloqui, & congratulari ei, inuenerunt eum mortuum; quem cum maximo luctu reportantes, sepelierunt x. Kal. Octob. in sepulcro, quod sibi ipse parauerat. Nos luci redditum vidimus superioribus annis fortissimi martyris sepulcrum, solis characteribus, qui nomen Rotlandi exprimebant, insignitum, in fornice Sacelli diuæ Virginis, cui a gratia nomen est, in ædibus diui Honorati: patres vero diui Francisci de Paula repertos in arca cineres religiose conseruant, & sacellum vetustate collapsum, eleemosynis restauraruntur. Iam vero non video, quomodo historiæ lege seruata, Normanni excursiones in Arelatensem prouinciam fecerint, quod tamen in *Historia inuentionis sancti Ægidii* q) factum legitur anno Christi DCCCLIX. nisi forte Normanni Saraceni sint, & hanc ferocissimæ gentis vastitatem in hunc annum rejicias.

ROSTAGNVS I.

Rostagnus I. 870.

LXIV. ROstagnus, sanguine illustris anno DCCCLXX. Episcopatum adeptus; adiuit Concilium r) Pontigonense; interfuit s) Lingonienſi (quod Trecis conuocatum est, propter Ludouici Germaniæ Regis infirmitatem) & Ticinensi; t) excepitque Arelate Ioannem eo nomine octauum summum Pontificem, qui in Gallias tanquam ad asylum confugiebat, tyrannorum auaritia, & injuriis oppressus; ipso in cœlum ascensionis Christi die, Pontifex sacris operatus est Arelate & Rostagno concesit pallium, atque in Galliis præfecturam vicariam, quam suspicor (vt iam dixi) vacasse diutissime, propter varios bellorum motus, quibus agitata est non Prouincia modo; sed Gallia pene vniuersa. Pontificium accipe diploma.

Rostagno Arelatensi Archiepiscopo, Joannes Papa.

Iohannis Papæ Epistola.

Itaque u) *fraternitati tuæ vices nostras in Ecclesiis, quæ sub regno Galliarum sunt, juxta antiquum morem Deo auctore committimus, singulis quidem Metropolis, secundum priscam consuetudinem, proprio honore seruato. Pallium quoque concessimus, quo fraternitas tua decoretur: sicubi autem longius Episcoporum quispiam pergere forte voluerit, sine tuæ sanctitatis auctoritate, & ad loca alia transire, non liceat. Siqua vero inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur, atque decidatur: sin autem decidi nequiuerit, discussa veritate ad nostrum judicium referatur. Proh dolor! cum in Galliæ partibus essemus, inter cætera vnum valde prohibendum inuenimus: Metropolitæ, antequam pallium a sede Apostolica suscipiant, consecrationem facere præsumunt, quod antecessores nostri, & nos canonico decreto, ne fieret, interdiximus.*

Vnde fraternitatem Sanctam per Galliam, * *tuam*

o) Lib. 5. c. 23.
p) Ibidem.
q) Reperitur in Breuiario secundum vsum Abbatiæ S. Aegidii ad Rodanum.
r) Tom. 3. Concil. part. altera, celebratumque est anno 876. sub Ioanne 8.
s) Ibidem anno 878.
t) Ibidem anno 876.
u) Tom. 3. Concil. parte altera in Epist. Ioannis Papæ 8. Epist. est numero 93.

noſtram vicem tenentem hortamur: quatenus ſuper hoc ſolicitudinem habeas, & ne iſtud adoleat, auctoritate prohibeas; & vt ſecundum antiquum morem quærere feſtinent, moneas, incites, atque præcipias: & ſi ipſi obediant, nec ne, noſtro Apoſtolatui ſemper omnia renuncies, ſi poteſt in natiuitate Apoſtolorum aut per vos, aut per noſtrum Legatum aliquem, certis litteris intimare ne differas: omnipotens autem Deus ſua vos protectione cuſtodiat, honoremque perceptum vos in moribus ſeruare concedat. Dat. vt ſupra.

Præterea x) ſcripſit ad Reuerendiſſimos, & Sanctiſſimos Epiſcopos, & fratres per Gallias conſtitutos; is enim Epiſtolæ titulus eſt, eoſque certiores reddidit de vicaria in Roſtagnum poteſtate collata, his verbis, non enim integram Epiſtolam refero, eadem enim plane eſt cum ſuperiori, quam in Virgilio retuli, quæ incipit (ad hoc diuinæ diſpoſitionis) verba autem ſunt Ioannis Papæ. Idcirco opportunum eſſe proſpeximus, in Eccleſiis, quæ ſub regno Galliarum, ſecundum antiquam conſuetudinem ſunt, fratri noſtro Roſtagno Arelatenſis ciuitatis Epiſcopo, vices noſtras tribuere. Aliam etiam dedit, quam propter breuitatem hic referre placet.

Omnibus Venerabilibus Epiſcopis ſuffraganeis Coepiſcopi, & Confratris noſtri Roſtagni Arelatenſis,

Joannes Papa.

Ej. Epiſtola. *Notum* y) *ſit omnium ſanctitati, quia, Domino opitulante, perneceſſariam vniuerſalem Synodum ſumus celebraturi, ad quam mox vos prædictus Archiepiſcopus veſter, Apoſtolatus noſtri litteris conuocauerit, omni poſtpoſita occaſione, obedientia, vicino greſſu occurrere ſatagatis: quoniam (ſicut in communi conuentu, gratia Chriſti Duce) paternis parentibus iuſſis erit exaltatio; ita, quod non optamus, ſubtrahentibus ſe ab hoc magno collegio eſt ſubſecutura confuſio. Vniuerſalem ſumus celebraturi Synodum apud vrbem Lingonienſem ſexto nonas Iunias. Otteramo Archiep. Vien. Aureliano Archiep. Lugd. Rotberto Archiep. Aquenſi, Teutrando Archiep. Tarentaſ. Siquibodo Archiep. Narbon. Aribberto Archiep. Ebred. Data vt ſupra.*

Roſtagnus Burgundiæ Primas. Galliarum igitur Primatu auctus Roſtagnus, a Gallis, Arelate ad Boſonis gentem deuoluta Boſonem ipſum, eiuſque deinde filium Ludouicum vnxit in Reges Burgundiæ: tanquam totius regni Burgundici Primas; in z) tabulis enim coronationis Regis vtriusque, ſubſcripſit: ROSTAGNVS ARCHIEPISCOPVS ARELATENSIS BVRGVNDIÆ PRIMAS. Dictique ſunt Boſones Arelatenſes Reges, eo quod Arelate Regiam habuerint; ſed quomodo id contigerit, operæ pretium eſt explicare.

Solocrati, Arelatenſium Ducis, qui rebellionem Lothario fecerat, præfecturam adminiſtrauit Gerardus, alius plane ab illo, quem in Protaſio retulimus: at cum nullos limites imperandi libido agnoſcat, Carolus Francorum Rex, Ludouici Imperatoris, ſtrenuè contra Saracenos in Beneuentanorum agris dimicantis, regnum inuaſit, & in Gerardum aa) Principi fidiſſimum arma mouit, quem, Vienna Prætoria ad Rodanum armis ſubacta, in ordinem redegit. Boſo, Buuini Comitis filius (quem Ioannes Papa *dilectum filium, & glorioſum principem* appellat) Caroli Calui pene ſocius, Gerardo ſuffectus eſt. Continuo Ludouici affuere oratores, qui ereptum regnum repeterent, ni impetrarent, ſacro fulmine percuſſum denuntiarent; Carolus tamen Legatis auditis in ſententia perſtitit, diciturque ab incerto Pithoei authore Galliarum tyrannus. *Arelate Regia Burgundiæ.*

Sed noua rerum nouarum occaſio ſeſe obtulit. Ludouicus, Hermingarde filia ſuperſtite, ſine prole maſcula deceſſit. Carolus vt in Franciam Cæſarum nomen reportaret, deiectis e iugis Alpium Ludouici Germanorum Regis filiis, in Italiam aduolat, & a Ioanne ſummo Pontifice Auguſtus coronatur: vtque Italiam in fide officioque contineret, Boſonem, Iudithæ (vt vult Æmilius, bb) quam tamen alii Richildem dicunt) vxoris ſuæ Auguſtæ fratrem, Papienſibus Ducem dat, & illico in Franciam rediit.

Boſo vxorem, ſuam vaga venere famoſiſſimam, veneno ſuſtulerat; liber Hermengardam, Ludouici Imperatoris filiam, Berengario authore, vxorem duxit: quas nuptias æquo animo tuliſſe, aut certe diſſimulaſſe Carolum, coniicitur ex diplomate, cc) quo Carolus Boſonem charisſimum ſuum Italiæ Ducem, Miſſum, & Sacri Imperii Archiminiſtrum vocat. Cæterum Calui Caroli Imperium breuiſſimi temporis fuit, cum enim anno DCCCLXXVII. e Gallia in Italiam rediiſſet, ſupremum diem obiit 3. Kal. Octob. annum enim, ac diem Odorannus Senonenſis annotauit: additque Aymonius: dd) *In Italia expectabat Caluus Auguſtus primores regni ſui, Hugonem, Boſonem, duos Bernardos, alterum Aruernorum Comitem, alterum Gothiæ Marchionem, quos venire iuſſerat. Sed hi cum cæteris regni proceribus, exceptis paucis admodum, aduerſus conſpirarant, coniurarantque.* Febre tentatus Caluus hauſit in potione puluerem miſſum a Sedechia Iudæo medico ſuo, quem mire diligebat, cuique nimium fidei habebat. 877.

Ex his intelligi facile poteſt Regia Arelatenſium corona minime donatum fuiſſe Boſonem a Carolo Caluo Imperatore, quod Ioannes Papa, ee) defuncto Caluo ad Angelbergam imperatricem, Ludouici ſecundi vxorem, ſcribens, mirum in modum confirmat. *Ecce* (inquit) *Arelatem regni delitiarum veſtrarum ſa-*

x) Ibidem Epiſt. 95.
y) Ibidem Epiſt. 98.
z) Reperiuntur Boſonum coronationis tabulæ in annalibus Burgundiæ a Paradino editis.
aa) Aymonius Hiſt. Franc. lib. 5. c. 27.
bb) In Hiſtoria de rebus geſtis Francorum.
cc) Extat in monumentis Cœnobii D. Benigni Diuion.
dd) Hiſt. Franc. lib. 5. c. 35.
ee) Tom. 3. Concil. part. altera Binii Epiſt. 92.

ni intrauimus, summo arbitro permittente, per interceſſionem Apoſtolorum principum. Illicque Boſonem principem generum veſtrum communem, filiam Dominam Hermengardam alloquentes, omnia proſpera, & ingiter deſiderata inuenimus, & pro amore veſtro, veſtri nuper, & piiſſimi coniugis, illos tanquam filios amplectentes, pro eorum conſulto, illorum cuin honore cuncta faciemus. Quis vero credat, Pontificem Regium illi nomen denegaſſe, ſi Rex fuiſſet Boſo? Accedit etiam ad huius aſſertionis confirmationem incertus Pithoei ff) author, qui ea ætate vixit, qui Boſonem adhuc Comitem
878. anno DCCCLXXIIX. dicit. *Memoratus autem* (inquit) *Pontifex* (Ioannes ſcilicet) *conſcenſis nauibus per mare Tyrrenum, regnum Caroli intrauit, ibique pene per totum moratus eſt annum. Tandem aſſumpto Boſone Comite, qui propria vxore veneno extincta, filiam Hludouici Imperatoris de Italia per vim rapuerat, cum magna ambitione in Italiam rediit.* Argumentum vero omni exceptione maius, & quod omnes ſcriptores, qui de Regio Boſonis ſolio, Calui munificentia erecto, litteris mandarunt, arguit mendacii, ex gg) tabula electionis in Burgundiæ Regem elicitur: Ludouico enim Calui filio e viuis ſublato vxore grauia immortales agebant inimicitias Francorum proceres, inuiſa etiam permultis erat Calui memoria: e re ſua igitur credidit Boſo, Ludouico & Carlomanno ex pellice Ludouici Balbi filiis Regium nomen inuadentibus, Regem Burgundiæ ſe dici; vxorio etiam iure, quidquid Rodano, Arari, & Alpibus continebatur, ſuum prætendebat.

Boſo fit Rex Burg. Boſo igitur Regiis inſignibus apud Mantalam ornatur, ſacraturque, & Burgundiæ non
879. Arelatenſium Rex declaratur anno DCCCLXXIX. Id. Octob. Cur ergo Arelatenſium Rex ab omnibus vulgo iactatur? cauſam tradit Æmilius: hh) *Ludouicus, Carolomannuſque, Balbi ex pellice filii, Regium nomen inuadunt præclaraque initio facinora aduerſus Normannos piratas edidere, & Boſonem eiusque filium Ludouicum Prouinciæ finibus continere ſe cogunt.* Fuſius rem explicat Vignerius ii) ex annalibus, & Aymonio: *Ludouico Francorum Rege mortuo, Carolomannus totius Regni Gallici fit moderator. Qui cum hac de cauſa ab obſidione Viennæ reuocatus eſſet, ei tamen abſenti deditione reddita eſt menſe Septembri, & vxor filiaque Boſonis in Comitatum Auguſtodunenſem a Richardo eius fratre abductæ.*

Interim Boſo licet Vienna, totaque Burgundia, quæ eſt cis Ararim, deiectus, principatum tamen in cæteris Allobrogibus, & in Prouincia Arelatenſi, quæ pars fuit Burgundiæ, adhuc retinuiſſe certum eſt: quamuis an in Transiurenſibus etiam, non adeo notum ſit: vnde Regis Arelatenſis nomine, quam Burgundiæ celebratior fuit; tantumque induſtria & viribus potuit, vt nunquam Regio nomine abrogato, in poſteros illud transmiſerit, & Arelate, quæ Gothorum fœdere, Iuſtiniani indulgentia, Caroli Martelli & Caroli Magni armis, Gallici iuris fuerat, Boſonum deinceps erit, Franco minime reclamante: illum enim in gratiam recepit Carolus Craſſus, qui conuentum habebat (vt author eſt Vignerius kk) apud Vaugiones, modo regni Francorum fiduciarius diceretur. Chartam illius habemus in Archiuis noſtris, qua Lotharii & Ludouici ſecundi Imperatorum conceſſiones Eccleſiæ Arelatenſi factas confirmat, ſubſcribitque hoc modo: *Boſo ſereniſſimus Rex.* ll)

Porro deceſſit Rex Boſo decimo regni anno, ex Paradino. mm) Verum ex nn) epigraphe ſepulcrali, quæ Viennæ ad Rodanum legitur, octauus regni annus tantum numeratur, Ludouico Boſone filio ex Emengarda oo) ſuperſtite.

Regis in hoc tumulo requieſcunt membra Bozonis.
Hic pius & largus fuit, audax, ope benignus,
Sancti Mauricii caput aſt circundedit auro,
Ornauit gemmis claris ſuper atque coronam
Impoſuit totam gemmis, auroque nitentem.
Huic dum vita fuit, bona dum valitudo maneret,
Munera multa dedit, patrono carmine digno,
Vrbibus in multis deuoto pectore magna
Contulit, & Sanctis pro Chriſti nomine dona.
Stephane prime tibi ſceptrum diadema parauit
Lugduni proprium rutilat, velut hic nicommus.
Sol quamuis hunc plures voluiſſent perdere Reges,
Occidit nullus: ſed vno pene refertus,
Hoc linquens obiit, Chriſti cum ſanguine, regnum.
Quem Deus ipſe potens, cœli qui climata finxit,
Cœtibus angelicis iungat per ſecula cuncta.
Obiit 3. idus Ianuarii octauo anno regni ſui.

Illius cineribus, vt etiam Epigraphe, gloriantur Viennenſes. pp) Maſſonus tamen Caroli loco ſepultum indicat. *Caroli autem locus* (inquit) *ſitus eſt in valle nigra, hac enim nomen illi fuit, cum antiquitus proceris arboribus ſylua admodum opaca, ac denſa tegeretur, quibus poſtea exciſis a Boſone Comite Prouinciæ, & Caroli Calui pene ſocio:* adeo enim eum diligebat, vt ab ipſo loco hoſpitale B. Fortunati, qui nunc Prioratus appellatur, exædificari cœ-

ff) In Chron.
gg) Extant apud Paradinum in Burgundiæ annalibus lib. 1. in Boſone.
hh) in Hiſtoria Franc.
ii) in Burgun. chron. anno 881.
kk) in Burgun. chron.
ll) Authenticum Capitulare fol. 1.
mm) in Burgun. annalibus in Boſone.
nn) in Bibliotheca Floriacenſi parte vlt.
oo) Varie ſcribitur Emengarda, vt notauimus in Epiſt. ad Lectorem.
pp) in deſcriptione fluminum Galliæ.

ptus sit, vbi ad alterum latus chori sub lapide formam crucis habente longitudinis & latitudinis eximiæ Boso conditus iacet. Caroli vero locum dictum esse ab ipso Bosone existimo, cui nomen erat Carolus: lustricus enim parens filii Calui ex Richilde Carolum dixit, apud Aymonium qq) Filiam suscepit ex Ermengarda, quæ Carolomanno nupsit.

Boso dictus Carolus.

Ludouicus licet paternam hæreditatem solus adierit, non tamen illico Rex est acclamatus: imo vt pater, Stephani Papæ, Arnulphi Imperatoris, Ermengardis parentis, & aliorum Burgundiæ præsulum, & procerum votis, non successione, sed electione Rex est inauguratus: supersunt enim coronationis eius tabulæ, rr) in quibus id non tantum recitatur; imo causa, & necessitas illius electionis declaratur. Normannii nempe, & Saraceni vastitatem Galliæ inferebant, & stirpe Caroli Magni obsolescente, sperabatur sub hoc principe posse iterum Gallorum vires reflorescere. Rostagnus noster coronationi interfuit, fauetque sententiæ nostræ, Bosonem, videlicet a
892. Carolo Caluo non fuisse Regio diademate insignitum Ludouico electo; si enim hæreditario iure paternam adiuisset hæreditatem Ludouicus, cur electione opus erat? cur, Normannorum excursiones inquirendæ? quare principum, regnique procerum vota adeunda?

Vbi regium thronum conscendit Ludouicus, Concilium ss) Viennæ indixit, cui, Ioannes, & Paschalis summi Pontificis Legati, interfuere. In illo sancíti Canones, vt ab iniusta Ecclesiasticarum rerum abstinerent sæculares inuasione, sub sacræ potestatis denuntiatione: irrito deinde conatu Rodulphum Iurensis Burgundiæ Regem bello lacessiuit; Italiam vero bellicorum tumultuum frequentia turbatam, & audita Arnulphi, & Widonis morte procerum Italiæ desideriis expetitus, meditatus est. Ticinensium Dux pater fuerat & maternus auus tulerat Augusti nomen: in Italiam igi-
900. tur transcendit, & vbi aliquando cum Berengario bellum gessit, peruicit, Augustique nomen obtinuit. *Inter Ludouicum* (ait Luitprandus tt) *& Berengarium in Italia plurimæ congressiones fiunt. Nouissime Ludouicus Berengarium fugat, Romam ingreditur, vbi a summo Pontifice coronatus, Imperator appellatur;* sed reparato exercitu, nouoque suppleto milite, in Italiam aduolat Berengarius, & Veronæ uu) circumuentum Ludouicum in deditionem accipit: testis est Vignerius, xx) his verbis: *Ludouicus Veronæ a Berengario circumuentus cum abdicasset, oculis simul & regno priuatus est mense Augusto, anno sui regni in Italia V.* Hoc oppressus calamitate domum rediit, orbique nomen tulit, Regia illius Vienna Prætoria. Ex Edgiua, Eduardi Angliæ Regis filia, Carolum Constantinum suscepit. Arelate vero præfectis suberat: gesta enim nostra publica Ludouico orbo Rege, & Imperatore adnotantur: sufficiat igitur infelicissimi principis casum explorasse, & ad exitum felicissimum Rostagni, quem lego in autographo nostro Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ Antistitem magnificum, descendat oratio.

Primas Rostagnus Narbonem Martium se A contulit, vt Agium intrusum sede pelleret, eique (populo & clero inuitis) Geraldum, qui Hugoni, filio Bertæ, Senatricis & Ecclesiæ Romanæ dispositricis, a sacerdote erat, substitueret. Agitata fuit ea lis annos plures, donec per Ioannem decimum, qui sedit anno DCCCCXII. extincta fuit, nempe ex manuscripto Codice Narbonensi, yy) quem Reuerendi patris *Roole*, Benedictinorum patrum apud Tholosam præpositi religiosissimi, æque doctissimi, beneficio nactus sum, docemur, Ioannem decimum litteras ad Rostagnum Arelatensem Agii exauctorandi causa direxisse. Quocirca licet prima olim mihi sententia fuerit, Rostagnum anno decimo supra nongentesimum: B secunda tamen est sententia, decimo tantum tertio e viuis excessisse.

MANASSES.

LXV. MAnasses, Regi Burgundorum seu Arelatensium sanguine coniunctissimus, non præsulis tantum; imo etiam egregii & intrepidi militis partes egit. Etenim ab 914. Hugone propinquo & benefactore ad Berengarium deficiens, armatus semper incessit, a Ludouico Bosone Rege Arelates & Burgundiæ, Romanorumque Imperatore, diploma obtinuit, zz) quo antiqua Ecclesiæ iura renouantur, & inter alia, *Abbatias* (inquit Ludouicus) C *Anianam, Sanctæ Mariæ de Gordianicis, atque de Crudatis cum omnibus appenditiis earum, portum etiam Arelatensem, tam ex Græcis, quam ex aliis aduenientibus, nec non & Toloneum* a) *simul cum moneta ad ius & proprietatem Ecclesiæ Sancti Stephanii omni tempore teneat, & possideat, & in suos proprios vsus, quicquid facere voluerit, faciat, nemine contradicente. Insuper & omnes res, quas antecessor suus ab antecessore meo obtinuit, scilicet Iudæos, præfata Ecclesia perpetuo iure obtineat.* His subscripsit *Viennæ* XX. *Imperii anno Ludouicus serenissimus Augustus*, legiturque in autographo b) nostro Capitulari concessio prædii clientelaris in vtilitatem Rotbaldi, quæ annum D Imperii eiusdem notat trigesimum tertium. Hoc vero dixi, quia inprimis temporis ratio habenda est, vt veritas firma consistat, quæ temporum inconstantia nutat: omnes enim scriptores illum volunt luminibus, vita, & regno priuatum; aut saltem vnum aut alterum superuixisse annum; ego in plures ærumnosam

Manasses.

qq) In Hist. Franc. lib. 5. cap. 39.
rr) Apud Paradinum in Annalibus Burgundiæ in Ludouico Bosone.
ss) Refert Baronius in Annal. anno 892. ex Massoni Cod. n. 12.
tt) Lib. 1. c. 10.
uu) Regino in Chronic. anno 904.
xx) In Burgun. Chron.
yy) Codex illo est Archiep. Narbonensium index.
zz) Extat apud authenticum Capituli fol. 1.
a) Telonium.
b) fol. 60.

luctuo-

luctuosamque vitam perduxisse, ex chartis nostris. Nec plura apud Historiæ scriptores de Bosonum familia: ex quo aut odium Francorum in ipsos Bosones propter Arelatem occupatam colligere est, vel certe verissimum esse Vellei Paterculi verbum: a) *Quemadmodum vrbium imperiorumque; ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire.*

Hugo præfectus Arelat.

Hugo Bertæ, Lotharii, qui Austrasiis Lotharingum nomen dedit, ex Valdrada pellice, Theobaldo, Hugonis Lotharingici, magistro militum patre, præfectus erat Arelatensium, & Ludouico Bosone Augusto orbo, & Carolo Constantino eius filio, liberis destituto, Prouinciam supremo iure, licet fiduciario, vt iam diximus, administrasse visus est, & in posteros transmisit; *Viennensis* Frodoardo, b) membranis nostris *Comes, Marchio, condux* dicitur: sed Hugonis Arelatensis nomine notior: non Arelate solum, verum etiam Viennæ præfuisse, annales Rhemenses testantur. Vir magni animi: Hungaris enim Galliæ Cisalpinæ cladem inferentibus, occurrit; & de illis insignem victoriam reportauit. *His expletis*, ait Frodoardus d) *Hungari perabrupta transcuntes Alpium iuga venerunt in Galliam, quos Rodulphus Cisalpinæ Galliæ Rex, & Hugo Viennensis inter angustias collium Alpinorum claudunt; vnde in primo loco, per deuia montis euadentes Gothiam impetunt, quos insequentes prædicti duces sternunt ex eis, quos reperire potuerunt.* Lugubrem & deplorandam huius cladis memoriam habes in *inuentione* e) *corporis Sancti Ægidii*, quæ tamen in eo titubat, quod velit accidisse anno DCDXXV. cum Frodoardus, accuratissimus illius ætatis scriptor, in annum XXIV. reiiciat. Verba sunt authographi. *Post hæc etiam anno nongentesimo vicesimo quinto incarnationis Domini cum præerat huic monasterio* (Sancti scilicet Ægidii ad Rodanum) *Domnus Antulphus Abbas, gens Vngarorum, quæ & Hunni olim vocabantur, egressa de finibus Pannoniæ, cum pertransisset deuastando terminos Italiæ, quasi torrens raptim in conuallibus diffusa est, & hanc Prouinciam Narbonensem longe lateque depopulata est.*

Hugo fit Rex Italiæ.

Sed Hugo & Manasses, sorte minime contenti, in Italiam transcenderunt, iste multas violaturus & laceraturus Ecclesias, quippe qui Mantuanam, Tridentinam, & Veronensem non in vsum, sed in escam, Luitprando f) teste, accepit Ecclesias: ille vero Italiæ vt vacuæ possessioni spe Imperii incubaturus, quod Burgundiæ seu Arelates regibus Italiam Augustumque nomen deberi diceret, Gallis, Germanisque, ac Italis de Imperio decertantibus: nec inani vterque spe, Manasses enim, authore tandem Hugone Arelatensium Comite, & Italiæ Rege, atque fauente Berengario, qui suas Manassem in partes adducere contendebat, factus est Præful g) Mediolanensis: in Hugonem vero omnium Italorum vota conuenere. *Cumque* h) (inquit) *eodem peruenisset* (Pisas Tusciæ intelligit) *quo Hugo nauigio delatus fuerat, affuit Romani Papæ* (Ioannis scilicet Rauennatis) *nuntius. Affuerunt etiam omnes pene Italicenses Nuntii, qui hunc, vt super eos regnaret, inuitabant.* His autem, vt erat longo nempore hæc cupiens, percitus venit Papiam, cunctisque conuenientibus regnum suscepit. Validio deinde subnixus exercitu, Rodulphum Galliæ Cisalpinæ Regem tota Italia abscedere compulit. *Hugo* (inquit Frodoardus i) *filius Bertæ, Rex Romæ super Italiam constituitur, expulso Rudulpho Cisalpinæ Galliæ Rege, qui regnum illud peruaserat.* 926.

Itali vero non diu in officio perseuerarunt; imo nouis conditionibus, nouisque pactis fœderibus Rodulphum reuocant, quo cognito Hugo rerum agendarum peritissimus maturius occurrendum esse statuit. Id diserte tradit Æmilius; k) *Ac* (inquit) *vt Rodulphum, quem mox mutatis animis reuocari ab aduersa factione compertum habebat, ab illis consiliis penitus auerteret, cui bello imparem se opibusque sciebat: ita vt* l) *fœdere, quicquid ipse in Gallia vrbium finiumque obtinebat, ei tradidit iureiurando adacto, in Italiam deinceps non ducturum se.* Fœderis leges exprimit Delbene, m) quas apud illum vide, hac excepta, quæ nos respicit. *Denique quicquid in tota prouincia* (ait) *quæ in confinio Rodani est, excepto comitatu Arelatis, quem ad vitam duntaxat sibi reseruabit:* quæ tamen conditio stare & cohærere cum subsequentibus minime potest, comitatus enim Prouinciæ & Arelates iure hereditario ad Berthiam Hugonis neptem peruenit. 927.

Adeptum tot laboribus Italiæ regnum maioribus præliis sustinere coactus est, quod tandem in tantis rerum fluctibus anno DCDXLV. fortunam secundam aduersamque expertus dereliquit, non sponte, sed Italis pellentibus. *Hugo*, inquit Frodoardus, n) *Rex Italiæ regno depulsus a suis, & filius ipsius in regnum susceptus est.* Relicto igitur in Italia filio, qui quinto abhinc anno decessit, vt notat Leo o) Ost. *Lotharius, post annos ferme quatuor* (inquit) *in phrænesim subitam incidens, diem clausit extremum, ipseque deinceps in Italia regnandi Francorum regibus terminum dedit.* Annos numerat tantum quatuor, quia Hugo in Italia remansit per annum fere integrum, vt cum filio Rex esse posset. *Hugo Italia pulsus.* 945.

Porro Lotharius sine liberis masculis, Emma filia superstite, quæ ex Flodoard. Lotharii Francorum Regi nupsit, decessit; vxorem habebat Adeleidem, Rodulphi Burgundiæ Regis filiam. Relicto (inquam) Lothario filio in Italia, in Prouinciam descendit Hugo, Leone p) teste. *Ipse Hugo* (Leonis Ostiensis ver-

a) Lib. 2. hist.
b) In Chronico.
c) In Chron. anno 924.
d) Ex breuiario secundum vsum Abbatiæ S. Ægidii ad Rodanum.
e) Lib. 4. cap. 1 2. 3.
f) Ibidem lib. 5. c. 7. & 13.
g) Ibidem lib. 3. c. 4. in fin.
h) In chron.
i) Historia de rebus gestis Francorum.
k) Luitprand. lib. 3. c. 13. & Vignerius in Burgund. Chron.
l) Lib. 2. de regno Burg. transiuran. & Arelatis.
m) in Chron.
n) in Chron. Casin. lib. 1. cap. 64.
o) Ibidem.

ba sunt) *cum omni thesauro suo in Burgundiam**) *properans monasterium illic permagnificum construxit sumptibus propriis, quod sub tit. Sancti Petri appellari voluit, ibique omnibus traditis ipse monachus effectus est, Bertha nepte, Bosonis vidua, opum suarum hærede dicta.*

At inextricabiles sese hic offerunt difficultates, cui videlicet nupserit Bertha, vnde Prouinciæ Comites, vel certe, si Conradum Burgundiæ Regem ex fœdere cum Rodulpho icto, Arelates agnouerit, qui fuerint illius præfecti: quas cum soluendas in Manassis successorem reiicio, explorare placet, quid Manassi nostro acciderit; Hugone & Lothario de medio sublatis, quod nos docebit Luitprandus. p) *Hæc dum Romani Legati* (inquit) *conquerentur, vir venerabilis Walbertus Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, semiuiuus ex supradictorum rabie Berengarii atque Adelberti liberatus, superius memorati Ottonis potentiam adiit, indicans se non posse pati Berengarii, Adelbertique, nec non Willæ sæuitiam, quæ Manassem Arelatensem Episcopum contra jus fasque Mediolanensis Ecclesiæ sedi præfecerat.* Aiebat sane hanc Ecclesiæ suæ calamitatem, quæ quod se suosque capere oporteret, interciperet: ex his tamen non constat, qualem exitum vir habuerit. Dux igitur & præsul congestas (si coniecturæ sit locus) dignitates omnes dereliquit anno salutis DCDLXII. habuitque successorem Yterium.

962

YTERIVS.

Yterius. LXVI. YTerius deploratissimam Manassis absentia sedem occupauit, totusque incubuit, vt Ecclesiæ res a Principibus occupatas, recuperaret: eaque de causa ad Ioannem decimum tertium scripsit, qui r) Sacro fulmine injustos possessores percutiens in hæc exclamat verba: *Doleo itaque & vehementissime tristor super tanti sceleris causa, quæ a multorum hominum ore creberrime nostris conspectibus diffamatur: quia Primas Arelatensis Ecclesiæ, quæ principatum & caput obtinet cæterarum Ecclesiarum, secunda a Romana sede, multimodis lacerationibus euiscerata iacet, & conculcatam fore audiuimus in ea Prophetæ sententiam dicentis:* sedet in tristitia domina gentium.

Impar vero Yterius, s) vt ea, quæ ruinam meditabantur, solus restauraret, castrum Sancti Hippolyti Theucindæ concessit in fundum vectigalem; ea lege, vt redhibitorium esset ea defuncta. Enodandas tamen superius allatas difficultates nos admonet eadem Theucinda, quæ cum insulam Montis maioris a Manasse accepisset, vt a rerum ciuilium perturbatione immunis degeret: eam Moringio Abbati habitandam dedit, Conrado Rege regnante & Guillelmo Comite rem gestam probante anno Christi DCDLXXVII. Quæ subscriptio difficillimum quæstionis nodum soluit. Certum enim indubitatumque est, Conradum Burgundiæ Regem, Hugone Italiæ Rege defuncto, vacuam Prouinciæ Arelatensis possessionem regiumque Arelatensium nomen, vt Bosonem gessisse: quod chartæ nostræ, & reliqui Conradi hæredes testantur. Stat etiam ex eodem datario, Guillelmum Comitem præcipuo jure vsum, licet forte fiduciario: cum illius consensus in rerum Ecclesiasticarum alienatione fuerit necessarius. 977

Conradus Rex Burg.

Guillelmus Comes quis?

At quis fuit iste Guillelmus noster? Coniicit Chesnius, t) asseritque, ex Bertha Hugonis nepte, & Raymundo Tholosatium Comite procreatum. Nuptias enim Raymundum contraxisse cum Bertha, Luitprandus, u) illius ætatis scriptor, testatur, his verbis: *Quoniam quidem vocante Domino Hugo Rex breui est viam vniuersæ carnis ingressus, Berthæ nepti suæ Bosonis Arelatensis Comitis viduæ pecunia derelicta, quam etiam breui spatio intercedente memoratus Raymundus impudentissimæ gentis princeps impurior sibi maritam fecerat, cuius non solum concubitu, verum etiam osculo indignum elegantes formarum inspectores eum esse confirmant.* Nihilominus ex chartis nostris ante Guillelmum conuincitur, x) Bosonem Comitem Arelatensibus Regulum Folcoara vxore præfuisse. Quicquid sit, Yterio moriente anno DCDLXXIIX. Guillelmus, Folcoaræ, aut Berthæ ex Bosone & Raymundo filius, Arelatensium Regulus Prouinciam, sub Conrado Burgundiæ & Arelatensium Rege administrabat. 978

ANNO, SEV ANNONVS.

Anno. LXVII. ANno Archimandrita, & Archiepiscopus dictus est, ex Autographo nostro. Abbatiam instituit in pago Phocensi, quam monachis Sancti Benedicti administrandam commisit, y). Paccone seu Paccione (Canonicis approbantibus) primo Abbate declarato. Reliqua illius gesta periere: nec his ampliora leguntur in membranis nostris, excepto Guillelmi Comitis testamento in fauorem monasterii Virginum Sancti Cæsarii condito, quod quia plurima, quæ ad historiam veritatis fulcris stabiliendam pertinent, lacerum licet, & exæsum, continet, exscribo 987

Testamentum Guilelmi Comitis.

Guilielmi Testam. z) *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Anno Incarnationis Iesu Christi Domini* DCDXCII. *Dominus Princeps & Marchio istius Prouinciæ bonæ indolis VVillelmus coniuge sua nomine Adalaix, & filio suo nomine VVillelmo veniens in monasterio Virginum infra mu-*

*) Prouinciam.
q) Lib. 6. c. 6.
r) Extat apud Authenticum Capituli fol. 2.
s) Ibidem fol. 6.
t) in Historia Regum, Ducum & Comitum Burgundiæ & Arelates lib. 4.
u) Lib. 5. cap. 14.
x) Huius Bosonis & Follcaræ charta legitur in Autographo Capitulari fol. 13.
y) Extat in archiuo Virginum S. Cæsarii Arelat.
z) in Thesauro monasterii Montis maioris.

ros . . . . . in honore Sancti Ioannis Baptistæ cum reliquis Ecclesiis Sancti Petri . . . . . scilicet in die, qua ordinauit Dominam Abbatissam . . . . . quoque sacræ Virgines simul obnixe petierunt illi Domino . . . . . quod iuuamen præstaret & ex Villis, quas Domnus Cæsarius . . . . . illas eis redderet, qui libenti animo promisit se facturum. . . Consilio autem . . . . . Ecclesiam Sanctæ Mariæ, quæ est fundata in loco maritimo vbi nuncupatur . . . . . reædificandi locum scilicet . . . . . & animæ suæ & coniugi eius & vt Dominus saluaret eis prolem, qui & ipse illic affuit & simul eam illis reddidit. Si quis vero, quod absit, ea repetere voluerit & auferre a loco supradicto non valeat vendicare quod repetit, sed excommunicatus remaneat a Domino scilicet omnipotenti & omnium simul sanctorum maledictus in æternum nisi ad satisfactionem venerit & ea reliquerit & amplius reddiderit.

Factum hoc testamentum in ipso monasterio per præceptum Domini VVillelmi Principis consentiente coniuge eius simul cum filio in præsenti adstante Domno Annone Archiepiscopo, qui voluerunt & firmauerunt simul cum Canonicis. Domnus Rotbaldus Comes voluit atque firmauit, Stephanus Episcopus F. *Fragico* F. *Pontius* F. *Maiolus* F. *Vigo* F. *Pontius Episcopus* F. *alius Pontius Arcb.* F. *Vdolricus Episcop.* F. *VVillelmus Vicecomes.* F. *Caballerius* F. *Vmbertus* F. *Aycardus* F. *Theubaldus* F. *Laldradus* F. *Riquelinus* F. *VVillelmus Comes filius Rotbaldi & vxor Suaduleia. VVillelmus Comes Tholosanus & vxor sua Ema.* F. *Bertrandus & Fulco fratres firmauerunt, VVillelmus Vicecomes* F. *Franco.* F. *Theubaldus* F. *Amelius presb.* F. *Matfredus* F. *Lambertus* F. *Arelas presb.* F. *Marcellinus* F. *Durantus* F. *Pacio* F. *Ingoald.* F. *Ingilras* F. *Odilus* F. *Azemb.* F. *Gaufred.* F.

AMELIVS *presbyter scripsit & firmauit.*

Nobilis hæc tot procerum corona lapis est lydius, vt historiæ veritas ratione temporis subnixa confirmetur. In primis illud notatu dignum est, actuarios solitos fuisse in gestis publicis VVillelmi nomen apponere, quem etiam non solum Comitem, imo principem dicebant: liquido etiam constat, Rotbaldum cum VVillelmo Comitatus honore donatum, quem VVillelmi Comitis fratrem indicat honoraria aa) sententia, in qua de paludibus & aquis stagnantibus cœnobii montis maioris agebatur, exorta inter Archiepiscopum Arelatis, & Abbatem lite: Abbas enim eas decessoribus suis concessas prætendebat. *Cum consilio* (verba sunt autographi Abbatialis) *Guillelmi Comitis & fratris sui Rotbaldi.* Nec infi- *Forcalquerii Comitum origo.* cias eo, ab hoc Rotbaldo Forcalquerii Comites Originem traxisse: nec enim tam quærendum, quam veri sint populi in tradenda principum suorum origine. Quid hoc VVillelmi nomine illa ætate incertius? Aquitani Principes, Burgundiæ Comites, Tholosani, & nostri VVillelmi nomen gerebant: Vicecomites huic testamento subscripti VVillelmi sunt, illosque Balthii, & Arausionenses principes authores agnoscunt.

Nodus supersest enodandus, quo nomine dicta fuerit vxor VVillelmi, quæ licet alibi Blanca, Gothofredi Andium Comitis filia, dicta sit, cognomen esse demonstratur; nomen enim est Adelaix, quod etiam bb) Chesnius aduertit. *Wilhelmi uxor quæ?*

Ceterum secundo ab hoc anno nempe DCCC- 994
XCIV. Conradus Iurensis Burgundiæ seu Galliæ Cisalpinæ Rex obiit, vnico filio, vt ait Vignerius, cc) quem ex Mathilde coniuge susceperat (quæ Lotharii Franciæ Regis soror fuerat) superstite, nomine Rodulpho: at licet illum defunctum velit Vignerius anno DCCXC. Thomassinus dd) Gratianopolitanarum rationum præses DCCXCIV. in M. S. Codice asserit fuisse obitus diem; *Alemannorum & Prouinciarum Rex* in Archiuiis ee) nostris legitur; licet parum sub illius imperio ex iam allatis VVillelmus fuerit, certumque est, Annonem ad hunc vsque annum (si non vltra) vitæ fines produxisse.

VDO.

LXIIX. VDo Rodulphi (cui Hermannus Con- *Vdo.*
tractus ff) ignaui cognomen adscribit) Burgundionum Regis ex pellice filius & (si VVolfgango Lazio gg) credimus) nostris annumerandus est Antistitibus: nulla tamen illius extat memoria tum in serie, & tabula Episcoporum, tum in Archiuiis Ecclesiæ: verum ex allatis sedit ad annum vsque DCCXCVII. 997
vt aliquod successori spatium relinquatur.

AMALRICVS.

LXIX. AMalricus ex gestis, publicis ciuis, *Amalricus.*
& ex Canonico, vt coniicio, Episcopus Arelatensis, nescio quo fato perierat in Archiuio nostro, nisi a me fuisset inuentus in nobili monumento. Tympanum est æneum (seu campana) magnitudinis & antiquitatis eximiæ, iisdem, quibus sepulchrum Sanctæ Agathæ verbis inscriptum. MENTEM SANCTAM, SPONTANEAM VOLVNTATEM, ET PATRIÆ LIBERATIONEM AMALRICVS ARCHIEPISCOPVS ME FECIT FIERI, ANNO MILLESIMO. Peruenit (si Arelate sederit) ad annum MV. successoris enim acta & gesta ab anno MVI. incipiunt. 1005

aa) Thesauro monasterii montis Maioris.
bb) In historia regum Burgund. & Arel. lib. 4. tabula Comitum Arel.
cc) In Burgund. chron.
dd) M. S. Codex legitur in Archiuiis Senatus Gratianopolitani.
ee) Authentic. Capitulare fol. 13.
ff) In histor. transm. gen.
gg) In Chron.

PONTIVS.

Pontius.

LXX. POntius ex nobili prosapia Dominorum de Marignana ad stagnum Marticense, castrum Sancti Hippolyti, quod a
1008 Theucinda receptum Franconi patri suo precario iure concesserat, Canonicis Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ restituit decreto Ioannis Papæ Fasani cognomento. Chirographi gg) exemplaris hæc est subscriptio: *Facta hæc guirpitio in Arelatensi ciuitate publice in mense Ian. xii. Kal. Feb. Signum Domni Pontii Archiepiscopi, qui hanc cartulam scribere & firmare rogauit, manu firmat, Willelmus Comes firmat, Rotbaldus Comes firmat, Adalaixia Comitissa firmat.*

Willelmi liberi.

Porro Willelmus Adalaide vxore seu Adalaixia vel Adelide Willelmum, Constantiam, Hermengardem, & Adelmodiam suscepit: illa Roberto Francorum Regi nupsit, Hermengardes Aruernorum Comiti, Adelmodia binas nuptias celebrauit, primas cum Bosone Comite de la Marche, secundas cum Guillelmo Pictauiensi. Florentibus in dies rebus monasticam vitam professus est. Id Maioli celebris sanctitate Abbatis suasionibus factum indicat Odilus, hh) *qua*, inquit ille, *Maiolum veneratione prosequutus sit Willelmus Prouinciæ Gubernator, & vita & exitus illius ostendit; quippe qui per Sancti viri merita, & fida obsequia Beati Benedicti habitum induere meruit.* Hic ille est Maiolus, qui testamento Willelmi subscripsit, Cluniacensis Abbas, vir admirandæ sanctitatis. Egregia vero Willelmi nostri Sanctitas innotescit in manuscripto Codice Chesnii, ii) qui narrat, crebra miracula ad sepulchra eius fieri solita, quæ re vera illum ad cœlum scandisse demonstrant.

Subsequutis annis, quod bona monasteriorum ab omnibus publice diriperentur, miserandoque essent in statu Ecclesiæ, & Galliarum cœnobia, monitus fuit Pontius a Benedicto octauo cum aliis regni Burgundici Præsulibus, vt laicos cogerent ad bonorum monasterii Cluniacensis restitutionem: inter quos Principes Adalaix, Willelmi nostri Prouinciæ Comitis mater, & Gerberga, eius nurus, & Hugo de monte Pauone, vel Hugo de Balthio adnumerantur. Hoc diploma authore Roberto Rege, dum Romæ esset, a Benedicto octauo concessum, narrat Chesnius: kk) aliter sentit Æmilius. ll) *Rex* (inquit) Robertus scilicet anno *salutis millesimo* religionis causa *in vrbem Romam profectus est.* Atqui anno mil-
1013 lesimo Romæ sedebat Sylvester secundus, non Benedictus octauus: Apostolicum tamen hoc præceptum assertam a me superius Historiæ veritatem multis argumentis confirmat, cum de Origine Vicecomitum Massilienſium, qui Balthii erant, tum de Willelmis nostris, quorum secundus Gerbergæ nupserat, vt indicat Glaber. mm) *Willelmus* (inquit) *Henrici Ducis priuignus, Adelberti Longobardorum Ducis filius, Roberto Regi aliquando rebellis extitit, fauente ei Landrico Niuerni Comite, qui eius filiam vxorem duxerat, & Brunone Lingonensi Episcopo, cuius habebat in matrimonio sororem: ex qua suscepit filios & filias: de quibus prius natum Landricum, filias vterque, Willelmus scilicet Pictauiensis & Arelatensis, duxere vxores.* Nomen non exprimit Glaber; indicat Benedicti bulla, confirmatque charta, nn) qua Eldebertus municipium Logodinicum in agro San-Remigiano situm monachis Montis maioris condonat, cui subscripsere Willelmus Comes, & vxor eius Girberga.

Existimat Chesnius, oo) Willelmum secundum e vestigio patrem insequutum, & Sanctitate insignem; imo miraculis celebrem, eodem manuscripto codice teste, animam inter monachos monachum exhalasse: cuius sententiæ licet libenter darem manus, argumentum tamen in contrarium elicitur ex Thesauro monasterii Montis maioris, continetque gesta, dignitatem, & obitum. Anno pp) ab incarnatione Christi MXVII. fuit inchoata Basilica Montis maioris in honore Sanctæ Mariæ 1017
matris Domini, seu omnium sanctorum indictione decima * quarta dictarum 3. Kal. Iun. feria quarta, regnante Roberto Rege: in tertio anno fundationis huius Basilicæ obiit Willelmus inclytus Comes Adelaydis, & honorifice sepultus est in fundamento huius Ecclesiæ. Ex Gerberga Odonem suscepisse, authores sunt, qui historiam Prouinciæ Romanorum scripserunt; sed quo authore, mihi incompertum est, si enim ab aliquo lucem mutuare debet historia, quæ adhuc densissimis in tenebris versatur, id non ab alio esse debet quam ab Archiuio Ecclesiæ, aut vrbis Arelatensis, quæ Primaria & Princeps ea ætate erat totius prouinciæ: at Willelmo secundo e viuis sublato membranæ nostræ Gaufredum Comitem laudant, qui sane Willelmi, & Gerbergæ soboles fuit.

Hæc attente perpendens & accuratius considerans, velim, Lector, vt oculos iniicias in Beraldum, aliis Geraldum; imo & Willelmum, Is familiæ Alpinarum gentium reguli & Comitum nostrorum author prædicatur: sed si hæc cum allatis stare possint & cohærere, judicium penes te sit: fabulosa enim sunt, quæ de illo, & Bosone Arelatensium Rege narrantur, vt ea, quæ de Bosonis exautoratione ab Othone facta. Prædicant authores aliqui, quod Bosonem Arelatensem præsulem in natalitio sacrificio manu cæciderit; nullus enim Boso Regis nomen tulit, eo excepto, qui Calui ætate viuebat, qui altero sæculo Othone anti-

gg) Autent. Capia. fol. 7.
hh) apud Sur. Tom. 3. die 2. Maii.
ii) Ex historia Regum, Ducum & Comitum Burg. lib. 4.
kk) Ibidem lib. 3.
ll) in historia de rebus gestis Francor.
mm) Lib. 3.
nn) In Archiuio Capituli S. Remigii in Prouincia Phocensi.
oo) In historia Regum, Ducum Comitum Burgund. lib. 4.
pp) In Archiu. Cœnobii Montis maioris.
* Decima quinta.

quior

quior fuit. Emendatione etiam egere existimo sepulchralem inscriptionem, quæ Arelate legitur. Massonus qq) inquit: *Hisque & multis aliis rebus præclare gestis Beraldus obiit anno millesimo vicesimo tertio sepultus, vt fama est, juxta templum diui Honorati Arelatensis, quæ vrbs ad Rodanum flumen in Prouincia Galliæ posita est, vbi adhuc vrna marmorea cum duabus aquilis visitur:*

Veziani epitaphium.

BENE PAVSANTI IN PACE ET MEMOR
I. O. V. P. QVI MILIT. INT. IOVIANOS
ANNOS XXVIII. PRO. DOM. AN. VI. PRÆ-
LANCIARIS SEG.... S. PIR. AN. III.
COMES RIPE....ANI COM. MAVR. ET
TINC AN. IIII. VIX. AN. LXXV. PRÆ-
SIDIA CONS .... MARITO DVLCISSIMO.

Falluntur igitur omnes, falluntur, inquam: non est Beraldi Sarcophagum; nullibi Beraldus; nullibi Willelmus legitur: quod tamen ex litera (v) inducunt illi, qui Beraldi inscriptionem hanc esse contendunt; Willelmumque cum Beraldo seu Gerardo confundunt. Sed si illis coniicere licet; cur non mihi? Welphonis igitur ossuarium erit, Wiuiani, B seu Warini inter Burgundiæ proceres Ludouici pii ætate clarissimi: nec forte ita vaga, incertaque coniectura, si Veziani principis tumulum esse velimus; scimus enim ex Epistola Kaulliani, quam Michaelis de Moresio asserimus in eius elogio, Vezianum Principem Caroli Magni nepotem esse, & sepulturæ, cum aliis proceribus, qui in clade Roncauallensi ceciderant, Arelate mandatum in ipso diui Honorati extra muros templo. Imo in Aquitanis contra Waiserum arma gesserat: at cum aliorum commenta refellam, non est quod mea probem: cuiuscumque ergo principis sit C hæc inscriptio; Beraldi certe non est; nec Beraldus inter Aquitanos prælia gesit, aut in ipsis Pyreneis, cum in Alpibus perpetuo dimicarit. Vt vero facilius concinniusque fabula texeretur, cum scirent BERALDI VXOREM HYMNAM, non PRÆSIDIAM esse, MERITO DVLCISSIMO legere, non MARITO; & licet illud verbum DVLCISSIMO eos mendacii arguat maritumque potius quam meritum respiciat, diserte tamen, & citra fraudem legi MARITO. Commentum iuuant aquilæ lapidi insculptæ; Beraldus namque ad Othonem Cæsarem genus referebat. Fabulæ sunt, mendacia sunt: at ne nos fabulas aut mendacia dare existimes, ichnographiam subiicio, vt videas, quam facile abyssus abyssum inuocet; imo Aquilas non esse, sed Centauros, Leonem, & Harpyas. Vide Tab. I. Fig. 2. et 3.

Aquilæ quid notes?

RAIAMBALDVS.
SEV
RAIMBAVDVS.

LXXI. Raiambaldus Raiambaldo Comite patre natus, Raynaldum, Guillelmum, & Lanfredum fratres habuit; Auum Lambertum, qui potentissimi judicis nomen tulerat, quod nos docet thesaurus rr) Montis maioris: actis ss) publicis subscripsit hac formula. *Præsidente Raiambaldo Patriarcha beato, tertio regnante Henrico. Quam subscriptionem vt intelligas,* Rodulphus Burgundiæ & Arelatensium Rex, popularium defectione, qui quotidie rebellionem faciebant fessus, Odone Campaniæ Comite nepote spreto, Henricum Conradi Cæsaris filium in spem hæreditatis & successionis accersiuit, morienseque diadema cæteraque regni insignia ad Conradum misit, Henricumque hæredem instituit; a quo tempore (inquit Vignerius tt)) non solum ipse Conradus; sed etiam posteri eius regni Burgundici & Arelatensis jura titulosque sibi semper vendicarunt, quamuis sub ipsis vel a Regum, qui eos præcesserunt, temporibus illud in multos varioque principatus dissectum fuerit, qui suis propriis Comitibus parebant, & regebantur: licet Imperii nomine, a quo etiam feudi jure se illos tenere fatebantur.

Raiambaldus.

1054 *Rudolphus R. Burg. Henricum hæredem instituit.*

Quod quam verum fuerit de Willelmo nostro, Ditmarus uu) Maspurgii Episcopus, ex familia Saxonum Principum ortus, testatur his verbis: *Willelmus* (inquit) *Comes*, de quo prædixi, *miles est Regis in nomine, & Dominus terræ re, & in his partibus nullus vocatur Comes nisi is, qui Ducis honorem possidet.* Fiduciarios certe fuisse posteros, negat Bertrandus, Gaufredi filius, hoc vsus elogio: *Bertrandus gratia Dei Comes.* Igitur intelligis, cur actis publicis Henrici nomen appositum fuerit, non tamen obseruatum semper: gesta enim publica *regnante Christo* consignabantur, Raiambaldo viuente; & aliquando Gaufredo, & Bertrando regnantibus principibus in Galliis: sæpissime Gaufredus Comes solus legitur, adeo inconstans est ea ætate temporum nota.

Porro præfuit Raiambaldus Concilio xx) Tholosano, Papæ Victoris Legatus, cum Pontio Aquarium Sextiarum Episcopo, atque a Prouinciæ totius Episcopis fidei juramentum, & obsequii vt Primas admisit. Vide ab vno, quibus verbis legitimis & solemnibus præstitum

Sacramentum.

Ego Pontius yy) *Sanctæ Mariæ Aquensis sedis nunc ordinandus Episcopus debitam subjectionem, & reuerentiam, & obedientiam a Sanctis patribus constitutam secundum præce-*

qq) In genealogia Ducum Sabaudiæ.

rr) In concessione municipii Pertusi, quod est in Prouincia Romanorum & castri sont. veteris in solo Arelatensi.

ss) In authentico Capituli fol. 53.

tt) In Citron.

uu) Lib. 7. historiæ.

xx) Ex Codice M. S. Moissac. monasterii Baron. anno 1056. n. 12. & Tom. concil. tert. part. alt. sub Victore Binii.

yy) Ex autographo Episcopali & ex Codice M. S. author. apostolic. Ecclesiæ nostræ.

pta Canonum Sanctæ ſedi Arelatenſis Eccleſiæ, rectoribuſque eius, in præſentia Domni Archiepiſcopi Raiambaldi perpetuo exhibiturum promitto, & ſuper ſanctum altare propria manu firmo.

1052 Hic ille Pontius eſt, qui a Victore Papa Antiſtiti noſtro datus eſt ſocius, vt concilio Tholoſano præeſſet. Nihil intentatum reliquit Raiambaldus vt officiis & muneribus Canonicorum animos demereretur, illo enim approbante, Guillemus zz) Maſſilienſium Vicecomes S. Martinum de Palude maiori, Eccleſiam Virginis & S. Petri Galliculani, & S. Mariæ Ædem de Capella cum ampliſſimis latifundiis in Craudicampo Canonicis conceſſit, modocommuniter viuerent, regularemque vitam, quam iam Raiambaldus inſtituerat, profiterentur.

Sed hic Gaufredi Comitis Arelatenſium obitum afferre nos admonet conceſſio a) eiuſdem Gaufredi & Stephaniæ vxoris, monaſterio Montis maioris facta, ſturionis, qui primus exeunte verno tempore expiſcatur; nulla enim in chartis noſtris poſthac Gaufredi mentio. Defunctus, inlatus eſt in monaſterium Montis maioris, pie conditus iuxta patris oſſuarium, quem Willelmum ſecundum, Vdone reiecto, profitemur; hac difficili & obſcura admodum Epigraphe: *Gaufredi Comitis obitus.*



Quam ſic lego.

Hic contemplator compunctus mente viator;
Nam quod es, iſte fuit, nunc memor eſto ſui.
Si foret hoc juſtum quemquam lugere virorum,
.....Jolſi eum tunc Comitem.....
Mitibus hic mitis, durus fuit ipſe rebellis.
Optans Cælicolas ſuſpicit indigenas.*

Filium vnicum ſuſcepit nomine Bertrandum ex Stephania vxore, quod in Aycardo, ſucceſſore Raiambaldi, teſtamento ipſius Bertrandi veriſimum domonſtrabitur; licet 1056 Henricus quartus, Henrico tertio patre fatum conſecuto, Arelatenſe regnum, vt Imperium adierit. Vltimam tandem voluntatem, Aycardo ſucceſſore declarato, tabulis publicis conſignauit Raiambaldus in Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, Collegiumque Canonicorum Barioli (oppidum eſt Prouinciæ Dioeceſi Foroiulienſis) 1062 dotauit & ſub cenſu denarii aurei Alexandro Papæ III. ſubiecit; extat ea de re in autographo b) Epiſcopali pernobilis memoria, Raiambaldi videlicet ad Alexandrum & Alexandri ad Raiambaldum & Bertrandum Foroiulienſem Epiſtolæ, quæ zelum & animum Raiambaldi teſtantur. Vnicam profero (Alexandri ſcilicet) ad Raiambaldum.

Venerabilibus Confratribus Raiambaldo Arelatenſi Archiep. ac Bertrando Foroiulienſi epiſcop. perpetuam in domino ſalutem.

ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

Quoties illa a nobis requiruntur, quæ juſtitiæ concordare videntur, libenter debemus impendere, & juſte poſcentium animis condeſcendere. Quia igitur, charisſime frater Raiambalde Arelat. Archiep. poſtulaſti a nobis, vt Eccleſiam Sanctæ Mariæ ſitam in villa, quæ vocatur Bariols, in territorio videlicet ciuitatis Foroiulii, quam B. Petri perpetualiter juri ſuppoſuiſti, priuilegio confirmaremus Apoſtolicæ ſedis: inclinati precibus tuis ipſam Eccleſiam ſub tutela & defenſione S.R. Eccleſiæ recipimus, eamque ab omni inſeſtatione liberam & quietam eſſe decreuimus: ita quidem, vt pro ea annualiter S. Petrus habeat vnum denarium aureum: præterea confirmamus ibi, quicquid nunc juſte poſſidet, vel deinceps poſſidere debet, Apoſtolica interdicentes auctoritate, vt nullus ibi præpoſitus conſtituatur, neque clericus, aut monachus inducatur abſque voluntate eorum, qui vinculo profeſſionis ſe eidem Eccleſiæ ſeruituros vouerunt. Interdicimus etiam, vt nulla Eccleſiaſtica ſeu ſecularis perſona præſumat *Alexandri Pont. Epiſt.*

zz) In authentico Capit. fol. 73.
a) Legitur in Archiuio montis Maioris.
* Suſcipit.
b) Authenticum Epiſcopale rubeum fol. 299.

præfatam

præfatam Eccleſiam inquietare, aut ea, quæ ſuperius continentur, infringere. Quod ſi quis temerario auſu præſumpſerit, vinculo excommunicationis vſque ad dignam emendationem ſe innodatum nouerit: at vero qui cuſtos & obſeruator extiterit, & pro intuitu aliquod bonum ibi conferre ſtuduerit, repleatur abundantia Apoſtolicæ benedictionis. Dat.

Diem clauſit extremum Raiambaldus anno MLXII.

AYCARDVS.

Aycardus. LXXII. AYcardus (cuius nepotes in primis clari & nobiles hac ætate agunt Arelate) viuente adhuc Raiambaldo Epiſcopus deſignatus eſt: ſic enim chartæ noſtræ loquuntur: Anno MLXIII. Sedit ad annum vſque MXC. Inauguratus Pontio de Fos horrendas deuotiones minatus eſt, ſi pontem S. Geneſii, cæteraque jura, quæ in agro Marticenſi Arelatenſis Eccleſia habebat a S. Cæſarii ſæculo, non redderet. Bertrandus b) Comes, inter eos quaſi Arbiter, peruicit tandem vt cuncta reſtitueret: exinde querelas ingeſſit aduerſus Raymundum Sancti Ægidii Comitem, qui Arelatenſem Eccleſiam municipio Furcarum, aliiſque vrbibus, quæ in Argenteo ſolo ſitæ ſunt, ſpoliauerat, qui c) quidem non repetita ſolum poſſidenda dedit, imo etiam promiſit, ſe alias conceſſurum caſtrum Albaronis in ripa Rodani poſitum, cæteraque jura, quæ ad Arelatenſem Eccleſiam ſpectabant, ſi ea a Bertrando Comite recuperaret. Ab Alexandro tertio, licet vindex eſſet Eccleſiæ ſuæ digniſſimus, excommunicatione percuſſus eſt, quod a partibus Henrici Imperatoris ſtaret, ſacrumque contra ipſum fulmen renouauit Gregorius ſeptimus, qui ipſos etiam Arelatenſes litteris monet, vt conſilio Hugonis Dienſis Epiſcopi, & Apoſtolicæ ſedis Legati, aut Leodegarii Vapincenſis Epiſcopi eligant Archipræſulem, ad quem ipſe pallium mittat.

Ob ſtudium Henrici Imp. excommunicatur.

1078.

Vniverſo Clero & Populo Arelatenſis Eccleſiæ Gregorius Seruus Seruorum Dei ſalutem & Apoſt. Benedictionem.

Gregorii VII. Epiſtola.

Quoniam d) *ſublata paſtorali cuſtodia, gregi non parua pericula imminere perpendimus; multa pro vobis ſolicitudine angimur, multo dolore compungimur, quod Eccleſiam veſtram tandiu vigilantia paſtoris & regimine idonei Gubernatoris deſtitutam eſſe cognoſcimus. Quod in hac re minus quam oportet vos eſſe ſolicitos, imo quaſi propriæ ſalutis oblitos, nulla pene cura vel affectione permotos deprehendimus, maioris nobis triſtitiæ cauſa conſtitit: quoniam perniciouſius fere nihil eſt, quam contra mala vrgentia nulla ratione conſurgere, & ſuæ ſaluti in ſupremo diſcrimine aut neſcire, aut nolle conſulere.*

His itaque curis ac tantæ deſolationis veſtræ cauſa ſtimulante, miſimus ad vos fratrem noſtrum ſcilicet Leodegarium Vapinenſem Epiſcopum, quatenus cum illius conſilio, aut talem perſonam ſecundum Deum eligatis, quam Vicarius noſter Hugo Dienſis Epiſcopus litteris ſuis nobis commendet, aut ſi apud vos (quod credimus) tanto regimini digna perſona inueniri non poteſt, in manu fratris noſtri Leodegarii Vapincenſis Epiſcopi firmetis vos illum ſuſcipere in paſtorem, quem conſecratum, & honore pallii inſignitum, vobis ex parte S. Petri miſerimus. Cogitare enim debetis, quoniam ſecundum electionem gratiæ Dei de numero ouium Chriſti eſtis, & nequaquam ſecure viuetis, niſi qui eius vice vobis præſit, & contra incurſus callidi inſidiatoris aſſidua circumſpectione, auxiliante Deo, vos muniat, habeatis.

Agite ergo, ne quis vos ad proſpiciendum de honore Eccleſiæ veſtræ, & communi ſaluti animarum veſtrarum impedire valeat, & ne viſitatio legationis noſtræ fruſtra ad vos facta eſſe videatur, per quam vobis charitas noſtra repræſentatur & auctoritas: ſcientes quoniam quicquid ex vtroque (Deo auctore) debemus & poſſumus, ad profectum veſtrum vobis exhibere promptam, & indefeſſam voluntatem geremus. Cætera, quæ dicenda ſunt, fratri noſtro Leodegario iniunximus: cuius legationi, quantum ad hoc pertinet negotium, ita volo, vt credatis, ac ſi nobis viua voce in auribus veſtris dicerentur.

Dat. Rom. Kal. Mar. Ind. 2.

Verum inanes reddidit litteras Pontificis Arelatenſium amor in ſuum ciuem & Epiſcopum Aycardum: qui quidem multas vel principibus ipſis lites mouit, dominii ampliandi aut conſeruandi, vt diximus, cauſa.

Maior irarum occaſio in Henricum Cæſarem, Burgundiæ & Arelates Regem, fuit; cum enim Pontifici minime dicto audiens eſſet, Rodulphus Burgundiæ Dux Auguſtus ab ipſo Pontifice eſt proclamatus. *Omnes* (ait Sigebertus e) *qui prius Hildebrannum abiurauerant, periurium periurio cumulantes, Imperatorem abiurant & Rodulphum Ducem Burgundionum ſuper ſe Regem ſtatuunt, corona ei a Papa miſſa, cui erat inſcriptum:*

De Rudolphi error.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Sueuiæ non Burgundiæ Ducem vocat Vignerius, f) narratque, Rodulphum Sueuiæ Ducatum, cui Nuitlandia ſiue Burgundia minor adiuncta erat, Bertholdo Zeringenſi eius nominis ſecundo reſignaſſe; ex quo ab eo tempore volunt authores, Duces Zeringenſes non ſolum Ducum, ſed etiam Regum Burgundiæ & Arelatenſium titulum ſuis aliis titulis ſemper addidiſſe: ſed ipſe Rodulphus mox ab Henrico fuſus fugatusque eſt.

Nec flagrante Europa bello Aycardus, aut ſacro fulmine percuſſus officium Epiſcopale intermiſit. Auenione enim ad Rodanum g)

1080.

b) Extat in autographo rubro Epiſcopali fol. 361.
c) Charta legitur in autographo Epiſcopali viridi fol. 140.
d) Ex regiſtro Greg. 7. lib. 6. Epiſt. 21 anno 1078. Tom. 3. concil. 2.
e) In Chron.
f) In Chron.
g) Tom. 3. Conc. Binii parte altera, anno 1080.

Aycardus Pontifici refragatur.

Concilium celebrauit; cuius acta non extant, excepto quod ibi S. Hugo reperitur creatus Episcopus Grationopolitanus. Id vbi resciuit Pontifex, & Aycardum non solum acerrimum se Henrici Regis & Imperatoris defensorem gerere, imo imperterritum aduersus omnes perstitere, Concilium h) Romæ indixit, in quo ipse Gregorius sententiam depositionis Archiepiscoporum Arelatensis & Narbonensis atque excommunicationis, per Legatos Apostolicæ sedis promulgatam, his, qui aderant, collaudantibus, firmauit.

Vt vero pietatem & erga Apostolicam sedem studium, & obseruantiam Bertrannus testaretur, & se ab Aycardi consiliis alienum profiteretur, Sacramentum clientelare Gregorio sic præstitit: *Ego* i) *Bertrannus Dei gratia Comes Prouinciæ, ab hac hora & deinceps tibi Domino meo Papæ Gregorio, & cunctis successoribus tuis, qui per meliores Cardinales S.R.E. electi fuerint, fidelis ero, & quicquid mihi credideritis in dammum vestrum non manifestabo. Sic me Deus adiuuet & hæc Sancta Dei Euangelia:* & statim se fiduciarium Pontificis Regulum professus est.

Bertranni Com. Prou. in Pontificem obsequium.

Ego Bertrannus Dei gratia Comes Prouinciæ, pro remissione peccatorum meorum, & parentum meorum offero, concedo, dono omnem honorem meum, quantum ad me iure parentum pertinet, omnipotenti Deo & Sanctis Apostolis Petro & Paulo & Domino meo Gregorio Papæ septimo & omnibus successoribus suis: ita vt quicquid placuerit deinceps Domino Papæ Gregorio de me & de toto honore meo, sine vllo contradicto faciat. Ecclesias autem omnes, quæ in mea potestate sunt, præfato Domino meo Gregorio Papæ omnino dimitto, & omnibus successoribus suis & ad ordinandas eas iuste, & secundum Deum pro posse meo fideliter adiuuabo.

Ex his igitur constat, Christianissimi Principis specimen edidisse Bertrannum, ea ætate qua Christianus orbis Schismaticorum incendio flagrabat; colligitur etiam manifestissime ipsum Prouinciam paterno iure adiuisse, nec vanam esse illam, quam iam attulimus, subscriptionem: Gaufredo, & Bertrann oprincipibus; quæ ex alia confirmatur, quæ in thesauro Montis maioris legitur iisdem plane verbis, *cum consilio* (loquitur charta) *Willelmi & Rotbaldi fratris sui*, qui tunc temporis regere videbantur Regnum Prouincialium. Iam vero quis illum Imperatorum fiduciarium dicat, si titulis suis exscribat: EGO DEI GRATIA COMES. Vnum supereſt inuestigandum, quibus parentibus natus fuerit, quæ illi vxor, quæ proles: vt secundus Vdo nobis minime præfuisse (quod tamen historiæ Prouinciæ scriptores contendunt) omnino manifestum reddatur.

Bertrandi familia.

Nulli dubium esse debet, Bertrandi patrem fuisse Gaufredum, cuius vxor erat Stephania: Bertrandus enim matrem suam vocat Stephaniam. Dicet forte aliquis, alii fuere nomine Bertrandi. Scio Zuritam k) anno 1049. dixisse Ramirum Aragoniæ Regem & Ermessendam, Teretiam filiam nuptui dedisse Guillelmo Bertrando Prouinciæ Comiti. Bertrandus alter Raymundi Tholosani filius ætate posterior fuit, illique vxor erat Electa nomine; at hic Bertrandus noster Mathildim suam vocat. Qui ergo soluetur hic nodus? Vdones toties decantati ad Guillelmum Bertrandum genus suum referent, si ita illis visum, qui Prouinciæ Romanorum historiam vulgarunt; nobis, quibus veritas magis amica est, testamento Bertrandi innixis, Bertrandas Gaufredi & Stephaniæ filius erit. At ne commentum putes in rerum dictarum assertionem illud subiicio ex membranis nostris.

Testamentum B. Comitis super restitutione B. Mariæ S. Trophimo.

Eius testamentum.

Ab l) *antiquis veterum Patrum traditionibus habemus, quod siquis rem quamlibet reddere, vel vendere, commutare voluerit, per paginæ testamentum, ne posteris friuolum aut infirmum remaneat, memoriæ commendetur. Vnde ego Bertrannus Comes & mater mea Stephania simulque coniux mea Mathildis pro remissione peccatorum nostrorum reddimus libere & absolute Ecclesiam S. Dei genitricis Virginis Mariæ de Rads* m) *cum omnibus suis appenditiis S. Stephano & S. Trophimo, nec non Canonicis sedis eorundem Deo seruientibus, vt post hac ab integro possideant, & in nullo eorum, quod facere voluerint, resistamus: propterea accipimus de rebus Canonicorum* CCC. *videlicet solidos, quatenus si quilibet rem a nobis redditam impedire vel inquietare tentauerit, nos Canonicis supra iam prænotatis adiutores existimamus; sane si quis nos aut vlla apposita persona frangere aut irrumpere voluerit, non valeat vendicare, quod tentauerit; sed omnibus, quæ in nouo vel veteri testamento scriptæ sunt, maledictionibus subiaceat, sit socius in pœna Iudæ perdito, qui Dei filium Iudæis ad perdendum tradidit, & cum Datham & Abirom, quos viuos terra absorbuit, in æterno perituros incendio deputetur, & neque in hoc sæculo neque in futuro remissionem suorum peccatorum apud Dominum impetret. Bertrannus Comes, qui hanc chartam scribere iussit, manu propria firmat & testes firmare rogauit. Stephania mater eius firmat. Mathildis coniux eius firmat. &c.* 1090.

Cæterum Aycardus Archiepiscopus, & Bertrandus Comes communi mortalium fato vitam amiserunt: ille Gibelino successore; iste Gilberto Bertrandi, aliis Vdonis filio: lis tamen adhuc sub iudice, quis fuerit Gilberti pater; adeo non singulorum modo authorum; sed & gentium monumenta inter se aberrant.

Insigne: *Aycard portent auiourdhuy d'azur a un Lyon d'or tenant vne lance en la main.* Vid. TAB. II. Fig. 1.

h) Tom. 3. parte altera Conc. Binii ex regist Epist. Greg. 7. anno 1081.

i) Extat apud Baron. anno 1081. n. 33.

k) in rebus Aragonicis.

l) Authenticum Capitulare fol. 126.

m) Hodie dicitur vulgo *les trois maries* in Camariæ insula.


T.I.TAB.II.
pag. 248.
Fig. 1.
Fig. 4.
Fig. 5.
Fig. 6.
Fig. 7.
Fig. 8.
Fig. 9.
Fig. 10.
Fig. 11.
Fig. 12.
Fig. 13.
Fig. 14.
Fig. 15.
Fig. 16.
Fig. 17.
Fig. 18.
Fig. 19.
Fig. 20.
Fig. 21.
Fig. 22.
Fig. 23.
Fig. 24.
Fig. 25.
Fig. 26.
Fig. 2.
Fig. 27.
Fig. 3.
Fig. 28.
DICI SOLITIRA LEONIS + NOBILIS INPRIMIS
Fig. 29.
SCS TROPHIMVS ARELATIS DOMINVS SIGIL. CAPIT MISTIORVM ARELATIS PRO QVIBVS ELETOR
SVRBS ARELATENSIS EST HOSTIBVS HOSTIS ET ENSIS
VRBS ARELATENSIS EST HOSTIBVS HOSTIS ET ENSIS
B: sc.

GIBELINVS.

Gibelinus. LXXIII. Gibelinus nimia morum facilitate Arelatensem Ecclesiam lacerauit, duodecim n) Prioratibus seu Ecclesiis. Psalmodiensi in Occitania Abbati; ea lege, vt pro Abbate non se gereret, sed tantum Prioris titulo vteretur. Romam vero ex Galliis redeuntem Vrbanum Pontificem, in quibus cum esset, Hierosolymitanam expeditionem contra Ecclesiæ hostes permouerat, Arelate, excepit Gibelinus: Bertoldus o) enim tradit ipsum natalem Christi diem celebrasse Arelate. *Dominus Papa* (inquit) *Arelati diem Dominicæ natiuitatis cum diuersarum Prouinciarum Episcopis gloriosissime celebrauit.* Equidem cum Gibelinus effusa liberalitate Ecclesiam Arelatensem dispassé videretur, a Raymundo Tholosano Comite in Syria vitam agente testamentum condi procurauit, vt, quæ per nefas castra & municipia Arelatensis Ecclesiæ sibi vendicarat, restitueret. Verum etsi Comes, acerrimus Arelatensis Ecclesiæ vexator, confessus est, multa se contra Arelatensem Ecclesiam inique egisse; testatur tamen, se nimia carnalitate detentum, solummodo castrum Furcarum ad ripam Rodani, & quædam alia reddere. Cætera vero filiis; ea spe, vt ipsi paternam auaritiam non imitentur, sed emendent. Testamentum vero vt antiquitatis nobile monumentum hic describo.

Testamentum Raimundi Comitis S. Ægidii.

1105. Raimundi Com. Testam. *In* p) *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Quoniam multis & manifestis sacri eloquii testimoniis Christiana religio salubriter educetur: nullius temporis angustia, nulla quorumlibet criminum immensitas vere pœnitentibus veniam denegat: Idcirco ego Raymundus S. Ægidii Comes fragilis, & multipliciter reus peccator de ineffabili misericordissimi Dei benignitate confisus, in ipso mortis meæ articulo vtiliter & vt decet Christianum consultius de multis, quæ ipse ego contra sanctam Ecclesiam Arelatensem inique egi, & a meis quoque progenitoribus inique acta vsque in hodiernum iniuste concessi, pœnitentia ductus hæc pauca pro redemptione animæ meæ emendare studeo. Igitur in terra, quæ Rodano contermina (Argentia vocatur) quam totam proprii iuris prædictæ Ecclesiæ esse cognosco, & manifeste confiteor, contra hoc, quod necesse esset, nimia adhuc carnalitate detentus filiis meis maiorem portionem, sub spe tamen emendandi, atque S. Trophimo atque S. Stephano ius suum, id est, totam ipsam Argentiam in integrum restituendi, relinquo. Ad præsens autem pro remedio animæ meæ hanc portiunculam Arelatensi ipsi Ecclesiæ, atque venerando eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopo Gibelino, & successoribus eius, & clero restituendo absque omni calumnia concedo; scilicet Villam, quæ vocatur Furcas, cum omnibus his suis appenditiis, videlicet de Rodano, & Paludibus, de vineis & arboribus, tam fructiferis, quam non fructiferis; de terris tam cultis, quam incultis. De portu Rodanici, & de pascuis & de omnibus terrarum reditibus, & etiam omnes decimas & omnes Ecclesias totius Argentiæ ei reddo.*

Præterea libere reddo & concedo eidem Ecclesiæ in castellis Albarone & Eos quartam partem eorum, quam a maioribus meis iniuste possessam ego quoque post illos mea culpa possedi. In Arelatensi quoque ciuitate dono eidem Ecclesiæ meam quartam partem de pascuis, & Lesdis, & montationibus: precor denique Bertrannum & omnes successores, & homines, & amicos meos, vt si forte debiti vel cuiuslibet occasionis impedimentum in prædictis honoribus factum est pro amore Dei, & pro remedio animæ meæ, & pro recordatione beneficiorum, quæ erga eos aliquando exhibui, illud exsoluant, & ad vsus Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ illud restituant, & a modo inde ei veri amici & fideles adiutores, & firmissimi defensores in perpetuum existant.

Si quis vero mortalium huius mei testamenti constitutionem cassare, vel infirmare tentauerit, districti iudicis Dei ineuitabilem iram incurrens, æternis gehennæ incendiis perpetuo plectatur, & tanquam sacrilegus parricida omni honore ineo indignus habeatur.

Hoc testamentum factum est apud Montem peregrinum in Syria, regnante Domino nostro Iesu Christo, Domno Paschali Papa S. R. Ecclesiæ præsidente, M. C. V. anno ab incarnatione Domini indictione tertia decima, mens. Ian. vltima die ipsius mensis feria tertia, videntibus, & præsentibus honestis personis clericis, & laicis, videlicet Aymino Tolon. Ecclesiæ Episcop. Aycardo de Massilia, Raymundo de Balthio, Decano de Poscheriis, Bertranno Porceleto, Willelmo Aruei, Pontio de Eos, Rostagno de Fort, Gaufredo de Penis, & multis aliis, quos dinumerare longum est. Gerinda Comitissa firmat. Adelphonsus filius eius firmat.

Pontius de Brosio scripsit.

Sequenti anno secunda filiorum persequutione exagitatus est Henricus quartus Imperator, Burgundiæ & Arelates Rex, & in carcerem coniectus mœrore & tristitia vitam absoluit, Henrico eius nominis quinto, filio successore. Palmerius q) id tradit: Henricus proximi Henrici filius fuit, & cum imperium assumpsisset, Henricum patrem nefando scelere carcere macerauit vsque ad mortem: eadem habet Vignerius: r) filium patri conciliatum declarat Vespergensis his verbis. *Cui* (scilicet Henrico) *cum Legati communionem seu pœnitentiæ modum absque generalis Synodi & Apostolicæ discussionis censura reddere ad præsens non possent, ipse Henricus partis vtriusque consiliis annuens, regalia vel imperialia insignia, crucem scilicet, & lanceam, sceptrum, globum atque coronam filii potestati tradidit, prospera illi imprecans, illum primatibus cum multo fletu commendans.* *Henrici IV. Imperatoris fata aduersa.*

Post hæc vocatus est Gibelinus in Orientem, Vrbani secundi Papæ, deinde Paschalis Lega-

n) Legitur hæc donatio in autographo Episcopali viridi fol. 328.

o) Constantiensis Episc.

p) Autographum exemplar legitur in membranis Capitularibus numero 1. sub verbo de Argentia.

q) In Chron.

r) In Chron. Burgund.

tus de causa Ebremari in Patriarchatum Hierosolymitanum intrusi cognouit, deposuit; deposito succesisit: postmodum vero (inquit) Tyrius s) cum de substituendo Ecclesiæ Hierosolymitanæ Patriarcha clerus & populus disceptaret, constituta ad hoc specialiter die, vt super eo negotio de more tractaretur, post multas hinc inde deliberationum partes, in Dominum Gibelinum, Apostolicæ sedis Legatum, vnanimiter conueniunt, & eum in sedem locant Patriarchalem. Gibelinus vero ad suos Arelatenses redeundi spe destitutus, litteras dedit lachrymis potius quam atramento exaratas.

Gibelini literæ lamentabiles.

GIBELINVS HIEROSOLYMITANVS EPISCOPVS.

Charissimis in Christo Fratribus, Arelatensis Ecclesiæ Suffraganeis Episcopis, Domino Aripperto & aliis & omni clero & Populo salutem & Benedictionem.

Intelligeret) potestis, fratres charissimi, quam incerta est vita ista, qua viuimus, cum illud cito eueniat, quod in cor hominis non ascendit, & hoc diuina prouidentia faciat, quod humana mens cogitare non potuit. Scitis enim, qua ratione egressus sum de terra mea, & de cognatione mea, quomodo a Romana Ecclesia ad Orientales Ecclesias fui missus, modo factus incola, qui veneram peregrinus. Nam Dominus Papa Paschalis, qui ad visitationem Orientalium Ecclesiarum me destinauerat, per litteras & per venerabilem Prænestinæ ciuitatis Episcopum mihi mandauit, vt curam Hierosolymitanæ Ecclesiæ susciperem exemplo illius, qui exiuit a patre, & venit in mundum, vt faceret voluntatem eius, qui misit eum; & ego inclinaui aurem meam, & oblitus sum populum, & domum patris mei. De cætero fratres de ordinatione Ecclesiæ vestræ cogitate & Episcopum vobis secundum Dominum eligite. Et si hactenus tam nobilis Ecclesia pastorem, qualem deceret, non habuit; modo talis eligatur, in quo per Dei gratiam totam impleatur quod defuit.

Multa vobis scribere dispoſueram, sed cogitanti mihi de vestra amicitia, magis flere libet, quam aliquid dicere. Dum enim ad memoriam reduco, quantam dilectionem erga me habuistis, quam patienter hominem nullius vtilitatis sustinuistis: nulla temporalium rerum delectatione possum gaudere, sed multoties sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Nec mirum, quia, sicut manifestum est, nec precio nec precibus me dilexistis, sed sola nobilitate, quæ in vobis est, & moribus, & genere in me benignitas vestra semper apparuit, & nobilitas vestra se celare non potuit. Nunc itaque, dilectissimi, solicita dilectione vos deprecor, vt mei memoriam habeatis, quatenus ille, qui vestris orationibus fuit in via Doctor meus, sit modo vestris precibus adiutor meus, & in fine susceptor meus, qui est in omni terra Deus meus.

Paschalis etiam Papa litteras dedit ad Arelatenses monuitque, vt Gibelino successorem darent.

Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei Clero & Populo Arelatensi salutem & Apostolicam Benedictionem. *Paschalis Epistolæ.*

Prou) negotiis & scandalis, quæ in Hierosolymitana Ecclesia fuerant, venerabilem fratrem nostrum Gibelinum, quondam Ecclesiæ vestræ Antistitem, ad partes illas cum nostra legatione direximus, cuius nimirum persona ita in omnibus placuit, quod eum clerus & populus eiusdem Ecclesiæ vnanimi voto, communi desiderio in patrem sibi & pastorem elegerunt. Nos enim, quoniam diu Episcopali regimine fuerant destituti, electionem ipsam assertione nostra firmauimus. Vestram itaque dilectionem literis præsentibus præmonemus, & hortamur in Domino, vt & vos canonicum pastorem vobis eligere properetis: nec vobis graue & durum vehementius videatur. Illum enim tanto zelo, tanto ardore Hierosolymitana suscepit Ecclesia, quod eum (etsi nos omnino velimus) vobis reddere nullo modo possimus.

Data Laterani 4. Non. Ian.

Contigere hæc anno Christi MCVII. & initio anni sequentis. Hic igitur esto finis sedis, non vitæ Gibelini. 1107.

ARIPERTVS.

LXXIV. ARipertus ex Episcopo Auenionensi ad clauum Arelatensis Ecclesiæ venit, vt patet ex litteris tum Gibelini, tum Paschalis secundi, quas in Basilicæ Auenionensis Gazophilacio conseruatas accepi a doctissimo & amicissimo Iosepho Maria Suares, Præposito eiusdem Ecclesiæ electo; eas tamen edidit Baronius in Annalibus. Sane in membranis nostris nulla illius alteriusve præsulis habetur memoria vsque ad annum MCXIIX. quo Athonis sedes reperitur. An quod Aripertus non fuerit inauguratus Antistes Arelatensis, sed absentis tantummodo Gibelini vices egerit? *Aripertus.*

Gilbertus, Bertrandi seu Vdonis filius, moriturus duas, quas sine prole mascula filias ex vxore Tyburga, Æmiliani Comitis filia, substulerat, Barcinonensium & Tholosanorum Comitibus despondit. Dulciam Raymundus Barcinonensis; Faytidam Alphonsus Tholosanus duxit. De Gilberto tradit Zurita. x) *Gibertus*, inquit, *Prouinciæ & Æmiliani Comes decedit, cui earum ditionum succedit hæres Dulcia filia, Raimundi Barcinonensis vxor: Raimundus Marchionis Prouinciæ nomen susciþit, verum quod Alphonsus adolescens adhuc esset, illum dominatu deturbare conatus est Raimundus.* Sancitæ demum leges, quas infra recitabimus, quibus florentissimas familias Barcinonensium & Tholosanorum agnouit Prouincia; nec vlla deinceps Comitem Arelatensium memoria: abrogato enim Arelatensis Comitis ti-

s) Lib. 11. c. 4.
t) Ex autographo Ecclesiæ Auenionensis.
u) Ibidem.
x) In rebus Aragonicis.

tulo,

tulo, aut Comites, aut Marchiones Prouinciæ dicti sunt. An quod illis minime dicto audiens fuerit Arelate? An quod Imperatores, vt antiqua Burgundionum Regia respexerit? An quod fiduciarii Francorum Regum fuerint Comites, Vrbemque Prouinciæ primariam & principem vxorio iure diuidere noluerint, vt supremi principis iura leges imperiumque susciperet? Sane licet obscura & perdifficilis sit quæstio; crédibilius tamen est Arelatenses, terra marique potentes, Comitum suorum iugum excussisse; licet aliqua ex parte & aliquando visi sint Imperatoribus, vt Burgundiæ & Arelatensium Regibus, paruisse.

Non contemnendas fuisse Arelatensium vires, fœdera non solum, quæ cum exteris vicinisque icere, aut agri fertilissimi; imo ciuitas ipsa munitissimo sita loco demonstrant. Mari vero non ignobiles tradit Zurita, y) dum de primo hoc Raimundo Comite loquitur. *Raimundus* (ait) *Barcinonensis cum adiuncta sibi ditione Prouinciæ imperium auxisset, bellum aduersus Balearium incolas Mauros suscipit. Tum primum Cathalanæ classes nostris in maribus pollere incipiunt: & in vltimos nostri orbis terminos præteruehuntur. Pisanorum etiam classem arcessit: quorum & Genuensium Arelatensiumque eo tempore late mari patebat potestas.*

ATTO.

LXXV. ATto, ex comitibus Biterrensibus, vt nomen indicat, oriundus, octo circiter annos Ecclesiæ Arelatensi præfuit; deinde vixit anno MCXXVI. Isz) castrum S. Amantii alto situm loco in Prouincia Arelatensi & in finibus saxosæ regionis seu Craudi campi precio centum solidorum Melgorienſium sibi, suisque in Arelatensi sede successoribus acquisiuit. Vinculo demum excommunicationis Henrico Imperatore a Calixto in Synodo Rhemensi innodato, vetuit Atto, aa) gesta publica illius nomine nunquam, sed hac formula inscribi: *Facta est hæc charta eo tempore, quo fuit Concilium* bb) *Papæ in Rhemensi ciuitate.* Porro a Calixto Romam redeunte, vt Ecclesia S. Iuliani (quæ a sacris cineribus S. Anthonii nunc nomen habet) consecraretur, Atto impetrauit, vt Pandulphus insinuat. cc)

Alphonsus Tholosanus Faytidæ vir ætate & opibus florens dotalem fundum repetebat, Raimundus Barcinonensis agros Argentiæ, Bellicadrum, cæteraque municipia soli Argentiani, quod Prouinciæ Arelatensis finibus continerentur, non posse controuersiæ subiacere asserebat: alioquin si id vellet Alphonsus, ferro decernendum. Henricus Cæsar e sua re esse dixit, vt pax inter inclytas familias intercederet, Legatos igitur & oratores misit, vt intermisso armorum vsu, contentio amicorum arbitrio componeretur. *Raymundus* (ait Zurita dd) *Barcinonensis Comes Alphonso Tholosati & S. Ægidii Comiti bellum infert. Imperator pacificatorium interponens nunus, ad colloquia Barcinonensi congreditur: subsecuta est pax licet non sine humano sanguine fuso;* cuius leges ex integro diplomate refert Catellus ee): ego, quæ perstrinxit Zurita ff) his verbis: *Barcinonensis* (inquit) *Thalosatem vrget, & acri bello infectatur, neque parua de re inter eos contentio vertitur.* Tholosas oppidum, arceinque Bellicadri, Argentiæ territorium, Prouinciæ Comitatum gg) tanquam erepta repetit. Ad eam tandem pactionem deuentum est. Barcinonensis & Dulcia eius vxor Bellicadri arcem, Argentiæ ditionem, & eam Prouinciæ Comitatus partem, quæ Druentia, & Isara fluminibus continetur, & Valobregæ arcem Tholosati condonant. Mediam Auenionis vrbis partem, & castelli oppidique pontis Sorgiæ amnis & eius vrbis territorii aliquotque arces sibi recipiunt. Eo pacto conuento Tholosas, & Faytida eius vxor Barcinonensibus Comitibus, posterisque eorum reliquam Auenionis partem, & Comitatum Prouinciæ cum Mesoagæ arce iisdem finibus, quibus a Druentiæ fluminis ortu, qui ex Iauo monte profluit, terminatur, & eius fluminis regione in eum locum, quo in Rodanum influit, & in mare effunditur, remittunt. Paciscuntur vti alter in alterius locum nullis relictis liberis earum ditionum hæres succedat. In ea pacta descensum est ad XVI. Kal.*) Septembris anno MCXXV.

Nullam hic habes Arelatensis vrbis mentionem. Sub id tempus anno scilicet MCXXVI. Henricus Cæsar ex Germanorum & Burgundiæ Arelates Regum stirpe vltimus, nullis superstitibus liberis obiit.

Henricus Imp. vltimus eius stirpis.

BERNARDVS I.

LXXVI. BErnardum ex latinis primum Patriarchatui Antiocheni præfedisse, quamplurimi contendunt; non ego sane, quia eadem ætate Sacramento Gaufredum hh) de Massilia & Raymundum ii) de Baucio*) magni nominis viros obstrinxit, & Apostolicæ sedis Legati titulo cohonestatus Ecclesiam S. Thomæ Hierosolymitanis kk) equitibus; Langerio ll) Auenionensi, & Geraldo Arausionensi Episcopis præsentibus, concessit: ea lege, vt Christi optimi Natalitiis viginti quinque solidos Melgorienses persoluerent.

Bernardus I.

Henricus sine prole decesserat, vt iam diximus. Lotharius, Saxonum genere natus, eo mortuo Augustum nomen tulit; studium illi præcipuum, Henrici nepotes, cæterosque, qui Burgundo sanguine ortos se gloriabantur, bel-

Lotharius Imp. Rex Burg.

y) In rebus Aragonicis.
z) In autographo Episcopali viridi fol. 203.
aa) In autographo Capitulari fol. 124.
bb) Extat apud Baronium anno 1119. n. 8. 9. &c.
cc) in Chron.
dd) In rebus Aragonicis.
ee) In historia Comitum Tholosanorum lib. 2.
ff) In Indice rerum Aragonicarum lib. 1.
gg) Integrum codicillum harum conditionum leguntque profert Catellus ex nostris membranis, sed autographum exemplar legitur in Archiuiis Regiis apud supremos Aquarum Sextiarum rationales.
* Octobris.
hh) In autographo Episcopali rubeo fol. 306.
ii) Ibidem & fol. 303.
* Balthio.
kk) In authentico Capitulari fol. 109.
ll) Ibidem fol. 123.

lo.

lo persequi; quod Otho Frisingensis declarat. *Hic Lotharius* (inquit) *per omnia progeniem Henrici Imperatoris, vt plane iudicio Dei iusto sicut in lib. Regum habes in peccatis, & prævaricatione patrum semen eorum affligi videretur: vnde grauis dissensio regni multis annis protracta plurimos in anima, & corpore periclitari fecit:* vnde prædicti Fridericus, & Conradus iuuenes, sororii Henrici Imperatoris; dum se viderent opprimi, in quantum poterant, reniti conabantur. Arelatenses tamen in gestis publicis Cæsarum nomine vtebantur: A lapides ipsi loquuntur: *)

AB



IE̅NO INCAR
NACIONE DN̄
MC XXXIII
REGNA VTE LO
TER REGE

1133.

Insuper Raimundus, Dulciæ vir, numerosa prole susceptа obiit. Filii, Raimundus Berengarius, Gilbertus, & Berengarius Raimundus: filias Berengariam, & Cæciliam & alias plures numerat Zurita. mm) Gilbertus Prouinciæ Comitatum ex suprema patris voluntate adiit. B Qua ætate Arelatenses non otium colebant, quod semper populis exitio fuit; imo maiorum suorum æmuli maritimis bellis partam laudem augebant: exterum habeo testem Zuritam. nn) *Interno*, inquit, *mari Arelatenses, Genuenses, & Pisani nauticarum rerum scientia præstantes feruntur.* Acta Bernardi præsulis non excedunt annum MCXXXIII.

GVILELMVS I.

Guilielmus I.

LXXVII. GVilelmus ferro & flammis Prouinciam Arelatensem ardere vidit, certantibus de iure Comitatus Berengario Raimundo, & Balthicis. Gilberto secundo C vnica erat filia, quam ex Gilberga sustulerat; eadem Raimundo Balthio nupsit, Stephaneta illi nomen: ex his nuptiis Hugo, Guilelmus,
1140. Bertrandus, & Gilbertus sunt procreati. Decedente interea Gilberto anno sæculi quadragesimo Stephaneta muliebribus animis inflata, & quæ Raymundo viro Burgi noui Arelatensis, & Balthiarum vrbium, quæ priscum hodie nomen retinent, Domino, rerum agendarum peritissimo, æmulum nullum spectabat: Prouinciam *Conradus, Imp. Rex Burgundiæ* suscepit paterno iure administrandam. Berengarius Raimundus, cuius intererat ius suum armis tueri, se ex paterna substitutione in demortui fratris hæreditatem vocatum dicebat; D dumque ferro ferrum obiiciunt, caditque passim nobilitas, Conradus, nobili Burgundorum & Arelatensium Regum sanguine natus, vtpote qui ad Agnetem Henrici quarti filiam, quæ Federico nupserat Sueuorum Duci, genus suum reuocabat, Imperator electus est, tertius ab authoribus appellatus; sed secundus in diplomatibus oo) nostris. Hic non tantum Augusti nomen tulit; sed Burgundiæ & Arelates Regis. Turbata in hunc modum Prouincia factum est, vt gestorum Bernardi vacua sint armaria nostra. Vnicum supereст illius momentum, Sententia, pp) qua tanquam Apostolicæ sedis Legatus Monachos Massilienses expulit ab Ecclesiis, a Raiambaldo & Gibelino concessis. Notatur illius obitus anno MCXLI.

1141

RAIMVNDVS I. DE MONTE ROTVNDO.

Raimundus I.

LXXIIX. RAimundi de monte Rotundo genus est Arelatense, Dominium illi mons Rotundus in solo Balthio: factus est Archiepiscopus anno MCXLII. Alphonsum qq) Comitem Tholosanum pro fundis castris & municipiis legitimo Raimundi patris testamento Arelatensi præsuli restitutis & quæ sibi ipse reseruarat, in clientem Arelatensis Ecclesiæ cooptauit, a Conrado secundo *Conradus II. Imp. quo iure Reg Bur fuerit?* Cæsare Burgundiæ & Arelatis Rege non Augusto, sed materno iure (eius enim gens testamento Rodulphi ignaui, Burgundiæ & Arelates regnum adierat, quod multos fefellit, qui Imperatores Burgundiæ & Arelates Reges non vt Rodulphi hæredes volunt administrasse) regalia excepit aureo diplomate, in hæc verba confecto.

1144

In rr) *nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Colradus Dei gratia Romanorum Rex secundus, reuerendo R. vrbis Arelatensis Arch. eiusdem ciuitatis clero, & populo gratiam suam, & omnem bonam voluntatem.*

Antiqua regni consuetudo celebris, & Imperatorum instituta Regum Romanorum discretionem nostram solicitant: quatenus Ecclesiarum utilitatibus nostro imperio subiectarum, &

*) In Campis elysiis Arelatensium legitur.
mm) In Indice rerum Aragonicarum.
nn) In Indice rerum Aragonicarum.
oo) Quæ leguntur in autographo Episcopali fol. 3. & In scrinio Codicillorum Sigillo aureo munitorum.
pp) In authentico Capituli fol. 110.
qq) In autographo Episcopali rubeo fol. 301.
rr) Extat diploma in autographo Episcopali rubeo fol. 3. & in Archiuio scrinio codicillorum aureo Sigillo munitorum.

Spe-

specialiter Arelatensi Ecclesiæ, cui quadam prærogatiua priuilegiorum teneminr, studeamus subuenire, & vt propriæ sedi nostræ proficere, clericos defendere, bona illorum ad laudem, & gloriam nominis Christi illibata seruare; & ne aliqua imperiorum tiremnide) *affligantur, maxime operam dare, si qua etiam eisdem damna iniuste, & absque ratione ab aliquibus inferantur, pie & misericorditer reformando, eadem resarcire.*

Imperialia itaque decreta sequentes, & antecessorum nostrorum clementiam imitantes, tibi, venerande Raimunde, Arelatensis ciuitatis Archiep. & per te Ecclesiæ tuæ, & successoribus tuis nostra regalia in vrbe Arelatensi, & totius tui Archiepiscopatus concedimus. S. Iustitias, monetam, Iudæos, fornarias, cordam, quintale, sestariam, reditus nauium, montationes, stagna Salinarum, lacus, paludes, pascua de Crau, vt habeas perpetuo tu & Arelatensis Ecclesia, auctoritate nostræ munificentiæ in pace possideas, & per te tui successores quicunque in Ecclesia Arelatensi Catholica extiterint. Concedimus etiam tibi iurisdictionem post nos in ciuitate Arelatensi; insuper confirmamus tibi Dominium quartæ partis reditnum Arelatensis ciuitatis, & quartam Albaronis, & quartam de Fosso, quam nobilis Comes R. Tholosanus Arelatensi Ecclesiæ & Gibelino Archiep. & successoribus suis in testamento suo noscitur dimisisse, Dominium de Trencatalliis, castrum de Salone, castrum de Aluernico, castrum de Aualone, castrum S. Amantii, castrum Vereum, castrum de Mornacio, castrum montis-Diaconis, castrum de Nioms, castrum de Vinzobrio, Abbatiam S. Geruasii cum omnibus suis pertinentiis, piscaria de Ponte, & quicquid Arelatensis Ecclesia in ciuitate, vel extra per sæculares seu Ecclesiasticas personas habet, & possidet; vel iuste habere debet, vel in antea acquirere poterit, tibi iam dicto R. & Arelatensis Ecclesiæ & successoribus tuis concedimus.

Verum vt ista donatio seu huius priuilegii confirmatio firma & stabilis posteris tuis æternaliter permaneat, præsentem paginam bulla nostra aurea muniri iussimus. Si qua vero improborum temeritas confirmationem istam inquietare voluerit, banno Regali subiaceat, & pro pœna quadraginta libras auri se daturum cognoscat; cuius dimidium fisco nostro, & dimidium Arelatensi Archiepiscopo fore cognoscimus.

Huius autem donationis seu priuilegii confirmationis testes esse volumus Henricum Maguntinum Archiep. Episcopos Buccani Germaciensem, Olibrium Basileensem, Surcardum Argentinum, Titerium Archidiaconum, Albertum Notarium, & alios multos.

Factum est hoc Priuilegium anno ab incarnatione Domini MCXLIV. *anno quinto* VII. *regni eius.*

At enim caue censeas, hæc omnia iura primum a Conrado nostris Antistitibus concessa. nonnulla fateor; sed pleraque assero tantum confirmata. Multis ante sæculis Childeberto, Clodouei magni filio, (vt ex Epistola Pelagii ss) ad Childebertum, & testamento tt) S. Cæsarii coniicitur) impetrata leguntur etiam in Bosonum chartis quamplurima, quæ his in chartis expressa leguntur, & numerantur. Has vero donationes decimo abhinc anno Anastasius quartus summus Pontifex Apostolico diplomate roborauit.

Arelate an ad Imperatores ut tales re spexerit?

Ex his satis superque constat, Arelatem, a Prouinciæ Comitatu seiunctam Imperatores incerto, vt supra adnotatum est, prætenso & non probe cognito iure respexisse, qui medio iure Archiepiscopis concesso, supremum sibi, non vt Cæsares, sed vt Arelates & Burgundiæ Reges reseruarunt, quod Francos Reges ex allatis spectabat. Vignerius uu) Arelatem a reliquis Prouinciæ vrbibus seiunctam insinuat: *Sunt* (inquit) *qui Comitatum Arelatensem a Prouinciali distinxerunt, & Arelatensem in Imperio Germanico obnoxium statuerunt.*

Verum Raimundus Balthius, ciuilium bellorum tuba, Conradum adiit, a quo Prouinciam iure fiduciario impetrauit. Stephanetæ igitur & Conradi concessionis iure subnixus, maioribus in Berengarium Raimundum insurrexit animis. Vt vero facilius viri impetum frangeret Berengarius, Raimundum fratrem, Barcinonensem Comitem, in Prouinciam euocat. Huius rei testem habeo Zuritam. xx) Cum acre (inquit) & magnum bellum Berengarius Prouinciæ Comes cum Raimundo Balthio, qui Stephaniam, Giberti Æmiliani Comitis natu minorem filiam duxerat, gerit, Princeps Raimundus fratri cum exercitu subsidio accurrit, & Mompellerium expugnat. Balthius, & eius filii Balthiorumque gentis familiæ præpotentes copiis, atque opibus firmæ & amplæ in terra Gallia, qui illustres clientelas splendidæ Prouinciæ ad se traduxerant, audacius exsultant: magnosque motus & mutationes cient. Adde vero Giberti, non Æmiliani solum sed Prouinciæ Comitis, & corrige, non natu minorem sed vnicam filiam. Pugnatum certe acriter, & in acie Berengarium desideratum vult Claperius; yy) a Prouincialibus occisum indicat Vignerius; zz) Zurita a) vero tradit indignam principe necem substinuisse. Berengarius (inquit) Prouinciæ Comes in Melgoriensi portu a prædonibus interficitur, filio superstite Raimundo Berengario, qui patri nondum pubes successit.

Interim dum ipse adolescereet, publica negotia patrui Raimundi Barcinonensis Comitis arbitrio gerebantur; inducie cum Balthiis in annum quintum firmatæ; iuramentum a clientibus præstitum; res ad summum in tuto collocatæ; Iunior Comitis nomen, Senior Marchionis, tulit. Nec verum potest esse, quod

* Tiramnide.
ss) In Sapaudo.
tt) Apud Baronium in Cæsario.
uu) In Burgundionum Chron.
xx) In rerum Aragonicarum indice.
yy) In genealogia Comitum Prouinciæ.
zz) In Burgund. Chron.
a) In Indice rerum Arag.

ex Tarafia recitat Vignerius. b) *Ea de causa* (de Berengarii nece loquitur) *Raimundus frater eius, ducto in Prouinciam exercitu, totam sibi subdidit, & in fraternæ necis vltionem Arelatensem, nonnullasque alias ciuitates diruit, ac euertit.* Certe non obseruatas induciarum leges testantur omnes; nullus enim erat locus, quem non hostilis gladius penetraret. Raimundo interea decedente Stephaneta animos demisit, misitque ad Raimundum Berengarium oratores, vt de pace agerent: conuenere Arelate vt Regia, & inter alias conditiones & concordiæ leges, Stephaneta & filii iuri Prouinciæ renunciarunt.

Conradi Imp. obitus. Occubuit postmodum Conradus: Vignerius c) enim ait: *Canradus Imperator mense Februario naturæ concessit, qua de causa Germaniæ proceres Fridericum Sueuiæ Ducem* (ex fratre Friderico illius nepotem) *illi substituerunt.* At de obitu Conradi corrige Guntherum, d) & Vignerium: e) istum, quod velit anno quinquagesimo quarto decessisse: procurante enim Raimundo Archiepiscopo nostro ossa & cineres diui Trophimi ex ædibus D. Honorato sacris extra muros in Ecclesiam Arelatensem translata sunt; & templum, Stephaneum olim appellatum, diui Trophimi nomen deinceps sortitum est. Id tandiu dilatum miror, cum in tuto minime loco essent; tutum tamen religio præstitit. Rei gestæ historiam habe ex autographis nostris certam & illibatam.

1152 *Anno ab incarnatione Domini* MCLII. *Epacta* XII. *indict.* cc) *I. Romæ sedente Domino Papa Eugenio 4. regnante Conrado Imperatore, venerabili viro Raimundo Archiepiscopo Arelatensem Ecclesiam gubernante, præsentibus Walfrido Auenion. Bernardo Arausion. Berengario Vaision. Petro Massilien. Episcopis, quamplurimis etiam tam Arelat. quam Narbon. siue Aquen. Prouinciæ clericis atque Baronibus, studio & diligentia prædicti Raimundi Archiepisc. facta est translatio corporis beatissimi Trophimi Galliarum Apostoli, in ipsam Ecclesiam Arelatensem ab Ecclesia S. Honorati in Ecclesiis Campis 4. Kal. Ian. in cuius tumba inuentæ sunt multæ sanctorum reliquiæ.*

Balthii oppugnati. Cæterum Balthios cum pœnituisset Berengariis pacem dedisse, Prouinciæ Comitatu a Federico fiduciario iure impetrato, Prouinciam iterum armata manu occuparunt, quos bello insequutus est Raimundus Berengarius Senior, iunioris patruus. *Princeps* (inquit Zurita f) *magno comparato exercitu Galliam Prouinciam inuadit, & Hugoni Balthio, & eius fratribus, qui rebellionem fecerant, acre bellum infert:* causam belli explicat. Hi eius ditionis dominari contendunt ex priuilegio, quod ab Imperatoribus, Conrado & Frederico, Conradi fratris filio, Hugoni irrogatum fuerat, ditionem omnem a Giberto Comite, & Gisberga principis auis possessam concessérant. Contendit Hugo eo priuilegio Marcham, & prouinciæ Comitatum contineri. Hostiles subinde motus explicat, a quibus Arelatensium agri, nec ipsa vrbs, fuere immunes. Balthium oppidum, pluresque arces expugnantur. Trencataiarum castrum acerrime a nostris oppugnatum hybernis tempestatibus ingraueſcentibus in rebellione permanet.

Interim dum belli exitum expectas, te monitum velim, Hadrianum g) quartum summi Pontificatus culmen adeptum, Arelate litteris operam dedisse. Quid vero accidit Raimundo nostro? Lugendum sane: indicto enim Papiæ concilio a Victore Antipapa contra Alexandrum tertium interfuit, illi enim subscriptus legitur; domumque reuersus XVI. Kal. Maii decessit in Basilica Diui Trophimi sepultus hoc affixo ad parietem Epitaphio. 1160

DECIMO SEXTO KAL. MAII OBIIT DOMINVS RAIMVNDVS DE MONTE ROTVNDO BONÆ MEMORIÆ ARELATENSIS ARCHIEPISCOPVS ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MCLX. ORATE PRO EO.

Insigne: *Portoit d'argent semé d'hermines sans nombre a vne face de gueules chargée de trois fleurs de lys d'or.* Vide TAB. II. fig. 4.

RAIMVNDVS II.
A BOLENA.

Raymundus II. LXXIX. RAimundus a Bolena Raimundum de monte Rotundo excepit proxime: at cum sileant leges inter arma, siluit Raimundus, repetitis initio Episcopatus inter Balthios bellis. Zurita h) anno MCLXI. *Bellum* (inquit) *aduersus Baucienses in Gallia Prouincia a Principe* (Raimundo scilicet seniore) *geritur.* Hostes suis sociorumque viribus ad id certamen consurgunt. Turres & propugnacula Arelatis vrbis a nostris diruuntur. Trencataiarum castellum, rebellium receptaculum, & totius Prouinciæ præsidium nostris obiectum, machinis Rodano admotis expugnatur, & euertitur. Baucienses copiæ atque clientelæ comminuuntur, & dissipantur. Nec est, quod magis Balthios a spe totius Prouinciæ deiecerit, Federici Cæsaris cum Raimundo Berengario affinitate, quod a Zurita explicatum non aliis verbis reddam. *Federici* (inquit) *Imperatoris Legati ad Principem missi* (Raimundum sc. Berengarium seniorem) *nuptias Raimundi Berengarii, fratris Principis, filii, & Richæ* Augustæ Castellæ Reginæ Federici consanguineæ pacisciuntur: vtrique dominatus & ditio Prouinciæ honorario fidelitatis jure ab Imperatore attribuitur. Statuit vti*

1162

Federicus Imp. Prouinciam in Feudum concedit Berengario.

b) In Burgund. Chron.
c) Ibidem.
d) In Chron.
e) In Burgun. Chron. vtrumque etiam reprehendit Otho Frisingensis, qui præsens aderat lib. 1. c. 62. & lib. 2. cap. 11.
cc) Decimaquinta indictio est non prima, quæ incidit in annum sequentem.
f) In rebus Aragonicis seu Indice rerum Aragon.
g) Ex vaticano codice refert Baronius anno 1154. n. 3.
h) In Indice rerum Aragonicarum.
* Codex legit Richildis.

ea obtineant conditione, qua maiores a Druentia flumine ad noſtri maris oras, & Alpium jugis ad Rodanum poſſederant, iiſdem finibus, quibus terminata fuerant pacto cum Alphonſo Iordane Tholoſate Comite conuento. Ad hæc adiiciuntur eis Druentiam arces, & quæ Auenione obtinuerant. Arelatem præterea vrbem eodem jure attribuit, receptis Eccleſiæ Arelatenſi & Archiepiſcopo vectigalibus, & poſſeſſionibus, quas intra C. annos obtinuerant. Forcalquerii Comitatus Prouinciæ Comitatui eadem ſubiicitur conditione; & qui eius ditionis dominatur, quod Imperatori non paruiſſet, neque eius dicto audiens eſſet, ea deiicitur; quod Prouincia & regnum Arelatenſe in ditione Romani imperii eſſent, tributum xv. marcharum auri ponderis Colonienſis in ſingulos annos indicitur. Addo inſuper ex eodem diplomate, nullas eſſe Conradi, & Federici conceſſiones in Balthiorum vtilitatem factas; quod contra ipſiusmet Federici mentem eas Balthii explicarent. Datarium vero appono quia ſingulare eſt & notatu dignum. *Acta ſunt hæc Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo, indictione decima, regnante Domino Frederico, Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno regni eius decimo, Imperii vero octauo. Dat. apud Taurinum poſt deſtructionem Mediolani quinto decimo Kal. Septembris.*

Prouincia & Regnum Arel. in ditione Imperii Rom.

Coluere deinceps pacem Balthii cum Berengariis; ſed quamplurima hac in charta occurrunt notatu digna; in primis tres tantum eſſe, & agnoſci jurisdictiones, ſupremam, media & infimam. Sic hæc reditus reſpicit, media vitam & lites, ſuprema jus integrum Dominicale. Iura maximi Imperii ſibi ſuiſque adſeruat Cæſar, media & infima vtebatur Eccleſia, non tantum ex deceſſorum Conradi, quam ex ipſiusmet Conradi & Federici conceſſione, quæ in armariis noſtris legitur ſigillo aureo firmata: Has vero condonat Berengario. Quid dico Berengario? Legebatur alias Arelate bulla Federici, qua ciuibus Arelatenſibus contentioſam, & voluntariam jurisdictionem conferebat, de qua mentionem habes in Federici ſecundi charta mox afferenda.

Iurisdictio Arelatam quotuplex?

Quid eſt injuſto Principatu incertius & mage fluctuans? Iuris enim bellici erat Arelate, & licet illius jura ſibi Federicus tum ex Conrado affine, tum ex vxore Beatrice (aliis Agnete) vendicaret; imo & obſequia præſulum Arelatenſis Viennen. Lugdun. Valen. & Auenion. recepiſſet; nihilominus notat Noſtradamus, in clientela Raimundi Berengarii hæc verba fuiſſe appoſita, quæ tamen non legi in autographo, quod habes deſcriptum ad integrum apud Franciſcum Diago: *Saluo in omnibus jure Regis Franciæ.*

1162

Quicquid ſit, Raimundus obiit in itinere, & in S. Dalmatii ſuburbio, quod tradit Zurita; i) Claperius k) tamen vult, illum Raimundo juniori ſuperſtitem: illi aduerſantur Guil. Neubrig. Taraffa & Vignerius, l) qui manus dant Zuritæ, his verbis. Raimundus Aragonum Rex, atque etiam Barcinonenſis Comes obiit, Alphonſo filio ſuperſtite, qui illi in regno Aragonum & in Comitatu Prouinciæ ſucceſſit. Memorabile vero eſt, voluiſſe Raimundum Berengarium geſta publica inſcribi, vt patet ex chartis noſtris, *Federico regnante Imperatore, & Raimundo Berengario Comite exiſtente.*

Tandem Balthiorum & Berengariorum A ceſſante claſſico, & Arelate in otio viuente anno MCLXIV. Epiſcopatus poſſeſſionem adeptus eſt Raimundus a Bolena, quod vt intelligas, ſupereſt charta in autographo Epiſcopali, qua Raimundus cauit, ne Curatores Pontis Craui Iudæos die paraſceues cogerent lapides, calcem, cæteraque, quibus opus erat, Ponti fabricando reſtaurandoque comportare; mutato in pecuniam onerario illo jure. Subſcriptio talis eſt. *Facta* m) *vero eſt hæc tranſactio in porta S. Stephani anno* D. N. I. *Chriſti* MCLXXIIX. *17. Kal. Iul. regnante Imp. Federico, qui 7. Kal. Aug. ſequentis cum vxore natoque Philippo venit Arelatem coronandus, anno* XV. *Archiepiſcopatus Raimundi Arelatenſis.* Verba ſunt ſubB ſcriptionis. Si igitur annus MCLXXIIX. annus eſt decimus quintus Raimundi, non potuit ſedere cœpiſſe Raimundus, niſi anno MCLXIV. duobus intermediis annis.

Priuilegium Iudæis conceſſum.

Berengarius Iunior, prælio cum Nicienſibus, qui rebellionem fecerant, commiſſo, deceſſit. Zurita n) & Vetus rerum Aragonenſium ſcriptor id tradunt, aiunt enim, *Raimundum Prouinciæ Comitem prælio cum Nicenſibus* (verba ſunt auctorum) *commiſſo, ex acie ſaucium elatum; accepti vulneris plaga fuiſſe confectum.* Alphonſum ex Richilde & filiam ſuſcepit; de filia tacent annales Prouinciæ, loquitur Zurita. o) *Paciſcuntur* (inquit) *Raimundus Prouinciæ Comes, & Raimundus Tholoſanus, vti filia Comitis Prouinciæ Tholoſatis filio nubat.* CAlphonſus ſine liberis deceſſit, vacuam Prouinciam ſuſcipit Alphonſus Aragoniæ Rex ex Petronilla Ramiri filia; viuente iam fratre Comitatum ambierat, nec illi difficile, magno præſertim opibus viro. *Rex* (inquit Zurita) p) *illico Prouinciæ Marchionis cognomentum conſilio procerum ſuſcipit, vti a patre Berengario, Raimundo fratre fato functo, factitatum fuerat, & in Prouinciam proficiſcitur.* Teſtantur geſta publica, Arelate fuiſſe; ipſemet enim loquitur: *Ego Ildephonſus* q) *Rex Aragonenſis ſponte & ſine omni coactione caſtrum de Grauis & caſtrum de Aurons cum omnibus territoriis ſuis tibi Raimundo Arelatenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, & ſucceſſoribus tuis dono, & pro concambio me deueſtio, & te & Aer-*

i) In Indice rerum Aragonicarum.
k) In Genealogia Comitum Prouinciæ.
l) Neubrigenſis & Taraffa, apud Vignerium in Burg. Chron.
m) In autographo Epiſcopali rubeo fol. 38.
n) In Indice rerum Aragonicarum.
o) Ibidem.
p) Ibidem.
q) In autographo Epiſcopali rubeo fol. 215.

latensem Ecclesiam inuestio: præterea aquæductum & aquam fluminis Druentiæ ad deducendum lectum ipsius aquæ, a Druentia vsque Salonem, & inde vsque ad mare dono concedo.

In Prouincia igitur dum esset Alphonsus, seu Ildephonsus, aduersantem habuit Sanxium fratrem, qui ex paterna voluntate Comitatum sibi deberi contendebat: quod tamen bello impar esset, Prouinciam fratris subregulus administrandam suscepit, vnde a Prouincialibus tyrannus & incubator dictus est. Vnio patrem sequutus est in præfectura, vtriusque dominatus breuis æui fuit; iterumque Alphonsus Prouinciæ Comitatum adiuit.

Enim vero vt pateat jura Augustiora seu regaliorum penes Federicum aliquo modo remansisse, certum est, Raimundum nostrum præsulem Federicum, Philippum filium, vxoremque Federici inauguralsse diademate Regni Arelatensis; nisi forte ipsemet Federicus capiti coronam imposuerit; quod ea ætate Regibus inter missarum solemnia solemne erat. Imperator vero jurium omnium exemptionem Arelatensibus Canonicis aurea r) bulla concessit, ipso die, quo coronatus est: in dat. enim hæc leguntur: *Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis* MCLXXIIX. *indict.* XI. *regnante Domino Federico Romæ Imperatore glorioſissimo anno regni eius 27. Imperii autem 24. feliciter, amen. Datum in Palatio Arelatensi 3. Kal. Aug. mensis die Dominico, quo coronatus est in Ecclesia Arelatensi Imperator.* Idem deinde & firma esse sanciuit Conradi Beneficia: addito insuper Principis titulo & creandorum Coss. jure. *Confirmamus tibi* (inquit) *Raimunde, venerabilis Archiepiscope, & per te tuis successoribus regalia totius diœcesis Arelatensis Ecclesiæ, & ipsam ciuitatem pro indiuiso, & plenam jurisdictionem in ciuitate in creandis Consulibus, & retinenda ciuitate ad Seruitium & Imperium Domini Imperatoris.* Demum in Occitanicis rebus occupatus Raimundus Archiepisc. Raimundum Comitem Tholosanum propter Bellicadrum & cætera, quæ in Argentia sunt, municipia beneficiarium suscepit: verba refero, ne iterum in successoribus repetenda velis.

1178 *Reges sibi ipsi coronam imponunt.*

Homagium Comitis Tholosani pro Bellicadro Argentia & aliis.

1179 *Homagium Comitis Tholosani.*

Anno Dominicæ s) *incarnationis* MCLXXIX. *mense Aug. professus fuit & recognouit Dominus R. Tholosanus Comes se habere in Feudum ab Archiepiscopo & Ecclesia Arelatensi castrum de Bellicadro, & totam Argentiam, & omnia castra, & villas & munitiones, quæ in Argentia sunt hodierna die, vel in futurum ibi construentur: ab ipso loco, qui dicitur Galdum vsque ad locum, vbi fuit columna, quæ dicebatur S. Stephani, quæ erat subtus locum, qui dicitur Pelomonacum. Insuper donauit supra scripto Comiti Archiepiscopus quartam decimarum ipsius Argentiæ in feudum, & Dominium castri, quod dicitur Mornas, & Dominium castri Montis Draconis. De omnibus supra scriptis, tam de antiquo feudo, quam de nouo inuestiet supra scriptum Comitem Archiepiscopus: sub ea lege, vt Comes præscriptus, & hæredes eius Archiepiscopo, successoribus eius hominium facere & fidelitatem jurare, seruare teneantur.* Cætera non ad rem, & breuitatis causa omitto.

Verum antequam Raimundi præsentis gestis finem ponam; deploratissimus Balthii casus enarrandus est, insidiis, vt coniicio, Tholosani Comitis occisi. Sacro, inquit Zurita, t) resurrectionis Domini die Bertrandus Balthius, ex insidiis scelerate a suis interimitur, qui in terra Gallia præpotens Prouinciali bello Regi se aduersus Raimundum Comitem Tholosatem & S. Ægidii addixerat, atque in asserenda atque vindicanda ea ditione egregiam operam nauauerat. Nam cum Alberonensi in arce Rex esset intercluſus, fideli, & præstanti eius opera ex periculo est ereptus; bonamque eius ditionis partem Regi tradiderat. Eius vlciscendi causa vti supplicium de sceleratis proditoribus sumat, Rex in Prouinciam proficiscitur. Morallum castrum obsidet, atque expugnat. Acre bellum aduersus Tholosatem geritur, pluraque oppida diruuntur: ac tandem in humanis esse desiit Raimundus noster x. Kal. Iulii anno MCXXCII. Supereſt illius sepulchrale elogium ad parietem affixum, in principe nostra æde.

Balthii cædes.

1182

X. KAL. IVLII OBIIT DOMINVS RAIMVNDVS A BOLENA BONÆ MEMORIÆ ARELATENSIS ARCHIEPISCOPVS ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MCLXXXII. ORATE PRO EO.

PETRVS I.
EYNARDVS.

XXC. EYnardus seu Isnardus canonicus Arelatensis, deinde Episcopus Tolonensis, demum Arelatensis Antistes ab anno MCXXCIII. ad annum MCXC. Eius ætate Canonici Arelatenses regularem ad amussim vitam professi sunt: iam enim in vnum coierant sub Eynardi prædecessoribus. Extat in Autographo nostro Vrbani tertii bulla, u) quæ in horum confirmationem venit, enumeratis, quæ Conradus, Federicus aliique Principes Arelatensi Ecclesiæ contulerant. Ait ipse Vrbanus: *Statuentes, vt ordo Canonicus, quem nuper secundum B. Augustini regulam Domino professi estis, in Ecclesia vestra perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruetur.* Voluit præterea Eynardus, vt Petrus de Thoro x) pecuniam Arelate cuderet, attributo illi, quod ab Imperatoribus habuerat, jure.

Petrus I.

Et vero ne dubites, Arelatem suo jure vsam, fluctuante præsertim tot Principum Imperio, qui illam sui juris esse contendebant. Ildephonsus enim, quorum maiores a Federico il-

Arelate sui juris?

r) In Archiuio Episcopali scrinio Codicillorum aureo sigillo munitorum & in autographo nigro fol. 126.

s) In autographo Episcopali rubeo fol. 309.

t) In Indice rerum Aragonicarum.

u) Capitulari fol. 134.

x) In Autographo Episcopali nouo fol. 53.

Iam fiduciario jure obtinuerant, modo Augustis xv. Marchas auri vice justorum dominicalium exsoluerent, noluit cum illis vt subditis agere: quod coniicio ex subjecto diplomate, quod hic edendum curauimus, ne pereat.

Anno x) *Domini* MDCXXCIV. *manifestum sit omnibus hominibus, quod ego Ildephonsus Dei gratia Rex Aragonum, Comes Barcinonensis, & Marchio Prouinciæ dono & concedo omnibus militibus Burgensibus, proceribus, totique populo Arelatensi, quod de cætero in vllo loco terræ meæ Leudam vel Pedaticum non donent per terram, siue per aquam: præterea recipio in protectione & defensione mea omnes homines productos, vt cant salui & securi per totam meam terram, & nemo audeat eos grauare vel disturbare, dum per meam terram transierint; vel aliquod prorsus vsaticum ab eis exigetur.*

Dat. apud Arelatem mense Mart. anno, quo supra. Testes sunt P. Eynardy Arelatensis Archiep. & Coss. Arelat. Guillelmus Gros, Rostagnus de Monte Arbone & Guillelmus de Borgedono & Comes Fuxensis.

Insigne: *Portoit de gueule fretté d'argent.* Vide TAB. II. Fig. 5.

YMBERTVS DE AQVERIA.

Ymbertus, XXCI. YMbertus de Aqueria, patre Bertrando & matre Ema progenitus, cuius nepotes etiamnum agunt Arelate in primis & nobilissimis ciuibus, fungens præfectura sacrarii Ecclesiæ Arelatensis, eligitur in Episcopum. Electus, procerum atque illustrium ex familia Balthiorum y) & de Porcelet z) Toparchorum clientela illustrissimus fuit; & a Cœlestino, atque Innocentio tertiis, Pontificibus maximis, in patrocinium cum Arelatensi Ecclesia susciptur, vt constat ex eorum bullis, quarum altera concessum maioribus nostris continet priuilegium. *Cum* aa) (inquit Cœlestinus) *generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce diuina officia celebrare:* Innocentius vero ab Ymberto interrogatus, vtrum surdus & mutus alicui possint matrimonialiter copulari? *Ad quod* bb) ait *fraternitati tuæ taliter respondemus, quod cum prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, vt quicunque non prohibetur, per consequentiam admittitur; & sufficiat ad matrimonium solis consensus eorum, de quorum quarumque coniunctionibus agitur: videtur, quod si talis velit contrahere, sibi non possit vel debeat denegari; cum quod verbis non potest, signis valeat declarare.* Plures sunt in membranis nostris horum Pontificum Epistolæ; sed angustior est locus, vt eas inseramus.

An surdus & mutus copulandi.

1190 *Friderici Imp. mors.*

Federicus Augustus, qui se pro Arelatensi Rege gerebat, cum in expeditione terræ Sanctæ, deuicto apud Iconium Soldano, immensos labores superasset, & in Selepho se (vt ait comes cc) itineris) refrigerare vellet, natando Dei judicio lachrymabili, & inopinato submersus est. Ex Beatrice vxore Henricum, Federicum, Conradum, Othonem & Philippum susceperat. Henrico in imperium euecto (aliis quintus, aliis sextus dicitur) Arelatensem Regem Odo seu Otho frater egit. *Odo* (ait Vignerius dd) *frater eius* (Henrici scilicet) *ordine tertius ab illo opum ditionumque, quas Beatrix mater illorum in Burgundia tenuerat successor hæresque factus est, quibus Palatini, & Regis Arelatensis titulos adiunxit.* Vterque vero Henricus & Otho, viuente Ymberto, obierunt; ille anno MCXCVII. iste vero MCXCIX. Huius sæculi exitus Principum nostrorum funeribus extat famosissimus: non enim Federicus solum cum filiis in maiorum sepulchra inlatus est, imo & Alphonsus, vario apud authores anno. Claperius ee) defunctum vult anno MCXCIII. Vignerius ff) & Zurita MCXCVI. Nostradamus) MCXCIX. & quod memorabile sit, in thesauro Montis Maioris charta legitur, qua Fulconi de Cabanis eiusdem Cœnobii Abbati Sturionis donationem, de qua iam in Gaufredo præfati sumus, Raimundus confirmat; nisi mendum irrepserit in subscriptionem, aut forte qui diploma exscripsit, in Raimundi & Alphonsi nomine luserit. Non video inter tot sententiarum fluctus, quid censeam: Zurita gg) enim vt mentem nostram confirmet, ait, Alphonsum alias Raimundum appellatum, cui (inquit de Alphonso loquens) Raimundi nomine deposito, Alphonsi nomen imponitur. Quod ergo nobis alias in Willelmis, id in Raimundis accidit. Sanxia, Castellæ Regis filia, Petrum, Alphonsum & Ferdinandum filios, Constantiam, Leonoram, Sanxiam & Dulciam filias Alphonso viro peperit, & quod e re nostra est, Comitatum adeptus Alphonsus, Garcennam Guillelmi Forcalquerii Comitis filiam, patre viuente, uxorem tulit.

Otto in Regno Arel. succ.

1189

Illustres ex familia de Aqueria.

Cæterum quis Petri, Philippi, & Pontiæ de Aqueria nomen inglorium relinquat? quos generis claritudo, Patriciatus, & Consulatus dignitas decorarunt, & præ his pietas & sanctitas illustrarunt. Pontiæ clarissimæ fœminæ Epitaphium legitur in atrio diui Honorati extra muros:

VIII. KAL. OCTOBRIS OBIIT PONTIA DE AQVERIA ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS. MCLXIIII.

Petrus Ymberti hh) Archiepiscopi frater

x) Ext. in Archiuio vrbis & in M. S. Codice.
y) In autographo Episcopali rubeo fol. 258. & in nouo fol. 310. & 316.
z) Ibidem fol. 317. & in rubeo fol. 51.
aa) In Priuilegiis Apostolicis numeris 16. 17. 18. &c.
bb) Extat inter Epistolas summorum aliquot Pontificum, quæ leguntur in autographo Episc. origin.
cc) Ex Epistola, quæ extat in append. ad Radeuicum.
dd) In Burgund. Chronico.
ee) In Genealog. Comitum Prou.
ff) In Histor. Prouinc.
gg) In Indice rerum Arag.
hh) Id constat ex donatione quorundam fundorum equitibus Hierosol. facta, cuius autograph. alias leg. in Archiuio nostro.

consulatum exercebat in vrbe, dum Ymbertus Episcopatus honorem obtinuit. Philippus, splendens huius familiæ decus, miraculis clarissimus, meruit sanctorum numero adscribi. Ne quid vero sine teste dicam, authoris ii) qui ante annum MCCCXXCV. scripsit, verba referre placet.

In monasterio S. Claræ iacet frater S. Philippus de Aqueriis * in Prouincia Prouinciæ, qui magnis & assiduis claret miraculis: hic de ciuitate * Aquensi fuit, & genere nobilis; sed puer ordinem intrauit, qui cum per tempus stetisset in prouincia Prouinciæ, ab ipsa recedens ad montem Aluerni accessit: ibi diu moratus, tandem ad morandum Assisium iuit ad locum de Carceribus; sed fama eius sanctitatis crescente ad petitionem Domini Regis Roberti, & Dominæ Sanxiæ Reginæ consortis suæ per generalem ministrum factus confessor sororum de Sancta Clara, Neapolim adiit, vbi degens paupertatis, humilitatis, morum honestatis, & grauitatis cæterarumque virtutum exemplar fuit. Huius doctrina S. Eleazarum, nunc Sanctorum cathalogo adscriptum, tunc vero Comitem Arriani, & S. Delphinam eius coniugem ad Christum conuertit, & virgines permanserunt. Sorores de S. Maria Ægyptiaca, quæ ex Lupanari ad clausuram Regiam Sanxia perduxerat, Diaboli instinctu ad vomitum redire optantes, missus ad ipsas a dicta Regina, oratione, & prædicatione sic in bono firmauit, vt plures ex eis in signum Sanctitatis miraculis coruscarent.

Hunc clarum miraculis Dominus in vita dedit, & spiritu prophetico repleuit: ipse enim militem quendam in extremis positum liberauit, ac dicti militis vxorem grauiter infirmantem, dum pro ea orasset, sanauit. Crus in duo scissum cuiusdam sui deuoti ciuis de Neapoli, hora, qua dixit sanandum, redintegrauit oratione: præuidit Regis Ludouici mortem, & prædixit, dum ad petitionem Reginæ Ioannæ pro dicto Rege orasset. Domino Iacobo infanti Maioricarum tertio viro dictæ Dominæ Iohannæ, quæ sibi euenerunt, prædixit: tribus aut duobus miraculis intermediis subdit: Et quidem quia intentus erat orationi & specialiter meditationi Dominicæ passionis, Dominus ei de sua passione semel talem indidit dolorem: nam cum semel Domini passionem orans meditaretur, apparuit ei Dominus Iesus Christus, vti cruci confixus, de cuius manibus pedibus & latere sanguis copiose manabat, qui in corpore dicti fratris; scilicet manibus pedibus & latere tantum dolorem impressit, quod acerbitate passionis & doloris aculeatus fuit, & tantam memoriam passionis reliquit, quod statim dum recordaretur de Christi passione, cum clauo vel ligno suas manus percutiebat, pedes, & latus.

Volens ergo cum Dominus probare, vt aurum in fornace patientiæ virtutem, per annos XXX. maximas cicatrices, quæ vermes, & fœtorem emittebant, in eius corpore impressit, & adeo illæ cicatrices erant apertæ, & latæ, vt manus clausa in eis infigi valeret; & tamen nunquam verbum querimoniæ ab eius ore fuit auditum; & quod maius est, pluribus annis stetit, quod de lectulo surgere minime valuit: in dictis doloribus existens a Domino & Sanctis Angelis frequenter est visitatus, sicut indicio manus ad Deum & angelos, & per eius verba est probatum. Mortem suam adesse cognoscens, suas diuitias, scilicet cordam, & femoralia resignauit Gardiano. Nocte, qua de mane decessit, duos dæmones ad se venientes, sed nihil in eo de suo inuenientes, oratione fugauit, sacramentis perceptis ad percipiendum pro laboribus præmium. Anno circiter centesimo vitæ suæ ad Christum perrexit, anno Domini MCCCLXIX. die XIX. Iunii die Veneris, hora, qua sacrum corpus Domini in Ecclesia S. Claræ eleuabatur, quo mortuo tria miracula in eius corpore apparuerunt.

Hæc sunt, quæ de Sancto viro dicenda habebam, & de familia clarissima. Denique Ymbertus præsul testamento kk) cauit, & reditibus attributis æternum curauit, vt quotannis, qua die Raimundus a Bolena prædecessor obiit, solemnes persoluantur preces pro defunctis; tum parentibus, tum auunculo suo Amelio. Capellas ll) insuper, seu oratoria fundauit, dotauitque: tandem vltimum diem clausit XIII. Kal. Aug. & suspenso contra parietem tumulo conditus, in templo diui Trophimi hoc Epitaphio celebratur. 1202

XIII. KAL. AVG. OBIIT DOMINVS YMBERTVS DE AQVERIA, BONÆ MEMORIÆ ARELATENSIS ARCHIEP. ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MCCII. ORATE PRO EO.

Insigne: *Portoit de gueule a six besans d'argent en sautoir.* Vide TAB. II. Fig. 6.

MICHAEL DE MORESIO.

XXCII. Michael de Moresio, seu de Moresiis patricius Arelatensis, ex Moresiorum familia, quæ Moresiis dominabatur, & 1203
nunc ætatis solo nomine supereſt, Præpositus collegii Canonicorum Arelatensium, eligitur Ymberto defuncto successor. Primo suæ sedis anno, fratribus mm) (approbante Innocentio) redemptionem captiuorum profitentibus, ex assensu capituli domum inhabitandam dedit, sub annuo marcæ argenti censu. Præterea Comprouinciales monuit Episcopos, desolatam esse, penitusque destructam ædem S. Honorati extra muros, in qua, præter Trophimi sepulchrum, cuius reliquias Raimondus de Monte Rotundo, vt iam diximus, intulit in Ecclesiam diuo Stephano sacram, quamplurimi asseruabantur Sanctorum cineres.

ii) Lib. I. conformit. beati Francisci part. 2. fruct. 8.
kk) In autographo Episcopali viridi fol. 303.
ll) Ibidem fol. 323.
mm) In autographo Episcopali viridi fol. 342. & in Authentico Capitul. fol. 112.

Mau-

Mausoleum & Ossuarium erat Archipræsulum procerum Regumque Burgundiæ & Arelates: ideoque liberius impertiendas ab ipsis eleemosynas esse, vt antiquum illud reuerendumque templum exsurgeret: reperitur autem hæc Epistola in autographo Episcopali nn) exquo commentitia illa Katullaui refellitur, cuius exemplar integrum tale est:

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, episcopis, Abbatibus, Præpositis & dilectis filiis prioribus, ecclesiarum Rectoribus, Capellanis & vniuersis Catholicis Principibus, atque omnibus Christi fidelibus, ad quos præsentes litteræ peruenerint, Michael, Dei gratia Arelatensis Archiepiscopus, salutem in eo, qui est salus & redemptio animarum nostrarum.

ius Epiola.

QVot & quantis mirabilium insignibus, quot sanctorum floribus Ecclesia per mundum sit redimita, iis solis nosse datum est, qui Sanctorum loca inuestigant, qui tanquam de Babilone exeuntes propter Sion non tacent, & propter Hierusalem peregrinantur; si tales patrem in Spiritu & veritate digne adorant, quia, dum sanctorum veritates cognoscere gestiunt, Deum mirabilem in Sanctis suis agnoscunt, & peccatorum suorum sarcinas deponunt; verum vt ad sanctorum exempla magis prouocentur, & eorum virtutibus plus ædificentur, dignum nobis visum est, ea, quæ quibusdam absconditа sunt, de latebris suis eruere, & lucem, quæ apud nos iam diu fulget, non sub modio ponere, sed cunctis domum Dei ingredi cupientibus detegendo propalare. Notum ergo omnibus facimus, quod extra muros vrbis Arelatensis in campis, qui vulgariter dicuntur Elysii, Ecclesia fundata est, quæ sancti Honorati censetur, quam prædecessores nostri viris religiosis Sancti Victoris Massilienſis contulerunt, vt Sancti Sanctis obuenirent. Ibi beati Honorati corpus locello suo repositum est. Ibi viri disertissimi Hilarii prædictæ ciuitatis Episcopi reliquiæ sepultæ fouentur. Ibi beatorum Pontificum, Aurelii, Concordii, Eonii, Virgilii, Rothlandi & aliorum Pontificum beatissima membra loca prædicta sanctificant, vt Beati Genesii Martyris, & Dorotheæ Virginis & Martyris, vt multorum aliorum æque sanctissimorum, quod etiam dictu incredibile videtur, corpora illic collocata fileanus. Tot floribus, & gemmis preciosissimis humus prædicta perornatur quot credere non possim in principio germinasse terram, imo vt vere dicere possim: isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Habet hæc Ecclesia cœmiterium spacioſum, in cuius sinu corpora infinita eorum requiescunt, qui sub beato Carolo, & beato Willelmo, & Viziano nepote eius triumphali agone peracto, propriis sunt sanguine laureati: sed & plurima aliorum corpora illic terræ commendata sunt, quorum certe animæ diuina visione perfruuntur. Reuocanda etiam in medium antiquitas, cuius est tantum illustre spectaculum, & grauis auctoritas, vt omnia maiorem conciliare possit ad gratiam. Admirandum & illud miraculum cælo teste approbatum, quod prædictum Cœmiterium viri Apostolici, Apostolorumque imitatores, & discipuli septem, Trophimus scilicet a beato Petro & Paulo Apostolis Arelati prouisus, & ordinatus Episcopus, cum Sergio Paulo Narbonensi, Maximino Aquensi, Saturnino Tholosanensi, Frontone Petragoricensi, Marciali Lemouicensi, Eutropio Auraſiensi Episcopis, & alia diuino oraculo admonitis benedixerint, & Domino Iesu Christo præsente, & ibidem corporaliter apparente, consecrauerint, vt scribit beata Marcella Sanctæ Marthæ obstetrix in secundo libro, quem de actibus eius, vna cum primo libro vitæ eiusdem Hebraice vno edidit volumine. Cuius cœmiterii longitudo, & latitudo, sicut in gestis Caroli legitur, vno miliario constat. Eius miraculi fidem cum aliis quamplurimis ipso visu teste probandis, omnis hominum conditio, & ætas, & ipsius loci vetustas, dignitas, et auctoritas demonstrat. Adnixa est supra nominatæ Ecclesiæ (scilicet Sancti Honorati) Capella, quam beatissimus Trophimus prædecessor Dionysii Parisiensis, consobrinus Beati Pauli, Stephani, & Gamaliel, fundauit; erexit, & viuens semper amando excolut in honorem (scilicet Dei genitricis.) Ibi in loco, vbi steterunt pedes Domini, altare & terra multis sanctis præsentibus fecit, & cum prædictis septem Episcopis Iesu Christi discipulis consecrauit, & adhuc in carne degens se illic sepeliri sanctis fratribus præcepit; quia viderat, quod ibi dextera Domini fecit virtutem, & ibi resplenduit gloria maiestatis eius, vbi post aliquot annos sepultus fuit cum subsequa sanctiorum antistitum & venerabilium clericorum Arelatensium innumera multitudine, cum aliis tot nobilium millibus, quot vetustissima mille centum triginta annorum, aut amplius temporum successio, aut edidit nascendo, aut detriuit moriendo, quorum numerus & nomina Deo, cui nihil perit, nota sunt. Si subiecta oculis fidem rei facere possint, literæ notæ & ignotæ in hoc altari scriptæ testantur loci dignitatem, & auctoritatem, quas, vt ab hodie visis accepimus, Græci legentes manus cælo tendentes terræ toto corpore sunt affixi. Res magni miraculi loco dicenda & inter magnalia Dei habenda, in præfata Ecclesia aliquas voces angelorum canentium esse auditas, vt vita beati confessoris Quinnidii testatur. Supersunt hodie quidam Deo placiti homines, qui se audiuisse contestantur (nec sileri id oportet) quod ab omnium regionum locis tam finitimis, quam lange remotis corpora a prima prædicti cœmiterii fundatione, illic transportabantur; nec usquam fere alibi ea moris fuit sepeliri, sicut tumbarum numerus super terram, & sub terra sitarum designat, qui tantus est, vt fidem intuentium vel audientium excedat. Cerneres illic sæpenumero, quam magnus est Dominus, &

A B C

nn) Nigro fol. 139.

magna

magna virtus eius; quando corporum Custode vel ductore reuerso solius tantum vnda Rhodani remige litus ea excipit terra.... placide sinu colligit; nec vbi inferiores aliscampi terminos ex aduerso prospiciunt, impetu Rhodani impelli possint ad descendendum; nec contra naturam cursus fluuialis ascendere possint ad redeundum; vt vere diceres, quoniam sensibilia & insensibilia auctorem suum venerantur, & creatori quadam occulta virtute obsequuntur. Plerosque vidimus referentes, quando pecuniam cum mortuis obsignatam auaritia reproborum furum sublatam; sicque vasculum in quo mortuus erat inclusus, tamdiu in conspectu castri per Rhodanum rotabatur, nulloque impulsu fluminis aut hominis artificio descendere poterat, quousque furto detecto, restitutioneque resignata, mortuus oblationem sepulturæ suæ recepisset. Verum quia prænominata Ecclesia a beato Trophimo constructa, a Carolo magno dilatata & dotata ante paucos annos tota pene corruit, nec paruis impensis resarciri possit, rogamus in Domino & pie obsecramus, vt quoties nuncii huius Ecclesiæ ad vos venerint, benigne, sicut decet & opus est, recepti elemosynas plebium vestrarum recipiant, & pia vestra admonitione, ea, pro quibus ad os mittuntur, cum effectu expleant; vos autem, venerabilis fratres coepiscopi, litteras vestras bsis per vniuersas diœceses vestras vtiles & doneas date, quatenus prædictorum Sanctorum neritis merces vestra multa sit in cœlis, & quem habetis desuper operum inspectorem, sentiatis in districto examine justitiæ & misericordiæ distributorem.

Pisani & Genuenses Arelatensium Fœderati.

Deinde Petrum Aragonum Regem in Italiam sequutus est, vt Pisanos & Genuenses, antiquos Arelatensium fœderatos, componeret. In diplomate, quo regnum suum Petrus Diuo Petro tributum pendere voluit, Michaelem nostrum venerabilem suum patrem dicit his verbis. *Vt autem* (verba sunt Diplomatis oo)) *hæc regalis concessio inuiolabilem obtineat firmitatem, eam de consilio procerum curiæ meæ præsente venerabili patre meo Arelatensi Archiepiscopo, &c.* Reuersus Arelatem Michael 1207 Consules pp) creauit, quod priuilegium erat ab Imperatoribus concessum. Federicus enim secundus, qui ciuibus. jurisdictionem concesit, creandorum etiam consulum jus, vt mox videbimus, Episcopo Conseruauit. Demum Michael a Balthiis, qq) & Porceletis rr) aliisque Dynastis officia subiectionis seu homagia recepit, & Raimundum Tholosanum ss) Comitem, Narbonæ Ducem ac Prouinciæ Marchionem, obstrinxit clientelari juramento, hac forma præposita: *Sacramentale Raimundi Comitis Tholosæ, filii Reginæ Constantiæ,* (quod elogium filiabus, quæ ex Augusta Regum Francorum gente erant, cuiuis Duci aut Comiti nuberent, debebatur, vt obseruauit du Tillet) *qui fecit hominium Domino Michaeli Arelatensi Archiepiscopo.* Simon vero Montis fortis Comes, & sacri belli Dux, victo Raimundo, Comitatum Tholosanum armis adeptus, se Arelatensis Ecclesiæ (solito juramento præstito) beneficiarium siue clientem professus est: en formulæ titulum. *Homagium* tt) *Comitis Montisfortis super Bellicadro, Argentia & aliis.*

Alphonsus seu Ildephonsus secundus obiit condito testamento, cui Raimundus Berengarius filius nondum pubes successit: idcirco consensu supremaque patris voluntate, Garcenna omnem procurationem vtriusque Comitatus, Prouinciæ & Forcalquerii, in se vertit. Præcipuum autem est, in sigillo Cancellariæ lilium Gallicum manu gestasse Alphonsum, vt hoc emblemate Prouinciam supremo dominatus jure non Cæsares, imo Francos Reges spectare, significaret. Obitum Alphonsi anno MCCVI. contigisse volunt Prouinciales scriptores, quibus Zurita uu) aduersatur, reiicitque in annum MCCIX. *Alphonsus,* inquit, *Prouinciæ Comes, Barcinone soluens, Constantiam Reginam sororem ad Federicum maritum Siciliæ Regem magno Prouincialium & Cathalanorum procerum Comitatu deducens, in Siciliam, Februario mense, appellit.* Funestæ eæ nuptiæ morte Alphonsi, & plurium procerum, qui magna vi morbi ingrauescente Panhormi decedunt, fuere. Ex Garsenda vxore, Forcalquerii Comitis nepte, Alphonsus filium susceperat Raimundum Berengarium. Is Prouinciæ Galliæ dominabitur.

Verum maior rerum moles nobis incumbit: Othone enim, vt ait Vignerius, Cæsare reiecto, Imperium Germanicum Federico secundo vtriusque Siciliæ Regi, Henrici sexti filio, defertur: ipse vero Hierusalem & Arelatis Regis titulos suis adiunxit. Inauguratus Michael, Guillelmi Balthii Arausionensium principis, & ciuitatis Arelatensis Legatos & Oratores humanisime excepit. Guillelmo Arelatensium regnum: Michaeli vrbem ipsam, & ciuibus jurisdictionem condonat, confirmatque, appositio bullis & concesionibus sigillo aureo. Chartam Guillelmi non habemus præ manibus: Michaelis vero sic se habet.

1212 *Federicus II. Imp. Rex Arel.*

Federici II. diploma quo vrbem Arel. Episcopo concedit.

Michaeli S. Arelat. Ecclesiæ Archiep. Federicus. Romanor Rex.

In nomine xx) *S. & individuæ Trinitatis Federicus secundus diuina fauente gratia Romanorum Rex, & semper Augustus, & Rex Siciliæ: Ad Imperialis eminentiæ pertinet maiestatem, Ecclesiarum jura, siue possessiones*

oo) Legitur in Zuritæ indice rerum Aragonicarum.
pp) In autographo Episcopali rubeo fol. 47.
qq) In autographo Episcopali viridi fol. 259.
rr) Ibidem fol. 260.
ss) In autographo Episcopali rubeo fol. 313.
tt) Ibidem fol. 197.
uu) In Indice rerum Aragonicarum.
xx) In Autographo Episc. nigro fol. 128.

ad

ad honorem imperii illæsas seruare, & ne prauorum hominum inquietudine perturbentur, sui priuilegii munimine roborare. Cunctis igitur tam præsentibus quam futuris, imperiique fidelibus volumus esse cognitum, quod nos Arelatensis Ecclesiæ dignitatem digne considerantes, & eam tanquam caput Prouinciæ, & principalem sedem imperii, & Domini Imperatoris, & aliis, quæ pertinent adhonorare volentes, secundum antiquam, & rationabilem prædecessorum A nostrorum Regum, & Imperatorum concessionem confirmamus tibi Michael venerab. Archiep. & per te tuis successoribus regalia totius diœcesis Arelat. Ecclesiæ, & ipsam ciuitatem pro indiuiso, & plenam iurisdictionem in ciuitate in creandis Consulibus, & retinenda ciuitate ad seruitium Imperii, & Domini Imperatoris, & aliis, quæ pertinent ad iurisdictionem tuam sicut sunt Telonea, pædatica, iustitias, Iudæos, cordam, quintale, pharnariam, monetam, portus, montationes & reditus nauium, stagna, lacus, paludes, flumina, pascua de lapidoso agro; ita videlicet, vt de omni fructu, & vtilitate, quæ ex his, quæ supra descripsimus, poterunt prouenire, Ecclesia Arelat. & tu venerab. B Michael eiusdem Ecclesiæ Archiep. habeas, & possideas medietatem, & per te tui successores catholici, quicumque Imperio fideles extiterint, eandem etiam mediam partem tibi tuisque successoribus præsenti scripto confirmamus, & Imperiali authoritate communimus.

Confirmamus etiam tibi Dominium de Trencatallis, & quartam partem de Fossu, & de Albarone, & castrum de Salone, de Aluernico, castrum de Aualone, castrum S. Amantii, & castrum Vereum, castrum de Vinzobrio, Abbatiam S. Geruasii cum omnibus suis pertinentiis, piscariam de ponte, & quicquid Ecclesia Arelatensis in ciuitate, vel extra per Ecclesiasticas, vel sæculares personas habet, & possidet, vel iuste C habere debet. Statuimus etiam, vt Ecclesia Arelatensis, & eius iura, seu possessiones, & tu Michael Archiep. tuique successores nullius vniquam potestati vel Dominio debeatis subiacere, nisi nobis tantum, nostrisque successoribus Imperatoribus, seu Regibus Romanorum: hæc autem omnia Arelat. Archiepisc. eiusque successoribus confirmamus, & concedimus salua in omnibus iustitia, honore, & vtilitate Imperiali: statuentes quoque iubemus, vt de cætero nullus Dux, non Marchio, non Comes, nullus Princeps, vel Potestas, non Rectores, vel Consules, non Capitaneus, vel Vicecomes, non Ecclesiastica, sæcularisve persona magna, vel parua, iam sæpedictum Michaelem Arelatensem Archiepiscopum, eiusque successores molestare, vel inquietare, vel D disuestire præsumat in prædictis bonis, & possessionibus suis.

Si quis vero huius nostræ Authoritatis edictum temere violare præsumpserit, L. libras auri pro pœna se compositurum cognouerit, dimidium fisco nostro, & dimidium prædicto Archiep. & eius Ecclesiæ. Vt autem hoc verius credatur, & ab omnibus inuiolabiliter obseruetur, præsentem paginam scribi, & bulla nostra aurea iniunximus præmuniri. Huius rei testes sunt Fredericus Treueren. Arch. Amedeus Bisunt. Arch. Conradus Constantien. Ep. Henricus Argent. Ep. Walterus Basil. electus, Gaufredus Tricastin. Ep. Otho Dux Meraniæ Comes, Rodulphus de Salzburg. Comes, &c. Ego Conradus Spirensis & Metensis Episc. Imperialis aulæ Cancellarius, vice Domini Vinberti Vien. Archiep. & totius regni Burgundiæ Archicancellarii recognoui.

Acta sunt hæc anno Domini MCCXIV. regnante Federico secundo Romanorum Rege, & Rege Siciliæ glorioso, anno regni 2. Data apud Basileam 8. Kal. Decem. ind. III.

Ex membrana adhuc pendet sigillum aureum.

Ciuium vero diploma sic legitur.

Consulibus, militibus & vniuerso populo tam vrbis quam burgi Arelatensis Fredericus Roman. Rex.

In yy) nomine S. & indiuiduæ Trinitatis Fedeericus secundus diuina fauente gratia Romanorum Rex, & semper Augustus, & Rex Siciliæ consulibus, militibus, & vniuerso populo tam vrbis, quam burgi Arelatensis gratiæ suæ plenitudinem cum salute. Cum vrbs Arelat. caput Prouinciæ, & imperii principalis sedes existat, quanto speciali nobis, & imperio noscitur esse subiecta: tanto maioris gratiæ prærogatiua maiestatem decet Imperatoriam ipsius vrbis honorem, ac nobilitatem perpetuum conseruare, & priuilegiorum suorum munimine roborare. Ea propter nos attendentes deuotionem, & fidem, quam plene nobis, & imperio nostro exhibetis, iustis vestris petitionibus grato concurrentes assensu, ad imitationem, & exemplum Domini Federici aui nostri, consulatum vestrum, & omnem honorem vobis ab ipso auo nostro concessum, hoc Regio confirmamus scripto: constituentes, vt per consules singulis annis instituendos ius in vrbe, & Burgo, & eorum pertinentiis omni petenti reddatur, & quæcunque pertinent ad vtramque iurisdictionem, tam contentiosam, quam voluntariam, per eos valeant exerceri: saluo tamen in omnibus iure, quod in creandis consulibus, & iurisdictione ipsius vrbis reuerendus pro tempore Arelat. Ecclesiæ Antistes habere dignoscitur; cuius priuilegiis nequaquam volumus, sicut nec debemus, in aliquo derogare. Quicunque igitur contra hanc nostræ confirmationis paginam venire, & honorem alicuius libertatis, seu immunitatis a glorioſissimo auo nostro ciuitati vestræ concessum infringere, diminuere, seu perturbare aliqua temeritate præsumpserit, iram, & indignationem nostram incursurum, & banno nostro se nouerit esse subiectum. Vt autem hæc omnia firma, & inuiolata in perpetuum conseruentur, hæc præsens pagina sigillo nostro munita, & insignita refulget.

yy) In Archiuio vrbis.

Iidem plane teſtes, qui ſupra, eodemque dato munitum eſt diploma, ſed aureum ſigillum deeſt.

Hæc ſunt, quæ Federicus, non vt Auguſtus, imo vt Henrici ſexti hæres ſibi deberi in Arelatenſium regno contendebat. Miror, Raimundum Berengarium obmutuiſſe: at forte per ætatem non licebat; Garcenna enim mater publica negotia gerebat, dum filius adoleſceret. A Id volunt authores noſtri; rem tamen ſe aliter habere, explicat Zurita, zz) narratque, hoc eodem anno Regia cuſtodia detentum. *Totius*, inquit, *conuentus Illerdenſis conſilio, atque conſenſu Rex Guillelmo Mouredonio Templariorum magiſtro nutricio traditur, & Raimundus Berengarius Prouinciæ Comes, nonum agens annum, ei adiungitur, vt Montione Regio præſidio aſſeruaretur:* quod munitiſſima eius oppidi arx eſſet, qua tandem, eodem authore, elapſus eſt anno MCCXVI. *Raimundus* (inquit) *Berengarius Prouinciæ Comes ſuorum conſilio Petro Angerio nutricio, & duobus adminiſtris comitatus, clam Montionis arce egreſſus, in Tarraconis portum (Salonium vocant) profectus, actuaria naui in Prouinciam Galliam* B *nauigat.*

Reipubl. fundamenta Arelate.

Quicquid ſit, hoc innixi & ſuffulti priuilegio ciues noſtri, Reipublicæ fundamenta iecerunt, antiquam repetentes libertatem; viro illuſtri electo, qui ſub Poteſtatis titulo rempublicam non ſolum curabat, ſed reliqua munia ſupremo iure obibat. Primus, qui hac dignitate functus legitur, Isnardus a) eſt de Entrauenis: conſignabantur geſta publica eorum nomine in hunc modum: FEDERICO REGNANTE, ET ISNARDO DE ENTRAVENIS POTESTATE ARELAT. EXISTENTE. Cæterum tanto honore Archiepiſcopi maieſtas in vrbe colebatur, vt ex aſſenſu ciuium, aut ex priuilegio Cæſaris omnia ad ſe, totiusque ciuitatis procurationem reuocaret. Electus enim Poteſtas a comitiis Vrbanis: Conſules ab Archiepiſcopo; ipſis Iudices ſacramentum fidelitatis in Archiepiſcopi manibus præſtabant, officiumque & dignitatem conſtituto tempore ciurabant: imo abſente Epiſcopo vel ſede vacante Conſules creauit Capitulum; b) quæ omnia in membranis noſtris leguntur.

His omnibus tum in Eccleſia, tum in vrbe geſtis, Michael, vt quotannis die obitus anniuerſario pro ſe ſacrificaretur, curauit, atque hoc votum teſtamento c) inſeruit. *Quod ſi diuina diſpoſitione in his partibus deceſſero, Præcentor, qui tunc erit in Eccleſia S. Trophimi, faciat collocari & ſepeliri honorifice corpus meum infra Eccleſiam S. Trophimi, ante altare Beatæ Mariæ in pariete, qui eſt ex parte occidentis ſubtus feneſtram, in qua eſt Cleda ferrea, loco vitreæ.* Moriente autem illo XII. Kal. 1217. Aug. anno MCCXVII. Capitulum d) ſede vacante Hugonem Balthium in clientem recepit, conceſſo Mornacio municipio ad Rodanum. Sepulcrale vero Michaelis elogium hoc eſt:

ANNO DOMINI MCCXVII. XII. KAL. AVG. OBIIT MICHAEL DE MORESIO BONÆ MEMORIÆ ARELATENSIS ARCHIEPISCOPVS. ORATE PRO EO.

Inſigne: *Portoit de gueule a ſix beſans d'argent 3. 2. 1. au chef d'or.* Vid. TAB. II. Fig. 7.

HVGO BOARDY.

XXCIII. HVgo Boardy ciuis, aut popularis noſter, vt patet ex frequenti Boardorum in publicis tabulis ſubſcriptione, Præpoſitus, ſeu Protocanonicus Eccleſiæ Maſſiliienſis ornatum pontificium nomenque ſumpſit Arelate anno MCCXIIX. Primus Archidiaconatum e) inuexit inter ſacerdotes diui Trophimi vice ſuppreſſi a ſe Decanatus reditusque pinguiores dignitatibus attribuit, nobiles deinde viros clientelæ officia præſtantes admiſit. In iis (ſane plurimis) principem locum obtinet Raimundus f) Tholoſatium Comes, Iohannæ Reginæ filius, pro feudis, quæ ſæpe ſupra annotavi. Præterea confirmari curauit ab Honorio, g) quæ Anaſtaſius, Vrbanus, Cœleſtinus, Innocentius in Eccleſiæ Arelatenſis dignitatem geſſerant; eademque de cauſa a Federico ſecundo Bullam h) auream impetrauit, quæ etiamnum in archiuiis noſtris cum aureo ſigillo legitur. *Hugo.* 1218.

Vmbertus Maurienæ Comes, cum ex duabus vxoribus nullos ſuperſtites liberos haberet, nec videretur amplius de ſobole ſuſcipienda eſſe ſollicitus, ſubditorum precibus adductus eſt, vt tertiam vxorem duceret: ex C quibus nuptiis Thomas illi hæres filiusque ſumma omnium lætitia natus eſt, & Beatrix: hæc enim Thomæ Sabaudiæ Ducis vbique dicitur & prædicatur ſoror. Nubilis Berengario data eſt vxor anno MCCXIX.

Cæterum Arelatenſes rempublicam, vt exiſtimabant, Cæſarum beneficio aut temporum iniuria partam, induſtria & virtute tuebantur. Vicinos ſibi amicos in primis fecere, pactis cum Nemauſenſibus, Auenionenſibus, ciuibusque Maſſiliæ, & Narbonis Martii fœderibus: quæ omnia deploratiſſimam ætatem arguunt, quam ciuilia Albigenſium aliorumque hæreticorum bella in Galliam inuexerant. Extant in Archiuiis vrbis, & in Armario Nemauſenſium publico tabulæ, quæ id teſtantur. Procurata cum vicinioribus pace, Legatos & Oratores miſere ad Piſanos, & Genuenſes, de antiquo feriendo fœdere acturos: hi quæ in mandatis habebant egere, & diplomate Piſanorum & Genuenſium muniti redeuntes, maximo ciuium plauſu excepti ſunt. Verba exſcriberem, ſi hæc, vt iam attigimus, in Zurita i) non le-

zz) In Indice rerum Arag.
a) In autographo Epiſc. rubeo fol. 94.
b) Ibidem fol. 50.
c) Ibidem fol. 381.
d) Ibidem fol. 438.
e) In membranis capitularibus.
f) In autographo Epiſcopali rubeo fol. 432.
g) In autographo Epiſcopali nigro fol. 61.
h) In priuilegiis imperialibus numeris 6. 7. 8.
i) In indice rerum Aragonicarum.

geren-

gerentur. Masilienſes nihilominus Marchionem municipii Phocenſis bello vexabant. Hic Arelatenſis monuit, vt e ſuis finibus hoſtem pellerent: eſt enim in agrorum Arelatenſium ora Phocenſe municipium; ni facerent, ſe, Masſilienſes caſtro potitos non fœderatos, imo hoſtes habituros. Re in conſilium delata, in Arelatenſium k) tutela ſuſceptus eſt Phocenſis; nuntiatumque Masſilienſibus, vt bello abſtinerent.

Leges nouæ. Verum cum firmam & ſtabilem non fore rempublicam ſcirent ſine lege, antiquas vrbis conſuetudines nouis decretis ſententiisque auctas in vnum corpus redegere, itaque iure municipali l) antea vago in vnum collecto, vſi ſunt Arelatenſes lege poſteris durante admodum vtili. Sed enim corruit humana ſocietas, ſi vnius alicuius capitis ſapientia fideque coniuncta conſpirans non teneatur: ſatis igitur cautum proſpectumque Arelatenſibus viſum eſt, ſi ſummum virum inſtituerent, qui pro legum Imperio, ciuium ſalute, vrbisque gloria arma ferret. Itum igitur in conſilium & a ſenatu, populoque Arelatenſi vir electus eſt cui ſub Poteſtatis nomine vrbs commiſſa eſt, & demandata, vt ſuperius attigimus. Sub Hugone Boardo rempublicam curarunt Poteſtates, Isnardus de Entrauenis m) per annos quatuor, qui iam ſub Michaele eandem dignitatem inierat; Taurellus de Strata n) duobus annis præfuit, ad quem dum ciues Narbonis Martii & Aymericus eorum dux ſcriberent, hunc titulum Epiſtolæ inſcripſerunt: *Nobili* o) *& venerabili viro Domino Dei gratia Taurello de Strata, Arelatenſium Poteſtati, Conſules & probi homines Narbon* &c. *Aymericus Dei gratia Dominus & Vicecomes Narbonæ nobili & venerabili viro Domino Taurello de Strata per eandem gratiam Arelatenſium Poteſtati ſalutem* &c. Draconetus p) de Monte-dracone dignitatem Poteſtatis poſt Taurellum per annos quatuor ſuſtinuit; illi ſuffectus eſt Rolandus Georgius q) duorum annorum Poteſtas. Guillelmus Augerius d'Oſa r) vnum annum egit Poteſtas. Perceuallus de Auria s) per alterum. Borgondionus de Tretis t) & Rubeus de Furca u) ad finem vsque Boardi noſtri vitæ dignitatem conſeruarunt.

Nouus magiſtratus, dictus Poteſtas.

Commendabatur ſane vrbs Arelatenſis ea ætate, non ſolum ex agris vberrimis, ſed fortibus etiam viris. Ignominiam a Maſſilienſibus acceperat eiusdem vrbis Epiſcopus, quod non ferendum ratus Federicus Cæſar, curam ſummamque iniuriæ vlciſcendæ Arelatenſibus demandat. Illius verba ſunt: *Fidelitati* x) *veſtræ* (inquit Cæſar) *quanta poſſumus diſtrictione firmiter præcipiendo mandamus; quatenus prædictos ciues Maſſilienſes, & omnia bona eorum tam in mari, quam in terra, in perſonis, & rebus, ſine dilatione qualibet perſequentes, vbicunque ipſos poteritis, capiatis, & capi per veſtrum diſtrictum, & vbi poteritis, faciatis, tanquam expoſitos cuilibet occupanti; & Romani Imperii hoſtes factos: viuam guerram pro honore Imperii contra eos mouentes, & moueri etiam facientes, confœderatione forſitan inter vos & ipſos iuramento firmata, vel promiſſione qualibet non obſtante.* Datarium ſubiicio, vt intelligas, quo anno id præciſe acciderit. *Datum Foggiæ anno incarnationis Domini* MCCXXV. *die 22. Maii ind. 13.* 1225.

Fridericus II. Imp. Arelatenſes in Maſſilienſes excitat.

Sequenti anno Ludouicus Francorum Rex (*Leo* dictus Nangio, y) quod Leonis inſtar aduerſus rebelles atque impios inſurgere eſſet ſolitus) in Occitaniam venit, Raimundum Tholoſæ Comitem debellaturus: eius copiis transeundi facultatem Auenio Cauarum negauit. Irritatus Rex, oppugnauit, expugnauitque, vrbemque mœnibus nudauit. Arelate non tam vicinæ vrbis exemplo quam Francorum amore, quo ſemper exarſit, duodecim e nobilioribus electis, qui cum Rege negotia publica curarent, ad ipſum Legatos deſtinarunt: nobile eſt huius rei geſtæ monimentum in archiuio z) publico. *Electi Raimundus Auderius, Petrus de Aqueria, Fulco, Aurelia, Ferreolus, Romæus, de Farnaria, de Miromari, Rainaudus, Viſpius, Ricardus & Gente ad tractandum* (inquit codex) *firmandum & ineundum pactiones, & conuentiones fœderis, & amoris, & ſocietatis inter illuſtrem Dominum Ludouicum D. G. Regem Francorum, & ciuitatem, & vniuerſitatem Arelatis ſe ratum & firmum habere & ſeruare in perpetuum inuiolabiliter, quicquid ſuper præmiſſis a præfatis duodecim viris vel cum eis actum, vel factum, firmatum fuit, & promiſſum.* Porro Reipublicæ fragmenta ſuperſunt in Poteſtatum decretis & politicis conſtitutionibus, quæ ſparſim in membranis noſtris leguntur.

Ludouicus IX. Gallus. R. cur Leo dictus?

A politicis tranſeo ad Eccleſiaſtica. Dominicus, & Franciſcus, Innocentio probante, religioſorum inſtitutum in Europam inuexerunt, quod Honorius poſtea confirmauit. Horum naſcentes ordines Arelate Hugo Boardy inſtituit; Dominicanos fundauit, dotauitque Petrus Amantius, Franciſcanos Raimundus Balthius in aduerſa Rodani ripa Trencataiarum municipio; quod ad gentem Balthiam hæreditario iure ſpectabat. Illud memorabile ſit, Beatum Franciſcum, orante Arelate in comitiis ordinis generalibus B. Antonio de Padua, in forma Seraphici apparuiſſe, Beato Monaldo ſpectante. *In Arelate* (inquit author aa) *iacet frater Monaldus, qui vidit B. Franciſcum*

Dominicani & Franciſcani Arelate recepti.

k) In archiuio vrbis.
l) Leguntur adhuc fragmenta in lib. conuentionum.
m) In autographo Epiſcopali rubeo fol. 94. & 96. 169.
n) Ibidem fol. 165 358. & fol. 263.
o) In antiquo codice.
p) Ex autographo Epiſcopali rubeo fol. 276. 469. 338. 277. & 289.
q) Ibidem fol. 168. & 178. fol. 181.
r) Ibidem fol. 181.
s) Ibidem fol. 280. & 234.
t) Ibidem fol. 98.
u) Ibidem fol. 128.
x) In Archiuio vrbis.
y) In hiſtoria Gallica.
z) Ex codice antiquo.
aa) In lib. conformitat. vitæ B. Franciſci lib. 1. fructu vndec. & octau.

in aere ad ostium capituli, dum B. Anthonius prædicaret ibidem, de tit. crucis, fratres consignantem & benedicentem. In eodem loco iacet frater Beltrandus de Bollega, vir magnæ perfectionis. Nudato Trencataiarum municipio mœnibus, annuente Raimundo Balthio Auelini Comite, bb) alterius Raimundi pro nepote, curante Innocentio VI. anno MCCCLX. religiosorum domicilium in vrbem illatum est, domusque illis eo citius ædificata, quod fortunarum suarum desertores sanctius in paupertate viuerent. Monachorum vero Sancti Geruasii Phocensis municipii in scandala proruentium Abbatiam supprimi a Pontifice summo per Conradum cc) Portuensem Episcopum, & S.R. Ecclesiæ legatum, Hugo obtinuit, assignatis Archidiacono, quem instituerat, illorum reditibus.

Demum Berengario dd) Prouinciæ Romanorum & Forcalquerii Comiti permisit, vt municipium Marticense ad mare construeretur, quamplurimis conditionibus appositis, ea præsertim, vt Arelatensis Ecclesiæ subditi a Comitalibus sublidiis per vniuersam Prouinciam redderentur immunes; verba subiicio ex charta ee) geminata: *Nos Raimundus Berengarius Dei gratia illustris Comes & Marchio Prouinciæ & Comes Forcalquerii, de nostro placito, & voluntate remittimus, & desemparamus per nos, & successores nostros in perpetuum vobis Hugoni Dei gratia Arelatensi Archiepiscopo, recipienti nomine Ecclesiæ Arelatensis, & hominum eiusdem Ecclesiæ, omnia pædagia & exactiones & vectigalia, seu toltas, & omnia alia quocunque modo censeantur inuenta, seu imposita a nobis, seu a nostris Baiulis, seu Castellanis a morte Domini Ildephonsi bonæ memoriæ Comitis Prouinciæ, quondam patris nostri, & hora super homines Ecclesiæ Arelatensis, & Beati Trophimi, videlicet de Salone, de S. Amantio, de Granis, de castro veteri, & de castro S. Mitrii, & de Vaqueriis de Sancto Martino de Crau, de Aluernico, de Auronis: ita scilicet, quod homines prædictorum castrorum seu locorum gaudeant prædicta libertate, & franchesia per totam terram nostram, quam habemus in Aquensi & Arelatensi Prouinciis.*

Berengarii Priuilegium.

Quarto demum abhinc mense vltimum diem clausit: & in æde diui Trophimi collo-
1232. catus est XIV. Kal. Decembris anno MCCXXXII.

ANNO DOMINI MCCXXXII. XIV. KAL. DECEMBRIS OBIIT DOMINVS HVGO BOARDY BONÆ MEMORIÆ ARELATENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPVS, ORATE PRO EO.

IOANNES BAVCIANVS V.

XXCIV. IOannes cognomento Baucianus E- *Iohannes V.*
piscopus ff) Tolonensis, difficillimis temporibus Arelatensium Archipræsul eligitur. Barralis de Baucio, gg) cum Guillelmo hh) & Hugone Bauciis ii) Raymundus kk) & Bertrandus Porceletus, ll) Bertradus de Fos mm) & de Aqueria nn) quamprimum Episcopalem dignitatem adepto sese clientelari iureiurando obstrinxerunt: creati præterea ab ipso Consules; Vicarius, Iudex, imo magistratus ipse, qui Potestas dicebatur, (quod sententiam iure supremo ferret) coram ipso professi sunt, se ex æquo & bono Rempublicam administraturos, Ecclesiæ fundos, vitamque Episcopi, & Canonicorum contra quoslibet defensuros.

At ecce obortam tempestatem, quam nec potuit sedare Ioannes, licet proreta prudentissimus; ciues enim Arelatenses, Federici priuilegio suffulti, contra Episcopi iura, ipsi a Federico concessa, & confirmata, pro arbitrio rempublicam regere moliebantur. Quos quidem persæpe conatus est Antistes optimus frangere, & suam conseruare integram authoritatem: verum fatigatus in vrbe diuersis ciuium studiis, externisque petitus bellis a Berengario, tandem coactus fuit vrbis, ciuiumque iura ad annos decem in Berengarium transferre: inuitam Ioannis voluntatem ciuium vota sequuta sunt, quod, vt intelligas, ordine rem gestam explico.

Arelatenses iura ad Berengarium transferunt.

Federicus ingrato admodum aduersus Pontifices maximos animo, cuius tutorem Innocentius tertius, collato etiam Imperio, egerat, agros non solum Italiæ, Guelphorum, & Gibelinorum factionibus inductis, vexauit; sed etiam Apostolicam sedem delegit, vt, quibus posset, armis illam impeteret. Sacra denunciatione exosum principem e piorum cœtu Honorius tertius summouit, cui sententiæ Gregorius nonus postmodum fauit. Exinde Federicus mortalium iram in se concitauit, factusque publicus Christianæ Reipubl. hostis, omnes publicos hostes expertus est. Arelatenses Principis sacro fulmine percussi Imperium eo facilius excusserunt, quia iam Rempublicam instituerant. Sed o rem lugendam! ruituræ quamprimum Reip. Princeps erat Archiepiscopus, cuius leges etsi sanctas spernebant ciues, Potestas, cæterique magistratus Vrbani: spretis igitur legibus, conculcata ciuium libertate, & Ecclesia pessundata, nullus in vrbe rerum ordo fuit, nulla legum maiestas, nulla religio. Testes non alios, nisi ciues, profero.

bb) Apud Petrum Tanam pactorum perscriptorem municipii Balthiorum.
cc) In autographo Episcop. rubeo fol. 351.
dd) Ibidem fol. 445.
ee) Ibidem fol. 444.
ff) In autographo Episc. nigro fol. 83.
gg) In autographo Episcop. rubeo fol. 328.
hh) Ibidem fol. 327.
ii) Ibidem fol. 342.
kk) Ibidem fol. 331.
ll) Ibidem fol. 330.
mm) Ibidem fol. 43. & 44.
nn) Ibidem fol. 45.

Pote-

Potestas, Consules, Iudex præcipuæ erant vrbis dignitates. Potestas a ciuibus electus in hæc verba iurabat. *Ego* pp) *N. electus Potestas Arelatis iuro vobis N. Domino D. G. S. Arelat. Ecclesiæ Archiep. quod vobis ero fidelis toto tempore mei regiminis ab hac die vsque ad proximam diem Martis, post proximum festum Paschæ, & a die Martis prædicta in annum continuum, & completum, saluabo & defendam personam vestram, & personas Canonicorum, vobis obedientium, & res & possessiones & Iura, & priuilegia, immunitates, franchesias, & libertates, & immunitates militum, & proborum hominum de Arelate, domos religiosas, clericos, & personas Ecclesiasticas, & eorum franchesias prædicta omnia inde seruaturum sub virtute iuramenti præstiti promitto. Chartam Consulatus, & quæ continentur in ea bona fide seruabo. Sic me Deus adiuuet & hæc S. Dei Euangelia* &c. Iudex eodem munere fungebatur, quo Vicarius: hic a Potestate eligebatur: electus iurabat in eadem fere verba: *Ego N. electus Vicarius & Iudex a Domino N. Potestate, iuramus vobis Domino N. Sanctæ Ecclesiæ Arelat. Archiepiscopo, quod vobis erimus fideles, toto tempore nostri regiminis ab hac die vsque ad proximam diem Martis, &c. defendemus personam, &c. Res, possessiones & dominium & Seignoriam iurisdictionem ad vos & Ecclesiam Arelatensem spectantia, &c. Omnia & singula ad vestrum bonum intellectum seruabimus. Sic nos Deus adiuuet & hæc Sancta Dei Euangelia*, &c. Eiurabant vero non Potestas solum, Vicarius & Iudex in manibus Archiepiscopi magistratus curam; imo & ipsi Consules. Sed vt ciuium animos intime agnoscas, perspiciasque tanquam in tabella ætatis illius historiam, chartam subiicio, quæ index est rei gestæ accuratissimus.

uramentum Potestatis Archiepiscopo Arel. præstitum.

1237. *Documentum restauratistatus Arel.*

Anno qq) *ab incarnatione Domini* MCCXXXVII. IX. *Kal. Ian. Domino Federico Dei gratia Romanorum Imperatore semper Augusto regnante, & Domino G. Obriaco Nigro Potestate Arelatensi existente. Quoniam concordia parvæ res crescunt, maximæ dilabuntur; secundum quod vir sapientissimus Seneca profitetur; Nos infra scripti, scilicet Mottetus, Pontius Gaillardus, Vgo Bernardus, Bertrandus Rainaudus, Petrus, Ricardus, Bertrandus Bonaudus, Guillelmus Bonus filius, Bertrandus Borgoin, Gasta, Pontius Ferreolus, Raimundus de Farnaria, Guillelmus de Miromari, Iaufredus Trabustol, Gilius Dalmacius, Briinus Ricardus, Raimundus Ricardus, Vgo de Sancto Mauricio, Bertrandus de Montoliuo, Petrus de Aqueria, Hugo de Aqueria, Petrus Rainaudus, Bertrandus Berengarius, Durantus, Vaientorn, Berongarius Roueria, Raimundus Pontius, Bernardus Guitzona, Guillelmus Guibertus, Petrus de Insula, Guillelmus Raimundus, Petrus Bartholomæus, Ioannes Bartholomæus, Paschal. Guillelmus, Rainaudus de Stagno, Guillelmus Bernardus Rapina, Ioannes Manhaudus, & Raimundus Rostagnus.*

Nos omnes scientes & sentientes ciuitatem hanc Arelatensem ex discordia, & dissentione, quæ inimico hominum zizaniam seminante, inter nos retractis quibusdam temporibus perdurauit, iacturam non modicam incurrisse: eiusdem volentes consulere detrimento, & eiusdem vtilitatibus prouidere, vt ex quibus damna pertulit, sentiat incrementum: Facimus pacem ad inuicem, & concordiam de omnibus damnis & iniuriis ad inuicem illatis, inimicitiis & rancuriis, quas ad inuicem habebamus; promittentes per nos & successores nostros, bona fide, & sine dolo nos veram dilectionem, pacem integram, & cordis vnitatem perpetuo inter nos & inuiolabiliter obseruare. Promittimus etiam nos, per nos, & successores nostros pro posse nostro in vera pace, & dilectione sincera, quiete celebri, & tranquillitate perfecta; nec non & cordium vnitate constanti ciuitatem hanc Arelatensem perpetuo seruare, defendere, & inuiolabiliter custodire, & per nos, vel interpositam personam in hac ciuitate Arelatensi, vel in eius populo dissentionem, vel discordiam, inimicitiam, vel diuisionem, seditionem, scandalum; seu turbam, coniurationem; seu conspirationem inter personas singulares, vel plurium non moturos, vel tentaturos: nec quod ab aliquo moueantur, vel tractentur, aliquatenus subsecuturos; nec bonum statum in hac ciuitate antiquitus obseruatum, nec regimen huius ciuitatis in aliquo turbaturos, nec passuros, in quantum humanitatis nostræ vires concesserint, quod bonus status, & antiquus huius ciuitatis in aliquo, vel aliquibus innouetur, vel immutetur: sed pro posse nostro omnibus talia attentantibus restituros.

Promittentes expressim, nos per nos, & successores nostros saluare & defendere personam Domini Archiepiscopi, iurisdictionem eius, & dominium, & honorem, potestatem, & res eiusdem: personas canonicorum suorum, & res, & iura eorum; & vniuersaliter res omnes ad Ecclesiam B. Trophimi pertinentes: promittentes etiam, quod nos non substinebimus, quod eiusdem Domini Archiepiscopi, vel eiusdem canonicorum ius, vel dominium, iurisdictio, seu potestas in aliquo immutetur, diminuatur, vel etiam innouetur: sed ei seruabimus ciuitatem hanc Arelatensem, quantum ad iurisdictionem temporalem, & spiritualem; ad omnia secundum modum, & formam iurisdictionis & dominationis & status, qui hactenus obtinuit inter ipsum Dominum Archiepiscopum, & Ecclesiam Sancti Trophimi, & milites & probos homines Arelatis.

Promittimus etiam per nos, & successores nostros, quod non patiemur, quod aliquid de prædictis, vel iura, vel libertas Ecclesiæ S. Trophimi, militum, & proborum hominum Arelatis, vel ipsius ciuitatis Arelat. in aliquo violetur: vel in alterius dominium transferatur, & quod ita attendamus, & omnia supradicta integre compleamus, & inuiolabiliter obseruemus: ad maiorem rei firmitatem corporaliter tactis sacrosanctis Euangeliis iuramus per nos, & successores nostros: & quia in talibus satius nedum Deum habere vltorem, sed etiam vindictam incurrere temporalem, concedimus per nos, & successores nostros vobis Domino Ioanni D. G. Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ Archiepiscopo, & per vos successoribus vestris; nec non & vobis Domino Guillelmo Emi-

pp) Hæc leguntur in chartis supra citatis Autographo rubeo, viridi & nigro.

qq) in autographo Episcopali rubeo fol. 66.

Obriaco. briaco Nigro Potestati Arelatensi, quod si nos vel nostrum a iquis contra prædicta, vel aliquid de prædictis in aliquo, vel in aliquibus veniremus, contra nos pœnas, vel malctas, quæ vobis placuerint, pecuniarias, vel etiam corporales indicatas dicte tis, vel interponatis & interpositas etiam exigatis, quas nostrum quilibet contra prædicta, vel aliquid de prædictis in aliquo veniens debeat substinere.

Ad hæc nos Ioannes Dei gratia Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ Archiep. statuimus pariter, & ordinamus, per nos & successores nostros, vt pœna vnius, metus sit multorum, quod quicunque vestrum contra prædicta, vel a iquid de prædictis in aliquo venerit, ex parte Domini nostri Iesu Christi & Beati Apostolorum Petri & Pauli Anathema sit: statuimus insuper nos I. Dei gratia S. Arel. Ecclesiæ prædictus Archiepisc. & nos. V. Embriacus Niger Potestas Arelatensis pariter, & ordinamus per nos & successores nostros, quod quicunque vestrum, vel aliquis de prædictis contra prædicta, vel aliquid de prædictis venire tentauerit, fiat intestabilis, & infamis, & omni sit Iuris Ciuilis & Canonici, scripti & non scripti, municipalis & consuetudinarii beneficio in perpetuum destitutus: & eius domibus funditus destructis, arboribus euulsis, vineis radicitus extirpatis, segetibus deuastatis, bonis aliis omnibus confiscatis: nedum ipse, sed eius vxor, & liberi de hac ciuitate Arelatis exules expellantur omni beneficio restitutionis, & spe reuertendi in perpetuum caituri.

Statuimus etiam, quod vniuersi ciues huius ciuitatis milites Burgenses, seu etiam populares corporaliter tactis sacrosanctis Euangeliis iurent omnia supradicta, & singula, quantum ad personas proprias, & suorum, seruare perpetuo & inuiolabiliter custodire, & quod fideliter & potenter præstent consilium & iuuamen Domino Archiepiscopo, & Potestati; vel ei, qui tempore fuerit rector ciuitatis Arelatis, pœnas prædictas volenti executioni mandare, contra prædicta, vel aliquid prædictis infringere molientem.

Statuentes insuper per nos & successores nostros, quod statutum aliquod huius ciuitatis Arelatis, in quo contra prædictas pœnas, vel aliquam de prædictis pœnis aliquid statuitur, vel in futurum statueretur, quantum ad conuentiones præsentes, cassum & inutile sit, & omni robore penitus destitutum; statuimus præterea pariter & ordinamus per nos & successores nostros, quod Potestas vel qui pro tempore fuerit rector Arelatis, in principio sui regiminis, iuret se curaturum fideliter, quod prædicta omnia fideliter obseruentur, & quod in statutis specialiter apponatur, quod Potestas, vel qui rector fuerit Arelat. super Sancta Dei Euangelia iuret, se omnia prædicta inuiolabiliter obseruare, & prædictas pœnas violatoribus prædictorum, vel alicuius de prædictis, infligere non obmittat. Statuimus insuper per nos & successores nostros quod si forte, quod Deus auertat, aliquis prædictorum in aliquo extiterit violator; nedum ipse, sed eius fautores & coadiutores & eos quomodocunque associantes, vel pro eis etiam satisdantes eisdem pœnis subiaceant. Item statuimus per nos, & successores nostros, quod nulla spes alicui pateat recuperandi condemnationes iam factas; vel quas forte fieri contigerit in futurum. Nimirum sciendum est, quod generali concilio huius ciuitatis ad sonum campanæ more solito adunato in domo Domini Archiepiscopi supra dicti totum concilium supradictum, & singuli de concilio promiserunt per se, & successores suos; & quantum ad personas prædictorum, se omnia supradicta & singula de prædictis seruare & tenere & inuiolabiliter custodire, & ad maiorem rei firmitatem ad mandatum totius concilii. Ermenganus Darderius syndicus communis in anima singulorum de concilio omnia prædicta tactis corporaliter sacrosanctis Euangeliis iurauit fideliter obseruare.

Acta fuerunt hæc in aula Domini Archiep. Arelatensis. Testes interfuerunt Dominus Bertrandus præpositus, D. Bernardus Archidiaconus, Dominus Raimundus de Bariols Sacrista Arelatensis, Hugo not. Petrus de Podio Not. Bernardus Ventaironus. Et Ego Raimundus Arnaudi publicus Arel. Notarius, qui mandato prædictorum & dicti Domini Archiepiscopi & Prædicti Potestatis & totius concilii Arelatensis hanc chartam scripsi, & signo meo signaui.

Quis non speraſſet, diuturnam fore vrbis tranquillitatem? præsertim cum hæc sancta, salubri admodum ciuium consilio, pax videretur non temporum iniquitate extorta. Cum tamen nullum imperium tutum sit, nisi beneuolentia munitum, oderant Ioannem suum Præsulem ciues, eique ægre parebant. Potestas in gratiam optimatum minutam plebem vexabat. Iudex nulla legum municipalium ratione habita sententiam ferebat. Ciues in suam vtilitatem æs collatitium vertebant. Exorta igitur ex variis studiis discordia, ruentibus denuo in simultates ciuibus, crescente odio, vnanimi assensu in perniciem Ecclesiæ, & vrbis, fœdus iniere & vrbis imperium in Berengarium ad decem proxime annos transmiserunt: Liceat mihi Villanei historici verbum vsurpare: Ex boni consilii contemptu amarissimos fructus nasci, & fata adimere sanam mentem consuesse iis, quos oderint. *Berengarii felicitas.*

Erat sane Raimundus Berengarius omnium mortalium felicissimus. Quatuor ex Beatrice vxore filias habuerat Margaretam, Leonoram, Sanxiam, Beatricem. Ludouicus Francorum Rex Galterum Archiepiscopum Senonum, & Ioannem cognomine Nigellam ad Berengarium in Prouinciam misit, rogatum, vt Margareta filia sibi in matrimonium daretur, & continuo data est: aliquando post Henricus Anglorum Rex Leonoram duxit: Sanxiam Richardus: Beatricem Carolus: at Carolus, Berengario defuncto, Beatricem duxit. Vignerius rr) enim id tradit. Beatricem (inquit) Raimundi Berengarii Prouinciæ Comitis postremam filiam Comes Tholosanus in matrimonium petiit: cum vero pater virginis non abnueret; propinquitas autem intercederet, Pontificem Romanum Lugduni hoc anno adierunt, vt has nuptias vinculo legum, sacroque impedimento solueret: sed dum res per impedimenta sororum virginis trahitur; Prouinciæ Comes obiit. Ideo paulo post ipso au-

rr) In Burgundionum Chron.

dro-

thore Sabaudo auunculo suo Carolo, Franci Regis fratri iuniori, cognomine Martello, nupsit; quem Rex Andium & Cœnomanorum Ducem creauerat. Corrigendus tamen Vignerius, quod Carolo Martelli cognomen dederit: Carolus enim, qui id nomen tulit, Caroli secundi filius est, & tertius ab isto Carolus.

Hic ille est Berengarius, a quo Massilienses defecerant: rediere tamen ad officium. Nec probare possum, quod recitat Massonus. ss) *Raimundus* (inquit) *Prouinciæ Comes, Massilia a suis pulsus, ad Thomam confugit, & cum eo reliquum vitæ tempus egit.* Qua enim ratione id verum? Massilienſium defectio contigit anno MCCXXX. & in membranis præsens esse legitur Berengarius omnibus ferme subsecutis annis: imo &, quod præcipuum est, hoc anno MCCXXXIX. ab Arelatensi Episcopo, & ciuibus vrbis dominium, & præfecturam accepit, quod nobile antiquitatis monumentum ne pereat, hic exscribo.

Innotescat tt) *præsentibus & futuris, quod anno dominicæ incarnationis* MCCXXXIX. VIII. *Kal. Aug. Domino Friderico Dei gratia Romanorum Imperatore, semper Augusto: Nos Raimundus Berengarius Dei gratia Comes & Marchio Prouinciæ, & Comes Forcalquerii, tactis Sacrosanctis Euangeliis iurando promittimus vobis Domino Ioanni Dei gratia Sanctæ Arel. Ecclesiæ Archiep. interroganti quod vobis & Ecclesiæ fideles existemus, & fidelis defensor & protector, & conseruator omnium iurium, quocunque modo pertinentium ad vos Domine Archiep. & Ecclesiam Arelat. existemus, & personam vestram, dominium & Seignoriam, & iurisdictionem, & omnia bona vestra, & res, & iura, & possessiones, & immunitates, & libertates & franchesias vestras vbique, & personas Canonicorum Arelatensis Ecclesiæ et bona, et res, & iura, & immunitates & franchesias eorundem vbique defendemus, & saluabimus, & custodiemus; & priuilegia, & regalia vestra, & Ecclesiæ Arelatensis seruabimus, & firma tenebimus, & Ecclesias & Ecclesiasticas personas & domos religiosas, & earum immunitates, & libertates tenebimus, & conseruabimus; & tam minoribus, quam maioribus, & aliis omnibus iustitiam exhibebimus, sine acceptione aliqua personarum, Waldenses, & alios hæreticos, quocunque nomine censeantur, & eorum credentes, fautores, receptores, defensores, consiliarios, & benefactores ad mandatum vestrum & Ecclesiæ Arelatensis exterminabimus, & ea, quæ continentur in charta consulatus, & chartam consulatus promittimus vobis tenere firmiter, & seruare, & omnes venditiones de bonis hæreticorum per vos vel Commune Arelatis, & omnes alias venditiones factas de bonis Communis prædicti, prout instrumentis eorum continetur, ratas, & firmas tenebimus, & seruabimus: Item promittimus vobis prænominato Domino Archiepiscopo, quod non patiemur transferri, vel auferri vobis, vel Arelatensi Ecclesiæ dominium, vel iurisdictionem, immunitatem, & franchesiam, & libertatem, quam vos, & dicta Ecclesia, & milites, & probi homines Arelatis in Arelate, & in eiusdem ciuitatis tenementis, vel alibi ex quacunque causa habetis, vel habere debetis, vel visi estis habere, vel hactenus habuistis: imo omnia ea, & singula seruabimus, & firmiter defendemus. Item promittimus seruare, & attendere, & complere ordinamenta, quæ ordinabitis vos cum illis septem, qui constituti sunt ad ordinamenta ciuitatis Arelatis facienda; promittentes etiam vobis, nos vniuersa, & singula suprædicta attendere, & complere ad bonum vestrum intellectum. Sic Deus nos adjuuet atque hæc S. Dei Euangelia.*

Promissio Archiepiscopi Berengario facta.

Ad hæc nos Ioannes Dei gratia Sanctæ Arelat. Ecclesiæ Archiepiscopus de voluntate expressa totius parlamenti ad sonum campanarum, & tubarum more solito congregati tradimus, & concedimus Raimundo Berengario Comiti Prouinciæ iurisdictionem Arelatis, & quicquid Commune Arelatis habet, vel visum est habere, vel habere debet, cum suo emolumento, & onere, & honore vsque ad tempus, quod nos ordinabimus, & statuemus: saluis tamen, & retentis nobis, & vobis, iuribus & rebus aliis, quæ in ciuitate Arelatensi vos, & nos habemus, vel habere debemus, & eis omnibus, quæ in priuilegiis nostris, & regalibus Arelatensis Ecclesiæ continentur, & retentis nobis, & Ecclesiæ Arelatensi appellationibus, publicationibus testamentorum, codicillorum, & omnium aliarum vltimarum voluntatum, & notariis publicis, & Iudicis Arelatis: saluo & retento omni iure dominio dominorum burgi ipsis dominis Burgi; quod tam ipsi, quam prædecessores eorum habere consueuerunt in Burgo Arelatis; retento equidem vobis prænominato Comiti omni iure, quod habetis in ciuitate Arelatensi, vel tenementis eiusdem ciuitatis, vel prædecessores vestri habuerunt, vel tenuerunt ex quacunque causa, sicut continetur in pluribus priuilegiis, vel aliis chartis, vel per testes,

Ratihabitio Parlamenti Arel.

Ad hæc Willelmus de Miromari ciuis & habitator Arelatis de mandato dicti Parlamenti in animam omnium, & singulorum ciuium dicti Parlamenti, & suam promisit, corporaliter præstito iuramento super Sancta Dei Euangelia, prædictam traditionem, & concessionem, & vniuersa, & singula suprascripta rata, & incommota tenere, & seruare.

Actum fuit hoc in palatio dicti Domini Archiepiscopi in Parlamento publico Arelatis.

Postea vero anno, quo supra, XIV. Kal. Sept. concilio Arelatis more solito congregato:

Nos prænominatus Archiepiscopus præsente, & volente, & expresse emologante concilio supradicto, in hunc modum tempus ordinamus, & statuimus supradictum, videlicet quod vos dictus Comes habeatis & teneatis & pacifice regatis omnia supradicta & ad ea pertinentia toto tempore vitæ vestræ, saluis nobis, & vobis atque retentis iuribus nostris, & Ecclesiæ Arelatensis, & vestris, & possessionibus, & in omnibus aliis ad vos, & nos spectantibus, & Ecclesiam Arelatensem, prout superius est expressum. Actum fuit hoc in sala Domini Archiep. moranti præsentibus testibus infra scriptis, videlicet Romæo de villa noua, Guidone præposito Bariolensi, Enrico priore Antipolitano, coram concilio more solito ad sonum campanæ congregato. Et ego Guillelmus de Grauesone publicus Notarius suprascriptus testis interfui, & chartam scripsi, & signo meo signaui.

ss) In Annalibus Francorum lib. 4.

tt) In membranis Episcopalibus & in autographo rubeo fol. 318.

Sed

1245 *Arelatenses ad Carolum Ludouici Reg. fratrem perueniunt.*

Sed hæc tantum fuere præludia vsurpationis, seu transmissionis iurium Arelatensis Ecclesiæ: Raimundo enim decedente anno supra mille ducentos quadragesimo quinto, Carolus diui Ludouici frater, & Beatricis vir, a Prouincialibus Comes salutatus est. Hic multiplici iure Arelatem suam contendebat. Totius Prouinciæ Comes erat, in qua Arelate sita est, imo quæ Prouinciæ Princeps & Primaria habebatur: nec eum latebat, Berengarium a Federico Arelatem feudi iure recepisse: ad hæc accedebat, Episcopum & ciues in Berengarium iurisdictionem contulisse: imo Arelatem Francos semper Reges spectasse. Legatos igitur Arelatem misit, vt ciuium animos tentarent: absoluti dimissique sunt infecto negotio. Quamobrem Arelatensium agros populatus est, ciuesque leuibus præliis fatigauit. Ferrum ferro opposuere Arelatenses: sed senioribus vsi consiliis, cum fluentem procumbentemque discordia ciuium Rempublicam viderent, pactis vtrinque fœderibus, per legatos & oratores (hæc etiam num hodie conuentiones vocant) se Caroli potestati submiserunt, anno Domini MCCLI. Extinctaque est respublica, quæ annos XXXVII. inter ciuium simultates & discordias duraverat.

1251

Ioanne viuente, tres tantum lego Potestatis dignitate auctos, Bertrandum uu) Rolandum Rubeum in annos tres, Guillelmum xx) Obriacum Nigrum in annos decem, & Albertum yy) de Lanauia in annos quatuor: verba conuentionis appono:

Conuentionis Arelatensium formula.

Post multos ergo tractatus ciues Arelatenses solemnes nuncii supradicti, videntes sibi & suis expedire conciuibus, eiusdem Domini Comitis gratiam obtinere, nec sub alio, vel per alium in pace suam posse consistere ciuitatem; præsertim propter bella intestina, & strages retroactis temporibus commissas, pluries in eadem, communi & deliberato consilio, non inducti terroribus, siue minis, sed eiusdem Domini Comitis firmum habentes quidagium, eundo, stando & libere redeundo, nullo dolo vel circumuentione seducti, nulla vi metuue compulsi, sed gratis & salutis suæ ciuitatis intuitu, tam suo quam totius vniuersitatis Arelatensis nomine, vltra omne ius, quod in Arelate dictus Dominus Comes habere poterat, vel debebat, se & conciues suos omnes, tam ciuitatis, quam burgi, & ipsam ciuitatem, & burgum eiusdem Domini Comitis, & hæredum suorum in perpetuum dominio, iurisdictioni, mixto & mero imperio subiecerunt: omnia bona & iura Communis ciuitatis eiusdem, quæ in præsenti ac nunc habet, vel possidet, vel alius ejus nomine vel habere vel possidere debet, seu potest, nunc & in posterum in eundem Dominum Comitem & suos hæredes in perpetuum ex causa donationis gratuitæ transtulerunt: & nominatim quicquid habet Commune dictæ ciuitatis infra ciuitatem, vel burgum, vel suburbia in Firmantiis, & iustitiis, domibus, censibus & vsaticis: quicquid etiam habet in toto suo districtu, scilicet iurisdictione, & banno, pascuis, piscationibus, aquis & aquarum decursibus, stagnis, paludibus, nemoribus & venationibus, & terris cultis, vel incultis, & in castro Auxiculæ, & in toto eius districtu, & in castro Casteleti montis maioris, & alibi vbicunque. Hæc autem omnia domino Comiti & suis hæredibus in perpetuum libere concesserunt: saluis sibi libertatibus & priuilegiis inferius annotatis, & per eundem dominum Comitem approbatis.

Sigillum ciuium dum jure suo verentur, hic edi curauimus. Vid. TAB. II. Fig. 28.

Archiepiscopus hoc vtebatur, solebatque apponi chartis dum Archiep. aliquid ex jure suo agebat cum probis hominibus, aut cum præfecto laborum & operarum. Vid. TAB. II. F. 29.

His tamen non obstantibus a Federico, antequam decederet, prisca Episcopi jura confirmante, bullam auream obtinuit Ioannes.

Friderico II. Imp. mortuo Wilhelmus Com. Holl. iura in Arel. sibi vindicat.

Postmodum Federicus Imperator obiit in Apulia, post quem Henricus filius Imperii titulos sibi retinere conatus est. Guillelmus nihilominus, qui sibi Imperium arrogabat, Comesque Holandiæ, Romanorum Rex dici voluit, *omnia jura* (ait Vignerius) *prouentus & emolumenta, quæ nomine Imperii in regno Arelatensi sibi competere credebat, Comiti Burgundiæ pro decem Marcharum argenti millibus oppignorauit.*

Ioannes vero (sæcularibus licet præpeditus negotiis) spiritualia non prætermisit; duo enim concilia celebrauit, quorum primum canone decimo octauo, de Imperatorum concessionibus Ecclesiæ Arelat. factis meminit his verbis: *Item cum teneamur jura suffraganeorum nostrorum defendere, & seruare, volumus & mandamus omnibus suffraganeis nostris, vt regalia B. Trophimi ad Arelatensem Ecclesiam pertinentia pro posse suo defendant viriliter, & potenter, secundum quod in priuilegiis Romanorum Imperatorum eidem Ecclesiæ est concessum; quorum priuilegium transcriptum Colradi* vnusquisque habeat & transcribat.* Alterum vero de confratriis, & societatibus editum in concilio Valentino constitutum promulgauit: canone enim duodecimo legitur: *Item super confratriis, coniurationibus, conspirationibus, societatibus, vel quocunque nomine censeantur, seu conuentiones: seruetur quod statutum est in concilio Valentino.* Tunc primum visa virorum sodalitia, quos hodie *pœnitentes* vocamus. Demum composito cum ciuibus Arelatensibus decimarum jure, Ecclesiæ Lodeuensi Beati Genesii Arelatensis Martyris reliquias concesit, brachium videlicet & sanguinem pixide inclusum, moriturque anno MCCLVII.

* Conrad.

1257

BERTRANDVS I.

Bertrandus I.

XXCV. BErtrandus (quem non existimo alium ab eo, cui plerisque in codicibus nomen est additum, de Sancto Martino: etenim duo sunt nobis connomines Episcopi: iste ab eo tertius) primis Episcopatus auspiciis, audita morte Ioannæ, & Alphonsi, sine prole Tholosatium Comitis: nec nescius, quod

uu) In autographo Episcopali rubeo fol. 343.
xx) Ibidem fol. 66.
yy) fol. 308.

Ludo-

Ludouicus Gallorum Rex consensu Raimundi junioris, vltimi eorundem Tholosatium Comitis, Lutetiæ Parisiorum habito, in solidam Comitatus possessionem iussset: Alexandrum quartum summum Pontificem monuit, Regi suadendum, vt lubens pro Tholosano Comitatu se Arelatensis Ecclesiæ clientem profiteretur. Annuit Alexander, zz) deditque ad Regem litteras, per Anicien sem Episcopum, cui Legationis comes aderat Guillelmus Arelat. Ecclesiæ Archidiaconus: humanissime excepit Ludouicus, beneficiarius tamen dici voluit; quod Bellicadrum, & agri Argentiæ, pro quibus clientela poscebatur in regno Francorum essent. *Tandem* a) *veniente ad nostram præsentiam Guillelmo Archidiacono Arelat. Procuratore Archiepisc. supradicti, mediante dilecto ac fideli nostro Guidone Anicien si Episcopo, qui ex mandato summi Pontificis speciali, ad componendum inter nos & dictum Archiepiscopum, seu procuratorem ipsius fideliter intendebat, cum eodem procuratore super prædictis composuimus in hunc modum: videlicet* *Bellicadrum sub Reg. Gall. a nexu homagii liberatum.* *quod castrum Bellicadri, cum Argentia, nobis & successoribus nostris regibus Franciæ liberum romaneat ab omni fidelitate, & homagio, & recompensatione debita pro eisdem: si vero dictum castrum ad manum alicujus successoris nostri veniet, qui non esset Rex Franciæ, ille & in perpetuum eius successores, qui Reges Franciæ non fuerint, Archiepiscopo Arelatensi, qui pro tempore fuerit, fidelitatem jurare & homagium facere teneantur.*

Scripsit deinde ad Senescallum Bellicadri, b) vt centum libras Turonenses in annuum censum Archiepiscopo Arelat. persolueret: litteræ in membranis nostris leguntur. Clausula autem in diplomate regis apposita (*si vero dictum castrum in manum alicujus successoris venerit, qui non esset Rex Franciæ, Archiepisc. Arelatensi homagium facere teneatur*) annis proxime elapsis litis mouendæ causa hæc fuit. Henricus enim Magnus castrum Furcarum Rodano appositum Leydeguerio nunc Franciæ comestabuli, concesserat: iste vero in quatuordecim millium aureorum solutionem, Crequio genero: hic vendidit Monerio præsidii in subsidiorum Senatu Occitanico ad Montem Pessulanum; quibus actis certe a vigilantissimo præsule (cui totum hoc opus consecratum iui) Gaspare a Laurentiis, qui nunc feliciter ad clauum Ecclesiæ Arelatensis sedet, lis in præsidem mota est, & finem optatum habuit supremo Senatus Tholosani judicio, hominiumque delibato osculo in manibus Domini Archiepiscopi, in ipso Furcarum castro die 27. Ianuarii anno MDCXX. Monerius per Procuratorem præstitit.

Porro fundauit in Arelatensi Ecclesia Rex Ludouicus anniuersarium pro anima Ludouici patris annuo centum solidorum Turonensium apud Bellicadrum, reditu assignato, his verbis: *Ludouicus* c) *Dei gratia Francorum Rex Senescallo Bellicadri, qui pro tempore fuerit, salutem. ... Mandamus vobis, quatenus singulis annis detis præposito Arelatensi, vel suo certo mandato centum solidos turon. quos eidem annis singulis in perpetuum dari volumus de pædagio nostro Bellicadri, pro anniuersario inclytæ recordationis charissimi patris nostri.*

...Cæterum in politicis interregnum fuit in Imperio, Guillelmo Cæsare & Hollandiæ Comite mortuo: Richardo, Angliæ Regis fratre, & Alphonso Castiliæ Rege de Imperio contendentibus. Licet vero Arelatenses sponte Caroli imperium suscepissent, defectionem tamen cum cæteris Prouincialibus molientes aduentu suo terruit Carolus. Vignerius d) enim, *hoc anno*, ait, *Prouinciæ populos dicto sibi minime audientes Carolus Andium & Prouinciæ Comes, dicto in eos exercitu, ad officium reduxit.* Hoc eius elogium fuit: *Caroli Regis Franciæ filius, Dux Andegauiæ, Comes & Marchio Prouinciæ, & Comes Forcalquerii, Arelates Dominus.* 1260. *Carolus, Regis Gall. Frater, Prouinciæ Dominus.*

Demum Bertrandus noster, a Barrali Balthio e) solemnibus clientelæ signis & officiis honoratus, desiit esse in viuis anno MCCLX. vt indicat Concilium f) prouinciale, Florentio successore celebratum: *Partem* (inquit) *primam patri attribuunt* (de quibusdam hæreticis loquitur) *sub specie tali, & legis Mosaicæ secundam attribuunt filio, quam appellant speciem gratiæ, & durauit annis* MCCLX.

FLORENTIVS.

XXCVI. FLorentio (quem aliqui Florentinum dicunt) Arnaudus, g) Poutius; & Raimundus de Montedraconis, & domina Rixendis, vxor quondam domini Pontii de Monte-draconis pro se, & filiis, pro parte, quam habebant in castro Montis-draconis hominium præstiterunt, & Bertrandus de Balthio h) ab illo in clientem cooptatus est. Celebrauit Concilium i) Prouinciale, quod canone quinto decreuit, vt officium Beati Trophimi solemniter per totam Prouinciam persolueretur, his verbis: *Festum autem B. Trophimi per totam Prouinciam solemniter celebretur, sicut de Apostolo.* Leuis hæc certe videtur quæstio, de titulo Trophimi; licet enim duodecim tantum fuere Apostoli, discipuli tamen eorum, & hi, qui ab Apostolica sede missi populos ad fidem Christianam conuerterunt, hunc inerentur titulum: agitata tamen hæc alias fuit quæstio a Canonicis k) Lemouicensibus, atque vt Apostoli nomen diuo Martiali tribueretur, necessarium fuit, quamplurima indicere concilia. *Florentius.* *Feudum Montis-draconis.*

His vero non diu superfuit Florentius: fatis enim cessit anno MCCLXV. quo anno vacan- 1265

zz) In autographo Episcopali rubeo fol. 163.
a) Ibidem.
b) Ibidem fol. 194.
c) Legitur hoc diploma in libro capitulari, qui dicitur repertorium bullarum Apostolicarum.
d) In Burgundionum Chron.
e) In autographo Episcop. rubeo fol. 359.
f) In M. S. Codice.
g) In autographo Episcopali rubeo fol. 304.
h) Ibidem fol. 315.
i) In M. S. Codice.
k) Baronius anno 1029 numero 10.

te adhuc Imperio, Carolus noster bello clarissimus ad regnum Siciliæ suscipiendum, ab Vrbano quarto contra Manfredum, Conradino impubere præterito, euocatus est. *Carolus*, inquit Vignerius, l) *cognomine Martellus Prouinciæ Comes, utriusque Siciliæ Rex a Romano Pontifice aduersus Naufredum * designatur:* at non dici Martellum, iam reprehendi. Illo vero Massilia soluente, quos habebat magistratus in vrbe præfectos, eosdem experta est Arelatensis Ecclesia tyrannos: præ manibus enim habemus lugubres, & querulas voces admixtas lachrymis, quibus maiores nostri tum Pontificem, tum congregationem Cardinalium aduersus Carolum, ab eodem Pontifice Siciliæ Regem declaratum, interpellarunt. At ne veritati quidquam addam aut subtraham, ipsas accipe litteras.

* Manfredum.

Reuerendissimo Patrum Venerabilium Dominorum Sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, cœtui sacrosancto, deuotissimi sui B. Præpositus & Capitulum Arelatensis Ecclesiæ, se ipsos cum omni reverentia, & honore.

Arel. Ecclesiæ literæ ad Cardinales.

Super m) *flumina Babilonis sedens, & eiulans filia vestra deuotissima, velut Pharaonis oppressionibus inuoluta, ac Neronianis persecutionibus afflicta pariter, & absorpta quasi penitus Arelatensis Ecclesia clamare non cessat, vt tuba clangens vocem suam exaltans, & matrem suam Sanctissimam Romanam Ecclesiam, sum vtique refugium singulare, supplicans, obsecrans, & implorans fauorabiliter exaudiri; sibique salubri remedio celeriter prouideri: non enim aliter addicere poterit, vt resurgat, quæ velut ciuitas plena populo simul & diutiis olim solebat affluere; nunc autem sola sedet in tristitia, bonis fere suis omnibus destituta.*

Pauca non fluxere tempora, quibus ciuitas Arelatensis eidem Ecclesiæ pleno jure suberat; vbi siquidem Præsul omnino nomen Principis exercebat; Notarios, & tabelliones creabat: a Vicariis judicibus, & officialibus aliis fidelitatis recipere juramentum solebat; Iudæos omnes, proprios seruos habebat; centum libras annuas percipiebat ibidem, & alia plurima, quæ dominus quilibet in dominio solet habere. Sed hæc omnia vir præpotens Dominus Carolus, tunc nobilis Comes Prouinciæ, & Forcalquerii, Rex Siciliæ illustris, per suam potentiam abstulit, & eam sibi appropriauit ex toto.

Possidebat insuper eadem Ecclesia pleno jure campum cotulosum, qui Crauus dicitur, plenam ibi jurisdictionem priuatam, & publicam exercendo; sed & tam per se ipsum, quam per suos vasallos vniuersa maria finibus Arelatensis diœcæsis adhærentia: nec non piscarias quascumque, seu quouis nomine designatas; vbi siquidem percipiebat decimam competentem. Sed ipse Dominus Carolus hæc omnia per suam fortitudinem occupauit, & abstulit, & ad suam proprietatem attraxit: in ipsis etiam aquis contra Deum, & justitiam, conuentiones inter ipsam Ecclesiam; & quondam Prouinciæ Comitem olim habitas & juratas, piscariam vnam fecit fieri, piscarias alias ipsius Ecclesiæ penitus accipiens; valentes in reditibus septingentas libras Turon. monetæ, vel circa: de quibus officiales sui non sustinent ab emptoribus dari pro decima, nisi libras octo duntaxat: ab antiquissimis etiam temporibus solet in castro Salonis ipsius Ecclesiæ pædagium recipi generale, quod iidem officiales sui quasi totaliter annullarunt, cum prohibuerunt vniuersaliter, ne cum rebus, ex quibus debet dari pædagium, fiat, vt solito transitus per Salonem.

Insuper etiam iidem officiales jurisdictionem Ecclesiasticam spiritualem simul ac temporalem passim eneruant, impediunt, & vsurpant. Nec his tam grauibus, tam intolerabilibus iidem officiales contenti, quandam particulam substantiolæ, quæ prælibatæ remansit Ecclesiæ, studentes nequissime velut in fauillam redigere, nuper ad jurisdictionem propriam ipsius Ecclesiæ suam fortitudinem conuerterunt, hominibus ipsius Ecclesiæ, in quibus nullam procul dubio jurisdictionem habere noscuntur, pœnas expressas centum millium marcharum, & plurium imponendo; ac demum eos profecta contumacia, quæ non fuit, in decem millibus librarum Turon. & pluribus condemnando; qui siquidem hoc in anno contra omnes Ecclesias, per ciuitatem Arelatensem cum armatis pluribus per noctem faciendo non paucas volarunt Ecclesias: earum Capellanos, clericos, operarios ..... etiam clericum super altare gladio vulnerauerunt quinquies, cuius ..... & altaris linteamina; nec non paschalem cereum, quem clericus pro sua securitate tenebat, ibidem extinctum totaliter polluerunt, clericos vestibus spoliauerunt, per plateas & vicos; batallia campanarum etiam ab aliquibus Ecclesiis ..... sed ..... breuiter omnem libertatem Ecclesiasticam penitus condemnarunt, sicut altaria quamplurima probant manifestissime per legitima documenta.

Flexis igitur genibus cum lachrymis supplicamus, quatenus ..... dicere possumus Babilonis misere facta mater omnium fidelium Romanæ Ecclesiæ celeri ..... solicitudine subueretur, siquidem & ipsa captiua filia Sion, quæ cum iniquitate perdidit, recuperet & in ..... molestiis salubri sibi remedio consulatur. Christus Dominus vestras venerabiles in sospitate personas, Ecclesiam suam sanctam sub vestris temporibus in sua secura libertate conseruet.

Dat. Arel. Kal. Iulii.

BERTRANDVS II.
A SANCTO MARTINO.

Bertrandus II. 1266.

XXCVII. BErtrandus a Sancto Martino natalibus clarus, & popularis noster,

l) In Burgun. Chron.

m) In membranis Capitularibus.

ex

ex præpoſito Arelatenſis Archiepiſcopus n) Porceletum Cenalii dominum; Arnaudum, o) Pontium, & Raimundum Montis-draconis Dominos; Bertrandum p) Balthium Barralis filium, & alios quamplurimos beneficiarios Arelatenſis Eccleſiæ ſuſcepit: nec dubites, ipſum poſt Bertrandum alterum, & Florentium ſediſſe; quippe qui canonem concilii a Florentio celebrati citat canone decimo ſexto, & decimo ſeptimo concilii q) prouincialis, quod ipſemet conuocauit. *Ad hæc etiam* (ait) *infra ſcriptum ſtatutum editum, per bonæ memoriæ D. Florentium Arelatenſem Archiepiſcopum prædeceſſorem noſtrum ſtatuimus.* Falſo equidem notatur, concilium hoc Auenione initum anno Domini MCCLXXIX. vel ſane fallitur Ciaconius, r) qui hoc elogio Bertrandum commendat. *Bertrandus Gallus ex Arelatenſi Archiepiſcopo Cardinalis Sabinus obiit in interregno, poſt mortem Ioannis* XXI. *anno* MCCLXXVII. A Clemente quarto jus deferendæ crucis per vniuerſam Prouinciam Arelatenſem obtinuit, Pontificum Romanorum more, diplomatis verba ſunt.

Ad s) *rememorandum Sacramentum dominicæ paſſionis, quæ fuit noſtra redemptio, mortis noſtræ deſtructio, & vitæ reparatio ſalutaris; crucem, quam ipſe redemptor nos redimendo ſubiit, gerimus figuratam interius, & in crucifixi memoriam deuotis mentibus exterius adoramus: illius quoque mirificæ crucis ſignum Romani Pontifices, veluti Chriſti Vicarii habent ſuis greſſibus præuium, vt in eis ſignum cum ſignato concordet: ac eius, cuius vices gerunt, in terris veſtigia proſequi dignoſcant. Licet igitur deferendæ crucis dignitas, ſolis eiſdem Pontificibus conuenire noſcatur: dignum tamen duximus, vt Arelatenſem Eccleſiam, quam propter laudabilia ſuorum, qui fuerunt pro tempore merita prælatorum, grandium honorum conſpicimus titulis inſignitam, huiuſmodi Apoſtolicæ dignitatis participem faciamus: quare ad tui, & ipſius Eccleſiæ decoris augmentum tam tibi, quam tuis ſucceſſoribus in perpetuum faciendi coram vobis deferri crucem per Arelat. Prouinciam, & præſenti priuilegio, quo prædictam Eccleſiam de ſpeciali gratia præſignimus, plenam præſentiam authoritate concedimus facultatem, anno 3. Pontif. noſtri clement. 4.*

Interregnum erat, vt iam attigimus; nec duo in cœlo Soles. Richardus, & Alphonſus pro Imperio certant, & vt alteri alter ſuccumbat, neceſſe eſt. Carolus noſter, & Beatrix, Romam vocati, in æde Lateranenſi ornatum regium, & nomen ſumpſere. Manfredus ſe regem dicit: aut Manfredum, aut Carolum mori oportet: pugnatum igitur acriter, fugatis, cæſiſque Manfredi copiis; ipſoque Manfredo cadente, Carolus victoria, & corona potitus eſt. Memorabile autem eſt, productos in conuentu procerum Manfredi theſauros, diuidi a Balthio Carolum voluiſſe. Hic abiecta, quam Rex dederat, ſtatera, theſauros in tres portiones pede partitus: prima (inquit) tua eſto Rex; ſecunda Reginæ: tertia militum, qui rem tuam fortiter curarunt. Hoc deinde Manfredo appoſitum Epitaphium:

Epitaphium Manfredi.

Hic jaceo Caroli, Manfredus, marte ſubactus.
Cæſaris beredi non fuit vrbe locus.
Sum Patris ex odiis auſus conſligere Petro.
Mars dedit hic mortem; mors mihi cuncta tulit.

Conradinus.

Conradinus, Conradi, Federici ſecundi, filius, ne Caroli Imperium in Sicilia vetuſtatem acciperet, in Italiam tranſcendit; quem cum vidiſſet Clemens, exclamauit, opimam victimam ad aram agi. Continuo ad arma ventum eſt, & Alardo Regiis inſignibus exculto, vulneribus confoſſo, Carolum cecidiſſe credentes Germani, victoriam conclamarunt, fugatiſque partim hoſtibus, ſolitis ordinibus, ſine metu victoriam perſequuntur. Superuenit Carolus e latebris, prælioque redintegrato, cædes in victores vertit, captisque hoſtium Ducibus finem cædis fecit. Conradinus mutata veſte fuga ſibi conſulebat; ſed nauiculam conſcendens agnitus, ad Carolum retrahitur; victique denuo Siculi, qui a Carolo deſciuerant, ad eius pedes decumbentes veniam impetrarunt. Conradinus, quod reſpondiſſet interrogatus Pontifex, non intercedere ſe, quo minus lege ageretur, proiecta in populum chirotheca, quam Pius pontifex Petro Aragonum Regi traditam refert, & Federico hærede declarato, ſecuri, factum improbantibus Francorum proceribus, percuſſus eſt, de quo incertus author:

Aſturis vngue Leo, pullum rapiens Aquilinum,
Hic deplumauit, acephalumque dedit.

Qui vero Caroli in Italiam expeditionem, Manfredi & Conradini mortem, cæteraſque res geſtas legere voluerint, narrant Ricordanus cæterique Italiæ ſcriptores. 1269

Verum ad Bertrandum noſtrum redeo, qui Cardinalis creatus Arelatenſem Eccleſiam dereliquit, vt manifeſtiſſime probant geſta Maleferrati ſucceſſoris. Sed ſi Clemens nullum Cardinalem fecerit, non video, quomodo a Gregorio potuit creari, qui anno tantum MCCLXXI. ſedit; at iam Bertrandus alter cognomento Maleferratus Arelate ſedebat, de quo iam dicturi ſumus.

Inſigne: *Portoit d'azur ſemé de fleur de lis d'or a trois palz de meſme.* Vide TAB. II. Fig. 8.

n) In autographo Epiſc. rubeo fol. 68.
o) Ibidem fol. 441.
p) Ibidem fol. 363.
q) In M. S. Codice.
r) In lib. de vita & geſtis ſummorum Pontif. Gregor. 10. & prima card. creatione.
s) In priuilegiis Apoſt. numeris 49. & 50.

BERTRANDVS III.
MALEFERRATVS.

Bertrandus III.

XXCIIX. HIc Bertrandus cognomento Maleſerratus, ciuis noſter, vt patet ex ſimilitudine nominis, frequenter aſcripti actis publicis: Præfectus Veſtiario t) Eccleſiæ Arelatenſis, in Epiſcopum Arelatenſem ſuffragantibus canonicorum votis aſſumptus
1270. eſt. Haud dubie ſedere cœpit anno ſaltem MCCLXX. lego enim in manuſcripto Codice, Concilium primum per Dominum B. Maleſerrati, quondam Arelatenſem Archiepiſcopum celebratum, anno Domini MCCLXX. id. Iuli. venerab. patris Domini B. Dei gratia Archiepiſc. Arelat. R. Cauallicen. G. Carpentoracten. I. Auenionen. &c. in quo quidem concilio can. vltimo ſtatutum eſt, nullum debere ad beneficium admitti, læſo, offenſoue canonico his verbis: *Item ſtatuimus, quòd ſi quis Clericus Epiſcopum, præpoſitum, ſeu alium in perſonatus dignitate, ſeu canonia alicuius Eccleſiæ conſtitutum factis, vel verbis grauiter debonеſtauerit, non admittatur vlterius ad aliquod*
1272. *beneficium illius Eccleſiæ, niſi paſſo injuriam ſatisfecerit de injuria, ſeu offenſa.*

Ceſſauit tandem interregnum, quod mortales tot cladibus affecerat; & cum Richardus Anglus, quem Germani Cæſarem habebant, obiiſſet, Alphonſo Caſtulonenſi Rege ſpreto, in Rodulphum Germani conuenerunt.

Rudolphus Habsp. Imp.

Miſerabilis, inquit Vignerius, u) *Germaniæ ſtatus. Germanos proceres ita tandem commouit, mortuo Richardo Anglo Cæſare, ſpreto autem Alphonſo Caſtulonenſi Rege, qui eos etiam ſperniere videbatur, vno conſenſu Rodulphum Haſpurgenſem Comitem, qui tunc Baſileam oppugnabat, virum ſtrenuum, Imperatorem elegerunt.*

Carolus vero noſter Siciliæ, vt loquitur Æmilius, x) & *Hieroſolymorum Rex nuncupatus, vt Siciliam receperat, ita & ſacrum regnum appetebat, vt Francia eluceret ignominiam, Ægyptiam incredibili cupiditate ardebat: ſuſceptum igitur bellum ſacrum, & Tunete Pœnorum Regia a diuo Ludouico Francorum Rege, & Caroli noſtri fratre, expugnata, peſtilentia in caſtris exorta, ipſe Ludouicus exceſſit e vita: barbari tamen a noſtris circumuenti, & quod ſcirent, Carolum Siciliæ Regem magnas copias adducere, mentionem pacis fecerunt. Carolus eos non aſpernatus, peſtilentia præſertim noſtros populante, leges dixit, quas maximo plauſu recepere barbari. Carolus igitur in Siciliam rediit victoriis nobiliſſimus, omniumque antehac felicisſimus mortalium, ſi res proſpere geſtas attendamus.*

In vrbe vero noſtra nihil accidit notatu dignum, præſertim cum Princeps externis bellis occupatus alio diſtraheretur; Bertrandus vero Præſul, Balthiorum amiciſſimus, Bertrando Balthio, Barralis filio, non probante capitulo, caſtra & municipia in comitatu Vaiſionenſi ſita, Mirabellii, Vinſobrii, & Nionis, conceſſit: quæ ſucceſſor irrita voluit. Annum vero MCCXXC. attingere non potuit; legitur enim in chartis Epiſcopalibus hoc iam anno fato functus, ſucceſſore Bernardo. 1279.

BERNARDVS II.
DE LANGVISSELLO.

XXCIX. BErnardus fratres habuit Andream & Bertrandum, illum Auenionenſem, hunc Nemauſenſem Epiſcopos. Inauguratus Bertrandum Balthium, Barralis filium, liti ſubiecit, propter Nionis, Mirabellii & Vinſobrii caſtra: quod Bertrandus Maleſerratus refragante capitulo, ea Barralis fidei & ſacramento commiſiſſet. Juri paterno renuntiauit Bertrandus, nouiſque acceptis a Bernardo legibus, beneficiarius Arelatenſis Eccleſiæ dictus eſt. Inſtrumenti y) publici verba refero: *Dominus Bertrandus Dominus Balthii confitens, & recognoſcens dicto Domino Archiepiſcopo Bernardo, quod præmiſſa Arelatenſis Eccleſia habet maius dominium in dictis caſtris, & eorum territoriis ſupra monaſterium S. Cæſarii ſupradictum, & ipſum monaſterium ſupra ipſum Dominum Bertrandum, Dominum Balthii, immediate promiſit, quod erit fidelis vaſallus pro prædictis caſtris, & territoriis eorundem ipſi monaſterio, & quod tenebitur perpetuo dictæ Arelatenſi Eccleſiæ prout Vaſallus Vaſalli maiori Domino tenetur de jure.* His geſtis duo concilia Prouincialia celebrauit, factuſque eſt Portuenſis Epiſcopus, & Cardinalis, de quo habes in Ciaconio: z) Bernardus de Languiſſello Gallus olim Archidiaconus Lauratenſis in Eccleſia Tholoſana, & Papæ Clementis quarti Cappellanus, ex Archiepiſcopo Arelatenſi Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & S. Ruffinæ Legatus in Lombardia, Romandiola, & Ethruria ſub Martino 4. Honorio 4. obiit Romæ anno MCCXC. 1280.

Duobus illis, quibus nobis præfuit Bernardus, annis, viuente in otio Rodulpho Cæſare, quem licet electores intra annum proficiſci in Italiam voluiſſent, deterreri tamen ſe ab Italia quod Cæſarum veſtigia in Italiam læta, ſed foras verſa luctuoſa videret, non publice, ſed inter familiares dixit.

Rudolphi Imp. de Italia iudicium.

Nicolaus tertius ſummus Pontifex nuptias puellæ Regiæ pro fratris filio expetens, a Carolo repulſam paſſus, quandiu vixit, iniquior fuit. Aliam tradit cauſam Æmilius, aa) horrere ſcilicet Nicolaum incrementa Francorum in Italia. Zurita bb) in ſui Regis gratiam ſubdit, Nicolaum populorum oppreſſionibus prouocatum, cum Federicus Mamfreduſque maiorem nunquam tyrannidem exercuiſſent; idque ex Clementis, qui illum in regiam euexerat, litteris refert. Quicquid ſit, certum eſt apud omnes, compertumque, Siculos ad

t) In autographo Epiſcopali rubeo fol. 416.
u) In Burgun. Chron.
x) In lib. de geſtis Franc.
y) In Archiuio Epiſcop. ſcrinio obſequiorum & homagiorum numero 21.
z) In lib. de vita & geſtis ſummorum Pontificum, Martino ſecundo vel quarto, in vnica Card. creatione.
aa) In hiſtoria de rebus geſtis Francorum.
bb) In Indice rerum Aragonicarum lib. 2.

rebel-

rebellionem Nicolaum incitasse: nec ignarum fuisse icti inter Græcos & Tarraconenses fœderis: cum Ioannes Porchita, rebellionis author, ad eum, & Pontificis literas in Hispaniam detulerit. Verum decessit Nicolaus antequam Siculi rebellionem facerent; Martino Gallo successore. Nec ideo conquieuere populi, qui tot artibus rebelles iam animos induerant: imo sequenti anno seculis inauditum scelus, Porchita authore, & Petro Tarraconensi annuente, perpetrarunt.

1281. Quod antequam explicemus, justa a nobis Bernardo persoluenda sunt, qui licet in aliam Ecclesiam conuolarit, moramque fecerit in aula Pontificia, suæ Arelatensis Ecclesiæ non est oblitus. Testamentum cc) enim condidit, legauitque, annuentibus Andræa, & Bertrando Episcopis fratribus, quamplurimos reditus sacello construendo dicandos, anno Domini MCCXCIV. Guillelmo, & Petro Notario: ex quibus Ciaconium dd) corrige, qui illum defunctum tradit anno MCCXC. Nec tamen in viuis, aut in Episcopis esse desiit esse Episcopus Arelatensis: nam eo superstite, & Episcopo Portuensi, vixisse alios Arelatenses Episcopos proxime patebit.

Insigne: *Portoit de gueule a trois faces d' argent.* Vide TAB. II. Fig. 9.

BERTRANDVS IV.
AMALRICVS.

Bertrandus IV. XC. PAtritum Amalrici solum Arelate, quod iam in superiore Amalrico probabiliter asseruimus: reperiuntur enim Amalrici inter Arelatenses ciues plerique subscripti, præcipue in serie ee) militum, qui Balthiis contra Berengarios adhærebant. Concessit Amalrico Martinus ff) quartus, vt fulmine Arelatenses Episcopi nunquam valide percuterentur, nisi summis a Pontificibus vibrato. Concilii gg) Prouincialis Auenione ab eo indicti canon quartus est. *Statuimus itaque, quod omnes vsurarii sint ipso facto excommunicationis vinculo innodati, intelligentes vsurarios etiam eadem sententia fore ligatos, qui per annos bladum, vinum, oleum, vel alias quascunque mobiles, vel se mouentes res præsertim ad soltam, vel solutionem post tempus aliquod faciendam, carius vendunt propter temporis dilationem, quam essent alias vendituri, si tempore solutionis esset venditio facienda.* Imperfectum vero mutilumque est illud concilium, meminitque canone vltimo Bernardi Portuensis. His gestis anno Episcopatus quinto decessit.

Conversio rerum in Sicilia. Cæterum e Germania tanquam e portu imminentem Italiæ tempestatem prospiciebat Rodulphus Cæsar, magnumque aliquid gestum iri sperabatur, aut metuebatur. Palæologus Siculos clandestino auro iuuandos promiserat: Petrus Tarraconensis sacri belli prætextu clallem instruebat: Græcum, quod Romanæ sedi non pareret: Hispanum, quod consilia non communicaret, Martinus, quæ vota fuerant Caroli, execratus est. Prochyta, quos oportebat, consilii participes effecerat, Minorum habitu indutus, vt simulatione sanctitatis, quæ animo voluebat, tegeret. Continuo tanquam e nubium collisione Siculi velut fulgura, o scelus horrendum! ipso resurrectionis die Francos feriunt: Sicilia sanguine exundat, & omnes ad vnum Franci cæsi sunt. Soli Guillelmo Porceleto, Arelatensi ciui, insignis probitatis & innocentiæ viro, vita concessa est; illique permissum incolumem ex hoc naufragio euadere. Romæ erat Carolus, auditoque nuncio, in hæc verba erupit: *Quando fortunam mihi aduersam esse vis, Deus, facito, vt sensim amittam, quæ breui temporis spatio parta sunt.* Exinde Carolum filium in Galliam ad Philippum Francorum Regem nepotem misit, exciuitque ex Prouincia Phocensi aliisque locis militem, & in Siciliam traiecit. Philippus in Hispaniam mouit: Tarraconensis viribus impar singularis certaminis prouocatione Carolum, Francorum audaciam non comparens, eluſit, regnoque a pontifice indignus est pronunciatus. Carolus vero filius, ausus cum Rogerio Lorio decertare, fortiter pugnans captus est; Caroluſque pater paulo post dolore capti ab hostibus filii supremum diem obiit; ex Ptolemæo, anno MCCLXXXIII. nostris vero MCCLXXXV.

Et sane probabilius: hh) anno enim MCCLXXXIV. ii) Ciuibus Arelatensibus concessit, vt ab omni jure, onere, & ære immunes essent, non in Prouincia solum Romanorum, verum etiam in aliis Prouinciis regnisque Imperio Caroli subiectis. Alio etiam kk) diplomate, eodemque anno voluit frumentum agri Arelatensis quocunque deferri, & transportari, nulla publicorum victigalium solutione. Princeps non sua, suorum equidem culpa, infelix, at rerum gestarum fama clarissimus, a Latinis, Græcisque laudatus; Beatricem Berengarii, vltimi, ex Tarraconensium principum stirpe, Prouinciæ Comitis, filiam, vxorem tulit: ex qua Carolus secundus, cognomento Claudus. Solus Æmilius ll) aliam vult illum vxorem duxisse. *Mortua*, inquit, *Phocensi vxore, filiam Balduini Cæsaris in matrimonium duxit.* Deceptus forte ex nominis similitudine: Carolus enim, Philippi pulchri frater Valesii, Andium Cænomanorum Comes, Balduini junioris Græcorum Augusti filiam, ipse ab altero matrimonio cælebs vxorem duxit: sed finito seculo, & anno a morte nostri Caroli decimo quinto. 1285.

cc) Legitur apud Petrum Drogollum, pactorum publicorum in vrbe Arelat. perscriptorem.
dd) In loco iam citato.
ee) Nostradamus 2. part. hist. Prou.
ff) In Archiuio Episcop. scrinio priuileg. Apost. numero 53.
gg) Ex manuscripto codice.
hh) In Genealogia regum Siciliæ.
ii) In archiuio vrbis, scrinio libertatum, immunitatum sub littera B. diploma vero sub verbo *nunc.*
kk) Ibidem sub verbo canticum.
ll) In hist. de rebus gestis francor.

B. ROSTAGNVS II. CAPRA.

Rostagnus. XCI. ROstagnus, natione Prouincialis, patria de Grans, in Prouincia secundo Honorii quarti anno canonicus; deinde comitialibus capituli suffragiis Episcopus Arelatensis electus est. Cum electionem irritam haberet Honorius (quam contra ritus præscriptos existimabat) probauit, postquam legati ad ipsum a capitulo destinati sunt: imo etiam pallium misit. Rem gestam habes ex illius bulla de Bertrandi morte: *Si quidem* (inquit) *Arelatensis Ecclesia ordinis S. Augustini per mortem bonæ memoriæ Bertrandi Archiepiscopi Arelatensis destituta pastore, &c.* tum de irrita electione agit: *Et ideo dictam electionem de te aliter attentatam non persoinæ tuæ; sed ipsius electionis de ipsorum fratrum nostrorum consilio cassandam duximus.* Postea tamen probatam fuisse a Pontifice electionem & concessum pallium, patet: nam paulo post: *Volentes* (inquit) *tam prædictæ Arelatensi Ecclesiæ, quam tibi speciali indulgentia & diligentia prouidere: de prædictorum fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis, præficimus te ipsi Arelatensi Ecclesiæ in Archiepiscopum & pastorem; tibi etiam de mandato nostro per venerabilem fratrem nostrum Bernardum Episcopum Portuensem munere consecrationis impenso: deinde Pallium de corpore B. Petri sumptum insigne Pontificalis officii, cum ea, qua decet, instantia, postulatum, tibi fecimus exhiberi.*

Creatus igitur Pontifex Arelatensis anno salutis MCCXXCVI. apud Insulam vrbem, quam alluit & interluit Sorgia Rex fontium (vt Petrarchæ mm) elogio vtar) concilium Prouinciale indixit, in quo præscripta est regula nn) Prouinciæ Arelatensi, quam hodie habemus præmanibus, B. Rostagni Capræ nomine inscriptam. Eius ætate Bertrandus Balthius fundos emit, vt viam militarem (diuisa sane Rodano interfluente) a municipio Trencataille, Furcarum vsque castrum sterneret: acquisitis demum quamplurimis apud Montem-draconis clientelaribus prædiis, & media ab ipsis condominis municipii iurisdictione, a Bertrando Comite castrum Trencataille acquisiuit, dato quater mille librarum supra quingentas pretio. 1286.

Adolphus Nassau. Imp. Regnum Arel. repetit. Rodulphus interim Cæsar moritur, Augustumque nomen suscipit Adolphus de Nassau. Inauguratus, per Fecialem bellum Francorum Regi, quæ regni Arelatensis erant, repetiturus, superbe indixit, indicatque Vignerius oo) *Adolphus* (inquit) *Imperator stipendio ab Anglo Rege accepto, bellum Galliæ Regi cum superba denuntiationis formula hoc anno indixit* (MCCXCIV.) *nomine regni Arelatensis, & aliarum prouinciarum, quas Reges Franciæ ex Imperio detinere prætendebat.* Sed cum validiores sua spe res Gallorum esse vidit, ab incœpto fuo, nulla alia re gesta, cum magna existimationis suæ jactura desistere coactus est: victus postmodum ab Alberto Austriaco in acie occubuit. 1294.

Albertus Imp. iura deserit. Albertus Cæsar pacem cum Francis sanctissime coluit: eodem pp) enim, authore & M. S. codice, Albertus Cæsar ad colloquium cum Rege Franciæ in Lotharingia congressus, societatem inter Francos & Germanos renouauit, controuersiis, quæ inter ipsos existebant de imperii regnique finibus, ita compositis, vt Cæsar Gallo remiserit, quicquid Imperio Germanico maiores illius in regno Arelatensi eripuisse; Germani ægre ferebant: Gallus vero Cæsari, quæcunque in regno Lotharingico & Alsatia ad se spectare veteri jure contendebat.

Quod attinet ad Principem nostrum, eius negotia deplorata sane videbantur. Carolus enim summus belli dux obierat, captiuusque Carolus filius apud hostes degebat; Roberto qq) tamen Atrebatensi procurante, feliciorem res fluentes, procumbentesque, quam hostes sperabant, exitum habuere. Peruicit namque Eduardus Angliæ Rex, vt pactis legibus Carolus dimitteretur, quibus intra triennium minime præstitis, iterum in custodia erat obseruandus, atque vt sanctior pax haberetur, filii obsides dati, & quadraginta Prouinciæ Phocensis proceres. Enimvero irritas conditiones Nicolaus IV. voluit, Carolumque in vtriusque Siciliæ regem inunxit. Hoc docet Zurita rr) his verbis: *Ad diem 4. Kal. Iunii Pontifex, resciss, irritisque pactionibus, quæ cum Rege initæ, & constitutæ fuerant, Carolum Salernitanum principem regiis insignibus decorat, & cognomen regni Siciliæ, ducatuum Apuliæ, & Calabriæ, Campaniique principatus attribuit; quæres Tarraconenses a spe conciliandæ pacis auertit, & ad arma concurrerunt. Pronuba tamen pace, res iterum firma, constansque perstitit.*

Duplicem in domesticis hac ætate lego calamitatem; prima vrbi, altera agris vastitatem intulit. Huius testem habeo Carolum, ss) qui regio diplomate ciuibus facultatem concessit locandi pascua, siue reditus ducendi annuos ex campis publicis, quorum nullus nisi alendis pecoribus vsus, vt damna, quæ profligatæ annonæ difficultas & armentorum strages fecerant, resarcirentur, & priuata onera, impensasque facilius vrbs ipsa, quæ cum reliquis prouinciæ vrbibus minime habet communia, toleraret. De altera vero loquuntur scrinia publica Monasterii tt) Montis maioris, referuntque, Stephanum de Montareno 1296.

mm) Lib. 2. c. 2. de visa solitaria ad Philippum Patham.
nn) Ex M. S. Codice.
oo) In Burgur. Chron.
pp) Vignerius in Burgund. Chron. in hist. M. S. Episc. Treui. exemplar integrum fœderis recitat Massonus in Annalibus de gestis Francorum in vita Philippi pulchri.
qq) Aemilius hist. Franc. & Zurita in Indice rerum Aragon. anno 1287.
rr) In Indice rerum Arag. 1289.
ss) In archivio vrbis Arelatens.
tt) In Thesauro montis maioris.

dicti

dicti Cœnobii Æteriarcham Capitulum generale Salonæ ad Crauum celebrasse, quod Arelatenses lues vrgeret fœdissima. Nec Caroli Principis nostri in Arelatenses animum prætereo, præsertim cum fuerit accuratissimus immunitatum custos, conseruatorque. Alphonsus Aragonum Rex, Berengarius, Carolusque primus chartam fecerant, qua ab omni ære collatitio, vectigalibus, aliisque oneribus imponendis Arelatenses volucrant immunes, illam regio A chirographo uu) obsignauit, nouisque auxit priuilegiis.

Carolus priuilegia Arelati confirmat.

Porro Rostagnus dignitate venerandus, vita sanctissimus, miraculis colendus, felicissimam vitam absoluit magno ciuium Arelatensium luctu, dolore, desiderio: ita vt eius memoriam animis suis consecrarint, diuumque existimarint, ac Sanctissimum præsulem prædicarint. Nondum clarescit in martyrologio Romano, verum in Archiuii nostri libris, & in antiquo Breuiario secundum vsum Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ his verbis celebratur: OBITVS BEATI ROSTAGNI CAPRÆ SANCTÆ HVIVS ARELATENSIS ECCLESIÆ B ARCHIEPISCOPI DECIMO KAL. AVG. Legitur etiam hoc encomium in necrologio, illiusque cineres in Sacello Laurentiano, & in ipso altari a populo maximo in honore habentur, accenso aut ex voto, aut ex fundatione ad eius sepulchrum cereo, die anniuersario ipsius obitus, qui contigit anno MCCCIII.

1303.

Insigne: *Portoit de gueule à une cheure d'argent.* Vid. TAB. II. Fig. 10.

PETRVS II. DE FERRARIIS.

Petrus II.

XCI. VAcantem sedem per Rostagni decessum repleuit Petrus de Ferrariis Iuris-consultissimus, quippe qui, Carolo secundo Hierusalem & Siciliæ Rege præsente, Doctoratus honorem Iacobo de Beluiso contulit. Eidem Regi a secretis fuit, deinde summus annuli regii custos, vt patet ex titulo constitutionum, quas regno Siciliæ, tum Prouinciæ vtilissimas edidit. Sequuntur statuta Domini Petri de Ferrariis regni Siciliæ Cancellarii. *Petrus miseratione diuina Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ Archiepiscopus, regni Siciliæ Cancellarius, tenore præsentium notum facimus &c.* Factus Episcopus, dum magnificam vrbem xx) Saloniam ad Crauum ingreditur, quinque millia solidorum ciuibus dimisit, quæ Episcopo vrbem ingredienti debebantur, modo locum horreis publicis pararent ciues; demum municipii yy) diuæ Virginis ad mare (vulgo trium Mariarum) coegit pendere duodecimam piscium, si in stagno Orgonis piscarentur. Dum Orgonem audio, existimo Vgerni castrum Arelatensium, Straboni Ὄγεσσον, Cypriano, & Gregorio Turon. notissimum, in agrorum Camariæ insulæ finibus, qui in mare desinunt, alias situm: licet Massonus Orgonem Druentiæ appositum, pro Vgerno vsurpatum intelligat: eo quod Vesegothi Arelatensem prouinciam inuadentes, Vgerni castrum Arelatensium depopulati erant, pecudesque & cætera animalia abduxerant. Verum falli videtur Massonus, nec enim Orgono ad Druentiam sito, vicinum est illum stagnum, nec id oppidum Arelatensi Episcopo subditur. De illo etiam meminit Cyprianus in vita Cæsarii Arelat. Episcopi: sed præcipuum est, abducta ex Arelatensium agris pecora, in quibus idem castrum alias situm, manifestissime comprobatur.

Iac. de Beluiso Doctor factus.

Orgo an Vgernus?

Nihil est de icto Francorum cum Alberto Cæsare fœdere hic inferendum: memorabile tamen sit, Philippo Rege procurante, Raimundum, quem Æmilius vocat Bertrandum Gottum Archiepiscopum Burdegalensem sibi insensum, sed coram Christiana hostia mutua fide pacta reconciliatum, summum pontificatum adeptum fuisse, qui anno MCCCV. electus Clementem se in posterum vocari iussit, excitque in Galliam Cardinales: ornatuque pontificio Lugduno ad Ararim sumpto, sedem B pontificiam ab vrbe in Galliam transtulit, manebitque septuaginta circiter annos in Gallia cohors purpurata, pontificatusque, Auenione scilicet ad Rodanum.

1305. *Pontificum Romanus sedes Auenione.*

Anno consecuto *clientelæ sacramentum pro municipiis castri veteris, & S. Mitrii, & pro iure, quod habebat* (verba sunt clientelæ) *Sancta Arelatensis Ecclesia in Burgo Arelate, Gabardelo, loco vocato Ioncas, & tertia parte castri de Fos, quod poscebat Carolus secundus, Petrus de Ferroriis Siciliæ regni Cancellarius præstitit.*

Querebantur interea apud Carolum Arelatenses, se magistratuum prouincialium iniuriis eo absente premi, & quas habuerant liberas cum patre conditiones (conuentiones vocant) C eas rescindi, abrogari; eandemque debere esse Principum erga suos fidem, quantam ipsi a subditis submissionem subiectionemque exigunt. Sanxit diplomate zz) Carolus, vt si pacta inter patrem & Arelatenses fœdera a Prouinciæ Senescallo infringerentur, curarent Prætor & Iudex, acta literarum significatione, vt imperata facere renuerent ciues; is erat Caroli in Arelatenses amor: ea fœderum apud principem maiestas.

1306.

Nullam septimo supra trecentesimum millesimum elapso anno, Petri memoriam nostra habent armaria: præterquam quod eius a) vicarius hoc anno terras nouo opere excolendas dedit in Sylua Comitali. Sequenti sane post anno, Arnaldus sedisse legitur. D

ARNALDVS FALTVERIVS, SEV DE FALTINERIIS.

Arnaldus.

XCII. SVnt, qui Iacobum hic inducant Cadurcensem; ille Arnaldo patre asse-

uu) In Archiuio vrbis Arel.

xx) In autographo Episcop. & in chartis vrbis Saloniæ.

yy) In chartis Virginis de mari numero 19.

zz) In archiuio vrbis armario priuilegiorum & immunitatum sub verbo *benedicite.*

a) In chartis sylue comitalis n. 48.

ctatus fuerat Patrum de Ferrariis Arelat. Archiep. Caroli secundi Neapolitani Regis Cancellarium, cuius sumptibus scientia rerum maximarum instructus est. Arelatensi vero mortuo succedere iubetur a Roberto Rege, & scrinii regii curam habere, tantumque effecit industria sua, vt Auenionensis Episcopus fieret, & postmodum summus Pontifex: re tamen vera non Arelatensis, sed Atrebatensis, & demum Auenionensis Episcopus fuit; neque gesta nostra publica patiuntur inseri alium Petri successorem, præter Arnaldum, ab anno MCCIIX. vsque
1308. ad annum MCCCXI.

Hoc anno Ioannes, fratris filius, Albertum Cæsarem, in traiectu fluminis egredientem e nauicula, ferro excepit, confoditque: & post interregnum, Henricum Comitem Lucemburgensem Germani Principes delegere. Continuo id Clemens comprobauit, & Arnaldus noster, quem Ciaconius Arnaldum Felgnerium nominat, a Clemente quinto in Cardinalium numerum cooptatus, ipsum Imperatorem, legati pontificii apud illum munere functus, in Italia corona donauit. Ciaconii b) verbis vtor. Arnaldus* Felgnerius Vasio Gallus, ex Archiepiscopo Arelatensi, Episcopus Cardinalis Sabinus & S. R. E. Camerarius. Clemens V. qui legatos in Italiam pro Henrici septimi Imperatoris coronatione mittere constituisset, quinque designauit. Inter Ostiensem & Sabinum controuersia orta fuit de Imperatoris coronatione: Pontifex auditis vtriusque rationibus, id munus Sabino commisit, legationisque principem esse voluit, solumque Legati nomine insigniuit, vt ipse Imperatorem coronaret: reliquos enim quatuor Apostolicæ sedis nuncios, non legatos vocauit. Duobus ex his mortuis tres in Italiam venerunt: Arnaldus noster, qui Henricum imperiali diademate insigniuit, F. Nicolaus Ostiensis, qui illum inunxit, & Lucas Fliscus, qui vtriusque sacra operantibus adstitit; de eo acta extant & horum Cardinalium Epistolæ, Pisis, Auenione, Romæ in mole Adriani & in Bibliotheca Vaticana.

A quo Henricus VII. Imp. in Italia coronatus.

Falinerius.

Caroli II. mors.

Verum ab hac Cæsaris coronatione, ad regium funus descendat oratio. Carolus enim secundus, Dei gratia Rex Hierusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ Forcalquerii ac Pedemontis Comes, Arelates Dominus, hoc anno obiit MCCCIX. Id in
1309. primis testantur authores c) nostri, a quibus non dissentiunt exteri. Maria, Stephani Hungariæ regis filia illi vxor, ex qua numerosam suscepit prolem. Filii fuere: Carolus Martellus, qui Hungariæ Rex, Clementiæ Rodulphi Imperatoris filiæ nupsit; Ludouicus Minorum habitum induit & Episcopus Tholosanus, exinde creatus sanctissime vixit, & sacrata memoria in superos, est relatus; Robertus patris hæres, Neapolitanus Rex erit; Philippus in prœlio montis Catini occubuit: Sardiniæ regnum Carolo primo viuente obtinuerat; Ioannes Achaiæ Princeps; Tristanus Salernitanus Princeps Raimundus Berengarius Neapolitanorum subregulus; Ludouicus Durazzii Dux; & Petrus Grauinæ Comes. Quas vero tulit filias, eas magnis principibus nuptum dedit: Clementiam habuit Carolus Valesius; Iacobo Aragonum Regi nupsit Blanca; Federico vtriusque Siciliæ Regi data est Eleonora; Maria virum tulit Iacobum regem Maioricarum; & Beatrix, Aquis Sextiis vitam monasticam professa, paternis votis nuptias cum Azone Estensium Marchione adiuit, illoque defuncto secundo Bertrando Balthio nupsit, & vltimo concessa est vxor Roberto Viennensium Delphino. Carolo tandem patri successit Robertus, filiis Caroli Martelli præteritis, quod Bonifacius VIII. sententia iam firmarat. Legitur enim in Ptolemæo: d) *Supradictus autem Rex Carolus secundus Rex Siciliæ, pater dicti Roberti Ducis Calabriæ, & auus præfati Caroli pupilli Regis Vngariæ, petiit a Domino Bonifacio Papa* IIX. *declarari, quis post mortem suam esset sibi in prædicto regno Siciliæ successurus, an videlicet prædictus Robertus filius suus, vel dictus Carolus Rex Vngariæ nepos eius. Præfatus autem summus Pontifex declarauit in breuibus, dictum Robertum esse prædicto suo patri in præfato regno Siciliæ successurum.* Successitque sane Robertus (inquit Æmilius e) eius adolescentuli Caroli scilicet Hungariæ Regis patruus, & in Prouinciam Phocensem, quæ fuerat paternæ ditionis, profectus, a popularibus Comes Prouinciæ salutatur. Auenione (quæ vrbs ei Prouinciæ contribuebatur) sedebat Clemens: ab eo Rex beneficiariusque appellatur, coronaturque eadem, qua pater, auusque dignatione; collocutus deinde cum Pontifice, Italiam Germanorum Prouinciam fieri a Cæsare, se impeditum promisit.

Eius successor Robertus.

Arnaldus vero noster (vt chartæ nostræ loquuntur) ipsi apud Pedemontanos agenti copias auxiliares, & ducentas auri libras concessit. Obiitque demum Auenione paulo postquam ex Italica legatione rediisset, circa annum Christi MCCCXIII.
1313.

Insigne: *Portoit d'or a trois faces de gueule.* Vid. TAB. II. Fig. 11.

GALHARDVS ARNALDI FRATER, SEV GALHARDVS SAVMATE.

XCIII. ELenchus noster duos Galhardos nobis proferre videtur, vnum Arnaldi fratrem, alterum cognomento Saumate: sed vnicum tantum coniicio, quia rebus gestis non distinguuntur. Equidem superstite Ar-

Galhardus

b) In vita & gestis Pontificum & in Clemente quinto.
c) Claperius & Nostradamus in Comitum Prouinciæ historia. Vigner. in Burgund. Chron. & Zurita in rebus Aragonicis.
d) De Luca in genealogiis Guiscardi & aliorum Siciliæ Regum.
e) In historia de rebus gestis Francorum.

naldo

naldo Gallhardus Eccleſiæ Arelatenſis curam ſuſcepit: notantur enim eius geſta ab anno MCCCXI. ad MCCCXXIII. cuius precibus motus Henricus f) ſeptimus diplomate aureo cauit, ne Eccleſia Arelatenſis niſi centum annorum ſpatio Romanæ præſcriptioni ſubiaceret. *Galhardo* (quem principem dilectum appellat) *& ſucceſſoribus ſuis* (inquit) *ac Arelatenſi Eccleſiæ prædictæ de ſpeciali gratia duximus indulgendum, vt per ſe vel procuratores ſuos, quos ad hoc ſtatuendos duxerit, poſſit a quibuſcumque perſonis, cuiuſcumque conditionis, eminentiæ, vel ſtatus exiſtant, in iudicio coram competenti iudice petere, & exigere ſua, nec non Eccleſiæ ſuæ prædictæ bona mobilia, & immobilia, res & iura quæcumque, non obſtante cuiuscumque legitimi temporis præſcriptione; etiam ſi quadraginta vel centum annorum curriculis inſiſtat, cuius in ſingulis ipſius Eccleſiæ caſibus tenore præſentium ex certa ſcientia authoritate Imperiali, vires fauorabiliter euacuamus, quod in præſcriptionibus in futurum contra eandem Eccleſiam Arelatenſem emerſuris, volumus ſimiliter obſeruari.* Dedit g) etiam aliam bullam ſeorſim aureo ſigillo munitam, qua eidem Gallhardo regalia, cæteraque ab Imperatoribus Regibusque Conrado, Federicis, Henricis antea conceſſa confirmat, vultque Arelatenſem Eccleſiam omnibus frui iuribus, quæ illi quisquis olim regum vel principum Arelatenſium conceſſit; & ne aliquid eſſet in quo Henricus ſuum erga nos amorem non teſtaretur, Eccleſiæ eiusdem cauſas Epiſcopis Ebredunenſi, h) & Viennenſi dirimendas commiſit.

1319. Henricum ſequutus eſt Robertus Siciliæ vtriuſque & Neapolis Rex, Prouinciæ Comes, & Arelates Dominus: edixit i) enim, ſubditorum Arelatenſis Eccleſiæ iura a debitoribus exigi, ac ſi eſſent Regii iuris, & (vt loquuntur) more fiſcalium debitorum; atque vt ſummis ipſum Galhardum obſtringeret beneficiis, frumentum k) & ea, quæ ex latifundiis Eccleſiæ colligebantur, abſque vlla exactionum ſolutione permiſit quolibet differri, ſolis hoſtibus exceptis: demum cauit, vt pacta, l) & fœdera a ſuis deceſſoribus, cum Archiepiſcopis Arelatenſibus icta, inuiolabili fide obſeruarentur.

Verum Henricus, & Robertus diuerſis ferebantur ſtudiis: cum enim Romam iuiſſet Henricus, vt tertiam coronam haberet, quam maxime percupiebat, illius accipiendæ facultas non fuit; quod ea regio, in qua eſt B. Petri templum, a Roberti regis, & Vrſinorum factione obtineretur, exortoque propter indictum tributum tumultu, Cæſar vrbe exceſſit; frenens in Robertum diem dixit, abſentem Imperii hoſtem iudicauit; & maieſtatis damnato regis nomen abrogat. Quod decretum (vt inquit Æmilius m) Clemens Pontifex quam primum irritum eſſe ſancit, quod nec in locum, quo tutum foret, diem dictam diceret, ac cognitionem cauſæ, regnique ſummæ ſedis vectigalis beneficiariique iuris, Cæſaris eſſe pernegaret.

Continuo in armis fuit Robertus, & Arelatenſes illi apud Pedemontanos agenti, quibus belli moles incumbebat, decem equos generoſos obtulere. Eſt huius rei chirographum n) exemplar in archiuiis publicis. At Henricus, Roberto excidium minitans, non ſine veneni ſuſpicione obiit. Vignerius o) de illo hæc recitat: *Henricus Imperator dum Florentinis imminet, qui iam de ſalute ſua deſperabant, veneno in Euchariſtia dato a Dominicano quodam, periit: ea de cauſa interregnum fuit, & diſcordes Germani in Cæſareo iure, paribus ſuffragiis Ludouicum Bauarum & Federicum Auſtriacum, qui prælio modum diſſenſionum fecerunt, elegere.* Poſtmodum Templarii hæreſis & ſceleratæ vitæ accuſati, p) non conuicti, vna litterarum ſignificatione tota Francia comprehenſi ſunt, & ſuppliciis addicti, fiſcus eorum fundos & res mouentes cepit, quorum diuitiis auctι fuere Hoſpitalarii.

His belli curis ſolutus Robertus, regalia munera obibat, & licet cum Federico vtriuſque Siciliæ rege in armis aliquando fuerit, pacem tamen, muſas & iuſtitiam coluit, recepitque a Viennenſium Delphino clientelare ſacramentum pro Comitatu Vapincenſi, currenteque anno MCCCXX. Arelatenſibus reſcripſit, q) vt 1320. Carolum Calabriæ Ducem filium in principem agnoſcerent: quod præſtitere, exactoque clientelæ iureiurando coram oratoribus Principis, ab his, qui rempublicam curabant, ipſe Princeps vrbis fœdera, (quæ conuentiones vocant) rata habuit, & ſolemni ſacramento firmauit.

Cæterum Galhardus Pontium r) & Sabranum de Monte-Draconis, Gauſridumque de Cadris vt homagium præſtarent, vocauit; petiitque a Guillelino Rainaudi s) Porceleti filio, Bertrando, t) & Ioanne Aube, Petro Hugone, & Bertrando de Clareto fidelitatis ſacramentum, cooptato in clientem Guillelmo u) Balthio Berræ Domino, quem etiam Albertus x) de Vouta vt ſupremum Villanouæ in Camaria inſula dominum agnouit, dominio vtili a Bertrando Balthio acquiſito. His tandem omnibus pro dignitate peractis in Domino obdormiuit anno MCCCXXIII.

Henrici VII. Imp. priuilegium pro Arel.

Roberti Priuilegia.

Henricus VII. Roberto Regnum abrogat.

Ludouicus & Frid. Imp.

Hoſpitalarii e Templariis, oppreſſis locupletati.

Carolus Arel. Dominus.

f) In ſcrinio Epiſcopali & in chartis imperialibus numero 16.
g) Ibidem numero 12.
h) Ibidem numero 14.
i) Ibidem num. 21.
k) Ibidem num. 22.
l) Ibidem num. 38.
m) In hiſtoria de geſtis Francorum.
n) In archiuiis publicis ſub verbo *tuum*.
o) In Burg. chron.
p) Villaneus & Maſſonus in Philippo.
q) In archiuio vrbis publico in homagiorum præſtatione ſub verbo *dimitte*.
r) In archiuiis Epiſcopalibus ſcrinio Montis-Draconis numero 6.
s) In ſcrinio homagiorum numero 19.
t) In chartis Syluæ Comitalis numero 54.
u) In chartis Craudi campi num. 12.
x) In chartis Villanouæ num. 11.

GASBERTVS DE VALLE.

Gaibertus. XCIV. VIcus S. Petri de Dunzaco Cadurcensis diœcesis Gasbertum edidit, virum insignem genere, pietate præstantissimum, qui post Episcopi, Pontificii quoque Camerarii dignitatem consecutus est. Illi Pontius y) & Sabranus de Montedraconis & Gaufredus de Cabris pro castro Montis-draconis, Guillelmus Porceletus z) & Rainaudus Guillelmi filius pro ponte S. Genesii, Bertrandus aa) & Ioannes Aube pro Sylua Comitali, Petrus Hugo bb) & Bertrandus de Clareto pro Perignaco, & Albertus de Vouta pro Villanouæ municipio fiducias fecerunt: eodemque sacramento se obstrinxit Guillelmus Balthius Berræ ad stagnum Marticense Dominus. Villanouanum cc) autem municipium a Vouta venditum, iure prælationis & Dominii retinuit Gasbertus, duorum millium & septingentorum florenorum pretio soluto. Ministris deinde regiis viriliter restitit, qui municipii Montis-draconis iura vsurpabant, idque præstitit, authore Philippo dd) Francorum Rege.

1323.

Eius vasalli.

Duos Imperatores ferebat orbis Occidentalis, Germaniaque ad plures annos bellis vexata; tandem iusto prælio dimicatum est. Federicus Imperii æmulus acie victus, captusque est a Ludouico Bauaro. *Federicus* (inquit Vignerius ee) ex Nauclero & Onufrio) *Austriæ Dux, signis collatis cum Ludouico Bauaro æmulo suo congredi ausus, victus & captus est.*

Verum Roberto nostro vnicus erat filius Carolus, Calabriæ Dux, cuius nomen Arelatensium gestis iam inscribebatur: ff) authore enim patre ille illi ciues nostri vt clientes & Vasalli submiserant, inuidentibus fatis sublatus est; atque vt filium, parentisque in filium amorem intime agnoscas, Petrarchæ gg) verba refero. *Roberto illi* (inquit) *qui senex me iuuenem dilexit, vt sepultum senex diligam* (cum enim hæc scriplit Petrarcha, obierat Robertus) *regi Siculo, imo quidem quod pace omnium nostri temporis dictum sit, si vera virtus attenditur, regum regi, filius vnicus fuerat Carolus Dux Calaber, Reginæ huius* (Ioannæ scilicet) *pater, quæ nunc præsidet, præseditque diu, non tranquille, sed maximis regni motibus, rerumque turbinibus, & is quidem magni regis filius ingenti fama adoleuit, eximiæ virtutis; præcipuæque iustitiæ; cum maioribus enim suis diuidens patrimonium hoc, virtutum hanc sibi gloriæ partem delegerat, vt cum proauus vir fortissimus, auus liberalissimus, pater sapientissimus habiti essent, ipse iustissimus haberetur, & sic erat. Cumque omnibus insit naturaliter filios amare, in hoc tamen & patrem cogitabis, & regem, ac præter amoris vim paterni, successoris etiam tanti curam, illinc filium, & talem filium, qui præter virtutis excellentiam, qua nihil in rebus amabilius, non primogenitus modo, sed vnigenitus patri esset, quem non primum, sed solum regni successio maneret, tunc intelliges quam illi charus esse potuerit: hunc in medio ætatis flore, & in summa omnium expectatione, ac spe morbus inuaserat. Assidebat illi Rex sedulus non tantum officio patris, sed medici, fuit enim inter multa, quibus omnes reges vicit, physicus etiam insignis, sed & physicæ & medicinæ omnes, & medici ad mortis aduentum silent. Obiit ergo adolescens regius summo regni totius genitu, ac dolore.* Hactenus Petrarcha de Caroli obitu, quem lachrymis permultis prosequutos fuisse Arelatenses certum est, quod ille totius Prouinciæ regnique spes esset. At Robertum amore iustitiæ exarsisse, narrat idem author, qua enim die charissimus sibi admodum filius defunctus est, senatum adiuit, legesque ciuibus dixit.

Mirari tamen satis non possum, Philippum Valesium Francorum regem, à Ludouico Bauaro expetiisse, vt filius Arelatensium ac Viennensium rex pronunciaretur, quod tamen ab authoribus hh) proditum est; maxima namque inter ipsum & Robertum necessitudo intercesserat, cuius crebris monitus litteris prælium declinauit, quod cum Germanis, Flandrisque effera gente, ac desperata, non nisi magno periculo committi poterat. Nec erat Arelatensium corona donandus Philippi filius absque Roberti iniuria. Cur etiam initum ab Alberto Cæsare cum Philippo pulchro fœdus, ii) irritum voluit Rex? nonne Franco, quæcumque contendebant Cæsares in Arelatensium regno, dimiserat Albertus? dimiserat sane, sed scissum in varios principatus regnum, nouis quotidie cupiditatibus Francorum, Germanorumque animos quatiebat. Robertus interea nulla prole superstite decessit, vario apud authores anno: MCCCXL. obiit Massono, kk) fatis functum MCCCXLII. indicat Vignerius, ll) MCCCXLIII. attigisse Zurita mm) & Nostradamus, nn) ille Feb. iste Ian. mens. docent: hos omnes arguit Claperius oo) asserens, Robertum inhumanis esse desiisse anno MCCCXLIV. quem sequutus est Ioannes de Gallaup pp) Regius apud Rationales Aquarum Sextiarum Aduocatus, cui libenter manus darem, viro præsertim doctissimo, & multarum scientiarum laude præstanti: verum in archiuiis vrbis, Regiis curialibus ciuium libertatem, & ante acta cum Ioannæ decessoribus fœdera infringentibus, legitur

Carolo mortuo an. Germanis ius in Arel. Regnum?

y) In chartis Montis-draconis.
z) In chartis Pontis S. Genesii.
aa) In chartis Sylua Comitalis.
bb) In scrinio homagiorum.
cc) In chartis Villanouæ num. 13.
dd) In chartis montis-draconis n. 8.
ee) In Burgundionum Chron.
ff) In archiuiis vrbis homagiorum scrinio sub verbo *dimitte.*
gg) Lib. 10. Senilium Epist. ad Donatum.
hh) Massonus annalium Francorum lib. 4.
ii) Tabulas fœderis recitat Massonus lib. 3. annalium Francorum.
kk) Lib. 4. annalium.
ll) In Burg. Chron.
mm) In rebus Aragonicis.
nn) In historia Prouinciæ.
oo) In genealogia Comitum Prouinciæ & Forcalquerii.
pp) In libro, quem edidit de triumphali ingressu Ludou. 13. in vrbem Aquarum Sextiarum.

char-

charta, qq) qua consules Regiam Ioannæ Majestatem interpellarunt anno MCCCXLIII.

Roberti Regi elogium.

Supereſt, vt dicamus, quis fuerit Robertus. *Sacrarum* (inquit Petrarcha rr) *scripturarum peritissimus, Philosophiæ clarissimus alumnus, Orator egregius, incredibilis Physicus, Poeticam non nisi summatim attigit, cuius vt sæpe dicentem audiui, in senectute pœnituit:* vno verbo, audiant litterati eius vocem, & æternum laudent: Ego iuro, dulciores, & multo chariores mihi litteras esse, quam regnum: verumque dicant, florere ciuitates, si aut philosophi imperent, aut imperatores philosophentur. Ludouicum, & Carolum Calabrum, filios, ex Violanta Regis Aragonum filia, Ptolemeo authore Lucensi, suscepit, qui Patre superstite obierunt, ille annos natus nouem, cuius sepulchralis inscriptio Neapoli legitur: HIC IACET DOMINVS LVDOVICVS FILIVS ILLVSTRIS REGIS ROBERTI, QVI OBIIT ANNO DOMINI MCCCX. DIE XII. MENSIS AVG. INDICT. VIII. CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE.

Familia.

Iste (Calaber scilicet) bis nupsit, primo cum Cathierina, Alberti Austriaci filia, aliis sorore, ex quibus nuptiis nulla proles: secundo Mariam, Caroli Valesii, vxorem tulit, tribus superstitibus filiabus Ioanna, Maria & Margareta.

Concilium Arel.

Verum antequam regium thronum conscendant, Prouinciæ Arelatensis patres inuisamus apud S. Rufum in Auenionensium agris concilium celebrantes, cui præfuit Gasbertus, & subscripsere anno MCCCXXXVII. Bertrandus
1337. Ebredunensis Archiep. Armandus Aquarum Sextiarum Archiep. Petrus Arauf. Hugo Tricastrin. Iacobus Tolon. Hugo Carpentoract. Philippus Cauallic. Ioannes Massilienf. Ioannes Auenionenf. & Raterius Vasion. Episcopi omnes, & Arelatensis Ecclesiæ suffraganei: Bertrandus Senef. Elziarius Dinienf. Iacobus Glandat. Arnaldus Vencienf. Guillelmus Nicien. Episcopi Ecclesiæ Ebredunensis suffraganei: Bartholomæus Forojulienſis, Gaufredus Regien. Rostagnus Cistaric. Guillelmus Aptensis, Episcopi Aquarum Sextiarum suffraganei. In hoc patrum consessu Gasberti industria sanciti canones, vt labefactata Ecclesiastica disciplina iterum refloresceret, cuius integrum exemplar reperitur in armariis nostris.

Porro Gasbertus noster, Isnardo ss) Neapoli commoranti quingentos florenos contulit in prædii solutionem ab ipso empti, cuius reditus sibi vindicauit, seu mensæ Episcopali attribuit, Sacello præterea apud Merueillam constructo. Subcanonicum in Arelatensi Ecclesia instituit, Sacellumque tt) alterum omnibus sanctis dedicauit, in quo sibi posuit Mausoleum, reuera (nam Narbonæ sepultus est) Cænotaphium, quod solo æquatum fuit, cum sepulchro B. Rostagni Capra, vt Laurentianum Sacellum ædificaretur. Arcam porro curauit argenteam, in qua diui Trophimi & aliorum sanctorum cineres collocati sunt; caliquidem est arcæ inscriptio: HOC OPVS FACTVM FVIT TEMPORE VENERABILIS DOMINI GASBERTI ARCHIEPISCOPI ARELATENSIS, ET DOMINI NOSTRI PAPÆ CAMERARII, SVB ANNO DOMINI MCCCXLI. Is etiam est, qui Tolosæ 1341.
collegium reditibus multis attributis construxit, uu) *in quo* (inquit) *duo collegiati erunt Canonici Ecclesiæ nostræ Arelatensis prædictæ, simplices non beneficiati, si reperiantur idonei, & alii duo de castris & territoriis iurisdictioni temporali nostræ Ecclesiæ Arelat. iam dictæ immediate subiectis: alii vero duo de Parochia S. Petri de Dunzaco Cadurcensis diœcesis, de qua sumus oriundi; si reperiantur idonei: aliàs de parochiis aliis, ipsi parochiæ S. Petri magis vicinis: alii autem vndecumque, modo pauperes sint, & idonei.* Vniuersitatis rectores iuris huius patronos dixit, & tandem euasit Narbonensis Episcopus anno MCCCXLII. vt nos docet M. S. codex Ecclesiæ Narbonens. *Collegium Tolosæ institutum.*

In chartis nostris gesta Ioannis successoris ab anno MCCCXLI. numerantur, forte quod Gas- 1342.
bertus Arelatensem deposuisset, Narbonensem Episcopatum assumpturus.

Insigne: *Porroit de gueulle a trois faces d'argent.* Vide TAB. II. Fig. 12.

IOANNES VI. BAVZIANVS.

Iohannes VI.

CXCV. QVis Petrum Monstrium patria Lemouicensem, propter insignem doctrinam, & pietatem in summi Pontificatus culmen euectum, ex serie Arelatensium Episcoporum expungat? nisi certus temporum calculus obstaret. Si enim eodem, quo Gasbertus in Ecclesiam Narbonensem translatus fuit, anno Arelate sederit Bauzianus, quis, Petro locus supercesse potest? posse tamen videtur. Etenim ne præuaricator habear, fatendum existimo, non esse omnino alienum a vero, vt inter superstitem Gasbertum (postquam se Arelatensi Episcopatu abdicauit) & Ioannem Bauzianum, noster aliquo tempore præsul extiterit Petrus Monstrius, quem Pontificii pene omnes Historici, ex Episcopo summum euasisse Pontificem volunt nostrum: affirmat aperte Ciaconius, xx) affirmant alii plerique authores.

Bauzianus vero, vel in Petri Monstrii, vel Gasberti locum suffectus, cum abbare Montismaioris honoraria sententia yy) liti finem posuit, quam ipsius prædecessor pro paludibus, quæ interiacent inter Arelatem & ipsum monasterium, mouerat. Recepto deinde a nobi-

qq) Duplex est charta, quæ annum 1343. insinuat, prima in priuilegiis, de qua hic verba facio, sub verbo *Domvie*, altera in scrinio rerum politicarum sub verbo *visum*, vtraque Ioannam Reginam confirmat.

rr) Libro 2. rerum memorabilium.

ss) In excerptis Petri Cachalanii Notarii Auenion.

tt) In excerptis Ioannis de Via Arelat. Notarii.

uu) Autographum Collegii Narbonensis in vrbe Tholosana erecti.

xx) In vita & gestis Pontificum & in Clemente Sexto.

yy) In priuilegiis Pontificum n. 39.

libus Petro zz) de Monte-draconis, Bertrando a) Porceleto Guillelmi filio, Petro b) de Clareto, & Imberto c) de Stagno fidelitatis sacramento, seu homagio, Clementem sextum Auenione adiit, qui diplomate d) Apostolico ab Imperatoribus, Conrado, Federicis, Henricis donationes datas habuit; in quo quidem diplomate renouantur etiam vrbis & Ecclesiæ Arelatensis encomia; imò etiam priuilegia æuo superiori a defunctis pontificibus Romanis indulta.

Clemens VI. Priuilegia Imp. confirmat Arelati.

Carolus IV. Imp.

Cæterum Ludouicus Bauarus Imperio exutus est, quod eum odisset Clemens Pontifex, illoque adhuc viuente Cæsareum insigne sumpsit Carolus, Boemiæ regis filius. Rem gestam narrat Vignerius. e) *Quo etiam* (inquit) *anno Pontifex Romanus, multiplici ignominia notato Ludouico Bauaro, cum Germanis proceribus egit, vt alium Cæsarem sibi obedientiorem deligerent: ea de causa Carolum, Ioannis Boemiæ regis filium, repudiato Bauaro, Cæsarem salutarunt, idque Idib. Iul. anno* MCCCXLVI. *Eodemque anno Ludouicus Bauarus lapsu equi obtritus decessit, Carolo successore. Hic ille est Carolus, qui ad Henricum septimum, auum suum, genus referens, cum Cæsareo Arelatensium etiam regium nomen tulit.*

Ioanna ætate, forma, & opibus florens Andream Hungarum virum duxerat; ex nuptiæ non placebant: vix igitur delibatis regni fascibus insami laqueo perimitur Andreas, a Ioanne vxore (vt referunt) parato. Fraude suorum extinctum subindicat Petrarcha, f) idque Zurita g) tradit. *Andreas Ludouici Hungariæ regis frater, qui Ioannam Consobrinam reginam vxorem duxerat, domesticis insidiis & intestino scelere circumuentus, fœda morte auersæ laqueo est interremptus; gestabat interim vterum Ioanna, viroque defuncto Carolum Martellum enixa est.* Legitur enim in Ptolemæo Lucensi, h) dicta domina Ioanna Regina eius (Andreæ scilicet) vxore prægnante, ex qua natus est postmodum filius Carolus dictus Martellus. Continuo Ioanna Ludouico Tarentino consanguineo nupsit, & Ludouici Hungari aduentu territa in Prouinciam Phocensem tribus triremibus nauigauit, summum Pontificem deprecatura, vt nuptias, etsi iure damnatas laudaret, laudauit, etsi illicitas: nec abs re forte erit, dicere, Andream regio nomine abstinere iussum, & Ioannæ Reginæ nutu cuncta in regno administrata; plures enim chartæ leguntur in archiuiis publicis Andrea viuente, quæ solius Ioannæ nomine inscribuntur.

1345.

Ioannæ nuptiæ cum Ludou. Tarentino a Pontif. probatæ.

Anno MCCCXLV. litteras dedit Fulconi i) d'Aguolt præfecto, & Hugoni Balthio magno Prouinciæ Senescallo, quibus cauit iussu regio, vt Arelatensium fœdera, cum suis decessoribus inita, quouis prætextu illæsa conseruarentur; & si subpræfecti, aliique ministri regii, liberam Arelatensium ciuium frumentum transuehendi, transportandique, quo vellent, facultatem minuerent, impedirentque; in eos vt publicæ libertatis effractores animaduerteretur. Nulla in his membranis Andreæ mentio. Illo etiam præterito, Ioanni Bauziano ii) præsuli nostro Arelas contulit sali conficiendo, facultate etiam liberæ venditionis cuilibet præstandæ concessa. En eius elogium: *Ioanna Dei gratia Regina Hierusalém & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis comitissa, & Arelatæ domina.*

Arelati Domina.

Bauzianus mortuus est anno MCCCXLVII. 1347

STEPHANVS, DE GARDIA.

B XCVI. Emouicensis Stephanus, Clementi sexto propter sanguinis affinitatem charus, datus est Arelatensibus præsul anno MCCCXLIIX. creatusque iam antea presbyter Cardinalis k) S. S. Siluestri & Martini in montibus tt. Equitii, Longobardiæ & Romandiolæ legatione fuerat insignitus. Roberto diem (vt in Gasberto diximus) functo, summam rerum Neapolitani regni Clementis VI. voluntate demandatam rexerat, acceptoque a proceribus iurejurando totius regni procurationem in se verterat: ac fidissimis Roberti ministris contemptui habitis, nobilium animos sibi iratos reddiderat, rogatuque ipsius Reginæ, & regni procerum, Pontifex (vt ait Ciaconius,) legatum biennio antequam fieret Arelatensium præsul, reuocauerat. Verum fallitur Ciaconius, Haymericum de Suardia vocans, quem Stephanum de Gardia dicere debuisset.

Stephanus. 1348.

Ciaconii error.

Ab illo Pontius l) de Quiqueran, beneficiario accepto fundo, Ecclesiæ Arelatensis clients est declaratus. Salonis m) ad Crauum ciuibus, publicæ domus Thesauriariæ, & campanarum vsum ob rebellionem interdixit, illosque, Carolo (vt opinor IV.) Cæsare Romam eunte, se seruos, subditosque Arelatensis Ecclesiæ fateri coegit. Demum aureo chirographo n) eiusdem Imperatoris obsignatam sibi quæsiuit præteritarum ab imperatoribus, & regibus donationum Ecclesiæ Arelatensi concessarum confirmationem, jure salis conficiendi & cudendæ monetæ addito.

Carolus VI. Imp. firmat iura Eccl. Arel.

Erat sane ætas illa multiplici calamitate nobilis, furente in Ioannam & Ludouicum prin-

zz) In chartis Montis-draconis.
a) In chartis insulæ ferrariarum n. 8.
b) In homagiis num. 18.
c) Ibidem numero 8.
d) In priuilegiis Apostolicis num. 54. 55. &c.
e) In Burgundionis Chronico.
f) Lib. 6. Epist. de rebus familiaribus ad barbatum Sulmonensem.
g) In rebus Aragonicis.
h) In genealogia Regum Siciliæ.
i) In chartis, quæ loquuntur de libera frumentorum facultate sub verbo *secundum*.
ii) In Priuilegiis imperialibus n. 23.
k) Ciaconius in nomenclatura Cardin. & in vita & gestis summorum Pontificum in Clemente Sexto.
l) In homagiis Eccles. Arel. n. 31.
m) Ibidem in chartis vrbis Saloniæ n. 18.
n) In scrinio codicillorum aureo Sigillo obsignatorum ibidem.

cipes

cipes rege Hungaro, & ex sopitis Francorum (vt credebatur) cum Anglo bellis, emergente vndique milite: verum hæc aliis enucleanda relinquimus. Ioanna, & Ludouicus reges, hic enim vir Ioannæ solus regis nomen tulit; licet inter iniquas pacis conditiones, Hungarus illi abrogatum voluerit, cum Aragonio ipe nuptiarum filiæ fœdus percussere, quod diserte explicat Zurita o) *Rex* (inquit, Aragonum scilicet) *Genuensi bello intentus, Ioannam reginam, & Ludouicum eius virum, qui in Prouincia Galliæ commorantur, amicitiæ fœdere sibi deuincit, paciscuntur, vti Ioannes Gerundæ Dux Catharinam natu maiorem reginæ filiam, nec dum nubilem, in matrimonium ducat, qui hoc ipso anno natus fuerat: contendit præterea Rex, vti Prouinciæ Galliæ, & Forcalquerii Comitatus Catharinæ doti addicantur, solutoque matrimonio, aut nullis eius matrimonii liberis superstitibus, ii comitatus regno Aragoniæ cedant, atque contribuantur.* Subdit vero: *Margarita tamen & Francisca* (Catharinæ non meminit errore forte nominis deceptus) *Ioannæ reginæ filiis pueris infantibus mortuis, eæ pactiones diriminntur.*

1351.

Harum nuptiarum metu Arelatenses moti, Ludouicum & Ioannam reges adiere, ne quouis prætextu alieni juris fierent, se libere cum Ioannæ decessoribus, quod Franci essent, conuenisse, pacem coluisse, exterarum gentium imperium ferre non posse: ciuium fortunas, animum, vitam habeant, alios illi reges non habeant. Vrbis legatis & oratoribus humanissime exceptis, regium diploma p) concessum est, quo præterita cum Ioannæ decessoribus fœdera renouantur: in illo etiam legitur, ciues ab omni exactione, vectigali, ære collatitio, imo solitis Prouinciæ oneribus immunes esse: obseruatum etiam, Arelatem non posse in aliùm transferri, nisi hæredem regum; si aliter in posterum visum, liberum sit Arelatensibus arma sumere, & aduersus quoscumque, vrbem, liberos, vitam, vnoque verbo patriam tueri.

Hungarus confectis rebus, quarum causa venerat, celeriter in Hungariam transmisit, ducto secum Carolo infante, non Ioannæ, vt vult Massonus, sed Caroli Durazzi filio, cuius patrem capite damnarat. Sed Carolo infante mortuo, pertæsi Hungarici Imperii Neapolitani, Ioannæ & Tarentino scribunt, vt redeant. Collecta pecunia non erat satis rei bene gerendæ, vendidere igitur Auenionem ad Rodanum pretio tricies mille florenorum Ecclesiæ Romanæ, & collecto milite Neapolim peruenere summo a proceribus plausu recepti.

Auenio Eccl. Romanæ vendita.

1356.

Philippus Tarentinus, Tarentini principis filius, illis absentibus subregulus Prouinciæ res curabat, & cum non posset inter prouinciales modum dissensionum facere, quod momento in arma prorumperent, legem q) de obliuione discordiarum retulit, quæ in Archiuiis nostris hodie etiam legitur. Sed Balthiis rebellionem facientibus, denuo in armis esse oportuit; astuere Arelatenses, eorumque armis Balthiorum arx oppugnata, expugnataque est. In cuius rei gratiam Ludouicus & Ioanna Reges, Arelatensibus facultatem dederunt, vt animalia in agros Balthiorum immitterent ad decem annos, propter nauatam egregie operam in Balthiorum bello. Huius rei gestæ fidem facit diploma r) anno MCCCLIX. datum, asseruatumque in vrbis Armario.

Nouum priuil. Arel. datum.

Sequenti anno decessit Stephanus noster, humatus in templo diui Trophimi. 1359.

GVILELMVS II. DE GARDIA.

XCVII. Guillelmum, Stephani nepotem, pura insignitum, MCCCLX. pietas & virtus edidit, Hierosolymorum patriarcham. A Gaconio s) tardius fertur in numerum Cardinalium cooptatus, Vrbano scilicet Pontifice sexto; nec profecto Romæ defunctus est, aut sepultus: sed Arelate, vt demonstrabo. A Draconeto t) de Monte-draconis Guillelmus pro supremo eiusdem municipii Domino honoratus est: ea lege, vt vrgente bello, vel pace durante, vrbis claues Episcopo Arelatensi redderentur.

Guillelmus II. 1360.

Secundum sane in dignitate annum agebat Guillelmus, cum Ioanna domesticis bellis pressa, & suorum passa rebellionem, Neapoli versabatur, Comes u) fitque Arelatensibus, vt in vrbe ducem crearent, qui res ad bellum spectantes curaret; exinde illam immisit Guillelmus, quæ donationem x) salinarum, a Carolo quarto Stephano patruo & Ecclesiæ Arelatensi factam, ratam habuit, & rediens, Auenione aliquandiu cum Vrbano quinto summo pontifice, & Carolo quarto Cæsare moratus est. 1362.

Cæsar Arelatem venit, Arelatensis regni coronam petiturus, quam obtinuit in augusto diui Trophimi templo, & imposuit Guillelmus noster, præsentibus Sabaudiæ, & Borbonii Ducibus, ac Prouinciæ Senescallo: quæ quidem licet anno MCCCLV. gesta referat Nostradamus, ex archiuiis nostris constat, non Stephanum, sed Guillelmum illius coronationis authorem, ipseque etiam author y) libro de cæremoniis Ecclesiæ Romanæ nobiscum sentit. *Legimus* (inquit) *& in aliis historiis, quosdam Imperatores Arelate etiam coronam suscepisse, de regno Arelatensi, & alibi, alias pro aliis regnis: nam & Carolus 4. Auenionem venit ad Vrbanum 5. anno salutis* MCCCLXI. *iam pridem jussu Innocentii sexti Romæ Imperator coronatus, qui*

Carolus IV. fit Rex Arel.

o) In rebus Aragonicis anno 1351.
p) In archiuio vrbis Arelat. & in scrinio priuilegiorum sub littera T. anno 1352.
q) In archiuio vrbis anno 1356. sub verbo *tacuerunt*.
r) In archiuiis vrbis in membranis pascuorum publicorum sub littera G.
s) In vita gestisque Pontificum in Vrbano sexto.
t) In chartis Montis-draconis n. 7.
u) In archiuio vrbis in armario rerum politicarum sub verbo *cogitatione*.
x) In Priuilegiis num. 24.
y) Lib. primo sectione 5.

rebus, quarum gratia ad Pontificem venerat, absolutis, Arelatem profectus est, vbi per Episcopum huius vrbis regni Arelatensis corona donatus est.

Hæc vbi resciuit Ioanna, conquesta est apud Carolum, qui Rodulphi ignaui nihilominus testamento innixus, hæresque Henrici septimi aui sui, ad hominium præstandum sibi, vt regi Arelatensi, quam multos tum Episcopos, tum nobiles coegit; imo Arelatensi Ecclesiæ, quæ superioris æui reges munificentissime largiti fuerant, Bulla z) aurea confirmauit, propolitique tenax (licet Nostradamus asserat, publico chirographo illum declarasse, se nihil in Prouincia Romanorum contra supremam Ioannæ authoritatem egisse) Carolo, Caroli quinti Gallorum regis filio Vicariam in regno Arelatensi potestatem perpetuam contulit. *Carolum* (inquit Vignerius aa) & Beatus Rhenanus) *Francorum regem, Carolus Imperator, cum Lutetiam Parisiorum venisset; Vicarium imperialem in regno Arelatensi instituit, & aliquot castellis donauit.* Quod vero a Prouincia longissime distaret supremum Imperatoris tribunal (Cameram vocant imperialem) nec possent pauperes absque juris, & causæ dispendio Spiram proficisci, Vrbano postulante, Principum & regni nostri procerum votis accedentibus, concessit bb) Imperator, judicandas, cognoscendasque supremo judicio causas a summi Pontificis Camerario. Nec vlla amplius Regum Arelatensium in armariis nostris memoria; quorum regnum, sepulto Carelo, consepultum est, licet Treuirensis Episcopus, quem Brouerus cc) apud Fortunatum Galliarum omnium sibi Primatum vendicare asserit, ideoque eam in rem cum nostro Arelatensi certamen dignitatis domesticæ laudis studio haud defugere, mordicus Archicancellarius dd) in regno Arelatensi per Gallias dici etiamnum voluerit: verum ad nostra.

Ludouicus Neapolitanus Rex decimo regni anno decessit, sentiente aliter Collenutio, qui tertium tantum numerat; sed sententiæ nostræ authorem habemus Ptolemæum ee) Lucensem, qui sic loquitur, *Anno* (inquit) *Domini* MCCCLXII. die XXVI. mensis Maii, qua *die fuit festum Ascensionis Domini, obiit prædictus Ludouicus Rex Siciliæ, Neapoli, completis x. annis integris a die suæ coronationis:* consecutoque post anno tertias, eodem authore, adiuit nuptias Ioanna, his verbis: *anno Domini* MCCCLXIII. *completo anno obitus prædicti regis Ludouici supradicti, Domina Ioanna regina contraxit matrimonium cum Domino Iacobo rege Maioricarum, cum quo nupta manet ad præsens.* Verba sunt authoris, qui se illa ætate vixisse insinuat, nec librum suum vltra perduxit.

Hoc eodem anno deploratus erat Prouinciæ status: colluuies enim bellorum in vnum coierat. Prædones illos vocat Mallonus, nos Hispanos ex membranis nostris; sic dicti, vt opinor, quia Bertramum du Gueselin, spectatum bello ducem, in Hispaniam sequuti sunt, faciebantque in omnes Galliarum Prouincias excursiones, narratque Frossartes, triginta hominum millia in illo exercitu fuisse, in quibus repellendis, vexandis, profligandisque, multum profuit Ioannæ nostræ industria: indictoque ære collatitio Prouincialibus, sine quo bellum confici minime poterat, immunes fuerunt Arelatenses, confecto a Ioanna diplomate, quo cauit, vt fœdera (quæ *conuentiones* vocamus) perfecte & ad integrum obseruarentur.

At nescio, quibus odiis ferebatur Ludouicus Andium Dux, & Ioannis Francorum regis minor natu filius; in Prouinciam enim mouit, illiusque subregulum Tharascone inclusit, cui cum nulla esset commeatus copia, de deditione agere coactus est; territique Arelatenses idem fecere, soluto ære mulctatitio, vt tradunt Francorum scriptores, quos sequutus est Nostradamus. Rem vero aliter gestam indicant scrinia nostra publica, in quibus legitur libellus Reginæ supplex a consulibus vrbis oblatus, quo narratur, bona Francorum hastæ subiecta fuisse, vt coacta pecunia vrbem munirent, propugnacula instruerent, fossasque deducerent, vt Ludouicus eos longa licet obsidione expugnare minime posset; superesse adhuc quamplures in vrbe Francos, qui numerata pecunia libertatem consequi exoptant. Orant igitur Ioannam, vt illius authoritate victorum bona, & aurum, quod captiuitatis redimendæ precio exigendum est, in præmium fortitudinis ciuium, vrbisque felicitatis cedat, vt hac regia compensatione ærarium publicum aliquo modo subleuetur: annuit Regina, jubetque diploma ff) confici ad summam vsque millium florenorum. Quis igitur victos dicat Arelatenses, non victores?

Cæterum in Guillelmum præsulem inuehit Nostradamus, gg) non tam suo, quam alieno felle commotus: recitatque, occultum cum Ludouico, Ioannæ hoste, fœdus iciisse, atque vt sententiam suam probet, Alamanoni Satyram descripsit. Hic vbi Guillelmum impium, atheum, mortalium denique nequissimum dixit, conuicia in vnum congesta in illum euomit; de proditione ne verbum quidem: tabulas tamen profert Nostradamus, quibus Luqueto Girardino de Pistorio perfidi præsulis causa demandatur, constatque illo diplomate, vrbes, municipia, fundosque mouentes Arelatensis Ecclesiæ potestati Regiæ Luquetum subiecisse, postmodum de scelere cognitum. Sed an hæc vera sint, penes illos sit fides: chartæ etenim nostræ Guillelmum optimi præsulis specimen edidisse testantur; imo Ioannam, ante & post fictam proditionem, il-

Carolum Vicarium Regni Arel. constituit.

Ludouici in Arelatenses cognatus.

1366. *Iurisdictio qualis?*

Regum Arel. fuit post Carolum IV.

Treuirensis Archicanc. Arel.

Iohannæ tertiæ nuptiæ.

z) In scrinio Sigillorum auorum.
aa) In Burgun. Chron. ex B. Rhenano.
bb) In priuilegiis n. 58.
cc) Lib. 3. c. 11.
dd) Robertus in Gallia Christiana tit. Archiep. Treuirens.
ee) In genealogia regum Siciliæ.
ff) In priuilegiorum scrinio, sub verbo, *iniquitates.*
gg) In historia Prouinciæ Phocensis parte quarta pagina 420.

lum

lum sibi beneficiis deuinxisse; & quod præcipuum est, negant, Arelatenses se a Ludouico victos succubuisse, nec Ioannam hac in Ludouici causa expostulaturi obmutuissent.

Ioannis R. Gall. priuil. Moriturus Guillelmus a Ioanne Francorum Rege assignationis centum solidorum apud Bellicadrum confirmationem obtinuit (de quibus supra in Bertrando egimus) regio hac in causa scripto donatus. hh) Sacellum sibi, patruoque Stephano in tumulum construxit, & tres (vt vulgo fertur) capellanias, seu oratoria, in quibus quotidie sacrificetur: primum Diuo Bartholomæo, alterum Sanctæ Margaretæ, tertium vndenis virginum millibus dicauit, attributis apud municipium Granense reditibus quamplurimis, sanxitque ii), Petrum de Gardia Tutellenensem perpetuo juris patronatus beneficio frui, subitoque Prouinciali Concilio die Bartholomæo, Margaretæ, & vndecim virginum millibus sacro, septingentorum annorum indulgentiam concessit Ecclesiam Beati Trophimi visitantibus. Subscripsere Guillelmus Patriarcha Hierosolymitanus, Aquensis & Ebredunensis Archiepiscopi, Auraycensis, Massilienſis, Vasionensis, Tricastinensis, Dignensis, Senecensis, Nicensis, Vencensis, Aptensis, Regiensis, & Sistaricensis Episcopi.

1371. Annus obitus Guillelmi esse debet MCCCLXXXI. nam Petri de Croso gesta calculum historicum premunt.

Insigne: *Portoit escartelé de Hierusalem au premier & quatriesme, au second & troisiesme d'azur à six estoiles d'or à vn pal de mesme, & à vne bande de gueule brochant sur le tout.* Vide TAB. II. Fig. 13.

PETRVS III.
DE CROZO.

Petrus III. XCIII. PRoh! qualem, quantumque virum, patria Monfortensem in Lemonicensi dioecesi: vecti enim Vrbanus quintus, & Cardinales Romam, anno MCCCLXVII. Iterum kk) ardente inter Anglos, & Francos bello, Franciam repetendam censuit Vrbanus, vt pacem inter hos reges faceret, qua in cogitatione defixus obiit Auenione MCCCLXX. Vrbano Gregorius vndecimus succesit, qui exemplo decessoris se Romam contulit, vt ibi deinceps Episcopus ageret, sedemque pontificiam ex Galliis in Italiam transferret, occubuitque anno MCCCLXXIIX. Eius successor nominatus est Bartholomæus Barensium Archiepiscopus, (cui Vrbani sexti nomen datum) Romanis ciuibus jure & injuria Cardinales ad Pontificis electionem adigentibus. Hic infeliciter adeo Pontificatum orsus est, vt, authore Petro Arelatensi præsule, damnatis prioribus comitiis, alium Cardinales Pontificem designarint, septimi nomine Clementis. Vnde Gallos inter & Italos tantis deinde odiis certatum, conflatum est schisma, vt nulla ætas tam durum, tamque atrox tulerit.

Camerarius Vrbani, Petrus de Crozo, primus ab eo secessit. *Ante omnia igitur*, ait Ciaconius, ll) *Cardinalium consilio Archiepiscopus Arelatensis Camerarius Papæ, in cuius potestate erant omnia sacra Pontificum ornamenta, vt thyaræ, cruces, vestes, & nulla abeundi venia a Pontifice petita, Anagniam omnia secum afferens, accessit.* Postremo anno MCCCLXXIIIX. proxime die dominico Kal. Nouemb. ante fores Ecclesiæ maioris Fundanæ coronatus Clemens septimus in Franciam venit, & Cardinalitiam purpuram Petro concessit, si tamen eam prius non dederit, quam venisset in Galliam; Anti-Cardinalis vero appellatur Petrus, quod Anti-Papæ partes secutus fuerit. *Ornamentum Pontif. in manu Petri III.* 1378.

Vrbanus, quod Ioanna Clementis & Cardinalium consilia confirmasset, illum oderat, in eiusque perniciem incumbens, Hungaros in Italiam euocat, Ioannam regno priuat, eiusque regnum tumultibus, bellis, & cladibus implet. Ioanna quarto iam connubio nobilis, Iacobo enim rege decedente, & Aragonii reiectis nuptiis, Othonem mm) Brunsuicensem duxerat, Hungarorumque impetum fugiens in comitatum Prouinciæ, mari se contulit, & Clemente authore, cuius multum intererat, ne Ioanna euerteretur, Ludouicum Andium Ducem, & Ioannis Francorum Regis filium in spem regni adoptat. Conscribitur igitur exercitus, & Sacerdotum decimæ Ludouico conceduntur in belli sumptus. Interea variis casibus Ioanna regnum repetit, renouatisque adoptionis litteris, premitur a Carolo Durazzio, & Vrbano. Harum litterarum meminit Zurita nn) his verbis: *Neapoli* (inquit) *in noua arce Ioanna Regina Ludouicum Andegauensem Ducem filium sibi adoptat, ditionumque eis fretum Siciliense futurum regem instituit, Prouinciæ, Forcalquerii & Pedemontis ditionum hæredem scribit: Calabriæ Ducatum vti legitimo successori attribuit. Ludouicus tanto dono Reginæ addictus, & fœdere obstrictus, sacramento adactus, obtestatur, se pro regno & reginæ incolumitate & Othone Brunsuicensi* * *Duce Principe Tarentino, aduersus Franciscum Andriæ Ducem, acerrimum reginæ hostem, tanquam pro communi salute arma capturum, & Reginæ injurias vlturum, persecuturumque. Clemens Auenione xi. Kal. Aug. jussa ea, rata atque firma futura sancit.* Ignorasse videtur Zurita, Ioannam in Prouinciam venisse; quicquid sit, Hungaro in regnum intranti, vt victori, deditionem fecere vrbes præcipuæ, & Neapolim *Ioanna adoptat Ludouicum.* *Brunsuicens.*

hh) In chartaceo, qui dicitur rerum nostrarum index.
ii) Ibidem.
kk) Petrarcha lib. 8. rerum senilium epist. ad Lucium.
ll) In vita & gestis summorum Pontificum in Clemente septimo.
mm) Zurita sub annum 1379. in rebus Aragonicis.
nn) Ibidem.

receptus

receptus, Ioannam in arcem nouam inclusam obsedit. Otho vrbem obsessoremque vxoris obsidet, eruptionemque Carolo faciente, fortiter pugnans Otho equo saucio captus est, & Ioanna deploratis rebus deditionem fecit, in quam Ludouicus Hungarus seueriorem sententiam dixit: sed, ait Zurita, oo) *eo ipso tempore scilicet* anno MCCCXXCII. *Ioanna in Caroli Dyrrachini Ducis, qui Neapolitanum regnum inuaserat, potestatem venit, & Ludouici Pannoniæ regis jussu strangulatur;* a Carolo id jussum tradit Vignerius: pp) *Carolus* (inquit) *de Duracio Siciliæ Rex a Papa Vrbano creatus, Ioannam Apuliæ reginam strangulari curauit.*

Porro Petrus qq) Archiepiscopus, in patriæ gratiam, Sacellum Arelate posuit Lemonicensium Apostolo Martiali, dotauitque, vt singulis in eo diebus sacrosanctum Missæ officium celebraretur, æternæ quietis exorandæ causa Clementi VI. suisque parentibus. Præterea Auenione celeberrimi collegii & Xenodochii (nomine diui Martialis) fundamenta jecit, muneribus auxit, & reditibus locupletauit, piusque in sanctos diui Trophimi cineres argentea imagine inclusit affabre elaborata, & hoc inscripta elogio: HOC OPVS B. TROPHIMI CHRISTI DISCIPVLI FACTVM EST, REGNANTE DOMINA IOANNA REGINA SICILIÆ, ET PROVINCIÆ COMITISSA, ET DOMINO PETRO DE CROZO ARCHIEPISCOPO, ET PRINCIPE ARELATENSI ANNO DOMINI MCCCXXCI. Nec vnquam Martialis sui oblitus subcanonicos canonicis nostris adlegit, diui Martialis titulo insignitos, & ad certum numerum reduxit, in illorum fauorem condito testamento: Nec Arelate, quamuis Mausoleum parasset, sepultus est; sed Auenione in suo diui Martialis templo. Epigraphe sepulchralis illum indicat fuisse Bituricensem Episcopum: sed quo anno precisæ Arelate sederit, incompertum
1383. est, vixisse tamen ad annum MCCCXXCIII. ex scriptis nostris constat, & ex Ciaconio MCCCXXCIIX.

HIC IACET BONE MEMORIE REVERENDISSIMVS IN CHRISTO PATER DOMINVS PETRVS DE CROSO ORIVNDVS DE CAMAFORTI LEMOVICENSIS DIOC. DECRETORVM DOCTOR, QVI PRIMO FVIT MONACHVS S. MARTIALIS LEMOVICENSIS ORDINIS S. BENEDICTI, ET INDE PRÆPOSITVS DE ROSSACO DICTORVM ORDINIS ET DIOC. POSTMODVM CELLELARIVS ECCLESIÆ TVTELENSIS, ET POST PRIOR DE VOLTA ORDINIS CLVNIACENSIS S. FLORI DIOCES. ET DEINDE ABBAS MONASTERII TRENORCHIENSIS, CABILON. DIOC ET POST EPISC. S. PAPVLI, POSTMODVM ARCHIEP. BITVRICENSIS ET EXISTENTE ARCHIEP. FVIT FACTVS CAMERARIVS DNI NTRI PAPÆ PER SANCTÆ MEMORIÆ DNM GREGORIVM PAPAM XI. ET DEINDE ARCHIEPISCOPVS ARELATEN ET DE ECCLESIA ARELATENSI ET CAMERARIATV PRÆDICTIS FVIT ASSVMPTVS IN TT. SANCTORVM NEREI ET ACHILLEI PRESBYTERVM CARDINALEM, QVI SANITATE FVNGENS HIC SVAM ELEGIT SEPVLTVRAM; ORATE DEVM PRO EO.

A Insigne: *Portait d'azur à trois pans de mvraille crenelée d'argent, maçonnée de sable au chef vne face de gueule.* Vid. TAB. II. Fig. 14.

FRANCISCVS DE CONZI.

Francis-cus.

XCIX. SAbaudia Franciscum nobis dedit genere perillustrem, & duplici cognomine affectum, in sepulchrali lapide *Gener*, aliis in monumentis *de Conzi:* ex nobili familia de Conzi in agro Rumiliaco. Pauca supersunt illius monumenta; mediam enim solum
B claustri Ecclesiæ nostræ partem construi curauit, dedit rr) ciuibus Montis-draconis scindicos in sex annos continuos; fuit a cubiculis seu Camerarius Pseudo, Papæ, & Narbonensis Archiepiscopus.

Cæterum mors Ioannæ Reginæ calamitatibus Prouinciam vexauit, & factionibus impleuit, vt mox dicemus. Ludouicus, filius Ioan-
Iohanna mortua Ludouicus coronatus, mox mortuus.
næ per adoptionem, Auenionem profectus, a Clemente Anti-Papa coronatur, & Siciliæ Hierosolymorumque Rex salutatur, magnoque
C comparato exercitu ad triginta equitum millia, incerto peditum numero, imperium detrectantes Prouinciales domuit, Arelatensium agris vastitate illata. Continuo in Italiam profectus est: sed exercitu inedia & morbis con-
1384. sumpto, ex dolore animi decessit, anno MCCCXXCIV. vt tradit Massonus. ss) Collenutius tt) vero vulneribus quinque in prælio acceptis obiisse significat: Æmilius uu) morbo, an veneno, non explicat, vtrumque enim traditum scribit. Vignerius xx) rem narrat paulo aliter. *Idcirco* (inquit) *ea* (Ioanna scilicet) *mortua & regni Neapolitani, & Comitis Prouinciæ titulos assumpsit* (Ludouicus scilicet)
D *traiectisque alpibus cum* XXX. *millium equitum exercitu in Apuliam, ad illius regni iura asserenda profectus est; vbi cum oppida & castella quædam in suam ditionem redegisset, morbo ad Barium Apuliæ vrbem, quam oppugnabat, contracto* 12. *Kal. Octob. anni* MCCCXXCIV. *defunctus est, superstitibus duobus liberis, qui illi in iura titulosque tum regni Sicilienſis, tum Comitatum Prouinciæ, & Andium successere.*

Eius liberi succedunt Arelate.

Maria adolescentum mater regni procuratione suscepit, Prouinciales fœminei imperii pertæsi motus cient; Carolus Durazzii seu Dirrachii Dux, Neapolitani regni incubator, auro secreto rebelles iuuat. Raimundus de Ture

oo) In rebus Aragonicis.
pp) In Burgundionum Chronico.
qq) In scrinio sub Canoni.
rr) In chartis Montis-draconis n. 8
ss) In Francorum annalibus lib. 4.
tt) Lib. 4. historiæ Neapolitanæ.
uu) In historia Francorum.
xx) In Burgundionis Chronico.

ne odiis

ne odiis publicis in Mariam & natos reges fertur, quod Ludouicus vir eas sibi retinuisset vrbes, quas Ioanna in Prouincia Phocensi beneficiario jure ipsi concesserat. Arelate & Massilia fide erga principes constanti a reliquis totius Prouinciæ vrbibus dissentiunt, ea de causa Raimundus de Turene secretis nuntiis Ferragutium Tuchinorum Ducem (id nomen est militum, quos supra prædones diximus) Balthiæ arcis præfectum in Arelatenses mouet. Ille yy) adhibitis in consilium sociis, corruptisque quibusdam ciuibus vrbem nocte intempesta aggreditur, effractisque aut reseratis a proditoribus vrbis portis, cædibus vrbem implet, & secundis tenebris, Prætore cæso, effuso milite, alias ciuium domos perrumpit, nullo obnitente: sed aurora metum pellente in Burgum coeunt ciues, & ignauissimam mortalium gentem præda onustam vrbe cogunt excedere. Harum rerum habeo testes non solum membranas, quæ in scriniis publicis leguntur, sed etiam ipsum Clementem Anti-Papam. Furente enim ciue in proditores sæuitum est, & sententia nullo sacerdotum delectu habito dicta, triginta laqueo, vndis, securi, aut alio mortis genere extincti fuere, quibus percussis, a Clemente veniam exposcunt, quod sacerdotes non exauthoratos capitali supplicio damnarint, cuius bullam habemus adhuc præ manibus, sed breuitatis causa omittimus.

Arelate prodita direpta & liberata.

Ludouicus II. coronatus.

Enituit ætate turbulentissima prudentia Mariæ, his enim, donec adolescerent filii, sopitis, filium a Clemente coronari jussit anno 1385. extantque tabulæ coronationis, quæ id hoc anno factum indicant, licet Vignerius zz) in annum MCCCXXCIIX. rejiciat his verbis: *Ludouicus secundus Andegauensis Ducis, & Coinitis Prouinciæ filius a Papa Clemente 7. Kal. Nouemb. Auenione Apuliæ Rex coronatus est.* Coronatum recepere Arelatenses, nouisque exscriptis fœderibus, nouo hominio obstricti sunt, diciturque vulgo secunda conuentio. Memorabile est articulo primo voluisse ciues Ioannæ Reginæ memoriam ab Italorum satyris vindicare, cuius tenorem subjicio.

De Morte Ioannæ Reginæ vindicanda Art. I.

Et primo a) *quod dicti Domini, Regina & Rex, ac Comites promittunt & jurant pro se, & successoribus ipsorum in manibus Scyndicorum vrbis Arelatensis, quod ipsi scilicet Domini Regina & Rex aut aliquis eorum numquam facient pacem, siue concordiam aliqualem cum illo nefandissimo, & iniquo proditore Carolo de Duracio, qui tam injuste & inique ac violenter captiuauit, exhæredauit, & spoliauit bonis, & recolendæ, & sanctæ memoriæ Dominam nostram Reginam Ioannam regno Neapolitano, & eius patrimonio, & ipsam nequissime aut crudeliter tradidit morti; imo ipsum & suos in posterum persequentur juxta posse, mortem recolendæ bonæ & sanctæ memoriæ Dominæ nostræ Reginæ præfatæ vindicando.*

Inter ciues, qui aut interfuere, aut subscripsere, Pontius de Cays legitur legum Licentiatus, qui deinde maiorum appellationum in Prouincia Iudex & Cancellarius euasit, d'Vrbana, & Raynaudus: aliæ vero familiæ penitus extinctæ sunt.

Prouincia turbulenta.

Reliqua Francisci nostri ætas, dum nobis præfuit, deploratissima sane extitit: Raimundus enim de Turene rebellionem fecit, qua nihil vnquam Prouincialibus funestius accidit. Spe lucri prædones (de quibus iam loquuti sumus) cæterique rebelles, quos antea Carolus Dirrachii Dux in suam factionem traxerat, ad eum confluxerunt. Ille infami scripto exercitu, arces, castra & munitissima quæque totius Prouinciæ loca partim virtute, partim industria domuit, euertit, & cuncta cædibus, incendiis & rapinis impleuit. Fidelissimi Prouincialium b) fuere Arelatenses, qui principem (licet ex pactis fœderibus immunes dicerentur) auro & milite juuerunt.

Flagrante Prouincia, Franciscus anno MCCCXCV. Narbonensis Episcopus creatus est. Primus extincto schismate post rapinas, cædes, incendia Petri de Luna, præfecturæ pontificiæ vices Auenione sustinuit, Martino quinto sedente, & probante. Auenione humatus jacet in patrum Cœlestinorum templo, cum hac in sepulchro marmoreo epigraphe: 1395.

HIC IACET REVERENDISSIMVS IN CHRISTO PATER DOMINVS FRANCISCVS *GEVEN, NOBILIS, LEGVM DOCTOR, DIÆCESIS GEBENNENSIS, PRIMO GRACTIANOPOLIS EPISCOPVS, ET DEMVM ROMANÆ ECCLESIÆ CAMERARIVS, ARELATENSIS, ET INDE THOLOSANVS, VLTIMO NARBONENSIS ARCHIEPISCOPVS, QVI OBIIT ANNO DOMINI MCCCCXXXII. DIE VLT. MENS. DECEMB. CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE.

Forte legi debet: Franciscus genere nobilis.

Insigne: *Porte de sable au chef d'or chargé d'vn Lyon de gueule issant.* Vid. TAB. II. Fig. 15.

IOANNES VII. DE LA ROCHE-CHOVARD. SEV ROCHE-CANARD.

Iohannes VII.

C. IOannes antiquo natus genere apud Lemouicenses, Bituricensis fuit Episcopus, Ecclesiæ nostræ administrationem, Anti-Cardinalis a Clemente septimo Anti-Papa factus, suscepit, nihilque Episcopus notatu dignum egit. Scissa factionibus Ecclesia duos Pontifices agnoscebat: Bonifacium septimum, aliis nonum colebat Roma; Clementem Auenio. Ludouicus noster nondum pubes regni negotia

yy) Huius rei gestæ seriem habes in archiuiis vrbis & in scrinio Ecclesiæ sub verbo, *oretis.*

zz) In Burgundionum Chronico.

a) In scrinio fœderum vrbis.

b) In archivis vrbis triplici diplomate primo sub verbo *genitrix* anno 1389. secundo sub verbo *nostras*, anno 1390. tertio sub verbo *deprecationes* anno 1391.

mature procurante, (non de occupanda Neapoli, vti olim cogitatum est) sed de Prouincia cogitabat defendenda, quæ diuersis rebellium studiis laborabat, eamque chartæ nostræ pene consternatam fuisse dicunt. Qui ergo mirum, si Ioannes nihil dignum egerit, quod nostræ inseratur historiæ? Supersunt quædam illius gesta a pactorum perscriptoribus excepta, sed vt annos sedis illius enumeremus, solum inseruiunt.

Porro Prouinciæ nostræ fax, Raimundus de Turene, Clementis septimi affinis, alter sui sæculi Attila, rebellionem in Ludouicum nostrum, vt iam diximus, fecerat; sed defuncto Clemente de pace sollicitius agere cœpit. Cum vero hi, quibus rerum arbitrium demandatum erat, obliuionem injuriarum sancirent, summamque pecuniarum, Raimundo dandam statuerent, effractis pacis legibus iterum certatum est, & cum nullum modum ruinis, rapinis, incendiisque faceret, imo vniuersis Prouinciæ agris vastitatem inferret, justo Marte cum illo dimicatum est. Cæsis militibus fuga sibi consuluit, Rodanumque lembo trajiciens vndis rapidissimi fluminis absorptus est, redditaque pax, licet postliminio, Prouincialibus
1399. anno MCCCXCIX. Quo anno Ludouicus annos pubertatis excedens fœdera c) & conuentiones, olim cum Arelatensibus, præsente matre habitas, confirmauit, ratasque habuit. Scrupulus tamen supererat de Raimundo, non enim obiisse hoc anno, aut submersum, indicat elogium sepulchrale, quod Auenione in Templo dicti Martialis legitur; sed opinamur, appositam epigraphem a successoribus, qui honoris Raimundi, non historiæ, curam habuerunt, & ne te quid lateat, hic apponi curauimus.

Raimundi de Turene Epitaphium.

HIC IACET MAGNIFICVS, ACPOTENS, VIRQVE ILLVSTRIS DOMINVS RAIMVNDVS DE BELLOFORTI, QVONDAM COMES BELLOFORTIS, ET VICECOMES VALERNÆ, QVI ANNO DOMINI MCCCCXX. DIEM SVVM CLAVSIT EXTREMVM &c. XII. DIE MENSIS MAII CVIVS ANIA REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

Clemens decesserat Auenione, & schismatis componendi cura omnibus incedebat, sanctequejurarunt omnes, Pontificatum se deposituros, si eligerentur: modo Romanus idem faceret, vt totius orbis terrarum conuentu sacræ sedi certus imponeretur Pontifex. Petrus de Luna electus amplissima ortus familia genere Cathalanus: is electus jurisjurandi immemor, se Ecclesiam Dei minime deserturum pronuntiauit, eoque ventum est, vt a Franco milite regnique prætore, sit obsessus. Affuit illico Petrus d) de Luna Pontificis nepos, qui Arelatem pertransiit cum exercitu Aragonum regis, vt obsessum liberaret solueretque. Solutus, & secessione ab eo facta, *nec a quoquam*, inquit Æmilius, e) *violaretur*, sacrosanctum Domini corpus præ se ferens, in Cathaloniam ad natales suos Tarraconensesque concessit. Cætera exponant ii, quorum magis interest, quam nostra.

Interea Ludouicus adoleuerat, nupsitque 1400
initio sæculi. Celebratas fuisse nuptias Arelate, contendit Nostradamus, f) quod tamen non lego in Zurita, g) qui mendacissime recitat, Ludouicum jura Aragonici regni cessisse pecunia numerata, his verbis: *Iolans* (inquit) *Ioannis regis* (Aragoniæ scilicet) *filia in Galliam Prouinciam a Raimundo * Agaouto Reginæ Mariæ Aragoniæ auunculo saltus Domino, & Ioanne Maironio, Ludouici Andegauensis Hierosolymitani & Siculi regis legatis, Barcinone ad virum regem deducitur. Proficiscentem Iacobus Pratensis regio comitatu assectatur, dos* CLX. M. *florenorum dicta est, & ne in patris locum hæreditatem regnorum se vllo tempore adituram sperare audeat, aliorumve bonorum, quæ hæreditario jure obuenire poterant, ad dieni 4. Id. Oct. hæreditatis obeundæjus abrogat, atque de jure suo decedere conteſtatur.* * Agout.

Qua vero ex causa, si auro numerato vxoris juri renuntiasset Ludouicus, hæc apud Æmilium h) legerentur? Continuo de hæreditate, (Martini sc. fratris Iolantæ, qui liberis orbatus decesserat) ambigebatur, inter amplissimas familias multiplici causa cognationis, agnationis, propinquitatis, stirpis capitum jure controuersa; subditque: Ius regni adjudicatur Ferdinando, regis Castulonensis, ex Helionoræ Ioannis Castulonensis filia, filio minori: hanc sententiam iniquo animo tulit Ludouicus, bellum tamen in aliud tempus dilatum.

A nuptiis ad funera: secundo enim a Lu- 1402.
douici nuptiis anno obiit Ioannes Archiepiscopus.

Insigne: *Roche chous porte ondé d'argent & de gueule de six pieces.* Vide TAB. II. Fig. 16.

VACAT SEDES.

MOnstrum Hispanicum, Petrus de Luna (Benedictus XIII. perseuerante in Ecclesia catholica schismate dictus) Arelatensis Ecclesiæ reditus & prouentus, Ioanne de la Roche Canar * defuncto, rapuit, seu vorandos (vt aiunt) mensæ pontificiæ vniuit, Vicarios tum in spiritualibus, tum in temporalibus bonis Philippo S. Saluatoris præfecto. Franciscus i) enim de Barrasio legitur in scriniis nostris declarasse, se clientelare prædium possidere Ecclesiæ Arelatensis coram Philippo, Petri de Luna seu Benedicti decimi tertii, vices agente, durauitque in alterum annum hæc Vicaria Philippi præfectura. Conquesti enim Arelatenses apud ministros, & curiales regios

Benedictus XIII. usurpator Episc. Arel.
* Chouar.
1403.

c) In archiuiis vrbis scrinio fœderum sub verbo, *fiat.*
d) In archiuiis vrbis & notis Oliuerii publici exceptoris.
e) In historia de gestis Francorum.
f) In historia Prouinciæ Phocensis & quarta part.
g) In rebus Aragonicis.
h) In historia de gestis Francorum.
i) In homagiis numero 1.

se Epi-

se Episcopo destitutos, prouentus Ecclesiæ Arelatensis Pontificiis vsibus inseruire, Iudices omnia Episcopi nostri prædia, & prouentus ex asse, regiæ potestati subiecere, donec Artaudus nobis concessus est Episcopus, vbi sedes vacasset annos MCDIII. & MCDIV.

ARTAVDVS.

Artaudus. CI. DEsolatam iniit sedem Artaudus, atque vt desperatis rebus aliquod remedium daret, Ludouici secundi Siciliæ regis & Prouinciæ Comitis, Arelates Domini, authoritatem implorauit; castra, municipia, cæteraque Ecclesiæ Arelatensis jura, quæ sub regia potestate propter Petri de Luna insolentiam subiacebant, eadem sibi restitui orauit, exorauit: nam Rex k) in mandatis dedit maiori Prouinciæ Iudici, & juris præfecto, vt integram restitutionem procurarent.

Bona Eccl. per Ludov. II. restituta.

1406. Secundo sedis anno fidum gratumque erga principem animum testaturi Arelatenses, mille auri libras concesserunt, tabulis l) publicis declarante Rege, propterea fœderis legibus minime derogatum.

Nec diu sedit Artaudus, clientelari enim accepto jurejurando a nobilibus viris Nicolao de Monte-falco, m) & Bertrando de Pugeto Viletæ Phocensis filio, liteque n) cum equitibus Hierosolymitanis honoraria sententia, propter fundum de Saliers, sopita, in humanis esse desiit anno MCCCCIX, quo Alexander Sacræ sedis hostem indicat Ladislaum, euocatque in Italiam Ludouicum, qui demortui patris regnum capessit, Beneficiariusque Ecclesiæ nuncupatus coronatur a Pontifice, exercitumque descripturus in prouinciam redit.

1409. *Ludov. II. fit Rex Neapol.*

IOANNES VIII. DE BRONIACO, SEV EMBRONIACO.

Iohannes VIII. CII. IOannes de Embroniaco, quem Ciaconius o) dicit de Broniaco, Anicii natus est in Sabaudia: gentilitium illius stemma remansit in familia d'Alouzier, cum hac Epigraphe: CHRISTE, CRVCEM CRVENTASTI. Eum ex obscuris gentibus originem traxisse, referunt, illustrissimum tamen suopte ingenio & artibus euasisse. Litteras optime calluit, & Pontificibus familiaris, Viuario primum in ripa Rodani datus est Episcopus; postmodum purpuram, non schisma & rebellionem accepit a Benedicto XIII. inde creatus Episcopus Ostiensis, & Veliternus, omnes in sui admirationem propter ingenii & gestorum magnitudinem traxit. Morienti tendem Artaudo suffectus est Arelate anno MCDX. ut patet ex inita Episcopatus possessione in chartis p) publicis.

1410.

Hoc eodem anno militum delectu habito, magnoque coacto exercitu, Ludouicus noster Italiam repetit (Alexander iam decesserat, illique erat suffectus Ioannes XXIII.) armisque socialibus Pontificis, & Florentinorum, Ladislaum, Romanos agros vexantem, justo Marte dimicare compulit, tantaque affecit clade, vt supplex a Pontifice pacem petierit. Hæc sunt Vignerii verba: q) *Ludouicus* (inquit) *Andegauensis, copiis ex Prouincia, Cænomanisque, ac Andibus excitis, simul etiam Florentinorum, & Pontificis subnixus auxiliis, Ladislaum regem in regni Neapolitani fines, ex Agro, compulsum, ac in certamen æquo Marte descendere coactum, tanta clade affecit, vt supplex a Ioanne Pontifice pacem, legesque acceperit.* Quid vero emolumenti nostris acciderit ex tanta victoria, nullibi plane legimus: scimus equidem, victoria minime vsum Ludouicum, & spe potiundi deinceps regni cecidisse. Dicebat inter priuatos Ladislaus: *Prima die Ludouicum regni, regisque victorem; secunda regni, non regis; tertia vero nec regni, nec regis.*

Nec Arelatensium in Ioannam Reginam amor fidesque prætereunda est, cum enim in procinctu esset Ludouicus, jurisjurandi illum memorem voluerunt ciues, vrbemque suam esse, sed cum Ladislao, Caroli proditoris filio, pacis leges minime ineundas: hæc in tabulis r) Petri d'Acigne, Reillane Vicecomitis magni Prouinciæ Senescalli, leguntur, qui sacramento conuentiones Arelatensium, & principis firmans, non aliter, acceptus est.

Quas vero Artaudus non potuerat, propter vitæ breuitatem, insani hominis Petri de Luna, & ætatis illius ruinas resarcire (enimuero direpta fuerant dissipataque Ecclesiæ Arelatensis bona, & suprema opus erat authoritate, imo sacro anathemate, vt omnia in integrum redirent) a Ioanne igitur XXIII. aliis quarto, imo & secundo, cuius Vice-cancellarius erat Ioannes noster, litteras s) obtinuit, ad vniuersos Episcopos, Duces, Marchiones, Comites, cæterosque laicos, quibus intentatur sacrum fulmen, nisi Episcopo Arelatensis vrbis castra, municipia, & fundos, quæ juris illius esse constat, restituant. Litem deinde mouit in Ludouicum II. Neapolitanum regem, Prouinciæ Comitem, Arelatesque Dominum, propter salinas municipii trium Mariarum, quam Iolanta t) in vtilitatem Ioannis composuit.

Cæterum Ludouicus secundus Dei gratia Rex Hierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Dux Andegauiæ, Comitatuum Prouinciæ, & Forcalquerii, Cenomaniæ, Pedemontis ac Ronciaci Comes, Arelates Dominus, decessit anno MCDXVII. de quo Vigne-

Ludouici II. mors. 1417.

k) In Priuilegiis Imperatorum n. 40.

l) In scrinio vectigalium archiui vrbis sub verbo, *est.*

m) In homagiis num. 38.

n) In chartis fiduciariæ militiæ de Saliers n. 24.

o) In vita & gestis summorum Pontific. & in Clemente Septimo, & Benedict. 13.

p) In publicis pactorum exceptionibus Petri Bertrandi Notarii Arelat.

q) In Burgundionum Chron.

r) In scrinio confirm. conuent. sub verbo *Benedicamus.*

s) In Priuilegiis Pontificum Romanorum n. 61.

t) In chartis Municipii trium Mariarum n. 43.

*II. rius: *Ludouicus* * III. *Andegauensis, Apuliæ Rex, & Prouinciæ Comes obiit tribus superstitibus liberis Ludouico* * IV. *Renato & Carolo, quorum Ludouicus ei in jura, titulosque regni Neapolitani, & Comitatus Prouinciæ successit.*

III. Succeſſit Ludouicus III. Duas insuper, quod non notat Vignerius, præter natos, tulit filias, Mariam, & Iolantam. Quem vero superius Ladislaum a Ludouico nostro superatum audisti, tam demisse pacem postulasse, certum est, non diu in officio mansisse: vniuersam enim Italiam, exorientibus in singulis urbibus tyrannis, animo conceperat: sed oportune veneno sublatus est, cui succes- *Iohanna.* sit Ioanna soror; infelix sane Neapolitanis nomen. Continuo a Martino quinto Siciliæ & Neapolis Regina coronari expetiit, oblatis vltro aduersus hostes copiis, Ioanni Tarraconensis Regis fratri vxor danda erat, qui ex itinere ad suos rediit, audito nuncio, Ioannam nupsisse Iacobo Borbonio Marchiæ Comiti. Hic initio regni comiter habitus, cum res in rebellionem procedere videret, ratusque id ex sententia vxoris agi, illam in arcem includit, e qua postmodum eximitur, ipseque Iacobus obsidionem pati eadem in arce compellitur, nullaque se ostendente spe, in Franciam rediit. Ioanna vt regium nomen maiori cum majestate sustineret, Alphonsum Ioannis Tarraconensis fratrem adoptat, euocatque.

1419. Hæc dum aguntur, Martinus quintus Ioannam secundam regno indignam dicit, regiumque nomen Ludouico tertio confert, qua ætate Prouinciam Arelatensem pestis demetebat, vt ex scriniis publicis u) testatum habemus. De Martino Vignerius: x) *Martinus*, inquit, *Pontifex Romanus conqueſtus, ab Ioanna Neapolitana Regina, non quantas ſpoponderat, copias aduerſus Eccleſiæ hoſtes mitti, Ludouicum Andegauenſem Regem Neapolitanum nuncupat, eumque ad illud regnum ſibi aſſerendum euocat.* Adoptatus Ludouicus nulla contentione Calabriam in suam potestatem redegit, quod indignum ratus Alphonsus, Martinum adiit, vt in Ecclesiæ beneficiarium recipiatur, nec receptus: iam enim Ludouicus eiusque pater ab Alexandro, Ioanne, ipsoque Martino in fidem recepti erant. Irato in Pontificem, in Ioannam, & in Ludouicum animo Alphonsus, Masiliam classe aduolat, & repentino turbatos ciues aduentu capit, ferrum ignemque per vrbem circumfert. Verum Vice-Comitis de Reillane aduentu & armis territus, classem sacratissima præda (cinerum scilicet diui Ludouici, Caroli secundi Siciliæ & Neapolis Regis, filii) onustam reduxit. Testem habeo huius rei gestæ ipsum Ludouicum, qui in litteris y) Aquarum-Sextiarum ciuibus, in præmium virtutis, concesis, ait: *Contigitque, poſtquam Alphonſus de Caſtilla regni Aragonum occupator indebitus, & violentus, in tam ſeuam prorupit audaciam, quod dicta regni Aragonum materni, atque noſtri, occupatione non contentus, nos in hoc Siciliæ regno tentauit impugnare, ac in eo non valens proficere, ad propria rediens, ciuitatem noſtram Maſſiliæ nullo juſto titulo, nullaque rationabili cauſa præcedente, hoſtiliter tunc inuaſit, ipſamque improuiſam & eius ædificia ignis incendio conſumpſit.* Eadem plane habet Vignerius: z) *Tarraconenſis Rex claſſe aduolans Maſſiliam, Andegauenſium Ludouicorum vrbem, repentino aduentu cepit diripuitque, nec claſſem niſi præda onuſtam reduxit.* De cineribus tradunt Claperius, aa) Nostradamus, bb) Ioannes de Gallaup cc) apud Aquenses Rationales Consiliarius, & regius Aduocatus. Exinde animum mutauit Ioanna, Alphonsumque, vt ingrati animi filium, abdicauit, Ludouico nostro adoptato: *Ioanna* (inquit Vignerius dd)) *Neapolitana regina, Alphonſo Tarraconenſi irata, adoptionem reſcidit, & Ludouicum Andegauenſem adoptatum Roma accerſit, & Calabriæ Ducem facit.*

Has inter vicissitudines Ioannes Arelatensium antistes vitam ducens, exortam inter Dominicanos & Ecclesiæ suæ Canonicos quæstionem compresit. Vetus est priuilegium antiquissimæ Galliarum Ecclesiæ, quæ Iesu Christi fidem prima in Galliis excepit, & a cuius fonte in reliquas Galliarum Prouincias efluxit, vt quæ Christi Domini crucem susceperit, & glorioſe portauit, sub eiusdem Metropolitanæ Ecclesiæ vnico vexillo in processionibus cum solemnibus, tum funebribus pompis militare omnes grato animo subierint. Quæcumque parœciales Ecclesiæ, & collegiatæ, postmodum successu temporis erectæ sunt. imo & religiosorum ordines, quamuis exempti, crucem demittere non dedignati sunt, cum constet etiam de die, & anno ex transactione publice sumpta inter summi collegii Canonicos, & reuerendos diui Dominici sectatores; eademque in matrem deuotione cæteri ordines moti, antiqui & recentiores, grato animo, cunctisque probantibus honorificum priuilegium, laudabilem, & inueteratam Sanctæ Ecclesiæ, & vrbis consuetudinem sequuti sunt, quæ etiam hodie perdurat: rei gestæ anno MCDXIII. Verba refero, quæ hoc priuilegium continent, cætera ee) in sanctiori nostro tabulario leguntur.

Priuil. Arel. de cohibenda.

Primo quod fratres Prædicatores tam in proceſſionibus generalibus, quam in aliis, quando Domini Canonici & cæteri de Eccleſia cathedrali intererint, nullam crucem eleuatam,

u) In priuilegiis codicillorum inuestatitiorum Archiepiscopique vrbis sub verbo, *quoniam.*

x) In Burgundionum Chron.

y) Extant in libro edito de triumphali Lud. 13. in vrbem Aquensem ingressu.

z) In Burgundionum Chronico.

aa) In genealogia Comitum Prouinciæ.

bb) In quarta parte hist. Phocensis.

cc) In lib. iam citato ingressus Lud. 13. in vrbem Aquens.

dd) In Burgundionum Chronico.

ee) Chartaceum, in quo reperiuntur præcipua Ecclesiæ nostræ priuilegia, & in chartis Antonii Oliuarii publici pactorum exceptoris Arel.

neque

neque apparentem portabunt; sed sub cruce Ecclesiæ prædictæ Cathedralis accedent iidem prædicatores; ad quam processionem specialem vel generalem venient sine difficultate, dum & quando mandabitur pro eis, vt fuit, & est moris. Item quod si aliquod fumus sepeliri debeat in ordine dictorum Prædicatorum, & Domini Canonici cum cæteris de Ecclesia Cathedrali interssint processionando, præfati Prædicatores tam processionando per villam, quam processionando & officiando in dicta Ecclesia & conuentu prædictorum Prædicatorum nullam crucem portabunt, sed prælibati Prædicatores vbique accedent sub cruce dictæ Ecclesiæ Cathedralis. Item quando dicti Prædicatores accedent ad dictam Ecclesiam Cathedralem pro associando processionem generalem dictæ Ecclesiæ Cathedralis, processionando cruce deposita intrent Ecclesiam dictæ Ecclesiæ, & illam crucem depositam ponant in aliqua Cappella decenter, quousque ipsa processio generalis sit terminata & finita. Hæc vero omnia sacri Dominicanorum ordinis præfectus rata & firma esse censuit.

His pro dignitate peractis, Ioannes Genuæ extremo Allobrogum oppido, & Heluetiorum finibus proximo (quæ nunc hæresium cloaca) collegium amplissimum ædificauit, visiturque etiamnum in eius collegii templo; vt mihi renunciatum est, illius Itemma purpureæ duplici insignitum cruce: ædem etiam diuo Michaeli sacram in amplissimo patrum Cœlestinorum coenobio constituxit Auenione; atque vt pauperibus, qui litterarum amore flagrabant, opem ferret, magnificum eadem in vrbe collegium (quod vulgo magnum appellatur) a fundamentis erexit, licet (o tempus etiam optimi consilii & institutionis edax!) in diuitum vsus abiuerit, amplissimaque porticus, & apta colendis in eo musis cubicula composuit. His ædem studiosæ iuuentutis patrono B. Nicolao sacram addidit, in qua, quot diebus Sacerdotes quatuor sacra operentur. Sanxit præterea in collegii alumnis quaternos eligi ex Episcopatu Arelatensi, duos ex Ebrodunensi, & quaternos denos ex Sabaudiæ Ducatu, qui litteris omnes operam nauent: reditus suppeditauit, qui sena millia librarum excedunt; supellectilem quoque in templo preciosam; librorum in Bibliotheca plus quam septingenta volumina posuit. Liberalissimo Mæcenati numquam bene precari desinam, quippe qui ea in pietatis & Palladis domo senos annos egerim adolescens, & ne quid de summi viri laudibus excidat. Abbas Montis-Maioris electus est, vt ex Monasterii necrologio apparet.

Collegium studiosorum pauperum Auenione erectum.

Quos vero labores tulerit pro Ecclesia Catholica, & quo schisma odio fuerit prosequutus, non aliunde petam, quam ex Ciaconio, ff) cuius verba referre placet. *Ioannes de Broniaco Gallus, vtriusque iuris Doctor Episc. Viuariensis, Anti-Card. presb. tit. S. Anastasiæ S. R. E. Cancellarius, postea Episc. Ostiensis & Veliternus, magni animi & consilii vir, ac vnitatis catholicæ studiosus, qui Gregorii XII. ac Benedicti XIII. tergiuersationem in vnitate Ecclesiæ sarcienda animaduerteret, præcipuus author fuit, vt Cardinales Gallici, Benedicto XIII. deserto, Pisas ad generale concilium accederent, in quo omnium suffragiis Alexander V. creatus est.* Interfuit comitiis Ioannes XXIII. & Constantii in generali Concilio eius depositioni, in quo cum esset vtriusque partis vetustissimus & Diaconus, magnæ illi Synodo præsedit, & Martinum V. cum aliis creauit, cui gratissimus fuit. gg)

Sed cum æquo pede mors pauperum tabernas diuitumque turres pulset, obiit Romæ anno MCDXXVI. 1426.

Insigne: *Portoit faux d'azur à vne double croix de gueule bordé d'or.* Vid. TAB. II. Fig. 17.

B. LVDOVICVS ALEMANDVS, SEV ALEMANVS.

CIII. NAtalis Ludouico Alemando locus fuit Arbencium municipium apud Bugesios prope cœnobium S. Claudii, Vesuntionum Archiepiscopi. Petrus illi pater ex illustri gente, quæ Arbencio imperitabat; mater vero, soror Francisci de Conzi, quæ præter Ludouicum, Hugoninum peperit Arbencii Dominum, qui vxorem duxit ex gente Baronum de Granson, & sanctæ crucis. Est & alia gens Alemandorum nobilis in Gallia Allobrogum, quos hodie Delphinates appellant: vtriusque familiæ stirpem eandem inesse censet, qui hh) Cadurcenses Episcopos vulgauit. Alteram gentem Alemandorum apud Salutienses, Subalpinos (Plinius ii) illos inter alpium populos latini iuris collocat, Ptolemeus kk) vero inter Insubres, nunc Salutii sunt) ineste fama ll) est in oppido S. Michaelis ad vallem Macram, vbi vicus & turris, quæ ab Alemanis nomen habet. Amplissimam familiam eas partes insedisse constat, Ottonibus in Italia late dominantibus. At licet diuersis in prouinciis diuersæ Alemandorum supersint familiæ, vna tamen Bugesiorum Arelatensibus Ludouicum dedit. Primam dignitatem sustinuit Canonicus & Comes Lugdunensis, vnde ad altiorem gradum conscendit, nobilitate siquidem generis & morum sanctitate conspicuus, Francisco de Conzi Auenionensium Legato intercedente, Episcopus Magalonensium inauguratus est. Magalona mm) insula est Maris Mediterranei, in qua olim fuit templum canonicorum S. Augustini, nunc Simplicium, vt vocant. Inde sedes

Ludouicus Alemandus.

Alemannorum familia.

Magalona insula.

ff) In quinta creatione Anti-Card. Clement. 7. lib. vitæ & gestorum Pontif.

gg) Ibidem in Cardinalibus mortuis sub Martino 5.

hh) Guillelmus de la Croix in serie & actis Episcop. Cadurc. vita Antonii Alemandi num. 352.

ii) Lib. 3. c. 20.

kk) Lib. 3.

ll) Parag. 76. lib. qui inscribitur *Amedeus pacificus.*

mm) Miræus in Geographia Ecclesiastica & in verbo *Magalona.*

Episcopalis ob prædonum iniurias translata est Montem-pessulum, vrbem Volcarum Arecomicorum anno MDXXXVI. Pauli tertii summi Pontificis authoritate. Ad vacantis autem Ecclesiæ Arelatensis, (postquam Ioannes de Embroniaco Pisas profectus fuit) curam & administrationem vocatus est Ludouicus, eodemque anno sacram) accepit purpuram, & Sanctæ Cœciliæ titulum a Martino quinto in secunda Cardinalium creatione anno Pontificatus nono, qui in hunc ipsum Domini annum MCDXXV. incidit. Illustris genere, illustris ingenio, illustris sanctimonia, illustris dignitate, purpura illustrissimus euasit, & vulgo Cardinalis Arelatensis audiebat. Eum vero egisse apud Ludouicum tertium Neapolitanum Regem & Prouinciæ Comitem, summa cum authoritate & gratia, testatur diploma, quod consequutus est in vtilitatem Arelatensis Ecclesiæ, quo nn) Rex ratas habuit Imperatorum Regumque Arelatensium concessiones in eiusdem Ecclesiæ vtilitatem factas, pro vrbibus, castris municipiis, primlegiis, libertatibus, franquesiis (quas vocant) siue immunitatibus, aliisque latifundiis, quæ Episcopus Arelatensis & Ecclesia possident in Prouincia Arelatensi.

Priuilegia Arel. confirmata.

Hic ille est Ludouicus nomine tertius, quem adoptatum Ioanna Regina Neapolitana regem fecit, nostris dictus Ludouicus tertius Rex Hierusalem, & Siciliæ, Dux Andegauiæ, comitatuumque Prouinciæ & Forcalquerii, Cenomaniæ ac Pedemontis Comes, Arelates Dominus. Nullos ex Margareta, Sabaudiæ Ducis filia, susceperit liberos, decessitque non inglorius; imo pace & bello summus, anno MCDXXXIV. *Ludouicus* (inquit Vignerius) *tertius, Andegauensis Prouinciæ Comes, & Ioannæ Neapolitanæ reginæ ex adoptione filius, rebus feliciter & præclare ad Neapolim gestis obiit, nullis relictis liberis.* Ioanna vero eius per adoptionem mater annum ei superstes fuit. Renatus, Ludouici frater, Ioannæ & Ludouico, testamento vtriusque hæres scriptus, in regnis prouinciisque successit. Dux Ambari antea dictus, Isabellam, vnicam Caroli Lotharingi Ducis filiam, in matrimonio habuerat. Defuncto Carolo sine liberis ius vxoris cognationisque defendere contra Antonium Comitem Vallemontensem, Caroli fratrem, & beneficiarium; coactus est, vicitque Antonius, Philippi Burgundiæ Ducis armis subnixus, & captiuus in Burgundiam Renatus abductus fuit: nec adhuc liberatus, dum Ioanna, & Ludouicus obiere. Isabella vxor, virilis animi mulier, cum duobus ex eo filiis, Ludouico, & Ioanne, in Prouincia militem, classemque parauit, & omnium prope votis expetita, Neapolim appulit.

1434.

Renatus Ludouico III. fratri succedit.

Regentis nomen viro captiuo titulumque deferebat, quod scrinia nostra publica egregie testantur triplici diplomate. Primum oo) clientelare sacramentum a Mon-redonio, & Turpino, Arelatensium consulibus, Arelatano, Quiquerano, de Luperiis, Borceleto, Varaderio, de Cays, Hugoleno, de Boches, de Brunet, de Domine, & Bazam Assessore, legatis, & vrbis oratoribus, Aquis-Sextiis præstitum, continet, quo Isabella superiorum regum comitumque fœdera & conuentiones vt Prouinciæ regens probat, firmatque. Altero pp) Isabella edicit quamuis Aquis-Sextiis sese ciues Arelates Renati subditos & fideles fore obstrinxerint (quod quidem ex fœdere seu conuentione iusiurandum Arelate olim præstabatur) nulla tamen parte detractum esse priuilegiis Arelatensium, quos ad Aquas-Sextias accedere monuit, tum morbo implicita, tum vdi nostri cœli solique pertæsa; quin etiam ciuibus abreptis communi temporum errore codicillos venales, & a pœnis immunitatem sceleratis omnibus concesit. Vltimo qq) denique diplomate tum fœdici auspiciorum regni omine, & nomine, tum vt liberalitatem ciuium nostrorum in excipienda Isabella testaretur, permotus optimus rex, sanctum esse constituit, quidquid a Regina, cui procuratorios regni codicillos dederat, stabilitum fuerat: singulariter vero rata habuit tum pacta & conuentiones, tum clementiam eius, in quorumuis scelerum authores exhibitam.

His gestis, Alphonsoque rege a Genuensibus acie victo, captoque, a Neapolitanis in reginam suscepta est. Alphonsus a Philippo Mediolanensi, ad quem captiuus ductus fuerat, magnificentissime exceptus, vt socius, vt amicus cum muneribus amplisimis dimissus est. Longe aliter cum Renato nostro in Burgundia actum, non enim solutus est, nisi Iolanta cum Vallemontensi collocata in matrimonium, & Valle Casleti Flandriæ contributa. *Tunc* (ait Vignerius rr) *Renatus e Burgundionis custodia eductus, Neapolitanum bellum ductu, auspiciisque gerit.* Eius aduentu res prospere gestæ, sed deinde turbari cœptæ, in deteriorem statum sensim abiere, & cum induciæ, aut pax inter inimicos principes esse non posset, domum rediit nulli liberalitate & munificentia regia secundus; vtpote qui non ss) solum Episcopum, sed Episcopi domesticos; imo omnes subditos Arelatensis Ecclesiæ, a quibuscumque exactionibus immunes fecit.

Cæterum Ludouicus Antistes noster in Italiam vocatus, Bononiam Legatus obtinuit: inde Basileam ad Synodum (indixerat Martinus quintus, anno sui pontificatus vltimo) sese contulit. At inchoata Synodo, successorem habuit mortuus Pontifex Eugenium quartum, qui Episcopos ab Heluetiis in Italiam, spe ductus Græcorum Ecclesiæ Romanæ conciliandorum, euocauit; & tantopere irritauit eorum animos, vt Amedeum ex Duce Sabaudiæ solitudinis colonum (Felici illi nomen fuit quarti, aut quinti) in Pontificem elegerint, Ludouico nostro authore, si Ciaconio tt) fides danda sit; veritus (ea scilicet, quæ in concilio

nn) In Priuilegiis Imperatorum n. 25.
oo) In archiuiis vrbis &, in scrinio confirm. conuent. sub littera A.
pp) Ibidem in scrinio homagiorum sub verbis mamis.
qq) Ibidem eodemque anno sub verbo, *Orat.*
rr) In Burgundionum Chron.
ss) In Priuilegiis Imperatorum 44.
tt) In vita & gestis summorum Pontific. & in Eugen. 4.

Bali-

Basileensi abrogare studebant prælati. Papa Eugenius quartus concilium Basileense, licet iam pridem approbasset, Legato Apostolicæ Sedis reuocato, ob eiusmodi causam dissoluere visus est: idque Ferrariam transtulit, hoc prætextu, quod diceret Græcos cum Ecclesia Romana in fidei articulis, in quibus Græci aberrabant, conuenturos, eundem locum sibi deligere; quæ omnia eo tendebant, vt concilium Basileense dissolueretur. Quo cognito prælati concilii Basileensis, quorum signifer & dux erat Ludouicus Alemanus Card. Arelat. qui ab Eugenio quarto, cum quo graues inimicitias habuit, ad eos confugerat, nulla ratione adduci vnquam potuerunt, vt Eugenio obtemperarent: quamobrem non solum Basilea non discesserunt, sed ipsum cum Cardinalibus omnibus ad concilium Basileense legitime citauerunt. Graues vero, quas memorant inimicitias inter Eugenium & Ludouicum intercessisse, non ex alio fonte fluxerunt, quam ex concilii Basileensis sententia; scilicet concilium semel approbatum reuocari minime posse ab eo, qui semel approbarat, nec alio scelle commotum Ludouicum, Ciaconius uu) confirmat. Dum enim electores Felicis recenset, ait: *Ludouicus Alemanus Gallus presb. Cardin. tit. S. Cæciliæ Arelatensis vulgo dictus, qui non triumuirali lectione, sed iure, quod in electione Romani Pontificis Cardinales habent, conclaue ingressus est: vel certe quod vir Ecclesiasticæ disciplinæ tenacissimus ferre non poterat, Eugenii indulgentia in suos solui eas leges, in quibus condendis Constantiensis Synodus tam impense incubuisset.* Hæc retuli, ne quis Ludouico nostro parum æquus esse videretur.

ncilium sileense rrariam ansla-m.

Dum vero vtrinque animis sententiisque certabatur, Eugenius, qui Ludouicum nostrum purpura priuauerat, defunctus est. Eo mortuo Thomas patria Sergianus pontifex eligitur, vir vtique Sanctus, anno eius sæculi quadragesimo septimo: Nicolaum nomen edidit. Federici igitur Austriæ Ducis, qui Alberto Imperatori successerat, Franci regis, ac Burgundiæ Ducis permotus Felix authoritate, & Ludouici nostri consilio, sacrosancta insignia ac nomen Pontificium deposuit, eique legatio apud Allobroges demandata est. At antequam Synodus solueretur, ex Ecclesiæ thesauro indulgentias Ecclesiæ suæ Arelatensi obtinuit Ludouicus; quem non inuitus in gratiam, pace Ecclesiæ parta, suscepit Nicolaus, pristinæque dignitati restituit. Notat enim Ciaconius xx) *Ludouicus Alemanus* (verba Ciaconii sunt) *Archiep. Arelatens. priuatus ab Eugenio quarto, restitutus a Nicolao quinto presb. Card. tt. S. Cæciliæ.* Exinde in inferiorem Germaniam legationis munere fungens missus est, & in itinere detentus, equis, mulis onerariis, & commeatu priuatus.

Felix Pontificatu cedit. 1446.

Nec facile est explicare, quos pro conciliandæ Ecclesiæ pace, & abrogando schismate labores tulerit: quibus discordiis sopitis, & extinctis, Arelatem rediit, effusa in sacras ædes liberalitate commendatissimus. Nam suis sumptibus & impensis mediam Ecclesiæ matricis partem, & eam, in qua sancta sanctorum ad Orientem erant, quod antiquitatem redolerent, solo prostrauit, vt diruta amplioribus spatiis noua excellentiorique forma excitarentur. Constructa autem est Ecclesia, & efformata, perampliis fornicibus erectis, intermediis aliis minoribus, & ædificatis hinc inde nouem cubiculis, quæ capellas dicimus; & in absidæ seu superiori curuatura principis fornicis, sub qua positum est primarium altare, pastophorium, thalamum scilicet & cubiculum interius (vt explicat Hieronymus) constituit, in quo arcam argento affabre elaboratam, quam Gasbertus dedicarat, magno cultu & reuerentia inclusit, cineribus sanctorum & præcipue Trophimi nobilem, quotannis peruigilio diei, quæ diuo Trophimo sacra est, exhibendam. Spectante enim populo, sacri illi cineres ex suprema ædicula in theatrum ad altaris gradus excitatum funibus demittuntur, præbentque in ipso descensu non tam gratum, quam pium, venerandum, perpetuaque memoria celebrandum spectaculum. Vsus autem inualuit, propagante consuetudinem pietate plebeia, vt populus arcam circumeat certis numeratisque gressibus, vt deuotionem animumque tum in Deum, tum in sanctos testetur, de quo cultu loquitur Dauid: *Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cantabo, & psalmum dicam Domino.* Sunt & alia, quæ tanti viri munificentiam & liberalitatem testentur: ornauit enim castrum Saloniæ vrbis variis ædificiis, & Episcopium, quod Arelate est, aulis, cubiculis, diuersisque contignationibus illustrauit: sed quod summum est, angelicam vitam duxit, gratiaque miraculorum excelluit; atque omni parte beatus, Salone ad Crauum obiit anno MCDL. Arelatemque translatus est, vt patet ex sacro & solemni in eius laudem carmine.

Arcæ sacris cineribus plenæ celebritas.

Ps. 26, 7-11

1450.

Hic (Ludouicus scilicet) *laborans in extremis,*
Sacramentum vnctionis
Sibi dari complacuit,
Minorum ac in ordinis
Conuentu castri Saloniis,
Felix eius finis fuit.
Cito corpus vt decuit
Translatum in Arelatem,
A clero plebeque fuit
Susceptum honorifice.

Celebrandis vero exequiis tota fere Prouincia Arelatem aduolauit; numerantur enim viginti tres vrbes, quæ per sacerdotes, religiosos, & plebem processioni seu exequiarum celebritati adfuere. Eius ossa veneranda in dextro altaris cornu recondita fuere; hac sepulchrali epigraphe:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ valuere, ruunt.

uu) Ibidem.

xx) Ibidem in Nicolao 5.

VNDE

VNDE SICVT DEO PLACVIT ANNO MILLENO QVATER CENTENO CVM QVINQVIES DENO, LVCE VERO SEXTA MENS. SEPTEMB. DECIMA, BONÆ MEMORIÆ REVERENDVS IN CHRISTO PATER ET DOMINVS LVDOVICVS SACROSANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ TIT. S. CÆCILIÆ PRESB. CARD. ARELATENSIS VVLGARITER NVMCVPATVS, SACRÆ HVIVS BASILICÆ ADMINISTRATOR BENEMERITVS ET PRINCEPS, VITÆ LAVDABILIS ET CONVERSATIONIS HONESTÆ, AD MAIVS VOCATVS TRIBVNAL DEVOTE VIAM EST VNIVERSÆ CARNIS, ET CATHOLICE INGRESSVS. ORATE PRO EO, VT EIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE.

Aliter tamen rem contigiſſe aſſerit, qui Amedeum Pacificum prælo mandauit. *Quæ vero*, inquit, *fuerint ea miracula, declarat eius epitaphium Altæ-combæ in Sabaudia apud Ciſtercienſes Gallica lingua exaratum.* Amabat ſiquidem vir ſanctus locum illum velut orationi (cuius erat ſtudioliſſimus) oportuniſſimum, habetque vetus traditio, ibidem ex corporis ergaſtulo euolaſſe (quod Eccleſiæ Arelatenſis dyptica decimo ſeptimo Septembris anni MCDL. contigiſſe habent) quanquam ſacræ eius exuuiæ magna ex parte Arelatem deinceps translatæ ſunt, ciuibus paſtorem ſuum ne mortuum quidem abeſſe ferentibus. De illo etiam referre placet quæ, licet mendis aſperſa, Ciaconius yy) recitat his verbis: *Dominus Ludouicus Alemanus Gallus Canonicus regularis V. I. D. ex Epiſcopo Maclouienſi* Archiep. Arelatenſis Vice-camerarius & Prolegatus Bononiæ presbyter Cardinalis tit. S. Cæciliæ & Bononiæ Legatus, cum Eugenio quarto Papa graues ſimultates egit, a quo ad Concilium Baſileenſe fugiens acerrimum ſe illi hoſtem præbuit, factus Dux Baſileenſis multitudinis, Eugenio quarto infenſæ, cuius potiſſimum cauſa Felix quintus Anti-Papa contra Eugenium creatus in concilio Baſileenſi, fax, & ſcandalum S. R. Eccleſiæ & ſchiſmatis author, ob id ab Eugenio quarto priuatus, ægre ab eius ſucceſſore Nicolao quinto reſtitutus eſt. Mortuus eſt in Sabaudia, ibique in ciuitate Lauſanenſi ſepultus, Legatus ſub Felice vel Anti-Papa ad Fridericum Imperatorem in conuentu Francofordienſe, cum Panhormitano, Ioanne Segobenſi Cardinalibus obedientiæ Felicis* v.

* *Magalonenſi.*

Verum quidquid dicat Ciaconius, tanta eius tumulus miraculorum gloria enituit, vt quos illic pietas euocabat, reuocata pleroſque infirmitas deſereret: cæcis enim videndi, claudis ambulandi, ſurdis audiendi, mutis loquendi (& quod omnem perfecti miraculi dubitationem tollit) mortuis ipſis nonnumquam facultatem diu[n]di reſtitutam accepimus, extatque apud nos miraculorum ab eo editorum liber, quem Actuarii tres publica ſubſcriptione roborarunt.

Ludouici Card. Archiep. miracula.

Illum laudant authores permulti. Æneas Syluius, zz) qui poſtmodum Pontifex Pii ſecundi nomen tulit, ſic de Ludouico noſtro ſcribit: *In Arelate ad ſepulchrum Ludouici Cardinalis Sanctæ Cæciliæ eius vrbis Epiſcopi, quem Baſileæ in conſeſſu Patrum Præſidentem vidimus, magna miraculorum opinio orta eſt, & inualidorum frequens vndique concurſus ſpe ſanitatis factus.* Pium fere deſcripſit Philippus Bergomenſis a) *Ludouicus* (inquit) *Arelatenſis, vir doctiſſimus atque eloquentiſſimus, qui Baſileenſi Synodo ex conſenſu omnium patrum præfuit, his temporibus, cum multa edidiſſet opuſcula* (quæ odio, vt exiſtimo, ſchiſmatis perierunt) *& quidem digna, non ſine magna ſanctitatis opinione deceſſit, & ob eam rem ad eius ſepulchrum magna miraculorum opinio orta eſt, & infirmiorum magnus concurſus.* Vernerus b) illorum temporum æqualis, *Ludouicus* (inquit) *Alemandi, Epiſcopus Arelatenſis, vir ſanctæ vitæ, ac miræ patientiæ, ſingulariſque columna concilii Baſileenſis, cui diu præſedit, multis coruſcat miraculis.* Totidem fere verbis Philippus c) de Lignamine. Hinc factum eſt, vt Paradinus d) illum ſcientia incomparabilem, & miraculis editis celeberrimum vocet. Valemburchius e) & Noſtradamus f) his conſentiunt, & miraculis inclaruiſſe commemorant.

Fama vero nominis percrebeſcente, vulgatiſque toto orbe miraculis, Clemens VII. quod omni exceptione maius eſt, Ludouicum in Beatis recenſuit, eiuſque cineres a precabundo populo coli permiſit, illique Sacellum Arelate & Altæcombæ extructum eſt, inuocato eius patrocinio vt confeſſoris Pontificis: in Breuiario noſtro peruetuſto his verbis: *Qua* g) *die obiit glorioſæ memoriæ beatus Ludouicus Alemandi Cardinalis Arelatenſis, fiat officium ſemiduplex cum primis & ſecundis veſperis, & omnia dicantur de communi confeſſoris Pontificis.* Numini h) in miſſa litatum eſt in hæc verba:

Sacerdos & Pontifex & virtutum opifex Cardinalis glorioſe, paſtor bone in populo, in patria Prouinciæ, qui placuiſti Deo viuens religioſe, intercede pro nobis ad Dominum.

Ora pro nobis, S. Ludouice Cardinalis,
vt pro te eruamur ab vniuerſis malis.

Oremus.

Deus qui meritis & interceſſionibus B. Ludouici Alemandi, confeſſoris tui, atque vrbis Arelatenſis Epiſcopi & S. Cæciliæ presb. Card. dignaris mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, claudis greſſum, ſurdis auditum reſtituere: concede propitius, vt omnes, qui eius implorant auxilium, petitionis ſuæ ſalutem conſequantur effectum, per Dominum &c.

Sanctificatio

yy) In vita & geſtis ſummorum Pontificum & in ſecunda Martini quinti Cardinalium electione.

zz) Libro de Europa c. 14.

a) Lib. 13. Chron.

b) In Faſciculo temporum.

c) In Chron. de in Felice quinto.

d) Lib. 3. hiſt. Sabaud. c. 32.

e) In Amedeo octauo.

f) Hiſtoria Prouinciæ parte 6.

g) Antiquum breuiarium Arelatenſe, a Ferrerio præſule Arel. compoſitum, 1501. & a Ferrerio nepote 1547. mendis purgatum reſtitutumque.

h) m. ſ. Codex Arelatenſis miraculorum B. Ludouici, Mireus in faſtis belgicis die quinta Iulii.

Cur

Cur vero tanti Cardinalis officium intermissum fuerit, ignoro; restituatur tamen necesse est Gaspari præsulis cura, studio & diligentia, Prouincialem Synodum hoc anno celebraturi.

Clementis diploma seu breue (vt dicunt) retexo:

Dilectis Filiis Præposito & Canonicis Metropolitanæ Aralatensis Ecclesiæ; ac Priori, & Fratribus Domus Cœlestinorum regularis obseruantiæ ciuitatis nostræ Auenionensis Clemens P.P. VII.

Clementis VII. Breue.

Dilecti filii. Salutem & Apost. Bened. cum sicut accepimus iam diu magnis Christi fidelium, potissime ciuitatis nostræ Auinion. erga Petrum de Lucemburgo, & Arelaten. erga Ludouicum Alamandum S.R.E. Cardinalem, & Ecclesiæ Arelaten. Archiep. quorum corpora, Ludouici in Arelaten. & Petri in vestro monasterio respectiue requiescunt: deuotionis affectus ita immineat, & populi multitudo non solum ciuitatum prædictarum, sed aliarum partium diuersarum concurrat: vt in eorum procellis & huius caduci sæculi turbinibus tanquam speciales protectores, fautores, intercessores & adiutores ad Dominium inuocentur: nec mirum si Dominus noster Iesus Christus, cuius pro posse vt fide dignorum habet assertio, imitatores extiterint, in dies ipsorum precibus eos inuocantes miraculis, ac dolorum, & angustiarum subleuationibus adjuuet, opemque ferat & auxilium: quandoquidem Petrus teneris sub annis & Ludouicus ipsi, vt accepimus, vitam cœlibem, castamque & immaculatam exegerint; & Petrus in decimo septimo; Ludouicus vero in sexagesimo vel circa suarum ætatum annis, vt in eorum vitæ annalibus traditur, suo creatori suas purissimas animas reddiderint calcatis huius mundanæ vitæ quamuis illustri essent orti, prosapia illecebris.

Proinde claræ memoriæ Renatus Rex Siciliæ & Hierusalem, tunc in illis partibus degens, cum multitudine Christi fidelium miraculorum huiusmodi stupore, vestraque regulari obseruantia & vitæ exemplaris meritis motus, Ecclesias, domum, & conuentum vestra instaurauerit, & non parua impensa construi fecerit, vosque propterea ob singulares eorundem Petri & Ludouici virtutes, quæ innumeræ leguntur, nec non jejunia, orationes, vigilias, & quam plures Deo gratas & acceptas operationes, quas tunc viuentes gratia sibi assistente diuina operabantur: ita vt cœlitum numero existimentur pie esse relati, cupiatis eorum corpora, quæ vt præfertur in iisdem Ecclesiis vestris & locis satis humidis & subterraneis iacent, ad alia intra tamen Ecclesias vestras commodiora loca transferre, ipsosque Petrum de Lucemburgo & Ludouicum Alemandum, quorum imagines vbique a piis fidelibus, a longissimis iam annis citra depingi consueuerunt, pro beatis coli, & venerari posse.

Nobis propterea venerabilis fratris nostri Francisci Episcopi Tusculani S.R.E. Card. de Claro-monte illarum partium nostrarum Legati delatere, qui ad osdem Petrum & Ludouicum non parum gerit deuotionis affectum, & vestro nomine humiliter supplicatum extitit, vt huiusmodi vestris tam piis & honestis desideriis annuere pro nostri pastoralis officii debito de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui fideles quoslibet & præsertim sub suaui religionis jugo Domino famulantes, ad deuotionem & veneration[em] illorum, qui beati habentur, quantum cum Deo possumus, libenter excitamus, vt imitatores eorum existere valeant, vestris in hac parte piis desideriis, vtpote ex magno deuotionis feruore prodeuntibus, annuentes vobis, quod eorundem Petri & Ludouici corpora & ossa ex dictis subterraneis locis, in alia commodiora loca earundem Ecclesiarum vestrarum transferre, & ibidem venerabiliter collocare, ac tam vos, quam alii vtriusque sexus Christi fideles, eos pro vestra & ipsorum spirituali consolatione in vestris Ecclesiis & Sacellis pro beatis venerari, sine incursu alicuius demeriti, vel idolatriæ seu conscientiæ scrupulo possitis, & valeatis: ac ipsi possint, & valeant authoritate Apostolica tenore præsentium de Apostolicæ potestatis plenitudine concedimus pariter, & indulgemus. Non intendimus, propterea eosdem Petrum & Ludouicum in catalogo sanctorum esse relatos, donec ad illorum canonisationem seruatis debitis solemnitatibus in sanctorum canonisationibus seruari solitis deuentum fuerit: non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die IX. *Aprilis* MDXXVII. *pontificatus nostri anno quarto.*

Id. Sadoletus.

Insigne: *Porte de sable à un Lyon d'argent rampant couronné & armes de gueule.* Vid. TAB. II. Fig. 18.

IOANNES IX.

Ioannes IX.

CIV. NVlla vel in lapidibus, vel in vasis sacris, vel in monumentis viri huius memoria reperitur, præterquam in Episcoporum nostrorum chartacea serie, quæ illum Ludouico, Petrum illi proxime succeßisse testatur. Vt vero aliæ fuerint obscuri nominis causæ, certe in causa est exiguum tempus (quanquam nullum tempus sapienti breue est) quo potius fuit dignitate: at enim vt nox duas inter luces media est, sic Ioannes inter Petrum & Ludouicum.

Memorabile tantum est, eius ætate dimicasse Florentinos aduersus Alphonsum, bello Heturiam vrentem: quam fortunam non aspernatus Renatus noster, conscriptum in Galliis exercitum spe rerum bene gerendarum in Italiam transmisit, vbi ea parte bellatum esset, sperans se Duce & Imperatore in regnum Neapolitanum bellum translaturum. Verum equitatus Francicus non in Alphonsum, sed in Venetos ductus est, quod turpe sibi ratus Renatus, non suo bello, sed alieno res geri, in Franciam se recepit; vnde Collenutius i) in leuitatem,

Renatus in Venetos bellum mouet. 1452.

i) Libro 3. belli Neapolitani.

& Gallorum inconſtantiam inuehit, at animo non vero, imo in Francos inimico.

PETRVS IV. DE FVXO.

CV. PEtrus Fluſſas, qui ex regio Cantabrorum ſanguine traxit originem, Gaſtone Fluſſatenſi, & Leonora Nauarræa parentibus: regulam diui Franciſci adultus profeſſus eſt, & a maledicto Anti-Papa Benedicto XIII. in Cardinalium numerum in quinta creatione cooptatus eſt. Siccine vuas ſpinæ producunt? Ab eius geſtis recenſendis abſtineo, donec ea, quæ Epiſcopus Arelatenſis creatus egit, explicarim. Altero anno, quo Iſabella Lotharinga, & Ambara Renati noſtri vxor occubuit, ſacris magiſtratibus, & amplisſimis dignitatibus plerumque functus, Arelatenſium Epiſcopus inauguratus eſt, primoque ſuæ ſedis anno tranſegit cum ciuibus Arelatenſibus, qui pecudum deducebant greges in Craui campos iniuſſu Epiſcopi, quamuis illius fundi ius Imperatorum, & Regum Francorum conceſſionibus ad Arelatenſem ſpectaret Eccleſiam. Itaque k) voluit plebeios ex quouis grege iure cenſus ouem vnam perſoluere; nobiles vero ab illa præſtatione chirographo exemplari confecto immunes declarauit. Sanctionem hanc tertio poſt anno Renatus Siciliæ Rex Prouinciæ Comes ratam, fixamque habuit, ceſſitque in Petri vtilitatem iure annui quadraginta florenorum cenſus. Imo conceſſit, quæcunque habebat Arelate vrbana vectigalia, ſiue illa penderent ciues, ſeu exteri. Regi vero Epiſcopus liberalitate haud impar, reddidit Ferreriarum, S. Mitrii, caſtri Veteris municipia, Palatium Epiſcopale ædificiis ornauit, Eccleſiam Arelatenſem ſacello auxit, caſtrum Salonis illuſtrauit, & ſingulis vt diebus ſacrificium auguſtiſsimum in matrice Eccleſia celebraretur, attributis reditibus inſtituit.

Sanctio de oue ex quouis grege pendenda.

Renatus interea res Italicas animo ſpectabat, vt ſi quæ inter regni Neapolitani proceres diſcordiæ orirentur, ipſe in Italiam transmitteret. Ita plane accidit; cum enim ſecundo Ioannam de Laual vxorem duxiſſet Renatus, anno ſæculi quinquageſimo nono, ex Collenutio, l) & duodeſexageſimo, ex Æmilio. m) Fregoſus Genuenſis Dux, cum principatum vrbis ſe poſſe diutius tueri diffideret, Carolo Francorum Regi tradidt, quo miſſus Ioannes Renati filius præfuit, & Alphonſo moriente, Lyguſtica & Prouinciali claſſe, cum Ferdinando Alphonſi ſucceſſore bellum geſsit. Et ſane regno, ingenti prælio victor, potiturus ſperabatur: ſed dum mora iniecta bellum trahitur, a Francis defecit Genua, arce tantum retenta. Renatus pater opem laturus funditur, fugaturque. Ferdinandus animum vireſque reſumit, ſocii amicique auxilia mittunt. His pene oppreſſus Ioannes, Renati filius reſtitit quidem, ſed eius res turbari cœptæ, ſenſim in ſtatum deteriorem abiere.

Ioannis II. Renati filii, res labascunt.

At exhauſto ærario, militare vectigal inſtituendum erat, inſtituitque in Prouincia Renatus codicillo decumano, quod ſumma voluntate a Prouincialibus penſitatum eſt ſpe regni Neapolitani potiundi. Id vero minus ſecundis animis inſtitutum voluere Arelatenſes, quod ſcirent, ſe a quocunque vectigali ex pactis fœderibus immunes; nec eos latebat vndecim millium florenorum ſummam ex Theſauro vrbis publico in Neapolitani belli ſumptus Renato conceſſam; imo &, quod præcipuum erat, vrbis nobiliores Ioanni Calabro ſuis ſumptibus præſto fuiſſe ſemper, quoties de regni & Prouinciarum iuribus certatum eſt: oblatus ergo Renato ab Arelatenſibus libellus ſupplex, vt iſtud ęs collatitium minime perſoluerent ciues. Renatus, vt grato erat in Arelatenſes animo, edixit, codicillum decumanum minime erga Arelatenſes valiturum, quod res publica ipſiuſque reip. proceres ipſum auro toties iuuiſſent, Carolique Calabri armorum ſocii, varia bellorum diſcrimina ſubiiſſent; præcipueque obſtaret conuentio, quam firmam, ratam, ſanctamque volebat. Chirographum n) huius rei exemplar legitur in ſcriniis publicis.

Renatus Arelatenſes a vectigali militari abſoluit.

1460.

His in hunc modum a Renato geſtis, ſupereſt vt pauca admodum de Petro dicamus, quæ Ciaconius o) refert. *M. F. Petrus* (inquit) *de Fuxo, Gallus, Ordinis Minorum Theologus, Epiſcopus Laſcurenſis, & Conuenarum, & Archiep. Tholoſanus presb. Card. tit. S. Stephani in Cœlio monte, poſtea Epiſcopus Card. Albanus ab Eugenio Papa quarto creatus. Hic Pontificem ſuum Benedictum* XIII. *ſecutus eſt, a maiori cardinalium parte deſertum. Eo tamen poſtea relicto Conſtantiam ad Synodum acceſſit, vbi Martini V. creationi interfuit, ſub quo, legatione Hiſpanica functus, reliquias ſchiſmatis, quæ mortuo Benedicto* XIII. *ſupererant, omnino ſuſtulit, & Clementem illum octauum pſeudo-papam abdicare pontificatu coegit, pœnitentes abſoluit, contumaces & obſtinatos carcere cluſit: ad vrbem rebus bene geſtis rediit 8. id. Ianuar.* MCDXXIIX. *de legatione reuerſus tertius Auenionis Legatus, in locum Alphonſi Carigli Card. S. Euſtachii mortui ab Eugenio quarto anno* MCDXXXIV. *creatus. Id munus ſub Nicolao V. Calixto III. Pio II. & Paulo II. obtinuit, cuius primo anno, ſalutis vero* MCDLXIV. *Cardinalatus quinquageſimo ſexto, Auenione Id. Decemb. obiit, ſepultus ad Minores, cuius ſucceſſor fuit Carolus Barbonius a Sixto IV. creatus.*

His addo, Petrum Montis-maioris Abbatem declaratum, Tholoſæque ampliſſimum collegium Fluſſatenſe nuncupatum erexiſſe, quamplurimis reditibus collatis; & in municipio trium Mariarum ad Mare, in agrorum Camariæ inſulæ finibus, Renati Regis precibus & Nicolai quinti authoritate, diuarum Mariarum reliquias, quæ in ſubterraneo iacebant, alto leuaſſe loco anno MCDXLIIX. Extat de his in

Collegium Fluſſatenſe Tholoſæ fundatum.

k) In charta Craudi campi num. 20.

l) Lib. 3. belli Neapol.

m) In hiſtoria de geſtis Francorum.

n) In armario libertatum & immunitatum ſub verbo *plenius*.

o) De vita & geſtis ſum. Pontif. in quinta Card. creatione benedicti 13. antip.

geſtis

gestis Petri publicis. Vir sane magni animi, & cuius res gestas explicare volumine integro opus esset. Anteriorem demum Franciscanæ Basilicæ partem Auenione, vbi sepultus iacet, egregia liberalitate substruxit; celebrauitque concilium Prouinciale Auenione, cui præfuit subscribentibus his: Petrus miseratione diuina Albanensis Episcopus S. R. E. Card. Auenion. vulgariter nuncupatus a latere sedis Apostolicæ Legatus. Robertus Aquensis Archiep. Petrus Apten. Georgius Senecen. Gaucherius Vapinc. Nicolaus Massilien. Petrus Dignen. Petrus Glandat. Palamedes Caualliccns. Pontius Vailionens. Ioannes Regen. Stephanus Tricastin. Michael Carpentoract. Ioannes Auraficen. Annus vero indictionis concilii est quinquagesimus septimus supra millesimum quadringentesimum, extantque illius canones in Autographo Iosephi Mariæ Soares præpositi Auenionensium electi, doctrina & virtute præstantis viri, amicissimi.

Septimo tandem abhinc anno decessit. Inscriptio sepulchralis est:

SVB HOC HVMILI IACET LOCO FRATER PETRVS DE FVXO, CREATVS CARDINALIS ANNO SVÆ ÆTATIS XXII. QVI CONCILIO CONSTANTIÆ CVM R. CARDINALIBVS, ET IN HISPANIA LEGATVS SCHISMA DELEVIT, ET DVOS HISPANIÆ REGES CONFOEDERAVIT, TYARAM B. SYLVESTRI LATERANENSI ECCLESIÆ RESTITVIT, AVENIONEM, AC DIVERSAS PROVINCIAS, VT PATER, PATRIÆ ANNOS XXXII. REXIT, IACOBI ET SALOMES MARIAS ALTO LOCAVIT; TANDEM MCCCCLXIV. MENSE DECEMBRI ANIMAM COELO REDDIDIT, QVEM SANCTA SVSCEPIT. DE TERRIS LVCIA. PAVL. PONTIF. MAX. ANNO I.

Symbolum illius sarcophago inscriptum est SERVIRE DEO, REGNARE EST.

Insigne: *De Foix porte escartelé au premier & troisiesme d'or a trois pals de gueule au second & quatriesme d'or a deux vaches passantes de gueule accolées accornées & clarinces d'azur.* Vid. Tab. II. Fig. 19.

PHILIPPVS DE LEVI.

Philippus. 1461.

CVI. VNA est, & altera eodem nomine familia inter Gallos proceres, perillustris, vtraque Marchionum, & Ducum dignitatibus celeberrima: sed a locis, quæ possidet, diuersis, agnomine est diuersa: altera siquidem a Vantadora arce (quæ est apud Lemouices titulus & ducum ditio) sortitur appellationem: altera ex Mirapinco ad radices Pyrenaorum, quod Lertius intersecat, inter vrbem Episcopatu insignem, & castellum, quod Plinio Liria est. Vter vero stirpis eiusdem ramus clarissimum hunc florem Arelate dederit, licet mihi incertum sit, Vantadorii tamen illum ex sua gente prædicant. Neque sane anno MCDLXIV sedere cœpit, vt ex Petri Flussatis morte aliqui colligunt: viuens enim Petrus Episcopatum eiurare debuerat. Legitur in Archiuiis p) vrbis Pii ad Arelatenses Epistola, qua illos monet anno MCDLXII. vt Philippum in Episcopum suscipiant. Epistolam vero in rei gestæ veritatem subiicio:

Dilectis Filiis, Populo Ciuitatis, & Diœcesis Arelatensis salutem & Apostolicam Benedictionem.

PIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

Hodie venerabilem fratrem nostrum Philippum Arelatensem, tunc Auxitanum Archiepiscopum, referendarium nostrum apud sedem Apostolicam constitutum, a vinculo, quo Ecclesiæ Auxitanæ ordinis S. Augustini, cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absoluentes, ipsum ad Ecclesiam Arelatensem dicti ordinis, tunc certo modo vacantem, de prædictorum fratrum consilio Apostolica authoritate transtulimus, ipsumque illi præfecimus in Archiep. & pastorem, curam, & administrationem eiusdem Ecclesiæ Arelat. sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, liberam sibi tribuendo licentiam ad prædictam, Ecclesiam Arelatensem transeundi, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: quocirca vniuersitatem vestram rogamus, & hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem Philippum Archiepiscopum tanquam patrem & pastorem animarum vestrarum grato admittentes, honore exhibeatis eidem obedientiam & reuerentiam debitas & deuotas: ita quod ipse in vobis deuotionis filios, & vos in eum per consequens patrem inueniisse benevolum gaudeatis. *Pii Pont. Epistola ad Arel.*

Dat. Romæ apud S. Petrum anno incarnationis dominicæ MCDLXII. 3. *Id. Pontif. nostri anno quinto.*

G. F. Picolomini.

Hoc Apostolico diplomate subnixi Arelatenses, magno plausu Philippum excepere. At lætos tristitia rerum male apud Neapolitanos gestarum mirum in modum affecit. Ioannes enim Calaber, defectionem meditantibus Neapolitanorum proceribus, vltimam belli aleam tentaturus, cum Ferdinando conflixit: verum acie victus nulla ostendente se spe subsidii, quod a Francorum Rege, bellis initio regni implicito, expectarat, Italia decessit: nec parum populis, proceribusque regni, sui desiderium reliquit. Altero anno, Regio in vrbem ingressu Arelatenses recreauit. *Ioannes in Italia victus.*

Cæterum desperatis deploratisque Italiæ rebus animo non despondit; imo Tarraconense bellum suscepit, quod suum auito Iolantæ Aragonicæ iure contendebat. In sumptus belli octodecim millia florenorum, q) Renano Prouinciales, quadringenta libere gratoque animo

p) Ex Archiuio vrbis in scrinio Ecclesiæ sub verbo *tribus mulis.*

q) Ex archiuiis vrbis in scrinio concessionum sub verbo *omnia.*

Arelatenſes contulere Diœcetes ſeu Prouinciæ, vt vocant, Seneſcalli. Diploma lego in archiuiis noſtris publicis, quo in gratiam numeratæ pecuniæ, Arelatenſes ab omni ære judiciorum mulctatitio abſoluuntur, & ab omni animaduerſionis Regiæ caſu eximuntur. Rem geſtam vno verbo explicat Æmilius. *Lotharingus* (Ioannes ſcilicet noſter, Renati filius) *auro militeque accepto, non bellum Neapolitanum a ſe, patre, patruo, auo, proauo infeliciter tentatum rurſus ſuſcepit, ſed cauſam ſilentio diuturno velut intermortuam repetiuit, regni Terraconenſis quita jura perſequens, quæ cauſa arbitrorum, vt docuimus, authoritate tranſacta videri poterat, Pyrenæum ſuperauit, egregia facinora edidit, peſtilentia exorta deceſſit.* Ex Maria Borbonia vxore filios, Ioannem connominem Calabriæ Ducem, & Nicolaum Pontis Marchionem ſuſceperat: illius obitum in annum ſæculi ſexageſimum nonum reiicit Noſtradamus, r) verum arguitur a diplomate Arelatenſibus conceſſo anno MCDLXXIV. Aquis-Sextiis, Renato Rege pro tribunali Regio ſedente, & Ioanne Calabriæ Duce filio præſente; niſi forte hic Iohannes filius ſit Ioannis, Renati filii, qui patri ſuperſtes Calabriæ etiam nomen tulit.

Arelatenſium priuilegium nouum.

Interea Philippum licet genere clariſſimum non nobilitas generis, imo virtus ad purpuram euexit ſub Sixto quarto. Equites s) Hieroſolymitanos, qui decimas ſoluere renuebant, in jus vocauit, quæſtioque ſopita eſt mediis arbitris, Arelatenſium Prætore & Prouinciæ Diœcete, qui illos a ſolutione decimarum minime exemptos pronunciarunt. In aula deinceps regia ſeu Pontificia vixit, vices enim Antonio Guiramando Dinienſi poſtea Epiſcopo commiſit, qui Philippi t) nomine, & authoritate, a Montagutio Stephano de Monte-Draconis, & Ioanna de Cadris fiducias accepit.

Equites Hieroſ. decimas ſoluere tenentur.

1475.

Auenio ad Rodanum Cauarum vrbs, anno, qui eius obitum præceſſit, in Archiepiſcopatum translata eſt, Sixti quarti authoritate, non Iulii ſecundi, vt voluit Miræus, Carpentoractenſi, alias Vendacenſi, Cauallicenſi, & Vaiſionenſi Epiſcopis ſuffraganeis ipſi attributis.

Vltimum tandem diem Romæ clauſit Philippus, vt teſtatur Ciaconius. u) Philippus de Leui Gallus presb. Card. tit. S. Marcellini & Petri obiit Romæ idib. Ianuar. anno MCDLXXVI. Pontif. v. Sepultus ad S. Mariam maiorem ſepulchro marmoreo, quod adhuc extat prope fores Eccleſiæ.

Inſigne: *Levi porte d'or à trois cheurons de ſable a un lambeau de gueule.* Vid. TAB. II. Fig. 20.

EVSTACHIVS DE LEVI.

CVII. EVſtachius in aula erat Pontificia, dum Philippus frater ad ſuperos translatus eſt, vacuamque eius dignitatem Sixti quarti authoritate adiuit. Legebatur olim in ſcrinio veterum ſtatutorum epiſtola, quam Sixtus Clero, & ciuibus Arelatenſibus eadem ex cauſa ſcripſerat, ſed quæſitam diu minime repe- *Euſtachius*
ri. Quicquid ſit, electus ſe ſtatim Arelatem contulit. Eo enim anno MCDLXXVI. quo Philippus mortuus eſt, clientelare x) jusiurandum recepit Euſtachius a Montagutio de Cauaillon, Iacobo de Cadris, & Ioanne de Monte-Draconis pro municipio Montis-Draconis: obtinuit deinde a Præfectis ſupremæ rationum ſubſidiorum & vectigalium curiæ, vt y) ſi bona Eccleſiæ Arelatenſis haſtæ ſubiicerentur, a juris regalis præſtatione forent immunia. 1476.

Illius ætate anno ſcilicet MCDXXC. Renatus, Dei gratia, Hieruſalem, vtriuſque Siciliæ, Aragonum, Valenciæ, Maioricarum, & Corſicæ Rex, Ducatuum Andegauiæ & Barri Dux, Comitatuum Barcelonæ, Prouinciæ & Forcalquerii ac Pedemontis Comes, & Arelates Dominus obiit. Hic ille eſt Renatus, quem maiores noſtri *optimum Regem* appellarunt, non ſolum quod expilationem populorum odiſſet, ſed etiam quod Reges omnes comitate, humanitate & liberalitate anteiret. Itaque quoties apud nos de bono principe agitur, res ad eum ſtatum plebeii & Patricii reuocari petunt. Exigua etiam tantum Regem commendant, ſcienter enim pingere didicerat, viſunturque etiam hodie imaginum ab eo depictarum Aquis-Sextiis, & in pluribus aliis Prouinciæ locis veſtigia. In nutricem commendatiſſimus Theophaniam, cuius tumulum marmoreum ad Salmurum oppidum in æde virginis fieri curauit cum hoc elogio, quod adhuc ſemilacerum legitur, PIETATIS HOC ERIT TESTIMONIVM. Duas tulit vxores, Iſabellam Lotharingam, & Ioannam de Laual. Iſabella Ioannem Calabriæ Ducem, Ludouicum Pontis Marchionem, Carolum Cænomanum, & Renatum filios: Iolantam & Margaretam filias peperit. Ioanna nullos. Solus Calaber Mariæ Borboniæ deſpondit, quæ nuptiæ Ioannem connominem & Nicolaum patri dederunt. Sed heu fata! nullis ſuperſtitibus liberis, excluſiſque filiabus, quarum vna, Margareta ſcilicet, Angliæ Regi Henrico, altera Ferrio Vallemontenſi nupſerant, teſtamentum condidit in Caroli, ex Carolo fratre filii, vtilitatem, ea lege, vt, ſi ſine maſcula prole decederet, ex ſubſtitutione in ſupremis Caroli primi & Beatricis tabulis appoſita, qua ſucce- *Renati Reg. mort.* *Eius pietura.* *Pietas.* *Teſtamentum.*

r) Sexta parte hiſt. reg. Neapol. & comit. prou.
s) In decimarum chartis num. 12.
t) In chartis Montis draconis.
u) In vita & geſtis Pontificum & ſub Sext. quarto.
x) In chartis Montis. draconis.
y) In priuilegiis Imperatorum num. 45.

denti-

dentibus masculis ex Andium familia, filias excludit, regibus Francorum in successionem vocatis, Ludouicus XI. Galliæ Rex hæres esset.

Carolus ex fratre nepos succedit.

Carolus igitur, nepos ex fratre Carolo, etsi summæ sedis fiduciarius, propter vtriusque Siciliæ regnum esse voluerit; prætextu tamen belli Sarracenici, quo Ferdinandus detinebatur, a Sixto minime acceptus est, oratores tamen, ne jure suo caderet Rex, obtestati sunt, & Eustachio nostro, vt notat Nostradamus, scribente, dextra tecturum se Regem, si quis vim inferret socio armorum Ludouico Francorum Regi, affirmarunt: at bellum Italicum meditans, annum & dimidium patruo superstes, supremus Andium nomen in sepulchrum intulit, patrui auorumque voluntatem condito testamento sequutus, Verba refero:

Huic vero Ludouicus XI. R. Fr. ex testamento.

Fecit, instituit, & ordinauit, ac ore suo proprio nominauit sibi hæredem suum vniuersalem & in solidum Christianissimum ac excellentissimum principem & Dominum Dominum Ludouicum Dei gratia Francorum Regem, eius consobrinum, ac dominum charissimum, atque reuerendissimum, & post eum illustrissimum, & clarissimum Principem Dominum Carolum Delphinum, eiusdem Excellentissimi Domini Francorum Regis primogenitum, & consequenter omnes & quoscunque successores suos descendentes a corona Franciæ. Vno verbo rem perstringit Æmilius: z) *Prouincia opibus Francorum accessit mortuo Renato rege, eiusque fratre ac fratris filio, Andegauensumque Ducum gentili stemmate deficiente, suprema Renati senis voluntate, multa iuuenis Renati expostulatione.* Vignerius aa) paulo aliter: *Renatus Siciliæ Rex, Andium Dux, & Prouinciæ Comes obiit Renato Lotharingiæ Duce ex filia nepote tantummodo superstite, cui tamen regni Neapolitani & Comitatus Prouinciæ jura resignare noluisse, sed ea Carolo fratri suo Cenomanorum Comiti testamento suo reliquisse fertur. Qui cum etiam paulo post moreretur, Ludouicum vndecimum Franciæ Regem omnium rerum suarum hæredem instituisse dicitur, licet alii suprema Renati senis voluntate Prouinciam ad regem rediisse malint, non absque multa Renati Lotharingici expostulatione.* Quicquid sit, regni fines Prouincia aucti sunt, & cum Prouincia. Arelate sepultus jacet in æde summa Aquensi, hac datus Epigraphe:

Lilia Francorum, cœlestia munera Regum
Reliquias veteris Andegauæque domus:
Occulit iste lapis, cælataque marmora claudit:
Obruta sic fatis regia sceptra jacent.
Ierusalem, & Siculos, & si per fata liceret,
Aragones poterat nostra tenere manus.
Sed fortuna, diu nostros ne ferret honores,
Accelerat mortis tempora dura mihi.
Qui legis hoc tristi quo scriptum marmore carmen;
Dic: tibi sit requies, Karole, paxque tibi.

Ludouicus XI. optatam diu Prouinciam, ipsamque vrbem Arelatensem tot sæculis a Francorum regia disjunctam, coniunxit, scitque nos omni ætate Francos in gentem vnam. Id vero Ludouicum fecisse non sine Palamedis Forbini sacri, defuncti Comitis, cubiculi præfecti ope, cui fasces meri imperii in Prouincia commisit in huius rei gratiam præmiumque, addito proregis titulo jureque: voluit etiam vt commissoriæ noxæ clientes eximeret, attributo ære collatitio, & mulctatitio, bullatas reseruationum tabulas concederet, & quod præcipuum est, in amplissimo ordine senatores crearet, destituéretque: vno verbo Comes esset, quod epigrammate retulit ex incerto authore Ioannes de Gallaup, iam citatus clarissimus apud Aquenses Regiarum rationum aduocatus.

Palamedes Comes Prouinciæ.

Insueta hæc merces, Comitem regem ipse creaui
Regna mihi vt Regi credidit ipse Comes.
Imo regna dedit dum regia jura remisit.
Alterno officio conciliatur amor.

Palamedes subregulus fiducias, quas Arelatenses regi fecerunt, excepit, renouatis bb) fœderibus cum ipsis Galliæ regibus (vulgo conuentiones uocant) quæ prius cum Prouinciæ comitibus maiores nostri pepigerant, iure insularum concesso, quæ ab ipsa vrbe frequentibus fluminis alluuionibus efformantur, qua Rodanus ad mare vsque procurrit. Ludouicus hæc rata fixaque voluit, sed annum superstes Carolo decessit, Caroluſque octauus nondum pubes successit, in cuius manibus Ludouicus de Corcis I. C. & Reinaudus, Arelatensium patritii, apud Clariacum tribus ab Aurelia millibus distantem clientelæ sacramentum fecerunt, codicillo cc) fœderum & conuentionum regio impetrato.

Carolus VIII. Arel. Domi-nus. 1483.

Decessit postmodum Eustachius noster, infelix equidem, quod Comitum nostrorum stirpem in Carolo Andio intermortuam viderit, sed felicior sane, quod Arelatem Caroli octaui Francorum Regis opibus viderit accessisse.

Duorum autem fratrum familiam, dignitatem simul & amorem habe ex inscriptione tumulo apposita, quæ etiam hodie Romæ, vt iam in Philippo notauimus, legitur in hunc modum: 1489.

PHILIPPI DE LEVIS S. R. E. CARDINALIS ET EVSTACHII FRATRIS ARELATEN. ARCHIEP.

PHILIPPVS DE LEVIS TITVL. SANCTI PETRI ET MARCELLINI CARDIN. AREL. E GALLIA ORTVS, ILLVSTRIS MORI

z) In historia de gestis Francorum.

aa) In Burgundionum Chron.

bb) Hoc diploma in Archiuiis regiis Rationalium Aquensium legitur & in chartaceo, cui titulus, Corona. fol. 92.

cc) In Archiuio vrbis armario conuentionum & priuilegiorum sub verbo, *homagium.*

BVS, VIRTVTE ILLVSTRIOR, ROMANIS PONTIFICIBVS, ET CHRISTIANISSIMIS FRANCORVM REGIBVS, MAGNO IN PRETIO HABITVS, IN SENATVM APOSTOLICVM MAGNA PROBITATE ADSCITVS, OBIIT SVO NATALI, MAGNO SVI DESIDERIO RELICTO, QVIPPE QVI CORPORIS ET ANIMI BONIS PRÆDITVS: SVMMAQVE AVTHORITATE POLLENS, PROFVIT QVIBVS POTVIT, OBFVIT NEMINI. VIXIT ANNOS 40. OBIIT PRIDIE. NONAS NOVEMB. ANNO 1475.

DVO FRATRES IACENT HIC EODEM CLAVSI SEPVLCHRO PHILIPPVS ET EVSTACHIVS. PRIMVS CARDINALIS FVIT, SED ARCHIEPISCOPVS ARELATENSIS VTERQVE.

SEDENTE INNOCENTIO 8. PONT. MAX. EVSTACHIVS NATIONE GALLVS, NOBILI LEVORVM GENTE, ARELATENSIS ARCHIEPISCOPVS HIC SITVS EST. O QVANTA IN HOC ANTISTITE FIDES, PIETAS, RELIGIO, SANCTITAS, OB QVÆ EVM MERITO PONT. MAX. INTER SACROSANCTOS SIBI DIVINARVM CEREMONIARVM ANTISTITES CONNVMERARI VOLVERIT: QVI CVM FRATREM PHILIPPVM S. R. E. CARDINALEM QVI IVXTA SECVBAT, VNICE DILEXISSET IN VITA, IN MORTE QVOQVE VT TVMVLO ILLI IVNGERETVR, MANDAVIT. VIXIT ANNOS 42. OBIIT 1489. MENS. APRIL. 22.

NICOLAVS CIBO.

CHX. SVnt, qui velint, Ludouicum Spinai Arelatensi Ecclesiæ Episcopum datum fuisse: in iis est Ciaconius, dd) cuius verba refero: Ludouicus Spinai Armoricensis Gallus, ex Archiepiscopo Arelatensi, Lugdunensis presbyter. Cardin. Sanctorum Syluestri & Martini in montibus tit. Equitii. Sed obstat illius sententiæ Elenchus noster, qui vnicus nobis supereſt, & ipsius Nicolai bulla, quam ab Innocentio ex Ciborum gente ipse Cibo obtinuit, quæ difficultatem explicat, nodumque soluit. Illius tenor talis est:

Dilectis Filiis Capitulo Ecclesiæ Arelatensis Ordinis Sancti Augustini salutem, & Apostol. Bened.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

1489. Innocentii Pont. Epistola.

Hodie ee) *venerabilem fratrem nostrum Nicolaum, olim Archiepisc. Cusentinum in Archiep. Arelatensem, electum a vinculo Ecclesiæ Cusentinæ, cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absoluentes, ipsum ad Ecclesiam vestram, tunc per obitum bonæ memoriæ Eustachii Archiep. Arelaten. apud sedem Apostolicam defuncti, pastoris solatio destitutam, de eorundem fratrum consilio auctoritate Apostolica transtulimus, ipsumque Ecclesiæ vestræ præfecimus in Archiep. & pastorem, curam & administrationem dictæ Ecclesiæ vestræ, sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Nicolao electo tanquam patri & pastori animarum vestrarum humiliter intendentes, ac exhibentes ei obedientiam, & reuerentiam debitas & deuotas eius salubria monita & mandata suscipiatis, humiliter, & efficaciter adimplere curetis; alioquin sententiam, quam idem electus tulerit rite in rebelles, latam habebimus, & faciemus auctore Domino vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari.*

Dat. Rom. apud S. Petrum anno incarnat. dominicæ MCDXXCIX. *Oct. Kal. Maji Pontificatus nostri anno quinto.*

Hieron. Balbanus.

Duo colligere est ex hoc diplomate Pontificio; Eustachium Romæ decessisse, nec Arelate sepultum, licet eius mausoleum illo fortasse viuente erectum Arelate videatur: alterum vero, non Ludouicum Spinay Eustachio suffectum, imo Nicolaum.

Nicolaus igitur Genuæ natus (hæc est Liguriæ Metropolis) ex Ciborum gente, quam ante quingentos annos rebus maxime florentibus e Græcia euocatam Neapoli, & Genuæ (vrbibus Italiæ clarissimis) consedisse constat. Albericus Cibo Princeps Massæ & Sacri Imperii Marchio familiæ est antesignanus. Patruo summo Pontifice declarato Nicolaus Ecclesiæ Arelat. præsul factus est anno illius quinto, qui Christo est MCDXXCIX. Fiducias fecit Carolo ff) octauo Gallorum Regi, pro Gabardelis fundo & Confurcio Municipio. Gaucherius de Quiqueram gg) Baro de Beaulieu quatuor portiones, quas ex publicis vectigalibus sibi comparauerat, ex parentum hæreditate Porceleti, de Cays, & Boic militum, Nicolao dimisit; mutauitque Nicolaus has portiones, pro Vaqueriarum & Montis-ruffi municipio. 1490.

Atenim propter absentiam Episcoporum tanta fluxerant in Arelatensem Ecclesiam scandala, ordoque regularis segnes adeo, desidesque Canonicos fecerat, vt Arelatensem Ecclesiam, quæ olim Galliarum prima fuerat, conculcare nemo non auderet. Turbatis rebus remedium afferre tentauit Nicolaus, nec potuit nisi suppressa regula D. Augustini, quam a Petro Eynardo ad hanc vsque ætatem fundatores nostri professi fuerant: ordinem vero hunc & institutum mutari, facillime ab Innocentio impetrauit Episcopus, non alia allata causa, nisi quod nobiles ægre regulam profiterentur. Illius verba subiicio. hh) Ecclesiæ Arel. scandala

dd) In vita & gestis summorum Pontif. sub. prima creatione Card. facta ab Innocentio 8.
ee) In Archiuio Capituli.
ff) In priuilegiis Imperatorum num. 46. & 47.
gg) In chartis municipii de Vachieres num. 13. & in membranis vectigalium num. 16.
hh) Legitur hæc bulla in Archiuio Capituli armario sæculari rationis sub uerbo, priuilegia Apostolica.

Sane

Innocentiis regulam S. Augustini abrogari iubet.

Sane fide digna relatione nobis innotuit, quod pauci viri nobilitate generis, & litterarum scientia præditi, aliisque virtutum donis insigniti reperiuntur, qui in Ecclesia Arelatensi ordinis S. Augustini, cui præesse dignosceris, ordinem in perpetuum profiteri, & ad illius regularis disciplinæ obseruantiam se obligare velint: præsertim non inscii, quod inibi regularis instituta prædicti ordinis seruare, & animarum suarum commoda consequi nequirent; contigitque propterea, quod in ipsa Ecclesia interdum sunt Canonici, quorum opera, & fauore bonorum & jurium dictæ Ecclesiæ conseruationi, & occupatorum recuperationi; nec non aliis plerisque memoratæ Ecclesiæ necessitatibus consuli vt expediret, non potest non sine ipsius Ecclesiæ graui detrimento, ac jactura: & speratur, quod si prædictus ordo in eadem Ecclesia supprimeretur, & extingueretur, statueretur-
que & ordinaretur, quod prædicta Ecclesia de cætero per sæculares personas, ad instar aliarum cathedralium sæcularium Ecclesiarum regeretur; facile reperirentur personæ nobilitate generis, ac litterarum scientiis præditæ, aliisque virtutum pollentes ornatibus, qui summopere affectarent de dignitatibus canonicatibus & præbendis personalibus administrationibus & officiis, quæ inibi erigi possent eis prouideri, & ex quorum inibi residentia, & in diuinis interessentia, in spiritualibus prouidentia, & temporalibus circumspectione, parentum consanguineorum & amicorum fauore, ipsius Ecclesiæ decor & venustas, nec non diuinus cultus in illa maximum susciperet incrementum; occupata distractaque recuperarentur, & illa ac alia prædicta Ecclesiæ bona & jura conseruarentur & etiam recipiendarum inibi personarum largitionibus augmentarentur.

Nos igitur diuini cultus augmentum, & animarum salutem, ac Ecclesiarum quarumlibet venustatem; & decorem intensis desiderantes affectibus, motu proprio non ad tuam vel alterius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed ex nostra mera deliberatione ac nostra certa scientia fraternitati tuæ, per te, vel alium, vel alios in præfata Ecclesia ordinem ipsum, nec non loca, & canonicales portiones, ac nomina, designationes, seu inuocationes ac titulos dignitatuum personatuum administrationum & officiorum aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, inibi de quibus tibi videbitur penitus, & omnino supprimendi & extinguendi ac omnes & singulas regulares memoratæ Ecclesiæ personas etiam dignitates, &c. subditus vero aliquibus interpositis: emissorumque per eos votorum quorumlibet in professionem eiusmodi castitatis, paupertatis, & obedientiæ, substantialibus votis exceptis, quæ ex sua voluntas firmitate persistere, duntaxat exceptis, absoluendi & totaliter liberandi & ad statum sæcularium & presbyterorum & canonicorum reducendi, ac prætalibus haberi mandandi, &c.

Summæ sedis priuilegio & authoritate munitus Nicolaus, regulam D. Augustini ab Ecclesia Arelatensi expulit, antiquis abrogatis legibus & juribus. Decipitur interea Gabriel Pennotus, ii) qui ex conciliis Arelate celebratis, & canonibus pro reformatione canonicorum regularium ibidem editis; imo ex Epistolis Innocentii III. Capitulo Arelatensi directis, ac prouinciali Romano sub Alexandro sexto edito, in quo Ecclesia Arelatensis inter Ecclesias ordinis S. Augustini numeratur, quemadmodum etiam (inquit idem author) in proœmio lib. constitutionum Benedicti XII. & in Catalogo Ioannis de Nigra ualle: ex his, inquam, insinuat, Arelatensem Ecclesiam Metropolitanam ab institutione fuisse regularem. Decipi vero probant, tum quia ea, quæ in probationem affert, Rambaldi nostri, quo authore primum in vnum coiere Canonici, ætate sunt recentiora: tum etiam bulla Vrbani tertii, sub quo & Petro Eynardo Arelatenses ex integro diui Augustini regulam sunt professi.

Demum curam componendorum statutorum Dragatio kk) commisit sæculari introducto habitu, legibus, & juribus; mortuoque Innocentio, Nicolaus Montis-maioris Abbas declaratus Arelatem venit: quo lituum sacrum regente, Iudæi, in quos sæuiebat plebs, ne maior tumultus in vrbe excitaretur, Caroli octaui authoritate, & diplomate ll) vrbe, & Arelatensium agris pulsi sunt. 1493. *Iudæi Arelate pulsi.*

Carolus, Italico bello clarissimus, tertio anno postquam Neapolim ceperat, quam suam ex auito, & hæreditario jure contendebat (cuius res gestas sicut & cæterorum Francorum Regum legere poteris in Francorum annalibus) apud Ambasiam oppidum, ignobili in cella subito animi deliquio expirauit. Illo absque liberis mortuo, jura agnationis Ludouicum duodecimum ad imperium vocarunt, eoque ipso anno, quo vnctus est Ludouicus, fœdera & conuentiones decessorum voluntate ictas, ratas non solum habuit, vt ex diplomate mm) Regio edocemur; verum etiam Prouinciam Arelatensem, ipsumque Arelatem in coronæ Galliæ patrimonium, ipsamque Domanii Francici corpus intulit; codicillos nn) suprema Aquarum-Sextiarum rationales firmarunt. *Ludouicus XII. Arelatem infert coronæ Galliæ.* 1498.

Verum Regio delegato, in Gallici Diadematis jura, municipium Furcarum in alteta Rodani ripa referenti, Nicolaus Antistes restitit, explicatoque jure, & allatis publicis chirographis exemplaribus, a quæstione solutus est; sequentique anno, qui vltimus sæculi est, Ludouicus oo) jura, libertatem, immunitatem vectigalium cæteraque Regum, Comitum, proregum, & præfectorum concessiones in Arelatensium vtilitatem factas regio charactere muniuit. 1499.

ii) Lib. 2. hist. tripart. clericorum canonicorum S. Augustini cap. 33. n. 5.

kk) Extant in Archiuio nostro statuta ab eo edita.

ll) In Archiuio vrbis armario rerum politicarum sub verbo *Deo.*

mm) In Archiuio vrbis scrinio conuentionum sub verbo *Ludouicus Christianiss.*

nn) Ibidem in priuilegio sub verbo *Francorum Regum.*

oo) Ibidem.

Con-

Continuo Nicolaus præsul noster obiit, aut certe Episcopatum eiurauit: sæculum enim aperuit Ioannes Ferrerius.

Insigne: *Cybo porte de gueule a la bande de gueule de trois points d'argent & d'azur au chef d'argent chargé d'vne croix de gueule.* Vid. TAB. II. Fig. 21.

IOANNES X.

FERRERIVS.

Ioannes X. CIX. SÆculum aperuit Ioannes Tarraconæ natus (vrbs est in citeriori Hispania Scipionum opus & Colonia) vir nobilis, doctrina insignis, & omni laudum genere dignissimus. Quam primum se Ecclesiæ addixit, canonicatu apud Barcinonem (vulgo Barcelonam) Cathaloniæ in mediterraneo vrbem principem datus est: mox Ilerdensis (quæ Lerida est hodie) Archidiaconus declaratus, & ætate virtutibus aucta primam in Ecclesia Vrgelitana dignitatem adiuit. Alexandro VI. cognitus, a quo Melphitensis in Apulia Episcopus creatus est; certantibusque Francis contra Aragonios pro regni Neapolitani juribus, Alexandri sexti authoritate ad Ludouicum XII. Francorum regem & Ferdinandum orator missus, legationem dignissime obiit, colloquiumque duorum Regum impetrauit. Ferdinandus enim in Hispaniam rediens, cum Ludouico apud Sauonam ad mare Ligusticum colloquutus est. Nec indonatus a Rege abcessit, honorem enim Lilium in Scuto deferendi, præcipuis regni dignitatibus impertitum, obtinuit, lituoque sacro, Arelatensi Ecclesia pastore destituta, eiusdem Regis authoritate honestatus est anno MD.

1500.

Electus libellum supplicem Regi transmisit, vt donationes, priuilegia, quæ superiores Imperatores, Reges, comitesque Arelates Domini, Bosones, Conradus, Federici, Henrici, Wilelmi, Berengarii, Andegauenses & ipsi Francorum Reges Arelatensi Ecclesiæ concesserant, ipse diplomate Regio muniret, confirmaretque: quod Rex, ne posteris exemplum daret Sacerdotum priuilegiis aliquid detrahendi, non tantum nihil immutandum censuit pp); imo auxit, translato in Ecclesiæ Arelatensis vasallos priuilegio: qq) Exinde clientes & beneficiarii, Beatrix videlicet de Lautac, Bernardini de Cauaillon vidua, Iacobus de Montaga, & Almaricus de Montdragon pro Montis-draconis municipio fidem obstrinxerunt, illosque sequutus est Antonius de Quiqueran, rr) Baro de Beauieu, jusiurandum enim in manibus Ioannis præstitit pro Vaqueriarum castro, quod jure beneficiario possidebat, ex permutatione præsulum cum decessoribus suis iam allata.

Priuilegia Archiep. Arel. a Ludou. XII. confirmata.

Breuiarium e-

At ne putes Ecclesiæ, quam sibi vxorem desponderat, oblitum; animum enim applicuit, vt ex breuiario expungerentur, quæ aut vitio temporis, aut forte ignorantia irrepserant, curauitque, vt Arelate prælo daretur. Nouo igitur præsule noua orandi forma, noua Arelatensis Ecclesia; vtpote quæ de nouo sæcularem viuendi formam a summis Pontificibus obtinuerat, nouum sæculum inchoauit: sed sub Antistite, cui immortalem gloriam debet Arelatensis Ecclesia, nam quæ ruinam meditari videbatur, vt in exceptorio regularis disciplinæ codicillo legitur, illius vigilantia ita subnixa, suffultaque est; vt non tantum ruituram sustinuerit, imo sublleuarit, pristinæque dignitati, gloriæque reddiderit.

mendatius editum. 1501.

Cæterum Ludouicus Francorum Rex, qui a plebeio ordine *pater* est appellatus, quod subditorum vexationem ferre minime posset, in Prouincia Romanorum, quam publico regum patrimonio sacrarat, delectos judices, vita integros, sapientiaque præstantes esse voluit, quibus dicendi juris summa potestas in posterum attribueretur; amplissimumque ordinem dixit; maiores nostri conuentum judicum, concilium: veteres Franci, Placita: nos Parlamentum dicimus. Antonius de Melet, Michaeli Riccio suffectus curiæ princeps, Ludouicus de Forbin Dominus de Luc, & Michael Audebertus Senatores, eiusdemque supremæ curiæ conscripti, vt nouis dignitatibus authoritatem conciliarent, præcipuas Prouinciæ vrbes circuibant, qui cum Arelatem venissent, ab Ædilitio ss) vrbis collegio per primarium consulem, & assessorem oratores rogati sunt, vt in aulam comitiorum vrbanorum se conferrent, sacramento firmaturi, se in posterum ciuium consuetudines, libertatem, immunitatem, fœdera, & conuentiones, quæ omnia iam Ludouicus Francorum Rex, Prouinciæ Comes, & Arelates Dominus (his in chartis Arelatensium publicis vtuntur elogiis Franciæ Reges) rata habuerat, obseruaturos: quod perspecto, in solenni chartarum regiarum repertorio, & in armariis vrbis publicis, vsu, continuo præstitere sacramento tactis sacrosanctis Euangeliis, quæ Primarius Consul & Assessor tenebant, firmato. Anno tt) postmodum duodecimo supra millesimum quingentesimum, Ioannes de Poitiers Marchio de Curton & Dominus de San-valier, Prouinciæ diæcetes, & Pro-Rex eodem plane sacramento, parique cæremoniarum obseruatione Arelate susceptus est.

Judices in Prouincia constituti.

1512.

Erat profecto Ludouicus regno dignissimus, si rerum gestarum magnitudinem æstimare volumus, fatis tamen ita volentibus Mariam Angli sororem vxorem duxit sexagenarius, & ex illa nuptiali face sibi rogum succendit, obiitque initio anni MDXIV. Ludo-

1514.

pp) In priuilegiis Imper. num. 48.
qq) In chartis Montis-draconis
rr) In membranis municipii Vaqueriarum num. 14.
ss) Harum rerum series legitur in membranis Candelerii & Guillelmi Morini Regis & vrbis Notariorum.
tt) In chartis Ioannis d'Angieres publici pactorum exceptoris.

Franciscus I. priuilegia Arel. confirmat.

uico functo Franciscus e Regia Valesiorum gente gener eius, imperium adeptus est: id probant membranæ nostræ contra authores, qui illum decessisse anno MDXV. sentiunt. Nuncio enim Ludouici obitus Arelatem allato, Honoratus de Brunet primo honoris vrbani Magistratu fungens, & Antonius de Quiqueran Baro de Beauieu ad Franciscum Oratores & Legati missi sunt, vt in verba Principis ex omnium ordinum votis sacramento adigerentur: confirmaretque Rex libertatem, immunitatem, consuetudines, fœdera, & conuentiones decessorum Regum, Comitum, & Arelates Dominorum cum ipsis Arelatensibus ictas, initasque. Hæc uu) vero mense Februario annoque MDXIV. gesta & a Rege Francisco probata sunt, nobisque fauet Nicolaus Ægidius. xx)

Porro in Ecclesiasticis quis Ioannis nostri vitam & mores lustrare audeat? cum in ipsis se gesserit ex mente Pauli Apostoli. Ad alia igitur transeo: ædificiorum enim, & rerum illustrium gerendarum gloria omnes decessores facile superauit. S. Amantius vicus est in Prouincia Arelatensi collis cliuo appositus, in superiori illius parte castrum ædificari jussit Ioannes, amplissimis mansionibus illustre: quo vt alter Nazianzenus tanquam ad tranquilliores vitæ portum priuatis publicisque negotiis fatigatus confugiebat sæpissime: dolendum autem est tam nobile ædificium bellis ciuilibus, quæ ætatem nostram regni calamitate notissimam fecerunt, excisum esse. Saloniæ vrbis ad Crauum municipium turribus, aulis, cubiculis & porticibus illustrauit: ita, vt regiam diceres, & Bertrandus arcem magnificam appellare non dubitauit. Palatium Arelatense noua forma, nouoque opere ornauit; Ecclesiamque suam, in qua Canonici regulari abrogato cultu sæcularem profitebantur, sedibus, organis, altari, aliisque quamplurimis regali pene munificentia auxit: quæ omnia famam nominis sui non solum non perituram ad posteros transmiserunt: imo ipse Franciscus Francorum Rex tanti viri fama perculsus Ioannem neporem viuenti Episcopum

Castrum S. Amantii exstructum.

1518. suffecit anno MDXIIX. Senior vero Ioannes Legationem Apostolicam Auenione defunctus est; quod tamen in eius sepulchrali Epigraphe non legitur. Sunt etiam, qui illum ad purpuram euectum dicant, sed quo argumento, non adhuc legi. In ingressu quidem chori matricis Ecclesiæ cum nepote depictus videtur purpureo paludamento; sed id credo honoris gratia peractum, aut forte solum Cardinalem designatum, vel vt a nepote distingueretur.

Factis demum Sacelli insignis fundamentis, Episcopatus, & ædificii curam nepoti commisit, moriturque egregius vir die XVII. Ian.

1520. anno MDXX. Massiliæ: ex quo corrige inscriptionem sepulchralem, quæ habet annum MDXXI. qui enim hæc marmori inscripsit annum operæ, non mortis attendit: gesta publica auctoramenti nepotis id indicant. Secundo vero obitus die Arelatem illatus est, illique nepos justa persoluit, marmoreoque sarcophago inclusit, hoc epitaphio:

DEO OPT. MAX. IOANNI FERRERIO DECRET. DOCT. EX OPPIDO TARREGA PROVINCIÆ TERRACONENSIS. EPISCOPO MELPHITANO, DEMVM ARCHIEP. ARELAT. SINGVLARI PROBITATE, ET RELIGIONE PRÆDITO, CVIVS PRVDENTIA, ET INTEGRITAS IN DVABVS AMPLISSIMIS LEGATIONIBVS, QVAS IVSSV ALEXANDRI VI. PONT. MAX. AD FERRANDVM SICILIÆ REGEM, DEINDE AD LVDOV. XII. REGEM GALLIÆ CHRISTIANISSIMVM CVM MAXIMA AMBORVM PRINCIPVM APPROBATIONE PEREGIT, EGREGIE PERSPECTA, ET HONORIBVS AC PRÆMIIS ORNATA EST, VIXIT ANNOS LVII. MENS. VI. DIES X. MASSILIÆ MORITVR DIE XVII. IAN. MDXXI.

Insigne: *Porte d'argent à quatre fers de Lance d'azur en bande escartelé de gueulee à deux gerbes d'or mises en sautoir traversees de deux lances d'argent & sur le tout d'azur a une fleur de lis d'or.* Vid. TAB. II. Fig. 22.

IOANNES XI.

FERRERIVS.

Iohannes XI.

CX. IOannes, decessoris sui ex Matthia fratre nepos, parentalibus rite absolutis, Arelatensis Ecclesiæ curam susceptit, quam adiuisse iam debuerat ab anno MDXIIX. Gesta yy) enim publica a Brunio publico pactorum exceptore conscripta recitant, decimo septimo Ianuarii anno MDXX. Ioannem Ferrerium vita cessisse, & juniorem Ferrerium consecuto post die Brunium Aquensis Senatus, I. C. actorem suum declarasse, vt vacantis sedis possessionem Canonicis & consulibus rite vocatis adipisceretur vigore breuii regii, & Bullæ a Sancto D. N. Papa obtentæ anno Domini MDXIIX. decimoque Kal. Decemb. His gestis, madidis adhuc ciuium oculis vrbem est ingressus, nihilque antiquius illi fuit, quam patrui præparentis vestigiis inhærere; vnde consilia, viresque conuertit, vt quæ decessor suus, tum in S. Amantio, vrbe Salonia; tum etiam Arelate magno animo magnisque sumptibus cœperat, absoluerentur; Sacellumque, quod regia augustaque forma exurgere juserat, ad vltimum finem perduxit, & licet annos numeres supra vigesimum in præfixis ædificiorum tabellis, non ideo credas Ioannem hos annos viuentem prætergressum, sunt enim non incœpti, imo perfecti operis calculi.

Exorta deinde controuersia est inter Ioannem, & equitem Hierosolymitanum, qui sacræ militari fiduciæ (quam vulgus vocat de

uu) In Archiuio vrbis scrinio clientelarum & priuilegiorum sub verbo *Laus Deo.*

xx) In historia Francorum.

yy) Hæc omnia leguntur in exceptorio curiæ transcriptitiæ.

Salies) præerat propter censum annuum quadraginta sexcariorum siuimenti, illumque ex placito yy) Aquensis Senatus adegit ad solutionem, fundusque Arelatensis Ecclesiæ beneficiarius dictus est.

1530. Hæc dum aguntur Arelate, Carolus Borbonius, qui a Francisco Francorum Rege ad Cæsarem defecerat, Massiliam obsidione cinxit, ea expugnata, se Arelatensis regni Regem dici posse sperans: duo millia equitum & peditum amplius quindecim in castris habebat; nec deerat copiosissimus tormentorum numerus. Firmum in vrbe præsidium erat militum, sed commeatus atque annonæ penuria illos vrgebat, cui malo vt remedium afferretur, Arelatenses, qui olim primo Cæsari zz) naues ad Massiliam oppugnandam dederant, non exiguas aduersus Borbonium noui Cæsaris Ducem, & copiarum præfectum equitum turmas miserunt, & in vrbem, vt non oppugnaretur, annonam transmiserunt, publici Arelatensium ærarii sumptibus: egregia sane in Regem fides; spe enim non solum vrbis potiundæ, verum etiam totius Prouinciæ possessione dejectus est.

Arelatenses Massiliæ succurrunt contra Carolum Borbonium.

Ac enim si egregia Arelatensium in Regem fides; non minor Regis in Arelatenses gratia extitit. Eodemlos regios profero, & auxilii Arelatensium, & animi regii testes. Rerum regiarum cognitores, Regis nomine indixerant fiscalis pecuniæ coactoribus, vt ab Arelatensi tum Prouincia corraderentur bis millenæ, & quingentæ libræ, pars equidem summæ maioris, nempe quinquies millenum aureorum, quos Prouincia Regi pendebat: Consules nostri expostulant, & conqueruntur, labefactari priuilegia, quibus iam pridem potiti eramus, annuentibus Galliæ Regibus, Prouinciæ Comitibus, & Arelates vrbis Toparchis. Rex, qua erat in nos beneuolentia, qua nos

1531. in illum fide (nulli sane non probata) siue dum Massiliam, auxiliaribus annonæ, & militum copiis, contra perduellem Carolum Borbonium auro vrbis publico (verba sunt diplomatis a)) siue dum ære proprio nostram vrbem vallis & fossis munuimus, a quarum rerum solutione immunes sumus ex art. xxv. secundæ conuentionis, cuius verba sunt: *Quod dicti Domini Regina, & Rex* (Maria scilicet, mater Ludouici secundi Prouinciæ Comitis, & ipse Ludouicus secundus) *ac Comites teneantur, & debeant, suique etiam in posterum successores teneantur, & debeant in futurum defendere dictos ciues incolas, & habitatores prædictæ vrbis, a quibuscumque guerris, per quoscumque æmulos fiendis; tam per terram, quam per aquam; & præsentem vrbem tenere clausam muris, suis impensis.* Rex, inquam, Franciscus pro jure antiquo, & lege, qua nos decessoribus dederamus, vt iam attigi, jubet, nos immunes esse a vectigalibus, & tributis, quæ Regi penduntur, aut gerendorum causa Prouinciæ negotiorum colliguntur. Nec tamen ciuium auro & diligentia adeo firmata fuit, vt non illam maioribus propugnaculis cæteriscque id genus munimentis ornari & circumcingi Rex voluerit. In archiuiis enim publicis leguntur membranæ, quibus Franciscus Rex viginti librarum millia concedit ciuibus, vt nouo opere vrbem muniant, eam enim esse vrbem dicit, quæ expugnari non possit, eoque sitam loco, vt non solum vni Prouinciæ, imo regno fere salus sit: ideoque debere Regem in id incumbere, vt quæ aliis salus esse debet, illa etiam quam maximo poterit interno exterioque præsidio munita sit, perseueretque incolumis & illæsa.

Priuilegia Archiepiscopi perclitantur.

At ecce procellam aduersus Ioannem excitatam: exhausto Regis ærario allata sunt in Prouinciam regia diplomata, vt dominicalia hastæ subjicerentur. Coactores, quæcumque ad Ioannem spectabant, in fiscum intulerunt: aiebant enim, castra, cæteraque Arelatensis Ecclesiæ municipia redhibitoria esse, nec potuisse ab Imperatoribus aliisque Arelates regibus Arelatensi Ecclesiæ donari; quod Francici juris essent. Viriliter tamen restitit Ioannes & prudentia, qua in rebus gerendis multum pollebat, exortam tempestatem sedauit. Causa enim ad Regem perlata absolutus dimissus est.

Verum longe maior vrbi imminebat clades, 1537.
atque funestior. Cæsar valido subnixus exercitu vrbem expugnaturus sperabatur; quam per Marchionem du Guast, & Paulum Saxium, cohortis Cæsarianæ præfectum, exploratores, milite & commeatu firmam sciebat; sed exercitum in Italiam transmisit Cæsar, nobilemque reddidit expeditionem Prouinciæ Romanorum, fatali suorum interitu. Sed antequam hoc metu liberi essent ciues, præsidium militum in vrbem adductum erat, exortoque inter eos militari tumultu ad arma ventum est, cæsique quamplurimi; authores capitali supplicio damnati sunt. Vascones ira perciti, vt socios a securi subducerent, in ædes publicas & vrbanas ignem immittunt, quæ flammis deformatæ momento ablumptæ sunt.

Arelate a proprio milite incensa.

Atque vt difficillimis Ioannis temporibus nihil sit inluctuosum, ciues contra Ecclesiam litem mouerunt pro Craudicampo, quem Archiepiscopus & capitulum suum volebant, ille ex Cæsarum concessione, & Canonici ex Vicecomitum Massiliensium voluntate: quæ lis Ecclesiam Arelatensem mirum in modum vexauit ad nostram vsque ætatem, finemque habuit supremo Tholosani Senatus placito anno MDCXXI.

Lis de Craudicampo composita.

Cæterum Franciscis Francorum Rex, aduersa prosperaque vsus fortuna, victus victorque, litterarum parens, anno quadragesimo 1547.
septimo supra millesimum quingentesimum decessit, felix, si per fata licuisset, quod Henricum secundum filium hæredem relinqueret. Henrico postmodum Regi ciues Arelatenses per Honoratum de Lestan de Parade, & Ber-

Henricus II. priuilegia confirmat.

yy) In scrinio obsequiorum num. 20.
zz) Iul. Cæsar de bello ciuili lib. 1.
a) In Archiuio vrbis scrinio facultatum contra patrios Prouinciæ ordines sub verbo *exemptio*.

nardum

nardum de Guinot oratores & vrbis legatos, ciuium fidem obstrinxerunt, clientelæ sacramento Lutetiæ Parisiorum præstito. Extat huius rei gestæ diploma in chartophylacio b) Aquarum Sextiarum Regio, & Arelate in vrbano Archiuio, c) continetque fœderum superiorum, & conuentionum; tum etiam priuilegiorum, & immunitatum per ipsum Regem, vt Prouinciæ Comitem, & Arelates dominum, ratihabitionem, confirmationemque. Sedulus interea erat Ioannes, nec officium licet exagitatus intermisit. Indictum enim lego ab eo concilium Prouinciale, non equidem celebratum. Breuiarium mendis & erroribus, vt alias Pro-parens, purgauit, nouamque in formam antea informe redegit, consecutoque post anno exactis in Episcopatu annis xxx. anno sæculi quinquagesimo supra millesimum quingentesimum extinctus est, & in summa Arelatensium æde Ferreriorum Sacello humatus. 1550.

IACOBVS DV BROVLLAT.

Iacobus. CXI. FErrerium Iacobus du Broullat subsecutus est, frequensque fuit in aula, nec de illo, licet decennio federit, loquuntur membranæ nostræ. Litem a consulibus vrbis propter Craudi-campum sub Ferrerio contra Ecclesiam motam, noluit a Supremo Aquarum Sextiarum prætorio dirimi, illosque in consistorium principis vocauit; a translatiua fori exceptione minime exclusus. Controuersiam enim ad Senatum Tholosanum misit Princeps. Sanctus Martinus municipium est in medio soli Craudi-campi. Illud Rationum præfecti in vrbium & municipiorum Prouinciæ descriptione, quæ Regi subsidia pendunt, collocarant; fiscique coactores Vasallos Ecclesiæ ad solutionem cogebant. Causa ad Senatum delata, quod in Craudi-campo essent, & in ipsis Arelatensium agris; imo quod in Berengarii codicillo comitati S. Martinus d) cum reliquis Ecclesiæ Arelatensis municipiis legeretur, ab omni vectigalium, subsidiorumque onere leuati sunt.

Nihil autem in politicis Arelatenses spectat, nisi quod Henricus cum finitimis hostibus firmam ac stabilem pacem fecerit, de qua iam agemus. Quis vero Iacobi obitum, aut vbi illius sit ossuarium, exigat? pro me sit coniectura, illum hoc anno obiisse, cum Lenoncurtius hoc ipso anno sedisse Arelate legatur.

Insigne: *Portoit d'argent au Cheuron d'azur.* Vid. TAB. II. Fig. 23.

ROBERTVS DE LENONCOVR.

Robertus. CXII. RObertus de Lenoncour, a Paulo tertio anno salutis MDXXXIIX. ad purpuram vocatus est, & a Catalanuensi ad matronam fluuium Ecclesia, & postmodum a Metensi, quam Henricus secundus Francorum Rex anno MDLII. Galliæ regno adiecerat, ad Arelatensem translatus est, eiusdem Regis votis, anno MDLX. haud diutina vsus sede, etsi nulla, quanquam, breuis æui, magis funesta. Hoc enim anno & consecuto Henricus & Franciscus, Francorum Reges, occubuere, illosque Robertus ipse subsecutus est.

Henricus pacem cum Philippo Hispaniarum Rege pronubam fecerat enupta filia: at cum Regio apparatu curules equestresque ludos ageret, tenui lanceæ scindula oculo, in illo ludicro certamine, infixa occidit, summo Galliæ relicto sui desiderio: non enim tam Regi lethale illud vulnus, quam regno exitio fuit. Regii tituli Francisco secundo dati sunt, illiusque & regni curam, donec adoleseceret, mater suscepit. Arelatenses vt solitos codicillos haberent, & vt in Regis verba jurarentur, Petrum de Sade Municipii de Gou Dynastam, & Trophimum du Deffre, legatos ad Regem misere, præstitoque ex more clientelæ sacramento, fœderum seu conuentionum, vectigalium, aliorumque subsidiorum immunitatem & confirmationem Regiis confectis codicillis, e) quos adhuc in archiuiis vrbanis legimus, impetrarunt. Franciscus Henrico patri annum & dimidium superstes fuit, Carolo nono successore. *Franciscus II. subsidiorum immunitatem concedit.* 1560.

Continuo Robertus de Lenoncour (vt ait Ciaconius f) Campanus Gallus, Episc. Cardinal. Sabinus obiit, anno Domini MDLXI. Pontif. (Pii scilicet II.) 4. dieque 4. nonas Febr. in ciuitate Metensi, & in Sacello, quod ipse sibi condiderat, & dotauerat, sepulchro cooperitur. 1561.

Insigne: *Porte d'argent à la croix dentelee ou engreſſee de gueule.* Vide TAB. II. Fig. 24.

ANTONIVS D' ALBON.

Antonius. CXIII. PEr annum alterum Antonius d'Albon Arelate sedit, ætate funestissima, qua Franci in se ipsos odio religionis sæuiebant. Pueritia enim regum Francisci secundi modo defuncti, & Caroli noni Regis, cum aulicis reliquisque regni proceribus contemptui esset, Caluiniani ab Ecclesia Catholica transfugæ, ingentes exciuere motus, & rebellionem retroactis sæculis inauditam fecerunt. Quæ vero maior esse potest, cum populos nihil efficacius moueat quam religio? Horum vero motuum causam audite Franci:

g) *Di multa neglecti dederunt*
Hesperiæ mala luctuosæ.

Sed hic non Francorum historiam, imo ciuilium nostrarum rerum compendium edi-

b) In libro, qui Corui inscribitur fol. 145.
c) Scrinio confirmationum conuentionum sub verbo *Henricus* 2.
d) In Archiuio Episcopali & lib. rub. fol. 444.
e) Scrinio confirmationum conuentionum sub verbo *Franciscus secundus.*
f) In vita & gestis summorum Pontificum.
g) Horatius.

mus. Sediſſe vero Arelate Antonium probant Paponus, & Proſper de Sancta cruce: ille in Senatuum h) placitis, iſte vero in codicillis regiis, quos obtinuerat contra Adamantem Clauellum: in illis enim primo ſediſſe Lenoncour ſucceſſore Antonio d'Albon, qui Hypolito Eſtenſi Epiſcopatum Arelatenſem dimiſit.

Cæterum Arelatenſes ſolita in Francos Reges fide, Ioanne Pariſoto, Nicolao Alberto, & Antonio Courtois vrbis oratoribus clientelari nexu obſtricti ſunt Carolo, qui in verba foederum & conuentionum iurauit, domumque rediere legati Regio muniti diplomate, i) quod non ſolum geſta, quæ iam dixi, continet, imo priuilegiorum, immunitatum, cæterorumque onerum exemptionem, ſuperiorum toties Regum voluntate & authoritate firmatam.

Carolus IX. Arelatenſes in fidem accipit.

Conſecuto anno Antonius Epiſcopatum Arelatenſem eiurauit in Hypoliti Eſtenſis vtilitatem, translatiua penſitationis lege, ſummam enim pecuniariam Clauello, vt inſinuauimus, Arelate debitam, Lugduno ſoluendam inſtituit.

Inſigne: *Albon porte de ſable a la croix d'or.* Vid. TAB. II. Fig. 25.

HIPOLYTVS ESTENSIS.

Hipolytus

CXIV. IN Italia transpadana Ferraria eſt vrbs, clarisima olim Ferrarienſium Ducum aula, nunc legatione Apoſtolica celebris. Illic ex Alphonſo Ferrariæ Duce & Lucretia Borgia IX. Kal. Sept. anno MDIX. natus eſt Hipolytus, Francisci primi & Henrici ſecundi Gallorum Regum affinis, propter nuptias Herculis ſecundi Ferrarienſium Ducis cum Renata Ludouici filia contractas: a quibus, adultus magno in honore habitus, multis amicitiæ officiis proſequutus, atque etiam maximis Eccleſiæ dignitatibus, & ſacerdotiis datus eſt: obtentaque tot Eccleſiarum administratione, Franciæ Protector euaſit. Lugdunenſem Epiſcopatum Franciſco Turnonio alias reſignarat, quo iterum auctus, iterum eiurauit; Arelatenſemque ex permutatione cum Antonio d'Albon inita adeptus eſt eo anno, quo Francia Pacem cum perduellibus fecerat, quæ ſi ſtabilis firmaque fuiſſet, non exundaſſet in tot annos Gallia Franco ſanguine.

Conſules dati Arelatenſi. 1563.

Pace facta Arelatenſium res perpendens Carolus, ſcienſque quo animo ſeſe in Prouincia geſſiſſent aduerſus regni & religionis hoſtes, qui Arelatenſium rempublicam curabant; Prouinciæ ſub regulo abſente conſules præfectos dixit, voluitque regio codicillo k) (cuius etiamnum authoritate, titulo jureque vtimur) ciuium vitam, bona, integramque vrbis procurationem conſulum ſtudio, & curæ ſubeſſe. Eo tamen morbo laborabat Francia, vt opus fuerit Carolo, longinquiores & magis remotas regni vrbes auguſta maieſtate recreare, quod ex procerum conſilio anno ſalutis MDLXIV. exequutus eſt, & Arelate, de Boches, de Aqueria, Sabatier, & de Voute Coſſ. magno ciuium plauſu, pompa, & triumpho, non menſe Iulio, vt vult Noſtradamus l) (comitia enim Vrbana, quæ de apparatu regio loquuntur, Septemb. menſe habita ſunt) Octob. igitur exceptus eſt menſe. Arcus triumphales, emblemata, elogia Franciſcus de Valeriola, editorum voluminum laude clariſſimus, deſignauit, compoſuit, inſcripſit. *1564. Carolus IX. Arelate excipitur.*

Hæc dum gerebantur, lugubris erat Eccleſiæ noſtræ ſtatus, non quod ex illaudata pace cuique libitum eſſet religione viuendi poteſtas permiſſa: ſed quod Epiſcopi vrbis toties a regibus Eccleſiaſtici miniſterii, ſeu functionis veniam impetrarent: illis enim abſentibus nulla Eccleſiæ dignitas, nulla maieſtas. Haud etiam Hipolytus diutina vſus eſt ſede, anno namque ſexageſimo ſeptimo ſæculi Arelatenſis Eccleſiæ procurationem reliquit Proſpero de Sancta Cruce.

Inſigne: *Portoit eſcartelé de France & d'Eſte ou de Ferrare, qui eſt de gueule à vn aigle d'argent à vn bord endentelé d'or & de ſable.* Vid. TAB. II. Fig. 26.

PROSPER DE SANCTA CRVCE.

Proſper.

CXV. SAncta Crucius, antiquo, & illuſtri apud Romanos genere natus, nuncius ſedis Apoſtolicæ apud Gallos, ex Hipolyti Eſtenſis eiuratione, erogatorias ſupremi Arelatenſium ſacerdotii tabulas, Carolo nono poſtulante, obtinuit, ad annum vſque ſeptuageſimum tertium ſæculi, quo anno Sylvius nepos illi ſucceſſit. Nihil eius ætate, tum in politicis, tum Eccleſiaſticis dignum geſtum eſt: at ne quid deſideraretur Proſperi elogium, quod recitat Ciaconius, m) exſcribo, ſepulchrali ſuperaddita epigraphe. *Proſper Sancta-Crucius Romanus ſub Clemente 7. Cardinalium Senatus aduocatus, ſub Paulo tertio Rotæ auditor, Epiſcopus in Creta Chyſamenſis. Sub Paulo quarto Germaniæ, Luſitaniæ & Hiſpaniæ legationibus boneſtatus, ſub Pio quarto ad Carolum nonum in Gallias nuncius, & ab eodem, dum conſtanter in Gallia hæreſes extirpare conatur, purpuræ honore decoratus, presbyt. Card. tit. S. Hieronymi Illyricorum, mox ſub Pio V. S. Mariæ in Thermis Archiepiſcopus Arelatenſis a Carolo nono poſtulatus, ſub Gregorio 13. tit. S. Hadriani, poſtea S. Clementis, ac tandem Epiſc. Card. Albanus obiit Romæ anno Chriſti 1588. die 6. non. Octob. in*

1573.

h) Lib 13. art. 30. jurium dynaſtarum.

i) In Archiuio vrbis ſcrinio confirmationum conuentionum ſub verbo *Carolus*.

k) In Archiuio vrbis ſcrinio rerum politicarum ſub verbo *gouuernement*.

l) In ſeptima part. hiſt. Phocenſis.

m) In vita & geſtis ſummorum Pontificum & quarta Cardinalium creatione Pii quarti.

cuius sepulchro, ad templum S. Mariæ Maioris hæc verba marmore insculpta cernentur:

PROSPERO SANCTA-CRVCIO S. R. E. CARD. EPISC. ALBANO, QVI OB EXIMIAS ANIMI, INGENIIQVE VIRTVTES; POST PRIMARIA PALATINA OFFICIA, ET ECCLESIASTICAS DIGNITATES, A PIO IV. PONT. MAX. CARDINALIS CREATVS, LEGATIONIBVS GERMANICA, LVSITANICA, HISPANICA, ET GALLICA, FLAGRANTE INTESTINO BELLO PROVINCIA, EGREGIA CVM LAVDE FVNCTVS, MAXIMISQVE TOTO VITÆ CVRSV PRO REP. SVSCEPTIS LABORIBVS, OBIIT ÆTAT. ANNORVM 76. 1589. MARCELLVS EX FRATRE NEPOS POSVIT.

SILVIVS DE SANCTA CRVCE.

Sylvius. CXVI. SIluius de Sancta Cruce, decessoris nepos, & Arelatensis Ecclesiæ Archidiaconus; licet syngraphan Pontificiæ collationis haberet anno MDLXXIII. non est tamen adeptus possessionem ante annum MDLXXIIX. vt ex publicis curiæ transcriptitiæ tabulis edocemur.

Funestum Francis eius sedis initium fuit Caroli noni obitu, cuius mors inopina veneni suspicionem induxit. Catharina Medicæa regni procurationem suprema Caroli lege in se vertit, donec Henricus Poloniæ Rex in Franciam reuocatus adesset, qui statim adfuit, bellum in Gallos Allobroges moturus: exinde Auenionem accessit, quo Ioannes de Renaud Dynasta municipii d'Alen, & Ludouicus Borellus Coss. Petrus de Castillon Dominus de Feines, Valentinus de Grille, Dominus de Robiac, Iacobus Bonson, & Ioannes Borellus Arelatensium legati & oratores se contulere, vt clientelæ sacramento Henrico tertio obstringerentur. Obstrictis regios Codicillos n) dari iussit, quibus patet, antiquas Comitum, & Regum Comitum conuentiones ab ipso Rege iuramento sacramentoque firmatas. Mors Caroli perduellium audaciæ fuit incrementum, & licet Henricus religione, facundia, & animi magnitudine præstaret, nihilominus Francia, hæreticorum factionibus scissa, pene ad interitum perducta est.

1574. *Henricus III. Arel. privilegia iuramenta firmat.*

Arelatensium calamitas. At enim Siluii sedes initio luctuosa, vbi adepta est, possessionem anno MDLXXIIX. maligno syderum concursu, maiorem calamitatem ciues pertulere: pestis enim vrbem populata est, hostis agros infestauit, & ne quid deesset, fames populum vrgebat, vexabatque: ipsa elementa vltore numine ciues fatigarunt. Rodanus fluminum nobilissimus imbribus creuerat, nec potuit ciuium diligentia terreos agger es ita munire, quin marginibus superatis Camariæ planiciem inundarit, frumenta, quæ hostis corroserat penitus demetens, ventumque erat ad vltimum inopiæ, & periculi, ni ciues pene enectos Deus recreasset, sublenasset que. Huius rei testes habeo ipsos lapides, hæc enim inscriptio in ripa Rodani legitur:

D. O. M. S.

BELLO, PESTE, FAME, RODANI 26. AVG. REPENTINA EX DEFECTV INVNDATIONE, ABREPTO EX AREIS TRITICO, SEMENTE PROHIBITA, ET VVIDIS VVIS, ET VBIQVE CORRVPTIS SINGVLIS POST HOMINVM MEMORIAM GRAVISSIMIS CIVITAS OPPRESSA. RE COMMINVTA, PRODITIONE PETITA, ET A SVIS CONTAGIONIS ERGO PENE DESERTA, MVROS REFECIT C. GRILLEO A. VSANEO, L. BOREL O M. AVIGNONEO COSS. MDXXC.

Reliqua Siluii ætas cladibus nobilis extitit, donec post cædem principum, ipse Henricus III. Lutetia Parisiorum deficiente, cuius authoritatem cæteræ regni vrbes secutæ sunt, a sicario percussus regno & vita facundissimus itemque Christianissimus princeps exutus est. Certatum postmodum de regni iure inter Carolum Borbonium, Mayennium regni Pro-regem, & Hispanos cum illis fœderatos; ipsumque Henricum Nauarræ Regem, quem licet iura agnationis ad imperium vocarent, obstabat Caluini religio, quam profitebatur: pugnatumque est, donec Henricus cognomento IV. præualuit, cuius res gestas, quæ fidem hominum superant, videre poteris in historia Francorum. Sed enim Catholicum se professus, adeo Francos proceres permouit, vt Rex Franciæ salutaretur: exinde primariæ regni vrbes in Henrici fidem venere. Ipsa Lutetia Parisiorum Regem consalutauit, iuitque Rex in summam vrbis ædem Christianissimi Principis indicia, exemplumque demonstrans. 1589.

Non minor erat erga Regem Arelatensium amor, & fides; abolita namque anathematis nota, sublatoque religionis obice, Robertus de Quiqueran de Beaujeu eques Regis torquatus, Ricardus de Sabatier Consul, Antonius Ferrerius I. C. assessor, & Anthonius Oliuarius vrbis Arelatensis legati Regem adiuere, vt in illius verba iurarent, præstarentque solita clientelæ officia. Hos humanissime excepit, & in clientelæ iusiurandum adactos, ad suos venialibus aliisque regiis codicillis munitos remisit; hi o) clementiam lege de discordiarum, & criminum obliuione lata, testantur: hi p) vero, quibus superiorum Regum fœdera cum Arelatensibus inita rata habuit, firmaque, munificentissimi principis animum demonstrant. 1596. *Henricus IV. Arelatensibus, priuilegia confirmat.*

Restituta demum post limino pax, noua vrbs visa est aduentu nobilium in vrbem, quos causa Regis extorres fecerat; ipsaque Ecclesia, &

n) Extant in Archiuio vrbis scrinio confirmationum conuentionum sub verbo *Henricus tertius.*

o) In vrbis archiuio armario rerum politicarum sub verbo *reformation.*

p) Ibidem Armario confirmationum conuentionum sub verbo *Henricus quartus.*

magistratus antiquam maiestatem repetiere. Siluius interea rerum ciuilium tempestate iactatus, res in anchora intuens, Arelate soluit, Romamque triremi perductus est, vt suos inuiseret: (& ætate ingraueſcente, morbisque præpeditus Arelatem redeundi spe destitutus, pœnitentionis lege icta, Episcopatum eiurauit in Horatii Montani vtilitatem, anno sæculi vltimo. Pactitiæ constitutionis tabulas Romanus
1599. antistes stabiliuit, & Francus Rex eiurationem approbauit.

HORATIVS MONTANVS.

Horatius. CXVII. HOratius Montanus (id castelli nomen est in Lucania, quod ad Horatii Montani decessores spectabat) Policastro nascitur, vrbe Episcopatu celebri, quæ Salernitano Archiep. paret, anno salutis MDXLV. patre Hieronymo, rebus aduersus Turcas fortiter gestis commendatissimo. Romæ litteris in ipso adolescentiæ flore operam dedit: adultus sacræ Theologiæ laurea insignitus est: doctrina, virtus, & spectata in rebus agendis solertia, Gregorio decimo tertio familiarem fecerunt, a quo sancti Nicolai Massæ veteris, quæ diœcesis est Poli-castrensis, Abbatiam obtinuit; & postmodum Sixti V. authoritate canonicatum in Vaticano Sancti Petri, auctusque est dignitate Visitatoris Apostolici. Non illum in tantis virtutibus, vt fere assolet, deseruit fortuna: imo contendente cum fortuna virtute, summas Ecclesiæ dignitates meruit.

Adria apud Aprutios ducatus titulo illustris, & Episcopatus sub Archiepiscopo Theatino in regno Neapolitano, sede illuc ex Aterno (olim Episcopatus vrbe, Pelignorum, cuius vix hodie vestigia extant) translata, pastore destituta erat, illius lituum regendum suscepit Horatius, Cardinalem de Aquauiua legatum Pontificium paulo post Auenionem ad Rodanum sequuturus, vt illius vices in Apostolica legatione suppleret. Demum Syluio Sancta-Crucio, quem vis morbi Romæ detinebat, successor est datus, quod Cardinalis de Aquauiua curauit; Rex Francus voluit, & Clemens octauus
1599. probauit anno MDXCIX.

Pontificio ornatu fulgens, Cleri, nobilium, plebeiique ordinis votis exceptus, Henricum quartum Christianissimum Regem Apostolicæ sedis orator inuisit; eum, vt doctrina, fide, & religione conspicuos Societatis Iesu Patres (quippe quorum nulli iam nota non esset innocentia) in pristinas per Franciam sedes reuocaret, Pontificis nomine hortaturus: qua legatione nullum mortalibus maius, augustius, feliciusque vnquam bonum accidit: patrito enim solo redditi, antiquum splendorem musæ recedere, & præcisis ignorantiæ alis, fidei catholicæ fœdifragi corruere.

Iesuitas reducit Lutetiam.

Hæc munia & officia, quæ tam pie, ingeniose, & prudenter obierat Horatius, meruere, vt illius industria Francia susciperet hæredem, quo subnixa æternum maneret imperium. Iudex igitur cum Cardinali a Ioieusa, cuius gentem ad Gaudentium magni illius Aetii, Galliarum quondam vindicis, filium reuocat, Mallonus, & N. Episcopo Mutinensi datus est a Pontifice, vt causam ab eodem Rege, contra Margaretam Valesiam super vinculo matrimonii motam, discerneret. Inuitus enim Rex, & coactus illam duxerat. Itaque pronunciatum est, cum abstinuisset a nuptiis consensus, & Mariam Medicæam, hoc permittente Clemente, Henricus sibi matrimonii fœdere coniunxit; atque vt Rex tanti præsulis officia sibi gratissima fuisse demonstraret, illum a priuatis secretisque consiliis dixit.

Ioieusæ gentis origo.

Iam per annum in aula fuerat, magnoque Arelatenses videndi desiderio tenebatur; discedendi igitur venia a Rege impetrata, vrbi proximus effusam præ gaudio plebem vidit, eumque ordines magno cum plausu excepere. Verum mora fuit in vrbe haud diutina; Prætores enim regii publica salis Arelatensium horrea regiæ potestati subiecerunt, quod iniquiore animo tulere ciues, & rebellionem facere videbantur, quam procul dubio feciſſent, nisi prudentiorum consilio tam nefanda, subitaque factio fuisset compressa. At sedata plebe animis regiorum exulceratis remedium quærebatur; sed a qua manu? Vrbana comitia conuocata sunt, res, vt gestæ erant, explicatæ, vnanimis votis omnes in Horatium ferre, cui legationis socius datus est Renatus de Barteme Regius curiæ Arelatensis Procurator, nunc vero apud eosdem Arelatenses amplissimus & integerrimus iudex, vt salutem ciuium vrbisque immunitatem apud Regem curarent. Et vero qui melius hanc obire legationem poterant, nisi is, cui nihil a tanto principe denegatum iri sperabatur, & ille qui causarum Regiarum in vrbe erat patronus: adde quod Horatius pontifex, pastor, & pater ciuium erat.

Arelatenſium animalem ſedebat.

Accepta igitur per vrbis Oratores Nobilium, ciuiumque sententia, Lutetiam Parisiorum se contulere, pedibusque Regiis, pro ciuium salute obuoluti, a tanto Rege codicillos veniales impetrarunt, quo diplomate muniti Arelatem redierunt. Peruigilio palmis dominicis sacro Horatius Arelatem est ingressus; publicis, priuatisque rebus cessatum: qua die in Archiepiscopale sodalitium Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ sum cooptatus, dictusque Canonicus. 1602.

Rebus ita feliciter gestis vnum supererat Horatio, diuturnior scilicet vita, vt quæ animo conceperat pro Ecclesiæ suæ dignitate tuenda absoluere potuisset: sed fato nobis iniquiore, Italiam meditans, annumque natus quinquagesimum septimum mense Sept. MDCIII. Salone ad Crauum extinctus est, supremis scriptis tabulis, quibus sanctam Arelatensem Ecclesiam semper suam, hæredem ex asse mandauit. Continuo Arelatem inlatus est, & in summa æde, sacelloque Ferreriorum humatus, tot, tantisque Arelatensium lachrymis, vt in tanto vrbis luctu, non alium dixisses, quam patriæ patrem occubuisse.

Insigne: *Porte d'azur à trois montagnes d'argent & trois estoiles d'or.* Vid. TAB. II. Fig. 27.

CASPAR

GASPAR A LAVRENTIIS.

Gaspar. CXIIX. PAtritum Laurentiis solum, Arelate, cuius gentem ætas nostra omni litterarum, virtutumque genere exculta ad summos honorum & dignitatum gradus sibi viam aperuisse vidit & demirata est: familia sane paterno maternoque genere claris orta natalibus; maioribus quidem scientia & virtute præstantibus; quos etsi dignitates posteris commendant, nulla tamen potior eis laus accedit, quam quod Ludouicum a Laurentiis & Ludouicam de Castelane patriæ regnoque vtilissimos coniuges genuerint: ex hoc enim felicissimo coniugio, velut ex equo Troiano viri prodiere clarissimi, quos patria suspexit, Gallia amplexata est, & ipse Orbis laudibus cumulauit.

Viri docti & celebres e familia Laurentiorum.

Maior natu Honoratus in amplissimo Prouinciæ Phocensis ordine Actor Regius annos viginti Archiep. Ebredunensis & Princeps equalit. Vir facundissimus orationem habuit in pompa funebri Hispaniarum Reginæ & *Politiam sacram* prælo subiiciens, in primaria regni vrbe decessit. Illum proxime excepit Carolus: hic medicinam probe callens, in ipso ætatis flore maximo sui desiderio relicto abreptus est. Iulianus, diuinarum litterarum scientia conspicuus, in Episcopale Arelatensium sodalitium Ecclesiastes cooptatus, secuente in Prouincia tabe, proximi amore exardescens, se illorum obsequio deuouit, vt religioni minime deesset, & vi morbi vitam cum morte mutauit. Quis Andream non suspiciat? qui Academiæ gradibus auctus, primarii Professoris apud Montem-Pessulum, primi Francorum Augustæ Medici, & magni Henrici Archiatri dignitates congestas vnus tulit: hic ille est Anatomicis aliisque editis libris clarissimus, Antonio fratre, qui apud Aulicos Prætorii Sacri Senatores aduocatus, pro sodalitio eorum, qui gloriosæ vocis confisi munimine vitam posterosque defendunt, sæpius coram summo annuli Regii Franciæ Magistro verba fecit; Antonio etiam filio dignissimo Diui Petri Viennæ ad Rodanum Abbate, Christianissimi Regis Eleemosynario, qui eidem panegyrin dixit. Ricardus ab illis sextus, Regius Medicus, coniecturalis artis laude nominatissimus. Ioannes ordine sequitur sæculoque valedicens, Hieronymi nomen sortitus, prædicator verbi Dei eximius, ter apud Reuerendos patres Capucinos Rectoris dignitatem obtinuit; cui (cum ex municipio Marticensi mari appositio, Massiliam naui veheretur, obortaque subito tempestate naui submersa vndis absorptus fuisset) vna die omnes fere Prouinciæ vrbes, corpore integro post mensem ab Vrinatoribus reperto, parentalia fecere. Gaspar filiorum vltimus gentem virtute, pietate & dignitatibus auxit.

Ex amplissima gente Gaspar, filiorum (vt iam diximus) vltimus, natus anno MDLXVII. cum lacte prima latii sermonis elementa suxit. Adultus vt alter Chrysostomus forum sequutus est annos aliquot; sed spe tranquillioris vitæ ab his abductus studiis, Ecclesiasticum ordinem amplexus, Sinanchiæ primum in Prouincia, deinde S. Petri Viennæ ad Rodanum Abbas, authore Rege, præfectus, anno MDCIII. ad Episcopalem dignitatem euectus est, annuente eodem Gallorum Christianissimo Rege Henrico magno. 1603.

A Sacro igitur Arelatensium lituo cohonestatus in Romanorum Prouincia, Romanorum diligentiam, studium & industriam admiratus, & imitatus est. Illi viæ publicæ maxime curæ erant; ideoque βασιλικὰς, vt Græci Prætorias, Consulares militaresque vocabant: quoniam per eas consules, Prætores, Exercitusue duci consueuerant. His muniendis primum quatuor viri constituti, quos antea Curatores Prætorios Augustus esse voluit, binosque illis lictores dedit. Plutarchus q) narrat, commendatque, illos diligentes se circa viarum procurationem præstitisse, dum enim de altero Grachorum loquitur, *Rectis enim*, ait, *regionibus vias deduxit, & eas partim lapide incusso strauit, partim arenæ munuit aggeribus,* B *iniqua adæquans & quantum valles torrentesque abrumpebant, pontibus æquali altitudine, ac procliuitate coniungens, pulcherrimam operi speciem ostendit: dimenso præterea viarum spatio, singulis milliariis columnas lapideas spacii signa præferentes constituit; alios insuper lapides parum inter se distantes, ex vtraque viarum parte disposuit, vt ex illis facile & sine saltu in equos esset ascensus.* *Romanorum cura in vias.*

Imprimis Aurelianus via.

Quis hæc audiens Viam Aurelianam describi non existimet? illam Aurelianus a Genua Ligurum Salonem vsque strauit, & marginibus substrui curauit: quam tempus licet edax minime consumpsit. Visuntur enim adhuc pluribus in locis militaris illius viæ ab Aureliano stratæ partes quam plurimæ exædificatæ, & marginibus vtraque ex parte substructæ, dimenso viarum spatio, lapidibus seu columnis in C singulis milliariis constitutis, quarum plurimæ extant, suoque nomine Aureliam, vt Appius Traianus, Æmilius, Valeriam vias dixere.

Craudi campus, quem Strabo r) horridam tellurem appellat, solum est lapidibus ita abundans, vt vix iter commeantibus appareat, solebantque alias, qui a Vico Sancti Martini Salonem vsque iter faciebant, per gyrum planiciem illam metiri, maximo commeantium incommodo. Voluit igitur patriæ amantissimus pontifex in ciuium aliorumque commeantium vtilitatem & commodum, hanc planiciem lapidibus abundantem complanari, vt Plinii verbo vtar, viamque recta deducendam curauit, & D Salone ad vicum S. Martini produxit lapidibusque suis sumptibus vacuam, cruce in vmbilico collocata, columnis distinxit, quæ spacii ligna præferunt. LAVRENTIANAMQVE Viam voluit appellari. *Via Laurentiana.*

Columnæ nondum constitutæ, apponentur tamen, quibus hoc epigramma inscribi curaui

q) In vita Grachi. r) Lib. 4. Geog.

VIAM

Eius inscriptio.

VIAM MILITAREM GENVA SALONEM VSQVE AB AVRELIANO P. F. A. CAEPTAM.

GASPAR A LAVRENTIIS S. A. E. ARCHIEP.

HORRIDA HAC TELLVRE MINIME TERRITVS SALONE AD S. MARTINI VICVM STRAVIT COLVMNIS MILLIARIBVS DISTINXIT ET ABSOLVIT.

HENRICO MAGNO ET LVDOV. IVSTO GAL. ET NAV. REG. CHRISTIANISS.

Quinto demum Episcopatus anno, Henricus Rex optimus, non solum magnus, sed rerum gestarum magnitudine ter maximus, Arelatem altera montis parte ad Orientem, in qua moletrina a ventis acta, amplificandam vallis imis, & antemurali siue abato vallandam, murisque circumcingendam suis sumptibus curauit. Hoc nos docet epigraphe, quam doctissimus nobilissimusque Petrus de Mandon, ea ætate Consul, apposuit:

D. O. M.

ET HENRICO QVARTO FRANC. NAVARRÆQVE REG. INVICT. AVCTVS POPVLVS AVCTA RES AVGERI MAENIA POSTVLAT VRGET LOCVS INSTAT ARELAS IVBET REX.

COSS. H. D'EIGVIERES P. DE MANDON I. ROMIEV. C. SAXY.

ANNO MDCVIII. 3. ID. NOVEMB. NOVÆ VRBI HENRICIÆ PRIMAM MANVM FELICITER IMPONENDAM CVRANT.

Verum, quæ Henricus, stabilita firmiter pace in Gallia, extra ipsam tremente ad bellici apparatus famam Europa, designabat; vt & Arelatensis vrbis noua mœnia, mense Maio totius anni gratissimo mortalium generi, in Francos ingratissimo, ipso Henrico a sicario parricida in primariæ regni vrbis vmbilico, & inter regni proceres gladio interfecto, anno sæculi decimo, imperfecta remansere. O fatum! quale in Francos, quale in Arelatenses iniicis telum, tua manu concidit præliorum nostrorum Dauid, Gallicæ pacis Salomon, & alter infaustæ necis Iosias, Princeps vere magnanimus, & qui, si superis visum, aut nunquam viuere, aut nunquam mori debuisset.

Post excessum Henrici magni, regnum hæreditario iure ad Ludouicum peruenit, qui licet nondum pubes ornatum regium nomenque sumpsit; Mariamque Medicæam matrem, Gallorum Augustam, rebus præfecit, donec adolesceret.

Continuo Arelatenses comitiorum vrbanorum suffragiis, Ioannem de Quiqueran de Beauieu consulem primarium, Franciscum d'Anthonele nobilem, Petrum d'Augieres Assessorem (virum sane vrbis suæ amantissimum itemque doctissimum, cuius cohortationibus permotus huic operi manum admoui) & Robertum Martinum Vacherin oratores & legatos decernunt, qui Lutetiam Parisiorum appulsi, Ludouico Regi fidem ciuium, & obsequium obligauere iurisiurandi religione ab omnibus secundum pristinam consuetudinem interposita; ipse Rex illico fœdera & conuentiones vrbis sacramento firmauit, adiecitque codicillis Regiis vectigalium subsidiorum, aliorumque prouinciæ & regni onerum immunitatem.

Ludouicus XIII. diuersi priuilegia iuramento confirmat.

Constitutis politicis rebus, spes de Laurentio præsule concepta ciues minime fefellit: illo enim ad clauum sedente, summopere non in politicis solum, imo etiam in Ecclesiasticis aucta fuit ciuitas. Parthenones enim diuæ Vrsulæ, Sacerdotes congregationis Oratorii, Diui Francisci de Paula sectatores, Arelate domicilia fundarunt. Illo laudante & hortante ad sanctiorem viuendi formam redierunt Clerus, & familiæ Religiosæ, S. Augustini, diui Francisci, sanctissimæ Trinitatis. Illo largiente vetusta templa restaurata sunt, noua ædificata, Sanctorum cineres argenteis capsis, & statuis inclusi: nihil denique illo Præsule intentatum, vt Ecclesia & clerus sanctius institutum, maiestatemque reciperent. 1615.

Eius matrimonium

Interea Ludouicus maior erat, studebatque mutuo cum Hispaniæ Rege matrimonio confœderationem ab Henrico magno parente designatam adimplere, quæ si fieret, diuturnam inter hos Reges pacem fore, sperabant omnes. Præter tamen spem mortalium, Sectarii, qui hæc fœdera in suam perniciem credebant, Galliæ populos turbarunt: at ne bellum ex diuersis studiis oriretur, Ordines regni Lutetiæ Parisiorum indixit Rex, quibus Gabriel de Veradier ex equestri familia municipii de S. Andiol in Prouincia Dynasta, vxore postmodum defuncta Ecclesiæ nostræ Archidiaconus, humanis rebus elapsis proxime annis exemptus, & Petrus Daugieres I. C. Assessor, de quo iam præfati sumus, itidem defunctus, Arelatensium legati interfuere. Ordines laudatis nuptiis discordias sedarunt in annos aliquot.

& iustitia

Verum Ludouicus qui iusti nomen tulit, quod studiosissimus visus sit, vt Iustitia populis ex æquo & bono redderetur, procerum comitia Cæsaroduno seu Turono ad Ligerim celebrauit, in quibus de Regno Regnique rebus actum, procerumque comitia dicta sunt, quod ex singulis Prouinciis aliquot ex proceribus & Toparchiis, eosque virtute præsertim & in rebus agendis prudentia præstantes Rex euocasset. Accommodata ad omnem virtutem, quæ superius audisti, Gaspari nostri officia, tantum apud Regem potuerunt, vt ad illa Iustissimi Regis suffragiis vocatus fuerit, & sanctioris interioriſque Regii consilii dignitate auctus.

Solutis Comitiis Francia visa est nouam imperii maiestatem adiuisse, & sane antiquam poterat sub tanto principe repetere felicitatem, nisi Sectarii, quibus illud studium, vt proscripta regia dignitas popularem admittat statum, res, quæ in anchora videbantur, procellosis perduellium machinationum turbinibus summouissent turbassentque: eo namque progressa est illorum audacia, vt Regem, pacis amantissimum, aperto bello prouocarint. Irrita-

ritatus Rex vastitatem, solitudinem, orbitatem eorum agris, oppidis, prouinciisque; imo suis intulit: ventumque erat ad vltimum rerum, ni clementia & erga suos amore futuris sæculis suspiciendus Rex, pacem demississime exorantibus dedisset, ignouisserque, maiore tamen clementiæ laude, quam victoriæ.

1622. *Aduentus Arelate.* Continuo Lutetiam Parisiorum meditans, omnes Prouinciæ Romanorum vrbes adiit, vt subditorum erga se animos præsens cognosceret. Regio apparatu & pompa 29. Octob. die anni MDCXXII. exceptus est Arelate, imagines, emblemata, statuas delineaueram, quæ omnia, iussu Regio, vt patet ex litteris ad me per D. Bernardum lectorem Regium datis, explicaui, & prælo commisi; at dum in citeriorem Galliam redit Rex optimus, a Petro de Boches Primario Consule, & Ioanne Montfort vrbis Oratoribus sequutus est, libellumque supplicem Regi dederunt, expostularuntque, auro Arelatensium non debere bellum geri, muros que vrbis ab ipsis Regibus construendos ædificandosque, non ex initis solum cum decessoribus Regibus & Comitibus Prouinciæ Phocensis, Arelates Toparchis, fœderibus; imo & Antiquorum Regum exemplo. Theodericus enim Ostrogothicus, qui primus Regiam Gothorum in Italia stabiliuit, Arelatensium mœnia aut bello aut Rodani impetu quassata suis sumptibus refecit, annonamque ex Italia Arelatem deducendam curauit. Interim bello aduersus sectarios ærarium vrbis publicum exhaustum erat, petebantque ciues, vt per Regem liceret vectigalia exterarum mercium, quæ Arelatem deferuntur, annos duodecim in Arelatensium vtilitatem verti, transferrique, vt a pecunia mutuo accepta liberi esse possent, exhaustum ærarium reficeretur, murique ad Rodanum construerentur. Concessit Rex codicillos, vt posteris exemplo esset Arelatensium fides; sciretque omnes, quo esset in Arelatenses animo munificus, & liberalitate nulli secundus Ludouicus.

Priuilegia.

1626. Cæterum cum mandasset Rex, frumentum extra Prouinciæ fines minime transportandum, conquesti sunt Arelatenses antiqua infringi fœdera (quæ conuentiones vocant) peruicerunt que apud Regem, per Carolum de Grille Stablonis Dynastam (municipium est Gregorio Turonensi, priscum hodie nomen retinens, notissimum) Arelatensium Legatum & Oratorem frumentum aliasque ciuium Arelatensium merces quocunque posse transportari, solita vectigalium immunitate, modo non in hostes regni, Regisque.

Forum Marti consecratum. Quod rursum spectat ad Gasparem præsulem nostrum, ille Arelatem semper suam animo voluens, apud Lud. Christianissimum Regem egit, vt forum, quod est ante summam ædem, sumptibus Regiis Marti consecraretur, euerso Diuæ Annæ templo, quod in angulo positum, humile & inornatum reddebat forum. Collocata nihilo minus Ecclesia, restituta que, vbi antea ædes Vulcani fuerant. Memorabile autem est, Plinium secundum Traianum Augustum in pari casu his verbis consuluisse. Dispice ergo Domine, r) an putes ædem, cui nulla lex dicta est, salua religione posse transferri; alioqui commodissimum est, si Religio non impedit. Causam vero agebat Nicomediensium, qui priori foro nouum adiicere cœperant, & impediebantur æde vetustissima Matris magnæ, quæ erat in angulo areæ. Respondit que Traianus, ipsequeLudouicus ex Traiani mente, & verbis: t) *Potes, mi Secunde carissime, sine sollicitudine religionis, si loci positio videtur hoc desiderare, ædem matris Deum transferre in eam, quæ est accommodatior.* Vtrisque sane Gaspar & Ludouicus digniores; quod præsul mille quingentas libras; Rex vero triginta librarum millia contulerint, vt forum non amplius esset transitorium, Vrbana domus ornaretur, & Ecclesia de nouo instauraretur, exurgeretque.

Gaspar denique, descriptis diœceseos vrbibus, in magnifica vrbe Salonia decessorum Nomenclaturam, Iconas, & stemmata Arelate apposuit, fatique non immemor, inter honores, sacellum magnificum quadrata figura in æde diui Trophimi fieri curauit, auro & imaginibus illustre, attributisque redditibus ditauit, dotauitque. Instituit præterea sodalitium Patrum, qui singulis diebus Iouis iuxta canonum decreta in vnum coeunt, vt beneficiis curatis præficiendos instruant, explicentque casuum conscientiæ quæstiones. Cæsar Nostradamus, Patritius Salonius, quem multa, eaque illustria posteris commendant, hoc epigramma inscripsit:

EX DVOBVS OLIM ANGVSTIS ET HVMILIBVS SACELLIS, HOC VNVM SANE HVNC AVGVSTIVS ET AMPLIVS, A FVNDAMINIBVS, INCHOATVM, ERECTVM, PERFECTVM, REGIA CONSPICVVM TABVLA: BRACTEIS EX AVRO PVRISSIMO: SACRIS PICTVRIS, VNDECVNQVE VESTITO PARIETE: LAVRIS ET SYDERIBVS INSIGNITA TESTVDINE: MARMOREO SOLO: VRNA BEATI ROSTAGNI CAPRÆ, ANTISTITIS ARELATENSIS SQVALENTI PENE SITV VNI ÆDICVLARVM EXIGVE IACENTI, SVBTVS; ARAM MELIORE SORTE HONORIFICE DEMVTATA: AVGVSTISSIMO SACRIFICIORVM SACRIFICIO, FESTIS PROFESTISQVE DIEBVS, DIVINIS PERACTIS LAVDIBVS, CELEBRATVRO REGIO CANTICO PRO IVSTO REGE, CONCENTV MVSICO, HVMANIS VOCIBVS, MODVLIS ET ORGANO, ALTERNATIM SIBI RESPONSVRIS: DEIN SANCTISSIMÆ DEIPARÆ, LITANIARVM INTERMINATO PANEGYRICO, A COMPLETORIO PARI MODVLAMINE DECANTATVRO: AD RELIGIOSVM CVLTVM,

r) Plin. lib. 10. Ep. 58.
s) Idem Ep. 59.

MENTIBVS EXCITANDVM; PRO FIDE ET CONSCIENTIARVM REBVS ANXIIS, INDVLGENTIIS IMPETRATIS PONTIFICIIS EIDEM SACELLO CELEBRI DESTINATO COLLEGIO: DEMVM CONTRA COELI, ET SECVLORVM FVTVRAS INIVRIAS PRO TVENDO TECTO ANNVA PENSITATVRA, PVBLICO ET AVTENTICO NEXV, FIRMITER CONSTITVTA, STABILITA, DESTINATA, FVNDATA.

A

A A

G. DIV. PR. A. ARELATENSIS, ET PRINCEPS.

ÆTERNO TER. MAX. NVMINI DIVIQVE TROPHIMI VENERANDO NOMINI NEC NON CÆSARII GLORIOSÆ MEMORIÆ: ATQVE HVIVS SANCTI ET VETVSTISSIMI FANI ORNAMENTO PIE ET HVMILITER CONSECRABAT, VOVEBAT ANNO CIↃIↃXXII. PONTIFICATVS SVI ÆT. LVI. ORATO NVNC ET ADORATO: HINCQVE EXAVDITVS PVRVS, HILARIS, ET SOSPES REGREDITOR, DISCEDITO, VALETOQVE.

B

Quod attinet ad res politicas, quis attrita perduellione anno MDCXXII. quo anno pacem fecerat (O Ludouice Regum Iustissime) quis (inquam) aliquod in Francia tua bellum speraret? Atqui Sectarii, qui rebelles iam animos induerant, vltro suggerentibus se causis, licet non veris, non leuiter concesserunt: illaque tempestas, quam vana religionis imago excitauerat, quæque diluuio, & inflammatione retroactis temporibus vniuersas Galliæ Prouincias corripuerat, Occitaniæ, & Santonum vrbibus insedit. Condæus princeps, per Tectosages, & Aquitaniæ conterminos tui nominis terrorem circumtulit; dum Arecomicos effusos, nec populationibus contentos, Monmorancius coercuit, castigauit, domuit. Tu vero (Inuictissime Rex, alter Neptunus) in Rupellam, fontem & Originem belli, versus es.

Rupella capta.

Rupella Santonum caput; tum viris, tum muris, & propugnaculis, portuque nobilis; tum mirabilis situ: quippe Oceano apposita in omnes terras vela demittit, circumiectis insulis clarissima, Anglorum fœderibus potens, tutissimum erat rebellium præsidium. Qui Regem oderant, ex illa motuum nouorum causas quærentes, non solum vicinos circummittendis legationibus sibi consociabant; verum etiam per Franciam tuam arma circumferebant. Quos vt in officio contineres, in ipsis Oceani

C

D

faucibus* arcem excitasti: sperabas enim, in vltteriore ripa Castellum erigi posse: ita, vt intercluſæ portus fauces & ad saniorem mentem redirent ciues. Adeo immanis operis erat tantæ vrbis obsidio; nec quandiu pateret Oceanus, aliquis erat, qui tantum periculi aggredi auderet. Non Rupellanos ea res fregit, sed incendit: statim ad arma procurrunt, existimantes, neminem celerius opprimi, quam, qui nihil timeret, & si equentissimum t) esse initium calamitatis, securitatem. Insulisque viciniorib⁹ a Toirasio Ludouicæ arcis præfecto nullo ferme certamine occupatis, fœdus cum Anglo, cui maxime cupiebant, percutiunt, & in Franciam, o scelus! euocant, illius interesse, cuius authoritate anno MDCXXII. ad Montem-Pessulum cum Rege pacem fecerint, eundem erga numen cultum esse: non denique fœliciorem illuxisse diem, vt socios, fœderatosque iuuet, triumphos cismarinos auspicetur, & Franciam imaginibus suis inscriptam, consummet.

** Fort Loys.*

A

Anglus, etsi regis sororius, fulmen Rupellano igne conflauit, miraque celeritate in Galliam transmittens, Reacam insulam, qua primum limen Rupellani maris aperitur, ingressus est. Toirasius hosti ferrum obiecit, sibique a circumfusis rostris timens, in municipium S. Martini, seruato agminis ordine, se recepit, quem nihil cunctatus Anglus obsidione vallat, & quasi lorica circumcingit, vt si fortem virum non posit viribus, fame premat.

Dum nuntius ille in aula fuit, decumbebas in lecto graui morbo implicitus, & valetudine quoquo modo restituta Franciæ tuæ maluisti, quam tibi. Dux Engolismensis, fortissimorum virorum exercitu subnixus, Castellum struebat ad Ostia portus Rupellani, vbi se continens in angustum cogit. Adfuisti, Imperator, tuaque maiestas nouos animos, nouosque spiritus tum militi, tum operum curatoribus indidit.

B

*** Fort des Coreille.*

Deficiebat annona obsessis S. Martini: conquisitæ toto littore naues, vt inferretur: ardua res: Anglus enim circumfusas longe, lateque naues funibus, catenis ferreis, & trabium, tabularumque contignatione colligauerat, ne nostris pateret in Insulam aditus. Prima vigilia miles, & commeatus classi impositus, tentata

C

mari refluo catena, certamen mouit, non tam cladis atrocitate, quam Oceani fluentis, & tenebrarum horrore terribile, ferrum flammæ, Oceanus militi obiiciebatur: socius inter tenebras cadens, socium terrebat; & continua tormentorum displosio naufragia latius trahebat. Quinam u) ille horror, cum eodem tempore fluctus, procellæ, viri, naues, armamenta confligerent? Oborta inter pugnandum, quasi ad constitutum procella, nostris salus extitit; naues enim ventis iactatæ, sua mole soluebantur. Machinæ, ferrum, aliaque instrumenta bellica omnino soluerunt. Continuo aditus in Insulam patuit, classis exonerata, & commeatus in arcem importatus.

D

Hæc victoria subsequuturæ fuit argumentum: vt Anglus tota insula exigeretur. Schombergio Franciæ Mareschallo data militum manus; ne autem appulsu littorum prohiberetur, ala militum transmissa, quæ ferro viam faceret. Nostros moueri senserant Angli, ne ergo a tergo instarent, & erumperent obsessi, extrema oppugnationis, conatu tamen irrito, ten-

t) Velleius Paterculus Epit. Hist. Rom. lib. 2.

u) Lucii Annæi Flori rerum Romanor. lib. 4.

tare

tare placuit; obsessi enim erumpentes, illos in vallo gladiis cecidere.

Schombergius tumido maris æstu reflante, Insulam ingressus (adhibito Toirasio locorum perito) castra metatur; quod cum Anglos non lateret, castra mouent, soluuntque obsidionem. In Insulam Reacæ adiacentem nauali ponte transmissuri erant; nec id sine nostrorum errore fieri poterat. * Vicus est tumulo inditus; in illius compendio, quasi retendissent, signa explicant, dum exercitus euaderet. Nostri existimantes illos tenebris A vitam tegere, Alarios præmittunt, vt in illos procurrant; quærendi fuere, vt vincerentur: reperti obstitere; leui primum certamine, procursationeque certatum; ferociori demum impetu, incitante Toirasio perculsi (vt vestigia necis fratrum, quos belli impetus sustulerat, sanguinis Anglici inundatione deleret) cecidere ea clade, vt domum deportatus minime fuerit exercitus, nisi media fere militum parte desiderata, laceratoque classe vi & tempestate ventorum, vt eos etiam castigarit Oceanus: quasi cœlum, & mare tibi militarint. Magnum x) est (Regum optime) magnum inquam, stare in Oceani ripa, si transeas, certum triumphi.

* La Courde.

Audiat igitur Anglus, qui te nulla rupti fœderis præuia denuntiatione prouocauit, & quæ alias in Traiani hostes Plinius detonuit, quasi excussum in se fulmen perhorresçat. *Quod* y) *si quis* (inquit) *barbarus Rex, eo insolentiæ, furorisque processerit, vt iram tuam, indignationemque mereatur: nec ille, siue interfuso mari; seu fluminibus immensis; seu præcipiti monte defenditur, omnia hæc tam prona, tamque cedentia virtutibus tuis sentiet, vt subsediſſe montes, flumina exaruisse, interceptum mare, illataſque sibi non esse classes nostras, sed terras ipsas arbitretur.*

Vt vero Anglorum clades, reique male gestæ nuntius Rupellam peruenit, oppidanos tuus ille Regius terror afflauit; quod tamen pateret Oceanus, tuumque sanctissimum florentissimumque nomen pessime odissent, Anglos iterum in Galliam transmissuros, animo non desponderunt.

Vnum supererat, Rupellæ videlicet obsidio, quæ justa esse non credebatur, quam diu externis auxiliis ingressus, egressusve pateret: terra igitur, & Oceano arcere debebas, vt D quasi indagine intercluſos, a rebellandi sententia submoueres. Præstitisti hæc omnia egregie: Vrbem enim circumuallare instituens, quatuordecim circiter millia passuum, circa vrbem complexus, totidem castella fecisti, dispositis interdiu stationibus, ne qua irruptio fieret; e quorum lateribus fossas deduxisti (lineas vocant auxiliares) vt junctis viribus, si quando res exigeret, in hostes insurgeres, vrbisque e continente justa esset obsidio.

Obstabat mare; sed cum æstibus solitis, subductus intercederet, operum curatores, lapidibus, & calce importatis, ex firma materia compositum aggerem fabricarunt: mirum sane cohiberi Oceanum potuisse; ita sane, si ad hanc prouinciam peragendam sanctitatem tuam, nominisque tui fulgentem, immortalemque gloriam maxime profeciſſe, non demiretur. Iecisti tamen, & stupendo mortalibus opere in æquam æstuum insolitorum altitudinem, in spem (vt ita loquar) contra spem construxisti. Nec, licet Oceanus profundiores fossas obiecerit, regius tuus animus cesſit necessitati: si enim altius uadum recedente æstu sese offerebat, naues latissimas lapidum coaceruatione graues supprimebas: vt, fabricatis in perfectum obstructionibus, agger ille tandem exurgeret, alia insuper munitionum genera instituisti. Naues ordinatim colligatas. Machinam e robustioribus tignis commissis inter se, & insertis, turritam, quæ vrgentibus vndis moueri promouerique poterat. Triremem speculatoriam, classiariis circumquaque nauibus, ad sustinendas eruptiones dispositis. Vrbem denique terror circumstabat: machinarum enim appulsu tremebant oppidani; tormentorum dissplosione cadebat miles; aggeres, vallum, fossæ, Castella vtrosque macerabant; fames, extremum malorum, vrgebat. Nec tamen (quis credat?) in fidem sanctissimi Regis redierunt; imo fides in rabiem versa, & cum morsus maxime mortiferi esse solent morientium bestiarum; sic plus negotii fuit cum intercluſa Rupella, quam libera, integraque: hoc scilicet fato, vt quam concusserat auus, z) nepos eius euerteret.

B

O rem nusquam mortalibus visam! Illi incompositam plebem, ne te audirent, opponebant; tu maiestatem, illi iram, furoremque, ne vincerentur, circumstrepebant; tu clementiam, illi patriam mallebant hostium, quam tuis manibus euerti; tu integram, florentemque pollicebaris. Macte igitur fulgentissime, itemque Augustissime Princeps. *Veniet* aa) *enim tempus, quo posteri visere, visendum tradere minoribus gestient, quis sudores tuos hauserit, campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ somnum saxa prætexerint* (non enim adhuc obliuio interceſsit, te in Insula Ollonia decubuisse arenoso strato; quod solum fabulo abundans, Regali nihilominus pondere gestiens, micante syderibus cœlo, offerebat) *quod denique tectum magnus hospes impleueris: ea est enim animi tui magnitudo, vt militis manus, Imperator minime dedigneris.*

C

At satis curarum impenderas, vt frumenti inuehendi spe excluſa Rupellanos ad deditionem compelleres: maior belli moles aduersus Anglum incumbebat, qui commeatum in vrbem inferendum vi & ferro decreuerat: ferrum ferro, machinas, machinis, & classi classem obiecisti. Ne vero aliqua hostibus intromittendi commeatum spes illuceſceret, qua parte Oceanus altior aggerem intercipit, naues iniecta materia, vt iam attigimus de-

x) Plinius in paneg. Traiani.
y) Ibidem.
z) Louys huictieſme Roy de France appellé le Lyon.
aa) Plin. in paneg. Traia.

preſſeras, quibus porta Oceani penitus intercluderetur. His munitionibus ſtipites eximiæ craſſitudinis, tranſfuerſis deſuper trabibus, demiſiſti, qui vacuum complerent: ante hos ordine implicito erant pali defixi vndequaque cuſpidati: hemicyclus e colligatis ſimul nauibus munitiones exteras claudebat, aderatque hoſtibus excipiendis circumiecta vndique claſis. Nihil non erat ad terrorem, naues milite graues, machinæ tormentis, igneque miſſili terrificæ, caſtella commeatu, vallo, foſſa, aggeribus horrenda: ad hæc in ripa exercitus ſub ſignis ſtabat, ſimul ad terrorem, ne quid Rupellani impune mouerent. Nihil (inquam) erat, quod tuis lætitiam, hoſtibus terrorem non iniiceret, tuis victoriam, hoſtibus cladem non denuntiaret, tuis denique triumphum, hoſtibus vero captiuitatem, manuſque religatas non prædiceret.

Vrgentibus tamen fatis, compoſitiore quam antea claſſe, vt ſuperioris cladis ignominiam eluerent, ſubſidiumque confœderatis Anglus ferret, in Franciam traiecit. Opportune admodum Rupellanis, qui iam extrema deditionis agitabant, modo viribus, ferro, aut flamma ſibi viam perruptis clauſtris aggeribuſque aperuiſſet. Sed vbi primum littora noſtra tenuit, acta tormentorum diſploſione, igneque miſſili flante vento noſtros adortus, lacerata claſſe, naueque præcipua (quam fulminantem vocant) tormentis depreſſa, ſubmerſaque, ſæue perculſus eſt: nec illum a tuæ maieſtatis conſpectu ſubmouiſſe ſatis, traducto etiam in nauibus milite, Francus inſequebatur, niſi a prælio continuiſſes, cohibuiſſeſque.

Rupellani, cum Anglus tantum oſtendiſſet præſidii ſpem, nec potuiſſet per munitiones Regias vim facere, perruptionemque tentare, dedere ſe volebant, ſi quæ ipſi petebant, imperarentur: ſed cum veram velles (inuictiſſime Rex) & ſine exceptione victoriam, eo neceſſitatum, citra tamen mortalium fidem, compulſi ſunt, vt poſt vndecimum circiter obſeſſæ vrbis menſem deditionem fecerint, quibus volueris, legibus. Erumpe igitur Francia, in concionem Pyrri: bb) *O quam facile erit Orbis imperium occupare; aut Regi Ludouico, Francis militibus: aut Ludouico Rege, Francis.*

1628. *Nouemb.* 24.

Interea dum Anglus noſtrorum opprimendorum occaſioni immineret, in anchoris erat, ſi quam aut fortuna, aut negligentia præberet, quod minime nactus, re, cuius cauſa venerat (quod præcipuum eſt) infecta, fœdus dicitur, ſi tibi viſum fuerit, percuſſurus. Cætera explicent, qui geſtorum tuorum annales poſteris tradent, id ſatis mihi, qui indicem rerum politicarum vrbis tuæ Arelatenſis inſtitui.

Inſigne: *Du Laurens porte d'or à un Laurier de Synople au chef d'azur charge de trois eſtoiles d'or.* Vid. TAB. II. Fig. 27.

VOTO IGITVR VOLVMEN FINIENDVM EST.

Votum. Vtinam (O Ludouice, Chriſtiani orbis deliciæ & vnicum Catholicæ Eccleſiæ fulcimentum) hic rebellandi finis, certaminum tuorum meta, æternaque Francis pax ſit, felicitas: hoc vt optem, tuæ virtutes faciunt, tua Maieſtas præſtat, tuorumque geſtorum magnitudo, gloria, ſanctitaſque exigunt: difficillimis præſertim temporibus, quibus perduellium reliquiæ bello tuam Franciam vrunt, populoſque tuos demetit Lues & populatur, & Francus in omne ſcelus fluit. OBTRITO perduellionis capite ſæculum aureum inuehes, & in Franciam, Amplisſimi Illuſtriſſimique Cardinalis Richelii præſertim induſtria (cuius conſilio omnia priuatim ac publice geris, dignus certe ſuo Auguſto Mecænas) reuocabis, quippe qui miſeros populares, plebemque tributis & vectigalibus grauem, quibus agrorum cultus diu intermiſſus, leuandam ſuſcepiſti. Quis ergo in ſacrum ærarium ſua non referet? cum optimum clementiſſimumque principem nobis Deus dederit vnde LIBERTAS. Nobiles blanditiis, beneficiis, amore proſequeris: quis illorum tibi non aſſidebit? quis cura vigili fidaque latus tuum non teget, cum munificum, nullique mortalium liberalitate ſecundum Regem inuenerint? vnde DIGNITAS. Iuſtitiam toto animo colis, quis Præfectorum juris cuique Ius ſuum non reddet? cum tam Iuſtum Principem, qui etiam IVSTI nomen adamauit, nacti fuerint, vnde MAIESTAS. Eccleſiam foues, amas, & reuereris, cuius dignitati reſtituendæ omnem Franciam, Poſt cc) actas ſub pellibus hyemes, æſtates inter bella ſudatas, dies, noctesque præliando, aut vigilando conſumptas, grauiſſimas pugnas, terra, marique pugnatas, triumphans peragraſti. Quis ergo Epiſcoporum, quis Sacerdotum, ſacra jura tua eſſe; imo laborum tuorum munus, & præmium, lætus, hilariſque non prædicabit cum tam innocuo, beato, ſanctoque Rege perfruantur, vnde FELICITAS. Felix igitur Francia, ſi tam bono, munifico, iuſto, beatoque Rege populus LIBERTATEM, ingenui DIGNITATEM, Senatores MAIESTATEM, Clerus FELICITATEM conſequantur. Nullum eſt enim magno Principe, immortalitatemque merituro impendii genus, quam quod erogatur in poſteros. Hæc vero felicitas tua non eſt; imo tuorum: nec tuos; imo poſteros, futurique ſæculi nepotes reſpicit, & intuetur.

Ianum igitur merito claude: nullus enim tibi a tuis, nullus ab exteris metus. Quis enim populus, quæ gens in te, tuoſque inſurget? Manifeſtam victoriam non nata in Prætoria Læuini dd) puppe Laurus: ſed Diuina illa vox, qua Dominus ee) maieſtatis intonuit. Vox virtutis, & magnificentiæ. Vox con-

bb) Lucii Annæi rerum Roman. lib. I.
cc) Paceatus paneg. Theod. ſen.
dd) Lib. 2. Annæi Flori rerum Romanar.
ee) Pſalm. XXVIII.

frin-

fringentis cedros. Vox intercidentis flammam ignis. Vox concutientis desertum: illa (inquam) Vox manifestam tibi victoriam pollicetur.

Attritis igitur penitus rebellibus, hostium manibus post terga deuinctis, exteris tremen-
A tibus, & Europa ad tam insignes victorias obstupescente, Te iterum Gaspardus Præsulum sui sæculi religiosissimus, Delphino auctum (quod votum est Francorum) Francia tua pacis artibus, & integra maiorum fide reflorescente, triumphantem excipiet Arelate.

Nobiliviro & Illustri,

IACOBO ALBE DE ROQVEMARTINE DIGNISSIMO,

Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ Canonico & Præposito.

PRima post Pontificalem dignitas ea est, qua tu in Ecclesia nostra, duos ex maioribus tuis & fratrem sequutus, digne, riteque perfungeris. Antiquissimus est illius vsus, annosque octingentos superat: absoluta igitur Præsulum Arelatensium serie, non illos inglorios abscedere debere existimaui; præsertim cum in Ecclesiæ nostræ dignitate tuenda, non parum adlaborarint. Alia etiam fuit ratio, Pastoralis dignitas, ab illis toties susceptæ: cur ergo illorum nomenclaturam, inter scribendum notatam reticuissem? Illam vero editurus, cuius nomini consecrare debueram? non alteri sane, etsi voluissem, debuissem. Vt enim ad fontem riui, ad mare flumina & radii ad solem redeunt: ita etiam hic qualiscumque labor tuus est, multisque nominibus, tibi debebatur; non solum quod eandem sustineas dignitatem; sed etiam ob singularem in me beneuolentiam amicitiamque, qua te mihi deuinctum sentio & profiteor: ne ergo ingratus sim, hunc indicem nomini tuo dicatum eo.

B C

P. SAXIVS.

NOMINA PRÆPOSITORVM S. ARELATENSIS ECCLESIÆ.

ERIBALDVS CERNVVS.
Alephanto Archiepiscopo anno Christi 796. Præpositi dignitate perfunctus est.

LEVENTVS.
Sub Rollando, qui Martyr inter Saracenos occubuit anno Christi 869.

NIVALDVS.
Rostagno ad clauum sedente vixit anno Christi 870.

GONTARDVS.
Manasseo Præsule Præpositus vixit anno Christi 915.

AYRARDVS.
Yterio adhæsit anno 969.

VMBERTVS.
Annonis vitæ æmulus fuit anno Christi 980.

PETRVS.
Sub Vdone, si tamen nobis Vdo præfuit, primam Ecclesiæ nostræ dignitatem substituit anno Christi 997.

RAIAMBALDVS.
Amalrico & Pontio sedentibus, Archiepiscopus tandem euasit anno 1034.

GVILELMVS BOSO.
Ex Regia Bosonum gente, præposituræ dignitatem obtinuit, occubuitque Aycardo Præsule lituum sacrum gestante, visiturque eius tumulus in æde Capitulari hoc Epigrammate inscriptus: 3. Id Sept. obiit Willelmus Boso Sacerdos Canonicus regularis & Præpositus S. Trophimi anno Domini 1181.

RAIAMBALDVS.
Aut superioris nepos, aut certe ex eadem gente, sub eodem Aycardo præpositus actis subscripsit 1182.

PETRVS FERREOLVS.
Vidit Ymbertum de Aqueria, sacris Ecclesiæ nostræ thesauris Præfectum, Archiepiscopatus dignitate auctum anno 1190.

GAVFRIDVS DE BERRA.
Eodem Ymberto viuente Ferreoli dignitate potitus est.

STEPHANVS.
Religiosorum ordines Sanctissimæ Trinitatis Sancti Dominici & Sancti Francisci Arelate vidit, Michaele de Moresio authore, 1210.

RAIMVNDVS FVLCO.
Hugonis Boardi ætate vixit anno 1221.

W. BEROALDVS.
Cartis publicis subscripsisse legitur Boardo nondum defuncto 1225.

BERTRANDVS.
Bella ciuilia Arelate sub Potestatum dignitate exorta Bauciano Præsule execratus, Archiepiscopatum adiuit, ætate, qua Carolus Andium Dux Arelatem, pactis vtrinque fœderibus, suam fecit anno 1252.

BERTRANDVS MALEFERRATVS.
Ex præposito & ciue Arelatensi anno 1270. sacrum lituum administrauit.

RAIMVNDVS DE BARIOL.
Præpositus extitit, Bernardo de Languissello Præsule, anno 1280.

BERTRANDVS RICARDVS.
Nominatur in gestis publicis, Bertrando cognomine Amalrico Arelatensium Archiepiscopo, 1285.

BERTRANDVS DE BARIOL.
Beato Rostagno Capra sanctissimo Præsule Protocanonicus Sacroque sodalitio præpositus vixit 1300.

ALAIRACVS.
Gaillardo præsule anno 1313.

RAIMVNDVS DE MORERIIS.
Alairaco mortuo in eius locum Raimundus de Moreriis suffectus est 1325. Gasberto Vallensi Archiepiscopo.

BERNARDVS DE CORDONA.
Sacris Capituli suffragiis Præpositus dictus est Bauziano Præsule anno 1349.
SALVATOR OLIVARIVS.
Præposituræ dignitatem iniit eo anno, quo Guillelmus de Gardia Archipræsulatum 1360.
RAIMBALDVS DE MONTE-ORSORIO.
Vno anno superstes.
GAILLARDVS DE BIDATO.
Carolum quartum Imperatorem Arelate excepit, eiusque coronationi in Arelatensium Regem interfuit 1366.
STEPHANVS DE LANGLADA.
Luctuosissimam vidit ætatem Benedicto de Luna Antipapa fructus & prouentus Ecclesiæ Arelatensis suos faciente 1403.
IACOBVS DE PENIS.
In plures annos præpositus, Arelatensem Ecclesiam hæredem instituit, obiitque circa annum 1440.
GVILLELMVS DE PERERIIS.
Ludouico Alemando Præsule 1445.
IOANNES ALBALETVS.
Eodem Præsule 1447.
IOANNES NICOLAVS.
Alemandum vidit miraculis clarum 1450.
IVLIANVS CALVETVS.
Ecclesia Arelatensis iterum facta est sæcularis, Cybo curante 1497.
ANTONIVS AVBE.
1543.
ANDREAS AVBE.
Prospero & Syluio de Sancta Cruce Præsulibus.
BARTHOLOMEVS DE PORTA.
ALEXANDER AVBE.
IACOBVS AVBE.

DIPLOMATA ABBATIAM CHOMBVRGENSEM, PROPE HALAM SVEVORVM SITAM, CONCERNENTIA,

AB A. MXC. QVO FVNDATA EST, AD A. MCCCCLXXX.

IVSTO ORDINE DISPOSITA

EX AVTOGRAPHIS PLVSQVAM CCC SELECTA, ACCVRATE DESCRIPTA, ITERVMQVE SINGVLARI STVDIO COLLATA.

E BIBL. ZOLLMANNIANA.

PRAEMISSVS EST

CATALOGVS ABBATVM CHOMBVRGENSIVM EX DIPLOMATIBVS EMENDATVS, AVCTVS ET SVPPLETVS

CATALOGVS ABBATVM CHOMBVRGENSIVM,

(quem Mart. Crusius in Annal. Svev. L. VIII. P. II. c. 3. p. 246. seqq. profert)

Ex diplomatibus genuinis emendatus, auctus & suppletus.

I. HEMMO. Dicitur ex Monachis Lorchensibus fuisse, qui & *Lorchæ* mortuus ac sepultus sit, cum post aliquot annos ibi suos Conuentuales inuiseret. Lorchense autem Monasterium modo 1102. Domini conditum est. Serius ergo *Hemmonem Chomburgum* accepit. a)

a) Admodum fluctuat *Crusius*, & vix fidem faciet Lectori. Absolutum est Chomburgense monasterium anno 1089. vel 1090. Quis ergo credat, illud per annos decem & amplius sine rectore fuisse, aut cœnobium Laureacense, quod ipsum Abbate ex alieno, monasterio opus habebat, primo statim anno fundationis suæ Abbatem Chomburgensibus misisse? Pro primo Abbate probabilius censuerim, GVNTHERVM, qui in nostris diplomatibus occurrit an. 1096.

II. ADELRAMVS al. ADELBERTVS.

III. HERDWIGVS, b) qui pro tertio fundatore (post *Burcardum* & *Wignandum*) habetur, ut qui plurimos fratres & sorores in vtroque *Chomburgo* congregauerit, eisque optimo exemplo præiuerit. Monasterium & hortum circum id muro inclusit, magnum candelabrum cupreum inauratum figura coronæ Fundatorum sarcophago (in quo & ipse humatus) de catena ferrea impendens fecit, &c.

b) Occurrit in diplomatibus an. 1101. 1108.

IV. ALBERTVS (al. c) GVNTHÆRVS) qui fanum S. Oswaldi & Xenodochium *Chomburgi* condidit. d)

c) Hic forte *Gunthevus* est; quem nos primo loco posuimus.

d) Legitur in nostris diplom. anno 1145. & ap. Crus. L. X. P. II. c. 14. p. 427.

V. GERNOTVS (al. GERNANDVS) qui post triennium laudabilis gubernationis suæ *Fuldam* postulatus est Abbas. Vixit circiter 1156. dd) Christi, & obiit priusquam *Romæ* a Pontifice confirmaretur. Ideo non recensetur inter Fuldenses Abbates.

dd) Vid. Crus. c. l. p. 427. sq. Tunc *Burcardus* Prior fuit.

VI. ENGELHARTVS *Leo*. Hic ex Conuentuali Chomburgensi lectus fuit. Obiit

11. Kal.

11. Kal. Ianuar. & *Halæ* sepultus est in San-Jacobæo.

VII. WERNHERVS ὀλιγόβιος. Circa hoc tempus ossa Fundatorum, Comitum *Burcardi* & *Henrici* fratrum, *Wignandi* de *Castel* & Abbatis *Hertwigi*, exhumata fuerunt, & in lapideo sepulchro Chomburgica in Basilica reposita sunt sub corona illa inaurata.

VIII. RVDIGERVS (al. BERINGERVS) ex familia *Sulmaisterorum* Halensi.

IX. VOLCKARDVS (al. VOLCKERVS) qui obiit in visitatione Præposituræ in *Nusbaum*, vbi & terræ mandatus est. *Nusbaumum* autem monasteriolum & fanum est, conditum ex arce *Nusbaumo* ad *Griesam* fluvii *Jagsti* sita, a duobus Equitibus, *Marquardis* nomine, patre & filio, circa Domini an. 1136. Qui tradiderunt id Chomburgensibus, omnibus cum reditibus, ea conditione, vt semper duo Chomburgenses fratres Monasticam disciplinam ibi plantarent, &c. A

X. WALTHERVS. Obiit 3. Kal. Januar. & *Murrharti* sepultus est. B

XI. CONRADVS *Prensius*, qui senectute pressus, Abbatiæ renunciauit.

XII. CONRADVS *Entzsewius* vel de *Entenschebe*. Concessit hic *Halæ* cœnobium S. Jacobi Franciscanis an. 1237. Sub hoc Abbate statutum factum est de nullo in Conuentum Chomburgicum recipiendo, nisi utroque Parente nobilis esset. Antea namque etiam ignobiles recepti fuerant. Hinc accidit, ut iidem Nobiles in Choro monachi esse vellent, in campo equites, loricas sub cucullis induti, ceu quædam ἀμφίβια ζῶα. Vnde Cœnobio multæ offensiones & detrimenta oborta. Sequuntur igitur nunc Abbates nobili genere nati. C

XIII. EBERHARDVS *Philippus Eltersbouius*. Obiit 8. Kal. Februar.

XIV. EMBRICVS *Bebenburgius*. e)

e) Non ausim de his decem Abbatibus fidem dare, omnesque pro veris defendere.

XV. HENRICVS f) *Schefflaius*. Obiit an. 1241. g)

f) Siue de *Strheffavv*.

g) In nostris diplomatibus occurrit HENRICVS 1251.* 1256. 267.

* An. 1251. d. 8. Cal. Oct. memorantur: *Eberhardus* Camerarius, *VValtherus* Hospitalarius, *Seyfridus* de *Strheffavve*, *Gottfridus* Magister Operis, Monachi in *Camberg*. D

XVI. BERCHTOLDVS de *Hohenstain*. Obiit 17. Kal. Januar.

XVII. SIFRIDVS *Morstainius*. Obiit 9. Apr. Literas hic sigillo confirmauit nomine Monasterii h) an. 1304.

h) Hoc vero est falsissimum. In Diplom. nostris SIFRIDVS occurrit an. 1268. Porro hic inserendus est.

XVIII. SIMON, quem ignorat *Crusius*. Nobis occurrit an. 1273.

XIX. HENRICVS *Hesenthalius*. Obiit 17. Kal. Decemb.

XX. BERINGER *Sulmaister*. i) *Murrharti* in peristylio sepultus.

i) Occurrit in diplomatibus 1307. 1311. 1314.

XXI. CONRADVS *Hobusius*,* al. de *Ebusa*.

* De hac familia Cruf. P. III. Annal. p. 95.

XXII. WOLFRANVS *Bilrietius*, al. de *Willried*. Cum hoc dimidium Castelli *Bilrietæ* & omnes reditus ad *Chomburgum* venerunt. His k) temporibus quatuor Parochiæ (*Tungenthalia*, *Gebsattelia*, *Steinbachia* & *Koenrzelsaia*) cœnobio Chomburgensi incorporatæ sunt. Cui rei ut assentiretur *Wirceburgum*, ei *Chomburgum* quatuor Parochias (*Reinwolsbergiam*, *Michelfældiam*, *Steinkirchiam* & *Kreglingiam*) cum earum decimis dedit.

k) Fallitur *Crusius*: Profecto Ecclesias in *Gebsettel* & *Tungenthal* Johannes Ep. Herbip. iam tum an. 1256. & Ecclesiam in *Steinbach* cum eius filia in *Hallis* & Ecclesiam *Cuntzelsau* Berchtoldus Ep. an. 1287. monasterio Chomburgensi donarunt. Vide diplomata an. 1256. & 1316. Ibi Episcopi ad subleuandam Monasterii inopiam, & ad cultus diuini emolumentum, item ut anniuersarius eorum celebretur, concessisse & *indulgendo donasse* has Parochias dicuntur. Quid ergo erat opus, assensum Episcoporum. Wirceburg tanto impendio impetrare?

XXIII. CONRADVS ex *Munckhaimia* (vt putatur) familia. Hic 1324. anno, 4. Idus Martii, dum Monasterii commoda augere cupit, grauiter ab Halensibus vulneratus est & captus, l) sed per Moguntinum Archinustam *Matthiam Buccheckium Burgundiæ* Comitem liberatus, *Halæque* satisfactionis consecutio facta est. Habuit etiam Lympurgenses & Hohenlohenses Dominos aduersarios, propter arcem *Nagelsbergam*, quæ prope *Kuntzelsaiam* sita est. Cessit ea, mortuo ultimo *Nagelsbergio* (familia *Leschenі* fuere dicti) Chomburgensibus ratione feudi. Defendit vero *Coradum* Treuirensis Archiep. *Balduinus* Comes Lutzelburgensis, *Henrici* VII. Cæs. frater, tunc Moguntinæ sedis Procurator. Præfuit hic Abbas 41. m) annos.

l) Vid. diploma de an. 1326.

m) Ita bene. Occurrit enim in diplomatibus an. 1319*. 1323.** 1326. 1331.*** 1343.**** 1349. 135. 1356. Successit ei *Henricus* anno 1360.

* An. 1319. Prior & totum Capitulum constituerunt egredi monasterio per biennium, quo melius illud ære alieno liberaretur.

** An. 1323. memorantur *Rudigerus* Prior, *Ruckerus* Custos, *Conradus* Camerarius, *Syfridus* Cantor, *Henricus* Sacerdos, *Iohannes* Cellarius, *Rudigerus Braggenvvang*, *Volknandus* de *Rote*, *Beringnerus* de *Hohemberg*, *VValkung Sefridus* de *Bockenfelt*, *VValther* dictus *Syeder*, Monachi de *Camberg*.

*** An. 1331. Missa decernitur *Symoni* de *Hohenstein*, habenda a *Friderico Symonis* filio, Mitbrüder zu Camberg. Cuius fratres ibi allegantur: *Rudegerus*, *Conradus* & *Henricus de Hohenstein*.

**** An. 1343. *Fridericus* de *Hohenstein* Cantor fuit.

RVDOLFVS m) *Gundelshouius*.

m) Hic expungendus & post *Henricum Sieder*, qui mox sequitur, collocandus est.

XXIV. HENRICVS *Sieder*, Monachus Chomburgensis, qui extrusit n) anteçessorem *Rudol-*

Rudolfum, pacis causa cedentem. Post decem o) annos mortuus.

n) *Henricus* non habuit alium antecessorem, quam *Conradum*. Occurrit in diplomatibus an. 1361. 1363. 1365.*

* Anno 1365. *Fridericus* de *Brackenlor*, *Ludovicus Durre*, *Ernfridus* de *Velberg*, *Hermannus* de *Heymberg*, *Philippus Egenonis*, *Heinricus Sfez*, *Wilhelmus* de *Goltbach*, *Rudolfus* de *Munckein* Iunior, Conuentuales & Monachi Camburg. memorantur.

o) Mortuus est initio anni 1370. Sequebatur

XXV. RVDOLFVS p), quem *Gundelshouium* vocat & alieno loco ponit *Cruſius*.

p) Consecratus est an. 1370. d. 10. Febr. vid. diplom. Occurrit 1370. 1375. 1376. Fuit vir probus, qui multa passus a vicinis est, teste *Cruſio*.

XXVI. ERCHINGER q) *Feldnerus*, qui obiit 1399. r) Sepultus in Chomburgico sacello S. Ioannis. Anno autem 1549. die omnium SS. quando nobilis vir *Ioannes Spieſſius* (familiæ suæ ultimus) in eodem sacello sepeliebatur, visus est hic Abbas *Erchinger* in ligneo loculo, in terra, serica veste indutus, nondum corruptus.

q) In diplomatibus non semel dicitur *Erckingerus* de *Stetten*. Et an. 1389. *Petrus* de *Stetten* frater eius memoratur. Sed *Feldneri* eadem cum *Stetteuis* familia finisse creduntur, quia eadem etiam gesserunt insignia. Vid. Cruſ. P. III. L. II. p. 91.

r) Occurrit in diplomatibus an. 1380. 1381. 1383. 1389. 1394. 1399.** 1401. Ergo falsum est, eum anno 1399. iam defunctum.

** Anno 1399. *Rudigerus* de *Hohenſtein* & *Eliſabetha* de *Enſilingen* uxor eius memorant *Iohannem* de *Hohenſtein* Conuentualem Camburg. Præpositum in *Gebſettel*, fratrem & affinem suum. Vixit adhuc anno 1410.

XXVII. ERNFRIDVS *Velbergius*, qui decessit 1421. die S. Timothei. s) Eo præsidente *Hohenſteinii* Domini ædificarunt fratris sui gratia, *Chomburgi* monasticam vitam degentis, sacellum ibi S. Michaelis, cum duabus lapideis turribus perspicuis supra portam interiorem.

s) Occurrit 1402. 1406. 1410. 1413. 1416.* 1419.** 1420.

* Anno 1416. in literis *Conradi Schmidii* Commendatoris & Fratrum Teutonicorum in *Rotenburg Ebrnfridus* Abbas dicitur: Der Ehrwürdig geistlich Fürst in GOtt und Herr Ernfride.

** An. 1419. *Volckardus* & *Iacobus* de *Velberg* dicuntur eius agnati (Vettern).

XXVIII. GOTTFRIDVS *Kochenſtettius* (al. *Sifridus* de *Stetten*) cuius tempore Bemburgius quidam Chomburgensibus erat hostis, & ciuitates contra Zollerensem arcem. Cum itaque vastarentur res *Chomburgo* subditorum; Abbas necessario armatus cum equitibus exibat, armis & hasta prosuis propugnabat. Obiit 1431. t)

t) Falso. Decessit An. 1448. die 4. Oct. vid. diploma. Occurrit 1421. 1425. 1430. 1434. 1439. 1443. 1445.

XXIX. ERNFRIDVS *Velbergius* II. Hic anno 1468. pridie S. Bartholomæi, permissu *Rudolfi* Scherenbergii (qui postremus fuit huius nobilis generis) Episcopi Herbip. aperuit lapideum sarcophagum, ossa Fudatorum *Chomburgi* continentem, in tribus transverse divisis thecis, in totidemque coriaceis saccis, singulis seorsim jacentibus, cum quatuor plumbeis tabulis.

In prima tabula primæ thecæ vel intervalli scriptum erat: Secundo die Septemb. obiit Comes *Burchardus*, fundator huius loci.

In secunda: XVIII. Feb. obiit Comes *Heinricus*, frater D. *Burchardi*, fundatoris huius loci.

In tertia tabula secundæ thecæ seu spatii: Die XII. M. Nouemb. obiit Monachus *Wigandus*.

In quarta tabula secundæ thecæ: Die XXI. obiit piæ memoriæ *Herdwigus* 3. Abbas huius loci.

Hæc omnia suis rursum locis reposita sunt, & addita plumbea tabula, quo anno & die, quo Abbate & testibus, apertum fuerit sepulcrum, atque cuncta denuo conclusa sunt. Ædificauit hic Abbas sacellum super ossuariam *Chomburgi*. Ibi in lapideo sarcophago jacet, anno 1476. u) die S. Paschatis mortuus.

u) Imo vero 1473. Insuper occurrit 1448. 1452. 1456. 1461. 1466. 1468. 1470.

XXX. ANDREAS *Trieſshuſius*, x) huius stirpis ultimus, Monachus probus & simplex, qui, prædone quodam cœnobium infestante, se abdicauit munere suo. Obiit 1484. y) *Chomburgi* in Templo sepultus.

x) Germanice: *Tryffirheuſer*. In fragmento instrumenti electionis de an. 1473. d. 22. April. *progenie militari* natus dicitur. Elegerunt cum *Iohannes Diener* Prior, *Iohannes* de *Rinderbach*, Præpositus in Monte S. Ægidii, alias *Nuspaum*, *Hildebrandus* de *Creilsheim*, Præpositus in *Gebſettel*, *Georius* de *VVillnholtz*, dictus *Haug* Custos, *Bernignerus* de *Neydeck* & *Hammo* de *Harlheyn* Præpositus in *Steyn*, Monasterii Camburg. Monachi Professi Capitulares.

y) Decessit 1480. Occurrit in diplomatibus an. 1473. 1476.* 1478. 1479. 1480.

* An. 1476. memorantur *Iohannes* de *Harthein* Prior, *Hildebrandus* de *Creilsheim* Bursarius, *Georgius* de *Willenholtz* dictus *Havug* (qui an. 1481. factus est Vicarius Ecclesiæ S. Johannis Bapt. in *Cunzelſau*) Custos, *Georgius Widman* de *Than* Secretarius.

Nota. Post *Andream* electus est WILHELMVS *Schenck* siue Pincerna de *Limburg*; sed hic libere cesit & renunciauit, vt ex diplomate de an. 1480. patet.

XXXI. HILTEBRANDVS *Craichhaimius* Cal. z) *Crailshaimius*) qui opponentibus se ipsi Conuentualibus mœrore confectus obiit *Halæ*, domi sororis suæ. Quieſcit *Chomburgi* in D. Virginis sacello an. 1485.

z) Recte dicitur de *Creilsheim*. Occurrit 1480. 1481. Fuit antea Vicarius siue Plebanus Ecclesiæ Parochialis in *Steinvvag* ejusque filiæ S. Michaelis in *Hallis*, sed Abbas electus, quia duas curas insimul habere non poterat, Vicariam illam resignauit, vt ipse ait in diplom. de an. 1480. d. 5. Dec.

XXXII. SIGFRIDVS *Holtzius*, Conuentualis *Neresheimius*. Sub quo Abbate an. 1488. Pontificante Innocentio VIII. imperante *Friderico* III. Episcopante *Wirceburgi Rudolfo* Scherenbergio, Monasterium hoc in *Collegium ſeculare* mutatum est, Prælatis commissum quinque: Præposito, Decano, Scholastico, Cantori & Custodi. Vltimus hic Abbas & primus Præpositus (ceu Janus bifrons) defunctus est 1504. die S. Baptistæ decollati, *Chombergi* in Ca-

Monaſterium Comburg. fit Collegium ſeculare. Præpoſiti. I.

in Capella S. Petri humatus. Sed cum adhuc viueret, adjutorem Præpositurae sibi
II. adhibuit PETRVM de *Lufffæs*, Canonicum Wirceburgensem, magnæ prudentiæ & auctoritatis virum. Qui a Wirceburgensi Episcopo restitutionem Chomburgensibus impetrauit omnium suorum Ecclesiasticorum & ciuilium feudorum. Obiit die Palmarum an. 1522.

III. Successit ei in Præpositurae munere Marchio Brandenburgensis GVMBERTVS, qui *Romæ* familiam alens, *Chomburgum* nunquam vidit. Anno autem 1527. cum Germanos, *Romam* fœde diripientes, mitigare niteretur, ab eis captus est & aula ejus direpta. Deportatus dein ab eis *Neapolin*, altero ibi anno, propter aeris insolentiam mortuus est.

IV. Secutus est in Præpositura PHILIPPVS *Schachius* Lymburgensis.

V. DANIEL *Stieber*, Wirceburgensis Canonicus, qui adhuc 1550. vixit. Quem alii secuti sunt, vt VI. VII. HILDERICVS & HENRICVS KOERIVS.

Decani. Decanorum nomina 1. *Fridericus* a *Buchelberg*. 2. *Erhardus* a *Schaumberg* aa). 3. *Henricus* a *Coellen*. 4. *Georgius a Trappach*. 5. *Cräffto* a *Riefingen*. 6. *Eucharius* a *Fronhofen*. 7. *Eitel Tritwein*. bb) 8. *Gernandus* a *Schwalbach*. 9. *Erasmus Neustetter*, cognomento *Sturner*, Ecclesiæ Bambergensis & Wirceburg. Canonicus, Eques Francus, vir eruditus, cui a doctis viris libri plures dedicati sunt.

aa) Anno 1514. Decanus fuit, & Heinricus von Colen Scolaster und Chorherr des Stiffts Camberg.

bb) Fuit Doctor Juris, Canonicus *Wormaciæ*, Præpositus *Neuhausæ*, Assessor Camerae. Cruf. P. III. Annal. p. 92.

I.

Fundatio Monasterii Chomburgensis.

1090. IN nomine sanctæ & individuae Trinitatis. Ego *Ruchardus*, Moguntiacensis Dei gratia Archiepiscopus, omnibus sanctæ ecclesiæ fidelibus notum esse cupio, tam futuris quam præsentibus, quod *Dominus quidam Burckardus* in honorem sanctæ Dei genetricis Mariæ, & sancti Nicolai, in monte, qui *Kamberg* nominatur, monasterium quoddam a) construxit, ad quem ipsum locum cum omnibus nunc in præsentiarum illuc collatis iustitiis & pertinentiis, prædiorum & mancipiorum, seu quarumcunque rerum, ex toto super altare sancti Nicolai, libera manu sua & fratrum suorum *Comitis* scilicet *Ruggeri* & *Heinrici* tradidit Deo & sancto Nicolao in proprietatem, & prædicti Monasterii Abbati in liberam dispositionem, Monasterio & fratribus, Deo sub regula monastica inibi seruituris, ad vtilitatem, & ne vnquam a posteris suis, vel quibuslibet personis Dei seruientium deinceps illic destrui posset, prius ea Dominus *Burckardus* prudenter idem cœnobium cum omnibus suis pertinentiis nunc collatis & dehinc conferendis tempore domini mei felicis memoriæ *Wezelonis* Archiepiscopi in præsentia ipsius Archiepiscopali sedi *Moguntiæ* subdidit propria manu sua, & fratris sui prædicti *Ruggeri*, tradendo absque omni contradictione ad altare sancti Martini, vbi etiam ab eodem Domino *Burckardo* firmissime statutum est, & a Domino meo *Wezelone* laudatum, vt fratres cœnobii illius nunc ibi congregati, & adhuc in Christo congregandi, quandocunque patre suo spirituali orbati fuerant, habeant liberam potestatem, secundum regulam sancti Benedicti inter se vel vndecunque, si opus fuerit, Abbatem eligendi. Quem priusquam fratres regulariter elegerint, hoc sibi faciendum est, vt eum cum magna veneratione perducant ad Archiepiscopum gratia suscipiendi ab ea virgam regiminis absque omni prorsus contradictione Episcopi vel alicuius. Præterea hoc etiam diligentissime notandum est, secundum statuta Domini mei *Wezelonis* & Domini *Burckardi*, nulli Abbatum huius cœnobii vnquam licere de prædiis quicquam alicui secularium accommodare, sed si quisquam Abbas diaboli consilio, quod Deus prohibeat! hoc decretum infregerit, fratres eiusdem Cœnobii hanc a Domino meo *Wezelone* & a me habeant licentiam, at de hoc accusato ac conuicto deponant, & in eius locum iuxta prædictam libertatem alium eligant. De aduocati quoque electione hoc statutum esse notandum est, vt quemcunque Abbas loci illius cum consilio fratrum suorum, ad defendendam Monasterii libertatem & iustitiam vtilem inuenire possit, qui non pro terreno commodo, sed pro æterna mercede hoc patrocinium suscipere velit, hunc absque alicuius contradictione eligat, & bannum legitimum non iure hæreditario eum a rege suscipere efficiat. Cuius aduocati libero concessum est arbitrio, vt, si velit, semper prius sanctam hebdomadam Pentecostes secunda feria placitum habeat in villa, quæ dicitur *Tingental*, & non in anno sæpius nisi ab Abbate inuitatus. In prædicto autem placito ad seruitium eius debet Abbas ei dare multum frumenti pro faciendo panem & frisgingum vnum porcinum, & duos ouinos, & vinum cæteraque ad hæc sufficientia. Si autem hic aduocatus temerario iure contra statuta aliquid faciat, subaduocatum aliasque calumnias, vel iniurias, Monasterio, Abbati vel familiæ faciat, omnino potestatem habeat Abbas, cum adiutorio Episcopi & consilio fratrum, hunc reprobare, & alium sibi vtiliorem vndecunque eligere. Notum sit & hoc quid seruitii Dominus *Burckardus* statuisset, Abbatem eiusdem cœnobii debere singulis annis Domino meo *Wezeloni* & eius successoribus & ecclesiæ ipsius, scilicet vt semper in festiuitate sancti Martini super altare eius mittat mitram Archiepiscopalem, & duo corporalia, & vt nunquam cogatur Abbas in expeditionem ire, vel curiam frequentare, aut ad colloquium curiale ex iustitia venire, nisi forte Archiepiscopus eius spirituali consilio indigeat ad vtilitatem ecclesiæ. Qua necessitate cogente,

Statuta monaſt. eri

a) Crusius in Annal. Sueu. L. VIII. P. II. p. 244. ait, Burcardum Comitem anno 1079. Indict. II. 7. Cal. Maii, 4. feria primum lapidem posuisse, & decem annis absoluisse monasterium.

fraterne inuitatus debet ad Dominum suum cum paucis Monachis & seruientibus inermibus charitatiue venire, & cum eo esse; si opus sit, per triduum proprio seruitio, & non diutius nisi diligenter ab Archiepiscopo rogatus, & tunc alimenta sibi & equis sufficienter accepturus. Hoc quoque statutum esse recordamini, si forte dominus Archiepiscopus semel vel bis in anno ad prædictum Cœnobium, causa fraternæ visitationis, vel alia aliqua causa veniat, vt Abbas cum omni veneratione & ornatu sicut dominum suum suscipiat, & secundum facultates suas vna sola die & non plus ei seruitium dare faciat; adhuc quoque statutum esse intelligite, vt quicunque sit Archiepiscopus, in eodem cœnobio semper præbendam, ita plene sicut Monachus vnus, habeat, quæ quotidie in refectorio fratrum, super mensam principalem ponat, & postea pauperibus in eleemosynam eius erogetur, & vt obitus & anniuersarius eius, cum missarum & vigiliarum solenniis ibi diligenter semper celebretur. Ad horum omnium confirmationem, cum vtrique scilicet Dominus meus *Wezelo* & frater *Burckardus* omnia decreuissent charta annotari, & chartula ipsa sigilli ipsius impressione insigniri. Priusquam hoc factum esset, persoluit sæpe dictus Dominus meus ad tumulum detrimenti, & doloris nostri corporali dissolutionem debitum moriendi. Cui cum ego indignus peccatorum, ad comparationem ipsius nec etiam vermiculus nominandus, nescio, qua diuina dispositione in Episcopum successissem, primum duas vineas, quas Dominus meus *Wezelo* illuc tradidit, vnam scilicet in *Rudenesheim*, alteram in *Lorcha*, cum arcis duabus ad eas pertinentibus, pro anima eius & mea quoque tradidi ad idem Cœnobium sancto Nicolao in proprietatem & fratribus ad vtilitatem. Deinde cum consensu & rogatu prædicti Domini *Burckardi* chartulam istam secundum prædicta statuta præcepi diligenter componi, illud etiam secundum statuta Domini mei *Wezelonis* addens ad confirmationem priuilegii, vt si ego, quod Deus prohibeat, vel aliquis successorum meorum prænotatum ius & leges eiusdem Cœnobii ex aliqua parte velim infringere, vel de prædiis & aliis rebus nunc illuc collatis, vel adhuc conferendis aliquid inde auferre, Abbas cum fratribus suis primum charitatiue per principalem præpositum, ceterosque principes meos, me studeat auertere. Quod si non profit, vt deinde querimoniam faciat toto conuentui fratrum sancti Martini, & si illud non profit, vt postea faciat hoc idem priuilegium recitari in audientia totius synodalis Concilii, vbi si euidentia iniustitiæ per interuentum circumsedentium fratrum, meam pertinaciam vel alicuius successorum meorum non possit emollire, tunc demum auctoritate huius chartulæ habeat licentiam eundi *Romam* ad sedem apostolicam, vt per eius auctoritatem cogamur ab incepta iniustitia desistere, huius sanctæ sedis legationi si citissime non præbeamus assensum obediendi, nulla diutius vtatur Abbas dilatione, quin, si velit, idem Cœnobium supra dicta iustitia & leges tradat Romanæ Ecclesiæ ad altare sancti Petri, ad formam huius chartulæ, aliam suscipiens ab apostolica sede. Hæc omnia vt multis innotescant, statutum est, vt semper subcustos ecclesiæ sancti Martini hanc chartam in duobus nuncuis conciliis in audientia omnium circumsedentium, vel statutum legat, & pro hoc singulis annis in posteriori concilio bizantium ab abbate, vel nuntio eius accipiat, & si ipse alterutra vice hoc negligat, nihil se ab eo acceptuum cognoscat. Et vt hoc succedentium posteritati melius notum fiat, & semper stabile & inconuulsum permaneat, placuit nomina testium quam clericorum quam laicorum, qui eidem constituto & pacto interfuerunt, annotari chartula, ipsa nostri sigilli impressione signari. Hi sunt testes *Adelmannus* Abbas sancti Albani, *Godeboldus* principalis præpositus, *Emricho* Camerarius, *Arnoldus* custos, *Anselmus* Præpositus, *Valtoldus* Decanus, *Johannes* Magister, *Embricho* Cantor, *Ebero* b) Præpositus, *Reichardus* Præpositus, *Drochmarus*, c) *Gunciamus*, *Godeschaldus*, *Zezolfus*, *Regezo*. d) Laici: *Gerardus Comes*, *Wiggerus Comes*, *Ruchkerus* de *Husin*, & frater eius *Heinricus*, *Heinricus* de *Nuinstat*, *Burckhart* e) *de Widistat*, *Gosmarus*, *Heinrich Morhart*, *Giselbrat*, *Ernest*, *Elberich*, *Giselbrat* f) Vicedominus, *Embricho*, *Dudo*, *Embricho*, *Vlnerich*, *Steuan*, *Folnane*, *Wolffram*, *Zezolff*, *Ruchart*, *Humbrach*, *Arnolt*, *Wigant*, *Wolfberto*, *Sigelo*, *Nanno*, *Ernest*, *Heinrich*, *Wigant*, *Aro*, *Wolfberto*, *Luzman*, *Wolfberto*, *Gebazo*, g) *Hertwin*, *Benzo*, *Wettil*. h) Anno dominicæ incarnationis *millesimo* LXXXX. Indictione XII. Regnante *Henrico*, Magni *Henrici* Imperatoris Augusti, filio, acta sunt hæc *Moguntiæ* feliciter.

Donatio Ruchardi AEp.

Eandem fundationem confirmauit Petrus AEp. Mogunt. de dato spiræ an. MCCCIX. quarto Idus Martii.

II.

Designatio prædiorum, quæ Ecclesiæ Chomburgensi fuere legata.

Burchardus fundator cœnobii Chomburgensis.

PEr nomen sancte & indiuidue trinitatis omnibus Christi fidelibus presentibus & futuris notum esse volumus, quatenus *Burchardus* vir preclare ingenuitatis triumphans mundum cum principe suo destruxit, proprietatis sue opidum *Ramberg* & locum ipsum cum baltheo secularis milicie miles Christi futurus in arma regularis vite ad hoc tam Sancte inchoacionis perficiendum opus manus Domini, que Barnaba Paulo dignum cooperatorem associauit, eidem *Burckardo Wignandum* Mogontinum ciuem & seruientem, ob cuius consilium & promissionem cooperacio-

Wignandus eius Adiutor.

b) Crusius c. l. p. 245. habet: *Eulogius*.
c) Ibid. *Guntherus*.
d) Ibid. *Resegius*.
e) Hunc omittit Crusius.
f) Crusius ita: *Giselbrotus*, *Statthalterus*.
g) Idem: *Geb.*
h) Ibid. *Bontz*, *Wendel*.

nis tradidit Sancto Martino ipsum locum cum omnibus pertinenciis suis. Ex hoc idem *Wignandus* cum hoc tam grave talentum in *Kambergk* ecclesiam contulisset Sancto Martino, quasi servus evangelicus Domino suo omnia bona, que in loco, qui juxta Mogoncio castellam Dei habuit edificiis, agris, vineis Sanctis Dei confessoribus *Martino* & *Nicolao* contradidit. Præterea idem *Wignandus* multa multorum predia eidem Kambergensi ecclesiæ acquisiuit, nihil horum in suam proprietatem redigens, sed viros ingenuos, ex quibus hæc verbo & argento emit, eadem ad altare S. Nicolai sub testimonio delegare fecit. Ex A hac diuersitate prædiorum quoque singula idem loca, in quibus sita sunt, ad delegatorum nomina, nec non & delegationis tempora decreuimus titulis ac testibus stabilire, ut Christo, & Sancto Nicolao seruientibus inconuulsa possint permanere. Inprimis *Wignandus* ipse verus exspoliator mundi operarius pro denario edificande domus Domini tradidit S. *Nicolao* tres mansos & viginti jugera vinearum in loco, qui *Castellum* dicitur. Ne omnes traditiones harum omnium delegationum absque omni contradictione facte sunt, singule singulis testibus subscriptis stabilite, ea vero B ratione, ut hæc omnia predia licet in diuersis ubiuis terrarum locis sepositа sint, sicut tamen ad vnum caput pertinentia, intus habent vnum patrem monastici regiminis, sic & foris non habeant præter unum aduocatum mundane defensionis; Nisi Abbas ex aduocato sibi sub-aduocatum petat, quem & vbi velit & quam diu velit, Abbas tamen nullam potestatem habeat, ex his omnibus bonis, præter illa, que prius seruientibus Ecclesie præstita erant, quid cuiquam præstare, sed solummodo hec pro Christo & Christi famulis ministrare; si aliter fecerit, conditioni, que in majori cirographo continetur, subiaceat. Hæc sunt

Prædia a Wignando donata.

prædia, que Dominus *Wignandus* tradidit ad C altare S. *Nicolai Kambergk* in *Castello Mogont.* II. mansos & dimidium & XL. iugera vinearum in *Lampoldeshausen*, XVII. mansos in *Volcheshausen*, VI. mansos in *Wideren*, I. mansum in *Wittigstat*, X. mansos in *Ingiluingen*, II. mansos & dimidium in *Geillebach*, VIII. mansos in *Luraba*, VIII. mansos in *Dungental*, II. mansos & dimidium in *Tullawe*, II. mansos in *Ingesingen*, V. mansos in *Lare*, IIII. mansos in *Hisolvestat*, VI mansos & XX. jugera vinearum in *Almaresbrunt*, XII. mansos in *Wostene*, VII. D & dimidium mansum in *Cimberen*, VI. mansos in *Mistelowa*, VI. mansos in *Cregeburg*. totius predii partes.

Diplomata varia, & eorum excerpta ad fundationem monasterii Chomburg. facientia.

III. Notum sit omnibus, quia *Heinricus* Comes ut cum fratribus suis *Burchardo* & *Ruggero* mercedis quemadmodum cohæreditatis particeps fieret, posuit & suæ cooperationis lapidem supra fundamentum Domus Domini deditque Sacro Sancte *Kambergensi* Ecclesiæ cum manu & consensu conjugis suæ *Gebe* omne prædium suum cum omnibus ad id pertinentibus opidis, villis, vineis, agris, siluis, aquis utriusque sexus mancipiis, seruis & seruientibus, vt eadem lege & proprietate, qua sibi post se utilitatibus monasterii seruiendis. Nomina oppidorum hæc sunt: *Rotemburge*, *Nurnburc* villam autem in *Gebsedelen* prædium, quod sibi in hæreditatem contigit, vel quod ibidem emit & vici illuc pertinentes *Visiba* & ad id pertinentia in *Sulldorff*, prædia quædam in *Otterbach*, *Wittenuuilare* & prædium, quod *Kilinde* in hæreditatem contigit in *Taleheim*, quod Comes habuit *Mareñmartesbouem* & eo pertinentem saltum. 1095.

IV. Notum sit præsenti & præsentatum future fidelium turbe, qualiter factum est concambium cum prædio *Stutbach*, quod ad Ecclesiam *Kambergensem* pertinebat, in decimas S. Kyliani *Michelbach*, *Pretzingun* *Pretzingun* Hirsvelden. *Gundelabo* nominatum prædium, delegante *Heinrico* utriusque Ecclesiæ advocato manu sua concambium confirmante. Corroboranda autem acte rei memoria utrinque placuit horum testium subscribi nomina: *Cuno*, *Heinrich*, *Morhart*, huc *Wernhere* *Reginger*, *Marcuart* *Adelhalm*, *Burckhart*. Acta sunt hec Anno incarnationis Dominice MLXXXXV. Indictionis III. XVI. Kal. Martii *Heinrico* Imperante, *Emerhardo* Wurtzpurgense Episcopo.

V. Notum sit omnibus tam futuris, quam præsentibus, qualiter Dominus *Heinricus* Palatinus Comes uxoris suæ venerande *Adelheidis* consensu tres prædii partes in *Cregelingen* sitas coram haud parua clientum suorum multitudine in liberas manus Comitis *Goluuini* pro anima sua, patrisque & matris, nec non & omnium parentum suorum tradidit super altare S. Nicolai *Kamberg*. vice sua delegandas. Quod contigisse certum est eodem incarnationis Dominice Anno, quo *Ruchardus* Archiepiscopus Mogontin. antisticii insulam adeptus est. Huic delegationi non modica turba interfuit, e quibus hos nominatim testes huic cyrographo inscribi nil oberit: *Heinricus* Comes post ea dux effectus & frater ejus *Conradus* de *Mereheim*, *Gerlach* de *Rumarsdorff* & fratres ejus *Willehelm* & *Richnam*, *Ruggerus* Comes de *Rotemburc* & *Heinricus* frater.

VI. Hoc jam tam præsentium quam sequentium noticie dignũ remur insinuandum. Quod *Ruggerus* Comes prædium *Oethelingen* a Domino *Sigiboldo* S. Nicolao justa acquisiuit emptione, pro quo *Tilebach* dedit in concambio & in vico *Gilen* II. mansos & dimidium cum vno molendino & XII. talenta. Pro his tamen omnibus delegationem facere & recusauit donec mastrugam valde bonam & bouem unum & VI. urnas vini daret & insuper beneficium vnum in *Stedeberk* ei, quam diu viueret, præstaret. Hec autem delegatio facta est ante munitionem *Ruchelsheim* horum testimonio *Mornilonis*, *Popponis*, *Sigefridi Demechedemulen.* 1078.

VII. Omnibus in Christo Jesu pie viuentibus intimandum censemus, quod Deo inspirante qui quos vocat, justificat, quidam præclare ingenuitatis vir *Adelbertus* nomine de *Bilrieth* militare cingulum, cum Seculi actibus depo- *Donatio Adelberti de Bielriet.*

niens semet ipsum abnegando in Kambergensi cœnobio monachum se facie fecit & mente. Qui ut nullus sequeretur Christum Prædiorum diuisione facta, partem, que illi jure Patrimonii obuenerat, libera manu sua in liberas manus *Udalrici* de *Burlougesuac* legitime delegauit delegandam super altare S. Nicolai in *Kambergk* Deo & fratribus ibidem coadunatis & coadunandis, mediam scilicet oppidi partem in *Bilrieth*, dimidium vicum in *Gresstelbach* cum molendino vico adjacente in *Hobenstat* & in *Giselbrehtshouen*, quidquid habuit *Althenwinedum*. Cuirilis *Regenhereswilare*, *Gebeneswilare*, *Wiedeneich* cum omnibus ad A hæc pertinentibus siluis, aquis, paschuis, agris cultis & incultis, Ministeriales & iam suos de *Ramesbach Diemonem* & *Burchardum* fratres cum aliis utriusque sexus hominibus ad præfatum cœnobium legitima traditione contradidit. Huius rei assertores veraci assertione hic inseruntur: *Burckardus* & fratres eius *Ruggerus* & *Heinricus* Comites de *Rotemburc*, *Engilhardus* de *Lubenhusen*, *Demar* de *Burlogesuac*, *Anselm* de *Ruchesheim*, *Marhordus* de *Schefouue*, *Erchenbertus* de *Giffendorff*, *Waibartgebertus*, *Heinricus* de *Vnmehoven*, *Hemmo*. Acta sunt hæc Dominice incarnationis B Anno MLXXVIII. Indictione VIII. II. Idus Maii, *Heinrico* Romanorum rege IIII. regnante, *Adelberone*, Wurtzpurgensem sedem regente, *Hemmone* Abbate, *Ruggero* eiusdem loci aduocato.

Donatio Henrici de Mulsingen. VIII. Per nomen & gratiam saluatoris omnium omnibus notum esse desideramus, qualiter *Heinricus* de *Mulsingen* villam *Hagestaldeshausen* S. Nicolao tradidit libere conditionis iuri ac postea ipse & duo fratres eius *Eberhardus* & *Wolffrannus* II. mansos & dimidium & molendinum unum in villa *Heymenhausen* itidem eo tradiderunt pro remedio anime suæ C & fratris ipsorum, quem occisum ibidem sepelierunt. Hæc autem delegatio absque omnium contradictione hæredum & cohæredum facta est & firmiter stabilita, ea quidem pactione, ut eadem bona fratribus in usum deinceps veniant quacunque possint utilitate. Homines, qui hæc poslideant, generale placitum in *Dungental* suo tempore querant. Abbati nequaquam liceat hæc eadem bona beneficiali jure cuiquam præstare, sed ipsemet hæc retineat fratribus Christo seruientibus semper seruitura, si aliter fecerit, & si tertio commonitus infra spatium unius anni non emendauerit, hæredes ex conditione potestatem habeant, ea tam diu retinendi donec aduocatus ipsius Ecclesiæ cum consensu abbatis in usum fratrum ea recipiat. Et ut hæc a nemine possunt infringi, placuit his subscriptis testibus stabiliri; *Heinricus* Comes, *Engilhardus* de *Lubilhausen*, *Goteboldus* de *Burlougesuac*, *Craft* & *Udelrich* de *Rote*, *Suigges* de *Hesental*, *Egesbertus*, *Heinricus* fratres de *Scefouue*.

1102. *Alia eiusdem.* IX. Nouerit, qui velit, quod idem *Heinricus* de *Mulsingen* prædium suum *Viscaha* & *Bennenhoucn* cum siluis & cæteris appendiciis in liberas manus *Heinrici* Comitis de *Rotemburc* pro beneficio in *Neusslingen* sito in proprietatem tradidit & quod idem *Heinricus* noster aduocatus idem prædium in sua annum & diem continuit potestate & postmodum sancto Nicolao ad seruitium fratrum absque ulla delegauit contradictione, ut hoc testantur, qui præsentes fuere *Engilhardus* Comes & filius eius *Waltherus*, *Robo* frater eiusdem, *Engilherus* & filius eius *Henricus*, duo fratres de *Altorff* *Winitherus* & *Richilo*. Anno Dominice Incarn. MCII. Indictione III. He ambe traditiones facte sunt Regnante *Heinrico* quarto, *Gunthero* Abbate, *Heinrico* aduocato.

Donatio Heinrici Archipresb. Wurtzburg. X. Scripto & iam hoc ratum esse affectamus, quod Dominus *Heinricus* Archipresbyter de *Wurtzburg* predium suum *Lampoldeshausen* & *Steinaha* cum omnibus appendiciis libera manu in liberas manus *Anshalmi* de *Sinderingen* absque ulla delegauit conditione, & quod idem *Ainshelmus* illud nihilominus pro sua & eiusdem *Heinrici* parentumque suorum omnium salute super altare S. Nicolai in præsentia aduocati *Ruggeri* & fratris eius *Heinrici* & *Engilhardi* Comitis, & fratris sui *Rob.* & aliorum quam plurimorum contradidit, & quod idem *Ruggerus* idem prædium S. Nicolao continendum ab eodem *Ansbelmo* susceperit & ab omni querela liberum annum & diem continuerit. Et insuper quod idem *Ansbelm* Domino *Ruggero*, quamdiu vixit, absque contradictione ulla detinuerit.

1096. XI. *Sinisbach* cum omnibus appendiciis suis & in *Crutbein* III. mansos & dimidium Dominus *Burchardus* a fratre suo Domino *Emerhardo* tunc Wurtzpurgense Episcopo pro prædio duorum suorum seruientium, nihilominus & *VVolffranimi* de *Marcholdesbein* & pro prædio, quod ipsemet in villa *Asbach* habuit, idem uno manso & dimidio ad *Kambergk* concambio acquisiuit Anno Mill. XCVI. incarnationis Dominice, Regnante *Heinrico* IIII. Augusto, *Ruggero* apud *Kambergk* aduocato & *Guntbero* Abbate. Verum prædictus Dominus *Emerhardus* Episcopus idem concambium recusauit finire, donec utriusque Ecclesiæ famuli majorem utilitatem utrobique jurejurando faterentur. Nomina vero testium hæc sunt: *Ruggerus* Comes & fratres sui B. & H. *Engilhardus* de *Lubinhusen* & filius eius *VVolther*, *VVolffram* de *Ruckesheim*, *Mornilo*, *VVinitherus* & *Richilo* de *Altorff*.

Donatio Winther: & Richilonis de Alter. XII. Cunctis in Christo renatis & renascendis D insinuandum utile duximus, quod duo germani fratres de *Altorff*, *VVintherus* & *Richilo* in ambabus villis *Altorff* & *Altorff* quidquid proprietatis habuerunt siue in agris siue siluis, aquis, mancipiis cum omnibus pertinentibus suis & villam *VVincenwilare* cum omnibus pertinenciis suis & villam *Lemosanuelez* cum appendiciis excepto dimidio manso, quod est S. Kyliani in *VVurtzpurg* libera manu pro anima sua suorumque propinquorum tradiderunt S. Nicolao in *Kamberg*. Præterea prædium, quod in prædictis duabus villis *Altorff* & *Altorff* pro vadimonio habuerunt, eodem Iure, quo & ipsi possiderunt, similiter

illuc

illuc tradiderunt. Homines quoque sui juris utriusque sexus quosdam seruientium viri tradiderunt, scil. *Reginbaben*, *Adelbalm*, *Ridolff*, *Reginbodo* reliquis tributario, idem ut reddant III. denarios in obitu suo juri quid quid substantiæ pretiosissime habuerint, jumentum siue indumentum, femine vero indumentum suum pretiosissimum Ecclesiæ persoluant, cætera hæredes, qui eiusdem Ecclesiæ sint, accipiant. Si quis eorum censualium tribus continuis annis temerarie non necessitate prædictum censum neglexerit nec legitima V. solidorum compositione resipiscat, seruili conditioni subiaceat. Horum omnium, qui hic inscribuntur, comprobatione hæc traditio cunctis innotescat *Engilbart* & *Robo* fratres de *Lubenbusen*, *Heinricus* & fratres eius *VVolffram* & *Eberhart* de *Muluingen*, *Morento* de *Ruckesb*, *VVolpero Krafft* & *Udelricus* de *Rote*, *Krafft* de *Hesental*, *Heinrich* de *Steten*, *Erneſt Helinger*, *Anolt Gumprecht*, *Radolff Gerunc Fridehalm*.

1091. XIII. Hæc est nota concambii manu *Heinrici* aduocati præfecti inter *Emerhardum* Wurtzpurgensem Episcopum & duos fratres liberos *VVintherum* & *Richilonem* de decimatione subscriptarum villarum *Altorff* & *Altorff*, *Udendorff* & *Udendorff*, *VVinicenwilare*, *Saneuuelles*, *Oretenuulare* & de prædio illorum subscripto in villa *Trienspach* vnus mansus, & in villa *Steuensbac* duo mansi sunt in prædicta villa *Saneuuelles* dimidius mansus, qui omnes culti & debitum tributum persoluunt. Huic rei, qui interfuerunt ob monimentum hic inscribuntur: *Bruno* Abbas Amarbacensis, *Bruno* Comes, *Ruprecht* de *Castello*, *Cuineminit*, *Guidecar*, *Suigger*, *Heinrich*, *Hartrech*, *Diemo*, *Tragebodo*, *VVasmut*, *Buggo* seruientes Imperatorum, *Goluun*, *Volrat*, seruientes Ecclesiæ *Volckmar*, *Emerhart*, *Reginbolt*, *Hemmo*, *Hobolt*, *Geroli*, *Bodenolf*, *Bevengner*. Actum est autem concambium in Ciuitate *VVurtzpurg* Anno incarnationis Dominice Mill. XCI. indictione XIIII. IIII. Idus Aug. præfato *Emerhardo* eiusdem Ecclesiæ sedem, *Heinrico* IIII. Romanum imperium dispensante. Idem autem præsignatus *VVinther* cum fratre suo *Richinlone* delegauit eandem Decimationem ad reliquias S. Bartholomæi Apostoli in Capella sua *Altorff* a se ipso constructa ab *Adelberone* Episcopo consecrata. Hæc sunt nomina illorum testium, qui hoc affirmare sua sponte intuenti sunt, cum juramento hoc concambium equalis esse præcii, *Arnolt Branne*, *Hartunic*, *Hanbart*, *Friderich*, *Engelrich*, *Adelbart* Presbyter.

1108. *Concambium inter Monasterium nouum Herbip. & Cumburgense.*

XIV. Omnium fidelium noticiæ utile videtur esse insinuandum, qualiter *Ruggerus* præpositus de nouo Monasterio *VVurtzpurg* & fratres communi consilio prædium suum *Mulenbach* cum omnibus appendiciis per liberas manus Comitis *Heinrici loci utriusque legitimi aduocati* pro prædio *Iegersheim* & suis appendiciis, quia id sibi & illud nobis in ciuitate locorum utrobique commodius credebamus, super altare S. Nicolai *Kamberg* delegauerint & nos e regione idem prædium nostrum supra scriptum videlicet *Jagersheim* per manus aduocati eiusdem illo pro hoc delegauerimus Anno videlicet incarnationis Dominice Millesimo CVIII. indictione II. Regnante *Heinrico* V. Augusto, *Erlungo* apud *VVurtzpurg* Episcopo, cuius præsens concambium perpetratum est auxilio *Hartwigo Kamberg* Abbate. Huic assertioni ut fides adhibeatur, testes, in quorum præsentia & audientia hoc factum esse cognoscitur, inscribuntur: *Erlungus*, Episcopus, *Heinricus* utrobique aduocatus, *Cunradus* de *Cunleshoue*, *Heinricus* de *Velliberg*, *VVitto* de *Gruningen*, *Adelbertus* de *Steine*, *Adelbalmus* de *Steten*, *Emerhardus* de *Gamensfelt*, *Morenlo*, *Heinricus* de *Marloch*, *Udelricus* de *Rode*, *Radolff*, *Guntbertus*, *Rutgerus*, *Eberhardus*, *Volcmar*, *Bubo*, *Sigibodo*. *Cunbelsam.*

In XV. Anno Millesimo XCVIII. Incarnationis 1098.
Dominicæ, Indictione II. Dominus *Sigiloch* & mater eius prædium suum *Almaresbunt* super altare Sancti Nicolai in *Kamberg* partim pro anima sua & parentum suorum, partim pro argento, quantum tunc exigebant, delegauerunt. Huic rei interfuerunt *Ruggerus* de *Bielriech*, *Engilberus* Comes & tres filii eius *VValther*, *Engilber*, *Marcquardus*, *Adelberius*, *Hartwich*, *Uldelricus* de *Steten*. *Uldelricus*, *Godeboldus* de *Burlousuac*. *Cunradus*, *Helmenritus* de *Cunzelshoue*. *Alewic* de *Stein*, *VVernhart* de *Jotenhow*. *Ægiluuart*, *Gumbrech*, *Diepolt*.

XVI. Cognoscant Christi fideles tam futuri 1101.
quam præsentes, quod dum *Heinricus* de *Gammesfelt* totius patrimonii sui Ecclesiam Sancti Nicolai *Kamberg* hæredem fecisset, nec superstite filio suo voluntatem suam stabilire absque eius consensu valuisset, receptis omnibus ne eadem Ecclesia eius donatione ex toto exhæredaretur, vico *Jringesbusen* cum omni jure agrorum, aquarum, pratorum, siluarum, excepto manso ad Ecclesiam *Gammesfelt* dotis jure pertinente, libera manu sua super altare S. Nicolai, in præsentia filii sui tradidit, eandemque traditionem coram *Heinrico* Comite Aduocato eiusdem loci, & testibus infra scriptis firmauit: *Heinricus* Comes, qui idem prædium in proprietatem monasterii jure aduocati suscepit, *Krafft* & *Udelrich* de *Rote*, *Adelholm* de *Stetin*, *Heinricus* & *Arn* frater eius, *Egispreth* & *Heinricus* de *Scefomo*, *Gebertus* de *Sulldorff* & frater eius *VVarhart*. Anno incarnationis Dominicæ MCI. Indictione VIII. *Heinrico* Imperante V. Augusto; *Erlungo* Episcopo, *Hertuigo* Abbate. *Donatio Henrici de Gammesfeld.*

XVII. Omnibus Christi fidelibus intimandum esse vtile duximus, quod domna *Irmingart* de *Lare* prædia sua, quæ post mortem iuri liberorumque suorum legi

XVIII. Notum esse petimus omnibus, in via, *Donatio Eckberti de Hessenthal.*
quæ ducit ad vitam, fideliter currentibus, qualiter *Egesbertus de Hesental* ministerialis S. Nicolai, eundem dimisit suum vt fidelis seruus hæredem fecit omnium suarum rerum. Adhuc quidem

quidem florens iuuenili ætate dedit ſuper altare eius quidquid habere videbatur, quod & annuatim coram conſeruis & multis aliis teſtibus ſtuduit confirmare. *Eberhardus* quoque ejusdem villæ ciuis fratri *Bernhardo* in vadimonium dedit omne prædium ſuum in eadem villa, acceptis ab eo xxx. talentis. Cuius prædii proprietatem poſt ea diuina inſpirante gratia obtulit ſuper altare ſancti Nicolai pro anima ſua. Hujus per mortem frater eius *Ruggerus* A fratris donationem non ſolum ſtabiliuit, verum etiam omnia ſua Domino & S. Nicolao contulit, predium videlicet in *Heſenthal* & duos manſos in *Giſelbrechdeshouen*.

XIX. Omnibus in Chriſti vinea pro æterno proemio vſque ad conſumationem ſeculi laborantibus perſpicuum eſſe cupimus, quod fecit *Egebertus* de *Alechdorff* cœleſtis patriæ amore accenſus, emit etenim ſeptem & decem marcis a *Bernone* & *Friderune* eius coniuge, manſum vnum in *Sulsdorff*, quem mox pro anima ſua ac pro omni parentela tradidit.

XX. Manifeſtum ſit cunctis ſuper Chriſtum lapidem angularem fundatis, *Wipertus* de *Wichartesheim* miniſterialis S. Kyliani, cum vxore ſua *Engila* quicquid in eadem villa habuit, in B fidem & manus *Ruggeri* de *Boteried* & aliorum conſeruorum ſuorum delegauit atque ipſi ab ea poſtea admoniti fidei dedere delegata ſuper S. Nicolai in *Kamberg*.

XXI. Ne numquam oriatur nubilum ignorantiæ in poſterum, præſentibus & futuris fidelibus clarificamus, quomodo religioſa femina *Gouta* de *Bocchesberc* apud Deum augmentauit ſua merita. Perpendens namque æternæ vitæ gaudia & ob eadem adipiſcenda, ob redemptionemque animæ dilecti coniugis ſui *Conradi* atque omnium parentum ſuorum cum filiis ſuis tradidit dono & S. Nicolao ſuper altare ipſi in *Kamberg* perfectiore traditione quicquid habuit in vico, qui dicitur *Bucha*. Huius rei ſunt teſtes *Conradus* de *Pfutziche*, *Friderich* de *Bilrieth*, *Hartman Borcſtolt* de *Sweiggeren* & alii plures.

XXII. Nouerint Chriſti fideles, quod quidem libere conditionis Vir, nomine *Sigeloch* de *Grellaſtat* animæ ſuæ parentumq; ſuorum ſaluti proſpiciens, libera manu ſua abſque omni prorſus contradictione tradidit ad altare S. Nicolai in *Kamberg* xii. manſos in villa, quæ dicitur *Corbe*, quæ ſibi hereditario iure, morte fratris ſui *Buggonis* obuenerunt. Huius rei teſtes hic inſeruntur *Heinricus* de *Muluingen*, *Adelbertus*, *Creberibertus*, *Walto*, *Arn* & *Gumbertus* de *Bucheubach* & alii quam plures.

XXIII.

Priuilegium CLEMENTIS *Papæ de bonis fratrum, vt cuius Monaſterium Chomburgenſe illa retinendi poteſtatem habet.*

D *Clemens* Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conuentui Monaſterii in *Kamberg* ordinis ſancti Benedicti, Herbipolenſis diœceſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Deuotionis veſtræ precibus benignum impartientes aſſenſum, vobis auctoritate præſentium indulgemus, vt poſſeſſiones & bona alia mobilia & immobilia, quæ liberas perſonas veſtrorum fratrum mundi vanitate relicta, ad monaſterium veſtrum conuolantium & profeſſionem facientium, in eodem iure ſucceſſionis, vel alio iuſto titulo, ſi remanſiſſent in ſeculo, contingiſſent, & quæ ipſi potuiſſent aliis libere erogare, petere, recipere ac etiam retinere valeatis ſine iuris præiudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam A noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. *Auinion.* vii. Cal. Maji, Pontificatus noſtri anno primo.

XXIV.

Priuilegium INNOCENTII, *quo liberat Monaſterium Chomburgenſe a receptione plurium clericorum.*

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, 1248.
dilectis filiis Abbati & Conuentui Monaſterii de *Kamberg* Ordinis ſancti Benedicti Herbipolenſis dioc. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Decet & expedit vt grauati ſuper prouiſione clericorum per ſedem apoſtolicam, B quæ tanquam pia mater illorum preces plerumque non poteſt indurata facie pertranſire, per eam interdum optatum releuationis ſolatium aſſequantur. Cum igitur, ſicut veſtra petitio nobis exhibita continebat, per ſedem apoſtolicam nec non legatos ipſius, ſitis ſuper plurium Clericorum receptione, ſeu prouiſione grauati, nos ſuper hoc impoſterum vobis ſubuenire volentes, venerabilis fratris noſtri Herbipolenſis Epiſcopi precibus inclinati, auctoritatem vobis præſentium indulgemus, vt ad receptionem ſeu prouiſionem alicuius in penſionibus aut eccleſiaſticis beneficiis per literas ſedis apoſtolicæ, vel legatorum eius compelli non poſſitis inuiti, abſque mandato ſedis eiusdem, faciente plenam de numero prouiſionem & hac indulgentia mentionem. Nulli ergo C omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. *Lugdun.* iiii. Cal. Aug. Pontificatus noſtri anno ſexto.

XXV.

BONIFACIVS *mandat Abbati S. Burckhardi Wurtzburgenſi, vt bona, quæ a Monaſterio Chomburg. illicite ſunt alienata vel diſtracta, recuperet.*

Bonifacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Abbati monaſterii Sancti Burckardi extra muros Herbipol. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad audientiam noſtram peruenit, quod tam dilecti filii Abbas & Conuentus Monaſterii Sancti Nicolai in *Camberg*, ordinis ſancti Benedicti, Herbipol. diœceſ. quam prædeceſſores eorum, qui fuerunt pro tempore, decimas, terras, cenſus, reditus, vineas, poſſeſſiones, domos, piſcinas, caſtra, caſalia, prata, paſcua, ſiluas, grangias, nemora, molen-

molendina, iura, iurisdictiones & quædam alia bona ipsius monasterii, datis super hoc literis, confectis exinde publicis instrumentis, interpolitis iuramentis, factis renunciationibus & pœnis adiectis, in grauem ipsius monasterii læsionem, nonnullis clericis & laicis aliquibus eorum adiutam, quibusdam vero ad non modicum tempus & aliis perpetuo ad infirmam vel sub censu annuo concesserunt, quorumque aliqui dicuntur super his confirmationis literas in forma communi, a sede apostolica impetrasse. Quia vero vestra interest, hoc de oportuno remedio prouidere, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ea, quæ de bonis dicti monasterii per concessiones huiusmodi alienata inueneris illicite, vel distracta, non obstantibus literis, instrumentis, iuramentis, renunciationibus, pœnis & confirmationibus antedictis, ad ius & proprietatem eiusdem monasterii legitime reuocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum *Romæ* apud sanctum Petrum xi. Cal. Martii, Pontificatus nostri anno septimo.

XXVI.

MARTINVS *mandat Decano Oringensi, vt admoneat detentores bonorum & jurium Chomburg. pro illis restituendis.*

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Decano Ecclesiæ sancti Petri in *Oringen*, Herbipol. diœces. salutem & apostolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecti filii, *Gottfridus* Abbas & Conuentus monasterii in *Comberg*, Ordinis sancti Benedicti, Herbipol. diœcesis, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, decimas, primitias, terras, reditus, pensiones, census, legata, domos, vineas, prata, pascua, nemora, molendina, bladi, vini, lane, lini & canapis, quantitates instrumenta publica, literas authenticas, sanctorum reliquias, libros ecclesiasticos, cruces & calices argenteos, ornamenta ecclesiastica, vasa aurea & argentea, equos, boues, vaccas, oues, porcos, agnos, pecuniarum summas, & nonnulla alia bona, ad ipsum monasterium spectantia, temere & malitiose occultare, & occulte detinere præsumunt, non curantes ea præfatis Abbati & Conuentui exhibere in animarum suarum periculum, ac prædictorum Abbatis & Conuentus ac monasterii non modicum detrimentum, super quo idem Abbas & Conuentus apostolicæ sedis remedium implorarunt. Quo circa discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes huiusmodi occultos detentores, decimarum, primitiarum, terrarum, reditum, pensionum, censuum, & aliorum bonorum prædictorum, ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo, per te vel alium moneas, vt infra competentem terminum, quem eis præfixeris, ea præfatis Abbati & Conuentui a se debita restituant & reuelent, ac de ipsis plenam & debitam satisfactionem impendant, & si id non adimpleuerint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeris præfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas, & eam facias vbi & quando expedire videris, vsque ad satisfactionem condignam solenniter publicari. Datum *Ro-*
A *mæ* apud sanctos apostolos III. Idus Februarii, Pontificatus nostri anno decimo.

XXVII.

ALEXANDER *confirmat Monasterio Chomburgensi jus percipiendi fructus de Ecclesiis* Gebsedel & Tingental.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Abbati de *Mulenbrunnen*, Cistertiensis ordinis, Spirensis diœceseos, salutem & Apostolicam benedictionem. Lecta
B nobis dilectorum filiorum Abbatis & Conuentus Monasterii in *Camberg* ordinis Sancti Benedicti, Herbipolensis diœcesis, petitio continebat, quod dilectus filius noster tituli Sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis tunc in partibus illis Apostolicæ sedis legatus considerans, quod iidem circa hospitalitatem & alia pietatis opera insistebant, ac volens eos in huiusmodi operibus confoueri, eis, ut de *Gebsedelen* & in *Tingental* parochiales Ecclesias eiusdem diœcesis, in quibus iidem, ut asserunt, jus obtinent Patronatus, quam cito eas vacare contingeret, in usus possent proprios retinere, reseruata vicariis in eisdem perpetuo seruituris de ipsarum prouentibus congrua portione, cum haberet auC ctoritatem super hæc, eadem sede concesserit. Quare petebant a nobis, ut concessionem confirmare huiusmodi curemus. De tua igitur circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes, præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus concessionem huiusmodi, priusquam tibi de ipsa constiterit, & Diocesani Episcopi & Capituli sui ad hoc consensus accesserit, auctoritate nostra confirmare procures. Datum *Anagnie* IV. nonas Julii Pontificatus nostri anno secundo.

XXVIII.

D *Bulla* Alexandri *continens confirmationem incorporationis* Gebsetteln & Thungenthal.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterii in *Kamberg* Ordinis Sancti Benedicti, Herbipol. dioc. salutem & Apostoli-

cam

cam benedictionem. Solet annuere sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus fauorem benevolum impertiri. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod venerabilis frater noster Episcopus Herbipol. diligenter attendens Monasterium vestrum ex malitia temporis & hominum de partibus illis bona ipsius diripientium, ad tantam inopiam deuenisse, quod ipsius Monachi & fratres, diuinis in eo laudibus insistentes, de prouentibus eiusdem aliquatenus sustentari & hospitalitatem consuetam ac debitam seruare non poterant, & propter hoc deuotioni vestræ paterna pietate compatiens vobis de consensu Capituli Herbipol. prouida & grata liberalitate concesit, vt prouentus de *Gebsettelen* & de *Tungental*, Ecclesiarum parochialium Herbipol. dioc. in quibus. Jus Patronatus habetis, cedentibus vel decedentibus eorum rectoribus in usus proprios Conuentus Monasterii vestri, ac in subsidium hospitalitatis seruandæ ibidem perpetuo conuertere valeatis, vicariis presbyteris in Ecclesiis ipsis perpetuo seruituris, de illarum prouentibus reseruata congrua portione, de qua commode sustentari valeant, & episcopalia ac alia ipsarum Ecclesiarum onera consueta & debita supportare, prout in patentibus literis ipsius Episcopi confectis exinde ac suo sigillo signatis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super præmissis ab eodem Episcopo pie ac prouide factum est, ratum & firmum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum *Aniagniæ* III. Cal. Nouemb. Pontificatus nostri anno quinto.

XXIX.

Copia vidimata instrumenti super transactione Waltheri de Limburg cum Abbate Camberg.

WIr der Rath gemeiniglich der Stadt zu Halle, *thun kund und verriehen offentlich an diesem Brieffe, allen den ihn lesent oder hörent lesen, daß wir diesen gegenwärtigen*
1361. *Brief an unserm Rath gesehen, und verhört haben von Worte zu Worte als hernach geschrieben stehet:* In nomine Domini Amen. Vniuersis hanc paginam inspecturis, Abbas totusque Conuentus monasterii in *Kamberg* Ordinis Sancti Benedicti Herbipol. Dioc. in o-
1265. mnium Saluatore salutem. Obtinet ut expedit consuetudo, ea, quæ rite geruntur & præcipue prætendentia pietatis cultum, & in se habentia deuotionis fructum, testium testimonio, aut scripturarum robore sic roborari, ne fraudis, doli, ne malitia hominum peruersorum in irritum deducantur. Ea propter præsentes volumus apud præsentium remanere memoriam & ad futurorum notitiam peruenire, quod Dominus *Walterus* de *Limburg* Imperialis aulæ Pincerna, spiritu ductus Consilii sanioris nobis exhibuit pro omnibus damnis, grauaminibus, & injuriis ab eo vel A patre suo, aut quacunque occasione ipsorum nobis & nostris illatis, sufficienter & liberaliter satisfacere, secundum juris rigorem aut nostri beneplaciti voluntatem. Nos vero dignum reputantes, ut apud nos sua deuotio & honestas potius gratiam quam seueritatem inueniret, ei singuli & uniuersi unanimi & deliberato consensu remisimus pure & simpliciter omne damnum, grauamen & injuriam qualitercunque ab eo vel patre suo, vel eorum occasione nobis & nostris illatis tali videlicet conditione & pacto, ut ipse pro se & suis heredibus omnia & singula bona, quæ huc usB que ab aliis tenuimus, qualitercunque aut possidebamus, vel de cetero poterimus adipisci, quocunque nomine censentur, dimitteret libera totaliter & soluta ab omni jure, quod ipsis ad huiusmodi competebat vel competere posset, ita, ut per eos vel eorum occasione in nullo aggrauemur. Renunciaret non minus expresse omni juri, actioni siue postulationi, quibus nos & nostros deinceps impetere aut molestare posset, exceptis aduocatiis, quas habet super possessionibus nostræ Ecclesiæ, de quibus tamen nullum quæstum habebit, nisi secundum jus ab antiquo C institutum, si sibi hoc ostendere poterimus evidenter, sed ubi illud jus liquido non patebit, contentus erit illa utilitatis perceptione quam nos & Gardianus in *Hallis* decreuimus ordinarie. Relinqueret etiam absolute & renunciaret aduocatiæ quam se asserebat, a quondam Rege *Cunrado* titulo pignoris possidere. Cæterum * homines Sancti Nicolai ubicunque residentes ab omni seruitio dimittet liberos & simpliciter absolutos, forum etiam annuale ad Sanctum Egidium, ad alium locum nullatenus transferetur. Molendinis etiam nostris in *Steinwach* propter suum moD lendinum nullum præjudicium fiet, sed in eo jure ut probati viri super hoc sententionauerint, utrinque de cetero permanebit. Adjecit etiam his obligatione spontanea, si ipse aut heredes sui aliquoties contra prædictorum aliquid temere ac notabiliter venire præsumpserint, ita quod a fide dignis qui super hoc interrogabuntur, temerarium judicatum fuerit, si hæc amoniti infra duos menses emendando non reuocauerint, ex tunc nostro monasterio tenentur totiens centum marcas argenti soluere sine omni con-

* In Versione hujus diplomatis germanica & antiqua est: *eigen Leuthe.*

traditione & expedire. Et insuper quod contra eum aut heredes de omnibus injuriis qualitercunque aut quantumcunque ab ipsis vel eorum occasione nobis illatis, plenam habebimus actionem. Nos igitur pro nobis & nostris successoribus, ipse quoque pro se suisque heredibus conditionibus his extantibus super omnibus præmissis renunciauimus inuicem singulis & uniuersis instrumentis, seu contractibus quibuscunque expressis & non A expressis, hactenus habitis vel habendis, ita, ut nullam efficaciam de cetero obtineant vigoris vel effectum, ac etiam renunciamus omnibus exceptionibus generalibus & spiritualibus, quæ in unoquoque judicio spirituali vel seculari contra hoc scriptum nostrum possent aut potuerint obiici vel opponi. Et ut hæc durationis firmitudine non priuentur, & a nemine valeant infirmari, sigillorum præsentium, præsentem chartam duximus munimine roborandam. Acta sunt hæc in monte *Kamberg* anno Domini MCCLXV, Indictione octaua, tertio Idus Martii. *Mit Vrkund diß Briefs ist diese Abgeschrifft versiegelt, mit unsern Stadt Insegel, das geschach, da man zahlt von Christus Geburte* dreyzehnhundert Jahr, *und darnach in dem* ein und sechszigsten *Jahr, an dem nächsten Donnerstag vor Sanct Matthæus Tag des zwölff Botten.* B

XXX.

SEYFRIDVS *Abbas, totumque Capitulum Comburgensis Ecclesiæ, conferunt* BALDINARO *curiam in* TINGENTHAL *sub titulo censualis feudi.*

1268. QVoniam actiones hominum euanescunt in tempore, si non fuerint vero testimonio idoneorum testium & literarum robore confirmata; hinc est, quod nos *Seifridus* Abbas, totumque Capitulum Cambergensis Ecclesiæ ad notitiam vniuersorum tam præsentium quam futurorum peruenire cupimus, quod *Conradus* de *Brunnen* & cæteri sui coheredes curiam in *Tingenthal*, quam a nobis titulo possiderunt virilis feodi, ad manus nostras resignauerunt, petentes instanter, vt dictam curiam *Baldinaro* militi & vxori suæ, nec non omnibus heredibus conferre vellemus. Quorum petitioni annuentes iam dictam curiam cum omnibus suis attinentiis, exceptis tribus iugeribus agri & duabus domibus & vno prato, prædictis personis communi consensu & manu coadunata contulimus titulo censualis feodi, D hac conditione mediante, videlicet quod singulis annis in festo beati Nicolai vnus Sol. Hall. ecclesiæ nostræ persoluatur, & sic libere cum omnibus ipsorum heredibus dictam curiam possidebunt, excepto quod solummodo ad casum vnus Sol. Hall. inde est persoluendus. Huius rei testimonium sunt *Engelhardus* Prior, *Wimarus* Cantor, *Conradus* miles de *Huge*, *Vlricus Bircker*, *Ruggerus Crez*. In cuius rei etiam euidens testimonium præsentem eis literam dedimus sigillorum nostrorum & domini *Walberi* Pincernæ de *Limburg* robore confirmatam. Acta sunt hæc Anno Domini MCCLXVIII. feria tertia ante Marci.

XXXI.

WALTHERVS *Pincerna de* LIMBVRG, *pro libertate capellæ suburbicastri* LIMBVRG *renuntiat iuri suo in villa* STEINWAG *competente, nec non Aduocatiæ in* WVSTENZIMMERN.

QVoniam humana solertia, processu temporis intercedente, super gestis & contractibus suis scrupulosis calumniis inniti solet, expedit ea scripturæ testimonio perhennare. Huius rei gratia nos *Walterus* Imperialis aulæ *Pincerna* de *Limburg*, ad notitiam cunctorum cupimus peruenire, quod pro libertate capellæ suburbicastri nostri *Limburg* more commutationis seu concambii, quicquid iuris in villa *Steinwach* habuerimus, vel habere potuerimus a latere & in fundo quocunque modo, a riuulo per medium montis *Limburg* versus *Cochen* currente, siue in hominibus vsque ad cliuium ex alia parte sancti Egidii, ecclesiæ Kambergensi dimisimus & dimittimus libere & soluta, excepta piscina sub castro *Limburg*, quæ terminatur in proxima ripa de fonte dicto *Klingenbrunen* fluente. Promittimus etiam pro nobis & nostris heredibus, quod hominibus non ex antiquo atinentibus, cuiuscunque conditionis existant, non præstemus aliquod auxilium vel iuuamen contra Abbatem & Conuentum ecclesiæ prædictæ, seu contra homines ipsis annexos, nisi mediante iustitia & actionibus concedentibus. Renuntiantes etiam Aduocatiæ in *Wustenzimmern*, si quid iuris in eam habuimus, & vt hæc a nobis & a nostris heredibus seu successoribus maneant incoluulsa, sigilla sæpe dictæ ecclesiæ & nostrum insignum præsentibus sunt appensa. Testes vero huius rei sunt Dominus *Berchtoldus* Præpositus sancti Egidii, Dominus *Rudegerus* Cantor Plebanus sanctæ Katharinæ, Plebanus in *Michelfeldt*, *Fridericus* de *Bibriet* & aureus miles *Ruggerus* de *Scheffau*, & *Iohannes* Vicarius in *Steinwag*, & alii quam plures fide digni, datum & actum Anno Domini MCCLXXXIII. in vigilia assumptionis beatæ Mariæ Virginis gloriosæ. C

1282.

XXXII.

STOCKELIN *bona sua sita in* HAGE *legat Ecclesiæ Kambergensi.*

IN nomine Domini, Amen. Quoniam gesta hominum obliuionis deuio plerumque calumniari, aut penitus immutari solent, necesse est, ea testium annotatione & viuaci literarum testimonio peremnari. Ea propter ego *Conradus Stockelin*, & *Petrissa* vxor mea, recognoscimus literis præsentibus publice protestando, quod nos concorditer vniuersa bona nostra sita in *Hage*, videlicet tam feoda & dimidium, atq; decimas nostras in *Adloltswilar*, quæ bona cum omni iure proprietatis nobis sunt approbata, & ad vllum alium siue consanguineorum, seu cognatorum, vel affinium, aliorumue quorumlibet amicorum nostrorum, aliqualiter pertinen-

1286.

tia, diuinitus instructi vtpote pro temporali, vitam æternam in futuro, & centuplum accipere sperantes, totaliter & integraliter resignauimus, vna cum decimis, pratis, pascuis, nemoribus, siue siluis, agris cultis & incultis, nec non cum omnibus iuribus præscriptis, bonis attinentibus, & contulimus atque dedimus Ecclesiæ in *Kamberg* perpetuo possidendum iure propter Deum, & ob reuerentiam beatæ Mariæ virginis, & sancti Nicolai, aliorumque sanctorum, patronorum eiusdem loci, ac ab Abbate & Conuentu ipsius Ecclesiæ iure feodi recepimus, eadem bona pro annuo censu vsque ad terminum vitæ nostræ, sex pullos dominis nostris in *Kamberg*, quam diu vixerimus, pro censu eorundem bonorum quolibet anno dantes; nobis autem de hoc medio sublatis, nullus prorsus siue cognatorum, seu quorumlibet amicorum nostrorum, habebit aliquod ius impetendi Kambergensem Ecclesiam pro bonis memoratis, in quibus etiam nobis viuentibus viris nihil penitus habuerunt, quippe ipsa bona in Capitulo *Kamberg*. & in foro iudicii Hallensis publice & libere, & sine qualibet omnium contradictione pro salubri testamento & perenni remedio delictorum nostrorum perpetualiter legauimus dictis sanctis, hoc adiecto, quod singulis annis, in die anniuersarii obitus mei *Conradi Stockelin* cuilibet Monacho in *Kamberg* detur simula & ciphus melioris vini, & in anniuersario Vxoris meæ *Petrissæ* tantum detur. In cuius rei testimonium procurauimus præsentem literam conscribi, & sigillis Abbatis & Conuentus in *Kamberg*, & Abbatis in *Murrhart*, simulque Ciuitatis in *Hallis*, firmiter & fideliter stabiliri. Testes huius rei sunt *Bercholdus* Prior, *Conradus* Camerarius, *Ruggerus* Custos, *Rudegerus* Cantor, *Syfridus* Capellanus, *Heinricus* cellerarius, sacerdotes & monachi in *Kamberg*, *Vlricus* Decanus de *Westhein*, *Waltherus* Decanus de *Tingenthal*, *Fridericus* Decanus de *Lorch*, *Ansbelmus* viceplebanus in *Heinwag* seculares sacerdotes, *Heinricus* de *Prunnen* plebanus de *Munster*, *Bercholdus* Scholasticus in *Kamberg*, clerici, *Fridericus* de *Vobenstein*, *Iohannes* de *Bachenstein*, *Fridericus* de *Bilriet*, *Rabenoldus* de *Geilndorff* milites, *Philippus* Scultecus in *Hallis*, *Arnoldus* de *Scheffawe*, *Heinricus* de *Hesenthal*, *Embardus* de *Pretzingen*, *Conradus Essych*, *Heinricus Wurtzpurger*, Laici & quam plures alii fide digni. Datum Anno Domini MCCLXXXVI.

XXXIII.

BONIFACIVS *Monasterio Comburgensi Iudices & Conservatores pacis constituit, Archiepiscopum Moguntinum, Episcopum Herbipolensem & Custodem Ecclesiæ Augustanæ.*

Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Moguntino, & Episcopo Herbipolensi ac dilecto filio custodi Ecclesiæ Augustanæ, salutem & apostolicam benedictionem. Militanti Ecclesiæ licet immeriti disponente Domino præsidentes, circa curam ecclesiarum & Monasteriorum omnium solertia reddimur indefessa soliciti, vt iuxta debitum pastoralis officii eorum occuramus dispendiis, & profectibus diuina cooperante clementia salubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum Abbatis & Conuentus Monasterii Sancti Nicolai *Kamberg*, Ordinis sancti Benedicti Herbipol. Dioces. conquestionem percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi aliique ecclesiarum prælati, & clerici ac ecclesiasticæ personæ, tam religiosæ quam seculares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, milites & laici Communiam Ciuitatum, Vniuersitates oppidorum, castrorum, villarum & aliorum locorum, & aliæ singulares personæ ciuitatum & dioces. ac aliarum partium diuersarum occuparunt & occupari fecerunt castra, villas & alia loca, terras, domos, possessiones, iura & iurisdictiones, nec non fructus, census, reditus & prouentus dicti Monasterii, & nonnulla alia bona mobilia & immobilia, spiritualia & temporalia, ad Abbatem & Conuentum ac Monasterium prædictos spectantia, & ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium vel fauorem. Nonnulli etiam ciuitatum, dioces. & partium prædictarum, qui nomen domini in vanum recipere non formidant, eisdem Abbati & Conventui super prædictis castris, villis & locis, aliis terris, domibus, possessionibus, iuribus & iurisdictionibus, fructibus, censibus, reditibus & prouentibus eorundem, & quibuscunque aliis bonis, mobilibus & immobilibus, spiritualibus & temporalibus & aliis rebus ad eosdem Abbatem & Conuentum ac Monasterium spectantibus multiplices molestias & injurias inferunt ac facturas. Quare dicti Abbas & Conuentus nobis humiliter supplicarunt, vt cum eisdem reddatur valde difficile, pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, prouidere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur aduersus occupatores, detentores, præsumptores, molestores & injuriatores hujusmodi, illo volentes eisdem Abbati & Conuentui remedio subuenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, & aliis aditus committendi similia præcludatur; Discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut vnus vestrum, per vos vel alium seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis conseruatores & Iudices, præfatis Abbati & Conuentui efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eos super his & quibuslibet aliis bonis & iuribus, ad Abbatem & Conuentum ac Monasterium prædictos spectantibus, ab eisdem vel quibusvis aliis indebite molestari, vel eis grauamina seu damna, vel injurias irrogari facturi dictis Abbati & Conuentui, cum ab eisdem vel procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti, de prædictis & aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi castrorum, villarum, terrarum, domorum & aliorum locorum, jurisdictionum, jurium & bonorum, mobilium & im-

immobilium, redituum quoque ac prouentuum, & aliorum quorumcunque bonorum, nec non de quibuslibet aliis moleſtiis, iniuriis ac damnis, præſentibus ac futuris, in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, ſummarie de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit iuſtitiæ complementum, Occupatores ſeu detentores, præſumptores, moleſtores, & iniuriatores huiuſmodi, nec non contradictores quoslibet, & rebelles cujuſcunque dignitatis, ſtatus, ordinis vel conditionis extiterint, quandocunque & quotieſcunque expedierit, auctoritate noſtra, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus tam felicis recordationis *Bonifacii* Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, in quibus cauetur, ne aliquis extra ſuam ciuitatem & Dioceſin, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam dietam a fine ſuæ Dioceſis ad judicium euocetur, ſeu ne Iudices & conſeruatores a ſede deputati, prædictam extra ciuitatem & Dioceſin, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere ſiue alii vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos vltra vnam dietam a fine dioceſ. eorundem trahere præſumant, dummodo vltra duas dietas aliquis auctoritate præſentium non trahatur. Seu quod de aliis quam de manifeſtis injuriis & violentiis, ac aliis, quæ iudicialem indaginem exigunt, pœnis in eos, ſi ſecus egerit, & in id procurantes adjectis. Conſeruatores ſe nullatenus intromittant, quam aliis quibuscunque conſtitutionibus, a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de judicibus delegatis, & conſeruatoribus, quam perſonis vltra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quæ veſtræ poſſent in hac parte jurisdictioni aut poteſtati, ejusque libero exercitio quomodolibet obuiare. Seu ſi aliquibus communiter vel diuiſim a præfata ſit ſede indultum, quod excomunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra vel vltra certa loco ad judicium euocari non poſſint, per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi, & earum perſonis, locis, ordinibus & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia indulgentia dictæ ſedis generali vel ſpeciali cuiuscunque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam veſtræ iurisdictionis explicatio, in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cuiusque tenore de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Ceterum voluimus & auctoritate apoſtolica decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamuis idem inchoans, nullo fuerit impedimento canonico præpeditus, quodque adatis præſentium ſit vobis & cuilibet veſtrum in præmiſſis omnibus, & eorum ſingulis ceptis & non ceptis, præſentibus & futuris perpetuata poteſtas & iurisdictio attributa, vt eo vigore eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus, ceptis & non ceptis, præſentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia & ſingula coram vobis cepta fuiſſent, & iurisdictio veſtra, & cuiuslibet veſtrum in prædictis omnibus & ſingulis, per citationem vel modum alium, perpetuata legitimum extitiſſet, Conſtitutione prædicta, ſuper conſeruatoribus & alia qualibet in contrarium edita non obſtante præſentibus poſt quinquennium minime valituris. Datum *Romæ* apud ſanctum Petrum IV. Nonas Maii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

XXXIV.

Teſtimonium, de publicatione Indulgentiarum pœnitentibus in Comberg *poſt feriam quartam Pentecoſtes.*

SAnctiſſimo in Chriſto patri ac Domino *Clementi*, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici: *Eckardus* Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Abbas monaſterii in *Ellwangen* Auguſtenſis Dioceſ. *Friderici*s Abbas monaſterii in *Lorch* eiusdem Dioceſ. & *Conradus* Abbas monaſterii in *Murhart* Herbipol. Dioceſ. cum ſumma reuerentia & obedientia deuota, pedum oſcula beatorum veſtræ ſanctitatis excellentiæ ſub debito veſtræ obedientiæ cum omni humilitate duximus declarandum, monaſterium in *Kamberg* ordinis Sancti Benedicti Herbipol. Dioceſ. ex antiqua & approbata conſuetudine, cujus contrarium in memoria non habetur, eſſe taliter inſignitum, quod Abbas eiusdem monaſterii, qui pro tempore fuerit, ſingulis annis feria quarta infra octauas penthecoſtes, jejunio videlicet quatuor temporum ejusdem ebdomade Penthecoſtes, de conſenſu & licentia dioceſani, cum omni ſolennitate, qua Epiſcopus ſolet, in dictum monaſterium *Kamberg* conſueuit recipere & interdicere Karenarios publice pœnitentes, ac indulgentias eidem Monaſterio a diuerſis Pontificibus conceſſas, omnibus Chriſti fidelibus ibidem confluentibus ſolenniter publicare. In cuius rei teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus duximus apponenda. Datum anno Domini MCCCVIII. feria ſecunda proxima poſt octauas Penthecoſtes. 1308.

XXXV.

Depoſitio teſtium de prædicto priuilegio indulgentiarum.

INtendit probare procurator honorabilium virorum Abbatis & Couuentus Monaſterii in *Kamberg*, Herbipol. Dioceſ. nomine eorundem, quod ex parte eorum & nomine Monaſterii prænotati fuerunt a ſede Apoſtolica impetrata & obtenta priuilegia, continentia inter cætera tenorem articuli infra ſcripti, videlicet quod licitum eſſet & eſſe debeat Abbati Monaſterii in *Kamberg* prædicti, pro tempore exiſtenti, introducere pœnitentes in dicto monaſterio, in feria quarta poſt diem ſanctum Penthecoſtes, ſi ad hoc conſenſus Epiſcopi Dioceſani acceſſit. Item quod Abbas dicti Monaſterii pro tempore exiſtens ſolenniter pœnitentes in dicta quarta feria poſt diem Sanctum Penthecoſtes, a tempore, cu- 1314.

jus memoria non exiſtit, continue introduxit, quod vulgariter dicitur *Karneſter inleiten*; Item quod dicta priuilegia perdita ſiue amiſſa ſunt, item quod de præmiſſis eſt vox & publica fama, item quod ipſa priuilegia fuerunt irreprehenſibilia in charta, in filo, in bulla & in litera. Dominus *Bernignerus* Abbas Monaſterii in *Kamberg* juratus requiſitus ſuper primo intentionis articulo, qui eſt, quod ex parte Monaſterii in *Kamberg* fuerunt a ſede Apoſtolica impetrata priuilegia, continentia inter cetera, quod licitum eſſe debeat Abbati prædicti Monaſterii in *Kamberg* &c. Reſpondit, ita eſſe ſecundum quod articulus continebat, prout ab aliis audiuit, qui ipſa priuilegia viderant. Nam ipſe non viderat ob defectum ætatis. Item ſuper ſecundo intentionis articulo, qui ſic eſt, quod Abbas dicti Monaſterii pro tempore exiſtens ſolenniter &c. dicit quod ita ſemper ſeruatum ſit de conſenſu Epiſcopi ſuis temporibus, & ante ipſum a tempore, cujus non extat memoria, ſemper fuerit obſeruatum de conſenſu Epiſcopi vt ab aliis audiuit. Item requiſitus ſuper tertio articulo, qui eſt: Item quod priuilegia perdita ſiue amiſſa ſunt, dicit, verum eſſe articulum ſecundum quod a fratribus ſui monaſterii audiuit, & dicit ea perdita fuiſſe a tempore *Berchtoldi* Abbatis ipſius Monaſterii, quadam die cum hæc & alia priuilegia indulgentiarum ipſius Monaſterii oſtenſa ſeu publicata fuerunt pro populo, per quem autem ſubtracta vel perdita fuerint, non audiuit. Hæc omnia ſcit ex relatione aliorum. Item reſpondit de quarto articulo, qui eſt: Item quod de præmiſſis vox eſt &c. dicit, verum eſſe articulum, quia ſic communiter ab omnibus audit & audiuit. Item rogatus, utrum dicta priuilegia fuiſſent in aliqua parte vel in charta, vel in bulla, ſiue in litera, vel filo vitiata, reſpondit, ea fuiſſe irreprehenſibilia, prout ab aliis audiuit. Item dicit, ſe non excommunicatum, non inſtructum, non ſubornatum. Dominus *Henricus* Abbas quondam Monaſterii in *Kamberg* juratus & requiſitus ſuper primo intentionis articulo, qui eſt, quod ex parte Monaſterii in *Kamberg* &c. reſpondit: articulum verum eſſe quoad omnia in eo contenta, quia ipſe priuilegia vidit in charta, in litera & in bulla & in filo, qui fuit de ſerico. Item quod audiuit ea legi, addidit etiam, quod impetrata fuerint per *Conradum* Dominum de *Oringau*, Monachum & magiſtrum Fabricæ Monaſterii eiusdem. Item reſpondit ſuper ſecundo intentionis articulo, qui eſt: Item quod Abbas dicti Monaſterii pro tempore exiſtens &c. dicit, eum verum eſſe & continue fuiſſe ſeruatum a tempore impetrati priuilegii de conſenſu Epiſcoporum. Hæc ſcit ex eo, quod præſens fuit, interfuit & vidit. Item requiſitus ſuper tertio intentionis articulo, dicit, eum verum eſſe, & concordat in hoc articulo cum præcedente teſte, eo excepto, quod dicit, ſe pro certo ſcire, quod tempore Abbatis *Bertoldi* eiusdem Monaſterii fuerint perdita. Item requiſitus de quarto articulo, concordat cum præcedente teſte. Item requiſitus, utrum priuilegia ipſa fuiſſent in aliqua parte in charta, in filo, in bulla, in litera vitiata, dicit, quod multi boni clerici viderint & legerint eadem priuilegia, & nunquam audierint in aliquo reprehendi, nec ipſe in eis aliquod vitium viderit vel cognouerit. Dicit ſe eſſe non excommunicatum, non inſtructum, non ſubornatum. Dominus *Waltherus* de *Suntheim* monachus Monaſterii in *Kamberg* juratus, requiſitus ſuper primo intentionis articulo, concordat cum proximo teſte, eo excepto, quod neſcit, utrum filum fuerit de ſerico vel de alia materia, ſed dicit, ipſum eſſe album, item quod non nouit, nec vidit eum, qui dictum priuilegium impetrauit. Item requiſitus ſuper ſecundo intentionis articulo, concordat cum ipſo articulo, qui dicit, ſe ſuis temporibus vidiſſe & interfuiſſe, & quod omni anno conſenſus Epiſcopi Dioces. ad hæc fuit impetratus. Item requiſitus ſuper tertio intentionis articulo & quarto, concordat per omnia cum teſte proximo. Item requiſitus ſuper quinto intentionis articulo, qui eſt, quod ipſa priuilegia fuerint irreprehenſibilia in charta, in filo &c. concordat cum eodem articulo cum teſte proximo. Dicit, ſe non excommunicatum, non inſtructum, non ſubornatum. Dominus *Heinricus* de *Brunne* juratus requiſitus ſuper primo intentionis articulo, dicit, ſic ſonat articulus prout audiuit ex relatione aliorum ſeniorum, & per famam, & multotiens vidit, introductiones fieri ſecundum quod continet articulus, & quod annuatim requirebatur conſenſus Dioceſ. Epiſcopi, & quod multotiens fuit nuntius pro impetrando conſenſu eiusdem Epiſcopi. Item requiſitus ſuper ſecundo intentionis articulo, dicit, quod quamdiu ipſe recolit, jam fere XXX. annis continue vidit huiiis introductiones fieri per Abbatem eiusdem monaſterii, de anteriori ipſe, de quo non recolit, concordat cum articulo, & hæc ſcit ex fama & relatione ſeniorum. Item requiſitus ſuper tertio articulo, quarto & quinto, concordat cum eis, prout ex relatione Monachorum ſeniorum in monaſterio, & ex fama publica ſcit, quam etiam famam in omnibus prædictis credit eſſe veram. Dicit ſe eſſe non excommunicatum, non inſtructum, non ſubornatum. Dominus *Petrus* Decanus in *Künzelſcu* juratus requiſitus ſuper primo, ſecundo, tertio, quarto, articulo intentionum, concordat totaliter cum proximo teſte, quintum verum articulum credit eſſe, alias ſibi de quinto nihil conſtat, dicit, ſe non eſſe excommunicatum &c. Dominus *Bertoldus* de *Auguſta* monachus ipſius monaſterii juratus requiſitus ſuper primo intentionis articulo, concordat cum ipſo articulo, hæc ſcit ex eo, quod ipſe priuilegia vidit & legi audiuit, addidit etiam, quod Epiſcopi Dioceſ. conſenſus cum anno requirebatur. Item requiſitus ſuper ſecundo intentionis articulo, concordat cum eo de ſcitu quam diu ipſe recolit, de tempore vero

quod

quod non recolit, concordat cum duobus proximis teſtibus. Item requiſitus de tertio articulo, concordat cum eo, quia audiuit Dominum *Bertoldum* Abbatem ipſius Monaſterii hæc conquiri, cuius etiam tempore amiſſa fuerunt priuilegia, hæc etiam audiuit communiter ab omnibus fratribus ſui Monaſterii; quintum articulum dicit eſſe verum, prout ipſe poterat cognoſcere; quartum etiam articulum dicit eſſe verum, de omnibus, quæ dixit. Dicit ſe non eſſe excommunicatum &c. *Seifridus* dictus *Wilde* juratus requiſitus ſuper primo articulo concordat cum A ipſo, hæc ex eo ſcit, quia ipſe priuilegia vidit, & multoties audiuit ea publicari pro populo, & quendam dictum *Belzenberger* ea priuilegia multotiens audiuit legi de conſenſu Epiſcopi; concordat cum proximo teſte. Item requiſitus ſuper ſecundo articulo, quo a tempore, de quo ipſe recolit, concordat cum proximo teſte. De anteriori tempore concordat cum ſecundo teſte. De tertio vero articulo & quarto concordat cum proximo teſte. De quinto vero articulo dicit, quod multotiens viderit multos clericos in manu tenere & legere, & nunquam audiuerit, quod in aliquo fuerint reprehenſa. Dicit, ſe non eſſe excommunicatum &c. *Heinricus* dictus de *Gebſettel* requiſitus ſuper primo articulo, dicit eum verum eſſe, vt ex relatione audiuit, dicit etiam, ſe vidiſſe monachum ipſius monaſterii dictum de *Bockenfelt*, qui etiam priuilegia impetrauit vt teſtis aſſeruit. De ſecundo vero articulo concordat cum Domino *Bertoldo* de *Auguſta* ſuo conteſte. De tertio vero articulo & quarto concordat cum Domino *Petro* ſuo conteſte. De quinto vero articulo dicit, quod nunquam C audierit ipſa priuilegia in aliquo reprehendi & dicit, ſe non eſſe excommunicatum &c. *Conradus* Dominus Capellanus juratus requiſitus ſuper primo intentionis articulo, concordat cum ipſo articulo prout audiuit ex relatione multorum & maxime Monachi dicti de *Bockenfelt* & monachi de *Degenfelt* presbyteri in *Nusbaum*. De ſecundo articulo concordat cum Domino *Bertoldo* de *Auguſta*, ſuo conteſte. De tertio vero articulo & quarto concordat cum eodem conteſte. De quinto articulo concordat cum proximo teſte, dicit, ſe eſſe non excommunicatum, non D inſtructum, non ſubornatum. Iſti teſtes recepti ſunt anno Domini MCCCXIV. nonas Iunii a nobis *Anshelmo* Dei gratia Abbate Monaſterii Sancti Burckardi prope muros Herbipol. & *Cunnone* de *Gosheim* Officiali Curiæ Herbipol. auditoribus deputatis ad ſupra ſcripta a Reuerendo in Chriſto patre Domino *Andrea* Epiſcopo Herbipol. jurato, cum ſolennitate debita & conſueta. In cuius rei teſtimonium præſentes literas ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandas.

XXXVI.

ANDREAS *Epiſcopus Herbipol. permittit Abbati Comburg. introducere pœnitentes poſt feriam quartam Pentecoſtes, ſi prius conſenſum ſuum ſuper hoc impetraverit.*

ANdreas Dei gratia Epiſcopus Herbipol. vniuerſis harum literarum, inſpectoribus tam præſentibus quam futuris ſalutem & ſinceram in Domino charitatem. Cum notitia ſubſcriptorum ex parte dilectorum in Chriſto *Beringneri* Abbatis & Conuentus Monaſterii ſancti Nicolai in *Kamberg* Ordinis ſancti Benedicti noſtræ dioceſ. fuit propoſitum coram nobis, quod ipſi & eorum monaſterium habuerint ab antiquo priuilegia ſedis apoſtolicæ, continentia inter cetera tenorem articuli infra ſcripti: Videlicet quod licitum eſſet Abbati dicti monaſterii, pro tempore exiſtenti, introducere pœnitentes in feria quarta poſt diem ſanctum Penthecoſtes ſingulis annis in ipſo monaſterio, ſi ad hæc voluntas Epiſcopi Dioceſ. accederet; Et quod hujuſmodi priuilegia irreprehenſibilia in charta, in filo, in bulla, B & in litera extitiſſent, quodque ratione eorundem priuilegiorum, Abbas pro tempore exiſtens, in dicto Monaſterio prædicta quarta feria poſt diem ſanctam Penthecoſtes ſingulis annis pœnitentes introduxerit a tempore, cuius memoria non exiſtit, prædeceſſorum noſtrorum ac noſtro ſuper his conſenſu requiſito, anno quolibet & obtento, & quod ipſa priuilegia dudum ſint perdita & amiſſa. Vnde nobis ex parte ipſorum fuit humiliter ſupplicatum, vt Abbati & Conuentui prædictis, eorumque monaſterio ſuper his ſalubriter prouidere C paterna ſolicitudine dignaremur. Nos vero volentes, cultum diuini Numinis noſtris temporibus non minui, ſed potius augmentari, probationes Abbatis & Conuentus prædictorum eorumque monaſterii ſuper præmiſſis recipiendas fore decreuimus, ipſarumque probationum ſiue teſtium receptionem & examinationem commiſimus honorabilibus viris *Anshelmo* Abbati Monaſterii ſancti Burckardi prope muros Herbipolenſes ordinis ſancti Benedicti, & Magiſtro *Cunoni* de *Chosheim* Canonico nouo Monaſterii Herbipol. Officiali curiæ noſtræ, quæ teſtes ex parte Abbatis & Con- D uentus prædictorum, dictique monaſterii inductos juratos ſolenniter receperunt, eosque cum diligentia examinauerunt, adhibitis ſolennitatibus, & interrogatoriis debitis & conſuetis. Quorum teſtium depoſitionibus publicatis, & ſuper his deliberatione præhabita cum peritis, inuenimus ex parte Abbatis & Conuentus prædictorum, dictique monaſterii intentionem eorum, prout nobis ſuperius propoſita extitit, ſufficienter fore probatam & fundatam per dicta teſtium eorundem. Vnde nos decreuimus per præſentes, quod ſecundum tenorem priuilegiorum ſedis apoſtolicæ prænotatæ, quæ, vt prædictum & probatum eſt, ſine reprehenſione Bullæ, chartæ & literæ

1311.

apparebant, Abbas pro tempore existens in dicto monasterio *Kamberg*, quarta feria post diem sanctum Penthecostes, possit de cetero auctoritate dictæ sedis apostolicæ, singulis annis introducere pœnitentes, dummodo nos vel successores nostri pro tempore, nostrum ad id consensum duxerimus adhibendum. Quem super eo singulis annis ex parte Abbatis & Conuentus dicti monasterii requiri volumus cum humilitate, & reuerentia debita & condigna. In voluntate tamen & gratia nostra nostrorumque successorum fore decernimus eundem consensum dare, anno quolibet vel negare. Datum *Herbipoli* anno Domini *millesimo, trecentesimo, vndecimo* XVIII. Cal. Febr.

XXXVII.

ALBERTVS *Episcopus Herbipol. dat Abbati Comburg. consensum introducendi pœnitentes post feriam quartam Penthecostes.*

1349. NOs *Albertus* de *Hohenlohe*, Dei & apostolicæ sedis gratia electus & confirmatus Episc. ecclesiæ Herbip. honorabili ac religioso viro *Cunrado*, Abbati monasterii in *Kamberg*, ordinis sancti Benedicti, suæ Dioces. sibi in Christo sincere dilecto, salutem & sinceram in Domino charitatem. Vt pœnitentes ac superuenientes feria quarta infra octauos Penthecostes in carena in prædicto monasterio tuo *Kamberg*, secundum consuetudinem antiquitus obseruatam introducere valeas, tibi tenore præsentium plenam ac liberam concedimus facultatem. Datum in Oppido nostro *Horowe*, anno Domini MCCCXL. nono, pridie Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

XXXVIII.

GERARDVS *Episcopus Herbipol. similiter consentit.*

1373. GErhardus Dei & apostolicæ sedis gratia Episcopus Herbip. venerabili & religioso viro Abbati monasterii in *Kamberg* Ordinis sancti Benedicti, nostræ dioc. salutem & sinceram in Domino charitatem. Ad pœnitentium introductiones ac reconciliationes eorundem per te in præfato monasterio tuo, singulis annis quarta feria post diem Penthecostes celebrandas, juxta tenorem & formam indulti apostolici desuper facti & concessi, tibi præsentibus nostris damus & concedimus fauorem & consensum. Concedentes tibi præsentes in testimonium super eo datas. *Schweinfurt* anno Domini MCCCLXX. tertio, XX. die mensis Februarii nostro maiori sigillo subappenso.

XXXIX.

Comburg promittit desistere a lite, quam propter Ius Patronatus in Ecclesia ERLACH EBERHARDO *mouebat, hoc tamen reseruato, vt illæ dictum Ius Patronatus, cum manso in* ALTENHAVSEN *& molendino in* ENSLINGEN, *tanquam feudum a Monasterio recognoscat.*

1314. IN nomine Domini, Amen. Nos *Beringnerus* Abbas, totusque Conuentus Monasterii in *Kamberg*, ordinis sancti Benedicti Herbipol. Dioc. harum tenore literarum publice recognoscimus, & constare volumus vniuersis tam præsentibus quam futuris; quod licet præsentationi *Wernheri* clerici de *Hallis*, ad parochialem Ecclesiam in *Erlach* iuxta *Hallis* prorectore eiusdem Ecclesiæ jam dudum facere per honestum virum *Eberhardum Philippi*, dictum *Philips*, ipsius Ecclesiæ Patronum, contradixerimus, & eisdem præsentatori & præsentato *Eberhardo* scilicet, & *Wernhero* nos opposuerimus, asserentes Ius patronatus dictæ Ecclesiæ ad nos & prædictum nostrum Monasterium pertinere. Ideoque inter nos & ipsos super præfata Ecclesia in *Erlach* lis seu quæstio subjecta fuit, & aliquandiu in judicio ventilata, tamen quia in veritate comperimus, honestum virum bonæ memoriæ *Philippum*, quondam Patrem prænominati *Eberhardi*, fuisse verum Patronum parochialis Ecclesiæ supra dictæ, ipsique *Philippo* eundem *Eberhardum* in bonis subscriptis, quibus dictum Ius Patronatus Ecclesiæ in *Erlach* annexum est, & ad ea pertinet, a nobis & a nostro Monasterio in feudum, quod vulgariter dicitur *Mannleben*, procedentibus, videlicet manso in *Altenhausen*, quem tenet & colit *Conradus* dictus *Hennenberg*, & molendino sito in *Kochen Enslingen*, tanquam verum heredem legitime successisse, & ob hoc quia jam dicto *Eberhardo* suo, heredum suorum nomine recipienti eadem bona vt tenebamur in feudum, quod vulgariter dicitur *Mannleben*, contulimus, a contradictione & oppositione nostra contra ipsum, & ab eo præsentatum scilicet prænominatum *Wernherum*, destitimus & cessauimus, nec non ex nunc desistimus & cessamus, promittentes, quod in dicto jure Patronatus prædictum *Eberhardum* in judicio vel extra amplius non impediamus, nec etiam impetamus, nec litem aut quæstionem ei super eo aliquatenus de cetero moueamus, & recognoscentes insuper, nos & nostrum Monasterium ante dictum in præfata parochiali Ecclesia *Erlach*, & jure Patronatus ejusdem Ecclesiæ nihil juris penitus habere, seu nobis & eidem Monasterio nostro competere, nec etiam competiisse in eisdem eo tempore, quo prænominatus *Wernherus* ad ipsam ecclesiam pro rectore, per sæpe dictum *Eberhardum* exstitit prænominatus, eo excepto quidem prædictum Ius Patronatus, cum præmissis bonis ad quæ pertinet, a nobis & supra dicto Monasterio nostro tenetur & teneri debet in feudum, quod vulgariter dicitur *Mannleben*, quemadmodum est pactum. In quorum omnium præmissorum testimonium & euidentiam ampliorem tractatu inter nos præhabito, ac matura deliberatione interueniente, præsentes conscribi & sigillorum nostrorum appensione fecimus roborari. Datum Anno Domini MCCCXIIII. feria sexta ante ascensionem ejusdem.

XL.

Instrumentum, quod BERCHTOLDVS *Episcopus Herbipol. Monasterio Comburgensi donauerit Ecclesiam* STEINBACH *eiusque filiam in* HALLIS, *nec non Ecclesiam* CVNZELSAV *cum omnibus iuribus annexis.*

1316. NOuerint vniuersi præsentium inspectores, maxime autem hi, quorum interest, quod nos *Ansbelmus* Dei gratia Abbas Monasterii sancti *Burckardi* extra muros Herbipolenses, & *Fridericus* diuina permissione Abbas Monasterii sancti Steffani, intra muros Herbipolenses, ordinis sancti Benedicti, vidimus & legimus literas Reuerendi in Christo Patris Domini *Berchtoldi* quondam Herbipolensis Ecclesiæ Episcopi, ac eiusdem ecclesiæ Capituli veras, sigillis integris cum serico appensis, non abolitas, non rasas, nec cancellatas, nec in aliqua sui parte vitiatas, hunc tenorem per omnia continentes: *Berchtoldus* Dei gratia Herbipolensis ecclesiæ Episcopus, honorabilibus viris Abbati & Conuentui Monasterii in *Camberg*, Ordinis sancti Benedicti nostræ dioecesis, salutem & sinceram in Domino charitatem. Cum plantare sacram religionem, & plantatam fouere, nec non promouere ea, quæ ad diuini cultus decorem spectant, ex officii nostri debito teneamur; Nos proinde considerantes, quod reditus & prouentus vestri, propter diuersa guerrarum discrimina & pacem terræ communem hactenus perturbatam, sint plurimum diminuti, propter quod regularibus disciplinis, & diuinorum obsequiis, vt consueuistis, intendere non potestis ex sincero cordis affectu, subsidium vobis postulantibus, prout præsentis status temporis patitur, decreuimus impendendum. Ob reuerentiam itaque omnipotentis Dei & beatæ Mariæ Virginis gloriosæ & beati Nicolai confessoris, in cuius honorem vestrum Monasterium dignoscitur esse fundatum, & vt in Monasterio vestro prædicto regularis disciplina, ac per vos diuinorum obsequia liberius valeant exerci, & vt in anniuersario nostro post obitum nostrum, cum vigiliis & missa animarum nostri memoriam habeatis, parochialem ecclesiam in *Steinwach*, cum eius filia ecclesia in *Halle* ac Capellis ipsius, nec non parochialem ecclesiam in *Cuntzelsawe*, cum filiabus & Capellis eidem annexis, omnibusque juribus, libertatibus & pertinentiis suis, quarum jura Patronatus ad vos & vestrum Monasterium ab antiquo pertinere dinoscuntur, vobis & monasterio vestro prædicto, de voluntate, fauore & consensu capituli nostri pleno jure proprietatis & possessionis donamus & concedimus, in vos & monasterium vestrum præfatum easdem parochiales ecclesias de consensu & voluntate Capituli nostri prædicti, cum filiabus & capellis suis, omnibusque juribus, libertatibus & pertinentiis ipsarum & pleno rerum dominio transferentes, fructibus nihilominus & prouentibus prædictarum ecclesiarum in vsus vestros & monasterii vestri fideliter conuertendis. Ita tamen, quod præfatæ parochiales ecclesiæ, a Monasterio vestro præfato nullatenus alienentur, aut in alias personas seculares vel religiosas, aut quæcunque alia loca religiosorum vel secularium quocunque alienationis titulo transferantur, alioquin præsens nostra donatio sit irrita ipso facto, ac nullum robur obtineat firmitatis, quodcunque cura animarum in eisdem ecclesiis minime negligatur, & quod eædem ecclesiæ perpetuos habeant vicarios, quibus tantum de ipsarum prouentibus relinquatur, quod possint hospitalitatem tenere ac episcopo & Archidiacono loci, qui pro tempore fuerint, de suis valeant juribus respondere. Vt autem hæc nostra donatio cum consensu Capituli nostri præfati facta, omnibus patefiat, & robur obtineat firmitatis, nec vlla super ea imposterum quæstio vel dubitationis scrupulus oriatur, præsentem paginam exinde conscribi jussimus & sigillorum nostri & Capituli nostri supradicti appensionibus fecimus communiri. Actum quinto Idus Maji Pontificatus nostri anno XIII. Ann. vero Domini MCCLXXX. septimo. Præsentibus *Magnegoldo* de *Neuenburg*, Præposito, *Alberto*, Decano *Simone* de *Slitese*, Cantore *Friderico* de *Hohenburg*, Portenario *Arnoldo* de *Spyesheim*, Custode *Wernhero* de *Tannenberg*, *Heinrico* de *Wechmar*, *Ludwico* de *Hoheinberg*, Magistro *Gregorio* & *Alberto* de *Lewenstein* Archidiaconis, *Rudolffo* de *Hurnhein*, Scolastico, *Godeboldo* de *Walhausen*, & *Hermanno* de *Liebesperg*, Canonicis Herbipolensibus. Item *Rudigero*, Priore in *Camberg*, *Ruggero*, Custode, *Conrado* Camerario, *Seyfrido* Cantore *Henrico*, Sacerdote, *Ioanne*, Cellerario, *Rudigero* de *Braggenwanch*, *Wolffrando* de *Rote*, *Bernigero* de *Heigenberg*, *Walsramo Seyfrido* dicto *Bockenfelt*, *Walthero* dicto *Syeder*, Monachis de *Camberg*, & aliis quam pluribus adhibitis testibus fide dignis. In testimonium visionis literarum præmissarum atque robur, ad petitionem honorabilium virorum Dominorum Abbatis & Conuentus Monasterii *Kamberg* prædicti, recognoscimus, nos sigilla nostra, ex certa scientia præsentibus appendisse. Datum anno Domini MCCC sexto decimo, Cal. April.

XLI.

Confirmatio Priuilegiorum.

1318. *Ludouicus Bav. confirmat priuilegia monasterii Camburg.*

LVdouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, vniuersis Sacri Romani Imperii fidelibus præsentes literas inspecturis, gratiam suam & omne bonum. Accedens ad Majestatis nostræ præsentiam honorabilis & religiosus Vir Abbas Monasterii in *Kamberg*, ordinis Sancti Benedicti, deuotus noster dilectus nobis humiliter supplicauit, vt ex innata nobis clementia gratias sibi & Monasterio suo per diuæ memoriæ *Conradum* secundum factas, & per felicis recordationis *Rudolffum* prædecessores nostros in Imperio innouatas, dignaremur auctoritate Regia innouare. Quorum priuilegiorum tenor hic verbaliter est, subjunctus:

XLII.

XLII. *Rudolffus* Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, vniuerſis Sacri Romani Imperii fidelibus, præſentes literas inſpecturis, in perpetuum. Monitis Sacræ Religionis inducimur, vt perſonas religioſas & loca benigni fauoris gratia proſequentes, eorum tranquillitati & paci, ne procelloſæ turbationis inquietentur inſultibus & aduerſitatum moleſtiis agitentur, inpoſterum conſulamus. Nouerit igitur præſens ætas, & ſucceſſura poſteritas, quod ex parte Religioſorum Virorum Abbatis & Conuentus Eccleſiæ Sancti Nicolai de *Kamberg* nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt priuilegium claræ memoriæ *Conradi* A Romanorum Regis Secundi, prædeceſſoris noſtri, ſibi pie conceſſum, innouare, ex benignitate Regia dignaremur. Cujus utique priuilegii per omnia is eſt tenor:

XLIII. In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Conradus* diuina fauente clementia, Romanorum Rex II. Quoties religioſis & juſtis petitionibus fidelium noſtrorum, maxime autem ſanctarum Eccleſiarum aures regales noſtræ propitiationis inclinamus, nos ipſos & pro nobis orantes a Rege Regum clementer exaudiri non dubitamus. Omnibus igitur tam præſentibus, quam futuris Chriſti fidelibus notum eſſe volumus, nos pro remedio animæ noſtræ & parentum noſtrorum, & per interuentum *dilectæ Conſocialis noſtræ Gertrudis*: omnia bona ad Eccleſiam *Kamberg* nuncupatam, in honorem Sancti Nicolai conſtructam, jure pertinentia, ſub noſtram tutelam ſuſcepiſſe, & Regia noſtra auctoritate decreuiſſe, vt ſaluo per omnia jure & juſtitia Wurtzpurgenſis Epiſcopi, quodam modo libere & pacifice ſub immunitatis libertate maneant. Nihilominus etiam conſentiente per omnia, & adſtipulante nobis in hac cauſa dilecto noſtro *Embricone* Wurtzpurgenſe Epiſcopo, banno Regali interdicimus, ne Comes aliquis, vel quisquam ſub eo, qui vulgo *Woltpodo* vocatur, villam placitandi, angariandi, vel aliquas exactiones faciendi, per totam illam Abbatiam poteſtatem habeat, niſi tantum aduocatus, beneplacito Abbatis & fratrum eiusdem Eccleſiæ inſtitutus. Hoc autem nominatim per totum *Comitatum Cochengen, quem ante noſtram in Regno ſublimationem, nos ipſi habuimus*, fieri præcepimus. Humili autem flexi petitione *Hartwici*, qui tunc temporis eandem rexerit Abbatiam, inſtinctu D quoque *Waltheri* de *Lobenhauſen* & fratrum eius nos feciſſe ſciatis. Vt autem hujus præcepti noſtri pagina, firma & inconuulſa omni permaneat æuo, hanc chartam inde conſcriptam, & manu noſtra corroboratam, ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri.

Nos igitur prædicti Abbatis deuotis ſupplicationibus inclinati, prædictum priuilegium, de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus. Innouantes & confirmantes auctoritate Regia libertates, protectiones, & conſuetudines pariter & honores, ac omnia prorſus jura, quæ dictis Abbati & Conuentui, & eorum Eccleſiæ in eodem priuilegio ſunt indulta. Inhibemus itaque firmiter & diſtricte, ne ulla perſona, alta vel humilis, eccleſiaſtica vel mundana, prædictam Eccleſiam, vel perſonas eidem Eccleſiæ annexas, contra tenorem priuilegiorum præſentium aggrauet aliquo modo vel moleſtet. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, grauem noſtræ indignationis offenſam, nouerit ſe grauiter incurriſſe. In cuius noſtræ Innouationis & Confirmationis teſtimonium, præſentes conſcribi & noſtræ Majeſtatis ſigillo juſſimus communiri. Datum in Caſtro apud *Wisbaden*, A VIII. Idus Novemb. Anno Domini MCCCXVIII. Regni vero noſtri anno quarto.

XLIV.

Prior & totum Capitulum Comburg. conſtituunt exire monaſterio ſuo per biennium ad liberandum illud a magnis debitis, interea vero concedunt Abbati ſuo poteſtatem liberam adminiſtrandi bona dicti monaſterij.

NOs frater *Hermannus* Prior, & totum capitulum monaſterii in *Kamberg*, Ordinis. Sancti Benedicti Herbipol. dioc. Ad vniB uerſorum notitiam deducimus per præſentes, quod cum honorandus Vir Dominus *Conradus* Abbas noſter, & nos cum ipſo peruigiles gereremus curas, qualiter ſtatum noſtri monaſterii in melius poſſemus dirigere, vocauimus ad nos in die beati Johannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, ſub anno Domini MCCCXVIII. honeſtos viros & dominos *Waltherum* dictum *Colmam* Decanum in *Tungenthal*, *Waltherum* de *Korſpubel* plebanum in *Hallis*, *Heinricum* de *Lauffen* plebanum ad Sanctam Katharinam, extra muros ciuitatis C Halenſis, nec non *Heinricum* dictum *Lercher*, *Heinricum* dictum *Unmus* Milites, dictum *Gutegen*, *Eberhardum* dictum *Philips*, *Schulterum Wernherum* dictum *Philips*, *Petrum* monetarium, ciues in *Hallis* noſtros & monaſterii noſtri, amicos & fautores ſpeciales, exponentes ipſis anguſtias, quas ſuſtinuimus ratione debitorum, quibus noſtrum monaſterium inundatum, computantes coram ipſis ea debita, in quibus obligamur *ad tria millia librarum & ducentos & viginti libras Halenſes*, quæ quidem debita ſtant ſic ut ſequitur, D ſcilicet quod pro mille libris & quadraginta libris Hallenſibus noſtra pignora ſunt obligata. Item ſeptingentæ & octuaginta libræ Hallenſes ſunt apud Judæos, ſuper quas quotidie accreſcit uſura. Item ſunt quadragintæ libræ Hallenſes pro obſtagiis in noſtrum damnum factis, ſuper quas ulterius fieri obſtagium timemus ſi non præuenitur. Item ſunt centum libræ Hallenſes, quas tenemur pro perſonalibus vulgariter dictis *Leibgedinge*, quæ in ſiligine, auena & promptis Hallenſ. exſoluere nos oportet. Item ſunt quingentæ & quadraginta libræ Hallenſes, in quibus obligamur hinc inde noſtris creditoribus 1319.

bus, pro quibus impignorationes fieri quotidie pertimemus. Præter omnia quoque debita præſcripta Præpoſitura noſtra in *Gebſedelen* pro mille & ducentis libris Hallenſibus eſt obligata. Deinde vero debitis noſtris, vt viſum eſt, computatis & expoſitis, computauimus etiam reditus noſtros & prouentus, quos adhuc non occupatos nec obligatos retinemus, de agricultura, de vinetis, decimis, paſcuis, caſcis & ouis & de omnibus noſtris officiis, ſcilicet ad reditus ducentarum & quinquaginta librarum Hallenſium, quos reditus percipere poterimus ſi diſcreſcentia fructuum, grandines & diſcordiæ non obſtabunt. Et tamen de illis reditibus & fructibus oportet nos annis ſingulis exſoluere & expedire pro perſonalibus dictis *Leibgedinge*, in ſiligine, auena, & promptis Halenſ. quod ad centum & triginta libras Hallenſes eſt æſtimatum. Item computauimus coram prædictis viris reditus trecentarum librarum Hallenſium, minus viginti librarum Hallenſ. qui reditus propter diſcordias iacent deſerti & inculti, & nullum fructum recipimus in eisdem. Omnibus ita tam noſtris debitis quam noſtris reditibus & prouentibus per ordinem æſtimatis & computatis, rogauimus ſuppliciter & attente præfatos viros prudentes, noſtros amicos & fideles conſiliarios, vt nobis conſulerent, quod pro miſero ſtatu noſtri monaſterii reformando cognoſcerent & decernerent conſultius & ſalubrius faciendum. Ipſi vero videntes & conſiderantes tam grandia debitorum noſtrorum pondera, tamquam paucos & puſillos noſtros reditus & prouentus, hoc conſilium, quod etiam omnibus nobis placuit, imposuerunt. Scilicet ut *per duos annos egrediamur noſtrum monaſterium* & in locis aliis, ubicunque expenſas & veſtes impetrare poſſumus, maneamus, eo quod prouentus noſtri monaſterii deficiunt nimium ad expenſas & veſtitum pro nobis faciendum, & ad tantorum noſtrorum debitorum onera ſupportanda. Monuerunt quoque præfati viri, vt ad præueniendum damna irrecuperabilia, vendamus & obligemus bona & reditus noſtri monaſterii pro debitis exſoluendis, & etiam pro uſuris & damnis, quæ quotidie augmentantur, releuandis, eo quod non pateat nobis ad præſens via alia, niſi quod per venditionem & obligationem bonorum & redituum ſeu prouentuum monaſterii noſtri, noſtra debita perſoluamus. Nos vero huiusmodi prudentum virorum conſilia conſiderationis oculis intuentes, ipſa nobis & monaſterio noſtro oportuna cognouimus & ſperamus profutura. Volumus quoque & promittimus ipſis acquieſcere & omnimodo obedire. Conſiderauimus enim, perpendimus & vere cognoſcimus, quod niſi extra noſtrum monaſterium ad loca alia transmittamur, & niſi pro grauibus debitis, quibus nos & monaſterium noſtrum obligamur, perſoluendis, & pro grauioribus damnis præueniendis bona & reditus ſeu prouentus noſtri monaſterii vendamus & obligemus, ipſum noſtrum monaſterium ad periculum & damna ineuaſibilia deducetur, quod ſi Deus annuerit, volumus præuenire. Ne igitur propter noſtram abſentiam in præmiſſis aliquod per nos ſuccreſcat obſtaculum, quod contractum aliquando pro noſtra & monaſterii noſtri utilitate facienda, ad exſoluenda debita & damna releuanda poſſit modo aliquo impedire; Idcirco unanimi conſenſu & voluntate concordi, honorando viro Domino *Conrado* Abbati noſtro facultatem liberam & poteſtatem plenariam noſtro & monaſterii noſtri nomine in omnibus Monaſterii noſtri poſſeſſionibus, prorietatibus, redditibus & prouentibus, & generaliter in bonis omnibus noſtri monaſterii, agendi, diſponendi, emendi, vendendi, obligandi & contractum quemuis faciendi, noſtra non obſtante abſentia, per duos annos a data præſentium continue numerandos, dedimus & tradidimus, nec non damus & tradimus in his ſcriptis, promittentes ſine dolo & fraude qualibet procul mota, quod quicquid per eundem Dominum *Conradum* Abbatem noſtrum, per duos annos, vt prædicitur, ordinatum, geſtum & actum fuerit, volumus tenere gratum & acceptum & ratum, firmiter obſeruare, nec verbo, facto, nec aliqua impeditione *tam juris ciuilis quam Canonici* ullo tempore contraire. Promittimus etiam ſub obedientia debita, juxta mandatum ipſius Domini Abbatis noſtri, exire noſtrum monaſterium, & obedienter ire ad loca alia quocunque ipſe nos transmittendos duxerit, vbi veſtitum habere poſſumus & præbendam. Si vero, quod Deus avertat! aliquis noſtrum propter vitæ ſuæ enormitatem, aut propter inſolentias & exceſſus ſuos a loco, ad quem transmiſſus fuerit, eiiceretur, & ad noſtrum monaſterium reuerteretur, ipſe Dominus Abbas noſter nihil penitus eidem & per illum annum tenebitur dare, nec tenebitur aliquatenus ſubuenire. Et ne ſuper præmiſſis aut aliquo præmiſſorum, ſuboriri poſſit ambiguitatis ſcrupulus aut calumnia, imo vt inuiolabiliter obſeruentur præſens ſcriptum inde confectum, ſigillo noſtri Capituli fecimus communiri, ad majorem quoque certitudinem ſigillis honorandi viri Domini *Waltheri* Decani in *Tungenthal* & nobilis Viri Domini *Friderici* Imperialis Aulæ Pincernæ de *Limpurg* ac ciuitatis Hall. rogauimus conſignari. Nos quoque *Waltherus* Decanus prædictus, & *Fridericus* Imperialis aulæ Pincerna de *Limpurg*, & *Heinricus* dictus *Lecher*, Miles magiſter conſulum, *Eberhardus* dictus *Philipp*, ſcultetus cæterique conſules ciuitatis Hallenſis profitemur, ſigilla noſtra ad preces prædictorum Dominorum, Prioris & Capituli Monaſterii memorati in præmiſſorum teſtimonium præſentibus appendiſſe. Datum Ann. Domini MCCCXIX. feria quarta poſt circumciſionem ejusdem.

XLV.

WOLFFRAMVS *Episcopus Herbipol. confirmat factam translationem Xenodochii extra muros siti in ipsum oppidum.*

1323. *Wolffram*us Dei gratia, electus & confirmatus Ecclesiæ Herbipol. dilectis in Christo Christi fidelibus uniuersis, ad quos hæ literæ peruenerint, salutem in eo, qui est omnium vera salus, & etiam notitiam subscriptorum. Etsi juxta sententiam sapientis, seminandi inter tempus discernimus & metendi, seminare debemus in terris quod cum multiplicato fructu recolligere valeamus in cœlis, facientes nobis de mammona iniquitatis amicos, qui cum defecerimus, in æterna tabernacula nos admittant. Sic enim thesaurizamus nobis thesauros in cœlo, ubi fures non effodiunt nec furantur, sicque terrena in cœlestia & transitoria in æterna, felici commercio commutamus. Prudentes igitur viri, Scultetus, Consules, Scabini & vniuersitas ciuium in *Hallis* nostræ diœcesis, sic sibi cupientes thesaurum in cœlo thesaurizare, & transitoria in æterna felici commercio commutare, Hospitale quoddam pauperum & egenorum olim extra muros habentes situm, totaliter collapsum & adeo ad desolationis perpetuæ opprobrium deductum, quod inibi infirmi recipi non poterant, nec aliquibus charitatis operibus confoueri; pro salute tam animarum suarum & progenitorum, quam etiam posterorum suorum, intra muros ipsius oppidi transtulerunt, & quasi de nouo sumptuosis ædificiis restaurarunt, ut ibidem pauperes, infirmi, qui nullum ante diuersorium habentes, in platea pluuiis expositi; tamque prorsus desolati miserabiliter jacuerunt, recipiantur, deinceps nutriantur, sustententur aliisque misericordiæ operibus recreentur, quod Hospitale ante extiterat sub Dominio & procuratione religiosorum virorum Commendatoris & fratrum Hospitalis Sancti Johannis Hieorosolymitani domus in *Hallis*, qui cum eidem præesse & prodesse non possent, illud in eosdem ciues cum pleno rerum Dominio transtulerunt, prout hoc in suis patentibus literis dicitur plenius contineri. Verum quia quod per paupertatem uni conceditur, non debet ad aliorum injuriam redundare, nec etiam locupletari debeat aliquis cum alterius injuria vel jactura. Ne parochialis seu matris ecclesia occasione structuræ ipsius Hospitalis sumat aliquod impostarum nocumentum, sic esse dignoscitur ordinatum, quod in ipso Hospitali debet institui perpetuus Capellanus, qui de reditibus ipsius Hospitalis pro se & familia necessaria congruam sustentationem recipiet & habebit, & altare ejusdem officiabit. Quod quidem altare dilectus in Christo Abbas monasterii in *Kamberg* ordinis Sancti Benedicti dictæ nostræ Diœc. qui pro tempore fuerit, cui monasterio dicta parochialis Ecclesia est incorporata, nunc & imposterum, quotiescunque vacabit, sacerdoti idoneo, pro quo Scultetus & dicti ciues sibi, ut eis visum fuerit, supplicauerint, conferet, & ad vestiendum de illo loci archidiacono præsentabit. Quod si quidem Capellanus sibi nil de parochialibus juribus usurpabit, nec ad illa manum extendet. Imo vniueras & singulas missarum recommendationes & oblationes, quocunque nomine censeantur, in quocunque consistant, sibi oblatas publice vel occulte, plebano dictæ parochialis Ecclesiæ sine diminutione qualibet præsentare tenebitur, & donare suis usibus applicandis, & missam suam siue legendo seu cantando ante celebrationem primæ missæ, in dicta parochiali Ecclesia perficiet & complebit. Idem etiam Capellanus degentibus in dicto hospitali, siue sanis siue infirmis nec sepulturam, nec eucharistiæ, nec extremæ unctionis, nec etiam aliqua alia ministrabit Ecclesiastica sacramenta. Sed plebanus ipse pro tempore existens cui tamquam sui deuote parochiani in his ac omnibus aliis debitis licitis ac honestis obedient & intendant. Et quia omnia supra dicta de consensu archidiaconi loci & prædicti Abbatis, nec non sui conuentus & rectoris etiam dictæ parochialis Ecclesiæ, quorum speciales literas vidimus super eo, ac prænominatorum Commendatorum & fratrum Hospitalis Sancti Johannis, sunt rationabiliter ordinata, memorati ciues nobis humiliter supplicarunt, vt nos his præmissis nostrum adhibentes consensum, dignaremur illa de paterna solicitudine confirmare. Nos itaque tam piam ordinationem & Deo laudabilem & hominibus fructuosam multipliciter in Domino commendantes; huic nostrum consensum expressum impertientes, ipsam prout de verbo ad verbum superius continetur, auctoritate ordinaria confirmamus. In cujus euidentiam & robur, hoc instrumentum exinde confectum, nostro & prædicti loci archidiaconi sigillis fecimus roborare. Nos quoque *Golstenius*, decanus ac archidiaconus Herbipol. præmissa omnia & singula de nostro consensu recognoscimus esse facta. Sigillum nostrum huic paginæ in præmissorum testimonium duximus apponendum. Datum *Herbipoli* anno Domini millesimo CCC. vicesimo tertio XV. Cal. Julii.

XLVI.

WOLFFRAMVS *Episcopus Herbipol. mandat Decano in* TVNGENTHAL, *vt Abbati Comburg. propter iniurias illatas satisfactionem procuret, petitque relationem sibi fieri de absolutione* VLRICI.

1326. *Wolffram*us Dei gratia Episcopus Herbipolensis, dilecto in Christo Decano in *Tungenthal* salutem in Domino. Statuta continent Concilii Moguntini, quod si detentor clerici per vnum mensem clericum detinuerit captiuatum, aut eo dimisso infra annum a tempore captiuitatis clerici computandum satisfactione neglecta non obtinuerit se absolui, ex tunc ab omnibus feodis cadat ipso jure, quæ a qui-

quibuscunque ecclesiis nosci tur obtinere. Verum quia *Iohannes* & *Otto* dicti *Lecher*, *Waltherus* & *Vlricus* dicti *Veldner*, *Petrus Muntzmeister*, *Eberhardus Philips* Consules, Scabini & Vniuersitas ciuium Hallensium, religiosum virum Abbatem Monasterii in *Kamberg* temere captiuarunt, a) prout est notorium, & etiam manifestum, & eo dimisso infra annum a tempore suæ captiuitatis numerandum non obtinuerunt se absolui, imo addentes iniquitatem iniquitati ad destructionem & annihilationem tam personæ suæ, quam etiam ipsius Monasterii, postea seuerius & frequentius intenderint excommunicationis & interdicti sententias, quas propter hoc incurrerunt, cum suis aggrauationibus pluribus subsecutis, sustinentes animo indurato; Tibi mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, quatenus eosdem malefactores, vel in ambone ecclesiæ Hallensis, si præ metu potes, vel si non potes, saltem in ambone ecclesiæ tuæ, & in capitulo tuo fratribus tuis capitularibus præsentibus, moneas cum effectu, quod saltem adhuc ad cor reuertentes, prædicto Abbati tam de atroci iniuria sibi illata vsque ad crastinum sancti Viti proximum satisfaciant competenter, & res sibi & dicto Monasterio ablatas restituant integraliter, vt est dignum. Alioquin vniuersa & singula feoda, quæ a quibuscunque ecclesiis dinoscuntur habere, vacare denunties, & eos ab illis ipso iure penitus cecidisse. Sane ex relatione dicti Abbatis & aliorum fide dignorum accepimus in reuerentia, quod viri religiosi *Gardianus* & fratres minores domus Hallensis, *Vlricum* dictum *Veldner*, vnum principaliorem de dictis malefactoribus in extimis positum, a prædictis sententiis in eum tam ab homine quam a iure legitime promulgatis absoluerunt, & ad ordinem suum habitu eiusdem sibi indito receperunt, & mortuum sepelierunt, qualiter aut quomodo hoc sit factum, penitus ignoramus. De quo facto certiorari volentes, tibi mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, vt ab eis super eo veritatem inquirens, nobis de hoc tuis literis patentibus facias plenam fidem, vt si in hoc facto rite & canonice, vt præsumimus, sit processum, ipsos habeamus non immerito commendatos secundum formam ecclesiæ; sin autem, quod absit, eoruin præsumptioni omnibus modis, quibus poterimus, occurramus. Datum *Herbipoli* anno Domini *millesimo, trecentesimo, vicesimo septimo*, Nonas Aprilis.

XLVII.

Mathildis legat Altari S. Nicolai in Camberg bona quædam.

DAs Vidimus hatt man zu Latein, lautt von der Probstey zum Stein *wer den S. gestifft hat. Item des Brieffs aber ein Vidimus, von Herrn* Conrad *von* Neuenstein, *Comenteur vnd seinen Conuent, des Hauß zu Sanct Iohannis zu* Hall, *vnd Herrn* Walthero, *Dechant zu* Tüngenthal. *Item des Brieffs aber ein Vidimus, vnter Herrn* Peters, *Dechants zu* Cuntzelsau *Insigel.*

Geben durch ein Vidimus als man zahlt nach Christi Geburth, Tausend drey hundert zwantzig *vnd* neun *Iahr, am nachsten Dienstag nach S. Dionysii vnd seiner Gesellschafft Tage. Wir* Heinrich *von GOttes Gnaden, Abt des Closters zu* Murehart, *S. Benedictiner-Ordens, Wurtzburger Bistumbs, vnd wir* Friderich, *Herr zu* Limpurg, *des Kayserl. Römischen Reichs Erbschenck, bekennen vnd bezeugen vnter Vnsern Insigeln, das wir diese nachgeschrieben Brieffe, gesehen, gehort, verlesen, vnd vernommen haben, die da an Sigeln vnd sonst gantz vnuersehrt, vnd ohn Gebrauchen auch von allen Wurden waren, also lautend: Wir* Herman *von GOttes Gnaden, Bischoff zu* Würtzburg, *bekennen daß fur Vns kommen ist Abt* Heinrich, *des Closters zu* Kamberg *S. Benedictiner-Ordens Wurtzburger Bistumbs, Vns ein alt Freyheit oder Priuilegium von Vnsern Vorfahren Bischoffe* Seyfried *löblicher Gedachtniß ausgangen, furbringend vnd bittend, das wir dasselb Priuilegium Vns zu verneuen gnadiglich geruhen wolten, dessel-* 1329.
ben Priuilegii vnd Freyheit Innhalt also lautet: In dem Nahmen der Heyligen vnd Vntheilbarn Dreyfaltigkeit, Wir Seyfried *von GOttes Gnaden demuthiger Diener zu* Würtzburg, *thun kundt allen Christglaubigen Menschen, die da ietzo seyn, vnd auch in zukunfftigen Zeiten seyn werden, das die Erber Frau vnd Matron, nemlich* Mechtildis an das End oder Statt, *die da genannt ist* Steyn, *ein Kirchen gebauen, vnd dieselben Kirchen mit ihren aigen Leuthen und Guthern begabt vnd gereicht hat, dieselben Kirchen Bischoff* Adilbero *löblicher Gedachtnus Vnser Vorfahr geweyht, dieselben Kirchen darnach die vorgenant Erbar Frau vnd Matron mit allen Freyheiten, Oberkeiten, Rechten der Leuth und auch der Guter hienach geschrieben an den Altare S. Nicolai* zu Kamberg *geschaffen, gemacht vnd geben hat: Zum ersten, nemlich die obgemelten Statt oder End, genant* Steyn, *mit allen seinen Zu- vnd Eingehorungen, in der Marck vnd Enden daselbst gelegen, mit etlichen Weingartten zu* Ingelfingen, *die da so frey vnd ledig seind, das kein der Menschen nichts rechts, oder Gerechtigkeit dauon hat, Item die Besess vnd Guter in den Dorffern vnd Weilerlichen hienach geschrieben, vnd Vogtey Guter zu* Ingelfingen, Scheurhein, Leutfridesberg, Belsenberg, Criegesbach, Niedern Hall, Kemmaten, Gagernberg, Hesenhoven, Adoloftes, Weyler, Geyzebach, Morispach, Widern, Kespach, Krautthein, Nicenhausen, Obern vnd Vntern Eberstal, Gyenspach, Erlibach, Buch, Votlokyckhausen, Erlach *vnd* Hartwigeshausen, *Item alle die Vogtey die vff den obgemelten sein, mit allen ihren Rechten, die sie jetzo haben, vnd hiernach haben mochten, vnd* Nagelsperg *mit allen seinen Rechten, Zu- und Eingehorungen seiner Marck,*

a) Crusius in Annal. Sueu. P. II. Lib. VIII. p. 248. *Hic Conradus anno 1324. Id. Martii, dum monasterii commoda augere cupit, grauiter ab Halensibus vulneratus est, & captus: sed per Moguntinum Archimystam Matthiam, Buchecktum Burgundiæ Comitem, liberatus, Halæque satisfactionis consecutio facta est.*

deßgleichen auch Cuntzelsaü mit allen Gerechtigkeiten, Zu- vnd Eingehorungen ruhren vnd gehen von eim Abt zu Kamberg zu leben jedoch ausgenommen von den obgeschrieben Gutern, etliche Guter, die des Abts vnd Conuents frey aigin seyn. Also zu vnd bey vnsern Zeiten ist zu Vns kommen Herr Albrecht, Abt zu Kamperg, mit vnsern altern Brudern, demuthiglich bittend, das Wir solch obgesagt Vbergabe vnd Schaffung bestatten vnd confirmiren wolten, vnd so wir seiner Bitte vnd Begehr gnug wolten thun, haben wir geschafft diesen gegenwartigen Brieff mit vnserm anhangenden Insigel besigelt, zu Confirmirung vnd Befestigung aller obgeschriebner, geschrieben vnd bestattigt werden dieselben Brieff vnd Schrifft wir bey der Poen des Banns vnd Anathematis also beschlossen vnd gesetzt haben, ob jemands ware, der ihm furnehm vnd fursetzte wider die obgedechten Ding zu thun, die zu verbrechen, zu verminnern, oder zu vernichten, der soll dem Verrather Iude gleich confirmirt, vnd mit den Hollischen Feurn vnd Flammen gepeinigt werden ohn Ende. Diese Ding seyn geschehen nach der Geburth Christi Tausendt hundert vier-
1140. tzig vnd im funfften Iahre, in Regierung Herrn Conrads, des Romischen Reichs Konig des dritten. Hierumb wir obgenanter Bischoff Hermann, nachdem vnd wir vor vns solch obgemelt Priuilegium vnd Freyheit-Brieff von Wortt zu Wort lesen, haben wir das ernewert vnd mit vnserm vnd Vnsers Capituls zu Wurtzburg Insigeln gefestiget vnd versigelt, allen vnd jeglichen mit dem Gewalt Vns von GOtt verliehen, bey der Poen des Banns gebietend, daß niemand sich dero setzen noch widerstehen der Ordinirung, Vbergab, Statut vnd Gesetz der vorgeschrieben Ding noch thun wieder die Bestatigung vnd Confirmation vnser Vorfahren, in keinen Weg noch Weisse, dieselbe Confirmation wir im Nahmen GOttes auch fest vnd genehm haben, vnd confirmiren das obgeschrieben Werck, vnd des zu wahren Vrkunde vnd Sicherheit haben wir dem obgeschrieben Abt Heinrich vnd seinem Closter, dis gegenwartig Schrifft vnd Brieff mit vnserm vnd Vnsers Capitels Insigeln versigelt, daruber geben; Datum zu Wurtzpurg nach Christi Geburth Tau-
1253. send zweyhundert funffzig vnd im dritten Iahre, Calendas des Monats Aprilis, in der elfften Romer Zinßzahl, zu Latein Indiction genant, vnsers Bischoffthums in dem acht vnd zwantzigsten.

XLVIII.

Ludouicus Bau. Imp. Crafftoni de Hohenlohe monasterii Camburg. tutelam committit.

1333. WIr Ludwig von GOttes Gnaden, Romischer Kayser, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, entbieten dem Edlen Manne Krafften von Hohenloh, vnserm lieben Marschalck vnser Hulde vnd alles Gut. Wann wir die Ehrwurdigen geistlichen Leute den Abt vnd den Conuent zu Kamberg, ihr Leib, ihr Leuth, ihr Ehre, ihr Gut, vnd was Sie habend, wie das genandt ist, in vnser besunder Gnade, Schirm vnd Friede genommen haben, vnd haben vnser ihr gantzlichen vnterwunden, also das Ihn furbas an keinerley Sachen, wie die genant ist, kein Leid, Vngemach, noch Trubsal icht widerfahren soll, vnd wollen das nicht entbehren weder sunst noch so, Gebieten wir dir festiglichen, bey vnser Hulden, vnd wollen es auch das du den vorgenanten Abte sein Leib, sein Leuthe, sein Ehre, vnd sein Gutbe seines Gottshauß, schirmest, versprechest, verantwurst, vnd Ihm beholffen seyst gegen allermanniglichen, wie Er genant sey, vnd wie Er sein bedurffe als verre du kunnest vnd mugest, vnd als verre dich Leib vnd Guth geraichen mag. Vnd thu das an allen Sachen als furderlichen das Sie vnsers Schirmes vnd Friedes innen werden. Thustu das, so wisse sicherlichen, das du Vns nicht baß gehandlen machst. Thetstu sein daruber nicht, so thetstu schwerlich wider Vns. Wir wollen auch das du Sie schirmest als lange Sie dein bedurffen, wann Sie deines Schirmes nimmer wollen, so soltu mit Ihn nimmer zu schaffen haben, vnd anders wollen wir nicht. Zu Vrkundte dis Briefs, der geben ist zu Rotemburg, an S. Elsebeten Tag, do man zahlt nach Christus Geburt, dreyzehen hundert Iahr, darnach in dem drey vnd dreysigsten Iahr, in dem neunzehenden Iahr vnsers Reichs, vnd in dem sechsten des Kayserthumbs.

XLIX.

HERMANNVS Episcopus Herbipol. concedit Abbati Comburg. potestatem monachos propter excessus corrigendi & incarcerandi.

HErmannus Dei gratia electus & confirmatus ecclesiæ Herbipolensis, honesto & religioso viro Abbati monasterii in Kamberg, ordinis sancti Benedicti suæ diœces. salutem, & sinceram in Domino charitatem. Vt monachos tui monasterii, qui propter suos excessus digne corrigendi fuerint, corrigere, & si opus fuerit, pro excessibus huiusmodi carceri mancipare valeas, tibi concedimus & mandamus, omnibusque, quorum iuuamen seu subsidium ad corripiendum & captiuandum monachos, de quibus præmittitur, postulaueris, auctoritatem nostram plenam ad præmissa faciendum concedimus, nec per detentiones ipsorum quenquam ex eis, qui ad hoc consilium auxilium seu iuuamen præstiterint, excommunicationis sententia innotari velimus, dummodo in captiuatione ac correctione huiusmodi moderamen debitum obseruetur. Dantes has nostras literas sigillo nostro munitas in testimonium super eo. Datum *Herbipol.* anno Domini MCCCXXXIV. XV. Cal. Martii. 1334.

L.

Villa venditur in Tungenthal.

ICh Hanß Ballmar vnd Berle mein Ehliche Haußfrau, vergehen offentlich vnd thun kundt an diesem Brieff, allen den, die ihn lesen oder horen lesen, daß wir haben zu kauffen ge-
1334. ben,

ben, dem Erbern Manne Huge *an dem* Bach, *ein Burger zu* Hall, *vnd seinen Erben den Hoff zu* Tungenthal, *den* Rencke *da bauet, vnd was wir haben zu* Tungenthal *gesucht vnd vngesucht, vnd zu* Hurlbach *das Gut, das* Krafft *bauet, vnd was wir da han gesucht vnd vngesucht, vnd haben Ihm das geben vmb hundert Pfund vnd viertzig Pfund vnd vierdthalb Pfundt guter Heller, der wir von Ihm gewehrt seyn gantzlich vnd gar, vnd in vnsern Nutzen gewendt haben, vnd sollen Sie des Gutes wehren als aigens recht ist, wenn daß man jahrlichs 1. Pfund Heller Zinßgeltes geit von dem vorgenanten Hoffe zu* Tungenthal, *an das Gotteshauß zu* Kamberg, *vff S. Nicolaus-Tag, vnd ich* Berle *die vorgenante verziehe das ich keine Morgengabe vff der vorgenanten Guthen han, wer aber das ich Morgengabe, oder icht rechtes dazu hatte, das han ich* vffgeben vnbezwungenlich an des Reichs Straſſe, als man ein Morgengab zu recht soll vffgeben. *Da waren bey,* Peter Muntzmeiſter, Heinrich Veldner, Cunrad Veldner, *vnd* Heinrich Vnmuſſe *der Elter, vnd zu einer ſteten Sicherheit dieſer geſchriebene Rede, giebe ich* Hanſs Balmar *der vorgenant dieſen Brieff beſigelt mit meinen aigen Inſigel. Vnd ich* Conrad Schultheiſs *vnd* Vlrich Schultheiſs *des alten* Schultheiſſen *Sune vergehen, daß wir durch Ihr beyder Bitten Willen vnſer beeder aigen Inſigel han gelegt an dieſen Brieff, der geben iſt da man zahlt von Chriſtus Gebuhrt,* dreyzehnhundert *Iahr, vnd darnach in dem* vier vnd dreyſsigſten *Iahre an dem nachſten Sambstage nach S. Burckharts-Tage.*

Ritus renunciandi doti.

LI.

Ludouicus Bau. Imp. Heinrico de Durrenuanch, Monaſterium Comburg. tuendum committit.

1335. WIr Ludwig *von GOttes Gnaden, Romiſcher Kayſer, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, embietben vnſern lieben Landvogt* Heinrich *von* Durenvanch *vnſer Huld vnd alles gut. Wir laſſen dich wiſſen, daß wir die Erbern geiſtliche Leuthe, dem Abt den Conuent des Gotteshauß zu* Kamberg, *vnſer Lieb demuthig Ihr Leuth vnd Ihr Gut in vnſern vnd des Reichs Schirm, Friede vnd Sicherheit genommen haben, vnd darum gebietben wir dir feſtiglich mit dieſem Brieff, vnd heiſſen dich es auch ernſtlichen, das du Sie von vnſern wegen ſchirmeſt vnd alles vnrechten Gewalt vorſeyeſt vnd nicht geſtatteſt, daſs ihn jemand kein Leid oder Gewalt thun, obn Recht mit keinerley Sachen. Wir wollen vnd gebietben dir auch, daß du dein vorgenandten Gotteshauß, die Gnade vnd Freyheit, die es hat von vnſern Vorfahrn vnd auch von Vns vnd die Ihm verſchrieben von Ihn vnd auch von Vns ſeind, nicht vberfahreſt mit kein Sachen nach derſelben Brieff ſag, vnd des bey nichten laſſeſt. Zu Vrkundt dis Brieffs, der geben iſt zu* Nurenberg *an Donnerſtag nach vnſer Frauen Tag, als Sie zu Himmel fuhr, im ein vnd zwantzigſten Iahr vnſers Reichs, vnd in dem achten des Kayſerthumbs.*

LII.

Literæ emti venditi.

ICh Walther Schultheiſſe, *genandt von* Heymenhauſſen *vnd* Elſsbeth *mein Schweſter* 1336.
*verrichen offenlich an dieſem Brieffe, vnd thun kundt allen den, die ihn ſehen, leſen oder horen leſen, daß wir verkaufft han, vnd zu kauffen geben han, zu einem rechten ewigen Kauffe Bru*A *der* Walther *von* Cunzelſau, *Munche zu* Kamberg, *ein Pfundt Geldes vff vnſerm Lehen zu* Heymenhauſſen *ein Faßnachthun, vnd ſteht Ihme zu allem Rechte vmb zehnthalb Pfundt Heller, der wir von Ihme gewehrt ſeyn. Wir globen Ihme auch des Guthes zu wehren als recht iſt, vnd wann wir aigner Inſigel nit enhan, ſo han wir gebetten den Erbarn Herrn* Conraden, *Abt des Cloſters zu* Kamberg, *daß Er ſeine Gunſt vnd ſein Inſigel zu dieſem Kauffe geben; wann Ihm daſelbe Guth vorgiltet ein Pfundt Wachſes zu Zinſe, wir han auch gebetten vnſern Leib-Herrn, Herrn* Willhelmen, *ein Ritter von* Stetten, *daß Er auch ſein Inſigel zu Gezeugniſſe an dieſen Brieff lege; Vnd wir,*
B Cunrad *von Gottes Gnaden, Abt der vorgenandte, und Ich* Willhelm, *der jetztgenandte Ritter bekenne, daß wir mit Wiſſen Vnſer Inſiegel an dieſen Brieff gelegt hand, hiebey waren auch vnd ſeind Gezeuge Bruder Herman von Degenfelt, Bruder* Ludwig Durre, *Bruder* Seyfrid *Conuers-Munche zu* Kamberg, *vnd andere Erbar Leuthe, vnd geſchach das da man zahlt von Chriſtus Geburthe* dreyzehnhundert *Iahr, darnach in dem* ſechs und dreyſsigſten *Iahre, an dem nachſten Tage vor Sant Vrbans Tage.*

LIII.

Dotatio capellæ S. Nicolai prope leproſorium in Hallis.

C

IN nomine Domini, Amen. Nouerint vni- 1339.
uerſi præſentes pariter & futuri, quod nos Magiſter *Johannes* Rector majoris Eccleſiæ Herbipol. *Johannes* filius quondam *Conradi* Notarii in *Hallis*, vicarius Eccleſiæ noui monaſterii, *Ecko* dictus de *Nichl*, Ciuis Herbipol. *Heinricus* dictus *Gyeſſer* frater quondam *Ulrici* dicti *Gyeſſer* Canonici Eccleſiæ Oringauenſis, inueniendi diuinæ ac æternæ fructionis in agro cœleſti fructum abſconditum & theſaurum ſpem & deſiderium retinentes, vt ſaluificum & adorandum dominici *corporis* ac *ſanguinis* ſacramentum in remiſſionem peccaminum frequentius iteretur. Nec non vt diuina exuberante gratia, cœleſtis gaudii ac perhennis vitæ præmium miſericorditer conſequamur, infra ſcripta bona deputauimus Capellæ Sancti Nicolai ſita extra muros oppidi *Hallis* prope leproſorium ibidem, ſecundum formam & modum, cujus talis nunc ſequitur continentia atque tenor. Ego igitur *Johannes* vicarius prædictus, in meæ & meorum progenitorum & conſanguineorum animarum remedium & ſalutem, domum & ortum * eidem domui contiguum, &

* hortum.

horreum ſita infra muros dicti oppidi, cui domui ab una, domus Magiſtri *Seyfridi* ſacerdotis, ab alia vero parte area *Eberhardi Philippi*, dicto vero horreo, domus prædicti *Seifridi* collateraliter confinantur, cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis, quæ ad me ex linea paterna jure hereditario peruenerunt, memoratæ Capellæ, nec non diſcreto viro *Heinrico* filio, *Heinrici* dicti *Sulmeinſter*, ciui præfati oppidi, clerico ejusdem capellæ capellano, ac quibuslibet ejus ſucceſſoribus dedi, donaui, & trado & dono, & trado libere per præſentes poſſeſſionem eorundem bonorum, in eundem *Henricum* & ejus ſucceſſores pleno jure transferens in his ſcriptis: ſunt tamen præfata bona, domus videlicet in quinquaginta ſex Hall. Ortus in tribus ſolidis Hall. & uno pullo carnispriuiali onerata nomine annuæ penſionis. Præterea ego *Johannes* prænominatus vicarius, promitto dicto *Heinrico* Capellano, quod infra unius anni ſpatium a data præſentium numerandum, volo, debeo & teneor certos annuos reditus & bona comparare & emere pro Hallenſibus libris centum, quos reditus & bona ipſo emptionis & contractus facto, ſub ea emptionis forma, qua empti aut empta fuerint, in eandem capellam eundemque *Henricum* Capellanum, nec non ejus ſucceſſores habendos, tenendos, recipiendos annis ſingulis, & perpetuo ac pacifice ſine contradictione qualibet poſſidendos, ex nunc prout ex tunc trado, do, dono, transfero paginam per præſentem. Porro nos *Johannes* Rector majoris Eccleſiæ, *Ecko*, dictus de *Nicht*, ciuis Herbipol. *Henricus* dictus *Gyeſſer* ſuperius nominati fidecommiſſarii quondam *Ulrici* in *Oringau* Canonici ante fati, bona & reditus decem Libris Hall. dictæ Fidecommiſſionis nomine emptos, ab *Heinrico* dicto *Berler* de *Tullau* armigero, & ejus liberis ſeu de conſenſu ſuorum liberorum, dedimus, donauimus, tradidimus, damus, donamus, & tradimus capellæ capellano prædicto & ejus ſucceſſoribus in his ſcriptis, ſub ea forma & modo, prout ea a venditoribus emimus antedictis, & ſicut patet in inſtrumento ſuper eadem venditione edito, cuilibet ipſum inſtrumentum intelligenti & ſcienti legere euidenter. Inſuper nos fidecommiſſarii prælibati, reditus viginti maldr. ſiliginis, ab *Heinrico* dicto *Sturmer* & *Gerlinde* ejus Coniuge de *Iphouen*, & a *Gotzone* de *Speckuelt* & *Margaretha* eius uxore ſub reemptionis gratia per nos emptos pro pretio centum Libr. ſub ea forma & tenore, prout eosdem reditus comparauimus, capellæ capellano, ac eius ſucceſſoribus prænominatis, tradidimus, tradimus per hoc ſcriptum, ſecundum quod in inſtrumentis ſuper eisdem emptione & reemptione confectis euidentius continetur. Quod ſi dicti reditus viginti maldr. reempti fuerint pretio pro eodem, tunc ipſum pretium nos memorati fidecommiſſarii in dictæ Capellæ Capellani & ſuorum ſucceſſorum vtiles ac neceſſarios uſus conuertere volumus, dedimus, promittimus & tenemur contradictione qualibet non obſtante. Idem etiam *Henricus* clericus prædictus infra annum a confirmatione & approbatione eiusdem capellæ ſeu beneficii inchoandum, iuſto & legitimo impedimento ceſſante, tenetur & tenebitur ordinari, & ad ſacerdotales ordines promoueri. Præmiſſis igitur bonis & reditibus, memoratam capellam ſeu beneficium præſenti ſcripto dotamus & dotauimus, & virtute eiusdem dotationis ipſam capellam præfato *Heinrico* clerico tanquam patrono contulimus & conferimus in his ſcriptis. Unde etiam jus patronatus ſeu collatio eiusdem Capellæ de conſenſu omnium & auctoritate, quorum intererat, ad nos peruenit, & ſub infra ſcripto modo & tenore dinoſcitur pertinere, & ad hoc acceſſit prædicti *Henrici Gyeffer* voluntas libera & conſenſus, videlicet quod nos tres Viri *Johannes* Rector, *Johannes* Vicarius *Ecko* de *Nicht* viri prænominati, quamdiu vixerimus, dictam capellam cum vacauerit conferre poterimus & debemus. Poſt mortem vero ejusdem *Johannis* vicarii, nos *Johannes* Rector & *Ecko* ſupradicti, quam diu vixerimus, ambo, ad nos dictæ capellæ collatio pertinebit, ſed poſtquam ex nobis ambobus, unus deceſſerit, ſuperſtes nullam conferendi eandem capellam habebit, ſeu retinet poteſtatem, ſed collatio ſeu jus Patronatus eiusdem capellæ ad honorabilem virum Dominum Abbatem monaſterii in *Kamberg*, qui pro tempore fuerit, pertranſibit, qui ſi a tempore vacationis ipſius capellæ numerando, eam conferre neglexerit, proximos infra tres menſes a tempore, quo ſcientia vacationis capellæ ad Abbatem pro tempore exiſtentem peruenerit, numerandos, tunc ad plebanum oppidi *Hallis* pro tempore exiſtentem eadem collatio deuoluetur. Sed ſi idem plebanus negligentiam incurreret, videlicet quod infra unum menſem eandem capellam non contulerit, ex tunc ipſo facto ad Dominum epiſcopum Herbipol. qui pro tempore fuerit, tranſibit collatio prælibata. Debet autem præfata capella conferri ſolum diſcreto viro pro tunc actu ſacerdoti ſeculari, qui ipſam capellam officiet propria in perſona. Quod ſi collatio eiusdem Capellæ ſub quouis modo, colore aut aliqua quauis calliditate aliter facta fuerit, quam ut nunc proximo eſt prætactum, eandem collationem carere volumus & decernimus omni robore firmitatis, & is quia eam ſibi collatam aliter quam ut præmittitur, receperit, hoc eſt quod tempore collationis & receptionis ſacerdos actu non fuerit, & ipſam capellam officiare ſua noluerit in perſona, nullum ius ſibi debet uſurpare in dictis reditibus vel habere. Ipſe quoque capellanus pro tempore exiſtens omnes miſſarum comparationes & oblationes in ipſa capella factas, tempore miſſæ poſt vel ante miſſam ipſi plebano in *Hallis* pro tempore exiſtenti tenebitur ſine fraude qualibet præſentare. Quod ſi in his fraudem faceret manifeſtam, ex hoc priuationem ſui beneficii tunc incurrit, nec debet aliquod damnum

vel

vel grauamen inferre plebano & Ecclesiæ prædictis per se, vel interpositas personas publice vel occulte. Volumus etiam nos datores supradicti in præmissis omnibus & singulis gaudere omni jure canonico vel ciuili, statutis editis vel edendis, consuetudinibus generalibus & specialibus priuilegiis quibuslibet extra corpus vel corpore juris clausis, prout nobis ad obseruantiam & robur prædictorum omnium & quorumlibet eorundem possent quomodolibet suffragari. In quorum omnium & præmissorum singulorum testimonium, præsentem literam sigillo honorabilis viri Domini officialis, Curiæ Herbipol. petiuimus & obtinuimus roborari. Quod nos iam dictus officialis ad preces dictarum partium in præmissorum testimonium duximus appendendum. Actum in ciuitate *Herbipol.* in curia dicta *Visenbach*, sub anno Domini M CCCXXX. nono, pridie nonas Septembris hora quasi nona, præsentibus viris honestis & discretis Magistro *Michaheli*, protonotario, Reuerendi in Christo patris ac Domini Domini *Ottonis*, Episcopi Herbipol. *Eberhardo*, plebano in *Uffingen*, *Sibotone*, Vicario Ecclesiæ noui monasterii Herbipol. *Walthero* dicto *Bubeler*, *Iohanne* de *Megningen*, *Henrico* de *Eichsteten*, Clericis, *Conrado* dicto *Fuchstat*, Notario publico imperiali auctoritate infra scripto, *Conrado* de *Nordlingen*, Notario, *Conrado* dicto *Badawe* ac præsentibus aliis personis fide dignis ad præmissa vocatis & rogatis. Et ego *Cunradus* dictus de *Fuchstat* clericus Herbipol. dioces. publicus imperiali autoritate Notarius præmissis omnibus ac singulis, ut præmittitur, actis siue gestis, una cum prædictis testibus præsens interfui & ea sic fieri & ordinari vidi & audiui. Ideoque huic instrumento desuper confecto me subscripsi, ipsumque solito meo signo signaui in euidens ipsorum testimonium desuper requisitus.

LIV.

Fundatio atque Confirmatio altaris S. Johannis, Baptistæ & Euangelistæ, atque S. Catharinæ in Capella Gelwingem, cujus Patronus erat Philippus Eberhardus de Eltershoffen.

1342. IN nomine Domini, Amen, *Otto* Dei gratia Episcopus Herbipolensis, ad rei memoriam sempiternam. Bonæ rei dare patrocinium seu consultum, & præsentis habere vitæ subsidium & æternæ remunerationis præmium cernitur exspectare. Quia igitur certa bona immobilia & annui reditus sufficientes ad fundationem beneficii Ecclesiastici sacerdotalis simplicis non curati Cappellaniæ seu Missariæ Capellæ Villæ in *Gelwingen* infra limites Ecclesiæ parochialis in *Erlach* nostræ Diœcesis sitæ instituendi de nouo in laudem omnipotentis Dei & gloriosissimæ Virginis Mariæ genetricis, eiusdem, beatorumque Johannis Baptistæ, Johannis Euangelistæ, & Catharinæ Virginis ac totius Jerarchiæ cœlestis. Nec non ob diuini numinis cultus augmentum a dilectis in Christo *Eberhardo* dicto *Philips* & *Catharina* conjugibus, nec non *Conrado Eberhardo* & *Philippes* natis dicti *Eberhardi*, Oppidanis in *Hallis*, zelo deuotionis accensis legitime donati & deputati existunt, prout documentis legitimis nobis constat. Nos itaque Deum habentes præ oculis, diuinum quoque cultum in nostro Episcopatu temporibus nostris augere desiderabiliter affectantes, huiusmodi missariæ fundationem seu dotationem ratificando & gratificando in domino collaudantes, ad ipsorum fundatorum seu dotatorum supplicationem votiuam, huiusmodi Missariæ beneficium Ecclesiasticum simplex, non curatum, presbyterale in Capella in *Gelwingen* prædicta, cum consensu dilectorum in Christo *Eberhardi* dicti *Philipps* prædicti, patroni, nec non *Wernheri* Rectoris ecclesiæ parochialis in *Erlach* prædictæ rite & expresse adhibito super eo, in nomine Patris & Filii & spiritus Sancti, canonice sub his scriptis instituimus, auctorizamus ac etiam confirmamus, perpetuis quidem temporibus diuina fauente clementia duraturis. Quotiens autem huiusmodi Missariæ beneficium deinceps vacare contigerit, *Eberhardus* dictus *Philips* fundator & dotator prædictus, pro tempore vitæ suæ, post mortem vero ipsius Senior duntaxat heredum suorum masculini sexus, qui pro tempore fuerit, ex tunc idoneum clericum secularem actu presbyterum existentem, vel saltem infra annum a tempore adeptæ pacificæ possessionis missariæ huiusmodi numerandum, utique presbyterandum, legitimo tamen impedimento cessante, ad huiusmodi missariæ beneficium pro missario infra iuris tempus loci ordinario præsentare debebit. Alioquin eiusdem missariæ beneficii prouisio seu eius collatio, pro illa vice duntaxat ad loci diœcesanum utique pertinebit. Statuendo quoque irrefragabiliter ordinamus quod quilibet missarius huiusmodi residentiam, ibidem in *Gelwingen* continuam absque vara seu fraude faciat personalem, quodque una cum rectore seu plebano dicto parochialis Ecclesiæ meæ processum in diebus dominicis celebribus & festiuis in vigiliis quoque suis, diuinorum officiis tam diurnis quam nocturnis, nec non generalibus processionibus debitis & consuetis, nisi legitima & rationabili causa fuerit præpeditus, reuerenter interfit, indutus suppellicio clericali legendo & cantando debite una secum, vt diuina officia ibidem eo deuotius, solemnius & decentius celebrentur. Quicunque etiam missarius huiusmodi debet in dictis diebus, diuinis celebribus & festiuis, festis tamen Patrotiorum Sanctorum & dedicationis Capellæ prædictæ duntaxat exceptis, in Ecclesia parochiali prædicta post missam ipsius Rectoris seu plebani, vel saltem post offertorium eiusdem missæ, suam missam habere, nisi idem Rector seu plebanus velit seu indulgeat, eundem missarium suam missam antea celebrare ibidem, in aliis vero diebus non celebribus seu feriatis, idem missarius suam missam in dicta

Capella

Capella habere poterit & debebit. Præterea ſtatuimus & præſentibus ordinamus, quod nullus miſſarius huiusmodi pro tempore exiſtens per ſe vel alium ſacerdotem, dictam parochialem Eccleſiam, nec etiam quicunque Rector ſeu plebanus eiusdem Eccleſiæ parochialis, qui pro tempore fuerit, etiam per ſe vel alium presbyterum, dictam Capellam ſeu miſſariam regere ſeu officiare debeant, ſiue poſsint, ſed quod quodlibet beneficium huiusmodi per ſuum Rectorem proprium gubernetur. Quiuis etiam miſſarius huiusmodi absque mora, diffugio, imo quamprimum adeptus fuerit poſſeſsionem miſſariæ huiusmodi corporalem, pacificam & quietam, tunc Rectori ſeu plebano Eccleſiæ parochialis prædictæ promittere, & ad Sancta Dei Euangelia ſolenniter jurare debebit, quod vniuerſas & ſingulas oblationes, ac miſſarum comparationes, ſeu animarum recommendationes, ac omnia legata & donata præſertim in rebus mobilibus conſiſtentia, quemcunque huiusmodi miſſariæ in Capella & parochia prædictis, ſeu infra limites Eccleſiæ parochialis eiusdem ubicunque & quandocunque publice uel occulte factæ fuerint, ſeu oblatæ totaliter & absque omni vara ſeu fraude, & absque mora reprehenſibili, Rectori ſeu plebano ibidem deferat & præſentet. Legata tamen & donata ſeu aliter deputata, quæcunque eidem miſſariæ ſeu eius miſſario ob ampliorem ſeu uberiorem ipſius dotationem fiunt, debent eisdem miſſariæ ac miſſario perpetuo remanere. Inſuper quilibet miſſariis huiusmodi, nomina in parochia ibidem ulla ſacramenta ſeu ſacramentalia Eccleſiaſtica quomodolibet miniſtrare præſumat. Nec de quocunque ſibi donato ſeu legato ab obeuntibus in parochia ibidem quomodolibet intromittat, priusquam Rectori ſeu plebano ibidem de ſuo debito & conſueto jure, ſiue teſtamento animæ ſuæ ſeu animarum huiusmodi morientium integre ſatisfactum exiſtat, nec aliter ipſam Eccleſiam parochialem, ſeu eius Rectorem vel plebanum pro tempore exiſtentem, in ſuis juribus & utilitatibus ſeu prouentibus parochialibus quibuscunque publice vel occulte, directe vel indirecte, per ſe, alium vel alios, aliquo ingenio, ſtudio vel cautela impediat, neque impedire quoque modo attemptet. Neque etiam ſe de juribus, ſeu actibus plebaniæ ibidem, absque juſſu ſeu mandato expreſſo ipſius Rectoris ſeu plebani quomodolibet intromittat, niſi in caſu ſeu articulo emergentis neceſſitatis, prout jus fieri id permittit. Neque etiam de prouentibus ſeu juribus parochialibus ibidem quidquam ſibi uſurpare tenetur prout diuinam & canonicam obinde voluerit effugere ultorem. Aliter vero quam vt prædicitur huiusmodi miſſaria in præjudicium ſiue damnum ipſius parochialis Eccleſiæ ſeu eius Rectoris ſiue plebani minime redundare debebit. In quo ipſius miſſarii cuiusque conſcientiam ſtrictius oneramus. Porro bona ac reditus ſiue cenſus, cum quibus dicta miſſaria ex nunc dotata eſt, ac amplius dotabitur in futurum, reuera ſore Eccleſiaſticæ libertatis, decernimus & pronunciamus legitime in his ſcriptis, eximentes ea & præſentibus promulgantes exempta, & præcariis, ſturis, herbergiis ſeu hoſpitiis, ac vniuerſaliter a iugo & onere cuiuslibet laicæ ſeu illicitæ poteſtatis. In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum teſtimonium perpetuum atque robur, has literas deſuper conſcriptas mandauimus noſtri ſigilli appenſione muniri. Datum *Herbipoli* Anno Domini milleſimo, trecenteſimo quadrageſimo ſecundo, VII. Kalend. Maji, Pontificatus vero noſtri anno octauo.

LV.

RVDOLFFI *Sacerdotis proteſtatio, contra* OTTONIS *Epiſcopi Herbipol. ordinationes, cum annexa reſeruatione iurium Papalium, Epiſcopalium & regularium.*

1343. IN nomine Domini, Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat euidenter, quod anno a natiuitate Domini MCCCXLmo tertio, indictione vndecima, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini Domini *Clementis* Papæ ſexti, anno ſecundo, XI. Cal. Octobr. quod fuit viceſima prima die menſis Septembris, paulo poſt horam nonam in clauſtro dicto *Komberg* in camera dormitationis Domini Abbatis monaſterii eiusdem, ordinis ſancti Benedicti Herbipol. Dioc. in mei publici Notarii infra ſcripti, & teſtium ſubſcriptorum præſentia conſtitutus, religioſus Vir *Rudolffus* ſacerdos, ac dicti Monaſterii *Komberg* conuentualis, quandam cedulam papiream, in qua tunc in manibus hunc legit continentiæ per omnia in hæc verba: Coram vobis *Vlrico* de *Gamundia* dicto *Hyſer*, Auguſt. Dioc. publico Notario & præſentibus, Ego *Rudolffus* ſacerdos & Monachus Monaſterii in *Komberg* Dioceſ. Herbipolenſis, proteſtor, quod ordinationes, quas Dominus *Otto* Epiſcopus Herbipol. fecit, in monaſterio prædicto, Anno Domini Milleſimo CCCXLmo tertio, in craſtino circumciſionis Domini, & antequam fierent ſeu mihi reuelarentur, præcepit & mandauit fide data obſeruare & ſigillare. Ego timens me impoſterum a rectoribus ordinis & meis ſuperioribus poſſe in his grauari, in dicta coacta promiſſione excepi & proteſtatus fui & iam proteſtor, quod quicquid ibi ordinaretur, quod eſſet contra ſtatuta Papalia & Archiepiſcopalia, Epiſcopalia & regularia, iſtud eo non promitterem, nec ſeruare intenderem nec in quantum me oporteret. Et quia Dominus Epiſcopus Herbipol. prædictus iterato ſuis mandatis literatorie me cogit easdem ordinationes, quæ videntur plurimum contradicere ordini & ſanctorum Patrum mandatis, vt etiam certitudinaliter ſum inſtructus promittere, & ſeruare ideo proteſtor coram vobis, quod non aliter promitto & promittere intendo, quam vt prius eſt expreſſum, & vt a iure & ab ordine eas ſeruare teneor, nec alicui pœnæ me adſtringo deſuper factis ſiue faciendis. Proteſtor etiam, quod dictas deformationes, cauſa

pau-

paupertatis & metu corporis & rerum nequeo reclamare vt deberem, vnde vestrum officium peto & requiro, quatenus super omnibus hic gestis & factis conficiatis inibi publicum instrumentum, in meliori modo & forma, quo id fieri potest. Acta sunt hæc anno, mense, die & hora prænominatis, præsentibus discretis viris *Seyfrido* sacerdote in *Tungenthal*, & *Iohanne* dicto *Keusche* de *Oringaw* in *Stockenburg* ecclesiarum rectoribus, ad præmissa vocatis pro testibus & rogatis. Et Ego *Vlricus* dictus *Heuser* de *Gamundia* August. Dioces. publicus auctoritate Imperiali Notarius, præmissis vna cum testibus supra scriptis præsens interfui, vidi & audiui sic fieri, ideo præsens instrumentum propria manu conscripsi & in hanc publicam formam redegi, signoque meo solito signaui, rogatus & requisitus.

LV.

Instrumentum electionis ERNFRIDI *in Abbatem Comburg. Herbipolensi Episcopo transmissum.*

1448. IN nomine Iesu Christi. Reuerendo in Christo patri ac Domino, Domino *Gottfrido*, Episcopo Herbipolensi, nec non Duci Franconiæ Orientalis præclarissimo Frater *Dyetricus Ebe*, Prior, *Eberhardus* de *Hurlbach*, *Wernherus* de *Creilsheim*, Præpositus in *Gebsetteln*, *Iohannes* de *Rinderbach* Præpositus sancti Egidii, *Iohannes* de *Bachenstein*, Præpositus sancti Egidii, Herbipolensis dioceseos, Frater *Iohannes Vtzlinger*, *Petrus* de *Stetten*, *Iohannes Dieiner*, Cantor, *Ernfridus* de *Velberg*, Syndicus, *Hiltbrandus* de *Creilsheim*, *Andreas Tryffirheuser*, *Bernigerus* de *Neudeck*, *Georgius* de *Rinderbach*, Custos, conuentuales & confratres monasterii *Kæmberg* ordinis sancti Benedicti, Herbipolensis dioceseos, sui humiles filii & deuoti cum omni reuerentia deuotissima & subiectione debita & condigna. Cum enim propter vocationem diuinam, ecclesiæ in suis facultatibus grauia patiantur dispendia, conditores canonum decreuerunt, quod ecclesiæ regulares, siue aliæ superiores, impedimento canonico sublato, vltra tres menses vacare non debeant. Exempto igitur anno Domini MCCCCXLVIII. die septimo mensis Octobris felicis recordationis, *Gottfrido* olim Abbate monasterii *Komberg*, rebus humanis & ipsius corpore, exacta diligentia, ecclesiasticæ tradito sepulturæ, ne propter pastoris defectum lupus rapax gregem Dominicum inuadat, & ne ecclesia incommoda suæ viduitatis diutius deploraret, fuit dies quinta decima a præsentibus prædicti mensis Octobris, Indictione vndecima, cum contumatione sequentium peremptorie concorditer assignata, ad electionem futuri Abbatis celebrandam, citatis autem absentibus in præfixo termino & conuenientibus ad capitulum nostrum omnes, qui debuerunt, voluerunt & potuerunt commode interesse. Placuit nobis, vt primitus deberent celebrari diuina, antequam procederetur ad negotium electionis fiendæ, & quod nullus deberet involutus esse sententiis, censuræ siue alio crimine quod ipse iure electionis redderet nulla, alias vota talium eligentium pro non votis siue nullis deberent reputari. Missa sancti spiritus solennite decantata, deliberatione matura præhabita, per quam formam esset in electionis negotio procedendum placuit, nobis omnibus & singulis per formam scrutinii nostro monasterio prouideri de pastore idoneo. Vnde tres A de nostro capitulo fide dignos, videlicet fratrem *Dyetricum*, Priorem, *Eberhardum* de *Hurlbach*, & *Iohannem Vtzlinger*, Seniores nostri capituli inscrutatores voce concordi duximus assumendos, quibus maturitate prouida præhabita, duximus pro assessoribus adiungendos Venerabiles egregios viros eos volentes & acceptantes, videlicet Dominum *Nicolaum Sickinger*, Decanum ecclesiæ collegiatæ in *Oringaw* canonicorum secularium, Herbipol. dioceseos, fratrem *Bernigerum* de *Berlichingen*, sacrorum Canonum doctorem, egregium per- B uenerabilem in Christo patrem & Dominum, Dominum *Iohannem* Abbatem monasterii *Elbangen*, Ordinis sancti Benedicti Augustensis dioceseos, nobis ad negotium huiusmodi electionis prouide fiendæ destinatum, & *Iohannem Hobermut*, Decanum ruralem in *Kinzelsawe*, dictæ Herbipolensis dioceseos, iuramentis tamen per nos ad Dei sancta Evangelia præstitis, præcedentibus, quod huiusmodi negotium electionis deberet celebrari, iuxta idoneitatem personæ, quæ posset prodesse & præesse nostro monasterio in spiritualibus quam temporalibus, secundum veram & rectam conscientiam, excluso vitio totius prauitatis, ac patrocinio omnis fraudis ac doli. His igitur ita ordinatis & celebratis, vnanimi omnium & singulorum assensu accedente, decreuimus, quod præfati assessores, assumpto sibi tabellione publico infra scripto, se traherent in choro sancti C Nicolai ad certum angulum, primo & ante omnia iuxta temporis prioritatem & consuetudinem laudabiliter introductam, votum prioris seorsum & deinde in præsentia eiusdem prioris, votum *Eberhardi* de *Hurlbach*, secundi scrutatoris, & deinde in præsentia Prioris & *Eberhardi*, votum *Iohannis Vtzlinger*, tertii scrutatoris diligenter requirerent. Denique ipsi tres scrutatores in præsentia dictorum assessorum ac tabellionis publici infra scripti omnium nostrorum vota secreto & sigillatim inquirerent, & eis in scriptis redactis, facerent collationem numeri ad numerum, meriti ad meritum, zeli ad zelum, in quem repertum extiterit omnes siue maiorem & saniorem partem, respectu totius capituli ita quod fieret vna D communis electio. Ipsi vero scrutatores *Komberg* deberent publice nominare, & quod vota minorum partium eligentium, deberent addi votis maioris & sanioris partis, respectu totius capituli. Ipsi vero scrutatores cum assessoribus ante dictis adiuncto eis tabellione infra scripto se trahentes, secreto & sigillatim modo præscripto, inquisierint exacta diligentia, sicut ipsi postmodum nobis retulerunt. Primo iuxta ordinem ipsi scrutatores, ipsis assessoribus

ribus cum tabellione vota ſua, deinde ipſi ſcrutatores vna cum aſſeſſoribus adiuncto tabellione infraſcripto, vota noſtra omnium prout in mandatis habuerunt diligentiſſime inquiſierint, ipſis votis in ſcriptis redactis collatione numeri ad numerum, meriti ad meritum, Zeli ad Zelum ſubſecuta, inuentum & repertum extitit omnes de conuentu, direxiſſe vota ſua aſſenſu vnanimi & concordi, in fratrem *Ernfridum* de *Velberg* Syndicum, præter *Iohannem* de *Bachenſtein* Præpoſitum ſancti Egidii, qui nominauit & elegit in Abbatem fratrem *Andream Tryſſtsheuſer*. Idem frater *Ernfridus* de *Velberg* nominauit & elegit in Abbatem *Hildbrandum* de *Creilsheim*. Hac nominatione & electione ſic rite celebrata, frater *Dietericus*, Prior prænominatus, de mandato noſtro nominauit & elegit fratrem *Ernfridum* de *Velberg*, in hunc modum, vt ſequitur: In nomine Dei Patris & filii & ſpiritus ſancti, Amen. Cum monaſterio in *Camberg* vacante, vocatis abſentibus, qui erant euocandi & præſentibus die peremptorie præfixa, omnes, qui debuerunt, voluerunt & potuerunt commode intereſſe, placuit per formam ſcrutinii, vacanti monaſterio *Kamberg* prouideri, factoque ſcrutinio iuxta formam concilii generalis, & collatione habita repertum fuit præter *Iohannem* de *Bachenſtein*, omnes de conuentu direxiſſe vota ſua in fratrem *Ernfridum* de *Velberg*, Syndicum monaſterii *Kamberg*, virum vtique maturum ſcientia moribus & ætate, in ſacerdotio conſtitutum, ordinem regularem profeſſum, de vero legitimo matrimonio procreatum, in ſpiritualibus præſertim temporalibus plene circumſpectum, expergentia docente, quæ eſt efficax magiſtra & domina rerum nec non omni exceptione maiorem. Idcirco ego frater *Dietricus* Prior vice mea, & totius capituli, ac omnium ius in ipſa electione habentium, ex poteſtate mihi tradita a toto capitulo & conceſſu, præfatum fratrem *Ernfridum* de *Velberg*, Syndicum, nomino & eligo in electum Abbatem & Prælatum monaſterii *Kamberg* Ordinis ſancti Benedicti, in honore ſancti Nicolai fundati, dictati, ædificati, Herbipolenſis dioceſis. Dictam vero electionem ſic ſolenniter & legitime celebratam, omnes vnanimiter approbamus & approbauimus, gratamque & acceptam habemus & habuimus, ac deinde Te Deum laudamus, alta voce decantantes, dictum electum noſtrum ſuper altare ſancti Nicolai collocanter, & in ſtallo ac cathedra Abbatiali, ipſum electum intronizantes, iuxta conſuetudinem hactenus obſeruatam, & ſine temporis dilatione, ipſam electionem ſic a nobis legitime & canonice celebratam, Clero & populo per compulſum omnium campanarum fecimus publicari, poſt modum vero illico a noſtro electo petiuimus, vt eidem noſtræ electioni de eo factæ præberet aſſenſum. Deliberatione habita per tempora interualla, tandem nolens reſiſtere diuinæ poteſtati infra tempus a iure præfixum annuit votis noſtris, electioni de eo factæ conſentiens. Ea propter paternitati veſtræ gratioſiſſime humiliter ſupplicantes, nec non deuote quam humilime, voto quo vnanimi rogantes, quatenus electionem noſtram, ſic ſolenniter, legitime ac rite factam, de electo noſtro *Ernfrido* de *Velberg*, dignemini confirmare, vt Deo auctore nobis & monaſterio noſtro, velut paſtor idoneus valeat præeſſe, vtiliter & prodeſſe, nosque ac alii eius ſubditi ſub ipſius regimine poſſimus coram Deo ſalubriter militare. Ceterum vt veſtra paternitas gratioſiſſima elucidius cognoſcat, ſic vota noſtra in prædictis omnibus, & ſingulis concordaſſe, ac in petitione huiusmodi exiſtere concordes per *Iohannem Dyemer*, Cantorem, & *Hildbrandum* de *Creilsheim*, duximus transmittendos, decretum præſens noſtræ electionis iuxta decreta canonica roboratum, quod etiam ad maiorem cautelam per infraſcriptum tabellionem, in publicam & authenticam formam redigi fecimus & ſigillo noſtri capituli inſigniui. Et ego *Iohannes Pyrn* de *Molhuſen*, clericus Moguntinæ dioceſis, publicus ſacra Imperiali auctoritate Notarius, quid huiusmodi decretum electionis omnibusque aliis & ſingulis in eo punctualiter contentis, dum ſic vt præmittitur fierent & agerentur, vna cum infraſcriptis teſtibus, ad hæc vocatis, rogatis & requiſitis, videlicet honorabilibus & circumſpectis viris & Dominis *Iohanne Luckenbach*, plebano in *Erlach*, *Petro Huſs*, plebano ſub caſtro *Limburg*, & *Iohanne Seylacher*, plebano in *Michelbach*, Herbipolenſis dioceſis, præſens interfui, eaque omnia & ſingula in ipſo decreto contenta vidi & audiui, idcirco præſens decreti electionis publicum inſtrumentum, ægritudine mihi dolorose imminente, & ſingula per alium fidelem ſcriptum, ſubſcripſi, confici feci, & in hanc publicam inſtrumenti publici formam redegi, ſignoque nomine & cognomine meis ſolitis & conſuetis, vna cum appenſione ſigilli capituli & conuentus monaſterii in *Kamberg* ſupradicti, ordinis ſancti Benedicti ſignaui, rogatis & requiſitis in fidem & euidens teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

LVI.

Carolus IV. confirmat Senatui Hallenſi aduocationem Monaſterii Comburgenſis.

1349.

WIr CARL von GOttes Gnaden Römiſcher König, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, und König zu Behem, verjehen und thun kundt offentlich mit dieſem Brieff allen den, die in ſehen, hörtn oder leſen, wann wir vernommen haben, daß die Burger der Stadt zu Hall unſer lieben Getreuen, durch recht die Vogtey und Schirmung haben ſollen über das Cloſter der Gaiſtlichen des Abts und Conuents zu Kamberg, darumb iſt unſer Will, und geben auch darzu vnſer offenbahr Gunſt, ob dieſelben Burger von Hall deſſelben gewiſſe Virkundt vndt Brieff haben, von vnſern Vorfahrn, Sie ſeyn König oder Kaiſſer, daß ſie dann allein vnd niemand anders, dieſelben Vogtey vnd Schirmung inn haben ſollen. Mit Virkundt dis Brieffs, ver-

verſiegelt mit vnſerm Königlichen Inſigel, der-
geben iſt zu Nurnberg, *nach Chriſtus Geburt*
dreyzehnhundert *Jahr, vnd in dem* Neun *vnd*
viertzigſten *Jahre, des nechſten Sonntags*
vor Sanct Michels-Tag, im vierdten Jahr vn-
ſer Reiche.

LVII.

Friderici III. literæ de ead. Aduocatia.

WIr Friederich *von GOttes Gnaden Romi-*
ſcher Kaiſſer, zu allen Zeiten Mehrer des
Reichs, zu Hungarn, Dalmatien, Croatien &c.
Konig, Hertzog zu Oeſtreich, *zu* Steyer, *zu*
Kerndten *vnd zu* Crain, *Graffe zu* Tyrol &c. *Be-*
kennen, vnd thun kundt allermänniglich offen-
lich mit dieſem Brieff, das vns vnſer vnd des
Reichs lieben Getreuen Burgermeiſter vnd Rath
der Stadt Schwabiſchen Halle *fürbringen laſſen,*
wie das Cloſter vnd Gottshauß Kamberg *Sanct*
Benedicten Ordens, nahent bey der Stadt Hal-
le *gelegen, vns vnd dem Heyligen Reiche in-*
ſonderheit zugehörig, länger dann Menſchen
Gedächtnuß begreifft, in Ihrem Schutz vnd
Schirme geweßt vnd noch ſey, auch Ihnen in
beſunder von viel Romiſchen Kayſern vnd Ko-
nigen vnſern Vorfahren am Reiche zu ſchützen
vnd zu ſchirmen befohlen wäre, nach laut der
Brieff, vns deshalben durch glaublichen Schein
fürgebracht. Wann nun nit billich wäre, auch
vns nit gemaint iſt, das ſolch Gottshauſſe durch
jemand ohne vnſer vnd vnſere Nachkommen am
Reiche ſunder Befehl vnd Haiſſen, aus vnſer vnd
der genandten von Halle *alt herbrachten Schutz*
vnd Schirm gezogen werden ſolte, vnd damit
das gemelt Gottshauß, vnd die Conuentual dar-
inn deſter bas in gaiſtlichem ordenlichem We-
ſen gehalten werden; So haben wir als Rœ-
miſcher Kaiſer vnd Oberſter Vogt des *genand-*
ten GOttshauſs, *mit wohlbedachtem Muth, gu-*
tem Rathe vnd rechtem Wiſſen, denſelben von
Halle *ſolch Ihr alt herbracht Schutz vnd Schirm*
des obbeſtimbten GOttshauß Camberg *confir-*
miret vnd beſtättigt, ſie auch von neuem von
vnſer vnd des Heyligen Reichs wegen, zu Vog-
ten und Schirmern deſſelben GOttshauß geſetzt,
geordnet, vnd Ihnen das alſo von vnſern vnd
des Reichs wegen zu ſchützen vnd zu ſchirmen
eingegeben vnd befohlen. Confirmiren vnd
beſtätten, ſetzen, geben, ordnen, vnd befehlen
Ihnen das alſo von Romiſcher Kaiſerlicher
Macht, Vollkommenheit, wiſſentlich in Krafft
dis Brieffs, vnd meynen, ſetzen vnd wollen von
ietzberührter vnſer Kaiſerlicher Macht, das
nun fürbas hin zu ewigen Zeiten, das gemeldt
GOttshauß Kamberg, *vnd der Abt vnd Con-*
uentual darinn, mit allen Ihren Gütern vnd
Zugehœrungen, in der vorgenandten Burger-
meiſter vnd Rathes der Stadt Hall, *Schutz,*
Schirm vnd Vorſprechniß, wie vorgeſchrieben
iſt, ſeyn vnd bleiben, vnd alſo durch dieſelben
von Halle, *von vnſer und des Heil. Reichs we-*
gen getreulichen beuogtet, beſchützt vnd be-
ſchirmet werden ſollen von allermänniglich un-
gehindert, doch Uns vnd dem Reiche an unſer
Oberkeit vnd Gerechtigkeit unvergreiffenlich
vnd unſchädlich. Und gebieten darauff allen
vnd ieglichen Furſten, Geiſtlichen vnd Weltli-
chen, Prälaten, Graffen, Freyen Herrn, Rit-
tern, Knechten, Hauptleuten, Amtleuten, Vog-
ten, Pflegern, Verweſern, Schultheiſſen, Bur-
germeiſtern, Richtern, Rathen, Burgern vnd
Gemainden, vnd ſunſt allen andern Unſern vnd
des Reichs Vnterthanen vnd Getreuen, ernſt-
lich vnd veſtiglich mit dieſem Brieff, das Sie
die obgenandten von Schwabiſchen Halle *an*
der vorgeſchrieben unſer Kaiſerlichen Confir-
mation vnd Beſtattigung, vnd dieſer Unſer Be-
felniß der gemelten Vogtey, Schutz vnd Schirms
nit hindern oder irren, ſunder ſie dabey geru-
lich bleiben laſſen, vnd dawider nit thun, noch
iemand zu thun geſtatten, in kein Weiſſe als
lieb einem ieden ſey Unſer vnd des Reichs
ſchwehre Ungnadt, vnd darzu ein Pœn, nem-
lich viertzig Marck lodigs Goldes zu vermei-
den, die ein ieder, ſo offt der freventlich hie-
wieder thæte, halb in Unſer vnd des Reichs
Cammer, vnd den andern halb Theil den ob-
genandten von Halle *unablößlichen zubezah-*
len, verfallen ſeyn ſoll. Mit Vrkundt dis
Brieffs mit Unſerm Kaiſerlichem anhangen-
den Inſiegel beſigelt. Reliqua deſunt in MS.

LVIII.

Bulla CLEMENTIS *de correctione Mo-*
nachorum & Conuerſorum per appella-
tionem non impedienda.

CLemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei,
dilecto filio Abbati Monaſterii in *Kam-*
berg, ordinis Sancti Benedicti, Herbipol. dio-
ceſ. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem!
Exhibita nobis tua petitio continebat, quod
nonnulli tui monaſterii monachi & Conuer-
ſi, vt tuam correctionem euitent, & regula-
rem fugiant diſciplinam, friuole appellatio-
nis obſtaculum ſæpius interponunt, ſicque
eorum exceſſibus remanentibus, reliqui aſ-
ſumunt inde audaciam ſubueniri. Cum igi-
tur appellationis remedium non ad diffugi-
um malignantium, ſed oppreſſorum ſuffragi-
um ſit inuentum, diſcretioni tuæ per Apoſto-
lica ſcripta mandamus, quatinus non obſtan-
te huiusmodi friuolæ appellationis obſtacu-
lo, in corrigendis Monachorum & Conuerſo-
rum ipſorum exceſſibus, libere tui officii de-
bitum exequaris. Dat. *Auinion.* 10 Cal. Maii,
Pontificatus noſtri anno primo.

LIX.

Literæ vidimatæ de immunitate monaſterii
ratione Conductas.

WIr der Burgermeiſter vnd der Rath ge- 1355.
meinlich zu Halle, *thun kundt vnd ver-*
gehen offentlich an dieſem Brieff allen den die
in leſent oder hörent leſen, daß wir an Unſerm
Rath den Brieff verhört haben, verſiegelten
zuruck mit Unſers Herrn des Kaiſers Inſiegel
vnd geſchrieben von Wort zu Wort als her-
nach geſchrieben ſteht: Wir Carl *von GOttes*
Gnaden Romiſcher Kaiſer zu allen Zeiten Mehr-
rer des Reichs vnd Konig zu Beheim, *entbie-*
then den Edlen Albrechten *vnd* Copraden

Schencken *von* Limpurg *Unſern vnd des Reichs lieben Getreuen, Unſer Hulde vnd alles Gut Lieben Getreuen, Uns iſt furgeleget von wegen des Abts vnd des Convents des Cloſters zu* Kamberg, *das Ihr von Ihn ein Geleidte zwiſchen* Hall *vnd* Kamberg *fordert, das von Euren Eltern nie genommen noch gefordert iſt, vnd ſie des auch von Rechte nicht geben ſollen, davon wollen wir vnd heiſſen euch auch ernſtlich, das Ihr von Ihn kein Geleidte fordert oder nehmet in keine Weiß, auch iſt vns ſunderlich geklagt, das Ihr Sie an Ihren Leuten, Holtzen, vnd Guthen mancherley hindert vnd beſchadigt, beſunder das Euer Diener ihn ihr Vieh genommen haben, vnd einen ihren Bruder gefangen, darum wir euch auch gebieten feſtiglich bey unſern Hulden, das ihr ſie an ihren Leuten vnd Guthen in kein Weiß beſchadigt, vnd das ihr oder die Euern was ihr ihn genommen habt, vff Recht wieder gebt, vnd wieder geben heiſſet, vnd ihr Gefangen ledig ſchaffet, vnd was ihr daruber zu ihn und ihrem Cloſter zuſprechen habt, das ſollet ihr vor uns vnd dem Reiche fordern, oder vor ein Biſchoff von* Wurtzburg *da ſie billich vnd mindert anderswo recht geben vnd nehmen ſollen, vnd thund, was da vorgeſchrieben iſt, als lieb Euch vnſer Kaiſerliche Hulde ſey zu behalten. Geben zu* Sultzbach *am Sanct Margarethen Tag, vnſer Reich in dem Neundten vnd des Kaiſerthums in dem erſten Jahre. Vnd zu Urkundte, das wir den Brieff in unſerm Rathe alſo verhort haben von Wort zu Wort, iſt dieſe Abſchrifft von Raths wegen zurucke beſigelt mit vnſer Stadt Inſigel. Geben an dem nachſten Sontage nach der zwolff Bothen Tage als ſie zuſamt wurden, nach Chriſtes Geburth* dreyzehenhundert *Jahr, in dem* funff *vnd* funffzigſten *Jahr.*

LX.

Caroli IV. primariæ preces ad Monaſt. Camburg.

1355. CAROLUS *IV.* diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & *Bohemiæ* Rex, Nobilibus *Ulrico* de *Prauneck* & *Krafftoni* de *Hohenlob*, fidelibus ſuis dilectis gratiam ſuam & omne bonum. Omnipotentis Dei clementia, cujus virtute cuncta ſubſiſtunt, in Baſilica principis Apoſtolorum in *vrbe ſacro Sancti Romani Imperii*, Sacris & auſpice Deo felicibus inſulis decorati, jure, quod celebris memoriæ diuorum Imperatorum, qui nos præceſſerunt, feliciter Sacra obſeruauit autoritas, ac nobis laudabili nec non approbata conſuetudine competenti religioſis Abbati & Conuentui Monaſterii in *Kamberg*, Ordinis Sancti Benedicti Herbipol. dioces. noſtris & Sacri Imperii deuotis dilectis, quod deuoto nobis dilecto *Theodorico* presbytero Herbipol. Dioces. *primarias imperiales* duximus *preces* noſtras, deſiderantes attente ipſisq; virtute & laudabilis juris prædicti ſerioſius iniungentes, quatenus prædicti *Theodrico* mox ipſis precibus noſtris intellectis de beneficio Eccleſiaſtico cum cura vel ſine cura ipſorum præſentationis, prouiſionis, collationis ſeu diſpoſitionis vacante ad præſens, vel vacaturo proxime, per ſe vel procuratorem ſuum legitimum acceptandum duxerint, ſine cuiuslibet contradictionis obſtaculo curent & debeant prouidere, ſicut jura, libertates, & gratias, quibus Monaſteria ipſorum Diuæ imperialis majeſtatis inſigniuit religio, cuſtodiri diligunt & noſtræ manſuetudinis fauoribus ampliari. Sperantes vtique quod grati beneficiorum, quæ ab imperio recepiſſe noſcuntur jus noſtrum & prædictam conſuetudinem ad effectum perducant debitum, vt tenentur, ſi tamen quauis occaſione contraria imperiali juri fortaſſe reniti concederent, fidelitati veſtræ mandamus, & ſub obtentu noſtræ gratiæ injungimus ſerioſe, quatenus prædictos Abbatem & Conuentum ad exauditionem effectualem *precum* & *mandatorum imperialium* arcere debeatis, & auctoritate noſtra compellere, viis & remediis oportunis. Datum in *Nureimberg* die XXVIII. menſis Novembr. regnorum noſtrorum anno decimo, Imperii vero primo.

LXI.

Copia vidimata de tutela Monaſterii Comburg. Ciuitati Halenſi commiſſa.

IN nomine Domini, Amen. Tenore hujus publici inſtrumenti perceptoribus præſentibus & futuris infra ſcripta pateant evidenter, quod ſub anno Domini MCC Lquinto, Indictione nona, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris ac Domini, Domini *Innocentii* Papæ *Sexti* anno tertio, die decima menſis Decembris, quod fuit quinta feria ante diem Sanctæ Luciæ Virginis, horum virorum in oppido *Rotenburg* Herbipol. dioces. in domo habitationis *Sefridi* dicti *Hornberg* oppidani, ibidem in ſtuba ſuperiori domus ejusdem, & in mei Notarii publici ac teſtium ſubſcriptorum præſentia, frater *Rudolffus* Monaſterii in *Kamberg* Ordinis Sancti Benedicti, Præpoſitus monaſterii Sancti Egidii in *Kamberg* minori Herbipol. dioces. jam dictæ perſonaliter conſtitutus, hanc literam in Theutonico ſubſcriptam a me petiuit ſub manu publica copiari, cujus precibus acquieui, ipſam literam in manibus meis tractaui diligenter perlegens, cera rubea a tergo ſigillo ſereniſſimi Domini, Domini *Caroli* Romanorum Imperatoris & ſemper Auguſti, nec non Regis *Bohemiæ* ſigillatam, in cujus ſigillo medio *imago aquilæ* fuit inſculpta, vidi ac inueni non abraſam, non cancellatam, nec in aliqua ſui parte vitiatam, in cujus quidem literæ margine inferiori verſus dextram, juxta finem erat ſcriptum, per Dominum Cancellarium, & huic ſubſcriptum fuit *Johannes Eyſteten*, quam literam copiaui per omnia in hæc verba: *Wir CARL von GOttes Gnaden Romiſcher Kayſer, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs vnd Konig zu* Behem, *entbieten dem Burgermeiſter, dem Rathe vnd den Burgern gemeiniglichen der Stadt zu* Hall *Unſern vnd des Heil. Reichs lieben Getreuen, Unſer Hulde vnd alles Gut. Als wir Euch vormals gebotten haben, das ihr die Geiſtlichen vnd den Abt vnd den Conuent vnd das Cloſter*

1355.

zu

zu Kamberg, *das zu Uns vnd dem Heil. Reich beſonder gehort, vor allermanniglich ſchirmen vnd ſchutzen ſoltet, vnd darum ſie auch Eure Brieff haben, vnd wann ihr des nit thut, alſo furderlich als ihn noth war vnd ihr wohl mochtet. Darumb wollen Wir vnd gebieten euch auch ernſtlich vnd feſtiglich bey vnſern vnd des Reichs Hulden, das ihr die obgenanten Ihn den Abt, vnd den Conuent vnd ihr Cloſter ſchirmet vnd befridet vor allermanniglich, der ſie ſchadigen oder beſchwehren wolte. Geben zu* Nurnberg *an St. Endres Abend des Heil. zwolff Botten, Unſer Reich in dem zehenden vnd des Kayſerthumbs in dem erſten Jahre.* Præſentibus vt præmittitur acta ſunt hæc diſcretis & honeſtis viris dicto der *Jung Otte, Sefrido* dicto *Hornburg* ſupradicto, *Johanne* dicto *Ranger, Sefrido* dicto *Zugmantel* oppidanis in oppido *Rotenburg* prædicto, & *Sefrido* de *Gebſettel* ad præmiſſa vocatis pro teſtibus, & rogatis. Et ego *Fridericus* de *Kitzingen* pro nunc Rector ſcolarium in *Rotenburg* oppido ſupra fato, publicus imperiali auctoritate Notarius, quia hujusmodi literarum copiationis petitioni, ac ipſius admiſſioni una cum prædictis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audiui; Ideo hoc inſtrumentum per modum ut prædicitur copiationis propria manu conſcripſi, ſignoque meo ſolito conſignaui, deſuper requiſitus.

LXII.

Carolus IV. monaſterium Camburg. ab exactione pro conductu immune pronuntiat.

1355. WIr CARL von GOttes Gnaden Romiſcher *Kayſer, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, Konig zu* Behem, *entbietben den Edlen* Albrechten *vnd* Conraden Schencken *von* Limpurg *vnſern vnd des Heil. Reichs lieben Getreuen, unſer Huld vnd alles gut. Vns haben vor langer Zeit geklagt die Gaiſtlichen der Abt vnd der Conuent des Cloſters zu* Kamberg, die zu Uns vnd dem Romiſchen Reich beſunder gehoren, *das ihr ihn zufordert Geleidte, daß ſie vnd ihr Cloſter, euch vnd euren Vorfahren nie geben haben, vnd habet ihn darum genommen ſechs Pferdt, funffzig Pfunde wehrt, die ihr noch inne habt, vnd auch das euer Diener von euch, vnd zu euch ihn einen Munch einen Prieſter gefangen haben, vnd ihn vnd ihrem Cloſter hundert Pfundt wehrt Viehes genommen haben, darum wann wir euch auch vormals geſchrieben haben, vnd habt ihr ihn doch nichts wieder than, ſo wollen vnd gebiethen Wir euch ernſtlich bey unſern vnd des Reichs Hulden, das ihr kein Geleidt von ihn nehmet, vnd ihn die vorgeſchrieben Gefangniſſe vnd Nahme gar vnd gantzlich wieder thut, vnd wieder thun heiſſet, als lieb euch unſer vnd des Reichs Hulde ſey zu behalten, thatet ihr des nicht, ſo wolten vnd muſten wir dencken, wie wir das obgenant Cloſter wieder euch bey Rechte behielten. Geben zu* Nurnberg *an St. Endris Abend, Unſer Reiche in dem zehenden, vnd des Kaiſerthumbs in dem erſten Jahr.*

LXIII.

Literæ Caroli IV. Cæſ. ad Wurtenbergicum contra Pincernas de Limburg.

IN nomine Domini, Amen. Tenore huius publici inſtrumenti perceptoribus præſentibus & futuris pateant euidenter, quod ſub anno Domini MCCCL octauo, indictione vndecima, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini, Domini *Innocentii* Papæ *Sexti*, anno ſexto, quarto nonas Auguſti menſis, quæ fuit in craſtino diei ſancti Petri ad vincula hora ſerocina in oppido *Rotenburg* Herbipol. Dioceſ. in domo habitationis *Sefridi* dicti *Hornburg*, oppidani ibidem, in ſtuba ſuperiori domus eiusdem, & in mei Notarii publici ac teſtium ſubſcriptorum præſentia, frater *Rudolfus* Monaſterii in *Kamberg*, ordinis ſancti Benedicti, & Præpoſitus monaſterii ſancti Egidii in *Kamberg* minori eiuſdem Dioceſ. Herbipolenſis iam dictæ, perſonaliter conſtitutus, literam quandam imperialem papiream ſigillo Sereniſſimi Domini, Domini *Caroli* Imperatoris Romanorum, cum cera rubea, a tergo ſigillatam mihi exhibuit, in cuius ſigilli medio *aquila extenſis alis* eſt impreſſa, in circumferentia vero fuit characteribus ſcriptum, *Carolus IV. diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex;* quam diligenter perlegendo inueni & vidi non cancellatam, nec abraſam, omni quoque prorſus vitio carentem, per me ad requiſitionem eiusdem exhibito, de verbo ad verbum fideliter copiatam, ac ipſum ſcriptum ſeu copiam cum ſuo originali in præſentia eorundem teſtium ſubſcriptorum, concordare penitus comperi. Cuius tenor per omnia ſubſequitur in hæc verba: *Wir* Carl *von GOttes Gnaden, Römiſcher Kayſer, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs vnd Konig zu* Behem, *entbieten den Edlen*, Eberharditen *vnd* Vlrich, *Graffen von* Wurttemberg, *vnſer vnd des Heyl. Reichs lieben Getreuen, vnſer Gnad vnd alles Gut. Vns hat die Geiſtlichen, der Abt vnd Conuent des Cloſters zu* Kamberg, *das zu vns vnd dem Reich ſonderlich gehoret, vor langen Zeiten geklagt, daß* Euer Diener *die* Schencken *von* Limburg *Sie zwingen, ein vngemeinlich Gleit zu geben nahe bey* Halle, *das von kein Ihrem Vorfahren bey keins vnſers Vorfahrn am Reich Zeiten gefordert noch genommen iſt. Vnd das Sie dem Cloſter nemmen Wülde, Zehenden, Hoff vnd Weyler, vnd daß Ihr Diener dem Abt hundert Pfundt wehrt Viehes in ihre ſelbs Schloß genommen haben, vnd das nicht widerthan haben. Sie klagen auch das die Schencken ein Gut kaufft haben zu* Buchern, *die von Ihn in Ihrem Cloſter zu Lehen gehen, vnd die Lehen han Sie nicht genommen vnd von Ihn empfangen. Sie klagen auch von* Conrad *von* Hurnheim *Euren Diener, daß Ihn ſeine Knecht nehmen ein vnd funffzig Pfundt Heller auf freyer Straß, die hatt Er noch inne vnd nicht widerthan. Nun han wir Ihn vormals vnſer Botſchafft darumb gethan, vnd die hat den Abt vnd den Conuent noch nicht befurdert. Darumb heiſſen vnd gebieten wir*

euch feſtiglich, bey vnſer vnd des Reichs Hulden, das Ihr Eure Diener darzu haltet, das Sie dem obgenandten Cloſter wiedergebeu, was Sie ihm genommen haben, vnd Sie furbas ungeirret laſſen an ihren guten Rechten, Gewohnheiten, vnd ihn Recht umb Rechte widerfahren laſſen, oder wir muſſen gedencken, wie wir vnſer Cloſter bey ſeinen Rechten vnd Guten behalten. Geben zu Nurnberg *am nachſten Montag nach Sanct Iacobs Tag, vnſer Reiche des Romiſchen in dem dreyzehenden, des Behmiſchen in dem zwolfften, vnd des Kayſerthumbs in dem vierdten Jahre.* Acta ſunt hæc anno, 1358. indictione, menſe, die, hora & loco præſcriptis, præſentibus diſcretis Domino *Dietherico* dicto *Sporlin*, presbytero plebano in *Geckenheim*, Herbipol. dioceſ. & *Heinrico* clerico nato dicto *Veſeler* de *Orenbur* Eyſtettenſis dioceſ. ad præmiſſa vocatis pro teſtibus & rogatis. Et ego *Fridericus* de *Kitzingen* Herbipol. Dioceſ. publicus imperiali auctoritate Notarius, quia huiuſmodi literarum receptioni, copiationi, concordationi ac omnibus aliis vna cum prædictis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audiui, ideo hoc inſtrumentum publicum exinde confectum propria manu conſcripſi, ſignoque meo ſolito conſignaui, requiſitus deſuper & rogatus.

LXIV.

Monachi obedientiam Abbati Comburg. promittunt.

1365. IN nomine Domini, Amen. Tenore huius inſtrumenti publici euidenter pateat vniuerſis, quod anno a natiuitate eiusdem, milleſimo CCCLXV. Indictione XIII. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri Domini *Innocentii*, diuina prouidentia Papæ VI. anno VIII. die tertia menſis Septembris, hora tertia vel quaſi intra ſepta monaſterii in *Camberg* Herpibol. Dioceſ. in caplario ſeu loco clauſtri dicti monaſterii, venerabilis in Chriſto Pater & Dominus *Heinricus* Abbas monaſterii in *Camberg* ſupra dicti ordinis ſancti Benedicti, in mei Notarii publici ac teſtium infra ſcriptorum præſentia perſonaliter conſtitutus, requiſiuit religioſos viros fratres; *Fridericum* de *Brackenlor*, *Ludwicum Durren*, *Ernfridum* de *Velberg*, *Hermannum* de *Heymberg*, *Philippum Egenonis*, *Heinricum Schlez*, *Wilhelmum* de *Goltbach* ac reliquos fratres monachos & profeſſos dicti monaſterii conuentuales tunc ibidem præſentes capitulariter congregatos & capitulum facientes, vt eidem Domino *Heinri-*D *co* Abbati obedientiam facerent & promitterent, ſicut etiam tenentur, prout in literis apoſtolicis ipſis ſuper hoc directis & iam pridem debite publicatis plenius continetur. Qui quidem fratres *Fridericus* de *Brackenlor*, *Ludwicus Durre*, *Ernfridus* de *Velberg*, *Hermannus* de *Heymburg*, *Philippus Egenonis*, *Heinricus Schlez*, *Wilhelmus* de *Goltbach* & *Rudolffus* de *Munckein* iunior monachi profeſſi dicti monaſterii & quilibet eorum ſucceſſiue ſingulariter & diuiſim eidem Domino *Heinrico* Abbati promiſerunt, & quilibet eorum diuiſim & ſingulariter promiſit obedientiam manibus ſuis, complicans in manibus ipſius Domini Abbatis, tamquam vero & legitimo Abbati dicti monaſterii, prout in dicto monaſterio fieri eſt conſuetum, nec aliquis eorundem monachorum de dicto capitulo præmiſſis ſe oppoſuit, neA que ea aliqualiter contradixit, ſuper quibus ſic, vt præmittitur, peracta præfatus Dominus Abbas me Notarium publicum infra ſcriptum requiſiuit, vt ſuper præmiſſis ſibi conficerem publicum inſtrumentum. Acta ſunt hæc, vt præmittitur, anno, menſe, die, hora, loco, indictione & anno, pontificatu quibus ſupra, præſentibus diſcretis viris Dominis *Heinrico* plebano in *Hallis* & *Seyfrido* plebano in *Tungenthal* Herbipol. Dioceſ. presbyteris teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego *Heinricus Heinrici* de *Lapicide* de *Herriden* clericus Eyſteten. Dioceſ. publicus imperiali auctoritate Notarius præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic vt præmittitur, fierent, vna cuin prænominatis teſtibus præſens interfui, B eaque ſic omnia & ſingula vidi fieri & audiui. Ideoque hoc præſens inſtrumentum publicum inde confectum manu mea propria ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque meo ſolito & conſueto ſignaui, rogatus & debite requiſitus.

XLV.

Vrkundt wegen eines Vrthels Heintz Wernhern Smaltrin *betreffend.*

Ich Conrad *von* Gundelfingen, *des Romiſchen Kayſer* Ludwigs *Hoff-Richter, thue kundt daß vor mir an einer geſammeter Vrteil ertheilt iſt, was* Hintz Wernhern Schmaltrin *von* C Halle, *klagt iſt oder noch klagt wurde vor dem Land-Gericht zu* Wimpffen, *dieweil es nicht beſetzt iſt mit einem freyen Manne, als es durch Rechte ſoll, das ſeinem Leib noch ſeinem Guth das zu keinem Schaden kommen ſoll vnd kein Krafft han; des zu Vrkundt gib Ich Ihm mit Vrtheil dieſen Brieff verſigelt mit des Gerichts Inſigel.* Datum Herbipol. feria II. poſt Iacobi.

LXI.

Mandatum Iudicis prouincialis Nurmberg.

Die Edlen Herren, Herr Gerlach *von* Hohenloh, *Herr* Gottfried *von* Prawneck, 1365. *vnd all von* Prawneck, *die veſten Ritter vnd Knecht all von* Stetten, *all von* Newſetz, *all von* Newenſtein, *all von* Schamſtetten *vnd die Burger gemeinlich zu* Halle *vnd zu* Heilprund, *Ich kundt vnd gebeut Euch von des Land-Gerichts wegen, daß Ihr* Clauſs Siedern *nutzlich vnd ordentlich ſchirmet, vff alle die Guth, die Er vor dieſem Landt-Gericht erlangt vnd erfolgt hat, nach Recht vnd nach ſeiner Brieff*

Laut

Laut vnd Sag die Er daruber hat. Geben mit Vrtheil vnter des Land-Gerichts Insigel, an der Mittwuchen vor Michahelis. Anno Domini MCCCLXV.

Von mir Engelhardt *von* Tanne, *Landt-Richter* zu Nurnberg.

LXVII.

Copia vidimata continens Vrbani *confirmationem priuilegiorum Comburgensium.*

1369. IN nomine Domini, Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat euidenter, quod sub anno a natiuitate eiusdem *milleſimo trecenteſimo ſexageſimo nono*, viceſima tertia mensis Iulii, Indictione septima, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini, Domini *Vrbani*, digna Dei prouidentia Papæ V. anno septimo &c. ego Notarius publicus infra scriptus literas sanctissimi in Christo patris ac Domini, Domini *Vrbani* diuina prouidentia Papæ V. præscripti, vidi, perlegi ac manibus meis pertractaui, bulla plumbea sigillatas in filo serico pendenti, non abolitas, non abrasas, non cancellatas nec in aliqua sui parte vitiatas, sed prorsus omni suspicione vitii carentes, quarum tenor sequitur in hæc verba: *Vrbanus* Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterii sancti *Nicolai* in *Kamberg*, ordinis sancti Benedicti, Herbipol. dioces. salutem & apostolicam benedictionem! Cum a nobis petitur, quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, vt id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filii vestris iustis postulationibus grato occurrentes assensu, omnes libertates & imunitates, a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, siue per priuilegia seu alias indulgentias, vobis & monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus & principibus, & aliis Christi fidelibus vobis & monasterio prædicto rationabiliter indultas, sicut eos iuste & pacifice obtinetis, vobis & per vos eidem monasterio, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum *Auinion.* III. nonas Decemb. Pontificatus nostri anno tertio.

Item ego Notarius publicus infra scriptus, præsentibus testibus infra scriptis, anno, mense, die, hora, Indictione, Pontificatus quibus supra, vidi, perlegi, nec non propriis manibus pertractaui, vnam literam Domini *Innocentii* Papæ *quarti* sigillatam, bulla plumbea in filo serico pendenti, non abolitam, non abrasam, non cancellatam, nec in aliqua sui parte vitiatam, sed prorsus omni suspicione vitii carens, quæ sic incipit: *Innocentius* Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbati Monasterii de *Kamberg*, eiusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum &c. in qua continetur ille articulus: Obeunte vero te nunc ejusdem loci, Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consentu, vel fratrum major pars consilii sanioris, secundum Deum & beati Benedicti regulam, prouiderint eligendum &c. & postea paulisper finitur sic: Cunctis autem eidem loco jura seruantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic bonæ actionis fructum percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen. Datum *Lugdun.* per manum Magistri *Marini* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancell. III. Cal. Octobr. indictione septima, incarnationis Dominicæ anno Domini millesimo CCXLVIII. Pontificatus vero Domini *Innocentii* Papæ *quarti* anno Sexto. Datum & actum in monasterio *Kamberg* ordinis Sancti Benedicti Herbipol. dioeces. anno, mense, die, hora, Indictione, Pontificatus quibus supra, præsentibus discretis viris *Iohanne* dicto *Melchinger*, clerico Constant. dioec. & *Friderico* de *Teris* laico Herbipol. dioec. testibus ad præmissam transumptionem vocatis & rogatis. Ego vero *Johannes Vlrici* de *Petri domo* clericus conjugatus Constant. dioec. publicus auctoritate Imperiali Notarius, recognosco me literas præscriptas, tenorem præscriptum continentes, vidisse, legisse ac manibus meis pertractasse, non abolitas, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte vitiatas, sed prorsus omni suspicione vitii carentes, & de verbo ad verbum transscripsisse, nil penitus addendo vel minuendo per quod sensus variari possit, & in hanc publicam formam redegisse, signoque meo solito & consueto consignasse rogatus & requisitus.

LXVIII.

Waltherus Vicarius Herbipolit. consecrat RODOLFFVM *Abbatem Comburg.*

1370. VNiuersis & singulis præsentes literas inspecturis, *Waltherus* Dei gratia Episcopus Diagorganensis, Reuerendissimi in Christo patris Domini *Abberti* Episcopi Herbipol. vices in Pontificalibus nunc gerens, Salutem in Domino sempiternam! Ad vestram & vestrum cujuslibet notitiam deducimus per præsentes, quod nos die Dominica, quæ decima fuit mensis Februarii, de anno natiuitatis Domini MCCC. septuagesimo, in Ecclesia monasterii Sancti Burckardi Herbipolensis, Ordinis Sancti Benedicti, de mandato & ex commissione Sanctissimi in Christo patris & Domini nostri, Domini *Vrbani* diuina prouidentia Papæ *quinti* desuper factis, prout hoc in ipsius Domini nostri Papæ literis Apostolicis vidimus contineri, missarum solennia in pontificalibus celebrantes, ascitis & assistentibus nobis venerabilibus patribus Dominis *Friderico* Sancti Stephani & *Donaldo* Sancti Jacobi Scotorum monachorum Herbipol. ab Abbatibus ordinis memorati, religiosum virum

rum Dominum *Rudolffum*, electum in Abbatem monaſterii in *Kamberg* ordinis jam prædicti, dioceſeos Herbipolenſis, gratia Sancti Spiritus annuente, benediximus in Abbatem, ſibique munus benedictionis juxta ritum & conſuetudinem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ duximus impendendum. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum & actum *Herbipoli*, anno, menſe, die & loco prædictis, indictione VIII. Pontificatus præfati Domini noſtri *Urbani* Papæ *quinti* anno VIII.

LXIX.

EBERHARDVS *Epiſcopus Herbipol. reprehendit Monachorum vitam diſſolutam, eosque ad regularem vitam adhortatur.*

1376. EBerhardus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Herbipolenſis, religioſis & dilectis nobis in Chriſto vniuerſis & ſingulis Abbatibus Monaſteriorum, ordinis Sancti Benedicti noſtrarum ciuitatum & Dioces. ſalutem in Domino, & exceſſus infra ſcriptos corrigere & ſalubriter emendare. Quia teſtante canone: *vbi gubernaculum diſciplinæ deſeritur, non reſtat aliud, niſi vt religio naufragetur.* Cum igitur quod dolenter referimus, vos prælati dictorum ordinis & dioceſis noſtræ, regimen ac gubernaculum Sacroſanctæ regulæ veſtræ, quam vt vineam Domini præelectam Almus Chriſti confeſſor *Benedictus* fundauit & plantauit, negligenter deſeruerit is, neceſſario euenit vobis, vt ordo veſter naufragium non euadat, dum fratres & monachi veſtri iſtis modernis temporibus ſolo nomine monachali in vanum gloriantes, relicta imo contempta vita & conuerſatione regulari, diſcurrunt per deuia & ambulant per vias non bonas, traditiones prædictæ ſanctiſſimæ gloriæ, quam profeſsi ſunt & vouerunt Domino, in nullo penitus obſeruantes. De quibus inter multa, pauca cogimur præſentibus explananda. In refectorio enim & dormitorio ſilentium non ſolum non obſeruant, imo nunquam ipſa ſubintrant, ſed ſeorſim in ſpeluncis & cauernis ſuis diſtincte commorantes & dormientes, carnibus præter caſus in regula permiſſos veſcuntur, & frequenter conuiuia & commeſſationes cum perſonis extraneis & quandoque ſuſpectis frequentant, ſine licentia Prælatorum ſuorum extra ſepta monaſteriorum per vicos & plateas tempore diurno pariter & quandoque nocturno ſæpe diſcurrunt, habitus ſui a regula prædicta multum exorbitant, & breuiter nullam vanitatem laicalem prætereundo vitam ducunt heu diſſolutam, ex quo religio diſſoluitur, & modeſtia monaſtica deformatur & populus fidelium nimium ſcandalizatur. Ne igitur tanti exceſſus a nobis in extremo iudicio vindicentur, vobis tenore præſentium in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub obteſtatione diuini judicii & interminatione maledictionis æternæ, nec non ſub pœna remotionis a veſtris adminiſtrationibus, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus prædictos exceſſus nec non & alios de concubinariis, de proprietariis, de nocturnis egreſſoribus, arma habentibus infra ſepta monaſteriorum veſtrorum, & alia iuxta veſtræ regulæ continentiam & tenorem pariter corrigere, reformare, & cum effectu emendare ſtudeatis, quod nihil remaneat ex eis imperfectum. Præſertim volumus, mandamus & præterire ſalua conſcientia non valemus, quod poſt menſem a receptione præſentium numerandum & in antea de cetero omnes ſimul in refectorio frequenter edere incipiant, & in dormitorio dormiant, caſibus in regula veſtra expreſsis, duntaxat exceptis, ſilentium in eis ſicut decet obſeruantes, ac tempore interdicti omnes horas canonicas, nocturnas pariter & diurnas, temporibus ſuis debitis & conſuetis iuxta conſtitutionem felicis recordationis domini *Bonifacii* Papæ *octaui* ſuper hoc editam, quæ incipit: *alma mater*, congrue & deuote legant & peragant, ſine licentia Abbatis vel Prioris ſepta monaſteriorum non exeuntes, cultellos truſales & ſotulares non portent, de cetero alioquin in omnes & ſingulos contradictores, transgreſſores & rebelles ſententiam excommunicationis, quam ex nunc prout ex tunc, dicta canonica monitione præmiſſa, ſententionaliter ſecimus in his ſcriptis, incurrere volumus totiens, quotiens dereliquerint in præmiſsis vel in aliquo præmiſſorum, per Abbatem ſuum poſt emendam & penitenciam condignam vel partem penitencie peractam abſoluemus beneficium recepturi. Si vero vos Abbates a modo negligentes inuenti fueritis in præmiſsis, quod non credimus, noſtram vindictam rigidam debetis obinde præter diuinam vltionem indubitanter expectare. Datum in caſtro montis beatæ virginis prope ciuitatem noſtram *Herbipol.* ſito. Anno Domini *milleſimo, trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto.*

Diſſoluti mores monachorum.

LXX.

Fridericus III. Imp. auxilium Abbatis Camburg. ad bellum Burgund. efflagitat.

1475. WIr Friderich *von GOttes Gnaden Romiſcher Kayſer zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, zu* Hungarn, Dalmatien, Croatien &c. *Kunig, Hertzog zu* Oſterreich *vnd zu* Steyer, *embieten dem Erſamen unſerm lieben andachtigen N. Abt des Gottshauſs* Kamberg *unſer Gnad und alles Gut. Erſamer lieber Andachtiger; Wir haben uns vor etlicher vergangener Zeit nach unſern groſſen Unſtatten, in aigner Perſon mit unſern vnd des Reichs Chur-Fürſten, Fürſten, Grafen, Herren, Rittern, Knechten vnd denen von Stetten herab in dem Stifft* Coln *gefugt, dem Hertzog von* Burgund, *in ſeinem Muthwillen, unbillichen Furnehmen, ſo er zu Abbruch, Zertrennung und Schaden dem Heil. Reich uber Verbott ihm von unſerm Heiligen Vatter dem Papſt und uns beſcheben, in dem Stifft* Collen *gebraucht, zu Errettung und Behaltung Teutſcher Nation mit Hulff GOttes gewaltigen Widerſtand zu thun, auch etlich gelegen, und darinn deſſelben von* Burgundi

Item darauff ſetze ich meinen Rath, daß der Abt ſoll Herrn Matthias Kindt *laſſen reſerviren jährlich 30. oder 40. fl. daß er das Cloſter laſſe in die Poſſeſſione kommen der Incorporation.*

Item Herr Matthias Kindt *ſoll die Pfarr darauff reſigniren in Romana Curia, da mag ſie der Abt annehmen und providiren.*

Item das geht ohn alle groſſe Koſten zu, und kommet das Kloſter gerublich in die Poſſeſſion.

Item ſolt die Sache in einem Kriege des gemeinen Rechten vvaltzen, es vvürde nimmermehre darzu kommen.

Item Herr Matthias Kindt *iſt ein lauffiger Mann, er fähret gein Welſchen Landen, und überall, vver derſelben Leuth vvill harren, der hebt offt gar ſchier auff.*

Item dannoch ſein hindan geſetzt alle neue die das Cloſter von der Incorporation hat, da muß man auch uffſehen.

Auf das ſoll mein Herr von Kamburg *gedencken vier Wuchen, und mich* P. Knorr &c. *wiſſen laſſen, vvill mein Herre von* Kamberg *dem alſo folgen, ſo vvill ich Tag daran machen und die Sach richten. Actum in die Sancti Othmari, das iſt der 13. Tag Novemb. Anno 1477.*

CXVIII.

Sixti incorporatio Eccleſiæ Steinbach, *cum ejus filiali S. Michaelis, in* Hallis, Tungenthal, Gebſettel, Cunzelſau & Erlach.

SIxtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad 1478.
perpetuam rei memoriam, pia conſideratione Romana decet Pontificem votis illis gratum præſtare aſſenſum, per quos Monaſteriorum quorumlibet oportunitatibus utiliter & ſalubriter valeat prouideri. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica cum cura & ſine cura apud ſedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi & diſpoſitioni noſtræ reſeruauimus, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et deinde pro parte dilectorum filiorum Abbatis & Conuentus Monaſterii in *Camberg*, Ordinis Sancti Benedicti Herbipol. Dioceſ. nobis expoſito, quod dudum in *Steinbach* extra, cum eius filiali Sancti Michaëlis intra muros oppidi *Hallis*, ac *Tingenthal*, *Gebſettel*, *Cunzelſau* & *Erlach*, parochiales Eccleſiæ dictæ Dioces. tunc ad Abbatis & Conuentus prædictorum præſentatio-

nem pertinentes, ex certis rationabilibus tunc expressis causis, cum omnibus juribus & pertinentiis suis dicto Monasterio autoritate ordinaria, unitæ, annexæ & incorporatæ fuerant, quam quidem unionem, annexionem & incorporationem, autoritate Apostolica confirmari obtinuerant. Quodque bonæ memoriæ *Petrus*, ut & sanctæ *Praxedis* presbyter Cardinalis, tunc in partibus illis dictæ sedis legatus Abbati & Conventui prædictis, quod cedentibus vel decedentibus perpetuis vicariis prædictarum ecclesiarum, vel illas alias quomodolibet dimittentibus, liceret Abbati & Conventui prædictis, ecclesias easdem per Monachos dicti Monasterii facere gubernari, concesserat, & in eadem expositione subjuncto, quod Abbas & Conventus prædicti, dicta concessione forsan usi non fuerant, ac ipsius Monasterii fructus, reditus & proventus, propter guerrarum turbines, quæ partes illas diutius afflixerant, erant non mediocriter diminuti. Nos eisdem Abbati & Conventui quod cedentibus vel decedentibus dictis vicariis, seu vicarias dictarum ecclesiarum quomodolibet dimittentibus, prædictas ecclesias per Monachos dicti Monasterii, vel presbyteros seculares ad nutum Abbatis & Conventus prædictorum amovibiles, perpetuis futuris temporibus regi & gubernari facere possent, cujuscunque licentia super hoc minime requisita, auctoritate apostolica indulsimus, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque postmodum parochialis sancti Johannis Baptistæ in *Steinbach* extra, & sancti Michaëlis ejus filialis ecclesiæ prædictæ per liberam resignationem dilecti filii *Mathiæ Kindt* familiaris nostri, nuper parochialis S. Johannis & S. Michaëlis filialis ecclesiarum earundem lectoris seu perpetui vicarii, de illis, quas tunc obtinebat, in manibus nostris sponte facta, & per nos admissam apud eandem sedem vacaverint, & vacent ad præsens, nullusque de illis præter nos hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supra dictis. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte Abbatis & Conventus prædictorum petitio continebat, quod fructus, reditus & proventus Monasterii hujusmodi propter gerras prædictas non mediocriter diminuti existant, verum si sanctorum Johannis & Michaëlis ecclesiæ prædictæ dicto Monasterio perpetuo unirentur, annecterentur & incorporarentur, profecto Monasterium prædictum in suis oportunitatibus aliquod susciperet relevamen. Quare pro parte Abbatis & Conventus prædictorum asserentium, quod inter eos & *Matthiam* prædictos, super sanctorum Johannis & Michaëlis ecclesiis prædictis differentiæ & controversiæ exoriri formidabantur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut sanctorum Johannis & Michaëlis ecclesias prædictas cum omnibus juribus & pertinentiis suis dicto Monasterio perpetuo unire, annectere & incorporare, ac prædictum & pro tempore existentem Monasterii Abbatem & Conventum hujusmodi per monachum seu presbyterum secularem idoneum, ad eorum nutum amovibilem eisdem sanctorum Johannis & Michaëlis Ecclesiis alias juxta indulta & literarum nostrarum tenorem deserviri facere perpetuo posse decernere, aliasque in præmissis oportune providere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, teneantur exprimere verum valorem tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeret. Quodque in unionibus commissio semper fieret ad partes vocatis, quorum interest, Abbatem & singulares personas Conventus hujusmodi, a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, quibus forsan quomodolibet ligati existunt, quod ad præsentium duntaxat consequendum effectum, harum serie absolventes fore censentes, ac dicti Monasterii fructuum, redituum & proventuum, verum annuum valorem præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, sanctorum Johannis & Michaëlis ecclesias prædictas, quarum insimul fructus, reditus & proventus quatuor marcharum argenti secundum communem existimationem valorem annuum, ut Abbas & Conventus prædicti etiam asserunt, non excedunt, sive præmissio, sive alio quouis modo, aut ex alterius cujuscunque persona, seu per similem dicti *Matthiæ* vel cujusvis alterius de illis in Romana Curia, vel extra eam etiam coram notario publico & testibus, sponte factam resignationem & constitutionem felicis recordationis *Joh. Papæ XXII.* prædecessoris nostri, quæ incipit Execrabilis, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacent, etiam si tanto tempore vacuerint, quod earum collatio juxta Lateran. statuta Concilii, ad sedem prædictam legitime devoluta, ac sanctorum Johannis & Michaelis ecclesiæ hujusmodi dispositioni apostolicæ specialiter, vel alias etiam ex eo quod dictus *Matthias*, *familiaris*, ut præfertur, *continuus commensalis noster* existit, generaliter reservare existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi voluimus pro expresso pendeat indecisa, dummodo earum dispositio ad nos hac vice pertineat cum omnibus juribus & pertinentiis suis supra dictis, auctoritate apostolica prædicta perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, ac modernum & pro tempore existentem dicti Monasterii Abbatem nec non Conventum prædictos, per Monachum dicti Monasterii seu presbyterum secularem idoneum, ad eorum nutum amovibilem, eisdem sanctorum Johannis & Michaëlis ecclesiis alias juxta indulta, & literarum nostrarum tenorem, deserviri facere perpetuo posse decernimus. Ita quod liceat ex nunc Abbati & Conventui prædictis, corporalem sanctorum Johannis &

Mi-

Michaëlis ecclesiarum, jurumque & pertinentiarum prædictorum possessionem propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illarumque fructus, reditus & proventus in suos Monasterii & sanctorum Johannis & Michaëlis ecclesiarum hujusmodi usus & utilitatem convertere, Diocesani loci & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus voluntate prædicta ac piæ memoriæ *Bonifacii* Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri & aliis apostolicis constitutionibus, ac statutis & consuetudinibus Monasterii & ordinis, prædictorum etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis, de hujusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis, in illis partibus speciales vel generales dictæ sedis, vel legatorum ejus literas impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem literas & processus habitos per easdem, ac quæcumque inde secuta, quæ ad sanctorum Johannis & Michaëlis ecclesias hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis & literis apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, perque præsentes non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis provisio, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem per nos factas, hujusmodi sanctorum Johannis & Michaëlis ecclesiæ prædictæ debitis non fraudentur obsequiis, & animarum cura in eis nullatenus negligatur, sed eorum congrue supportentur onera consueta. Nos enim, prout est, irritum decernimus & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ *millesimo, quadringentesimo, septuagesimo octavo.* Quarto Idus Martii, Pontificatus nostri anno Octavo.

CXIX.

Bulla *Sixti* de administrandis ecclesiis *Steinwag*, *Tungenthal*, *Gelsettel*, *Cunzelsau* & *Erlach* per monachos monasterii Comburg.

1477. SIxtus Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterii in *Kamberg*, Ordinis sancti Benedicti Herbipol. dioc. Salutem & apostolicam benedictionem. Pastoralis officii debitum, quo universis orbis ecclesiis & Monasteriis astringimur, nos excitat & inducit, ut circa illorum statum salubriter dirigendum curis intendamus assiduis, & ad ea, per quæ semotis negotiorum dispendiis ecclesiæ & monasteria ipsa votiuis jugiter prospicerentur eventibus, impartiamur ministerii nostri partes. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod dudum in *Steinvvag*, *Tungenthal*, *Gebsettel*, *Cunzelsau* & *Erlach* parochiales ecclesiæ Herbipol. dioc. tunc ad præsentationem vestram pertinentes ex certis rationabilibus tunc expressis causis, cum omnibus juribus & pertinentiis suis Monasterio vestro in *Kamberg* Ordinis sancti Benedicti A dictæ dioc. auctoritate ordinaria unitæ, annexæ & incorporatæ fuerant, quas quidem uniones, annexiones & incorporationes auctoritate apostolica obtinuistis confirmari, quodque bonæ memoriæ *Petrus* tituli Sanctæ Praxedis presbyter Cardinalis tunc in partibus illis apostolicæ sedis legatus, vobis quod cedentibus vel decedentibus perpetuis vicariis ipsarum in *Steinvvag*, *Tungenthal*, *Gebsettel* & *Cunzelsau* ecclesiarum vel illas aliis B quomodolibet dimittentibus, liceret vobis in *Steinvvag*, *Tungenthal*, *Gebsettel* & *Cunzelsau* ecclesias prædictas per Monachos dicti Monasterii facere gubernari concessit, prout in literis ipsius legati inde confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, vos dicta concessione forsan usi non fueritis, & ipsius Monasterii fructus, reditus & proventus propter guerrarum turbines, quæ partes illas diutius afflixerunt, sint non mediocriter diminuti, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi Abbati & successoribus tuis, Abbatibus dicti Monasterii, qui fuerint pro tempore, & vobis Conventui, quod cedentibus vel decedentibus modernis ecclesiarum prædictarum perpetuis vicariis, seu illarum perpetuas vicarias quomodolibet dimittentibus, prædictas ecclesias per Monachos ejusdem Monasterii vel presbyteros seculares, ad nutum vestrum amovibiles perpetuis futuris temporibus regi & gubernari facere possitis concedere, aliisque vobis in præmissis oportune providere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi Abbati & successoribus prædictis, & vobis Conventui, quod cedentibus vel decedentibus dictis modernis vicariis seu vicarias præfatas D quomodolibet dimittentibus, prædictas ecclesias per Monachos ejusdem Monasterii vel presbyteros seculares ad nutum vestrum amovibiles, perpetuis futuris temporibus regi & gubernari facere possitis, cujuscunque licentia super hoc minime requisita, auctoritate apostolica prædicta tenore præsentium indulgemus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis ac Monasterii & Ordinis prædictorum statutis & consuetudinibus, jura-

mento, confirmatione apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Romæ* apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ *milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo.* Cal. Maji, Pontificatus noſtri anno ſexto.

CXX.

Ejus bullæ copia vidimata.

1477. IN nomine Domini, amen. Noverint univerſi & ſinguli, præſentes literas, ſive præſens publicum tranſumpti inſtrumentum viſuri, lecturi, pariter & audituri, quod nos *Johannes Aloiſius* de *Tuſcanis*, Subdiaconus Mediolanenſis, utriuſque juris Doctor, Domini noſtri Papæ Cappellanus, ipſiusque & ejus Camerarii, nec non Curiæ cauſarum Cameræ apoſtolicæ generalis auditor. Ad reverendi patris domini Abbatis & Conventus Monaſterii in *Kamberg* Ordinis ſancti Benedicti Herbipol. dioc. inſtantiam & requiſitionem omnes & ſingulos ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes, ad videndum & audiendum literas apoſtolicas ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini *Sixti* divina providentia Papæ *quarti*, infra ſcriptas tranſſumi & exemplari, ac in publicam tranſſumpti formam redigi mandavi, noſtramque ordinariam & dictæ curiæ auctoritatem, ut moris eſt, interponi pariter & decretum per audientiam publicam literarum contradictarum domini noſtri citari mandavimus & fecimus, ad diem & horam infra ſcriptas. Quibus advenientibus, comparuit in judicio legitime coram nobis religioſus Dominus *Georgius Willnholtz* procurator, & literas hujusmodi dicti domini noſtri Papæ, vera bulla cum filis ſericeis rubei croceique colorum impendentibus, bullatas, ſanas & integras per eum coram nobis præſentatas, tranſſumi & exemplari ac in publicam tranſumpti formam redigi mandari per nos inſtanter poſtulavit. Quarum quidem literarum apoſtolicarum tenor de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis: *Sixtus* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui Monaſterii in Kamberg &c. Quas quidem literas apoſtolicas, per nos viſas ac diligenter inſpectas, per Notarium publicum noſtrum & dictæ Curiæ ſcribam infra ſcriptum, ipſas exemplari inandavimus, & tranſſumi ac in publicam formam redigi, decernentes, & volentes, ut tranſſumpto publico ſive exemplo plena fides deinde adhibeatur, ubique in locis omnibus & ſingulis, quibus fuerit oportunum, ipſiusque tranſſumptum fidem faciat, ac ſi ipſæ originales literæ apparerent. Quibus omnibus & ſingulis propriam auctoritatem ordinariam interpoſuimus, pariter & decretum & ad ampliorem evidentiam præmiſſorum ſigillum, quo utimur, duximus apponendum. Datum & actum *Romæ* in eccleſia beatæ Mariæ rotundæ, ſub anno a nativitate Domini *milleſimo, quadringentiſimo, ſeptuageſimo ſeptimo*, Indictione decima, die vero Veneris, viceſima tertia menſis Maji, Pontificatus præfati Domini Papæ anno ſexto, præſentibus ibidem honorabilibus & diſcretis viris Magiſtris *Cincio* de *Viterbio* & *Veſconte* de *Valterris* noſtris, & dictæ curiæ ſcribis & Notariis, teſtibus ad præmiſſa omnia & ſingula vocatis, habitis & rogatis. Et ego *Bartholomeus* quondam *Korti* de *piſcia* clericus Lucanenſis dioc. publicus apoſtolica & imperiali auctoritate curiæque cauſarum Notarius & ſcriba, prædictis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis teſtibus interfui. Ideoque hoc præſens publicum tranſſumpti inſtrumentum, manu alterius, me aliis occupato negotiis, fideliter ſcriptum, exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi & in hanc publicam tranſſumpti formam redigi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis, una cum dictæ curiæ cauſarum cameræ apoſtolicæ ſigilli appenſione ſignavi, rogatis & requiſitis in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

CXXI.

Literæ Petri Knorr ad Hildebrandum de *Creilsheim.*

Venerabili viro, Domino *Hilbrando* de *Creilsheim*, Præpoſito in *Gebſettel*, Proviſori monaſterii in *Kamberg* prædigno, amico ſuo dulciſſimo.

1477. VEnerabilis & dulciſſime amice, poſt paratum animum in ſingulis complaçendi. *Ihr habt nächſt zu* Totenburg *mit mir geredt, antreffende den würdigen Herrn* Matthiam Kindt, *euren Pfarrer zu* Halle, *hab ich euch darauff geantwortet, das alles mit Worten zu ſchreiben laſſe ich zu dieſen Zeiten anſtehen: Sondern füge euch zu wiſſen, daß Herr* Matthias Kindt *auf mein anlangen mit dem Ehrwürdigen Herrn Abt und Convent zu* Camberg, *von mir, als einem Güttlichen Theydingsmann hie zu* Onoltzbach *uff Mitwochen nach Martini ſchierſt künfftig zu Nacht hie zu ſein, will güttlich unverbindtlich, und unvergriffenlich Tage leiſten, die Sach von beyden Theilen mich hören laſſen, zu verſuchen die gütlich zu richten, und darauf bedörfft ihr ihm gen* Würtzburg *kein Antwort geben oder entbieten. Inmaſſen ihr nächſt von ihm geſchieden ſeyd. Sondern er beltet ſich ſeines erbotens Tage zu leiſten vor mir, wie vorgeſchrieben ſtehet, für ein Antwort, hab ich euch wollen wiſſen laſſen, euch darnach zu richten.*

richten. Geben zu Onaltzbach am Dienſtag nach Franciſci, An. Domini M CCCC LXXVII.

Peter Knorre, Decretor. Doctor Probſt zu Onalzbach.

CXXII.

Idem Andream Abbatem Comb. citat Noribergam:

Reverendo in Chriſto Patri Domino *Andreæ* digno Abbati in *Camberg*, Præceptori ſuo ſincere dilecto.

A

1477. REverende in Chriſto Pater, poſt mei ſincerrimam recommendationem, paratum animum in ſingulis complacendi, bey der Wurtzel meiner beſunder guten Freunden, Ew. Ehrwürden Sendtbotben, die Ihr nächſt uff dem Hoff-Gericht zu Onaltzbach habt gehabt, hab ich euch embothen, was Urſache ſeyn des Verzugs, des Tags zwiſchen Ew. Ehrwürden und Herrn Matthieſen Kindt Pfarrer zu Halle, mir ungezweiffelt ſie haben die entdeckt. Nun hab ich ſeind ihrem Abſcheid die Zeit wiedereinkunfft Herrn Matthis erlangt, und darum ſetze und beſcheide ich einen Tag, in derſelben Sache uff Reminiſcere den Sontag zu Nacht zu Nurnberg zu ſeyn, oder mir Macht, nach Herkommen der Sachen, zu ſchicken, und je nicht auſſen zu bleiben oder verziehen; dann Matthis auch perſönlich daſelbſt würdet erſcheinen. In dem beſchicht mir von Ew. Ehrwürde beſunder Gefallen freundlich zu verdienen. Ex Onaltzbach feria ſexta poſt Agnetl. an. Domini M. CCCC. LXXVII.

Per V. Re. Pa.

deditum *Pe. Knorr* Decre. Doc. Præpoſitum *Onoltzbab.*

B

C

CXXIII.

Ejusdem citatio.

Dem Ehrwürdigen an Gotte Herrn Andreæ *Abt zu* Kamberg &c.

Meinem beſundern lieben Herrn und Gebietiger &c. und in ſeinem Abweſen ſeiner Ehrwürde geſchickten auf den Tage gen Onoldsbach.

1477. EHrwürdiger in GOtt beſunder lieber Herre, mein ſchuldige willige Dienſte mit fleiß voran. Ew. perſönlich kommen, oder ſchicken zu dem Tage, den ich zwiſchen Ew. Ehrwürdigkeit, und Herrn Matthias Kindt &c. Pfarrer zu Halle uff Mittwuchen nechſt nach Martini gein Onaldsbach gemacht, habe ich vernommen. Nun iſt es nicht minder meiner Begierde gäntzlich zu Onoldsbach uff dieſelben Zeit den Partheien zu Liebe zu erſcheinen, aber es hat ſich gemacht, zumahle halben meine Perſone mit Blödigkeit, das ich nach Aertzte Rath mich nicht bewegen darff, deshalben ich perſönlich auch uff dieſelben Zeit daſelbſt nicht mag erſcheinen. Nun mangelt mir nichtes von den Gnaden GOttes zwiſchen den Partheyen zu theydingen, darumb wie es Ew. Ehrwürdigkeit, und auch Herr Matthias Kindt gefallen wolt ſein, ſich gen mir uff Donnerſtag darnach hieher gein Nürnberg zu fügten, ſollen mir nichts mangeln, aller fleiß euch zu verhören und verrichten, ſo viel an mir iſt. Die Meynung ich dann an Ew. Ehrwürdigkeit, oder die Euren, auch an Herr Matthias Kindt zu bringen, habe ich befoblen dem würdigen Herrn Hannſen Polraus Pfarrer zu Tumpach, dem wollet alſo damit glauben, und mich nicht antwürtlichen Antwürt wiſſen laſſen, ſonder euer perſonlich erſcheinen glauben machen laſſen, ſteht mir in demſelben und andern umb Ew. Ehrwürdigkeit gar freundlich zu verdienen. Geben zu Nürnberg am Sontag vor Martini Anno Domini M. CCCC. LXXVII.

Pe. Knorre Decre. Doctor Probſt zu Onalzbach.

CXXIV.

Aliæ literæ ejusdem.

B Reverendo in Chriſto Patri Domino *Andreæ* digno Abbati in *Camberg &c.* præceptori ſuo maximo.

1477. REverende in Chriſto Pater, poſt mei ſincerrimam recommendationem, paratum animum in ſingulis obſequendi. Ew. Ehrvvürdigkeit Schreiben uff den nechſten Abſcheide, in dem Tag leiſten mit dem vvürdigen Herrn Matthias Kindt Pfarrer zu Halle vormir geſchehen, fürgehebt, hab ich vernommen mit beſundern Gefallen Danckſagunge meines fleiß, dann derſelb iſt doch nicht geſchehen nach meinen Gütlichen Vermeinen gegen Ew. Ehrvvürdigkeit und Stiffte, und füge Ew. Ehrvvürde zu vviſſen, daß ich zu rechter Zeit Tage in der Sach vvill ſetzen, und mich fleiſſen die zu güttlichen Bericht zu bringen dann vvurinnen ich Ew. Ehrvvürde und Stiffte vveiß zu dienen, darinnen befindet ihre mich ſehre vvilligen; Geben zu Nürnberg am Donnerſtage nach Andreæ, Anno Domini M. CCCC. LXXVII.

P. V.

Totum devotum *Pe. Knorr.* Decre. Doctorem, Præpoſitum *Onoldsbach.*

D

CXXV.

Friderici III. Cæſ. mandatum ad Abbatem Camburg. pro auxiliis mittendis contra Gallum.

WIr Friedrich von Gottes Gnaden Römiſcher Käyſer zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, zu Hungarn, Dalmatien, Croatien, &c. König, Hertzog zu Oeſtereich und zu Steyer &c. Einbieten dem Erſamen N. Abt des Gotts-Hauß zu Kamberg, unſerm Lieben Andächtigen, Unſer Gnad und alles Gut. Erſamer, Geiſtlicher,

1478.

licher, Lieber, Andächtiger, uns zweiffelt nit, seyest bericht, wie der König von Franckreich aus eigenen frevelichen muthwilligen Fürnehmen ohn all redlich Ursach den Bischoffen von Virdun, der ein Fürst und Glied des Kayserl. Römischen Reichs ist gefangen, die Landt, Schloss, Stätt, und Befestigung zu demselben Stifft gehörend, zu seinen Handen und Gehorsam bracht, auch die Statt Cammerach, die dem Kayserl. Reich ohne Mittel zugehört, und ander Stätt und Befestigung des Heil. Reichs in grossen Vertröstung und Glauben überfallen die eingenommen und zur Erbhuldung nimmermehr unter das Heil. Reich zu kommen gedrungen, auch unser und des Heill. Reichs Wappen daselbst abtilgen, und sein Wappen an die Statt machen lassen, und ferner untersteht die löbl. Fürstenthumb und Lande, so weyland Hertzog Carl von Burgundi ingehabt hatt, von dem Heil. Reich zu tringen, und ihm unterthänig und gehorsam zu machen, daraus Er dann, wo ihm solches gestatt werden solt, ferner im teutsche Land wachsen, und den Abbruch und Verletzung zu thun unterstehen würde, daß uns, dem Heil. Reiche, dir und andern Prælaten und Vnterthanen des Heil. Reichs und teutschen Nation, zu ewiger unwiederbringlicher Verletzung komme, darein uns als Römischen Kayser, Mehrer und Handhaber des Heil. Reichs zu sehen, und das zu fürkommen gebührt; und sein desshalben in Meynung die mercklichen anliegenden Geschäfft und Sachen in unser Erblichen Fürstenthumb und Landt zurück zu schlahen, uns in eigner Persone in das Heil. Reich zu fügen und solchem des Königs von Franckreich frevelichen muthwilligen Fürnehmen, mit unser und des Reichs Churfürsten, Fürsten, Diener und andern Prælaten, Graffen, Herren und der von den Stätten Hülffe, Wiederstandt zu thun, auch die Fürstenthumb und Lande dem Heil. Reich zugehörig zu handthaben. Vnd vermahnen darauff dich der Pflicht, damit du uns und dem Heil. Reiche verbunden bist, gebiethen dir auch von Römischer Kayl. Macht ernstlich und wollen, daß du dich von Stundt, angesicht dis unsers Kayserlichen Brieffs, mit den Deinen zu Roß und Fuß auf das höchst und meinst so du magst mit Harnasch, Wagen, Büchsen, Wehre und aller Nothdurfft, als in Feld gehört, rüstest und geschickt seyest, wann wir dich fürter ersuchen, alsdenn die Deinen an die End, dahin wir dich bescheiden werden zu uns schickest, und uns, dem Heil. Reiche, dir selbs und teutscher Nation zu Ehren und Gutem solchem wie vorberührt ist, helffest nachzukommen, und bis hierinn nicht säumig, damit wir dich als einen Liebhaber und gehorsamen Vnterthanen unser Kayserl. Persone und des Heil. Reichs erfinden, als uns des und alles Guten an dir gantz nit zweiffelt, daran thustu unser ernstlich Meinung und sonder Gefallen, das wir zusamt der Billichkeit in Gnaden und guten Willen gegen dir und deinem Gotteshauß erkennen und zu gut nit vergessen wollen. Geben zu Gretz am lezten Tag des Monats Januarij Anno Domini MCCCCLXXVIII. unsers Kayserthumbs im sechs und zwantzigsten Jahre.

CXXVI.

Transactio, inter Abbatem Comburg. & *Matthiam Kindt* de resignatione ecclesiæ *Steinbacensi* cum ejus filiali, inita.

ANno Domini MCCCCLXXVIII. Indictione undecima, die vero sedecima mensis Februarii, Pontificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri, domini *Sixti*, divina providentia Papæ quarti, anno ejus septimo. Reverendus in Christo pater & Dominus, Dominus *Petrus Knorre*, Decretorum Doctor, Præpositus Onoldsbacensis, tanquam arbiter & arbitrator, ac amicabilis compositor, reverendum in Christo patrem & Dominum Dominum *Andream*, Abbatem in *Camberg* atque ejus Conventum ex una, & magistrum *Matthiam Kindt* rectorem sive perpetuum vicarium parochialis ecclesiæ sancti Johannis Baptistæ in Steinbach extra, & sancti Michaelis intra oppidum *Hallis* Herbipol. dioecesis partibus ex altera in hunc, ut sequitur, modum laudabiliter & perpetue concordavit, prout voluntas & auctoritas literatoria dicti Domini Abbatis & Conventus cum sigillis parvis & Conventus roboratis, in medium & in præsentiam dicti Domini Præpositi & partibus hinc inde deducta fuit &c. 1478.

Inprimis dictus *Matthias Kindt*, Rector sive perpetuus vicarius supra dictus ex concordia & arbitramento supra dicti Domini Reverendi patris Domini Præpositi *Petri Knorre*, tenetur & debet prout se obligavit in curia Romana per se, vel procuratorem specialem in manibus supra dicti Domini, Domini *Sixti* Papæ quarti resignare supra dictam parochialem ecclesiam cum ejus filia, in favorem & commodum dicti Domini Abbatis & Conventus sui &c.

Item supra dictus Dominus Reverendus Pater Abbas & Conventus, ne dictus *Matthias* ex illa resignatione fienda, detrimentum sive incommodum patiatur, tenentur, prout se obligarunt, procuratores in authentica publica & meliori forma constituere, vivum D. *Johannem Horn*, literarum apostolicarum abbreviatorem, & summatorem, Præpositum *Feuchtwangensem*, D. *Eberhardum* de *Rabenstein*, Canonicum Bambergensem, *Magnum Sigismundum Grün*, plebanum in *Weytshaven*, *Magnum Georgium Pissel* Notarium palatii, vicarium Ratisponensem, *Jodocum Treleſmüller* clericum Bambergensis dioces. &c. Ad consentiendum apostolica auctoritate in annuam pensionem quadraginta florenorum Renensis auri & de auro super fructibus, reditibus & proventibus dicti monasterii in *Kamberg*, singulis annis dicto *Matthiæ* vel procuratori suo legitimo in terminis, sive termino ad ejus vitam in civitate Herbipol. omni exceptione sive contradictione semota persolvendam &c.

Item ut hæc omnia celerius & salubrius expediantur, supra dictus Dominus Abbas & Conven-

Conventus tenentur & debent omnem neceſſariam impenſam ſive expenſam, cum pro bulla reſignationem tum penſionem, tam etiam annuatæ cameræ apoſtolicæ ſolutionem, tum etiam aliorum inſtrumentorum facere & dare.

Item ex ſpeciali concordia facta per ſupra dictum Dominum Præpoſitum, pro bulla reſignationem & penſionem, atque annuatæ ſolutionem debent & tenentur ſupra dicti Abbas & Conventus dicto Magiſtro *Matthiæ* dare quinquaginta florenos renenſis auri, pro dictis bullis expediendis. Et hoc ſi dictus *Matthias* ſolummodo ſolvere habeat viginti florenos renenſes pro annuata ipſi Cameræ apoſtolicæ, attento quod iſti quadraginti floreni reſerventur ſuper fructibus, reditibus dicti monaſterij. Si autem dictus *Matthias* ultra viginti florenos in Camera apoſtolica pro ſolutione annuatæ penſionis graveretur in ſolvendo, tunc Dominus *Johannes Horn* Præpoſitus &c. cum uno officiali cameræ apoſtolicæ debent ſcribere & informare dictum Dominum Præpoſitum *Petrum Knorre*, de illa reſidua ſolutione facta. Et tunc dictus *Matthias* una cum parte adverſa ſtabunt arbitramento & dictamine dicti Domini Præpoſiti de ſupra dicta reſidua ſolutione facta in Camera apoſtolica. Et dictus Abbas debet, prout concluſum fuit, quinquaginta florenos renenſis auri, pro ſupra dicto negotio expediendo *Nurembergam* ad parochiam ſupra ſcripti Domini præpoſiti in oſtenſionem reliquiarum mittere, & tunc dictus *Matthias* tenetur in Curia Romana hanc rem ſollicitare & perficere in meliori forma. Item ſupra dictus Dominus Abbas & Conventus tenentur & debent, prout ſe obligarunt, dimittere Dominum *Michahelem Molitoris* pro nunc Vicarium, dicti Domini *Matthiæ* in regimine ſupra dictæ eccleſiæ, à die Sancti Petri, quæ Cathedra appellatur, proxime venturi, de anno ſupra ſcripto, usque ad medium annum, omnibus exceptionibus ſemotis. Deinde ſi illum habere voluerit ſuo modo conveniet.

Item ſupra dicti Abbas & Conventus tenentur & debent, prout ſe obligarunt, ſolvere primam penſionem XL. Florenos renenſium, ad proximum Feſtum nativitatis Chriſti, deinde quolibet anno ad dictum Feſtum nativitatis Chriſti, Herbipolenſi procuratori, vel ipſo Domino *Matthiæ* &c. bona fide.

Item ut hæc omnia vigorem & confirmationem recipiant, & pro obſervatione omnium præmiſſorum, in præſentia dilecti reverendi Patris Domini Præpoſiti atque Notarii infra ſcripti, procurator ſpecialis dicti Domini Abbatis & Conventus Cambergenſis, Dominus *Hildebrandus* de *Creilsheim* Monachus & profeſſus ſupra dicti Monaſterii cum ſpeciali mandato ſe ſub pœnis Cameræ in meliori forma obligavit ac &c. ſupra dictum Monaſterium &c. procurator conſtituitur renunciavit &c. prout forma Cameræ in ſe tenet. Et ſub pœnis quadragintorum florenorum renenſis auri, non ſervati, medietas parti ſervanti, reliqua medietas ſupra ſcripto Domino Præpoſito arbitratori. Sub ejusdem pœnis Cameræ ac pecuniaria dictus *Matthias Kindt*, principalis ſe etiam obligavit in meliori forma &c. et ita quilibet eorum juravit ſtipulata manu. Acta & concluſa fuerunt hæc omnia ſupra dicta, in *Onodisbach* Herbipol. dioc. in domo ſive ſolita reſidentia, ſupra dicti Domini reverendi Patris Domini *Petri Knorre*, anno, die, menſe Pontificatus, quibus ſupra, præſentibus honorabilibus viris & Dominis *Johanne Hochgeſangk* presbytero, & *Bartholomæo* de *Villa* laico Herbipol. dioces. teſtibus ad præmiſſa vocatis & rogatis.

Ego *Johannes Hochgeſangk* clericus Patavienſis, publicus imperiali auctoritate Notarius, hos articulos & arbitramentum ac amicabilem compoſitionem per ſupra dictum reverendum patrem Dominum *Petrum Knorren* Præpoſitum &c. ut Notarius publicus rogatus ad me, de conſenſu utriusque partis, & in præſentia ſupra dicti arbitratoris recepi ſtipulata manu, & juramento præſtito utriusque partis cum pœna vallata, prout in articulis ſupra continetur.

Ita Ego *Johannes Hochgeſangk* ſupra dictus Notarius manu propria ſubſcripſi.

CXXVII.

Matthias Kindt promittit Abbati Comburgi, ſe bullas de facta reſignatione eccleſiæ ſuæ & præſtanda ſibi penſione, impetraturum eſſe.

C Reverendo in Chriſto patri et Domino, Domino Monaſterij Sancti Nicolai in *Comberg*, Ordinis Sancti Benedicti digno Abbati Domino ſuo gratioſo.

CUm humili ſua recommendatione, Reverende Pater. Dedi de menſe Junij proxime præteriti literas ad P. Veſtram reverendiſſimam, in cauſa reſignationem parochialis eccleſiæ meæ *Hallis*, quam quidem P. V. & monaſterio ſecundum reſignavi in manibus Papæ, & conſenſu in expeditione literarum in Cancellaria, ut moris & ſtyli eſt, dedi, copiam ſupplicationis alias niſi quæ peroportune ſignata fuit, ſed obvenientem & nobis contrariam peſtem me ad Peruſium primo, deinde ad certum prioratum extra, pro ſanitatis conſervatione dedi, & curia Romana omnino diſperſa & deſolata fuit. Et ob hoc bullas reſignationis & penſionis expedire haud potui, cum D nulla Cancellaria ſervabatur, habuit tamen ſtatim P. V. Rev. jus & proprietatem in dicta eccleſia a die reſignationis, quæ facta fuit in fine menſis maji proxime præteriti, prout etiam ad præſens habet. Ego enim nullum jus per amplius in dicta eccleſia habeo. Quapropter P. V. eandem locare & dislocare poteſt, vel monachum ibidem mittat, prout potuit & poteſt, ad ſui beneplacitum, & etiam de ea diſponere & diſpoſuiſſe ſecundum tenorem bullæ veſtræ incorporationis. Sed pro nunc gratia altiſſimi curia reviviſcitur & reintegratur, propter præſentiam Romani Pontificis, conabor pro viribus dictas bullas una cum ſolutis annatis expedire per Dominum meum

1478.

Johannem Horn, perpetuum literarum apostolicarum abbreviatorem &c. Et quam primum P. Vestræ Rev. mittet, quam Deus conservare dignetur per longæva tempora. Datum in *Comitatu Perusii*, in prioratu Cheli 18. Octob. 1478. si P. Vestra Rev. alicui seculari presbytero dictam ecclesiam arrendare vellet, rogo humiliter in personam Domini *Sixti* pro nunc eam regentis arrendare, qui revera vir doctus & peritus est in omni administratione ecclesiastica &c. valete.

Paternitatis Vestræ humilis Capellanus. *Matthias Kindt* Canonicus Eystetensis & Onoldspacensis.

CXXVIII.

Reverendo in Christo patri & Domino, Domino *Andreæ*, Abbati Monasterii in *Camberg*, dignissimo suo majori venerando.

1479. CUm omni, qua decet, reverentia, Reverende Pater, veni iis diebus *Eystet* sessus tamen, & post festum sancti Viti proxime futurum ad P. Vestram, cum toto negotio vestro laudabiliter & magna cum difficultate expediam, prout clarius ex me capietis, veniam. Steti enim ob hanc causam vestram tribus mensibus in curia, propter novam incorporationem fiendam & obtinendam, quoad licet ecclesiam meam &c. prout ex tenore bullæ videbitis, quam mecum afferam. Cum his commendo me P. Vestræ, quam Deus conservare dignetur per tempora longæva. Ex *Eystet* tertia Junii, 1479.

Matthias Kindt Decretorum Doctor Canonicus Eystetensis.

CXXIX.

Confirmatio & investitura *Hildbrandi* in Abbatem Comberg.

RUdolffus Dei gratia Episcopus Herbipol. & *Franciæ Orientalis* Dux, vniversis & singulis has literas nostras visuris, audituris siue lecturis, salutem in Domino. Cum veritatis notitia subscriptorum ad futuram rei memoriam, vacante Abbatia monasterii in *Camburg*, ordinis sancti Benedicti nostræ Herbipol. dioc. ex libera resignatione, renunciatione & cessione venerabilis & nobilis, nobis in Christo deuoti & sincere dilecti, *Wilhelmi Schenck* Baronis, ecclesiæ nostræ Herbipolensis Decani, procuratoris legitimi, & eo nomine procuratorio, venerabilis & religiosi viri, Domini *Andreæ Trifftzheuser*, vltimi & nouissimi ejusdem monasterii Abbatis, ad humilem supplicationem & petitionem religiosorum nobis in Christo dilectorum *Deringeri* de *Neydeck* Prioris, *Augustini* de *Santbein*, apud sanctum Egidium præpositi, *Viti Boyer* dicti *Wolff* & *Martini Zobel*, monachorum & conuentualium dicti monasterii in *Kamberg*, expresse professorum capitulariter congregatorum & capitulum facientium & repræsentantium, venerabilem & religiosum, nobis in Christo deuotum & sincere dilectum *Hildebrandum* de *Creilsheim* in dicto monasterio expresse professum & in sacerdotio constitutum, in Abbatem præfati monasterii in *Kamberg* confirmamus, ac ad Abbatiam eandem instituimus & investimus, sibique de eadem providimus & providemus, curam & regimen præfatæ Abbatiæ & sibi subjectorum in animam suam committentes, Dei nomine præcipientes, certificantes eundem *Hildbrandum*, rationem de his in tremendo judicio redditurum &c.

In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem, præsentes nostras literas per Notarium publicum subscribi, nostrique vicariatus sigillo, jussimus & fecimus appensione communiri. Datum & actum in civitate nostra *Herbipol.* anno Domini *millesimo, quadringentesimo, octuagesimo*, die Jovis ultima, mensis Augusti. *Hermannus Zockle* procurator fisci.

VII.

DIPLOMATA LV.

RES COMITVM GLEICHENSIVM,

AB A. M CC XVII. AD MDVIII. ILLUSTRANTIA,

EX

CASPARIS SAGITTARII

AVTOGRAPHIS ET HISTORIA COMITVM GLEICHENSIVM MS. ACCVRATE DESCRIPTA.

E BIBLIOTHECA

POLYCARPI LEYSERI

I. U. ET MED. DOCT. ET PROFESSORIS HISTOR. ET POES. IN ACADEMIA IVLIA CELEBERRIMI.

I.

Lambertus Comes de Glichen &c. testatur, monasterium Georgenthalense curiam Erfurti emisse.

1217. IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *Lambertus* Comes de *Glichen*, *Thidericus* Vicedominus de *Appolde*, *Fridericus* Sculteus, Judices & uniuersi burgenses de *Erfordia*, omnibus, ad quos hoc scriptum pervenerit, salutem in perpetuum. Honestis ac providis ordinacionibus scriptorum testimonia caute ac salubriter adhibentur, que seriem processus earum tanta humanitate retinent & humane noticie representant, ut nichil in eis hominum malignitas aut oblivionis surrepens obscuritas valeat immutare. Notum igitur fieri voluimus omnibus etatis presentis fidelibus & future, quod *Everhardus* venerabilis Abbas de *Valle S. Georgii* de Conventus sui consilio & nostro consensu & auxilio & eorum, qui in nostra ciuitate consiliarii vocantur, omni juris ordine firmiter obseruato, curiam unam ad usus ecclesie sue apud nos emit a quodam *Bertoldo Sueuo* sitam in ea parte ciuitatis quod dicitur in *Brulo*. Ut autem sue caritati nostra diligencia in aliquo subveniret, & ut major fides facto suo posset imposterum adhiberi, presentem cartulam ex nostra ordinacione conscriptam sigillorum nostrorum impressionibus curavimus roborare. Testes autem, qui eidem facto intererant, sunt hii: *Ulricus* de *Tulleftete*, *Siboldus Guite* filius, *Conradus* de *Porta*, *Theodericus* de *parvo foro*, *Henricus* Magister fori, *Hartmannus* de *Guttingen*, *Gotschalcus* dives, *Hermannus* Monetarius senior, *Tidericus* de *Guttingin*, *Ebirhardus Gemechlich*, *Tidericus* Dne *Bertradis*, *Hildebrandus* gener Vicedom. *Hartleib*. *Gensefitz*, *Conradus* de *lapidea via*, *Vrowinus* de *Wechmare*, *Reinoldus Bertoldus* de *Porta*, *Gerhard Buterolf*, *Guntherus Stuckelere*, *Gotschalcus Longus*, *Vlricus Quadrans*, *Ebernandus* juvenis, *Vrowinus Kerlingere*, & alii quamplures. Datum *Erfordie* IV. Kl. Septembr. anno Dominice Incarnacionis M. CC septimo decimo.

II.

Albertus Comes Gleichensis, Canonicus Magdeb. paciscitur cum Abbate Georgenthal. de venditio vico Grefenbain.

ALbertus Canonicus de *Meideburch*, uniuersis præsentem literam inspecturis. Ex præsentis scripti testimonio notum esse cupio, quod super bona *Grevenhagen* dicta, quæ Ecclesia *Vallis Beati Georgii* a fratribus meis Comite *Heinrico* & *Erneſto*, aliisque legitimis heredibus meis consentientibus comparaverat, quandam habui actionem, quæ ut fine debito terminaretur, conveni cum prædictæ Ecclesiæ Abbate *Hermanno* in *Erphordiam*, & de consilio Domini *Guntheri*, Decani de Monte S. Mariæ & *Frederici* de *Arnesberch*, quicquid juris habui vel videbar habere, in bonis prædictis omnimodis resignavi, tam pro petitione ipsorum quam pro sex marcis mihi datis. Ne autem compositio hæc in oblivionem processu temporis redigatur, præsentem litteram conscribi & sigillo nostro & sigillo *Guntheri* Decani feci insigniri. Hujus actionis testes sunt *Ludewicus* Scolasticus, *Cunradus* Cantor, *Hermannus* Præpositus, *Albertus* de *Meldignen*, Canonici de Monte S. Mariæ, *Helevicus* de *Suvels* & alii quamplures. 1230.

III.

Privilegium Erneſti & Henrici Comitum de Gleichen super vicum Grevinbogin.

IN nomine Domini. Amen. *Erneſtus* & *Henricus* Dei gratia. Comites in *Glichin* Vniuersitati fidelium, ad quos præsens pagina pervenerit, salutem in Domino. Quoniam non tantum ea, quæ ante oculos sita sunt, sed & rerum exitus prudentia metiri oportet, proinde ut ea quæ juste & rationabiliter 1230.

fiunt, id apud posteros vigoris optineant, ne qua in eis cupiditate vel oblivione fiat mutatio vel emergat dissensio. Ita fragili hominum memoriæ provisum est, ut quod illi deperit, literarum custodia conservetur. Hinc est, quod præsentis scripti testimonio ad præsentium posterorumque noticiam transmittimus, quod Ecclesia *Vallis S. Georgii* villam quandam *Grevinhagin* dictam a nobis cum trium fratrum nostrorum *Adelberti* videlicet, *Hermanni* & *Lamberti* conventia, data LX. marcarum pecunia & equo legitime comparavit. Hujus sane villæ medietas cum quondam juris memoratæ fuisset Ecclesiæ, & Abbas cum fratribus loci ipsius quoddam nemus monti, qui dicitur *Hirzberc*, contigui, a Canonicis de *Ordorph* per Concambium disponeret obtinere, avum nostrum Comitem *Eremnum* a jure, quod sibi ratione advocatiæ in ipso nemore vendicavit, congrua sibi & commoda per ipsam villæ partem facta recompensatione amovit, tali quidem ordine & occasione, hæreditario jure in nostram sortem fundus idem devenit. Verum pro residuo villæ videlicet X. mansorum XXXV. solum annuatim solventium, quia juris erat Hersfeldensis Ecclesiæ, quam pheodi ratione possederamus, in bonis nostris *Wiringishusin*, quæ simili jure ipsius Ecclesiæ beneficio in possessione deduxeramus, decem mansos, Abbate & Ecclesia id gratum & ratum habente, ipsi Ecclesiæ resignavimus. Nos igitur memoratam villam juxto titulo & bona fide possessam, cum omnibus pertinentiis & terminis suis, agris, cultis & incultis, pratis, pascuis & arbustis, cum universo jure & proventibus suis, manu potestativa, quo jure eam possedimus, *Hermanno* Abbati & Ecclesiæ suæ libere perpetuo possidendam contradimus. Verum ne huic contractui tam solempniter celebrato & rite ac rationabiliter ordinato, quisquam in posterum calumpniator accedat, qui Ecclesiam sæpe dictam super eo vexare præsumat, paginam hanc conscriptam sigillorum nostrorum impressione signamus, & testium astipulatione communimus. Quorum ista sunt nomina: Comes *Heinricus* de *Swarzberc*, & duo fratres ejus *Heinricus* & *Guntherus*, *Heinricus* de *Meldingin*, & *Ludewicus* frater ejus, *Fridericus Trost*, *Siboldus*, *Berthgerus* de *Thunna*, *Richwinus* de *Gotha*, *Hermannus Weire* & alii quam plures. Acta sunt hæc anno gratiæ M. CC. XXX. Indictione III. Regnante *Friderico* Romanorum Imperatore semper Augusto.

IV.

Henricus Gleich. Prædicatoribus Erfordiæ areas, in quibus monasterium eorum fundatum est, confirmat.

IN nomine Domini nostri & salvatoris Jesu Christi Dei gratia *Heinricus* Comes de *Gleichen* universis hanc literam inspecturis. Ad 1240.
omnium notitiam pervenire cupimus, quod domum fratrum Prædicatorum in *Erffordia* ab exordio suæ institutionis adjutam nostræ possibilitatis beneficiis & promotam, ex causis multiplicibus dignum duximus honorare & omni quo possumus auxilio prævenire. Ut igitur dictorum fratrum paci & tranquillitati provideamus imposterum, omnes areas, in quibus Domus eorum fundata est, ad nostrum jus & dominium olim pertinentes fratribus prædictis cum omni jure, quod nobis in ipsis competebat, jamdudum nos contulisse, præsenti publice profitemur scripto. Areas quoque duas, quas *Vlricus Quadrans* a nobis in feodo tenebat, quod per quandam commutationem jam factam ab eisdem fratribus in *Reinboden Albi* dominium & jus translatæ sunt, ipsi libere conferimus cum omni jure, quod nobis in eis competere videbatur. Et ut hæc nostra donatio perpetua firmitate gaudeat, præsentem literam præsentibus & futuris in rei gestæ testimonium sigillo nostro curamus communire. Hujus rei testes sunt *Heinricus* Comes de *Schwartzburk*; *Albertus* de *Helversleyben*, *Fridericus* de *Drivorde*, *Hartmut* de *Bullewir*, *Hermannus* de *Hedstede*, *Heinricus* de *Scurin*, *Fridericus* Advocatus, Cives Erfforden. *Gothscalcus* de *Roda*, *Rudigerus* de *Bernis*, *Hartungus Holtermann*, *Reinbote Albus*, *Vlricus Vndelinc*, *Heinricus Triegeler*, & alii quamplures. Datum *Erffordiæ* Anno Domini incarnationis M. CC. XL. Indict. V. VIII. Idus Martii.

V.

Bertholdus de Tunna venditione unius mansi se liberat ex captivitate Georgentbal. 1248.

NOs Dei gratia *Ernestus* & *Heinricus* fratres Comites de *Glichen* ad sufficientem rerum gestarum fidem posteris ingerendam notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, præsentem paginam inspecturis, quod *Bertoldus* de *Tunna* miles noster, pro eo, quod in eadem villa nostra *Tunna* in nostro servitio fuerit captivatus, a nobis obtinuit, ut mansum suum in *Pherzuicgesleibin* situm, quem jure proprietatis possederat, venderet, ut se a captivitate quantocius liberaret. Accepto itaque consensu & favore nostro, cum consensu legitimorum heredum suorum, qui etiam quicquid juris in posterum in dicto manso habere potuissent, libenti animo omnimodis renunciarunt, ipsum mansum cum bona voluntate nostro Domino *Bertoldo* Abbati & Monachis suis *Vallis S. Georgii* pro tredecim marcis argenti & dimidia juste & rationabiliter vendidit hoc nemine reclamante, in perpetuum possidendum. Igitur ne dicti monachi in tam rationabili emptione impedimentum vel gravamen vel etiam quæstionem dubiam ab aliquo debeant sustinere, ad hujus facti confirmationem præsentem paginam conscribi & eam sigillorum nostrorum impressione ad perpetui juris titulum fecimus insigniri. Testes sunt *Hermannus* miles advocatus noster de *Glichen*, *Bertogus* Villicus noster, *Cunradus Sengeros*, *Hermannus* de *Mulburch*, *Cunradus* de *Tuifelberc*, *Ortwinus* de *Hasteinleiben*, *Ditherus* de *Eskenberg*, & alii quamplures. Acta hæc sunt Anno ab incarnatione Dom. *Millesimo*, *Ducentesimo*, *Quadragesimo Nono*, in civitate Erphordensi.

VI. *Erne-*

VI.

Ernestus Comes de Gleichen permittit hominibus suis donare bona Monasterio Georgenthal.

1259. NOs *Ernestus* Dei gracia Comes de *Glichen* recognoscimus & notum esse volumus universis hanc literam inspecturis, quod de consensu filiorum nostrorum *Erwini* & *Alberti*, pro salute animarum nostrarum, & ad peticionem Domini H. Abbatis & Conventus *Vallis S. Georgii* concedimus & permittimus, ut si aliqui ex hominibus nostris de bonis suis A mobilibus sive immobilibus Ecclesiæ ipsorum in elemosinam quicquam offerre voluerit, de nostra id faciant licentia & favore. Vt igitur predictus Conventus de tali nostra libertate uti possit & gaudere, literam hanc ipsi dedimus sigilli nostri munimine confirmatam. Datum anno ab incarnatione Domini *Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo Nono*, Indict. secunda.

VII.

Albertus Gleichensis ejusque fratres donant quatuor mansos in Aspa monasterio Cappelndorf.

B

1263. ALbertus Dei gratia, Comes de *Glichen*, suique fratres coheredes *Gynzchelinus*, *Hermannus*, *Ernestus*, universis hanc literam inspecturis in perpetuum. Notum esse volumus, quod nos de unanimi consensu, quatuor mansos in *Aspa*, ad nos jure proprietatis pertinentes omni juri, quod nobis ac heredibus nostris competebat in præsenti, & in futurum competere poterit in eisdem, sponte ac voluntarie renuntiantes, Ecclesiæ B. Virginis ac B. Bartholomei in *Cappilndorff* pro dammis quibusdam, eidem Ecclesiæ a bonæ memoriæ Patre nostro *Henrico* Comite, & fratre nostro *Heinrico* illatis, contulimus libere, cum omni integritate & jure, quo ipsos possederamus, perpetuo possidendos.

Testes hi sunt, Clerici: *Fridericus* Præpositus in *Hüstorf*. *Heinricus* Præpositus in *Wimaria*. *Bertoldus* Præpositus in *Bacherb*. *Conradus* Præpositus ejusdem Ecclesiæ in *Cappilndorf*. *Helwicus* Plebanus in *Ischerstete*. *Jordanus* Plebanus in *Batebeindorf*. Layci; Dnus *Meinhardus de Munre*. Dns *Sibolo* Dapifer de *Bichelingin*. Dns *Heinricus Hertindus*, Dns *Henzemannus*, Dns *Ludewicus* & *Rudolfus* fratres de *Husen*, & alii quamplures. Ut autem tam pia donatio inconvulsa & stabilis perseveret, præsentem litteram sigilli nostri munimine duximus roborandam. Acta sunt hæc in *Viselbeche* Anno Domini M. CC. LXIII. Datum *Erfordiæ* XI. Kal. Julii.

VIII.

Albertus Landgr. Erwino Glichensi jurisdictionem in pagis Tutelstet, Zimmern, Ofhausen, Bienstet & Hebech, a patre adeptam restituit.

NOs *Albertus* Dei gratia *Thuringiæ* Lantgravius, *Saxoniæ* Comes Palatinus notum facimus universis, quibus exhibitum fuerit præsens scriptum, quod Nobili viro Comiti *Erwino* de *Glichen* judicium in villis *Tutelstet*, *Zimmern*, *Hofhusen*, *Beinstet* & *Hebech*, quo privatus fuerat per dilectum patrem nostrum Misnensem Marchionem, resignavimus quiete & libere perpetuo possidendum, nolentes ipsum in judicio præfatarum villarum a qvonam nostro judice in *Gotha* seu etiam ab aliquo nostro homine vel hærede in posterum aliqualiter impediri. In cujus rei testimonium præsens scriptum sigilli nostri munimine jussimus solidari, sub testimonio omnium, quorum nomina subsequuntur. Dominus *Vol.* de *Colditz*, Dominus *Th.* de *Lissenis*, Dns F. de *Sconenburg*, & Dns H. de *Sconenburg*. Actum in *Altenburg* Anno Dom. MCCLXIIII. Jd. Martii, VII. indictione. 1264.

IX.

Henricus Comes de Gleichenstein Prædicatoribus Erford. plateam donat.

HEinricus Dei gratia Comes de *Glychenstein*, tenore præsentium constare cupimus Universis, qvod plateam inter fratres Prædicatores & quandam *Reinboton. Albi* domum sitam *Erffordiæ*, quæ duplici jure scilicet Advocatiæ & jure, quod dicitur *Vri* ad nos spectabat, prædictis fratribus Ord. Prædicatorum, & eorum domui pure & simpliciter contulimus propter Deum. Ad majorem hujus donationis firmitatem & certitudinem, præsentes literas conscribi fecimus, sigilli nostri munimine roboratas. Novercari enim solet rerum notitiæ processus temporum, nisi a testibus vel a scripto recipiant fundamentum. Acta sunt hæc Anno Dom. MCC. sexagesimo nono. Nonis Februarii. 1269.

X.

Bertholdus de Appolde Prædicatoribus jus fori in platea illa etiam concedit.

EGo *Bertholdus* Vice Dominus de *Appolde* tenore præsentium recognosco publice & protestor, qvod ego de bona & mera voluntate quicquam juris habui in platea inter fratres Prædicatores & curiam *Cunradi* qvondam *Reimbotonis Albi Erffurdiæ* sita, dictis fratribus Ordinis Prædicatorum dedi jure perpetuo propter Deum & dictorum fratrum reverentiam & amorem. In hujus rei notitiam & certitudinem ampliorem præsens litera est conscripta, & sigilli mei munimine roborata. Acta sunt hæc Anno Domini M. CC. LXX. 1270.

XI.

Fœdus Alberti Glichensis cum Erffurtensibus pro defendenda urbe.

NOs *Albertus* Dei gratia Comes de *Glichen* recognoscimus & præsentibus literis 1272.

teris publice protestamur, quod cum dilectis fidelibus nostris, Consulibus & civibus, nec non cum tota Vniuersitate Erphordensi sumus amicabiliter complanati pariter & uniti, videlicet isto modo: Quod & nos contra qvoslibet eorum temerarios invasores perpetuo, sine dolo esse volumus Adjutores eorum: affectantes semper fideliter pro ipsis, in quantum jus eorum exigit, & requiritur, exponere res & corpus. Sed ab hujusmodi nostro promisso tantum excipimus A Rev. Dominum nostrum Archiepiscopum Moguntinum: nullamque vverram cum aliquo habebimus deinceps in futurum, sine consensu Consulum Erfford. qui pro tempore fuerint, speciali. Et hæc omnia prænarrata promittimus data fide jugiter & inviolabiliter observanda. Testes hujus rei sunt Nobilis vir Dominus *Fridericus*, Comes Junior de *Bichelingen*, noster sororius, *Heinricus* Magister Fori, Dominus de *Suneringen*, Conradus de *Simern*, *Wernerus* de *Besle* miles, *Heinricus Habe*, *Theodoricus Mertz*, *Bruno Vnruge*, *Heinricus Mertz*, & B alii quamplures. Ut autem omnia prælibata maneant incommutabilia, nec in posterum super istis dubium aliquod secus quæstio nocitura valeat suboriri; præsentem literam dedimus super eo sigillo nostro fideliter roboratam. Acta sunt hæc anno gratiæ millesimo, ducentesimo septuagesimo secundo, IV. Idus Martii.

XII.

Renovatio ejusdem fœderis.

1277. NOs *Albertus* Dei gratia Comes de *Glichen*, recognoscimus & omnibus literas has visuris cupimus esse notum, quod quia *a) progenitores nostri, Erffordensis civitatis* usque ad hæc tempora *Domini exstiterunt*, Consules, cives & universitatem Erffordensem prosequentes ampliori gratia & favore prosequi totis nostris conatibus cupientes, promittimus, quod eisdem contra eorum quoslibet temerarios invasores astabimus perpetuo, consilio & auxilio, bona fide: Imperio, Reverendo Domino nostro Archi-Episcopo Moguntinense, & patruo nostro dilecto, Comite *Alberto* de *Glichenstein*, duntaxat exceptis. Si vero inter nos & ipsam civitatem Erffordensem deinceps ullo unquam tempore in futurum dissensio fieret seu ruptura; duo viri a Nobis & duo viri a Consulibus Erfforden- D sibus, qui pro tempore fuerint, communiter electi, hujusmodi rupturam discutient & decident secundum justitiam vel amorem. Testes hujus rei sunt *Giselherus* de *Tullistete* senior, *Hermannus* Camerarius de *Vorre* Senior, *Ludovicus* de *Lapide*, *Fridericus* de *Meinvversburg* Milites, Magister *Albertus* de *Thunna*, *Ditmarus* de *Buseleiben*, *Hugo Longus*, *Gothscalcus Kerlingerus*, *Albertus* & *Heinricus* Vice Domini, Cives Erffordenses, & alii quamplures. In hujus rei certitudinem & incorruptibilem firmitatem præsentem literam dedimus super eo, sigillo nostro fideliter roboratam. Acta sunt hæc anno Gratiæ M. CC. LXXVII. Indictione V. in festo B. Michaelis.

XIII.

Albertus Gleichensis fit civis Erfurtensis.

NOs *Albertus* Dei gratia Comes de *Glichen* recognoscimus & tenore præsentium dilucide protestamur: Quod quia Consules, Cives & Vniuersitas Erffordensis nos & nostros hæredes in eorum *familiares* pariter & *concives* favorabiliter receperunt, centum marcas usualis argenti plenarie nobis dantes, cum quibus & nos decem marcas annuæ pensionis promittimus comparare ab ipsis, illam pensionem jure hereditario deinceps obtinentes. Verum cum in partibus *Thuringiæ* nunc non simus: ipsis bona nostra feudalia in *Gotinstete* sita, videlicet quatuordecim mansos, cum judicio & omnibus pertinentibus ad hæc bona, titulo pignoris obligamus: Fideliter promittentes, quod quam primum ad partes *Thuringiæ* venerimus, decem marcas annuæ pensionis comparabimus, difficultate qualibet non obstante, in bonis talibus, in quibus nobis & ipsis visum fuit expedire, & de hujusmodi pensione nos & nostri hæredes, eorum *Burgenses* dici perpetuo volumus & *Concives*. Testes hujus rei sunt *Giselherus* de *Tullistete* Senior &c. (*ut in præced. dipl.*) Acta sunt hæc anno Gratiæ Millesimo, ducentesimo, septuagesimo septimo. Indict. V. in festo B. Michaelis.

XIV.

Testimonium Heinrici Gleichensis, de venditione facta Procuratori Georgenthal.

QVoniam per temporum incrementa fidelium actiones ad præcipitium festinanter decurrunt oblivionis, necesse est, eas literarum scriptis altiori memoriæ commendari, ut futurorum animus spectantibus oculis ad agnitionem præteritorum sine difficultate valeat pervenire. Hinc est quod nos *Heinricus* Dei gratia Comes de *Gleichen* ad notitiam omnium tam præsentium quam futurorum volumus pervenire, quod *Richolfus* Calcifex de communi consensu *Gerdrudis* uxoris suæ & liberorum suorum *Petrisse* & *Gerdrudis*, ac heredum suorum quorumlibet ali- D orum vendidit fratri *Hartmudo* Procuratori Curiæ in *Herde* professo *Vallis S. Georgii* medietatem molendini sui siti juxta *Ordorf* in ripa quæ dicitur *Hora*: pro duabus marcis argenti, ut prædictæ Curiæ *Herde* jure hereditario, quo ipse possedit, debeat perpetuo deservire, ita sane, ut uno nobis fertone argenti de ipsa medietate sicut & de altera, quicunque etiam possederit, annuatim soluto, ipsum molendinum sub nostra tuitione speciali & protectione positum, ab omni petitione, exactione & seruitiis nobis seu nostris Ad-

a) Scribit *Gudenus* in Historia Erfurt. *Maiores Comitum Gleichensium in hoc diplomate cives Erfordiæ practari*, Sed *Albertus* Comes progenitores suos non tam *cives* quam *domines* civitatis appellat. *Sagitt.*

vocatis,

vocatis, Scultetis sive præconibus vel quibuscunque exhibendis, in perpetuum penitus sit exemplum, præter quod unum porcum nobis dicti molendini Procuratores annis singulis a festo B. Michaelis usque ad Epiphaniam Domini nutrient, qui eisdem a nostris debet Procuratoribus præsentari. Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant, præsentes literas conscriptas sigillo nostro A duximus roborari. Testes autem hujus emptionis sunt: *Hermannus* Advocatus, *Gunterus* de *Viselbeche*, *Tuto* Advocatus & alii quamplures. Acta sunt hæc in *Glichen* Anno ab incarnatione Domini M. CC. LXXVI. Kalend. Novembris.

XV.

Albertus de Gleichen Erfurtensibus vendit Advocatiam urbis.

1283. NOs *Albertus* Dei gratia Comes in *Gleichen* recognoscimus & omnibus literas has visuris volumus esse notum, quod *Advocatiam* B nostram *Erffordensem* cum eo jure, quod *Voytisdingen* vulgariter appellatur, & cum omni jure, utilitate pariter & honore habitis ex antiquo, vendimus *Volrado* de *Gotha*, *Heinrico* de *Biltersleuben*, *Rudolpho* de *Northausen*, *Theodorico* de *Hallis*, *Waltero Karlingero*, *Conrado* de *Franckenhausen*, *Hartung* de *Frimstet*, & *Hermanno* de *Elbrechting*, nec non universis Consulibus & civibus Erffordensibus pro ducentis & decem marcis purissimi & examinati argenti nobis integraliter persolutis, & ipsis eam advocatiam in feudo concessimus pacifice possidenda pleno consensu omnium hæredum & cohæredum nostrorum favorabiliter accedente, tali conditi- C one annexa, quod quandocunque nos & hæredes nostri voluerimus & nobis placuerit, liberam habebimus optionem, ipsam advocatiam erga cives prædictos divisim vel conjunctim pro tanta pecunia, pro quanta ipsis vendidimus, redimendi, & nullis aliis vendere vel locare debemus pro majori pecuniæ quantitate, vel causa amicitiæ aliqualis. Cæterum quandocunque nos vel nostri hæredes dictam advocatiam redemerimus, usque ad XX. marcas examinati argenti dicti cives Erford. ipsam advocatiam pro illis XX. per annum subsequentem sine difficultate qualibet obtinebunt, D & tunc ad nos & nostros hæredes liber revertetur. Testes hujus rei sunt *Bertholdus* Vicedominus de *Appolde*, *Heinricus* de *Gisheim*, *Ditmarus* de *Busseleibin*, *Gotschalcus Kerlingeri*, & quamplures alii fide digni; dantes præsentes literam in certitudinem super eo nostri sigilli firmiter munimine roboratam. Datum Anno Domini M CC LXXXIII. XII. Calend. Aug.

XVI.

Albertus & Henricus Comites Gleichenses Monasterio Cappelndorf proprietatem trium cum dimidio mansorum donant.

IN nomine Domini, Amen. Nos Albertus Se- 1288.
nior & *Henricus* Junior, Comites de *Glichen* recognoscimus, & præsentibus protestamur, quod cum olim fidelis noster *Thidericus* Pincerna de *Varila* tres mansos & dimidium, sitos in *Theutonico Swabehusen*, quos a nobis in feodo tenuit, honorabilibus in Christo Præposito, Abbatisse & Conventui Monasterii de *Cappellendorf*, de nostra licentia vendidisset, receptis proinde viginti octo marcis argenti usualis, quas idem Pincerna fatetur sibi fuisse plenarie persolutas, Nos ad devotam ipsius Pincerne instantiam, recepta ab ipso renunciatione bonorum, hujusmodi prædictos tres mansos & dimidium cum omnibus suis pertinentiis in villa & in campo, legitima donatione dedimus prædictis Præposito, Abbatisse & Conventui jure proprietatis perpetuo possidendos, transferentes in ipsos Præpositum, Abbatissam & Conventum omne jus & dominium, quod nos & nostri Progenitores in bonis eisdem dinoscimus hactenus habuisse. Ut autem hujusmodi nostra donatio firma permaneat & jugiter inconvulsa, præsentes litteras super hoc dedimus, sigillorum nostrorum appendiculis fideliter communitas. Testes hujus rei sunt Dns. *Hermannus* de *Glichen* Canonicus Magdeburg. Dns *Thidericus* de *Wechmar*. *Fridericus* de *Monwarsburg*. *Ditmarus* de *Bußeleben* milites. Dns *Bertoldus* de *Vßerstete*. *Thidericus* & *Conradus* filii *b*) sui: Dns *Leo*, & Dns *Witbego* Plebanus de *Docherschen*. Frater *c*) *Rudolfus* Pincerna & alii quamplures fide digni. Datum *Erphordiæ* Anno Dni M. CC. LXXXVIII.

XVII.

Henricus de Gleichen vendit vicos Nuseltzen & Vrbech.

1303. NOs *Heinricus* Dei gratia Comes de *Glichen* Junior recognoscimus & omnibus literam hanc visuris cupimus fore notum, quod *Theodorico* de *Sachsa*, *Theadorico* & *Alberto de Nuwseltzen* suis sororiis civibus Erffordensibus duas villas *Nuseltzen* & *Vrbeche* scilicet cum omnibus & singulis suis pertinentiis ac usufructu tam in villis, quam in campis cum judicio sangvinis & quolibet alio genere judicii, cum jure patronatus & cum denariis, qui *Weitphenninge* vulgariter nuncupantur, & universaliter cum omni alio jure, obsequiis & honore, quibus eas hactenus possedimus, vendidimus legali venditione & assignavimus, vendimus & assignamus pro viginti & quinque marcis puri argenti, nobis plenarie & utiliter persolutis. Prænominatis quoque Civibus & eorum hæredibus universis dictas villas cum omnibus suis attinentiis prænotatis contulimus titulo justi feudi & conferimus per præsentes perpetuo & pacifice possidendas, promittentes ipsos de villis & suis pertinentiis,

b) Nempe *Thiderici* Pincernæ, supra memorati, jam mortui. vide Cel. Struvii Hist. Pincernarum Varila-Tautenburg. C. II. §. 3. p. 13. sq.

c) Fuit ejusdem *Thiderici* frater.

prædictis

prædictis ac eorum feudo juſtitialiter warandare, & ab impetitione ſalvos reddere & indemnes. Ex ſpeciali autem curialitate dicti emptores voluntate ſpontanea promiſerunt, quod quandocunque voluerimus & poterimus, dicta bona cum noſtra propria pecunia ad noſtros uſus, & nulli alii cauſa amoris vel majoris pecuniæ vendenda, ſed nobismet ipſis obtinenda, & hoc etiam diximus bona fide reemere ipſi nobis eadem revendere pro tanta pecunia, pro quanta vendimus ea modo. Sed ſi quocunque anno fuerit, ſæpe dicta cum ſuis attinentiis ante feſtum Purificationis non reemerimus, quemadmodum eſt promiſſum, tunc cenſum & omnem uſum fr. talis anni ſæpe fati emptores de ipſis villis & attinentiis ſuis tollent. Teſtes hujus rei ſunt Mag. *Bertholdus* Plebanus de *Stedeveldt*, *Henricus* de *Grisheim* & *Ludowicus* de *Holtzhuſſen*, milites noſtri, ac prudentes viri *Bertoldus* de *Gotha* & *Bertoldus Clerici* Magiſtri Conſulum, *Bertoldus Sprungel*, *Eckehardus Hoterman*, *Conradus* de *Arneſt*, *Hugo Longus*, *Guntherus Rabinoldi*, *Otto* de *Rhode*, *Hugo* de *Zimmern*, *Heinricus Rodeſtoc* & ceteri Conſules Erffordenſes. In ejusdem etiam rei fidem & teſtimonium dedimus has literas noſtro ſigillo fideliter roboratas, & ipſas pro promiſſo & teſtimonio, ſigillo civitatis Erffordenſis petivimus communiri. Et nos B. de *Gotha* & B. *Clerici* Magiſtri Conſulum & ceteri Conſules Erffordenſes ad dicti Domini Comitis inſtantiam ſigillum civitatis *Erffordi* præſentibus duximus appendendum, in teſtimonium præſcriptorum. Datum Anno Dom. M. CCC. tertio, pridie Non. Dec.

XIIX.

1305. *Privilegium Henrici Gleichenſis ſuper villam Weyzeſe & bonis ibidem.*

IN nomine Domini, Amen. Cum natura humana prona ſit ad diſſenciendum, & novas deproperat edere formas & cottidie novitates nititur invenire, propter quod oportet geſta & facta hominum ſcripturarum (auxilio) communiri. Hinc eſt, quod nos *Heinricus* Dei gracia Comes in *Glichin* preſentibus & futuris, ad quod preſens ſcriptum pervenerit, volumus eſſe notum, quod *Eberhardus* de *Molsleibin* miles de conſenſu noſtro & heredum noſtrorum ac ſuorum vendidit Domino Abbati totique Conventui Monaſterii Beatorum Petri & Pauli in Erford ordinis S. Benedicti pro centum quinquaginta & quinque talentis denariorum Erfordenſ. & legittime ſibi integraliter perſolutis, quosdam manſos in campis ville *Weyſeßin* ſitos, quoscunque, qualescunque & quotcunque a nobis juſto tytulo pheodali tenuit & dinoſcitur habuiſſe, vendidit inqvam ipſis cum omni jure, utilitate, libertate, cenſuum penſione, jurisdictione ac diſtrictu pariter & honore, præſertim *judicio ſanguinis* excluſo, utpote *quod capitales ſententias & ratione delicti ſeu criminis nichil aliud quam mortem poſtulat & requirit*, & generaliter omnia jura & poſſeſſiones, que in dicta villa & villa adjacente, quæ *para Wegeſeße* dicitur, a nobis tenuit, & nos & ſucceſſores noſtri tenuimus & habuimus ab antiquo, renunciantes Nos & heredes noſtri una cum dicto *Eberhardo* & heredibus ſuis omni juri, quod in dictis villis & bonis prefatis habuimus, & omni privilegio juris ſeu reſtitutionis in integrum, & quovis alio auxilio, quo mediante preſcriptus contractus emptionis poſſet aliqualiter vitiari, ſed gratum promittimus ipſum contractum permanere, & inviolabiliter obſervare & nunquam contravenire racione aliqua ſive cauſa, mittentes ipſos in poſſeſſionem ſimpliciter omnium bonorum, jurium ac poſſeſſionum que idem *Eberhardus* & ſui heredes in eisdem villis a nobis & heredibus noſtris tenuit, literas per preſentes, promittimus eciam predicto Domino Abbati & ſuo Conventui de eisdem bonis cavere de evictione & plenam warandiam facere, & facimus per preſentes, prout moris & juris eſt. Et ut predictus Contractus perpetuo roboris optineat firmitatem & ſemper permaneat inconvulſus, Nos *Heinricus* Dei gracia & *Eberhardus* predicti has literas noſtras prefato Domino Abbati & ſuo Conventui dedimus, noſtrorum ſigillorum munimine roboratas. Teſtes hujus rei ſunt: *Otto* de *Wechmar* & *Theodericus* fratres, *Fridericus* de *Hecſtete*, *Guntherus* de *Kongeße*, *Johannes* de *Volkſtete* milites, Magiſter *Hermannus* de *Wirbach*, *Heinricus* de *Vintersleibin* civis Erfordenſ. & plures alii fide digni. Actum & datum Anno Domini M. CCC. V. VI. Kl. Julii.

XIX.

Henricus Comes Glich. reſignat & appropriat Monaſterio Georgenthal. bona in Hohenkirchen, quæ ipſe ab Abbate Hirsfeld in feudo tenebat.

NOs *Heinricus* Dei gracia Comes de *Glichen* tenore preſencium recognoſcimus publice proteſtando, quod ſtrenui viri *Eberhardus* de *Malsleiben* miles & *Coukemundus* filius ejus, omnia bona ſua, que a nobis habuerunt jure feodali in villa *Hoenkerchen* & campis adjacentibus quocunque modo nominatis, religioſis viris, Domino Abbati & Conventui Monaſterii *Vallis S. Georgii* Ord. Ciſtercienſis vendiderunt rite & rationabiliter perpetuis temporibus poſſidenda. Sed cum prefata bona habere videremus ulterius feodali jure - - a venerabili Domino Abbate Hersfeldenſi, ad quem ipſorum ſpectabat proprietas, ipſi jus, quod nobis competebat in ipſis bonis, reſignavimus ea videlicet racione, ut ipſam dicto monaſterio liberaliter appropriaret; unde cum utriusque partis commodum & utilitatem intendamus efficaciter promovere, hinc divine renumeracionis premium, illinc fidei erga nos approbate meritum intuentes, ratum & gratum habuimus predicte venditionis contractum, dantes & preſentibus reſignantes una cum

1306.

cum liberis noſtris *Heinrico*, *Erneſto* & *Hermanno* prenominatis Domino Abbati & Conventui *Vallis S. Georgii* omne jus, quod nobis competebat, aut actenus competere poſſet racione feodi in ſepedictis bonis, non obſtante, quod non poſſunt feodalia legaliter poſſidere. Ne igitur noſtre donacionis liberalitas quomodolibet valeat violari, preſentes literas noſtri ſigilli munimine duximus roborandas. Teſtes quoque hujus rei ſunt *Theodericus* & *Otto* junior dicti de *Wechmare*, *Guntherus* de *Kungeße*, *Johannes* de *Volkſtete* milites, *Conradus Thuſtelberg*, *Hermannus Lutter*, *Theodoricus* dictus *Schultheize*, *Cunradus Gerhardi*, noſtri fideles cum aliis pluribus fide dignis. Datum & actum Anno Domini M. CCC. VI. pridie Idus Junii.

XX.

Privilegium Hermanni Comitis in Glichin ſuper omnibus bonis in Weyſeze & judicio ſanguinis ibidem.

1316. NOs *Hermannus* Dei gracia Comes de *Glichin* omnibus Chriſti fidelibus, tam preſentibus quam futuris facimus manifeſtum, quod ad inſtantiam devotarum precum ſtrenui Militis *Everhardi* de *Molsleibin* & *Kunemundi* filii ſui fidelium noſtrorum, omne jus, jurisdiccionem ſeu dominium, & precipue judicium ſanguinis, quod idem *Eberhardus* ſuique heredes a nobis & noſtris progenitoribus dinoſcuntur in feodo poſſediſſe ſuper omnibus & ſingulis bonis & hominibus, ad villam ſeu villas *Weyſeſſe* pertinentibus, facta tamen prius coram nobis & ad manus noſtras de premiſſis omnibus reſignacione & renunciacione per ipſum *Eberhardum* ac *Kunemundum* filium ſuum adhibitis ſolemnibus debitis & conſuetis, contulimus & conferimus in nomine Domini per preſentes religioſis ac devotis viris Domino & Abbati ejusque Conventui Monaſterii beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli in *Erford* Ord. S. Benedicti in ipſum monaſterium liberaliter transferentes, proprietatis ac veri dominii tytulo perpetuis temporibus poſſidenda, ea autoritate & dominio, quibus ad nos & progenitores noſtros pertinuerunt a multis temporibus jam effluxis, renunciantes nominetenus pro nobis & heredibus noſtris omni juris beneficio, *legis* & *canonis*, & generaliter omnibus ac ſingulis exceepcionibus ſeu defenſionibus, que prefatam collacionem ſeu donacionem & appropriacionem annichilare poſſent ac quomodolibet viciare. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium & certitudinem firmiorem has literas deſuper confectas prefatis religiolis & eorum monaſterio, ſub appenſione ſigilli noſtri ex recta ſcientia roboratas (dedimus). Teſtes hujus rei ſunt *Gerhardus* de *Viſchberg*, *Albertus* de *Gundersleiben*, *Johannes* de *Volkerſtete*, *Albertus* de *Witerde* milites & *Hermannus* de *Sybeleiben* Notarius noſter, & plures alii fide digni. Actum & datum Anno Domini M. CCC. XVI. pridie Idus Januarii.

XXI.

Hermannus Gleichenſis monaſterio in Monte S. Cyriaci, proprietatem manſi & curiæ confert.

NOs *Hermannus* Dei gratia Comes in *Glichen* recognoſcimus, & omnibus, quibus preſentes literæ fuerint exhibitæ, cupimus eſſe notum, quod nos ob reverentiam 1316
Dei & devotarum precum inſtantiam *Johannis* de *Volgſtede* militis noſtri unum manſum cum una curia attinente, & tria quartalia unius manſi in campis villarum *Grabisleybin* ſita cum obventionibus & aliis juſtitiis quibuscunque, ſicut etiam dictus *Johannes* ipſa bona a nobis & noſtris progenitoribus tenuerat titulo feodali, que bona ſingulis annis eidem Johanni ſolverunt quattuor talenta Denariorum Erfordenſ. legalium & bonorum, honorabili viro Præpoſito, Abbatiſſæ, totique Conventui Eccleſiæ Sanctimonialium in monte S. Ciriaci prope *Erfordiam*, facta nobis prius reſignatione per Dominum *Johannem*, appropriavimus & in proprium dedimus & damus in proprium per preſentes, nichil nobis juris in dictis bonis reſervando, aut noſtris ſucceſſoribus quibuscunque, ita ſane, quod ipſa bona ſingula, ut premittitur, ad altare S. Crucis perpetue pertineant pro ſubſidio Vicariæ ibidem ſalubriter inſtauratæ. In cujus rei teſtimonium hanc litteram noſtram ſibi dedimus ſigillo noſtro fideliter communitam. Teſtes hujus rei ſunt *Albertus Witerde* miles, *Hermannus Lutter*, Johannes filius *Johannis* de *Volgſtete* prædicti & plures alii fide digni. Datum & actum anno Domini M. CCC. XVI. Nonas Februarii.

XXII.

Privilegium Hermanni Glichenſis ſuper XXIV manſos minus uno Quartali in Hundisborn, a Gunthero de Kongeſſe venditos.

NOs *Hermannus* Dei gracia Comes de *Glichin* publice recognoſcimus tenore preſencium literarum, quod honeſtus vir Dns 1325.
Guntherus dictus de *Kongeße* Sacerdos Capellanus noſter dilectus & *Heinricus* frater ſuus, nec non *Herradis* mater eorundem viginti IV. manſos quartali duntaxat excepto, ſitos in territorio ville dicte *Hundesborn* & alia bona ſua quelita & inquirenda, culta & inculta, paſcua & rubeta, in campis & in villa quocunque vocabulo ſive nomine nuncupentur, cum omni jure, utilitate & honore, cenſibus, obvencionibus ac ſervitiis a nobis in feudum dependentia, prout iidem a nobis dinoſcuntur ab antiquis temporibus poſſediſſe, religioſis ac honorabilibus viris Domino *Conrado* Abbati & Conventui Monaſterii *Vallis S. Georgii* Ciſt. Ordinis, vendiderunt ac tradiderunt rite ac rationabiliter pro quinquaginta quatuor marcis puri argenti, venditoribus ipſis plenarie perſolutis, perpetuis temporibus poſſidenda libere, noſtro conſenſu favorabiliter accedente, renunciantes legittime dicti fratres, ſed ipſa mater juramento corporali præſtito renuncians, eo, quod eadem bona propter nuptias pro dote deputata ſibi fuerint & donata, omni

Jure Canonico & Civili, beneficio restitutionis in integrum, exceptioni non numerate vel non solute pecunie, & generaliter omnibus, quibus contractus hujusmodi posset in posterum aliqualiter vitiari, promittentes nihilominus Domino *Conrado* & Conventui supra dictis debitam & plenariam facere warandiam de bonis superius jam expressis. Et nos *Hermannus* Comes predictus, auditis renunciacionibus hujusmodi, ac resignacione bonorum ipsorum libera per prefatos venditores manualiter nobis facta, ob devotam supplicacionem eorundem ac precipue divine remuneracionis intuitu supra dicta bona cum omnibus juribus ac pertinenciis suis superius jam expressis Domino Abbati & Conventui sepedictis locavimus favorabiliter & locamus justo locacionis titulo perpetuis temporibus pacifice possidenda, dominium bonorum ipsorum ad ipsam Ecclesiam *Vallis S. Georgii* transferentes totaliter jure, quo possumus ampliori, ita tamen, quod nobis nostrisque heredibus duos *c)* solidos denar. Erfordens. annis singulis in festo B. Michaelis census nomine persolvere non obmittant, salvo utique jure Reverendi Domini nostri Abbatis Ecclesie Hersfeldensis, cui per locacionem predictam nichil intendimus subtrahere, sed ei, tanquam vero Domino feudi, quemadmodum ipsum feudum requirit, oportunis temporibus deservire. In quorum premissorum omnium firmitatem & evidenciam ampliorem sigillum nostrum duximus presentibus appendendum. Actum & datum *Glichen* anno Domini Millesimo CCC. XXV. XIII. Kl. Aprilis. Testes hujus rei sunt *Johannes* de *Volkstete*, & *Gerwicus* de *Molstorf* milites, *Johannes* & *Heinricus* de *Volkstete*, filii *Johannis* militis antedicti, *Heinricus* dictus *Windolde*, & *Gernodus* frater suus, & quamplures alii fide digni.

XXIII.

Hermannus Comes Gleich. Abbati Hersfeld. villam Hundisborn resignat, ut eam Monasterio Georgenthal. tradat.

REverendo Domino suo Domino *Ludewico* Abbati Ecclesie Hersfeldensis *Hermannus* Dei gracia Comes de *Glichen*, cum reverencia debita servitium semper benivolum & paratum. Particulam quandam plurium bonorum feudalium, que a nobis & ab Ecclesia vestra predicta nostros progenitores & nos ab antiquis temporibus in feudum tenuisse fatemur, villam videlicet *Hundesborn* cum omnibus pertinentibus ad eandem, quam quidem *Guntherus* dictus de *Kongesse* Cappellanus noster dilectus & sui coheredes fideles nostri consequenter a nobis tenebant, cum religiosi viri Dominus *Cunradus* Abbas & Conventus Monasterii Vallis S. Georgii sua pecunia possidendam eam comparaverint, quemadmodum in literis desuper confectis plenius continetur, Reverentie vestre presentibus cum benivolentia resignamus, effectuose rogantes instancia, qua possumus, ampliori, quatinus antedictam villam Domino Abbati & Conventui supradictis, prout eam comparasse noscuntur, appropriare dignemini, vestri gratia perpetuis temporibus liberius possidendam. In cujus resignacionis evidenciam manifestam sigillum nostrum apponi fecimus huic scripto. Datum Anno Domini M. trecentesimo XXVI. Ydus Januarii.

1326.

XXIV.

Hermannus donat Monasterio Reinhardsbrun. proprietatem duarum marcarum argenti.

IN nomine Domini, Amen. Nos *Hermannus* Dei gratia Comes in *Glichen* recognoscimus publice in hijs scriptis, quod intuitu Dei & *Heinmanni* dicti *Abt* viri strenui interventum, duas marcas redditus annui, cedentes de bonis mansis scil. & curiis in campis & villa *Horsilgowe* sitis nostre proprietatis, quas idem *Heinmannus* a nobis jure feudali noscitur habuisse, viris religiosis Domino Abbati & Conventui in *Reyngbersborn* ac ipsi monasterio eidem *Heinmanno* consentiente diligentius, ut premittitur, & petente, rite ac libere donavimus & appropriavimus, donamus & appropriamus per ipsos possidendos libere & perpetue in Dei nomine per præsentes, nichil nobis aut nostris successoribus juris aut dominii in dictis bonis penitus reservantes, dantes eidem monasterio præsentes literas sigillo nostro signatas in testimonium & robur valiturum perhenniter super eo. Testes hujus rei sunt *Albertus* de *Witterde*, *Gerwicus* de *Mollesdorff* milites. *Johannes* de *Volcstete* & *Heinricus de Arnstete*, pluresque alii fide digni. Datum Anno Dom. M. CCC. XXIX. Idus Aprilis.

1329. 21

XXV.

Hermannus Comes Nicolao de Schwabhusen mansum dat in feudum.

NOs *Hermannus* Dei gratia Comes & Dominus in *Gliechen* recognoscimus præsentium tenore literarum publice profitendo, quod honesto famulo *Nicolao* de *Swabehusen* nostro fideli unum mansum situm in campis & pago villæ *Landorfstete* contulimus & præsentibus conferimus titulo justi feudi, sicut sui progenitores a nostris progenitoribus possiderunt pacifice & quiete. In cujus collationis testimonium & evidentiam firmiorem sibi dedimus has nostras literas nostri sigilli charactere signatas. Datum & actum Anno Dni Millesimo, trecentesimo tricesimo primo, in die Remigii.

1331.

c) Hunc censum *Hermannus* Comes remisit anno M CCC XXVI. Idus Januarii.

XXVI.

Hermannus Comes Monasterio Georgenthal mansum in Weißenzen appropriat.

1329. NOs *Hermannus* Dei gratia Comes de *Gliechen* recognoscimus in hys scriptis, quod supplicationibus *Apelonis* dicti *Schultheize* de *Wechmar* nostri dilecti favorabiliter inclinati, mansum unum situm in territorio villæ *Weyssezen* septem maldra frumenti & ordei Gothensis mensuræ, & triginta solidos denariorum annuatim solventem, cujus manli partem dimidiam *Bertoldus* dictus *Knuth*, residuam vero dimidiam partem & curiam unam *Albertus* dictus *Bischoff* jure hereditario jam possidere noscuntur, quos quidem mansum & curiam supra dictus *Apelo* tenuit & possedit a nobis hactenus titulo feodali, resignatione libere per sepe dictum *Apelonem* manualiter nobis facta, Religiosis viris Domino *Ottoni* Abbati & Conventui *Vallis S. Georgii* eo quod eosdem mansum & curiam sua pecunia præfato venditori sicut audivimus ab eodem, plenarie persoluta legitime comparaverint, proprietatis titulo perpetuis temporibus pacifice possidendos scienter appropriavimus, & præsentibus appropriamus & in proprium damus dominium eorundem bonorum, ad prædictos Dominos *Ottonem* Abbatem, Conventum ac Monasterium totaliter transferentes, nichil nobis juris in eis penitus reservando. In cujus facti certitudinem & evidentiam ampliorem sigillum nostrum apponi fecimus huic scripto. Datum Anno Domini M. CCC. XXIX. VI. Ydus Martii.

XXVII.

Hermannus Comes controversiam, quam Fridericus de Kongesse monasterio Georgenthal de bonis in Hundisborn moverat, componit.

1335. NOs *Hermannus* dei gracia Comes de *Gliechen* manifeste recognoscimus tenore presencium literarum, quod licet honesti viri Dominus *Guntherus* de *Kongesse* Plebanus in *Waldesleiben* ac *Henricus* ejus frater fideles nostri, nec non *Herradis* eorum mater viginti & IV. mansos minus uno quartali & universa bona sua cum juribus & pertinenciis suis in villa & campis *Hundisborn* sita, a nobis tunc in feodum dependencia, de nostro consensu pro quinquaginta & quatuor marcis puri argenti eis integraliter persolutis, Religiosis viris Dominis *Conrado* Abbati & Conventui Monasterii *Vallis S. Georgii* Ord. Cisterc. olim vendiderint ac tradiderint racionabiliter atque juste, & promiserint de dictis bonis eis facere warandiam debitam & consvetam, sicut in literis desuper confectis & nostro sigillo ad eorum peticionem sigillatis plenius continetur. Tamen his non obstantibus *Fridericus* de *Kongesse* frater *Guntheri* & *Henrici* prædictorum, nunc de novo eadem bona impeciit in judicio seculari causa & lites inter ipsum ex una & religiosos viros Dominos *Ottonem* Abbatem & Conventum Monasterii supra dicti ex parte altera pro eisdem bonis aliquandiu agitatur, nos tandem pro bono utriusque partis easdem partes de scitu earum & consensu expresso super causa & lite jam dictis amicabiliter concordavimus in hunc modum, quod idem *Fredericus* ad consilium nostrum & ad peticionem suorum fratrum predictorum, deliberate & sponte renunciavit omni juri, accioni & cause, que sibi competebat in bonis supradictis seu competere possent in futurum, ratam habendo & approbando expresse per omnia vendicionem supradictam, promittens id sponte nobis & Domino *Ottoni* Abbati predicto fide data manuali perpetuo inviolabiliter observare. In quorum promissorum evidens testimonium atque robur has literas ad peticionem Domini *Ottonis* & *Fredrici* predictorum, nostro sigillo dedimus sigillatas. Testes hujus renunciationis sunt Honorabiles viri, Dominus *Volmarus* de *Gotha*, & *Lutholphus* de *Winresleiben* Sacerdotes Canonici in *Ordorf*, *Albertus* de *Witerde* miles ac *Berngerus* de *Meldingen*, *Johannes* ac *Heinricus* de *Wechmar* fratres cum pluribus aliis fide dignis. Datum Anno Domini Millesimo Trecentesimo XXXV. in die beati Luce Evangeliste.

XXIIX.

Pactum inter Hermannum Comitem & Hermannum de Witzleben de Sculteti officio in Ordruf & Wechmar initum.

Ex membrana.

ICh Herman *von* Wizleben *bekenne öffentlich an diesem gegenwärtigen Brieffe und thue kundt allen den, die ihn sehen oder hören lesen,* 1338. *das die gestrengen Ritter Herr* Albrecht *von* Witterda *vnd Herr* Merwic *von* Mollesdorff, *vnd* Conradt *von* Wizeleben *mein Vetter der Vogt zu* Wassenburg *vnd* Heinrich *von* Kergisse *der Vogt zu* Gleichen *haben geteidingt zwischen den Edlen Herren, meinen Herrn Graven* Herman *von* Gleichen *vnd mir, das der vorgenante Herr vnd seine Erben mich vnd meine Erben nicht sollen hindern an dem Schulteſſen Ambt zu* Ohrdruf *vnd zu* Wechmar, *vnd das darzu geböret, als ichs Briefe habe meines Herrn von* Hersfeldt *Abts* Ludwigs, *auch soll ich vnd meine Erben den vorgenanten meinen Herrn vnd seine Erben lassen bey allem Rechten, als ichs offene, sine Brieffe hatt, des vorgenanten Herren von* Hersfelt *vnd des Stiffts von S. Martinstage der nechst kommet, über vier Jahr nacheinander zulauffen. Darnach soll ich oder meine Erben an mein volles Recht des vorgenanten Schulteßen Ambts vnd das darzu geböret, als meine Brieffe halten, ohne alle Argelist, Ich soll auch dieweil, oder meine Erben mit den vorgenanten meinen Herren von* Gleichen *oder mit seinen Erben am Gerichte sitzen die vier Jahr; Ich soll auch noch meine Erben meinen Herren von* Hennenberck, *von dem ichs zu Lehn habe, als seine Briefe halten, noch Niemandt anders ziehen in die vorgenanten meines Herren Gerichte von* Gleichen, *noch in des Schulteßen Ambt ihme zu Schaden oder zu Beschwernis, wehre*

auch das ich oder meine Erben meinen Herrn von Hennebergk *oder jemand anders uff seinen Schaden zöge, das Gott nicht walle, das ich nicht wandeln möchte, als meinen Herrn Grafen* Heinrichen *von* Schwartzburgk, *des* Schwartzburgk *ist, vnd die sine Leute recht deuchte, so sollen sie ihm mein Briefe antworten, ohne alle Wiederrede. Geschehe aber das ich oder meine Erben an anderen Schaden an meinem Herren von* Hennebergk *gegen ihme breche, das soll ich wandelen bey einen Monden nach Achtung der vorgenanten Sine Leute bey dem Eyde, als ich gethan vnd geschworen habe. Verbreche er auch gegen mir oder gegen meine Erben icht seines Gelübdes, das solte er auch wandeln bey einem Monden, als die ehe genanten Sin Leute billig deuchte. Thete er das nicht, so sollen wir ihn verklagen, vor wier mügen, do brechen wir nicht an kegen ihme, bedörfft ich auch oder meine Erben, meiner Briefe meines Herren von* Hirsfeldt *über meine Leben zu meinen Teidingen icht zubeweisen, die sollen mier antworten den Sinleuten ohn Argelist. Wolte auch mir oder meinen Erben iemand unrecht thun an dem Schulteßen Ambte, das sollen mich vnd meine Erben der vorgenante Herr vnd seine Erben vertetigen nach aller ihrer Macht. Ich gelobe auch vnd alle meine Erben, das ich das Schulteßen Ambe weder verkauffen, noch versetzen, noch übergeben, noch icht miete thun noch soll, noch will, es en sie des genanten meines Herren von* Gleichen *der seiner Erben guter wille; Stärbe auch der Sin leute einer, so soll man einen andern also guten zu Handt an seine stätt kiesen, zu thun vnd zulaßen. Alle diese vorgeschriebne Rede gelobe ich* Herman *von* Wizleben *vnd meine Erben, stete vnd gantz zu halten, vnd geben diesen Brieff darüber mit des Edlen Herren meines Herren Graven* Heinrichs *von* Schwarzburgk *Jnsiegel vnd mit meinem Jnsiegel befestet. Dieser Rede sindt Gezeugen der Edle Herr Graf* Heinrich *von* Schwarzburgk, *der vorgenannte Herr* Albrecht *von* Witterda, *Herr* Merwic *von* Mollesdorff, *Ritter*, Conradt *von* Wizleben, *Heinrich von* Kergisse *die vorgeschrieben vnd andere fromme Leute, auch wihr Grafe* Heinrich *von* Schwarzburgk, *der vorgenante bezeug alle diese vorgeschrieben reden, vnd durch Bitte* Herrmans *des vorgenanten, hengen wihr vnser Jnsiegell an diesen gegenwertigen Brieff, der geben ist nach Gottes Geburt* dreyzehen hundert *Jahr, in dem* acht vnd dreysigsten *Jahre, darnach an dem heiligen Pfingstabend.*

XXIX.

Hermannus Comes Monasterio Georgenthal. quorundam bonorum in Bernsrode proprietatem donat.

1338. NOs *Hermannus* Dei gracia Comes de *Gliechen* manifeste recognoscimus tenore presencium literarum, quod cum strenuus miles *Otto* de *Wechmar* quedam bona sita in *Bernsrode* juxta *Hohenkerchen* a nobis in feodum dependencia, que *Conradus* dictus *Brun* de *Hohenkerchen* colit, solvencia singulis annis pro censu Mich. duos solidos denar. Gothens. Religioso viro Domino *Ottoni* Abbati & Conventui monasterii *Vallis S. Georgii* Cist. Ord. racionabiliter vendidisset, ad supplicacionem eorundem venditoris & emptoris, precipue propter Deum eidem monasterio omne jus, quod nobis in eisdem bonis competebat seu competere videbatur, donavimus & dedimus meliori modo, quo potuimus, rogantes instanter ea sibi appropriari a Reverendo Domino Abbate Hersfeldensi, cui eadem bona sub tali condicione resignamus literas per presentes, si sepe dicto monasterio per ipsum, ut petimus, fuerint appropriata & donata. In cujus rei testimonium perpetuum has literas dedimus appensione nostri sigilli roboratas. Anno Dom. M. CCC. XXXVIII. IV. Kl. Maji.

XXX.

Henricus & Ernestus Comites Glichenses proprietatem sex mansorum & unius curiæ transferunt in monasterium S. Martini Erford.

1343. IN nomine Domini, Amen. Nos *Heinricus* & *Ernestus* fratres Dei gratia Comites & Domini in *Gleichenn*, tam præsentibus quam futuris nostrarum tenore præsentium literarum facimus manifestum, quod sex mansos proprios cum una curia pertinente ad eosdem, situatos in campis & terris villæ *Ingersleben*, venditos per *Henricum de Ingersleben* & *Bertoldum* fratres Erphordenses cives, appropriatos hactenus a nostris progenitoribus, prout in eorum literis desuper confectis lucidius apparebit, perfecta & legitima venditione Præpositi & Conventui Sanctimonialium Cœnobii S. Martini extra muros Erphordenses sito *in dem Brüle*, pro certa pecuniæ summa dictis venditoribus persoluta, cum uno pistorio in eadem villa *Ingersleubenn* situato a nobis hereditario jure procedens, nostra voluntate accedente & assensu. Unde moti precibus Præpositi & Conventus Sanctimonialium S. Martini extra muros Erphordenses sito dictos sex mansos cum curia pertinente ad eosdem nunc demum Præposito & Conventui Sanctimonialium S. Martini *in dem Brüle* sito appropriavimus & appropriamus, dedimus & donamus perfecta donatione literas per præsentes, sic quod nullus *Bodellorum* nostrorum habeat facultatem in dictis bonis omnibus edictum imponere seu mandata exequi aliqua. Etiam si Præpositum & Conventum prædictum bona hujusmodi prænarrata colenda exponere & locare contigerit, partim vel in toto, rusticis villanis villæ *Ingerschlebenn* seu incolis ejusdem villæ pro annuis pensionibus seu pro censu promittimus præsentibus Præpositum, Conventum & cultores bonorum prædictorum exactionare nolle, nec etiam precarias aliquas ab eisdem petere de bonis prænarratis seu extorquere. Sed ipsos magis

magis volumus promovere & tueri toto posse & ubilibet defensare qualibet sine fraude. Transferentes in Præpositum & Conventum Sanctimonialium S. Martini prædictum ejusque monasterium omne jus, omne dominium, quod nobis & nostris heredibus & coheredibus in dictis bonis competebat & competiit ab antiquo, nihil juris, dominii, libertatis, proprietatis, servitii, honoris seu - - - nobis reservantes, promittentes Præpositum & A Conventum Sanctimonialium S. Martini prædictum & eorum monasterium - - - præfatæ appropriationis nostræ in bonis memoratis warandere & facere warandiam, prout moris & juris est, pro nobis & nostris heredibus & coheredibus universis debitam & consueram, sic quod ipsa bona præhabita poterunt pro nobis & nostris heredibus & coheredibus quiete & pacifice proprietatis titulo temporibus perpetuis possidere. Insuper pistorium in eadem villa *Ingersleubenn* situm Præposito & Conventui prædictis & eorum monasterio jure hereditario contulimus & præsentibus conferimus a nobis perpetuo possidendum. Ad quod pistorium omnes B homines residentes in eadem villa, suos panes & quicquid pistandi habent, in illis pistare tenentur de jure; nec nos nostrique heredes, coheredes & successores struere vel ædificare poterimus aliud pistorium in villa memorata, vel quisquam alius quovis modo nullam habemus facultatem. Est insuper expresse conditum, quod Præpositus & Conventus poterunt super bonis memoratis in campis & in terris villæ memoratæ duobus pastoribus greges depascere, videlicet centum & quinquaginta oves & pecudes, videlicet vaccas duodecim, tot - - - & tantos porcos, quos ibidem poterunt enutrire, contradictione qualibet non obstante, reser- C vantes nobis in dicto pistorio duos Erphordenses denarios nobis dandos & solvendos festo quolibet Michaëlis pro censu hereditario singulis annis, renunciantes super bonis præmissis omnibus actionibus, impetitionibus, juribus & causis nobis nostrisque heredibus & coheredibus competentibus simpliciter & præcise ac in totum præsentibus quolibet sine dolo. Renunciamus nihilominus omnibus Constitutionibus papalibus ac Dominorum Imperatorum editis vel edendis, eorundem privilegiis, privilegio fori, literis quibuslibet impetratis vel impetrandis, omnibus appellationibus, exceptionibus, exceptioni doli mali, legi dicenti generalem renunciatio- D nem non valere, beneficio restitutionis in integrum, actioni in factum, condictioni ob causam vel sine causa, & generaliter omni juris auxilio nobis nostrisque heredibus & coheredibus & universis successoribus, salvo Canonici - - - civilis, quo vel quibus præfata nostra appropriatio & hereditaria collatio posset in posterum infirmari, cassari, infringi, vitiari, retardari vel rescindi. In hujus rei evidentiam & ampliorem certitudinem has literas nostras desuper confectas ex certa scientia, non per errorem duximus concedendas, cum sigilli munimine, quo ambo fratres utimur, contentam præsentibus fideliter roborandas. Testes hujus appropriationis & hereditariæ collationis sunt viri strenui ac validi *Heinrich* de *Wertter* miles, Advocatus noster, *Johann* dictus *Strantz*, Castrenses nostri, *Kuno* de *Ingersleben*, Dominus *Emmicho* quondam Præpositus in *Ichtrichshusenn*, Presbiter, *Johannes* de *Drefurtho*, *Theodericus* de *Tapfstede*, opidani Erphordenses, & quamplures alii fide digni. Actum & datum anno Dom. M CCCXL. quarto Dominica, die proxima ante diem Lulli & Galli Confessorum beatorum.

XXXI.

Christianus de Wizleben & Otto de Stutternheim vendunt bona in Wechmar & Ordruf sita Comitibus Glichensibus.

WIr Christian *von* Wizleben, Otto *von* 1351.
Stutternheim *Rittern und unser Erben bekennen öffentlich an diesem gegenwärtigen Briefe allen den, die ihn sehen, hören oder lesen, dass wir die Güther zu* Wechmar *und zu* Ohrdruff, *die wir gekaufft hatten zu dem gestrengen Ritter Herren* Herman *von* Wizleben, *mit alle dem Rechte, Ehren und Nutzen, als sie sein Vater und Er gehabt haben, wider verkaufft haben mit gutem Vorrathe und Wissen unser Freunde, mit demselben Rechte, Ehren und Nutze, als sie sein Vater und Er gehabt haben, den Edlen unsern gnädigen Herren Grafen* Ernst, *Grafen* Heinrich *Grafen und Herren zu* Gleichen *und ihren Erben, und des vorgenanten Kauffs sindt gezeugen die Edele unsere gnädige Herren, Grave* Günther *von* Schwarzburg, *des* Wassenburgk *ist, und Graf* Günther *von* Kevernburgk, *und die gestrengen Ritter, Herr* Conradt *von* Angelroda, *Herr* Heinrich *von* Werterde *und andere viel glaubhaffter Leute. Und dass der vorbeschriebene Kauf unverbrüchlich stet und gantz gehalten werde, ohne allerley Argelist, das haben wir obgenante Verkauffere* Christian *von* Wizleben, Otto *von* Stutternheim, *Ritter, unser Insiegel gehangen an diesem Brieff, der gegeben ist nach Gottes Geburth unsers Herrn* dreyzehen hundert Jahr *in dem* ein und funftzigsten Jahre *an Sanct Franciscus Tage.*

XXXII.

Henricus de Gleichen ex custodia Regis Daniæ dimittitur.

OMnibus præsens scriptum cernentibus 1361.
Petrus Look salutem in Domino sempiternam! Vniversis constare volo præsentibus & futuris, quod exhibitorem præsentium famosum Dominum Dominum *Henricum* Comitem de *Gliken*, suos famulos ac suos in hac parte compromissores pro fidejussione mihi *Iohanni Rabock* ac aliis familiaribus D. W. Regis *Danorum* ratione suæ captivationis ac suorum famulorum, quos ipso tempore in *Vorenholm*

tholm d) secum habuit, per ipsum & per suos compromissores promissa, ab impetitione nostrorum ac aliorum quorumcunque quietos dimitto ac penitus excusatos per praesentes. Datum meo sub sigillo Anno Do. MCCC Sexagesimo primo, in die beati Michael. Archangeli.

d) Forte *Bornholm.*

XXXIII.

Comites Gleichenses mansi & curiae proprietatem assignant monasterio S. Martini Erford.

1366. WIr Heinrich *und* Ernst *Gebrüdere von Gottes Gnaden Graven und Herren zu* Gleichen, *und alle unsere Erben bekennen öffentliche an diesem Brieffe, daſs wir inn Gottes und Sanct Martini Ehren, und auch durch sunderliche Gunst und Freundtschafft, die wir habenn zu* Dietterichenn *von* Topfsteten *unserm getreuwen, und seine ernste Bitte, eine Huffe Landes Arthackers, und einen Hoff, und alles das darzue gebüret, gelegenn im Dorffe und Felde zur* Ingersleben, *die Herr* Hartmann *von* Holbach *Ritter, seine Brüder und Vettern, und Ihre Eldtern von uns und unsern Eldternn wanher zur rechten Leen habenn gebatt, und uns den offgegebenn haben und gesandt den Erbarnn dem Probste, Eptisinn und Sammung deſs Closters zur Sant Martini ausſewendig der Stad Erfurdt, recht und redlichenn haben vererbet und vererbenn mit diesem Brieffe inn guttem Trawen one Argelist, also daſs die ebegenandte Probst, Eptisinn und Samnunge alle Ibar uff Sant Walpurgenn Tage* zwehne Rittersporne, *dreier Schillinge Erphordischer Pfenninge werth, oder drei Schilling derselbenn Pfennige uns und allen unsern Erben zur rechten Erbzinns vonn den ebgenandten Güttern ewiglichenn gebenn und reichenn sollen, in gutten Trawen ohne Argelist. Deſs zur Vrkunde geben wir Ihnen diesen Brief mitt unsern Insigilen versigelt. Deſs sein Gezeugenn Herr* Berthold *von* Wertterde *Ritter,* Heinrich *von* Wechmar *Knecht, Herr* Johannes *von* Hagen *Pfarrherr zue* Wandisleben, *und andere glaubwürdige Leutte genug. Der Brieff ist gegebenn nach Christi Geburtt im* dreizehenhundert Jar, *und in dem* sechs und sechzigsten Jahre, *am Freytage nach Sanct Mattei Tag des heiligen Evangelisten.*

XXXIV.

Bertholdus Abbas Hirsfeld, Henrico & Ernesto Comitibus officium Scultheti in Ohrdruff & Wechmar per annos sex concedit.

1368. WIr Heinrich *und* Ernst *von Gottes Gnaden, Grafen zu* Gleichen, *bekennen öffentlich vor Uns und Unsere Erben, daſs der Ehrwürdige unser Herr, Herr* Berlt, *Abt des Stiffts* Hersfeld *und sein Stifft, vns und unsern Erben gethan hat sin Schultheſsin Amith zu* Ohrdruff, *zu* Wechmar, *alse here alſs es reygscht, uſs genommen* Hundisburn, *sechs gantze Jahr zu haben, zu alle vnserm Nutze, die itzund angeben, und allernechst nacheinander geben, Alſso daſs wir vne vnd syne Stifft vnd Nachkömlingen in diesen 6. Jahren davon geben sollen vnd wollen, von diesem irsten Jahre zehen Marck lötiges Silbers, vnd von den andern fünff Jahren iedes Jahrs 6. Marck lötiges Silbers alle Jahr auf S. Martins Tag, wanne auch diese sechs Jahr vergangen sein, so sollen wir vnd wollen deme vorbenantem Vnserm Herr Abt* Bertolde, *synem Stifft und Nachkömlingen, das vorbenannte Schultheſsen Amith wieder antwürtin ledig vnd loſs one Widerrede vnd ohne Gefehrde, vnd ohne allerley Argelist; Auch hed der ebegenandte vnser Herr Abt* Berlt *vnd ein Stifft aüſsgezogen vnd anbehalten alle Ihre Zinſse, Gülden, Rentbe vnd Obeley vnd alle ihre Lehin, die ſie vnd ihr Stifft in den ebegenandten Gerichten haben, vnd von Alter gehabt han, auch eignen wenn ſie darüber ſitzen, deren ihre Zinſsen, Gülden, Rentbe, Gefälle und Obeley vorſchrieben, einfordere vnd nehme, den ſollen wir vnd vnser Erben frey ſitzen laſsen, ohn allerley Gebote, Geſchoſs vnd Dienſte, ohn alle Gefehrde, vnd der Knecht mag auch pfänden vor ihre Zienſse, Gülde, Rentbe, Gefälle vnd Obeleye, ohne alle vnser Hinderniſs, vnd wer daſs ber vnser oder vnser Erben Hülffe bedürffte, ſo ſollen wir ohne darzu getrewlichen helffen, an allerley klare Recht, gleicher weiſe alſo daſs vnser eigen Ding were, ohn alle Gefehrd. Alle dieſer vorgeſchriebene Rede Stück und Artickel geloben wir in gutem Trewen ſtete vnd veſte zu halten, ohne Gefehrd vnd ohne arge liſt. Deſs zu Beſtetigung haben wir Graff* Heinrich *vnd Graff* Ernst *beyde vnſr Ingeſegel vor vns vnd vnſr Erben an dieſen Brief gehangen. Datum Anno Dni M CCC LX. octavo. quinta ferie poſt feſtum S Nicolai Confeſſoris.*

XXXV.

Henricus & Ernestus Gleichenses fatentur, Johannem de Wechmar praedium in Frimaria Monasterio Georgenthal. vendidisse.

1369. WIr Henrich *und* Ernst *Gebrüdere von Gotis Gnadin Graſſin und Herrn zun* Gli-chen *bekennen uffenlichen an deſsne keynwerdigen Brife, daz dy geſtrengin Man* Johan *von* Wechmar *vnd* Ditherich *ſin Son, Ritter, vnſer Getruwen ir Gut das da gelegin iſt im Dorf und im Felde zu* Vrymar, *das ſy von uns zu Berglene hattin, mit vnſeme willen deme geyſtlichen Man Herrn* Heinriche *deme Apte und deme Convente des Gotzhus Sencte Jorgintal grawes ordins, und deme Götzhus, ummne hundirt marg vnd acht vnd zwanzeig marg lötiges ſilbirs Erfords Gewichtis, dy en gentzlichen ſint vorgolden vnd bezcalt, habin vorkoyft recht vnd redelichen, vnd haben vns dy gut willicliche be uff gegeben, und wir haben dorch ir beydir Berbe willen deme keyſſere und deme Gotzhus de gut mit alle irme rechten und Freyeiten vor eyn recht eygin, (geben) an allerleyge Argeliſt, des zcu eyme Gezcugniſse und zcu eyner ewigen Feſtikeit habe wir vorgenanten*

ten

ten Graffin Henrich vnd Ernst unsē Ingsigile wißentlich an desin Brif gehangin, der gegeben ist da man zcaltbe noch Gotis Gebort driczenhundirt Jar, in deme Nun unt Sechzcigistin Jare an Sencte Clemens Tage.

XXXVI.

Reconciliatio Comitum de Gleichen cum Monasterio Georgenthal. propter mercatum Hohenkirchensem institutum.

1124. IN nomine S. & indiv. Trinit. Ego *ADELBERTUS* Dei gratia Mogentinus Archi- C episcopus & Apostolicæ sedis legatus. Notum facio omnibus Christi fidelibus tam posteris quam presentibus, qualiter quidam *Reginbodo Naturalis Francus* & liberis ortus natalibus pro remedio anime sue & Parentum suorum B. Vito in *Adessleve* de proprio patrimonio suo novem mansos donavit, octo in Svavahusen, & VIII *Goureslive*, hoc pacisens cum Abbate predicte Ecclesie venerabili viro *Hilino*, ut eorundem mansorum reditus D donec viveret, ad ipsum respiceret. Ipse vero in testimonium proprie possessionis annuatim super altare Sancti Viti in festo ipsius aureum bisancium persolveret. Postquam autem viam universe carnis ingressus fuerit, Ecclesia obtineret omnimodos usus prefate possessionis. Præterea in *Helbrehdesdorff* quatuor mansos addidit, duos solidos annuatim persolventes de singulis. Ita tamen ut diximus, ut post ejus obitum integre ad eandem Ecclesiam pertineat omnis eorum usus. Hujus presentis pagine testimonium sigilli nostri impressione signavimus, auctoritate Dei omnipotentis & beati Petri ac nostro, sub perpetuo anathemate interdicentes omnibus Christianis, ne quis eam (*contra*) venire impetere sive infringere presumserit, qvi vero eam manutenere fovere ac protegere studuerit, recipiat in districto supremi judicii examine premium eterne beatitudinis. Testes autem, qui supradicte donacioni interfuere, hi sunt; de *Bigowo* Abbas *Windolffus*, Advocatus Ecclesie, Marchio *Wibertus*, *Thilmarus* de *Roslau* & quam plures alii. Acta sunt hæc anno Domin. Incarnac. millesimo C. XXIIII. Indictione secunda regnante Romanorum Imperatore *Heinrico* hujus nominis III. Data per manum *Heinrici* Notarii, Gneburgensis Prepositi III. Idus Februarii.

III.

Super advocacia in Fronstedn & viginti dimidio manso ibidem.

1126. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Ego *Kunegundis* Comitissa tradidi Ecclesie sancti Viti in *Oldislebin* & ibi Deo servientibus, pro remedio anime mee & successorum meorum, predium viginti mansorum cum dimidio ad - - - - - in *Trummegestad*, & duodecimum dimidium in villa, que dicitur *Swanestorph* cum omnibus appendiciis suis in pascuis, in lingnis, in aqvis. Et *Fridericum* Ministerialem cum filiis suis, insuper advocaciam supradicti dimisi Ecclesie, qvam nemo causa propinquitatis vel ullius occasionis studio sibi vendicare presumat, preter quem Abbas ipsius loci utilem & idoneum elegerit. Quod si aliquis temerario ausu donationem istam parvipendens infringere voluerit, eterna ulcione se dampnandum non dubitet, cum Judex horum in die justi examinis advenerit. Qvi autem manutenere, fovere ac protegere studuerint, è contrario premium eterne bea-

titudinis recipiant. Isti vero donationi interfuere testes idonei, Abbas *Hildilinus*, *Otto*, *Sigefridus*, *Rudhardus*, *Rembardus*, *Liebberus*, *Christanus*, & alii quam plures. Acta sunt hec Dominice Incarnationis anno M. C. XXVI. Indictionis XIIII. regnante Romanorum Imperatore Lothario, hujus nominis tercio.

IV.

Super eadem advocatia Confirmatio.

1126. OTTO miseratione divina Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, Apostolice sedis legatus Dilectis in Christo Abbati & Conventui de *Oldeslebin*, Magunt. dioces. Salutem in Dno. Cum a nobis petitur quod justum & honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino vestris justis postulacionibus inclinati possessiones in *Schwalesdorff* & in *Vrumigensted* cum suis pertinenciis, que domui vestre nobilis mulier *Cunegundis* Comitissa pia liberalitate donavit, sicut in ipsius litteris continetur, sicut ea juste & pacifice possidetis, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate legacionis, qua fungimur, confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmacionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemplare presumpserit, indignacionem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Date Monasterii X. Kl. Decembris.

V.

Super III. mansos in Heldrungen *& in* Steden.

1128. IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Notum volumus fieri tam posteris quam presentibus, quod quidam *Bonvo* ex libera familia ortus & uxor ejus *Guta*, nomine patrimonium suum scilicet quatuor mansos in *Heldorongen*, quinque in *Stedon* cum omni utilitate, qua ipsi fruiti sunt, pro remedio anime sue & predecessorum suorum S. Vito in *Oldeslebe* non solum tradiderunt, sed etiam tempore congrue adveniente, seculo pia devocione abrenunciaverunt. Nam idem predictus vir venerabilis *Boro* habitum sancte conversationis uxore annuente accepit, que meritis & dignitate non inferior simili modo iter sanctitatis arripuit, & sub obedientia voto castitatis Deo facto fideliter servire, habitu mutato decrevit. Vnde curam anime & pro modulo nostro necessaria victus & vestibus illi impendere fideliter spospondimus & insuper pro ea pia consideratione solliciti duos mansos, ut absque injuria omnia fierent, ad supplementum concessimus. Hoc pactum ne quis presumat infringere vel infirmare, stabilitum & confirmatum est his testibus presentibus. *Cunegunda* Comitissa, *Hartmanno*, *Walthero*, *Ludolffo Liephero*, sub *Hillino* Abbate locum eo tempore regente. Acta sunt hec anno incarnacionis Dni M. C. XXVIII. Indictione VI. regnante *Luidgero* Imperatore.

Sit pax scribenti. Sit pax & percipienti
HILLINUS Abbas jussit BRUNONIS dextera scripsit.

VI.

Incorporacio Parochie Oldesleben. Monasterio ab Episcopo Maguntino facta.

1131. IN nomine Sancte & individue Trinitatis. Ego *Albertus* Dei gracia Magunt. Archiepiscopus & Apostolice sedis legatus notum facio tam futuris quam presentibus CHRISTI fidelibus, pro dilectione nobilis vidue Domine *Cunigundis* de *Bichlingen*, intervenientibus quoque plerisque fidelibus nostris, tam Clericis quam laicis, consensu quoque fratris *Henrici*, Jekeburgensis Prepositi, Parrochialem Ecclesiam, que est in *Aldesleve*, pre ceteris Parrochialibus Ecclesiis que sunt in *Archidiaconatu Jechеburgensi* quadam me libertate donasse. Videlicet, ut quociens ejus Parrochiarius Presbiter obierit, successor illius, qui investitus a loci Abbate fuerit, preter dominium altaris, quod sicut ceteri Presbiteri parrochiarii de manu Jexeburgensis Archidiaconi recipiet. Insuper in sua parrochia Archipresbiter ab eodem Archidiacono constituatur. Ita ut certis temporibus, sicut ceteri Archipresbiteri ad legitimas sinodos & capitula veniat, & in quibus justum fuerit, proprio Archidiacono obediat. Preterea hoc honoris ei concessimus, ut quociens Archidiaconi sinodus indicenda fuerit, ipse Presbyter parrochianis suis in propria parrochiali Ecclesia sinodum indicat, ibidemque ex justitia & judicio eorum culpas absque Archidiacono exigat & corrigat. Quod si idem populus proprio Presbytero per omnia obedire noluerit, Archidiaconus advocandus erit. Cui si etiam inobedientes extiterint, tunc demum eorum contumacia ad Archiepiscopum referatur, & pro modo culpe & transgressionis canonica censura corrigatur. Hujus actionis testes sunt *Henricus* Prepositus Jekeburgensis, *Godeboldus* Prepositus Frideslarienſis, *Wernerus*, Abbas Sancti Petri de *Aldesleve*. Abbas *Hillinus*, Cappellani *Werengerus*, *Rodolphus* Presbiter, *Henricus Gieselbertus*, *Fridericus*, *Mezzelinus*, Comites, *Ernestus*, *Sizzo*, *Hermannus* de *Godenesberch*, Dittmarus de *Rosslar*, Ministeriales, *Luardus*, *Rodolphus*, *Wernerus*, *Gernodus*. Facta sunt hec anno Incarnacionis Dominice M. C. XXXIII. Indictione XI. Regnante Romanorum Rege *Lothario secundo*, Anno regni ejus octavo. Data per manum *Henrici* Prepositi Jechenburgensis in *Erphorth* XII. Kl. Julii.

VII.

Privilegium Diterici *Marchionis de* Lusitz *de non alienando bona a monasterio.*

1168. IN nomine Sancte & individue Trinitatis. *Dittericus* Dei gracia Princeps universis Ecclesiarum Dei filiis salutem. Justicia exigit & utilitas rei expóscit, ut quelibet Ecclesie vestre profutura concedamus, & ne temere evacuentur à quoquam, tam districti privilegii nostri sententiâ quam materialis gladii solercià roboremus. Proin fideles omnes tam posteros quam presentes nosse volumus, *Aldeslevense Cœnobium*, quemadmodum patet, veraciter à nobilissimis Principibus Precessoribus meis fundatum & vite necessariis sufficienter procuratum: Sed quia ex longo temporum decursu tam per quorundam Prelatorum industriam, quam eorum quorundam ignaviam ab statu suo quedam minus sufficiant, expedit, ut oculo providentiæ ne deinceps elabantur, in cautelam hanc precaveamus, beneficium aliquod sive per nos, sive per Abbatem, sive per vestrum forte monasterium, mansum aut plures nulli prorsus concedatur, sigilli nostri impressione taliter confirmamus, & in perpetuum inter me & Abbatem *Aldeslevienſem* & inter quemlibet futurum michi heredem firmissimum maneat hoc pactum, inviolatum & inconcussum. Et ne quis transgressione presumptiva presumat statutum hoc infringere, testes adhibuimus *Cunradum* Abbatem loci ejusdem & *Hermannum* Priorem & Conventum omnem, & *Henricum* de *Cuseste*, *Dirthelmum* parrochitam, & *Ditthelmum* Vicarium ejus, *Fridricum* & *Henricum* de *Batkendorff* fratres. Et de ministerialibus meis quam plures. Si quis tamen quod absit, vel in modico aliter quam diximus, super his excesserit, auctoritate JESV CHRISTI & sancti Viti, in quem ulcio hec respicit, de Corpore Ecclesie eternaliter prescindatur, nisi dignissima Satisfactione presumpcionem hanc iniquam peniteat. Acta sunt hec anno Incarnacionis Dominice M.C.LXVIII. sub Indictione regnante *Friderico* Imperatore Amen.

IIX.

Gregorii *IX. Privilegium super libertatibus & bonis monasterii.*

1227. GREGORIVS Episcopus Servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monasterii *Oldeslebnn*, Ejusque fratribus tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Ea propter, dilecti in domino filii, vestris justis postulacionibus clementer annuimus, & prefatum monasterium de *Oldisleibe*, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & presentis scripti privilegio communimus, imprimis siquidem statuentes, ut Ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur, preterea quascunque possessiones, quecunque bona idem monasterium inpresenciarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largicione Regum vel Principum, oblacione fidelium, seu aliis justis modis prestante domino poteritis adipisci, firma vobis vestris successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propria duximus exprimenda vocabulis.

Possessiones.

Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinenciis suis in *Preclam*, capellam & quatuordecim mansos in *Horbessleibin*, capellam & decem mansos cum possessionibus, pratis, terris & silvis in *Gosserstetен*, capellam & viginti tres mansos in *Waltersleivenn*, capellam & sedecim mansos in *Heylstetenn*, capellam & triginta sex mansos in *Silgenstadt*, capellam & viginti quatuor mansos in *Oldesleibe*, quatuor molendina & septem mansos cum pratis possessionibus & sylvis. In *Sebnsen* quindecim mansos. In *Capplendorf* quatuor mansos. In *Rinckeleibinn* sex curias & duodecim mansos. In *Bendelebinn* decem & octo mansos. In *Hochstete* duodecim mansos. In *Wunrislebinn* decem mansos. In *Winnichstete* viginti mansos. In *Hameleinen* decem & octo mansos. In *Husen* tres mansos. In *Swanessdorpp* duodecim mansos. In *Taldorff* quadraginta mansos. In *Heibusen* quatuor mansos. In *Helvessleiven* quatuor mansos. In *Hollhusen* decem & octo mansos. In *Habfeilstetin* tres mansos. In *Moholssleiben* novem mansos. In *Helrenslemmen* quatuor mansos. In *Heldrungen* tres mansos. In *Pousfresleiven* tres mansos ac aliis possessiones cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis & pascuis, in *vosco* & plano, in aqvis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis; Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere aut extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos & absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem, fas sit sine Abbatis sui licentia de eodem loco, nisi arcioris religionis obtentu, discedere, discedentem absque communium literarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinaciones Clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a Diocesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & graciam & communio-

nionem sacro sancte Romane sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine aliqua pravitate exhibere. Prohibemus insuper, ut infra fines Parochie vestre nullus sine assensu Diocesani Episcopi, & vestro capellam seu oratorium construere audeat salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devocioni & extreme voluntati, qui se illic sepelire deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas quoque ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, que a laicis detinentur, redimendi & legitime li- A berandi libera sit vobis de nostra promissione facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet surrepcionis astucia seu violencia proponatur, nisi quem fratres communi consensu vel pars fratrum majoris & sanioris consilii secundum Deum & beati Benedicti regulam provideat eligendum. Paci quoque & tranqvillitati vestre paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus ra- B pinam seu furtum facere, ignem apponere, sangvinem profundere, hominem temere capere vel interficere, seu violenciam audeat exercere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones aufferre, vel oblatos retinere, minuere seu quibuslibet vexacionibus fatigare. Sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernacione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salva sedis Apostolice auctoritate & Diocesani Episcopi canonica justicia. Si qua igitur in futurum Eccle- C siastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere contraire temptaverit, secundo terciove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri, JESV Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte subjaceat ulcioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri JE- D SV CHRISTI, quatinus hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Datum *Laterani* per manum Magistri *Sinibaldi* auditoris literarum supradictarum In Papa XIII. XI. Maji, Indictionis XV. Incarnacionis Dominice anno M CC XXVII. Pontificatus vero Domini *Gregorii* Papæ noni anno primo.

IX.

Super Vinea prope Monasterium & quodam salicto.

Circa annum 12— IN nomine sancte & individue Trinitatis. Ego *Theodericus Alberti* Marchionis filius, in honore Dei & sancte Genetricis sue, nec non & glorioſi Martiris Viti, conlaudantibus in hac coheredibus meis, ob remedium anime mee videlicet & Parentum meorum, Ecclesie prædicti Martiris sancti Viti in *Oldeslebin*, ad sustentacionem fratrum inibi Deo militancium vineam unam nec non & salictum quoddam, in ejusdem cenobii confinio contulimus. Verum ne quis temerario ausu huic donacioni contraire ipsam in irritum ducere, pervaleret, ejus temporis Episcopi & predicti Cenobii Abbatis *Conradi* banno confirmari instituimus. Facta sunt hec idoneis testibus, presentibus Advocatis prefate Ecclesie *Reinbodone* & *Friderico*, nec non & prefecto *Meinhero*, *Herico*, *Ernesto*, & Ministerialibus meis presentibus *Friderico Wernero*, *Siffrido Henrico*, *Alverico*, *Christiano*, *Scumpo*.

X.

Privilegium Sifridi Episcopi Moguntini super usum infule Abbacialis.

SIFFRIDUS Dei gracia Maguntinensis sedis Archiepiscopus sacri Imperii per *Germaniam* Archicancellarius, dilecto in Christo filio *Theodorico* Abbati de *Oldeslebin* Maguntin: Dioces: ac ejus successoribus in perpetuum. Vniversis, quibus domus Domini valeat adornari & Prelatorum nostre sollicitudinis crescere possit honor, divino nobis favente consilio pro viribus semper intendere cupientes, ad preces tuas ac amicorum tuorum, qui Nos sedulis suis obsequiis venerantur, Tibi ac successoribus tuis in perpetuum duximus concedendum, ut secundum consuetudinem *Abbatum nostre provincie infulis munitorum* utamini infulis ad honorem Dei & Ecclesie vestre decoris augmentum, *presertim cum in decore domus sue Dominus delectetur*. Datum Maguncie anno Domini M CC XXXVIIII. XVI. Kl. Novembr. pontificatus nostri anno X. 2239

XI.

Super duobus mansis in Schillingstad, & quibusdam censibus.

IN N. S. & Indiv. Trin. *FRIDERICUS* Dei gracia Comes de *Bichlingen*, Advocatus Ecclesie *Oldeslebin* omnibus pr. pag. insp. salutem, in vero salutari. Cum etate labili gestorum temporalium deletur memoria, nisi scripto avtentico fuerint commendata. Noverint igitur tam presentes quam futuri, quod cum pro discordia que inter Abbatem *Oldesl.* & *Albertum* de *Schillingstadt*, qui dicitur *Neuziman*, intercciderat, quam plurimi probi & honesti viri convenissent, rescindenda, cum res diutius volutaretur, tandem statutis arbitris & consensu utriusque partis talis intervenit compositio, quod idem *Alb.* duos mansos, qui dicuntur *Ridesbuve* in *Schillgenstadt*, qui vulgo *Hertunde* nuncupatur, damnum illatum Ecclesie resarciens, in manus Dn. Abbatis absolute Ecclesie resignaret, pacisens se Ecclesiam nunquam de cetero gravaturum. 1245.

Verum

Verum si de reliquo ipsam aliquo contrarietatis scrupulo impetere resumpserit, & infra dies quatuordecim, id quod excessit, in irritum non revocaverit; Dns. *Albertus* de *Oderst.* & Dns. *Erkenbertus* de *Walebusen* milites pro eo fidejubentes, in manus Dni. Abbatis & Dni. *Friderici* de *Tunzenbusin* vice nostra delegati compromiserunt, se *Franckenbusen* intraturos & inde nunquam egressuros, nisi discordia renovata mediante justicia sopiatur. Testes autem, qui huic ordinacioni intererant hy sunt, quos in robor debile compositionis censuimus subscribendos Dni: ejusdem cenobii Venerabilis Abbas *Theodericus*, Dominus *Ulricus* Prior, *Otto* Custos, *Erkenbertus*, *Theodericus* plebanus ejusdem civitatis. Laici vero & milites Dns. *Fridericus* de *Tunzenbusin*, Dns. *Albertus* dictus *Slegel*, Dns. *Eckehardus* de *Canwerffe*, *Fridericus* de *Odersslebin* & filius ejus *Albertus*, *Heinricus* dictus *Picus*, *Heinricus* dictus *Liepin*, *Fridericus* de *Rothenberk*, *Albertus* dictus *Dives*, *Erkenwertus* de *Walebusen*, *Heinricus* de *Oldeslebin*, Dn: *Herwordo* de *Espinstete* & *Bertoldus* filius ejus & alii quam plures. Acta sunt hec anno Domini Incarnat. *millesimo ducentesimo quadragesimo quinto*, Indictione tercia. Ut autem talis ordinacio omnino inconvulsa permaneat, paginam presentem sigilli nostri impressione dedimus roborandam.

Obstagium.

A

B

XII.

Super Advocacia in Gossersted *empta ab illis de* Arnstete.

1248. In N. P. & F: & Sp: S. Amen. *Rudigerus* dictus Advocatus de *Arnstete* universis Christi fidelibus. – Huic facto testes idonei affuerunt *Gerwicus* dictus de *Mollensdorff* & filius suus *Gerwicus*, *Conradus* dictus *Bendel* de Erfford, *Günterus* dictus *Stiphr* de *Arnstete*, *Bruno* de *Holtzkusen*, *Teodericus* de *Docnitz*, *Gerardus* de *Gosserstete*, & filius suus Th. *Herenfridus* Scultetus & suus filius *Heinricus*, & alii quam plures. Quod factum ut maneat inviolabile & inconvulsum, presentem paginam sigilli nostri munimine roboramus. Acta sunt hec *Erffordie*. Anno Dni. MCCXLVIII.

C

XIII.

Super sex mansis cum totidem areis in Canwerff.

1252. In nomine Sancte & individue Trinitatis. *Simon* Dei gracia Prepositus, *Johannes* Decanus totusque Conventus sancte Marie in *Mimelebinn* Ord. S. Benedicti. – Acta sunt hec in *Kanwerffen* in Ecclesia B. Petri Anno Domini 1252. die Gerdrudis, presentibus *Erhardo* sacerdote de *Kanwerffen*, *Ludowico* Sacerdote ibidem, *Nicolao* Rectore Ecclesie in *superiori Heldrungin*, laicis vero *Alberto* de *Binstede*, *Kirstano Rege* & aliis quam pluribus.

D

XIV.

Super vinea Spechsperck *prope* Franckn.

1252. Illustri Principi in *Anhalt*, Comiti *Ascanie* Dominoque in *Berneborck*, Domino *Bernhardo*, *Henricus* & *Albertus* fratres dicti de *Raspenberck*, fidelitate debiti servituris. Quia venerabili viro Domino Abbati & Conventui monasterii S. Viti in *Oldeslebn* Ordinis S. Benedicti unanimi consensu vineam sitam prope oppidum *Franckenbusum* in monte, qui dicitur *Spechsbergk*, quam a vestra dominacione possedimus, justo vendicionis titulo vendidimus, unde prefatam vineam vestre dominacioni resignamus, & quia proprio sigillo caremus, presentem literam muniri petimus sigillo strenui Militis Alberti de *Harras* ac *Heinrici* de *Harras*, vestre sorori vasalli Domini *Henrici* Comitis de *Bichlingen*, quibus utimur in presenti. Et nos *Albertus* de *Harras* miles & *Henricus* de *Harras* armiger patrueles predicti recognoscimus ad petitionem predictorum *Heinrici* & *Alberti* fratrum dictorum de *Raspenberck*, sigilla nostra presentibus appendisse in testimonium omnium & singulorum premissorum. Datum & actum anno An. Dn: MCCLII. feria quarta & sexta Pasce.

XV.

Super uno manso in Canweff.

1261. Nos THEODERICUS Dei Gracia *Thuringorum* Landtgravius & Comes *Saxonie* Palatinus, notum facimus tam presentibus quam futuris, quod Dns *Albertus* de *Arnsbeck* mansum situm *Kanwerffen*, quem a nobis in feodo habuit, Ecclesie in *Melndorff* dedit in proprietatem perpetuo possidendum. Super quo presentem paginam conscribi fecimus sigilli nostri munimine roboratam. Hujus rei testes sunt *Heinricus* de *Libenstete*, *Wernherus* de *Wirchusen* & *Thimo* de *Eygerowe* & alii quam plures. Datum anno Dni. M. CC. LXI. pridie Nonas Aprilis, quinte Indictionis.

XVI.

Super alodio pascuis, libertatibusque attinentibus in Canwerff.

126. In nomine Sancte & individue Trinitatis. Amen. Nos *Henricus* Dei gracia Hersfeldensis Eccl. Abbas Universis Christi fidelibus——. Testes sunt *Erkenbertus Helwicus* Plebanus in *Breudenbach* & *Ludowicus* de *Bœmeneborch*, Sacerdotes, Milites vero *Hermannus* & *Heinricus* Burggravii, Manni Hirsfeldenses, *Conrad* dictus *Evienride*, *Erckenwertus* de *Buchenowe*, & alii quam plures cives oppidi *Hersfeldens.* Datum apud *Hersfeld* Anno Domini M. CC. LXII. V. Idus Decembris.

XVII.

Super predictum allodium litera Conventus.

1262. Universis Christi fidelibus quibus exhibitum fuit presens scriptum, Decanus, major

major Prepositus, totusque conventus Hirsfeld. Eccl. Salutem in Dno. --- a Venerabili Dno. *Theoderico* Abbate de *Oldisl.* &c. Testes sunt Magister *Erckenvvertus*, *Helvvicus* Plebanus in *Breudenbach* & Datum apud *Hersfeld* anno Domini M CC LXII. V. Jdus Decembris.

XIIX.

Super VI. mansis & totidem areis in Canwerff *emptis Consensu Comitis de* Buch.

1262. HEinricus *Comes* de *Buch*, presentis pagine inspectoribus Sal. - - - - Testes hujus rei sunt Dominus *Heinricus* de *Heldrungen*, *Albertus* de *Orderslebn*, Dns. *Dittericus* de *Tutelstete*, Dns. *Albertus* dictus *Nezemann*, Milites, Magister *Heinricus* Plebanus in *Oldisl.* Dns. L. Plebanus de *Hellere*, *Albertus* advocatus de *Saxenborck*, *Conradus* de *Trebre*, *Luterus* de *Bisa*, & alii quam plures. Datum anno Domini M CC LXII. V. Kl. Junii.

Adhuc una litera ejusdem Comitis de *Buch* super eisdem bonis per omnia concordans cum predicta, preterquam in testibus & datis. Datum anno M CC LXXII. Kl. Decembris.

XIX.

Super eisdem bonis in Canwerff.

1265. NOs BERNARDUS Dei gracia Cõmes de *Anhalt* Notum facimus ---. Datum anno Dn: M: CC LXV. VII. Kl. Marcii.

XX.

Super ligneto prope Haynrode, *quod modo dicitur* das Frauenholtz.

1266. IN nomine D. Amen. Nos *Ludowicus* Dei gracia Prepositus, *Gernochus*, Decanus, totusque Conventus in *Mimelebn* Ord. S. Benedicti notum facimus ---. Cumque postmodum Ecclesia nostra oppressa jaceret onere debitorum, de communi consensu eandem silvam una cum aliis bonis vendidimus vendicione legitima religioso viro Dn: *Kristano* Provisori Capelle S. Marie in *Mellendorff* ---. Datum apud *Mimelebin* Anno Domini M CC LXVI. VIII. Jdus Augusti.

XXI.

Super eodem ligneto.

1266. JN n: D: Amen. Nos *Theodericus* Dei gracia Abbas monasterii in *Oldisl.* de *Memelebn*, de *Franckenhusen*, de Capella de *Collede* Ecclesiarum Præpositi notum facimus ---. Testes sunt Magister *Heinricus* Plebanus de *Oldisl.* *Wernerus* Plebanus de *Butzingslebn*, *Conradus* Plebanus de *Kanvverff*, *Ludovicus* de *Arnsberg*, *Heinricus* de *Pinckeleibn*, *Heinricus* de *Collede*, laici & alii quam plures. Acta sunt hec in villa *Kanvverff* anno Dni: M CC LXVI.

XXII.

Super advocacia in Gosserstedt.

1268. NOs *Eilberus* miles, *Rudigerus* & *Albertus* fratres filii *Rudigeri* Advocati de *Arnstede*, presenti litera publice protestamur - - - - quod cum inter nos ex una & venerabilem Dominum *Christianum* Abbatem de *Oldisl.* & suum Conventum ex parte altera controversia aliquamdiu mota fuisset —. Testes hujus ordinacionis sunt *Ludowicus* de *Arnsberg* & *Heinricus* de *Rinckelebin* Milites, *Vlricus* & *Gervvicus* & *Wertoldus* fratres de *Mollestorff*, Heinricus de *Cuceleibn*, *Hartungus* de *Tupfelebin*, *Theodericus* & *Albertus* dictus *Angelus*, fratres de *Mollestorff*, & alii quam plures. Acta sunt hec *Mollestorff* anno Dni. M CC LXVIII. in die beati Gereonis martiris.

XXIII.

Super duabus Curiis prope monasterium in foro Oldisl.

1269. QUe temporis prolixitas, oblivionis - - socia ignorancie tenebris involvit, scripturarum plerumque series hec resolvit. Ideoque nos Abbas & Conventus monasterii *Oldesl.* tenore presencium ad noticiam presentium & futurorum cupimus pervenire, quod a *Hermanno* de *Vranckenhusen* comparavimus duas areas Ecclesie nostre, que sunt site ante hospitale nostrum in monte, qui dicitur *Caphalse*, & quod idem *Hermannus* eas jure feodali obtinuit a Domino nostro *BERNHARDO* Comite de *Anhalt*. Nos easdem fecimus C. & H. servis nostris porrigere nomine Ecclesie nostre per *Hermannum* memoratum. Hoc addito, ut quociescunque voluerinius personas variare, tociens concedere non negabit, quoad usque nobis procuraverimus & Eccl. nostre jure proprietatis has concedi, ipse eciam in possessione feodi permanens Ecc. nostre medio tempore fideliter conservabit, ita tamen ut nullum sibi & heredibus suis in eis de cetero jus usurpet. Ad hujusmodi rei certitudinem plenioremsigillum Dni. *Prepositi* de *Vranckenhusin* presentibus duximus appendendum: Testes eciam apponendos; D. *Theodericum* quondam Abbatem & Priorem & Magistrum H. Plebanum in *Oldesl.* B. militem dictum *Rappo*, *Lutern* de *Bisa*, *Th.* de *Rossla*, & filium suum. Acta sunt hec Anno Domini M. CC. LXIX. XV. Kl. Octobris.

XXIV.

Super molendino Gensfort.

1271. BErnardus Dei gracia Comes de *Anhalt* scripti presentis inspectoribus Salutem - - contulimus venerabili Domino *Christiano* Abbati in monasterio *Oldisl.* pro annua pensione sex maldrorum hiemalis annone &c. Testes hujus Contractus sunt Magister *Henricus* plebanus in *Oldisl.* Comes *Fr.* de *Clettenbergk* Dominus *Henningus* de *Ozstrowe*, Dominus *Theodericus* de *Alndorff*, Dominus *Walther.us* de *Vranckenhusen*, Milites, & alii quam plures

plures. Acta sunt hec anno Domini M CC LXXI. V. Id. Maji.

XXV.

Super uno manso & Curia in Strusfert.

1277. IN nomine Domini Amen. Nos *Eberherus* miles de Stusforde recognoscimus & presentibus protestamur, quod de consensu Domine *Sophie* uxoris nostre & omnium heredum nostrorum, presente & consentiente Dno nostro, Illustri Principe *ALBERTO Thuringie* Landgravio, dedimus Dno Abbati *Christiano* nomine monasterii in *Oldesl.* unum mansum proprietatis nostre situm in *Stusforde*, quem excolit *Rodolffus* de *Tunzenhusen* & aream, quam habet & inhabitat *Hermannus* cognomine *Pater*, immittentes predictum Dominum Abbatem nomine suo & monasterii in *Oldesleben*, in corporalem possessionem ipsius mansi & aree supra dicte, cum omnibus juribus pertinentibus ad eundem. Recognoscimus quoque apud nos eundem mansum cum area ipsa ab eodem Domino nostro Abbate jure accepimus feodali, prestando sibi homagium personale & suis successoribus similiter faciemus & heredes nostri facient. In hujus rei testimonium presentem literam conscribi fecimus & sigilli nostri appensione communiri. Datum *Stusforde*. Anno Domini M CC LXXVII. Kalend. Septembris.

XXVI.

Super mansum predictum Consensus Principis.

1278. NOs *ALBERTUS* Dei Gracia *Thuringorum* Landgravius, *Saxonie* Comes Palatinus, tenore presentium protestamur & notum facimus tam presentibus quam futuris has literas visuris, quod fidelis noster *Eberhardus* Miles de *Stusfurte* de nostra permissione, beneplacito & favore contulit pure propter Deum & simpliciter, alterum dimidium mansum eidem ville contiguum, qui ad ipsum proprietatis titulo pertinebat, Dno. Abbati monasterii in *Oldesl.* Ita tamen ut dictus Miles & sui heredes prenominatum mansum & dimidium recipiant in feodo a Domino Abbate superius memorato & cunctis suis successoribus sibi perpetuo successuris. In cujus facti memoriam & noticiam perpetuo valituram presentes desuper conscribi fecimus literas sigilli nostri munimine roboratus. Datum anno D. M CC LXXVIII. XII. Kl. Maji.

XXVII.

Super ligneto de Altenhayn.

1280. IN nomine Domini Amen. Nos *Johannes* Dei gracia Comes de *Anhalt* notum facimus - - quod de communi consensu & bona voluntate fratrum nostrorum *Alberti* videlicet & *Bernhardi* aliorumque heredum nostrorum vendidimus religiosis viris Dno. *Christiano* Abbati & conventui monasterii in *Old.* - - receptis ab eodem Abbate & Conventu viginti quinque marcis argenti de *Stendal* - - . Et ut hujusmodi nostra donacio & vendicio inviolabilis perseveret, presentes literas conscribi & appendiculis nostri sigilli simul & Advocati nostri in *Saxenborg* fecimus communiri. Testes hujus sunt Dominus *Heinricus* senior nobilis de *Heldrungen*, Dominus *Hermannus* de *Scakinstede*, Dominus *Tilo* de *Warmstorb*, Dominus *Heture* dictus *Cruc*, Dominus *Heinricus* de *Lodenstete*, Dominus *Tilo* de *Altindorp*, Dominus *Conradus* de *Trebre*, Dominus *Heinricus* de *Vmmerstete*, Dominus *Fridericus* de *Retmistede*, Dominus *Fridericus* dictus *Schlichtinc*, Dn. *Walterus* de *Wranckenhusn*, Milites, Dn. *Johannes* Scriptor, Dominus *Heinricus* Plebanus in *Oldislebn*, Dom. *Conradus* Plebanus in *Saxenborg*, Sacerdotes & alii quam plur. f. d. Acta sunt hec anno Incarnac. In M CC LXXX. VII. Kl. Marcii.

XXVIII.

Super Advocacia in Gosserstedt.

1281. IN nomine Dni. Amen. Nos *Eilberus* & *Albertus* filii quondam *Rudigeri* dicti Advocati de *Arnstete* recognoscimus. - - Testes sunt *Ludovicus* de *Arnesberg*, *Fridericus Crazb*, *Germicus* & *Bertoldus* de *Mollstorff*, Milites, *Christianus* de *Heldrungen*, *Heinricus* de *Talheim*, *Heinricus* de *Jecha*, laici & quam plures alii fide digni. Datum anno Domini M CC LXXXII. XII. Kl. Julii.

XXIX.

Super predicta Advocacia.

NOs *HEINRICUS* Dei gracia Comes in *Bichlingen* recognosco per presentes, quod in nostra presencia constitutus venerabilis Dominus Abbas *Oldesl.* coram nobis deposuit acerbissime conquerendo, quod Dominus *Heinricus Marscalcus* in *Gosserstete* injuriosis incursibus Ecclesiam suam quam plurimum pnrturbavit, censum eidem Ecclesie compertinentem situm in villa *Gosserstete*, violencius aufferendo, asserens se a nobis in feodo recepisse, unde sibi competere talia dinoscantur. Quapropter ad reprimendam, restringendam ac abolendam tante temeritatis audaciam, omnibus, ad quos presentes litere pervenerint, cupimus fore notum, nullam advocaciam nec cujusvis prelacionis dominium presato *Marscalco* nos contulisse: cujus pretextu ipsam Ecclesiam in censu, areis, pratis, nemoribus, ac aliis quibuscunque dicte Ecclesie compertinentibus posit vel debeat angariis quomodolibet molestare. In cujus certitudinem ad firmam fidem nostrum sigillum presentibus appensum.

XXX.

Super una Curia & IIII. areis & Capella S. Viti & antiquo bumelario.

1285. NOs BERNHARDUS Dei Gracia Comes de *Anhalt* & JOHANNES filius noſter ſenior, notum facimus univerſis & preſentibus proteſtamur, quod de communi Conſenſu heredum noſtrorum vendidimus religioſis viris Domino *Chriſtiano* Abbati & Conventui monaſterii in *Oldisl.* Curiam, quam *Luterus* de *Biſa* perſonaliter inhabitavit, cum quatuor areis eidem tunc adjacentibus & antiquo humelario ſito ante ſylvam proinde ab eodem A Abbate & Conventu XXV. marcis argenti monete de *Stemal.* - - Teſtes hujus ſunt *Tilo* de *Wdrmundeſtorff*, Dominus *Henricus* de *Lotirſtete*, *Ebrich* dictus *Cruc*, Dominus *Henricus Hochtel*, Dominus *Fridericus* de *Gletſtete*, Dominus *Waltherus* de *Vranckenhuſen*, milites. *Tilo* de *Attindorff*, *Conradus* de *Frimeſtete*, *Henricus* de *Roſenhain* & alii quam plures fide digni. Datum in *Saxenborg* anno Dn. M CC LXXXV.

XXXI.

Super uno manſo & Curia.

1288. NOs JOHANNES Dei Gracia Comes *de Anhalt*, notum facimus - - - Teſtes hujus venditionis & donacionis ſunt Dominus *Fridericus* dictus *Slichtn*, *Theodoricus* de *Altendorff*, Dominus *Wal.* de *Vranckenhuſen*, Dns. *Ulricus* dictus *Jrcus*, *Hermannus*, dictus *Knut*, milites. H. Plebanus de *Oldesl.* C. Plebanus de *Saxenborg*, H. de *Sangerhuſen*, & alii quam plures. Acta ſunt hec anno D. M CC LXXXVIII. III. Kl. Octobr.

XXXII.

Super XXti agros pratorum in Eltzleben, *& dimidio manſo in* Aroldishuſin.

1289. IN nomine Domini Amen. Nos *Fridericus*, Comes de *Bichlingen* recognoſcimus & C preſentibus proteſtamur, quod fidelis noſter *Albertus* miles dictus de *Harras* manſum unum. - - Teſtes hujus ſunt D. *Heinricus* de *Rotenborck*, D. *Eckehardus Dives*, D. *Ludowicus* de *Hemelebn*, Milites. - - Datum anno Dni. D CC LXXXIX.

Extat etiam litera ſuper jam dictis bonis in eadem forma per omnia a Comite *Heinrico* de *Bichlingen* data eodem tempore.

XXXIII.

Super uno manſo in Canwerff.

1298. NOs *Albertus* Dei Gracia Thuringie Landgravius & *Saxonie* Comes Palatinus recognoſcimus - - - Sub teſtimonio horum D quorum nomina ſubſequuntur, *Hermanni* de *Tulleſtete*, dicti *Stranz*, *Hermanni* & *Wezelonis* fratrum de *Myla*, *Gunther* de *Hatheym*, *Hermanni* Camerarius de *Vanre*, *Friderici* de *Wangebeym*, *Ottonis* de *Wechmar*, & *Matthie* curie noſtre Prothonotarii. Datum & actum *Wiſſenſee* Anuo Domini M CC LXXXIX. XVI. Kl. Decembris.

XXXIV.

Super una Curia in Romsdorff, *& uno manſo in* Oldisleben.

IN nomine Domini Amen. *Henningus* & 129
Ywanus, frater, miniſteriales de *Heinrigisberge* univerſis Chriſti fidelibus, - - Recognoſcimus & tenore preſentium lucide proteſtamur, quod venerabilis Dominus Chriſtianus Abbas Monaſterii in *Oldesl.* - - Teſtes ſunt Dominus *Hekebardus* plebanus in *Oldesl.* Dominus *Gerwicus* Plebanus in Cappellindorf, Dn. *Henricus* Cappellanus S. Marie in *Mellendorff*, Sacerdotes. Dominus *Heinricus Cnuto*, Miles, *Albertus* de *Radinſtete*, *Conemundus* de *Vanre*, Caſtellani in caſtro *Saxenborg*, & alii quam plures. Acta ſunt hec Anno M CC XC. VI. Idus Auguſti.

XXXV.

Super duobus manſis in Rinckelebinn. 1291.

IN nomine Domini Amen. Nos *Heinricus* Dei gracia Abbas, Prior totusque Conventus monaſterii in *Reinſsdorff*, omnibus ad quos preſentes litere pervenerint Salutem - - Teſtes hujus ſunt Dominus *Heidenricus* & B Dns. *Nicolaus* quondam Abbates in *Reinsdorff*, Dominus *Heinricus* Plebanus in *Oldeslebinn*, Dns. Plebanus in *Sachſenborg*, Dns. *Ludowicus* quondam Vicarius in *Gonrichslebin* Sacerdotes, *Heinricus* Plebanus in *Bretela* dictus de *Saugerhuſin* & alii quam plures fide digni. Acta ſunt hec anno D. M CC XCI. pridie Kl. Marcii.

XXXVI.

Super uno manſo in Brieſendorff.

IN nomine Domini Amen. *Otto* Dei gracia 1293.
Comes *Aſchanie*, Princeps in *Anhalt* univerſis Chriſti fidelibus - - Notum facimus univerſis - - - qvod venerabilis Dominus *Chriſtianus* Abbas Monaſterii in *Oldisl.* & Conventus ibidem unum manſum noſtre proprietatis ſitum in campo *Priſedorff* cum omnibus ſuis attinenciis a quodam noſtro Caſtellano *Rodigero* dicto de *Nußler*, & fratre ejus *Ottone* emerunt. Teſtes ydonei affuerunt Dominus *Henricus Marſchalcus*, Dominus *Walterus* de *Vranckenhuſen*, Dominus *Jrcus*, Dominus *Hermannus Cnut*, Milites. *Conemundus* de *Vanre*, *Albertus* de *Rodiſtete*, *Theodericus* de *Oldisl.* & alii quam plures fide digni. Anno Incarnacionis Domin. M CC XCIII. XIIII. Kl. Julii.

XXXVII.

Super ligneto prope Ober-Heldrungen.

IN nomine Domini Amen. Nos *Heinricus* Dei D
gracia Comes de *Bichlingen*, omnibus Chriſti fidelibus, ad quos preſentes litere pervenerint ſalutem in vero Salutari. Notum facimus univerſis tam preſ. quam futuris quod de conſenſu & bona voluntate fratris noſtri *Gunzelini* ceterorumque heredum noſtrorum, quandam ſilvam noſtre proprietatis, continentem quinquaginta agros, ſitam prope *Ober-Heldrungen*, dedimus pro ſatisfactione & emenda Domino Abbati in *Oldisl.* & ſuo Conventui titulo proprietatis perpetuo poſsidendum: promittentes nihilominus, ut ſi jam dictum Dominum & ſuam Eccleſiam in 1294.

aliquo

aliquo perturbavimus ac molestavimus, de cetero non debemus nec volumus contra justiciam qvitquam molestare; sed quantumcunque possumus defensare, & in omnibus fideliter promovere. Ut igitur nostra donacio & promissum hujusmodi qvod fecimus, firmum maneat & penitus inconvulsum, presens scriptum super eo dedimus cum appensione nostri sigilli consignatum. Huic facto testes ydonei fuerunt, quorum nomina sunt hec, Dominus *Conradus* de *Collide*, Dns. *Fridericus* de *Hemmelebin*, Domin. *Hermannus* A *Knuto*, milites, *Ludowicus* de *Vrndorff*, *Hermannus* de *Stetin*, & alii quam plures. Acta sunt hec anno Domini M. CC. XCIIII. VI. Idus Marcii.

XXXVIII.

Super uno manso ad Cappellendorff.

1297. IN nomine Domini Amen. *Heinricus* Comes de *Stolberck* universis Christi fidelibus . . . Testes hujus rei sunt Dominus Plebanus in *Voxstete*, Dominus *Vlricus Hircus*, Dominus *Hermannus* de *Geboven*, Dominus *Albertus* de *Artern*, Milites, *Ulricus Ansorus*, *Fridericus Crocht*, *Siffridus* de *Stahlberch*, Castellani in *Voxstete*, & alii quam plures fide digni. Acta sunt hec anno Domini M. CC. XCVII. XI. Kl. Junii.

XXXIX.

Super bonis quondam habitis in Vrbech & Holtzhusen.

1299. NOs *Theodericus* de *Lubeln* civis *Erfford.* & uxor nostra *Gerdrudis* cum nostris heredibus, presentibus literis protestamur, quod nos Abbati & suo Conventui bona universa in *Holtzhusen* & *Vrbeche* sita ad reemptionem dare pro quadraginta & duobus marcis puri argenti a festo Martini proxime nunc C instanti ad sex annos nos debemus absque omni impedimento. In cujus rei testimonium presentem literam damus nostris sigillis firmiter roboratam. Actum & datum Anno Domini M. CC. XCIX. feria secunda post diem S. Vlrici.

XL.

Super uno manso in Wissensee.

1299. QVem olim *Hermannus* de *Saltza* a monasterio nostro tenuit jure feodali & solvit singulis annis pro censu hereditario nobis I. solidum denariorum. Idem de *Saltza* vendidit quibusdam monialibus in *Slatheim* cum D consensu Abbatis & Conventus perpetue videlicet in litera, quam literam cum Abbatis & Conventus sigillis nos habemus, & quomodo sit cum manso ipso ignoro, & vide literam ibidem & situacionem omnium agrorum invenies annotata.

XLI.

Super ligneto Indagnis.

1299. NOs *Hermannus* Dei gracia Abbas, *Hermannus* Prior totusque Conventus monasterii in *Oldisl.* recognoscimus – ut ab impeticione quod Illustris Princeps Dominus *Otto* Comes de *Anhalt* in nos habuit super indagine. — Testes hujus rei sunt *Bertoldus* Prepositus in *Eytersberg*, *Henricus* de *Sangerhusen*, Canonicus *Jichenborg*, *Bartoldus* de *Willerstete*, Plebanus in *Rudenztorff*, *Ernestus* de *Massleibn*, *Petrus* piccariator civis *Erfford.* & plures alii fide digni. In premissorum quoque firmitatem & testimonium Nos *Hermannus* Abbas & Prior & Conventus in *Oldesleb.* prenominati nostra sigilla presentibus duximus appendenda. Et Ego *Theodericus* de *Lubelin* pro me & meis heredibus, in dicti mei promissi testimonium, has literas honorabilis viri Domini *Heinrici* Prepositi S. Augustini *Erfford.* Dni. *Ditmari* de *Buseleibn*, Militis, *Gotschalci* mei patrui, & *Hartungi* mei fororii predictorum sigillis procuravi similiter communiri. Actum & datum *Erfford.* IIII. Non. Jul. Anno Domini M. CC. XCIX.

XLII.

Super uno manso in Tuteleibn *cum area.*

1301. NOs *Albertus* Dei gracia *Thuringie* Lantgravius & Saxonie Comes Palatinus, recognoscimus in his scriptis, quod unum mansum in campis ville *Tuteleibin* situm cum area quondam ibidem in Castellata, quem & quam *Heinricus* de *Wiceleibin* quoque a nobis in feodo tenuit, & nobis libere & voluntarie resignavit, in proprium dedimus & appropriamus cum lapidibus & omnibus juribus & utilitatibus attinentibus Ecclesie fratrum in *Oldesl.* perpetuo possidendum propter Deum & ob nostre anime incrementum & salutem. Cujus appropriacionis testes sunt strenui viri & discreti *Cunradus* de *Amera* noster Protonotarius, *Hermannus* & *Heinricus* fratres Camerarii de *Vanre*, *Hermannus Goltacker* noster Marschalckus, *Wilhelmus* & *Christianus* C Notarii nostri. Actum & Datum *Erfford.* Anno Domini M. CCC. primo, 3a feria ante Pentheosten.

XLIII.

Super iiijor mansis ibidem lignis pratis & aresis attinentibus.

1302. ALbertus Dei gracia *Thuringie* Lantgravius, *Saxonieque* Comes Pallantinus, universis has literas visuris volumus fore notum, quod de bona voluntate heredum nostrorum dotavimus seu proprietatem dedimus Ecclesie *Oldesleben* quatuor mansorum sitorum in pago ville *Tuteleibn*, cum sylvis pratis & aresis sive curiis, sitis in eadem villa, que felicis memorie quondam *Heinricus* dictus de *Tuteleibin* & sui filii a nobis tenebant jure feodali. Qve etiam bona *Heinricus* de *Wyzeleibin*, *Ludovicus* & *Gotfridus* fratres dicti de *Tuteleiben* cum unanimi consensu spontanee resignaverunt. Ne igitur predicta Ecclesia ab aliquo imposterum inqvietari super eo valeat, presentes literas cum appensione nostri sigilli dedimus communitas. Acta sunt hec anno Domini M. CCC II. in crastino Apostolorum Philippi & Jacobi, presentibus strenuis viris *Th.*

de *Albenhuſen*, *Alberto* de *Donſtete*, *Th.* de *Wechmar*, *Hermanno* Cammerario de *Vaure*, *Heinrico de Utenßberck*, nec non *Wilhelmo* noſtro Notario, & aliis quam pluribus Clericis & Laicis fide dignis.

XLIV.

Super prato quodam in Canwerff.

1302. NOs *Hermannus* Advocatus in *Saxenborg*, dictus de *Sundershuſen*, *Heinricus*, *Eckehardus*, fratres de *Canwerff*, *Kunemundus* de *Vaure* omnibus — Teſtes cjus rei ſunt *Hermannus* Miles *Knut*, *Hermannus* Miles de *Appoldia*, *Ludigerus* de *Ozziler*, *Heinricus* de *Roſenbain*, *Theodoricus* de *Oderslebinn* & filii ſui, *Theoderitus* & *Heinricus* & alii quam plures Laici fide digni. Acta ſunt hec anno Domini MCCCII. III. Idus Januarii.

XLV.

Super uno manſo ibidem.

1302. NOs *Konnemundus* dictus de *Vaure* recognoſcimus — cum appenſione ſigilli noſtri & *Hermanni* dicti de *Sundershuſen*, Advocati in *Saxenborg* — ſigillo ſincere amici noſtri *Heinrici* dicti de *Kanwerffen* fecimus roborari. Hujus vero facti teſtes ſunt *Hermannus Knut* Miles, *Hermannus* dictus de *Appoldia*, *Eckehardus* dictus de *Kanwerffen*, *Heinricus* de *Roſenhain*; *Alartus* dictus *Brennern*, & alii quam plures fide digni. Acta ſunt hec anno Domini M. CCCII. VIII. Kl. Auguſti.

XLVI.

Super una carrata vini data ad Eccleſiam in Melndorff *de* Wiſſenſee *extorculari vel telario Principum annuatim.*

1302. TEſtamentum ſuum non bene diſpoſuit qui terrenis tantum teſtatur heredibus & non facit Chriſtum ſue ſubſtancie coheredem. Nos igitur *Albertus* Dei gracia *Thuringie* Lantgravius & *Saxonie* Comes Palatinus recognoſcimus, & tam preſentis quam futuri ævi Chriſti fidelibus cupimus eſſe notum, quod bona deliberacione prehabita, unam carratam vini noſtri melioris, quod in noſtris vineis *Wizenburgk*, & *Vtenbuſn* creverit, Eccleſie beate virginis in *Melndorff* appropriavimus annis ſingulis erogandam, impedimento quolibet poſtergato, ſtatuentes & pro conſtanti haberi volentes in perpetuum, quod inde premientur ſive porcientur ſacerdotes ibidem divinorum ſolennia ob honorem Dei & laudem beate virginis decantantes. — eandem carratam vini ad hoc premium ſacerdotale dederimus, legavimus & propriavimus, ex certa conſcientia Eccleſie B. Marie Virginis memorate, vallantes & roborantes ipſam propriacionem preſenti ſcripto noſtro ſigillo ſignato. Hujus rei teſtes ſunt *Hermannus Meiſo*, *Theodericus Vncus*, *Conradus* de *Someringe*, *Bruno Inquies*, *Hemeranus* de *Hayn*, Milites, noſtri Caſtellani in *Wiſſenſee*, *Wasmundus* filius *Burchardi*, *Burckardus* monetarius, *Wasmundus Stapel*, noſtri cives in *Wiſſenſee*, & alii fide digni quam plures. Actum & datum in *Worckberck* Anno Domini Milleſimo CCC. ſecundo in die beati Michaelis Archangeli.

XLVII.

Super duobus manſis in Dachebeche.

1304. NOs *Fridericus* & *Fridericus* Dei gracia nobiles in *Heldrungen*, Recognoſcimus & tenore literarum preſentium manifeſte proteſtamur, quod honorabili viro Domino *Hermanno* Abbati & ſuo Conventui in *Oldesl.* pro gravi damno, per nos & noſtros eidem Eccleſie inlato incendiis & rapinis appropriavimus, ſive proprietatem dedimus duorum manſorum ſitorum in campis ville *Dechebeche*, quos quondam felicis memorie *Eckehardus* de *Gruzin* a nobis jure tenuit feodali, qui nunc ex morte predicti *Eckehardi* & ſue uxoris ſuorumque heredum ad nos ſunt libere devoluti, ipſos vero manſos predicto Dno. Abbati & ſuo Conventui dedimus ſive appropriavimus cum omni jure & utilitate, quo ad nos videbantur racione hereditaria deveniſſe. Vt ergo preſens ſcriptum per nos & heredum noſtrorum de bona voluntate & conſenſu robur habeat, & ad certitudinem ſepe dicte appropriacionis firmiorem, noſtra ſigilla appendimus communi & benevolo conſenſu. Teſtes hujus rei ſunt ſtrenui Milites Dns. *Fridericus* de *Redingiſtete*, Dns. *Hermannus Roſt*, Dns. *Hartungus* de *Lungisbuſen*, Dominus *Hermannus* de *Appoldia*, & Dominus *Conradus* Plebanus ibidem, & alii Clerici & laici fide digni. Acta ſunt hec anno Domini M. CCC. IIIIto. in Vigilia Pentecoſtes.

XLVIII.

Erffordie *ſuper una Curia.*

1307. NOs *Hermannus* Dei gracia Abbas, *Heinricus* Prior, *Heinricus Cellarius*, totusque Conventus Monaſterii Sti Viti in *Oldislebinn* recognoſcimus tenore preſentium literarum. Quod — licet *Erneſtus* Sacerdos noſter Cappellanus in *Melindorff* & *Jutta* dicta de *Gebeſe*, ancilla ejus, moti erga nos affectu ſpeciali, unam Curiam in nova civitate ſitam noſtre ibidem curie contiguam, cujus fundus & proprietas ad Eccleſiam novi operis dinoſcitur pertinere, Nobis & Eccleſie noſtre eo jure, quo ipſi tenent jam & poſſident, donaverunt & donant, pure & ſimpliciter propter Deum nomine teſtamenti in noſtram Eccleſiam transferentes. Prefato tamen *Erneſto* nec non ancille predicte talem graciam impendimus, damus, concedimus & preſentibus indulgemus, quod hujusmodi curiam, ſi neceſſitas ingruerit, quam diu ſuperviverit, cuicunque & quomodocunque vendere poterit pro ſuo libitu voluntatis, noſtra contradictione penitus quieſcente, & in aliis uſus ſuos convertere prout eidem & competierit, & ſua utilitate magis videbitur expedire. Preſentibus eciam neceſſario duximus inſerendum, quod ſi ſepe dictus & ipſam curiam, quam diu in hac vita extiterit, non venderet in prefato & primo ſuo propoſito perſeverans, & ita decederet

priore

priore voluntate commutata. Si ipsa *Jutta* supervixerit & superstes fuerit, prefatam curiam libere sine omni nostra infestacione possidere debebit ad tempora sue vite, ipsa vero mortua premem orata curia ad nostram Ecclesiam libere transibit, nullis suis heredibus aut coheredibus penitus successuris. In premissorum ergo testimonium & certitudinem firmiorem hanc literam desuper conscriptam *Ernesto & Jutten* predictis dedimus sigillis nostris & sigillo honorabilis viri Domini *Hermanni* Official. Prepositure Ecclesie Sancte Marie *Erffurt.* fideliter consignatam. Et nos A *Hermannus* Officialis Ecclesie S. Marie predicte recognoscimus, quod ad petitionem Domini *Ernesti* Sacerdotis predicti sigillum nostre officialitatis presentibus est appensum in testimonium omnium predictorum. Testes hujus sunt Dominus *Theodericus* dictus de *Meimarsberck*, Canonicus in *Northusin*, Dominus *Ludolffus* de *Arnstete*, *Petrus* Picariator de *Gozerste*, *Ernestus* de *Maßlebin*, *Theodericus & Hermannus* dicti de *Molhussn*, cives *Erffordenses*, & alii quam plures fide digni. Datum anno Domini M CCC VII. Nonis Decembris.

XLIX. B

Super XII. agros ligneti sitos in monte, qui dicitur Haylitte.

1308. CUm ea que a modernis geruntur —. Ideo nos *Albertus de Rudenstete* recognoscimus — In hujus rei testimonium presentem literam sigillo Domini nostri *Ottonis* Comitis de *Anhalt* fecimus communiri. Datum anno Domini M. CCC. VIII. in die App. Philippi & Jacobi.

L.

Super dimidio manso & duabus Curiis in Canwerff.

NOtandum quod preſcripta bona Dux *Georgius* noluit admittere devenire ad monaſterium eo quod bona eſſent militaria, & prius ſub ſervicio ſuo ad *Sachſenborg* deſerviſſent, niſi Comes promitteret tale ſervicium de eisdem bonis faciendum. Et fuit longa concertacio inter monaſterium & Comitem Bichlingenſem, multusque labor hinc inde habitus. Tandem Princeps conceptum litere miſit Comiti, conſentiendo, ſi talem conceptum acceptare vellet, & ſigillata litera perficere atque ad caſtrum *Saxenborg* tradere, & tunc Princeps vellet monaſterium noſtrum a tali ſervitio eximere & quietare, & ſervitium ipſum apud predictum Comitem in antea exſpectare & poſtulare, quod & factum eſt.

CXCI.

Litera Comitis Bichlinginn *data Principi* Georgio *ſuper ſervicio militari de eisdem bonis predictis ſolvendo.*

Wir

1508. WIr Adam *Grave und Herr zu* Bichlingenn *bekennen vor uns, alle unser Erben, als wir* Georg *von* Harras *seyne Güter in* Döringen, *der etliche im Ampt* Sachsenborge *gelegen, erblich abkaufft, der eins Theils in rechten Erbkauff an das Closter* Oldeslebn *gelangen laßen, und nachdem die dem Durchleuchtigen Hochgebohrnen Fürsten und Herren, Herrn* Georgen, *Hertzog zu* Sachsen *&c. unsern gnädigen Herrn mit Dinsten, Volgen, über Bethe und Stewer* aus Uberkeyt *in berürtem Ampte gelegen unterworffen, und zu Ubung also herkommen, geredn und gelobin vor uns, alle unser Erben, in und mit Krafft dieses Brieves, von angezeigten Gütern, dem Closter vorkaufft in samt den wir noch under uns haben, Seiner Fürstl. Gn. Erben allen Dinst, samt aller Pflicht, so offt und dicke das noth und erfordert werden, one Weygerung ins Ampt zu thun, und zu pflegen, nach Vormogligkeit der Güter, Inmaßen an der Erbar. Manschafft der Pflege und bey den von* Harras *und andern vorigen Besitzern, der Güter geschehen ist, dieweyll solche Güter bey dem Closter opgemelt unvorwandelt sein. Des zu stether Haldung und Urkunde haben wir obgenantter Insigil vor uns, unser Erben und Erbnemen wißentlich an diesen offen Brieff thun hengen, der geben ist nach Christi unsers libn Herrn Geburdt* Tausent, funffhundert *und im* achten Jar, *am achten Tage der Heilligen drey Könige.*

CXCII.

Super decem mansis emptis a Comitibus predictis redemcionaliter jacentibus in flore Gorsslebinn *pro mille florenis.*

1508. WIr Adam *und* Friedrich *Graven und Herren zu* Bichlingen, *Thumbern zu* Kölen *bekennen* Anno 1508. *Montags nach* Misericord. Domini.

Iste Contractus est rescissus Anno Domini XV C XIX. die divisionis Apostolorum sub Domino *Melchiore* Abbate, per *Hanssonem de Werther* Militem, ex parte Comitis Bichlingensis.

CXCIV.

Super litera Comitis Bichlinginn *Consensus Principum & Quittancia de Servicio memorato.*

1509. VOn Gottes Gnaden Wir Georg *Hertzog zu* Sachsen, *Römischer Keyserlicher Majestät und des heiligen Reichs Erblicher Gubernator in* Freslandes, *Landt Grave in Döringen und Marggrave zu* Meyssen, *Bekennen vor uns, Unser Erben und Nachkommen an diesem unserm Brieffe, vor uns menniglichen, nachdem der Edele Wolgeborn unser lieber Getrayer Her* Adam *Grave und Her zu* Bichlingen, Georgen *von* Harras *seine Güter im Lande zu* Doringen, *der etliche in unserm Ampte* Sachsenborg *gelegen, erblich abgekaufft, welcher denn eins theils im rechten Erbkauff an das Closter zu* Oldenslewben *gelangt, und so uns dann dieselben Güter mit Dinsten, Folge, Uberbete und Stewer uß Obrikeyt unterworffen, und also in Ubung herkömmen; Sagen wir den itzigen und zukünfftigen Apt und Convent bemelts Closters derselbin Dinste Volge, Uberbete, und Stewer, wie angezeigt, von berurten Gütern in gemelt Ampt gehörig, gantz fryhe und ledig, wollen hinfurt derselben, wie gemelt, von gedachtem Grave* Adam, *seinen Erben und Nachkommen, also gewertig sein, wie dann solchs sein Vorschreibung uns derhalben übergeben weyter ußweyst. Begeren demnach von allen und iglichen itzigen und zukunfftigen insern Amptluten zu* Sachsenburg, *den itzigen oder zukünfftigen Epte sambt des Closters Convent umb solche Dinst-Volge, Oberbete und Steuer, von wegen bestimpter Güter unbeswered und unangelangt zu laßen, Sundern derselben bey gemelter Grafschafft solche von In; daran geschiedt unser gentzlich Meynung. Zu Urkundt mit unserm zuruck aufgedruckten Secret versiegelt. Geben zu* Liptczick, *am Sonnabend der heiligen Dreyer Könige Tage Anno &c. nono.*

CXCIV.

Dissensus inter monasterium Oldisl. & Erfurdenses *de Advocacia in* Elxlebn *ac bonis.*

Anno Domini milleſimo qvingenteſimo octavo *Dn.* Johannes *Abbas in Reformacione secundus, hadt die Voytbie zu* Elxlebin *in Anſpruch gehabt, und die Hertzog* Georgn *erlangt, das Ern* Hans *von* Wirtter *Ritter und* Herman *von* Pogk *zur* Sacsenburg *Amptmann Commissarii gegebn eyn Tag zu* Collede *gehalten, in dieser Sach ist von der* Erffordt *wegn erschinen, Doctor* Henningus, Johannes Schuler, *und* Reinbote *Consules, und haben sich berufft auff ein vorsigilt n Kauff-Brieff mit Abrie und Convents Sigil zu* Oldesl. *auch bewilligt, der Herr von* Oldesslebn *soll, wenns im gefallig, gen* Erffordt *erschynen, wollen sie verlegn.* Eodem anno *ist dictus Abbas cum* Hermanno *de* Pogk *supradicto in Capitolio ibidem erschinnen, haben sie nicht können furlegn noch erbiten, allein gesprochen, wenn man XX. Jar darumb teydingk, dennoch wolten sie den Brieff nicht furlegen.* Et sic adhuc stat.

CXCV.

Super III. mansis emptis ab Hermanno *de* Pogk *redemcionaliter, jacent in flore* Oldeslebenn.

1518. JCh Herman *von* Pogk *die Zeit Amptman zu* Sangerhausen, Sachsenburg *und* Weissensee - *Bekenne daß ich - mit Gunst und Zulaßung des Durchleuchtigen Hochgebornen Fürsten und Herrn Herrn* Georgen, *Hertzog zu Sachsen - M. gn. H. dem Erwirdigen in Gott Herren* Melcher, *Abt, Herrn* Johannes Hatstadt *Prior, Ern* Gangolffus *Scheffener, Ern* Eberhardus *Cantor und der gantzen Sammunge S. Veyti Cl. Ben. Ord. zu* Oldesl. *3. Huffen freyes arthafftiges Landes - wiederkäufflich verkaufft* - Anno 1518. *am Freytage nach unser lieben Frauen Lichtmesse.*

CXCVI.

WIr Georg *von Gottes Gnaden Hertzog zu Sachsen, Landgraff in Döringen und Marggraff zu Meißen* - Anno 1518. *Mitwoche nach unser Frauen Lichtmesse.*

CXCVII.

1519. JCh Hermann *von* Pogk, *dye Zeit Amptmann zu* Sangerhausen *und* Sachsenburgk - Anno 1519. *Sontag* Esto mihi.

X.

DIPLOMATA CAPELLENDORFENSIA CLXXXVIII.

E QVIBVS

TVM ALIA MVLTA, TVM IMPRIMIS GENEALOGIÆ BVRGGRAVIORVM KIRCHBERGENSIVM EGREGIE ILLUSTRARI POSSVNT.

E

CASPARIS SAGITTARII

CODICE MS. INEDITO,

IN

BIBLIOTHECA LYSERIANA

HELMSTADII EXSTANTE.

I.

Theodericus Senior Burggravius ejusque uxor profitentur, quibus bonis monasterium Capelndorf initio fuerit dotatum.

THeodericus Dei gratia Burggravius senior, & Domina *Sophia* uxor ejus omnibus hanc paginam inspecturis salutem in vero salutari Christo Jesu. Licet possessiones agrorum, vinearum, arearum & aliorum bonorum literis nostris, & sigilli nostri munimine sufficienter sint firmatæ, videlicet dotis Ecclesiæ in *Cappellendorf*: tamen satisfacere volentes petitioni conventus ejusdem loci, propter - - quosdam, qui nostris donationibus detraxerunt, notum esse volumus universis hujus literæ inspectoribus, quæ, vel quantæ sint possessiones jam tactæ, quas ipsi contulimus, ut distincte legant & intelligant illas. Hæc sunt enim. *Henricus* de *Gornewiz* quatuor mansos contulit. *Heidenricus* quatuor mansos. Domina *Geba* in Toubeche IV. mansos. In *Universtete* III. mansos cum quatuor areis. In *Sulzbeche* II. mansos. In *Swabehusen* XL. jugera lignorum, & aream, infimæ villæ sitam. Parochiam cum VII. mansis. Et Capellas cum suis decimis. Ortum & Curiam ad altare beatæ Virginis. Cum reliquis areis sitis in *Capelendorf* & in *Husdorf*. Et decimam super allodium in *Capelndorf*. Et vineam juxta Claustrum. Et vineam fratris *Kirstani* cum aliis vineis sitis juxta *Clochwitz*. Cum decimis montis, qui vocatur *Gemeke*, de omnibus vineis, in eo plantatis, & adhuc plantandis, cum aliis decimis aliarum vinearum alibi subscriptarum. Quas donationes contra futuras instantias sigilli nostri munimine roboramus.

II.

Sanctuaria in Capelndorf, quæ Domini Burggravii apportaverunt, qui erant fundatores nostri cœnobii.

PRimo. Duæ cristallæ, in quibus latent particulæ de S. Cyriaco Martyre. De S. Bernhardo Confessore, de S. Petronella filia sancti Petri Apostoli, de S. Laurencio martyre; de S. Apollinari martyre. *Secundo.* Quatuor cistæ, in quibus continentur subsequentes. Sanctorum Maurorum Martyrum. De S. Dorothea Virgine. De S. Katharina Virgine. De S. Sigismundo Rege. De S. Lamperto. De Undecim millium virginum. De S. Augustino. De S. Justino martire & Confessore. De S. Basilide, & Crisantio martyre. De S. Sixto Papa. De Innocentibus. De Baculo S. Gothardi Confessoris. De S. Mauricio. De Oleo S. Nicolai. De S. Catharina Olenm. De S. Johanne Baptista. Item reliquiæ LXIIII. frusta. *Tertio.* Quoddam vas in quo latet unum caput sanctum de XI. mille virginibus, in quo sunt positæ quadraginta quinque frusta reliquiarum. *Quarto* Unum speculum, in quo sunt reliquiæ. Primo de sancta Margareta. De S. Barbara virgine. De S. Martha hospita Christi. De S. Petro & Paulo Apostolis. De S. Christophoro martyre. De S. Benedicto. De S. Maria Magdalena. De S. Anna. De S. Affra. *Quinto.* Duæ cruces, in quibus latent reliquiæ. Primo de ligno vitæ. De Columna Christi. De Sepulchri lapide. De Veste Mariæ Virginis. De S. Bartholomeo Apostolo. De S. Valentino.

III.

Burggravii Theodericus Senior & Theodericus Junior monasterium Capelndorf plenæ ac perpetuæ donant libertati.

IN nomine Domini Amen. Nos *Theodericus* senior, & *Theodericus* junior, Burggravii dicti de *Kirchbergk*, tenore præsentium recognoscimus, publice protestando, ac omnibus Christi fidelibus præsentem literam inspecturis, cupimus esse notum, quòd nos de consensu, & permissione hæredum nostrorum, fundum, in quo situm est claustrum *Cappellendorf* Sanctimonialium ordinis Cystertiensis, quod nos pro remedio animarum nostrarum, cum Ecclesiis & Cappellis, in * *Kotzlou*, *Golstete*, *Franckendorff*, & in *Ramstete*, fundavimus instaurando, liberum dimisimus, & cum omnibus suis attinentiis ac aliis bonis, perpetuæ donavimus libertati. Ita quod nec præpositus

1203.

* Rotschau.

positus, qui pro tempore ibi fuerit, nec Dominæ ibidem Domino servientes, nec ipsarum coloni nobis sint in aliquo usufructu ac servitio obligati, præterquam in continuatione Orationum suarum, & aliarum spiritualium actionum. Testes hujus, frater *Heinricus* de *Wida*, Prior Erfordensis. Et frater *Petrus* ordinis Prædicatorum. *Fredericus* Præpositus in *Hüsdorf*. *Gerhardus* Præpositus in *Wymar*. *Conradus* Præpositus in *Wymar*, *Conradus* Præpositus ibidem in *Capelndorff*. *Henricus* Plebanus in *Rosla*. *Conradus* Plebanus in *Wymar*, & alii quam plures. Acta sunt hæc in *Cappelndorf*, anno Domini M CCIII. In vigilia beati Jacobi.

IV.

Sigfridus AEp. Mog. cognitionem de Cœnobii Capelndorf fundatione committit Præpositis Jchlersbusano & Hausdorfensi.

S. Dei gratia S. Maguntinensis sedis Archiepiscopus, dilectis in Christo de *Jchtersbusen*, & de *Hüssdorf* Præpositis, S. in Domino. Cum dilectus noster Burggravius de *Kirchbergk*, sicut nobis humiliter intimavit, de Parochia in *Cappelndorf*, clausstrum sanctimonialium Cystertiensis ordinis plantare proponat, pro suorum remedio peccatorum, nos justis ipsius precibus annuentes, & pium ejus propositum favorabiliter prosequi cupientes, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus ad locum ipsum personaliter accedentes, si dictus Burggravius monasterium ipsum de certis reditibus sic dotare voluit, quod Dominæ famulantes ibidem, congrue valeant sustentari, vos auctoritate nostra postulata concedatis eidem, sine juris præjudicio alicui, Nostro, Diœcesani & Archidiaconi loci, ac matris Ecclesiæ in omnibus jure salvo. Volumus nihilominus & concedimus, ut quæcunque Sanctimoniales nostræ diœcesis, initiationis regulæ in prædicto loco sub regula Cystertiensis ordinis, Domino decreverunt militare, illuc se transferendi eis copia non denegetur. Datum *Maguntiæ* XI. Cal. Septembris, Pontificatus nostri Anno quinto. 1120.

V.

Abbas Fuldensis consentit certis conditionibus in fundationem Monasterii Capelndorf.

I. Dei gratia Fuldensis Ecclesiæ Abbas. Omnibus tam præsentibus, quam posteris hoc scriptum inspecturis salutem in auctore salutis. Ne gestarum rerum memoria evanescat, & processu temporis depereat, decretorum providentia per literas solet æternari. Ad noticiam ergo omnium vestrum cupimus pervenire, quod veniens ad nos *Theodericus* Burggravius de *Kirchberg* petivit instantissime, ut in faciendo Sanctimonialium conventu de Parochia in *Capellendorf*, quam ab Ecclesia Fuldensi cum attinentibus redditibus possedit in feodo, sibi consentire vellemus, voluntarie admittentes, ut ipse Burggravius bona Fuldensia jam dictæ Parochiæ attinentia, conferat ad ejusdem conventus redditus ampliandos. Nos ergo communicato fratrum nostrorum consilio, petitionem sæpe dicti Burggravii in hunc modum admisimus, ut idem conventus, si negotium processum habuerit, in omni jure suo, sive in Præpositi sive in Abbatissæ electione, aut aliis quibuslibet, ad Ecclesiam Fuldensem respiciat, eidem se totaliter submittendam. Indulsimus etiam, ut nominatus conventus, bonis Fuldensibus per quoscunque sibi collatis, sicut expedire videtur, de pleno consensu nostro valeat ampliari, Advocacia in bonis conventus ejusdem, præmemorato Burggravio irregulariter reservata. Ut autem præsens ordinatio stabilis permaneat & inconvulsa, ipsam subscriptam sigilli nostri dignum duximus appensione firmari. Testes sunt hii: *Herwicus* Decanus majoris Ecclesiæ Fuldensis, *Herlachus* Præpositus de *Holtzkirchen*, *Herlachus* Præpositus S. Mariæ, *Theodericus* Præpositus in *Abenheim*. *Burchardus* Pincerna. *Ludewicus* de *Wanghebem*. *Tragebodo* de domo lapidea. *Heinricus* Dapifer. *Otto* de *Malcor* Milites. *Conradus* de *Buchebes*. *Reinhardus* de *Malkor*, *Cunradus* de *Amerabe*, *Cunradus* de *Eberstein*, *Albertus* de *Wirelabes*, & alii quam plures. Acta sunt hæc Anno Domini M CCXXXV. Indictione VII. 1235.

VI.

Engelhardus Episcopus Numburg. donat monasterio omnes decimas vinearum in monte Janzig.

ENgelhardus miseratione divina Episcopus Numburgensis, universis Christi fidelibus S. in Dei filio, domino nostro Jesu Christo. Quoniam (ut ait Apostolus) omnes stabimus ante Tribunal Christi Jesu, reddituri rationem, quæ in vita gessimus, sive bonum, sive malum fuerit, oportet nos diem extremum operibus misericordiæ prævenire, & talia seminare in terris, quod cum multiplicato fructu colligere valeamus in cœlis, firmam spem certamque tenentes, quod qui parce seminant, & parce metent vitam æternam. Cujus consideratione permoti, cupientes nobis facere amicos de mammone iniquitatis, qui post hujus mortalitatis defectum nos recipiant in æterna tabernacula, cum electis in parte dextra collocatis, ad honorem omnipotentis Dei, suæque genetricis perpetuæ matris Mariæ, omnem decimam, quæ in vineis nobis a tempore *Theoderici* Burggravii de *Kirchberg* clare memoriæ senioris in monte, qui *Janzig* appellatur, competebat: vel in plantatis suo tempore vineis competere videbatur, cum illis, quæ adhuc in eodem monte perpetualiter sunt plantandæ, novellæ plantationum in *Cappelndorff* Maguntinensis Diœcesis religiosarum fœminarum sub ordine Cystertiensi Domino famulantium titulo proprietatis libere concedimus & donamus, recipientes nihilominus eandem novellam plantationem cum suis possessionibus habitis, & habendis, sub protectionem omnipotentis Dei, & Sanctorum ejus, ac nostram. Interdicendo universis, ne quis eam in suis viribus tenere audeat 1237.

deat molestari. Quod qui fecerit, indignationem Dei omnipotentis incidat & incurrat. Et si pœnitens non satisfecerit, condigne cum damnatis vel damnandis extremæ subjaceat ultioni. Datum *Cicæ*, anno gratiæ M CC XXXVII. tertio Cal. Februarii, Indictione octava, sedis nostræ anno 31. Testes hujus rei sunt *Reinhardus* de *Kranichfeld*, *Cuno* de *Brisenitz*, *Arnoldus* de *Tzimene*, *Hermannus* de *Rode*, *Simon* de *Salse*, & alii quam plures.

VII.

Theodericus Burggravius confert monasterio Capelndorf duos mansos in Aspa.

1216. THeodericus Dei gratia, Burggravius, dictus de *Kirchbergk*, omnibus hujus paginæ inspectoribus salutem in Domino. Noverint universi tam præsentis, quam futuri temporis fideles istius cedulæ inspectores, quod duos mansos sitos in *Aspa*, contra Dominum *Ludewicum* militem, dictum de *Husen*, situm in *Summeringen*, pro viginti marcis emimus, & emptos *Simoni* & *Ernesto* militibus & *Conrado* de *Lœbenitz*, & *Thimonis*, & *Alberto* de *Cappelndorf*, civibus eosdem concedi fecimus, ad conservationem ecclesiæ in *Cappelndorf*, cui ipsos contulimus, tam diu, quousque jam dictus Miles Dominus *Ludewicus* in proprietatem redigeret mansos superius memoratos. Et ne super venditione, & emptione ista lis vel calumnia a posteris suboriri queat, præsens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Testes hujus rei sunt *Hermannus Schenckel*, *Bernhardus* de *Crutheim*, *Bodo* de *Wigendorp*, *Godescalcus* de *Sultzbeche*, milites. Et frater *Rudolfus* de *Porta*, & alii quam plures. Acta sunt hæc Anno incarnationis Dominicæ M CC XVI. Indictione vero XIIII.

VIII.

Theodericus Burggr. donat monasterio tres mansos & dimidium in Tobeche cum colonis.

1256. NEgestarum rerum memoria processu temporis evanescat, discretorum virorum providentia solet eas quodammodo per literas æternare. Cognoscat itaque præsens ætas, ac sciat futura, quod ego *Theodoricus* Burggravius de *Kirchberg* & filius meus senior, ob reverentiam gloriosæ virginis Mariæ, & pro salute animæ meæ, uxoris meæ, ac liberorum meorum, nec non pro remedio patris mei, & matris meæ, ac omnium parentum meorum, dedimus dominabus in *Cappellendorf* tres mansos & dimidium liberæ proprietatis, sitos in *Tobeche*, & rusticos etiam ad ipsos mansos pertinentes manumisimus, & cum bonis prædictis Dominabus liberos a nobis assignavimus. Insuper & alios tres rusticos de villa *Unverstete*, *Fridericum Rolle*, & *Heinricum* patrem suum, & alium *Heinricum* ejusdem villæ, assignando eos jam dictis Dominabus, manumisimus & liberos omnes esse, tam illos, quam istos, nostro dominio deinceps tenore præsentium publice profitemur: nomina vero rusticorum manumissorum in *Thobeche* ista sunt: *Henricus Wrowin*, *Albertus Longus*, & sui filii, *Conradus*, *Henricus* filius *Berchte* viduæ. Hæc autem omnia, hac conditione acta sunt, ut in die animarum cum vigiliis & missa memoria fiat omnium prædictorum; tam vivorum quam mortuorum, pro quorum ista oblata sunt salute, & aliqua pietantia in piscibus & vino singulis annis, Dominabus prædicta die fiat, & largior elemosina pauperibus advenientibus, secundum discretionem provisoris Præpositi tribuatur. Testes vero hujus donationis isti sunt: Frater *Theodericus* de *Scherwist*, Lector Fratrum Prædicatorum in *Erfordi*. Et Frater *Gotschalcus*, ejusdem ordinis dictus de *Crozzene*. *Albertus* Plebanus de *Prisenz*, Maroldus Miles de *Bercha*, *Simon* Miles de *Capellendorf*, *Otto* miles de *Swezen*, *Theodericus* miles, villicus de *Cappellendorf*, *Helwicus* mercator ejusdem loci, & alii quam plures.

IX.

Henricus de Weida Prior Erffurtensis possessiones dividit monialibus intra & extra claustrum Capelndorf versantibus.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Quia testimonia literarum res gestas certissime repræsentant & lites extingvunt de facili succrescentes: Nos Frater *Heinricus* de *Wyda*, Prior Fratrum Prædicatorum domus Erfordiensis, ac Decanus Ecclesiæ S. Mariæ, universis præsentem literam inspecturis, cupimus esse notum, quod Venerabilis Pater, ac Dominus noster Archiepiscopus Maguntinus, nobis injunxit suis literis, & præcepit, quod deformitatem clausuri in *Cappelndorf* in meliorem statum reducere, tota qua possumus industria curaremus. Et quia certo certius nobis constitit, quod novem moniales, quæ erant intra Clausturum *Cappelndorf*, & quindecim, quæ extra clausturum fuerunt, non poterant commanere sibi salubriter & decenter: & quod extrinsecæ fuerint per Dei gratiam assecutæ locum, in quo oportune recipere se valebant, possessiones, quas habebant communiter; quanto convenientius secundum statum negotii poteramus; inter eas duximus dividendas. Habita ergo discussione & consilio cum Domino G. de *Uchtheisbusen* Præpositō, fratre *Heinrico* de *Zwezen*, & Domino H. Archipresbytero de *Trebre*, qui nobis ab amicis utriusque partis adjuncti fuerunt, ad divisionem omnium possessionum faciendam. Sex mansos sitos apud *Diterstete*, tres mansos & dimidium situm apud *Toubechе*, quatuor mansos sitos apud *Hergrimistete*, unum mansum situm apud *Kaninwersen*, duos mansos sitos apud *Arminstete*, unum mansum situm apud *Wickerstete*, dimidium mansum situm apud *Vlorstete*, duos mansos sitos apud *Cappilndorf*, traditos cum domina de *Husen* omnibus Monialibus exterioribus nomine suæ portionis assignavimus & remanentibus *Capellindorf* alia bona Ecclesiæ universa. Et adjecimus istum modum, quod si moniales de *Capilndorf* bona in *Toubeche* infra sex

annos

annos voluerint comparare, quod pro triginta marcis argenti debeant eis vendi conjunctim exsolvendis, & quod idem fieri deberet de bonis in *Hergrimstete* pro viginti quinque marcis conjunctim similiter exsolvendis. Item quæcunque bona in *Ditterstete* vendere voluerint, quod ea eisdem Dominabus de *Cappellindorf*, si ipsa volunt emere, vendant pro LX. marcis argenti. Si noluerint, quod ea vendant Domino Burggravio, pro tanta conjunctim similiter exsolvenda. Hac divisione bonorum facta, Moniales in *Capilndorf*, removentes, de nostro mandato renuntiaverunt omni juri & actioni, quæ in bonis deputatis Monialibus exterioribus eis posset competere quoquomodo, & illa bona exterioribus voluntarie tradiderunt. Mandavimus etiam eisdem, ut cum primo reciperent se in claustro, similiter cederent omni juri, quod competere posset eis in bonis deputatis Monialibus remanentibus in *Cappilndorf*, & quod super hac cessione darent eis publicum instrumentum. Huic autem divisioni & ordinationi nostræ *nobilis vir. Dominus Burggravius* de *Kirchberg*, uxor ejus, & eorum filius senior, pro se, & pro aliis heredibus consensum hylarem præbuerunt & fide interposita promiserunt ordinacioni præscriptæ in nullo penitus contraire. Idem & fecerunt consanguinei Monialium, quæ sunt foris. Hujus etiam ordinationis consiliarii & testes sunt: frater *Ludolphus*, Sub-Prior, frater *Heinricus* de *Franckinhusen*, ordinis prædicatorum Domus *Erfordiæ*, frater *Heinricus* Lector, frater *Wernherus* de *Nortbusen* ordinis minorum fratrum, domus *Erfordiæ*. Alii testes sunt *Ortwinus* & *Albertus* fratres, milites, & *Albertus* de *Gutenhusen*. *Frinfridus* miles de *Ramstete*, *Meinhardus* miles de *Testin*, & alii quam plures. In hujus rei notitiam pleniorem, hanc literam sigillis nostris munimine fecimus sigillari, & præterea sigillis domini Burggravii præscripti, venerabilis Domini L. Præpositi, & Capituli S. Mariæ in *Erfordia*, & ipsius Conventus in *Cappelndorf*. Acta sunt hæc in *Cappilndorf*, Anno M CC LVI. in die S. Severi.

X.

Theodericus Senior Burggr. confirmat exemptionem bonorum monasterii, simulque mansos, census, vineas &c. enumerat.

1259. IN nomine Domini Amen. Nos *Theodericus* Senior & *Theodericus* Junior Burggravii, dicti de *Kirchbergk*, tenore præsentium recognoscimus publice protestando, ac omnibus Christi fidelibus præsentem literam inspecturis cupimus esse notum, quod nos de consensu, & permissione heredum nostrorum, fundum, in quo situm est claustrum *Cappelendorf*, sanctimonialium ordinis Cystertiensis, quod nos pro remedio animarum nostrarum, cum Ecclesiis & Capellis in *Rotzkou*, *Holstete*, *Franckendorf* & in *Ramstete* fundavimus, instaurando liberum dimisimus, & cum omnibus suis attinentiis ac aliis bonis perpetuæ donavimus libertati. Ita quod nec Præpositus, qui pro tempore ibi fuerit, nec Dominæ ibidem Domino servientes, nec ipsarum Coloni nobis sint in aliquo usufructu, ac servitio obligati, præterquam in continuatione orationum suarum, & aliarum spiritualium actionum. Testes hujus sunt frater *Heinricus* de *Wida*, Prior Erfordensis, & frater *Petrus*, ordinis Prædicatorum, *Fridericus* Præpositus in *Husdorf*, *Gerhardus* Præpositus in *Wymar*, *Conradus* Præpositus ibidem in *Capelndorf*, *Heinricus* Plebanus in *Rossla*, *Conradus* Plebanus in *Wymar*, & alii quam plures. Acta sunt hæc in *Cappelndorf*, Anno Domini M CC III. in vigilia beati Jacobi.

Hæc sunt bona proprietatis quæ contulimus Ecclesiæ in *Cappelndorf* memoratæ.

Tres mansos & dimidium in *Toubeche*. Duos mansos in *Umpherstete*. Qvatuor in *Husdorf*. Alterum dimidium in *Sulzbeche*. Quatuor mansos & unam aream in *Hergrimstete*, dimidium in *Ramstete*, qvem habet *Hermannus*. Qvatuor mansos *Heinrici* de *Gornewitz*, sitos in *Cappelndorf*, unum mansum *Diterici* de *Aspa*. Sex mansos in Parochia. Item alterum mansum situm in *Hergrimstete* etiam ad Parochiam pertinentem. XXIIII. Maldra frumenti, ordei & avenæ. Cum capellis in *Cotzowe*, *Halstete*, & *Wanckendorf*. Item unam vineam in *Closchwitz* Parochiæ attinentem, & duas alias illi vicinas. Hæ sunt vineæ, de qvibus procuravimus jam dictæ Ecclesiæ in *Cappelndorf* decimas singulis annis dari. De vinea *Huneners*, in monte qui vocatur *Irseberg*. De vinea *Christiani* in *Closchwitz*. *Bulcri*. *Bicharii*. *Albi* pistoris. Filiorum *Nitardi*. *Ludolphi* de *Kotzebode*. *Heiderici* de *Otindorf*. *Hermanni Schennil*. *Hugonis* de *Cigenhain*. *Guntheri* de *Clochwitz*. *Henrici Weichelere*. *Heinrici Tutere*. *Marewardi Fabri*.

De vineis illorum, qui vocantur die *Liste*. *Heinrici* de *Ogawe*. *Simonis*. *Heidenrici* de *Vrankindorf*. *Reichardi* de *Schortowe*. *Conradi Bezil*. Dapiferi de *Lobdeburc*. Filiastris *Herbordi Scutzedarm*. *Meinhard* de *Sachsenhusen*. Filiorum *Lutoldi* in *Arnsbnle*. *Arnoldi Wolkinbold*. *Heinrici Ubelwazzer*. *Friderici Denbardi*, item *Herbordonis*, item de vineis istis sitis in monte, qui dicitur *Jentzike*. De Vinea *Hermanni* in *Rode*. *Meinhardi* de *Wachowe*, quam habet de eo *Walterus Franco*. *Conradus Rufus*, & *Heinricus Glavies*. *Guntheri* de *Buziz*. *Heinrici Longi*. *Martini de Buziz*. *Ditmari* de *Buziz*. *Walcheri Franconis* de *Novali*. *Maroldi* de *Wizenvels*. *Martini Pistoris*. Filiorum molendinarii in molendino. *Heinrici* de *Mowe*. *Bertoldi de Kondiz*. *Conradi Ezelonis*. *Hartmanni* de *Buziz*.

Verum quia res gestæ propter brevem vitam hominum & oblivionem odiosam, de facili a memoria hominum elabuntur, providum est & cautum, eas literarum testimonio perhennare, ut sic futura litigia, quæ cupiditas, mater litium, materia jurgiorum, investanter generat, caveantur. Quapropter in

hujus facti notitiam & certitudinem ampliorem, præsens littera est conscripta, & uno sigillo Burggravii quo ambo utuntur, fideliter roborata. Anno 1259.

XI.

Civitati Erfurtensi Cappelndorfium in feudum confirmatur a Carolo IV.

1352. WIr Carl *von Gottes Gnaden, Römischer König &c.* Nota in hæc verba: *Vindsintemahl das Capelndorf vor Alter ein eigen Hauß gewesen ist, und sie durch des Reichs Ehren wollen, daßelbe von Uns und dem Heiligen Reiche zu Lehn genommen und empfangen haben, So geloben wir für Uns, und Unser Nachkommen an dem Heiligen Reich, den obgenanten Bürgern zu* Erfurt, *ihren Erben und Nachkommen ewiglich, daß wir dieselben und andere ihre Lehn, die sie von Uns, und dem Reich haben, bei uns und den Reich ewiglich behalten wollen, und die nimmer in einigen Zeiten an keine Personen, in welchem Adel oder da Wesen die sie zu vergeben, vorkauffen, versetzen, vorkümmern entfremdden oder verweisen wollen noch sollen.*

XII.

Moniales in Bechere testantur, monasterium Kapelndorf quatuor mansos in Hergrimstete oppignerátos redemisse.

1276. MDivina miseracione Abbatissa, Ber. Præpositus, totusque conventus Sanctimonialium in *Bachere*, universis præsens scriptum perspecturis devotas orationes in Domino & salutem. Ne temporis cum elapsu ea quæ in ipso geruntur, pariter elabantur, eorundem processus scriptorum testimonio memoriæ utiliter commendantur. Recognoscimus sane ac universitati omnium publice profitemur, quod reverendum Collegium Sanctimonialium in Kapelndorph 4. mansos litos in *Hergrimstete* *, quos nostræ in pignore obligaverat Ecclesiæ pro viginti marcis, redemit, cum omni jure libere possidendos. Uti igitur hujusmodi factum tam notorie terminatum, ab omni impugnatoris injuria perpetuo maneat inconvulsum, præsentem paginam sigilli nostri appensione volumus roborari. Hujus testes sunt Venerabiles viri, *Ber.* Gardianus, & frater *Wer.* de ordine minorum fratrum Erfordensium. Et Dominus *Her.* confrater Ecclesiæ in *Hüsdorph.* Et Dominus H. Archipresbyter de *Rosla.* *Ulricus* Plebanus de *Appolde.* *Th.* Plebanus de *Bodelstete.* Et H. *toph* de *Apolde.* Et Her. monetarius de *Apolde.* Et alii quam plures. Acta sunt hæc Anno Domini M. CC. LX. XVI. Kal. Junii.

* hodie *Hermstete.*

XIII.

Johannes de Allstete, Heinricus & Albertus de Gleisberg Cœnobio in Capelndorf duos mansos in Franckendorf vendunt.

1262. NOs *Johannes* de *Allstete*, *Heinricus* & *Albertus* de *Plitzbergk* recognoscimus, & præsenti littera protestamur, quod duos mansos sitos in *Vranckendorf*, solventes singulis annis duas marcas & dimidiam, duos solidos messuales & octo pullos, vendidimus & contulimus Domino Præposito, & Conventui Sanctimonialium in *Cappelndorf* proprietatis titulo perpetuo possidendos. Cujus venditionis & collationis testes sunt Dominus Decanus sanctæ Mariæ in *Erford.* H. Plebanus de *Rosla.* Dominus L. de *Stuternheim*, *Theodericus* de *Vlorstete.* *Theodericus* de *Mattestet.* H. de *Tuzeleiben.* *Wernherus* & *Cunradus Horken*, *Godefridus* Scultetus, *Ebernandus*, & *Hermannus Bizkornre*, cives Erfordenses. Et alii quam plures. In cujus rei notitiam & certitudinem ampliorem præsentem litteram eis contulimus, sigillorum nostrorum, *Johan.* & *Alberti*, Dn. L. de *Stuternheim*, & civium Erfordensium robore communitam. Acta sunt hæc Anno Domini M. CC. LXII. 15. Sept. in octavo Nativit. beatæ virginis. 15. Sept.

XIV.

Burggravii Ditericus Senior & Junior Cœnobio XV. mansos in Hernstet sitos oppignerant.

NOs Dei gracia Th. senior & Th. junior Burggravii, dicti de *Kirchberc*, tam præsentibus quam futuris salutem in vero salutari Christo JESU. Tenore præsentium recognoscimus, quod in XII. marcis argenti, Ecclesiæ in *Cappelndorf* sumus pariter obligati. Pro quibus XV. mansos nostræ proprietatis, sitos in *Hergrimstete* in pignore obligamus, in festo Walburgis proxime nunc venturo. Tali cautione interposita: quod si jam dictam pecuniam non solverimus præfato cœnobio ante terminum prælibatum, sæpe dictum cœnobium supra dictos mansos tam diu libere possidebit, donec pecuniam ab his recipiet integre, memoratam. Hujus obligationis testes sunt, *Conradus* Præpositus ibidem, *Bertholdus*, sacerdos suus Cappellanus. *Reinbodo* miles de *Lübosciez*, *Theodericus* scolaris, *Albertus Clögelin*, & alii quam plures. Et ne nos vel aliquis hæredum nostrorum, hoc factum præsumat infringere, præsens scriptum Ecclesiæ in *Cappelndorf* dedimus nostrorum sigillorum munimine roboratum. Datum *Cappelndorf* Anno gratiæ M. CC. LXIII. sequenti die Invocávit. 2. Martii

XV.

Moniales in Cappelndorf vineam emunt sub Kirchberg Marchionis sitam.

THeodericus Burggravius senior de *Kirchberg*, & *Theodericus* filius suus Burggravius junior, omnibus hanc litteram inspecturis, salutem in vero salutari, tam præsentibus quam futuris. Ea quæ ab hominibus in tempore geruntur, quia per lapsum temporis in oblivionem sæpius deducuntur, necessarium est & expedit, ut eorum acta per scriptorum series memoriæ commendentur.

Hinc est, quod tenore præsentium recognoscimus, publice protestantes, quod vineam sitam sub *Kirchberg Marchionis*, quam quondam *Heidenricus* miles de *Ortendorf*, & uxor sua a nobis in feodo habuerunt, Præpositus *Cunradus* Ecclesiæ in *Cappelndorf* pro XX. duabus

bus marcis argenti proprietatem illius vineæ jam dictæ emit, libere comparando. Et ne Ecclesiæ præfatæ in posterum ab nostris pueris vel heredibus oriatur quæstio nocitura, sæpe dictæ Ecclesiæ in *Cappelndorf*, in cautelam patens hoc scriptum dedimus, nostrorum sigillorum munimine roboratum. Testes hujus emtionis sunt Præpositus *Cunradus* ibidem, *Bertholdus* sacerdos, Frater *Christianus*. *Hermannus Schenckel* miles. *Fridericus* miles de *Richinowe*, *Meinhardus* miles de *Testene*, *Reinboto* miles de *Libosciz*, *Maroldus*, *Heinricus* de *Salevelt*, *Heroldus* frater suus, cives in Jena. *Theodericus* scolaris. *Albertus Clugelin*, & alii quam plures. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. LXIII. XII. Kal. Aprilis die Benedicti Abbatis.

XVI.

Ludovicus, Rudolphus & Rud. Fratres de Huſen cœnobio quatuor manſos vendunt.

1263. IN nomine Domini Amen. Qvoniam apices litterarum noticiam rei gestæ maxime perpetuant & conservant. Nos *Ludewicus*, *Rudolfus* & *Rudolfus* fratres de *Huſen*, præsenti littera protestamur, & universis cupimus esse notum, quod quatuor manſos, sitos apud locum, qui olim vocabatur *Aſpa*, vendidimus Domino *Cunrado* Præposito, *Hederigi* Abbatissæ & Conventui Sanctimonialium in *Cappelndorf*, pro viginti octo marcis argenti, quæ nobis integraliter sunt solutæ, accedente heredum nostrorum consensu, & etiam Domini *Alberti* Comitis de *Glichen*, a quo ipsos manſos possedimus jure feodali. Prætera promittimus bona fide, quod Conventum de bonis illis retinendis indempnem conservabimus, & ab impeticione qualibet absolvemus, si aliquis heredum nostrorum temporibus vitæ nostræ, de bonis eisdem moverit eis litem. Testes hujus rei sunt *Fridericus* de *Husdorff*, *Heinricus* de *Wymar*, *Bertholdus* de *Bachere*, Ecclesiarum Præpositi. *Helwicus* de *Jskirſtet*. *Jurdanus* de *Batichendorf* Ecclesiarum Rectores. *Siboto* Dapifer de *Bichlingen*, *Meinhardus* de *Munro*, *Heinzmannus*, *Heinricus Heirlindit*, & alii quam plures. In hujus rei noticiam & certitudinem ampliorem, præsentem literam dedimus præfato conventui sigillo Domini Burcgravii de *Kirchbergk*, in cujus districtu prædicti manſi sunt siti, & nostro fideliter communita. Datum anno M. CC. LXIII. XIII. Cal. Augusti.

XVII.

Hartmannus & Otto de Bergow vendunt Cœnobio Cappelndorf proprietatem manſi alicujus in Franckendorf.

1264. NOs *Hartman* & *Otto* de *Bergowe*, universis præsentibus & futuris, hanc paginam inspecturis salutem in vero salutari. Quia status & vita cunctorum hominum secundum cursus temporum immutatur, necessarium est & cautum, ut eorum facta scripto, nec non vivo testimonio roborentur. Hinc est, quod tenore præsentium notum esse cupimus tam præsentibus, quam futuris, quod quendam manſum nostræ proprietatis, situm in *Franckendorf* contulimus Conventui in *Cappelndorf* pro duabus marcis, & pro nostrorum remedio peccatorum, quem *Hermannus* de *Rosla* a nobis in feodo possidet, qui censum prædicti manſi recipiet ad dies vitæ suæ, quo mortuo, antedictus manſus libere sine contradictione suorum heredum rediet ad Ecclesiam *Cappellendorf* memoratam. Et ne in posterum super collatione hujusmodi aliquibus prælibato Conventui possit oriri quæstio nocitura, præsentem paginam sibi dedimus nostrorum sigillorum munimine roboratam. Hujus rei testes sunt *Conradus* Præpositus in *Cappelndorf*, *Rudigerus* Plebanus de *Azemanstete*, *Conradus* miles de *Welniz*, *Bertoldus* miles de *Eutſtete*, *Fridericus* de *Hermanstete*, *Hermannus* de *Rosla*, & alii quam plures. Datum anno Dom. M. CC. LXIIII. Jduum Januarii, die Pauli Heremitæ.

XVIII.

Hartmannus & Hermannus de Lobdeburg Cœnobio aſſignant proprietatem XXX. agrorum ligni in ſilva Jenenſi.

NOs *Hartmannus* & *Hermannus* de *Lobdeburgk* præsentibus literis recognoscimus publice protestantes, quod ad petitionem Domini *Heidenrici* de *Jene*, nostri ministerialis, nec non divinæ remunerationis, & ob amorem sanctæ Dei genitricis, & virginis Mariæ, XXX. agros ligni in silva sita apud *Jenevorſt*, in monte, qui *Chrotendorf* nuncupatur, ad claustrum *Chapelndorf* pleno jure proprietatis perpetuo assignamus. Ne autem huic facto dubietatis scrupulus in posterum oriatur, præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Testes autem hujus rei sunt Dominus *Rudigerus* Plebanus in *Trebniz*, & *Otto* Cappellanus in superiori *Lobdeburgk*. Dominus *Theodericus* de *Lichtenhein*, & *Cunradus* de *Welniz*, & *Heinricus* de *Noben*, milites. *Diteritus* de *Robuz*, & *Ditericus* de *Aldendorf*, & alii quam plures. Datum in *Lobdeburg* in crastino Martini. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. LXVI. II. Jdus Novembris.

1266.

XIX.

Heinricus Marſcalcus de Ebersberg Cœnobio dat unum manſum in Fey.

AD cavendum futura litigia, quæ cupiditas mater litium generat incessanter, sana providentia est inductum, ut ea, quæ aguntur, scripturarum patrocinio perhennentur, ne illa aliqualiter in cujusquam præjudicium, sine causa racionabili permutentur. Quapropter ego *Heinricus Marscalcus* de *Ebersberg* notum esse cupio tam singulis quam universis, quod de consensu & favore fratrum & puerorum meorum, unum manſum in *Fey*, quem *Conradus*, filius *Gerhardi* possidet, ibidem dedi Ecclesiæ & Sanctimonialibus in *Capelndorf*, solventem quatuor maldera ordei & frumenti.

1268.

menti. Hunc etiam manſum promiſi cum omni fructu ſupradictæ Eccleſiæ quantocius liberare. Teſtes *Her. Theodericus* & *Gerhardus*, fratres mei. Dominus *Heinricus* de *Libenſtete*. Dominus *Ludewicus*, dictus de *Lapide*. In hujus rei notitiam pleniorem feci præſentem cedulam ſigilli mei munimine roborari. Datum anno Domini M. CC. LXVI. in Octava beati Martini.

XX.

Burggravius Ditericus & Sophia mater ipſius, & Burggravius Otto, frater ejus, vendunt Cœnobio tres manſos.

1267. NOs *Theodericus* & *Sophia* mater ipſius, & *Otto* frater ipſius, Burggravii de *Kirchberg*, tam præſentibus quam futuris, hanc literam inſpecturis, ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Cum ea, quæ fiunt in tempore, ſimul labantur cum tempore, expedit, ut ea, quæ aguntur, in ſcripta publica redigantur. Recognoſcimus itaque univerſitati omnium tenore præſentium publice proteſtando, quod nos Reverendo cœnobio in *Cappelendorf*, quod favore & gratia tenemur præ ceteris diligere ſpeciali, vendidimus tres manſos noſtræ proprietatis, quorum duo ſiti ſunt in *Hergrimſtete*, qui ſolvunt duodecim maldra, videlicet VI. frumenti, & tria maldra & dimidium ordei, & duo maldra & dimidium avenæ, & quinque pullos. Tertius vero manſus ſitus eſt ad villam, quæ dicitur *Gymma*, qui ſolvit tria maldra, videlicet unum ordei & unum avenæ, & duos pullos. Ne igitur tam ipſorum manſorum emptionem, quam noſtram eorundem venditionem aut oblivio deleat, aut inpoſterum importunitas ingenii malignantis infringat, præſentem paginam dicto Cœnobio *Capelndorf* contulimus noſtri ſigilli munimine roboratam. Teſtes horum ſunt, ipſe Conventus Sanctimonialium in *Capelndorf*, *Cunradus* Præpoſitus loci ejusdem, frater *Ludewicus* & frater *Heinricus* de *Zvicowe*, ordinis Prædicatorum. *Heinricus* ſacerdos, *Lupoldus* Sacerdos, *Criſtianus*, frater *Bertoldus*, frater *Hermannus*, converſi loci ejusdem, & alii quam plures Clerici & Layci. Acta ſunt hæc Anno Dom. M. CC. LXVII. in vigilia beati Matthæi Apoſtoli.

XXI.

Ditericus de Schvabehuſen renuntiat omni juri ſuo in ſilva prope Schwabehuſen.

1268. NOs *Theodericus* de *Svabenhuſen* omnibus hanc literam inſpecturis, tam præſentibus, quam futuris ſalutem in filio virginis glorioſæ. In ſui vigoris valetudine jugiter perſeverant ea quæ ſcripti fuerint munimento roborata. Proinde tenore præſentium omnibus notum eſſe volumus, quod nos, ego videlicet *Theodericus*, & fratres mei, cum pleno conſenſu hæredum manſorum, quicquid juris habere videbamur in ſilva, ſita prope *Svabehuſen*, cœnobio in *Kappellendorph* reſignavimus, nihil juris nobis in ipſa penitus uſurpantes. Hujus rei teſtes ſunt *Luppoldus* ſacerdos, *Thitmarus* ſcolaris de *Caplendorph* Dominus Plebanus de *Iſſerſtete*, *Ludowicus* de *Svabenhuſin*, *Ditiricus*, *Albertus*, *Albertus Clugelin* de *Cappellendorph*, & alii quam plures. Acta ſunt hæc anno gratiæ milleſimo CC. LXVIII.

XXII.

Heinricus Advocatus de Gleisberg quatuor manſos & dimidium in præſentia Alberti Landgravii Thuringiæ vendit monaſterio.

EGo *Heinricus* miles advocatus de *Glizberg* literis præſentibus recognoſco, publice proteſtando, quod quatuor manſos & dimidium ſitos apud *Vranckindorf*, cum hominibus & omnibus attinentiis eorundem manſorum, ad me jure proprietatis ſpectantes, honorabili viro Præpoſito & Conventui ſanctimonialium in *Kapilendorf*, pro quadraginta octo marcis argenti, quæ mihi integraliter ſunt ſolutæ, vendidi & tradidi, in præſentia & ſub teſtimonio companorum meorum, Imperii miniſterialium, videlicet *Henrici* de *Alreſtete*, *Timonis* de *Liznich*, & plurium aliorum, & qui huic venditioni conſenſum præbuerunt in præſentia illuſtris Principis Domini mei A. *Turingiæ* Landgravii, *Saxoniæ* Comitis Palatini, & plurium *Turingiæ* nobilium & miniſterialium, *Albertus* filius fratris mei, *Ludolfus* filius meus, & alii mei conſanguinei & hæredes, excepto *Hermanno* filio meo, qui eſt in *ſtudio Pariſienſi*, & quod inſuper renuntiaverunt omni juri, quod in bonis prædictis ullo modo competere poteſt eis. Ad hæc ut Eccleſia omnino ſervetur indemnis, Ego & prædictus *Ludolfus* filius meus præſentibus literis promittimus bona fide, quod ſi aliquis nomine Imperii impetet vel repetet bona illa, quod ab illa impetitione Eccleſiam in *Kapilendorf* ſimpliciter abſolvemus, & quod infra duos primos manſos, poſtquam filius meus de ſtudio redierit, finaliter procurabimus, quod ipſe hanc venditionem ratam habebit, & etiam in bonis ſupra ſcriptis renuntiabit ſimiliter juri ſuo. Teſtes & hujus venditionis & renuntiationis ſunt Magiſter *Theodericus* de *Rosla*, Canonicus Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Erfordenſis, *Fridericus* de *Varila*, & filii ſui, *Ditericus*, *Eckebertus*, *Conradus*, *Hoico*, *Ditmarus* filius *Alardi* de *Wymare*, *Cunradus* filius *Guntheri* de *Nuwenburg* civis Erfordenſis. In hujus rei notitiam ampliorem præſentem literam dedi præfatis Præpoſito & Conventui in *Kapilendorf*, ſigillo meo firmiter communitam. Facta autem eſt hæc venditio apud villam *Eilbrechlisgeboven** Anno gratiæ M. CC. LXVIII. *a*) 1268.

* hodie *Ilversgeboven.*

a) Quid rei tunc apud *Eilbrechtsgeboven* geſtum fuerit, ubi *Albertus* Landgravius Thur. magnusque numerus Comitum & Baronum Thuringiæ, aliqui etiam Miniſteriales Imperii adfuerunt, apparet ex Epiſcopi Numburg. *Theoderici* diplomate, quod hoc anno MCCLXVIII. die Nativitatis Mariæ Cœnobio Portenſi dedit. Verba ibi ſunt: „*Verum quia inter illuſtres Principes, noſtros patres dilectos* Albertum *Thur. Landgravium* & Theo-

XXIII.

Landgravii Alberti confirmatio præcedentis venditionis.

1268. AD præcavendum futura litigia, quæ cupiditas rerum generat incessanter, cautum est, ut facta recordatione digna, literarum apicibus perhennentur. Quapropter nos *Albertus* Dei gratia *Thuringiæ* Landgravius, *Saxoniæ* Comes Palentinus, universis præsentem literam inspecturis cupimus esse notum, quod A dilectus noster *Heinricus* miles Advocatus de *Glizberg*, quatuor mansos & dimidium sitos apud *Vranckindorf*, cum hominibus, & omnibus attinentiis eorundem mansorum pro quadraginta octo marcis argenti, quas idem *Heinricus* coram nobis & multis aliis publice recognovit sibi totaliter persolutas, Præposito & Conventui sanctimonialium in *Kapilendorf* vendidit & tradidit, nostro consensu & beneplacito accedente. Et quod *Albertus* filius fratris sui, *Ludolfus* filius suus, & alii heredes sui, excepto *Hermanno* filio suo, qui fuit in *studio Parisiensi*, similiter coram nobis & multis aliis renuntiaverunt simpliciter omni juri, quod in bonis prædictis competebat eisdem. In cujus rei notitiam ampliorem & memoriam sempiternam, præsentem literam dedimus sæpedictis Præposito, & Conventui in *Kapillendorf*, sigillo nostro fideliter communitam. Datum in *Isenache*, Anno Domini MCC LXVIII.

XXIV.

Otto & Hermannus de Lobdeburg, dicti de Bergau, tres mansos in Theutonica Schwabehusen sitos, per Landgravium Albertum Cœnobio tradunt.

REverendo Domino suo *Alberto Thuringorum* Landgravio, *Otto* & *Hermannus* de *Lobdeburg*, dicti de *Bergowe*, fidelitatis suæ constantiam cum promptitudine serviendi. Tenore præsentium litterarum vestræ dominationis potentiam studiosissime deprecamur; quatenus tres mansos, sitos in *Theutunica Swabehusen*, quos in feodo a Vobis diu retinuimus, intuitu Dei & servitii nostri interventu, proprietatem prædictorum bonorum ad claustrum sanctimonialium in *Kapelndorf*, sine omni contradictionis obstaculo dignemini D elargire. Super hujusmodi donationem, præsentem literam vobis transmittimus, sigillis impositis, prædictorum mansuum feoda resignando.

XXV.

Burggravius Otto de Kirchberg & mater ejus permittunt, ut Cœnobium Capellendorf agros Cœnobii agris conterminos cum aliis commutare possit.

OTto Dei gratia Burgravius de *Kirchberc*, 1271. & S. mater sua, omnibus hoc scriptum circiter. intuentibus salutem in vero salutari Christo Jesu. Recognoscimus & publice protestamur quod ad petitionem Præpositi & Conventus sanctimonialium in *Capelndorf*, nunc permittimus, & successive permittemus, quod agros hominum nostrorum, suis agris conterminos, possunt commutare, sub æquali numero & mensura. Et sub hac forma, quod idem Præpositus & suus conventus proprietatem agrorum suorum, suis manibus, scriptis & sigillis suis, nobis repræsentent, & bona hominum nostrorum in contrarium commutata, de nostris manibus scripto & sigillo nostro, e converso recipiant, eisdem inviolabiliter roborata. Et ne hanc commutationem agrorum, successu temporis infringat aliquis, præsentem cedulam sigilli nostri robore communimus.

XXVI.

Sophia Burggravia de Kirchberg & Burggravius Otto, filius Cœnobio tres mansos in Capelndorf sitos vendunt cum pacto revenditionis.

IN nomine Domini Amen. Notitia rei ge- 1271. B stæ per apices literarum maxime confirmatur. Quapropter noverint universi hanc literam inspecturi. Quoad *Sophia* Burggravia de *Kirchbergk* & *Otto* filius noster de consilio & assensu nostrorum hominum & parentum, tres mansos proprietatis nostræ, sitos in *Capilndorff* qui proprio nostro aratro colebantur Præpolito, Abbatissæ & Conventui in *Capillendorf* vendidimus absolute pro XXX. marcis argenti, quas nobis integraliter exsolverunt, & quod ipsos mansos super altare S. Bartholomei tradidimus, ipsi claustro, cui multum sumus ad beneficentias obligati propter rationabiles causas multas. Et quod venditione & traditione peracta, Præpositus & Conventus nobis benivole promiserunt, quod eadem bona pro XXX. marcis argenti similiter nobis vendunt, si ea emere decreverimus ullo casu. In cujus rei notitiam firmiorem, præsentem literam eis dedimus, sigillis nostris fideliter communitam. Datum anno incarnationis Domini MCC LXXI.

XXVII.

Otto de Kirchberg vendit Ecclesiæ in Capelndorf Advocatiam octo mansorum & dimidii in Husdorf.

OTto Dei gratia Burchgravius in *Kirchberg* 1271. universis Christi fidelibus hanc literam inspecturis, salutem in omnium salvatore. Nelabantur cum tempore, quæ aguntur in tempore; propter labilem mortalium memoriam, expedit ea scriptis autenticis perhennari. Hinc est, quod omnibus tam præsentibus, quam futuris notum esse cupio & constare, quod advocatiam meam octo mansorum & dimidium in *Hüsdorf*, juxta *Capillendorph* in bonis canonicorum sanctæ Mariæ in *Erfordt*, vendidi pro viginti sex marcis puri argenti Ecclesiæ in *Cappillendorph*, & libere contuli pleno jure. Insuper permutationem quorun-

„doricum *Marchionem de Landsberg non solum exorta*
„*mutua discordia, imo etiam collatis utrinque exercitibus, per quos toti terræ videbatur destructio imminere, nos dolentes tam terræ destructionem, quam dictorum fratrum amicitiam debitam debere converti in inimicitiam & odium perpetuo duraturum; inter prædictos fratres interposuimus partes nostras, & his arduis præpediti negotiis consecrationi dicti monasterii interesse personaliter non potuimus.* „ Just. Pertzhii Chron. Port. p. 271. *Hortled.*

dam agrorum, sitorum inter agros Ecclesiæ cum meis colonis factam, gratam & ratam habeo, & volo irrevocabiliter perducere. Ut igitur hujuscemodi contractus a posteris inviolabiliter ac firmiter observetur, præsentem paginam sigilli mei munimine roboravi. Testes prioris contractus sunt: *Meinhardus* de *Lestene*, *Heinricus*, *Reinbodo*, Milites de *Gene*, *Albertus* & *Reinboto* fratres, *Bertoldus* de *Curia*, *Maroldus*, *Herwicus*, *Heinricus* de *Dorinburch*, *Theodericus* scolaris, & *Albertus* dictus *Clugelin* de *Capillndorf*, & alii quam plures. Datum in *Gene* Anno Domini M CC LXXI. Kal. Augusti.

XXVIII.

Nobiles de Hausen renunciant juri suo in quibusdam bonis venditis.

1271. EGo *Ludewicus* de *Husen*, una cum fratre *Rudolfo* recognoscimus, publice protestando, quod inter Dn. Præpositum & Conventum Ecclesiæ in *Capilndorf* ex parte una, & nos ex parte altera super quibusdam bonis, quæ vendidimus Conventui & Ecclesiæ supradictæ, est nobis secundum nostrum beneplacitum satisfactum. Abrenuntiantes omni actioni, quæ in posterum contra Ecclesiam & Conventum supra dictum posset a nobis aut a nostris heredibus suboriri. In hujus rei notitiam & certitudinem ampliorem, præsentem literam dedimus, nostri sigilli munimine roboratam. Anno Domini M. CC. LXXI. in crastino Gregorii Papæ. Testes autem sunt Dominus Præpositus & Conventus Ecclesiæ in *Collede*, *Fridericus* de *Lembeche*, *Gotefridus* Monetarius, *Rutoldus* in *Foro*.

XXIX.

Hartmannus de Wolfesborn vineam Jene sitam ab Ecclesia Capellendorf. in feudum accipit.

1272. C. Præpositus, H. Abbatissa, totusque Conventus sanctimonialium, in *Capilendorph* universis Christi fidelibus hanc literam inspecturis salutem in omnium salvatore. Ne labantur cum tempore, quæ aguntur in tempore, propter oblivionem mortalium memoriam, expedit ea scriptis aventicis perhennari. Hinc est, quod tenore præsentium notum esse cupimus, & constare, quod *Hartmannus* & *Walpurgis* uxor ejus de *Wolvisleven*, vineam sitam in *Gene*, quam *Hartmannus* & *Hermannus* fratres, partiarii fructuum excolunt, titulo emptionis pro decem marcis albi argenti a Domino *Ottone* Burchravio de *Kirchberg*, hac adjectæ conditionis formula compararunt: ut prædictus *Otto* dictam vineam reemendi infra decennium liberam habeat facultatem. Verum quoniam præfatus Burchravius proprietatem & possessionem præfatæ vineæ nostræ contulit Ecclesiæ in *Capilendorph*, domina Burchravia matre sua, & aliis suis coheredibus libere annuentibus, propter Dn. ipsam præfatis *Hartmanno* & *Walburgi* uxori ipsius, & *Withigoni* de *Vmmirstete*, nec non & *Kunegundi* ac *Hermanno* filio ejus in *Toubeche* infeodavimus, jure hereditario perpetuo possidendam. Ita ut alii cuicunque præterquam nostræ Ecclesiæ vendere non liceat, si duxerint distrahendam. Si vero Ecclesia emere noluerit, ex tunc vendere possunt, eodem jure, quo possident, Ecclesiæ ac Burchravii in omnibus salvo jure. Sed & si sæpe dicti feodatarii decesserint intestati, nullus propinquorum, imo nostra Ecclesia jus in vinea memorata simpliciter habeat succedendi. Hujus rei testes sunt *Albertus* sacerdos, frater *Sibotho* de *Calbe*, & frater *Otto* de *Elstirberg*, *Theodericus* & *Johannes* scolares. Ut autem hujuscemodi contractus a posteris inviolabiliter observetur, sigillorum nostrorum munimine roboramus. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. LXXII. pridie Non. Julii.

XXX.

Bertholdus de Isserstete ducentos agros nemoris in Bifang pro octoginta marcis argenti vendit monasterio.

1272. IN nomine Domini Amen. Quoniam apices literatam notitiam rei gestæ maxime perpetuant & conservant, de consilio sanæ providenciæ est inductum, quod facta recordatione digna redigantur in scriptum. Quapropter ego *Bertholdus* Miles de *Isserstete*, præsentibus literis protestor, & universis tam præsentibus, quam futuris in perpetuum notum esse cupio, quod de consensu ac voluntate libera omnium heredum meorum, videlicet *Theoderici* militis, *Cunradi*, *Rudolfi*, *Bertoldi* & *Heinrici*, in Ecclesiam Sanctimonialium *Capelndorf* transtuli titulo venditionis, intercedente marcarum argenti precio octoginta ducentos agros nemoris, quod vulgariter *Bivank* nuncupatur, jure proprietatis juste & rationabiliter perpetuo possidendos, & quod cum solennitate debita ac consveta renunciavi simpliciter omni juri, quod mihi cum prædictis heredibus meis possem in ipsis agris vendicare. Testes hujus contractus sunt duo fratres Prædicatorum, Dominus *Cunradus* de *Sulze*, *Cunradus* de *Ruenthal*, Dominus *Helwicus* Plebanus de *Iskerstete*, Dominus *Heinricus* Senior, *Heinricus* filius ejus milites de *Apolde*, Magister *Bertoldus* de *Iskerstete*, & alii quam plures. Verum ne vendicionem hujuscemodi postmodum impediat calumpnia cujuspiam malicioſa, aut quæstio oriatur nocitura, præsentem paginam cum eorum nominibus, qui venditioni, cum fieret, affuerunt, dedi prædicto clausstro, sigillo meo & sigillo H. fratris mei de *Apolde* fideliter communitam. Acta sunt hæc *Iskerstete*. Anno gratiæ M. CC. LXXII. Nonas Febr.

XXXI.

Hermannus & Otto Comites de Orlamunde Ecclesiæ in Capellndorf appropriant ducentos illos agros nemoris.

1272. IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Nos *Hermannus* & *Otto* Dei gratia fratres Comitesque de *Orlamünde* omnibus in perpetuum

tuum Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem in Domino. Quæ geruntur in tempore, ne simul labantur cum tempore, poni solent in lingua testium, & scripturæ memoria perhennari. Notum igitur sit universis tam præsentibus, quam futuris, præsentem chartam inspecturis, quod nos prædicti Comites & fratres, ob instantiam precesque honorabilis militis *Bertoldi* ministerialis de *Iskerstete* appropriavimus jure proprietario, ducentos agros nemoris, quod vulgari vocabulo *Bivanch* nuncupatur, Ecclesiæ totique cenobitati Sanctimonialium in *Capelndorf*, quos agros prædictos sæpedictus Dominus *Bertoldus* a nostra manu tenuit jure feodali. Testes hujus proprietatis sunt famosi milites, videlicet: Dominus *Ludewicus* de *Lapide*, Th. *Marschalcus* de *Dievurthe*, *Heinricus* de *Blanckenhain*; *Hermannus* de *Eichelburn*; *Fridericus* de *Sinderstete*, *Witthe* Dapifer de *Heldingen*, *Arnoldus* de *Crummesdorf*, & alii quam plures viri fide digni. In cujus rei certitudinem ampliorem & memoriam sempiternam præfato Conventui ac Cenobitati præsentem literam dedimus, sigillorum nostrorum amborum munimine fideliter roboratam. Acta sunt hæc Anno gratiæ M. CC. LXXII. decimo Kalendas Februarii.

XXXII.

Ditericus Vice-Dominus de Apolde & Ditericus Marschalcus de Diefort, dimidium mansum cum cœnobii dimidio permutant.

1273. NOs *Ditericus* Vice-Dominus de *Apolde* & nos *Ditericus* Marschalcus de *Dievorte* recognoscimus & publice protestamur, quod quondam dimidium mansum habuimus situm in *Vrankendorph*, quem quidam H. noster homo dudum a nobis possederat, jure feodali, & nos proprietatem ejusdem dimidii mansi contulimus Ecclesiæ in *Capelndorf*, in concambio alterius dimidii mansi, siti in * *Hergeemstete*, hujus proprietatem jam dicta Ecclesia nobis contradidit in restaurum. Quem dimidium mansum idem H. a nobis recepit, & jure feodali possidebit. Ne igitur huic facto frivolum quicquam oriatur, præsentem cartulam conscribi fecimus super eo, & sigillorum nostrorum munimine communiri. Acta sunt hæc Anno ab incarnatione Domini M. CC. LXXIII.

* hodie *Hermstet.*

XXXIII.

Otto de Kirchberg proprietatem duorum mansorum in Umverstete Sanctimonialibus donat.

1273. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego *Otto* Burgravius de *Kirchberc*, omnibus Christi fidelibus præsentem paginam audituris, utriusque vitæ salutem. Quoniam facillima traductione oblivio rerum gestarum concrescit & ingeniosis quibusque per negligentiam res nota quandoquidem abolescit, nisi scripturæ testimonio roboretur. Ideo tenore præsentium ad notitiam vestram cupio pervenire, publice protestando, quod ad petitionem *Withigonis* de *Devorthe* duos mansos sitos in *Vnverstete*, quos a me jure tenuit feodali, in honorem sanctæ Mariæ virginis Beatique Bartolomei Apostoli Ecclesiæ & Conventui Sanctimonialium in *Cappellendorf*, jure proprietario liberaliter contuli, perpetuo possidendos, & quod idem *Withigo* in præsentia mea fideliter hoc promisit, quod ab omni impetitione, vel quæstione nocitura, a quocunque seu a quibuscunque super prædictos mansos facta, ipse & sui heredes ipsos eximere, & quietare debeant ab eadem. Testes hujus rei sunt Dominus *Meinhardus* de *Lesten*, *Heydenricus* miles, *Reinboto* de *Lobegostitz*, *Th. Scezellinus*, H. dictus *Nicol.* H. de *Dornburg*. Th. dictus *Gigas*, C. de *Crummestorf*, *Albertus* de *Capellendorf*, & alii quam plures. Ne autem liberalis mea donatio ab aliquo imposterum immutetur, ut super ea cuiquam dubium oriatur, præsentem literam dictæ dedi Ecclesiæ mei sigilli robore communitam. Acta sunt hæc anno gratiæ M. CC. LXXIII. in die beati Valentini.

XXXIV.

Testimonium Ottonis de Kirchberg de emtione mansi.

UNiversis Christi fidelibus hoc scriptum legentibus vel audituris, *Otto* Dei gratia Burgchravius de *Kirchberk*, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Quoniam varii sunt casus hominum, & labente tempore, quod in tempore gestum est, labitur, idcirco recognoscimus tenore præsentium, & publice protestamur, quod de nostra bona voluntate & consensu, Ecclesia nobis dilecta in *Cappilndorph* mansum unum situm in *Unverstete*, ab *Alberto* dicto *Cluigilin*, suis fratribus *Conrado* & *Diterico* prosex marcis, & dimidia albi argenti comparavit, jure proprietatis perpetuo possidendam. Jus autem & usus ejusdem mansi annuatim est maldrum frumenti, quatuor modii avenæ, decem solidi denariorum monetæ Wimarensis pariter & mensuræ. Quatuor pulli & servitium trium dierum cum aratro. Et in melle servitium falcis ad duos dies. Jam dicta vero Ecclesia eundem mansum comparavit conditione videlicet tali: quod si aliquis imposterum Ecclesiam de eodem impetere voluerit, vel in aliquo molestare, jam dicti venditores mansum quendam situm in villa *Huistorph* ad usum Ecclesiæ jam prædictæ loco istius mansi resignabunt. Hujus rei sunt testes, *Albertus*, Sacerdos & Cantor Ecclesiæ, *Christianus* & *Conradus*, Conversi in *Capilndorph*; Dominus *Heidenricus*, & Dominus *Reinboto* milites in *Gena*. *Heinricus* & *Albertus*, militares ibidem; *Heinricus*, *Nicolaus*, *Heinricus* Monetarius, *Waltherus Heroldi*, cives in *Jene*, & alii plures fide digni. Ut autem huic facto nihil dubietatis imposterum possit suboriri, præsens privilegium ad tutelam Ecclesiæ conscribi fecimus, super eo sigilli nostri munimine roborantes. Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini M CC LXXIII.

1274.

XXXV.

Otto de Kirchberg donat monasterium proprietate mansi siti in Gittern.

1279. Otto Dei gratia Burgchravius de *Kirchbergk* omnibus hanc literam inspecturis salutem in omnium salvatore. Quæ geruntur in tempore, ne simul labentur cum lapsu temporis, poni solent in lingva testium, vel scripturæ memoria perhennari. Tenore igitur præsentium notum esse cupio & constare, quod proprietatem mansi, siti in *Gethirn*, quem a me sorores de *Madela*, *Gerdirudis* & *Bertradis* in pheodo tenuerunt, libere & absolute contuli Ecclesiæ in *Cappillendorf* cum omnibus juribus & attinentiis, nihil omnino mihi juris in eo, vel advocatiæ, vel servitii reservando. Ut autem hæc liberalis donatio, firma & inconvulsa in perpetuum perseveret, præsentem literam sigilli mei munimine roboravi. Testes hujus donationis sunt *Helwicus* Plebanus in *Kynerstete*, *Withego* Plebanus in *Döbirthzen*, *Th. Leo*, & *Hermannus* Castellani in *Döbirthzen*, *Menhardus* de *Wathowe*, *Albertus Clugelin*, C. frater suus, B. Advocatus meus, *Heinricus* meus Cellarius. *Th.* de *Desize*. *Gothscalcus* de *Pölniz*. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. LXXIX.

XXXVI.

Burggravius Otto manumittit Ditericum & Wittichonem fratres de Kondiz & addicit eos cœnobio suo.

1279. Nos *Otto* Burgravius de *Kirchberg*, de pleno nostro arbitrio, omnibus hoc scriptum intuentibus notum esse volumus. Quod nos *Th.* & *Vitgonem* fratres de *Condizce* ex ipsorum servilitate, nobis in *jure Smurdorum* ab antiquo astrictos, manumittimus a tali late & libere servitute, & conferimus ipsos cœnobio sanctimonialium in *Kapplindorf*. Daturos ipsos singulis annis solidum denariorum in festo beati Michaelis, monetæ illius fori. In hujusmodi manumissionis testimonium perhennale, & ut talis donatio a nostris inposterum non possit impugnari, præsentem literam fecimus conscribi, & nostri sigilli munimine fecimus roborari. Hujus rei testes sunt *Menhardus* de *Lesten*, *Gottfriedus* miles de *Kirgeberc*, *Heinricus* miles de *Gerce*, *Albertus* de *Swabenhusen*, *Wiricus* de *Kirchberg*, *Th. Rize*, & alii quam plures fide digni. Datum in castro *Wintberg*. Anno Domini M. CC. LXXIX. sexto Idus Junii.

XXXVII.

De nexu Cœnobii Cappelndorf cum Ecclesia Fuldensi.

1280. Hartbungus Præpositus, *Hedewigis* Abbatissa, totusque Conventus Sanctimonialium in *Capilndorf* omnibus tam præsentibus quam posteris hanc literam inspecturis salutem in autore salutis. Ne gestarum rerum memoria evanescat, & processu temporis depereat, discretorum virorum providentia solet per literas æternari. Ad notitiam igitur omnium cupimus pervenire, quod Nobilis vir *Theodericus* Burgravius de *Kirchberg*, felicis recordationis, veniens ad venerabilem Patrem Dominum *Conradum* Abbatem Fuldensis Ecclesiæ, communicato fratrum omnium consilio, humilitatis suæ precibus obtinuit, ut de Parrochia in *Cappillindorf*, quam ab Ecclesia Fuldensi cum adtinentibus bonis possedit in pheodo, conventum sanctimonialium instauraret. Obtinuit insuper, ut nominatus Conventus bonis Fuldensibus per quoscunque sibi collatis valeat ampliari. Cum igitur nostrum monasterium Fuldensi Ecclesiæ, ob concessionem tam favorabilem meriti sit subjectum, decernimus, ut in signum subjectionis debitæ, sex talenta ceræ, dictæ Ecclesiæ singulis annis teneantur tribuere in festo Purificationis beatæ Mariæ virginis. *Ephordiæ* præsentanda. Ipsi vero concesserunt hoc nobis, ut omni libertate & gratia, in qua ipsa Fuldensis Ecclesia extat fundata, tam spirituali, quam seculari, quæ donata sunt & donantur, a sede Apostolica, sive regni Romani imperio efficiantur participes & consortes. Concesserunt insuper, ut Præpositum sive Provisorem, libere eligamus, quem nobis noverimus expedire, cujus confirmatio vel etiam ex justa causa remotio cum sui dumtaxat consensu Capituli ad Abbatem Fuldensis Ecclesiæ pertinebit. Ut autem præsens concessio ac ordinatio inviolabilis perseveret, ac omnino permaneat inconvulsa, hanc literam sigillorum nostrorum appensione dignum duximus roborandam. Testes istiusmodi donationis sunt Magister *Heinricus* de *Kirchberg*, Magister *Conradus* de *Hervitzleibin*, frater *Heinricus*, conversus de *Fulda*, *Guntherus* dictus de *Smira*, civis Erphordiensis, *Bertoldus* Presbyter, & *Bertoldus* conversus de *Cappilindorf*, frater *Conradus* de *Sulze*, ordinis Prædicatorum in *Erfordia*. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. LXXXIII. Idus Augusti Indictione VIII.

XXXVIII.

Theodericus de Varila & filii ejus cœnobio quatuor & dimidium mansos sitos in Teutonica Schwabehusa vendunt.

Ego *Theodericus* Pincerna dictus de *Varila*, & mei filii *Thitericus* & *Conradus* tenore præsentium protestamur, & cupimus constare, quod Dominabus de *Cappillindorf* quartum * dimidium mansum sitos in *Teutonica Swabenhusen*, ex pleno consensu nostrorum coheredum cum omni jure & absque omni ambiguitate vendidimus. Hujus facti testes sunt: Dominus *Vitigo* Plebanus de *Debertzen*, *Bertoldus* de *Yserstete*, *Theodericus Leo*, miles de *Deberzen*, C. *Rappo* ibidem, *Gintherus* de *Fringesdorf*, *Albertus* de *Capplindorf*, *Bertoldus* scolaris in *Kapplindorf*, *Bertoldus* Conversus ibidem, & alii quam plures fide digni. Acta sunt hæc sub Præpositô *Artungo*. Anno Domini M CC. LXXX. 1280.

* lege *quatuor* &

XXXIX.

XXXIX.

Bertholdus de Isserstete cum filiis monasterio donat dominium mansorum III. in Schwabhusen.

1280. HInc est quod ego *Bertoldus* miles & filii mei *Theodericus*, *Conradus* & H. cæteriquè nostri successores de *Ischerstete* = recognoscimus = quod Leo miles de *Dobrizen*, tres mansos sitos in *Swabehusen*, quos à nobis tenuit titulo feodali, de nostri consensus favore, Dominabus in *Capelendorf* assignavit A possidendos, cum filiabus fratris sui ibidem Domino jugiter famulantibus, renuntiantes omne jus & dominium, quod nobis competere posset in prædictis mansis in futurum: = Testes hujus rei sunt H. Plebanus, & B. miles de *Ischerstete*, & alii viri idonei quam plurimi. Acta sunt hæc anno Dom. M.CC. LXXX.

XL.

Burggravius Otto vendit & donat aliquot mansos monasterio.

1281. *Otto* Dei gratia Burggravius de *Kirchberck* omnibus hoc scriptum intuentibus salutem in eo qui vera est salus. Quoniam hominum gesta temporaliter labuntur a memoria futurorum, nisi sigilli munimine & scripturarum testimonio perhennentur, tenore præsentium, tam præsentibus, quam futuris cupio esse notum, & constare, quod Dominabus de *Kapplindorf* dimidium mansum situm ibidem, quem *Hermannus* de *Blanchinhan* a me in pheodo tenebat, sed proprio arbitrio & suorum coheredum mihi resignavit, ipsis vendidi, cum omni jure & libere contuli possidere. Insuper & tres agros in uno loco sitos ibidem, quos *Albertus* & sua mater C *Muzelin* a me etiam in pheodo tenebantur, * ipsius libere contuli, ut mei juris ** nihilominus in his subsistat. Ne autem dentali emptione & donatione a posteris nostris scrupulosa ambiguitas advertatur, hanc literam mei sigilli munimine feci roborari. Hujus facti testes existunt Dominus Plebanus de *Isserstete*, *Bertoldus* miles de *Lughowe*, *Renboto* miles de *Libgastete*, *Th.* de *Cessice*, *Th.* scolaris de *Kapplindorf*, *Albertus* de *Swabehusen*, C. de *Grunnistorf*, *Holmannus* de *Libenz*, *Albertus* de *Kaplindorf*. Acta sunt hæc anno Domini M.CC. LXXXI.

* l. *ipsis.*
** forte *nihil omnino.*

XLI.

Bertholdus de Isserstete unum mansum in Romstet inferiori situm donat Conventui in Capelndorf.

1282. EGo *Bertoldus* & filii mei *Theodericus*, & *Conradus*, & *Hermannus* ceteriquè heredes mei de *Ischerstete* = recognoscimus quod Conventui sanctimonialium in *Capelndorf*, cum filia nostra ibidem inclusa, unum mansum proprietatis situm in *Romestete inferiori*, cum omni jure, quod nobis in eodem competebat, contulimus jugiter possidendum, quem *Witigo* rusticus ejusdem villæ nobis excolebat, renunciantes omni impeticioni, actioni, deceptioni, fictioni, ac omni juris auxilio, canonici vel civilis. = Hujus donationis testes sunt *Bertoldus* Plebanus de *Gene*, H. Plebanus de *Ischerstete*, H. miles de *Lesten*, *Bauwarus* miles de *Ischerstete*, *Conradus* de *Brisenize*, Th. de *Herizen*, *Surezigus* & frater suus *Cervus* de *Ischerstete*, & alii viri idonei & honesti. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. LXXXII.

XLII.

Otto Burggravius monasterio emtionem areæ & quindecim agrorum silvæ confirmat.

NOs Dei gratia *Otto* Burgravius dictus de 1282.
Kirckberch, omnibus hoc scriptum intuentibus salutem in eo qui est vera salus. Quoniam hominum gesta labuntur a memoria præsentium tam futurorum, nisi scripturarum testimonio perhennentur. Universis ergo Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris, tenore præsentium, protestamur, quod *Albertus* de *Svabehusen* benivola voluntate & pleno consensu suorum coheredum, *Alberti* filii & filiarum suarum *Gunegundis* & *Juten*: & fratris sui Domini *Heylardi* Plebani de *Brisenitz*, & sororum suarum *Adledis* & *Gunegundis*, & puerorum unius sororis suæ: *Alberti*, *Friderici* & *Cristinæ*, unam aream & quindecim agros lignorum proprietatis in *Teutunica Svabenhusen* sitos, monialibus Christi in *Kapelndorf* absque omni ambiguitate libere vendidit possidere. Ut autem hoc factum a suis successoribus stabile permaneat, & inconvulsum, præsentem cartam sigilli nostri munimine fecimus communitam. Acta sunt hæc teste Domino Plebano *Helwico* de *Isserstete*, milite *Alberto* de *Hertumsdorf*, *Alberto* de *Kapelndorf*, *Hedenrico* de *Sortowe*, & aliis quam pluribus fide dignis, Anno incarnationis Domini M. CC. LXXXII.

XLIII.

Herdegen de Schwabehusen donat Cœnobio in Capelndorf.

EGo *Herdegen* de *Svabehusen* & pueri mei H. & K. recognoscimus sane ac Universitati omnium publice protestamur, quod nos venerabili Cœnobio in *Capelndorf* silvam unam prope *Svabehusen* sitam plane resignavimus libere possidendam. Ut autem hujusmodi factum tam notorie terminatum ab omni impugnatoris injuria perpetuo maneat inconvulsum, præsentem paginulam sigillo Domini mei fecimus roborari. Hujus rei testes sunt *Ernestus*, *Theodericus* Scolaris, *Albertus* de *Capelndorf* & alii quam plures.

XLIV.

Otto Burggr. donat monasterio pro memoria Conjugis curiam & tres vineas in Closwitz.

NOs *Otto* Dei gratia Burgravius dictus de 1283.
Kirgeberg tam præsentibus quam futuris Christi fidelibus salutem in eo, qui est vera salus. Quoniam hominum gesta labuntur, a memoria futurorum, nisi scripturarum testi-

monia perhennentur, Recognoscimus præsentibus scriptis, & publice protestamur, quod nos ob reverentiam Dei & suæ matris Mariæ, sanctique Bartholomæi Apostoli, & ut æternalis memoria nostræ conjugis felicissime singulis diebus in missa pro defunctis, æternaliter reservetur, & inextingvibilis candela jugiter ibidem perennis memoriæ habeatur, sanctis monialibus Christi in *Kapelndorf*, curiam ibidem juxta cimiterium sitam, & tres vineas in *Clogewiz* sitas, quarum unam A cum omni fructu ipsis contulimus, alias autem duas, *Hertivicus* & *Slavus*: quas possederunt conditionaliter a nobis, ut singulis annis nobis septima pars derivaretur vinearum & fructuum, cum omni jure & ex pleno consensu nostrorum coheredum absque omni scrupulo, libere contulimus possidere. Ne autem nulla ambiguitas nostræ donationis advertatur præsentem literam nostri sigilli munimine fecimus communitam. Acta sunt hæc anno Domini. M. CC. LXXXIII. Kl. Januarii viris præsentibus ydoneis & perfectis Domino *Ri-* B *digero* Plebano de *Gene*, *Alberto* milite de *Hertevinsdorf*, *Heinrico* milite de *Lesten*, *Hedinrico* de *Sortowe*, *Theoderico* de *Lobgastiz*, & quam plurimis fide dignis.

XLV.

Burggr. Otto sanctimonialibus tribuit Jus Patronatus in Schwabehusa Teutonica.

1283. NOs *Otto* Dei gratia Burggravius de *Kirchberch*, omnibus hoc scriptum intuentibus salutem in Domino. Quoniam scripturarum testimonia res gestas repræsentant, & lites determinant de facili succurrentes, recognoscimus & publice protestamur, quod nos ob reverentiam Dei & suæ Matris Mariæ Virginis sanctique Bartholomæi Apostoli, & C quod æternalis memoria nostræ conjugis felicissime observetur sanctis monialibus Christi in *Kapplindorf* jus Patronatus Ecclesiæ in *Svabehusen Teutunica* ex pleno consensu illorum, ad quos jus Patronatus in villa pertinebat præmemorata Domini *Hegehardi* Plebani de *Brizenz*, *Alberti* fratris sui, & suorum coheredum, & illorum fratrum, *Alberti*, *Ludovici*, *Cunradi* dicti filii, *Ludwici* de *Svabehusen* dedimus absque omni scrupulo libere in perpetuo possidere. Ut autem hæc donatio firma permaneat & inconvulsa, præsentem literam nostri sigilli munimine fecimus communitam. Acta sunt hæc anno Domini M. CC LXXXIII. Kl. Januarii, viris præsentibus idoneis & per- D fectis Domino *Ridgero* Plebano de *Gene*, *Alberto* Milite de *Hermusdorf*, *Alberto Gligelinc* de *Kapplindorf*, Th. de *Libgastiz*, *Heidenrico* de *Surtowe*, *Cunrado* de *Crummisdorf*, & aliis quam plurimis fide dignis.

XLVI.

Bertholdus de Isserstete vendit monasterio quatuor mansos censiticos in villa Franckendorf sitos pro XXXVII. marcis.

1283. QUoniam hominum gesta temporaliter labuntur a memoria futurorum, nisi scripturarum testimoniis fuerint perhennata, Nos *Bertoldus* de *Isserstete* cunctis Christi fidelibus cupimus constare, quod nos ex pleno consensu omnium nostrorum coheredum, *Theoderici* militis, *Cunradi*, *Henrici*, *Rudolfi*, *Bertoldi* & *Henrici*, sanctis Christi monialibus in *Capellendorf*, quatuor mansos nostræ proprietatis in villa *Franckindorf* sitos, quos a nobis plenariæ persolverunt, vendidimus, cum omni jure absque omni scrupulo æternaliter possidere. Ut autem hæc a posteris nostris firma ac inconvulsa valeat observari, præsentem paginam nostri sigilli munimine fecimus communitam. Acta sunt hæc anno Domini. M. CC. LXXXIII. viris præsentibus ydoneis & perfectis, Teste Domino Plebano *Helvico* de *Isserstete*, *Heirmanno* Sacerdote ibidem milite dicto Thesauro ibidem *Bertoldo* de *Brisenz*, *Hertimo* de *Cozcowe*, & aliis quam plurimis fide dignis.

XLVII.

Heinricus Pincerna junior de Apolde, vendit Sanctimonialibus in Husdorff unum mansum in Holstete.

HInc est quod ego *Heinricus* Pincerna junior de *Apolde* notum esse cupio quod de benivolo consensu *Theoderici* fratris mei, & omnium coheredum meorum, libera voluntate, unum mansum situm in *Holstete*, solventem maldrum tritici, modium pisæ, tres fertones albi argenti, pensum lini, quod *Clowe* dicitur, vendidi Sanctimonialibus in *Husdorf*, pro quindecim marcis, de quibus decem ipsis remittens in remedium animæ *Heinrici* Patris mei felicis recordationis, residuas quinque recepi, mihi integre persolutas, accedente ad hunc contractum illustris Domini mei *Heinrici Marchionis Misnensis* voluntate libera & consensu, a quo eundem mansum feodaliter possidebam, qui & ipsius proprietatem prædicto loco liberaliter erogavit. Hujus rei testes sunt, Dominus *Heidenricus* Præpositus supradictæ Ecclesiæ, *Theodericus Vicedominus*, & *Theodericus* Pincerna de *Apolde*, *Albertus*, & *Wernherus*, & *Johannes* de *Wolvisburg*, *Bertoldus* filius *Vicedomini*, *Johannes Ludwici*, *Ditmarus* de *Sulzee*, & alii tam clerici quam laici fide digni. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. LXXXVII. tertio decimo Kl. Junii.

XLVIII.

Guntherus & Guntherus fratres, Comites de Lobdeburg assignant Sanctimonialibus unius mansi proprietatem.

QUoniam scripturarum testimonia res gestas repræsentant, & lites determinant de facili succurrentes, Nos Dei gratia Comites de *Lewenborch*, *Gunterus* & *Gunterus* Germani, recognoscimus omnibus hoc scriptum intuentibus, tam præsentibus quam futuris, & cupimus constare, quod nos propter Dominum & ad petitionem *Ludolfi* de *Echelburne*, proprietatem unius mansi, qui situs est in

Unsir-

Unfirſtete, bona voluntate & ex pleno conſenſu omnium coheredum noſtrorum Eccleſiæ & ſanctis monialibus in *Kapplindorf* libere absque omni ſcrupulo dedimus poſſidere. Ne autem ulla ambiguitas noſtræ donationi a poſteris noſtris avertatur, præſentia noſtrorum ſigillorum munimine fecimus communita. Acta ſunt hæc, viris præſentibus ydoneis & perfectis, *Theoderico* milite de *Winrichesleben*, *Guntero* milite de *Boesleben*, *Hugone* milite de *Talheim*, & filio ſuo *Hugone* de *Talheim*, & aliis quam plurimis fide dignis. Anno Domini MCCLXXXVII.

XLIX.

Bertholdus de Iſſerſted proprietatem unius manſi aſſignat Bertholdo Plebano in Schwabehuſen & Johanni Vicario in Kumſtet, quia clerici feuda poſſidere nequeunt.

1287. EGo *Bertoldus* miles in *Iſſerſtete* recognoſco publice & proteſtor, quod Dominus *Bertoldus* Plebanus in *Swabehuſen* & Dominus *Johannes* Vicarius in *Rumſtete*, manſum unum ſitum in *Diterſtete*, emerunt ab *Heinrico* de *Wormſtete* ac integraliter perſolverunt, quem manſum idem *Heinricus* noſcitur ſuo pretio comparaſſe. Verum quia ſacerdotes & alii quicunque clericali titulo inſigniti bona neqveunt feodalia poſsidere, prædictum manſum ipſis reſigno una cum meis filiis *Theoderico*, *Cunrado* ac *Heinrico*, nec non filiis filii mei, *Bertoldo*, *Rudolfo* ac *Tizzelone*, ad inſtantiam H. ſuperius memorati, præſentibus Domino *Hartungo* Præpoſito in *Capellndorf*, Domino *Helwico* in *Iſſerſtete*, *Cunrado Bauro* milite, *Theodrico* dicto de *Hizzen*, & quam pluribus aliis fide dignis. In cujus rei certitudinem firmiorem præſentem paginam conſcribi feci, ac ſigilli noſtri munimine roborari. Dátum & actum anno Domini M. CC. LXXXVII. Sexto idus Septembris.

L.

Bertholdus de Iſſerſtete Sanctimonialibus CC. agros ſilvæ vendit.

1288. IN nomine Domini Amen. Quoniam apices literarum notitiam rei geſtæ maxime perpetuant & conſervant, de conſilio ſanæ providentiæ eſt inductum, quod facta recordatione digna redigantur in ſcriptum. Quapropter ego *Bertoldus* miles de *Iſſerſtete* præſenti pagina proteſtor, & univerſis tam præſentibus quam futuris notum eſſe cupio, quod de conſenſu in voluntate libera omnium heredum meorum, videlicet *Theoderici* militis, *Conradi*, & *Heinrici* in Eccleſiam ſanctimonialium in *Caplindorf* tranſtuli, titulo venditionis, intercedente marcarum argenti pretio quinquaginta quinque, ducentos agros nemoris, qui vulgariter *Bivanch* nuncupatur, quod proprietatis juſte, & rationabiliter perpetuo poſsidendos & quod cum ſolemnitate debita & conſveta renuntiavi ſimpliciter omni juri, quod mihi cum prædictis heredibus poſſem in ipſis agris vendicare. Verum etiam ne venditionem hujusmodi poſtmodum impediat calumpnia cujuspiam malitioſa, præſentem paginam ſigillo meo & patrui mei, *Henrici* de *Leſten*, feliciter fecimus communitam. Hujus rei teſtes ſunt *Cunradus* Pincerna & *Th.* frater ſuus, dicti de *Varila*, *Bertherus* miles de *Achemansdorf*, *Bertholdus Vicedominus* de *Apolde*, & alii quam plures fide digni. Acta ſunt Anno Domini M CCLXXXVIII.

LI.

Comites Orlamundani CC. agros nemoris Biſang appropriant monaſterio Cappelndorf.

IN nomine ſanctæ & inviduæ Trinitatis Amen. Nos *Hermannus* & *Hermannus* Comites patrueles dicti de *Orlamunde* omnibus in perpetuum Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, ſalutem in Domino. Qvæ geruntur in tempore, ne ſimul labantur cum tempore, poni ſolent in lingva teſtium, & ſcripturæ memoria perhennari. Notum ſit ergo univerſis tam præſentibus, quam futuris, præſentem cartam inſpecturis, quod nos prædicti Comites & Patrueles, ob preces & inſtantiam honorabilis militis *Bertoldi* miniſterialis de *Yskirſtete* appropriavimus jure proprietario ducentos agros nemoris, quod vulgari vocabulo *Bivanch* nuncupatur, Eccleſiæ totique collegio Sanctimonialium in *Coppelndorf* juſte & rationabiliter perpetuo poſſidendos, quos agros prædictos præfatus miles a noſtra manu tenuit jure feodali. In cujus rei certitudinem ampliorem & memoriam ſempiternam præfatæ Eccleſiæ ac cenobio præſentem cartam dedimus ſigillorum noſtrorum amborum munimine fideliter roboratam. Hujus rei teſtes ſunt famoſi viri & milites *Witto* Dapifer, *Th.* de *Gruiſſen*, *Heinricus Flaus*, *Hermannus* de *Oberwimar*, *Gernodus* frater ſuus, alii quam plures fide digni. Acta ſunt hæc anno Domini MCCLXXXVIII. 1288.

LII.

Heinricus de Leſten tres manſos in Franckendorf ſitos vendit Sanctimonialibus una cum ſilva Ginna.

EGo *Henricus* miles de *Leſten* cupio declarare, quod de conſenſu pleno & de voluntate bona omnium heredum meorum tam fratris mei *Bertoldi*, quam ſororum mearum *Bertradis* & filii mei *Friderici*, ac filiarum mearum *Hercindi* & *Bertradæ*, tres manſos ſitos in *Frauchindorf* meæ proprietatis, Eccleſiæ in *Kapplindorf* ac Sanctimonialibus ibidem Deo famulantibus tranſtuli titulo venditionis intercedente una ſilva, quæ vulgariter *Gynna* nuncupatur, ac undecim marcarum albi argenti pretio, jure proprietario ſine omni ſcrupulo perpetuo poſsidere. Ut autem contractus hujus venditionis a meis ſucceſſoribus firmius obſervetur ac jugis perſeveret, præſentem paginam ſigillorum noſtrorum munimine, ſcil. ſigilli mei & patrui mei *Bertoldi* militis de *Yſchirſtete* fecimus communitam. Hujus rei teſtes ſunt Prior *Th.* de *Gene*, *Helwicus* Ple- 1288.

Plebanus de *Kſcherſtete*, *Cunradus* frater ſuus, *Cunradus* Pincerna miles de *Deberzen*, *Th.* frater ſuus, C. *Baurus* miles, & alii quam plures fide digni. Acta ſunt hæc anno Domini MCC LXXXVIII.

LIII.

Hermannus de Dœbertzen renunciat juri ſuo, quod habebat in manſo apud Madelam.

1288. NOverint univerſi hanc litteram viſuri, quod ego *Hermannus* dictus de *Duberſcen*, Caſtellanus in *Bergaw*, ob ſummam pecuniæ, videlicet Marca & dimidia a ſorore *Gertrude* de *Madela* data renuntio omni juri, ſi quicquam habere debui in manſo, in campo præfatæ civitatis ſito, ita quod nolo eam ulterius aliquatenus impedire. In hujus renuntiationis certitudinem, quia proprium ſigillum non habui, præſentem cedulam venerabilis patris noſtri fratris *Theoderici*, Prioris fratrum Ordinis Prædicatorum Domus Genenſis, nec non Burgenſium ejusdem loci ſigillis communivi. Teſtes hujus rei ſunt prædictus Prior, & frater *Nicolaus* ejusdem domus & ordinis, Dominus *Arnoldus* Scultetus, *Albertus Maroldi*, *Heinricus*, & *Conradus Nicol*, & alii quam plures fidedigni. Acta ſunt hæc Anno Domini MCC LXXXVIII.

LIV.

Otto de Kirchberg confirmat venditionem Alberti de Swabehuſen.

1288. IN nomine Jeſu Chriſti Amen. Quoniam ſcripturarum teſtimonia res geſtas certiſſime repræſentant, & lites determinant de facili ſuccurrentes, Nos Burggravius *Otto* de *Girgeberg* tenore præſentium proteſtamur, & cupimus conſtare, quod Sanctimoniales Ordinis Cyſtertienſis in *Kaplindorf*, ab *Alberto*, & ex bona voluntate ſuorum coheredum, & fratris ſui *Helbardi* ſacerdotis, unum manſum proprietatis ſitum in *Teutunica Svabehuſen*, ſuo pretio a præfato *Alberto* de *Svabehuſin* comparaverunt, & rite & rationabiliter perſolverunt, & coram nobis præfatus *Albertus* cum heredibus ſuis proprietatem prædicti manſi Sanctimonialibus in *Kaplindorf* libere donavit perpetuo poſſidere. Ut autem hæc emptio & donatio coram nobis facta firma perſeveret, præſentem paginam fecimus ex eorum petitione conſcribi, ac ſigilli noſtri munimine roborari. Hujus rei teſtes ſunt *Hermannus Scap*, *Heinricus* de *Wittirde*, *Menico* de *Vachowe*, *Albertus Gligilne*, & alii quam plures fidi digni. Acta ſunt hæc anno Domini M. CC. LXXXVIII.

LV.

Hermannus & Albertus de Lobdeburg donant monaſterio aream Jenæ ſitam.

1288. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Quæ geruntur in tempore, ne ſimul labantur cum tempore, lapſu temporis, poni ſolent in lingua teſtium, vel ſcripturæ memoria perhennari. Notum ſit igitur omnibus hoc ſcriptum intuentibus, quod nos *Hermannus* & *Albertus* fratres, nobiles de *Lobdeburch* dicti de *Luchtenberc* aream ſitam in *Jene*, quam *Albertus Wolverami* filius de noſtra manu tenuit titulo feodali, ipſam nobis ab eodem liberam reſignatam clauſtro in *Caplindorf* ad uſus Sanctimonialium Ordinis Cyſtertienſium, quæ ibidem Deo famulantur, dedimus & exemptas eas facimus in his ſcriptis, ab omni inſeſtatione importuna libere cum noſtris heredibus perpetuo poſſidendam, ſpem bonam de ipſis habentes, quod apud Dominum ſuis orationibus memores noſtri erunt, prohibentes, ne in ipſa area clauſtrum conſtruant, niſi proceſſerit de noſtro conſenſu & voluntate. Ut autem hæc noſtra donatio a noſtris poſteris rata permaneat & inconvulſa, præſentia noſtrorum ſigillorum munimine fecimus communita. Hujus rei teſtes ſunt Dominus *Rudingerus*, *Bertoldus* Plebanus in *Swabehuſin*, *Frid.* Sacerdos de *Greben*, *Hedinricus* & *Henricus* de *Jene*, *Henricus Franco*, *Albertus Maroldi*, *Henricus* de *Dornebuch*, *Nicolaus* de *Dornburch*, *Henricus Herbortonis* cives in *Jene*, & alii quam plures fide digni. Datum & actum in *Jene*, Anno Dni. MCCLXXXVIII. in craſtino Circumciſionis Domini.

LVI.

Hartmannus de Lobdeburg renunciat juri ſuo feudali in dicta area.

1289. IN nomine Domini, Amen. Nos *Hartmannus* de *Lobdeburgk*, dictus de *Arnshawe*, ad futurorum & modernorum notitiam pervenire volumus, & quod ob divinæ retributionis intuitum & moti petitionibus Nobilis viri conſanguinei noſtri *Ottonis* Burggravii de *Kirchbergk*, Domini *Hartungi* Præpoſiti, *Heddewigis* Abbatiſſæ Sanctimonialium in *Cappelndorf*, aream ſitam in *Jhene*, quam *Albertus Wolfferami* filius, de manu noſtra titulo feodali tenuit, ipſam nobis ab eodem liberam reſignatam dedimus ad uſus Sanctimonialium clauſtri memorati, jure proprietatis perpetuo poſſidendam, renuntiato omni jure habito in eadem. In hujus igitur evidentiam ampliorem, literam noſtram dedimus ſigilli noſtri appenſione fideliter roboratam. Hujus rei teſtes, Nobilis Dominus *Otto* Burggravius de *Kirchbergk*, *Th.* dictus *Merrethig*, noſter advocatus, *Guntherus* de *Robis*, H. de *Slæben*, & alii quam plures. Actum anno Domini MCC LXXXIIX.

LVII.

Guntherus de Eichelborn, monaſterio donat manſum in Teutonica Schwabehuſa.

1288. IN nomine Domini Amen. Quoniam hominum geſta temporaliter labuntur a memoria futurorum cum tempore, niſi ſcripturarum teſtimoniis fuerint perhennata: Nos *Otto* Burggravius de *Kirchberch* literis præſentibus declaramus, & cupimus eſſe notum, quod *Guntherus* de *Eichilburne* ad petitionem *Alberti* de *Svabehuſen*, ſanctis monialibus in *Kaplindorf* unum manſum ſue proprietatis in *Teutunica* de *Svabehuſen* ſitum, ex pleno conſenſu omnium ſuorum coheredum, coram noſtra

noſtra præſentia libere dedit, absque omni diminutione perpetuo poſsidere. Ut autem hec ipsius donatio firma & ſtabilis conſervetur ex eorum petitione literam præſentem fecimus conſcribi ac noſtri ſigilli robore fecimus confirmari. Hujus rei teſtes ſunt *Henricus* de *Wittirde*. *Hermannus Schaf*. *Menico* de *Machowe*. *Albertus Gliigline*, C. de *Kaplindorf*, & alii quam plures fide digni. Acta ſunt hæc Anno Domini M. CC. LXXXVIII. Februarii.

LVIII.

Ditmarus de Villerſtete pro Heinrico de Libenſtete ſe obligat Sanctimonialibus tanquam fidejuſſor.

1290. EGo *Ditmarus* ſenior de *Wilerſtete* notum eſſe volo univerſis hanc literam inſpecturis, me pro *Henrico* de *Libenſtete* apud Dominum Propoſitum & Conventum Sanctimonialium in *Capelndorf* in competitione inter eos, pro quindecim marcis argenti uſualis fidejuſſorie obligaſſe, ita quod cum Domino *Heinrico* de *Rosla* ſolvam pecuniam præfatam in Feſto Michaelis proxime nunc venturo, & quod quilibet noſtrum teneatur in ſolidum, nec alter in altero ſit ſolutus. Si vero in *Obſtagium.* termino prædicto pecuniam ſolvere neglexero, *Erfordiam* ſiue *Apoldiam* introibo, non exiturus, niſi debitis perſolutis. In certitudinem igitur hujus promiſſi præſentem literam ſigilli mei munimine roboravi. Datum Anno Domini M. CC. LXXXX.

LIX.

Guntherus de Schwartzburg jus feudale manſi alicujus in Magdala reſignat monaſterio Cappelndorf.

1290. GUntherus Dei gratia Comes de *Suartzburch*, univerſis hanc literam inſpecturis proſperos ſemper ad vota ſucceſſus. Cum propter varietatem temporum memoria hominum oblivionis nubilum frequenter patiatur, ſalubriter providetur in futurum & in poſterum, ſi voluntates donationes ſeu ordinaciones mortalium ſcriptis aventicis roborantur. Hinc eſt, quod ad notitiam pervenire cupimus tam præſentium, quam futurorum, quod nos G. Dei gratia ob anime noſtre remedia, nec non ad preces religioſe fœmine, ſororis *Gerdrudis* dicte de *Magdala*, manſum ibidem ſcil. in *Magdala* ſituatum, quem ſoror prehabita jam pridem a nobis ſibi feudaliter porrectum, quiete ac cum firma pace poſſederat, quem etiam *Theodericus Leo*, miles dictus de *Döberzen* nomine tutele ad manum fidelem ſuſceperat, ex monaſterio in *Capelndorf* Monialium Ordinis S. Benedicti in honore beati Bartholomæi fundato, conferimus ac donamus ex integro cum omni jure & dominio pacifice poſsidendum. Et ut Domino gratioſior ſit hujusmodi noſtra donatio, libera ſponſione promittimus, quod ſi (quod abſit) a noſtris heredibus ſeu quibuscunque aliis ſuper hanc ordinationem prætactam quæſtio aliqua orietur, illam determinabimus perſonaliter absque ullo labore ſeu gravamine monaſterii memorati. In hujus rei teſtimonium præſens ſcriptum noſtri ſigilli munimine roboratum. Teſtes horum ſunt *Fridericus* miles cognomine *Weiger*. *Conradus* miles de *Angelrode*. *Albertus* miles de *Heillingen*. *Bertoldus* & *Hermannus* de *Madala*. *Witgo* de *Rudolfſtad*. *Heinricus Vulpes* cives Erfordenſis. Frater *Conradus* de *Künegerſe* Cuſtos Lipzenſis, Frater *Ludewicus* Gardianus Erfordenſis, & quam plures alii fide digni. Datum & actum *Erfordie* in domo fratrum Minorum Anno Domini M. CC. LXXXX. quarta Calend. Novembr.

LX.

Otto de Kirchberg vendit Monaſterio proprietatem unius manſi in Ergrimſtet.

1292. NOs Dei gratia *Otto* Burggravius dictus de *Kirchberg* tam præſentibus quam futuris, hoc ſcriptum intuentibus ſalutem in omnium Salvatore. Infringi poſſunt hominum ſtatuta, ſi non ſufficienter fuerint teſtimoniis literarum comprobata. Recognoſcimus tenore præſentium & cupimus conſtare, quod nos unum manſum noſtræ proprietatis in *Ergrimiſtete* ſitum, quem poſsidet Th. dictus *Albart*, vendidimus Eccleſiæ ac ſanctis monialibus in *Caplindorf* cum omni jure, ita quod in eodem manſo nihil juris omnimode retinebimus deinceps. Et eundem manſum comparaverunt pro tertia decima marca dimidia albi argenti, quam pecuniam dedit *Heinricus* Presbiter de *Saltza*, in remedium anime ſue ſempiternum, & in hiis ſcriptis, ex conſenſu & voluntate bona noſtrorum coheredum *Th.* & *Ottonis* eundem manſum Eccleſiæ ac ſanctis monialibus in *Caplindorf* cum omni jure appropriamus perpetuo poſsidere. Ut autem hæc emptio & noſtra donatio a noſtris ſucceſſoribus inviolabilis obſervetur, præſentem litteram noſtri ſigilli munimine fecimus confirmari. Hujus rei teſtes ſunt: *Bertoldus* Plebanus de *Suabehuſin*. *Heinricus* miles de *Ligtinban*. *Hermannus* miles de *Sinſtete*. *Th.* de *Libgaſtiz*. *Hedinricus* de *Sortowe*. *Henricus Smalce* advocatus. *Th. Berner*. *Bertoldus* de *Roda*. *Conradus Renfridi*, *Philippus Maroldi*, cives Genenſes, & alii quam plures fide digni. Acta ſunt hæc Anno Dni. M. CC. Nonag. ſecundo.

LXI.

Hartmodus Archi-Presbyter in Ober-Wymar teſtatur, ab Alberto de Swabehuſen unum manſum donatum fuiſſe Monialibus.

1292. NOs *Hartmodus* Archipresbyter ſedis in *Ober-Wimar* omnibus Chriſti fidelibus hoc ſcriptum intuentibus ſalutem in Chriſto Jeſu. Infringi poſſunt hominum ſtatuta, niſi fuerint litterarum teſtimoniis perhennata. Recognoſcimus tenore præſentium & cupimus conſtare, quod *Bertoldus* plebanus de *Svabehuſen*, pro nova dimidia libra comparavit, & quod idem *Albertus* eundem manſum ex pleno conſenſu & de bona voluntate ſuorum cohe-

cedum *Alberti* & *Ottonis*, *Gimme* & *Jüttin*, libere resignavit, & Ecclesiæ ac sanctis Monialibus in *Cappillendorf* jure proprietario appropriavit, & in eodem manso sibi ac suis heredibus nihil juris omnino reservavit. Ut autem horum contractus & donatio ab *Alberti* successoribus firmiter observetur, præsentem literam ad petitionem *Alberti* dicti de *Suabehusin* fecimus conscribi, & sigillo sedis in *Oberwimar* fecimus diligenter roborari. Hujus rei testes sunt *Henricus* St. Plebanus in *Heigrimstete*. *Ernestus* Plebanus de *Ginna*. *Fridericus* Sacerdos. *Siffridus* Sacerdos, Capellani in *Capplindorf*. *Renboto* de *Libanizs*. *Albertus Gligillin* de *Capplindorf*. *Cunradus Renfridi* civis Genensis, & alii quam plures fide digni. Acta sunt Anno Domini M. CC. LXXXXII.

A

LXII.

Henricus de Salza Presbyter & Bertoldus Plebanus proprietatem unius mansi in Diterstete, monasterio assignant, & sub certo censu mansum illum ab Ecclesia jure hereditario suscipiunt.

1292. QVæ geruntur in tempore simul labi solent cum tempore a memoriis futurorum, nisi scripturarum testimoniis fuerint comprobata. Nos *Hartungus* Præpositus in *Capplindorf*, & *Hedewigis* Abbatissa totumque Collegium ancillarum Christi ibidem recognoscimus tenore præsentium & cupimus constare, quod *Henricus* sacerdos, dictus de *Saluta*; *Bertoldus* Plebanus de *Suabehusin*, unum mansum proprietatis in *Ditirstete* situm, quem suis denariis comparaverunt, & nostræ ecclesiæ appropriaverunt, & eundem mansum jure hereditario prædicti sacerdotes a nostra Ecclesia susceperunt ita, ut singulis annis ad infirmariam Dominarum, quatuor solidos *Madilanensium* vel *Winarensium denariorum* pro censu annuali sine subtractione ministrentur, & post obitum eorum cuicunque hereditatem illam assignaverint, quam vir, quam mulier, succedive, qui talem censum reddiderint jure hereditario a nostra Ecclesia perpetuo non priventur, nec ad ullum munus super collatione cogentur, sed cum collationem petierint, eis ad ministrentur. Ut autem collatio hæc ac nostris successoribus firma observetur, præsentem literam sigillo nostro Conventus fecimus communitam. Hujus rei testes sunt *Johannes* & *Fridericus* Sacerdotes Capellani ibidem. *Bertoldus*. *Henricus*. *Bertoldus*. *Reinboto*. *Martinus* Conversi ibidem, & alii quam plures fide digni. Acta sunt hæc Anno Domini M CC LXXXXII. Tertio Ydus Januarii.

B

C

D

LXIII.

Comes Guntherus de Schwartzburg Ecclesiæ in Capelndorf unius mansi in Magdala proprietatem donat.

1292. NOs *Guntherus* Dei gratia Comes de *Schwartzburch*, ad modernorum præsentiam & futurorum subsequentem notitiam pervenire volumus & extendi, quod ob divinæ retributionis intuitum, moti speciali devocionis evidentia, Præposito & Conventui Ecclesiæ Sanctimonialium in *Cappelndorf*, mansum unum situm in *Madela*, quem miles dictus *Eppe* a nobis jam dudum in feudo possedisse dinoscitur, quem mansum Dominus Plebanus de *Scüz* apud dictum militem pro quinque marcis albi argenti emptionis titulo comparavit, nos prædictum mansum de bona voluntate & speciali licentia prædictorum, Ecclesiæ & Conventui prælibato dedimus ac donamus proprietatis titulo perpetuo possidendum, renuntiato jure quolibet per nos seu heredes nostros, ac prædictum militem ac heredes & coheredes suos universos hactenus habito vel habendo. Ut autem de prædictis dubitationis scrupulus suboriri nequeat & quæstio nocitura, præsentem literam inde confectam sigilli nostri robore fecimus communiri. Hujus donationis testes sunt Dominus *Theodericus* Vice-Plebanus in *Orlamünde*, Dominus *Hermannus* Plebanus in *Rinstete*, Dominus *Johannes* Plebanus de *Croszene*, *Witto* de *Heldüngen*, *Io Heinricus* dictus *Flans*, *Kirstanus* de *Mulde*, milites, *Guntherus Flans*, & *Maxoldus*, *Otto* de *Eichenberg*, & cæteri fide digni. Datum anno gratiæ M. CC. LXXXXII. pridie Nonas Januarii.

LXIV.

Comes Heinricus de Schwarzburg etiam suo juri in illum mansum renuntiat.

NOs *Heinricus* Comes in *Swarzburch* notum facimus omnibus præsentem literam visuris, quod mansum situm in *Madela*, quem a nobis & a patruo nostro *Gyntherg* Comite in *Swarzburch* in feodo tenebat Dns *Eppe* miles de *Scüzi*, Castrensis in *Orlamünde*, quem vendidit cum consensu sue uxoris ac liarum heredum, Dno *Tithmaro* Rectori Cappelli in *Scuiz*, ad preces utrorumque & in clamorem Dni Dei Omnipotentis eam partem ejusdem manni, prout ad nos pertinebat, donavimus & appropriavimus Conventui in *Capellendorf* cum omni jure & utilitate, quæ ad nos aut nostros antecessores ab antiquis temporibus pertinebat. Et ne ulla prædicto Conventui controversia aut impedimentum in futurum valeant exoriri in præsentem litteram eis dedimus in perpetuum valituram sigilli nostri munimine roboratam. Testes hujus rei sunt venditionis & appropriationis militis Dominus *Albertus* de *Brandenstein*, *Theodericus* de *Bulewitz*, *Hermannus* de *Theseiz*, *Johannes* de *Kochebech*, & quam plures alii fide digni. Datum *Blanckenberch*. Anno Domini M. CC. LXXXXI. II. Nonas Augusti.

1292.

LXV.

Sanctimoniales vendunt Cunegundæ & Hermanno Bachen mansum in Vnverstete pro annuo censu præstando.

NE turpis oblivio ea deleat vel abstergat, quæ geruntur sub tempore, scriptis solet & testibus perhennari. Hinc est nos Præpositus *Hartlungus*, *Hedewigis* Abbatissa totusque Conventus Sanctimonialium in *Capeln-*

1293.

pelndorf recognoſcimus, & tenore præſentium proteſtamur, nos *Cunegundi* & *Hermanno* filio ſuo dicto *Becbe*, manſum ſitum in *Unverſtete* pro undecim marcis argenti albi vendidiſſe jure hereditario tam ipſis quam ipſorum heredibus perpetuo poſſidendum. Ita videlicet quod Eccleſiæ noſtræ dimidium maldrum frumenti ſolvant annuæ penſionis. Ut hæc igitur inviolabiliter obſerventur, ſigilli noſtri munimine roboramus. Teſtes ſunt Converſi noſtri, Dns *Bertoldus* Plebanus de *Swabbuſen*, *Ditbmarus* de *Rugebuſin*, *Fridericus* & Dominus *Sifridus* Capellani noſtri. Acta ſunt hæc anno incarnationis Dni. M. CC. LXXXXIII. Quarto Kl. Januarii.

LXVI.

Pincernæ de Apoldia donant monaſterio jus proprietatis in manſum ſitum in Kotzſchau.

1293. NE rerum geſtarum memoria proceſſu temporis evaneſcat, diſcretorum virorum providentia ſolet eas quodammodo per literas æternare. Nos igitur *Theodericus* Vice Dns ſenior & *Bertoldus* junior: *Heinricus* & *Theodericus* Pincerna de *Appoldia*, recognoſcimus tenore præſentium publice proteſtando, quod *Wernerus* miles de *Appolde* manſum proprietatis in *Kotzſowe* ſitum, ſolventem albi argenti unam marcam & duos pullos annue penſionis vendidit Domino *Hartungo* quondam in *Kappelindorf* Præpoſito, cum omni jure, omnium heredum ſuorum conſenſu unanimi accedente, ipſumque manſum cum omni jure proprietatis quod ad ipſum, quam ad ſuos coheredes pertinebat, prout juris eſt, debito modo nobis præſentibus abrenuntians ad nutum Domini *Hartungi* Eccleſiæ ac ſanctis virginibus in *Kaplindorf* jure proprietario benivole appropriavit. Ut autem hujusmodi factum maneat firmum & inconvulſum, ſigillorum noſtrorum munimine præſentem literam fecimus roborari. Teſtes hujus rei ſunt, Dns *Hedinricus* Præpoſitus in *Hüſtorf*. *Cunradus Hugonis*. *Cunradus Gotſchalcus* fratres de *Sulcebech*. *Ditmarus* de *Sultze* & alii quam plures fide digni. Acta ſunt hæc anno Domini M. CC. LXXXXIII. XVII. Kl. Auguſti.

LXVII.

Teſtimonium de facta reſignatione hujus manſi.

1294. NOs *Waldmannus*, dictus de *Witterſten*, Advocatus. Illuſtris principis *Alberti Thuringie* Landgravii univerſis hanc literam inſpecturis cupimus eſſe notum, quod poſtquam Præpoſitus & Conventus Sanctimonialium in *Kappelndorf*, manſum ſitum in *Kotzowe*, a Domino *Wernhero*, milite de *Appoldia* comparaverant, idem *Wernherus* omnibus ſuis heredibus conſentientibus, manſum prædictum cum omni jure proprietatis, quod ad ipſum pertinebat, coram noſtro judicio prout moris eſt, abrenuntians libere reſignavit. Ad majorem igitur hujus facti certitudinem literam hanc ſigilli noſtri munimine roboramus. Teſtes ſunt *Bertoldus* Vice-Dominus de *Appoldia*. Pincernæ, *Henricus* & *Henricus* Fratres. *Bertoldus* dictus *Hedingen*, & alii quam plures fide digni. Acta ſunt hæc anno Domini M. CC. Nonag. IIII. Tertio Kal. Febr.

LXVIII.

Otto de Kirchberg Sanctimonialibus vendit VI. manſos in Cappelndorf, omnique juri renuntiat.

QUoniam ſcripturarum teſtimonia res geſtas repræſentant, & lites determinant 1294.
de facili ſuccurrentes. Nos *Otto* Dei gratia Burggravius de *Kirchberch* recognoſcimus, ac omnibus tam præſentis quam futuris temporis ſucceſſoribus, ad quos præſentes literæ pervenerint, volumus eſſe notum, quod allodium noſtrum in *Kaplindorf* continens ſex manſos, quod quidem allodium ad nos proprietatis titulo noſcitur pertinere, cum omni jure & utilitate, præſenti & futuro Præpoſito & Abbatiſſe, & Conventui Sanctimonialium in *Kaplindorf* vendidimus de conſenſu & bona voluntate uxoris noſtre dilecte *Soffie*, nec non heredum noſtrorum. *Theodericus* & *Otto* & *Albertus*, pro quinquaginta marcis albi argenti, quam quidem pecuniam Præpoſitus, Abatiſſa & Conventus prædicti nobis *Henrico* militi de *Iſſirſtete* perſolverunt. Nos etiam *Otto* Burggravius prædictus renuntiamus pro nobis, uxore & heredibus noſtris per præſentes, & dictum allodium ad altare Beati Bartolomæi Apoſtoli offerimus, una cum uxore & heredibus, nihil juris nobis in dicto allodio in antea reſervantes. Et ne hujus noſtre vendicionis, oblationis ſeu renuntiationis per nos facte in ſolidum oblivionis ſcrupulus aut ſiniſtre interpretationis calumpnioſa quæſtio, locum ſibi valeat vendicare, hanc noſtram litteram Præpoſito, Abbatiſſe, & Conventui Sanctimonialium in *Kapelndorf* dedimus noſtri ſigilli munimine roboratam præſentibus teſtibus infra ſcriptis. *Cunradus* miles de *Iſſerſtete*. *Walterus* de *Glisbergk*. *Henricus* miles de *Ligtinhain*. *Theodericus* de *Libgaſtiz*. *Hedinricus* de *Scortowe*, frater de *Wirzeburch*, & alii quam plures fide digni. Acta ſunt hæc Anno Dni. M. CC. LXXXXIIII. Kal. Martii.

LIX.

Otto de Kirchberg confert monaſterio proprietatem manſi in Hergrinſtet.

IN nomine Domini Amen. Ne geſtarum rerum memoria proceſſu temporis evaneſcat, diſcretorum virorum providentia ſolet eas quodammodo per literas eternare. Hinc eſt, quod nos *Otto* Dei gratia Burggravius de *Kirchberg* ad notitiam tam præſentium, quam futurorum cupimus devenire, quod manſum unum ſitum in *Hergrinſtete*, quem a nobis *Wernherus* miles de *Apoldia*, & *Hugo* & *Brito* filii fratris ſui *Alberti* jam defuncti, in feodo tenerunt, poſtquam nobis reſignaſſent, more debito cum omnibus ſuis heredibus renuntiaſ- 1294.

nuntiassent, Ecclesiæ S. Bartholomæi in *Kaplindorf* & Conventui Sanctimonialium ibidem constituto ob reverentiam Dei omnipotentis, cum omni jure proprietatis, quod ad nos pertinebat, libere contulimus possidendum. Ut autem hujusmodi factum maneat inconvulsum, nostri sigilli munimine roboramus. Hujus eciam rei testes sunt, *Conradus* miles de *Issirstete*. *Walitherus* de *Clisberch*, *Henricus* miles de *Lichtinbain*. *Theodericus* de *Libgostiz*. *Fridericus* de *Wirzeburch*, & alii quam plures fide digni. Acta sunt hæc Anno Dni. M. CC. LXXXXIIII. XIII. Kl. Martii.

LXX.

Otto de Kirchberg curiam in Schwabehusen cum omnibus bonis, Ecclesiæ in Schwabehusen vendit & pro dote appropriat.

1294. QVoniam scripturarum testimonia res gestas repræsentant, & lites determinant, de facili succurrentes: Nos *Otto* Dei gratia Burggravius de *Kirchberch* universis Christi fidelibus recognoscimus, tenore præsentium publice protestando, quod nos unam curiam cum omnibus bonis quam agris, pratis & lignetis, attinentibus nostre proprietatis in *Swabehusin* sitam ex pleno consensu & voluntate nostrorum colicredum, videlicet, *Theoderici* & *Ottonis*, & *Alberti* vendidimus pro decem & octo marcis albi argenti, *Bertoldo* Plebano in *Swabehusin*, cum omni jure proprietatis, quod ad nos pertinebat, & prout juris est, modo debito, coram Castellanis nostris in *Wintberch* ipsam Curiam cum bonis prædictis, cum omni jure proprietatis, abrenuntiando, ad manus præfati Plebani benivole resignavimus, & propter Deum, & ob honorem Virginis gloriose Mariæ, & beate Margarete, Ecclesiæ in *Suabhusin* tamquam dotem, jure proprietatis libere appropriamus. Ut autem hæc nostra venditio aut donatio a nostris successoribus firma perseveret, præsentem literam nostri sigilli munimine fecimus communiri. Hujus rei testes sunt: *Heinricus* Plebanus in *Brisiniz*. C. miles in *Issirstete*. *Walterus* advocatus de *Glisberch*. *Henricus* miles de *Ligtinbain*. *Hedinricus* de *Sathowe*. *Th. Berner*. Frater de *Wirceburch*. *Henricus Sussilberch*, & alii quam plures fide digni. Acta sunt hæc Anno Domini M. CC. LXXXXIIII. sexto Kl. Febr.

LXXI.

Moniales in Heusdorf vendunt sanctimonialibus in Cappelndorf duos mansos in Halstete.

1294. HEidinricus Dei gratia Præpositus, *Jutta* Priorissa totusque Conventus Sanctimonialium in *Husdorf*, omnibus hanc literam inspecturis salutem in Domino. Ea quæ geruntur in tempore, ne elabantur a memoria hominum tempore elabente, providentia discretorum solet litteris aventicis perhennare. Hinc est, quod nos litteris præsentibus protestamur, & omnibus cupimus esse notum, quod nos duos mansos litos in *Halstete*, Ecclesiæ Sanctimonialium in *Kappelndorf* vendidimus, cum omni jure proprietatis pro duodecim marcis albi argenti, nobis integraliter persolutis. Hos videlicet mansos præscriptos nos comparavimus a Dnis & fratribus, *Henrico* & *Theoderico* Pincernis de *Appolde*, & eorum heredibus universis, & hoc de consensu & voluntate Illustris Principis, Dni *Henrici Marchionis Mysnensis*, cujus proprietas bonorum existitit eorundem, quam proprietatem nobis suis literis patentibus, edonavit. Quas etiam litteras prædicto Conventui in *Kappellendorf* præsentavimus, cum eisdem mansis superius A memoratis. Hujus rei testes sunt, Dominus *Hermannus* & *Güntherus* sacerdotes, frater *Siwiridus*, *Henricus*, *Conradus* & *Güntherus* nostre Ecclesiæ Conversi: Vice-Dominus *Bertoldus*, filius suus *Heidenricus* & *Heinricus*. Fratres Pincerne de *Apolde*, & alii Clerici & Laici fide digni. Acta sunt hæc Anno Domini M. CC. LXXXXIIII.

LXXII.

Guntherus de Schwartzburg unius mansi in Magdela proprietatem, quam pater jam donaverat, iterum confert monasterio.

GUntherus Dei gratia Comes de *Swartzburch*, universis hanc literam inspecturis, prosperos semper ad vota successus. Cum propter varietatem temporum, memoria hominum oblivionis nubila frequentius patiatur, salubriter providetur in futurum & in posterum, si voluntates, donationes, seu ordinationes mortalium scriptis aventicis roborantur. Hinc est, quod ad notitiam pervenire cupimus tam præsentium, quam futurorum, quod nos, ad anime nostre remedia, nec non ad preces devote femine sororis *Gerdrudis* dicte de *Madela*, mansum ibidem s - - in *Madela* situatum, quem soror perhibita jam pridem a nobis sibi feudaliter porrectum quiete possederat, quem etiam *Theodericus Leo*, miles de *Doberzen* nomine tutele ad manum fidelem susceperat, monasterio in *Cappellendorf*, ordinis sancti Benedicti, in honore B. Bartholomæi fundato conferimus ac donamus integro cum omni jure ac dominio pacifice possidendum, sicut etiam pater noster *Güntherus*, Comes de *Suartzburch* bone memorie, eidem monasterio eundem mansum contulit ac donavit. Et ut Deo gratiosior sit hujusmodi nostra acp - - nostri donatio libera sponsione promittimus, quod si (quod absit) a nostris heredibus, seu quibusqunque aliis, super ordinatione præfata, questio aliqua oriretur, illam determinabimus personaliter, absque ullo labore seu gravamine monasterii memorati. In cujus rei testimonium præsens scriptum dedimus nostri sigilli munimine roboratum. Testes horum sunt: *Fridericus* miles *Wiceleybin*, *Albertus*, & *Otto* dicti de *Curia*, & quam plures alii fide digni. Datum *Swartzburch* Anno Domini M. CC. XCIIII. Nonas Junii. 1295

LXXIII.

Otto de Kirchberg donat monasterio proprietatem dimidii mansi in Cappelndorf.

Nos

NOs *Otto* Dei gratia Burggravius de *Kirchberg* ad notitiam tam præsentium quam futurorum hoc scriptum intuentium cupimus devenire, quod postquam *Gerdrudis*, quondam pedissequa matris nostre felicis memorie, dimidium mansum situm in *Capelndorf*, a relicta *Heinrici* de *Wimaria* ob remedium salutis sue, Ecclesiæ & Conventui Sanctimonialium in *Capelndorf* comparasset, ipso quoque vidua - - ac ejus heredes nostrorum, ob reverentiam Dei, & animarum nostrarum salute contulimus perpetuo possidendum. In cujus rei testimonium hec sigilli nostri munimine roboramus. Testes sunt Dominus *Theodericus* de *Libegestiz*, Dns *Heinricus* de *Lichtinhain*. *Fridericus* de *Wizeburg*, & alii quam plures fide digni. Acta sunt hæc Anno Dni. M. CC. XCVI.

LXXIV.

Burggravius Theodericus Senior Monasterio proprietatem IIII. mansorum in Magdla donat.

1296. TEstante sacro eloquio, cum sit salubris & sancta cogitatio pro his, qui - - acceperunt, exorare: Universis hanc literam inspecturis ego *Theodericus* Burggravius senior, dictus de *Aldinberck*, notum esse volo, quod in remedium anime mee, nec non omnium meorum, & in Suffragium non minus victualium ac aliarum necessitatum filie meæ *Sophye*, cum consensu filiorum meorum *Theoderici* & *Theoderici*, collegio & conventui famularum Christi, videl. sanctimonialium in *Capelndorf* contuli proprietatem trium mansorum in *Madela* sitorum jure perpetuo possidendam. Quoniam mansorum dimidium mansum possidet soror *Gerdrudis*; dimidium mansum possident *Johannes* & *Gotschalcus* filii sororis prefate *Gerdrudis Begine*. Duos mansos possident *Heinricus* de *Widelindorph*, *Irmegardis* & *Gertrudis*, sororis ejusdem. Ne autem super hac collacione ulla unquam emergat oblivio, vel etiam contradictio, sigillum meum duxi præsentibus apponendum. Testes hujus rei sunt frater *Ebirhardus*; & frater *Heinricus* de *Golmasdorf*, ordinis prædicatorum. Dominus *Hermannus* Plebanus in *Aldindorph*. Dominus *Conradus* miles dictus de *Welniz*. *Henricus Mathildis* in *Aldindorf*, & quam plures alii fide digni. Acta sunt hæc Anno Domini M. CC. XCVI.

LXXV.

Otto Burggrav. monasterium proprietate duorum mansorum in Cappelndorf donat.

1297. NE ea, quæ geruntur sub tempore, simul cum tempore a memoria hominum elabantur, cautum est, ut scriptis & testibus sulciantur. Hinc est, quod nos *Otto* Dei gratia Burgravius de *Kirchberg*, ad notitiam tam præsentium quam futurorum cupimus devenire, quod ob reverentiam Dei omnipotentis duos mansos sitos in *Capelndorf*, Ecclesiæ & Conventui Sanctimonialium ibidem cum omni jure proprietatis, quod ad nos noscitur pertinuisse, ex consensu omnium heredum nostrorum contulimus quiete & libere possidendos. Et hoc ad instantiam *Gebehardi* militis nostri, dicti de *Sultzebeche*, qui dictos mansos pro decem & octo marcis argenti albi vendidit Ecclesiæ memoratæ. Ne igitur hujusmodi factum inposterum valeat immutari, præsentem chartam sigilli nostri munimine duximus roborandam. Testes sunt Dominus *Heinricus* miles de *Lichtenhayn*, & *Johannes* frater ejus, Dominus *Theodericus* miles de *Lobegostiz*, Dominus *Henricus* Plebanus in *Brisenz*, & alii quam plures fide digni. Acta sunt hæc Anno incarnationis Dni. M. CC. XCVII.

LXXVI.

Conradus Pincerna de Deberzen vendit monialibus mansum in Hammerstete, eisque proprietatem ejus sub obligatione obstagii promittit.

NOs *Conradus* Pincerna de *Deberzen* omnibus Christi fidelibus hoc scriptum intuentibus salutem & sinceram in Domino karitatem. Tenore præsentium publice protestamur, quod nos vendidimus unum mansum in *Hamirstete* situm, sanctimonialibus in Caplindorf pro septem marcis puri argenti, cum omni fructu, ita, ut nihil juris nobis aut nostris heredibus deinceps remaneat, & proprietatem præfati manſi prædictis Dominabus permittimus fide data, ante festum B. Michaelis proxime nunc venturum, nostris sumptibus & laboribus finaliter ordinare: quod si a nobis neglectum hoc officium fuerit, aut nos de medio sustulerit Dominus, quod avertat, *Theodericus* frater noster eosdem labores fideliter se subiturum promittit. Si autem ante terminum nobis præfixum proprietatem non ordinaverimus, nos in *Gene* civitate, una cum fratre nostro, *Th.* & sororio nostro, *Bertoldo* Vice-Domino de *Apolde* fide data, eodem die S. Michaelis recipere promittimus, ac inde nunquam exituri, nisi negotium proprietatis a nobis fuerit fideliter determinatum. Ut autem hæc nostra promissio inviolabilis perseveret, præsentem literam nostrorum sigillorum munimine fecimus communitam. Hujus rei testes sunt, *Bertoldus* Plebanus de *Swabebusin*, *Hernestus* sacerdos, *Th. Leo*, miles de *Debertzen*. *Cunradus* de *Warila*, *Henricus* filius suus, & alii quam plures fide digni. Acta sunt hæc Anno Domini M. CC. XCVIII. XI. Maji.

1298.

LXXVII.

Otto de Kirchberg donat monasterio proprietatem molendini apud Sichmansdorf & ipsius villæ Sichmansdorf.

IN nomine Domini Amen. Nos *Otto* Dei gratia Burgravius de *Kirchberg* tenore præsentium publice recognoscendo protestamur, quod ob reverentiam Dei, molendinum situm juxta *Sichmansdorf*, & ipsam villam *Sichmansdorf* cujus pars proprietatis, ex parte uxoris nostre & nostrorum heredum videlicet: *Theoderici*, *Ottonis*, *Alberti*, *Hartmanni*, Ecclesiæ B. Bartholomæi & Conventui Sanctimonialium in *Caplindorf* cum

1298.

omni jure proprietatis contulimus, libere & quiete perpetuo possidenda. Et hoc ad instantiam *Johannis* dicti de *Madela*, & *Hermanni* fratris sui, qui ipsa sepe dicta bona a nobis in feodo habuerunt, postquam ibidem sororem suam locaverant, eadem bona in salutis sue remedium dederunt Ecclesie memorate. Ut autem hec donacio a nostris successoribus firmiùs observetur, præsentem literam nostri sigilli munimine fecimus roborari. Hujus rei testes sunt: *Henricus* miles de *Lichtinhan*, *Theodericus* miles de *Libegastiz*, nostri Castellani, *Albertus Maroldi*, & *Gerhardus* frater suus, *Henricus Francho*, Cives Genenses, & alii quam plures fide digni. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. LXXXXVIII.

LXXVIII.

Otto Burggr. Monasterio jus proprietatis in vineam sitam in monte Jenzigk confert.

1298. NOs *Otto* Dei gratia Burgravius de *Kirchberg* omnibus hoc scriptum intuentibus salutem in Domino salutari. Recognoscimus litteras per præsentes, quod nos propter Deum, & ad petitionem *Petri* & *Nicholai* de *Libechowe* fratrum, unam vineam in monte *Jencige* sitam de pleno consensu nostrorum heredum, scil. *Theoderici*, *Ottonis*, *Alberti*, *Hartmanni*, Virginibus Deo dicatis in *Caplindorf* contulimus, & donamus, & jure proprietatis appropriamus, perpetuo possidere, quam hic *Siboto* prædictorum fratrum germanus, qui prænotatam vineam in monte *Jencige* a nobis in feodo possedit, se simul cum vinea, præfatis Virginibus ad famulandum Domino, donavit. Ut autem hec nostra donatio Deo placeat, & jugis permaneat, præsentem literam diligentius fecimus conscribi, & nostrorum sigillorum fecimus munimine roborari. Testes rei hujus sunt *Theodericus* miles de *Libegastiz*. *Henricus* miles de *Ligtinhan*. *Henricus* miles de *Lesten*. *Bertoldus* Plebanus de *Suabehusii* & alii quam plures fide digni. Acta sunt hæc Anno Domini M. CC. LXXXXVIII.

LXXIX.

Otto de Kirchberg Monialibus mansum in Halbstet vendit & appropriat.

1298. NOs *Otto* Dei gratia Burgravius de *Kirchberg* omnibus hoc scriptum intuentibus salutem in omnium Salvatore. Tenore præsentium cupimus constare, ad quos præsens scriptum pervenerit, quod nos unum mansum proprietatis in *Halstete* situm, quem quondam a nobis *Simon* Miles de *Caplindorf* jure feodali possedit, Sanctis monialibus in *Caplindorf* vendidimus pro octo marcis albi argenti, cum omni jure & de pleno consensu nostrorum heredum, nec non *Th. Ottonis*, *Alberti*, *Hartmanni*, appropriamus jure proprietatis perpetuo possidere. Ut autem hæc nostra venditio & donatio a nostris successoribus firma perseveret, præsentem literam nostrorum sigillorum munimine fecimus roborari. Hujus rei testes sunt, *Th.* miles de *Libgastiz*, *Henricus* miles de *Ligtinhan*. *Petrus* & *Nicholaus* de *Libichowe*, *Henricus Smaltz*, & alii quam plures fide digni. Acta sunt hæc anno Domini M. CC. Nonag. VIII.

LXXX.

Monasterium Capelndorf curiam sub censu annuo concedit.

QUoniam ea, que geruntur in tempore, ne cum volubilitate temporis a memoria hominum pariter elabantur, solent litterarum testimoniis perhennari. Hinc est, quod nos dictus Præpositus, *Hedo* Abbatissa totusque Conventus Sanctimonialium in *Capelndorph* omnibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, volumus esse notum, quod voluntate unanimi & consensu curiam nostram *Erfordie Th.* & *Her.* & sorori eorum *Wume* de *Kouniz* concessimus & contulimus sub hac forma, videlicet, quod eam inhabitent tempore quoad viverent, & nobis persolvant quinquaginta solidos legalium denariorum annis singulis de eadem: scilicet medietatem in festo S. Walburgis, & residuam in festo S. Michaelis partem mediam soluturi. Si quid autem nostra voluntate in ædificiis expenderint pecuniæ memoratæ, nobis in censum annuum computabunt. Ipsis omne commodum & fructum eorundem ædificiorum mancipantes, nobis pro nostro usu & commodo labium & stabulationem solummodo derelinquent. Si vero alter aut duo decesserint ab hac vita, superstes aut superstites nihilominus pleno jure eandem curiam reservabunt. Post obitum autem omnium, eadem curia ad nos libere revertetur, in cujus rei evidentiam præsentem damus literam, sigillorum nostrorum robore communitam. Datum Anno Domini M. CC. XCIX. 1299.

LXXXI.

Otto de Kirchberg monasterio vendit unum cum dimidio mansum & pratum in Asmanstet.

IN nomine Domini Amen. Nos *Otto* Dei gratia Burggravius de *Kirchberg*, tenore præsentium recognoscimus ac publice protestamur, quod nos mansum & dimidium situm in *Asmestete*, & pratum ibidem cum omni jure hereditario ex consensu unanimi nostrorum heredum omnium, *Theodrici*, & *Ottonis*, *Alberti* & *Hartmanni*, Ecclesie & Conventui Sanctimonialium in *Capelndorf* pro marcis argenti albi vendidimus ac conferimus, cum omni jure, quod ad nos pertinuit, libere & quiete in perpetuum possidenda. Ne igitur hujusmodi factum aut per nos, (quod absit) aut nostros heredes valeat aliqualiter viciari, sigillo nostro ac testibus subscriptis firmissime communimus. Testes sunt Dominus *Henricus* de *Lesten*, Dominus *Henricus* de *Lichtenhain*, *Reinboto* de *Lubenitz*, *Menicho* de *Sachsenhusen*, & alii quam plures fide digni. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini *millesimo trecentesimo*. 1300.

LXXXII.

LXXXII.

Hermannus de Blanckenhayn & filii ejus Cœnobio dimidium mansum juxta Cappelndorf situm appropriant.

EGo *Hermannus* de *Blanckenheim* una cum filiis meis *Ottone*, *Henrico*, *Johanne* recognoscimus publice protestando, quod dimidium mansum juxta *Capelndorf* situm, in remedium animarum nostrarum ac pure propter Dominum cœnobio ac sacris monialibus in *Capelndorf* dedimus, & omni jure, quod in dicto dimidio manso habuimus, seu in futuro habere possemus, abrenunciamus simpliciter, & in totum. Ne autem in posterum ulla ambiguitas valeat sboriri, præsentem paginam inde confectam sigillo Commendatoris Domus in *Zwezen* procuramus roborari. Ego frater H. Commendator in *Zwezen*, Ordinis fratrum Domus Teutonicæ prædictam donacionem profiteor, & sigillo Domus in *Zwezen* communi. Hujus rei testes sunt Dominus *Johannes*, Plebanus in *Lobeschitz*, frater *Thylo*, Magister curiæ in *Zwezen*, *Thy.* de *Zwezen*, & alii quam plures fide digni. Datum Anno Domini M. CCC. II. Quinto Cal. Maji.

LXXXIII.

Dithmarus de Willerstete mansum situm in campis villæ Gosla donat sanctimonialibus, reservato sibi judicio sanguinis.

1302. NOs *Dithmarus* Junior H. & B. filii nostri dicti de *Willerstete*, præsentium attestatione recognoscimus publice protestantes, quod mansum situm in campis villæ *Gosla*, quem in præsenti colit *Hermannus* sartor dictus de *Phefelbeche*, cum omni jure proprietatis donavimus Ecclesiæ sanctimonialium in *Capelndorf*, sicut ipsum mansum antea possedimus jugiter possidendum, præterea quæ ad judicium sanguinis spectant, ut fure deprenso, aut homicidio perpetrato, in ipsis bonis, quod vindicabimus, sicut mos est, justitia exigente. Insuper a nobis ex utraque parte est taliter diffinitum. Quod si nos *Dithmarus*, vel nostri filii prædicti a carnis privio proxime nunc venturo per spacium anni unius dabimus triginta talenta Erfordensium denariorum, prænominatus mansus cum omni jure ad nos libere revolvetur. In cujus certitudinem donationis firmiorem, præsentem eis dedimus literam sigilli nostri munimine roboratam. Et ad majorem cautionem hujus facti, sigillum dilecti patrui nostri *Ludewici* de *Azmenstete* dicti de *Libenstete* appendere rogavimus ipsum & cum sigillo suo testimonium perhibere veritati. Præterea hujus donationis testes sunt Dns. *Heidenricus* Præpositus Dominarum in *Husdorf*. Dns *Bertramus*, Plebanus in *Azmenstete*, Dominus H. & Dominus H. fratres, dicti de *Deinstete*, *Ludewicus*, *Dithmarus*, *Helficus*, fratrueles nostri, dicti de *Willerstete*, Dominus *Conradus* & *Bertoldus* de *Vscherstete*. *Sifridus* prope fontem. H. dictus *Gallus*. H. dictus de *Bode*, & alii quam plures fide digni. Datum in *Willerstete*, Anno Domini M. CCC. II. In Dominica, qua cantatur: *Vocem Jucunditatis*.

LXXXIV.

Guntherus Schwartzburg. resignat monasterio proprietatem mansi, a Ditrico de Willerstete donati.

NOs *Guntherus* Dei gracia Comes de *Swarzburg* publice recognoscimus, & omnibus hanc literam visuris cupimus fore notum: quod accedens ad nostram præsentiam dilectus nobis *Dithmarus* de *Willerstete*, miles junior, unum mansum situm in campis villæ *Gaslo*, cum suis attinenciis, quem in præsenti colit *Hermannus*, dictus sartor de *Pfefelbeche*, quem, inquam mansum idem *Dithmarus* a nobis hactenus jure feodali tenuit, nostris manibus resignavit. Ipsa quoque resignatione facta, statim jam dictus *Dithmarus* motus devotione perintima tanquam vir, de supernæ redditionis centuplo cogitans munere, nobis cum magna humilitatis instancia devocius supplicavit, ut quia nempe ob reverentiam Dei & suæ Matris, Virginis illibatæ, dictum mansum Claustro & Conventui in *Capelndorf*, motu pietatis dedisset, nos etiam eidem claustro eundem mansum sub proprietatis titulo misericorditer donaremus. Vidimus autem sui puncturas desiderii, suis precibus flexi fuimus, & benigniter inclinati, proponentes nostri cordis oculis solum Deum, qui pro tantæ pietatis summopere vitam potest largiri æternam, sæpe dictum mansum prælibato Claustro & Conventui in *Capelndorf* dedimus, & præsentibus damus jure proprietatis temporibus perpetuis liberaliter possidendum. In hujus rei testimonium, nostrum sigillum præsentibus duximus apponendum. Testes hujusmodi nostræ donationis sunt honesti viri: Dominus *Wilfridus* Præpositus sanctimonialium in *Vlmene*. *Fridericus* de *Wizeleuben*. *Hermannus* de *Meildingen*. *Conradus* dictus *Weiger*, milites nostri dilecti, & alii quam plures fide digni. Datum *Erfordiæ*, Anno Domini M. CCC. secundo in vigilia B. Urbani. 1302.

LXXXV.

Otto de Kirchberg mansi unius in Halstet proprietatem donat monasterio.

IN nomine Domini Amen. Nos *Otto* Dei gracia Burggravius de *Kirchberg* omnibus ad quos præsens scriptum pervenit, cupimus esse notum, quod nos ob reverenciam Dei, & nostræ salutis augimentum, ad instantiam Præpositi in *Capelndorf* cum consensu heredum nostrorum *Theoderici* videlicet, *Ottonis*, *Alberti* & *Hartmanni*, mansum unum situm in *Halstete*, quem a nobis *Simon* de *Capelndorf* in feodo habuit, postquam dictum mansum nobis resignasset, & se apud Cœnobium in *Capelndorf* mansurum recepisset, Ecclesiæ & memorato Cœnobio cum omni jure proprietatis, quod ad nos pertinebat, contulimus quiete & libere possidendum. In hujus rei certitudinem hæc scripta sigilli nostri munimine 1303.

mine roboramus. Teſtes ſunt Dominus *Heinricus* de *Leiſten*, Dns. *Heinricus* de *Liebtenbain*, Dominus *Henricus* de *Liberſchitz*, milites. *Heinricus* de *Suſelberch*, *Reinbote* de *Lubenitz*, & alii quam plures fide digni. Acta ſunt hæc Anno Incarnationis M. CCC. III. Nonas Maji.

LXXXVI.

Petrus de Lübichau Cœnobio unum manſum ſitum in Obern-Reinſtet teſtamento legat.

1304. EGo *Petrus* dictus de *Lubichowe*, recognoſco ſanè ac univerſitati omnium publice proteſtor, quod pro ſalute animæ meæ, nec non uxoris meæ *Herburgis*, ſub titulo teſtamenti Cenobio in *Capelndorf* unum manſum meæ proprietatis ſitum in *ſuperiori Roumſtete*, ſolventem annuatim ſex ſolidos Erphordenſis monetæ, tres in feſto Walpurgis, & tres in feſto Michaelis, & dimidium maldrum tritici, quatuor & tres pullos, & unum clobum plane reſignavi, ea videlicet condicione, ut prædicta bona una cum uxore mea poſſideam tempore quoad vivo. Poſt mortem vero meam & prædictæ uxoris meæ, eadem penſioni infirmitorium prætaxati Cenobii præſententur ſingulis annis libere poſſidenda. Ut autem hujusmodi factum, tam notorie terminatum, ab omni impugnatoris injuria perpetuo maneat inconvulſum, præſentem paginam ſigillo Domini mei Pincernæ de *Dornburg* feci roborari. Teſtes hujus donationis ſunt, Frater *Heinricus Rinc*, Fratrum Minorum, Dominus *Bertoldus* Plebanus de *Suabehuſin*, Dominus *Heynricus* de *Salza*, *Albertus Maroldi*, & fratres ſui, *Johannes* & *Philippus*, *Heynricus Franke*, & alii quam plures fide digni. Datum Anno Dni. M. CCC. quarto.

LXXXVII.

Otto de Kirchberg vendit Monaſterio rivum prope Capelndorf & unum cum dimidio manſum juxta Osmanſtet.

1305. NOs *Otto* Dei gratia, Burggravius de *Kirchberg* tenore præſentium publice proteſtamur, quod de conſenſu dilectæ Conjugis noſtræ, ac omnium hæredum noſtrorum vendidimus Sanctimonialibus in *Capelndorf* omne jus & proprietatem, quæ nobis competebant aut competere videbantur in rivo ſeu in aquis in molendino eidem clauſtro adjacentibus, ſive ipſi villæ, pro tribus marcis puri vel albi argenti, nobis integraliter perſolutis, ut in his omne dominium, jus & proprietatem habeant & poſſideant ſine ullo impedimento, ſicut nos noſcimus habuiſſe. Similiter recognoſcimus in hoc ſcripto, quod eisdem Clauſtralibus vendidimus manſum unum cum dimidio, & pratum juxta *Asmenſtete*, pro quadraginta marcis, nobis integraliter perſolutis, proprietatis titulo perpetuò poſſidenda. Et ne in his a nobis aut ab aliquo hæredum noſtrorum moleſtari, turbari, impeti, aut aliqualiter impediri valeant ullo tempore, cum de conſenſu omnium quorum intereſt, benevolo ſint hæc acta, præſentem damus literam ſigilli noſtri robore communitam. Datum *Cize* Anno Domini M. CCC. quinto in feſto ſanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum.

LXXXVIII.

Monaſterium Præbendam pollicetur, Hermanni Bauch in Euphersdorf vel ejus fratris in Trebenitz filiæ.

1307. NOs *Theodericus* Præpoſitus: *Adilheidis* Abbatiſſa: *Sophia* Prioriſſa, totusque Conventus Sanctimonialium in *Capelndorf* recognoſcimus, & in præſencia univerſorum præſens ſcriptum intuentium publice profitemur, quod unam puellam bonæ conditionis, filiam *Hermanni Ventris* de *Euphersdorf*, vel filiam *Hermanni* fratris ſui, relidentis in *Trebenitz*, aut quæ eorundem Neptis exiſtat, ad Collegium noſtrum clauſtri ſive noſtri Conventus recipere debemus, dantes eidem puellæ de bona voluntate ac unanimi conſenſu totius noſtri Capituli, præbendam primo & principaliter propter Deum, ut ipſa puella pari jure & æqua dignitate cum cæteris duabus Deo famulantibus potiatur, & etiam pro eo, ut prædicti fratres, qui cognomine *Ventres* vocantur, ſaltem de turbacione, quæ per mortem *Symonis*, felicis recordationis ipſi contigit, erogata, qui eisdem proxima linea conſanguinitatis adſtrictus fuerat, conſolentur. Præterea damus ipſis largam deliberacionem, ut intra terminum duorum annorum de puella nobiscum manſura cogitent finaliter & diſponant, ut finis habeatur. Quia præbenda vacabit, ſi ipſi ultimum terminum deputatum in hac parte negligentes vel tardi fuerint aut remiſi. Ne igitur de hujusmodi ordinacione ſive opoſitione cuiquam dubium oriatur, præſentem literam conſcribi fecimus, ipſam ſigillorum noſtrorum munimine roborantes. Teſtes ſunt Dominus *Heidenricus* Præpoſitus de *Husdorf* - Pincerna de *Nebere*. *Bertoldus* de *Scherſtete*, & alii quam plures fide digni. Datum *Capilndorf* An. Domini M. CCC. VII. Feria ſecunda poſt Dominicam Jubilate.

LXXXIX.

Otto de Kirchberg monaſterio donat proprietatem manſi in Osmanſtet.

1308. IN nomine Domini Amen. Nos *Otto* Dei gracia Burggravius de *Kirchberg* omnibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit, cupimus eſſe notum, quod nos ob reverentiam Dei & noſtræ ſalutis augmentum, ad inſtantiam Præpoſiti & Conventus in *Kappelndorf*, cum conſenſu heredum noſtrorum, *Theoderici* videlicet, *Ottonis*, *Alberti*, *Hartmanni* & *Henrici*, manſum ſitum in Campis *Azmanſtete*, quem colit, & coluit, - dictus *Cohaſe*, quem comparavit *Cuno* de *Asmanſtete* Eccleſiæ in *Capelndorf*, pro octo marcis albi argenti, apud *Gebehardum* militem dictum de *Sultzbeche*, quem in feodo habuit a nobis, qui nobis rite & rationabiliter reſignavit, appropriamus prædicto Cœnobio jure proprietatis

tatis perpetuo possidendum. Ut autem hæc nostra donatio a nostris successoribus firma perseveret, præsentem literam sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Hujus rei testes sunt Capellani prædicti Cenobii, Dominus *Johannes*, Dominus *Theodericus*, Dominus *Cunradus* miles, *Bertoldus* & *Heinricus* fratrueles de *Iskirstetz*, *Cunradus* de *Rotschowe*, *Conradus* de *Lobegistez*, *Heinricus* de *Capelndorf*, *Albertus Clugilin*; & alii quam plures fide digni. Datum anno Domini M. CCC. Octavo. In die B. Benedicti.

XC.

Burggravii de Kirchberg renunciant juri suo in duos mansos.

1308. NOs *Otto*, *Theodricus*, *Albertus*, *Hartmannus*, *Heinricus* & *Hermannus*, fratres & Domini de *Kirchberg* recognoscimus, ac universorum notitiæ, tenore præsentium, cupimus declarare. Quod dilectus nobis *Cunradus* de *Oblekwiz* Ecclesiæ & Conventui Sanctimonialium in *Capelndorf*, duos mansos ibidem sitos, rationabiliter vendidit pro viginti marcis argenti Fribergii, nostris manibus per eundem legitime resignatos, ejus conjugalis seu Conjugis suorumque hæredum accedente consensu pariter & favore. Verum cum & nos, ut est tractum, bonorum eorundem collatores seu Domini feodales principaliter dinoscamur, nec locorum conventualium interfit, se quovis modo bonis aliquibus infeodari. Volentes igitur partis utriusque piis supplicationibus atque instantiis gratiosius inclinari, huic juri nostro feodali præsentes dignamur renunciare, libertatem proprietatis super bonis præscriptis prælibatæ Ecclesiæ in *Capelndorf* summa diligentia animoque favorabili perpetuo condonantes. Ut autem hujusmodi venditionis atque proprietatis gratia, per nos exhibita, a quoquam nequeat infitiari, præsens scriptum sigillorum nostrorum appendiciis justimus communiri. Hujus facti testimonium perhibentes sunt, Dns *Ludoldus* de *Pölniz*, Dns *Fridericus* de *Wirzburg*, Dns *Henricus* de *Lichtenbeyn*, milites, Item *Johannes* de *Wimar*, *Balderanus* de *Kamsla*, & *Chunradus* de *Koushowe*, nostri Castellani in *Capelndorf*, cum pluribus aliis fide dignis. Datum & actum Anno Domini M. CCC. VIII. Idus Junii.

XCI.

Monasterium Alberto Morvoldo, ejus uxori ac fratribus certos quotannis frumenti modios se daturum promittit.

1310. IN nomine Domini Amen. Quoniam ex mutatione temporum transitus gesta hominum plerumque in oblivionem & ex oblivione in calumniam rediguntur, necessarium est, ut ea, quæ aguntur, harum testimonio perhennentur. Hinc est, quod nos *Theodericus* Præpositus, *Sophia* Abbatissa totusque Conventus Sanctimonialium in *Capeldorf* recognoscimus publice per præsentes, quod *Albertus Marold*, *Jutha* uxor sua, *Philippus* & *Johannes* fratres prædicti *Alberti*, comparaverunt Ecclesiæ nostræ unum mansum, situm prope *Capelndorf*, quem emerunt ad *Conradum* de *Obloquiz*, & suos hæredes, pro duodecim marcis argenti Fribergensis, de quo manso dare debemus decem & octo modios tritici Jenensis mensuræ prout in alia litera desuper confecta plenius continetur. *Alberto* quoque, *Juthæ* uxori suæ, *Philippo* & *Johanni*, ac hæredibus eorundem jure hæreditario, novem modios tritici, annis singulis, in festo B. Michaelis de manso prædicto dare promittimus fideliter, & in *Jhene* propria vectura præsentare in termino supra dicto. Et ut prædicta omnia & singula firmiter observentur, memoratis civibus in *Jhene* nostram literam dedimus sigilli nostri Conventus robore communitam. Sub Anno Dni M. CCC. X. in crastino Joh. Bapt.

XCII.

Pincernæ de Nebra donant Monasterium quatuor maldris frumenti ex villa Vollradisrode præstandis.

NOs R. Scholasticus Nuemburgensis Ecclesiæ, & Th. fratruelis noster, Pincerna de *Nebre* Junior, tenore præsentium protestamur, quod reditus quatuor maldrorum frumenti, Erphordensis mensuræ, in villa nostra *Volradisrode*, dedimus, assignamus seu reliquimus Sanctimonialibus in *Cappelndorf* perpetuo possidendos, hac conditione adjecta: quod si in viciniori eis loco & situ tantos & tales reditus cum omni proprietate, & jure ab cujusquam inipetitione deoccupatos & totaliter absolutos assignare poterimus & donare eisdem, ex tunc prænominati redditus in *Volradisrode* ad nos libere revertentur. Sin autem eorundem reddituum proprietatem omnimodam, & dominium possessionemque liberam & quietam a nobili & principali Domino ipsius feudi, Comite *Henrico* de *Orlemunde* intra sex mensium terminum procurabimus eis dari. Ad hoc faciendum nos præsentibus firmiter obligamus. In cujus rei evidentiam & evidentiam pleniorem, præsentem paginam sigillorum nostrorum robore fecimus communiri. Datum anno *Millesimo, trecentesimo* undecimo IV. Nonas Julii. 1311.

XCIII.

Burggravii de Kirchberg testantur, Beringerum de Wirchhausen monasterio dimidium mansum in Hyrsen donasse.

NOs *Otto* & *Albertus* Domini de *Kirchberg* recognoscimus harum serie literarum, quod honesta matrona nomine *Güthe* a), in *Oberndorf* residens, filia quondam - - dicti *Schwebereychel*, apud virum discretum *Beringerum* de *Wirchusen*, dimidium mansum situm in campis ville dicte *Hyrsen*, pro quinque marcis argenti examinati, legitime comparavit. Cujusmodi contractui nos cum pluribus viris idoneis ac fide dignis profitemur præsentibus, nihilominus affuisse. Idem vero *Beringerus* de consensu suæ conjugis, suorumque hæredum, bona voluntate horum bonorum, possessioni libere renuntians ob devotionis pium affectum & honorem Dei, propter etatem eorundem, qua & ipse hactenus perfruendo congaudebat, Ecclesiæ & Conventui Sanctimonialium in *Capelndorf* effectuose tradidit & legavit. In hujus donationis evidens testi- 1311.

a) In literis monasterii de eodem anno mater hujus *Juttæ* dicitur *Paulina*, & sororis filia *Jutta*.

monium, rogati & moniti, præsentis nostrorum sigillorum appenditiis jussimus communiri. Datum Anno Dei M. CCC. XV. In purificatione Virginis gloriosæ.

XCIV.

Heinricus Marschalcus Cœnobio villam Witti-gingroda donat.

1319. IN nomine Domini Amen. Quum quæ geruntur in tempore, simul cum tempore dispergantur, solet ea discretorum prudentia literarum instrumentis & firmissimis rationibus comprobare. Hinc est quod nos *Henricus Marschalcus* de *Dieburt* recognoscimus & præsentibus publice protestamur, quod nos accedente consilio & consensu omnium amicorum nostrorum consentientibus etiam hæredibus nostris universis nec non *Margarethæ* conjugis nostræ consensu approbante; damus & præsentibus donamus villam *Witiginroda* cum omnibus suis juribus & pertinenciis, Ecclesiæ & Cœnobio in *Capelndorf*, pure propter Deum, ac omnium nostrorum progenitorum animarum remedium & salutem, nihil nobis juris & omnibus hæredibus nostris seu successoribus in antea reservantes. Prædictam siquidem villam cum omni jure, sicut ad nos a nostris progenitoribus est devoluta, facientes etiam warandiam ab omnibus impetitionibus seu impedimentis quibuscunque, transferimus & libere transtulimus in his scriptis jure proprietatis sive hæreditario perpetuo possidendam. Ut autem hæc nostra donatio & translatio robur perpetuæ firmitatis obtineat, præsens scriptum dedimus præfatæ Ecclesiæ, sigilli nostri munimine firmiter communitum. Datum & actum Anno Dni M. CCC. XIX. Pridie Calendas Decembris. Hujus donationis & translationis testes sunt Dominus *Herboldus* Præpositus ibidem, Dns *Hartmannus* Burggravius de *Kirchberg*, *Conradus* Magister Curiæ in *Capelndorf*, *Balderamus* & *Conradus* de *Kocechowe*, Castellani ibidem, & alii quam plures fide digni.

XCV.

Burggravii de Kirchberg vendunt monasterio omne jus, quod habuerant in manso quodam Franckendorf.

1321. IN nomine Domini Amen. Nos *Otto*, *Albertus* & *Hartmannus*, Burggravii de *Kirchberg* præsentibus publice protestamur, quod omne jus quod habuimus in uno manso sito in campis villæ *Franckendorf*, cum omnibus suis, tam in eadem villa, quam in campis pertinenciis, quæ *Heynricus* dictus *Ruker* possidet, Ecclesiæ in *Capelndorf* pro tribus marcis, & dimidia *Vribergensis* argenti vendidimus, justo proprietatis seu hereditatis titulo perpetuo possidenda. Nolentes nec debentes a prædicto manso, & suis pertinenciis ab *Heynrico* dicto *Ruker*, nec ab aliis prædicti mansis & suorum pertinencium possessoribus quidpiam precarie, ratione advocatiæ prænotatæ nos & nostri hæredes unversi in posterum exigere quoquomodo. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Datum & actum Anno Domini M. CCCXXI. 3. Nonas Decemb. Hujus etiam rei testes sunt *Heinricus* de *Motziz*. *Heinricus* dictus *Wilde*. *Hermannus* de *Lesten Wurmstete*, *Otto* de *Lochowe*, & quam plures alii fide digni.

XCVI.

Monasterium Cappelndorf. dimidium mansum confert.

NOS *Nicolaus* Præpositus, *Rosemundis* Abbatissa, *Conegundis* Priorissa, totusque Conventus Sanctimonialium in *Capelndorf*, universis hanc literam inspecturis cupimus fore notum: quod *Theodericus*, *Bertoldus* & *Kirstanus* patruus ejus, cum omnibus, qui sua dixerint interesse, vendiderunt & resignaverunt coram nobis dimidium mansum situm in campis *Almenstete Henrico* juniori, & *Henrico* sororio suo pro sex marcis Vribergensis argenti, & uno maldro tritici, jure hæreditario possidendum. Et nos contulimus & conferimus prædictis *Henrico* & *Henrico*, uxoribus eorum, filiis suis, nec non filiabus prædictum dimidium mansum in his scriptis, cum omnibus suis pertinenciis jure possessionis debitæ sub hac condicione, ut quam diu a dictis omnibus & singulis in prato nostræ Ecclesiæ sito ibidem in observacione, custodia ac defensione ampliori, nec non collectione statutis temporibus fideliter est provisum, nullos alios præter jam dictos penitus admittentes. Prædicti etiam pro recompensione laborum eorundem nullum censum nostræ Ecclesiæ ministrare, specialiter consveverunt. In cujus collationis evidentiam & testimonium, præsens scriptum sigillorum nostrorum robore fecimus communiri. Datum & actum anno Domini M. CCC. XXVIII. pridie Nonas Septemb. Testes hujus rei sunt Dominus *Hartmannus* Burggravius de *Kerchberg*, *Balderamus* de re ampla, *Conradus* de *Kozchowe*, *Brumo* de *Apoldea*, *Albertus Synstete*, Castrensis in *Capilndorf*, frater *Cunradus* Magister Curiæ, frater *Henricus Rommel*, *Fridericus Kacus*, & alii quam plures fide digni. 1328.

XCVII.

Nicolaus & Wilhelmus fratres de Bechstet Hermanno de Kranichfeld mansum, quem resignant vendiderant monasterio.

NObili Viro strenuo & famoso Domino suo, *Hermanno*, Domino in *Cranichfeld*, *Nicolaus* & *Wilhelmus* fratres dicti de *Bechstete*, servitium in omnibus benevolum & paratum. Mansum situm in campis villæ *Lome*, quem, inquam, mansum de vestra gracia possedimus & possidemus; Vestræ Nobilitati præsentibus resignavimus & abrenunciamus in his scriptis, vendidimus etenim mansum prædictum Claustralibus in *Capelndorf*, cum omni jure, quo sæpe dictus mansus ad nos nostrosque dinoscitur pertinere, petentes studio, quo possumus ampliori, nobis non ægre ferri, tali super resignacione vobis per nos facta cum necessitate compellimur ad hoc nobis ingruente. Et hæc vobis, cum sigillo caremus proprio, sub sigillo Domini Nobilis, Domini *Hartmanni* dicti de *Borgow* (præsentamus. Et nos *Hartmannus* de *Borgow*, Dominus) in *Lobdeburg* ad petitionem fratrum prædictorum de *Bechstete* sigillum nostrum in recognitionem prædictorum præsentibus duximus apponendum. Datum An. Domini M. CCC. XXX. In die beati Marci Evangelistæ. 1330.

XCVIII.

XCVIII.

Hartmannus de Kirchberg dotat altare B. Mariæ in Capelndorf, reservato sibi ad dies vitæ jure Patronatus.

IN nomine Domini Amen. Cum cultus divinus potius sit augendus, quam diminuendus: Nos igitur *Hartmannus* Burggravius in *Kirchberg* cupiens salutem animæ nostræ ac progenitorum nostrorum operari, fatemur in hiis scriptis, quod altare constructum in Monasterio Sanctimonialium in *Capelndorf* in honore B. Mariæ Virginis ad honorem Dei omnipotentis & ejusdem B. Mariæ Genitrices suæ, bonis videlicet: vinea dicta *der Witzenborn*, sita in monte *Griefinberg*, & novem mansis sitis in *Slotewin*, de quibus decem & octo modii frumenti & avenæ singulis annis dantur, & uno manso, sito in Campis villæ *Weningen-Romstet*, quem tenet *Adilheidis*, relicta *Reinhardi*, sub censu annuo quatuor maldrorum frumenti & hordei, qui Dno *Conrado* dicto *Merretich*, singulis annis ad tempora vitæ suæ de prædicto manso dari debant, posterius mortem etiam cum prædicto censu transibunt; Et una area in *Capelndorf* dotavimus & dotamus in nomine Domini per præsentes, & prædicta bona cum consensu fratris nostri *Alberti* in prædictum altare proprietatis titulo transferimus: Et illud altare, quotiens tempore vitæ nostræ vacabit, personæ idoneæ porrigeremus: Et post mortem nostram Præpositus, Abbatissa, & Conventus ibidem, qui pro tempore fuerint, in dicto altari, quoties perpetue vacaverit personæ idoneæ providebunt. Et ut prædictum altare absque præjudicio prædicti Conventus perpetue habeatur atque regatur, volumus, ut qui institutus fuerit & sui sequaces, missas in dicto altari legant, & illud efficient, prout fuerit voluntas inibi & Dominarum, & sint subjecti Præpositis in licitis & honestis. In cujus rei testimonium sigilla videlicet nostri, *Alberti* fratris nostri, Præpositi & Conventus ibidem præsentibus sunt adpensa. Et nos *Nicolaus* Præpositus, *Elisabeth* Abbatissa, *Cunegundis* Priorissa, totusque Conventus Sanctimonialium in *Capelndorf* ad prædictam ordinacionem seu donationem sub appensione sigillorum nostrorum, nostrum damus consensum similiter & favorem. Datum anno Domini M. CCC. XXX. XI. Calendas Maji.

1332.

XCIX.

Hermannus senior de Kranichfeld donat monasterio proprietatem mansi alicujus prope villam Lome.

NOs *Hermannus* senior Dominus in *Cranichfeld* recognoscimus, ad quos præsens scriptum pervenerit, universis, quod appropriavimus propter Deum pure unum mansum situm in campis villæ *Lome* Cœnobio *Cappelndorf*, quem tenuerunt a nobis pheodo dicti *Puster*, quem nunc possidet *Hinricus* dictus *Kroßner* jure hæreditario, & claustro prænotato, cui persolvit quatuor grossos singulis annis tempore vitæ suæ. Ita quod mansus jam dictus post obitum ipsius *Hinrici* libere cedat Cœnobio memorato. Ut autem hoc ratum & inconvulsum permaneat, hanc literam dedimus munimine nostri sigilli firmiter roboratam. Datum Anno Domini M. CCC. XXXII, in die Bartholomei. Testes hujus rei sunt Dominus *Hartmannus* Burchgravius in *Capelndorf*, Dns. *Thedricus* Præpositus ibidem *Heinricus* 1333. miles, dictus *Rosse*, & *Otto* de *Mulde* Castellani in *Kranichuelt*, et quam plures idonei ac fide digni.

C.

Cœnobium vendit viduæ Rüdigeri in Wimar duo maldra tritici proventus annui.

IN nomine Domini Amen. Ne facta hominum labilia a memoria transeant, solent literis ac testibus fideliter communiri. Nos igitur *Nicolaus* Præpositus, *Otilia* Abbatissa, *Conegundis* Priorissa totusque Conventus sanctimonialium in *Capelndorf* una cum Syndico nostro recognoscimus, & præsentibus publice protestamur, quod de communi consilio & consensu Dominorum & amicorum nostrorum omnium, vendidimus honestæ Dominæ *Elisabeth* relictæ quondam *Rudegeri* de - - bonæ memoriæ in *Wimar* residenti duo maldra tritici Wimariensis mensuræ omni anno donando, tempore vitæ ipsius, quod vixerit, in festo S. Michaelis, pro septem marcis Fribergensis argenti, quæ nobis plenarie sunt persolutæ, & ad necessitatem nostræ Ecclesiæ sunt conversæ. Quem censum deputavimus & præsentibus deputamus de duobus mansis sitis in campis & in villa *Unverstete*, apud nostros Colonos & fidelis videlicet - dicta *Meresche*, quæ dabit de medio manso medium maldrum tritici, & præfatæ *Elisabeth* emtrici præsentabit in *Wimariam* singulis annis propriis laboribus expensis. Post obitum autem prædictæ Dominæ prædictus census Ecclesiæ nostræ libere revertetur. In cujus rei evidentiam præsentes literas sigillo nostri *Nicolai* Præpositi præfati, & sigillo Conventus nostri dedimus communitas. Testes hujus sunt *Balderamus* de *Ramsla*, Castellanus ibidem, frater *Heinricus* dictus *Komel* - - *Thodericus* dictus - - *Johannes* - - dictus *Goyniz*, & alii quam plures fide digni. Datum Anno Domini M. CCC. XXXIII. Domin. die post diem B. Michaelis ubi scribitur VII. idus Octobris. 1334.

CI.

Hartmannus de Kirchberg Monasterio aliquot bona permutat.

DEi gratia Nos *Hartmannus*, nobilis Borchgravius de *Kirchberg* recognoscimus publice universis & singulis, ad quos pervenit præsens scriptum, quod nos & hæredes permutatione locorum quorundam cum honorabili viro Dno *Nicolao* Præposito, & religiosis Dominabus, Domina *Odylia*, Abbatissa, Domina *Kuniegunde* Priorissa, nec non universo Conventu sanctimonialium Cœnobii B. Mariæ Virginis & B. Bartholomei in *Capelndorf* ex utraque parte, bona nimium voluntate, ita videlicet, quod prædicte Claustrales unanimi consensu & bona voluntate unum locum nobis reliquerunt, qui dicitur: *Grüngarte*, in quo loco per nos piscina facta est in usus nostros; & in restaurum loci præfati reddidimus & dedimus Claustralibus prænominatis sex hortos sitos in loco, qui dicitur *hinter devie Markte* ipso pleno

jure & libertate, ut locum prǽhabitum *den Crutgarten* tenuerunt rite ſuper ſex hortos ante dictos a nobis ſæpe dictis Clauſtralibus data, ut permiſſum eſt, rata perſeveret, ſigilli noſtri munimine roboravimus præſens ſcriptum. Datum An. Domini M CCC XXXIV. Dominica qua Cantatur: *Lætare Jeruſalem.*

CII.

Monaſterium vendit unam marcam annui cenſus duabus monialibus ex gente Nobilium de Hauſen.

NOs *Hermannus* dictus - Præpoſitus, *Otylia* de *Threbe* Abbatiſſa, *Conegundis* Pincerna Prioriſſa, totusque Conventus Sanctimonialium Cenobii in *Capelndorf* recognoſcimus dilucide præſencium in tenore & ad cunctorum, quorum intereſt vel intereſſe contigerit, noticiam cupimus pervenire, unanimi conſenſu & matura deliberacione prǽhabita, unam marcam annui cenſus in uno manſo ſito in campis & terminis villæ *Hammerſtete*, & in poſſeſſoribus ejusdem manſi ſubnotatis, videl. *Henrico* de *Buſeleben*, *Henrico* de *Hamerſtete*, *Petro* - poſſeſſore dicto *Pincerna* reſidentibus in eadem villa *Hammerſtet* memorata, rite & rationabiliter vendidiſſe, viris providis & prudentibus, videlicet *Hermanno*, *Sibotoni* & *Johanni* fratribus, nec non *Hermanno* de *Domo*, - vice & nomine *Tele* & *Margaritæ* de *Domo*, ſororum ſanctimonialium Cœnobii in *Capelndorf*, pro octo ſexagenis denariorum groſſorum Pragenſium dativorum legatis eisdem Sanctimonialibus per virum honeſtum *Hermannum* de *Domo*, Patrem earundem, qui emptores præfatos in procuratores ſuarum filiarum Sanctimonialium prædictarum, ad tempora vitæ earundem conſtituit & veros, & legitimos procuratores, nobis integraliter & utiliter numeratis, traditis & perſolutis, & in uſus noſtri Cœnobii *Capelndorf* liquido converſis, dictum cenſum præfatis procuratoribus emptoribus dandum & ſolvendum a poſſeſſoribus vel a ſuis heredibus prænotatis, annis ſingulis quolibet feſto B: Michaelis Archangeli ſuis ſub laboribus propriis, periculo & expenſis. Qui præfati procuratores ſub hac condicione & forma, marcam annui cenſus præfatam a nobis venditam elargiri tenebuntur, videlicet *Tele* & *Margarite* de *Domo* Sanctimonialibus, filiabus *Hermanni* de *Domo* prælibatis annis ſingulis in ſui neceſsitatem, quoad tempora vitæ earundem, fideliter miniſtrare. Inſuper eſt expreſſe adjectum, ſi quisquam Procuratorum medio tempore ceſſerit vel deceſſerit, Procuratores reſidui una cum Sanctimonialibus conſenſu & voluntate alium vel alios loco cedentis vel decedentis, cedentium vel decedentium, etiam cæterum vel cæteros Procuratorem vel Procuratores poterunt ſubrogare, decedentibus Sanctimonialibus præfatis, quod in poteſtate divina eſt, penſio cenſus memorati dimidia marca in infirmariam Dominarum Cœnobii *Capelndorf* a poſſeſſoribus annis ſingulis - & reſidua - dimidia marca prædicti cenſus in Conventum Dominarum earundem derivetur, & Procuratores præfati, qui pro tempore ex hunc fuerunt conſtituti, onus procurationis Præpoſitos Abbatiſſæ & Prioriſſæ, totoque Conventu Cœnobii in *Capelndorf* pure propter Deum libere & voluntarie, penſionem annui cenſus cum poſſeſſoribus reſignabunt in auxilium & in remedium animarum *Hermanni* de *Domo*, uxoris ſuæ legitimæ ſuorumque heredum omnium & Progenitorum eorundem, qui ſe noſtris commendaverunt orationibus. Eſt etiam adjectum inſuper, durante vita Sanctimonialium prædictarum, penſionarii dimidiam marcam, in qua Cœnobio *Capelndorf* obligantur, ſolvere & dare non debent, quæ primitus marca cenſus a nobis vendita, Procuratoribus fuit perſoluta, & ſi dicti penſionarii cenſum præfatum tempore cenſus ſolvere fuerint negligentes, quod abſit, dictis Procuratoribus ex tunc requiſiti a dictis emptoribus præfatis procuratoribus ex noſtro Cenobio ſolvere & dare eisdem promiſimus, & in his ſcriptis præſentibus promiſimus bona fide qualibet ſine fraude. Dantes ipſis emptoribus Procuratoribus præfatis hanc literam Præpoſiti & Conventus ſigilli firmiter communitam in teſtimonium evidens ſupra eo. Teſtes hujus ſunt Dns *Bertoldus* Plebanus in *Lucental*, *Henricus Sculletus*, ibidem, *Johannes Syboto*, Magiſter curiæ in *Capelndorf*, frater *Kemel* dictus, & *Otto* Camerarius ſervus Præpoſiti in *Capelndorf*, & alii quam plures fide digni. Datum & actum Anno Domini M.CCC.XXXV. in vigilia Kamarum.

CIII.

1328.

Monaſterium Hedwigi de Capelndorf tractum terræ arabilis confert.

NOs *Hermannus* Præpoſitus, *Otilia* Prioriſſa totusque Conventus Ancillarum Chriſti in *Capelndorf*, recognoſcimus dilucide præſentibus & ad univerſorum notitiam volumus ut accedat, quod prǽhabito inter nos mutuo conſilio unam *Gelengam terræ arabilis* ſitam prope ſalices exteriores in campis & terminis opidi *Capilndorf* ad noſtram eccleſiam titulo proprietatis (pertinentem) conferimus honeſtæ & publicæ *Hedewigi* - reſidenti in opidio memorato, nec non *Johanni* - - vitæ - - qui vitæ fuit longioris, pro pecunia, quam nobis Dominus *Nicolaus* frater prædictæ *Hedewigis* prænotatæ, & quondam noſter Præpoſitus recolendæ memoriæ amicabiliter innovavit & conceſsit, quæ quidem pecunia ad præfatos viros *Johannem* & ejus genitricem *Hedewigin* ſucceſsione hæreditaria pronuntiatur devoluta, omni jure, quod hactenus noſcimus poſſediſſe. Ita ſane quod prǽhabiti, videlicet *Johannes* & *Hedewigis*, vel quicunque ipſorum tunc temporis fuerit, annis ſingulis in quolibet feſto Paſchæ, nobis & noſtræ Eccleſiæ unum talentum cera - - dicta *Gelenga* miniſtrabunt. Hoc tamen adjecto, quod ſi unus ipſorum prædictorum ex - - decederet, alter ipſorum qui ſupervixerit, hujusmodi *Gelengam* cum omni jure & dominio - - prætactum libere poſsidebit. Ambobus autem decedentibus - - dicta *Gelenga* ad nos & ad noſtram Eccleſiam devolvetur. Inſuper adje-

adjectum est, quod si nos Præpositus Abbatissa, Priorissa ac Conventus loci prælibati pro pecunia prius tacta ab aliquo & aliquibus monemur sive impugnaremur, ex tunc sæpe dicti *Johannis* & *Hedewigis* ab omni impugnacione canonica, civili & impedimento nos & nostrum Conventum tenentur salvos reddere & indemnes; & dictam pecuniam = = universos & singulos dist = = quum vel quoties à nobis requisiti fuerint, prout nobis promiserunt & præsentibus promittunt bona fide qualibet sine fraude. In quorum omnium testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Et nos *Hartm.* Dei gratia, Burggravius de *Kirchberg* recognoscimus, quod ad petitionem utriusque partis & testimonium omnium præmissorum hanc literam nostro sigillo dedimus communitam. Datum per copiam Anno M. CCC. XXXVIII. Octava die Corporis Christi.

CIV.

Monasterium vendit mansum in Franckendorf Agneti & Hedwigi de Krumstorf ad dies vitæ illarum.

1338. NOs *Hermannus* Præpositus, *Otilia* Abbatissa, *Kunegundis* Priorissa, totusque Conventus Sanctimonialium Cenobii in *Capelndorf* recognoscimus publice præsentibus & ad universorum noticiam volumus ut accedat, quod præhabito inter nos mutuo consilio, & ut statum seu condicionem nostræ Ecclesiæ faceremus meliorem, subscripta bona ad nostram Ecclesiam titulo proprietatis pertinentia, videlicet unum mansum terræ arabilis, situm in campis villæ *Franckendorf*, cum una curia sita in eadem villa, & ad eundem mansum spectante, solventem singulis annis sexaginta quatuor grossos Pragenses annui census, triginta duos grossos similiter cum sex pullis, & dimidia sexagena ovorum in festo Michaelis, & quem mansum colit seu possidet titulo hereditario *Heinricus* dictus *Ruker* & sui hæredes censui pro prædicto, vendidimus justo & legitimo venditionis titulo honestis & providis puellis *Agneti* & *Hedewigii* sororibus, dictis de *Crummersdorph* famulabus spectabilis Dominæ Dominæ *Mechtildis* Comitissæ de *Orlamunda* Senioris, pro sex sexagenis nobis integraliter & utiliter persolutis dumtaxat ad tempora vitæ ipsarum vel alterius earum, quæ vitæ fuerit longioris, & vendimus præfata bona dictis sororibus cum omni jure, usufructu, utilitate, obsequio & honore, sicut hactenus possedimus per præsentes, nihil juris nobis reservantes, sed potius omne jus & dominium competens nobis (in) bonis eisdem contulimus plenarie in prædictas sorores, aut alteram ipsarum, tanquam in veras & legitimas emtrices, & confecimus pacifice & quiete, possidenda in his scriptis, adhibitis solennitatibus debitis, & consvetis. Ita tamen, quod si una dictarum sororum compromissione divina decederet, reliqua hujusmodi bona, cum omni libertate, ut prætactum, libere possidebit, = = non obstante. Si vero ambæ decederent, ex tunc dicta bona ad nos & ad nostram Ecclesiam denuo, sicut prius, redibunt & devolventur. Promittentes nihilominus præsentibus data fide, sæpe dictas sorores conjunctim & divisim de hujusmodi bonis & censu præscriptis justicialiter warandare, & ab omni impetitione seu impedimento, quando & quocies fuerimus requisiti, reddere salvas & indemnes, & si quem defectum in bonis vel censu præscriptis eædem sorores aut alterutra ipsorum quocunque casu contingente sustinerent aut paterentur, hunc defectum plenarie & integraliter tenemur, infra quindenam cum moniti fuerimus, deponere, & cum damnis & interesse resarcire, omni strepitu quiescente: Et ad majorem nos Præpositus, Abbatissa, Priorissa, totusque Conventus Cenobii in *Capelndorf* prædicti, sub pœna suspensionis sentencia ob ingressu Ecclesiæ & excommunicationis in nos ferendæ per quocunque judices Ecclesiasticos jurisdictionem delegatam aut ordinariam habentes, nos ad omnia & singula promissa, aut quolibet promissorum, omni & qualibet defensione nostra Canonica seu legato penitus sublata, præsentibus voluntarie obligamus. Si vero prædictæ sorores vel altera earum nos per censuram Ecclesiasticam non possent aut nossent coercere, ex tunc liberam facultatem habebunt, *judicium seculare* super nos aut bona nostra tam mobilia quam immobilia implorandi & invocandi, quod eisdem sororibus conjunctim & divisim præsentibus indulgemus qualibet exceptione juris, & facti non obstante. Renunciamus igitur pro nobis & omnibus nostris successoribus, omnibus exceptionibus juris & facti, beneficio restitutionis in integrum, privilegiis, actioni facti, & in factum, condicioni ex causa vel sine causa, & generaliter & specialiter omni auxilio legis & Canonis, quo prædictæ venditionis contractus possit in posterum in toto vel in parte infirmari, viciari, impediri, vel aliqualiter retardari. Renunciamus etiam juri dicenti: *generalem renunciationem esse invalidam*, & specialiter juri, quo cavetur: *contractum venditionis & alienationis Ecclesiarum sine Consensu Diœcesani non valere.* Ut igitur hæc omnia & singula promissa in suo robore firmiter permaneant, dantes præsentem literam prædictis sororibus sigillis nostris firmiter roboratam in testimonium super eo. Testes hujus rei sunt Dominus *Ulricus* Capellanus in Castro *Wimar* frater *Wernerus* Plebanus Oppidi *Wimar*. *Hermannus* Ecclesiasticus ibidem, Dominus *Heinricus* de *Frankendorf*, *Gotfridus* de *Tynderstet*, *Johannes* de *Koldiz*, & quem plures alii fide digni. Datum anno Domini 1338. in die Beati Gregorii Papæ.

CV.

Monasterium Civi cuidam Genensi molendinum dimidium pro censu annuo confert. 1338.

CUnctorum memoria factorum labitur, nisi testibus veredicis & forti testimonio scripti fuerint perhennata. Hinc est, quod nos *Hermannus* Præpositus, *Otilia* Abbatissa, *Cunegundis* Priorissa, totusque Conventus Ancillarum Christi in *Capelndorf* recognoscimus dilli-

diluçidè universis & singulis, hanc literam visuris ac audituris. Quod discreto viro, *Henrico Cerdoni*, dicto longo, civi in *Jene*, nec non *Lucardi* uxori suæ legitimæ, ac eorum hæredibus præsentibus & futuris contulimus, & præsentibus fide bona conferimus dimidietatem molendini cum agris, & salicibus & - - ad molendinum prædictum pertinentibus, quod dicitur *molendinum infra montem*, dolo ac fraude penitus hinc rejectis, hæreditario jure possidendam. Hac condicione interjecta, quod prædictus *Henricus* vel *Lucardis* ejus uxor, aut sui hæredes, in festo Jacobi viginti grossos dativos ac - - in festo nativitatis Christi annis singulis libere ministrabunt in hunc modum, quod nostro Conventui ambobus temporibus, octo videlicet grossos in festo Jacobi, & totidem in festo Nativ. Christi, & discreto viro, Domino *Conr.* Plebano in *Bucha* nec non Begine *Juthe* dictæ *Fabri* residuam partem census ad tempora vitæ eorum tenebuntur elargiri. In majorem cautelam & evidens testimonium præmissorum nostra sigilla præsentibus sunt appensa. Testes hujus rei sunt discretus vir Dns *Henricus* sacerdos, dictus de *Kotendorf*, Dns *Henricus* sacerdos dictus de *Franckindorf*, nec non *Nicolaus* & alii quam plures fide digni. Dat. Anno M. CCC. XXXVIII. in die B. Jacobi Apostoli.

CVI.

Monasterium septem sexagenas grossorum civi Jenensi debere se fatetur.

1340. NOs *Hermannus* Præpositus, *Otilia* Abbatissa, *Cunegundis* Priorissa, totusque Conventus in *Capelndorf* recognoscentes, hæc perscripta profitemur, quod viro honesto *Heinrico*, dicto *Tuscher* opidano in *Jhene* in septem sexagenis grossorum communis pagamenti ibidem in *Jhene*, qui dicuntur *Zal-Groschen* vulgariter, obligamur, quas eidem in festo S. Michaelis venturo proxime persolvemus. Dantes & concedentes nihilominus sibi & suis hæredibus sexus utriusque plenam potestatem prædicta debita recipiendi de medietate fructuum sive vini, quod nobis creverit vinea nostra, dicta *Muncheberg*, quam quidam *Henricus* nobis - - pro fructuum medietate - - - Si autem, quod absit, anno in præsenti summæ plenæ consequi non poterit, pecuniam eandem annos ad futuros extendi, donec - - plenarie resumserit volumus potestatem. Quia ante dictus *Heinricus* nobis præfatam pecuniam concessit in - - - In quorum omnium & singulorum testimonium sigilla nostra, videlicet Præpositi & Conventus duximus præsentibus apponenda. Datum anno Domini MCCCXL. V. Idus Martii.

CVII.

Monasterium tres firtones annui census in manso quodam in Vniferstet assignat.

1341. NOs *Cunradus* Præpositus Sanctimonialium in *Capelndorf*, *Otilia* Abbatissa, *Agatha* Priorissa totusque Conventus Ancillarum Præpositi ibidem præsentibus publice protestamur, quod unanimi consensu tres fertones annui census in uno manso sito in campis & terminis villæ *Umverstete* vendidimus rite & rationabiliter viro provido *Conrado Sunster* vero possessore ejusdem mansi, nec non filiabus *Theodrici Sunstri*, dicti mansi possessoribus videlicet *Tele* & *Catarinæ* ad tempora vitæ earundem recipiendos pro sexta dimidia sexagena grossorum dativorum nobis utiliter persolutis, & in usus nostri cœnobii liquido conversis. Ita sane, quod si dictum emtorem aut quampiam personam supra dictam, videlicet *Telam* aut *Catharinam* decedere contingit, quibuscunque viventibus, vel durante quocunque & vivente, dictum mansum libere possidebit, contradictione qualibet non obstante, ipsis autem emptore & emptricibus supra scriptis decedentibus, quod in potestate divina est, dictus census ad nostram Ecclesiam libere divolvetur. Adjectum est etiam, quod si dictus *Conr. Sunster* emtor diem claudit, ex tunc *Th. Sunster* ad tempora vitæ suarum filiarum supradictarum nomine procuratoris dictum censum libere præsentet. In hujus testimonium, præsentem literam desuper confectam nostris sigillis dedimus communitam. Hujus testes sunt Dns *Hartm.* Burggravius de *Kirchberg* Dominus in *Capilndorf*, Dom. *Henricus* de *Franckendorf* sacerdos, *Th.* dictus *Snabel*, *Johann* de *Bosin*, *Albertus* de *Kosdalbe* Diaconus, & alii quam plures fide digni. Datum anno Domini M CCC XL. sabbato post nativitatem Christi.

CVIII.

Testatur AEpiscopus Moguntinus, se vidisse Bullam Benedicti, monasterii bona & privilegia confirmantis.

1341. HEinricus Dei gratia, sacræ Moguntinæ sedis Archiepiscopus, sacri Imperii per *Germaniam* Archi-Cancellarius, recognoscimus, nos literas Apostolicas infra in parte scriptas, non abolitas, non rasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte vitiatas, veraque bulla plumbea & filo cannabis, prout primo more Romanæ Curiæ, bullatas, vidisse, legisse, & partim transcribi fecisse.

Benedictus Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Scolastico Ecclesiæ Sancti Stephani Mogunt. salutem & Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod tam dilectus filius, Præpositus & dilectæ in Christo filiæ, Abbatissa & Conventus monasterii in *Capelndorf*, per Præpositum & Abbatissam soliti gubernari, ordinis Cisterciensium, Moguntinæ diœceseos, qua prædecessores eorum, decimas, terras, domus, vineas, possessiones, molendina, casalia, prata, pascua, piscaria, nemora, redditus, jura, jurisdictiones, & quædam alia bona &c.

Et sic finivit: Datum *Avinion.* VII. Calendas Maji Pontificatus nostri anno secundo &c. In cujus visionis, Lecturæ & partim transcriptionis testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum *Eltevil* XII. Calend. septembr. Anno Domini M. CCC. XLI.

CIX. *Bulla*

CIX.

Bulla Benedicti.

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei, Dilecto filio Scolastico, Ecclesiæ S. Stephani Moguntini, salutem & Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod tam dilectus filius, Præpositus, & dilectæ in Christo filiæ: Abbatissa & Conventus Monasterii in *Capelndorf*, per Præpositum & Abbatissam soliti gubernari, Ordinis Cistercienſium, Moguntinæ Diœceseos, quam Prædecessores eorum decimas, terras, domos, A vineas, possessiones, molendina, Casalia, prata, pascua, piscarias, nemora, redditus, jura, jurisdictiones, & quædam alia bona ipsius monasterii, datis super hæc literis, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis juramentis, factis renunciationibus, & pœnis adjectis, in gravem ipsius Monasterii læsionem, nonnullis Clericis & Laicis aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, & aliis perpetuo ad firmam, vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicuntur super his confirmationis literas in forma communi, a sede Apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest, super hæc de opportuno re- B medio providere, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ipsius monasterii, per concessiones hujusmodi alienata, inveneris illicite vel distracta, non obstantibus literis, instrumentis, juramentis, pœnis, renunciationibus & confirmationibus supra dictis, ad jus & proprietatem ejusdem Monasterii legitime procurares revocare: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se, gratia, odio vel timore subtraxerint censuræ simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum *Avinione*, VII. C Calendas Maji. Pontificatus nostri anno secundo.

CX.

Albertus de Kirchberg, eo quod peregrinatio ad Ecclesiam B. Virg. in Rabschützei esset remissa, proprietatem dimidii mansi in Gosserstet & Jus Patronatus in Hermstet confert monasterio.

1348. In nomine Domini Amen. Cum karitatis officium sit, religiosorum locorum utilitatibus intendere, ac ipsa a cujuslibet oneris gravamine relevare: hinc est, quod nos *Albertus*, D. G. Burggravius de *Kirchberg*, Dominus in *Wipphere* cum nostris heredibus diem messionis eterne volentes per piam largitionem prævenire, recognoscimus dilucide universis ac singulis præsens visuris ac audituris, quod Cenobio in *Cappelndorf* ob dispensacionem peregrinacionis, quo votum emisimus limina gloriosæ virginis matris Mariæ in *Rochs* mature visitare - prout reverendus in Deo princeps, Dns. *Albertus* de *Bichlingen* Yppulensis Ecclesiæ Episcopus, vices gerens in Pontificialibus in Moguntina dioceli, certis causis legitimis & rationibus exigentibus nobiscum perhibetur dispensasse. Dimidium mansum feodi boni, quem possedit a nobis dictus *Brand* de *Gosserstete*, ac Jus Patronatus & collationis parochialis Ecclesiæ in *Hermestete* justo appropriationis titulo appropriamus pure propter Deum, in salubre remedium animarum nostrarum ac progenitorum, nec non successorum in futurum cum omni jure, libertate & dominio, quo noscimus a retro actis temporibus possedisse. Ita sane, quod Præpositus Abbatissa, Priorissa dicti Cœnobii, quicunque illo tempore extiterint, in quatuor festivitatibus B. Mariæ Virginis pictantiam talem personis religiosis ibidem existentibus: quinque bona fercula pro tunc congruentia, & cuilibet personæ quartale vini, aut bonæ cereviſiæ ministrabunt. Et ne per improbitatem alicujus Præpositi, Abbatissæ & Priorissæ infringi valeat jam dicta condicio, additur talis pœna, videlicet quinque marcarum, si negligentes aut remissi inventi fuerint, quod nominatur interesse, nulla eis condicione vel exceptione suffragante: Et jam inflictam pœnam nos hæredes nostri ab ipsis sumus accepturi, ut prædictus contractus firmiorem cautelam & soliditatem robore sortiatur. Insuper nos & hæredes nostri volumus dictam Cœnobiam in prænotato manso dimidio, & jure collationis parochialis Ecclesiæ prædictæ Warandia legitima warandare, si impetitio per quascunque personas prælibatis oriretur. Renunciantes nihilominus omni jure, dominio, utilitate ac libertate, quæ nobis in dictis bonis competebant. In cujus rei evidens testimonium, præsentem literam nostro sigillo duximus roborandam. Et nos *Heinricus* D. G. sacræ Viricensis Ecclesiæ Episcopus. Et nos *Hartmannus*, cum nostris hæredibus, & nos *Otto* & *Albertus* Burggravii, dicti de *Kirchberg* recognitive profitemur continentiam hujus scripti consensu ultroneo ad dictam appropriacionem dedisse, nec ullo tempore contravenire attemptantes, sigilla nostra appendentes, in testimonium præmissorum. Testes hujus rei sunt discreti viri, Dns. *Hermannus*, verus Pastor Ecclesiæ in *Nore*. Dns. *Heinricus* dictus de *Kötendorf*, Dns *Johannes* de *Eccolfstete*, Dns *Fridericus*, dictus *Clötzsch*, Sacerdotes: *Suederus*, notarius Domini *Alberti* prænotati, *Hermannus* dictus *Futerir*, civis in *Jhenis*, & alii quam plures fide digni. Datum & actum Anno Domini M. CCC. XLVIII. In domo *Hermanni* dicti *Futerer* prænotati. In die Panthaleonis martyris. D

CXI.

Monasterium Johanni Futerer Clerico mansum & Curiam in Capelndorf sub annua pensione concedit.

Ego *Hermannus* de *Sunneborn* Præpositus 1350.
Cœnobii Sanctimonialium in *Capelndorf*, Abbatissa totusque Conventus Sanctimonialium ibidem recognoscimus & protestamur publice per præsentes: Quod nos unanimi de consensu & de bona deliberacione contulimus *Johanni* dicto *Futhere* Clerico, unum

In MSC. erat *Rosti.*

unum manſum & unam curiam ſitum & ſitam in pago ſive in villa, & in campis *Capelndorf*. Quem quidem manſum & omnia ipſe a nobis poſſidet in feodo, nec non ipſe a nobis & a ſuis progenitoribus jure hæreditario poſſedit. Ipſe tamen ſingulis annis in feſto Michaelis nobis porrigere debet de præfato manſo & curia, triginta modios frumenti, tritici & avenæ, & unum modium piſorum Erphordenſis menſuræ, & præfatum manſum & curiam contulimus ſibi, ut ſacros ordines - - recipere. Teſtes ſint hujus rei Dns *Conradus Hofemann*, olim Præpoſitus memoratæ villæ, Dominus *Henricus* Plebanus in *Hermeſtete*. Dominus *Fridericus Clozo*. Dominus *Albertus*. Ego *Hermannus* Præpoſitus ſigillum Præpoſituræ villæ memoratæ, & ſigillo Cœnobii in Conventu in *Capelndorf* fecimus præſentibus appendiſſe. Actum & datum Anno Domini M. CCC. L. feria ſexta poſt dominicam, qua cantatur: *Exaudi Domine.*

CXII.

Monaſterium Vinariæ Superioris Sanctimonialis in Capelndorf vendit manſum in Kætſchaw.

1351. NOs *Petrus* Præpolitus, *Eliſabeth* Abbatiſſa, *Sophia* Prioriſſa, totusque Conventus Sanctimonialium in *Ober-Wymar* recognoſcimus publice proteſtantes, & ad noticiam univerſorum cupimus pervenire, quod matura deliberatione - - noſtri capituli inter nos - - noſtris & Cœnobii noſtri neceſſitatibus & utilitatibus con - - & ſubnixius penſantes, & permaxime ædificiorum noſtrorum carentia, qua nunc artamur non modice ac urgemur, bonorum amicorum noſtrorum etiam freti conſilio & adſenſu unum manſum terræ arabilis, ſitum in pago & villa *Börſchowe* cum caſis & omnibus ſuis pertinentiis nobis per ſpectabilem virum Dn. *Theodericum*, Burggravium de *Aldenberg* appropriatum de quo *Johannes*, dictus *Siboto* - - pro - - hæreditaria ſolvit ſexaginta & quatuor groſſos numeralium & dativorum groſſorum diſcreto viro Domino *Hermanno* Præpoſito & Conventui Sanctimonialium in *Capelndorf* juſto vendicionis titulo vendidimus pro decem ſexagenis groſſorum & viginti groſſis numeralium & dativorum groſſorum, nobis utiliter perſolutis in uſus noſtræ ſtructuræ utiliter, & jam converſis promittentes dictos Præpoſitum & Conventum de dictis bonis, juſticialiter warandare, & de evictione cavere, prout fuerit conſonum - - abrenunciantes nihilominus omni juri noſtro in eisdem bonis, nihil nobis penitus reſervantes. Inſuper eſt adjectum, quod cum - - Erphordenſis monetæ, prædicti emtores nos pagare debeant, prout uſus fori commutatorii dogmatizat. Ut autem hæc omnia inconvulſa permaneant, & a nullo inpoſterum impugnatore viciari valeant, præſentem litteram noſtris ſigillis duximus fideliter roborandam. Datum & actum anno Domini M. CCC. LI. ſeptem fratrum dormientium.

CXIII.

Scholaſticus S. Stephani Moguntin. citat per requiſitionem civem Northuſanam in Cœnobium Capelndorf.

SCholaſticus Eccleſiæ Sancti Stephani Moguntinenſis, Iudex unicus inter partes infra ſcriptas autoritate Apoſtolica delegatus, diſcretis viris Plebanis in *Northuſen*, cæterisque Plebanis & Vice-Plebanis per civitatem & Dioceſin Moguntinenſem utilibus conſtitutis, ad quos præſentes literæ pervenerint, ſalutem in domino, & mandatis Apoſtolicis firmiter obedire. Noveritis, nos literas ſanctiſſimi in Deo Principis & Domini *Benedicti* digna Dei providencia non abolitas, non raſas, non cancellatas nec in aliqua ſui parte viciatas, veraque bulla plumbea & filo canapis, prout primo apparebant more Romanæ curiæ bullatas, cum ea, qua decuit, reverencia recepiſſe, tenoris & continenciæ in hæc verba: 1351.

Benedictus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei dilecto filio, Scholaſtico Eccleſiæ S. Stephani Moguntinenſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad audientiam noſtram pervenit, quod tam dilectus filius Præpoſitus; & dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa & Conventus monaſterii in *Capelndorf*, per Præpoſitum & Abbatiſſam ſoliti gubernari, ordinis Ciſtercienſis, Moguntinæ Diœceſis &c. & prout in dicto reſcripto, cujus copiam una cum præſentibus vobis volumus exhibere, plenius continet. Nos igitur mandatum Apoſtolicum nobis - - in hac parte - - reverenter exequi volentes, ut tenemur, vobis & cuilibet veſtrum per ſcripta Apoſtolica ſuperdicta, nobis in hac parte commiſſa, ſub pœna ſuſpenſionis diſtrictæ mandamus, prout ſuper his fuiſtis requiſiti, *Gerdrudin* de *Margbeche* oppidanam Northuſenſem citetis publice & peremptorie, quam & nos citamus publice per præſentes, ut feria ſecunda ante Matthæi Apoſtoli proxima coram nobis in ambitu Eccleſiæ noſtræ adpareat religioſorum noſtrorum in Chriſto, Præpoſito in *Capilndorf*, Abbatiſſæ & Conventus Sanctimonialium ejusdem Cœnobii. In ſignum executionis per nos factæ. Datum Anno Domini Milleſimo, trecenteſimo LI. XII. Cal. Septemb. ſuper - - horum verborum in ambitu Eccleſiæ noſtræ - - præſentibus.

CXIV.

Monaſterium S. Petri Erford. partem ſilvæ prope Jenam vendit Sanctimonialibus.

NOs *Hermannus*, Dei gratia; *Theodoricus* de *Milechbindorf* Prior, *Henricus* de *Hall*, Cantor totusque Conventus Monaſterii Montis S. Petri Erphordenſis, ordinis S. Benedicti, Moguntinæ Dioceſeos recognoſcimus, & præſencium (tenore) dilucide proteſtamur, quod nos unanimi conſenſu, bona ac matura deliberacione prehabita, quandam partem feodi vulgari nomine *Liquet* appellatam, quam nobis nobilis Vir Dns *Fridericus* de *Heldrungen* ſenior, *Albertus* & *Fridericus* filii ejusdem nos & noſtrum monaſterium piis ex affectibus præſenti appropriaverunt in perpetu- 1352.

tuum & dederunt, sitam in monte, qui vulgariter dicitur: *Uffe dem Forste*: prope oppidum *Jene*, solventem annis singulis in quolibet festo S. Michaelis quadraginta quinque grossos bonos, & legales, nec non quinque pullos, vendidimus justo legitimoque emtionis interveniente contractu, discreto viro Præposito, nec non sanctimonialibus in *Capelndorf* in perpetuum possidendam, cum omni jure, censu, obventionibus & pertinenciis, quibus nos præfatam feodi partem hucusque tenuimus, possedimus, nec non usi sumus, pro decem talentis denariorum Erphordensium bonorum & legalium, a prædicto emtore seu emtricibus nobis pagatis, & integraliter persolutis, ac in evidentem nostram & Ecclesiæ nostræ utilitatem & usum notorie jam conversis. Qvem quidem censum prænarratum sæpe dictus emtor seu præfatæ emtrices capient, postulabunt & requirent a censualibus nobis, qui præfatum annualem censum seu pensionem præfatæ solutionis termino hucusque dederunt & solvebant, qui in nostra appropriationis litera prædicti Domini *Friderici* de *Heldrungen*, & suorum filiorum plenius, & nominaliter continentur, quam vero dedimus & damus cum præsenti venditionis litera emtori & emtricibus prænarratis, volentes nihil juris in præfatis bonis quomodolibet observare. Quæ quidem omnia & singula præmissa promisimus & promittimus pro nobis & nostris successoribus omnibus eidem Domino Præposito, nec non Sanctimonialibus præfatis rata, grata firmaque tenere, & ea in perpetuum in omnibus & per omnia inviolabiliter observare, nec contra ea venire aliquo ingenio, studio & cautela. Et in evidens testimonium promissorum dedimus & damus prædicto Domino Præposito ac Sanctimonialibus in *Capelndorf* prænarratis nostram præsentem literam, nostræ Abbatiæ atque Capituli sigillorum munimine fideliter communitam. Testes vero hujus rei sunt *Albertus Hoccerman* Procurator, *Guntherus Smedistete*, *Theodericus Zimmern*. De extraneis vero; *Beringerus* de *Meldinge*, *Theodericus* dictus de *Wunne*. *Arnoldus* noster notarius, *Warmundus* noster schultetus, & alii quam plures fide digni. Datum anno Domini M. CCC. LII. secunda in vigilia St. Michaelis.

CXV.

Burggravii de Kirchberg conferunt Monasterio proprietatem mansi dimidii in majori Ramstete.

1356. IN nomine Domini Amen. Cunctorum perit memoria factorum, nisi testibus idoneis & scripturis publicis fuerint roborata. Nos jam *Albertus*, *Hartmannus* & *Otto*, Dei gratia Burggravii de *Kergberg*, omnibus, ad quos præsens scriptum venerit seu pervenire poterit, volumus esse notum, quod nos ob reverentiam Dei & nostræ salutis augmentum, ad instanciam Præpositi, & Conventus Sanctimonialium in *Capelndorf*, cum consensu omnium nostrorum hæredum, unum mansum, situm in campis villæ *Majoris Ramstete*. quem compararunt apud *Henricum* dictum *Beyer*, quem ipse a nostra manu possidebat jure feodali, rite & rationabiliter nobis resignavit, appropriamus prædicto Cœnobio jure proprietatis perpetuo possidendum. Hujus rei testes sunt famosi viri *Theodor.* dictus *Schetzel*, advocatus in *Capelndorf*, *Albertus*, *Her.* dicti *Baldrami*, *Job.* - - - *Nicolaus*, Dns. *Conradus* Dns. *Gotfridus* Capellani in *Cadorf*, & alii quam plures fide digni. Ut autem hæc nostra donatio a nostris successoribus firma & inviolata perseveret, præsentem literam sigillorum nostrorum munimine dedimus fideliter roboratam. Datum & actum anno Domini M. CCC. LVI. 17. Cal. Maji.

CXVI.

Hermannus de Sonneborn perpetuam aram sive Vicariam S. Andreæ in monasterio Capelndorf fundat, concesso Monialibus Jure Patronatus.

IN nomine Domini Amen. Cum inter omnia animata homo sit creaturarum dignissima, merito suum creatorem laudando ipsius gloriam ampliat & augmentat. Hinc est, quod nos *Hermannus* de *Sunneborn*, Præpositus Sanctimonialium in *Capelndorf*, in laudem Dei omnipotentis & gloriosæ Virginis Mariæ, & in honorem S. Andreæ Apostoli, & B. Barbaræ Virginis, nec non in venerationem omnium sanctorum, & ad divini cultus augmentum, ac in remedium animæ nostræ, omniumque parentum nostrorum, instauramus, fundamus & dotamus altare seu Vicariam perpetuam in monasterio S. Bartholomei sanctorumque Monialium in *Capelndorf*, consensu Abbatissæ, Priorissæ totiusque Conventus ejusdem Ecclesiæ mero & libero accedente, bonis & redditibus subscriptis, quæ nostra propria pecunia rite & rationabiliter comparavimus, videlicet: altero dimidio manso sito in campis *Vberndorf*, quem possident filii *Ottonis*, de quo dantur singulis annis in festo Michaelis XL. gross. & 3. modii pisarum, & 3. pulli. Item dimidio manso, & una curia sita in Villa *Hermstete*, quam habet Domina dicta *Scloden*, unde datur dimidium maldrum puri tritici, & tres modii hordei, & alter dimidius modius avenæ, & dimidius modius pisarum, & XIIII. Erf. & V. pulli, & XX. casei, & XX. ova, & prope duo ma. papaveris, in festo Andreæ, Walpurgis & Michaelis annui census. Item tribus curiis sitis in villa *Meldingen*, quas emimus apud honorabiles viros, dictos de *Kindhusen*. De una illarum curiarum dantur XII. Sol. dicti Erphordici & VIII. pulli. Item de alia IV. Sol. dicti Erford. & II. pulli. It. de tertia IV. fol. d. Erford. & II. pulli, singulis annis in festo Walpurgis & Michaelis. Item bonis sitis in sylva prope *Jhenis*, quæ dicitur: *an dem Forste*, de quibus dantur L. grossi, & V. pulli annuatim in die Galli. Item uno manso sito in campis villæ *Majoris Ramstett*, quem possidet Domina dicta *die Bezerin*, sub uno talento Hall. annui census. Item uno

1357.

manso sito in campis *Capelendorf*, quem tenet dictus *Snabyl*, de quo dat dimidium maldrum frumenti singulis annis. Item uno manso, sito in campis *Capelndorf*, quem habet *Frederich*, dictus *Foyt* sub dimidio maldro avenæ annui census. Hæc omnia bona in nomine Domini præsentibus ad altare prædictum tytulo proprietatis dotavimus & donamus. Abbatissa vero & Conventus Cœnobii, quando vel quoties dictam Vicariam vacare contigerit, ad eam idoneam personam, actu sacerdotem intra unius mensis spatium *b)* præsentabunt, & prædictum altare absque præjudicio prædicti Conventus perpetuo habeatur, & regatur. Insuper volumus, ut qui institutus fuerit, & sui sequaces, missas in dicto altari legant, & illud efficient, prout fuerit voluntas Præpositi inibi & Dominarum, sintque subjecti Præpositis in omnibus licitis & honestis. Nos quoque *Gertrudis* Abbatissa, *Elisabeth* Priorissa totusque Conventus in *Capelndorf* recognoscimus publice in his scriptis, bona deliberatione habita voluntarie. Ad omnia & singula præmissa nostrum consensum præbuimus, & damus ad observacionem eorum perpetue bona fide. In cujus rei testimonium sigillum nostri Præpositi nostrique Conventus præsentibus sunt adpensa. Datum *Capelndorf* Anno Domini M. CCC. LVII. In vigilia B. Matth. Apostoli

A

CXVII.

Gerlacus AEp. Mog. confirmat hujus altaris fundationem.

1357. G*Erlacus* Dei gratia, sanctæ Moguntinæ sedis Archi-Episcopus, sacri Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius universis Christo fidelibus, ad quos præsentes perveniunt, salutem in Deo sempiternam. Institutionem, erectionem, fundationem & dotationem altaris seu Vicariæ perpetuæ, in honorem omnipotentis Dei, & gloriosæ Virginis Mariæ, & S. Andreæ Apostoli, & B. Barbaræ Virginis, nec non omnium Sanctorum, consecrati per honoratum *Hermannum* de *Sunneborn* his redditibus, quibus hæc præsens nostra cartula est suffixa, factam sine præjudicio ipsius Monasterii Sanctimonialium in *Capelndorf* & singularum personarum cujuslibet alterius interessentis injuria collaudamus, approbamus & Dei nomine auctoritate nostra ordinaria præsentibus confirmamus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum VI. Idus Decembr. anno Domini M. CCC. LVII.

B

C

D

CXVIII.

Excerptum literarum Senatus Erfurt.

1357. W*Ir* Cunrad *von* Alch, Eckebrecht *von* Northusin, Dietrich *von* Topfstete, Giseler Zigeler, *Ratßmeister*, Hinrich Rosinzwig, Gunther *von* Schobeltz, Gere *von* Frunstette, Heinrich *von* Kelbern, Dietrich *von* Geisperlebyn, Heinrich *von* Sommerde, Johannes Starcke, Dietrich *von* Benstete, Cunrad *Cemmerer*, Nicolaus Guste, Johannes *von* Aldindorf, Johannes *von* Clotzdorf, Otto *von* Adinstete, Dietrich *von* Dastorf, Ludwig *von* Garleben, Heynrich *von* Fypeche, Dieterich *von* Lutzman, *der Rath;* Dieterich *von* Wima, Herman Riche, Dyteriche Irnganss *vnd* Gunther *von* Lyberygen; *die viere von der Gemeinde bekennen vfentlich vnd begehren, dass &c. Dieser Brieff ist mit der Stad* Erfurth *Insegel versegilt nach Christi Geborte* drizenhundert *Jahr, in deme* Siben *vnd* funfzigsten *Jahre an der nestin Sunnabende nach Sente Thomastage des Apostels.*

CXIX.

Rudigerus de Hayn Commissarius Mogunt. confirmat electionem Hermanni de Sonneborn in Præpositum Cappelndorf.

R*Udigerus* von *Hayn*, Canonicus Ecclesiæ S. Mariæ Erphordensis, Provisor allodii ibidem, Commissarius generalis a Reverendo in Christo Principe ac Domino Gerlaco Archiepiscopo Moguntino per *Thuringiam* generaliter deputatus, Discreto viro Præposito in *Huesdorf* salutem in Domino. Noveritis, quod nuper ex resignatione Abbatis Domini *Friderici* ultimi Præpositi in *Capelndorf*, Abbatilla & Conventus, aliæque Moniales, Conventum ibidem facientes, discretum virum Dn. *Hermannum* de *Sunneborn*, decreto electionis nobis exhibito, in suum Præpositum concorditer elegerunt, petentes humiliter supplicando, & vice & autoritate prædicti Domini nostri Moguntini, electionem confirmare dignaremur. Nos attendentes petitionem Abbatissæ & Conventus prædictorum fore rationabilem, & justam electionem hujusmodi canonice processisse, observatis in ipso negocio totaliter observandis, prædictorum electionem & electum vice & autoritate præfati Domini nostri Mogunt. confirmamus in Dei nomine, per præsentes vobis mandantes, præcipiendo firmiter & districte, quatenus mox visis præsentibus, prædictum Dn. *Hermannum* electum & confirmatum in possessionem vel quasi fructuum, obvencionum, reddituum & jurium universorum Præposituræ & Monasterii inducatis, injungentes & mandantes Abbatissæ, Conventui & singulis personis ejusdem, nec non Officiatis, Consulibus, Colonis, Pensionariis & Censualibus eorundem, ut prædicto Domino *Hermanno Sunneborn* electo, ut prædicitur, & confirmato, tanquam suo Præposito in omnibus, ut moris est, obediant, respondeant, & intendant & faciant,

1358.

b) Hoc vero eodem anno est mutatum, & fundator sibi suisque heredibus Jus Patronatus reservavit.

in

in quantum in eis est, obedientiam & reverentiam plenariam exhiberi; Alioquin contra omnes contrarium facientes per censuram ecclesiasticam utique procedemus, litera in signum executionis mandati sigillo sigillatur. Actum & datum Anno Domini M.CCC.LVIII. 7. Idus Martii.

CXX.

Excerptum literarum Alberti & Friderici fratrum de Heldrungen.

1357. ALbrecht *vnd* Fridrich *Gebruder, Herrn zu* Heldrungen *beleyhen den Erbahren Knecht* Beringern *von* Meldingen *zum* Rabensperge, *und nach ihm seine eheliche Hausfraw zu einen rechten Leibgeding mit dem dorf zum* Rödeln *vnd was dazu gehöret in Feldt vnd Dorff, welches Ihme Fraw* Leuckart *von* Ilserstedt *verkauft* = Anno 1356. *Geschehen* anno 1357. *am Sanct Bartholomeus Abendt deß heyligen Zwelfbothen.*

CXXI.

1359. HErr Herman *Probist*, Gertrud *Aptischen*, Elsebeth *Priorin vnd die gantze Sammenunge der Heyligen Frowen zu* Capellndorff *bekennen, daß* Conrad Meßer Schmidt *zu* Steten *von des Gotshauses Gute daselbst geben soll Jungfraw* Gysseln *ihrer Mit Schwester, eine Marck und sechß Hüner Jährlichs Zinß zu ihren Leibe und nicht länger.* Datum anno Domini M. CCC. LIX. in die S. Valentiniani.

CXXII.

1359. WIr Thele *Eptischen*, Elsebethe *Priorin vnd die gantze Sammenunge der heyligen Frowen zu* Capelndorf *wir bekennen &c.* Datum anno Domini M. CCC. LIX. in die S. Pancratii Martyris.

CXXIII.

1361. BEringer *von* Meldingen, *genant von dem* Rabensberge *verkaufft ein Gut zu den* Rödeln, *das er von den Erbarn Herren zu* Heldrungen *zu rechten Lehn gehabt, dem Closter vor 40. Schock schmahler Groschen, mit allem Recht, Freyheit und Wirdigkeit, wie es drauf herbracht, vnd will es vor seinen Lehn Herren wieder alle Ansprache gewehren Jahr und Tag, oder das Geldt eines viertheil Jahrs darnach wieder geben.* Anno 1361. *an dem nehstin Donnerstag nach Jacobi.*

CXXIV.

1361. FRiedrich *vnd* Heinrich *sein Sohn Ritter, Herrn zu* Heldrungin *willigen als Lehn-Herren in gedachte verkauffung des Gutes zu den* Rödeln, *das etwan was ein Dorf by* Ilscherstedt *gelegen, des gestrengen Manns* Beringers *von* Meldingen *geheißen von* Rabensperge, *verzeihen sich ihres Lehnrechts, und gebens dem Closter zu erbeigen.* Datum 1361. *an dem nehstin Sontage vor den Pfingstage.*

CXXV.

1361. HEinrich *vnd* Rudolff *Gebruder von* Riedehusin, *verkauffen umb 6. Pf. Erf Pfenning Herren* Herman *von* Rufseleben *einen Priester und gewesem Probst zu* Capelndorf *ihr jährlichen Zinß an Hufen vnd Hofen im Feldt vnd Dorf* Mechtilroda *&c. dargegen wirdt ihnen der wiederkauf vmb gleichmeßig Kauffsum vorbehalten mit ihren eigen vnd nicht mit ander Leut Gelde Anno 1361.* Testes sunt Dns. *Heinricus* Præpositus in *Capelndorf*, Dn. *Fridericus* de *Schinstete*, Dns. *Hermannus* de *Gotha*; Sacerdos; *Giselherus* de *Cruceberg* Scholares. & quamplures fide digni. 1361

CXXVI.

1362. HErr Ditrich *Schenck der Junger von* Apolde *verkeufft Herrn* Herman *gewesenen Probst zu* Capelndorf 3. *Hufe Landes zu grossen* Ramstett *vnd* Sultzbach *mit dazu gehörigen Hofen, Nutzen, Freyheit, Ehren, alß er vnd seine Eltern solche von den Burggrafen zu* Kirchberg *zu Lehn gehabt*, Anno 1362.

CXXVII.

1363. DIeterich *und* Otto *Gebruder Burggrafen von* Kirchberg *eignen dem Closter zu eine halbe Hufe fruchtiges Landes zu* Oberndorf *genandt*, die Schnellen halbe Huse, *welche* Albrecht *von* Brandtstein *daselbst von Ihnen zu Lehn gehabt, vnd sein Eheweib nach seinen Todt ins Closter geben, seiner Seel dabey zu gedencken.* Ann 1363. *an S. Matthes-Abendt des heyligen Zwelfbothen.*

CXXVIII.

1363. DIeterich *vnd* Conrad *Gebrüder von* Hessler *verkauffen dem Closter ihr Gutt zu* Vlrichshalben, *das sie von den Burggrafen zu* Kirchberg *biß dahin zu Lehn gehabt vmb 165. Pf. Geldes &c. und wollen deß eine rechte Landeswehre seyn.* Anno 1363. *an deme ersten Dinstage nach Mitvasten.*

CXXIX.

1363. BUuggraf Albrecht *vnd* Dietrich *sein Sohn*, Dietrich *vnd* Otto *seine Vettern zu* Kirchberg *geben dem Closter ihre Leben, Freyheit, Würdigkeit, Eigenschaft vnd all ihr Recht an 4. Hufen zu* Vlrichshalben *mit 7. Hofen daselbst, welche* Dytrich *vnd* Conradt Hessler *nur besagter maß von Ihnen zu Lehn gehabt, vnd dem Closter verkauft, also daß Herr* Herman *von* Sonneborn, *gewesener Probst solcher Gutes Nutzung halb einnehmen soll, dieweyl er lebet.* Anno 1363. *an deme nesten Freytage nach Sente Valentinis Tage. mit vier Insiglen, darunter eins sonderlichen Musters.*

CXXX.

Donatio Hermanni de Rußleben.

1363. HErman *von* Rufseleben *gewesener Probst zu* Capelndorf *bekent, daß er dem Closter zu Gut 4. Hufe Lands (der Orth sol in einem andern Briefe zu finden seyn) zu erbeigen gekauft, daß es vf die vier Zeiten der heyligen Weichfasten seine Jahrzeit und Seel Gerethe davon bestellen soll. Auch will er dem Closter ewiglich vf S. Elisabethen Tag 20. Gl. zu einer Pietantzien geben, daß sie der Heil. Frauen S. Elisabeth, die eine Fürstin vnd ein Licht des Landes gewesen ist, heyligen Abendt mit der Vesper vnd mit allen Zeiten fleissig begehn soln,* S. Elisabetha.

wan Ihr Lob ſol außgebreitet werden in dieſen Gots Hauß, als in einen Original mit mehren verſehen. Anno 1361. in octava Martini. Uſus ſum ſigillo meo proprio.

CXXXI.

1364. HEynrich *Probſt zu* Capelndorff, Tele *Abtyßen*, Roſa *Prioriſſa, vnd die Sammenunge allegemeyne bekennen, daß Herr* Dietrich *von der* Winen *Burger zu* Erfurth *an des Gotshauſſes Gute zu* Hammerſtet, *ſo* Cuntzens *von* Wirtzburg *geweſen*; 2. *Pfund Pfennige jährlicher Guld von Jungfer* Kunnen Steinmezin, *Sub-Prioriſſen vnd* Kunnen Wigkers, *Item gedachte* Steinmezin 10. *Schilling Jährlicher Guld. vmb* 5. *Pfund Pfennige vor ſich vnd ander zween Mitſchweſtern zu ihren Leib alſo erkaufft, daß ſolche Gulden nach ihr aller Tode, oder ob ſie bey ihren Leben wieder abgelöſt werden, das Geld dafur ewig bein Cloſtern bleiben ſoll.* Anno 1364. *an der Mitwochen nach vnſers Herren Vfforth.*

CXXXII.

IN literis datis anno M CCC LXIV. die Martis poſt Dominicam oculi memoratur *Thela* Abbatiſſa & *Bertrada* ſoror ejus dictæ *die Bäuche.* Teſtes ſunt: *die Erbern Prieſtere Herr* Herman *von* Sunneborn, *der da Probſt was, Herr* Heinrich Koſſebode, *Herr* Johannes Futerer *vnd ander gelobigen Leute genog.*

CXXXIII.

1465. JAn, Hentze *und* Johannes *Brüder geheiſſen dy* Schliche *verkeuffen dem Cloſter ihre Fiſchweyde in der* Jlma *über den Dorff* Meldingen *vor 6 Schock Gl. unter der von* Kiedhauſen *Inſigel, weil ſie nach kein eigenes haben mugen, Deſes Kaufes ſind Gezug die Erbahren wiſen Luthe Herr* Thydt. Schetzel *der Foydt zu* Capelndorf, *Herr* Gotfriedt *ein Prieſter, Herr* Thetzel *von* Engerde, *Herr* Otzelman, Conrad Smyt *vnde ander viel guther Luthe, dy by deſen Kaufe ſind geweſen.* Anno 1465. *in dem Freytage vor dem Suntaghe alſo man ſinget* Circumdederunt me.

CXXXIV.

1465. IN *literis Theoderici, Henrici & Hermanni* fratrum de *Weyhmar* Teſtes nominantur: *Thyth. Schetzel, Joban Schriber Marrach, Tetzel Michelda, und viel andre guther Luthe.* Anno 1465.

CXXXV.

DIetrich *vnd* Albrecht *Gebruder Burggrafen von* Kirchberg *verkeuffen* Herman *von* Suneborn *geweſenen Probſt zu* Capelndorf 2. *Marck Geldes Jährliches Zinſes zu* groſen Ramſtet *halb uff Walpurgis, vnd halb vff Michäelis gegen* Capelndorff *zu ereichen, vmb* 90. *Fl. Kauf Sum. Dieſer Rede vnd Kauffis ſind Gezeugen die Erbarn Luthe Herr* Johans Futerer, Johannes Oſſelman *Prieſtere, der von* Dornheimb *Voyt zu* Capelndorff, Herman Balderan, Albrecht *von* Schinſtete *vnd viel guter Luthe den das wyßlich.* Datum anno Dom. M. CCC. LXIX. quarta feria poſt Catharinæ.

CXXXVI.

Gerlacus AEp. Mog. Rudolpho de Hayn mandat, ut Sigfridum Bürger Præpoſitum Capelndorf confirmet.

GErlacus Dei gratia, ſacræ Moguntinæ ſedis Archiepiſcopus, ſacri Imperii per *Germaniam* Archi-Cancellarius, honorabili *Rudolfo* von *Hayn*, Proviſori allodii noſtri *Erphordii*, devoto noſtro dilecto, ſalutem in Domino ſemper. Ex parte religioſarum nobis in Chriſto dilectarum, Abbatiſſæ, Prioriſſæ & Conventus Monaſterii in *Capelndorf* noſtræ diœceſis nobis humiliter extitit ſupplicatum, cum nuper vacante Præpoſitura ejusdem monaſterii per mortem quondam *Conradi* noviſſimi Præpoſiti ejusdem monaſterii, ipſe - - congregatæ. Ne diutina vacatione ſolacio privarentur, præhabito tractatu congruo, *Sifridum* dictum *Burger* - - in Præpoſitum dicti monaſterii concorditer nominaverunt, & quantum in eis fuit, canonice elegerunt, quatenus electionem per eas de perſona dicti *Sifridi* factam, auctoritate noſtra ordinaria confirmare dignaremur. Nos igitur noſtris & Eccleſiæ noſtræ negociis, quibus ad præſens ſumus multipliciter præpediti, eidem confirmationi perſonaliter nequeuntes (adeſſe), diſcretioni Tuæ; de qua ſpecialem gerimus confidentiam in hac parte, tenore præſentium committimus vices noſtras, mandantes, quatenus vocatis de jure & merito vocandis, inquiſito per te diligenter de forma electionis, meritis eligentium & electi præmiſſo proclamationis, prout moris eſt, - - adhibitis ſolemnitatis debitis & conſuetis. Si eandem electionem invenis canonicam, eam auctoritate noſtra confirmes, & eundem *Sifridum*, ſi ipſum ad hæc habilem & idoneum reperis, præfato monaſterio in Præpoſitum præficiens, curam & - - ipſius monaſterii & ſubditorum ejusdem committendo, faciens eidem - - ejusdem Monaſterii Præpoſito ab omnibus, quorum intereſt, fideliter intendere & obedire faciens, quod decrevimus in præmiſſis per cenſuram eccleſ. firmiter obſervari. Teſtes autem, qui nominati fuerint, ſi ſe gratia odio vel timore ſubtraxerint, ſimili cenſura compellas veritati perhibere teſtimonium. Datum *Aſchaburg* viceſima tercia die menſis Junii, Anno Domini CCC. ſeptuageſimo. 1370.

CXXXVII.

DIetericus de *Mewersborg* in *Groſen Ramſtete* & fratres ejus *Baldranus, Petrus, Albertus* & - confirmant emtionem *Eliſabethæ* de *Roſla* viduæ in *Capelndorf.* *Deſes Kaufes ſindt Gezug dy vromen Luthe* Herman Oſſlman, Claueſs Golt, Gerharte *der alte* Golt *vnd andere gelaubiger Luthe.* Datum & actum anno Dom. M. CCC. LXXI. 1371.

CXXXVIII.

Dominicani Jenenſes Hermanno de Sonneborn ejusque parentibus & propinquis perpetuam miſſam decernunt.

NOs frater *Nicolaus* Prior, *Conradus* Subprior, cæterique fratres Ordinis Prædicatorum 1371.

catorum domus Jhenenſis, omnibus hanc literam viſuris vel audituris cupimus fieri manifeſtum, quod honorabili viro ac diſcreto Domino *Hermanno* de *Sunneborn* Sacerdoti, quondam Præpoſito in *Capelndorf* devocionem attendentes, ac beneficia noſtro Conventui per ipſum impenſa recompenſare cupientes, eidem ac parentibus ſuis caris & propinquis, vivis ac defunctis, unam miſſam perpetuam ad altare S. Andreæ Apoſtoli glorioſi cottidie celebrandam cum communione aliorum beneficiorum adſignavimus & per præſentes adſignamus ſine dolo. Quod ſi in prædicto altari impedimentum aliquod intervenerit, quod miſſa celebrari non contigerit, ex tunc, prout ex nunc, pro ſalute omnium prædictorum unam miſſam deputamus, ubicunque per fratres noſtri Conventus celebrari contigerit. Anniverſarium vero prædicti *Hermanni* ſeu omnium prædictorum peragemus Dominica proxima poſt feſtum S. Andreæ cum vigiliis, & feria ſecunda cum miſſa ſingulis annis ſolenniter & devote celebrare. Pro quo quidem anniverſario ſæpe dictus Dn. *Hermannus* devote obtulit unum calicem in pium & perpetuum uſum autem antedicti altaris, in hunc modum, quod per Priorem, qui nunc eſt, vel alium quemcunque poſt eum prædictus calix vendi, impignorari aut alienari non debet, quovis modo. In cujus rei teſtimonium ſigilla noſtra videlicet Conventus & officii Prioratus præſentibus duximus appendendum. Datum anno Domini M. CCC. LXXI. in die B. Auguſtini Confeſſoris glorioſi.

CXXXIX.

1372. IN literis venditionis de an. 1372. die Martis ante S. Valentini memorantur *Hermannus Schilling* Præpoſitus, *Criſtina* de *Guttern* Abbatiſſa, *Eliana Herſchesleyben* Prioriſſa &c. Cœnobii in *Tundorf*.

CXL.

1372. B *Urggraf* Albrecht *von* Kirchberg, *Herr zu* Wintberg *vnd* Zeymehayn *vnd Fraw* Eliſabeth *ſeine Mutter verkeuffen Herr* Herman *von* Ruſſeleben *Prieſtern und vormahls Probſten zu* Capelndorf *umb 15. Schock Meiſſner breiter Groſchen alle ihr Recht an einen Gutbe zu* Wigendorf *&c. wie es die von* Drattſtett *von Jhnen gehabt, zu einen Seel Gereth vnd Verbeßerung der heyligen Cloſter Jungfrawen Pfrunde. Deß ſindt Gezugen der Probſt Herr* Syfardt *zu* Capellendorf, Heynrich Schezel *ein Vogt allda ſelbſt, vnd ein Prieſter Johannes von* Weymar, Herman Baldram, Herman Ottlman *vnd* Hannes *Schriber &c. Datum 1372. an dem Tage der Heyligen Merterer.*

CXLI.

1374. SIfrid *Probſt.*, Luchard *Burggrafin von* Kirchberg *Aptißin*, Eliſabeth *Priorin vnd gantze Cloſter Sammung zu* Capelndorff *bekennen, daſs ſie von 3. Kloſter Jungfrawen des Geſchlechtes von* Obernitz *30. Pf. pfennige wiederkeufliches Geldes eingenommen, vnd wollen ihnen dafur bis uf wiederloſe jährlich geben 3. malder Korn järlicher Zinß von zwee Hofen und Hufen zu* Franckendorf. *Anno 1374. an Sente Jacobis-Tage des groſſen der heyligen Zwelf Bothen.*

CXLII.

1378. HErman Baldram *vnd ſampt ſeiner ebelichen Wirten* Margareta, *verkeuft vor 15. Pf. pfennige guter Landtwehr eblichen Jungfrawen von* Lubeniz *vndt* Oberniz *vnd dem gantzen Cloſter 4. gr. vnd 2. Schock ſchmalen Geldes Jährlichs Zinſes. den Groſchen vor 6. ½. Pfennig gerechnet. halb vf Walpurgis, vnd halb vf Michaelis zu zahlen von einer Hufe. Landes Abrackers zu* Franckendorf, *daran ſol die Zinßleute nicht hindern Brunſt, Raub, Herrn Bethe, nach allerley Schaden, geiſtlich oder weltlich, vnd er wil die Eigenſchaft uber ſolche Hufe dem Cloſter bey den Oberſten Lehn Herrn vnd ſeinen mitbelehnten Freunden zu wege bringen. Das ſind Gezugin Herr* Heynrich *von* Rotſtete, Jacobus *von* Harras, Dyterich *von* Lebergin *vnd ander viel gute Luthe. Herr* Conradt *von* Hatſtete, *Voyt zu* Capilndorf, Herman *von* Aſſeneſtet, Herman *von* Schinſtete, Peter *von* Meuersburg *hengen mit geſambter Hand ir Inſigele an deſen Brief, der Brief iſt gegeben nach Gotis Gebort M. CCC. LXXVIII. am Sante Lucien Tag der heyligen Jungfrowin.*

CXLIII.

1380. JOhannes Marod *Probſt*, Luckard *Burggräfin von* Kirchberg *Eptiſchin*, Eliſabeth Satzirneygin *Priorin.*, Jutte *von* Lubenitz *Coſtereyn, vnd die gantze Sammunge, alt vnd jung der heyligen Cloſter Frauen zu* Capelndorf *verkaufen* Hanſen Sibotten *Burgern zu* Jene *vnd ſeinem Weibe auf ihr beyder Leben ein Hauß in der Prediger Gaße zu* Jena *vmb 5. Pf. guter Landt-Pfennige vnd daß ſie daſſelbe Hauß vnd andere darzu gehörige Häuſer mit halben Ziglen decken ſollen. Deßſind Gezuge die beſcheiden Luthe* Hanſs Richardt, Johan Meſſerſmet *von* Stobern, Hanſs Meſſerſchmet *ſin Frundt -- Stadt-Schreiber*, Bertold Koch - Eckerſperg, Clauſs Cluge *zu Jhene vnd me globige Lute gnug. An. 1380. an den Montage vor vnſer leben Frawen Tage Lichtewy.*

CXLIV.

1382. GOtfriedt *Probeſt*, Luchardt *Eptiſſin Burggrafin von* Kirchberg, Elſe Satzerney *Priorin*, Jutta *von* Lubeniz *Kuſterin &c. bekennen, daſs ſie* Heynrich Schwartzen *vnd* Friederich Meiſsner *einen Berg, das* Eulengeſchrey *über den* Jobortz *ümb 10. Schilling pfennige zu Jährlichen Erbzinß, und den Zehnden von allen Früchten, die Gott drin beſchebret. vnter der Statt* Jena *Inſigel (den Erz Engel Michel vf einen Drachen vnd einen Schildlein neben ſich mit einen Lewen) verkaufet. Deßſind Gezugen die keynwertigen Ratsmeiſter, Herr* Heynrich Selber, *vnd Herr* Henrich Rengeſtorf, *vnd der ganze*

Rath zu Jena. *Anno 1382. an vnſer lieben Frawen Tage Lichtwie.*

CXLV.

1383. *Wir* Dietrich Vizthumb *von* Eckſtete *vnd alle meine Erben bekennen uffentlich an dießen ufnen Brieve vnd thun kundt, &c. Anno 1383. an deß heyligen Marteres Tage Sente Kilians.*

CXLVI.

Monaſterium vendit Rudegero de Vſſeler duo maldra tritici, tempore vitæ ipſius quotannis præſtanda.

1383. In nomine Domini Amen. Ne facta hominum labilia a memoria tranſeant, ſolent literis & teſtibus fideliter communiri. Nos igitur *Otilia*, Abbatiſſa, *Cunegundis* Prioriſſa, totusque Conventus Sanctimonialium in *Capelndorf*, una cum Syndico noſtro recognoſcimus, & præſentibus publice proteſtamur, quod de communi conſilio & conſenſu Dominorum & amicorum noſtrorum omnium vendidimus diſcreto viro, videlicet *Rudegero* de *Oyßeler* & *Eliſabeth* ſuæ legitimæ, duo maldra tritici, Wimarienſis menſuræ, omni anno douanda, tempore vitæ ipſorum, quoad vixerint, in feſto S. Michaelis, pro ſeptem marcis Fribergenſis argenti, quæ nobis eſt plenarie perſoluta, et ad neceſſitatem noſtræ Eccleſiæ eſt converſa, quem cenſum ipſis deputavimus & præſentibus deputamus de duobus manſis, ſitis in campis & in villa *Vmverſtete*, apud noſtros colonos & fideles, videlicet in *Jutta*, dicta *Mereſchen*, quæ dabit unum maldrum tritici de uno, & in *Theoderico* dicto *Stail*, qui dabit de medio manſo medium maldrum tritici, & in *Theoderico* dicto *Lerzen*, qui dabit de medio manſo medium maldrum tritici, & ejus emtoribus præſentabunt in *Wimariani* ſingulis annis, propriis laboribus & expenſis. Poſt obitum autem prædictarum perſonarum ambarum, prædictus cenſus Eccleſiæ noſtræ libere revertetur. In cujus evidentiam præſentes literas ſigillo noſtri Conventus dedimus communitas. Teſtes hujus ſunt *Baldramus* de *Ramsla*, Caſtellanus ibidem, fratres *Henricus* dictus *Romel* converſus, *Theodericus* dictus *Snabil*, *Johannes Clericus* dictus de *Gogniz* & alii quam plures fide digni. Datum & actum anno Domini M CCC. LXXXIII. in die B. Johannis Latinam.

NB. videtur hoc Dipl. alieno loco poſitum, vide p. ſeqv.

CXLVII.

Albertus Burggravius de Kirchberg monaſterio vineam donat prope Jenam in monte Greifenberg.

1385. In nomine Domini Amen. Ne ea, quæ aguntur in brevi tempore, ſimul cum tempore a memoria hominum tranſeant, cautum eſt, ut ſcripturis & teſtibus fulciantur. Hinc eſt, quod nos *Albertus* Dei gratia Burggravius de *Kercbberg* ſalutem in Domino, recognoſcimus per præſentes omnibus hanc literam intuentibus, quod nos propter Deum & obpeticionem Domini Præpoſiti, Abbatiſſæ & Conventus in *Capelndorf* de pleno conſenſu contulimus & donamus, & jure proprietatis adpropriamus jure perpetuo poſſidere, Dominabus & ſacris virginibus Deo dicatis in *Capelndorf* unam vineam ſitam in *Jhene* in monte, qui dicitur *der Greifenberg*, quam jure pheodali a nobis habuerunt *Nicolaus Wortnian* & *Nicol Lange*, cives in *Jhene*. Ut autem hæc donatio Deo placeat & jugiter permaneat, præſentem literam diligentius fecimus conſcribi, & noſtri ſigilli munimine roborari. Teſtes hujus ſunt Dominus *Hermannus Zerteling*, Dn. *Paulus* Capellani, *Job. Truchtelborn*, advocatus, & *Johannes* de *Vlla* Notarius in *Capelndorf* & quamplures fide digni. Acta ſunt hæc anno Domini M. CCC. LXXXV. feria quinta prius feſtum Pentecoſtes.

CXLVIII.

1387. *Wir* Gotfried *von* Ebeleybin, *Probiſt zu* Capellendorff, Luchardt *Eptiſchen*, *Burggräfin von* Kirchberg, Eliſabeth Sazirneygin *Priorin, vnd die gantze Sammunge des heyligen Cloſter* Capelndorff *bekennen &c. Anno 1385. an dem Sintage in der Faſten, alſo man ſinget Oculi.*

CXLIX.

Albertus Burggravius confert Monaſterio proprietatem dimidii manſi in Vnverſtete.

1388. Nos *Albertus* Dei gratia Burggrafius de *Kirchberg* omnibus, ad quos præſens ſcriptum pervenit, cupimus eſſe notum, quod nos ob reverenciam Dei & noſtræ ſalutis augmentum, & ad inſtanciam Præpoſiti & Conventus in *Capelndorf*, cum conſenſu heredum noſtrorum dimidium manſum, ſitum in campis villæ *Vmferſtete*, quem coluit & colit dictus *Kolemorgen*, quem emit Præpoſitus pro duodecim libris denariorum cum ſedecim ſolidis, a ſtrenuo armigero *Hermanno* de *Deynſtete* & a ſuis heredibus qui in pheodo habuerunt a nobis, quem nos rite & rationabiliter appropriamus prædicto Cenobio jure perpetuo poſſidere. Ut autem hæc noſtra appropriatio firma & ſtabilis perſeveret, præſentem literam ſigilli noſtri munimine roboramus. Teſtes ſunt *Theodricus Schinſtet*, *Bertoldus* de *Meldingen*, & alii quamplures fide digni. Hæc acta ſunt proxima quinta feria poſt Epiphaniam ſub anno Domini M. CCC. LXXXVIII.

CL.

1389. In Diplomate ejusdem de an. MCCC. LXXXIX. occurrunt *Albertus* de *Schinſtete*, *Conradus* de *Meldingen*, *Theodericus Waßirleſe*. Feria ſexta pro proxima poſt diem S. Kiliani.

CLI.

Hartmannus Burggr. vineam Weiſſenborn dictam & decem manſos donat cœnobio.

1390. In nomine Domini, Amen. Cum cultus divinus potius ſit augendus quam minuendus: Nos igitur *Hartmannus* Burggravius in *Kirchberg* cupiens ſalutem animæ noſtræ ac progenitorum noſtrorum operari, fatemur

murmuris scriptis, quod altare constitutum Monasterio Sanctimonialium in *Capelndorf* in honorem B. Mariæ Virginis, ad honorem Dei Omnipotentis & ejusdem B. Mariæ genitricis suæ, bonis, videlicet vinea, dicta *der Wissenborn*, sita in monte *Griffenberg*, & novem mansis, sitis in *Slotewin*, de quibus decem & octo modii frumenti & avenæ singulis annis dantur, & uno manso sito in campis *Wenigen Romstet*, quem tenet *Adelheidis* relicta *Reinhardi*, sub censu annuo quatuor maldrorum frumenti & hordei, salvis tamen A sedecim modiis frumenti & hordei, qui Dno *Conrado Merrettich* singulis annis ad tempus vitæ suæ de prædicto manso dari debent, post ejus mortem etiam cum prædicto censu transibunt, & una area in *Capelndorf* dotavimus & dotamus in nomine Domini per præsentes, & prædicta bona cum consensu fratris nostri *Alberti* in prædictum altare proprietatis titulo conferimus; & illud altare, quotiens tempore vitæ nostræ vocaverit, personæ idoneæ porrigemus. Et post mortem nostram Præpositus, Abbatissa & Conventus ibidem, qui pro tempore fuerint, in dicto altari, quoties perpetuo vacaverit, personæ idoneæ providebunt. Et ut prædictum altare absque præ-B judicio prædicti Conventus perpetue habeatur atque regatur, volumus, ut qui institutus fuerit, & sui sequaces missas in prædicto altare legant, & illud efficient prout fuerit voluntas. Præpositi inibi & Dominarum, & sint subjecti Præpositis in licitis & honestis. In cujus rei testimonium sigilla, videlicet nostrum, *Alberti* fratris nostri, Præpositi & Conventus ibidem sunt appensa. Et nos *Nicolaus* Præpositus, *Elisabeth* Abbatissa, *Cunegundis* Priorissa, totusque Conventus Sanctimonialium ad prædictam ordinacionem seu dotationem sub appensione sigillorum nostrorum nostrum damus consensum similiter & favorem. Datum Anno M CCCXC. XI. C Calend. Maji.

CLII.

Pincernæ de Apolde vineam donant & dimidium mansum monasterio.

1392. IN nomine Domini Amen. Cum cultus divinus potius sit augendus quam minuendus: Nos igitur *Rudolfus* Senior & *Theod.* Junior fratres Pincernæ de *Apoldia*, cupientes salutem animarum nostrarum ac progenitorum nostrorum operari, igitur fatemur in his scriptis, quod ad altare constructum in monasterio monialium in *Capilndorf* in honorem D B. Mariæ Virg. & ad honorem Dei Omnip. & ejusdem B. Mariæ genitricis suæ & ad peticionem Præpositi & Conventus, cum consensu omnium hæredum nostrorum, unam Vineam & dimidium mansum situm in campis & villa *Wigendorf*, quæ bona possidet hæreditario jure Niclas dictus de *Apolde*, & sui hæredes, de quibus bonis dat annuatim in festo Michaelis triginta quatuor solidos denariorum & unum pullum, quæ bona emit Præpositus pro decem & octo libris denariorum a strenuo armigero *Th. Wasserlesen* & a suis hæredibus, qui in feodo habuerunt a nobis, quæ nos rite & rationabiliter transferimus & adpropriamus prædicto altari & vicarii jure perpetuo possidere. Quod autem hæc nostra adpropriatio firma & stabilis perseverat, præsentem literam sigilli nostri communimine roboramus. Testes hujus rei sunt *Ludolfus* de *Helstrun* & *Theod. Schinstet* & alii quamplures fide digni. Hæc acta sunt feria quinta post Dominicam, qua cantatur Lætare, sub anno Domini M. CCC. nonagesimo secundo.

CLIII.

OCcurrunt etiam literæ *Alberti* Burggravii *Kirchberg*. Domini in *Cranchfeld* eodem anno Dominica Jubilate datæ. Item anno MCCCXCIV. in vigilia S. Julianæ.

CLIV.

Ubaldus Nuncius Apost. Presbyteris potestatem concedit, impertiendi monialibus in Cappelndorf indulgentias.

VBaldus Dei gratia Archiepiscopus Tuni- 1393.
tanus, Apostolicæ sedis Nuncius, supra gratia sacratissimi anni *Jubilate* specialiter deputatus, prout in litteris Apostolicis inde confectis plenius continetur, vobis idoneis Presbyteris, quos venerabilis Domicella, Abbatissa monasterii in *Capelndorf*, ordinis S. Bernhardi, Moguntinensis diœceseos, pro persona sua, nec non pro omnibus & singulis sororibus & monialibus ejusdem Monasterii professis & inprofessis in Confessores duxerit eligendos, confessiones ipsarum Abbatissæ & monialium, tanquam personarum legitime impeditarum, nequeuntium propter religionem & ipsarum honestatem Ecclesias in dictis literis apostolicis expressas, personaliter visitare, audiendi eisque & cuilibet earum vere pœnitenti & contritæ indulgentiam sacratissimi anni *Jubilate* hac vice duntaxat, juxta formam & tenorem harum literarum apostolicarum concedendi, auctoritate apostolica, tenore præsentium elargimus facultatem. Nolumus autem quod informationem super hoc traditam, quam vobis cum præsentibus transmittimus, ut per eam plenius informemini; recipiatis, & juxta illam ipsarum personarum saluti consulatis animarum, easque juxta hujusmodi informationem dirigatis in agendis, visitationem Ecclesiarum in dictis literis apostolicis, postquam commode intra sui monasterii septa explere non possunt, in alia pietatis opera salubriter commutando. In cujus rei testimonium præsentes literas nostro sigillo fecimus communire. Datum in *Wissegrado* prope *Pragam*. Anno Dom. 1393 die prima mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Dni *Bonifacii*, divina providentia Papæ IX. anno quarto.

CLV.

B*Urggrav* Oswald *von* Kirchberg *bekennet, daß er* Fritzen *von Hofe, seinem* 1395.
Sohn

Sohn und andern Erben, wie auch Marſchalcken 12. Schock guter Meiſsner Gr. ſchuldig worden, die er ihnen auch vf künftig Michaelis bar zu zahlen gelobet. An. 1395. an der erſten Mitwochen vor vnſer lieben Vrowen Tage Lichtewiehe.

CLVI.

1402. *WIr* Nicolaus Livergyn, *Probiſt des Cloſters vnd der heiligen Sammunge zu* Capelndorf, *wir* Gyſele Jungen *Epriſſinne*, Jlſe *von* Meuirburgk *Priorinne vnd die gantze Sammunge gemeiniglichen des vorgenanten, alt und jung bekennen &c. An. 1402. an Sente Katharinen Tage der heyligen Jungfrawen.*

CLVII.

Officialis Erfurtenſis confirmat Nicolaum Libergin, electum Præpoſitum Cappelndorf.

1403. OFficialis Præpoſituræ Eccleſiæ S. Mariæ Erfordenſis, Moguntinæ dioc. plebanus in *Vnferſtete*, ſalutem in Domino. Ad adminiſtrationem, regimen & gubernationem tam ſpiritualium quam temporalium Monaſterii Sanctimonialium in *Cappelndorf* Ordinis S. Benedicti, dictæ Mogunt. dioc. vacantem ad præſens ex libera dimiſsione diſcreti viri Dni *Hermanni Bittirchof*, noviſsimi rectoris ejusdem, diſcretum virum Dn. *Nicolaum Libergin* Presbyterum ad hoc habilem & idoneum per religioſas Dominas *Gyſelam* Abbatiſſam, totumque Conventum dicti Monaſterii unanimi aſſenſu, propter ſuæ probitatis & virtutum merita concorditer ad eandem nominatum & adſumtum, ac nobis præſentatum ſervamus ſervando, prout ad nos ex antiqua & hactenus adprobata conſvetudine pertinet, *per librum*, quem pro tunc noſtris tenuimus in manibus, ex rogatu dictarum Monialium, *inſtituimus* & commiſimus, mandantes vobis, quatenus dictum Dn. *Nicolaum* in & ad cerporalem poſſeſsionem dictæ adminiſtrationis, regiminis & gubernationis tam ſpiritualium quam temporalium, juriumque & pertinenciarum ejusdem inducatis & defendatis, inductum facientes ſibi de fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus univerſis integre -- & a ſubditis dicti monaſterii obedientiam & reverentiam debitam & conſvetam exhiberi, adhibitis ſolennitatibus & conſvetis. Datum anno Dn M.CCCC. III. ſecunda poſt octavam Epiph. Domini.

Inveſtitura per librum.

CLVIII.

1406. *WIr* Heinrich Reuſſe *von* Plawen, *mitler Herr zu* Cranichfeld *vnd* Grætz *entbieten euch wurdiger und achtbare Herre, Er Official zu der rothen Thur zu* Erforth *vnſern beſundern Gruſs, vnd guten Willen zuvor &c.* Datum in VI. Fabiani & Sebaſtiani anno 1406.

CLIX.

1410. *ICh* Dietrich Scheideſelt, *in der Zeit Voit zu* Capelndorf *bekenne in dieſen uffnen Briefe allen guten Leuthen, die dieſen Brief ſehen oder hören leſen, das vor mich kommen ſind* Heinrich Bache *Bürger zu* Jhene *vnd* Jutte *ſeine eheliche Wertin &c. Doby ſind geweſt vnd ſindt Gezuge* Aſsmus *von* Hobbach, Hanſs *von* Gamſtete, Dyterich Babſt *&c. 1410. an den Frytage nach Sant Mertinſs Tage.*

CLX.

WIr Heinrich Naſſe *Probiſt*, Gyſele Jungin *Epriſsin*, Jlſe Meuerſpurg *Priorin, und die gantze Sammunge vnſes heyligen Cloſters zu* Capelndorf *vnd alle vnſe Nackommen bekennen &c. -- Bey dieſen allen vorbeſchrebenen ſtucken iſt geweſt vnd haben gethedinget der geſtrenge* Heynrich *von* Lichtenhayn, *geſeſſin zu* Döberzſchen: *vnd der geſtrenge* Dytrich *von* Scheidenelt, *zu den Gezieten* Amptman *zu* Capelndorf, *&c. An. 1413.* 1414

CLXI.

WIr Frederich *von Gottes Gnaden Landgrafe zu* Döringen *und Marggrafe zu* Miſsin *bekennen &c. Gegeben nach Chriſti Gebort Thuſint Jahr, Firhundirt Jahr, darnach in deme ferzendenJahr an dem Tage Sent -- des heyligen Biſchofs.* 1414.

CLXII.

Officialis Erfurtenſis mandat monialibus in Cappelndorf, ut ad inveſtituram Henrici de Schoelen citent publice eos, quorum intereſt.

1418. OFficialis Præpoſituræ Eccleſiæ beatæ Mariæ Erfordenſis Præpoſito in *Capelndorf*, & ejus Plebanis ceterisque divinorum Rectoribus requiſitis ſalutem in Domino. Veniens ad nos diſcretus vir Dns *Heinricus* de *Scholen*, Presbyter, aſſerens, ſe ad Vicarias altaris SS. Mariæ & Agnetis virginum, ibidem in monaſterio Monialium ſiti, vacantes ex obitu quondam Dni *Hermanni Silberzahn* noviſsimi Rectoris ejusdem, nobis per religioſas Dominas *Giſelam Jungen*, Abbatiſſam, *Sophiam Schrots* Prioriſſam & totum Conventum Monaſterii *Capplindorf* præfati, ad quos Jus Patronatus ſeu præſentandi pleno jure pertinere dinoſcitur, legitime præſentatum, ſupplicantes nobis humiliter, quatinus ipſum præſentatum ad hujusmodi vicarias inveſtire dignaremur. Verum quod nobis non conſtitit, neque conſtat, an alicujus alterius interſit præſentare, vobis mandamus, quatinus die Dominica, qua cantatur: *Vocem Jucunditatis*, ac ſecunda & tertia feriis ſeqventibus in dicto monaſterio veſtro publica de præmiſsis proponantur proclamationum edicta. Citatis nihilominus omnibus ac ſingulis, qui ſua crediderint intereſſe, ut ſexta feria, proximam dictam Dominicam immediate ſequente, mane hora judicii compareant coram nobis dicturi & allegaturi de jure ipſorum, ſi quid præſentatio præmiſſa ipſos competere dinoſcatur, alioquin ad inveſtituras & inſtitutiones dicte vicarie cum ipſo præſentato procedemus, ipſorum citatorum abſentia non obſtante. Per literas

ſignatas

signatas datas Anno Dni M. CCCC. XVIII. quinto Calendarum Maji.

CLXIII.

OFficialis deinde anno eodem *Henricum* de *Scölin* investivit per librum, quem tunc in suis manibus tenebat, & in possessionem introduci jussit. Datum feria sexta, proxima post Dominicam: Vocem Jucund.

CLXIV.

1420. *WIr* Heinrich Grumpe *Bürger zu* Jena, Ilse *myne elichè Wirtin vnd alle vnse Erben bekennen, &c. des zu wahren Bekentniß habe ich gebethen den Ersamen wysen* Burgkard *von* Morung, *Bürgern zu* Jhena, *das er sin Ingesiegel an dysen uffen Brief gedruckt hat, vm vnd syn Erbin ane Schaden. 1420. an Sente Johannis Tag des Täufers.*

CLXV.

1420. *WIr* Gabriel Smedes *vonn* Apolde *Probist*, Ilse Bols *Eptißin*, Sophie Schrots *Priorin vnd die gantze Sammunge des heiligen obgenanten Closters* Capelndorff *bekennen &c. 1420. am Sente Valentins tage des heiligen Mertereres.*

CLXVI.

1424. *DEr Vogt und ein Burgman zu* Capelndorf *zeugen, das zwischen dem Closter und Pfarr zu* Magdela, *vnd zwischen dem Closter vnd Burggrav* Ditrichen *zu* Kirchberg *abgehandelt sey, gedachten Pfarr 50. fl. vf Togezeit zu bezahlen. Ich* Tizelo *von* Weberstett *der Eltere*, Ludolff *sin Sohn, ietzunt beyde do zu* Capelndorf, *vnd* Hans Tisman, *Burgman do selbinst, wir bekennen &c.* 1424. in vigilia Conceptionis Mariæ.

CLXVII.

Monasterium in Cappelndorf Præposito Ecclesiæ B. Mariæ Erford. novum Præpositum electum præsentat.

1424. VEnerabili Viro Domino Præposito Ecclesiæ beate Mariæ Erfordensis seu ejus Officiali ibidem, *Elysabeth Bolts* Abbatissa, *Elisabeth. Kœpantz* Priorissa totusque Conventus Monasterii in *Capeldorf*, Ordinis S. Benedicti Magontinensis dioc. obedyenciam reverentiamque condignam ad omnia subjecta. Honorabilem virum Dominum *Henricum Wigman* Canonicum regularem in *Ettersborg*, per nos unanimi consensu Dominorum nostrorum Proconsulum & Consulum oppidi Erfordensis prætacti, nec non nostri monasterii procuratorum consilio in administratorem seu Præpositum elegimus, una cum ipso & pro ipso humiliter & devote supplicando, quatenus ipsi curam & regimen dominarum nostri Monasterii ac Parochie in *Cappelndorf* præfati committere dignemini, juxta morem & consvetudinem hactenus observatam &c. Datum anno Dni M. CCCC. XXIIII. in vigilia Visitationis Mariæ.

CLXVIII.

Officialis Erfurtensis mandat Plebanis in Schwabhausen & Sultzbecbe, ut præsentatum rite introducant.

1424. OFficialis Præposituræ Ecclesiæ beate Mariæ Erfordensis Plebanis in *Schwabhausen* & in *Sultzbecbe*, cæterisque præsentibus requisitis S. in Domino sempiternam. Nuper administrationem Præposituræ seu gubernationem tam spiritualium quam temporalium monasterii Sanctimonialium in *Capelndorf* ordinis S. Benedicti, Magunt. Dioc. ex obitu quondam Dni *Gabrielis Fabri* ultimi administratoris ejusdem vacantem venerabilis & religiosæ *Elisabet Boltz*, Abbatissa, *Elisabet Kopans* Priorissa totusque Conventus Sanctimonialium ibidem in *Capplindorf* in honorabilem virum Dominum *Heinricum Wigman* Canonicum regularem in *Ettersborg* de consensu & voluntate providorum virorum Dominorum Proconsulum & Consulum oppidi Erfurtensis ac Procuratorum monasterii in *Caplindorf* sæpe dicti vota sua direxeruht, ipsumque &c. Datum & actum Anno Domini M. CCCC. XXIV. V. Id. Julii, nostri officialatus sub sigillo præsentibus appenso.

CLXIX.

ANno M.CCCC.XXVII. 8. die Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Frater *Henricus* Episcopus Ecclesiæ Adrimitanensis, in Pontificalibus Vicarius *Conradi* AEp. Mogunt. monasterio *Cappelndorf* indulgentias concessit. 1427.

CLXX.

DAs Closter verkeuft mit guten Willen und Wißen seiner gnädigen Herren des Raths zu Erfurt *vnd derer vor Ihm gesatzten Vormunden* Herman Wunnen *Bürgern zu* Erffurt, *drei Pfund Geldes ewiger Erbzinse, Erffurtischer Wehre, an anderthalben Hufe Landes zu* Andischleben, *die ihre Vorfahren dem Meister des heiligen Ordens S. Lazari, vnd der gantzen Samlung derselben Brüder, verzeiten abgekauft, vnd erlangt damit den Wiederkauf 6. Malder Korn Geldes Jährlicher Erbzinß an 3. Hufe Landes zu* Crossen Schwabhausen, *welche gedachter* Herman Wunne *von ihnen vf einen Wiederkauf innen gehabt hat. Wir* Nicolaus Junge *Probist*, Elisabeth Coppentz *Eptischin*, Elisabeth Richorn *Priorin, und die gantze &c.* An. 1435. *am Montage nach Judica in der Vastin.* 1435.

CLXXI.

Ich Johannes Nalse, *itzund Probist, vnd Wir* Anne *von* Gebese, *Eptischin*, Margarete Schidingen *Priorin*, Dorothee Tusmans *Custerin vnd die gantze &c.* Anno 1446. *am Dienstage nach Dorothea* Virginis. 1449.

CLXXII.

Officialis Erfurtensis hortatur Clericos suæ diœcesis, ut monasterio Cappelndorf. eleemosynas largiantur.

OFficialis Præposituræ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis Erfordiensis, universis ac singulis Plebanis Vice-Plebanis & Capellanis nostræ jurisdictioni subjectis salutem in Domino sempiternam. Cum Sanctimoniales monasterii in *Capelndorf* multorum debitorum oneribus involutæ sint, ac in structuris habitationum monasterii earundem multiplices patiantur defectus, quos absque Christi fidelium eleemosynis non possunt recuperare, sed pro hujusmodi ædificiis & structuris dicti monasterii vade 1448.

necessariis facultatibus ipsius monasterii deficientibus, & ad id minime sufficientibus, ad eleemosynas Christi fidelium & grata charitatis subsidia urgente necessitate - - convolare. Vobis igitur supradictis in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quandocunque præfati monasterii Moniales præsentium nostrarum exhibitrices ad vos venerint, præsentibus nostris literis munitæ, vestrorum Parochianorum & aliorum Christi fidelium eleemosynas petituræ, benivole & caritative, absque alicujus múneris exactione admittatis, eosque erga populum vobis subjectum promoveatis - quatenus ipsis monialibus de bonis, sibi a Deo collatis porrigant manus adjutrices, ut per hæc & alia pietatis & charitatis opera, quæ Domino inspirante fecerint, ad æternæ felicitatis gaudia pervenire valeatis. Præsentibus nostris literis post annum integrum minime valituris. Datum anno Domini M. CCCC. XXXX. VIII. die decima octava mensis Octobris, nostro sub sigillo præsentibus appenso.

CLXXIII.

Pactum inter Monasterium Cappelndorf & Ecclesiam Parochialem in Brisenitz de certis vineæ decimis.

1449. IN nomine Dni Amen. Anno a nativitate ejusdem *millesimo quadringentesimo quadragesimo nono*, indictione XII. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini *Nicolai*, divina providentia Papæ *quinti*, anno ejus secundo, die vero vicesima nona mensis sept. hora meridiei vel quasi in domo habitationis providi viri *Nicolai Zælners* civis oppidi *Jene*, in mei Notarii publici testiumque infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia, personaliter constitutus honorabilis & religiosus Dominus *Johannes* de *Wida* Prior monasterii Beatæ ac gloriosæ Virginis Mariæ in *Posawe* ordinis S. Benedicti, pro nunc verus Pastor in *Brisenitz* prope castrum *Wintperg*, Neumburgensis diœcesios, ex una, & honorabilis Dns *Paulus Fabri*, Præpositus Monasterii Sanctimonialium in *Capelndorf* Ordinis Cisterciensium Moguntinæ diœc. partibus, ex altera, totusque Conventus ibidem in causa sive dissensionis negotio vertente inter præfatas partes, occasione certarum decimarum de quadam vinea vulgariter nuncupata *der Alde Wingarte*, situata in monte vulgariter dicto *Jantzig*, solvendarum, quam vineam *Johannes Wolfer* opidanus Jenensis pro nunc hereditarie possidet, unanimi consensu & matura deliberatione desuper habita, semota omni fraude & dolo, sic concordarunt: Quod decimæ de prædicta vinea pro nunc & ex tunc & in perpetuum vel perpetuis temporibus Monasterio in *Capelndorf* & Ecclesiæ Parochiali in *Brisenitz* taliter dandæ sint, hicque medietas una de præfatis decimis cedat præfato monasterio & alia medietas supra dictæ Ecclesiæ Parochiali juxta instaurationem supra dicti Monasterii Ecclesiæque parochialis & fundatoris intrent. Insuper dictæ partes bona fide promiserunt & promittunt pro se & suis successoribus omnia & singula præmissa sine omni fraude & contradictione inconcusse, intergraliter & inviolabiliter observare; super quibus omnibus & singulis jam dictæ partes me Notarium publicum subscriptum requisiverunt, ut ipsis unum vel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta conficiam. Acta sunt hæc &c. præsentibus ibidem discretis viris & Dominis, Domino *Alberto Rotha*, & *Henrico Schulteti* Presbyteris Moguntinæ Diœc. testibus, ad præmissa vocatis pariterque rogatis. Et ego *Nicolaus Druckenscherf*, Clericus Moguntinæ Diœc. sacra imperiali auctoritate Notarius &c.

CLXXIV.

1450. *WIr* Johannes Nasse *Probest des würdigen Closters zu* Capelndorff, Anna *von* Gebese, *Eptissen*, Margreta Schidingen *Priorin*, Torothea Tuichmans *Cüsterin*, Ilse *von* Meldingen *Sengerin vnd die gantze &c. An. 1450. vf Sant Catharinen Tage der Jungfrauen.*

CLXXV.

1454. ANno M. CCCC. LIV. Nobilis ac strenuus vir *Gebehardus* de *Sulzbach* Advocatus fuit Cappelndorf. Literæ, in quibus memoratur, datæ sunt *vf Dinstag nach Sente Lotzen Tag.*

CLXXVI.

1461. *DEs Closters vmbständiger Revers über gewisse Vigilien, Seelmessen, Begängnis vnd Spenden, die es Jährlich vor Er* Gebhards *von* Sulzbach *Bürgers zu* Erffurth *vnd seiner gantzen Freundschafft von Vatter vnd Mutter (so eine* Pusserin *gewesen) Seelen halten will. Wir* Johannes Nasse *itzunder Probst*, Anna *von* Gebese, *Eptischinne*, Anna Schenckin *Priorin*, Dorothea Tuschmans *Cüsterin vnd gantze &c.* 1461. Datum Christo, die S. Vdalrici Episcopi.

CLXXVII.

1469. *WIr* Siffrit Keselborn *Vorsteher*, Anna *von* Gebese *Eptissen*, Marthe *von* Obernitz *Priorin vnd die gantze Sammenunge des Jungfrauen Closters zu* Capelndorff *&c.* 1469. *an dem Dinstage nach dem Sontage* Reminiscere *in der heiligen Vasten.*

CLXXVIII.

1482. *ICh* Jacob Fargela, Catharina *Seine eheliche Haußfraw bekennen in vnd mit diesen offen Briefe &c. Das zu Vrkund vnd steter Haldunge aller oben geschriebner Stücke Punct vnd Artickel haben wir gebethen den Ermürdigen Herrn* Hartman Sommerlatte *Statthalter der Ballie zu* Döringen *Teutsches Ordens sein eigen Insiegel zu hengen an diesen offnen Brief. Gegeben* anno Domini M. CCCC. LXXXII.

CLXXIX.

1486. *VErtrag des Closters* Capelndorf *mit dem Dorff vnd Gemeinde zu* Roinstett *wegen etlicher Pflichte, Zinsen vnd wöchentlichen Maßen, darüber sich zuvor mannichfaltiger Vnwill, Zwietracht vnd Irrsall erhoben. Wir hiernach geschrieben* Hans *von* Werder *Ritter, des Irlüchten Hochgebornen Fürsten vnd Herrn Herrn* Albrechts *Hertzogen zu* Sachsen, *Landgraven in* Düringen, *vnd Marggraven zu* Meissen, *zu* Weissenfels *und* Freiburg *Amtman*, Joh. Clockrime *beyder Rechte Doctor*, Herman Konnig, *des Raths zu* Erffurth *geschickten*, Hans Leuffer *Vormunde vnd* Hansis Leuffer,

der

der Junger des Closters zu Capelndorff *vorsteher &c. Gegeben 1486. am Freitag nach dem Sontag Invocavit in der heiligen Fasten.*

CLXXX.

1488. ANno M CCCC. LXXXVIII. d. 29. April; *Raimundus Peraudi* sacræ paginæ Professor, Archidiaconus, sedis Apostolicæ Prothonotarius, ad *Almaniam* universasque & singulas provincias, civitates, terras, & loca *Germaniæ*, sacro Romano imperio Principibusque Electoribus ac subditis ubilibet subjectis, Orator, Nuncius & Commissarius Apostolicus, quibusdam mulieribus Capelndorfensibus, quæ ad expeditionem Turcicam pecunias contulerant, indulgentias dedit.

CLXXXI.

1490. ANno M CCCC XC. *Margaretha* de *Obernitz* Abbatissa dicitur Cappelndorfensis in literis datis Dominica Reminiscere.

CLXXXII.

1491. WIr Margaretha *von* Obernitz *Eptischin*, Jutta Schinstetin *Priorin*, Agnes Daniels *Kusterin, vnd die gantze Sammunge des Jungfrauen Klosters zu* Capelndorff *mit sambt* Hansen Leuffer *vnsern Vorstehir bekennen &c. 1491. vf Freitag nach Petri Pauli.*

CLXXXIII.

Johannes Vicarius Mogunt: fatetur, se noviter extructum Chorum templi monasterialis in Cappelndorf cum aliquot aris dedicasse.

1505. NOs *Johannes* Dei & apostolicæ sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Sidonensis, sacre pagine Professor, Domini *Bertoldi* eadem gratia sacrosancte Moguntinensis sedis Archiepiscopi in Pontificalibus Vicarius recognoscimus perpetuo, quod gratia divina nobis cooperante, debitis adhibitis solemnitatibus, Chorum Ecclesie Monasterii Virginum in *Cappelndorf* penitus a novo edificatum, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis nec non omnium Sanctorum suorum - - videlicet Sanctorum Bartholomei Apostoli, Benedicti Confessoris, Katherine Virginis consecravimus. Consecravimus etiam quatuor nova altaria, videlicet unum ad latus dextrum in choro in honorem benetissime Dei genitricis Mariæ, Annæ, - - ejus, Joannis Baptiste, Wolfgang Wendelini Martirum. Benediximus aliud vero altare in Choro ad latus sinistrum per reverentiam sanctorum Andree, Thome, Apostolorum, Georgii militis, Barbare Virginis, Elisabeth vidue. Consecravimus tertium autem altare ad sinistrum latus ante Chorum in preconium sanctissime ac invictoriosissime Crucis & sanctorum Nicolai Confessoris, Erasmi, Egidii, Martirum, & sanctarum virginum Dorothee, Vrsule cum sodalibus virginum. Quartum altare ad dextrum latus ante Chorum in laudem sacratissimi Corporis Christi, & Sanctorum Sebastiani & Fabiani, Floriani, Laurentii, Ciriaci, Valentini, Christophori, Martirum, Margarethe virginis. Consecravimus etiam Ecclesiam cum cimiterio atque virginum monasterio ad cautelam. Reconciliamus ac indulgentias ad eandem a nostris præcessoribus bone memorie elargitas & concessas confirmamus, appropriamus & retificamus. &c. Dedicatio ecclesie in die S. Bartholomei celebranda est &c. Acta sunt hæc Anno Domini *Millesimo Quingentesimo quinto*, die vero IIII. mensis Januarii.

CLXXXIV.

VErtrag des Closters mit Hans Lindenboymen *Ambtmann zu* Capelndorff *vnd* Conrad Heblingen, *Schösern wegen etzlicher Lehngüter zu* Sultzbach, *darauf das Closter Hauptsumm vnd Zinsen gefordert. 1504. vf Sontagk* Quasimodogeniti. *Ist durch die Erbarn, Vesten und Ersamen* Johan Froman *Schosser zu* Dornburgk *Ambtshalben*, Herman *vnd* Geberth Mönch, Quirinus *vnd* Bartel *von* Meildingen, *Er* Johann Beismar *Probst zu* Capelndorf, Hans Lindenboym *Ambtman*, *vnd* Conrad Hebelingk *Schösser daselbst, die Erunge vnd Gebrechen &c.* 1504

CLXXXV.

Moniales in Cappelndorf a D. Christiano Bombauero indulgentias consequuntur.

UNiversis & singulis, præsentes literas inspecturis *Christianus Bombauer* Decretorum Doctor, Rector Parochialis Ecclesiæ in *Ruien* Tarbaten. Dioces. sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini *Julii* divina providentia Pape *secundi* Accolitus, Capellanus, & ejusdem ac sancte sedis Apostolice, ad Moguntinensis, Colonensis & Treverensis provincias, illarumque ac Misenensis civitates & dioceses Nuncius & Commissarius salutem in Domino. Notum facimus, quod idem Dominus noster Papa cunctis Christi fidelibus in provinciis, civitatibus & diocesibus prædictis - - habitantibus & commorantibus ac ad eas undecunque confluentibus, quod durante triennio pro tutela partium *Livonie*, in subsidium sancte cruciate contra ferocissimos *Ruthenos*, Hereticos & Scismaticos, *Tartarorum* infidelium auxilio fretos, manus adjutrices juxta nostram ordinationem porrexerint, ultra plenissimas peccatorum indulgentias sacratissimi Jubilei, etiam centesimi, ac alias plures gratias & facultates, quas ad hoc dispositi pro se ac certis defunctorum animabus respective consequuntur, de plenitudine ac liberalitate potestatis Apostolice misericorditer concessit & voluit, ut tam ipsi quam omnes & singuli eorundem parentes ac majores cum charitate defuncti, in omnibus præcibus, suffragiis, elemosinis, jejuniis, orationibus, missis, horis canonicis, disciplinis, peregrinationibus & ceteris omnibus spiritualibus bonis, que fiunt & fieri poterunt in tota universali sacrosancta Ecclesia militante, ab omnibus membris ejusdem participes in perpetuum fiant. Et insuper viventibus indulsit, ut deinceps in aliis occurrentibus aliquem idoneum Presbiterum secularem, vel cujusvis ordinis regularem in suum posint eligere Confessorem, qui vita eis comite in casibus dicte sedi reservatis, præter-

1509.

quam offense Ecclesiastice libertatis, criminum heresis & rebellionis aut conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis seu sedem predictam, falsitatis literarum, supplicationum & commissionum apostolicarum, invasionis, depredationis, occupationis & devastationis terrarum & maris, Romane Ecclesie mediate vel immediate subjectorum, offense personalis in - - vel alium Prelatum, prohibitionis devolutionis causarum ad Romanam curiam, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, semel duntaxat in vita; in aliis vero, quotiens fuerit opportunum, pro commissis sibi debitam absolutionem impendat & injungat salutarem. Nec non vota, quecunque - - Petri & Pauli ac S. Jacobi in *Compostella*, nec non castitatis & religiosis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeat, quodque Confessor, quem quilibet ipsorum elegerit, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, etiam semel in vita, & in mortis articulo, quotiens ille imminebit, etiamsi deinde eos decedere non contingat, plenissimam remissionem eis auctoritate apostolica concedere possit, sic tamen quod idem Confessor satisfactionem alteri injungendam, faciendam injungat. Et ex confidentia concessionis vel remissionis predictorum nullatenus aliquid illicitum committant. Quas quidem indulgentias, gratias & facultates idem sanctissimus Dominus noster Papa vult & decernit per quamcunque suspensionem aut revocationem neque nunc aut in futurum comprehendi, sed semper exceptas censeri debere, prout in litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur. Et quia devote in Christo, *Alheit Rumers* Abbatissa, *Gutta Schinsterin* Priorissa, *Katherina Burckarts*, ad prætactum fidei catholice negotium, juxta summi Pontificis intentionem & nostram ordinationem, de bonis suis contribuerint, ideo auctoritate Apostolica presata nobis commissa, ut dictis gratiis & indulgentiis uti, potiri & gaudere possint & valeant, per presentes nostras literas attestamur. Datum in *Jena* sub sigillo nostro, quo ad hoc utimur, die - - mensis Maji Anno Dom. *Millesimo quingentesimo nono.*

1524. CLXXXVI.

SIgmund *Burggrav von* Kirchbergk, *Herr von* Varnrode *beleibet das Closter mit dem Lehn, so er zu* Cappelndorff *hat, neben Befehl, daß sie fleissig aufsehen sollen, damit von solchen Lehn nichts entwendet werde. Vnsern günstigen Willen zuvorn, Ehrwürdiger lieber Herr Probest, Wir haben auf der Eptissen - - Schreiben auf ewre gütlich Bitt, euch mit dem Leben, so wir zu* Cappelndorf *haben, damit wir Euch beleben mit aller Gerechtigkeit, so viel wir daran mit Recht zu leyhen haben, Vnd bitten, wollet solich Leben euch lassen befohlen sein, vnd davon nichts entwenden lassen, wie ihr dan wiss - -*

Auch haben wir Er Lorenzen Morgenstern *an euch sunderlich mündlichen Werbungen zu thun befohlen, bitten das ihr demselbigen, als wir - - Glauben geben, vnd wollet vns solchen nicht abschlan, als wir zu euch alles gutes versehen, den euch günstigen Willen zu erzeigen, sind ir vns willig.* Datum *Freitag nach dem achten* - Anno Christi 1524.

Auch lieber Er Probist, wir bitten, das ihr wollet dar vor sein, und dem Closter an seiner Gerechtigkeit nichts entwenden lassen, wo ihr aber Mangel hettet, vnd vnser darzu bedürffet, wollen wir das Closter nicht verlassen, vnd darbei thun, so viel vns müglich. 834. *Amor Burggraviorum erga monasterium Cappelnd.*

CLXXXVII.

Vf Churfürstlichen Befehl in Beisein des gestrengen Ernvesten Ern Friedrichs *von* Hof, *Hofmeister vnd Ambtman zu* Capelndorf, *auch des Schössers zu* Weimar Ambrosien Tritz, *vnd Ambtschreibers daselbst, ist dis Inventarium vber das Closter Gereth zu* Cappelndorf, *so in vergangener Entpörung ins Ambt daselbst in Verwahrung genommen, gemacht vnd vfgericht worden. Geschehen Mitwoch nach Palmarum 1527.*

1527. *Erstlich in einer Kisten Silberwerck.*

Ein grossen vergülten Kelch mit einer Paten vnd vier guldin Creutzlin.

Fünf kleine vergulde Kelch, vnter diesen ist einer noch im Closter, mit fünff zugehörigen Patnen.

Ein silberne Monstrantz, wil die Gemeine erzeugt vnd wieder haben.

Zwei silberne Emplein oder Meßkendlein.

Ein vergült Patzen, mit einem Maryenbild vnd silbern Kettlein.

Ein Peil in silber gefast vor ein Pazen.

Ein klein Patzen darneben.

Ein Glaß darinne ein vergült Peinlein.

Ein Corporal Taschen mit Perlen gestickt.

Ein Corporal Taschen mit silberne Spenglein.

Ein grün Samptuch mit gülden Sternen und vnd silbern Spangen daran.

Ein schwarz sammet Casel mit einem Omeral, Spangen, vnd mit Perlin Knöpffen.

Ein blau sampt Fürhang mit etzlichen silbernen Spangen.

Ein rot seiden Casel mit strohgult.

Ein Omeral mit klein Perlen.

Ein rot sammet Meßgewand mit ein Omeral daran 21. silberne Spangen.

Ein rot böse sambt Kasel.

Ein Omeral mit 37. Spangen.

Ein weiß damaskken Kasel.

CLXXXIIX.

Transactio Ernesti Sax. Ducis cum VII. pagis Præfecturæ Cappelnd. de operis & servitiis. 1626.

VOn Gottes Gnaden *Wir* Erntz, *Herzog zu* Sachsen *vor vns vnd vnsere Nachkommen, Craft dieses thun kund vnd bekennen gegen iedermenniglichen, Nachdem in jüngstgehaltener Brüderlicher Vorgleichung vnter andern das Ambt* Capelndorf *mit seinen zugehörigen sieben Dorfschoften, als* Capelndorf, Stobra, Hermstet, Grossen Schwabhausen, Hammerstet, Holstet, *vnd* Franckendorf, *vns assignirt vnd zugefallen, vnd wir allerhand Confusiones vnd Vnordnung wegen des*

Frob-

Frohnens vnd Anſpannens, daran doch dem Ambt mercklichen viel gelegen iſt, befunden. Alldieweil theils der Dorffſchaften die Frohne geleiſtet, theils dieſelben aber an deſſen Stat ein gewiſſes Fron Geld darfür erlegt, dahero vns tragenden Ambts wegen gebühren vnd obliegen wollen, hierinnen heilſame Ordnunge anzuſtellen, vnd gnedige Vorſehung zu thun; damit vnſere Jährliche Ambts Intraden vnd Einkommen zur Vngebühr nicht geſchmelert, vnter den Dorffſchaften Gleichheit gehalten, vnd einer vor den andern wieder Recht vnd Billigkeit nicht beſchweret werden möchte. Welches alles deſto füglicher ins Werck zu ſetzen, haben wir obgedachte 7. Dorffſchaften den 27. Junii verwichnes 1625. Jahrs naher Weimar in die gewöhrliche Cammer Stuben betagt, vnd alda durch vnſere Cammer Räthe vnd Rentmeiſter Verhör vnd Handlung pflegen, ſonderlichen aber ins künftig die wirckliche Leiſtung der Frohn in Gnaden von ihnen begehren laſſen, darauf dan die Sache nachfolgender Geſtalt abgehandelt, vnderredet vnd verglichen worden, nemlichen: Nachdehme gedachte Sieben Dorffſchaften geſtanden, das zu Verrichtung der gewönlichen Ambts frohnen ſie vor Alters hero Achtzig Pferde an 20. Wagen vnd vierzig Pflügen zu halten ſchuldig geweſen, haben ſie darauf in Vnterthenigkeit ſich erbotten, das hinführo vnd ins künftige ſie dem Ambte ſolche Pferde, Wagen vnd Pflüge ferner halten, die Ambts-Frohne in allen Lenzen, als über Sommer, Brache, Ruhr vnd Sath, auch do etwas von Arbeiſſen, Lein oder andern in die Brache geſeet, gebührender maſſen zu verrichten, das Jahrs über entweder einen gantzen Tag mit allen virtzig Pflügen oder an deſſen ſtat eine gewiſſe Anzahl, als funffzig Acker felligen, den Tünger zu rechter bequemer Zeit hinaus zu führen, das Winter und Sommer Getreidig vnſeumlichen in die Scheunen bringen, auch ſonſten die zum Ackerbau gehörige Arbeit gehorſamlichen verrichten wolten, wie ſolches treuen vorſichtigen und fleißigen Ackerleuten gebühret vnd obliget. Do auch etwas in Getreidig verkauft vnd los geſchlagen, ſollen die Anſpanner ſchuldig ſein daſſelbe gegen Jena vfm ofnen Marckt, wie auch den Haſer vnd Strob vor die Fürſtl. Hofhaltung vnd Marſchall, ohne Belohnung zu führen. Dieweiln auch letzlich wir an viel gemelte Dorffſchaften in Gnaden gelangen laſſen, das ſie die zugehörigen Cloſter Zinſen, ſo bishero von dem Ambt vnd deſſen Wagen vnd Pferden eingefangen worden, aus künftig mit ihren Pferden zur Frohn abholen, vf den Kornboden einliefern, vnd alſo das Ambt dieſer Beſchwerung entheben wolten, haben ſie ſich auch in dieſen Punct gehorſamlicher wieſen vnd ſolche Cloſter Zinſen mit ihren Pferden ohne Entgelt abzuführen in Vnterthenigkeit gewilliget. Doch mit dem Beding, das ihnen zu ſolcher Anfuhr der Ambtswagen dargeliehen werde, vns aber darneben in Gnaden erbothen, die Perſonen zum vf vnd abtragen vf vnſer Coſten zu halten. Dargegen vnd zur Ergötzlichkeit ihrer getreuen Dienſte haben wir erwehnten vnſern Anſpannern ſampt vnd ſonders die 42. fl. Frohn Geld, ſo ſie bishero vf Purificationis Mariæ iedes Jahr ins Ambt erlegt, aus Gnaden erlaſſen, auch ferner bei vnſern Schöſſer die gnedige Anordnung gethan, das ihnen noch hierüber aus vnſern Ambte Capelndorf Jährlichen vf Walpurgis 60. fl. baares Geld vor die gewöhnlichen Mahlzeiten, Frohnbroth, Keſe vnd Haſer entrichtet vnd gegeben, vnd iezo Walburgis inſtehenden 1626. Jahres der erſte Anfang damit gemacht werden ſoll. Damit ſie auch vnſern gnedigen Willen vnd Landesvätterliche Vorſorge deſto beſſer in Vnterthenigkeit ſpühren möchten, haben wir ſchlieſſlichen zu Vergeltung ihres vnterthenigen Gehorſambs gnedig verſprochen vnd zugeſagt, ſie bei allen ihren Privilegiis, Recht vnd Gewohnheiten, ſonderlichen aber mit auswürdiſchen Frohnen in ander Ambter, desgleichen mit der Jagt vnd Stechen, hinführo gnedig zu verſchonen, Es wehre dan das in den Höltzern als Dobrizſchen, Jſſerſtet vnd Schwabhauſer Hain ein Jagen angeſtellt, darzu ſie, wie bishero geſchehen, mit Wagen, Pferden, ſo wohl Manſchaft vfzuwarten verpflichtet, auch darob ſein, das ins künftig ſie mit Einqvartirung der Soldaten verſchonet, frey vnd ſicher verbleiben ſollen, alles treulich vnd ohne Gefehrde. Deſſen zu rechter Vrkund, ſteter vnd veſter vnverbrüchlicher Haltunge haben wir dieſen Revers hierüber vfrichten laſſen, denſelben mit vnſern Fürſtlichen Secret bedrückt, vnd Vns mit eigenen Händen vnterſchrieben, So geſchehen zue Weimar am 12. April Anno 1626.

XI.

DIPLOMATA
XXXVI.
VARIA MISNIÆ ET THURINGIÆ MONESTERIA CONCERNENTIA, ALIAQVE NOTATU DIGNA,

E

BIBLIOTHECÆ ACADEMICÆ PAVLINÆ LIPSIENSIS

AVTHENTICIS MEMBRANIS DESCRIPTA,

ACCESSERE EX EADEM BIBLIOTHECA

CONRADI MARCHIONIS DIPLOMATA DVO, SEV DONATIONES S. SEPVLCHRO ET HOSPITALI HIERVS. FACTÆ,

VT ET

COMPOSITIONES ALIQVOT PRINCIPUM, EX QVIBUS INTER ALIA AUTORITAS WILHELMI D. SAX. PATET.

I.

Honorius II. fundationem Monasterii Kaldenbornensis confirmat, potestatemque Præpositi eligendi concedit.

1126. HOnorius. episcopus seruus seruorum Dei. dilectis filiis. *Godescalco.* præposito. & ejus fratribus: in ecclesia sci. Johannis euangeliste de *Caldenbrunna* canonicam vitam. professis tam presentibus qvam futuris in perpetuum. Apostolici moderaminis clemen- A tiæ conuenit religiosos diligere. & eorum loca apostolicæ protectionis munimine defensare. Predecessor noster felicis memoriæ papa *Calixtus* sicut ex ejus scripto comperimus. uestram sancti Johannis ecclesiam, quam in alberstatensi episcopatu uir nobilis *Wimannus* de prediis suis ad regularem uitam instituit. apostolicæ tuitionis protectione muniuit. Et nos itaque vestris postulatio- B nibus clementius annuentes. & eiusdem domini uestigiis inherentes. canonicæ uitæ ordinem quem professi estis. apostolica auctoritate firmamus. & ecclesiam uestram præsentis scripti pagina communimus. Statuimus etiam ut quæcumque possessiones. & quæcumque bona eidem loco. aut a predicto *Wigmanno.* aut a quibusque fidelibus de suo jure juste collata sunt. siue in futurum largiente deo juste & canonice conferri contige- C rit. firma semper uobis uestrisque successoribus. & inconuulsa permaneant. Nulli ergo omnino hominum liceat predictam ecclesiam temere perturbare. aut ejus possessiones auferre. uel ablatas retinere minuere. uel temerariis uexationibus fatigare. Sed omnia integra conseruentur. eorum pro qvorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt. D usibus omnimodis profutura. Salua nimirum alberstatensis episcopi canonica reuerentia. Obeunte vero te. ipsius loci prepositi. nullus ibi qualibet astutia uel uiolentia preponatur. nisi quem fratres communi consensu. uel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum elegerint. Si quis igitur decreti hujus tenore cognito. temere quod absit contraire temptauerit. honoris & officii sui periculum patiatur. aut excommunicationis ultione plectatur. nisi presumptionem suam digna satisfactione correxerit. Amen.

Ego *Honorius* catholicæ æcclæ. epſ.

Dat. *Lateran.* per man. *Almerici.* Sce Rom. ecclæ. diac. Card. & Cancell. III. Kl. Martii Indict. iij. anno Dominicæ Incarnac. M. C. XXVI. Pontificatus Domini Honorii secundi PP. anno II.

II.

Innocentius II. bona ecclesiæ de Reueninge Monasterio Caldenbrunnensi collata confirmat.

JNnocentius episcopus seruus seruorum Dei 11-39.
dilectis fratribus in *caldebrunnensi* beati Johannis euangeliste ecclesia canonicam vitam professis tam presentibus quam futuris in perpetuum. Sicut sanctorum canonum docet auctoritas tribus ex causis loca sanctorum mutanda sunt. quarum utique duas dilectus filius noster *Otto.* quondam Albestatensis Episcopus in causa ecclesiæ de *Reuenigne,* interuenire recognoscens. scilicet incommoditatem loci. & importunitatem predonum. ob maiorem fructum diuini seruitii communi fratrum suorum assensu predia prefatæ ecclesiæ collata in *Caldenbrunnen* transtulit & mutauit. Nos igitur quorum precipue interest ea quæ a fratribus nostris fiunt rationabiliter roborare. & pia desideria oportunis amminiculis confouere

uere eandem mutationem predictis ex cauſis factam preſenti decreto firmamus. & futuris temporibus ratam manere ſancimus. Predeceſſorum quoque noſtrorum ſancte memorie *Calixti* atque *Honorii* veſtigiis inherentes. uitæ canonicæ ordinem quæ in eadem eccleſia profeſſi eſtis perpetuis temporibus ibidem obſeruari ſtatuimus. eundemque locum cum ſuis omnibus pertinentiis beati Petri patrocinio communimus. Quecunque preterea poſſeſſiones. quæcunque bona a nobilibus uiris *Hermanno* atque *Wicmanno* uel a quibuscunque fidelibus de ſuo jure eidem loco legitime collata ſunt. ſiue in futurum largiente Deo iuſte & canonice conferri contigerit. firma ſemper uobis ueſtrisque ſucceſſoribus inconuulſa permaneant. Nulli ergo hominum liceat predictam eccleſiam temere perturbare. aut ejus poſſeſſiones auferre. uel ablatas retinere. minuere. ſiue quibuslibet temerariis uexationibus fatigare. ſed omnia integra conſeruentur eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione. conceſſa ſunt. uſibus omnimodis profutura. Salua nimirum Albeſtatenſis epiſcopi canonica reuerentia. obeunte uero ejusdem venerabilis loci Prepoſito nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia. ſeu violentia preponatur. niſi quem fratres communi aſſenſu. uel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Deum elegerint. Si quis igitur decreti hujus tenore cognito. temere quod abſit contraire temptauerit. honoris & officii ſui periculum patiatur. aut excommunicationis ultione plectatur. niſi preſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit.

Ego *Innocentius* catholicæ eccleſiæ eps.

† Ego *Gerardus* Presb. Card. tt ſanctæ Crucis in Jeruſalem.

† Ego *Anſelmus* Presb. Card. tt. ſancti Laurentii in Lucina.

† Ego *Lucas* presb. Card. tt ſanctorum Johannis & Pauli.

† Ego *Griſogonus* presb. Card. tt Praxedis.

† Ego *Juo* presb. card. ſancti Laurentii & tt. Damaſci.

† Ego *Theodewinus* S. Rufinæ epc.

† Ego *Albertus* albanenſis eps.

† Ego *Albericus* hoſtienſis epc.

† Ego *Gregorius* Diac. Card. S. Mart. Sergi & Bachi.

† Ego *Otto* Diac. Card. Sancti Georgii ad uelum aureum.

Dat. *Lateran.* per manus *Almerici* Sancte Rom. eccleſie Diaconus Cardinalis & Cancell. XVIIII. Kl. Januarii Indictione iij. Incarnationis Dominicæ Anno M. C. XXX. VIIII. Pontificatus uero Dni *Innoc. ſecundi* Pp. anno X.

III.

Anaſtaſius IV. Monaſterio Caldenbrun. bona & privilegia confirmat.

1153.

A *Naſtaſius* epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectis filiis *Godeſcalco* Prepoſito ejusque fratribus in eccleſia Sci Johannis euangeliſtæ de *Kaldenbrunn* canonicam vitam profeſſis tam preſentibus qvam futuris in perpetuum. Sicut ſanctorum canonum docet auctoritas tribus ex cauſis loca ſanctorum mutanda ſunt. quarum utique duæ bone memoriæ *Otto* qvondam Halberſtadenſis epiſcopus. in cauſa eccleſiæ de *Reuenigne* interuenire cognoſcens. ſcilicet incommoditatem loci & importunitatem predonum. ob majorem fructum diuini ſeruitii communi fratrum ſuorum aſ- A ſenſu. predia prefate eccleſiæ collata in *Caldenbrunn.* transtulit & mutavit. Nos igitur quorum precipue intereſt. ea quæ a fratribus noſtris fiunt rationabiliter roborare. & pia deſideria oportunis adminiculis conſouere: eandem mutationem predictis ex cauſis factam preſenti decreto firmamus. & futuris temporibus ratam manere ſancimus. Predeceſſorum quoque noſtroruin beatæ memoriæ *Calixti. Honorii. Innocentii.* & *Eugenii* Romanorum Pontificum veſtigiis inherentes. canonicæ vitæ ordinem quem in eadem eccleſia profeſſi eſtis perpetuis temporibus ibidem obſeruari ſtatuimus. eundemque locum cum B ſuis omnibus pertinentiis ſub beati Petri patrocinio communimus. Qvecumque preterea poſſeſſiones qvecumque bona a nobilibus tunc *Hermanno* atque *Wicmanno* uel a quibuscumque fidelibus de ſuo iure eidem loco legitime collata ſunt. ſiue in futurum largiente Deo iuſte & canonice conferri contigerit firma ſemper uobis ueſtrisque ſucceſſoribus inconuulſa permaneant. Decimas eciam quas *Rainardus. Otto* & *Vdelricus* alberſtateuſes epiſcopi eccleſie veſtræ conceſſiſſe noſcuntur. uobis & per nos ipſi eccleſiæ fauoris noſtri robore confirmamus. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Prepoſito uel tuorum quolibet ſucceſſorum. nullus ibi qualibet ſurre- C ptione aſtucia, ſeu violentia preponatur. niſi qvem fratres communi aſſenſu. uel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Deum & beati Auguſtini regulam prouiderint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat predictam eccleſiam temere perturbare. aut ejus poſſeſſiones auferre. uel ablatas retinere. minuere. ſiue quibuslibet temerariis vexationibus fatigare. ſed omnia integra conſeruentur eorumque pro quorum gubernatione & ſuſtentacione conceſſa ſunt vſibus commodis profutura. ſalua ſedis apoſtolicæ auctoritate & Halbeſtatenſis epiſcopi canonica reuerentia. Si qua igitur in futurum D eccleſiaſtica ſecularisue perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere uenire temptauerit. ſecundo tertione commonita ſi non ſatisfactione congrua emendauerit poteſtatis honorisque ſui dignitate careat. reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat. & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jheſu Chriſti aliena fiat atque in extremo examine diſtricte ultioni

subiaceat. Cunctis autem eidem loco justa seruantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi. quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant. & apud districtum iudicem præmia eternæ pacis inueniant. Amen.

Ego *Anastasius* catholicæ ecclesiæ episcopus.

† Ego *Gregorius* Presbr. Card. tt Calixti.
† Ego *Guido* Pbr Cardinalis tt Sci Grisogoni.
† Ego *Aribertus* Pbr. Cardin. tt Sce Anastasiæ.
† Ego *Octauianus* Pbr. Cardin. tt Sce Cecilie.
† Ego *Johannes* Pbr. Cardin. Scorum Johannis & L. H. Lamachii.
† Ego *Hugo* hostiensis eps.
† Ego *Otto* Diac. Card. Sci Georgii ad uelum aureum.
† Ego *Gregorius* Diac. Card. sci Angeli.

Dat. *Lat.* per manum *Rolandi* Sce Romanæ ecclesiæ Presbiteri Card. & Cancell. iiij. Kl. Febr. Indictione ij. Incarnat. dnicæ. Anno M. C. L. iij. Pontificatus uero Domini *Anastasii*. iiij. PP. anno primo.

IV.

Theodericus Marchio Lusicensis Monti sereno confert parochiam Jlburgensem & Capellam Castri prò Ecclesia Nimecensi, quam tamen eidem monasterio resignat.

1161. IN nomine Dei & saluatoris nostri. *Theodericus* Lusicensis marchio. Nosse uolo tam presentis quam futuri æui Christi fideles quod ecclesiam majorem & minorem in *Numeke* quas bonæ memoriæ *a*) *Conradus* pater meus marchio Misnensis. & Lusicensis. beato Petro in *Sereno monte* obtulerat. ab *Ekkehardo* preposito. & fratribus montis. cum sola uilla *Numeke* recepi. concambio cum eis. consilio & permissione *Wichmanni* Magdeburgensis archiepiscopi coram *Ottone* fratre meo seniore. Misnense Marchione advocato montis. & ceteris fratribus meis. *Heinrico. Dedone. Friderico.* assensu filii mei *Conradi* facto datis uidelicet eidem claustro parochia in *b*) *Jlburch.* & eiusdem castri mei capella. cum omnibus pertinentiis suis. ut fratres amplificatis in partibus illis prediis eorum. utilitatibus suis commodius prouidere possent. Ad Capellam pertinent *Culszhowe* uilla & silua. & duo molendina. *Hostelize* uilla. *Vuelpride* uilla. *Ninewze* uilla. & quinque mansi in *Rithe*. Super hæc ne hujus concambii mei occasione seruitium Dei in aliquo negligeretur. præfatas ecclesias in *Numeke* cum sex mansis & decimatione beato Petro & fratribus resignavi. exceptis maioris ecclesiæ turribus quibus & ipsa uilla *Conradum* fidelem meum. uxorem & filios ejus inbeneficiaui, Et ut in posterum sepe nominatos fratres. & eundem *Conradum* & heredes suos. nemo super his inquietare. uel grauare presumat. presentem paginam conscribi & sigilli mei inpressione roborari feci. Hii autem sunt testes. *Odelricus* Castellanus de *Witin.* & filii eius. *Odelricus. Conradus. Engelolfus. Adelbertus* de *Crozuk.* & *Dedo* frater eius. *Godescalcus* de *Scudiz. Tidericus.* aduocatus de *Merseburc. Bertoldus* de *Schipize.* & frater ejus *Maroldus. Heinricus* de *Rodechowe.* & frater ejus. *Lambertus* & *Otto. Erkenbertus* de *Geiseuorde. Tidericus* de *Gothinize. Tammo* de *Lizzowe. Bertoldus* de *Witin.* Ministeriales. *Wernherus* marscalcus. *Bodo* de *Scouerenze.* & fratres eius. *Heremannus. Volkmarus.* & *Anno. Tidericus* de *Beieristorp. Walterus* de *Chulme. Heremannus* filius *Lupranni.* Actum in *Sereno Monte* pridie Kl. Mai. Anno Dominicæ incarnationis M. C. LX. I. indictione. viij.

V.

Alexander III. Monasterio Caldenbrun. bona & privilegia confirmat.

B ALexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis *Bernardo* Preposito ejusque fratribus in ecclesia Sci Johannis euang. de *Kaldebrim.* canonicam uitam professis tam presentibus quam futuris in perpetuum. Sicut sanctorum Canonum docet auctoritas tribus ex causis loca sanctorum mutanda sunt. quarum utique duas bone memoriæ *Otto* quondam Albestatensis episcopus in causa ecclesie de *Reueninge* interuenire cognoscens. scilicet incommoditatem loci. & importunitatem predonum ob majorem fructum diuini seruitii communi fratrum suorum assensu. & heredum fundatorum ipsius C ecclesie predia prefate ecclesie collata in *Kaldenbrunn* transtulit & mutauit. Nos igitur quorum precipue interest. ea que a fratribus nostris fiunt rationabiliter roborare. & pia desideria oportunis amminiculis confouere. eandem mutationem predictis ex causis factam presenti decreto firmamus. & futuris temporibus ratam manere sancimus. Predecessorum quoque nostrorum beate memorie. *Calixti. Honorii. Innocencii. Evgenii.* & *Anastasii* Romanorum pontificum uestigiis inherentes canonice uite ordinem quem in eadem ecclesia professi estis. perpetuis tempo- D ribus ibidem obseruari statuimus. eundemque locum cum suis omnibus pertinentiis sub beati Petri patrocinijs communimus. Quecumque preterea possessiones quecunque bona a nobilibus uiris *Heremanno* atque *Wigmanno.* uel a quibuscunque fidelibus de sub jure eidem loco legitime collata sunt. siue in futurum largiente Deo iuste & canonice conferri contigerit. prma semper uobis uestrisque successoribus. & inconuulsa permaneant. Decimas eciam quas *Reinhardus. Otto. Olderic* Albestatenses episcopi ecclelie uestre concessisse noscuntur. uobis & per nos ipsi ecclesie fauoris nostri robore confirmamus. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Preposito uel

1162.

a) Vid. Chron. Montis Ser. ad an. 1150.
b) Errat ergo *Peckenstein.* in Theatro Sax. P. III. c. 12. & cum eo *Simon* in Chron. Ileburg. P. I. c. 5. p. 89. qui Ecclesiam Ileburgensem jam anno 1150. a *Conrado M.* Monti Sereno collatam volunt.

tuorum

tuorum quolibet ſucceſſorum. nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtucia ſeu uiolencia preponatur. niſi quem fratres communi aſſenſu uel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Dominum & beati Auguſtini Regulam prouiderint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat ſupradictam eccleſiam temere perturbare. aut ejus poſſeſſiones auferre. uel ablatas retinere. minuere. ſeu quibuslibet uexationibus fatigare. ſedullibata omnia & integra conſeruentur eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt. uſibus omnimodis profutura. Salua ſedis apoſtolice auctoritate. & Albeſtatenſis epiſcopi canonica reuerentia. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisue perſona hanc noſtre conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere uenire temptauerit. ſecundo tertioue commonita niſi preſumptionem ſuam congrua ſatisfactione correxerit. poteſtatis honorisque ſui dignitate careat. reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat. & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jheſu Chriſti aliena fiat. atque in extremo examine diſtricte ultioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſeruantibus. ſit pax Dni noſtri Jheſu Chriſti. quatinus & hic fructum bone actionis percipiant. & apud diſtrictum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen.

Ego *Alexander* Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

† Ego *Hvbaldus* Pbr. Card. tt. Sce Crucis in Hieruſalem.
† Ego *Johannes* Pbr. Card. tt. Sce Anaſtaſie.
† Ego *Albertus* Pbr. Card. tt. Sci Lauren. in Lucina.
† Ego *Gail.* Pbr. Card. tt. Sci Petri ad Uincla.
† Ego *Gregorius* Sabinenſis eps.
† Ego *Hubaldus* Hoſtienſis eps.
† Ego *Bernardus* Portuenſis & Sce Rufine eps.
† Ego *Gvalterius* Albanenſis eps.
† Ego *Jocintus* Diac. Card. Sce Mariæ in Cosmydyn.
† Ego *Oddo* Diac. Card. Sci Nicholai in carcere tulliano.
† Ego *Ardicio* Diac. Card. Sci Theodori.
† Ego *Boſo* Diac. Card. Scorum Coſme & Damiani.

Dat. apud. *Dol.* per manum *Hermanni* Sce romane Eccleſie Subdiac. & Notarii. XII. Kl. Octobr. indictione. XI. Incarnationis Dominice Anno. M. C. LX. II. Pontificatus noſtri Domini *Alexandri* PP. III. anno quarto.

VI.

Fridericus Barbar. Imp. confirmat donationem villæ Borſendorf, a fratribus de Steechowe factam Monaſterio Portenſi.

C. In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. 1181.
Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus. Superna majeſtas ideirco nos ad terrenum regnum conſtituit. ut per piam ipſius adminiſtracionem. eternam conſequi mereamur retributionem. Quapropter cum omnibus fidelibus munificentiæ limus debitores. precipue tamen uiris ſpiritualibus promptiores nos eſſe condecet. Vnde notum eſſe uolumus tam moderuis quam poſteris, quod *Heinricus* & *Wernerus* de *Steechowe* germani fratres. *profitentes ſe juri Franconum* cum progenitoribus ſuis addictos. poſſeſſionem ſuam in *Borſendorph* cum omnibus attinentiis ſuis ſanctæ Mariæ in *Porta* pro remedio animarum ſuarum & anteceſſorum ſuorum coram Marchione *Ottone.* & *prouinciali Lodewico* in quorum ditione poſſeſſio ipſa ſita eſt. *iure & iudicio Franconum* publice contradiderunt. Deinde poſt aliquod tempus abbas predicti cenobii cum fratribus ſuis nobis expoſuit reclamationem *Gerardi* tercii fratris iunioris predictorum *Heinrici & Werneri* dicentis ſe *grecum* & non *franconem.* quem iamdudum cum portione prædii ſui iuſta diuiſione a ſe remouerant. ut approbauerunt coram nobis teſtimoniis cognatorum ſuorum *Godeſchalci* de *Scudiz* & *Friderici* de *Owenburch.* qui factæ diuiſioni interfuerant. Ceterum nos abbatis querimoniæ & moleſtiæ compacientes. cum ſederemus ad iudicandum inter principes in *Aldenburch* hanc reclamationem *iure Franconum* prorſus irritam iudicauimus. & iudiciali ſententia omne molimen contradictionis precidimus. facta etiam inquiſicione utrum de huius poſſeſſionis oblatione coram nobis ibidem iterata quolibet jure cenſus aliquis eis perſoluendus eſſet. nos juſto judicio omne debitum requirendi cenſus de rebus Domino traditis: abiudicauimus. Itaque imperiali auctoritate confirmamus donationem a predictis fratribus legitime factam. vel etiam ſi amplius de prædiis ſuis eidem eccleſiæ eodem iure uoluerint conferre. Vt autem hæc & rata inconuulſaque permaneant ſeriem hanc bullæ noſtræ inpreſſione inſigniri fecimus. ſtatuentes ut ſi quis quod abſit hanc cautionem uiolauerit. L. Libras auri puriſſimi perſoluat. dimidietatem cameræ noſtræ dimidietatem vero iam dictæ eccleſiæ. Hujus confirmationis teſtes ſunt. *Otto* Marchio Miſnenſis. & fratres eius Marchio *Theodericus.* & *Dedo* Comes. *Hartmannus* & *Otto.* itemque *Hartmannus* de *Lobedeburch. Meinherus* Burcgrauius de *Wirbene. Godeſchalcus* de *Scudiz. Fridericus* de *Owenburch. Adelbertus* de *Turz. Conradus Kiſenlenc. Reinbodo* & *Godeſcalcus* de *Lobendeburc. Gerardus* de *Brunneshowe.* & alii quam plures. Donationem *Otto* Marchio Miſnenſis ſuſcepit.

Signum Domni FRIDERICI. Romanorum Imperatoris inuictiſſimi.

Acta sunt hec in *Aldenburch* anno dominicæ incarnationis M. C. LXXXI. Indictione XV. iiij. Idus nov. Regnante domno *Friderico* Rom. Imperat. Glorioſiſſimo. Anno regni ejus XXX. Imperii vero XXVIII. Ego *Godefridus* imperialis aulæ Cancellarius uice *Criſtani* Moguntini archiepiſcopi. & Germaniæ archicancellarii recognoui.

In auerſa parte diplomatis antiqua & coæva manu ſcriptum erat:

De *Borſindorf.*

Sciendum quod poſt annum & amplius huius dati cirographi videlicet. II. nonas Decembr. predictus *Gerhardus Valco* uenit *Merſeburc* coram imperatore *Friderico* & conſenſit predicte donationi fratrum ſuorum in *Borſindorf.* & quicquid habuit iuris inibi dimiſit. preſentibus *Ottone* Marchione de *Miſne.* fratribus ſuis Marchione *Theoderico* & Comite *Tettone. Friderico* de *Uuniburc. Swidgero* & *Brunone* de *Jminetz. Friderico* & *Petro* de *Hogin. Bertoldo* de *Shonnberc. Kuonrado Ratſa.* & compluribus aliis.

Inſuper idem *Gerhardus* uenit ad *Portam* Sanctæ Mariæ. & conſenſu fratrum ſuorum terciam partem poſſeſſionis in *Borſindorf* ſuper ſummum altare obtulit. plauſtrum tam vini quod fratres ſui condixerant dari ei ſingulis annis prorſus dimiſit. vineam que dicitur noua. V. agrorum unde uinum ſibi dabatur. ex parte ſua tantum contulit. decimam inde eccleſiæ in *Borſindorf* dari quæ ſui iuris erat. quam fratres ſui dum eam colerent. pro ſe dari promiſerant.

VII.

Sifridus AEp. Bremenſis proprietatem XVI. manſorum, quæ Monaſterium Gotzecenſe vendidit, Portenſi confert.

1183. IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *Sifridus* diuina fauente clementia bremenſis archiepiscopus. Notum eſſe uolumus cunctis fidelibus preſentibus & futuris. quod Dominus *Ermenoldus* uenerabilis abbas in *Goceke.* que abbatia tutelæ & ditioni eccleſie noſtre iure fundationis ſubjecta eſt. cum uoluntate noſtra & unanimi conſenſu conuentus ſui indigentie neceſsitate compulſus. poſſeſſiones in *Guerneſtede.* eidem eccleſiæ attinentes. pro reſtitutione eccleſie ſue que negligentia & dilapidatione anteceſſoris ſui dampnoſe diſtracte fuerant. pro C. fere & XXX. marcis mediante illuſtri *Ottone* marchione Miſnenſe *Portenſi* vendidit eccleſie. Perſoluunt autem eædem poſſeſſiones ſingulis annis circa VIII. talenta. Sane omne jus aduocatie ſuper ipſas frater noſter carnalis comes *Teodericus* de *Wirbene* in manus noſtras reſignauit. quod & nos mediante iterum predicto marchione *Ottone* Portenſi eccleſie in perpetuum contulimus. Vt igitur hujus venditionis conſtitutio rata in perpetuum habeatur. nos hoc ipſum ſigilli noſtri & prænominati abbatis impreſsione roboramus. auctoritate noſtra ſub vinculo anathematis diſtrictiſsime prohibentes. nequis in poſterum ſpiritalis ſecularisve perſona huic noſtre conſtitutioni aliquatenus obuiare aut contradicere preſumat. Porro ut hujus noſtre cautionis traditio firmior in poſterum permaneat. idoneorum teſtium ſubſcriptione communita eſt. Sunt autem hii. *Bernardus* dux *Saxonie. Adelbertus* filius marchionis *Ottonis.* Marchio *Teodericus.* Comes *Teodericus* de *Wirbene.* Comes *Sifridus* de *Orlamunde. Egegolphus* & frater ſuus *Conradus* de *Witin. Fridericus* de *Owenburch. Swidegerus* de *longo ponte. Adelbertus* de *Kounegesdal. Erneſtus* de *Zelezen.* & filius ejus *Erneſtus. Conradus* de *Batin.* Acta ſunt hec anno ab incarnatione Domini. M. C. LXXXIII. N. Sept. Indict. II. *Theodricus* Decanus bremenſis recognovit. Completa ſunt hec in *Zelezen* ſitum trans *Boſowe.* (*Sigilla deſunt.*)

In averſo membranæ latere antiqua & coæva manus ſcripſit:

Notandum quod poſſeſſiones iſte de *Guerneſted.* perſoluentes aliquantum plus quam VIII talenta. empte de *Goceke.* & duo manſi quos contulit nobis *Heinricus* de *Guerneſted* penes nos ſepultus. confirmate ſunt in placito quod fuit in *Geuenſtede.* coram comite *Heinrico* de *Boich.* per *Teodricum* comitem & aduocatum prefate eccleſie. & per *Ermenoldum* abbatem. preſentibus & iudicantibus legalibus iudicibus *Theoderico* de *Gocerſtede. Adelberto* de *Mellere. Heindenrico* & fratre ſuo *Heindenrico* de *Weta.* Sculteto *Radolfo* aſsidente. precone *Teoderico* aſtante. XVI. K. Octobr. Teſtes ſunt abbas de *Holdesleue. Sifridus* & *Thietmarus* monachi de *Goceke.* Karlo & *Heinricus* frater ſuus de *Wirbene. Counemundus* de *Vargala. Hertindus* de *Allerſted. Lutegerus* de *Bachere. Herdgen* de *Gozcerſted. Wulfinus* de *Goſtener.* & quam plures alii.

Sciendum quod *Ratwardus* miles confirmabat ſe ſuſcepiſſe in beneficium duos manſos a *Diethardo* abbate. quod tamen non conſtabat. ſed ei ipſos duos & alios duos in expone pro V. ſolidis minus quam V. talentis cum ſatis nos grauaret. tandem taliter conuenimus. ut his renuntiaret pro iiij marcis. e. quibus unam accepit in poſſeſſionibus. III. uero ei dedimus. Horum teſtes ſunt *Hermannus* preſbiter de *Gerneſtede. Sibrecht* de *Aldenburg. Trachbodo* de *Tietinareſtorph. Sindram* de *Bobirluz. Tiemo* de *Mertendorph. Truchtelef. Fridericus.* qui ſeruiunt abbati.

VIII

Gardolfus Ep. Halberſtad. Monaſterio Kaldebrun. decimas novalium in Holdenſtete & novæ vineæ in Gaterſtede confirmat.

IN nomine Sancte & indiuidue Trinitatis 1197.
Gardolfus Dei gracia Halberſtadenſis Antiſtes. Quia ſolent plerumque bona maiorum noſtrorum inſtituta. ſiue ex obliuione antiquitatis

tatis obſcurari. ſiue ex iniquorum machinatione caſſari. idcirco conuenit omnibus & precipue epiſcopis. quos diuina gracia ſibi uicarios ordinauit. non ſolum ſibi commiſſorum utilitatibus conſulere. verum eciam futuris malorum euentibus oculo diſcretionis precauere. Inde tam preſencium quam futurorum uniuerſitati innoteſcimus. qualiter pie memorie *Bernhardus*. Caldenbornenſium prepoſitus. decimam quandam noualium in *Holdenſtete*. a quodam *Erwino* & fratre ſuo *Theoderico*. quinque libris argenti redemit. quam ipſe *Er*. domino ſuo *Canonii*. de *Sutterhuſen*. & idem C. anteceſſori noſtro ea ratione reſignauit. ut eius conceſſione eccleſie Caldenbornenſi. libera in perpetuum remaneret. Decimam eciam nouc vince in *Gaterſtede* & quorundam agrorum in *Buornſtede* ibidem eccleſiæ adiacentium. ſicut idem anteceſſor noſter eccleſiæ Caldenbornenſi libere contradidit. ſic & nos eadem deuocione pariter & gratia conferimus. & manſura in perpetuum roboramus. Preterea quieti & utilitati predictæ eccleſiæ. in poſterum prouidere uolentes. quecunque eradicatis frutectis in noualia fideles inibi redegerint. more uenerabilium anteceſſorum noſtrorum libera ab omni decimatione eis concedimus, inſuper ipſam eccleſiam cum decimis & cum omnibus quæ ad eam canonice pertinere noſcuntur. aut in futurum rationabilibus modis preſtante Domino poterit adipiſci. ſub beati Petri & Domini apoſtolici ac noſtra protectione ſuſcipimus. & præſentis ſcripti pagina priuilegiata. banni noſtri auctoritate inuiolabiliter communimus. Huius rei teſtes ſunt. *Burchardus* maioris eccleſie Canon. *Sifridus* abbas in *Wimedeburch*. *Johannes*. Prepoſitus in *Gerbeſtad*. *Wilhelmus* Prepoſitus in *Horenburch*. Laici. *Vdelſchalcus* de *Vicenburch*. *Ludolfus* de *Jsleue*. *Heinricus* de *Ornere*. *Bernhardus*. *Conradus*. Acta ſunt hec anno Dom. incarnat. M. C. XCVII. Indict. XV. data in *Wimedburch*. VI. Kl. Maj.

IX.

Conradi Ep. Halberſtad. privilegium de libertate ſepulturæ in Sychem.

1202. IN nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *Conradus* diuina prouidentia ſancte Halberſtadenſis eccleſie Epiſcopus in perpetuum. Quia gubernationem eccleſie Deo auctore ſuſcepimus. paterna ſollicitudine membris eccleſie proſpicientes. ipſorum paci & quieti ſeu utilitatibus omnimodis debemus conſulere. Igitur tam preſentibus quam futuris inſinuamus. quod noſtre dioceſis fidelibus. ſalua nimirum parrochiani iuſticia. ſepulturam in *Sychem* concedimus. auctoritate qua fungimur diſtricte prohibentes. ne aliquis hujus noſtre permiſſionis licentiam auſu temerario uiolare aut caſſare preſumat. niſi forte aliud priuilegium in aliqua eccleſia appareat. in cuius preiudicium hec ſepultura concedi non liceat. Vt autem hec rata & inconuulſa permaneant. preſentem paginam bulle noſtre impreſſione ſignauimus. Anno ab incarnatione Domini M. CC. II. pridie idus Maji. Sunt autem hujus rei teſtes Prepoſitus majoris eccleſie *Wernerus*. Vice-domnus *Fridericus*. Decanus ſancte Marie *Hunoldus*. *Conradus* Cuſtos ibidem. *Arnoldus* abbas *Vallis S. Marie*. *Thietmarus* abbas de *Lapide*. *Conradus* abbas de *Hilſeneburch*. *Fridericus* abbas de *Wimmdeburch*. *Widerboldus* abbas de *Gozeke*. *Theodericus* prepoſitus de *Schemingen*. *Rodolfus* prepoſitus ſci Mauricii in *Hallo*.

X.

Fraternitas eccleſiæ Hildeshem. *cum* Kaldenbornenſi.

VEnerabilibus Dominis & Fratribus L. Prepoſito de *Caldenburne* totique ejusdem eccleſie Capitulo. H. Dei gratia Hildenſis Epiſcopus, J. Prepoſitus, Hyl. Decanus totusque conuentus oracionum & obſequii devotionem perpetuam. Scientes Saluatoris uoluntatem eſſe, ut ſui ſint unum. ſicut ipſe cum patre eſt unum, eccleſiam noſtram nonnullis eccleſiis fraternitate ab antiquo unitam eſſe gaudemus, & ut idem diebus noſtris fiat, operam libenter impendimus. Inde eſt quod deſiderium ueſtrum diuinitus, ut ſperamus, conceptum affectuoſe complentes, eccleſiam ueſtram in eam fraternitatem, quam cum *Magdeburgenſi*. *Halberſtadenſi* & ſimilibus eccleſiis habemus, prompta & alacri ſuſcepimus voluntate. Hec autem ſunt, que racione fraternitatis hujus vobis exhibebimus & a uobis recipiemus: Eccleſiam ueſtram catalogo eccleſiarum ſororum noſtrarum aſſcribemus; Orationibus pro uiuis & defunctis, uigiliis, elemoſinis & ceteris bonis, que apud nos fient, participabitis; Cum alicujus veſtrum ad nos pervenerit obitus, exequias ejus deuotione debita celebrabimus; In neceſſitatibus ſi que emerſerint, conſilium &, ſi opus fuerit, perſonis & rebus vobis preſtabimus auxilium. Ut autem fraternitatis hujus vinculum omni euo maneat inconcuſſum, ipſum ſcripto preſentis pagine & ſigilli noſtri auctoritate duximus roborandum. Actum Dominice incarnationis anno *milleſimo Ducenteſimo Qvarto*. 1204.

XI.

Honorius *III. confirmat Monaſterio Portenſi bona in* Borſendorf.

HOnorius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis, Abbati & Conuentui *Portenſi*, Salutem & apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem prebere conſenſum & uota, que a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Ea propter, Dilecti in Domino filii, ueſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, manſum qvem habetis in *Borſendorf*, cum loco Molendini & parte montis in *Borſendorf*, cum pertinentiis 1219.

suis, & alia bona uestra, qve emptionis iure a *Conrado* milite de *Borsendorf* Monasterio uestro acqvisisse noscimini, sicut ea omnia iuste & pacifice possidetis, & in autentico exinde confecto plenius continetur, uobis & per uos Monasterio uestro auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum *Laterani*. V. Idus Nouembr. Pontificatus nostri anno Qvinto.

XII.

Ludovicus *Abbas Hersveld. donationem & permutationem* Ecclesiæ Sichemensi *confirmat.*

1238. IN nomine Sancte & indiuidue Trinitatis. *Ludewicus* Dei gratia Hersveldensis ecclesie abbas. Vergente in senium mundo & labente tempore, nimirum rerum gestarum facile solet elabi memoria. Ideo humana cauit industria instrumenta conficere, quibus acta legitima posteris innotescant, & uigorem capiant firmitatis. Proinde nosse volumus tam futuros quam præsentes, quod *Sychemensis ecclesia* duos mansos & dimidium in *Minori Osterhusen* cum areis & aliis attinentiis suis, pro sexaginta & VII. marcis emit a *Thedolfo* milite de *Mannesfelt*, quos ipse *Thedolfus* a *Burchardo* de *Querenuorde*, & idem *Burchardus* a nobis in feodo tenuit, nostro super hoc accedente consensu simul et assensu, quia in restaurum dictorum duorum mansorum & dimidii cum suis attinentiis, qui ratione proprietatis nostre Hersveldensi attinebant ecclesie, prefatus *Burchardus* de *Querenuorde* tres alios mansos proprietatis sue in villa *Borchstorp* in territorio castri *Mannesfelt* contulit ecclesie Hersveldensi, quos in feodo receptos a nobis tenet. Preterea dicte *ecclesie Sychemensi* vnius mansi proprietatem dimisimus nobis attinentem in *Minori Osterhusen*, quem mansum *Heinricus* miles de *Rogelis* commutauit ab eadem ecclesia *Sychemensi* pro alio manso in *Enistorp*, qui mansus racione proprietatis & uniuersi juris *Sychemensi* ecclesie attinebat, cuius mansi proprietatem, videlicet in *Enistorp*, in restaurum recepimus memorati mansi in *Minori Osterhusen*. Ut autem antedicte commutationis & donationis series sepefate *ecclesie Sychemensi* rata permaneat & inconuulsa, & ne aliquid super hoc posteris remaneat aut incidat dubie questionis, sigilli nostri appensione, pretaxatam donationem & commutationem duximus muniendam, cum annotatione testium quorum nomina sunt: *Heinricus* Capellanus, *Giso* scolasticus in *Ordorf*. *Heidenricus* sacerdos. *Volkerus* notarius. *Wigandus* Marschalcus. *Conradus Sumrude*. & alii quam plures. Datum apud *Creigenberc*. Anno Dn. M. CC. XXXVIII. Indictione XI. VI. Kal. Februarii.

XIII.

Sanctimoniales in Wechterswinckel *resignant Monasterio Portensi villam* Ludental & *tres mansos in* Sachsenhausen.

MAgnifico viro ac Illustri Principi Dno H. Misnen. & Orientali Marchioni. *Thur.* 1254.
Lantgrauio. & *Saxon.* Comiti Palatino. B. Dei gratia Abbatissa totusque Conuentus Ancillarum Christi in *Wechterswinkele*. cum deuotis oracionibus paratam ad obsequia voluptatem. Ad vestre sublimitatis judicium & presentiam. venerabilem Dominum Patrem & Prepositum nostrum. *Sibotonem* concorditer & unanimiter destinamus. data sibi auctoritate ut proprietatem dominium & possessionem ville *Ludental*. & trium mansorum in villa *Sassenhusen* & pago ipsius sitorum. nomine omnium nostrum in dominium & proprietatem Abbatis & Conventus *monasterii Porten.* Cistercien. Ordinis Nuenburgen. Dyocesis cum omnibus attinenciis ejusdem ville tam in ipsa villa quam in pago ipsius sitis. det universaliter & transfundat. ita quod omnia jura que nobis in villa & pago prefatis competebant. & tribus mansis in villa *Sassenhusen* & pago ipsius sitis Abbati & Conventui *monasterii Portensis* simpliciter & omnino permaneant perpetua firmitate subnixa. Rogamus ergo quod *tradicio predictorum in presencia vestra fiat cum debita sollempnitate secundum antiquam terre consuetudinem & hactenus approbatam.* ita quod uilla & mansi cum omnibus suis attinentiis pretaxatis Abbati & Conventui ac monasterio supradictis perpetuo permaneant cum omni pace ac quiete. cauillationum & interpretacionum sinistrarum calumpniis submotis penitus & excluſis. Cum enim in vendicione ville & pagi & mansorum premissorum res nostra utiliter gesta esse prout recognoscimus liquidissime comprobetur non possemus cum indempnitate transire. cum super gwarandie ac euictionis cautionibus teneamur. nec non sine doloris aculeo tollerare. si Abbas & Conventus Porten. super prenotatis aliqualiter vexarentur. Datum in *Wechterswinkele* Anno Dni. M. CC. L. IIJ. Kl. Julii. Octaue Indictionis.

XIV.

Controversia inter Monasterium Sichem. & *Plebanum de* Otisrode *de familia de* Dippoldsdorf *componitur.*

VNiversis Christi fidelibus scriptum hoc in- 1262.
specturis. *Luderus* Dei gratia Archipresbyter de *Ponlene* salutem in Domino Jhesu Christo. Notum fore cupimus tam presentibus quam futuris. qvod cum causa qve inter *Monasterium Sychemense* ex parte una & *Fridericum* Plebanum de *Otisrode* ex parte altera uertebatur super familia de *Dippoldesdorph*, ab ipso Plebano deducta fuisset in judicium coram nobis. dictus Plebanus proposuit conquerendo. qvod familia prenominate curie ad suam pertineret parrochiam ab antiqvo. & se infra qvatuor annos a sua cura temere abstraxisset. Cujus assertioni frater *Th.* Procurator prefati Monasterii prescriptionem quadragenariam opponebat. qvod videlicet sepedicta familia sacerdotem sibi, qvem voluerat

rat ante annos qvadraginta semper eligere consveviſſet. preter eos qvi ratione domicilii ad aliquam Parrochiam pertinebant. Cumque Plebanus ad producendum pro ſe teſtes ſententialiter fuiſſet admiſſus, & habitis qvatuordecim dierum induciis qvas elegit, in teſtibus deſeciſſet, libertatem qvam ſemper habuerat per diffinitivam ſententiam & de prudentum virorum conſilio adjudicavimus ſepedicto *Monaſterio Sychemenſi* pacifice poſſidendam. Literas preſentes ſigillo noſtro & ſigillis Dominorum qui dicto negotio interfuerunt, Abbatis *Friderici* de *Wimodeburch.* & *Ottonis* Prepoſiti de *Helpede* roboratas in teſtimonium erogantes. Acta ſunt hec in *Helbeke* in Synodo, Anno gratie M CC LXII. in die Sanctorum Johannis & Pauli, preſentibus multis teſtibus clericis & militibus quorum iſta ſunt nomina. *Heinricus* Monachus de *Manſvelt. Reinerus* de *Kisdorph. Johannes* de *Helbere* Plebani. *Fridericus Ruſt. Theodericus* de *Bennendorph* Milites. *Fridericus* de *Oxstrowe. Johannes* de *Creuetenvelt.* & alii quamplures.

XV.

Rupertus *AEp. Magd. Monaſterio Portenſi XL. dierum indulgentias largitur.*

1266. RUpertus Dei gratia Sancte Magd. Eccleſie Archiepiſcopus. Vniverſis Chriſti fidelibus, ad quos hec litere pervenerint, ſalutem in omnium ſaluatore. Cum ſpeciale thurificium ſit Domino, ex devocione mentis elemoſinarum largicio, quibus expiantur peccata & ſanctorum patrocinia inclinantur, ſuper omnium glorificatorum ſuffragiis meritum glorioſe Virginis proeminenter eminet, que prepotens aput filium ſine metu repulſe cujuslibet reconciliacionis auxilium reſipiſcenti faciliter impertit peccatori. que quanto preſtancie majoris eſt & gratie, tanto amplioribus placanda eſt non immerito holocauſtis. Ad cujus veneracionem continuam, devocionem veſtram ſalubriter invitantes, rogamus, monemus & in Domino exhortamur, in veſtrorum remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus ob reuerenciam & honorem virginum virginis Dei matris, que ſe templum Domino exhibuit, ſacrarium Spiritus S. fuit, ad *ſtruſturam Monaſterii* Ciſtercienſis Ordinis *aput Portam* in honorem ipſius porte celi laudabiliter inchoati, de bonis a Deo nobis collatis pias elemoſinas & grata karitatis ſubſidia erogetis, ut per hec bona & alia, que Domino inſpirante feceritis, opitulacione tam precelſe virginis videre mereamini in celeſtibus celſitudinem filii, pre filiis hominum ſpecioſi. Nos eciam de omnipotentis Dei miſericordia confiſi, omnibus vere confeſſis & corde contritis, qui ſtructure ſuperius memorate manum in karitate porrexerint adjutricem, quadraginta dies indulgencie de injunctis ſibi penitenciis miſericorditer relaxamus. Datum in *Sichem* Anno Domini M CC LXVI. XIII. Kal. Maji, Pontificatus noſtri anno Sexto.

XVI.

Henricus *Ep. Brandenb. Monaſterio Portenſi indulgentias donat.*

HEinricus Dei gratia Branden. Eccleſie Epiſcopus univerſis Chriſti fidelibus preſens ſcriptum viſuris in Salutis auctore Salutem. Cum opus pietatis valet ad omnia, habens in ſe repromiſſionem vite preſentis, que nunc eſt, ſecundum Apoſtolum & future, inde eſt qvod univerſitati veſtre notum eſſe volumus, qvod nos Eccleſiam beate ac glorioſe virginis Marie in *Porta* pietatis oculis intuentes, omnibus qui in feſtiuitatibus Domine noſtre & in dedicacione ac annivetſario ipſius Eccleſie dedicacionis die, cum devocione venerint ad eandem & oblaciones ſuas ibidem ad ſtructuram obtulerint, de miſericordia Jheſu Chriſti, loci Dyoceſani conſenſu accedente, Qvadraginta dies, & unam Karrenam de injuncta ſibi ſuper contritis & confeſſis penitentia miſericorditer indulgemus, hac noſtra indulgencia usque ad conſumimacionem ipſius monaſterii duratura. Datum *Brandeburg*, anno Domini M CC LXVIII. quarto Nonas Junii, Pontificatus noſtri anno V.

XVII.

Comites de Wie *Monaſterio S. Georgii Numburg: advocatiam in utroque* Mellere *attribuunt.*

NOs *Albertus. Bertoldus. & Fridericus* Comites & fratres dicti de *Wie.* omnibus Chriſti fidelibus ad qvos preſens ſcriptum pervenerit cupimus eſſe notum. qvod nos pro remedio animarum noſtrarum advocaciam *in utroque Mellere.* ſuper quintum dimidium manſum ob reuerenciam Dei nec non ad peticionem honorabilis viri Dni *Criſtani.* Abbatis ſci Georgii ciuitatis Nuenburgenſis. & totius Conuentus eiusdem loci. quantum ad nos pertinet. cum omni iure eidem Dno Abbati & eccleſie ſue ſupradicte. libere & ſine contradictione qualibet dimiſimus abſolutam. quam videlicet advocaciam *Eckehardus* miles dictus de *Heſelere.* a nobis in feodo dinoſcitur tenuiſſe. Et ne ſuper hiis omnibus diſſenſionis materia in poſterum oriatur. preſentem litteram conſcribi fecimus. & ſigillorum noſtrorum munimine roborari. Datum in *Heſelere.* Anno Dni M. CC. LXXV. XVI. Kal. Nouembris.

1268.

1275.

XVIII.

Albertus *Landgr. Thur. Monaſterio* Oldesleb. *manſum prope villam* Kanwerffen *appropriat.*

NOs *Albertus* Dei gratia *Thur.* Lantgrauius & *Saxonie* Comes Palent. Recognoſcimus & univerſis Chriſti fidelibus preſentibus & futuris, quibus oſtenſum fuerit preſens ſcriptum cupimus fore notum, qvod unum manſum in pago ville *Kanewerſen* ſitum, quem *Heinricus, Eckebardus* & ipſorum fratres, filii *Eckehardi* Militis de *Kanewerſen* bone memorie a nobis actenus in feodo tenuerunt, & ad manus noſtras libere reſignarunt, Eccleſie in *Oldesleiben* in proprium erogamus perpetuo poſſidendum. Nolentes eandem Eccleſiam a nobis aut noſtris heredibus in ipſo manſo in poſterum aliqvaliter impediri. Super qvo preſentem

1284.

literam noſtram conſcribi fecimus, Sigilli noſtri robore communitam, ſub teſtimonio horum, quorum nomina ſubſeqvuntur, *Hermanni* de *Tulleſtete* dicti *Stranz*, *Hermanni* & *Wezelonis* fratrum de *Myla*, *Guntheri* de *Slatheim*, *Hermanni* Camerarii de *Vanre*, *Friderici* de *Wangeheimi*, *Ottonis* de *Wechmar* & *Mathie* Curie noſtre Prothonot. Datum & actum *Wizenſe* anno Dni Milleſimo CC.LXXX. IX. XVI. Kal. Decembris.

XIX.

Adolfus *Rex confirmat Monaſterio Portenſi lacum in* Brantbach, *Advocatiam in* Zebekur & *bona in* Wolfingesdorf & Laſan.

1296. *Adolfus* Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Vniverſis Imperii fidelibus præſentes literas inſpecturis gratiam ſuam & omne bonum. Si ad Eccleſias & loca venerabilia, in qvibus placens Deo religio noſcitur militare mentis noſtræ oculis intuemur, & votiue liberalitatis noſtræ munimine decoramus, & laudabiliter regiminis noſtri officium, qvod a largitore bonorum omnium ſumpſit exordium, exequi & apud ipſum merito præmia recipere credimus ſempiterna. Sane cum viri religioſi Abbas & Conventus de *Porta*, Ordinis Cyſtercienſis lacum illum in *Brantbach* & jus advocaticium in *Zebcur*, bona in *Wolfingisdorf* & bona in *Laſan*, quæ inqvam bona præter lacum prædictum ad decem marcarum redditus vel circiter ſe extendunt, tam ex conceſſione Venerabilis Nuwenburgenſis Epiſcopi, quam Illuſtris *Alberti Thuringiæ* Lantgravii, Principum noſtrorum & aliorum, qvi ab ipſis Principibus bona hujusmodi feodaliter poſſederunt, racionabiliter ſint adepti, ſicut in literis ſuper eo confectis plenius eſt expreſſum. Nos ipſorum Abbatis & Conventus devotis ſupplicationibus favorabiliter inclinati, lacum & bona præſcripta, ac omnia alia bona, qvæ inpræſentiarum juſte & racionabiliter poſſident, & in futurum juſtis modis, præſtante Domino, poterunt adipiſci, dicto Monaſterio de liberalitate regia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Hoc tamen acto expreſſe, quod poſt qvam nos vel noſtri in Imperio ſucceſſores, decentum marcis argenti, qvas ipſi Monaſterio liberaliter dare promiſimus, pro noſtrorum remedio peccatorum ſatisfecimus, extunc dictum lacum libere valeamus ad ipſum Imperium revocare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ confirmationis paginam infringere, vel ei in aliquo auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, gravem indignationis noſtre offenſam ſe noverit incurſurum. In cujus rei teſtimonium præſens ſcriptum exinde conſcribi & Majeſtatis noſtræ Sigillo fecimus communiri. Dat. in *Iſenache*. IIII. Kl. Junii. Indict. IX. anno Domini M CC LXXXXVI. Regni vero noſtri anno Quinto.

XX.

Nobiles de de Heringen *vendunt* Marckwardo *de* Reveningen & *Fratribus Domus Teuton. aliqvot bona.*

IN. deme Namen vnſes Hern Jheſu Xpiſti. 1312.
Wi Heinrich *von* Heringen. Friderich *vnſe Bruder*. Buſſe *vnde* Herman *vnſe Vetteren mith allen vnſen erben. tun kunt allen den ai diſen Briefſen eder horen leſen. vnde biwiſen offenbarlichen mit guteme Vorrate vnn mit eyntrechtigen Willen. Daz wie deme Erſamen Manne Bruder* Marcwarde *von* Reveningen. *vnde den Brudern vomme Duthſchin Huſ haben vorkouft ſex Hufen Landes vnde virde halben Acker Graſes in deme Velde zv* Reveningen. *vnde ſechz bove in deme vorgenanten Dorf vnſes rechten Eygenſ vnde daz Strit-Holz vmme vir March vnde vmme zwenzik lotiges Silbers. Daz diſe vorgenante Kouf gantz vnde ſtete bliue. Des habe wir. Vnſen Brif darvf gigeben beſigelt mit vnſre Ingeſigiln. Diſer Rede vnde diſes Koufes ſint auch Gezuge. Her* Kerſtan Luppin. *Her* Heynrich *von* Lynungen. *Her* Heinrich *von* Morungen. *die Erſamme Rithtere. Darzv* Heinrich *von* Libenrode. Friderich *von* Bennungen. Lamprecht *von* Reveningen. Tylo *von* Sutherhuſen. Tunkel *von* Reveningen. *Die Eraſten Knechte. Diſſe Brif iſt gigeben nach Gotis Geburte* Tuſent Jar *vnde* Drvhundert Jar *in deme* zwelfften Jare *an der Vffartb inſes lyeben Herren. Amen.*

XXI.

Fridericus Admorſus *Manialibus in* Reueningen *Decimas confert.*

IN nomine Domini. Amen. *Fridericus* Dei 1319.
gracia *Thuryngie* Lantgrauius. Myſnenſis & Orientalis Marchio. Dominusque terre Plyſſenenſis. ad perpétuam rei memoriam. Licet rerum veritas nullis debeat erroribus viciari. quia tamen propter longinquitatem temporis quandoque veritas ignoratur. neceſſe eſt rerum geſtarum originem ſcripture teſtimonio communiri. Ea propter ad noticiam tam preſencium qvam futurorum cupimus peruenire. quod nos Eccleſie Sanctimonialium in *Mulrebenyngen*. in honorem glorioſe virginis Marie de nouo fundate. ordinis Cyſterſien. & Halberſtaden. dyoceſis. cum easdem ob religionis fauorem. ac deuotionis ſue merita ſpeciali proſeqvamur gracia Decimam totam. que in pago dicte ville *Mul Rebenyngen* a nobis habetur in feudo. dedimus. & pro remiſsione noſtrorum peccaminum. ac noſtrorum progenitorum damus & tradimus tenore preſencium litterarum. pleno jure proprietatis perpetuo poſsidendam. Vt igitur hec noſtra donacio robur firmitatis obtineat. & vires plenisſime nocionis. has literas ſuper eo dari juſsimus. noſtri ſigilli robore fideliter communitas. Datum *Wartberch* Anno Domini. Milleſimo. Tricenteſimo. Decimo nono. pridie Nonas Octobris. Anno Indictionis ſecundo. præſentibus & teſtibus. Magiſtro *Walthero*. eccleſie Myſnenſis Prepolito. *Eberhardo* de *Malsleyben*. *Elgero* de *Tanheim*. *Heinrico* de *Ottensberch* militibus. *Johanne* de *Gocerſtete*. Scolaſtico Cycenſis eccleſie. *Theoderico* Plebano in *Hurſelgowe*.

gowe. Notariis nostris & quamplurib⁹ aliis fide dignis.

XXII.

Ludovicus *Imp. confirmat Monasterio in* Rorbech *omnium bonorum proprietatem.*

1333. LUdowicus Dei Gracia Romanorum Imperator semper Augustus. Profitemur per presentes, qvod Nos Dei intuitu nostreque salutis ob respectum pias causas semper promovere cupientes sicut nostri inter est ex officio nobis divinitus credito & commisso. Religiosis personis Abbatisse & Conventui Monasterii in *Rorbech* ordinis Sci Benedicti Dyoc. Halberstaten. hanc graciam facimus specialem. vt omnia bona. que comparauerunt vel iam emerunt. siue qve eis donata fuerint. de bonis descendentibus ab Imperio. perpetuo Tytulo proprietatis teneant. & possideant. vna cum Monasterio supradicto. In cujus rei Testimonium presentes conscribi & sigillo majestatis jussimus communiri. Datum *Stoutgarten* die dominico post Galli. Anno Dni *Millesimo Trecentesimo Tricesimo tercio* Regni nostri. Anno Decimo nono. Imperii vero Sexto.

XXIII.

Privilegium Friderici Gravis Portæ *concessum super absolucione Thelonei & aliis exactionibus.*

1344. FRedericus Dei gracia *Thuringie* Lantgravius, Orientalis Marchio Dominusque terre *Plysnen.* In *Ysenbergk*, In *Wyssensebe*, in *Bottelstete*, in *Nouo foro*, in *Eckersbergk*, in *Nebre*, in *Nouocastro* & *Weissenfels* aduocatis, officiatis & eorum vices gerentibus tam presentibus qvam futuris graciam suam & omne bonum. Indempnitati cenobiorum & locorum religiosorum ad diuini cultus amplificacionem fundatorum & singulariter cenobii Monachorum Cisterciensium in *Porta*, quod ex causis piis & deuotis fauore prosequimur speciali, succurrere salubriter cupientes, Vobis uniuersis & singulis communiter & diuisim & Vestrum cuilibet in solidum districtissime & nostre sub obtentu gracie inhibemus, ne in antea dictum monasterium, homines & bona ad ipsum spectantes & spectancia Tailiis, precariis, angariis, perangariis, vectigalibus seu quibuscunque extorcionibus quocumque nomine nominatis, illis duntaxat exceptis, qve ipsis viva voce vel litterarum nostrarum serie rite duximus imponendum, Nostris in districtibus vobis subactis Pregrauatis seu grauari per subditos vestros, subadvocatos vel precones quovis modo faciatis. Memoratum etenim monasterium cum suis hominibus atque bonis a vestra potestate eximimus, nostre dispoſicioni penitus reservantes harum serie litterarum. Actum & datum in *Porta* tercio Nonas Januarii Anno Dni *Millesimo tricentesimo quadragesimo quarto.*

XXIV.

Monasterium Qvedlinburg. *vendit bona quædam* Portensi.

IN nomine Domini Amen. *Jutta* Dei gratia Abbatissa. *Cunegundis* Prepolita. *Sophya* Decana Totumque Capitulum Dominarum in *Quedlingenburg* omnibus in perpetuum. Ne rerum gestarum memoria pereat. perhennari solet obsequio literarum. Ad notitiam igitur tam presencium qvam futurorum cupimus peruenire. qvod cum Monasterium nostrum ad ruinam propinqvam & irrecuperabilem dispositum videremus. & nos ad restauracionem hujusmodi nullatenus sufficere possemus. ex omnibus facultatibus nostris fabricam pertinentibus ad eandem. communicato consilio omnium amicorum nostrorum & fautorum. de communi consensu. bona voluntate. & plena conniuentia omnium nostrum. ad venditionem proprietatis nostre Ecclesie diuertimus necessitate proch dolor ardua compellente. Igitur considerantes. qvedam bona nostra Ecclesie propria inter pagum *Spilberg* & fluvium dictum *Salam* in terminis *Thuringie* longe lateque dispersa & nostre Ecclesie minus fore utilia. Domino * Alberto. Abbati de *Porta*. & suo Conventui eadem bona vendidimus pro certa summa pecunie. nobis jam ex integro & utiliter persoluta. qve etiam bona propriis vocabulis & locis infra scriptis duximus exprimenda. duas videlicet villas dictas vtrasque *Franchowe* qvarum una sita est in supercilio montis *Salberg*. inter regiam stratam & vineam qve dicitur *vetus mons*. eum areis suis. curiis. curtibus. ortis. pomeriis. siluis. & siluulis. cum quinqve manſis in campo eiusdem ville sitis & aliis agris cultis & incultis. pratis. pascuis. viis & inviis. cum *officio senioris*. & cunctis aliis juribus & utilitatibus villam pertinentibus ad eandem. Item alia villa hec est deserta. sita quondam in eodem monte versus meridiem super lapicidinam. cum suis appendiciis. videlicet sex manſis in eodem campo sitis. cum areis & curtibus suis. agris cultis & incultis. seu etiam noualibus. seu pascualibus. pratis. pascuis. rivis. riuulis. aqvis. aqvarum decursibus. torrentibus. viis & inviis. cum *Silua*. qve dicitur *Abbatisse* citra regiam stratam. qve silua protenditur usque ad fossatum torrentis qvod vergit de campo *Dobene* contra *Salam* cum parua siluula adjacente & cum jure aduocatiarum omnium predictorum bonorum qvocum que nomine. tytulo. vel vocabulo. in campis. villis. vel alibi. censeantur. Qve qvidem bona singula & universa supradicta. strenui viri. *Henricus. Rudolfus.* & *Theodericus* fratres Pincerne dicti de *Varila* Domini in *Salecke* a nobis & a nostra Ecclesia hactenus in feodo habuerunt & nobis eadem libere resignaverunt *a*) abrenunciantes pro se ac pro omnibus suis coheredibus. omnibus juribus. vsibus. & vtilitatibus qve

a) Fallitur *Pertuchius* in *Chron. Portensi* C. III. p. 129. qvi fratres Pincernas bona illa vendidisse & Abbatissam Qvedlinburg. duntaxat consensum contractui præstitisse affirmat. Falsum etiam est, has villas cum jure feudi *Juttam* Abbatissam contulisse Portensibus an. 1349.

ipsis

ipſis in predictis bonis competebant ſeu poſſent competere in futurum. Item in villa *Dobene* qve in eodem confinio ſita eſt proprietatem quatuor manſorum & dimidii. cum areis. ortis. & ſiluulis ad eosdem manſos pertinentibus. eisdem religioſis vendidimus & contradidimus. qvorum manſorum tres. *Henricus. Rudolfus.* & *Theodericus* fratres predicti Pincerne in *Salecke.* reſiduum vero predictorum manſorum *Bertoldus* & *Theodericus* dicti *Yſcherſtete* & eorum coheredes a nobis in feodo hactenus habuerunt. Item in villa & in campo *Houdorf* qve deſerta eſt & in eodem confinio ſita. proprietatem quinqve manſorum & dimidii. cum areis & ſilvis. & aliis ſuis pertinenciis ſepedictis religioſis vendidimus & contradidimus de quibus manſis tres. *Otto,* & *Henricus* dicti de *Goſtenitz* cum reliquis ſuis fratribus. Pincerne predicti de *Salecke* dimidium. jam dicti de *Yſcherſtete* duos. a nobis in feodo habuerunt. Item in villa & in campo *Grymſtete* qve deſerta eſt & in latere ejusdem montis ſita qvatuor manſos cum areis & ſiluulis ac ſuis aliis pertinenciis vendidimus & contradidimus jure proprietatis religioſis ſuperius memoratis perpetuo poſſidendos. qvos qvidem manſos. *Bertoldus* & *Theodericus* de *Yſcherſtete* predicti cum ſuis coheredibus a nobis hactenus in feodo habuerunt. Horum qvidem omnium bonorum predictorum proprietatem cum jure fundi & ſuperficiei. utilis & directi dominii. in poſſeſſionem predictorum religioſorum transtulimus & preſentibus transferimus jure perpetuo poſſidendam. abrenunciantes omnibus juribus. uſibus. obſequiis. utilitatibus qve habuimus hactenus in eisdem ſeu qve eſſemus in poſterum habiture. Superevictionis qvoqve & gwarandiarum caucione omnium predictorum bonorum nos & noſtram Eccleſiam preſentibus obligamus juſticialiter facienda. Ut autem uniuerſa & ſingula qve premiſſa ſunt perpetue firmitatis robur obtineant & ſemper permaneant inconvulſa. preſentem literam deſuper conſcribi fecimus. & eam prefato Dno Abbati ſuoque Conventui noſtris ſigillis tradidimus roboratam. Datum in *Quedlingenburg* anno Domini M. CCC. XLVI. in die beati Martini. Teſtes ſunt Dominus Abbas in *Lapide Sci Mychahelis.* Dns. *Conradus* Notarius noſter. Dns *Ludewicus* miles de *Elueningenrode.* *Johannes* de *Quernbecke.* Frater *Henricus* dictus *Clawe.* frater *Johannes* de *Nuenburg.* Monachi in *Porta.* & alii quam plurimi fide digni.

A B C

XXV.

Guntherus *Rex Monaſterio* Oldesleben. *Curiam in* Franckenhuſen *appropriat.*

1349. NOs *Guntherus.* Dei gracia Romanorum Rex. ſemper Auguſtus. Notum facimus preſencium inſpectoribus vniuerſis. qvod ob noſtre ac progenitorum noſtrorum nec non heredum animarum remedium & ſalutem. ac eciam ut opidum noſtrum in *Frankenhuſen.* in edificiis. & impenſarum copiis forcius muniatur. vendicionem. qvam *Syffridus* de *Bendeleibin* miles ſuo & omnium heredum ſuorum nomine. de curia qvadam dictorum de *Kollede.* in opido noſtro *Frankinhuſin* ſituatam. a nobis in feodum deſcendente. fecit Religioſis viris. Abbati & Conventui Monaſterii in *Oldyſleibin* Ordinis ſancti Benedicti ſuo & ipſius Monaſterii nomine ementibus. prout in literis deſuper confectis plenius dicitur contineri. ratam habemus atque gratam eandemque curiam ad ſupplicacionem predictorum Abbatis & Conventus appropriamus eisdem Abbati & Conventui & eorum Monaſterio ac eisdem irreuocabiliter eandem curiam preſentibus ſcriptis tradimus & donamus. ac in ipſos Jus proprietatis & poſſeſſionis transferimus omni jure modo & forma qvibus hoc melius fieri poterit & valere. In cujus rei euidentiam & perpetuam firmitatem ſigillum noſtre regie majeſtatis apponi fecimus ad preſentes. Datum *Fredeberg* IIII. Kalend. Aprilis. Anno Domini M. CCC. XLIX. Regni noſtri anno primo.

D

XXVI.

Fridericus Strenuus *Monaſterio* Rorbacenſi *decimas in* Reveningen, *& in* Minori Entzingen *confirmat.*

1356. WIr Fridrich *von Gotes Gnaden. Lantgraue zcu* Duringen. *Marcgraue zcu* Myſſen *in den* Oſterland. *vnd zcu* Landesperg *Graue zcu* Orlamund *vnd Herre des Landes zcu* Plyſsen. *Bekennen offenlich. an diſem geinwertigen Briue. Daz vor vns komen ſint.* Heinrich *von* Sangerhuſen. *vnd* Heinrich *ſin Sun. vnd haben vns fur ſich vnd ire Erben vfgelazen. Den zcehenden zcu* Mulrebinginnen *vnd zcu* wenigen Enzcingen *in Dorfern vnd in Velden. mit den vorlehenten guten. die ſie daſelbins von vns hatten. Dieſelbin gut haben wir den Cloſterfrowen vnd dem Cloſter zcu* Rorbeche *vormals geeigint vnd eygenen. frien vnd geben in die ouch nu von nuwens. Mit Vrkund dicz Briues. der gegeben iſt zcu* Erfurte. *nach Criſti Geburt* drizcen hundert *iar. in dem* ſechs *vnd* funfzcigiſten *iare. an Sent Vincenti Tage.*

XXVII.

Urbanus VI. *confirmat Monaſterio Caldenborn. incorporationem Parochiæ* Alvensleben.

1382. URbanus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis. Prepoſito & Conuentui Monaſterii in *Caldenborn* per Prepoſitum ſoliti gubernari ordinis ſancti Auguſtini Halberſtaden. Dioc. Salutem & apoſtolicam benedictionem. Juſtis petencium deſideriis dignum eſt nos facilem prebere aſſenſum & uota qve a rationis tramire non diſcordant effectu proſeqvente complere. Eapropter Dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu *parrochialem eccleſiam* in *Alviesleibin* Halberſtaden. dioc. cum pertinentiis ſuis qvam in uſus proprios canonice obtinetis ſicut eam juſte poſſidetis & qviete. vobis & per vos eidem Monaſterio auctoritate apoſtolica confirmamus & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum

hominum &c. Datum *Rome* apud Sanctum Petrum X. Kal. Nouembris. Pontificatus nostri Ann Qvarto.

In alia Bulla de eodem dato *Vrbanus* monasterio etiam unit Ecclesiam Parochialem in *Storkow* Halberstaden. Dioc.

XXVIII.

Conventus Monialium in Rorbech *anniuersarium Præposito qvondam Suo habendum decernit.*

constantia *Caroli*, ut nunquam illi defecerint, quin confestim debitas poenas suæ perfidiæ dederint: eversæ domus, dissipatæ fortunæ, liberi in servitutem tracti, omnibus documento fuere, nullum in falsis diis præsidium esse. Sic igitur usque in tertium supra trigesimum annum bellum protractum, in quo quidem bello bis tantum collatis signis pugnatum tradunt, semel apud *Osneggum* montem, quem locum incolæ *Theomille* appellant, nec multo interjecto tempore apud **Vesam* fluvium, ubi penitus *Saxones* debellati, se suaque omnia potestati *Caroli* permisere. Victis imponuntur leges, ut patriis cerimoniis falsisque Diis posthabitis, Christianam fidem profiterentur, magnum numerum obsidum darent, modicis terminis septi neque aliis bellum inferrent, neque illatum propulsarent. Decem deinde sunt hominum millia cum uxoribus & liberis in *Galliam* transportata atque variis locis jussu *Caroli* distributa. Cæterum durante Saxonico bello, multas interim expeditiones a *Carolo* susceptas ac ita egregie administratas invenio, ut per universum orbem fama manaret, *Francorum* Regem non sine divina opera bella gerere. Erat autem *Carolo* in bellis gerendis hic primum propositus finis, ut Christianæ fidei legem, in quantum in se esset, extolleret, ac omnes populos, qui ei adversabantur, non solum deprimeret, sed etiam, si fieri posset, everteret.

* Lege: *Hasum.*

Conditiones victoris.

Bellum Hispanicum.

Cum vero ea tempestate barbaræ gentes, quæ nostræ religioni perpetuum bellum indixerant, *Hispaniam* gravi servitute oppressam tenerent, *Carolus* rei indignitate commotus, ad eam liberandam mentem convertit. Id autem fieri posse arbitrabatur, si, ingente celeritate exercitu in *Ispaniam* ducto, prius hostes opprimeret, qvam illi parare subsidia possent. Ad hanc igitur rem aggrediendam satis jam omnibus comparatis, castra movet & qvam maximis potest itineribus in *Hispaniam* transire contendit. Nec jam miles graviatim sequebatur, qvod jam diu animum induxerat, qvocunque a Rege *Carolo* duceretur, ad certa belli præmia exploratamqve victoriam duci. Inter hæc civitates *Hispaniæ*, quæ propinqviores erant finibus *Galliæ*, incertis rumoribus excitæ aliquanto sibi suisque rebus timere inceperant. Postqvam vero per Pireneum saltum traduci exercitus cœptus est, rumorqve per barbaros manavit de adventu *Francorum* certior, ingens repente trepidatio populos omnes invasit non satis gnaros, quid adversus tantum tamqve horrendum hostem sibi agendum aut parandum foret. *Carolus* confestim superatis Pireneis jugis, cum in fines hostium perveniisset, militibus imperat, ut quam latissime possint vagentur, & qvam maximum hostibus terrorem inferant. Extemplo civitates nonnullæ, cum ad petenda externa auxilia non sufficeret tempus, nec propriis præsidiis res suas tueri possent, sponte deditionem faciunt. *Augusta* & *Pampelonia*, duæ opulentissimæ totius *Ispaniæ* urbes, qvæ mandata *Caroli* aspernabantur, vi captæ ac prædæ militibus datæ, cum alteram *Franci* ad solum evertissent, alteram mœnibus nudassent tantum terroris omnibus gentibus injecere, ut qvas adissent, pariter ultimæ propinqvis imperio qvasqve non adissent, parerent. Sic igitur *Hispania* pene omnis in *Francorum* potestatem devenit. Victis præcipue imperatum, ut falsis relictis Diis Christianæ fidei legem acciperent.

Carolus rebus felicissime gestis, cum incolumem exercitum in *Galliam* reduceret, propre Pirenei juga in finitimarum gentium, qvas nunc *Vascones* vocant, insidias incidit. Insederant enim barbari in occultioribus locis, expectantes occasionem gerendæ rei. Ubi vero *Francorum* copias in angustiorem viam deductas viderunt, repente ex jugo insuper imminenti novissimum agmen adorti, ingentem cædem stragemqve dedere. Nam *Franci* cum neqve evadere possent in jugum, a *Vasconibus* occupatum, neque se explicare suomet ipsi agmine in arcto herentes, simul ab hostibus, simul ab iniquitate locorum oppugnabantur. Nec jam primi in tam angustis locis ita celeriter vertere aciem poterant, ut ultimis in extremo periculo constitutis, opem in tempore ac subsidium ferrent. Itaque etsi animo viribusque longe superiores hostibus forent, alienis tamen locis pugnantes, vitare non potuerunt, qvin eo die insignem cladem acciperent. Cecidere in ea pugna, dolo hostium non virtute commissa, *Anselmus* ac *Egihardus* o), summi in bello duces, aliique permulti fortissimi viri, quorum opera *Carolus* sæpe in maximis certaminibus egregia usus erat. Sunt etiam qvi *Rolandum* Caroli ex sorore nepotem, præstantem fortitudine virum, post ingentem hostium editam cædem eo prælio interiisse dicant. Hic est, *Rolandus*, quem fama est tempestate sua corporis robore & animi magnitudine longe ceteris aliis præstitisse, cujus fortia facta per universum orbem jam clara nostris quoque temporibus celebrantur. *Vascones* sequenti nocte, antequam *Franci* vires colligerent, per nota itinera, præda magis quam armis onerati, se in tutum receperunt. Nec tamen illis diutina latitia fuit; quippe paulo post ii populi ac eorum Reges a *Carolo* domiti meritas perfidiei suæ debitas qve pœnas dedere.

Vasconum insidiæ.

Clades Francorum.

Rolandus.

Britones quoque, qui sub idem prope tempus *Caroli* mandata neglexerant, bello superati in *Francorum* potestatem venere.

Initium post hæc maximi futuri belli, si ulterius processisset, in Italia ortum auctoribus *Beneventanis* atque *Aragiso* eorum duce, qui cum aperte discessissent, studio magis novarum rerum quam certa ratione adducti, arma exercitumque parabant, finitimas gentes excibant, ut Pontifici Romano contra jus fasque ultro bellum inferrent.

Bellum cuim Beneventanis.

o) Eginhardus c. 9. *Eghartum* Regiæ mensæ Præpositum, *Anshelmum* Comitem Palatii & *Rutlandum* (qvi mox sequitur) Britannici limitis præpositum vocat.

Quibus rebus in *Galliam* perlatis, *Carolus* in *Italiam* rursus ad comprimendas populorum seditiones quanta maxima celeritate potest, contendit ac cum omni exercitu *Capuam* usque progressus, tantum terroris *Beneventanis* injecit, ut ex templo *Aragisus* filios suos, *Beneventani* vero nobilissimos civitatis obsides darent ac jurejurando adacti pollicerentur, se in posterum neque injussu *Caroli* arma sumpturos, neque recusaturos quominus perpetuo sub Romanæ Ecclesiæ ditione atque imperio essent. Hæc adeo mature confecta accepimus, ut eodem prope tempore in *Galliam* perlatum esset, *Carolum* in *Campaniam* A cum omni exercitu perveniisse, & *Beneventanos* metu exterritos imperio *Caroli* paruisse.

Bellum cum Tassilone.

Dum hæc in *Italia* geruntur, interim *Tassillo Bavariæ* dux, uxoris, ut tradunt, stimulis commotus, copias cogit, finitimas gentes solicitat, *Hunnos*, qui ea parte, qua *Bavaria* in horientem spectat, sibi confines erant, societate & foedere jungit. Hæc omnia clandestinis consiliis conficere studet, ut *Francos* nil tale opinantes, repentino bello adoriatur. Erat autem ei conjunx *Desiderii* Regis *Langobardorum* filia, quæ fortunam patris iniquo animo ferens, nec noctu nec B interdiu virum conquiescere pati, monere atque rogare, ut meminisse vellet, socerum suum clarissimum Regem, qui antea in locupletissimo regno constitutus aliis imperitare solitus esset, nunc graui seruitute detentum omni morte miseriorem vitam ducere. Neminem esse præter eum, qui possit & debeat e seruitute regnum in libertatem vendicare. Hoc finitimas gentes, quæ fortunam *Desiderii* miserantur, expectare, hoc tacitas petere. Quod si vir esse vellet, habere propriis viribus etiam externas adjunctas opes, quibus fultus commode posset hanc dedecoris C notam, socero pariter generoque inustam, egregiis factis delere & sibi posterisque suis perpetuam gloriam comparare. His muliebribus instinctus facile *Taxillo*, ingenti studio arma exercitumque parabat, ut *Francorum* genti omni parte inferior, ferociter magis quam prudenter bellum inferret. Quibus rebus cognitis, *Carolus*, quia magni interesse etiam in reliquum tempus ad opinionem gentium arbitrabatur, tantas videri *Galliæ* facultates, ut non modo sua tueri, sed etiam aliena aggredi posset, celeriter profectus, priusquam hostes cum sociis jungerentur, in fines *Bavariæ* cum omni exercitu venit, castrisque D ad *Licum* flumen, qui *Bavaros* & *Alemannos* diuidit positis legatos ad *Taxillonem* misit, hortatus, ut *Francorum* manusvetudinem quam arma & vim experiri mallet, atque idem finitimis gentibus, quas in belli societatem traxisset vaderet. *Taxillo* siue his mandatis conterritus, siue sociorum auxilio destitutus, nulla tentata fortuna belli, *Caroli* imperio sine ulla exceptione parere constituit. Itaque ei omnium rerum suarum potestate permissa, deditionem fecit, obsides dedit, in his *Theodonem* filium suum aliosque permultos lectissimos juvenes, quorum patres præcipuam in ea provincia auctoritatem habebant.

Tassilo se Carolo subjicit.

Sub idem tempus *Abotriti*, veteres *Francorum* socii, legatos ad *Carolum* mittunt, qui pro antiqua amicitia societateque, olim cum *Francis* inita, adversus *Velatabos* auxilium petant. Est sinus Oceani maris in extremis *Germaniæ* finibus, qui ab occasu in Orientem versus centum, ut ajunt, prope millia passuum extenditur. Circa hunc sinum ea tempestate *Abodriti*, *Velatabi*, *Nortomanni* aliæque barbaræ gentes incolebant. Insulas præterea, propinquo mari frequenter sparsas, tenebant, bella inter se sicuti inter finitimos populos, ut plerumque fit, continenter gerebant. Cum igitur *Velatabi* perpetuis excursionibus, cædibus, incendiis *Abodritos* invaderent, nec ullis præsidiis removeri ab injuria possent, *Abodritorum* legati in *Galliam* venerunt, opem adversus suos *Francorumque* hostes, pro jure societatis petentes, benigne hospitaliterque susceptí, auxilio impetrato, grata responsa domum retulerunt. Profectus deinde cum exercitu *Carolus*, citius omnium opinione bellum confecit, barbaros ex sociorum finibus expulit, & pulsos ad deditionem compulit, ac jurejurando adegit, ne in posterum *Francos Francorumq;* socios aliisve finitimis gentibus injussu suo bellum inferrent.

Bellum Velatabos.

Bellum Pannonicum.

His rebus gestis, cum in magna gloria magnisque opibus regnum ac tota res *Francorum* esset, statuit *Carolus* adversus *Hunnos*, qui hostibus suis auxilia subministraverant, bellum suscipere. *Hunnorum* gentem * sty- * Lege: sticam fuisse accepimus; incoluere primo *Scythicam.* supra *Meotida* paludem, inde ingenti multitudine profecti, mutatis sedibus in *Pannoniam* venere, atque hunc locum sibi domicilium delegere. Ea vero tempestate, qua *Carolus* eis bellum indixit, abundantissimi divitiis erant, & post *Saxones* armis virisque opulentissimi; habebant præterea finitimos populos partim metu partim beneficio obstrictos & jurejurando, adactos, ut in omnibus bellis pro sua qvisqve facultate rem *Hunnorum* juvarent. Quo igitur vires *Hunnorum* majores erant, eo majore studio *Carolus* omnia sibi, quæ ad maximum bellum pertinerent, curanda agendaque censebat, ut cum virtute hostibus longe *Franci* præstarent, uiribus quoque aut pares aut superiores essent. Summa igitur diligentia, tum ratione atque consilio omnibus comparatis, castra mouet atque exercitum & viris & armis peregregie instructum in *Pannoniam* ducit. Hoc ego bellum partim a *Carolo* partim a filio suo *Pipino* apud plerosque auctores gestum comperio. Victi multis proeliis *Hunni* tandem octavo anno, postquam bellum inceperat, penitus superati imperio *Caroli* paruere. Quotiens vero cum ea gente justa acie pugnatum sit, quæve aut quantæ hostium copiæ in eo bello occiderint, quia raræ per ea tempora litteræ fuere, difficile ad fidem est exacto affirmare numero. Illud certe constat, nullum unquam bellum a *Carolo* gestum, in quo major sit hostium cædes edita, majorque illata clades. In eo enim omnes auctores conveniunt, ingentem

tem *Hunnorum* multitudinem & pene nobilissimum quemque eo bello *. assumptum, maximam quoque vim auri atque argenti, multamque pretiosam suppellectilem, quam *Hunni* ex variis gentibus direptam in suum regnum congesserant, a *Francis* inventam, atque in *Galliam* transportatam, totam denique *Hunnorum* rem tam multiplici clade affectam, ut nullum ferme pristinæ potentiæ, quæ antea longe lateque patebat, vestigium remaneret. *Franci*, devicta *Pannonia* ac opulentissima gente subacta, graves hostium spoliis in *Galliam* revertuntur. Periere in eo bello *Herricus* ac *Geroldus* duo clarissimi *Francorum* duces. In reliqua multitudine parum detrimenti acceptum.

* Lege: *consumptum.*

Adelgisi cædes.

p) Sub idem tempus *Adelgisum Desiderii* filium, qui ante expugnationem *Papiæ* ex *Transpadanis* in *Græciam* perfugerat, cum magna manu ad repetendum regnum in *Italiam* redeuntem, a *Francis* superatum Præfectorum auspicio, supplicioque affectum, quidam auctores sunt. Addunt etiam, non multo post duo eodem prope tempore exarsisse bella *Boemicum* scil. & *Imonicum*, atque ambo a *Carolo juniore* ita celeriter esse confecta, ut facile appareret, præstantissimi patris non dissimilem esse filium.

* Leg. *Limonicum.*

Bellum Nortmannicum.

Secutum est post hæc adversus *Nortomannos* bellum, qui *Abotritis* subactis, cum ductu *Gotofridi* regis *Galliæ Germaniæque* littora prædatoria classe vexarent, jamque *Godifridus* nimia superbia & temeritate elatus, *Frisiæ*, *Saxoniæ* atque omni *Galliæ* arma minaretur, palamque jactaret, se brevi *Aquisgranum* ubi *Caroli* regia erat, cum ingentibus copiis petiturum; non putavit *Carolus* sociorum injuriam ac hujus hominis efferam audaciam ulterius esse ferendam. Itaque omnibus necessariis ad bellum celeriter comparatis, in *Nortomannos* exercitum ducit, classemque per Oceanum mittit, ut terra marique simul hostem invadat. Verum non diutius allaborandum fuit, quia *Nortomanni* paulo post, *Gotofrido* Rege a proprio satellite interfecto, se suaque omnia fidei & potestati *Caroli* permisere.

Expeditio Romana pro Leone Pontif.

Cum hic status rerum in *Gallia* esset, interea *Romani* adversus *Leonem* Pontificem conjurationem ineunt, eumque nec soli nec lacessiti per injuriam urbe expellunt. Quibus rebus legati ad *Carolum* veniunt, multis precibus pro Romano Pontifice auxilium adversus conjuratos petentes. Hos *Carolus* consvetudine sua benigne accipit, eorum animos verbis confirmat, magnam spem se habere dicit, populum vel beneficio vel auctoritate sua adductum finem injuriis (facturum). Quod si perseverare injuria velit, nullum se dimicationem recusaturum pro Ro. Ecclesiæ dignitate, cui deesse, quoad vita suppetat, aliis Principibus Christianorum turpe, *Carolo* etiam nefas sit. Nam jam pridem Ecclesiæ Romanæ patrocinio, suscepto, nichil ei antiquius erat, quam apostolicæ sedis dignitatem tueri, statum servare, auctoritatem extollere, injuria ac maleficio prohibere. Itaque cum ea conjuratio magni ponderis esset, & præsentia sua indigere videretur, extemplo cum exercitu in *Italiam* contendit. Primo adventu omni motu sedato, noxiis supplicio affectis, Pontificem Romanum cum ingenti gloria in urbem restituit, a quo mox pro suis egregiis meritis & singulari erga libertatem omnium Christianorum fide, *Augustus* appellatus, imperatorium nomen dignitatemque suscepit, non solum assenciente sed etiam applaudente populo. Et hoc tempore primum summa Imperii dignitatem quæ trecentis ante & triginta annis fuerat amissa & jam nimia vetustate obliterata, egregia virtute *Caroli* Occidenti restitutam tradunt: de quo quidem non alienum videtur pro cognitione rei altius aliquanto repetere.

Carolus Augustus appellatur.

Urbem *Romam*, sicuti gravissimi auctores memoriæ prodidere, initio Reges gubernarunt. Ii illis legibus obnoxii, domi populum, exercitum foris pro suo arbitratu regentes, nunc belli nunc pacis artibus rem Romanam mirifice auxere, eoque nutriendo perduxere, ut bonam frugem libertatis maturis jam viribus ferre posset. *Tarquinio* deinde *Superbo* ob immodicam dominandi licentiam regno exacto, regia potestas penitus, in urbe cessavit. Sub consulibus postea ac Dictatoribus consularique potestate Tribunis, qui fuerunt libero populo magistratus, & res & nomen emersit Imperii. *Africa* pene tota magnaque *Asiæ* parte ultra *Armeniam* & *Caucasum* montem armis subacta, *Europa* vero, *Ispaniis*, *Galliis*, *Græcia*, *Thracia* aliisque subinde regionibus bello domitis, longe lateque *Romanorum* opes patuere. Hoc tam amplo per quatringentos sexaginta annos ab una rep. parto auctoque Imperio trui deinde per intestina arma non licuit, quorum causa atque initium traditur ex immodica cupiditate regnandi & certamine factionum ortum, quæ semper fuerunt eruntque pluribus populis magis exitio quam bella externa. Imperatores hinc creari cœpti, quod ante armorum castrorumque nomen fuit; id tanquam intestino urgente bello, intra mœnia inductum, * vero quidem legitima potestas, re autem vera dominatio erat. Qui enim rep. occupata *Romanis* dominabantur, Imperatores se appellari non solum æquo sed etiam libenti animo patiebantur, quia Imperatorum nomen & gratius & tolerabilius *Romæ* erat, quam alii tituli, qui dominationis speciem * præcise ferre videntur; eratque imperatoria dignitas apud priscos Romnaos longe inferior regia dignitate. Cur autem postea hoc Imperatorum nomen in tanto pretio habitum sit, causam fuisse existimo, quia cum illi, qui reip. Romanæ totique pene terrarum orbi dominabantur, se nuncuparent Imperatores. Forte posteriores credidere, sicuti illi potentia cæteros alios anteibant, sic etiam nomen, quo utebantur, reliquis omnibus anteponen-

Digressio.

* forte leg. *specie.*

Nomen Imperatoris.

* Lege: *præstas.*

p) Hæc Sigebert. ad an. 789. silente *Eginhardo.*

dum esse. Hinc talis opinio orta, deinde multis temporibus inveterata obtinuit, ut Imperatoria dignitas omnibus aliis excellentior haberetur. Sed ab initio quidem singulis imperantibus, cum *Nerva* primus aliique postea simili exemplo ducti, sibi consortem Imperii delegissent, duo interdum Principes eodem tempore extitere, qui se Romanorum nuncupabant Imperatores. Postea vero quam *Constantinus*, relicta *Roma*, ad Orientem desedit, factum consvetudine est, ut divisum illud Orientis hoc Occidentis Imperium diceretur. Foede deinde vastantibus *Italiam* barbaris, tempore *Odoacri* * *Torziliingorum* Regis, qui *Augustulum* superavit, sublatum Imperium trecentis & triginta annis in occidente cessavit. Tot enim ab *Augustulo* ad *Carolum Magnum* fuere, quem a *Leone* Pontifice Imperatorem diximus appellatum.

* *Herulorum.*

Carolus Francorum Rex ac *Romanorum* Imperator, post amplissimam dignitatem susceptam, cum in *Galliam* rediturus iter per *Etruriam* faceret, in memoriam dignitatis adeptæ *Florentiam* urbem, quam olim magna ex parte deleverant *Gothi*, in pristinum statum cum summa celebritate restituit, omnemque nobilitatem, per oppida vicina dispersam in civitatem reduxit, novis mœnibus auxit, templis ornavit. Quæ si ita sint, ut quidam scriptores memoriæ prodidere, quantum *Caroli* nomini ejusque successoribus nostra civitas debeat, nec literis explicari nec ulla oratione exprimi potest. Qvod enim in solo patrio sumus, quod liberi vivimus, quod magistratus, leges, civitatem habemus, ea omnia *Carolo* accepta sunt referenda, ac ejus memoria tam grata recordatione perpetua celebranda, ut homini tam præclare de nostra patria merito si non parem beneficiis suis saltem aliquam pro juribus nostris gratiam referamus. Illud autem loco summæ gloriæ *Florentiæ* urbi tribuendum puto, quod initio eam condidere *Romani*, conditam deinde ac barbarorum furore euersam *Romanorum* quoque clarissimus Imperator restituit, ut non tantum doloris ex dejecta, quantum lætitiæ ex restituta patria *Florentinis* accederet.

Florentia restituta.

Cum revertisset in *Galliam Carolus*, exceptus est ejus adventus ab omnibus populis incredibili honore atque amore. Festi celebrati dies, in ciuitatibus supplicationes decretæ, publice privatimque ei gratulationes cum effusa lætitia factæ.

His rebus tam egregie a *Carolo* gestis addunt scriptores nonnulli rem maxime memoratu dignam, quam ego ut certam affirmare (quia nulla apud alios auctores ejus rei mentio est) nec ut incertam relinquere ausim. Tradunt *q*) enim, cum *Hierosolima* graui barbarorum dominatu oppressa teneretur, *Carolum Constantini* Imperatoris precibus euocatum, simul & rei indignitate commotum, ad liberandum sanctissimum locum, ubi omnium gentium salus est orta, cum ingenti exercitu accessisse, profligatisque barbaris ac ex omni provincia pulsis Christianos in urbem restituisse, firmisque præsidiis munitam reliquisse. Profectum deinde *Bizancium* & a *Constantino* incredibili lætitia acceptum, magnoque affectum honore, paulo post in *Galliam* rediisse. Hæc si ita sunt, hanc expeditionem factam esse oportet antequam *Carolus* ad restituendum *Leonem* Pontificem in *Italiam* veniret; quia satis constat, post Imperatoriam dignitatem susceptam nunquam *Carolum* in Orientem esse profectum.

Tabula de Caroli ex-

peditione in Syriam S.

Hæc bella VII. & qvadraginta annis (tot enim regnavit) incredibili felicitate, tum magnitudine qvadam animi, tum etiam ingenii atque consilii, *Carolum* non solum gessisse sed etiam confeciisse tradunt, qvibus regnum satis amplum a patre acceptum longe majus auctiusque posteris suis reliqvit. Nam *r*) patrem regni fines in *Gallia Rheno, Ligeri Oceanoqve* & in *Germania Danubio* & *Sala* fluvio, qvi *Turios s*) a *Sorabis* dividit, continebantur; his *Aqvitaniam, Vasconiam, Hispaniam* pene totam & eam *Italiæ* partem in qva *Longobardorum* regia fuerat, bellica virtute adeptam *Carolus Magnus* adjunxit. Adjecit & *Saxoniam*, qvæ est non modica *Germaniæ* pars, tum utramque *Pannoniam* & ultra *Danubium Daciam*, *Histriam* & totum *Liburnorum* regnum, *Dalmatiam* quoque præter maritimas civitates, qvæ Constantinopolitano Imperatori parebant, omnes denique barbaras gentes, qvæ *Germaniam* inde ad *Rhenum*, *Oceanum* ac *Danubium* incolunt, partim beneficio allectas, partim armis subactas in suam potestatem redegit. His tantis operibus, tot tamque rebus egregie gestis eam sibi famam non solum in *Gallia*, sed etiam per universum orbem *Carolus* comparaverat, ut undique ad eum legationes concurrentes, gratiam atque amicitiam publice privatimqué petierint. Qvin etiam memoriæ proditum est, *Persarum* Regem, cujus opes in *Asia* longe lateque patebant, *Caroli* fama adductum legatos cum magnificentissimis donis misisse in *Galliam*, qvi eum rogarent, ut se in amicitiam susciperet. Cum Imperatoribus qvoque Constantinopolitanis benivolentia fuit & societate conjunctus, qvanquam post dignitatem imperatoriam *Romæ* acceptam *Caroli* fama illis invisa & suspecta quoque potentia foret.

Caroli potentia.

Fama ejus

Cæterum enarratis bellicis rebus, qvæ visæ sunt nobis cognitione & memoria dignæ, nunc operæ pretium esse existimo, *Caroli* habitum, naturam & mores, tum ea omnia, qvæ ad domesticam pertinent disciplinam, brevibus verbis referre. Tradunt omnes pene auctores, qvi diligentius *Caroli*

q) Nihil de hac expeditione *Eginhardus*, qui cap. 16. solum refert, *Carolum* legatos cum donariis ad sacratissimum Domini ac salvatoris nostri sepulchrum locumque resurrectionis misisse, item, sacrum illum ac salutarem locum ejus potestati a Rege Persarum esse concessum. Adde c. 27. *Schminkius* hanc fabulam primum ortam putat, cum expeditiones cruciatæ in Palæstinam instituerentur.

r) forte, *patri*.

s) *Eginhardus*: *Thuringes*.

figu-

Caroli forma & mores.

figuram describunt, procera illam fuisse statura, lato pectore, latis humeris, magnis vegetisque oculis, naso paulo eminentiore, forma denique & pulchritudine oris adeo eximia, ut decorem simul præ se ferre videretur, cum regia quadam majestate conjunctum. Habebat & in voce splendorem & in incessu totoque corporis motu summam dignitatem. Promissam *t*) ferebat barbam, & si qvando festi dies celebrandi erant, aut legati externorum Principum audiendi, veste auro contexta & gladio multis gemmis ornato utebatur. Valetudine fuit prospera, nisi qvod paucis annis antequam diem obiret, febre sæpius laborabat. Venationibus *Gallorum* more adeo freqventer studebat, ut non nives, non montes silvæque eum etiam senescentem a tali exercitio revocarent. Putabat enim, laborem corporis ad sanitatem servandam vehementer conferre. Tradunt præterea, eum balneis & aqvis natura calidis plurimum delectatum, atque ideo *Aqvisgrani*, ubi talis aquæ ingens copia erat, diucius commorari solitum. Qvin etiam consvesse amicos ac familiares, & interdum omnis generis homines secum in balnea ducere, ibique aliqua confabulandi materia in medium allata, longum sermonem trahere, atque ex eo non mediocrem voluptatem capere. Fuit autem *Carolus* amicorum studiosissimus, pietate vero in parentes, amore in filios, humanitate in omnes sine controversia cæteros alios superabat. Mater ei *u*) *Berta* fuit *Heraclii* Cæsaris, præstantissimi Constantinopolitani Imperatoris filia, quam cum in omni vitæ tempore tum præcipue post *Pipini* mortem in summo honore & observantia habuit. Difficilem fratris naturam ac multis suspicionibus laborantem ita patienti

*Lege animo

*non tulit, ut pro acceptis injuriis sæpe beneficia ei filiisque suis referret. Sororem qvoque, quæ sibi unica erat, incredibili amore dilexit. Denique omnem familiam suam tanta caritate complexus est, ut qvidam scriptores dicant, eum quocunque accederet, solitum esse filios filiasque omnes secum ducere.

Ejus clementia.

Fuit in remunerando largus, in puniendo mitis, clemens: Quin etiam tradunt, cum aliqvando in expeditionem proficisceretur, *x*) nothum filium, qvem plerique spe regnandi injecta, opinionibus vanis imbuerent, *Carolo* insidias comparasse, ut eum de medio tolleret, paulòque deinde conjuratione detecta, mitissimum patrem scelerato ignovisse filio, eique permisisse, ut reliquam deinde vitam in qvodam monasterio ab oculis hominum remotam duceret. Hanc igitur mansvetudinem in puniendo, æquitatem in judicando, moderationem in gubernando, qvam *Carolus* publicis pariter ac privatis rebus præ se ferebat, sic populi omnes admirabantur, ut palam prædicarent, talem sibi Regem divino numine datum, qvalem nunqvam antea auli essent optare. Illud præterea maximam ei benevolentiam comparabat, qvod erga hospites peregrinos & eos omnes, qvi paupertate nimia laborarant, summa profusaqve liberalitate utebatur. Inopes vero, qvi virtute ac bonis moribus prædili erant, sæpe non modo pecunia juvit, sed etiam honoribus manifestis affecit, ut *unam eorum opinionem argueret, qvi neqve honori magno locum neque virtuti

*Lege: vanam.

A iputant esse, nisi ubi effuse affluant opes. Cibi insuper & potus continentissimus fuit, festis solum diebus, atque id etiam raro, convivia celebrabat. In cognoscendis controversiis hominum & diligentissimus simul & justissimus habebatur; liberæ ad eum qua rationæ de aliorum injuriis, facilesque aditus erant, benigna reddebantur responsa. Qvæ omnia qvo rarius in maximis Principibus reperiuntur, eo gratiora in *Carolo* habebantur. Sed

Studium circa religionem.

omnium primum, ut erat diligentissimus religionum cultor, summa opera studioque curabat; ut Episcopi per universum regnum sacras ædes, nimia vetustate dilapsas, aut omnino reficerent, aut saltem renovarent. Ipse vero *Aqvisgrani*, ubi sedes regni ejusque regia erat, B maximis sumptibus templum condidit, ipsumqve marmoreis colomnis tum argento auroque clarò vehementer ornavit, ornatumque omnium rerum pulcherrimarum copia B. Mariæ dicavit. Multa qvoqve alia opera memoratu digna construxit, quæ ea tempestate tum pulchritudine tum magnitudine sua admirationem gentium commovebant.

Pons in Rheno.

Nam pontem in *Rhenum* apud *Mogonciam*, ubi qvingentos passus fluminis latitudo patet, ædificatum a *Carolo* tradunt; egregium sane opus, & magnitudinem conditoris cunctis vi- C sentibus præ se ferens. Regias insuper ædes variis in locis ab eodem extructas dicunt, & templa in multis civitatibus condita, quæ nostris qvoqve temporibus extant, & religionem in *Carolo* regalemque animum fuisse ostendunt.

Caroli studium literarum.

Verum ad has eximias regiasque virtutes addiderat etiam *Carolus* eloquentiam, copiamque dicendi & bonarum artium disciplinam, qvæ cum cæteris hominibus tum iis, qvi sunt in summis potentatibus constituti, magno semper decori atque ornamento fuere. Præceptorem habuit *Albinum*, cui postea *Alcuino* cognomen fuit, virum eruditissimum D summumque Philosophum, a quo non solum studium sapientiæ, sed etiam præcepta oratoria arteinque differendi accepit. Cujus opera tunc primum *Parisiense gymnasium* a *Carolo* institutum tradunt, qvod deinde a posteritate Regibus servatum auctumque eo dignitatis & gloriæ venit, ut nunc qvoque celeberrimum per universum orbem eruditissimorum hominum domicilium habeatur. *Carolus* igitur ipse literis non modo latinis sed etiam græcis liberaliter institutus, filios qvo-

Alcuinus.

t) Clarissimi auctores *Carolo* modicam barbam tribuunt. vid. *Schmincke.* ad Eginh. c. 22.

u) Alii vocant *Bertradam*, ut & *Eginhardus*. Falso filiam *Heraclii* fuisse tradit *Sifridus* Presbyter, qvæ patrem habuit *Heribertum* Comitem Laudunensem, ut probant *Struv.* in Synt. Hist. Germ. Diss. VII. §. 2. & *Koeler.* in Geneal. Caroling. p. 36.

x) Erat nomine *Pipinus*. Eginh. c. 20.

qvæ

qve ſuos doctiſſimis hominibus in diſciplinam dedit, ut a primis incunabilis bonis artibus erudirentur, filias etiam ne ocio torperent, lanificio aſſveſcere juſſit.

Uxores & liberi. Habuit autem ex pluribus uxoribus pulcherrimam ſobolem, ſed ex *Hildegarde* fœmina apud *Svevos* amplisſimo genere orta, *Carolum*, *Pipinum*, *Ludouicum* filios, totidemque filias genuit. Ex his *Carolum*, qvi major natu erat, & *Pipinum*, qvem *Galliæ* citeriori præfecerat, priusqvam obiret, amiſit, *Ludouicus* ei relinqvebatur unicum ſenectutis refugium. Hunc paulo ante mortem ad ſe vocatum, ſummo conſenſu omnium Principum Auguſtum appellavit, conſortemque ſibi delegit Imperii; quæ res maximam ei apud omnis generis homines tum dignitatem tum auctoritatem comparavit. Stabilitum enim ſuis poſteris non ſolum *Francorum* regnum, ſed etiam Imperatorium nomen ſumma concordia videbatur.

Mors Caroli. Haud multo (poſt tempore cum venatum conſvetudine ſua haud procul a regia *Aqvisgrani* eſſet profectus, domum redit cum febre. Hanc abſtinentia, ut conſveverat, ſuperari poſſe confidens, cum lateris etiam acceſsiſſet dolor, morbis ſimul & ſenectute confectus, vita excesſit, ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſecundo & Chriſtianæ ſalutis qvindecimo ſupra octingenteſimum anno, v. Kl. Febr. Ejus deinde corpus in Baſilica *Aqvisgrani*, qvam ille in vita tantopere coluerat, ſolenni funere ſepultum tradunt, arcumque auratum egregieque fabrefactum ſupra monumentum ejus locatum, in quo imago illius cum tali epigrammate pingebatur: *y*) CAROLI MAGNI CHRISTIANISSIMI IMPERATORIS ROMANORUM CORPUS SUB HOC SEPULCRO CONDITUM JACET. HIC FRANCORUM REGNUM SEPTEM SUPRA QVADRAGINTA ANNOS SUMMA MODERATIONE AC JUSTICIA ADMINISTRAVIT, IDEM BELLI PACISQUE ARTIBUS MAGNOPERE AUCTUM POSTERIS SUIS RELIQVIT.

Epitaphium.

Prodigia. Paulo ante obitum ejus multa prodigia viſa dicuntur. Nam & porticum, qvæ erat inter baſilicam & regiam mirabili ſumptu confecta, corruiſſe, & pontem ad *Magonciam* incendio conflagraſſe, & auream z) pillam, qvæ in culmine religioſiſſimi templi locata erat, fulgure tactam & dejectam tradunt.

Teſtamentum. Tribus annis anteqvam e vita migraret, teſtamentum condidit, qvo pecunia, veſtes, vaſa aurea argenteaque, multamque pretioſam ſupellectilem triplici portione diuiſam legavit duas partes uni & XX. ciuitatibus regni, qvas metropolitanas appellant Græci, ac earum Epiſcopis dari juſſit, ut illis in reficiendis Eccleſiis & pauperibus adjuvandis pro arbitrio uterentur; tertiam vero partem, uniuscujusqve ratione habita, filiis, filiabus nepotibusqve, tum ſervis & ancillis reliqvit. Erant inter cæteros theſauros ſuos tres argenteæ menſæ, ac una aurea præcipuæ magnitudinis. Illarum trium unam, qvæ Conſtantinopolitanæ urbis ſimilitudinem referebat, ad ornandum celeberrimum B. Petri templum *Romam* miſit; aliam, in qva forma urbis *Romæ* peregregie ſculpta erat, Ravennati baſilicæ dono dedit; tertiam vero, quæ totius orbis deſcriptionem continebat, & auream illam, qvam in ordine qvartam numeravimus, filiis ſuis reliqvit. Hæc *Carolus* ſumma diligentia, ratione atque conſilio, cum multi Epiſcopi multique Principes regni adeſſent, conſtituit. Qvæ omnia *Lodovicus* ejus filius ac ſucceſſor ex *aa*) commentario poſt *Caroli* mortem diligentiſime ſanctiſſimeque ſeruauit.

Caroli Magni vita explicit feliciter.

y) Paulo aliter titulum Epitaphii exhibet *Eginhardus* c. 31.
z) *Eginhardus* c. 32. vocat *malum aureum, qvo tecti culmen erat ornatum.*
aa) Qvem vide ap. *Eginh.* c. 33.

XII.

LEGENDA

PATRONI GERMANIÆ SANCTI BONIFACII,

LIBRIS II,

QVORVM POSTREMO SIGILLATIM THVRINGICA CONTINENTVR.

ACCESSIT

LEGENDA BONIFACII VERNACVLA AB ILLA SVBINDE DIVERSA ET SOLAM FERE THVRINGIAM CONCERNENS.

E

MSto VETVSTO *JOH. WILHELMI NEUMEYERI* a *RAMSLA.*

Liber I.

CAPUT I.

Qvomodo Patriam reliqvit.

TEmporibus Leonis IV. Imperatoris, anno ejus primo, *S. Bonifacius*, prius dictus *Winfrid*: relicta patria, humanoque favore, cum duobus fratribus, ex Abbatis sui licentia, ad locum, qvi antiqvo Anglorum & Saxonum vocabulo appellatur *Lundenwick*: deponitur ad *Dorstet*, ubi aliqvantulum commorans, Deo laudes die noctuque persolvit.

Sed cum per idem tempus hostilis dissensio exorta inter *Karolum* primum, glorioſum Principem Francorum, & *Radbodum* Regem *Fresonum*, cujus imperio maxima pars ecclesiarum Dei idolorum culturæ reddebatur, ideoque vir Dei ex illius partibus discessit, & per *Utrech*, ibique aliqvantis commorans diebus advenientem Regem *Radbodum* allocutus est, obsecratus, ut a tanta jam pravitate qviesceret. Posthæc peragratis illius terræ partibus, exploravit, an alicubi in ea prædicationis sibi pateret locus. Cumque intelligeret, se frustra prædicando ibidem laboraturum, ad natale solum transmigravit.

CAPUT II.

S. Bonifacius Abbatiam suscipere deprecatur.

INterea accidit, ut monasterii sui pater diem clauserit extremum. Omnes ipsum deprecabantur, ut pastoralem super eos suscipere curam non dedignaretur.

At ille humiliter renuens, dicit: Se peregrinare pro Christi nomine velle. Qvi, cum omni karitate & licentia fratrum, vota sua obtinuit. Adiit etiam ipsius loci Episcopum, nomine *Danielem*, petens ab eo literas commendatitias, cum qvibus *Romam* usque perveniens, vota sua obtinuit.

CAPUT III.

S. Bonifacius Romam venit.

COllecta etiam undique modica multitudine servorum Dei, eodem spiritu fervente. Cum qvibus idem venerabilis *Bonifacius* præsulem Romanum adiit, nomine *Gregorium*, ejus nominis secundum, & adventus sui causam manifestavit: Qvi dans ei autoritatem infidelibus prædicandi *Germaniæ* populis, prout patet ex epistola, cujus exordium:

Gregorius Servus Servorum Dei, Bonifacio religioso presbytero. Cujus finis:

Data Idus Maji, imperante Domino piissimo Augusto, *Leone* a Deo coronato, anno tertio Imperii ejus, indictione secunda.

CAPUT IV.

S. Bonifacius ad infideles se divertit.

HIs igitur acceptis literis a Papa, profectus est inde ad *Longobardorum* Regem *Luitbrandum*, a qvo honorifice susceptus, aliqvandiu cum eo est hospitatus.

Profectus vero exinde, incognitos *Bajoariorum* & *Germaniæ* terminos perlustrans, in *Turingiam* devenit, & inibi aliqvot dies commorans, omnes principes illius provinciæ verbis spiritualibus alloqvens, ad sacræ fidei agnitionem incitavit. Sed & sacerdotes, qvos variis deditos erroribus comperit, sermonibus Evangelicis admonens, ad institutionis Canonicæ normam correxit.

CAPUT V.

S. Bonifacius in Fresiam venit.

INterea vero audita *Radbodi Fresonum* Regis morte, qvi persecutionem magnam per idem tempus in Christianos exercuit, magno repletus gaudio in *Fresiam* navigando devenit. Ubi *Willibrodum Trajectensis* ecclesiæ præsulem invenit, cui per triennium inseparabiliter adhæsit prædicando, fanos destruendo, ecclesias construendo, in omnibus negotiis divinis ejus cooperando.

CAPUT VI.

S. Bonifacius Ammanaborg versus venit.

EXinde profectus, ad locum, qui dicitur *Amanaborg* pervenit, cui gemini præerant Germani, *Dietrich* & *Dierolff*, Domino auxiliante;

auxiliante, collecta fratrum congregatione, monasterium ibidem construxit.

CAPUT VII.

Hassos visitavit. Legatum Apostolico mittit.

DEinde adiit *Hassones*, videlicet in *Saxonum* confinio positos. Quos cum similiter, ut *Fresones*, a paganicæ superstitionis cultu, magna ex parte converteret, multaque millia hominum baptismatis sacramento abluisset, qvendam ex suis fidelibus nomine *Binam* ad *Romam* literis dirigens, præsuli Apostolico universa, qvæ circa illum divina pietas egerit, innotuit. Qvi cuncta sibi commissa fideliter complens, qvantocyus cum Apostolicis literis rediit.

CAPUT VIII.

Bonifacius ex jussu Romanum Pontificem adiit.

CUm autem Vir Sanctus delatas sibi apostolicas legisset literas, leque inter cætera invitatum ad sanctam sedem apostolicam intelligens, mox obediens, *Italiæ* fines adiit, *Romamqve* intrans ad Papam se ultra adire disponens. Qvo comperto S. Viri adventu, statim Papa *Gregorius* illum ad se invitavit, illumque de symbolo fideique catholicæ jurisdictione inqvisivit. Ad hæc Vir Dei, ut scripto responderet, impetravit, qvod & obtinuit. Responso coram summo Pontifice prælecto, eundem venerabilem *Bonifacium* juxta se considere fecit; & ut hujusmodi fidem constanter retineret, diligenter edoceret, apostolicus admonit, & ut episcopatus gradum assumeret, coëgit.

CAPUT IX.

S. Bonifacius in Episcopum consecratur: Nomen Bonifacius ei imponitur.

AT vir Dei cavens, qvod scriptum in Libro Psalmorum est: Noluit benedictionem & elongabitur ab eo benedictio gratiæ: non recusavit. Adveniente igitur ordinationis suæ die, quæ erat pridie Kalendarum Decembris, hoc est, in natali S. Andreæ Apostoli, imposuit ei Papa Episcopatus ordinem & alterius nominis, qvod est *Bonifacius*. Deinde fide juratoria ab eo accepta, eum cum literis apostolicis & commendatitiis remisit ad *Karolum I.* & cæteros Episcopos, presbyteros, castaldos, comites, & ad cunctos Christianos *Germaniæ* populos.

CAPUT X.

Juramentum a S. Bonifacio Papæ præstitum.

INitium Juramenti: *In nomine Domini Dei, Salvatoris nostri Jesu Christi, imperante Dno Leone M. Imperatore, An. VII, post Consulatum ejus, sed & Constantini M. Imp. ejus filii anno qvarto, indictione sexta, Promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus, tibi Beato Petro Apostolorum Principi, Vicarioque Tuo, Beato Gregorio Papæ, & successoribus ejus, per Patrem & filium, & Spiritum S. Trinitatem inseparabilem, & hoc sacratissimum corpus Tuum, me omnem fidem & puritatem sanctæ fidei catholicæ exhibere, & in unitate ejusdem fidei, Deo operante, persistere, in qvo omnium Christianorum salus sine dubio esse comprobatur, nullo modo contra unitatem communis & universalis Ecclesiæ suadente qvopiam eonsentire, sed, ut dixi, fidem & puritatem meam atque concursum tibi & utilitatibus tuæ Ecclesiæ, cui a Domino Deo potestas ligandi solvendique data est, & prædicto Vicario Tuo atque successoribus ejus, per omnia exhibere &c.* a)

a) Qvæ hic desunt, extant apud Serarium *Rerum Mogunt. Lib. III. c. 9.*

CAPUT XI.

Papa literas Thuringis mittit.

ITem duas epistolas principibus in *Germania* constitutis Dominus Apostolicus misit. Item duas specialiter *Thuringis*. Qvarum prioribus his exordiebatur verbis:

Viris Magnificis, Asolfo, Godolao, Wilario, Gunthario, Alboldo, & omnibus Deo dilectis Thuringis fidelibus Christianis Gregorius Papa &c.

Datum circa annum Dni 724.

Item unam perpulchram ex verbis Apostoli consitam, scripsit ad *Alt-Saxones*. Cum his omnibus rediit *Bonifacius* ad *Karolum*, primum dictum *Marcellinum*, avum *Karoli M.* cum omnibus se ei dans & subigens, cumque ejus consensu ad *Hessones* divertit, ubi multos, qvi fidem Christi acceperunt, & jam terga verterunt, inveniens, & inter cætera in loco jam dicto: *Geißmere*: magnam arborem JOVIS dictam, succidere cum suis volens, ingens multitudo paganorum adveniens, in sanctum virum irruere volens, tanqvam inimicum Deorum suorum. Sed cum arbor eadem paululum incideretur, mox qvali divino nutu agitata, in qvatuor dirupta est partes, Qvo viso pagani, qvi illuc mente perversa convenerant, abjicientes omnem malitiam, Deumque benedicentes crediderunt.

Tunc Sanctus Præsul, consilio inito cum suis, ex illa ingenti arboris mole oratorium construxit. Hoc qvoqve in honorem S. Petri Apostoli dedicatum reliqvit, atqve ad *Thuringos* profectus est; illiusque populi Principes magna ex parte a Christiana religione deficientes, corrigere studuit. Postqvam enim religiosorum Dominorum dominatio in eis cessavit, cessare etiam Christianæ religionis intentio cœpit, falsique qvidam Christiani, qvorum nomina sunt: *Dorthwin & Berthere* b) *Anbreth & Hunbreth* b) inter eos hospitantes maximam hæreticæ pravitatis introduxerunt sectam. Qvi scilicet fornicatores & adulteri, cum validissimum adversus Dei hominem excitarent conflictum, veris verorum oppositionibus confutati digna recompensatione

b) Derthovinus, Bertherus, Anobertus & Hunobertus Germani Episcopi, traditionibus humanis & superstitiosis ceremoniis, quibus facies Ecclesiæ deformabatur, acriter restitisse, & ideo immerito a Bonifacio episcopatibus suis remoti putantur, ab autoribus *Hist. Eccles. Magdeb. & in Epit. Puppiana hist. Eccles. f. 225.*

sortiti

sortiti sunt sententiam. Nam excommunicati & expulsi sunt de Ecclesia Dei.

CAPUT XII.

Monasterium in Obrdroff a S. Bonifacio construitur in honorem Sancti Michaëlis.

CUm autem prædicationis fama undique emanaret, credentiumque multitudo excrevisset, ecclesiæ instaurantur, monasteria ædificantur.

Tunc ex congregata Servorum Dei multitudine, constructum est monasterium in loco, qvi dicitur *Obrdroff*, sub honore S. Michaëlis Archangeli. Qvi scilicet omnes apostolico more viventes, labore proprio victum vestitumque acqvisierunt. Cur autem in honore S. Michaëlis constructum fuerit, breviter dicendum erit. Nam *S. Bonifacius* cum prædicando & baptizando *Thuringos* transiret, & prope fluvium, cui nomen est *Oraba*, tentoriis fixis pernoctaret, per totam noctem lux magna de cœlo sese protendens, locum, ubi manebat Episcopus, circumdedit. In qua luce S. Michaël Archangelus adveniens Episcopo apparuit, eumque alloqvens in Domino confortavit. Mane itaque facto, laudans & benedicens Deum, ibi Missarum solennia celebravit. Deinde in eodem loco prandium sibi parari præcipiens, sed a ministro suo audiens, cibum qvo vesci posset, se non habere, respondit: Nonne, qvi multitudinem populi in deserto qvadraginta annis, Manna de cœlo misso, potuit pascere, mihi indigno servulo suo non prævalet ad unius diei refectionem escam impendere. Hæc cum dixisset, mensam sibi apponi præcepit. Interea vero qvidam avis advolans, piscem talem, qvi ad illius diei refectionem sufficeret, attulit, & ante mensam projecit. Qvo viso, Sanctus Præsul Deo gratias retulit, piscemque allatum cito præparari jussit. Illo vero præparato & commesto, reliqvias in fluvium projici præcepit.

Exinde cœptum carpens iter, & *Thuringiam* peragrans, diligenter investigavit, cujus ille locus esset, ubi visio tanta sibi apparuit. Compertoque, qvod *Hugo*, qvi dicebatur senior, illius loci possessor *c*) esset, petiit ab eo, ut sibi dare dignaretur. At ille petita annuens, primus omnium *Thuringorum*, hæreditatem suam tradidit Venerando Præsidi.

Deinde vero *Albold* aliique plures, contigua prædicto loco præsidia tradiderunt. His igitur adeptis, S. Bonifacius rediens in eodem loco fruteta extirpari, & ecclesiam construi fecit *d*)

c) Habitans ibidem sub Comitibus Kesernbergicis, ut addit Binhard. *L. I. Chron. Thur. f. 38.* P. Albinus *Chron. Misn. tit. XI. p. 140.* Nobilem eum fuisse scribit, vel & Comitem ipsum Kesernbergicum.

d) Hæc Ecclesia etiamnum Parochiæ vicem Ordruffi subit, & vocatur *die Pfarr zu St. Michael* in literis conventionis Joachimi Abbatis Hersfeldensis, cum Friderico Wilhelmo Duce Saxoniæ 24. Maji Anno 1594. de feudo Comitum Glichensium Ordruffienli & Wechmariensi.

Hæc scripta sunt, ut agnita causa, unde monasterium prædictum constructum fuit, & ipse locus & fundatio ejus angelica visitatione digni & majori veneratione haberentur.

CAPUT XIII.

S. Bonifacius prædicantes in diversas terrarum partes mittit.

PRædicans & baptizans S. *Bonifacius* in *Thuringià & Hessonum* regionibus prospexit, messem quidem esse multam, sed operarios paucos ad copiosam multitudinem credentium instruendam. Unde in patriam provinciamque suam mittens, exinde tam fœminas, qvam Viros religiosos, scientiaque varia imbutos plures venire fecit. Inter qvos erant præcipui Viri *e*)

e) Chytræus in *Metropoleos* suæ, sive successionis Episcoporum in Ecclesiis Saxoniæ, *proœmio* post *Chron. Saxon. fol. 943.*

Burckhardus & Lullus, *Willibold & Winibold*, frater ejus *Wita & Gregorius*. Fœminæ vero religiosæ matertera *S. Lulli*, nomine *Chunila*, & filia ejus *Berthgith*, valde eruditæ in liberali scientia, in *Thuringorum* regione constituebantur magistræ.

Kunitrud in Bajoariam destinata est, ut ibi divini semina ibi spargeret. *Teclam* vero juxta fluvium Mayn in loco *Kintzinga & Ochsenfurth* nuncupato collocavit. *Liebam* quoque ad *Bischofesheim*, ut illius multitudini virginum congregatæ præesset, constituit.

CAPUT XIV.

Legatos ad Gregorium III. mittit. Archiepiscopale pallium suscipit. Ecclesiam in Friszlar *& Amanaborg constituit.*

CUmque multa millia hominum tam per se, qvam per suos provinciales ad fidem sacram perducta baptismatis unda diluisset, jam defuncto *Gregorio II.* Sedis Apostolicæ præsule, & *Gregorio III.* eandem sedem obtinente, iterum milit Legatos, qui apud prædictum Præsulem prioris amicitiæ fœdera renovantes, omnes familiaritatis gratias, quas ab antecessore suo habuisset, expeterent. At Papa *Gregorius III.* non tantum priorem amicitiam, verum etiam, quod minime petiit, hoc est, archiepiscopale pallium direxit. Epistolam qvoque contmentem varia ac diversa præsuli suo remisit.

Qvibus perlectis lætissimum efficium *S. Bonifacium*. Unde Deo gratias agens, duas mox ecclesias construxit. Unam qvidem in *Friedeslar*, qvam in honorem S. Petri Apostoli consecravit. Alteram vero in *Amanberg* quam in honore S. Michaëlis Archangeli dedicavit. Duo quoque monasteria duabus subjunxit ecclesiis, ubi hucusque laudis & servitutis divinæ officia peraguntur.

CAPUT XV.

S. Bonifacius ad Bajoariam properat. Romam tertio venit, ad diversa loca Episcopos ordinat.

HInc tendens ad *Bajoariam*, cui Dux *Hugbertus* præerat, & schismaticum qvendam nomine *Ernwolffum* damnavit. Quo peracto

acto rediit ad diœceſſin ſuam, circumiens & inſtaurans, quæ cura poposcit eccleſiarum.

Eo etiam tempore *Romam* ire decrevit, ubi ab Apoſtolico benigne ſuſceptus, per aliquot tempus ibidem commorans. Qui muneribus & reliquiis Sanctorum ditatus, ab eodem Apoſtolico remeare decrevit. Adhuc etiam epiſtolas quasdam Epiſcopis & Abbatibus, atque Principibus civitatibus in *Germania* conſtitutis, transmittendas, dotatus benedictionis munere abſceſſit.

Qvi per *Bajoariam* usque perveniens, cernensque fallaciam aliquorum ſacerdotum aliter prohiberi non poſſe, tandem provinciam *Bajoariæ Utlane* Duce conſentiente, in quatuor diviſit parochias, tresque magnarum virtutum viros eis prætulit, quos & Epiſcopos conſecravit. Quorum primus nomine *Johannes* in oppido, quod dicitur *Saltzburg*, cathedram Epiſcopalem ſuſcepit. Secundus *Erinbertus* in *Friſingenſi* Eccleſia regnum pontificale ſubiit. Tertius *Gobolt* in *Ratisbonenſi* civitate, qvæ metropolis *Bajoariæ* eſt, pontifex conſtituitur. *Vivilus* vero a Præſule Apoſtolico jam ordinatus, *Patavienſi* Eccleſiæ prælatus eſt. Sed ejus Parochia, quæ quarta erat, ſicut cæteræ, a *S. Bonifacio* dividebatur.

His ergo Pontificibus conſtitutis, & quæcunque tunc corigenda erant in *Bajoaria*, correctis, ad proprias rediit Eccleſias, eaque ſingula literis præſuli Apoſtolico denunciavit. At præſul geſta ejus laudans, remiſit ſibi ſcripta, quarum data:

iiij. Kl. Novemb. Imperante Domino piiſſimo Auguſto, Leone, Imperii ejus anno XXIII. Sed & Conſtantini, ejus filii anno XX. Indictione VIII. Idem Leo cœpit An. Dni DCCXVIII. regnavit annis XXIIII.

CAPUT XVI.

Synodalis Conventus per S. Bonifacium conſtituitur.

PEr idem tempus, *Karolo* Duce glorioſo, temporalis vitæ curſum conſummante, filii ejus *Karolomannus* & *Pipinus* in Patris ſucceſſerunt imperium. Sed quod ad nutum *Karlomanni*, qui majore ætate erat, paterni regni jura diſponebantur. Hunc S. *Bonifacius* adiens, præſulisque Apoſtolici ſcripta deferens poposcit, ut Chriſtianæ religionis culturam, quam pater ejus promtiſſimo animo cœpit, & excoluit, ipſe quoque, pro Dei amore, ſuique regni ſtabilitate eodem animo excoleret. His ille precibus, quaſi divino affatu compunctus, omnes ſub imperio ſuo tam Laicos quam Clericos ad viam juſtitiæ recuperare ſtuduit, mediante Synodali conventu, cujus tenor ita incipit:

In nomine Dni noſtri Jeſu Chriſti Ego Karlomannus Dux & Princeps Francorum Anno ab incarnatione Domini DCC. XLII. Kl. Maji, cum conſilio ſervorum Dei & optimatum meorum, Epiſcopos, qui in regno meo ſunt, cum presbyteris ad conſilium & Synodum pro Chriſti timore congregavi. Id eſt Bonifacium *Archiepiſcopum*, Burckhardum & Reinfridum, Wintanum & Wilibaldum, Dadanum & Addanum *cum Patre eorum, ut mihi conſilium darent, quomodo Lex Dei & Chriſtiana religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum principum diſſipata corruit, & quomodo populus Chriſtianus ad ſalutem animæ pervenire poſſit, qui per falſos ſacerdotes hucusque deceptus eſt. Ita per conſilium religioſorum virorum, ſacerdotum & optimatum meorum, ordinavimus per civitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, qui eſt Miſſus S. Petri. Statuimus quoque per annos ſingulos Synodum congregari, ut nobis præſentibus canonum Decreta & Eccleſiæ jura reſtaurentur, & religio Chriſtiana emendetur.*

CAPUT XVII.

S. Bonifacius Eccleſiæ Moguntinenſi præficitur.

IN ipſa Synodo depoſitus eſt *Gewilius* Epiſcopus Moguntin. ob homicidium per ipſum perpetratum, mortem ſui patris vindicantem. Quo depoſito ſtatim *S. Bonifacius* a ſupradictis Principibus, *Karolomanno* & *Pipino*, fratre ejus, Eccleſiæ *Moguntinenſi* præficitur. Et ut ejus dignitas eminentior foret, decreverunt iidem Principes, eccleſiam prædictam, quæ prius alteri ſubjecta erat, metropolim omnium in *Germania* poſitarum Eccleſiarum efficere. Moxque legatione facta, illud a præſule Apoſtolico impetravere.

Tali ergo autoritate ſuffultus *S. Bonifacius*, *Wiliboldum* & *Burckhardum* Epiſcopos conſtituit. Priorem *Eiſtadenſem*, alium *Wurtzburgenſem*. *Gregorium* Uſtrecht epiſcopali ordine conſecratum direxit. *Lullum* autem in *Moguntia*, ipſe adhuc vivens, ſibi ſubrogavit Epiſcopum.

Interea *Gregorius III.* ſoluto carnis debito, obit, cui *Zacharias* Papa ſubrogatur, cui epiſtolam longam ſcripſit, in qua confirmari epiſcopatus *Wurtzburgenſem*, *Burckburgenſem* & *Erpheſiurdenſem* petit. Quæ *Erphesfurt* fuit olim urbs paganorum. Cui idem *Zacharias* in hanc, quæ ſequitur, ſeriem reſcripſit.

CAPUT XVIII.

Zachariæ Papæ literæ ad S. Bonifacium.

REverentiſſimo & Sanctiſſimo Fratri Bonifacio *Epiſcopo* Zacharias *Servus Servorum Dei.*

Suſceptis ſanctiſſimæ Fraternitatis Tuæ literis per Denehardum *presbyterum tuum, quod te ſoſpitem, ut ſemper cupimus eſſe, cognovimus, omnipotenti & miſericordiſſimo Deo noſtro magnas retulimus grates, qui tibi in omnibus bonis proſperare dignetur. Magnam enim cordibus noſtris infundis lætitiam, quotiens ſanctitatis tuæ ſcripta mittuntur, quoniam reperimus, quæ ad ſalutem animarum reſpiciunt, cum quotidie in gremio ſanctæ matris Eccleſiæ per tuam prædicationem novi populi addantur, ubi & tres epiſcopos per loca ſingula, ſecundum ſeriem Syllabarum tuarum*

te

te ordinasse cognovimus, qui eidem populo, quoniam sibi Dominus Deus noster per tuam sanctitatem aggregare dignatus est, præesse debeant, & petisti, ut per autoritatem sedis nostræ iidem Episcopales sedes firmentur. Sed tua sancta fraternitas pertractet mature, & subtili consideratione discernat, si expedit, aut si loca, aut populorum turbæ talia esse probantur, ut Episcopos habere mereantur. Meministi enim, charissime, quod in sacris canonibus præcipuum observare, ut minime in villis aut modicis civitatibus episcopos ordinemus, ne vilescat nomen Episcopi. *Sed nos tuis sincerissimis atque dilectis syllabis provocati, quæ popposcisti, absque mora concedimus & statuimus per apostolicam autoritatem, episcopales illic sedes esse, & per successionem Episcopos tenere, qui populis præsint, atque unum prædicationis subjectum insinuent.*

Unam quidem in castello, quod dicitur Würtzburg. Et alteram in oppido, quod nominatur Burckburg. Tertiam vero in loco, qui dicitur Erphesfurth. Ita ut nulli penitus liceat ea, quæ a nobis sancita sunt, violare, & autoritate beati Petri firma esse decrevimus.

Data Kl. Aprilis. Imperante Dno piissimo augusto Constantino. Anno Imperii ejus XXIII. Indictione XI.

CAPUT XIX.

Confirmatio sedis Archiepiscop. Ecclesiæ Mogunt.

Zacharias Papa, Bonifacio Episcopo S. Ecclesiæ Mogunt. perpetuam salutem.

Et infra.

At ubi Deus prædicationem tuam auxit, obtinere voluisti, ut tibi episcopalem Ecclesiam, vel successoribus tuis confirmare debeamus, maxime filiorum nostrorum Francorum petione. Et ideirco autoritate Beati Petri Apostoli sancimus, ut supradicta Ecclesia Moguntina *perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in metropolim sit confirmata. Habens sub se has civitates: Id est:* Tungris. Coloniam. Wormaciam. Spiraciam & Trectis & *omnes* Germaniæ *gentes, quas tua fraternitas per tuam prædicationem Christi lumen agnoscere fecit. His a nobis definitis, per hujus nostræ confirmationis paginam, in tua Ecclesia, perpetuis temporibus pro sui confirmatione hæc mandamus conservari.*

Datæ pridie Nonas Novembr. Imperante Dno Augusto Constantino anno XXXII. Imperii ejus. Indictione V^ta.

Liber II.

CAPUT I.

Qualiter S. Bonifacius Thuringiam *ad fidem convertit.*

EO tempore, quo *S. Bonifacius* se cum omnibus suis *Karolo* primo subjecit, ut supra memoravimus, cum suis *Thuringiæ* fines adiit, intendens, hujusmodi populum Deo acquirere. Qui populus duræ cervicis, ad locum volutabrum & lutosum, prope fluvium *Unstrod*, ad collem dictum *die Treteborg*: cui jam adjacet villa satis populosa, dicta *Gebesen*, se dedit, volens in eodem colle & loco se defendere, quoniam nec villæ nec civitates, tunc temporis in *Thuringia* erant; ad quas diverterat.

CAPUT XX.

Monasterium Fuldense privilegiatur.

EOdem anno & die datæ sunt literæ privilegiorum & exemtionis Monasterii *Fuldensis* per eundem.

Item *Karolomannus* Rex dedit locum ad ædificandum illud monasterium per S. *Bonifacium*, tendentem ab Oriente in Occidentem, & a septentrione usque ad Meridiem. Marcham per tria millia passuum. Hac itaque traditione facta, misit etiam nuntios, qui omnes nobiles in regione *Grapfeld* habitantes, congregarent, eosque suppliciter rogarent, ut omnis, qui intra Marcham suam nominatam aliquid proprietatis haberet, faceret, quod & princeps fecisset. Tradens videlicet in oblationem dicti monasterii a S. *Bonifacio* construendi. Cumque a nuntiis prælignati omnes fuissent congregati, petitionemque principis cognovissent, mox cum Dni devotione, quicquid proprietatis ibidem habuerunt, Deo sanctoque *Bonifacio*, nec non & Abbati Venerando *Sturio* possidendum tradiderunt.

At *Karolomannus* kartam suæ traditionis fecit scribi, quam & ipse sigillo proprio firmare studuit. *f*)

f) Extant traditionum literæ in Joh. Pistorii Germ. rerum Scriptoribus sub titulo: *Germanicar. antiquit. Thesaurus, sive Traditionum Fuldensium libri III. Auctiores vero dedit Clar.* Schannat, *qui & aliis scriptis de Fuldensi Eccles. egregie meretur.*

CAPUT XXI.

Rex Carolomannus monasterium ingreditur. Succedit ei Pipinus. Monasterium Fuldense fundatur.

POst hæc relinquens ampla terrenæ potestatis regna, & ad Casinum montem, in quo tunc arctissima monasticæ vitæ disciplina habebatur, veniens, monachus ibidem efficitur. *Pipino* fratri suo committens munia regni.

Hic itaque *Pipinus*, accepta paternæ & fraternæ potestatis monarchia, qui tunc Major domus dicebatur, eandem devotionem, eandemque solicitudinem, quam pater & frater excoluerunt, tam in divinis, quam in secularibus negotiis, secutus per omnia *S. Bonifacii* consilia.

Iste *Pipinus* memoratus pater *Karoli M.* fuit.

Anno primo Constantini VI. filii Leonis, Domini vero DCC. XLII. *Bonifacius* Archiepiscopus Moguntinensis cœnobium *Fuldense* in *Buconia sylva* fundavit.

Bonifacius vero, ut erat vir sagax & prudens, convocavit *Thuringos*, qui missis sanioribus ad audiendum Episcopum, qui eis viam salutis proponens, per quam a malis hic & in futurum liberari, nec non a pressura corporis & animæ protegi & eripi possent, Episcopo S. *Bonifacio* proposuerunt: Si eos a tyrannide & decimis Regis *Ungariæ* liberare possent pro tunc, credere vellent in Crucifixum.

Sin autem, paternas leges cuique derelinquere intenderet. Et hoc cum minime latere vellent.

Habito responso, Episcopus, cum suis hæsitans, præ oculis intentionem populi duræ cervicis, nec non potestatem permaximam Regis *Ungariæ* habens. Responsumque est Episcopo per suos, ut *Thuringis* diem responsionis assignaret, & interim, quid faciendum foret, mature deliberaret.

CAPUT II.

S. Bonifacius, divinum Oraculum suscipit.

STante vero nocte, quædam vox divinitus ad eum venit terribiliter intonans:

Bonifaci, Bonifaci, modicæ fidei; Quare B dubitasti? Nunquid legisti: Et occidit Reges fortes? Si tu dubitas, populus nondum electus quid facere debet? Ego sum via, veritas & vita. In manu mea justitia & judicium. Credens in me defendere debes ab omnium iniqua exactione & tyrannide, servitute. Quia precio sanguinis mei redemi eos, nec volo, ut ultra homo diabolica redigatur servitute. Ob id absolve Thuringos a decimis & tyrannide, potestate Regis Ungariæ. Et illud cum veritate judicium sit: Non es recessurus ab eis, nisi videris Dei virtutem & fortitudinem.

De hac apparitione habes supra, ubi Archangelus Michaël in loco *Ordruff* ei apparuit. C

CAPUT III.

S. Bonifacius Thuringos baptizat.

S. *Bonifacius* repletus gaudio, attamen cum magno tremore expectans judicium Dei, *Thuringos* ad se vocavit, eos a decimis absolvit, nec non & in timore & fide Christi instruxit atque baptizavit, exhortansque, ut susceptam fidem verbo & opere servarent, quousque judicii Dei, quod in foribus existeret, viderent finem, intimans, se ab eis non recessurum, nisi prius viderent virtutem altissimi.

CAPUT IV.

Rex Ungariæ Thuringiam intrat.

T*Huringi* de specificatione corporalis præsentiæ Episcopi optime contenti, per omnia suis salutaribus monitis obtemperantes, die noctuque Domino servientes, quodque Regem *Ungariæ* minime latebat, dolum & arma parat, ut populum ab eo aversum vi recuperaret: *Thuringiam* cum infidelibus suis intrat, maxima in multitudine. Quod videns Episcopus, procidit in faciem, oculos cum manibus fiducialiter ad cœlum levans:

Tu DOMINE, de quo dictum est, Et occidit Reges fortes: adesto hodie. Juva gregem tuum pusillanimem, in numero, erga populum alterum, inæqualem.

His dictis surgens animose, arma cum suis accipiens. At *Thuringos* in fide & spe Christi confortans, Judicium Dei jam adesse designans, & ut viriliter pro fide Christi certarent, animavit, eosque signo S. Crucis muniens, ad locum congressionis, qui dicitur vulgariter: *Auf der Bahre*: properavit. Locus lutosus & volutaber circa fluvium *Unstrod* dictum, ubi jam *Neilstedt*, curia Dominorum Ordinis Teutonicorum situata permanet in hodiernum diem. Ibi *S. Bonifacius* cum suis in ripa fluminis jam dicti expectans. *Ungari*, velut rabidi canes, non considerantes locum lutosum, nec fluvium adesse, impetuose tam equestri, quam pedestri, populum Dei aggredientes, ita se invicem coarctarunt, ut primi ab imis compulsi, se ipsos in flumen præcipitarent. At populus Dei animose contra inimicos bellavit, ita ut in fararium, vulgarirer *auff dem Riet* in occisorum & mortuorum cruore usque ad calcaria graderetur, & dictus fluvius per triduum indesinenter occisorum cruore permixtus defluret. A

Duo etiam armiductores de optimis S. *Bonifacii* necati propter fidem Christi, extra fararium. Ubi in hodiernum diem duæ cruces lapideæ stant, in signum competentis altitudinis.

Attamen populus Dei triumphavit cum gaudio.

His visis, *Thuringi* virtutem videlicet & fortitudinem Dei, crediderunt perite, & qui nondum sacrum baptisma receperunt, baptizabantur perite, & confirmationis sacramentum acceperunt.

His rite peractis, *Bonifacius* ad partes *Rheni* repedavit, sanctissimoque urbis Romanæ præsuli denuntians, quæ & quanta divina pietas apud eum operata fuerit. *Thuringi* quoque Episcopum rogaverunt, ut causam eorum fideliter apud Sanctissimum promoveret, nec non apud *Karolum* Regem *Franciæ*. Ex quo Imperator *Leo* erga Romanam Ecclesiam jam perverse se habuit, ut latius sequitur.

CAPUT V.

Tempus Leonis Imperat. IV.

LEo quartus hujus nominis Imperator, Syrus, regnare cœpit anno Domini DCC. XVIII. Imperavit annis XXIV. D

CAPUT VI.

Gregorius III. eligitur.

HUjus anno XIV, *Gregorius III.* eligitur in Papam. Sedit annis X. mensibus VIII. diebus XXIII. Hic *Gregorius* fecit cedere totam *Italiam* a potestate *Leonis IV.* Augusti, hereliarchæ.

CAPUT VII.

Synodus Romæ celebratur.

OB depositionem, magnam Synodum Ecclesiæ, pene mille Episcoporum celebrando, venerationem sanctorum imaginum con-

confirmat. Hic, &c. cum *Roma* obsideretur a *Luitbrando Lombardorum* Rege, misit navigio ad *Karolum Marcellum*, patrem *Pipini*, claves confessionis S. Petri, rogans, ut Romanam Ecclesiam a *Lombardis* liberaret.

Est ergo advertendum, quod non solum ad *Karolum Magnum* Romana Ecclesia refugii præsidium habuit, immo & *Karolum Marcellum*.

CAPUT VIII.

Ortus Landgraphiorum Thuringiæ. g)

g) Hanc partem jam edidit notisque hinc inde illustravit CL. Tenzelius in *Suppl. II. Hist. Goth. p. 344. sqq.* Nos vero nihilominus eandem cum Versione Germanica, quæ hic accedit, collatam & explicationibus Viri alicujus doctissimi auctam inseruimus.

QUi *Karolus* etiam misit *Thuringis* quendam fidelem suum de *Franconia*, ex progenie illorum de *Stouffa*, cum *Thuringorum* nuntio missis litteris congratulans, & in Domino exultans, Præfecto Christianæ religionis mandans, reverenter ut in fide Catholica persisterent, & adventum ejus præstolarent. Qui, cum veniret, sufficiente cum judice eos providere vellet. Quæ providentia postea per *Karolum Magnum* completa est.

Missus autem de *Stouffa*, residentiam suam applicuit ad nemus prope *Friedrichsrode*, vulgariter *das Burgwal* vocatur *die Schauenborg*. Qui quidem missus struxit super petram, quæ domus hodie dicitur *Wartperg* prope civitatem *Isennach*. *Thuringi* denominaverunt missum Comitem *cum barba*. Qui adeo honeste, pacifice ac fideliter & integre se habuit, ita ut a *Thuringis* sæpius ad consilia & eorum ardua negotia vocaretur.

Imperator *Karolus magnus* divertens ex *Italia*, venit in *Alemanniam* ad *Thuringos*, eosque ut judicem inter se eligerent, exhortabatur. Qui inter se concordarunt, quod nullus alter præ alio hujusmodi onus, super proximum judicandi, humanitatis gratia acceptaret, eligentes potius missum dictum Comitem *cum barba*: Petentesque ab Imperatore, ut eos cum jam dicto provideret, & eorum judicem constituere vellet. Qui salutaribus exhortationibus acquiescens, mirabatur supra modum clementiam hujus populi, quod alienum super se regnare eligerent. Quem ita electum confirmavit, & eorum judicem constituit. Eumque *Landgraphium Thuringiæ*, per donationem regii vexilli, uti seculares infeudare apud Cæsarem moris est, infeudavit. Dans ei autoritatem, ut de natis Thuringiæ comitibus, satis vita & moribus ac in bonis temporalibus ditatos, sex eligeret. Qui sex, una cum Landgravio adhuc sex, de optimis & sanioribus terræ eligere debent. Qui duodecim Landgravio jurare debent, de administranda cuique justitia sine dolo. Landgravius vero nemini, nisi solum Regi sive Imperatori jurabit.

Landgraphius una cum suis eligere debent præconem possessionatum, & modestum, quem ante se facere sedere debent, super sedem cussino supposito. Cui ita sedenti præstare *h)* debet in linum suum imaginem crucifixi, & suppositis digitis juret:

h) Tenzelius legit: *debent.*

Commissa seu committenda ei ex officio, fideliter adimplere. Edicta mane, post ortum solis, similiter sero, aut ante vel circa occasum ejus fideliter explere, & neminem de nocte vel in meridie perturbare, aliaque officium suum concernentia. Landgravius cum suis ter in anno debet præsidere.

Terminus primus post Dominicam: Omnis Terra: quæ concurrit post Natalis Christi.

Secundus post Pentecostes, Dominica, qua cantatur: Deus in tua misericordia.

Tertius, Dominica XVIII. post Trinitatis, qua cantatur: Da pacem Domine.

Tribunal cum consensu *Thuringorum* positum est super sarario villæ *Mittelhusen*.

In situatione agrorum villæ *i)* *Elpleben*, prope *Geram*, sunt duo mansi terræ arabilis, quorum possessor struere debet temporibus debitis tribunale illud, cum asseribus a retro, & ambabus lateribus in altitudinem, quod judex cum assessoribus suis possunt videri a capite usque ad scapulas. Introitus versus orientem apertus, clausis tamen cum pessulo vel obice, ne indomiti equestri aut insoliti, vim aut violentiam suam improvise exercere valeant.

i) Tenzelius: *Elxleben.* Nobiscum consentit textus German. qui habet: *Elpfleben.*

Custodiri, hujusmodi introitus debet per eum, cui judicialiter adjudicatum fuerit.

Abbas montis S. Petri *Erfurdiæ*, administrare tenetur dorsalia & tapeta, cum quibus Judex cum suis sedere habet. Propterea data est & assignata sibi villa *Mittelhusen*. Posito & ornato tribunali Landgraphius cum suis assessoribus sive scabinis intrans, sedensque in locum *k)* judicii eminentiorem. Ubi sex ad dexteram & sex ad levam constituet. Ipse vero baculum jurisdictionis album in manu sua dextera gestans, & ut judex sedens, ad sententionandum causas coram eo ventilatas.

k) Tenzel. *judicis.*

Friboto de villa *Kirchheilingen* debet etiam ibidem exercere officium suum, quod habet ex hæreditate & Genealogia. Nostris temporibus 1513. ibidem in *Kirchheilingen* habitant nobiles dicti cognomine *Schorbrände*. Habentes ante tempora militem auratæ militiæ de eorum progenie. An ipse fuerit, aut officium *Friboteriæ* *l)* exercuerit, non constat.

l) Tenzel. *Friboronis.*

CAPUT IX.

Privilegia Thuringorum.

PEracta præsidentia pro quolibet tempore anni debent publicari & publice intimari constitutiones & privilegia data *Thuringis* per Imperatorem, ob id, quod fidem Christianam susceperint.

Primum Privilegium:

Quod inhabitantes *Thuringiam*, in eaque possessionati, una cum inquilinis, imo ad ipsos de longinquis ob negotia venientes, ac cum

cis in vera Christi fide participantes, illi cum omnibus eorum bonis ac mercimoniis debent esse die noctuque in bona & tranquilla Imperatoria pace & custodia.

Secundum:

Nemo debet in armis equitare, nisi legitime ad hoc natus, uti magnates & nobiles galeati. Attamen vero Christiano licet per defensionem gladium portare.

Tertium:

Si quis infidelium ageret intra vel extra territorium, in præjudicium Landgraphii aut *Thuringorum*, cum iniquis pactionibus, ita quod duodecim Scabini judicialiter sententionarent, is debet per provinciam cum equis pertrahi, usque ad locum supplicii, ubi in quatuor partes debet secari, & ad quatuor plagas provinciæ super quatuor rotas exaltari.

Quartum:

Si materiæ novæ *m*) emergerent, ut, in ædificando, novarum nundinarum erectione, aut *n*) monetam cudendo &c. Stat ad judicium dictorum duodecim, *o*) si quid tale foret, quod in dispendium Landgravii, *Thuringorum*, aut communis reip. illud immineret, debent deponere & amovere juxta juramenta eorum.

m) Tenzel. *emergerentur.*
n) Tenzel. *addit: novum.*
o) Tenzelius ita legit: *si quod tale foret quidem in dispendium Lantgr. Thuring. aut. com. reipublicæ, istud imediate debent deponere &c.*

Quintum:

Si quis *Thuringorum* injuriam pateretur, & illam coram suo viciniore Judice conqueratur, aut duobus vel tribus, si eos omnes duodecim ad manum similiter habere non poterint, tunc illi debent quantocyus cæteris intimare, & omnes coram Landgravio querelam exponere, procuratore mediante. Ita, quod actor novis querelis non indigeat, atque cum hoc sententiam reportet.

Sextum & ultimum:

Omnes inhabitantes *Thuringiam*, debent illud provinciale judicium promovere rebus & bonis eorum. Si quis vero contrairet verbo vel facto, ita quod ad aures duodecim supradictorum evolaret evidenti probatione, Ita quod talis egisset contra Landgravium *Thuringiæ*, aut contra illud provinciale Judicium, talis debet sententionari per illos duodecim, & pari pœna plecti. Prout supra in tertio privilegio.

Item si necessitas cogit ad præstandam justitiam, non debent impedire aliqua festa aut feriæ. Et hoc propter pacem & tranquillitatem provinciæ, & omnium inhabitantium terram *Thuringorum.*

In cujus rei perpetuam memoriam Imperator orthodoxus *Karolus* erexit & construxit tres ecclesias in pignus amoris, & Christianæ fidei firmitatem in terra *Thuringorum.*

PRIMAM circa fluvium *Ilmen*, ubi jam *Meldingen* est, in honorem S. Crucis & S. Andreæ.

SECUNDAM, circa fluvium *Unstrodt*, ubi jam *Pbargala* jacet, in honorem S. Crucis. Et jam nomen Patroni obtinuit, videlicet S. Bonifacii.

TERTIAM, quæ hodie est in villa *Körnern*, in honorem S. Petri Apostolorum Principis.

Quibus copiose dotatis, & omnibus in pace firmissima dimissis, commisit Landgravio & suis pauperes, orphanos & viduas sinceriter & pie tuendas.

Ad quod celerius faciendum, extraxit ex illo summo provinciali judicio *Meitelhusen*, aliud, quod semper in *p*) confidentia administraretur justitia & judicium, in communibus & mediocribus causis & personis.

p) Tenzel. legit: *in quindena*, cui favet textus *German. über 14. Tagen.*

Divisio illius magni & provincialis judicii per *Thuringos*, facta dignoscitur in quatuor partes:

A flumine *Werra* usque ad fluvium *die Sala*,

A nemore Francorum usque ad nemus *Hartz.*

De loco ad locum expressius:

A flumine *Werra*, ubi jam villa *Spichern* situata est, versus Orientem ad villas *Nuinkirchen* & *Breuterode.*

Ultra vulgariter ad lucus *das Gebeynich.*

Ultra *über die Koblgrube.*

Ultra *über die q*) *Schneppenbart*, ubi jam *Graula* situata est.

q) Tenzel. *Schveppenbart.*

Ultra *über die Hart* prope *Wigeleben* & *Aschera*; infra *Burgkebunna* & *Baldestet* ad montem *Eytersberg* per campum porcorum, vulgariter *über das Schwinfeld.*

A monte *Eytersberg* infra ad *Dabebich* & *Wallisleben* ad villam *Gebesen*, ubi fluvius *Gera* intrat fluvium *Unstrot.*

Hujus aquæ descensio ad *r*) *Strußfort*, *Wunnerschleben*, *Schalckenborg* & *Sommerda s*) majori & breviori.

r) Tenzel. *Strustfort.*
s) Dubitat Tenzel. an ita legendum sit, cum in MSCto abbreviate scribatur aori & bri; sed ita legit etiam Germanicus textus: *vor gyassen Sommeringen, vor vvenigen Sommeringen.*

Ubi aquam, *die t*) *Losse* ascendendo ad *Frondorff*, *Aroldishusen*, *Nebusen Olbersleben.*

t) Tenzel. *die Lasse.*

A fluvio *Losa* versus *Butstedt* usque *Emmese.*

Die Emmese u) *zu Thal* circa *Rudolffsdorff*, *w*) *Auerstett*, a fluvio *Emmese* ad fluvium Ilmena descendendo ad *Heringen*, ubi Ilme influit aquam Salæ.

u) Tenzel. corrupte habet, *zu Eal*, legendum *zu Thal*, id est, descendendo in vallem.
w) Tenzel. iterum depravate: *Nerstet.*

Et tantum ad unam lineam terræ Thuringiæ.

Secunda divisio, vel secunda linea, incipit a luco Thuringorum versus Franconiam, a loco dicto vulgariter *die blosse Leuben*, descendendo ad castrum dictum *zum Steine*, ubi Gera fluvius scaturit.

Ab

Ab hinc descendendo ad *Arnstett*, *Erphesfurth*, *Wallisleuben*, *Gebese* ad flumen *Unstrot*.

A rivulo *Brese* adscendendo ad *Schilffa*, *Gangloff*, x) *Sömmeringen* per campum latum ad vallem circa *Grüssen* ad y) *Haynliten* nemus. Item ad locum, qui dicitur *das Geschling*. z). Descendendo ad *Sundershusen*, *Jechenburg*, ad montem dictum *Ebersberg und auff den Harz*. Et tantum de secunda linea.

x) Tenzel. conjunctim legit: *Gangolffsömeringen*.

y) Tenzel. *Haylitten*.

z) Tenzel. *Geschling*. Textus German. *Cesprug*.

CAPUT X.

Circumferentia terræ Thuringiæ. a)

a) Hanc inscriptionem omisit Tenzel. quæ tamen necessaria est.

I*Seiniach* excundo versus *Fach*, ad latus villæ *Sula*, ad locum castri *Rotenberg*, usque ad lacum *Elsensee*, usque ad montem *Holinberg*, ad latus villæ *zu dem Thutz*. Ad Wackenhusen versus b) *Tuben Elende* ad montana ascendendo, usque ad fluvium *Werra*. Descendendo versus *Breitenbach*, *Bercka*, usque ad nemus *Sulingenwald*, ad locum dictum *Mittelwenden*. A *Herlesshusen* fluvium *Werra* descendendo ad *Crützeborg*.

b) Tenzel. *Toiben*.

Et licet *Brandenfelss* ultra Werram situata sit, nihilominus jus feudale dinoscitur spectare ad Landgravium & ab antiquo spectabat ad territorium *Thuringiæ*.

Sic pariter *Crützborg* ex antiquo spectabat ad territorium *Thuringiæ*, non obstante, quod ex opposito *Werræ* fluvii situata sit.

Et terminatur intra *Rittelshusen* & *Netera* ad montem *Eichenberg* supra lapidem dictum *Heldestein*, versus *Dreforte*.

Fluvium *Werra* descendendo ad *Wenfrede*, ad stratam publicam dictam *die Landstraße*, *Schwebeda* ad montem dictum *Eichenberg*. Ultra ad latus, & ad partem domus *zum Stein*.

Item *Glichenstein*, *Scharffenstein*, ad flumen *die Loine* versus *Worbis* ad latus *Bodenstein* super flumen *Are* ad latus *Tuderstadt*. Et ita ultra versus c) *Schertfels* ad locum nemoris *Hartz* dicti.

c) Tenzel. *Schartfeilt*.

A superioribus partibus circumeundo ad *Gole*, ad propria illius de d) *Schöppliz*, ad pontem ab infra *Friborg* flumen *Unstrot*, ubi influit Salam.

d) Tenzel. *Schippeliz*.

Fluvium Salæ ascendendo, usque ad nemus, ubi oritur scaturiendo, ibique ascendendo ad nigrum nemus, versus Meles & locum dictum *die bloße leuben* ad montem dictum *Enselberg* & *Keßelingen*. Et iterum redeundo ad montem *Rotenberg*, ubi exiebatur. Et tantum de circumferentia terræ Thuringiæ.

CAPUT XI.

Ordinatio 4. Advocatiarum, & earum jurisdictionum in 4. sedes divisas per Karolum M. in relevamen terræ Thuringiæ.

PRima sedes vulgariter *der erste Ding-Stuel*, posita est ubi jam *Gotha* situata est, & ad eam spectat Comitiva *Gleichen* & sedes Synodalis *Ordroff*, quam Clerus postea detulit versus *Gotha*.

Secunda sedes posita est, ubi jam *Thummes-Brücken* sita est. In ista quadratura situata est comitiva *Kirchberg*. Domus jam desolata inter *Strußberg* & *Lare*. Sedes vero Clericalis jam in *Jechenburg* locata perspicitur.

Tertia sedes posita est, ubi jam *Wissensee* est posita. In ista quadratura jacet Comitiva *Beichlingen*. Et sedes clericalis dicta *Bibra*.

Quarta posita erat, ubi jam *Bottelstet*. Et in ista parte jacet Comitiva *Kessernberg*. Et sedes Clericalis celebratur per Clerum *Erfordiæ*.

Et ista prænotata divisio dicitur ANTIQUA THURINGIA. Et habet quatuor Advocatias vel e) *Voygtige*, cum eorum jurisdictionibus, quæ Imperatoriam & juridicam potestatem habere debeant, & f) pendent ex *Karoli M.* supra nota donatione.

e) Tenzel. *Foistige*.

f) Tenzel. legit: *& possint ex Karoli M. supra &c.*

Quicunque citatus, bannitus & proscriptus in una earum fuerit, pro citato, bannito & proscripto in reliqvis habetur.

Pariter, quicunque bannitus fuerit coram Landgraphio in *Mittelhusen*, coram reliquis duodecim suis assessoribus in omnibus jurisdictionibus Advocatiarum pro tali ac tanto habetur, & per totum territorium non est securus. Pari etiam pœna multantur talium defensores & tutores.

CAPUT XII.

Alia Descriptio terræ Thuringiæ.

W*Artpergk* prope *Isennach* dicitur caput territorii.

Elligersborgk, dextrum brachium. *Eberg*, sinistrum brachium.

Wißensee, cor territorii.

Eckersberge, pedes, tendentes usque ad fluvium *Saala*.

CAPUT XIII.

Karoli M. e Thuringia discessus.

IMperator *Karolus* recessurus de *Thuringia*, mandavit Landgraphio & suis duodecim, ut jurisdictionem in *Mittelhusen* cum quatuor advocatiis jam dictis, salvas & immunes servare studerent. Imo ut pupillis & orphanis fidelibus summam justitiam administrare non dedignarentur, recepto ab eis desuper juramento fidelitatis.

QVibus peractis, omnibus in vera Christiana fide & mutua pace constitutis, & denique confirmatis, cum suis ad alia regni negotia, cum gaudio & magno triumpho *Thuringorum* se divertit. De quo *Sigebertus* Chronographus scribit:

Hic Christianissimus cœpit regnare anno Dni DCCC. I. qui anno primo sui imperii legatos misit per omne imperium suum ad faciendam justitiam & judicium. Et legis capitula viginti tria constituit.

CAPUT XIV.

Conclusio. Ubi & qvaliter S. Bonifacius diem clausit extremum.

IN præcedenti quidem libello, prout Scriptorum antiquorum teſtificatio edocuit, de converſatione & peregrinatione, nec non prædicatione *S. Bonifacii* dictum eſt. Conſequenter pandendum, foret, quantum poſt acceptum Eccleſiæ *Moguntinenſis* præſulatum per ſanctam Eccleſiam laboravit, deque contra hæreticos ſeu falſos Chriſtianos certando, qualique exitii felicem paſſionis ſuæ palmam complevit. Nam in *Friſia* circa villam dictam *Döcklinge*. *g*)

g) Prope pagum Darckelmum Bonifacium trucidatum eſſe, Centuriatores Magdeburgenſes ſcribunt, apud *Euſebium. Bohem. in Epit. hiſt. Eccleſ. Pappianæ f.* 225.

circa flumen *Bortue* vocatum, quod eſt in confinibus eorum, ruſtica lingva dicuntur *Oſter & Weſterrichi*, ſuorum tantum clientum comitatu ſtipatus, juſſit ibi tentoria figi, cupiens in eodem loco eorum, qui nuper baptizati erant, expectare adventum confirmationis gratia. Cumque dies prædeſtinatus adveniſſet, tunc omnes, qui quaſi filii a patre expectabantur, indigni ad Spiritus S. gratiam, quæ ipſo die per ſacram confirmationem offerenda erat, ſuper illos verſa vice, pro amicis inimici, pro novitiis fidei cultoribus novi lictores, cum ingenti ſtrepitu, horrendoque armorum ſonitu in caſtra ſanctorum perruperunt, eorumque corpora, poſt patriam exhortationem a *S. Bonifacio* ſuis factam, ſelici cæde cruentarunt. Sicque *S. Bonifacius* cum ſuis ſpiritum Domino reddidit, & palmam martyrii accepit.

Habuit vero S. *Bonifacius* in Epiſcopatu annos XXX. VI. Menſes, VI. Dies.

Paſſus eſt vero cum ſuis ſociis Nonas Junii, anno peregrinationis ſuæ XL. ſive Incarnationis Domini ſeptingenteſimo quinto. *b*)

b) *An.* 755. Chytr. *Saxon. Lib. VII. in pr.* Cæterum vero qualiter & *Lullo* Viro excellenti doctrina & pietate, apparuerit, quem ipſe Bonifacius ſucceſſorem ſibi in gubernatione Moguntinenſis Eccleſiæ elegit, vide Chytr. *L. III. Saxon. fol.* 74.

Archiepiſcopo *Moguntinenſi* poſt mortem apparuit, eumque admonens, ut corpus ſuum *Fuldæ*. *i*)

i) Inſecutum id tandem eſſe, docent antiquitates Fuldenſes apud *Piſtorium f.* 459. 462.

traderet eccleſiaſticæ ſepulturæ, deque miraculis ſuis, quoniam illa omnia luce clariora ac manifeſta, deque pluribus libris, manifeſtiſſima veritate conſcripta ſunt, hic pertranſeuntur. Regnante Dno noſtro Jeſu Chriſto, cui laus, honor & gloria, per infinita ſecula ſeculorum AMEN. *k*)

k) Sagittarius in Antiquit. Chriſtianiſmi Thur. p. 349. addit ex MSto Neumeieriano: A. MCVI. quod pro anni numero habet & ad auctoris ætatem, dubitanter tamen, refert. Sed ſuboluit CL. Tenzelio nota i p. 354. vocalem AMEN feſtinantem, Sagittarium feſelliſſe.

LEGENDA
PATRONI GERMANIÆ
SANCTISSIMI BONIFACII.

NAch Chriſtus Geburth, 620. war ein Kayſer genannt Eraclius zu Rom und Conſtantinopel im Griechenlande, und das Römiſche Reich war auf die Zeit noch ungeſcheiden. Der König Codres in Perſia gewann das Heil. Creutze in Jeruſalem, und führete es mit in Perſien. Eraclius fuhr ihm nach in Perſia, und ſtreit mit ihm, und ſchlug ihn todt, und brachte das Heil. Creutze wieder gen Jeruſalem.

Nach des Heil. Chriſtus Todte kam einer der war gebeißen Anaſtaſius, der war da in der Zeit nicht länger dann 3. Jahr. Da war A von einander geſcheiden das Römiſche Reich und Conſtantinopel. Zu derſelbigen zeit war ein Pabſt, der hieß Gregorius der andre, der ſatzte zum Biſchoffe Bonifacium zu Mentz. Der bekarte das Land zu Döring, und Carolus der groſe war Pippings Sohn, der war König über alles Francken-Land, nach ſeines Vaters Todte, die Römer wolten ſich unterwinden haben der Kayſerl. Gewalt. Der Pabſt Gregorius erfuhr das, und ſandte die Schlüſſel von S. Peters Altar, und die Fahne dem Könige Carolo, und bath ihn, daß er bald zu ihm käme gen Rom. König Carle machte ſich auff, und zog gen Rom, und da er gen Rom B kam, verſchaffte der Pabſt, daß er wohl empfangen wurde von gemeinen Volcke und auch vom Pabſte. Und alß König Carl die Meße hörte in S. Peters-Kirchen, da ſtund der König Carl an S. Peters Altar. Do gieng der Pabſt hinter ihm zu, und ſatzte ihm auff ſein Haupt die Kayſerliche Crone, ehe dann ers wuſte, und wart da beruffen vom Kayſer Auguſto. Carl der war der erſte Käyſer, der aus Francken war, der ihr Römiſch Reich gewann. Er war auch der Römiſche König, und Kayſer, der zu Rom geweybet ward; Der Pabſt weyhete auch beyde ſeine Söhne, ſeinen Sohn Pippingen zum Könige in Italien, und Ludwigen zum Könige und Herrn in Aquitanien, da ſein C Vater zum Römiſchen Käyſer ward gemacht.

(*Hunc locum cum aliis verbis horum legendorum præcedentibus & ſeqq. aſſumſit in ſuum lib. I. Chronic. Thuring. Joh. Binhardus p.* 34. & 35. *ſed lectionis paulo pleniovis.*)

Der Biſchoff von Mentz Bonifacius vernahm, daß das Land zu Döringen noch am heydniſchen Glauben war, und meynete das zu bekehren zum Chriſtlichen Glauben, und fragte nach des Landes Gelegenheit. Ein alt Ritter ſprach zu ihm: Herr, das Land zu Döringen iſt 12. Meilen lang und breit, und iſt beſchloſſen mit 2. Waſſern, und mit 2. Wäldern, und käme es zu dem Glauben, und würde D bekehret, und würde gebauet nach ſeinem Rath, es wäre das beſte Land zu der Nahrung, das man möchte finden in aller Welt, in ſolcher Gröſſe.

Der Biſchoff Bonifacius verſammlet ſich ſtarck, mit viel Volck und zog mit groſſer Heeres Krafft ins Land zu Döringen. Do die Döringer das vernommen, erſchracken ſie ſehr, und hatten ſich ihres Lebens erwogen, und flohen alle zuſammen und Weib auff einen Bruch bey der Unſtrutt, an einem Wahl, das heißt Trettenburg, da meynten ſie uffen zu bleiben todt oder lebendig. Der Städte, und der Schloſſer, die da mächtig waren, waren zu der Zeit

nicht

nicht viel im Lande, da sie sich alle dröffen möchten behalten haben. Der Bischoff zog bescheidentlich in das Land, und hieß die Thüringer für sich kommen. Die Thüringer schickten die klügsten zu ihm, die sie im Lande hatten, daß sie seine Rede vernähmen.

Der Bischoff sprach: Ihr lieben Düringer, ihr sollt euch lassen teuffen und sollt an Christum glauben, und den Christen Glauben an euch nehmen. Thut ihr das, es kommt euch zum Nutz und Frommen, und soll euch nimmer gereuen, thut ihr das nicht, so will ich eines andern mit euch beginnen.

Die Thüringer sprachen; Was für Nutz oder Frommen mag uns davon entstehen, oder was mögen wir genießen? Der Bischoff sprach: Gott ist kommen auf dieses Erdreich, durch des Menschen willen, und Gott ist selber Mensch worden, und hat mit ihm gebracht Gerichte und Friede, das ist gleich gewogen, dem Armen, wie dem Reichen, darum sollt ihr gerne an ihn glauben, und wenn ihr den Glauben empfanget, so sollt ihr gefreyet seyn für unrechter Gewalt an dem Leibe und an dem Gute hie auff Erdreich, und hernach an der Seele vor der Hölle, und vor des Teuffels Gewalt.

Die Düringer sprachen: Sintemahl daß der gebohrne Gott das vermag, so schicket, daß er auch das vermöge, daß wir auch des zehnden ledig werden, von dem Könige von Ungarn, dem müßen wir zehnden geben, von Leibe und von Gutt, unser zehnde Kinder, und alles was wir haben, das müßen wir verzehnden. Würden wir des zehnden loß gemacht, daß uns das Ein verkundt würde, so wollen wir getrulich glauben, und wollen dem auch gerne folgen, geschicht aber das nicht, so wollen wir aber nimmermehr glauben, daß es der gebohrne Gott vermöge, und wollen bey unsern Glauben bleiben todt und lebendig. Darum bitten wir auch lieber Herr, daß ihr uns eine Antwort wieder gebt zu oder abe, da wir uns darnach richten.

Der Bischoff schweig, darnach sprach er: Ich will euch ein Antwort geben. Da gieng der Bischoff mit denen Seinen zu Rathe, und der Bischoff sprach: Ich darff wohl guten Rathes, um des harten Vorsatzes willen, den die Thüringer vorsetzen. Der König von Ungarn ist so mächtig, daß ich sie des zehnden von dem Könige in Ungarn nicht ledig machen kann. Soll ich sie den erschlagen, und ihr Blut auf mich nehmen, das ist mir zumahl schwehr. Soll ich sie dann laßen in dem Glauben sietzen, darinnen sie sind, so möchten sich die andern Lande daran kehren, und abfallen, die den Glauben allbereit haben; drum bitte ich euch getreuen Räthe, wie ich mit Glimpff von dem Lande scheide, daß Niemand dürffe sprechen, die Thüringer wären mit Gewalt für dem Bischoffe Bonifacio *blieben. Diese Sache wurde bewogen, und ward ein Rath gegeben; Lieber Herr, uns dünckt gut, nach eurer Meynung oder Sinne, daß ihr den Thüringern ein Bedencken gebt, eine benannte Zeit, daß sie euch denn wieder sagen, ob sie euch folgen wollen, oder nicht, in denn mögt ihr des Kayßers und des Pabsts Hülffe erkriegen. Dem Bischoffe gefiel der Rath wohl, und wurden des auch also eins.*

Do der Bischoff dieselbige Nacht an seiner Ruhe lag, und die seinigen auch, da kam eine Stimme von Gott, die war freyßam und greußlichen, daß den Bischoff deuchte, er hätte sein Leben verlohren. Die Stimme sprach zum Bischoffe Bonifacio: Du zvveiffelst, vvie sollen die Düringer an mich glauben, vvenn du selber an mir zvveiffelst? Hastu nicht geleſen, ich bin von Himmel komen um des Menschen vvillen, und der Mensch ist mein Bilde, und der arme fürderer und der Reiche, und habe Gericht und Gerechtigkeit mit mir bracht, das ist gevvogen durch mein Blut, gleich dem Armen als dem Reichen, darum vvill ich nicht, daſs ein Mensch zehnden oder Zinſs gebe, von seinen selbst Leibe, einem andern Menschen. Ich vvill sein auch selber nicht. Ich vvill auch die an mich glauben, beschützen, beschirmen für unrechter Gevvalt, und arme Leuthe, Wittvven und Wayſen, die sich nicht selbst beschützen mögen, und die Arme noch fürderer denn die Reiche, und sollen dis thun bey der Pein. Darum heiſs ich dich, daſs du solt die Thüringer loſs und ledig sagen, und gieb ihn des meine Treuen, denn der König von Ungarn ihnen den Zehnden nimmer soll angevvinnen. Da soll dir verkunt seyn, daſs du von Ihnen nicht kommen solt; Dann du solt bey den Thüringern in dem Lande bleiben, daſs Ihnen die Verkunt scheinbarlich kommet, das ist gar nahe, da richte dich auff mit den deinen.

Der Bischoff war des Troſtes froh, und war doch in groſſen Sorgen, in welcher Weyſe Gottes Urkund kommen sollte.

Der Bischoff bisch die Thüringer aber für sich, und gab ihnen Anrede, und sprach: Ihr lieben Thüringer! Gott ist kommen auf Erdreich um des Menschen willen, und Gott ist selber Mensch worden, und Gott ist des Menschen Bilde. Darum will Gott nicht, daſs ein Mensch Zehnden oder Zinſs geben soll, als der zehnde

Menſch. Gott will ſein auch ſelber nicht von ſeines Menſchen Leibe. Darum ſage ich euch des Zehnden ledig und loß in ſeinen heiligen Nahmen, und gebe euch des ſeine Treue zu Pfande, daß euch der König von Ungarn den Zehnden nimmer ſoll angewinnen. Das ſoll euer Urkunt ſeyn, daß ich ſelber in dem Lande bleiben will alſo lange, daß euch Gottes Urkunt kommet. Die Thüringer wurden des Troſtes froh, daß der Biſchoff bey ihnen bleiben wolte in ihrem Lande.

Der König von Ungarn hatte die Rede vernommen, die in dem Lande zu Thüringen war, daß der Biſchoff von Mentz daſſelbe von ihm kehren wolte. Der König von Ungern machte ſich auf mit groſſer Macht, und mit einem groſſen Heer, und kam alſo ſtarck in das Land zu Thüringen, daß des Biſchoffs Heer dargegen ungewogen war.

Der Biſchoff lag zur ſelben Zeit an einem Bruch auf der Unſtrut, da nun ein teutſches Kloſter liegt, und heißt Neylſtadt. Die Ungarn waren alſo gierig zu Bonifacii Heer, und verließen ſich auf ihre groſſe Macht, und fielen gegen den Thüringen in den Bruch, zu Roſſe und zu Fuße, daß die förderen würden gedrungen in die Unſtrut, und der Biſchoff ſtunde über Ihn auff dem harten Stade, und rieff Gott an um ſeine Hülffe, und Gott halff ihm, daß ſie der Ungarn erſchlugen alſo viel, daß die Unſtrut ferne mit Blute floß, und die auff dem Rhiete waren, die konnten weder hinter noch fürder kommen, und alle Ungern, die noch auf trocknen Lande waren, die flohen wieder hinweg.

Da gewann der Biſchoff den Streit auf dem Rhiete zu Neylſtedt, und ſchlug ihr alſo viel todt, daß es unzehlig war. Die Wahlſtadt heißt noch auf der Fahre. Und des Biſchoffs werte Leythe blieben auch zweene todt liegen überſeit dem Rhiete, do ſteben noch 2. Creutze an dem Wege, da man von Thonna auff Saltza zeugt. Da die Thüringer das ſahen, daß Gottes Urkundt alſo ſtarck kommen war, da glaubten ſie dem Biſchoffe, was er gepredigt hatte, und glaubten an den gebohrnen Sohn Gottes, und ließen ſich alle tauffen. Da der Biſchoff Bonifacius das alles hatte vollbracht, da zog er wieder an den Rhein. Die Thüringer batben ihn, daß er ihren Boten mit ihm nehme, und ſchicket ihn zu dem Kayſer, daß er Ihnen einen Richter geben wolte. Der Biſchoff that, das ihnen die Thüringer baten, und ſandte ihren Boten zu dem Kayſer und dem Pabſte, und er empfieng ihn, und fragte ihn, wie es ihm in den Lande zu Thüringen ergangen wäre. Der Kayſer und der Pabſt wurden froh, daß Gott den Chriſten Glauben alſo geſtärcket hätte. Der Kayſer ſandte ſeinen eignen Bothen mit ins Land zu Thüringen mit dem Bothen, den ſie zum Kayſer geſandt hatten, und entbot ihnen, daß ſie feſte ſtünden, er wolte ihnen zu Hülffe kommen, und wolte ihnen einen Richter geben, der ſolte ſie bey allen ihren Rechten behalten. Des Kayſers Bothe war ein Fränckiſcher Herr des Geſchlechts von Stauffe, wann der Kayſer ein gebohrner Francke war. Der Herr zog in das Land zu Thüringen, von Geheiß wegen des Kayſers, und kam an den Wald überſeits Fricherode, und bauete da eine Burg. Der Burgwal heißt noch die Schauenburg, darnach bauete derſelbige Herr einen Stein, der heiſſet noch Wartberg, und leit bey der Stadt Iſenach, und die Thüringer nannten den Herrn den Graffen mit dem Barte. Der Herr war alſo tugendreich, und alſo richtig, daß ihn die Thüringer lieb hatten, und nahmen ihn ſehr zu ihren Rathe, wenn ſie was zu ſchicken hatten.

Der Kayſer kam in Teutſchland und in das Land zu Thüringen, und ſprach zu ihnen alſo, da er ſie zuſammen geb ſch, ſie ſolten aus ihnen einen Richter kühren, den wollte er ihnen beſtettigen, der ſolte ſie beſchützen für unrechter Gewalt, und er ſolte ſie bey Recht und Friede behalten.

Die Thüringer tratten zuſammen, und wollten einen Richter kühren, und wen ſie unter ſich kohren, der wolte es nicht thun. Diß war die Urſach: Ob es zu Schulden käme, daß keiner über den andern gerne richten wolte, und wurden alle eines rathes, daß ſie kohren den Graffen mit dem Barthe, und batben den Kayſer, daß er ihnen den geben wolte zu einem Richter. Der Kayſer beſtättigte ihn zu einen Richter, und machte das Land zu Thüringen zu einen Fahnen Lehn, und belehnte den Herrn damit, und leyhe ihm darüber das Reichs Fähnchen, und machte ihn zum Landgraffen in Thüringen mit der Thüringer Wieſſen und Willen. Das that er, daß alle Graffen oder Freyherren, oder alle in Thüringer Landen Gerichte hätten. Und daß ein jeglich Richter wohl richten ſolte, in ſeinem Gerichte nach Rechte. Der Landgraff ſoll ihrer auch 6. kühren; Graffen oder Frey-Herren, welche er will, die in dem Lande geſeſſen ſind, und nicht auſſerhalb, und die ſechſſe ſollten ihrer noch 6. kühren, die edelſten und klügſten, ſo in dem Lande ſie gehaben mögten. Die zwölffe ſolten ſie vereinigen, und ein jeglicher dem Land-Graffen zum heiligen ſchwehren, von des Landes wegen, daß ſie recht urtheilen wolten in allen Sachen nach beſten Verſtande, daß ſie es nicht beſſer wüſten, gleich dem Armen als dem Reichen unverholden, daß ihn Gott alſo helffe und alle heiligen.

Der Land-Graff ſoll ſein Gerichte drey Stunden in dem Jahre ſietzen. Jegliches Gerichte über 18. Wochen unter des Reichs Fähnchen. Darnach ob ſich einerley Klage erhaben hätte, ſo ſollen die Zwölffe mit den Land-Graffen in dem Gedinge ſietzen, ſechſſe zu der rechten, ſechſſe zu der Lincken Hand der Landgraff ſoll mitten unter ihnen ſietzen, und den Gerichts-Stab ſoll er ſelber in der Hand haben. Der Dinge Stuhl war geſetzt in das Riet zu Mittelhuſen mit der Thüringer Wieſſen. Um den Geding-Stuhl ward gemacht zwo Huffen Landes gelegen in dem Felde Elpßleben

eine halbe Meile von Mittelhauſen iſt ein Erffdorff aber Gleichiſch Lehn. vid. Concordata An. 1370.

Spangenb. *Adel-Spiegel* P. I. L. VIII. c. 13. Hiſtoria Erphesfurdenſis cujusdam anonymi, apud Piſtor. T. I.

German.

German. Scriptor. fol. 335. Marchio, inqvit, vocatis judicibus terræ sedit pro tribunali in Metilhusen. Et rursus de alio Marchione f. 938. In Metilhusen venit, volens ibi sedere pro tribunali.

In der Steuer Sache des Chur- und Fürstl. Hauses Sachsen wieder die Grafen zu Schwartzburg ist zu behauptung des 9. Gegenbeweiß-Articuls ein Brieff produciret *worden, des Eingangs: Wir Heinrich von G. G. Graffe zu Schwartzburg, Herr zu Arnstatt, Land-Grafe in Thüringen, und die 12. die über den Landfrieden gesetzt und gebohren seyn, bekennen, daß uns unser Herr der Land-Graffe geklaget hat, daß der Land-Friede an ihm gebrochen sey &c. A. 1334. Item ein andrer Brieff Graff Gunthers 2. S. ohne Jahrzahl eines gleichen Eingangs.* vid. Spangenb. loco prædicto.

an der Gera, wer die unter ihm hat, der soll den Stuhl gegen Morgen bekleyden, hinten auf mit Delen soll er bedeckt seyn, von oben auff biß auf die Erden. Von beyden seiten soll er bekleydet seyn, nicht höher, denn daß man den Richter und die Schöppen ihr Antlitz gesehen kann, und sie auch kan gehören. Auch soll der Stuhl forne mit einem (Thür-) Riegel gemacht seyn, daß man möge aus und einkommen, also offt des Noth seyn würde, ob es noth geschehe, daß die Schöpffen aus dem Gerichte tretten müßen, und sich das Recht lernen ließen.

Auch soll der Abt auf S. Peters Berge zu Erffurth auffsitzen, wenn sie Gerichte sitzen, darum ist ihm gegeben das Dorff Mittelhusen.

Das erste Gerichte soll man halten zu Hand nach Weynachten, nach dem Sonntage, als man singet Omnis terra. *Das andere Gerichte soll man halten nach Pfingsten, als man gesungen hat* Deus in tua misericordia. *Das dritte Gerichte soll man halten, als man gesungen hat* Da pacem Domine sustinentibus.

* ps. 65. *1.) Omnis terra adoret Te * singet man Dom. II. Epiph. de nuptiis in Galil.*

** ps. 12. *2.) Deus in Tua misericordia ** singet man Domin. I. post Trinit. de divite epulone.*

*** ps. 121. *3.) Da pacem Domine*** singet man Dominica 18. post Trinit. de præcipuo præcepto.*

Der Freybothe von Kircheilingen soll da Freybothe seyn, wann er von Alter darzu gekohren, und darauff beerbet ist.

(Hic annotatur in MS. Latino: Nostris temporibus 1513. ibidem in Kircheilingen habitant nobiles, dicti cognomine Schorbrände. Habentes ante tempora militem auratæ militiæ de eorum progenie, an ipse fuerit, aut officium Fribotheriæ exercuerit, non constat. Der Schurbrände Wapen beschreibt Spangenb. A. P. 2. L. 12. c. 40.)

* * *

Extract *aus der Registranda* Archivorum, *über die gemeinen Chur- und F. Sächßl. Briefliche Urkunden im Schloße zu Wittenberg.*

König Wenceslaus *Brieff, daß die Land-Grafen zu Düringen*, Einen Land-Richter *setzen mögen* 1385. item

Ein Brieff von denen von Erffurth, wie die Geschicht um Heinrich von Lengefelt, alß der mit seinen Vettern und Knechte verschieden, darum die von Erfurth fürs Landgerichte *für genommen werden sollen, alg etragen sind* 1394. adde qvæ de Erfurdensibus aliis, in caulis bis citatis ad Tribunal Landgravii scribit fol. præced. citatus anonymus apud Pistorium.

An dem Gerichte soll man die Gütte, die Kayser Carl an dem Lande zu Thüringen gethan hat,

(Hic totus locus, valde quoque corruptus, per versionem latinam feliciter restituitur s. peracta præsidentia.)

A *um das, daß sie an Christum glauben, und den Landgrafen, und allen, die da in dem Lande zu Düringen beerbet, und besessen sind, und alle die mit Ihnen darinnen wohnen, an getreuen Göttlichen Leben, und allen, die zu ihn wandeln, in getreuen Gottlichen Dingen, der Leib und Gut soll Friede haben Tag und Nacht, in dem Lande. Sie sollen auch alle Friede haben und halten. Das andere Stücke ist das; Es soll auch niemand gewapnet reiten, es sey denn, daß er zu dem Schilde sey gebohren. Derselbe solls durch nichts anders thun, denn mit des Landgrafen Willen und Wißen. Schwerdt und Meßer mag ein jeglicher wohl tragen. Das dritte ist*

B *das, daß keinerley Handlung und Sache, so einer mit dem andern, in oder außerhalb des Landes, keinerley Verbündniß oder Auffsatz, der dem Lande oder dem Landsherren zu Schaden käme, macht, daß die 12. Herren erkennten im Rechte, der hätte sein Leib-Recht und Land-Recht, und alle sein Recht verlohren, daß er in dem Lande gehaben mögte. Den soll man durchs Land schleiffen an das Ende des Landes. Das vierdte ist das, ob sich Noth oder Sachen erbüben im Lande, es wäre an Gebäuden oder an Märckten,*

(alß Vestungs Bau. Exempl. vide in Transactione cum Henrico illustri A. 1249. s. item omnia ædificia. vid. Kling. S. R. f. 126. Grypli de W. S. c. 74.)

C *oder an Nutzen oder Kauffen, oder wie man das genennen mag, das die zwölffe mit Recht erkenneten, daß es dem Lande oder dem Landes Herrn schädlich oder unnütze wäre, das sollen die 12. abthun, oder wandeln nach Gelegenheit.*

Das fünffte Stücke ist das, ob Jemand Rechts-Gebrechen an seinem Ritter hätte, der klage es den 12. Mag er sie nicht alle gehaben, so soll er es zweyen oder dreyen klagen, die sollens ihren Genoßen nicht verschweigen, und die zwölffe sollens zu Hand für den Landgrafen bringen. So soll denn der Landgraff und die 12. dem Kläger zu Hand Wandel schaffen, nach Rechte ohne neue Klage.

D *Das sechste Stücke ist, daß alle, die in dem Lande zu Düringen wohnhafftig, die sollen das Landgerichte helffen stärcken mit Leibe*

(Daher kommen die Land- oder Heeres-Folgen: der Stadt Erffurth in Concordatis Die Ritterdienst aus denen Mayntzl. Lehenschaften: Gleichen, Crannichfelt, Ramßla, Arnstat &c.)

Dieser Gnade und Bestättigung, und zu Urkunde des Land-Gerichtes, zu einem ewigen Gedächtniße, bauete Kayser Carl 3. Kirchen in dem Lande zu Thüringen. Die eine baucte

er an der Ilmen, das heisset nun Meldungen, und ließ die weyhen in des Heil. Creutzes Ehre. Die andere bauete er an die Unstrutt, das heißet nun Vargula, *die ließ er weyhen in der Ehre* S. Bonifacius. *Die dritte Kirchen ließ er bauen, das heißt nu körner und ließ die weyhen in* S. Peters *Ehre, und die Kirchen sind alle dreye sein will* (*) *(seine Ordnung.) Der Kayser Carl war also gar sehr bedacht auf der Lande Gebrechen, und*

(*) *Quicquid ubique magnificum erat, id olim Romani in claritatem Herculis referre solebant, tametsi Hercules ea loca nunquam adierat, teste Tacito in Germ. f. 647. Et sic Majores nostri omnia referebant in claritatem Caroli M. adde Guil. Camden. in Brittania f. 157. Spangenb.* ADELS-SPIEGEL *P. I. Lib. II. c. 2. fol. 328. p. 2. c. 48. f. 268. Gryphiand. de Veichbild. Saxon. c. 35. in fin. it. 36. 37. Dresser. millen. 3. f. 218. Verisimile est, complurium heroum acta uni Herculi attribui. Unde Tacitus: Quicquid ubique magnificum est &c. Sic aut Germani heroi quoque uni, qualis fuit Theodoricus Veronensis aut Hildebrandus, res ab aliis gestas asignant.)*

auff armer Leuthe Noth, wie er das gewandeln möchte nach Gleiche und Recht. Darum erhub B *ihn Gott auff diesem Erdreiche. Nun ist aus diesen höchsten Dinge zu Mittelhausen ein Landding ausgesatzt über 14. Tagen, durch unrechtlicher und gemeiner Sache willen, daß die da gehalten werden. Darum ward das Land in Viere getheilt von der Werra biß an die Sala, von den Fränckischen Walde biß an den Hartz*

WERRA.	
FRANCKENWALD.	HARTZ.
SAHLA.	

(*Consimili stylo antiquo fines regionum describuntur* C *ap. Petrum Albinum Beig Chron. Tit. V. & ap. Freher. in Orig. Pal. passim & apud Brisson. V. form. P. R. I. f. 428.*)

Diese Bestättigung ist also. Von der Werra an zu dem Dorffe, das heist. SPICHERN. *l)*

l) Im Ammte CREUTZBURG *gelegen. Denen Treischen zu Villershausen, so hessischer Boden, zuständig.*

gegen dem Morgen für NEU-KIRCHEN *für* BREUT-RODE *an das Kugkel m) über die Kohlgruben n)*

m) KUGKEL, KÖNIGKEL *sylva dicitur in tabulis T. Adol. Erichii.*

n) Kohlgrube Sylva ibidem.

und über die SCHNEPFFENHART, *da nun* KRAU-WELL (Craula ibid.)

ein Dorff derer von Hopffgarten. D

über die Hart,

ein Holtz bey Tüngeda, ist Churf. Sächßl. und derer vor Goldacker.

für Wigeleben vor Aschera

ist Gleichisch, in die Herrschafft Tonna *gehörig.*

und zwischen BURGTONNA *hin und* BALDESTEDE *auff dem Ittersberge*

Dieser Berg liegt zwischen Erfurt, Gotha, und Gräven Tonna, wird ietzt vulgo *genennet der kleine Eckersberg oder vielmehr Eschers- oder Aschersberg, vom Dorff Ascher oder Aschera.*

über das Schweinfeld von dem Ittersberge zwischen DACHEWIG *und* WALSCHLEBEN,

sind 2. Erfurtische dörffer in radice montis modo dicti.

DACHEWIG *ist noch heute zu Tage Chur-S. vermöge des Macht-Spruchs zu Grimm den 18. Novbr. 1533. von* WALSCHLEBEN *ließ die* Concord. Erfurt. *mit Gleichen.*

Zu GEBESEN *an die Gera, als die Gera in die Un-*
A *strut fällt. Die Unstrut zu Tale für* STRUSFORTE *vor Winerschleben vor Schalckenburg.*

Ist Erfurtisch. Schalckenburg und Sommerda werden vor Zubehörungen der Herrschafft Vargula *in der Schifferdecken* notatis *gesetzt. Seynd aber von G. H. von Schw. erkaufft.* A. 1418.

vor großen SOMMERINGEN, *vor* WENIGEM SOMMERINGEN *als die Loße in die Unstrut fällt. Die Loße zu Berge gegen* FROHNDORF, *Alßhausen und Neuhausen gegen Olberschleben.*

(gegen Manstet) *das wüste dorff. vor zeiten untern Stuhl von Gelsburg.*

von der Losa gen Budstat, gegen EMSE,

ist ein Wäßerchen, das jenseit Butstädt entspringt, auf Auerstädt, und ein wüstes dorff des Nahmens. Besage des Weym. rothen Erb-Buches.

Die EMSE *biß gegen* RUDOLFSDORF *über* AUERSTEDT, *von der* EMSE *biß in die* ILME *über vor Heringen, als die* ILMEN *fällt in die Sall. Das ist ein Strich durch das Land. Der andre Strich hebt sich an auf der bloßen* LEUBE.

dem Thüringer Walde eine große halbe Meile vor Sule. Hinter dem Obernhoff, meinem Herrn zuständig.

gegen FRANCKEN *herabe, alß die Gera entspringet, die Gera gen Thal für Arnstadt, vor Erffurth, vor Künhausen, vor Ebeschleben,* C *vor Walschleben und Rinckleben, vor Gebesen, gegen Strußforte, alß die* BRESE *in die Unstrut fället. Die Brese zu Berge vor Schilffa vor Gangolff, Sommern und vor ein Creutz, das steht in dem weiten Felde, und über das Thal zu Greußen, und an die* HAYNLEYTEN *durch das Gespring zwischen Sunderhusen und Gycheburg (Gechelburg) überhin, bieß an den Ebersberg auf dem Hartze. Das ist der andre Strich durch das Land.*

Der Umgang des Landes hebt sich an alß man zu ISENACH *auszeuget, und will gen Fachs überwerts Marck* SUHLA, *liegt ein Burgwall, das heißt* ROTENBERG, *und für dem Elefant See,* D *und für dem Holinberg, oberseit den Wacken dörffern hin zu den Wackenhusen vor Tube, vor Elne und oben hinan an die* WERRA. *Die Werra zu Thale gegen Breitenbach, gegen Bercka. biß auf den Sultichs wald (Sulingerwald) zu Mittelwinden. Alßoferne hat der Land Graffe das Geleite von Bercka biß auf den Wald, gegen Mittelwinden, vor Hohenwinden wieder an die Werra, gegen Thal biß gegen Herleßhusen, gegen Creutzburg. Wiewohl Brandenfelß jenseit der Werra (in Heßen) liegt, doch geht es dem Landgraffen zu Lehn, und hat von Alter zu dem Lande gehört mit seinen Dörffern und Gerichte.*

(addit

(addit hic exemplar Latinum: hic pariter Creutzborg ex antiquo spectabat ad Territorium Thuringiæ, non obstante, quod ex opposito Werræ fluvii situata sit.)

das wendet zwischen Riethartshusen und NETRA. ist Heßisch derer von Boineburg.

Do leit ein Berg, der heist der EICHENBERG, da die Landgraffen von Döringen und von Heßen hinzureiten. An demselben Eichenberge und über den HILDERSTEIN gegen DREFFORT

DREFFORT ist Maynzisch, Heßisch, Sächßisch zugleich, hat 3. Beamtereyen, sed religione nullam pontif. A

an die WERRA. Die Werra gegen Thal, gegen Wanfrede. Von Wanfrede an die Landstraßen, hie dießeit SCHWEBEDE, von einem Berge, der heißet auch der Eichenberg, jenseit zu dem neuen Hoffe, zu dem Stein und jenseit dem GLEICHEN-STEIN.

auf dem Eichefelde ist ein Maynzisch Amt. Habuit Comites ejusdem nominis, sed stirpis Comitum Gleichensium; a quibus Moguntinus emit Eichsfeldum. Nic. Serrarius Rer. Mog. L. 5. fol. 860.

und jenseit dem Scharffenstein an die Leyne B (LOINE) jenseit Worbs, jenseit Bodenstein über TUDERSTEDT und obenhin, biß gegen Schartfeld

derer von Kerstlingeroda. Ist aber ietzt des Hertzogen zu Braunschweig, zwischen Wolffenbüttel und Grubenhagen streitig. auf dem Hartz und um des Graffen Land.

* * *

Explicatio quorundam hujus & præced. fol. locorum excepta Jsenaci, ex ore Domini D. Rügeri Consiliarii Aulici Saxon. A. 1630.

ELEPHANT SEE. Elvert See hodie.

WACKENHAUSEN ein Hoff J. F. G. zu Eysenach zuständig.

ELNE. Ober- und Unter-Elne. Jenes ist das Kloster gewesen, heute ein Ritter-Sitz des von Hanstein UNTER ELN steht einem von HORDA zu, beyde territorii Isenacensis. C

BREITENBACH ein Amt-Hauß. Hirschfeldisch und Eysenachl. qvoad Jurisdictionem Criminalem. Territorium vero & Regalia sunt Isenacensia.

BERCKA ist der Haupt-Flecken des Hauses Breitenbach.

SULTIGS-WALD, heist ietzt Sulingswald, Sulings See, Windischen Sule, Niedern Sule, sind dörffer bey dem Walde gelegen.

HERLESHAUSEN ist Heßisch. Heute bey Tage zuständig Hermannen von WERSABE, Nobili literatissimo, Landgr. Georgens zu Hessen Amts Præsidenten zu Schmalkalden. D

BRANDENFELS steht denen Threischen von Butler zu. Heßisch und Eysennachisch Lehn. Hodie das Gericht Brandenfelß.

* * *

Erbtheilungs-Brieff FRID. 2. & WILHELMI 3. F. F. setzt Mannsfeldt unter die Thüringischen Grafschafften mit simpliciter. Aber Theilungs-Brieff ERNESTI und ALBERTI F. F. Saxon. erklären hoc-modo: Die Graffen (**) von Mannsfeld mit Heldrungen, Arnstein, mit dem halben Schloße Morungen, und den Bergwercken, die sq.

(**) Notandum, daß an diesem Orthe die Grafschafft Mannsfeld von Thüringen gantz ausgeschloßen werde, alß die Tabula Erichii weisen kan.

von HONSTEIN. Die Grafschafft liegt auf Thüringer Erde, und Sangerhusen liegt auch auf Thüringer Erde. Und des Graffen Land von QVERNFURT.

(Dissentit Spangenb. Chron. Qverf. c. 2. vid. & Fabric. 7. Orig. f. 768. it. restrictive Erbtheilung Ernesti & Alberti F. F. Sax.)

leit auch auf Thüringer Erden und fort an biß an die Goll.

die alte Goll, die naue Gole im Amte Freyburg in tab. Münst. Ortel, 42. ein Holtz bey Freyburg genannt die Goll: steht im Erbtheilungs-Brieffe Churf. FRIDR: 2. & WILHELMI F. F. 1445.

da steht ein Creutz, das heißt des von SCHEPLITZ Creütze: und an die Brücken, hier dießeit Freyburg. Die Unstrut aber als sie in die Saale fällt

(Corruptum hic Exemplar Germanicum, quod sic restituit Latinum: Fluvium Sale ascendendo, usque ad nemus, ubi oritur scaturiendo, ibique ascendendo ad nigrum nemus, versus Meles & locum dictum die bloße Leube.)

Uber Sale auf gen Berge (Fluvium Sala ascendendo) so lange, biß an den Wald Bober Salfeld, do die Saale entspringt,

Antiquorum hic fuit error. Quos inter Alb. Brem. Vid. P. Albini Chron. Miſn. f. 415.

und ferner mehr oben auf den Walde, für Schwartzenwalde vor Mells.

denn Schwartzwalde ist schon Fränckisch, drum wirds hier excludiret, Meles dergleichen.

und über die bloße Leuben, und über den Enseberg, über den Keßling, und wieder an den Rotenberg, da ich vor angefangen habe. Das ist der Umgang des Landes zu Döringen.

(In Latina Versione sequitur hic loci hic titulus: Ordinatio 4. Advocatiarum & earum Jurisdictionum in 4. sedes, divisas per Carolum M. in relevamen terræ Thuringiæ.)

Nun solt ihr auch wissen, wo wir Dinge-Stühle gesetzt haben zu Hülffe dem Lande zu Thüringen. Der eine Stuhl ist gesetzt, da nun Gotha liegt, in demselbigen Viertel des Landes liegt die Grafschafft von Gleichen, und ihr Lande, und der geistliche Stuhl (das Consistorium, das Stifft) heist ORDROF, den haben nun die Pfaffen gen Gotha gelegt.

(Historia Erphesfurd. Anonymi de Landg. Thur. apud Pistor. Germ. Script. T. 1. f. 940. c. 98.)

Der andre ward gesatzt, da nun TOMMESBRUCKEN leit; In demselben Viertel des Landes leit die Grafschafft Kirchberg. Das Burgwal leit noch zwischen Strußberg und Lora, und der geistliche Stuhl heisset Gicheburg bey Sundershusen.

Diese Stühle haben ein klar Zeugniß im GEORGE Thüler Copial-Buche der Brieffliehen Urkunden fol. 213. da ein Brieff dieſes

ses Einganges gefunden wird: Ich Fritz von der Tanne, Land Schult heisse in den 4 Stüelen zu Gota, des achtbaren Fursten, Landgr. Friedrichs zu Thuringen A. 1353. Luciae.

Der dritte Stuhl ward gesetzt, da nun WEISSENSEE *liegt. In demselben Viertel des Landes liegt die Grafschafft* BICHLINGEN. *Der geistliche Stuhl heist Bebera (*) und leit auf der Fume.*

* l. Fiure.

(*) *Stifft: Dieses ist nunmehr gen Weymar in die Schloß-Kirche transferiret.*

Der vierte Stuhl ward gesetzt, da nun Butzelstedt leid. In demselbigen Viertel des Landes leit die Grafschafft Kessernberg, und den geistlichen Stuhl haben die Domherren zu Erffurth.

Und das heist das ALTE LAND ZU DOERINGEN, *und diss seynd die 4. Voigteyen und Voigt-Ding, die Ruhe mit Recht haben mögen. Und die 4. Voigteyen sollen der Strasse und des Landes hütten, und das befrieden. Wer auch in einem Stuhle ächtig wird, der ist bevor in den andern dreyen ächtig. Wer auch zu* MITTELHUSEN *in die Achte küme vor dem Landgraffen, oder vor denen zwölffen, der ist für allen Gerichten überwunden, die in dem Lande zu Düringen seynd, und der soll in dem Lande zu Düringen nirgend kein Friede haben. Wer auch denselbigen huset, oder heimet, oder ihm einigerley Hülffe thut, oder stärcket, wiessen das die Zwölffe mit dem Landgraffen zuerkennen, der ist solcher Poen überwunden, als der selbst schuldige. Dieß hat Kayser Carl also gemacht mit wiessen und willen der Thüringer.*

Extract

aus der Registranda Archivorum über die gemeinen Briefflichen Documente im Schlosse zu Wittenberg.

Wie die von Erffurth *mit Land-Graff Friedrich, Balthasarn, und Wilhelm eines güttlichen stehens auff 2. Jahr verteydiget und verschrieben sind. Mit Ausdrückung, wie sie sich binnen des mit Schützung und Verteydigung, auch der* vier Stühle *halben, und Austrüge anderer Gebrechen, gegen einander verhalten sollen. 1377.*

Von Land-Stuele zu Bottelstedt *findet man ein klar Zeugniß in* literis Alberti Degen. Landgrav. in Chron. Portens. M. Justi Pertuchii.

Und Kayser Carl sprach zu den Thüringern zuletzt, da er von ihnen scheiden wolte, Herr Landgraff und ihr zwölffe des Landes, Ist es, daß ihr die Gerichte also halter, in gleich und rechte, so soll euch Friedes und Ehre nimmer gebrechen.

Nun ist das Land zu Thüringen ausgerechnet, und alles wohl benahmet, Bürge, Städte, Thürne, Dörffer, Wasser, Welde, Berge und alle Zugehörungen dieses Landes. Nun sollt ihr wissen, daß Wartperg *ist das Haupt dieses Landes, und* Eligersburg,

Elgersburg ist ein Schloß, denen von Witzleben zuständig, ins Coburgl. gehörig. heist der rechte Arm, und leit an dem Düringer Walde, und der Elberberg *ist genannt der lincke Arm des Landes, und liegt an dem Hartze. Und* Weissensee *ist genannt das Hertz, und der* Eckersberg *ist genannt die Füsse, und treten auf die Saale. Noch ist viel sonderlicher Gerichte, die sich seint ar haben haben, und mancher Stücke, da dem Landgraffen gar gross an abgehet, beydes an Schlossen, an Festen, an Landen, an Lehn an Gerichte, die unter ein ander Herrschafft gezogen Geistl. und Weltl. Auch gehet ihm viel ab an verfatzten Dörffern, und an wüsten Dörffern, die unter andre fremde gezogen werden, und auch an Mannschafft, und an mancherley, da ihm alles an abgehet.*

WARTBERG.

ELGERSBURG. EBERSBERG.

Vid. Spangenb. Henneb. Chron. multis in locis. Hac Chronic. supr. sub An. 1065.

WEISSEN SEE.

ECKERSBERGE *und die* SAALA.

Wittenbergl. Regiltratur fol. 70.

Wie Graff Heinrich von Stolberg sich gegen Land Graff Balthasarn *verschrieben hat, den* Ebersberge, Rosslau *und* Kehlingen *von Ihm zu Lehn zu empfahen. 1392.*

Ebersberg *hatte Graff* Heinrich *von* Schwartzburg; *die Graffen von* Hohenstein, *und der Graffe von* Stolberg, *von Hertzog* Wilhelm *den 3. zu Sachsen zugesammten Leben empfangen. An. 1446. vermöge eines alten Lehn-Registers über Hertzog* Wilhelms *Belehnung An. prædicto. In der Regist. X. f. 21. b.*

Und hat auch vor Zeiten ein Geschlecht derer von Ebersberg *gehabt, so Erb-Marschälcke des Landes zu Thüringen gewesen.* Spangenb. sup. fol. 1. huj. Chron.

* * *

Mehr Zeugniss

von dem Landfrieden; *und denen, so darüber gesetzt sind aus dem 2. Theil der Wittenbergl. Registrand fol. 3.*

Erloss Schreiben über des Schultheisen Ammt und Pflege Schutz zu Gotha 1386.

Fol. 8.

Herr Conrad zu Tamrode über den Landfrieden zu Düringen gesetzt, bekennet, daß niemand, weder von dem Bischoffe von Maynutz, noch von Marggraff Friedrichen, wegen der Festi Worbis vor seinem Gerichte erschienen.

Fol. 11. b.

Kayser Carl befiehlet denen von Erfurt, *daß sie Marggraff Fridrichen von Meissen den Landfrieden sollen helffen bekräfftigen, und diejenigen, so darwieder thun, helffen straffen.*

Fol. 12. b.

Carl Röm. König gebeut dem Bischoffe von von Würtzburg, *daß er Marggraff Fridrichen von Meissen wolle beholffen seyn, wieder diejenigen, so ihn hindern, daß er den Landfrieden nicht befestigen noch vollziehen möge.*

Fol. 13.

Carl Röml. König befiehlet dem Bischoffe zu Bamberg, daß er Marggraff Fridrichen zu Meissen den Landfrieden solle befestigen helffen.

Fol.

Fol. 14.

Wie Graff Hanns, verordneter des Landfriedens zu Thüringen Friedrichen und Hansen von Balgestete, von wegen Hansen von Colleda *vortheilt, und verweiset hat. A. 1391.*

Fol. 16.

Wie Graff Hanns von Schwartzburg *als verordneter, neben andern des Landsriedens zu Döringen, Hr. Stephan Greiffvogel, mit andern, in den Landfrieden verweiset und vortheilet hat An. 1391.*

XIII.

ERMOLDI NIGELLI

ABBATIS, VT VIDETVR, ANIANENSIS,

ET

AVCTORIS SYNCHRONI

DE REBVS GESTIS

LVDOVICI PII AVGVSTI

Ab Anno DCCLXXXI. usque ad Annum DCCCXXVI.

CARMEN ELEGIACVM,

NVPER CL. INTER SCRIPTOR. RERVM ITAL. TOM. II. PARTE II.

EX VETVSTISSIMO CODICE

CÆSAREÆ VINDOBONENSIS BIBLIOTHECÆ EDITVM CUM NOTIS DOCTISSIMIS

A

LVDOVICO ANTONIO MVRATORIO,

SEREN. DVCIS MVTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO.

IN

ERMOLDI NIGELLI CARMEN

DE REBVS GESTIS

LVDOVICI PII AVGVSTI

PRÆFATIO

LVDOVICI ANTONII MVRATORII.

PEtrus *Lambecius*, Cæsareæ Vindobonensi Bibliothecæ olim Præfectus, Vir magni nominis, & de Literaria Republica suis Libris optime meritus, & potissimum quod Commentariis suis ejusdem Bibliothecæ thesauros, Augustissimo olim LEOPOLDO Romanorum Imperatore jubente, in omnium utilitatem exposuerit; Lambecius, inquam, is fuit, qui primus *Ermoldi Nigelli*, ejusque Poematis nunc edendi justam aliquam Erudito orbi notionem dedit. Nam quod Marquardus Frehcrus aliquot ex ejus versibus antea prodidisset, atque ignotum plane Scriptorem aliqua ex parte detexisset, adeo tamen jejune de eo loquutus est, ut nullum apud Literatos Viros reliqverit hominis ac Poematis desiderium. Ad hæc *Gerardus Johannes Vossius* ante Lambecium Auctoris hujus mentionem injecerat, Lib. 3. Cap. IV. de Historicis Latinis, sed fugientis ad instar; agens enim de *Ermenoldo*, sive *Ermenrico* Diacono & Monacho, qui Vitam Sancti Soli Abbatis circiter Annum 840. literis consignavit, editam a Canisio, ac subinde a Mabillonio, hæc habet: *Si idem Hermenricus & Ermenoldus: idem quoque fuerit Ermoldus is, qui elegiaco Carmine cecinit Panegyricum Ludovici Pii.* Quamobrem Vossius Ermoldum nostrum, quippe sibi vix de nomine notum, ne intulit quidem in censum Historicorum: quod certe in posterum non erit omittendum. Verum Lambecius Commentar. Lib. II. Cap. V. num. 25. pag. 395. de eo sermonem ex professo instituit, describens MStum Codicem Hist. Latin. Bibliothecæ Vindobonensis CCXLIX. ubi postquam nomen, ætatem, exilium & Poema Ermoldi recensuit, Poematis etiam ipsius principium & finem specimenis loco exhibuit, integri operis deinde edendi spe, immo sponsione adjecta. Proinde avide ab amatoribus Literarum exspectabatur, ut Lambecius evulgato tandem Libro fidem suam liberaret: quod sane facturum illum fuisse non dubito, nisi invida mors Anno 1680. egregium & clarissimum virum nobis eripiens, omnia quoque illius literaria consilia abrupisset. Ex his clarescere in dies magis ac magis cœpit Ermoldi nomen, atque illum propterea *Guilielmus Cave* in Hist. Literar. ad Annum 834. catalogo adjunxit Scriptorum Ecclesiasticorum, *Ermoldum* pro *Ermoldo* appellans. *Johannes* quo-

que *Hallervordius* in Spicilegio de Historic. Latin. idem præstitit, simul memorans, quæ de hujusmodi Libro pollicitus fuerat Lambecius. Neque omittendus doctissimus Vir *Daniel Nesselius*, qui in Sciagraphia magni Corporis Historici Anno 1692. Vindobonæ edita, hoc ipsum opus una cum aliis bene multis nondum vulgatis se publicis usibus benevole communicaturum pollicebatur. Hæc vero addit ille de MSCto Codice unico, ubi Poema hoc delitescebat: *Scripturæ Codicis perantiqua est, & ceteris temporum Imp. Caroli Magni, & Ludovici Pii Manuscriptis Codicibus similllima; ideoque affirmare ausim, hunc vel illum ipsum esse authenticum Codicem, qui Imperatori Ludovico Pio oblatus est, vel saltem eodem ævo ex illo esse descriptum. Fuit is olim, priusquam in Augustissimam Bibliothecam Cæsaream translatus est. V. Cl. Wolfgangi Lazii, ut apparet non solum ex propria ipsius manu, quæ nonnullis locis in margine cernitur, verum etiam ex testimonio Johannis Jacobi Frisii, quod in Bibliotheca Gesneriana ab illo auctius edita, exstat his verbis: Ermoldi Nigelli exulis ad Ludovicum Primum Imperatorem de rebus ab eo gestis Libri quatuor, elegiaco Carmine conscripti, exstant Viennæ Austriæ apud Wolfgangum Lazium.* Sed & Clarisi. Vir, ac insigne Benedictini Ordinis decus, *Johannes Mabillonius*, in Annal. Benedictin. ut infra patebit, Ermoldi nostri mentionem fecit. Præterea non illum tantummodo memoravit, sed ejus etiam auctoritate usus est celeberrimus Vir *Godefridus Guilielmus Leibnitius*, qui MSCtum Vindobonensem Codicem legerat, ut suam de *Origine Francorum* sententiam confirmaret; cujus Dissertationem quum Doctissimus Vir *Johannes Georgius Eccardus* recuderet ac illustraret, in Notis & ipse animadvertit, Ermoldum adhuc luce carere, editionem vero illius sperandam fore a præstantissimo viro *Johanne Benedicto Gentilotto*, qui tunc Imperiali Bibliothecæ præerat.

Verum amplificata in hunc modum Ermoldi fama, quid aliud tamdem præstitit, nisi Eruditorum sitim accendere acrius? ac meam potissimum, ubi consilium cepi colligendæ in unum Italicæ Historiæ, simulque depromendi quidquid hactenus ejusce argumenti temporum injurias effugerat, atque in commune bonum conquirere mihi liceret? Continuo enim observabatur animo, quam bene huic loco sederet exoptata Ermoldi editio, quantumque Ludovici Pii gesta cum Historia nostra convenirent, quando pæne universa Italia sub ejus ditione foret; imo constet, ad Italicum cœlum peculiari eo titulo spectare Augustos quoslibet, quod Reges Italiæ sint, ac Romanorum Imperatores, atque hinc magnificam præ ceteris appellationem ad eos deferri. Ad Curiam Romanam interea sese contulerat supra laudatus Illustrissimus *Gentilottus*, Auditoris in Rota, ut ajunt, Romana munus pro Germanica Natione obiturus, atque ad Bibliothecæ Cæsareæ præfecturam adsumtus fuerat doctissimus ac præstantissimus Vir *Pius Nicolaus Garellius*, Eques Ordinis Christi, Consiliarius, atque Archiatrus Augustissimi Romanorum Imperatoris atque Hispaniarum Regis CAROLI VI. Illustrissimum Garellium ergo, cujus in me benevolentiam, quotiescunque res poposcit, singularem semper sensi, crebris literis adortus sum, ut humillimis precibus meis ad Clementissimi Cæsaris aures deductis ita ageret, ut Hermoldus per me demum revocari posset ad Vitam, neque sineret eruditam gentem diutius illius exspectatione fatigari. Et sane facilem votis meis se præbebat Augustissimi Principis ad cuncta Literarum commoda atque incrementa acclinis promtusque animus; sed quum Hermoldum Gentilottus non solum in se recepisset evulgandum, sed integrum etiam in spissos Commentarios intulisset, quos ad Cæsaream Bibliothecam amplius illustrandam instruxerat, & proelo parabat, Cæsar in omnia vel minima officia intentus, ita Poema hocce mihi elargiendum statuit, dum Gentilotti quoque consensus accederet. Verum sibi præripi Scriptoris hujus editionem minime is lubens patiebatur; & quamquam Amplissimi Proceres Marchio de Rialpe, ab intimis Augusti secretis atque Consiliis, & Hieronymus Colloredus, egregius tunc Insubrum Moderator, deinde vero ad Cæsareæ Aulæ honores ac paullo post ad superos translatus, pro suo erga collectionem hanc magnanimo studio causam meam juvarent; immo Palatini ipsi Socii pari mecum zelo ducti supplicem hac ipsa de re libellum Augustissimo CÆSARI per ipsum Comitem Colloredum obtulissent, excitatis etiam in eam rem officiis Illustrissimi Viri Co. Caroli Pertusati Mediolanensis Senatoris, & in Maximo Hispaniarum Consessu Regentis, non minus legum, quam eruditionis eximii cultoris; adhuc tamen in ancipiti relicta est sors Ermoldi Nigelli. Quum ecce inopinatus casus nodum hunc solvit; nam egregius vir Gentilottus, vix renuntiatus Episcopus & Princeps Tridentinus, Romæ non sine omnium bonorum mœrore postremo fato sublatus, Anno proxime præterito 1725. magnum eruditionis amatoribus, sui desiderium reliquit. Tunc ergo rursus in spem erectus fore, ut voti mei compos fierem, ab humanissimo Garellio petii, ut quando promissa toties Ermoldi editio, longe quam antea ex Gentilotti obitu difficilior atque remotior evasisset, ab Augustissimo Cæsare, Collectionis etiam meæ patrono clementissimo, ejus mihi edendi veniam denique impetraret. Quid plura? vicere preces meæ, & donum Garellius impetravit: magnanimus enim IMPERATOR, ac felicitati temporum nostrorum natus, quique non tam belli quam pacis artibus gloriam sibi atque immortalitatem nominis parere numquam desinit, Ermoldum mihi dimittendum jussit, & præcipue, quum sive per Commentarios Gentilotti, sive per me Respublica Literaria Ermoldum accipiat, ad unam semper gloriosissimi Augusti CAROLI VI. liberalitatem, atque ad illius ditissimam celebremque Bibliothecam,

thecam, quæ una Ermoldi Poëma MSCtum adſervat, beneficium ejusmodi ſit referendum; ipſum vero beneficium eo pluris faciendum, quo citius collatum. Quid ea occaſione ad me perſcripſerit eruditiſſimus Cæſareæ Bibliothecæ Præfectus Garellius, operæ pretium duco, grati etiam animi gratia, heic palam facere.

Pius Nicolaus Garellius
Clariſſimo atque Eruditiſſimo Viro
D. Ludovico Antonio Muratorio
Sereniſſimi Mutinenſium Ducis Bibliothecario
S. P. D.

A „Æquum poſtulas V. Cl. ut cum pridem atque iteratis vicibus de Nigellio repulſam tuleris, ex eo quod a Gentilotto ſuum in „Catalogum eſſet inlatus, brevique in lucem „edendus ſperaretur, nunc ipſe, qui reſtiterim, tuas apud Cæſarem Auguſtiſſimum „preces reviviſcere faciam. Optimo, inquam, jure poſtulas, quando, ut fert miſeranda humanarum rerum viciſſitudo, tanti „Viri jacturam Literatorum orbis paſſus eſt, „atque ea jam deciderit ſpe, ut ſaltem tam cito „exoptatis Gentilotti laboribus frui poſſit; nam „profecto & vaſtum hoc Opus eſt, & non pau„ca in eo contenta, ab ipſo Auctore, ut qui ad „ſui Cæſareæque Bibliothecæ uſum id conſe- B „cerat, cenſoriam notam, ſi edenda forent, „deſiderabant, ne forte teneriores quorum„dam aures offenderentur. Quæ enim anti„quorum temporum memoriam ſuſcitant, „noſtra hac ætate non omnia omnibus placent. Quinimmo id mihi Roma etiam per litteras non ſemel innuit, demendique ea, quæ vi„derentur, pro ſua in me humanitate, amplam „dederat facultatem, ſi editionem maturare „Cæſari in animo eſſet. Verum ut id oneris „meo, ut ita dicam, periculo in me ſuſcipe„rem, vivente præſertim Auctore, multa ea„demque graviſſima argumenta diſſuadebant, „quæ & divinare facile potes, & prolixius „heic obtrudere minime neceſſarium. Ac- C „cedunt graviſſimæ, quibus aſſidue diſtineor, curæ; alienus præterea ab odioſis animus, atque tranquillitatis amantiſſimus: „quotidie enim verſantur ob oculos præclariſſimorum Virorum fata, qui in edendis alio„rum Operibus iniquum ſane moroſorum ju„dicium experti ſunt: neque noſtris, qui a Bi„bliotheca ſunt, tantum otii nunc ſuppetit, „neque ſi ſuppeteret, tam brevi tamque teme„re id effici poſſet, ſi hanc eis velim demanda„re provinciam.

„Habes, Vir ornatiſſime, ὡς ἐν παρόδῳ, quæ D „Gentilottiani operis editionem morari, mor„tuo præſertim Auctore, quadamtenus va„lebunt. Verumtamen ea ſum ſententia, ut „quidquid vel ad antiquitatem illuſtrandam, „vel ad levandam ſtudioſorum curioſitatem „faciat, id nullo pacto in Bibliothecis perpe„tuo ita adſervari velim, ut blattis tineisque „annoſæ ſuppetant epulæ; ſed in lucem „omnium utilitati proferri, quanta potero „accuratione & diligentia ſtudebo, ſatagam„que, ut quod promovendo ampliandoque Literatorum comodo a viribus ingenii deeſt, promta ſaltem & ingenua voluntate penſetur. Ita ſemper fui animatus, neque poſthac, ubi uſus venerit, ultro ſuadere deſiſtam, præſertim quum hujus inſtituti adeo ſautorem, quinimmo dicam auctorem, ipſum Auguſtiſſimum Clementiſſimumque Dominum meum quotidie expectar, ut num quam vota, preces que meas, quæ rei literariæ augmentum reſpiciant, inanes ab ejus munificentia cecidiſſe viderim. Quorſum iſthæc, inquies, quaſi quiſquam tam cæcutiat, ut de Maximi Principis erga Literas largitate dubitet, ubi tot monumenta eximiæ hujus gloriæ ſuperſunt? Non alia de cauſa, quam ut me (fateor enim) expurgem, ſi forſan moroſitatis incuſaveris, quod mandatis antehac tuis obſequi iterato renuerim; modeſte namque nec ſine diſcrimine Cæſaris liberalitate uti in more habeo: modo autem, quando tempus ratioque ſuadebant, acceptis literis tuis, illico Cæſarem adii, expoſui & expoſuiſſe exorare fuit. Qui enim tibi optimo Viro, tamque bene de re Literaria merito, id umquam abnueret, quod nulla cauſa prohiberet.

„Habeas igitur Nigellianorum Carminum exemplum, optima fide exſcriptum, diligenterque collatum, eodemque interea priſcarum Hiſtoriarum cupidi inſtar arrhæ tui gratia recepto, de ceteris Auguſtæ Bibliothecæ monumentis ſpem concipiant, vetuſque adeo de hoc ſcriptore deſiderium ſolentur. Hac tamen id tibi lege præſtatur, ut nihil de Gentilotti noſtri lucubrationibus intercidat; ſed quod ipſe huic Opellæ præpoſuerat judicium, ea religione, qua ex Auguſta Bibliotheca Commentariisque Gentilottianis emittimus, purum putum Præfationis loco typis mandetur. Hoc enim modo per Auguſtiſſimi Cæſaris munificentiam nihil de Gentilotti dignitate atque gloria imminutum, factumque literariæ reipublicæ per me ſatis cenſeo. Codex hic olim quidem inter Hiſtoricos, numero CCXLIX. ſitus erat; nunc autem juxta Gentilottianam recenſionem inter Hiſtoricos profanos DCCCCXCII. locum obtinet.

„Eſt præterea, quod te paucis rogatum velim. Quum a *Forloſia* noſtro audiverim te Francorum Annales, qui a Lambecio editi fuerant, recudere conſtituiſſe, e re tua fore judicarem, ut iisdem Gentilotti quoque judicium una cum variantibus lectionibus adjungeres: quæ omnia eo fine exſcripto Nigellio adjeci; ita enim commode & tibi ipſi parces, & amiciſſimi ampliſſimique Antiſtitis memoriæ, mihi æternum colendæ (ne quod cumque id laboris evaneſcat) conſultum erit. Ceterum ut me ames, enixe rogo, ac ſi quid hoc amplius efficere tibi poſſim, jube & vale.

Dabam Vindobonæ a. d. XVIII. Kalend. Decembr. MDCCXXV.

Prodit ergo jam tamdem *Ermoldi Nigelli* Elegiacum Carmen de *Rebus geſtis Ludovici Pii*,

Pii, numquam antea editum: quo ex Opere si Collectionis meæ, ac præsertim hujus Tomi, pretium maxime auctumiri dixerim, neminem fortasse contrasentientem reperiam. Sed antequam profitear quid de ipso Poemate sentiendum sit, exigit res, ut primum proferam, quis ejus Auctor fuerit. *Ermoldum Nigellum* ille se disertis verbis appellat in Præfatione, ubi per duplicem Acrostichum in principio & fine versuum hunc nobis versum offert:

„*Ermoldus cecinit Hludovici Cæsaris arma.*

Ibi quoque altero versu alterum suum nomen prodit, inquiens: A

„*Suscipe gratanter, profert quæ dona Nigellus.*

Duplex, inquam, nomen illi fuit; quod si cui placeat, alterum potius appellare agnomen, facile me consentientem habebit. Sic iis temporibus floruere *Flaccus Albinus*, quem *Alcuinum* dicimus, *Amalarius Fortunatus*, *Lupus Servatus*, *Walafridus Strabo*, *Paschasius Radbertus*, *Rabanus Maurus*, ut alios omittam, ad quorum nomina agnomen aliquod accessit. Neque me fugit, Clariss. Sirmondum, in Notis ad Ennodium, & in Præfatione ad Sidonium, contendere, apud mediæ ætatis homines morem obtinuisse, ut nobiles tantum pluribus nominibus uterentur, quorum postremum tantummodo proprium eorum nomen foret; quæ vero præcederent, adscititia, ac veluti prænomina essent. Sed quod ille de Ennodii ac Sidonii temporibus recte pro suo more animadvertit, vereor, ne hæc ad tempora Caroli Magni aptari possint; verique videtur similius, *Albinum*, *Strabonem*, *Servatum*, *Maurum*, *Nigellum*, aliaque ejusmodi, agnomina fuisse addita post proprium nomen. Sed progrediamur. Non solum ipsi Ludovico Pio, cujus gesta canit, Ermoldum fuisse synchronum liquet, sed ipsum etiam Augusti illius jussu propter aliquod crimen in rem politicam exilio fuisse mulctatum. Locus exilii *Argentoratum fuit, Strazburc* Poetæ appellatum, quod nomen adhuc apud Germanos retinet. Ut autem iratum Cæsarem placaret Ermoldus, ejus laudes Carmine isto canendas, egregiaque illius gesta narranda suscepit, idemtidem misericordiam pii Principis implorans, & exilii finem deprecans. Præcipue vero in calce Carminis ait: B C

„*Hoc tibi, Cæsar, opus stolida crocitante cicuta,*

„*Porrigit Ermoldus, exul, egenus, inops.* D

Christum deinde rogat, ut Ludovicum ad propius cognoscendam, pensandamque ejus causam inducat, hæc subdens:

„*Veridicis poteris forsan cognoscere verbis,*

„*Criminis objecti me minus esse reum.*

„*Non tamen excusome illius, crede, reatus,*

„*Infelix quo sim trusus in exilium.*

Sed quis iste Ermoldus Nigellus fuerit, nusquam legitur, adeoque ad eum dignoscendum, reliquum est, ut conjecturis tantum agamus. In vita Ludovici Pii ab Astronomo scripta ad Annum 834. hæc leguntur: *Mandavit* (Imperator) *filio Pipino per Ermoldum Abbatem, res Ecclesiasticas, quæ in Regno ejus erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi præripuerant, absque cunctatione Ecclesiis restitueret.* Ad hæc respiciens Clarissimus Mabillonius in Annal. Benedictinis ad Annum Christi 818. ubi de Nantuacensibus Abbatibus agit, profert, *Ermoldum Abbatem Nantuacensem*, qui Anno 833. florebat. Tum hæc subdit: *Forte hic est Ermoldus Abbas, per quem Ludovicus Augustus Anno sequenti, id est tricesimo quarto, mandavit filio suo Pippino, ut res Ecclesiasticas &c. restitueret.* Tum idem ipse Mabillonius in aliam sententiam, & quidem justiore titulo, declinare visus est ad Annum 834. hæc scribens: *Quis sit ille Ermoldus Abbas ad Pippinum missus, haud satis compertum, nisi ille sit Ermenoldus Abbas Anianensis, qui Anno sequenti privilegium a Ludovico Imperatore obtinuit. Neque vero hunc esse existimem Ermoldum Nigellum, in exilium a Ludovico ipso ablegatum, qui Carmen de ejus laudibus, quatuor Libris composuit, a Lambecio editis Tom. II. Biblioth. Cæsar.* Mabillonium hoc consueta sua diligentia defecit; neque enim usquam Libros illos Lambecius evulgavit, sed principium tantummodo & finem. Ille vero dicere pergit: *Erat is sine dubio Lotharianarum partium fautor, atque ideo in exilium & in carcerem actus: at quamvis in libertatem assertus fuerit, haud verisimile videtur, cum ipsum postea Legati honore a Ludovico affectum fuisse.* Hæc Mabillonius, quem divinare volentem, & divinationi suæ aperte adversantem, ego nihilominus in verum impegisse conjicio, ne dicam persuasum habeo. Rem intime perscrutemur, quando sub oculis nostris integrum est Hermoldi Poema, quo Mabillonius ad rectum judicium ferendum carebat.

Fuisse Hermoldum Nigellum Monachum Benedictino instituto addictum, continuo intelligat, quicumque ejus carmen legat; neque enim ibi ullus prætermittitur locus, quo Poetæ calamus in Benedictini Ordinis, ejusque Abbatum, Monasteriorum, & Regulæ laudes non excurrat; ut mittam Ecclesiasticam illius eruditionem, quæ hominem minime Laicum prodit, & quæ iis temporibus in Monachis sæpius quam in Secularibus Clericis spectari consuevit; *Abbatem* quoque fuisse, ea indicant, ni fallor, quæ is habet Lib. IV. ubi expeditionem adversus Britannos rebelles Anno 824. enarrat. Inquit enim:

„*Huc egomet scutum humeris, ensemque revinctum*

„*Gessi, sed nemo me feriente dolet.*

„*Pippin hoc aspiciens risit, miratur, & infit:*

„*Cede armis, Frater: litteram amato magis.*

Ex his primo confirmatur, Ermoldum nostrum Monasticam vitam fuisse professum; non alia quippe de causa Pippinus Rex eum intuens in risum erupit, nisi quia armis accinctum

ctum cernebat hominem, a militari profeſſione adeo alienum, & arma Monaſticæ veſti tam male aptata. Proinde eum ridendo hortatus eſt, ut a militia abſcederet, & literarum ſtudiis, quod Monachum decebat, eique in more erat, vacaret. Præterea illum *Fratrem* appellavit: iſtud vero nomen, a quo nunc Monachi tantopere abhorrent, & Religioſis dumtaxat Mendicantibus ſervatum volunt, olim Monachos potiſſimum deſignabat, uti eorum temporum monumenta evincunt; immo hoc ipſum Poëma non uno in loco fidem facit. Secundo hinc elucere etiam poteſt, Ermoldum A alicui Monaſterio *Abbatis* titulo præfuiſſe. Pluribus oſtendit Doctiſſimus Thomaſinius Part. III. Lib. I. Cap. XL. de Benefic. regnante Carolo Magno, ejusque ſucceſſoribus, conſueviſſe tum Epiſcopos, tum Abbates ad militiam & ipſos accedere, ſuosque milites in Regis ſervitium ducere. Erat id munus Abbatum, non Monachorum. Et quamquam Carolus Magnus, aliique Francorum Reges ab hujusmodi onere Eccleſiaſticos interdum Proceres abſolverint, uti in eorum Capitularibus legitur; & quamvis Monaſteria forent, quæ a ſuppeditandis Regi militaribus copiis immunia B haberentur, attamen ubi graviſſima publicæ rei neceſſitas exigebat, quivis Epiſcopi & Abbates ad expeditiones militares confluere, aut ſaltem ſuas turmas conferre cogebantur. Hoc autem præſtitiſſe Hermoldum noſtrum hinc diſcimus, qui etiam profitetur, ſe ab omnium ſanguine abſtinuiſſe, neque arma ſe detuliſſe in alicujus perniciem: quibus verbis militiam ſuam a crimine purgat, ſeque Irregularitatis, ut nunc dicimus, vinculum evitaſſe prodit.

Sunt ergo, quæ Ermoldum Abbatem Monaſterii alicujus nobis exhibent. Supereſt nunc, ut inquiramus, cuinam ille præfuerit. C Quum legerem apud Du-Cheſnium & Balluzium in Capitulari Ludovici Pii ſpectante ad Annum 817. inter Monaſteria, *quæ dona & militiam facere debent, recenſeri Monaſterium Nigelli*, occurebat mihi dubitatio, num ſub *Nigilli* nomine venire potuerit Ermoldus noſter agnomento *Nigellus*. Fuiſſe enim Monaſteria, quæ ab inſtitutore ſuo denominationem acceperint, minime difficile erat oſtendere. Sed quum Mabillonius in Annalibus contendat, Monaſterium hoc ita nuncupatum, quod ad Nigellam fluvium ſitum eſſet, inde me ad alias conjecturas converti. Mea ergo ſi non ſententia, certe conjectura bonis, ut arbitror, fundamentis innixa eſt; nempe D nullum alium fuiſſe Ermoldum noſtrum, quam *Ermenaldum Abbatem Monaſterii Anianenſis*: quod nuper a veri ſimilitudine abeſſe ſupra laudato Mabillonio videbatur. Quod ut oſtendam, norint Lectores, *Anianenſe Monaſterium*, cui ab Aniano amne inditum eſt nomen, ſitum ad oram maris mediterranei in Occitania, nunc *la Languedoc*, in Diœceſi Montis Peſſulani, A. 822. paruiſſe *Trudenſido Abbati*, uti Mabillonius idem palam fecit in Præfatione ad vitam ſancti Benedicti Abbatis Anianenſis Sec. IV. Benedict. part. I. pag. 192. Ludovici Pii Diploma in hanc rem ille laudat. Tum eodem monente, ad Annum 835. & 837. tria ab ipſo Ludovico Privilegia conceſſa fuere *Ermenaldo Abbati Anianenſis Monaſterii*: ita ut nihil obſtet, quo minus arbitrari poſſimus, poſt Annum 822. *Ermenaldum* hunc præeſſe cœpiſſe eidem Monaſterio. Porro *Ermenaldum* & *Ermoldum* idem nomen fuiſſe, ne ipſe quidem Mabillonius negat, quando ſuſpicatur, uti ſupra adnotavi, eumdem hunc *Ermenaldum* fuiſſe, atque *Ermoldus*, qui anno 834. a Ludovico Auguſto ad Pippinum Regem miſſus fuit. Nam *Ermenaldus*, atque *Ermenoldus* unum nomen erat olim; eaque de cauſa apud Labbeum Tom. I. Biblioth. MSstorum in Hiſtor. Epiſcopor. Autiſſiodor. occurrit etiam *Comes pagi Autiſſiodorenſis Ermenoldus nomine*; & apud Bollandum ad diem VI. Januarii in Act. Sanctor. Vita Sancti *Ermenoldi*, ſive *Erminoldi*. Qua ratione etiam in antiquis libris æque legitur *Arnaldus & Arnoldus*, *Rainaldus & Rainoldus*, *Bertaldus & Bertholdus*, *Hunaldus & Hunoldus*, *Athelbaldus & Adelboldus*; & cetera ejusmodi nomia. Age vero exerantur, quæ me ad ſuſpicandum impellunt, unum eumdemque hominem fuiſſe Hermenoldum Abbatem Anianenſem, & Hermoldum noſtrum. Jam nomina concordare vidimus, dignitatem, & tempus. Nunc addo, elucere ex ipſo Poemate, Monaſterium, a quo avulſus fuerat Poëta noſter, & in exilium actus, ad Aquitaniam ſpectaſſe, hoc eſt ad Regnum, cui tunc Pippinus Ludovici Pii filius præerat. Sub finem Lib. I. hæc ſibi optat Ermoldus:

„*Lætus ut exul eat Pippini in Regna potentis,*
„*Conferat Altitonans, Cæſar & ipſe potens.*

Idem antequam claudat Libr. III. ita canit:

„*Hæc eadem pietas (poſco & repoſco fidelis)*
„*Memet Pippino reddat opima pio.*

Viden ut Ermoldo noſtro fuerit non ſolum ſedes in Aquitanico Regno, ſed etiam apud Pippinum ibi Regem plurima gratia? Statim igitur occurrit nobis *Anianenſe Monaſterium* in Aquitania poſitum, cui tunc præfuiſſe Ermenoldum, ſive Ermoldum Abbatem nuper vidimus. Accedit, quod ipſius Monaſterii conditorem Benedictum virum ſanctitate celebrem, ibique primum Abbatem, ac poſtea ad Monaſterium Indenſe tranſlatum, & Ludovico Pio ſupra ceteros Monachos carum, Ermoldus noſter ſub finem Libri II. pluribus commendat, pariterque in ipſius Anianenſis Cœnobii laudes excurrit. Præterea in calce Libri III. ejusdem ſancti Benedicti mortem refert, quæ Anno 821. contigit, quinque videlicet annis, antequam Hermoldus noſter ſuum Poëma conficeret. Ibi vero ad ipſum ſanctum virum converſus hæc habet:

„*Tertius in veſtro finem tenet ecce Libellus*
„*Nomine, ut Ermoldi ſis memor alme tui.*

Cur, amabo, Benedictum olim Anianenſem Abbatem rogat, ut *Ermoldi* ſui ſit memor, niſi quia Ermoldus in ejusdem Cœnobii regimine Benedicto & ipſe ſucceſſerat, ejusque forta-

sis etiam Discipulus fuerat? Quæ omnia eo tamdem collineant, ut nimium verisimili ratione ducti agnoscamus, Scriptorem nostrum unum cum *Ermenaldo Anianensi Abbate* censendum esse, eumque ipsum *Ermoldum Abbatem* fuisse, qui a Ludovico Pio ad Pippinum filium Anno 834. legatus est missus. Nam quod Mabillonius adversus hujusmodi opinionem objecit, nempe verisimile nequaquam esse, a Ludovico Augusto id muneris ei commissum, qui Lotharianarum partium pridem fuisset, nullo nititur fundamento; idque optime sensisset egregius ille Scriptor, si ei, ut nunc nobis, totum Ermoldi Poëma legere licuisset. Summe abominanda filiorum conjuratio in Ludovicum Pium veluti ex ovo tamdem erupit Anno 830. Attente autem legenti Carmen Ermoldi nostri facile constabit, illud Anno 826. confectum fuisse, & consequenter Auctoris delictum atque exilium longe praecessisse funestissimam illam Francorum Tragœdiam. Quæ is narrat, in eodem Anno 826. consistunt; tum iis enarratis continuo subjungit in fine Operis:

„*Hæc quoque dum canerem, Strazburc cuſtode tuebar,*
„*Delicti proprii conscius atque reus.*

Ergo eodem Anno 826. is carmen suum lucubrabat. Accedit, quod Ermoldus *Lotharium*, *Pippinum* Augusti filios, *Matfridum* & *Hugonem* Comites, aliosque commemorat passim, laudat, eorumque benevolentiam captare nititur; qui tamen primas egere in tot turbis contra piissimum Imperatorem excitatis. Si illum hæc scriberet Ermoldus, teterrima illa animorum commotio jam accidisset, eidemque immixtus & ipse fuisset: ab hisce principibus tam sæpe laudandis profecto abstinuisset, quandoquidem ad Ludovicum tam male (ab iis habitum hæc scribebat, & ab ipso Ludovico poscebat criminis veniam, & libertatem pristinam. Non est ergo miscendus Poëta noster cum gravissimis Anni 830. & subsequentium tumultibus; atque ex alio plane crimine in exilium fuerit ille trusus ante Annum 826. Nunc vero conjectare rite possumus, eum vix post oblatum Poëma hoc Ludovico Augusto, restitutum fuisse in gratiam Principis, ac deinde Anno 834. ejus integritatem ac fidem adeo perspectam fuisse, ut eum Ludovicus delegerit Legatum ad filium Pippinum. Immo quum ex hoc ipso Poëmate satis intellexerimus, Ermoldum nostrum Pippino ipsi potissimum studuisse eique carum fuisse, simul etiam ad clarius perspiciendum deducimur, quare Ludovicus Cæsar ceteris ipsum præferens, eo uti maluerit ad significandam filio mentem suam, aptioremque illum censuerit, ad pertractandam cum Pippino ipso rei Ecclesiasticæ restitutionem in Aquitaniæ Regno.

Atque hæc sunt, quæ de Auctore Carminis mihi dicenda succurrunt. Pauca nunc de ipso Carmine addamus. Habet profecto ad ea tempora Francorum Historia probatos & fidos Scriptores. Attamen illud animadvertendum, non esse Historicorum aut munus aut consuetudinem, minuta quæque persequi. Idque præsertim in oculos incurrat legentibus, magni certe faciendos, jejunos tamen, Francorum Annales. Verum Poëtas non solum decet, sed etiam Artis suæ institutum plerumque cogit, ita rerum eventus aut veros aut fictos describere, ut ad singularia etiam minutissima descendant. Quam legem ab Ermoldo nostro non raro impleri videas, eaque ratione illorum temporum ritus ac mores graphice delineari. Hinc autem eruditionis penus habet unde augeatur, supplentibus Poëtis ea, quæ in Historiographis fere desiderantur. Exemplis pareo: illa enim per se colligere unicuique in promtu erit. Ceterum Poëma habes, rudi profecto Minerva confectum, alicubi etiam caliginosum, atque orationibus interseptum; quæ nihil delectationis, tædii etiam aliquid interdum adferant. Et profecto nemini ad illud accedendum, quasi ad eximium quoddam Poëticæ artis exemplar. Nihilo tamen secius ad institutum meum quod attinet, egregium Historicum, fidum, synchronum profero; neque enim Lectores huc volo ad Poëticos flores, sed quidem ad unam Historiæ veritatem assequendam. Hanc autem luculenter accipias ab Ermoldo nostro, idoneo suorum temporum teste, & in hoc præsertim a melioribus Poëtis dissimili, quod nullas usquam fabulas narrationi suæ intermisceat. Ad hæc præcipuos Palatinos, Proceresque Aulæ Cæsareæ, aliosque illustres viros ea tempestate florentes nobis ille commemorat, si Walam Abbatem excipias, quem is fortasse sibi infensum senserat. Singulorum autem eo consilio meminisse videtur, ut omnium gratiam iniret, & quemque propitium sibi apud Augustum Ludovicum ad recuperandam libertatem haberet. Sed præ cæteris Imperatrici *Judith* blandientem animadvertas, quam laudibus onerat, & cujus puerum *Carolum*, postea *Calvum* appellatum, Gratis carissimum exhibet. Ludovicum præterea ipsum eo virtutum, ac potissimum Religionis atque Pietatis concentu illustrem ita pingit, ut plane appareat, quam justo titulo *Pii* appellatio in eum translata vel eo tempore fuerit. Uno verbo est, cur Italia, Germania, & Gallia, quibus, tunc pius ille Princeps dominabatur, gratias, easque plurimas habeant Augustissimo Cæsari CAROLO VI. nulli præcedentium Imperatorum Pietate, Fortitudine, & Prudentia secundo, quod concesserit; Illustrissimo Garellio, quod impetrarit; liceat adhuc addere & mihi, quod denique ediderim Auctorem rei literariæ perquam utilem, & diutius, quam par erat, hactenus altero exilio damnatum.

Ex Johannis Benedicti Gentilotti Catalogo Manuscriptorum Codicum Historiæ Profanæ numero 992. olim 249.

MEmbraneus constans foliis 66. qui eodem Seculo, quo Auctor vixit, aut certe non multo post, scriptus esse videtur; quique, ut constat ex Bibliotheca Gesnero-Simleriana

per

per Frisium aucta, ad Bibliothecam Wolfgangi Lazii olim pertinuit. Continetur eo *Ermoldi Nigelli* Poëma de Rebus gestis Ludovici Pii, in Libros IV. tributum. De Auctore nihil exploratum habeo, præterquam quod ipse meminit, se militasse in expeditione Britannica Anno DCCCXXIV. Argentorati eumdem exulasse liquet ex iis, quæ narrat prope finem. Causam, ob quam exilio multatus fuit, nusquam memorat; nec constat, an de eo reductus fuerit; quamquam, si propterea in exilium ejectus fuit, quod in Ludovicum Imperatorem cum aliis factiosis conspirasset, vix dubium esse possit, quin cum reliquis, qui earum fuerant partium, quibusque Ludovicus ignovit, ab exilio fuerit revocatus. Meminit equidem Astronomus in Vita Ludovici, Ermoldi Abbatis, eumque ab Imperatore ad Pippinum filium missum narrat cum mandatis, *ut res Ecclesiasticas, quæ in Regno ejus erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi præripuerant, absque cunctatione Ecclesiis restitueret.* Ad diversum hunc esse ab Ermoldo hujus Poematis auctore existimat eruditissimus Mabillonius in Annal. Benedictin. Lib. XXXI. num. XXII. Cui ego libens assentior, tametsi argumentum in toto Opere inveniam nullum, quo revinci possit is, qui eumdem esse opinetur. Nam Poetam nostrum Benedictinæ familiæ aut Abbatem aut Monachum fuisse, suadent cum ea, quæ in commendatione Regulæ ac Monasticæ disciplinæ adfert, tum Pippini ad eum verba, quum in Britannica expeditione illum vidisset armatum:

„*Cede armis Frater, Litteram amato magis.*

Militasse autem eo tempore tam Monachos, quam Abbates, id omnibus notum est. Nec videtur indulgentissimi Principis, qui pœnarum loco beneficia quandoque tribuebat, facilitati ac clementiæ repugnare, ut hominem, qui ab eo errati veniam impetraverat, legaret ad filium Pippinum, cum quo magnum ei usum fuisse ex ipso Poemate non obscure percipitur: Ut ut sit, ac quiscumque demum fuerit hujus Poematis Auctor, id profecto publica luce dignissimum est, & ab omnibus Eruditis jam diu expetitum. Neque enim quod Mabillonius loco paullo ante memorato innuere videtur, integri quatuor Libri; sed dumtaxat Operis prologus initium & finis, editi fuerunt a Lambecio Lib. 2. Comment. a pag. 359. Suspicabar equidem olim, totum Poema vulgo exstare, quum legerem doctissimas Marquardi Freheri notas *in formulas fœderis Ludovici Germaniæ, & Caroli Galliæ Regum, Ludovici Pii filiorum* apud Argentoratum, Anno 842. percussi, & in iis versus quosdam ex Ermoldo, tamquam ex alio quovis obvio Auctore adduci animadverterem, donec in Epistolas Jani Gruteri, ejusdemque Marquardi Freheri ad Sebastianum Tengnagelium autographas incidi; ex quibus didici, quemadmodum Freherus in Poematis istius, cujus quod sciam unicum exemplum hoc Cæsareum est, notitiam devenerit, & ex illo versus, quos adfert, depromserit. Eas Epistolas visum ex Ermoldo præmittere, ut res tota in meliori lumine collocetur.

Jani Gruteri Epistola ad Sebastianum Tengnagelium.

S. P. *Vir clarissime, & ignosce si paucis amabilissimæ tuæ Epistolæ respondeo. Alio avocor, & volo, si fieri potest, has pervenire ad te tempori. Multum tibi debeo ob pium alloquium in hoc meo luctu, quem fero patienter, certus omnia a Deo bonis immitti in bonum. Arabem nostrum si remiseris, copia mox tibi fiet alterius, quem petis. De Catalogo Librariæ Cæsareæ Majestatis, quod dignatus es eum mecum communicare, plurimum te amo, plurimum debeo. Livius meus quidem prodiit, sed non etiam notæ, quibus reddo rationem emendationum textus. Itaque si exstaret apud vos exemplar bene vetustum, aut quod descriptum ex autographo vetusto, haud id abnuam, quemadmodum nec Julium Cæsarem, in quem jam molior variantes lectiones. Sed in primis, si Martialis quis notæ bonæ ibidem, eum cupiam; mihi submittere ne graveris, dummodo id fieri commode possit. Ermoldo quid fieri volit Freherus, cognosces ex hac ipsius schedula. Wegeinmyeriani pertinaciter tacent, quod silentium interpretor pro abnutu. Causam ejus non exputo, nisi si est diversitas religionis, quam illi forte pertinaciter urgent, & exercent odio, quo minime deberent. Etiam ultimæ istæ tuæ emissarii in oculos inciderunt, sed ita ut collide alteri imponere potuissent haud etiam mihi. Itaque Memneso Apistein. Nescio an Heinsius pergat in emaculando Nonno; nam alioquin & nobis vetustissimi ejus auctoris Codices, quos tamen nunquam desideravit: indicabo ei tamen hodie mentem tuam benevolam. Hæc habebam breviter ad tuas. Vale & salve mi Domine una cum animo meo carissimo capite Domino Blotio.*

Heidelbergæ 30. Januarii 1608.

T. T. Janus Gruterus.

Inscriptio.

Amplissimo Clarissimoque Viro Domino, Domino Sebastiano Tengnagelio S. C. Majestatis Bibliothecario.

Schedula Freheri, cujus Gruterus meminit in superiori Epistola.

S. P. *Quis non obviis ulnis amplectatur humanitatem & Comitatem viri amplissimi, qui institutum nostrum ultro it adjutum, offerens de Ludovici Pii Imperatoris Vita Libellos coæquevi Scriptoris, hactenus nec fando mihi auditi, eoque impensius desiderandi? Quare quum ad eum scribes, quæso multam salutem ci a me adscribas, studia, & officia mea prolixe deferas, petasque, ut quidquid est Libri archetypum, ad nundinas proximas nobis videndum & describendum mittatur, rediturum bona fide ad dominum cum fœnore gratiarum, quo par est. Vale & salve amicorum potissime.*

T. *Frehero.*

Ejus-

Ejusdem ævi Scriptor, Hrabanus Maurus Abbas Fuldensis, & Archiepiscopus Moguntinus, condidit etiam de Ludovici Imperatoris, ejusque filiorum gestis libros aliquot carminis. Quid si & de illis vir ille clarissimus inaudierit?

Inscriptio.

A Monsieur, Monsieur de Gruterus.

Marquardi Freheri Epistola ad Sebastianum Tengnagelium.

S.P.D. *A multis annis nullares, ut minus exspectata, ita magis animo meo grata, studiis meis apta mihi obvenit, quam ista a te, Vir nobilis & amplissime. Dicis salutem per D. Gruterum nostrum homini ignoto: offers juvandis studiis nostris copiam Libri veteris non vulgati manuscripti e Bibliotheca Cæsarea: mox mittis eumdem archetypum quantivis pretii autorem rarum, & hactenus nec fando nobis auditum, tamen pro ævo suo non illepidum, & omnino dignum, qui inter Francicos nostros ἀνεκδότους in publico non sine notis aliquibus comparet. Excedit admirationem tanta humanitas: superat vires nostras beneficii magnitudo: vincimur officii promtitudine & opportunitate. Tamdem, quod possum, gratias summas habeo, agoque libens merito; paratus quacumque licebit redhostire. Agam & publice, quum edam jucundissimum lectu libellum, his quidem, qui omnium temporum, omnium gentium monumentis delectantur: inter quas sane Francicum nomen & Imperii amplitudine & gestarum rerum gloria non postremum locum tenere videtur. Quam multa pulcherima & rarissimæ observationis ex eo jam sublegi & notavi! nam pridie quam domo discederem, acceptum comitem itineris ad Danubium assumsi, & inter media negotia ac toedia exactis horis mea manu exscripsi. Quoties interea beneficium tuum tacitis grata mente æstimavi: optima quæque tibi vovi: referendæ gratiæ vicem tibi destinavi! Et quidem ipse Codex religiose a me habitus, cum gratiarum cumulo ecce ad te tuto redit. Ceterum periculum est, ne ista promtitudo tua deinceps ad petendum plura animum nobis addat; tibi plusculum negotii faceſſat. Etiam est, quod vix tempero emendicare eo quidem audacius, quod non mea id causa, sed publica. De ejusdem enim Hludovici Primi filiorum dissensione intestina scripsit Librum heroo carmine Hrabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus, ut Gesnerus & alii indicium faciunt, quem multis votis diu expetitum, nulla hactenus indagine nanciſci potui, ut jam de eo penitus desperemus, nisi Augusta illa Bibliotheca suppeditet. Libet sperare, quod ibi exstet. Quid enim in tanto numero desit, ubi iste Ermoldus 4709. censetur? (a) Vide quæso, vir amplissime, an desiderio nostro subvenire possis, & de publico simul bene mereri perge.*

„Sic tibi dent Superi quæ isthac pietate mereris:

„Sic sit amicitiæ jus mihi dulce tuum.

Vale V. C.

Ex Augusta Vindelicorum, urbe nobis patria, & post multa lustra tamdem revisa XIII. Decembris 1608.

Marquardus Freherus.

Ejusdem ad eumdem Epistola.

S.P. *Literæ tuæ, Vir amplissime, Francofurti mihi redditæ sunt, cum multis nominibus gratæ, tum eo maxime quod MStum Codicem Ermoldi recte tibi redditum intellexi, de quo nonnihil sollicitus eram. Spero illum cum id genus aliis pluſculis brevi proditurum non sine notis quibusdam, atque ita ad te cum fœnore rediturum. Ad te inquam, nam & quod cavendum mones, cavebitur. Neque dubito plura ejusmodi ἀνέκδοτα ibi haberi, quæ si communices Reipubl. literariæ non minus quam meis studiis commodabis. Cuspinianus in Friderico III. meminit (nisi fallor) ejus jussu Libros Feudorum per quemdam Jurisconsultum (b) in alium meliorem ordinem digestos fuisse. Vide quæso locum, & dispice, qua ratione ille Liber in lucem protrahi possit. Ego studium in edendo, notis illustrando offero. Audio & Sambuci, Laziique collecta antiquitatum, nummorum, signorum & talium rerum penes hæredes residua venalia esse, & vix idoneum emptorem reperire. Si ita est, forte aliquid istuc impenderem, modo quæ & qualia sint, constaret. Respondé, quæso, commodo tuo. Et tomos istos Germanicarum rerum a me boni consule.*

Dabam raptim Francofurti,

21. Aprilis 1610.

Inscriptio.

Nobili Clarissimoque Viro D. Sebastiano Tengnagelio J.C. Cæs. Reg. Bibliothecæ Præfecto, Domino & amico observando.

Viennæ Austriæ.

Hactenus Epistolæ. Jam Ermoldi Poëma videamus.

(a) Juxta veterem collocationem, in qua Manuscripti cum excusis permixti erant. In Tengnageliano MSS. Catalogo est Codex Historic. 249.

(b) Est is Antonius Minuccius de Prato Veteri, cujus de Feudis Libros VI. ex MSto Cod. Bibliothecæ Regiæ Parisiensis edidit Johannes Schilterus, cum Codice Feudali Alamannico Argentorati Anno 1695, in 4.

ERMOLDI NIGELLI
PROLOGVS.
REGIA ERMOLDI.*)

EDitor 1) ætherea ſplendes qui Patris in arc E
RRegnator mundi, fautorque, Redemtor, & aucto R
MIlitibus dignis reſeras qui Regna poloru M
OLim concluſos culpa parientis Avern O
LLuminis æterni revehis qui Chriſte tribuna L
DDavid pſalmicanus præſaga carminis illu D
VVoce prius modulans, dudum miranda relat V
SSacra futurorum qui promſit dogmata vates S
CConſer ruſticulo, quo poſſim Cæſaris in ho C
EEximii exiguo modulanter poſcito 2) rit E
CCarmine geſta loqui. Nymphas non deprecor iſtu C
IInſani quondam ut priſci fecere perit I
NNec rogo Pierides, nec Phoebi tramite 3) lime N
IIngrediar capturus opem, nec Apollinis alm I
TTalia cum facerem 4), quos vana peritia luſi T
HHorridus & teter depreſſit corda 5) Vehemot H
LLimina ſiderei potius peto luminis, ut So L
VVerus juſtitiæ dignetur dona precat V
DDedere: namque mihi non flagito verſibus hoc, quo D
OOmnia geſtorum percurram pectine parv O
IIn quibus & magni poſſunt ceſſare 6) magiſtr I
CCæſaream flectant aciem, ſed cantibus huc hu C
IIncipiam celebrare. Faye modo Chriſte precant I
CCarmina, me exilio pro quis nunc Principis ab ho C
AAuxilium miſerando levet, qui celſus in aul A
EErigit abjectos, parcit peccantibus, atqu E
SSpargit in immenſum clari vice lumina Soli S
AAlta regis Chriſti Princeps qui maxime ſceptr A
RRex *Hludovvice* pie, & pietatis munere Cæſa R
IInſignis meriti, præclarus dogmate Chriſt I
SSuſcipe gratanter, profert quæ dona *Nigellu* S
AAuſubus 7) acta tamen qui tangere carmine veſtr A
RRegis ob æterni veſtro qui pectore ſempe R

*) *Inſcriptio a ſecunda manu addpoſita.*

1) Tenebroſo verbo ſua exorditur Ermoldus. Pro *Conditor* uſurpata vox videtur; quamquam potius ſuſpicor pro *Editor* ſcriptum fuiſſe a Poëta *Editus*, aut *Edite*, pro *Natus* ſive *Nate*. Is enim Chriſtum alloquitur.

2) Pro *poſtulato*. Infra habet *pectine parvo*, ita ut de ea voce dubitem.

3) Lambecius edidit *lumen*. At MStus Codex manifeſte habet *limen*: neque aliter legendum perſuadet *ingrediar* ſubſequentis verſus.

4) Immo *facerent*, ut ſit ſenſus: quum Ethnici hoc facerent, eorum corda obtenebravit Satan.

5) Pro *Behemoth*, id eſt Diabolus; ita enim hanc beſtiam a Scripturis ſacris memoratam Veteres allegorice ſunt interpretati.

6) Pro *deficere*. Scripſit fortaſſe Nigellus *certare*.

7) An potius *auſus*, quod poſcere videtur ſubſequens *tangere*?

Manſit amor. Cæſar famulum relevato cadente M
Altitonans Chriſtus vos quo ſublimet in æthr A.

ERMOLDI NIGELLI
EXULIS
IN HONOREM
HLUDOVVICI
CHRISTIANISSIMI CÆSARIS AVGVSTI
ELEGIACI CARMINIS
LIBER INCIPIT PRIMVS.

AUguſtos, opibus celebres præcellis & armis
Sed *Hludovvice* Dei Cæſar amore magis,
Principis opto loqui præconia promptulus almi:
Conferat omnipotens, qui valet, arma mihi. A
Cæſaris armigeri conor deſcribere geſta,
Quæ recitat merito Mundus amore pio.
Forte foret ſatius cœptis inſiſtere rebus,
Plangere delicti geſta nefanda mei.
Cum ſim ruſticulus, norim nec clauſtra Camoenæ,
Nec poſſim comtos promere in arte modos.
Sed me cunctantem refovet clementia Regis, B
Qui potius vorum, munera quam recipit.
Cogit & exilium, fateor, nos talia noſtrum;
Muneribusque carens porrigo quæ mihi ſunt.
Non ego geſtorum per ſingula quæque recurram:
Nec fas, nec potis eſt, nec valet ingenium. C
Si Maro, Naſo, Cato, Flaccus, Lucanus, Homerus,
Tullius & Macer, *8)* Cicero, ſive Plato;
Sedulius nec non Prudentius, atque Juvencus,
Seu Fortunatus, Proſper & ipſe foret:
Omnia famoſis vix poſſent condere chartis, D
Atque ſuum celebre hinc duplicare melos.
Aſt ego lintre rudi rimoſo navita remo
Immenſi pelagi hoc *9)* æquor adire volo.
Dextera, quæ Petrum fluctu ſuperante fidelem,
Ne pereat, relevat, addidit atque rati,
Hæc me præcipitem ſervet miſerando per undas,
Conferat ad portum, Cæſar opime, tuum.
Jam mihi carmen eat Hludowici promere geſta,
Paucaque de multis pagina noſtra legat.
Tempore Francorum *Caroli* dum ſceptra vigebant,
Quem celebrat totus Orbis honore patrem,
Francia dum latos ſparſiſſet ubique fragores,
Atque ſuum celebre nomen in Orbe foret.
Tum Carolus ſapiens ſceptrorum inſignia proli
Diviſit *10)*, Procerum conſiliante choro.
Scilicet equivoco *11)* ceſſiſſet Francia ſorte,
Succeſſor tamdem ſi valet eſſe patris.
Italiæ regnum Pippino *12)* ceſſit amato.
At Hludowice tibi *Regna 13) Aquitana* dedit.
Partibus æquatis crebreſcit fama per Orbem,
Et Hludowicus ovans credita Regna petit.
Prodigium fuerat ſic hunc vocitaſſe parentes,
Quod foret inſignis marte, potensque, pius,
Nam *Hludowicus* enim ludi de nomine dictus
Ludere ſubjectos pacificando monet.
Seu quis Franciſcam mavult reſerare loquelam,
Nominis ut poſſit noſcere notitiam:

---

8) Innuit *Æmilium Macrum* antiquum Poëtam, cujus Carmina, nunc deperdita, fortaſſe Nigelli ævo adhuc vivebant. Sed vide licentiam, ſeu potius infantiam Poëtæ ſcribentis *Tullius & Macer, Cicero:* quaſi alter a Cicerone Tullius foret. Poëticum florem certe hoc non dixeris.

9) Recenti manu additum MSto.

10) Anno 781. uti legitur in Annalibus Francorum Einhardi, Bertinianis, & aliis, qvum Romam Carolus M. una cum filiis profectus fuiſſet, ibi *Adrianus Pontifex baptizavit filium ejus Pippinum, unxitque in Regem. Unxit etiam & Ludovicum fratrem ejus, quibus & coronam impoſuit. Quorum major, id eſt Pippinus, in Langobardia, minor vero in Aquitania Rex conſtitutus eſt.* Itaque ab eo anno Poëta ſuam narrationem orditur. Neque enim diviſionem Regnorum a Carolo factam anno 806. deſignari, ea, quæ ſeqvuntur, evincunt.

11) Id eſt *Carolo* primogenito ipſius Caroli Magni, quem ei Hildegardis Regina pepererat anno 772. Scilicet huic pater regnum Francorum deſtinaverat, eamque diviſionem confirmavit anno 806. poſtremis tabulis ſuis, quæ apud Baluzium, & in part. II. Tom I. Collectionis hujus pag. 125. proſtant. Sed is e vivis ante patrem ſublatus, conſilium & ſpem paternam fefellit.

12) Alteri nempe ejusdem Caroli filio, qui Italicum Regnum diu, vivente patre rexit, uti Leges Langobardicæ in hac eadem Collectione editæ, ac innumera alia monumenta teſtantur. Sed & illum immatura mors ante parentem ſuum rapuit.

13) Non facile ſtatuas, quam partem Regnorum ſuorum Ludovico filio Carolus Magnus vivens regendam titulo Regio dederit. Certi enim erant Aquitaniæ fines ad Occidentem, nempe Hiſpania: non vero ſatis noti, qui ad Orientem, quum ex antiquis alii Garumnam, alii Ligerim, terminum Orientalem ei ſtatuant. De Marca in Libro de Marca Hiſpanica Libro 3. cap. 14. huic Regno *tribuit Aquitaniam primam & ſecundam, Vaſconiam, Pagum Toloſanum, Septimaniam & ditiones omnes, quæ tum erant in Marca Hiſpanica.* Quod extra controverſiam puto, Carolus in teſtamento nuper memorato portionem ditionis Ludovico ipſi amplificavit.

Nempe

(Nempe ſonat *Hluto* *) præclarum *Wigch* quoque Mars eſt.
Unde ſuum nomen compoſuiſſe patet.
Jam puer *14*) excelſus ſacro ſpiramine plenus,
Auxit honore locum Marte fideque ſuum.
Chriſticolum celerans ditavit munere cultum;
Reddidit Eccleſiis munera priſca ſacris.
Ordine compoſito recreavit ſubdita Regna,
Lege regens populum cum pietatis ope.
Vaſcones *15*) rabidos domuit pius arte magiſtra,
Deque lupis torvis progeneravit oves.
Denique ad Hiſpanos convertens concitus arma,
Finibus a propriis expulit ipſe procul.
Culmina terrarum, vel quot Caſtella peragraus,
Subdidit imperiis, arma ferente Deo,
Sunt mihi nota minus; vel ſi modo nota fuiſſent,
Non poterat ſtolidus cuncta notaſſe ſtylus.
Sed quæ fama recens ſtupidas pervexit ad aures,
Incipiam canere: cetera linquo catis.
Urbs erat interea Francorum inhoſpita turmis,
Maurorum votis adſociata magis.
Quam *Barchinonam 16*) priſci dixere Latini,
Romanoque fuit more polita nimis.
Hæc Maurorum aderat ſemper tutela latronum,
Hoſtibus armigeris atque repleta ſatis.
Quisquis ab Hiſpanis veniens rediensque ſilenter
Hanc ingreſſus, erant omnia tuta ſibi.
Sueta fuit noſtros ſemper populare maniplos,
Et reducum ſpolia hæc capiebat ovans.
Multi namque Duces vario hanc conamine belli
Obſedere diu: ſed voluiſſe *17*) fuit.
Armis, ingenio, ſeu quis cum qua arte valebat;
Sed pugnæ ſtudia compulit illa procul.
Namque erat inſigni murorum pondere ſulta,
Marmore præduro ſtructa vetuſta nimis,
Junius albentes cum ducit in æthera meſſes,
Et natura Ceres falce ſecanda venit,
A Francus habet muros, celerans per rura, per aedes,
Et ſata præripiens munera vaſtat agri,
Seu *18*) cum vinetis ſoliti prædulcia Bacchi
Cogere vina: ſuus nec labor iſtud erat.
Ac veluti autumno denſato milite turdi,
Aut variæ volucres quis cibus uva manet,
Per vincta volant, rapiuntque ferunturque corimbos,
B Unguibus & roſtris uva venuſta perit:
Vinitor infelix nequidquam cymbala triſtis
Arce quatit ſumma, ſeu ciet arte ſonos;
Nec facilis prohibere labor, quin agmine denſo
Infeſti coëant diripiantque dapes
Haud aliter Franci, cum primo tempora frugum
Adſunt, & pagi *19*), munera diripiunt.
C Nec tamen hæc duros potuit res frangere Mauros,
Nec varii eventus, armaque crebra ducum.
Vix quoque tot volucres tollebant munera Franci,
Quor ſibi nauta celer per mare miſit opes.
Temporibus multis res hæc ſe contulit anceps:
D Parte ab utraque ferunt aſpera bella fore.
Tempore vernali cum rus tepefacta vireſcit,
Brumaque ſidereo rore fugante fugit,
Priſtinus ablatos remeans fert annus odores,
Atque humore novo fluctuat herba recens.
Regni jura movent, renovantque ſolentia *20*) Reges,
Quisque ſuos fines ut tueantur adit.

*) Duos hoſce verſus Poëtæ noſtri ex MSto Cæſareo, quem Vindobonæ legerat celeberrimus Leibnitius, adfert Cl. V. Johannes Georgius Eccardus in Hiſt. ſtudii Etymol. edita Hannoveræ An. 1711. cujus ſententia eſt, per nomen *Hlutowigch* ſignificari *celebrem bellatorem*. Et revera, uti me per literas docuit jam clarescens ex eruditione ſua, atque ex recenti tutela juriſum Imperialium in Etruriam, Godefridus Philippi, Ottfrido vetuſtiſſimo Scriptori *Liuthi* eſt *lux, luceo. Vvigch* vero, ut adnotavit Johannes Goropius Becanus in Lib. Orig. *bellicoſum* ſonat. Quam in rem conſulendus etiam eſt ſupra laudatus Leibnitius in Archæol. Teut. lit. VV. pag. 189. Hoc autem nomen latine expreſſum *Ludovicus* Ermoldus noſter explicandum ſibi ſumit; Poëtica tamen licentia luſum nobis pro veritate propinat.

14) Utique puer; nam uti ſcribit Aſtronomus, ſive Auctor Anonymus vitæ ipſius Ludovici Pii apud Du-Cheſnium Tom. II. Scriptor. Rer. Francicar. idem Ludovicus, *cunarum adhuc infans geſtatorio*, Romæ coronatus eſt, anno ſcilicet, uti jam ſupra vidimus, 781. ac deinde a Carolo M. patre *in Aquitaniam regnaturus* eſt miſſus; *qui usque Aurelianam Civitatem cunali eſt vectus geſtamine*. Sed cur geſtatus cunis Ludovicus, non amplius lactens, quum jam Anno 778. in lucem prodiiſſet? Quia apud bellicoſam gentem Francorum equi erant quidem in quotidiano uſu, quibus tamen infans uti non poterat. Et contra tunc minime adhibebantur bigæ, quadrigæ, currus; & id genus vehicula, ſive fomenta ignaviæ, quæ tanto ſunt in honore & uſu temporibus noſtris.

15) Nunc *la Guaſcogna*. Henricus Valeſius in Notitia Galliarum jam adnotavit, Aquitanos improprie apud veteres Francos fuiſſe etiam nuncupatos *Vaſcones*, ea, ut opinor, ratione, quod Aquitaniæ Regnum tunc Vaſconiam complecteretur. Ludovicus ipſe, teſte Auctore ejus Vitæ, circiter Annum 786. Carolo M. patri *occurrit ad Patris brumam, habitu Vaſconum cum coëvis ſibi puerulis indutus*.

16) Circiter Annum 711. Saraceni, ſive Arabes, poſt Africam occupatam, irruptione facta in Hiſpaniam pleroque ejus Regni populos vi & armis ſenſim ſuæ ditioni ſubdiderunt. Eo etiam tempore Barcinonem a profana gente captam veri videtur ſimile. Ibi vero incubabant ac dominabantur Mauri, quum Ludovicus Pius adverſus illos expeditionem hoc enarratam ſtatuit.

17) Obſcurus ſenſus. Fortaſſe hic fuerit: ſed eorum conatus in deſideria tantum ſe ſolvit, numquam vero Civitas capta.

18) Id eſt: non meſſis tantum tempore Franci Barcinonenſe magnum populantur; ſed etiam vindemiæ, qvo Saracenos labore ac onere colligendi uvas levabant: ipſi enim Franci præripiebant.

19) Pro agro, Comitatu, ſive Diſtrictu, ut nunc dicimus: quo etiam ſenſu ab antiquis eadem vox interdum uſurpata occurrit.

20) Sic Cæſareus MStus. Pro *ſolita*, aut *ſolemnia*, ut opinor. Verno qvippe tempore arma parantur ac milites, tum ad tuendos proprios fines, tum ad invadendos alienos, qvum belli metus aut neceſſitas inſtat.

Nec minus accitu Francorum more *21)* vetusto
Jam satus a Carolo agmina nota vocat.
Scilicet electos populi, seu culmina Regni,
Quorum consiliis res peragenda manet.
Occurrunt celeres primi, parentque volendo,
Quos sequitur propius vulgus inerme satis.
Considunt moniti. Solium Rex scandit avitum;
Cetera turba foris congrua dona *22)* parat.
Incipiunt fari. Coepit tunc sic Caroiites,
Hæc quoque de proprio pectore verba dedit:
Magnanimi proceres, meritis pro munere digni,
Limina *23)* quos patriæ præposuit Carolus,
Ob hoc cunctipotens apicem concessit honoris
Nobis, ut populo rite feramus opem.
Annuus ordo redit, cum gentes gentibus instant,
Et vice partita Martis in arma ruunt.
Vobis nota satis res hæc, incognita nobis;
Dicite consilium, quo peragamus iter.
Hæc Rex; atque *Liipus 24)* fatur sic *25)* *Santio* contra,
Santio, qui propriæ gentis agebat opus,
Wasconum Princeps, Caroli nutrimine *26)* fretus,
Ingenio atque fide, qui superabat avos.
Rex, censura tibi nobis parere necesse est,
Haustus consilii cujus ab ore fluit.
A Si tamen *27)* a nostris agitur modo partibus hæc res,
Parte mea, testor, pax erit atque quies.
Duxque Tolosana fatur *Vilhelmus 28)* ab urbe,
B Poplite *29)* flexato lambitat ore pedes.
O lux Francorum, Rex, & pater, arma, decusque,
Qui meritis patres vincis & arte tuos,
Virtus celsa tibi, & rector sapientia, magne,
Concordi voto patris ab amne meant.
C Rex age, consiliis, si dignor, consule nostris,
Atque meis votis Rex pietate fave.
Gens est tetra nimis Saræ de nomine dicta,
Quæ fines nostros depopulare solet,
Fortis, equo fidens, armorum munere nec
D non,
Quæ mihi nota *30)* nimis, & sibi notus ego.
Mœnia, castra, locos, seu cetera sæpe notavi:
Ducere vos possum tramite pacifico.
Est quoque præterea sæva Urbs *31)* in finibus illis,
Causa mali tanti, quæ sociata manet.

21) Nimirum Kalendis Martii antiquis Francorum Regibus mos fuit solemnia Regni Comitia peragere, confluentibus illuc Proceribus, Comitibus, aliisque Reipublicæ ministris. *Electos populi, seu culmina Regni* Poëta appellat Optimates illuc accitos. Fredegarius in Chron. *Evoluto anno præfatus Rex* (Pippinus) *a Kalendis Martii omnes Francos, sicut mos Francorum est, Bernaco villa ad se venire præcepit.* Mitto reliqvos hujus rei testes antiquissimos; id solum addens, Longobardorum qvoqve Regibus in more fuisse, ad Kalendas Martias publica Regni Comitia habere, ibique Leges statuere, bellum indicere, uti potissimum constat ex præfationibus Legum Liutprandi Regis Part. II. Tom. I. Collectionis hujus.

22) Ab antiquis etiam temporibus mos iste invaluerat, ut *Kalendis Martiis*, dum Regni Comitia haberentur, populi dona conferrent ad Regem. In Annalibus Fuldensibus & Lambecianis ad annum 750. hæc habentur: *Certo die semel in anno in Martis campo secundum antiquam consuetudinem dona illis Regibus a populis offerebantur.*

23) Sensus exposceret *liminibus*; immo *limitibus*. Scilicet proceres, qvos Carolus Augustus genitor meus ad tutandos Regni fines præfecit.

24) Uti infra aperte dicitur, hic Lupus *Wasconum Princeps* fuit. In Vita Caroli Magni per Monachum Engolismensem scripta, idem Carolus anno 769. expeditionem fecit in Unaldum, sive Hunoldum, qui Aquitaniæ Ducatum invaserat: ejusqve exercitum duxit *Lupus Vasco Princeps, sicut sciebat locos.* Captus est Hunoldus, & Eginhardo teste in ejusdem Caroli Vita, *Rex Lupo Wasconum Duci per Legatos mandat, ut perfugam reddat.* Paria leguntur in Annalibus ipsius Eginhardi ac Bertinianis. An idem fuerit Lupus, qui a Poëta nostro heic inducitur loquens, certo affirmare non ausim: namque ab anno 769. usque ad annum 799. quo suscepta est obsidio Barcinonis, hoc loco descripta, multum temporis intercesit. Verum si idem non fuit, procul dubio fuerit ejus filius, qui propterea duplici nomine heic appellari videtur, nempe *Lupus Santio*, ut a patre distinguatur. Atque is dicitur *ingenio & fide superasse Avos*: qvæ verba indicant ejus qvoqve majores Wasconiæ præfuisse. *Santio* autem nihil aliud est, quam *Sancius*, atqve Italice *Sancio*, nomen apud veteres Hispanos usitatum. *Comes Sancius Sancionis*, id est filius, occurrit in Epistola Eulogii Cordubensis.

25) Additum est MSto Codici manu recentiori.

26) Id est, qui nutritus fuerat in Aula Caroli Magni a pueritia. Eo enim sensu vox illa apud antiquos occurrit; ac proinde ipsius Regis Caroli familiaris ac domesticus erat: quæ res ei maximam in dicendo fidentiam præbebat. Atque hinc intelligere possumus, non de *Lupo* in Annalibus Eginhardi memorato heic agi, sed quidem de ejus filio.

27) Hoc est, siqvidem a partibus istis, quibus præsum, agendum est bellum, profecto auctor sum, ut pax bello præferatur.

28) In Ludovici Pii Vita ab Astronomo scripta, ad annum 789. hæc leguntur: *Chorsone a Ducatu Tholosano submoto, Willelmus pro eo subrogatus est. Qui Vasconum nationem, ut sunt natura leves, tam actu quam viribus brevi subegit.* Idem vero est, qvi post varia bellicæ fortitudinis experimenta, post varias de Saracenis victorias; parta sibi ingentis gloriæ secularis aura, Mundo tamdem renuntians, Monasterium Gellonense, a se conditum, ingressus est anno 806. ibiqve tanta virtutum copia reliqvum vitæ peregit, ut inter Sanctos viros adnumeretur. Ejus vitam ab Anonymo scriptam non longe ab ejus obitu, & a Carolo Stengelio editam, Clarisf. Mabillonius rursus evulgavit, atqve illustravit inter Acta Sanctorum Ordin. Sancti Benedicti Secul. Qvarto, p. 70. qvam consule, si plura petis. Sunt monumenta, quæ illum *Comitem* appellant. Mabillonius vero censet, minime *Ducis* appellationem ei esse denegandam, qvum ejus Antecessor eodem titulo frueretur. Et recte. Ut ut disertis verbis a Poëta nostro appellatur *Dux Tolosanus*.

29) Ritum hunc animadverte deosculandi pedes Regum tam sæpe, qvum ipsos allocuturi erant Regni Primates, cujus etiam alia exempla infra occurrent. Hanc notitiam Poëtæ debeas, minutos sui temporis mores describenti, qvam Historicus vix aut numqvam adnotasset.

30) Nempe ille anno 793. a Saracenis Hispaniam jugo prementibus fuga salutem quærere coactus fuit, ut Annales Moisiacenses testantur. Rursus vero & ipse variis cædibus eosdem Saracenos prostravit anno 794. & sequentibus, uti nos docet Auctor Vitæ supra memoratæ apud Mabillonium.

31) Id est *Barcino*, Maurorum piratarum ac prædonum asylum.

Si

Si pietate Dei, vestro faciente labore,
Hæc capiatur, erit pax requiesque tuis.
Illuc tende gradum Rex, infer munera massis *32)*
Et Vilhelmus erit prævius, alme, tuus.
Tum Rex adridens verbis ita fatur amicis,
Amplectens famulum, oscula datque capit:
Gratia nostra tibi, Caroli sit gratia patris;
Dux bone, pro meritis semper habebis honos *33)*.
Hæc quoque quæ recinis jam dudum pectoris arce
Ponere cura fuit: nunc recitata placent.
Consulo consiliis, ut poscis, consulo votis:
Adventum citius credito, France meum.
Namque unum, fateor, cogor tibi dicere, *Vilhelm*,
Tu modo mente avida suscipe verba mea:
Si mihi vita comes domino tribuente supersit,
Utreor, atque meum prosperet ipse iter,
Possim aut Barchinona tuos fera cernere muros,
Quæ tot bella meis lætificata canis,
Testor utrumque caput (humeris fortasse recumbens
Vilhelmi Comitis, hæc quoque dicta dabat)
Aut mihi *Maurorum* contra stet turba profana,
Seque suosque tegens proelia Martis agat,
Aut tu Barchinona volens nolensque vetata
Pandere claustra jubes *34)*, & mea jussa petes.
Hoc dicto, Proceres vario sermone fremebant
Almificis pedibus basia stricta dabant.
Tum Rex *Bigonem 35)* verbis compellat amatum,
Auribus in cujus dulcia verba sonat.
Ito celer Bigo: hæc nostrorum edicito turbis,
Atque tuo nostra pectore verba sonat *36)*.
Virginis ut primum Titan conscenderit astrum,
Et soror in propria sede sequetur iter,
Agmine denso præfatæ exercitus Urbis
Moenia noster ovans occupet arma tenens.
Bigo facessit agens doctus mox orsa benigni,
Itque reditque, ferens inclita jussa celer.
A Rex pius interea Christi succensus amore,
Dat pia Christicolis moenia *38)* digna satis.
Namque ferunt multas Monachorum rite catervas
Instituisse Deo sub ditione sua.
Quod quis nosse cupit, rogo, Regna Aquitana peragret,
E quibus en unum chartula nostra canit.
Est locus insignis cultu seu religione,
Cui *Concas 39)* nomen, Rex dedit ipse prior,
Olim namque feris avibusque canoribus *40)* aptus,
Ignotusque homini pro feritate fuit.
C Nunc quoque Christicolum resplendens agmine fratrum,
Quorum fama modo latius æthra petit.
Hæc quoque Cella *41)* pii constructa est munere Regis:
Fundavit, coluit rebus, & officiis.
Valle sedet magna, præcincta flumine *42)* amoeno, lod
Vinetis, pomis, seu dapibus variis,
D Rupibus excisis valido sudante labore,
Quo pateat locus hic, semita Rege datur:
Dictus erat quondam frater cognomine Datus *43)*,
Quem referunt primo illum incoluisse locum.
Hic quoque dum patrias servaret ab hostibus *44)* ædes,

32) Quid sit *inferre munera massis*, Oedipus explicet. Massa nihil aliud significabat iis temporibus; quam pagos, villas, prædia. Fortasse *munera Belli* intellexit, qua voce non semel infra est usus.

33) Pro *honorem*, cum bona Prisciani venia. Infra etiam occurret, neque semel

34) Pro *jubebis*.

35) Non alium hunc puto fuisse, qvam qvi postea Ludovico ipso Pio imperante creatus est Lutetiæ Parisiorum Comes, & Monasterii Fossatensis institutor fuit. In Diplomate Caroli Calvi Franciæ Regis Anno 844. apud Baluzium Tom. II. Capitular. pag. 1454. legitur, Monasterium Fossatense *ad petitionem Bigonis quondam illustris Comitis* susceptum fuisse *sub suo mundeburde atque defensione* a Ludovico Pio Imperatore. Ejusdem Bigonis mentionem facit Clariss. Mabillonius in Annal. Benedictinis ad annum 816. quo idem Comes e vivis excesit, quo ejusdem Ludovici Diplomata referens pro Fossatense Monasterio, in quibus idem *Bigo illustris Comes* memoratur: eum vero Mabillonius *Begonem*, seu *Biegonem* appellat. Qvantopere eum Ludovicus diligeret, hinc etiam habes, qvum eum Poeta nominet, *Bigonem amatum*. Qvare nihil mirum, si Ludovicus post Caroli patris mortem eum constituerit Parisiorum Comitem. Istius obitus infra narratur.

36) Librarii error. Sic enim in MSto legitur. Scribe *sona*.

37) Hoc est, qvam primum remissis caloribus æstivis Autumnus accedet, tunc Barcinonensis obsidio erit inchoanda. Neque enim in regione a Sole adusta militibus satis patientiæ est obsidioni patenti insistere, dum æstas fervet.

38) Primo intuitu legendum videtur *munera*. Attamen *mœniorum* nomine significari hcic intelligimus Monasteria & Ecclesias, qvas Ludovicus Pius excitavit.

39) Mabillonius in Annal. Benedictin. ad annum 768. scribit fuisse, qui tradiderint, conditum a Pippino Francorum Rege *Conchense Monasterium* in Aquitania, situm in Ruthenensi Diœcesi. Tum ad annum 812. de Origine ejus Cœnobii disserit, incertus & conjectans, ad Pippinum supra memoratum; aut ad Ludovicum Pium, aut ad Pippinum Aquitaniæ Regem, Ludovici ipsius filium, institutionem loci referri posse. Habemus nunc Nigellum, idoneum testem, tribuentem illius Cœnobii, sive Cellæ originem Ludovico Pio, tunc Aquitaniæ Regi. Idem qvoqve antea nos docuerat Auctor antiqvissimus Vitæ ipsius Ludovici ad annum 811.

40) Pro *canoris*.

41) Erudite pro more Mabillonius etiam animadvertit ad annum 812. Conchense Monasterium fuisse *quamdam veluti Cellam* Frigidacensis Monasterii, qvippe eidem subditum, aut commendatum saltem fuerat.

42) Uti ex Diplomate Ludovici Pii constet, qvod datum fuit anno 819. idem Augustus Conchense Monasterium *in pago Rutenico super rivulum Dordunum, vocabulo Concas*, sub suam tutelam admittit.

43) Recte omnia congruunt cum Diplomate Ludovici Pii Augusti, spectante ad ann. 819. qvod protulit Clariss. Baluzius Tom. 2. pag. 1416. Capitularium, ubi primus Conchensis Monasterii Rector appellatur *vir religiosus Dado quodam nomine, qui nostris temporibus* locum illum, qvo *nonnulli Christiani propter metum Saracenorum* confugerant, inhabitare cœpit.

44) Id est Saracenis, qvi Aqvitaniam crebris incursionibus affligebant.

Sospite matre sibi consociante domo.
Protinus heu pagum nimio valante tumultu
Rotinicum *45*) Mauri destituere *46*) nimis.
Prævalidæ prædæ hujusce inter fore matrem
Adfirmant; cunctas exuviasque domus:
Hostibus egressis profugus sua visere tecta
Certat, & ad notos quisque redire lares,
Datus ut agnovit propriam matremque domumque
Direptam, varium pectore versat onus.
Prorsus equum phaleris ornans, se nec minus armis
Conjunctis sociis adparat ire sequax.
Forte fuit castrum vallo seu marmore firmum,
Quo reduces Mauri cum spoliis remeant.
Huc celer & socii *Datus*, cunctusque popellus
Certatim coeunt, frangere claustra parant.
Ac velut accipiter pennis per nubila lapsus
Ungue rapit volucrem, notaque ad antra fugit:
At sociæ crocitant, raucasque per æthera voces
Ne quidquam recinunt, atque sequuntur avem.
Ipse sedens rutus, prædam stringitque ferit-que,
Versat & in partes quas sibi cumque placet.
Non aliter Mauri vallo prædaque poriti,
Dati bella timent, spicula, sive minas.
Tum juvenem muri quidam compellat ab arce,
Voce cachinnosa dicta nefanda dabat.
Date sagax, nostras modo quæ res vexit ad arces
Te, socios que tuos; dicito namque precor.
Si modo, quo resides, tali pro munere nobis
Dedere mavis equum, quo phaleratus abis.
Nunc tibi mater eat sospes, seu cetera præda,
Sin autem, ante oculos funera matris habes.
Reddidit orsa sibi *Datus* non digna relatu:
Funera matris age: nec mihi cura satis.
Nam quem poscis equum, non unquam dedere dignor:
Improbe, haud equidem ad tua frena decet.
Nec mora: crudelis matrem constitit in arce,
Et nato coram dilaceravit eam.
Namque ferunt, ferro primo secuisse papillas,
Et capite abscisso, heu *47*) tua mater, ait.
Frendet enim infelix *Datus* pro funere matris,
Nunc huc nunc illuc fluctuat atque gemit.
Nec patet illi aditus, nec vim, qua vindicet artus
Matris, habet; tristis, mente carensque fugit.
Omnibus amissis sumtis melioribus armis,
Incola mox eremi cœpit inesse pius.
Durior ut quondam fuerat ferus in nece matris,
Firmior hinc remeat ad juga, Christe, tua.
Tempore nam multo hæc secum solus agebat
Hic, quia mundanum temserat omne nefas.
Hæc dum fama pii Regis pervenit ad aures,
Mox Domini famulum ad sua tecta vocat.
Namque diem totum parili sermone trahebant
Rex, famulusque Dei, religione pares.
Tum Rex & Datus primo fundamina Concis
Infigunt, Monachis castra futura parant.
Nuper quo valido recubabant agmine belvæ,
Redditur inde Deo nunc quoque grata seges.
Interea Regis proceres, populique phalanges
Dudum commoniti, jussa libenter agunt.
Undique conveniunt Francorum more catervæ,
Atque Urbis *48*) muros densa corona tenet.
Convenit ante omnes Carolo satus agmine pulcro:
Urbis ad exitium congregat *49*) ille duces.
Parte sua *Princeps Vilhelm* tentoria figit,
Heripreth 50), *Liuthard 51*), *Bigoque 52*),
sive *Bero 53*),
Santio 54), *Libulfus 55*), *Hiltbibret 56*), atque *Hisimbard 57*),
Sive alii plures, quos recitare mora est.
Cetera per campos stabulat diffusa juventus,

45) Sive *Ruthenicum*, nunc *la Rovergue*.

46) Pro *vastavere*, ingenti præda abducta.

47) An potius: *in tua mater, ait?*

48) Idest Barcinonensis.

49) Eginhardus in annalibus ad annum Christi 801. hæc scribit: *Ipsa æstate capta est Barcinona civitas in Hispania, jam biennio obsessa.* Ergo cœpta obsidio anno 799. Paria legas in annal. Fuldens. Bertinianis, ac Loiselianis.

50) In vita Ludovici Pii a Synchrono Auctore Astronomo scripta ad annum 808. hæc verba occurrunt: *Ludovicus Rex per semet ipsum Tortosam repetere statuit, habens secum Heribertum, Liutardum Isembardum, validumque Franciæ supplementum.* Eumdem esse, qui hoc *Heripreth* pro *Heriperth* appellatur, nemo inficias ierit. Circiter ea tempore vixit Herebertus Comes Vivariensis, ab isto fortasse diversus.

51) Qui, ut nuper vidimus, ex Vita Ludovici Pii, ipsi Regi Tortosam versus comes fuit. Antea vero quam Barcino deditionem faceret, teste ejusdem Vitæ Auctore, *Ludovicus Rex coacto populo Regni sui Tolosæ de his, quæ agenda videbantur, tractatus deliberabat. Burgundione namque moriuo, Comitatus ejus Fedelitiacus Liutardo est attributus.*

52) Quem supra vidimus præ aliis Ludovico Pio carum, ac deinde constitutum Comitem Parisiensem.

53) Uti Eginhardus in Vita Caroli Magni auctor est, inter ceteros, qui postremis tabulis inclyti hujus Imperatoris subscripsere, fuit *Bero Comes*. Post captam quoque Barcinonem, in Vita Ludovici Pii dicitur, *Bera Comes ibidem ad custodiam relictus*. Et ille quidem primus *Barcinonensis Comes* creatus, uti jam animadvertit Petrus de Marca Lib. 3. Cap. 17. Marcæ Hispaniæ; & infra confirmabitur Lib. 3. Poematis hujus, ubi de ipso serius recurret. Baluzius Tom. II. Capitularium pag. 1490. Judicium profert habitum anno 869. in quo nominatus hic idem *Bera Comes*, jam diu vita functus, & *Rotrudis* ejus filia.

54) Cujus supra facta est mentio. Is erat *Vasconiæ Princeps*.

55) Nullum hujus mihi vestigium apud veteres occurrit, nisi quod in Annalib. Benedictin. ad annum 828. Mabillonius memorat *Leybulfum* quemdam illustrem virum, beneficium in Monachos Lirinenses, cui nihil rei cum isto *Libulfo* fortasse fuit.

56) Pro *Hiltiberth*, ut infra, sive *Hildiberto*, quem Comitem fuisse censeo.

57) Uti supra vidimus ex Vita Ludovici Pii, idem Augustus anno 803. secum Tortosam duxit *Heribertum, Liutardum, Isembardum*. Atque antea anno 806. *Isembardum, Hademarum, Beram, Burrellum cum reliquis* adversus Saracenos direxit. At hunc fuisse Comitem pu-

Fran-

Francus, Wasco, Getha, sive Aquitana cohors.
It fragor ad cœlum, resonat clangoribus æther;
Clamor in urbe, pavor, fletus & omnis adest.
Hæc quoque dum geritur, reduces fert Hesperus umbras,
Barchinona, tuas possidet hostis opes.
Lucida namque homines ut primum aurora revisit,
Commoniti Comites regia tecta petunt;
Ordine quisque suo prorsus residuntque per herbam,
Auribus adtentis Regia dicta rogant.
Tum soboles Caroli sapienti hæc edidit ore:
Accipite hoc animis consilium, Proceres:
Si gens ista Deum coleret, Christoque placeret,
Baptismique foret unguine tincta sacri,
Pax firmanda esset nobis, pax atque tenenda,
Conjungi ut possit religione Deo.
Nunc vero execranda manet, nostramque salutem
Respuit, & sequitur Dæmonis imperia.
Idcirco hanc nobis pietas miserata Tonantis
Servitii *58)* famulam reddere namque valet.
Nunc nunc actutum muros properemus & arces,
O Franci, & redeat pristina vis animis.
Æolico monitu rapidi ceu murmure venti
Per rus, per silvas, per freta cuncta volant.
Diripiuntque lares, segetes, silvæque tremescunt;
Uncis vix pedibus ales aprica tenet.
Nauta miser subito, velo remoque relicto,
Per mare fluctivagum lintea laxa trahit.
Non aliter jussu Francorum exercitus omnis
Urbis in exitium itque reditque frequens.
Curritur in silvas, passim sonat acta securis,
Cæduntur pinus, populus alta cadit.
Hic scalas operatur, agit hic ordine sudes,
Hic fert arma celer, contrahit hic lapides.
Spicula densa cadunt, nec non & missile ferrum;
Ariete claustra tonant, fundaque crebra ferit.
Nec minus interea Maurorum spissa caterva
Per turres residens castra tenere parat.
Princeps urbis erat Maurus cognomine *Zadum 59)*,
Urbem qui hanc validis rexerat ingeniis.
Currit hic ad muros mœsta comitante corona:
Quis sonus iste novus, o socii? rogitat.
Reddidit ast illi contraria dicta roganti
Quidam de sociis, omina dura canens:
Proelia non miscet hero *60)* Princeps *61)* ille Gothorum,
Quæ totiens pepulit lancea nostra procul.
Sed Hludovvicus adest Caroli clarissima proles,
Ordinat ipse duces, & gerit arma manu.
Ni celerans subeat miseris nunc *Cordoba 62)* nobis,
Et nos, & populus, urbsque verenda cadet.
Ille quidem tristes submisso pectore voces
Jactat, & e turri haud procul arma videt.
Eja agite socii, muros servemus ab hoste:
Auxilium nobis Cordoba forte feret.
At mihi mente sedet multum, quod displicet, o gens,
Turbat & adtonitis quod recitare paro.
Hæc gens celsa vides, quæ nostras obsidet arces,
Fortis, & armigera est, duraque sive celer.
Ecce fatebor enim vobis nunc aspera dictu,
Aut taceam, aut recitem, non placitura tamen.
Nam quemcumque suo congressa est inclita bello,
Nolens, sive volens, servitio subiit.
Romuleum *63)* sibi, quod quondam hanc condidit *64)* urbem,
Subdidit Imperium cum ditione sua.
Arma ferunt semper, bellis est sueta juventus;
Bajulat hæc juvenis, hoc agit arte senex.
Namque ipsum nomen Francorum horresco recensens:
Francus habet nomen *65)* a feritate sua.

to, ac fortasis patrem *Isembardi Comitis*, qui in Capitulari Caroli Calvi Regis anno 853. memoratur.

58) Hoc est: eos in servitutem nobis Deus singulos tradet.

59) Ab Astronomo in Vita Ludovici Pii appellatur *Zaddo Dux Barcinonensis*. In Annalibus Bertinianis, & Metensibus ad annum 801. dicitur capta *Barcinona Civitas Hispaniæ, & Zatun Præfectus ejus.*

60) Puto pro *Heros.*

61) Nempe *Vvilhelmus Dux Tholosanus*, qvem supra innuimus inclaruisse ex bellicis actibus adversus Arabes Hispaniæ Tyrannos. Ideo *Gothorum Princeps* appellatur, qvia Occitaniam regebat, nunc *la Languedoc*, qvæ *Gallia Gothica* appellabatur, aut saltem ejus portio, quæ ad Hispanos contingebat. In testamento Caroli Magni Pippino, si defecerit Ludovicus, adjudicatur *Provincia*, & *Septimania, sive Gothica usque ad Hispaniam.* Et quidem in veterum Francorum monumentis *Gothia* sæpe memoratur, quod in ea Galliarum parte olim Gothi fuerunt dominati.

62) Suberat tunc & Corduba Saracenis, ibique dominabatur *Albaca Rex*; sed qvod ei bellum foret cum patruis suis, a Barcinonensibus tuendis abstinere coactus est. Rodericus Toletanus in Histor. Arab. cap. 25. *Dum Albacan bella cum suis patruis exercerent, Christiani Barcinonam acquisierunt, & Arabes vastationes & incendia sunt perpessi.*

63) Et qvidem nuper contigerat, ut Carolus M. Romanorum Imperator renuntiaretur, hoc est die Natalis Domini anno 800. qvo Barcinonensis obsidio perdurabat, & in annum seqventem est protracta.

64) Difficile ostendas, Barcinonem a Romanis conditam. Immo, ab Ausonio appellatur *Punica Barcino*: qvæ verba Carthaginensibus potius illius originem tribuere videntur. Coloniam qvidem illuc a Romanis deductam fuisse, extra controversiam est. Plinius Lib. III. Cap. 3. *In ora maris Colonia Barcino, cognomine Faventia.* Id qvoqve nos docent lapides adhuc superstites.

65) Francos populos non aliud significare, quam liberos, contendunt multi, atqve in primis Cluverius Lib. 3. Cap. 20. German. Antiquæ, atqve Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum ad vocem *Francia.* Verum Sigebertus Gemblacensis in exordio suæ Chronographiæ hæc habet: *Valentinianus Francos Attica Lingua appellavit, quod latina lingua interpretatur Feroces.* Eadem est sententia Pauli Æmilii, atque Anonymi Erphesfordensis in Collect. Pistorii. Contra idem Cluverius pro

Quid

Quid jam plura loquar tristi cum pectore, cives?
Heu mihi nota satis, nec recitata placent.
Firmemus muros valido custode tenendos:
Portarum custos credulus atque sagax.
Interea juvenes spissa comitante caterva
Ariete claustra terunt; undique Mars resonat.
Pulsantur muri quadrato marmore septi,
Spicula densa cadunt, & feriunt miseros.
Tum Maurus Durzaz turri conclamat ab alta
Voce cachinnosa bombica dicta canens:
O gens dura nimis, latum diffusa per Orbem,
Cur pia castra quatis, inquietasque pios?
Nonne putas subito has evertere funditus ædes,
Quas Romanum annis mille peregit opus?
Aufuge, France ferox, te aspectibus abstrahe nostris,
Nec visu facilis, nec tua jussa placent.
Reddidit e contra non verbis dicta nefandis
Hilthiberth: arcum corripit ecce manu:
Denique clamanti contra stetit ocius hosti,
Cornea plectra tenens, & trahit, atque plicat.
Acta sagitta volans cerebro se contulit atro,
Inque os vociferum mersit arundo nocens.
Ille cadens muros invitus deserit altos:
Et moriens Francos sanguine fœdat atro.
Clamores tollunt lætanti pectore Franci;
E contra Mauros fletus habet miseros.
Tum varii varios demittunt funeris Orco:
Vilhelm Habirudar, at *Liuthardus Uritz.*
Lancea Zabirizun, ferrum forat actile Uzacum,
Funda ferit Colizan, acer *66)* arundo Gozan.
Non aliter bello poterant accedere Franci,
Sed nunc mislilibus, nunc quoque fundibulis.
Jusserat acer eis Zadun nec credere bello,
Nec castris vellent forte referre pedem.
Hæc quoque bis *67)* denos res per contraria Soles
Accidit, eventus contulit in varios.
Machina nulla valet murorum frangere postes:
Invenit haud aditum hostis in insidias.
Non tamen a cœpto cessat certamine bellum,
Quin muri crebro obice claustra terat.
Interea soboles Caroli præclara potentis
Sceptra manu gestans it comitante choro,
Hortaturque Duces, hortatur rite catervas,
Et patrio more Martis in arma vocat.
Credite nunc juvenes, Proceres nunc credite cuncti,
Et maneant vestro pectore verba mea:
Antea non sedes Domino tribuente paternas
Visere cura manet, aut mea Regna mihi,
Quam hæc urbs, populusque suus belloque fameque
Victus eat supplex ad mea jura celer.
Tunc iterum quidam spargebat in æthera voces;
Tuta tenens muri, ludrica dicta dabat.
France quid insanis? cur mœnia nostra lacessis?
A Hæc urbs non poterit ingeniose capi.
Nobis esca satis, carnes, seu mellica dona
Urbe manent; vobis est quoque dira fames.
Redditit e contra verbis contraria verba
Vilhelm; dedignans talia voce tulit:
Concipe, Maure, precor, haud mollia dicta superbe,
Nec placitura tibi, veraque credo satis.
Cernis equum maculis variisque coloribus aptum,
B Quo vehor, intendens mœnia vestra procul.
Ante equidem nostris indignis morsibus escis
Occidet, & nostro dente terendus erit,
Vestra vetata nimis quam mœnia, nostra caterva
Deserat: haud umquam prœlia cœpta cadent.
Is nigra mox nigris percussit pectora pugnis;
Ora uncis fœdans unguibus atra miser;
Et cadit in faciem percussus corda pavore,
Infelix pulsans vocibus æthra poli.
Deseruere arces socii, magnoque stupore
C Mirantur Francos, verbaque dura nimis.
Zado per immensos currit furibundus acervos:
Quo fugitis cives, quove tenetis iter?
Zado, tibi Franci hæc nunc responsa remittunt:
Stat *68)* placitura modo, quæ tamen ante cape.
Ante suos mandent probroso dente caballos,
Quam tua castra umquam deseruisse volent.
O miseri cives jam dudum hæc ego vobis
Prædixi, cum quis prœlia agenda forent.
D Nunc quoque consilium quodcumque est utile vobis
Dicite, quo valeam cetera perficere.
Undique namque vides densatim rumpere muros,
Atque tuos ferro dilacerante mori.
Cordoba nulla tibi promissa juvamina mittit;
Undique turbamur Marte, fameque, siti.
Quid jam restat enim, nisi Francis pace petenda,
Mittantur Missi, qui celeranter eant?
Ille quidem frendens vestem conscindit, & atros,

---

suo more in aliorum castigatione impavidus clamat: *Deliraverunt Paullus Æmilius, & Sigebertus, & quicumque cum his, vel ex horum fide talia prodiderunt.* Bona verba Cluveri. Ut ut Valentinianus hinc sit arcendus, en tibi vetustissimum testem, vel sub Ludovico Pio Augusto fuisse vulgo creditum, *Francos a feritate sua nomen* accepisse. Illi utique melius, quam recentibus perspecta erat Germaniæ eorum temporum Linguæ vis.

66) Secunda manu additum loco prioris vocabuli erasi.

67) Id est viginti *dies*. Ita enim loqui Poetis antiquis in usu fuit. Temperare tamen mihi non possum, quin suspicer, Nigellum pro *solibus* voluisse menses significare; uti enim Francorum annales habent, in *biennium* protracta est Barcinonensis obsidio; & quæ sequuntur, satis innuere videntur, diu jam perstitisse Francos in eadem obsidione, quum Ludovicus Rex Proceres est alloquutus.

68) Num *sat placitum?* an potius stant placitura?

Disrum-

Disrumpit crines, dilaceratque oculos.
Et sequitur verbis, iterumque iterumque profana
Cordoba voce vocat, inlachrymatque diu.
O Mauri celeres, quo nunc fiducia cessit?
Promite nunc vires nunc solitas socii.
Unum, per si quid nostri jam cura remansit,
Deprecor: hoc uno munere lætus ero.
Ipse ego conspexi, muro qua castra remittunt
Densa locum, constant raraque linteola *69*).
Me potero insidias inlæsus ferre per illas:
Fors *70*) socii nota currere ad auxilia.
Vos tantum portas summo servate labore,
Haud timidi fratres, huc ego dum redeam.
Nulla quidem fortuna arces vos linquere cogat,
Nec campis hortor pergere in arma foras.
Multa etiam mandata suis dans cessit ab urbe,
Et latitans furtim præterit agmen ovans.
Jamque tenebat iter per læta silentia noctis:
Infelix nimium protinus hinnit equus.
Quo clamore movent custodes agmina castris
Vocis ad hinnitum, moxq; sequuntur eum.
Ille pavore viam linquens, vertitque cavallum,
Se se præcipitem in agmina densa dedit.
Conspicit invisas haud læta fronte catervas,
Infelix nec habet quo eruat ingenio.
Mox capitur *71*); merito vincitur, haud mora, loris:
Ducitur ad Regis linteа tecta tremens.
Fama volans totam turbat terroribus urbem,
Et Regem captum nuntiat ore suo.
Ingeminant luctum matresque patresque juvenci:
Hoc puer exiguus, hocque puella gerit.
Nec minor in castris passim sonus æthera pulsat,
Lætitiaque fremit unanimi populus.
Interea nox atra cadens aurora reportat
Alma diem: Franci Regia castra petunt.
Tum Caroli soboles pacato pectore fatur,
Atque suis famulis dicta benigna dedit:
Zadun ad Hispanas cupiens properare catervas,
Auxilium poscens, armaque, sive pares,
Captus adest nolens, vinctusque tenetur inermis
Ante fores nostros; non fuit ante oculos.
Fac *Vilhelme* suos possit quo cernere muros,
Et jubeat nobis pandere claustra celer.
Nec mora: Zado manum sequitur religatus habenis,
Et procul expansam sustulit arte manum.
Nam prius abscedens sociis prædixerat ipse
Seu fortuna nequam, prospera sive cadat,
Nescio: si casu Francorum incurrere *72*) turmis,
Vos tamen, ut dixi, castra tenete precor.
Tum manus ad muros tendens vocitabat amicos:
Pandite jam socii claustra vetata diu.
Ingeniosus item digitos curvabat, & ungues;
Figebat palmis, hæc simultanter agens.
Hoc autem inditio signabat castra tenenda,
Sed tamen invitus *pandite* voce vocat.
Hoc vero agnoscens *Vilhelmus* concitus illum
Percussit pugno, non simulanter agens.
Dentibus infrendens versat sub pectore curas;
Miratur Maurum sed magis ingenium.
Credito, ni quoque Regis amorque timorque vetaret,
Hæc tibi, Zado, dies ultima forte foret.
Interea Zadun Franco custode tuetur,
At socii *73*) flentes castra tenere parant,
Altera luna suos complebat in ordine Soles,
Rex Francique simul castra vetata petunt.
Machina densa sonat, pulsantur & undique muri,
Mars furit, ante cui non fuerat similis.
Crebra sagitta cadit, vi funda retorta fatigat:
Rex agit illud opus, accelerando Duces.
Jam Mauri miseri nec muros scandere celsos
Audent, nec turri cernere castra volent.
Ac velut in parvo volucrum fors turba natantum,
Cum residet pavitans flumine fisa male,
Armiger ecce Jovis cœlo descendit ab alto,
Inventas circum pervolitatque diu.
Hæ caput in fundum mittunt, relevantque sub auras,
Ista algis recubat, illa repressa luto.
Instat at ille super pennis, tremulasque fatigat:
Quæ caput in ventos sublevat, ille rapit.
Non aliter Mauros timidos fugitando per urbem
Insequitur gladius undique, morsque, pavor.
Tum Rex ipse pius crispans hastile lacerto,
Inque urbem adversam compulit ire celer.
Hasta volans media ventis se contulit urbi
Marmore subjecto figitur acta nimis.
Hoc signo Mauri turbati corde pavore
Mirantur ferrum, plus jacientis opus.
Quid facerent? Jam Rex aberat, jam pugna tepebat;
Maurorum primos abstulerat gladius.
Tamdem jam victi nimium belloque fameque,
Consilio unanimi reddere castra volunt.
Panduntur *74*) portæ, penetralia cuncta patescunt,
Servitio Regis urbs labefacta venit.
Protinus optata sternuntur, haud mora, in urbe

69) Sensus est: locum animadverti, ubi rara sunt hostium *tentoria* atqve aditus patet, per quem evadere per hostes possim.

70) Ac fortasse mihi licebit ad Cordubensem Sultanum penetrare, ejusqve impetrare præsidia.

71) Eadem tradit Auctor Vitæ Ludovici Pii his verbis: *Zaddo Dux Barcinonensis suasus est a quodam, sibi, ut putabat, amico, Narbonem usque procedere. Qui comprehensus, Ludovvico Regi est adductus.*

72) Scriberem *incurrero*: qvod sensus poscit.

73) Id est Barcinonenses Saraceni Civitatem tueri pergunt.

74) In deditionem Ludovici Pii Barcino venit anno 801. uti concordes Francorum annales testantur. Pagius vero jamdiu animadvertit, deceptum fuisse Astronomum Auctorem Vitæ Ludovici Pii, dum serius ereptam Saracenis urbem scripsit.

Franci victores, hostibus imperitant:
Sabbatum erat sacrum, cum res est ista peracta,
Quando prius Francis urbs patefacta fuit.
Namque sequente die festo conscendit in urbem
Rex *Hludovvicus* ovans solvere vota Deo.
Mundavitque locos, ubi Dæmonis alma colebant,
Et Christo grates reddidit ipse pias.
Missis, dante Deo, remeat custodibus ædes
Ad proprias victor Rex, populusque suus.
Ducitur interea ad *Carolum* longo ordine præda
Maurorum spoliis, muneribusque Ducum,
Arma & loricæ, vestes, galeæque comantes,
Parthus equus phaleris, aurea frœna simul.
Zado 75) tremens nimium, nolensque revisere Francos,
Pergit & ipse pigro consociante gradu.
Bigo catus properans antevolat agmen, & aulam
Primus adest Caroli, nuntia læta ferens.
Fama recens totam commiscuit ocius aulam,
Cæsareas aures mox penetravit ovans.
Bigo vocatus adest, plantis dat basia celsis,
Et sequitur verbis ordine jussa sibi.
Filius ecce pio transmittit munera patri
Augusto Carolo Rex Hludovvicus enim,
Munera, quæ gladio, scuto, proprioque lacerto,
Extulit a Mauris victor habenda sibi.
Regem etiam vobis urbis, quam cepit in armis,
Misit, adest Zadun Cæsaris ante oculos.
Urbs, quæ Francorum multos populaverat olim
Victa jacet bello, Regia jussa petens.
Tum Carolus Cæsar placido hæc edidit ore,
Ad cœlum tendens lumina cum manibus:
Gratia celsi throni comitetur maxime prolem
Dilectam, maneat gratia nostra sibi.
Munere pro tali quas possim solvere grates,
Proles digna, Deo pro meritis propriis?
O soboles præclara nimis, quam semper amavi,
Corde tenens, retulit quod Patriarcha mihi
Paulinus 76) quondam. Fama est, Patriarcha benignus
Venerat ad sedes Rege jubente pias.
Cumque die quadam Ecclesia resideret in alma,
Attonitus Christo psalleret ille melos,
Contigit, ut *Carolus 77)* soboles præclara parenti
Oratu Procerum pergeret auctus ope.
Isque aram properans cum processisset ad illam,
Quo sacer Antistes munia digna dabat,
Paulinus, quis at ille foret, mox flagitat ultro,
Intendens famulus reddidit orsa *78)* sibi.
Ille ut cognovit primam sobolem hunc fore Regis,
Conticuit; cœptum ille peragrat iter.
Denique post spatium *Pippinus 79)* venerat Heros
Magnanimum juvenum cum comitante choro,
Paulinus celerans famulum compellat eumdem,
Et rogat: ille iterum vera referre parat.
Præsul ut agnovit nomen, Regique *80)* recordans,
Mox caput inclinans: pergit at ille celer.
Ultimus ecce venit *Hludovvicus*, & ocius aram
Amplectens supplex sternitur atque solo.
Inlachrymansque diu precibus poscebat Olympi
Regnantem Christum, quo sibi ferret opem.
Hoc sacer *81)* aspiciens, sella se sustulit ardens
Compellare sacrum cum pietate virum.
Antea nam Pippin, Caroloque abeunte, sedili
Hæserat, & nullis vocibus orsa dabat.
Denique Rex *82)* vatem prostrato corpore adorat,
Paulinus Regem suscipit ecce pium.
Hymnica dicta dedit varia sermone referta:
Perge, ait, ad Carolum pro pietate. Vale.
Cæsaris ut primo vates pervenit ad aurem,
Ordine cuncta suo hæc recitavit ei:
Si Deus *83)* e vestro Francorum semine Regem
Ordinat, iste tuis sedibus aptus erit.
Hæc paucis sapiens Carolus pandebat alumnis,
Quorum causa *84)* sibi credula, sive placens.
Missum iterum revocat, quærit quoque in ordine cuncta,

75) Accipe paria ex Eginhardi annalibus, qvæ in ceteris reperiuntur: *Zatus Præfectus ejus* (nempe Barcinonis) *& alii complures Sarraceni comprehensi. Zatus & Rosbelmus una die ad præsentiam Imperatoris deducti, & exilio damnati sunt.*

76) Patriarcha Aquilejensis, vir *sanctissimus*, uti appellatur a Continuatore Pauli Diaconi apud Freherum. In Vit. Patriarchar. Aqvilejens. qvas edidi Tom. IV. Anecdot. Latin. pag. 240. de illo scribitur: *Adgloriosum Carolum Magnum Imperatorem pro juribus Ecclesiæ ampliandis profectus est. Et vir iste miræ sanctitatis ab Imperatore Carolo multa privilegia obtinuit.* De eo legenda etiam, quæ habet Ughellus Tom. V. Ital. sacr.

77) Videlicet Caroli M. filius primogenitus, qvi anno 811. ante patrem e vivis ereptus est.

78) Ita qvoqve alibi. Apud Virgilium lib. XI. Æneid. occurrit *orsa referre*, pro verba coepta referre, ut Servius explicat. Inde noster desumsit.

79) Secundus Caroli M. filius, Italiæ Rex, qvem anno 810. immatura mors sustulit.

80) Potius *Regemque.* Scilicet recordatus, eum esse Italiæ Regem, mox ei caput aperuit.

81) Pro *Sacerdos.* Eadem voce multis aliis in locis utitur Poeta noster.

82) Id est: *Ludovicus. Vatem*, hoc est *Patriarcham.*

83) Vaticinium istud de Ludovici Pii post Caroli M. parentis sui mortem successione ad Imperium, Alcuino Abbati celeberrimo tribuit Autor ejus Vitæ fere æqvalis, Cap. X. part. I. pag. 156. Seculo IV. Benedictin. Interrogatus enim sanctus Abbas a Carolo, qvem successorem ipse in Imperio esset habiturus, respondit: *Habebis Ludovicum humilem, successorem eximium.* Tum ad adsistentes conversus ait: *Cernitis Ludovicum fratribus suis humiliorem? certe videbitis hunc patri celsissimum successorem.* Utri ex hisce Scriptoribus potius adhibenda sit fides, aliorum esto judicium. Fortasis utriqve.

84) Nescio an hoc adhibeatur *causa* pro *res.* Obscurus sensus ita explicandus videtur: Carolus hæc pandebat familiaribus suis, quibus majorem habebat fidem, qvique sibi præ ceteris placebant.

Qualiter

Qvaliter inſignis urbs dominata foret,
Qvo Rex ingenio Zadun comprenſus adeſſet,
Qvosqve Duces bello ſtraverat ipſe fero.
Bigo bonus recitans, narratqve per omnia vera,
Cujus verba pius Cæſar honore colit.
Cæſar lætus ei pateram *85*), qua forte bibebat,
Porrigit, ille bibit impiger hauſta meri.
Mox famulum donis variisqve honoribus ornans,
Miſit & ad ſobolem munera magna ſuam.
Laudibus & donis pergit celeranter onuſtus,
Lætus & ad Regem pervenit ecce ſuum.
Lætus ut exul *86*) eat *Pippini* in Regna potentis,
Conferat altitonans, Cæſar & ipſe potens.
Lætitiæ ergo Libelle habeas ſub nomine finem,
Fratribus ut ternis conſociatus eas.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

JAmqve, favente Deo, Francos pax undiqve habebat,
Straverat adverſos Marsqve Deusqve viros.
Namqve ſenex Carolus, Cæſar venerabilis Orbi
Concilium *1*) revocat ad ſua tecta novum.
Aurato reſidens ſolio ſic cœpit ab alto,
Electi circum qvem reſident Comites:
Audite, o Proceres, noſtro nutrimine freti,
Agnita narro qvidem, veraqve credo ſatis
Dum mihi namqve foret juvenali *2*) in corpore virtus,
Viribus, atque armis ludere cura fuit.
Non torpore meo, turpique pavore, fatebor,
Francorum fines gens inimica tulit.
Jam quoque ſanguis hebet, vorpeſcit dira ſenectus,
Florida canities lactea colla premit.
Dextera bellatrix, quondam famoſa per Orbem
Sanguine frigente, jam tremebunda cadit.
Proles *3*) nata mihi ſuperis abſceſſit ab oris,
Ordine functa ſuo heu tumulata jacet,
Sed quoque quæ potior, Dominoque placentior olim
Viſa fuit, ſemper eſt mihi ceſſa *4*) modo.
Nec vos deſeruit Chriſtus, qui germine noſtro
Servaret, Franci, nunc ſobolem placitam.
Illa meis ſemper delectans inclyta juſſis
Paruit; atque meum edidit imperium.
Semper amore Dei Eccleſiarum jura novavit,
Credita Regna ſibi contulit in melius.
Vidiſtis, quæ dona *5*) olim Maurorum funere miſit,
Regem, arma, & victos magna trophea ſimul.
Vos mihi conſilium fido de pectore, Franci,
Dicite: nos prompte mox peragamus idem.
Tunc *Heinardus 6*) erat Caroli dilectus amore,
Ingenioque ſagax, & bonitate vigens.
Hic cadit ante pedes, veſtigia baſiat alma,
Doctus conſilijs incipit iſta prior:
O Cæſar famoſe polo, terraque marique,
Cæſareum qui das nomen habere tuis.
Addere conſiliis nil noſtrum eſt poſſe, nec ulli
Mortali potius Chriſtus habere dedit.
Qvæ tibi corde Deus miſeratus contulit, hortor
Quantocius parens omnia perficias.
Filius alme tibi prædulcis moribus exſtat,
Pro meritis qui quit Regna tenere tua.
Hunc petimus cuncti, majora minorque popellus,
Hunc petit Eccleſia, Chriſtus & ipſe favet.
Hic valet Imperii poſt triſtia funera veſtri
Jura tenere armis, ingenioque, fide.
Annuit at Cæſar lætus, Chriſtumque precatur,
Mittit & ad ſobolem mox celerando ſuam.
Tempore namqve illo Hludovvic bonus Aquitanorum,
Ut ſupra cecini, Regna tenebat ovans.
Qvid moror? extemplo patris pervenit ad aulam:
Gaudet Aquis *7*) Clerus, plebs, Proceresqve, Pater.
Incipit hæc iterum Carolus, per ſingula verba,
Dilectæ proli narrat & expoſuit.
Nate Deo care, & patri, populoqve ſubacto,
Quem mihi ſolamen ceſſit habere Deus,

85) Vide infra Anonymum Salernitanum, enarrantem, vinum a Ludovico II. Auguſto propinatum Landulfo Epiſcopo Capuano. Id honoris cauſa in uſu fuit.

86) Id eſt, ipſe Ermoldus Nigellus Poëta exul deprecatur, ut ſibi libertate data liceat reverti in Regna *Pippini*. Pippinus hic erat Ludovici Pii filius. Ejus Regnum Aquitania. Vide Præfationem meam ad hoc Poëma.

1) Eginhardus in Annal. ad Annum 813. *Habito generali Conventu, evocatum ad ſe Aquisgrani filium ſuum Ludovicum Aquitaniæ Regem excipiens, coronam illi impoſuit, & Imperialis nominis ſibi conſortem fecit.* Hæc latius ad eundem annum 813. narrantur ab Auctore Vitæ Ludovici ipſius.

2) Ita in MSto pro *juvenili*.

3) Nimirum ei mors præmatura anno 810. *Pippinum*, anno autem 811. *Carolum*, ambos ejusdem Caroli M. filios ſuſtulerat.

4) Id eſt *relicta*.

5) Ultra menſuram excurrit, quia ſeptem pedibus conſtat hic verſus. Delendum illud *dona*, veluti ſuperfluum, & a quopiam ſciolo adjectum: legendum vero: *Vidiſtis quæ olim*.

6) Qui heic Poëtæ noſtro nominatur, idem eſt atqve *Eginhardus*, vir celeberrimus, ab aliis qvoqve antiqvis *Heinardus* appellatus, Auctor Vitæ Caroli M. atqve, ut multi arbitrantur, etiam Annalium Francorum, Notarius & familiaris ipſius Auguſti, eique inter paucos carus, ut Ermoldus ipſe teſtatur. *Imman* qvoqve ipſius Caroli filiam duiſſe traditur: qvod tamen non æque certum.

7) Scilicet *Aquisgrani*, qvam ſedem ſibi præcipuam delegerat Carolus M.

Cernis at ipſe meam ſenio properante ſenectam
Deficere, & tempus mortis *8)* ineſſe mihi.
Prima mei cura Regni moderamina conſtant,
Qva immerito mihimet contulit ipſe Deus.
Non favor, aut levitas humanæ mentis adurguet *9)*,
Quæ tibi crede loquor, ſed pietatis amor.
Francia me genuit, Chriſtus conceſſit honorem,
Regna paterna mihi Chriſtus habere dedit.
Hæc eadem tenui, nec non potiora recepi,
Chriſticoloque fuit Paſtor, & arma gregi.
Cæſareum primus Francorum nomen adeptus,
Francis Romuleum nomen habere dedi.
Hæc ait, & capiti gemmis auroq; coronam *10)*
Impoſuit pignus Imperii ſobolis.
Accipe nate meam, Chriſto tribuente, coronam,
Imperiqve decus ſuſcipe nate ſimul.
Qui tibi conceſſit culmen miſeratus honoris,
Conferat ipſe tibi poſſe placere ſibi.
Tuni pater, & ſoboles præſtandi munere læti,
Prandia magna colunt cum pietate Dei.
O feſtiva dies multos memoranda per annos!
Auguſtos geminos, Francia terra, tenes.
Francia plaude libens: plaudat ſimul aurea *11)* Roma.
Imperium ſpectant cetera Regna tuum.
Tum Carolus ſapiens multis ſu adebat alumnum,
Diligat ut Chriſtum, Eccleſiamqve colat.
Amplexans nimium libabat & oſcula pulcra;
Dat licitum *12)* ad propria, verba ſuprema ſonat.
Tempore *13)* non multo ſenio maturus & annis
Viſitat antiquos funere Cæſar avos.
Funera digna parant, mandantur membra ſepulcro
Baſilica in propria, qvam ſibi fecit Aquis.
Mittitur interea narret qui funera nato
Patris; adeſt Rampho *14)* qui celer ire parat.
Nocte dieque volat, terras perlabitur amplas,
Pervenit tamdem, quo Hludovvicus erat.
Trans fluvium Ligeris locus eſt quippe uber, & aptus;
Cingitur hinc ſilvis, hinc qvoqve planicie,
At medius placido fluviorum gurgite vernat,
Piſcibus eſt habilis, eſt locuplexqve ferís,
Quo Hludovvicus ovans præceſſa Palatia ſtruxit.
Quæris ineſt *Thedvvat 15)* nomen amice ſibi.
Huc pia ſubjectæ cenſebat munia plebi,
Clerum, ſeu populum cum pietate regens.
Cum ſubito penetrans totam commiſcuit aulam
Rampho, ferens Caroli funera mœſta pii.
Hæc ut fama boni pervenit Regis ad aures,
Illico triſtatur, flet lachrymatqve patrem.
Inter cunctantes concurrit *Bigo* miniſtros:
Svetus erat dominum viſere mane ſuum.
Hortatur ſiccare genas, deponere fletus:
Altera, ait, cauſa eſt nunc peragenda tibi.
Hæc ut nota manent veſtro ſub pectore, Princeps,
Humani generis ſors tenet iſta viros.
Nos omnes, fateor, porro properabimus illuc;
Non tamen ex illis qvis repedare valet.
Surgite, & Eccleſiam cuncti properemus in almam:
Hymnica vota Deo pſallere tempus adeſt.
Auſcultans famulum, tamdem ſurrexit, & omnes
Hortatur ſecum ſolvere vota Deo.
Nox fuit illa qvidem Pſalmis Hymniſqve referta,
Miſſarum modulis atqve peracta dies.
Tertia jamqve dies claro ſurgebat Olympo,
Reſplendetqve ſuis Phœbus in Orbe comis.
Cum undiqve turba ruit Francorum concita Regnis,
Regis in occurſum plebs petit omnis ovans.

8) Qvæ revera eum ſuſtulit anno proxime ſeqventi 814.

9) Pro *adirget*. In Pandectis qvoqve Florentinis, in vetuſtiſſimis Virgilii Codicibus, & in nonnullis lapidibus *legi urguere*, Dauſqvius in Orthograph. animadvertit.

10) Conſentiunt Annales omnes, non tantum *cuncto rum conſilio totius Regni*, & *Imperialis nominis conſortem conſtitutum* a Carolo Auguſto Ludovicum filium, ſed etiam *Imperiali diademate coronatum*: qvam tamen coronationem poſtea Stephanus Romanus Pontifex repetivit, & confirmavit, ut infra habetur.

11) Id eſt ſupra ceteras urbes præſtantiſſima. Ita vero titulus hic inſeqventibus temporibus invaluit, ut in ſigillis Auguſtorum adhiberetur. Diploma Ottonis I. anno 972. ſcriptum præfert ſigillum plumbeum pendens, in cujus antica viſitur caput cum epigraphe AUREA ROMA in poſtica vero parte OTTO IMPERATOR ROMANOR. Eadem aut ſimilia legas in nonnullis aliis Cæſarum ſigillis.

12) Hoc eſt, dat licentiam ſive veniam, atqve eum ſinit ad Regna propria, ſive in Aqvitaniam, regredi.

13) Anno 814. ut ſupra innui, finem vivendi fecit glorioſiſimus Imperator.

14) In Vita Ludovici Pii eadem leguntur his verbis: *Defuncto patre pia recordationis, miſſus eſt Rampho ab eis, qui ſepulturam ejus curavunt, ut & mortem ejus Ludovicus mature cognoſceret.* *Rampo* autem, & *Rampho* dicitur ea licentia, qua olim *Campio* & *Camphio* ſcribebantur. In Præcepto Ludovici Pii ad annum 823. ſpectante, apud Baluzium Tom. II. pag. 1425. Capitular. legitur, *qualiter vir illuſtris Rapo Comes noſtram adiit ſerenitatem*, privilegium poſcens pro Monaſterio Balneolenſi in Diœceſi Gerundenſi, quod idem Comes multis prædiis ditaverat. Sed legendum *Rampo*; idqve ex altero Diplomate Caroli Calvi conſtat, ubi is anno 844. plura confirmat eidem Monaſterio, qvod Domnulus Abbas *una per licentiam Ramponi Marchionis propriis manibus conſtruxit.* Siquidem unus & idem fuerit Rampo Comes, & Rampo Marchio (pater enim & filius eſſe potuerunt) nunc diſcimus, eum *Gerundenſem Comitem* fuiſſe, ac ſubinde Marchionis titulo auctum, qvod Marcæ Hiſpanicæ fines contra Saracenos tueretur.

15) In prælaudata Ludovici Pii Vita traditur, qvo tempore Carolus Magnus e vivis exceſſit, a Ludovico indictum fuiſſe *Concilium generale in loco, cujus vocabulum eſt Tehorvadus.* Situm erat (& adhuc ſupereſſe dicuntur ejus veſtigia) ejusmodi Palatium in Diœceſi Andegavenſi. Nunc *Doadum* ſeu *Dove* appellatur, variis nominibus memoratum ab Eginhardo, Thegano, Hincmaro, Annaliſta Tiliano, & aliis. De eo plura habes in Notitia Galliarum Hadriani Valeſii, & in Diplomatic. Mabillonii Lib. 4. Cap. 142.

Et

Et Caroli Proceres prorsus, Regniqve priores,
Atqve Sacerdotum currit amica cohors.
Densanturque viæ, replentur clauſtra domorum;
Non capitur tecto, ſcandit in alta domus.
Flumina non retinent trepidos, nec horrida ſilva,
Nec glacialis hyems, nec pluvioſa dies.
Qui rate non valuit, ſatagens hic forte natatu
Trans fluvium Ligeris certat abire prior.
O qvantos populos celſa de rupe videres
Absqve rate in fluvium ſe dare præcipites!
Aurelianenſes 16) illos riſere natantes:
Turre vocant ſumma: litus amate viri.
Unus amor cunctis erat, omnibus una voluntas,
Cernere qvo faciem Regis ad usqve qveant.
Conveniunt tamdem, recipit qvos Rex pius omnes
Ordine qvemqve ſuo cum pietatis ope.
Aurelianis ovans Cæſar mox viſitat urbem,
Qvo vexilla Crucis *17)* ſive *Aniane* manes.
Heburti felix, qvi primo hanc perficis arcem,
Seu *Maximine*, Sancteve *Avite* micas.
Inde Pariſiacas properant cito viſere ſedes,
Quo *Stephanus 18)* Martyr culmina ſumma tenet.
Qvo *Germane* tuum colitur, ſanctiſsime corpus,
Qvo *Genuveſſa* micat virgo dicata Deo.
Irminio 19) plaude libens, qvod ſæpius ecce rogaſti:
Cæſaris adventum, dante Tonante, vides.
Nec tua præteriit *Dionyſi* culmina Martyr,
Qvin adiens tibimet poſceret auxilium.
Hinc iter arripiunt, Francorum Regna peragrant,
Tramite pacifico Rex *Aquis* ingreditur.
Eja Camœna Deum precibus pulſare ſupinis
Reſtat, quo nobis conferat eloqvium.
Quid prius incipiam? cum quæ gerit omnia prima,
Conſtent, atqve micent geſta benigna viri.
Deniqve limitibus firmatis ordine Regni,
Finibus Imperii diſpoſitisqve ſimul,
Protinus expendit theſauros largus avitos
Pro mercede patris, atqve animæ reqvie.
Qvæqve patrum virtus Carolus congeſſerat, ipſe
Pauperibus tribuit, Eccleſiisqve ſacris.
A Aurea vaſa dedit, veſtes, ſeu pallia multa:
Argenti cumulat ampla talenta meri.
Spargit opes varias, arma innumerandaqve valde;
Munera diſtribuit pauper habenda tibi.
O felix Carolus, ſobolem qvi liqvit in Orbe,
Qvi ſatagit Cœli, qvo pater, intret iter.
Carceris antra aperire jubet, truſosqve relaxat,
Exilio relevat pro pietate viros.
Mira facit, prorſus memori narranda relatu,
B Unde ſui fama nunc ſuper aſtra manet.
Eligit ex templo Miſſos *20)*, qvos mittat in Orbem,
Qvorum vita proba ſit, generoſa fides.
Munera qvos neqveant flecti, nec ſæva potentum
Blanditiæ, favor, aut ingenioſa lues.
Qvi peragrent celeres Francorum Regna per ampla,
C Juſtitiam faciant, Judiciumqve ſimul.
Quos pater, aut patris ſub tempore preſſerat urguens
Servitium, relevent, munere *21)* ſive dolo.
O qvantos qvalesqve viros, qvos aſpera jura
Lexqve aurata premit, atqve potens pretio,
Liberat ipſe potens, & libertatis honorem
Præſtat habere ſui Cæſar, amore patris!
D Atqve ſuis manibus præfirmat munere chartas *22)*
Degere qvis cuncto tempore jure qveant.
Belliger ipſe pater cum Regna adqvireret armis,
Intentus bellis aſſiduusqve foret,
Tum vitium *23)* hoc paſſim ſpiſsis ſuccrevit ariſtis,

16) Præclara Aurelianenſis urbs, *Orleans*, ſedet & ipſa ad Ligerim (*la Loyre*) ſed ſupra Andegavenſem, ſive *Angers*, qvo Aqvisgranenſi & Pariſienſi ex Urbe potiſsimum populi confluebant ad inviſendum novum Auguſtum. uti adnotatum in Vita Ludovici, ipſe qvoqve *Rampo*, anteqvam perveniret Thetyvat, *Aurelianenſem devenit ad urbem.*

17) Ibi adhuc viſitur omnium ampliſsimum, illudqve Cathedrale Templum ſub titulo ſanctæ Crucis Deo Opt. Max. dicatum. *Anianus*, *Heburtius*, *Maximinus*, & *Avitus*, Sancti viri, ſub qvorum nomine inſigniores aliæ Baſilicæ in Aurelianenſi Civitate majore cultu freqventabantur.

18) Et heic enumerantur præcipua Pariſiorum Templa, qvæ pius Auguſtus tunc viſitavit. Res nota nil aliud expoſcit, niſi qvod hinc diſcere poſſumus, Baſilicam Sancti Stephani paucis poſt Clodovei Regnum annis conditam, atqve anno 1610. a Margarita Regina reſtitutam, olim inter præcipuas fuiſſe Pariſiis, ne dicam præcipuam.

19) Seu *Hirmino*. Erat is Abbas celeberrimi Monaſterii Sancti Germani de Pratis, cujus gloriam mirum auxerunt, & adhuc augere pergunt Clariſsimi Monachi e Congregatione Sancti Mauri. Teſte Eginhardo & iſte Abbas ſubſcripſit poſtremis tabulis Caroli M. Nonnulla ejus acta memorat Mabillonius in Annal. Benedictin. ad annum 823.

20) Egregium hunc morem veterum Francorum Regum ſatis norunt Eruditi, ſed non ſatis laudant. Nempe deligebantur eximii viri, qvi vice Regis, ingentiqve cum auctoritate, Provincias peragrabant ad *ſingulorum hominum cauſas audiendas ac deliberandas*, ut ipſimet profitebant. Eorum proinde virtute & cura abuſus tollebantur, lites dirimebantur, præpotentibus terrores ac pœnæ incutiebantur. Plurima mentio iſtorum occurrit inter Leges Langobardicas Part. II. Tom. I. Collectionis hujus, & in Capitularibus Regum Francorum, atqve apud alios veteres Auctores. Plurima etiam illorum Placita habentur cum edita, tum inedita, atqve in iis ſeligendis potiſsimum emicuit Ludovici Pii prudentia & caritas.

21) Refertur hæc vox, uti & *dolo* ad ſervitium. Nempe multos liberorum hominum potentes viri iniqve ſibi effecerant ſervos, aut pecunia data, aut *dolo*, ſive *ingenioſe*, ut Leges loqvuntur. De hiſce non una eſt Lex inter Langobardicas, atqve inter Capitularia Regum Francorum.

22) Manumiſſionum veterum Chartæ plures exiſtunt, easqve ſinguli, dum libertate donarentur, ſibi a dominis manumittentibus conqvirebant, ut ſi opus foret, exinde libertatem eamdem in judicio tuerentur. *Chartas ingenuitatis* tunc appellare in uſu fuit. Qvod præ ceteris ſumme pius Imperator Ludovicus præſtitit, ipſe manu ſua propria Manumiſſorum chartas ſignare conivevit.

23) Ubiqve invaluerat mos ſub Carolo M. & *ſpiſſis ariſtis*, hoc eſt per multos annos, vitium hoc ſuccreverat, ut liberi

Sed tamen adveniens mox Hludovvice fe-
cas,
Qvalia per mundum confregit gesta 24) ce-
lidri!
Christicolis cessit munera quanta quidem!
Hæc canit Orbis ovans late, vulgoqve resul-
tant;
Plus populo resonant, quam canat arte
melos.
Cui 25) clarescens crescit doctrina per Orbem:
Commissum Imperium ordinat, armat, alit.
Tum jubet acciri Romana ab sede patronum,
Cui *Stephanus 26)* nomen secula læta da-
bant.
Paret amore Sacer 27), jussisqve obtemperat
almis,
Francorum properat visere Regna libens.
Cæsareum 28) *Remis* lætus prospectat ab
urbe,
Qvos 29) sibi Concilium jusserat ante fore.
Concurrunt varii, recuntqve sub ordine
Misi
Cæsaris, atque Sacri vota benigna ferunt.
Nuntius ante volat, narret qvi Præsulis ar-
dens
Romani adventum, concelerante gradu.
Tum Hludovvicus agens Clerum populum-
que Senatum,
Ordinat, instituit, præparat, atque locat.
Dextram qvi teneant partem, teneantqve si-
nistram,
Qvi prior accedat, qviqve sequatur iter.
Turba Sacerdotum dextram tenet agmine
longo;
Psallentes spectant religione Patrem.
Parte alia Proceres lecti, primiqve potentes
Consistunt; populus posteriora tenet.
At medius Cæsar gemmis auroque refulgens,
Veste licet radiet, plus pietate micat.
Conveniunt tamdem diversis partibus ambo;
Ille gradu 30) pollens, hic bonitate vigens.
Alter in alterius conspectum ut lumina fixit,
Currit in amplexus mox celerando pios.
Rex tamen ante sagax flexato 31) poplite
adorat,
Terqve qvaterqve, Dei, sive in honore
Petri.
Suscipit hunc supplex Stephanus, manibus-
que sacratis
Sublevat a terra, basiat ore libens.
Nunc oculos, nunc ora, caput, nunc pectora,
colla
Basiat alterutri Rexqve, Sacerqve pius.
Tum manibus palmas digitos digitisqve te-
nentes,
Cæsar cum Stephano candida tecta petit.
Ecclesiam peragrant primo, precibusqve To-
nantem
Compellant, grates votaqve danda ca-
nunt.
Mox aulam repetunt, ad prandia magna vo-
lando:
Considunt, manibus dant famuli latices.
Prandia digna colunt, prægustant munera
Bacchi,
Et sermone pio jam super ora movent.
O sacer Antistis 32), Romani Pastor ovilis,
Qvi vice Apostolica pascis ovile Petri,
Qvæ 33) te causa tulit (Cæsar sic orsus) ad
istam
Francorum patriam? redde responsa mihi.
Ille ut erat placidus, placato pectore fatur,
Perlustrans Regem vultibus assiduis,
Quæ Regnum Austri qvondam Sapientis
amore
Per varias plebes, per freta, perqve nives,
Hæc me causa tuas, Cæsar, perduxit ad arces,
Qvi Salomoniacas fers mihi rite dapes.
Fama meas dudum, Princeps, pervenit ad
aures,
Qvanta Dei populo fers pater auxilia,
Qvantaqve per Mundum resplendent dog-
mata vestra,
Præcellis 34) tuos arte fideqve patres.
Non tamen obsistens potuit res ulla volen-
tem
Frangere qvin possim cernere gesta tua.
Sermo qvidem nullus valuit mihi tanta re-
ferre,
Quanta meis confers gesta benigna oculis.

---

hominēs, eorumqve conjuges & liberi in servitutem tra-
herentur, neqve tantum ex hostibus devictis, sed etiam
ex ipsis Regno Francorum subjectis. Ejusmodi morbo
præsentissimum remedium adhibuit Ludovicus Pius. Vi-
de inter Leges Langobardicas ejusdem Augusti Legem
Primum omnium.

24) Sive *Chelydri*: scilicet Satanæ.

25) An potius *cujus?*

26) Hujus nominis *Quartus*, qvem alii *Quintum* ap-
pellare consueverunt. Eum a Ludovico Pio in Franciam
accitum, auctor est Poeta noster. Theganus vero secus
sentire videtur, hæc de eodem Papa scribens: *Statim post-
quam Pontificatum suscepit, jussit, omnem populum Ro-
manum fidelitatem cum juramento promittere Ludovi-
co; & dirigens Legatos suos ad supradictum Principem,
nuntiavit ei, ut libenter eum videre voluisset in loco
ubicumque sibi placuisset.* Neqve dispar esse videtur E-
ginhardi sententia in Annal. Francorum. Anastasius in
ejus Vita nihil aliud habet, nisi eum arripuisse iter
in Franciam *pro confirmanda pace, & unitate Sanctæ
Dei Ecclesiæ*; reliqva vero illic ab eo gesta præterit, qvæ
a Francorum Chronologis sunt petenda.

27) Pro *Sacerdos*. Pluries infra eadem vox occurrit.

28) Lego *Cæsar eum*. Et reapse Ludovicus Augustus
Stephano Papæ, uti Eginhardus scribit, *Remis occurrere
statuit*. Sive, ut habet Auctor Vitæ ipsius Ludovici, *ad-
ventum ejus Remis sustinere statuit.*

29) Restituo *quo sibi*. Id est, quo in loco ad Pontificem
excipiendum coacti ante fuerant, Ludovico jubente, Cle-
rus & Proceres Regni.

30) Scilicet Stephanus Pontifex dignitate Regi præcel-
lens.

31) Non solum flexo genu Ludovicus Augustus Steph-
no obsequium exhibuit, sed etiam plus fecisse videtur ex
hisce Thegani Auctoris Synchroni verbis: *Descendit uter-
que de equo suo, & Princeps se prosternens omni corpore
in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, &
tertia vice erectus salutavit Pontificem &c.*

32) Pro *Antistes*. Ita in MSto.

33) Antea nos monuit Poeta, atque iterum infra repe-
tet, accitum fuisse Pontificem a Ludovico Pio in Franci-
am. Nunc Ludovicum inducit scisciantem causam, cur
ille se in Gallias contulerit. Non bene ista cohærent. Et
quidem postrema hæc cum reliqvis eorum temporum
Chronologis concordant, prudentibus, Stephanum IV.
sponte illuc profectum.

34) Scripserit fortasse Nigellus *præcellisque tuos.*

Reginæ

Reginæ ergo tibi illius nunc verba referro,
Qvæ Salomoniacis auribus ipsa tulit.
Cerneret ut Regem, famulos, sive ordine vestes,
Pincernasqve suos, sive domos varias:
Felices famuli, felices deniqve servi,
Qvi stant & cernunt inclyta gesta tua:
Haurit & aure pia qui dogmata vestra beatus,
Et populus felix, Regna beata simul.
Sit Deus excelsus toto recolendus amore,
Qvi tibi concesit dogmata tanta pater;
Cui placet, atque thronum qui dat retinere paternum,
Dilexitque suos te super instituens.
His Regina Saba est Salomonem ad fata potentem:
His ego te supplex ausus adire fui.
Tu tamen es potior, tu rite potentior exstas:
Ille umbram retinens, tu qvia vera colis:
Ille fuit sapiens nimium, sed cesit amori;
Tu sapiens caste vivis amore Dei.
Israel ille fuit Regnator solius arcis:
Tu pius Europæ Regna potenter habes.
Ergo Deum cuncti precibus pulsemus opimis,
Ut te conservet secla per ampla suis,
His aliisqve Sacer qvam pluribus insuper almum
Campellat Regem, Cæsar & ipse Sacrum.
Pocula densa volant, tangitqve volentia Bacchus
Corda, fremit populus lætitia unanimi.
Transactis epulis surgunt, mensisqve relictis
Cæsar cum Stephano tecta secreta petit.
Noctem illam curis, variisqve sub ordine rebus
Dimittunt: oculis somnus at ipse fugit.
Manè novo Cæsare Stephanum; Proceresqve, Senatum
Convocat: ast illi Regia jussa colunt.
Cæsar in excelsa consedit sede togatus,
Multa tenens animo, quæ parat incipere.
Aurea sella Sacrum lateri sociavit amico,
At proceres residunt ordine qvisqve suo.
Tum pius hæc Cæsar, Sacro, famulisqve subactis
Edidit ore prior aurea verba sonans:
Audite hæc Proceres, & tu sanctissime Præsul,
Hoc commune bonum suscipite unanimes.
En mihi cunctipotens miseratus Regna paterna
Cesit habere Deus, & decus omne simul:
Non meritis, ut crede, meis, sed patris honorem
Hunc miserans Christus cesit habere mihi.
Ergo precor fidos, & te præclare Sacerdos,
Ut mihi consilii rite feratis opem.
Et ferte auxilium qui mecum regmina nostra
Servatis, famuli, tuqve beate Sacer,
Quo Clerus, populusqve meus pauperqve potensqve
Jura paterna seqvi me faciente qveant.
Regula 35) sancta Patrum constringat in ordine Clerum,
Et populum societ lex veneranda Patrum.
Et Monachorum ordo Benedicti dogmate crescat,
Moribus & vita pascua sancta petat.
Dives agat legem, pauper teneatur eadem,
Nec personarum sit locus atqve modus.
Munera sæva locum mullis redimita metallis
Haud teneant, cedant dona maligna procul.
Si qvoqve jure gregem Domini nos pascimus almum,
Quem mihi, sive tibi, Pastor amate, dedit:
Corrigimus pravos, donamus munere justos,
Et facimus populum jura paterna seqvi:
Tum Deum excelsus nobis, populoqve sequaci
Præstabit miserans Regna beata poli;
Atqve in præsenti nostrum servabit honorem,
Infestos hostes hic *) procul ire facit.
Nos simus Clero exemplum, seu norma pepelli:
Justitiam doceat Præsul uterqve suos.
Israel ille Dei populus dilectus amore,
Qvi pedibus siccis per maris ivit iter,
Cui Deus in eremo tantis labentibus annis
Manna cibum tribuit, rupe, volucre dapes;
Cui fuit arma Deus, gladius, scutumqve, viator,
Ad repromissum vexit honore locum;
Quo præcepta Dei servavit ad usqve docentis,
Justitiam coluit, judiciumqve dedit;
Dumqve in amore pio Dominum dilexit eumdem,
Non aliena seqvens, sed pia dicta Dei:
Adversas illi prostravit numine gentes,
Prospera cuncta dedit, atqve inimica tulit.
O felix semper Domini si jussa seqvutus
Adforet, æternum Regna teneret ovans.
Divitiis incaute ut primo indulsit opimis,
Justitiam liqvit, & simul omne bonum,
Deseruitqve Deum, coluit mox Idola vana:
Idcirco passus tot mala rite fuit.
Sed Pater architenens plagis variisqve flagellis
Correxit, docuit, pristina jura dedit.
Ut miser afflictus Domini meminisse volebat,
Mox pius altor enim suscipiebat eum.
Hæc gens sola Deum norat, partimqve Tonantis
Parebat dictis, atque colebat eum.
Cetera turba qvidem servabat jussa celidri,
Factorem ignorans, Dæmonis orsa sequens.

35). Innuit Poeta Librum de *Vita Clericorum*, sive de institutione *Canonicorum*, qvam tunc pius ille Cæsar inditabatur, & ipso curante, subinde ipso anno 816. in Concilio Aqvisgranensi statuerunt Episcopi. Qvod pium institutum, in paucas antea Ecclesias invectum, deinde per universa Regna Francorum, atqve adeo per ipsam Italiam propagari cœptum est. Hæc de Ludovico habet Ademarus in suo Chronico: *Jussit fieri regulam Canonicis, excerptam de diversis Patrum Scripturis, decrevitque eam observandam a Canonicis, ut sicut Monachi respiciunt ad Librum Regulæ Sancti Benedicti, sic perlegant Canonici inter se Librum Vitæ Clericorum*: Nihil habet hoc Poeta de sanctimonialibus, quibus tamen Regulam qvoqve præscribendam Ludovicus curavit.

*) Fortasis *hinc procul*.

Hic

Hic per triqvadrum *36*) regnabat (proh dolor) Orbem,
Et genus humanum in sua Regna dabat.
Jamque Sacerdotes, Reges, solemnia Jura
Cessabant prorsus, hostia sive sacra.
Tum pius indoluit genitor, Verbumque salutis
Transmisit Mundo, ut nos pius erueret.
Ille lavit proprio miserans de sanguine Mundum,
Dogmata clara dedit, justitiam docuit.
Infernique potens confregit numine valvas,
Eruit electos, Dæmonis arma tulit.
Inde superna petens conscendit in æthera victor,
Christicolum nobis nomen habere dedit.
Quisque cupuit Christi nunc nomen habere, necesse est,
Quo caput abcesit, prendere certet iter.
Quamvis dante Deo torus nunc Mundus abunder
Christicolum turbis, Ecclesiæque fide,
Nec sit opus Domini famulos pro nomine cædi,
Cum passim Christi nomen in Orbe boët;
Et male fida cohors, Domini quæ dogma refutat,
Cuspide Christicolo jam procul acta fugit;
Quamvis Ecclesiæ Patres, nostros, que priores
Mors tulit atra quidem, nunc tenet aula Dei:
Morte licet nequeamus, eos certemus ovantes
Corde sequi puro, justitiaque, fide.
Diligat omnis homo fratrem, monitante Johanne,
Quem videt, ut Christum cernere mente queat.
Hic ait ad Petrum: Simon me diligis an non?
Ter cui Petrus ait: scis quia temet amo.
Si me, Christus ait, hortor, tu diligis, agnos
Pasce meos, Petre, cum pietatis ope.
Ergo, Sacer, plebem nostri est curare suactam,
Nobis quam Dominus pascere constituit.
Tu sacer Antistis, ego Rex sum Christicolarum:
Servemus populum dogmate, lege, fide.
Addidit at Cæsar paucis hæc insuper ore,
Quæ sacer Antistis suscipit aure pia.
Si tua jura *37*) manent, Petri qui regmina curas,
Et vice partita pascis ovile suum.
Sin aliud, penitus moneo, ut mihi cuncta Sacerdos
Edicas: faciam mox tua verba libens.
Ut mea progenies Petri servavit honorem,
Sic ego servabo, Præsul, amore Dei.
Mox vero famulum revocat *Helisachar 38*) amatum,
Aure sonans cujus hæc pia dicta dabat:
Excipe, vade cito & firmis hæc infere *39*) chartis,
Quæ volo perpetuo fixa manere quidem.
Censeo per Regnum nostro moderamine septum,
Atque per Imperium, dante Tonante, meum,
Ut res Ecclesiæ Petri, Sedisque perennis,
Inlæsæ vigeant semper honore Dei.
Ut prius Ecclesia hæc Pastorum munere fulta
Summum apicem *40*) tenuit, & teneat volumus.
Crescat honor Petri nostro sub tempore: crevit
Temporibus Caroli patris & utque mei.
Addimus at, Præsul, tantum est ut supra locutum,
Justitiam recolat qui sedet arce Petri.
Hæc est causa, Sacer, qua te accersire rogavi,
Adjutor fortis esto beate mihi.
Tum Sacer ad cœlum palmis cum lumina tendens
Orabat, recinens hæc quoque verba Deo.
O Dee celsitonans, qui regmina cuncta creasti,
Nate simul Christe, Spiritus atque sacer:
Tu Petre, qui cœli præclarus claviger exstas,
Rete trahis populum ad cœlica Regna tuo,
Et vos Cœlicolæ, quorum nunc corpora Roma
Servat, & officia sedula digna parat:
Ad populi regimen, Regni, Ecclesiæque decorem
Servate hunc Regem secla per ampla precor.
Dogmate, Marte, Fide mores præcellit avitos,
Curat & Ecclesiam, Imperiumque regit.
Et Sedem Petri summo præditat honore,
Et Pater, & Sacer est, altor, & arma suis.
Hoc dicto celerans amplexibus hæsit amicis,
Lætus honore suo, munere sive Petri.
Inchoat, & cunctis monitans dat jussa silendi;
Ore benigna refert hæc pius orsa pio.
Roma tibi, Cæsar, transmittit munera Petri,
Digna satis digno, conveniensque decus.
Tum jubet adferri gemmis auroque coronam,
Quæ Constantini *41*) Cæsaris ante fuit.
Accipit ipse manu verbis benedicit, & orat,
Stemmata *42*) clara tenens, lumina pansa polo.

36) Pro *triquetrum*; hoc est per tres partes Orbis, sive per totum terrarum Orbem, quem in tres partes tunc dividebant, America nempe tunc temporis plane ignota.

37) Scilicet: dic mihi, sanctissime Pontifex, num jura (scilicet temporalia) Sancti Petri intacta sint, an vero qvisqvam ea minuerit, aut usurparit.

38) Fuit is Ludovici Pii Cancellarius, multaqve profant ejusdem Augusti Diplomata, qveis subscribit *Durandus Diaconus ad vicem Helisachar*. Appellatur autem ab Eginhardo & Agobardo *Presbyter & Abbas*. Et sane multis Cœnobiis ea ætate præfuit titulo *Abbatis*, ut mirari desinamus nostrorum temporum mores, ab iis minime absimiles.

39) Quas dolendum est, ante multa Secula periisse.

40) Primatum Pontificis Maximi in Ecclesia Dei, atqve illius archieratica jura a Sancto Petro in successores derivata, confirmat etiam Ludovicus Pius.

41) Describitur heic coronatio Ludovici Pii, qvam & reliqvi Francorum annales memorant ad annum 816. nemo autem præter Poetam nostrum Coronam tunc a Stephano Papa adhibitam tribuit Constantino Magno.

42) Id est *Coronam* manu tenens.

Qui

Qui Regis Imperium Mundi, ſeclumque gubernas,
Qui Romæ *43*) cenſes Orbis habere caput,
Exaudi, precibusque meis, peto, flecte benignam,
Chriſte, aurem; votis Rex pie quæſo fave.
Adjuvet Andreas, Petrus, Paulusque, Johannes, A
Atque Maria Dei mater opima pii.
Induperatorem hunc Hludovvicum tempora longa
Servare: abſcedant triſtia cuncta procul.
Proſpera cuncta date, nec non peto noxia longe
Pellite: ſit felix, ſitque potensque diu.
Hæc ait, & celerans ſeſe convertit ad ipſum,
Atque manu tangit verticis alta ſacra.
Conferat omnipotens, auxit qui ſemen Habrahæ, B
Ut videas natos, unde voceris avus.
Dedat progeniem, duplicet triplicetque nepotes,
Semine ut e veſtro creſcat opima ſeges,
Quique regant Francos, nec non Romamque potentem,
Donec Chriſticolum nomen in Orbe ſonat.
Unguine ſuffuſo, hymnisque ex ordine dictis,
Cæſareo capiti mox decus impoſuit.
Hoc tibi Petrus ovans ceſſit mitiſſime donum, C
Tu quia juſtitiam *44*) cedis habere ſibi.
Tum videt induperatricem ſociamque jugalem
Irmingat 45), prorſus ſuſcipit, atque tenet.
Perſpiciensque diu, capiti *46*) dat mox decus almo,
Et benedixit: ave fœmina amata Deo.
Sit tibi vita, ſalus longos diſtincta per annos,
Conjugis obſerves ſemper amata thorum.
Multaque præterea cumulavit munera Præ- D
ſul,
Aurum, ſeu veſtes, quæ ſibi Roma dedit.
Dona dat Auguſto, Auguſtæ, ſobolique venuſtæ,
Et famulis tribuit ordine dona ſuo.
Cæſar ei grates ſapiens perſolvit opimas;
Muneribus Stephanum mox onerare jubet.
Pocula bina dedit gemmis auroque polita,
Cum quibus is Bacchi hauriat hauſta ſacer.
Cornipedum glomerat præſtantia corpora nec non,
Qualia Francorum gignere terra ſolet.
Aurea dona ferunt, argentea vaſa ſequuntur,
Pallia rubra, ſimul candida linteola.
Plura quid hinc memorem nam centuplicata recepit
Munera Romanus *47*) quæ arcibus extulerat:
Hæc Sacro at famulis Cæſar bonitate repletus
Congrua dona dedit pro pietate ſua.
Pallia tincta quidem, nec non & corporis apta,
Tegmina, Francorum more peracta bono.
Donat equos varios præſtantia colla ferentes,
Quorum vix poterant ſcandere torſa ſui.
Hoc Sacer, & famuli lætantes munere doni
Cum libitu Romam mox repedare parant.
Miſſi quin etiam lecti mittuntur honore,
Qui revehant Stephanum in ſua Regna Sacrum.
Cæſar at ipſe pius Compendia *48*) tecta reviſit
Lætus cum propria conjuge, ſeu ſobole.
Bigo 49) fidelis obit; narrantur funera Regi,
Invitusque ſuum deſerit heu dominum.
Diviſitque dapes *50*), nec non partitur honorem
In ſobolem propriam Cæſar amore patris.
Denique fama ſonat latum vulgata per Orbem,
Quod pius Induperans Regna novare *51*) cepit.
Ordinat electos Cleri, notosque fideles,
Quorum vita ſibi cognita, ſive placens,
Qui peragrent urbes Regni, Cœnobia, Caſtra,
Cuncta ſui implentes juſſa benigna viri.
Eja, ait, o famuli noſtro nutrimine freti,
Sive patris Caroli quos bene dogma docet,
Intenti noſtris omnino inſiſtite juſſis,
Et mea verba pio pectore ſuſcipite.
Res equidem peragenda manet ſatis ardua vobis,
Sed bona credo quidem, aptaque Chriſticolis.
Ecce operante Deo; patrumque labore fideli,
Limina Regnorum inviolata manent;
Famaque Francorum hoſtes procul expulit atros;
Vivimus en læti, pacificeque, pie.

43) Qui deſtinaſti Romam eſſe Caput Mundi.

44) Scilicet, hoc tibi donum Petrus mittit, qvia & tu ejus ſucceſſoribus concedis exercere jura ac juſtitiam in Populum Romanum: qvo nomine deſignari arbitror temporalem auctoritatem, qvam Imperatores Franci Pontificibus conceſſere in Urbem.

45) Scriberem *Irmingart*: ubiqve enim Irmingardam video appellatam. Scilicet hæc prima fuit Ludovici Pii conjux.

46) Audi Theganum paria ſcribentem: *Irmingardam Reginam appellavit Auguſtam, & poſuit coronam auream ſuper caput ejus.* De hoc nihil apud Eginhardum, neqve apud Auctorem Vitæ Ludovici Pii.

47) Scribendum, ſi qvid video, *Romanis*, ut copuletur cum *arcibus*. Munera, qvæ inter Stephanum Papam & Ludovicum Pium intercеſſere, memorarunt reliqui etiam rerum Francicarum ſcriptores; ſed nemo tam affluenter, ac Poëta noſter. De Pontifice iſto Agnellus in Vita Martini Archiepiſcopi Ravennatis Tom. II. Collectionis hujus hæc ſcribit: *Et hic in Franciam Papa ad Ludovicum Imperatorem* (ſupple *profectus*) *quidquid poſtulavit ab eo, obtinuit.*

48) Hisce peractis, ſi Theganum audiamus, Imperator Remis recedens, *venit Aquisgrani Palatium.* Sed accuratius Auctor vitæ Ludovici ſcribit: *Imperator ad Compendium* (nunc *Compiegne*) *receſſit &c. Moratus autem ibidem viginti veleo amplius diebus, Aquisgrani hyematurus petiit.*

49) Ut ſupra vidimus, Comes Pariſienſis, atque ita Ludovico Auguſto carus, ut filiam Imperatoris ipſius duxerit uxorem, ſicuti fidem faciunt Annales Lambeciani, & Hildensheimenſes ad hunc ipſum annum 816. ubi is *Piccopinus & Biego* appellatur: filia vero Imperatoris *Elpheid*. Hanc *Alpaidem* nobis nominare liceat, ut aliis licuit. Teſte Poëta noſtro Comiti huic *Bigo* nomen fuit. Si preſſius Theutonicorum more vox iſta pronuntietur, inde exſurgit *Picco*, atque adeo intelligas, *Bigonem & Piccopinum* unum idemque nomen fuiſſe.

50) Pro ſubſtantias, & non ſemel, apud hunc Poëtam occurrit. *Partitur honorem*, ut ſubinde legitur, ſatis oſtendit, dignitates Bigonis diviſas fuiſſe inter ejus filios. Ergo ex iis unus conſtitutus fuerit *Comes Pariſienſis.*

51) An potius *cupit?*

Sed quia non bellis certandum est; ducimus aptum,
Ut nos subjectis congrua jura demus.
Nam prius Ecclesiæ culmenque decusque requiram.
Unde mei patres nomen in astra ferunt.
Nam mihi mente sedet, dederim quod nuper in Orbem
Legatos, populos qui pietate regant.
Nunc nunc, o Missi, certis insistite rebus;
Atque per Imperium currite rite meum,
Canonicumque gregem, sexumque probate virilem,
Fœmineum 52) nec non, quæ pia castra colunt.
Qualis vita, decor, qualis doctrina, modusque,
Quantaque religio, quod pietatis opus.
Pastoremque gregem quæ convenientia jungat,
Ut grex Pastorem diligat, ipse ut oves.
Si sibi claustra, domos, potum, tegimenque, cibumque
Prælati tribuant tempore, sive loco.
Haud aliter complere queunt ex ordine cultum
Divinum, nisi hæc det pia cura patrum.
Sed tamen Ecclesiæ vires pensentur, & arva
Congrua, sive loca fertiliora minus.
Inventa prorsus rotulis committite cordis,
Et mihi sollicite cuncta referre placet,
Qui bene, quive minus, medieque, nihilque (quod absit)
Vivant, seu teneant dogmata prisca patrum.
Hæc ego per paucis vestris nunc infero verbis
Auribus; ast vosmet quærere plura decet.
Legatos etiam Monachorum 53) ex ordine lectos
Cæsar adesse jubet, qui sua jussa colant,
Quos iterum mittat per sacra Monastica castra,
Et rogat inquirant, ut pia vita meet.
Vir *Benedictus* 54) erat cognomine dignus eodem;
Vir quamplures 55) vexit ad astra viros.
Hic erat in Geticis 56) Regi prius agnitus arvis,
De cujus vita pauca referre libet.
Hic fuit *Anianæ* 57) merito prælatus ovili,
Pastor, & Abba, gregi regula blanda suo.
Regis ut almus amor complerat pectora sacri,
Quo Monachorum ordo vitaque proficeret.
Hic fuit adjutor, norma, exemplumque magister,
Quo faciente placent nunc pia castra Deo.
Moribus in sacris regnabat pulcra voluntas:
Quantum homini licitum est cernere, sanctus erat.
Dulcis, amatus erat, blandus, placidusque, modestus,
Regula cujus erat pectore fixa sacro.
Non solum Monachis, sed cunctis proficiebat,
Omnia factus erat omnibus ipse pater.
Ob hoc ergo pius Cæsar dilexerat ipsum,
Vexerat & secum ad Francica Regna simul.
Hujus discipulos Rex per Cœnobia mittit,
Fratribus exemplum normaque sive forent.
Et jubet emendent quicquid potis est; nequeunt quæ,
Ad sese referant cuncta notata stilo.
Rex pius interea, Benedictus & ipse Sacerdos
Pectore versabant munia amata Deo.
Mox prior Induperans blandis compellat eumdem;
Ut solitus, verbis semper, amore pio.
Scis, Benedicte, reor, qualis mihi cura sit hujus
Ordinis a primo, quo mihi notus erat;
Propterea cuperem propriumque dicare Sacellum
Haud procul a nostra sede in amore Dei.
Tres ergo ob causas, mihi crede, hæc corde voluntas
Accidit, e quis nunc ista referre volo.
Cernis, ut Imperii gravitas mea pectora pressat,
Mole sua; rerum grandia jura nimis.
Illuc nam poteram 59) requiescere forte parumper,
Votaque præplacita ferre secreta Deo.
Altera causa monet, quoniam tu nam ipse fateris,
Ingratum voto hoc opus esse tuo;
Nec deceat Monachos 60) civilibus insore rebus,
Resque Palatinas ferre libenter eos.
Illuc sed poteras 61) fratrum curare labores,

52) Hoc est *Sanctimoniales*; quarum etiam mores & claustra cognoscere, ac emendare Cæsarei Missi olim consuevere, non secus ac Monachorum & Canonicorum. Vide Capitularia Regum Francorum, uti & Leges Langobardicas parte II. Tom. I. Collect. hujus, ubi aliæ similes admonitiones ad Missos occurrunt.

53) Duos Missos simul per provincias mittere mos fuit, quorum unus Laicus, alter Clero addictus. *Episcopi* ergo, aut *Abbates* ad id muneris eligebantur, quorum etiam nomina in Placitis eorum temporum leguntur. *Episcopos*, tantum & *Comites* exhibet nobis Capitulare ejusdem Ludovici spectans ad Annum 823. Tom. I. pag. 640. Baluzii. Sed hæc spectant ad annum 816. & 817. atque ad tempora Conciliorum Aquisgranensium.

54) Pissimus ac celeberrimus Abbas Anianensis, ac postea Indensis, cujus Vitam habes in Actis Sanctorum Benedictin. Secul. IV. part. I. pag. 194. Ejus Monasterium situm fuit in Gallia Narbonensi, sive Occitania, atque, in Diœcesi olim Magalonensi.

55) Itain Codice MSto. Legendum Vir, *qui quamplures*.

56) Idem Benedictus, ut in ejus Vita ab æqvali scripta habetur, *ex Getarum genere partibus Gotiæ oriundus fuit*. Ita qvippe olim appellata Occitania provincia, nunc *la Languedoc*, qvia illic sedem fixerat Gothorum gens, in Hispanias qvoqve diffusa.

57) Monasterium olim insigne, situm ad Anianum fluvium, nunc in Diœcesi Montis Pessulani. Ab eodem Sancto Viro Benedicto conditum fuit.

58) Auctor Vitæ Ludovici Pii ad annum 817. *Iridem constituit idem Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem, & cum eo Monachos strictiæ vitæ per omnia, qui per omnia Monasteria Monachorum euntes redeuntesque uniformem traderent cunctis Monasteriis, tam viris, quam sanctimonialibus feminis; vivendi secundum Regulam Sancti Benedicti incommutabilem morem.* Sed hæc fusius in Vita ipsius Sancti Benedicti Anianensis apud Mabillonium

59) Fortasse Poeta scripsit *potero*.

60) Hoc adnotandum. Nam eo seculo Regiam aulam frequentabant Abbates, atqve ad munia Palatii non inviti adhibebantur. Sed neqve ipse Benedictus Anianensis aliter se gessit; diu nempe versatus in aula, *Palatinas rexerat foras*. Hinc tamen discimus, non sponte id ab eo factum, qvando is improbabat *Monachos civilibus rebus immixtos*.

61) Pro *poteris*.

Obsequia

Obsequia hospitibus cura parare pia.
Atque iterum nostras renovatus visere sedes
Fratribus & solito ferre patrocinia.
Tertia *62)* namque patet nobis nostrisque subactis
Qualia lucra forent hæc loca propter Aquis:
Si subito finis humani corporis esset,
Hoc mandarentur membra sepulta loco:
Illuc conversi *63)* caperent mox munia Christi,
Atque volens placitum consilium acciperet.
His Sacer auditis, pedibus revolutus amicis,
Laudat honore Deum, Cæsaris atque fidem.
Hæc mihi semper, ait, nota est tua, Magne, voluntas,
Quam Deus adfirmet, qui dedit omne bonum.
Dicitur *Iuda 64)* locus, dudum constructus ab ipsis,
Nomen aquæ retinens, quæ fluit ante fores.
Millibus hic ternis Regali distat ab aula,
Quæ modo perlate nota vocatur Aquis.
Cornigeris quondam sedes gratissima cervis,
Ursis, seu bubalis apta, ferisque capris.
Sed Hludovvicus agens purgavit lustra ferarum,
Atque Deo gratum condidit arte locum.
Fundavit satagens, rebus ditavit opimis,
A Quo Benedicte tua Regula sancte viget.
Namque idem *Benedictus* erat pater illius ædis,
Et Hludovvicus adest Cæsar, & Abba simul.
Hæc loca sæpe colit, properatque revisere caulas,
Ordinat & sumtus, munera larga parat.
Siste Camœna melos: celeranS fratri ecce Libellus
Consociandus adest, fine jocunda suo.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

CÆsaris arma Dei crescebant munere celsi,
Gentibus & cunctis pax erat aucta fide.
Famaque Francorum Hludovvici munere magni
Trans freta cuncta volat, & petit æthra poli.
More tamen prisco Regnorum limina *65)* Cæsar,
Electosque Duces, adsore prima jubet.
Conveniunt omnes placito, parentque jubenti,
Partibus æque suis congrua verba sonant.
Nobilis inter quos Francorum germine *Lantpreth 66)*
Venit & ipse sua parte volento citus.
Prævidet hic fines *67)*, quos olim gens inimica
Trans mare lintre volans ceperat insidiis.
Hic populus veniens supremo ex Orbe Britanni *68)*,
Quos modo *Brittones* Francica lingua vocat.
C Nam telluris egens, vento jactabus & imbri,
Arva capit prorsus, atque tributa parat.
Tempore nempe illo hoc rus quoque Gallus *69)* habebat,
Quando idem populus fluctibus actus adest.
Sed quia Baptismi fuerat hic tinctus olivo,
Mox spatiare licet *70)*, & colere arva simul.
Ut requies sibi cessa, movent mox horrida bel-
D la,
Et custode novo rura replere parant.
Lancea pro censu, munus pro jure duelli *71)*
Redditur Hospitibus, pro pietate tumor.

62) Id est tertia causa patet, cur mihi & Populo utilissimum foret Monasterium habere Aqvisgrani vicinum.

63) Illis videlicet, qvi abjurare Seculum constituunt, vitamqve Monasticam eligunt, præsto erit Cœnobium, qvo sine mora conferre se possint.

64) De ædificatione hujus Monasterii hæc habet Auctor Vitæ sancti Benedicti Aninanensis num. 48. *Vallis erat vicina, quæ a Palatio, ut reor, sex non amplius millibus distat* (Poetæ nostro distare tantum dicitur *millibus ternis*) *quæ viri Dei placuit oculis: ibique Imperator jussit construere miro opere Monasterium, quod vocatur Inda, mutuato de vivulo ejusdem Vallis nomine.*

65) Eos innuere videtur, qvi eodem Seculo appellari cœperunt *Marchiones* sive *Marchisi* a custodia limitum Regni.

66) Pro *Lantperto*, sive *Lamberto*. Fuit is *Andicavensis*, sive *Andegavensis Comes*, si Mabillonium in Annal. Benedictin. auscultamus, ac propterea Britaniæ minori, de qva infra agitur, sua ditione conterminus. Hunc Auctor Vitæ Ludovici nudo nomine *Lantbertum* appellat ad annum 825. Tum ad annum 829. *Comitem Lantbertum* nominat. Ego *Nantesensem*, non *Andicavensem Comitem* fuisse arbitror, infra adnotandis.

67) Hinc ergo habes, *Lantberto* demandatam vicinæ *Britanniæ* finium tutelam. Eginhardus ad annum 826. memorat *Britannici limitis custodes*. Adrevoldus Floriacensis in Libr. Miracul. S. Benedicti Cap. 33. hæc habet, acta post obitum Ludovici Pii: *Marchisis Britannici limitis inter se dissidentibus bellum oritur. Quamvis enim Raynoldo occumbente victor Lambertus exstiterit, non adeo tamen victricia ab hoste retulit signa &c.*

68) Id est Britanniæ majoris, Angliæ nunc, qvam deserens ille populus, & in Galliam Celticam, sive Armoricam delatus, ibi sedem ac subinde dominationem statuit. Eginhardus in annal. ad Annum 786. veterem commemoratus historiam, ait: *Qvum ab Anglis & Saxonibus Britannia Insula fuisset invasa, magna pars incolarum ejus mare trajiciens, in ultimis Galliæ finibus Ventorum & Coriosolitarum regiones occupavit.*

69) Hoc est qvum nondum Franci Gallias sibi subjecissent. Et qvidem Seculo Christi Qvinto accidisse irruptionem hujusmodi, satis innuunt Sidonius Apollinaris, Jordanes in Historia Gothorum, Gregorius Turonensis, & alii.

70) In MSto. Codice legebatur ex priore manu *tamen*, pro qvo secunda manus posuit *licet*. Mihi retinere vocem hanc sensus gratia placuit.

71) Ita sensum instruendum puto: *pro jure*, hoc est pro justitia faciendo hospitibus Gallis, iis offertur ab advenis Britannis *munus duelli*, hoc est singulare certamen. Infra etiam habes *belli munera more vehit.*

Francia in alterius 72) pulsabat Regna triumphis,
Asperiora quidem quæ sibi visa forent.
Idcirco hæc tantos res est dimissa per annos,
Gens magis atque magis crevit, & arva replet.
Jamque superba nimis Francorum Regna lacessit 73),
Nec contenta solo quo peregrina fuit.
Infelix, ignara simul, contendere sueta,
Sperabat Francos exsuperare agiles.
Hunc vero, ut dixi, *Lantpreth* compellat avito
Cæsar more, rogans cuncta referre sibi.
Ut gens illa Deum recolat cultuque, fideque,
Ecclesiisque Dei qualis abundet honor.
Qui sit plebis amor, quæ sit justitia, quæ pax,
Regis honor qualis, quod pietatis opus.
Insuper ad 74) nostros quæ sit salvatio fines:
Ordine cuncta suo dic, volo, France mihi.
Olli respondit fido de pectore Lantpreth,
Cæsareum adclinis baliat ore genu 75)
Gens, ait, illa quidem mendax que superba, rebellis,
Hactenus existit, & bonitate carens
Christicolum retinet tantummodo perfida nomen;
Namque opera, & cultus sunt procul, atque fides.
Cura pupillorum, viduæ, sive Ecclesiarum
Nulla manet; coeunt frater, & ipsa soror.
Uxorem fratris frater rapit alter, & omnes
Incestu vivunt, atque nefanda gerunt.
In dumis habitant, lustrisque cubilia condunt,
Et gaudent raptu degere more feræ.
Justitiæ virtus nullam sibi vindicat aulam,
Linea judicii hinc fugit acta procul.
Rex 76) *Murmanus* 77) adest cognomine dictus eorum,
Dici si liceat Rex, quia nulla regit.
Sæpius ad nostros venerunt tramite fines,
Sed tamen inlæsi non rediere suos.
Hæc Lantbertus ait, reddit cui talia Cæsar,
Insignis meriti, pacificusque, pius:
Est res dura nimis hæc, est & inepta relatu,
Quæ Lantberte meis auribus ore sonas.
Ut peregrina mecum 78) gens gratis incolat arvum,
Atque superba movet improba bella meis.
En decet, & licitum facinus hoc Marte revelli,
Ni mare subsidium, quo petiere, ferat.
Præstat ut ad Regem Missus mittatur eumdem,
Qui bene nostra sibi perferat orsa prius.
Est quoque Rex idem Sacro Baptismate tinctus:
Idcirco hunc primo nos monitare decet.
Witchariumque 79) vocat, qui forte advenerat illuc,
Vir bonus, atque sagax, & ratione capax.
Ito celer *Wichart*, nostra hæc mandata Tyranno
Haud dubitanda refer, ordine jussa tibi.
En mea rura colit late, quibus exul oberrans
Ponto vectus adest, & genus omne suum.
Nempe tributa vetat, nec non & prœlia temptat,
Atque minas Francis mandat, & arma parat.
Nam post, dante Deo, quam Regna paterna recepi,
Imperiique decus, plebe petente simul,
Hunc ex parte tuli, operiens si forte fidelis
Adsoret, & nostra quærere jura velit.
Jam magis atque magis mens improba nutat, & armis
Insuper extentis bella nefanda negat 80)

72) Supplendum videtur, *partis*, *gentis* aut qvid simile. Sensus est: Francorum populus, dimissa Britanniæ cisinarinæ cura, studium omne collocabat in vincendis aliis Regnis, qvæ sibi acrius obstare aut obesse posse putabat.

73) Sub ipsa Merovingicorum Regum stirpe Britanni cisinarini rebellionem pluries fecere, testibus Gregorio Turonensi, & Fredegario in Chronicis. Anno qvoqve 786. Carolus M. *Perfidæ gentis contumaciam mira celeritate compressit*, uti Auctor est Eginhardus, cujus etiam sunt verba ad annum 799. *Vvido Comes ac Præfectus Britannici limitis cum sociis Comitibus totam Britonum Provinciam perlustraverat, arma Ducum, qui se dediderunt, inscriptis singulorum nominibus detulit.* Eadem præferunt & alii Francorum annales. Auctor vero Anonymus, sed synchronus Vitæ Caroli Magni apud Duchesnium hæc ita narrat. *Guido Comes, qui in Martam Britanniæ præsidebat, una cum sociis ingressus Britanniam, totamque perlustrans, in deditionem accepit; & Regi arma Ducum, qui se dediderant, inscriptis nominibus singulorum præsentavit &c. & tota Britannorum Provincia, quod nunquam antea* (id qvidem facile credere nos non sinunt Gregorius Turonensis, aliiqve supra laudati Rerum Francicarum Scriptores) *a Francis subjugata est.* Qvæ verba satis ostendunt, *Marchisis* illis, sive *Præfectis Britannici limitis*, ex qveis unus erat Lantbertus Namnetensis Comes, nihil Juris fuisse in Britanniam minorem, sed iis dumtaxat datum, Francorum fines sive limites a Britannis tueri, quos sui Comites aut Duces nuncupati etiam *Rgees*, olim regere consueverunt, a supremo tamen jure Francorum Regum non omnino absoluti.

74) Ergo Francici Regni ditio tunc in Britanniam minime penetrabat; sed ad fines Britannorum consistebat, ea, ut reor, de causa, qvod rursus gens illa rebellans Francorum imperium contemneret.

75) Non semel supra vidimus, obtinuisse illum morem, ut Proceres Regem alloqvuturi, antea ejus *pedes* deoscularentur. Vide sis Lantbertum, qvi *genu* tantummodo *basiat*. Fortasis id prærogativæ, præstantiorisque dignitatis causa qvibusdam indultum: qvod & nunc faciunt S. R. E. Cardinales, genu Pontificis maximi deoscularites.

76) En appellatum *Regem*, qvi tempestate illa Britannis Armonicis præerat. Et qvidem non recens appellatio. Jordani in Histor. Get. Cap. 45. Tom. I. Collect. hujus memoratur *Riothimus Rex Brittonum*; uti & Gregorio Turonensi in Epitome Fredegarii secundum editionem Freheri *Cunobertus Rex Britanorum*, qvi tamen *Comes* dumtaxat appellatur in aliis Codicibus. Apud ipsum Fredegarium ad annum 635. occurrit *Judicaile Rex Britannorum*. Imuio & post Ludovici Pii tempora in Annalib. Bertinianis, ad annum 866. memoratum videas *Herispoium Regem Brittonum*. Ceterum ii plerumqve appellati *Comites*, seu *Duces*. Certe non Reges, sed Reguli dicendi.

77) A Thegano *Murmannus Britanniæ Dux* appellatur. Ac proinde ejus nomen emendandum videtur in Vita Ludovici Pii ab Astronomo scripta, ubi hæc ad annum 818. leguntur. *Nuntiatur Imperatori protervia inobedientium Brittonum, qui in tantam insolentiam erupérant, ut unium suorum Marmoniunt nomine Regem appellare ausi sint, subjectionemque omnimodis recusarint.* In alio Codice Du-Chesnius addit legi *Marmannum*.

78) Et sensus & profodiæ leges poscunt hoc *meum*.

79) Is infra appellatur *Abbas*. Vixit iis temporibus *Vvicardus* Abbas Indensis. Sed vereor, ne diversa sint nomina *Vvitcharius* & *Vvicardus*.

80) Errorem hoc sentio: Scriberem *movet*.

Nunc

Nunc nunc tempus adest, nec se infelixque suosque
Decipiat: Francos pace rogando petat.
Sin aliud, tu perge celer, rediensque renarra
Cuncta mihi. Cæsar hæc pius orsa dabat.
Witchar equo parat ire celer, pia jussa facessit;
Notus erat sibimet Rex, domus, atque locus.
Illius ast propter fines *Wiccharius Abba*
Regis habebat opes munere Cæsareo.
Est locus hinc silvis, hinc flumine cinctus amœno,
Sepibus, & sulcis, atque palude situs.
Intus opima domus, hinc inde recurserat armis,
Forte repletus erat milite seu vario.
Hæc loca præcipue semper *Murmanus* amabat,
Illi certa quies, & locus aptus erat.
Forte celer *Wicchar* cursim devenerat illuc,
Alloquiisque petit Regis ut esse queat.
Murman ut agnovit Hludovvici Cæsaris almi
Adfore legatum, illico mens refugit.
Utque rei tantæ eventum cognoscere possit,
Spem simulat vultu, contegit atque metum.
Fit lætus, vi mox lætos jubet esse sodales,
Tamdem Witcharium in sua tecta vocat.
Salve Witchar, ait, Murman tibi dico salutem
Cæsaris armigeri, pacificique pii.
Suspiciens prorsus reddit cui talia Murman,
Oscula more dedit, tu quoque Wicchar ave.
Pacifico Augusto opto salus sit, vitaque perpes,
Et regat Imperium secla per ampla suum.
Mox resident, cunctosque jubent procul esse ministros:
Vocibus alternis mutua verba sonant.
Inchoat ore prior Wicchar, sibi jussa renarrat;
Pectore in ambiguo Murman, & aure capit.
Me tibi transmisit Hludovvicus Cæsar in Orbe,
Gloria Francorum, Christicolumque decus;
Pace fideque prior, nulli quoque Marte secundus,
Dogmate præcipuus, & pietatis ope.
En sua rura colis late, quibus exul & errans
Ponto vectus ades, & genus omne tuum.
Nempe tributa vetas, nec non & prœlia tempras,
Arma paras Francis insuper, atque minas.
Nunc nunc tempus adest, nec te infelixque tuosque
Decipias, illuc pace petendo veni.
Cæsaris hæc ego, sed nostris de partibus ista
Adjiciam paucis, Murman, amore tuo.
Si nunc sponte tua Regalia jussa facessas,
Ut prior ipse monet pro pietate sua;
Et cupis ad Francos pacem retinere perennem,
Ut decet, atque opus est tibi, sive tuis:
Perge celer, Regisque pii pia suscipe jura;
Non tua, sed potius debita redde soli;
Consule heu patriæ, populo, rogo, consule cuncto,
Consule seu proli, conjugiique thoro.
Præcipue cum vana colas, nec dogmata serves,
Avia curva petas tu, populusque tuus:
Ille pius forsan proprium te mittet ad arvum,
Et majora tibi munera forte dabit.
Esto esses magnus, magni regnator & arvi,
Et tibi multa manus belligerumque decus,
Auxilioque tuo gentes populique venirent,
Ut Rutuli Turno sive Camilla celer,
Italiæque cohors cuncti venere Latini;
Non tamen Æneam vincere posse fuit.
A Si tibi Odisseos Pyrrhus, seu durus Achilles,
Pompejus socero cum quibus arma parat,
Non tamen in Francos fas est tibi tendere bello,
Quorum arvis resides, & pietate manes.
Namque semel quicumque duello hos experiari *81*)
Cœperit ipse licet, & genus omne suum,
Gens est Francorum nulli virtute secunda,
Vincit amore Dei exsuperatque fide.
Pacem semper amat, nolens quoque corripit arma,
Quis tamen arreptis nullus adire volet.
B Illorum quicumque fidem quælivit & arma,
Lætanter vivit, pacificeque, pie.
Eja age, rumpa moras, nec te in diversa pererrans,
Mens inimica ferat insidiando tibi.
Ille solo vultus jam dudum intentus, & ora
Fixa tenet, terram percutit atque pede.
Jam jam cunctantem Wicchar sermone polito
Cœperat, atque minis flectere rite datis.
Mente venenata thalamo cum perfida Conjunx
Murman ad amplexus more superba petit.
Oscula prima genu libabat, & oscula collo,
Oscula dat barbis, basiat ora, manus.
C Itque redit gyro, tangitque perita partem *82*),
Officiumque cupit insidiosa dare.
Suscipit ille miser tamdem hanc, strinxitque lacerto,
Datque locum voti; conjugis acta placent.
Et petit infelix aures, longeque susurrat,
Avertit sensus moxque mariti animum.
Ac velut in silvis pastorum frigoris anno
Turba foco celerat ligna recisa dare.
Hic fert apta citus, prælicco fomite stramen
Iste vehit, flatus ingerit ille libens.
Jam rogus insiliens flammas dabat, altaque tangit
D Sidera: pastorum frigida membra calent.
Cum subito tonitru grando, pluviæque, pruinæ,
Ecce fragore ruunt, & nemus omne tonat.
Imbribus ast crebris invitus concidit ignis;
Venerat unde calor, fumus & inde redit.
Wiccharti haud aliter mulier funesta restinxit
Verba, maritali pectore fixa boni.
Atque etiam Missum torvum despectat eumdem,
Sublime aspiciens, & rogat arte sua:
O Rex atque decus Brittonum gentis opimæ,
Dextera cujus avi nomen in æthra refert,
Unde tuas talis conjunx pervenit ad aures,
Hospes ait, pacem, bellave sive canit?

81) Pro *experiri*. Sed latere mendum potius puto: *Experiatur*, aut quid simile restituendum.

82) Non ita scripserit Poëta. Divinare tamen nolim quid ille scripserit.

Olli subridens finxit mox talia Murman:
Mittitur a Francis nuntius iste mihi;
Seu pacem, seu bella ferat, res ista virorum est.
Officium perage fœmina rite tuum.
Wicchar ut audivit verbis contraria verba,
Protinus ore tulit hæc quoque verba suo.
Murman, ait, Regi quæ vis mandata remitte:
Jam nunc tempus adest jussa referre mihi.
Ille quidem tristes volvens sub pectore curas:
Tempora sint placiti *83)* hæc mihi noctis, ait.
Ruricolas terris somnus perfuderat, & jam
Aurorам revehunt culmine Solis equi,
Murmanis ante fores celerans Wiccharius Abba
Mane venit primo, poscit & orsa dari.
Ecce miser tandem potu somnoque sepultus
Murman adest, oculos vix aperire valens.
Ebrius hæc ructans labris vix orsa remotis.
Voce sonat, numquam post placitura sibi:
Perge, tuo Regi celerans hæc verba renarra:
Nec sua rura colo, nec sua jura volo.
Ille habeat Francos, Brittonica regmine Murman
Rite tenet, censum sive tributa vetat.
Bella cient Franci, confestim bella ciebo;
Neve adeo imbellis dextera nostra manet.
Wicchar ad hæc: semper nostros dixisse priores
Fama fuit, quæ nunc mens mea certa feret,
Instabiles animos motus mutantia prorsus
Pectore consilia gentis habere tuæ.
Fœmina sola viri potuit mollescere mentem,
Atque susurrando vertere consilia.
Sic Salomonis, ait, testantur dogmata Regis,
Quæ legit Ecclesia sæpius, atque colit.
Abstrahe ligna foco: confestim deficit ignis.
Sicque susurro procul, jurgia cuncta cadunt.
Sed quia jam nostris non vis parere suadelis,
Vera canam vates, sumque Propheta tuus.
Francia cum primo sermonis dicta nefandi
Audierit, frendens mox tua Regna petet.
Tum millena tibi concurrent scuta virorum,
Cuspite Francisco, forte repletus eris.
Et tua densatim complebunt milite rura,
Teque tuos captos in sua Regna ferent.
Aut moriere miser bibulaque jacebis arena,
Solus & arma tua victor habebit ovans.
Nec te decipiant saltus, tremulæque paludes,
Cum nemore & vallo sit tua septa domus.
Olli respondit furiato pectore Murman;
Se solio adtollens Britto superba canit:
Missilibus millena manent mihi plaustra paratis,
Cum quibus occurram concitus acer eis.
Scuta mihi fucata, tamen sunt candida vobis,
Multa manent; belli non timor ullus adest.
Hæc inter sese referebant vocibus ambo,
Non tamen ambobus mens erat unanimis.
Hæc responsa ferens Wicchar properanter abibat,
Nuntiat & Regi dicta nefanda pio.
Interea Cæsar Francorum Regna recenset,
Et jubet instanter arma parare sibi.
Est urbs fixa maris, Ligeris quo fluminis unda
Æquor arat late, ingreditурque rapax.
Veneda 84) cui nomen Galli dixere priores,
Pisce repleta, salis est quoque dives ope.
Sæpius infestans *Brittonum* hanc turba nocentum
Visitat, & belli munera more vehit.
Ergo illuc Cæsar Francos, gentesque subactas
Esse jubet placito, pergit & ipse simul.
Conveniunt prisco *Franci* sub nomine primo,
Adsveti bellis arma parata ferunt.
Alba *Suevorum* veniunt trans flumina Rheni
Millia centenis accumulata viris.
Et Saxona cohors patulis præcincta pharetris,
Atque *Thuringa* manus consociata venit.
Multimodam pubem Burgundia mittit, & auget
Francorum numerum consociando viros.
Europæ referens populos, gentesque relaxo
In mensas, claudi quæ numero nequeunt.
Cæsar iter tutum per propria Regna gerebat,
Usque *Parisiaca* quo loca celsus adit.
Jam tua Martyr ovans Dionysi tecta revisit,
Hilduin Abba 85) potens quo sibi dona paras.
Hinc Germane tui transivit culmina tecti,
Martyris & Stephani, seu Genuvesa tui.
Aurelianenses sensim dehinc visitat agros,
Victriacum 86) Villam jam pius ingreditur.
Quo *Matfride 87)* sibi pulcherrima tecta parasti,

83) Id est consilii atqve examinis.

84) Audi Auctorem Vitæ Ludovici Pii: *Habitoque Venetiis generali Conventu, Provinciam ingreditur.* Poeta noster satis aperte prodit, Urbem hanc ad Ligeris fluvii fauces, & ad oram maris sitam fuisse. Hujusmodi Urbem quærere nunc in Tabulis Geographicis: nullam invenies. Excisam fuisse hinc intelligis. Qvare falluntur Baudrandus, Brietius, & alii, qui *Venetias, seu Venetorum Urbem* antiquam in Gallia Celtica sitam, eamdem putant atqve Urbem nunc *Vannes* appellatam; neqve *Vannes* diversam a *Dariorigo* veteri scribunt. Equidem video in Tabulis Peutingerianis *Venetos* longe a Ligeri positos. Sed Provinciam, non Urbem illic designari, verisimile est. *Dariorigum* ibi ad Ligerim statuitur. Hadriano Valesio potius adhærendum, qui hoc vetus nomen *Civitatis Venetorum* fuisse scribit in Notitia Galliarum.

85) Celeberrimus Vir sub *Hilduini* nomine notior, *Archicapellani* dignitate functus sub Ludovico Pio, Abbas Sancti Dionysii Parisiensis, Sancti Germani a Pratis, aliorumqve in Gallia Monasteriorum. In re nota progredior.

86) Nunc *Vitry*. Non unus in Gallia nominis hujus locus fuisse traditur ab iis, qui *Victoriacum*, & *Victriacum* idem putant: qvod tamen facile non adfirmarim. Duplex autem *Victriacum* in *Aurelianensi Silva* statuitur ab Hadriano Valesio, & Mabillonio in Diplomat. pag. 340. sed unum appendix alterius. Ibi olim Palatium Regum Francorum, quod *Villæ* nomine, hoc est *Villæ Regiæ* Poeta noster designat.

87) Fuit is Comes Aurelianensis, cujus non una mentio in Annalibus Francorum apud Theganum, ac in Vita Ludovici Pii ab Astronomo scripta. Ejus autem perfidia adversus ipsum piissimum Augustum postea erupit.

Mune

Munera magna dabas, atque placenda sibi.
Sæpius inde means mox dictam visitat urbem,
Se Crucis armari munere *88*) quærit ope.
Obvius ecce venis Præsul sanctissime *Jonа 89*);
Reddere digna paras debitor atque volens.
Jamque *Aniane 90*) tuam properando revisitat arcem,
Et sibi præstari flagitat auxilium.
Tum Durande *91*) frequens currisque recurris & offers
Quæ tibi Cæsareo munere cessa manent.
Inde *Turonus* adit Martini culmina celsi;
Visere *Mauritii* Martyris atque pii.
Ejа age tempus adest *Fridugise 92*) Magister,
& instat,
Cæsaris adventum gratulabunde vides.
Munera *93*) magna offers: Martinus flagitat almus,
Ut sibi tutum itiner *94*) præstet habere Deus.
Andegavensis 95) ovans Cæsar pervenit in urbem,
Sacre *Albine* tuum corpus honore petit.
Obvius occurrit lætanti pectore carus
Helisachar 96), validas sedulus auget opes.
Nammetensis enim Cæsar se mittit in urbem,
Oratu & precibus culmina *97*) cuncta petit.
Jam *Lantberte 98*) tuis optatum denique votis
Suscipis en Regem, dasque potenter opes.
Poscis ad invisos Cæsar properare Britannos,
Dignetur tibi se mittere in auxilium.
Cetera turba latet Comitum, nec nonque potentum,
Quorum nec numerus, nec numeratur opes.
Venedam adit tamdem præclarus Cæsar, avito
Prœlia more parat, ordinat atque Duces.
Interea *Murman* satagebat Britto superbus
Bella parare armis, ingenioque suo.
Cæsar agens iterum solitæ pietatis amore,
Actutum mittit, qui sibi cuncta ferant.
Dic, ait, o misero, quæ se tementia torquet,
Quidve struit, cogit bella parare sibi?
Non memorat jurata fides, seu dextera Francis
Sæpe data, & Carolo servitia exhibita?
Quo ruit, insanusque volens sibi proditor exstat,
Atque suæ proli, exulibusque simul?
Præcipue sit eum *99*) nunа Fides nostrisque suisque
Dante Deo periet (proh dolor) absque Fide.
Hic finis, si præstat *100*): agat, quæ jussio nostra
Suadet, eum, capiat mox mea frena celer.
Christicoloque gregi jungatur pace fideque,
Linquat amore Dei Dæmonis arma miser.
Sin aliud; nam invitus agam, sed bella videbo
Densa satis nimium, atque verenda sibi.
Itque reditque celer. Missus, præstantia Regis
Verba canit jussus, increpat, atque rogat.
Ille miser merito pesti devotus iniquæ
Nescit habere fidem, sed pia jussa fugit.
Mandat acerba magis confixus mente, superbæ
Conjugis oratu fervida corda gerit.
Bella cupitque, vocat cunctos in bella Britannos,

88) Nondum iis temporibus invectus fuerat mos Crucem signandi, qui expeditionem bellicam pro Christiana Religione suscipiebant. Attamen aliqvid simile jam tum præstitum, ex hisce verbis elucere qvodammodo videtur. Hæc ita construenda puto: *qua rit se armari munere & ope Crucis.*

89) Episcopus Aurelianensis ex Historia Francorum, atque ex ejus scriptis celeberrimus.

90) Scilicet Monasterium *Sancti Aniani*, positum in Aurelianensi urbe, cujus etiam supra meminerat, nunc Saint Aignan d'Orleans.

91) Clarissimus Mabillonius in Annal. Benedictin. ad annum 826. commemorat Diploma Ludovici Pii, ejusq; filii Lotharii, concessum *Durando Abbati* pro Monasterio nuperædificato in pago Narbonensi *in honorem Beatissimi Aniani Confessoris Christi.* Ad hæc Mabillonius: *Qui fuerit ille Durandus Abbas, haud compertum. Non videtur ulli Monasterio addictus fuisse, sed potius unus ex illustribus illis Abbatibus, qui in comitatu Imperatoris erant.* Ego, si qvid video, ex Poetæ nostri verbis elicio, Abbatem hunc fuisse *Monasterii Aurelianensis Sancti Aniani*, qvi sub ejusdem Sancti Confessoris nomine alia deinde Monasteria pro consvetudine illorum temporum ædificavit aut ædificanda curavit.

92) Fuit ille *Abbas Monasterii* celeberrimi *Sancti Martini Duronensis*, qvi postremis Tabulis Caroli Magni subscripsit, Eginhardo teste; vir in Annalibus Benedictinis sæpe memoratus, anno 822. & diutius insigni munere *Cancellarii* operam Ludovico Pio navavit; ita enim iis temporibus mira facilitate aut advocabantur, aut irrepebant Monachi, seu potius Abbates, in aulam Regum & Augustorum. *Magister* appellatur, qua ratione etiam Aldricus Episcopus Senonensis in ejus Vitæ Secul. IV. Benedict. institutus dicitur, a Ludovico Pio *Præceptor Palatinus*, hoc est, qvi Præcepta, seu Diplomata Regia scribebat, uti Mabillonius interpretatur.

93) Animadverte, singulos Abbates atqve Episcopos dona adduxisse ad Ludovicum Augustum. Ad eorum temporum mores id spectabat. Du-Chesnius Tom. II. Rer. Francicar. fragmentum adfert de Monasteriis Regni Francorum, quæ anno 817. in Regno vel Imperio Ludovici Pii *dona & militiam facere possunt*, *quæ sola dona sine militia*, *quæ vero nec dona nec militiam*, *sed solas orationes pro salute Imperatoris vel filiorum ejus, ac stabilitate Imperii.* Vide etiam Vitam Walæ Abbatis iis temporibus celeberrimi, qvem Poeta noster nescio cur omiserit. Illum fortasse infensum sibi senserat.

94) Pro *iter*. Neqve desunt veterum Latinorum exempla.

95) Pro *Andegavensem*: quod & Poeta scripserit. A qua eorum temporum scriptores occurrit *Civitas Andegavis*. Fortasis etiam non *Andegavensis*, sed *Andegavis* ovans in autographo Nigelli fuit.

96) De illa jam supra egimus. Cancellarius nempe fuit Ludovici Pii, & pro ejus Seculi consvetudine multis Monachorum Monasteriis titulo *Abbatis* præfuit. Hinc facile deprehendas, Cœnobium Andicavense *Sancti Albini* (nunc *Saint Aubin d'Angers*) eidem Helisachar commendatum fuisse.

97) Id est templa præcipua Namnetensis urbis.

98) De quo supra fuit sermo. Eum Mabillonius putavit *Comitem Andicavensem*. Sunt hæc quæ evincunt, ipsum *Namnetensem Comitem*, qvum illic Cæsarem exceperit. Eo autem tempore, ut supra vidimus, Andicavensibus præerat *Matfridus Comes*. Nam qvod in Libro Miracul. Sancti Dionysii apud eundem Mabillonium Secul. Benedictin. Tom. III. part. 2. pag. 826. occurrit *Lamperius Comes*, si attente inspiciatur locus, non Andegavensis pagi, sed *vicini Fisci* Comitem significat.

99) Nimi *commune*? id est *una cosa comunne*.

100) Scriptum proficiscitur a Nigello fuerit *perstat*; id est, si obfirmato animo in suo consilio perstat, hic, erit ille finis.

Ordi-

Ordinat insidias, præparat atque dolos.
Interea Cæsar Brittonis dicta superbi
Aure capit, Francis & recitanda jubet.
His accensa cohors, jam dudum Marte parato,
Castra movent, sonitum dat tuba terribilem.
Sed pius Induperans custotes ponit opimos
Omnibus & mandat hæc in amore Dei:
Ecclesias servate viri; nec tecta sacrata
Tangite, & Ecclesis pax sit amore Dei.
Salpicibus 1) jam rura sonant, nemus omne resultat,
Et cava per campos buccina pulsa gemit.
Itur ubique vias populis dat silva remotas,
Milite Francisco rura repleta manent.
Quærunturque dapes, lustrisque, palude repostæ,
Atque solo sulcis ingenioque datæ.
Prædantur miseri hominesque, pecusque juvenci;
Res quoque nulla latet, nec latuere doli.
Nulla palude salus, nec dumis abdita servant
Clausira viros: Francus undique vastat opes.
Ecclesias, ut Cæsar eis testatur, amabant:
Cetera flamivomis tecta dedere focis.
Sed tamen in campis Francis occurrere apertis
Nulla fides: bellum Britto superbe fugis.
Per dumosa procul, felicum per densa reposti
Apparent rari, prœlia voce gerunt.
Ut folium veniente gelu cadit arbore querna,
Ut pluvia autumno, rosque calente die,
Haud aliter miseri complebant strage ferarum
Brittones lustra, sive paludis agros.
Bella perangustos agitabant improba calles,
Ædibus inclusi prœlia nulla dabant.
Jam, *Murmane*, tuæ passim peragrantur arenæ,
Avia lustra patent, atque superba domus.
Interea Murman dumosis vallibus instans,
Acer equos agitat, armaque nota capit.
Affaturque suos lætus, proprioque superba
Pectore verba dabat, increpitatque diu:
Vos servate domum, conjunx, proles famulique
Haud timidi vestras frondigerasque casas.
Ast ego cum paucis, quo tutior agmina lustrem,
Illucire paro, concomitando, viris.
Credo quod indutus præda spoliisque refertus
Ad mea tecta celer memet equo referam.
Armat equum, semet, fidos, armatque sodales.
Ambas misilibus armat & ipse manus.
Scandit equum velox, stimulis præfigit acutis
Frena tenens; gyros dat quadrupes varios.
Et salitante fores potus prægrandia vasa
Ferre jubet solito, suscipit atque bibit.
Conjugis amplexus, prolis, famulosque per omnes
More petit hilaris, oscula lenta dabat.
Tum manibus crebro crispans hastile profatur:
Conjunx aure cape quæ tibi verba dabo.
Lanceolas quas cernis, ait, manibusq; reflexat
Murman, amata, tuus lætus equo residens:
Si mihi certa fides, Francorum sanguine tinctas
Aspicies hodie me redeunte domum.
Credo quod incassum nullam Murmanis, amata,
Dextera mittet: ave fœmina amata; vale.
His dictis celerans silvis se condit apricis,
Ebrius, infelix te Hludovvice petens.
Hortatur socios firmato pectore in arma.
Ire juvat, cuncti Martis amore ruunt.
Cernitis, o juvenes, Francorum exercitus omnes
Vastat agros, homines, & pecus omne trahit.
O patriæ virtus, o quondam fama parentum
Nobilis, heu frustra jam memorata pudet.
Cernitis en miseros silvis confidere cives,
Nec campis audent hostibus arma dare.
Nusquam tuta fides: ubi nunc promissa per annum
Dextera? nunc Francos nullus adire volet.
En late regnant, lætique furuntque trahuntque
Munera Brittonum tanta parata diu.
Si fortuna foret, possim quo cernere Regem,
Namque sibi ferrum mislile forte darem,
Proque tributali hæc ferrea dona dedissem,
Oblitusque mei pergerem in arma celer.
Memet sponte mea morti dare nempe juvaret
Pro patriæ laude, proque salute soli.
Olli respondit quidam socia arma secutus,
Vera canens nimium, non tamen apta sibi.
O Rex, vana cadunt tristi de pectore verba:
Plus reticenda valent, quam recinenda modo.
Millia multa vides Francorum plana tenere,
Innumeri silvas lustra per alta ruunt.
Rex idem vario stipatus milite celsus
Tutus iter tritum per tua rura gerit.
Eheu gens nimium quadrum diffusa per Orbem,
Imperiis cujus subditur omnis homo.
Si Murmane placet, raros, quos cernis euntes,
Persequere: ad Regem tendere nulla fides.
Ille caput volvens, tamdem profatur, & infit:
Certa canis nempe, inplacitura tamen.
Non caruere genæ lacrymis, non corda dolore;
In varias partes mens male sana ruit.
Mox quoque in adverso sese dedit ocius hostis:
Terga ferit, ferro pectora lata forat.
Nunc huc nunc illuc armis furit ante paratis,
More parentis agens nunc fugit atque redit.
Turba subulcorum jam Murmanis icta furore
Multa jacet passim, opilioque miser.
Qualiter ursa rapax catulos amissa novellos,
Per rus per silvas idque reditque fremens.

1) A Græco σάλπιγξ medii ævi Scriptores deduxere *Salpix*, quæ *tubam* seu *buccinam* significat. Jam Vossius Lib. III, cap. 45. de vitiis sermon. & Du-Cangius in Glossario Latin. exempla congessere ex Alcuino, Althelmo, & Fulcherio Carnotense.

Coslus

Coslus erat quidam Franciſco germine natus
Non tamen e primo, nec generoſa manus.
Francus erat tantum, fama minus antea notus,
Poſtea cui nomen dextera celſa dedit.
Hunc Murmanus agens procul aſpicit, ocius & nox
Fiſus equo contra fervidus ire parat.
Nec minus ille qvidem fidis confiſus in armis
Hunc celerando petit: acer uterque nimis.
Protinus hunc Murman verbis compellat acerbis: A
France, tibi primo hæc mea dona dabo.
Hæc ſervata tibi jam dudum munera conſtant,
Quæ tamen accipiens poſt memor eſto mei.
Hoc dicens, ferrum vibrans longe & jacit haſtam;
Ille ſagax clypei hanc procul egit ope.
Coslus ad hæc armis, animo præſtantior, atque
Exultans verbis, hæc tulit ore ſuo:
Britto ſuperbe, tuæ ſuſcepi munera dextræ:
Nunc decet accipias, qualia Francus habet.
Calcibus adſtringens ferratis cornipedem B mox
Murman in adverſum concitus ire facit.
Non hoc mūſilibus certandum eſt tempore parvis,
Cuſpide Franciſco tempora lata forat.
Ille caput ferro ſeu cetera membra parato
Veſtierat; Francus ſed tamen arte ferit.
Concidit ad terram confixus cuſpide Murman 2),
Triſtis & invitus corpore preſſat humum.
Coslus equo cadens ſtricto caput abſtulit enſe,
Vitaque cum gemitu mox fugit acta procul.
Murmanis ante comes Coslum percuſſit eumC dem,
Victor & incautus cheu Cosle peris.
Cosli namque puer, domini prævinctus amore,
Actutum latera perforat hoſtis acri.
Ille dolens plaga puerum confixit eumdem:
Alter ab alterius vulnere flexus obit.
Quatuor hi campo certabant Marte ſuperbo:
Victori & victo ſors fuit una quidem.
Interea caſtris paulum crebreſcit, & auras
Fama replet tenues, geſta novella canens. D
Scilicet infeſtum Murman cecidiſſe ſuperbum
Sorte ſua, caſtris fertur ineſſe caput.
Circumfuſa ruit Francorum hinc inde caterva
Viſendi ſtudio lætificata ſatis.
Mox caput affertur collo tenus enſe revulſum,
Sanguine fœdatum abſque decore ſuo.
Witchar. adeſſe jubent, prorſus orantque referri,
Vera an falſa canant, eligat ipſe, rogant.
Is caput extemplo latice perfundit, & ornat
Pectine: cognovit mox quoque juſſa ſibi.
Murmanis hoc caput eſt, inquit, mihi credito cuncti;
Cervix iſta mihi ſat bene nota manet.
Cæſar at ipſe pius telluri more cadaver
Imponi miſerans pro pietate jubet.
Corpora Francorum mandantur namque ſepulcro
Moro pio, hymnis munere rite datis.
Altera fama furit Brittonum luſtra pererrans,
Voce tonat, Regem ſors tulit atra nimis.
Heu miſeri cives concurrite, Cæſaris almi
Quærere jura decet, dum modo vita datur.
Murman noſter obit Franciſco cuſpide tactus,
Credulus en nimium conjugis alloquiis.
Regia frena petunt Brittones namque coacti,
Jam ſoboleſque genus Murmanis omne venit.
Mox Hludovvicus ovans recipit Brittonica jura,
Dat jus, datque fidem: pax, requieſque datur.
Inde Deo grates victor perſolvit opimas,
Imperio ſociat perdita Regna diu.
Lætus at inde redit Cæſar, paucisque relictis
Ardua Regna petit auxiliante Deo.
Legati 3) interea, quos dudum miſerat Orbi
Cæſar, ut Eccleſiæ creſcerat almus honor,
Juſſa patrata pii, perfectisque ordine rebus,
Undique conveniunt, orſa parata ferunt,
Urbes innumeras, ſeu caſtra Monaſtica cuncta,
Canonicosque greges, ſeu Benedicte tuos,
Rite peragrantes, Cæſar quo maximus illis
Inſſerat, adveniunt: hæc quoque dicta canunt.
Multa favente Deo, veſtroque labore fideli
Vidimus ornata ſive peracta pie.
Rebus & ex emplis, cunctoque ex ordine cultu
Currere directo tramite, dante Deo.
Plurima namque minus, neglectis rebus & actu,
Officiumque minus currere rite Dei.
Quis tamen obnixe veſtri ſub pondere verbi
Juſſimus, implerent ordine quisque ſuo.
Menſurasque ſibi veſtro moderamine dantes,
Quis valeant ſemper pergere jure viam.
Seu etiam Librum 4), quem Patrum veſtra poteſtas
Dogmate decerpſit, atque peregit ope.
Urbibus, & Caſtris, ſexus quod eget uterque
Linquimus: adſantes hæc legitate viri.
Illum Paſtor amat placide, grex ſedulus illum
Perlegit, hunc ſemper ſedula turba colit.
Illuc inveniunt juvenesque ſenesque magiſtri,
Quid teneant, doceant, quicquid amore colant.

2) Anno Chriſti 818. Brittannicum bellum cœptum eſt & peractum. Ad eum annum Eginhardus in Annalib. auctor eſt, *Morinanum*, qui in Brittannia præter ſolitum Brittonibus morem Regiam ſibi vendicaverat poteſtatem, ab exercitu occiſum fuiſſe. Supra vidimus, alios quoque Regalem titulum antea uſurpaſſe.

3) Id eſt Miſſi Regii, quos Ludovicus per ſua Regna miſerat ad juſtitiam faciendam, & componendos Cleri utriusque mores.

4) Nempe de *Vita Clericorum*, & *Sanctimonialium*, quem Aqvisgranenſis Concilii Patres, ita jubente piiſſimo Auguſto, ex Sanctorum Patrum Sententiis conſecere, editum in collectione Conciliorum Labbeana.

Addimus ast Cæsar: post Christi tempora nostri,

Cum prius Ecclesia crevit in Orbe sacra,
(Vera quidem canimus) nullius tempore Regis
Creverat Ecclesia 5), seu decus, atq; Fides,
Temporibus vestris ut nunc, miserante Tonante,
Crescit amore Dei, sive decore sui.
Dextera vestra facit cunctos procul esse nocentes,
Protegit & famulos dextera vestra pios.
Munia vestra docent quicquid docuere priores,
Et facis assidue hæc recolere *ipse* 6) tuis.
Terribilis torvis, pius & mansuetus alumnis,
Inque tuis meritis Mundus abundat ope.
Reddidit ast illis Cæsar mox pectore grates,
Munificis donis munerat hos pariter.
Mos erat antiquus Francorum semper, & instat,
Dumque manebit, erit gentis honorque decus,
Ut quicumque fidem Regi servare perennem
Abnegat ingenio, munere, sive dolo,
Aut cupit in Regem, sobolem, seu sceptra misellus
Arte inferre aliquid, quæ sonat absque fide:
Tum si frater adest, qui se super 7) hæc quoque dicat,
Tunc decet ut bello certet uterque fero
Regibus & Francis coram, cunctoque senatu:
Detestatur enim Francia hocce nefas.
Namque fuit dictus quidam *Bero* 8) nomine quondam
Dives opum nimium, præ quoque sive potens,
Qui *Parchinonam* 9) Carolo tribuenter tenebat,
Temporibus multis credita jura regens.
Hunc super infestans alius, cui Sanilo 10) nomen
Propria terra dedit, alteruterque 11) Gothus.
Hic venit ad Regem coram populoque senatu
Verba nefanda canit, quæ Bero cuncta negat.
Prosiliunt pariter, pedibus volvuntur honestis,
Atque precantur eis martia tela dari.
Tum Bero primus ait: Cæsar, pietatis amore,
Deprecor, ut liceat ista negare mihi.
More tamen nostro liceat residere caballum,
Armaque ferre mea: sæpius ista rogat.
Cæsar ait: Francis hanc rem finire licebit:
Sic fas, sicque decet, nosque jubemus idem.
Judicioque dato Francorum ex more 12) vetusto
Arma parant, trepidi currere in arma volunt.
Cæsar amore Dei paucis compellat eosdem,
Certa canens illis pro pietate sua.
Quisquis, ait, vestrum mihi quippe fatebitur ultro
Delicti istius protinus esse reum,
Errorem miseràns donabo, & cuncta remittam
Debita peccati, vinctus amore Dei.
Credite namque, meis præstat parere suadelis,
Quam fera pestiferi proelia Martis agi.
Ast illi celeres iterumq; iterumq; precantur:
Bella placent nobis; bella parentur enim.
Cæsar eis sapiens: Francorum 13) jura facessant
Præcipit; ast illi, haud mora, jussa colunt.
Est locus insignis Regali proximus aulæ,
Fama sui late, quæ vocitatur *Aquis*,
Marmore præcinctus lapidum, sive aggere septus,
Consitus arboribus, quo viret herba recens.
At fluvius medium prælambit gurgite lento;
Hunc volucres variæ incolitantque feræ.
Quando placet Regi, paucis comitantibus illuc
Venandi studio sæpius ingreditur.
Figere cornigerum prægrandia corpora ferro
Cervorum, aut damnas percutere, atque capras.
Seu glacie stringente solum sub tempore brumæ
Unguigeris volucres exagitare capis 14).

---

5) Melius *Ecclesiæ*.

6) Alia manu textui superimpositum.

7) Obscurus sensus, quem tamen ita explices. Mos est Francis, ut si quis infidelitatis in Regem suspicionem moveat, eamque illi quisquam objiciat, tunc singulare certamen ineundum sit coram Rege & Francorum Proceribus.

8) Idem qui supra Lib. I. memoratus est, *Bera Comes* quoque appellatus.

9) More Theutonicorum, qui B. prolius pronuntiantes in v convertunt. Jam Eginhardus & alii eradidere, atque ego supra innui, *Beram* hunc *Barcinonensi* Civitati *Comitis* dignitate præfuisse.

10) Astronomus Auctor Vitæ Ludovici Pii ad annum 820. hæc paucis describit. *In Palatio quoque Bera Comes Barcinonensis, quum impeteretur a quodam vocato Sanila, & infidelitatis argueretur, cum eodem secundum Legem propriam, utpote quia uterque Gothus erat; equestri prælio congressus est, & victus.* Noster vero duellum oblatum & acceptum scribit more etiam *Francorum*, apud quos pariter exploratum est, in usu fuisse singulari certamina. Sed in eo tantum Gothi a Francis differebant, quod hi equites, illi vero pedites decertabant. Vide infra.

11) Pro *uterque*. Et quidem Bera & Sanilo *uterque Gothus* ex Astronomi fide.

12) Non Gothorum more, sed *Francorum*, hoc est certamine pedestri litem hanc diriniendam Ludovicus imperat. Fortasis etiam non aliis armis ijs uti potuerunt datum, quam *fustibus, & scutis*, uti statuunt non una Francorum Regum Capitularia: quem morem etiam in Italiam invectum, Langobardicæ Leges evincunt.

13) Hoc est: indulgeo vobis, ut dimissa Francorum consuetudine, Gothorum more certamen ineatis

14) Synodus Ticinensis anno 850. Canone IV. *Non canibus, aut accipitribus, vel Capis; quos vulgus Falcones vocat, per se ipsum venationes exerceat.* A capiendo aves ita dicti putantur. Alia exempla agglomerat Du-Cangius in Glossario Latino. Ac propterea *Gervicus Capis prælatus*, cujus est mentio in Vita Ludovici Pii ad annum 813. recte statuendus est magnus Regiæ Aulæ *Falconarius*. Certe inter Regios *Ministeriales* Carolo Magno in Epistola ad Pippinum filium Part. II. Tom. I. Collect. hujus pag. 112. *Falconarii* recensentur. Eos etiam Hincmarus Remensis memoravit inter Palatinas dignitates in Lib. de Ordine Palatii.

Ergo

Ergo illuc veniunt *15*) tremuli *Bero, Sanilo*
nec non;
Cornipedum resident corpora magna viri,
Scuta gerunt dorso, manibusque hastilia portant,
Expectant signum Regis ab arce dari;
Quos sequitur propius Regalis turba virorum,
Regali jussu scuta gerendo simul,
Ut si quis socium gladio percusserit, illi
More *16*) pio eripiant, mortis ab ore trahant.
Mox *Gundoldus* adest, feretrum *17*) de more paratum
Ducere postque jubet, ut fuerat solitus.
Annuitur solio: mox illi bella lacessunt
Arte nova Francis antea nota minus.
Et jaciunt hastas, mucronibus insuper actis
Proelia temptabant irrita more suo.
Jam Bero figit equum, gyros dare cornipedes *18*) mox
Incipit, atque fugit prata per ampla celer.
Ille sequi simulat, tamdem dimittit habenas,
Et ferit ense: ille *19*) se canit esse reum.
Concurrunt juvenes validi, fellumque Beronem
Eripiunt morti Cæsareo monitu.
Miratur Gundoldus enim feretrumque remittit
Absque onere tectis, venerat unde, suum.
Cæsar ei vitam tribuit, tribuitque salutem,
Et miserans *20*) proprias cessit habere dapes.
O pietas immensa nimis! peccamina laxat,
Cedit opes, vitam cedit habere reis.
Hæc eadem pietas (posco, atque reposco fidelis)
Memet *21*) Pippino reddat opima pio.
Jam, Benedicte *22*), tuum complexti ex ordine cursum,
Servastique fidem, Paulus ut ore tonat.
Nunc Paradisiaca residens lætanter in aula
Æquivocum *23*) sequeris, quem hic imitatus eras.
Tertius in vestro finem tenet ecce Libellus
Nomine, ut Ermoldi *24*) sis memor alme tui.

EXPLICIT LIBER TERTIUS.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

CUra pii passim gliscebat denique Regis,
Francorumque fides creverat usque polos.
Undique collectim gentes populique fluebant
Cernere Christicolam *1*) Cæsaris atque fidem
Gens erat interea, antiquum cui perfidus anguis
Liquerat errorem, sustuleratque Deum.
Quæ Pagana diu cultus servabat iniquos,
Pro factore colens Idola vana suo.
Proque Deo Neptunus erat, Christi retinebant
Jupiter orsa locum, cui sacra cuncta dabant.
Hic populi porro veteri cognomine *Deni 2*)
Ante vocabantur, & vocitantur adhuc.
Nort 3) quoque Francisco dicuntur nomine *Manni*,
Veloces, agiles, armigerique nimis.
Ipse quidem populus late pernotus habetur,
Linter dapes quærit, incolitatque mare.
Pulcher adest facie, vultuque statuque decorus,
Unde genus Francis *4*) adfore fama *5*) refert.
Victus amore Dei, generisque misertus aviti,

15) Certaminis hujus descriptio singularia habet notatu digna, quæ apud alios eorum temporum scriptores frustra requiras.

16) Quando abrogari omnino olim non potuit abominandus Duellorum usus, ea tamen peragere in conspectu omnium opus erat; & saltem pietatem sapuit, victos plerumque eripere morti. At seculis proxime lapsis in abdito certabatur, neque præsto erant, qui victo vitam impetrarent, tam longe processerat hujusmodi furor.

17) Ipsa attente notandus, ut si quis in certamine earum ritus nobis eruetur. Gratiæ sint Nigello, qui vetefuerat solitus. Fecit autem facere *Gundoldus* ille

18) Pro *cornipes*.

19) Id est Bero Comes. Audi Eginhardum in annum 820. *Bero Comes Barcinonæ, qui jam diu fraudis & infidelitatis a vicinis suis insimulabatur, cum accusatore suo equestri pugna confligere conatus, vincitur.*

20) Iterum Eginhardus: *Quumque ut reus majestatis capitali sententia damnaretur, parsum est ei misericordia Imperatoris, & Rotomacbum exilio proscriptus est.* Quare qvum noster ait, illi permissum a Ludovico *habere proprias dapes*, propria tantum bona dimissa ei fuisse intelligendum est, non autem Barcinonensem Præfecturam. In Vita Ludovici ad annum 834. occurrit *Sanila Comes*. Veri videtur simile, eumdem fuisse atqve Bere victorem, præmii loco dignitate Comitis postea auctum.

21) Vide Præfationem meam in Nigellum.

22) Nempe *Benedictus Anianensis*, & postea *Indensis Abbas*, vir sanctitate morum celeberrimus, jam supra a Nigello memoratus. Eum mors in cœlum intulit anno 821. uti ex ejus Vita apud Mabillonium Secul. IV. part. I. Act. Sanctor. Benedictin. Ac proinde vides, Nigello Chronologicum ordinem servari in hisce narrationibus.

23) Hoc est *Benedictum*, Occidentalium Monachorum Patriarcham, qvem Benedictus Indensis Abbas virtutibus est imitatus. Theodulfus Aurelianensis Lib. 2. Cap. 6. ad eumdem scribens, ipsum Casinati Benedicto comparat hisce versibus:

„ *Non distes merito, cujus non nomine distas:*
„ *Nominis & meriti sors beet una duos.*
„ *Fecit Ausonitis Benedictus Rector in arvis,*
„ *Hoc illi — — — nostris es, Benedicte, locis.*

24) Vide Præfat[illegible] meam.

1) An potius Christicolum [illegible] sive Cæsaris fidem?

2) Id est *Dani*. Eorum regio Germanice *Denmarck*, ac proinde eos Poeta *Denos*, ut adhuc Germani loqvuntur, potius qvam *Danos* appellat.

3) Scilicet *Normanni*, sive *Nordmanni*, olim appellati quicumqve Populi ad Septemtrionem Europæ positi, piraticam exercentes Regna Francorum infestabant. Regnante Carolo Magno emersit hujusmodi pestis. Eos vero modo *Danos*, modo *Normannos* appellant reliqvi eorum temporum scriptores.

4) Clarissimus Leibnitius Dissertationem edidit *de origine Francorum*, qvam postea Johannes Georgius Eccardus, eruditione sua optime hactenus de republica

Temptat & hos Cæsar lucrificare Deo.
Indoluitque diu, nullo monitante, perisse
Tot gentis populos, totque greges Domini.
Consilio accepto quærit, quem mitteret illuc
Quærere lucra Dei perdita tanta diu.
Mittitur ad hoc opus *Remensis Episcopus Ebo* 6),
Quo faciente queant credere nempe Deo.
Nam Hludovvicus enim puerum nutrirat eumdem,
Artibus ingenuis fecerat esse catum.
Hunc ergo alloquitur Cæsar, verbisque coruscat;
Multa canens famulo dat pia jussa suo.
Ito Sacer, populum blando sermone ferocem
Compellato prius tempore, sive modo.
Est Deus in Cœlo, Mundi plasmator & omnis,
Quicquid rura tenent, quæ mare, quæque polus.
Fecerat hic hominem primum, nostrumque parentem
Præposuit tempis 7) & Paradise tuis,
Ut sibi serviret lætus per secula cuncta,
Ignarusque mali, dante Creante, foret
Sed quia peccavit, cecidit mox: Inde nepotum
Dæmonis invidia mox genus omne cadit.
Crevitat inde seges, silvas replevit & arva,
Non coluere Deum, sed simulacra manus.
Diluvii hos rapidis sepelivit deniq; flustris 8)
Ni pia quos paucos Arca redemit aquis.
Hinc generosa cohors parvo de semine crevit,
Unde Deum quidam percoluere, suum.
Cetera turba quidem, variis infecta venenis,
Avia curva petit, Idola sæva colens.
Ille iterum miserans Natum transmisit ad arva,
Consortem Regni, qui tenet alta poli.
Hic hominis mortale suo sociavit honori;
Delicto primo liberat hic hominem.
Qui mundum salvare valens cum Patre potenter
In terris voluit pro pietate mori.
In Cruce confixus, morti se tradidit ultro,
Ut sua militibus Regna benigna daret.
Hic sedet ad Patris sociatus munere dextram,
Invitat famulos: currite, Regna dabo.
Hic jubet electis omnes revocare bidentes,
Et sacra baptismi munia rite dare.
Non aliter cœli quisquam conscendet in aulam,
Ni quæ jusit agat Filius ille Dei.
Scilicet amissis culturis Dæmonis atri,
Mox sacra Baptismi munera percipiat.
Ad hanc, *Ebo*, Fidem gentem revocare studeto:
Nostra fides hæc est, hanc colit Ecclesia.
Linquere vana decet: sculptis servire metallis
Heu scelus est homini, qui ratione viget.
Jupiter, aut Neptunus eos, vel quemque sequuntur,
Quid juvat, aut manibus sculpta metalla suis?
Vana colunt miseri, surdis mutisque precantur,
Dæmonibusque litant debita danda Deo.
Non pecudum placare Deum fas sanguine nostrum:
Pluris amat hominis vota benigna pius.
Jam satis errori tempus tribuere profano:
Cultibus inlicitis cedere tempus adest.
Ultima labentis hos jam vocat hora diei,
Vinetis domini portio restat adhuc.
Otia lenta decet jam nunc quoque rumpere, dum lux
Alma, licet homini quærere dumque Deum.

meritus, auctiorem, suisque notis illustratam recudit anno 1720. ad calcem Legis Salicæ. Contendit ibi Leibnitius, Francos originem duxisse ex *Normannorum patria, quæ est Dania ab antiquis appellata*, eosque olim trans Albim fluvium consedisse, hæc verba mutuatus ab *Anonymo Ravennate*, quem edidere Porcheronius & Gronovius. Verum non ea fortassis est Anonymi illius antiquitas, quam sibi Leibnitius persvasit; & exquirendum restat, num is plane sit *Guido Ravennas*, ex cujus Cosmographiæ Libris excerpta ego olim legebam in MSto Codice Bibliothecæ Ambrosianæ, ubi ejus nomen aperte ponitur, aliquin antea Raphaeli Volaterrano notum. Nil ego heic affirmare ausim; nam ex iis excerptis, parum alioqui castigatis, multa occurrunt in Anonymo Ravennate, alia vero illic minime reperio, qualia, ut exemplum proferam, sunt quæ sequuntur: *Deinde Lictia Ydomenei Regis, de qua Virgilius*

„ *Et Salentinos obsedit milite campos*
„ *Lictius. Ydomeneus unimodo, ceteris mœnibus solo De hac Theatrum solemni studio conditum, restat. In cuæquatis incolæ parvum pæne lapsum, municipium sibi jus jam quod nomen antique reservat, fecere culmine; nec figuram magis Urbis, quam eamdem Urbem expriunit. In hujus suburbanis monumenta antiquorum immera sub dio exposita, solido sculpta cernuntur lapide. Cui conjuncta civitas Rugæ dignoscitur. Ab hac utique Ydronitum, quæ in litore & portu ejusdem Lictiæ sita est XXX. fere milliaria supputantur &c.* Romualdum quoque Benaventanum Principem Brundusii & Tarenti potitum scribit, easque ab illo Urbes solo æquatas tradit.

5) Non una Anonymi Ravennatis auctoritate usus est supra laudatus Leibnitius, ut antiquas Francorum sedes apud Balticum fretum statueret, sed etiam Poetæ nostri, quem *nondum editum* in Cæsarea Vindobonensi Bibliotheca viderat. Ipsos hosce versus adfert Leibnitius suæ opinioni conformes. Et certe non condemnenda *fama*, quam Nigellus tantæ vetustatis Auctor de origine Francorum adfert. Infra idem Poeta scribit, Ludovicum Pium, misertum *generis aviari*, hoc est Danorum, adhuc falsorum Numinum cultui addictorum. ea fa-

6) Remensis Episcopus, vir in Historia Ecclesiastica, tum motus, tum ob prædicatam inter Danos curbas deinde ab idolis servientes, Christi Fidem, gustum. Pagius, Baronio motas in Ludovicum, sibi *Ebbonis* missionem collonium sequi an. 823. eamque in rem Eginhardi verba adfert. Sed Eginhardus anno 823. scribit; *Ebbonem Remorum Archiepiscopum, qui consilio Imperatoris & Romani Pontificis auctoritate, prædicandi gratia ad terminos Danorum accesserat, & æstate præterita multos ex eis ad Fidem venientes, baptizaverat, regressum fuisse.* Ergo Ebbonis sacra expeditio, & quæ heic Poeta noster adfert, spectant ad Annum 822. neque corrigendi cum Pagio, sed amplectendi Annales Fuldenses, qui ad annum 822. habent, *Ebo Remorum Episcopus gentem Nordmannorum evangelizavit verbum Dei.*

7) Tempe amœnissima Thessaliæ regiuncula apud antiquos Poetas perquam celebris. Itaque ad significandum amœnum locum usi sunt subinde ea voce minores Poetæ.

8) Ex Festo accepit Nigellus, scribente, *fluctus* maris quando quiescunt, sive malacia est, *flustra* appellari.

Ne

Ne nox atra cadens miseros comprendat inertes,
Tradat & ignicomis *9)* illico rite focis.
Tu sacer Ebo tamen perlectis accipe biblis,
Testamenta novi dogmatis ac veteris.
Hoc de fonte sacro fer pocula dulcia primo,
Quis hausti recolant dogmata vera Dei.
Aspera dede locis mox convenientibus, atque
Nosse queant *10)* hactenus orsa colunt.
His breviter Regem nostris de partibus *Herdolt 11)*
Adgredere, & dictis nostra referto sibi.
Nos pietate Dei pariter nostræque Fidei
Dogmate compuncti, hæc sibi dicta damus.
Consiliis modo si mavult parere benignis,
Suscipiat nostra pectore verba pio.
Proh dolor, accelerans errorem linquat avitum
Poscimus, & Christo det pia vota pio.
Offerat atque Deo semet promtissimus ipsum,
Cujus factura est; quique creavit eum.
Monstra nefanda procul, seu Juppiter horridus absit,
Neptunum linquat, Ecclesiamque colat.
Dona salutaris capiat de fonte sacrato;
Atque Crucem Christi frontibus opto ferat.
Non sua Regna mihi ut cedant hoc consulo credat,
Sed quo plasma Dei lucrificare queam.
Si cupit, ad nostras concurrat concitus arces,
Percipiat vero fonte lavacra Dei.
Insuper ablutus, dapibusque juvatus, & armis,
Mox sua Regna petens vivat amore Dei.
Hæc nos vera Fides divini jussa Tonantis
Dicere quippe monent, quæ volo perficere.
Mox jubet *Ebonem* donari munere magno.
Vade, Deus tecum, Induperator ait.
Nuntius interea *Brittonum 12)* a parte rebellum
Ecce venit solito, nuntia sæva refert.
Scilicet infectum quod nuper Cæsar ad illos
Firmarat pignus, insuper atque fidem.
Accitis populis, armis quoque rite paratis,
Illuc Cæsar ovans concitus ire parat.
Francia cuncta ruit, veniunt gentesque subactæ,
Et Pippin e *13)* tua parte venire paras.
Divisit populum ternis sub partibus, omnem
Ductoresque dedit; ordinat & Proceres.
Partem unam æquivoco, *) belli commirtit, & una
Matfridum 14) sociat, millia multa simul.
Pippino Regi huc *Helisacharque*, potentes
Junguntur: numero cetera turba caret.
Agmen ovans Cæsar medium sibi vendicat ipse,
Belliger, & sapiens ordine bella movet.
A Hos *Lantpertus 15)* agit; hos ducit in agmina *Matfrid*,
Et *Hludovvice 16)* puer bella paterna geris.
Pippin, sive sui, & Francorum mixta caterva
Arma ferunt, vastant undique gentis hostes.
Cæsar agens Francos, per calles dirigit amplos;
Regmina Brittonum sic peragrata patent.
B Huc egomet *17)*, scutum humeris ensemque revinctum
Gessi, sed nemo me feriente dolet.
Pippin hoc aspiciens risit, miratur, & infit:
Cede armis frater: literam amato magis.
Tunc peragrant agros, silvas, tremulasque paludes,
Vastatur populus, & pecus omne perit.
Ducuntur capti miseri, moriuntur & armis;
Tamdem reliquiæ *18)* Cæsaris arma petunt.
Cæsar namque Duces custodes ponit opimos;
C Si cupiant, nequeunt bella movere magis.
Victor at inde pius Cæsar remeavit, & omnes
Victores Franci mox sua tecta petunt.
Ebo Sacer dudum Nortmannica Regna peragrans,
Munia clara dabat nominis apta Dei.
D Jam *Herorde 19)* tuas præsul pervenerat arces,
Et tua de Christi dogmate corda replet.
Ille Dei monitis, Regis quoque credere verbis
Cœperat, & populum prædicat ipse suum.
Credo, Sacer, dictis tantum si gesta sequantur:
Perge, ait, ad Regem: hæc sibi dicta refer.
Cernere namque placet Francorum Regna, Fidemque
Cæsaris, arma, dapes, Christicolumque decus,
Culturamque Dei, cui servit cuncta potestas,

9) Ita in MSto Codice. Alibi vocabulo *ignivomis* utitur.

10) Ita in MSto; ex qvo vox aliqua intercidit: Sensus est; *nosse queant falsa, quæ hactenus orsa colunt.*

11) Qvem infra *Herordum*, & *Heroldum* appellat, ea tempestate Danorum Regem.

12) Novus hic Britanniæ cismarinæ motus spectat ad annum 824. & de eo ab Eginhardo (sive qvisqvis ille sit, cujus Annales Francorum sub Eginhardi nomine laudare pergo) hæc inter alia traduntur: *Imperator ad Britannicam expeditionem per se faciendam animo intento Redonas venit. Et inde diviso in tres partes Exercitu, duabusque partibus filiis suis Pippino & Ludovico traditis Britanniam ingressus totam ferro & igne vastavit.*

13) Pippinum significat Ludovici Pii filium, & tunc Aqvitaniæ Regem.

*) Id est Ludovico filio, Bajoariæ Regi.

14) Qvem supra adnotavimus Comitis dignitate Aurelianensibus præfectum fuisse.

15) Nempe *Nammetensis*, Comes, ut supra vidimus. Præ ceteris vero delecti Comites Aurelianensis & Namnetensis duces belli, qvod uterqve sua ditione Britannis conterminus foret, & utriusqve tutelæ commendati fuerant ad eam partem Francorum limites.

16) Is erat Ludovici Pii filius, jam anno 817. a patre constitutus Rex Bajoariæ. Eum qvoqve expeditioni Britannicæ anno 824. interfuisse Eginhardus nuper nobis indicavit.

17) Vide Præfationem Gentilotti, ac meam in hunc Scriptorem.

18) Hoc est, qui a ferro & vinculis immunes superfuerant, Ludovici Augusti militibus deditionem fecere.

19) Idem, qvem supra vidimus, Danorum Rex.

Ut canit, atque Fides firmiter alma tenet.
Tum mihi si vester, recinis quem dogmate, Christus
Cedat opem voti, protinus acta dabo.
Dii quoque serventur, quorum sacravimus aras,
Usque Dei possim visere templa tui.
Si Deus ille tuus nostris præfertur honore,
Et valet oranti munera plura dare,
Linquere causa monet, Christo parere juvabit,
Sculptaque flammivomis ferre metalla focis. A
Munera ferre jubet, donat quoque munere Sacrum,
Qualia Denorum rus quoque habere valet.
Ebo redit gaudens, lucrisque Propheta futuris
Æstuat, & Regi vota placenda refert,
Qualiter *Heroldus Denorum rector* opimus
Sacra lavacra Dei suscipienda petat.
Cæsar at deinde pius grates persolvit opimas
Cuncti patri Domino, qui dedit omne bonum. B
Et jubet ex templo Imperii perjura subacti
Omnibus obnixo solvere vota Deo.
Scilicet ut Christus, qui Mundum sanguine totum
Salvavit, redimat hos quoque ab hoste malo.
Engilin 20) ipse pius placido tunc tramite *heim*
Advolat Induperans conjuge cum sobole.
Est locus ille situs rapidi prope flumina Rheni,
Ornatus variis cultibus, & dapibus. C
Quo domus alma patet centum perfixa columnis,
Quo reditus varii, tectaque multimoda.
Mille aditus, reditus, millenaque claustra domorum,
Acta magistrorum artificumque manu.
Templa Dei summo 21) constant operata metallo,
Ærati postes, aurea ostiola.
Inclita gesta Dei, series memoranda virorum,
Pictura insigni quo relegenda patent. D
Ut primo, ponente Deo, pars læva recenset,
Incolitant homines te Paradise novi.
Insicia corda mali Serpens ut perfidus Evæ
Temptat, ut illa virum tangit, ut ipse cibum.
Ut Domino veniente tegunt se tegmine ficus,
Ut pro peccatis jam coluere solum.
Frater ob invidiam fratrem pro munere primo
Perculit, haud gladio, sed manibus miseris.
Inde per innumeros pergit pictura sequaces,
Ordine, sive modo dogmata prisca refert.
Utque latex totum merito diffusus in orbem
Crevit, & ad finem traxit ut omne genus,
Ut miserante Deo paucos subvexerat Arcas,
Et corvi meritum, sive columba tuum,
Inde Habrahæ, sobolique 22) suæ pingitur & acta,
Joseph, seu fratrum, & Pharaonis opus.
Liberat ut populum Ægypto jam munere Moses,
Ut perit Ægyptus, Israel utque meat.
Et lex dante Deo geminis descripta tabellis,
Flumina de rupe, deque volucre cibus,
Et promissa diu quo redditur hospita tellus,
Ut Jesus populo dux bonus existiterat.
Jamque Prophetarum, Regum præmagna caterva
Pingitur, acta simul & celebrata nitent.
Et Davidis opus, Salomonis & acta potentis,
Templaque divino ædificata opere.
Inde Duces populi quales quantique fuere,
Atque Sacerdotum culmina seu procerum.
Altera pars retinet Christi vitalia gesta, M
Quæ terris Missus a genitore dedit.
Angelus ut primo Mariæ delapsus ad aures
Utque Maria sonat: Ecce puella De
Nascitur ut Christus, Sacris longe ante Prophetis
Notus, & epannis volvitur utque Deus.
Ut pia pastores capiunt mox jussa Tonantis,
Cernere mox que Deum quo meruere Magi.
Ut furit Herodes, Christum succedere credens,
Perculit ut pueros qui meruere mori.
Ut fugit Ægypto Joseph, puerumque reportat,
Crevit ut ipse puer, subditus utque fuit.
Ut baptizari voluit, qui venerat omnes
Sanguine salvare, qui periere diu.
More hominis ut tanta tulit jejunia Christus,
Ut temptatorem perculit arte suum.
Ut pia per Mundum docuit mox munia Patris,
Reddidit infirmis munia prisca pius.
Mortua quin etiam ut reparavit corpora vitæ
Dæmonis arma tulit, expulit utque procul.
Discipulo ut tradente fero, sævoque popello,
More hominis voluit ut Deus ipse mori.
Ut surgens propriis apparuit ipse ministris,
Utque polos palam scandit, & arva regit.
His est aula Dei picturis arte referta, C
Pleniter artifici rite polita manu.
Regia namque domus late persculpta nitescit,
Et canit ingenio maxima gesta virum,
Cyri gesta canit, nec non & tempore *Nini*
Prœlia multimoda, duraque facta nimis.
Hic videas fluvio Regis sævire furorem,
Vindicat ut cari denique funus equi.
De hinc mulieris ovans infelix prenderat arte
Sanguinis utre caput ponitur inde suum.

20) Scilicet *Ingelheimum*, nunc Palatinatus Rhenani oppidum. Ibi Palatium nobile a Carolo M. conditum, de quo Poeta Saxo in Annal. Caroli, capite postremo:

„*Ingelenhem dictus locus est, ubi condidit Aulam,*
„*Æsar cui vidit nostra parem minime.*

Eginhardus *non longe a Moguntiaco* Villam hanc Regiam statuit.

21) Lubenter scriberem *summi*: atque ita a Poeta scriptum censeo.

22) Restituerem *sobolique*.

Impia nec *Falaris* reticentur gesta nefandi,
Utque truces populos hic necat arte fera.
Ut *Pyrrhus* 23) ei quidam faber æris & auri
Jungitur, & Falari cum impietate miser
Æreus eler taurum nimio fabrivit honore,
Truderet ut hominis quo pia membra fe-
rus.
Moxque tyrannus eum tauri conclusit in alvo,
Arsque dedit mortem ut artifice suo,
Romulus & Remus Romæ ut fundamina po-
nunt,
Perculit ut fratrem impius ille suum.
Hannibal ut bellis semper perfuetus iniquis,
Lumine privatus ut fuit ipse suo.
Ut quoque *Alexander* bello sibi vendicat
Orbem,
Ut *Romana* manus crevit & usque polum,
Parte alia tecti mirantur gesta paterna,
Atque piæ Fidei proximiora magis.
Cæsareis actis Romanæ Sedis opimæ
Junguntur Franci, gestaque mira simul.
Constantinus uti Romam dimittit a more,
Constantinopolim construit ipse sibi.
Theodosius felix illuc depictus habetur,
Actis præclaris addita gesta suis.
Hinc *Carolus* 24) primus Frisonum Marte
magister
Pingitur, & secum grandia gesta manus.
Hinc *Pippine* micas, Aquitanis 25) jura re-
mittens,
Et Regno socias, Marte favente, tuo.
Et *Carolus* 26) sapiens vultus prætendit aper-
tos,
Fertque coronatum stemmate rite caput.
Hinc *Saxona* cohors contra stat, proelia tem-
ptat,
Ille ferit, domitat; ad sua jura trahit.
His aliisque actis clare locus ille nitescit,
Patritur & visu, cernere quosque juvat.
Illic ergo pius Cæsar dat jura subactis,
More suo Regni rite revolvit opus.
Ecce volant centum per Rheni flumina pup-
pes,
Velaque candidolis consociata modis,
Denorum populis onerate munere, nec non
Heroldum 27) *Regem* prima carina vehit,
Te *Hludovvice* petens. Debetur hoc tibi mu-
nus,
Qui facis Ecclesiæ crescere rite decus.
Jamque propinquabant ripæ, portumque
tenebant:
Cæsar ab excelsa hæc prospicit arce pius,
Matfridumque jubet juvenum comitante ca-
terva,
Ocius occurrat pro pietate viris.
Mittit equos faleris multos ostroque paratos,
Qui vehant homines ad sua tecta novos.
Francisco subvectus equo Heroldus adibat,
Conjunx, atque domus cuncta venire pa-
rat.
Cæsar eum gaudens celsa suscepit ab aula,
Ordinat expensas, distribuitque dapes.
Heroldus Regem adclinis affatur opimum,
Incipit ore sua vota referre prior.
Cæsar opime, tuas quæ res me vexit ad ar-
ces,
Meque, domumque meam, & genus omne
simul.
Incipiam narrare, jubet si vestra potestas,
Cæsareis promtus auribus, atque canam.
Namque diu patrum sectatus jura priorum,
More mei generis hactenus usque tuli,
Et mea sacra meis semper Dis atque Deabus
Persolvi supplex, & pia vota dedi.
Scilicet ut horum suffragia Regna paterna
Servarent, populum, prædia, sive lares,
Auferrentque famem, seu noxia cuncta po-
tenter
Abstraherentque darent, prospera cuncta
suis.
Ebo Sacer vester dudum Nortmannica rura
Ingrediens, aliter prædicat, atque probat.
Namque canit cœli terræque marisque Crea-
tem
Esse Deum verum, quem decet omne de-
cus.
Qui geminos homines luti de fomite primo
Fecerat, unde genus crevit in orbe virum.
Hic Deus summus Natum transmisit in arva
De cujus latere sanguis & unda fluit.
Hæc 28) lavit Mundum miserans mox cri-
mine ab omni,
Atque renascenti cœlica Regna dedit.
Filius ille Dei Christus vocitatur Iesus,
Cujus chrisma beat nunc genus omne
pium.
Hunc nisi confessus fuerit quisque esse To-
nantem,
Et pia Baptismi munera suscipiat,
Tartarei invitus properabit ad ima profundi,
Quo male Dæmonibus consociandus erit.
At quicumque cupit Cœli conscendere se-
dem,
Quo manet omne bonum, & procul omne
malum,
Jam fateatur, eum verum esse Deumque Ho-
minemque,
Expurget nec non corpora fonte sacra,
In Patris, & Nati, seu nomine Flaminis almi
Membra salutiferis ter quoque munde
aquis.
Hic Deus est unus, quamvis sint nomina trina,

23) Quem *Perillum* alii appellarunt.
24) Scilicet *Martellus*, avus Caroli Magni, & Major Domus Franciæ: is nempe, qui *Frisios* gentem durissimam celebri expeditione prostrayit, suæque ditioni adjecit anno 733. & 734.
25) Bellum Aquitanicum per annos plures Pippinum Regem exercuit, eoque vix confecto, naturæ debitum solvit.
26) Id est Magnus, ex bello Saxonico præcipue clarus.
27) Tres adventus Heroldi Danorum Regis ad Ludovicum Augustum statuendi sunt. Primus ad annum 814. spectat, ut infra adnotabo. Secundus ab Eginhardo aliisque Chronologis refertur ad annum 823. quo is ad Ludovicum accessit, *auxilium petens contra filios Godefridi, qui eum patria pellere minabantur.* Tertius vero ad annum 826. quo, ut idem Eginhardus scribit, *Heriboldus cum uxore & magna Danorum multitudine veniens, Mogunciaci apud Sanctum Albanum baptizatus est.* Poeta noster postremum hunc Heroldi adventum agnovisse videtur.
28) Scriptum a Poeta potius fuerit *hac lavit.*

Par

Par honor atque decus est, fuit, est, quoque erit.
Cetera quæ manibus constant præficta, metalla
Idola vana vocat Præsul, & esse nihil.
Hanc mihi Cæsar amans Præsul sanctissimus *Ebo*
Esse Fidem vestram censuit ore suo.
Cujus ego exemplo verbis recreatus honestis
Credo Deum verum, respuo sculpta manus
Idcirco ad vestrum properavi remige Regnum,
Ut mihi vestra Fides consociata foret.
Cæsar ad hæc: *Herolde*, tibi quæ poscis amice
Rite dabo, & grates inde rependo Deo:
Quo miserante diu sectatus jussa celydri,
Christicolam tamdem poscis adire Fidem.
Ecce parate, jubet, cuncti concurrite, Cæsar,
Munera Baptismi rite parate *29)* decet.
Candidolas vestes quales gestare decebit
Christicolis, fontes, chrisma, seu latices.
Ordine his gestis, sacris quoque rite paratis,
Cæsar & Heroldus tecta sacrata petunt.
Cæsar honore Dei Heroldum suscepit *30)* ab undis,
Vestibus albidulis ornat & ipse manu.
Judith 31) Reginam Heroldi pulcra Induperatrix
Fonte levat sacro, vestibus atque tegit.
Hlutharius Cæsar, Hludovvici filius almi,
Heroldi natum sustulit a latice.
Regis honoratos Proceres relevantque decorant,
Ast alios plures turba levavit aquis.
O Hludovvice, Deo quantas das magne catervas!
Quantus odor Christo te faciente meat!
Hæc tibi lucra diu, Princeps, servata manebunt;
Abstrahis ore lupi, quæ facis esse Dei.
Vestibus albatus Herold, seu corde renatus,
Jam patris eximii candida tecta subit.
Cæsar ei celsus prægrandia munera donat,
Qualia Francorum gignere rura valent.
Consertam clamydem *32)* gemmis seu muri-ce rubro,
Aureus in gyro, quam quoque lymbus arat.
Dat lateri inlignem Cæsar, quem gesserat, ensem,
Aurea quem comunt cingula rite data.
Aurea mox geminos constringunt vincla lacertos.
Fe mora gemmatus balteus ejus obit.
Et caput insigni donatur rite corona,
Perstringuntque pedes aurea plectra *33)* suos.
Aurea per dorsum resplendent tegmina latum
Ornanturque manus tegmine candidulo.
Munera præterea matronæ regia *Judith*
Congrua namque dedit, gratificumque decus.
Scilicet ex auro tunicam gemmisque rigentem,
Conficit ast qualem arte Minerva sua.
Aurea vitta caput gemmis redimitta coronat,
Atque munile tegit pectora grande nova.
Flexilis obtorti per collum it circulus auri,
Armilæque tenent brachia fœmineæ.
Femora lenta regunt auro gemmisque peracta
Cingula, dorsa tegit aurea cappa suum.
Necminus interea *Hlutharius* ornat amore
Heroldi natum vestibus aurigeris.
Cetera namq; cohors Francisco more paratur,
Vestimenta sibi Cæsar amore dedit.
Interea Missarum aderant jam sacra parata,
More vocat signum *34)* ad culmina *35)* sacra homines.
Tecta nitent vario Clero repleta coruſco.
Ordine mirifico vernat amœna domus.
Turba Sacerdotum Clementis *36)* dogmate constat,
Levitæque micant ordine namque pii.
Theuto 37) chorum Cleri disponit rite canentum,

29) Fortasse *parare decet.*

30) Audi Theganum de Gest. Ludovici Pii: *Sequenti*, ait, *anno* (id est 826.) *erat in Palatio Ingulenheim, & ibi ad eum venit Eriolth de Dania, quem Dominus Imperator elevavit de fonte, baptismatis.*

31) Idem habet Theganus addens: *Et uxorem ejus elevavit de fonte Domna Judith Augusta*: Reliqua Spectaculi tam celebris nobis servavit unus Ermoldus.

32) Ex pendenda hæc & illustranda relinqvo Clarissimo Viro Domino Bernardo de Montfaucon ex Congregat. Sancti Mauri, eximio literarum, nostrorumque temporum ornamento, qui nuper *Antiquitates Francicas* describendas suscepit.

33) Arcus, aut pectoris, quo cytharoedorum fides pulsantur. Hæc germana significatio vocis. At quid hoc significet, non facile ostendas. Si pontino teste *plectrum* quoque interdum est appellatum *calcar aheneum*, quod olim addebatur gallis gallinaceis, inter se pugnaturis: quinos apud Brittannos viget. Num ergo calcaria hoc innuuntur? An pro *plectra* legendum *plata*, aut aliqvid aliud? Calceamenta hoc designari video, qvæ Monachus Sangallensis Lib. I. Cap. 36. Francorum Regibus fuisse *serimsecus auratæ* scribit.

34) Id est campana. Vide *Du-Cangium* in Glossario Latino, ibique alia veterum exempla coacervata.

35) Hoc est Templum. Sed qūodnam hujusmodi Templum? Si fides Astronomo in Vita Ludovici Pii, & Eginhardo, adqve Annalibus Fuldensibus, ac Bertinianis, (ii enim paria habent, qvippe ab uno fonte manantes) Moguntiæ *apud Sanctum Albanum baptizatus est Heriolthus.* Ac proinde Mabillonius in Annal. Benedictin. ad Annum 826, veluti rem certam id statuit. Et qvidem celebre fuit *Monasterium Sancti Albani* Moguntiæ situm. At noster nihil de Moguntia, nihil de Sancti Albani Basilica habet; immo satis aperte rem tradit peractam in pago *Ingelheimensi*, atqve adeo in magnifica illa Basilica, qvam ibidem positam Nigellus supra descripsit. Neqve aliter scripsit Theganus, ut nuper vidimus. Hisce duobus Scriptoribus Synchronis, ac potissimum Nigello, qvi adeo graphice hæc describit, ego qvidem libentius adhærerem. Qvi enim Eginhardo Annales tribuuntur, non tam certo Auctore feruntur, uti Poema, qvod præ manibus habemus. Atque hæc scribo, nisi idem fuerit templum Sancti Albani, & Basilica Ingelheimensis. Eginhardus ipse ad annum 787. testis est; *Villam, quæ vocatur Ingelheim*, sitam fuisse *in suburbano Moguntiacensi.*

36) Puto Romani Pontificis, in cujus suppositiis Libris plura de Presbyteris occurrunt. Fortasis & in subsequente versu innuitur *Pius* alter Romanus Pontifex, cui Diaconorum, nescio quo bono teste, quædam institutio tribuitur.

37) Aliqvis ex Palatinis Proceribus, uti & *Adhalwinus* subsequenter positus. Circiter ea tempora floruit *Theoto*, qvi post paucos annos *Cancellarii* dignitate illustris.

Adhalh.

Adhallvitur adest, fertque manu ferulam,
Percutit instantesque, viam componit honore
Cæsaris, & Procerum, conjugis & sobolis.
Atria Cæsar ovans per lata petebat in aulam,
Sedulus officiis adfore sæpe, sacris.
Resplendens auro nimium gemmisque refulgens,
Innixus famulis lætus abibat iter.
Hilduinus 38) habet dextram; *Helisacharque* liniſtram
Sustentat; *Gerung 39)* pergit at ipse prior;
Virgam more gerit, servans vestigia Regis,
Aurea cujus habet quippe corona caput.
*Hlutharius*que pius, *Heroldus* & ipse togatus
Pone sequuntur eos, muneribusque micant.
Ante patrem pulcher *Carolus 40)* puer incitus auro
Lætus abit, plantis marmora pulsat ovans.
Judith interea regali munere fulta
Procedit, renitens munere mirifico,
Quam Proceres gemini summo comitantur honore
Matfridus sive huc *41)* consociando gradum.
Atque coronati *42)* dominam venerantur honestam;
Vestibus auratis celsus uterque micat.
Heroldi sequitur propius quam denique conjunx,
Induperatricis munera *43)* læta piæ.
Et *Fridugisus 44)* abit, sequitur quem discipulorum
Turba sagax, candens vestibus, atque Eide.
Ordine compolito sequitur dehinc cetera pubes,
Vestibus ornata munere Cæsareo.
Cæsar ut Ecclesiam gressu pervenit honesto,
Exposcit votis more suo Dominum.
Mox tuba *Theutonis* clare dat rite boatum,
Quam sequitur Clerus protinus atque chori.
Miratur Herold, conjunx mirantur, & omnes
Proles, & socii culmina tanta Dei,
Mirantur Clerum, mirantur denique Templum,
Atque Sacerdotes, officiumque pium.
Regis præcipue mirantur proemia magni,
Imperiis cujus currere tanta vident.
Dic, *Herolde*, precor jam nunc, quam pluris amabis
Celse Fidem Regis, an tua sculpta nequam?
Ferque fabrita focis auri argentique metalla,
Et tibi sive tuis inde paretur honos.
Si ferrum fuerit, fortassis ad arva colenda
Sufficit, & cultros inde fabrire jube.
Plus tibi vomer opes telluri infixus habebit
Quam Deus ille tibi conferat arte sua.
Hic Deus est verus, Franci quem, Cæsar, & ipse
Rite colunt votis: hunc cole, linque Jovem.
De Jove fac ollas nigras, furvosque lebetes
Ignem semper ament, auctor ut ipse suus.
Neptuno fabricetur aquæ gerulus tibi jure
Urceus, & laticum semper habebit honos.
Interea reverenter opes parabantur heriles,
Atque cibi varii, multimodumque merum.
Pistorum *Petris 45)* hinc princeps, hinc *Gunto 46)* coquorum
Accelerant, mensas ordine more parant.
Candida præponunt niveis mantelia *47)* villis,

adhuc in Diplomatis Ludovici Pii memoratur. Fuit & *Theoto Abbas Majoris-Monasterii*: Sed fortasse neuter ad hunc locum pertinet.

38) De qvo supra facta est mentio. Vide qvanto in honore esset *Archicapellani* dignitas, qva celebris iste Abbas tunc in Aula Ludovici Pii fruebatur. De *Helisachare* qvoqve jam supra egimus.

39) Fuit *is summus sacri Palatii Ostiarius*. Eo titulo donatur a Frotharo Episcopo Tullense in Epistol. II. apud Du-Chesne Tom. II pag. 712. Script. Francic. In vita qvoqve Ludovici Pii Astronomus Auctor est ad annum 822. Lotharium a patre in Italiam missum, & una cum eo Walam Monachum affinem illius, sed & *Gerungum Ostiarium*. Scribendum est *Gerungum*, qvem etiam ad eumdem annum 822. Eginhardus appellat *Gerungum Ostiariorum Magistrum*.

40) Qvem *Calvum* appellare consvevimus. Filius is natu minimus Ludovici Pii, ex Imperatrice Juditha progenitus; & qvidem Anno 816. qvando hæc peracta fuere, puerulus; qvippe Idibus Junii Anno 823. in lucem editus.

41) Corrigo: *sive Hug*, aut etiam *sive Huc*: nam *Hugo* & *Huco* apud veteres ex diversa pronuntiatione occurrunt, atqve idem nomen sonant. *Si procereigemini* comitabantur Augustam, ergo præter *Matfridum Comitem Aurelianensem* alter erat memorandus. Is autem fuit *Hugo*, ut conjicio, Comes ille, cujus filiam *Irmingardim* Lotharius Ludovici Pii primogenitus uxorem duxerat Anno 821. In Vita Ludovici Pii ad annum 827. Ludovicus ipse traditur misisse Pippinum filium contra Saracenos, *simulque missos ex latere suo Hugonem & Matfridum Comites*. En ambos hosce Comites conjunctos illic, pariterqve apud Poëtam nostrum in illa solemnitate conjunctos. Et qvum constet in impia conjuratione adversus ipsum Ludovicum Augustum primas partes sibi sumsisse *Hugonem & Matfridum Comites*, Theganus vero ab Hugone Lotharii socero jam Anno 821. jacta semina tantæ infidelitatis, scripserit; supereſt ut hoc innui intelligamus ipsum Hugonem Irmingardis Augustæ patrem, *qui erat de stirpe cujusdam Ducis nomine Edith*, uti Theganus prodidit.

42) Adnotare ne pigeat, qvum dicantur & hi ipsi Comites *Coronam* in capite gessisse, diversam quidem ab Imperiali, sed tamen insignis decoris signum. Apud Continuatorem Aimoini occurrit Boso *Corona Ducali ornatus*. Coronam *Comitum* nescio, an qvisqvam veterum memorarit. Hi tamen *Marchionis* etiam munere, licet nondum nomine fruebantur. In magna Britannia adhuc perdurat ejusmodi Coronarum consvetudo, qvum inauguratio Regis peragitur.

43) Lego *munere*.

44) Qvem supra vidimus Cancellarium Ludovici Pii, simulqve Abbatem Monasterii Turonensis Sancti Martini.

45) Hic appellatur *Pistorum Princeps*: qvæ dignitas in aula Regum Franciæ olim qvoqve viguit. Seculis subsequentibus *magnus Pistor*, aut *Magister panetarius Franciæ* appellabatur, qvi hujusmodi officio præfectus erat.

46) Hic vero *coquorum princeps* dicitur. Et hæc altera fuit in Palatio Francorum Regum illustris dignitas. A Theodulfo Aurelianense Lib. 3. Carmin. exhibetur ex hisce Præfectis coqvinariæ rei unus, coqvorum vallatus cuneis:

„*Prudenter qui cuncta gerens, epulasque dapesque*
„*Regis honoratum deferat ante thronum.*

Ab Hermanno qvoqve in Lib. de Restaurat. S. Martini Tornac. in Spicil. Dacher. Fulcherus Episcopus dicitur *filius principis Cocorum Regis Franciæ*.

47) Qvamqvam vulgo scribere soleamus *mantilia*, attamen, uti jam Dausqvius in Orthographia monuit, antiquissimus Virgilii Codex Vaticanus, aliique vetusti Co-

Marmoreo *48)* disco dispositæ dapes.
Hic Cererem solitus, hic carnea dona ministrat.
Aurea per discum vasa sedere vides.
Nec minus *Otbai 49)* puer pincernis imperat ardens,
Præparat & Bacchi munera lenta meri.
Cultibus almificis transactis rite verenter,
Venerat unde prius, Cæsar abire parat
Aureus; & consjunx, proles, auratus & omnis
Cœtus abit, Clerus denique candidolus.
Inde pius moderando gradum pervenit in ædes,
Quo sibi Cæsareo more parantur opes.
Discubuit lætus lateri *Judith* quoque pulcra,
Jussa, sed & Regis baliat *50)* ore genu.
Hlutarius Cæsar, nec non *Heroldus* & hospes
Parte sua residunt, Rege jubente, thoro.
Mirantur que dapes Deni, mirantur & arma
Cæsaris, & famulos, & puerile *51)* decus.
Ille dies lætus Francis Denisque renatis
Naimque fuit merito, post recolendus erit.
Alter namque dies primo veniebat Eoo,
Cedunt astra polo, sole calescit humus.
Venatum ire parat Cæsar, Francique solentes,
Et secum Heroldum Cæsar abire jubet.
Insula propter adest Rheni quoque gurgite cincta,
Quo viret herba recens, est nemus umbriferum.
Illuc quippe feræ multæ variæque fuerunt,
Et late silvis turba jacebat iners.
Hanc quoque complerunt venantum hinc inde manipli,
Atque molossorum magna caterva simul.
Cæsar veloci residens terit arva caballo,
Wito 52) pharetratus cui comes ibat equo.
Plurima turba fluit juvenum, nec non puerorum,
Inter *Hludarius* quos celer ibat equo.
Atque simul Deni, nec non Heroldus & hospes,
Spectandi studio huc quoque lætus adest.
Jam pia scandit equum *Judith* pulcherrima conjunx
Cæsaris, ornata, comtaque mirifice.
Quam proceres summi dominam seu turba potentum
Præterit *53)* & sequitur Regis honore pii.
Jam nemus omne sonat crebris latratibus ictus
Hinc hominum voces, hinc tuba crebra furit;
Dissiliuntque feræ, fugiuntque per aspera dumi.
Nec fuga subsidio, nec nemus estque, latex,
Inter cornigeros cecidit quoque damula cervos.
Dentifer ipse cadit cuspide fixus aper.
Cæsar lætus enim dat corpora multa ferarum
Ipse neci, propria perculit atque manu.
Hlutariusque celer florens, fretusque juventa
Percutit ursorum corpora multa manu.
Cetera turba virum passim per prata trucidat
Diversi generis multimodasque feras.
Forte canum infestante fugit damella caterva
Per nemus umbriferum, perque salicta salit.
Eccé locum, quo turba potens, & Cæsara *54)* *Judith*,
Constiterant, *Carolus 55)* cum quibus ipse puer.
Præterit instanter; pedibus spes constat in ipsis;
Ni fuga subsidium conferat, ecce perit.
Quam puer aspiciens *Carolus* cupit ecce parentis
More sequi, precibus postulat acer equum.
Arma *56)* rogat cupidus, pharetram, celeresque sagittas,
Et cupit ire sequax, ut pater ipse solet.
Ingeminatque preces precibus; sed pulcra creatrix
Ire vetat, voto nec dat habere viam.
Ni pædagogus eum teneat, materque volentem,
More puer pueri jam volet ire pedes.
Pergunt ast alii juvenes, capiuntque fugacem
Bestiolam, inlæsam mox puero revehunt.

---

dices habent *mantelia*. Heic peregrinum fortasse tibi videantur *mantelia* ista *villis nives*, hoc est pilosa, adhibita in mensis. Verum Poeta noster eruditum heic agit, mutuatus eam dicendi formam a Virgilio, aut ab Ovidio apud quos

„ *tonsisque ferunt mantelia villis.*
„ *Villis mantele solutis.*

Auctor vero Servius est, majores mappas *villos* habuisse. Ita apud Romanos: num, & apud Francos, an vero heic versus gratia dicatur, aliorum esto judicium.

48) Nota veterum Francorum mores.

49) Inter Palatinas dignitates olim qvoqve ista fuit. Qvi ea donati erant, *Buticularii* ab Hincmaro, aliisqve eorum temporum Scriptoribus appellantur; unde nostrum *Bottigliere*. Hermelandus Abbas in ejus Vita apud Mabillonium dicitur primo constitutus a Rege *princeps Pincernarum*. Vide Du-Cangium in Glossario Latino.

50) Supra vidimus, Proceres qvosdam non ad pedes, sed ad genu Imperatoris osculandum accessisse. Nunc animadversione ac stupore dignum, tunc ipsis Imperatorum sive Regum Francorum uxoribus in more fuisse, de osculari genua proprii viri. Immutata tempora sunt, immutati & mores.

51) Pro *pueris*; qvos nempe nunc *Paggi* appellamus. Neqve enim dubito, qvin Regibus & Imperatoribus olim qvoqve forent pueri honorarii ad eorum servitia ad scitè. Qvi *nutriti* in Aula Regia dicebantur, ii præcipue ex eorum numero fuerint. Supra in Lib. I. occurrit etiam *VVasconum Principis*, *Caroli nutriminis fretus*.

Infra bis recurrit idem *puerile decus*.

52) Idem est ac *VVido*; & *Guido*. Hunc venationi Præfectum arbitror, qvæ dignitas in Palatio Regum Francorum inter primas adnumerata olim fuit, Hincmaro teste in Lib. de Ord. Palatii. *Venatores* etiam inter suos *Ministeriales* recenset Carolus Magnus in Epistola, qvæ edita est inter Leges Langobardicas Part. II Tom. I. Collectionis hujus. Circiter ea tempora floruere *VVidones*, sive *Guidones*: sed incertum, an aliqvid commune cum isto habuerint.

53) Hoc est *præcedit*.

54) Nimia hæc licentia, bone Nigelle. Nempe *Cæsara* pro uxor Cæsaris, seu Cæsarea. In Historia Miscella Tom. I. Collectionis hujus *Cæsara* uxor Persici Regis memoratur.

55) Ludovici Pii & Judithæ Augustæ filius. *Calvum* appellare consverimus.

56) Acta hæc sunt Anno 826. Carolus autem in lucem editus fuerat Anno 823. ac proinde tunc vix qvadrimus. Qvin puerulus arma petierit, & feram insequi excupierit, negare nolim; at simul ferendum, Poetam no-

Arma

Arma ævo tenero tunc convenientia sumit,
Perculit atque feræ terga tremenda puer.
Hunc puerile decus hinc inde frequentat, & ambit,
Hunc patris virtus, nomen & ornat avi.
Qualis Apollo micat gradiens per culmina Deli,
Latonæ matri gaudia magna ferens.
Jam pater eximius Cæsar, seu cetera pubes,
Venatu gravidi tecta subire parant.
Sed tamen in medio nemoris viridantia clau-
stra
Judith prudenter construit, atque tegit
Vimine præraso, nec non & tonsile buxo,
Palleolis cingit, linteolisque tegit.
Atque pio Regi viridanti ruris in herba,
Ipsa sedile parat, ordinat atque dapes.
Mox manibus loris Cæsar, seu pulera jugalis,
Aurato ecce thoro discubuere simul.
Hlutarius pulcher, *Heroldus* & hospes ama-
tus
Accumbunt mensæ, Rege jubente pio.
Cetera gramineo residet nam rure juventus,
Per nemus umbriferum corpora lassa fo-
vet.
Pinguia tosta ferunt juvenes mox exta fera-
rum;
Cæsareis dapibus mixta ferina coit.
Ausugit acta fames dapibus; dant pocula
buccis,
Pellitur atque sitis ipsa liquore pio.
Lætificatque bonus mox pectora fortia Bac-
chus.
Lætanter repetunt aulica tecta viri.
Aulai ut venere fovent mox corda Lyæo, 57)
Et Vespertinis 58) pergitur Officiis.
His quoque transactis solite digneque ve-
renter,
Inde Palatinas jam subiere domus.
Ecce manus juvenum, venatus munera tol-
lens,
Multa fluit, cupiens Regis adesse oculis.
Millia cervorum prægrandia cornua, nec non
Ursorum referunt tergora, seu capita.
Plurima setigerum revehunt & corpora apro-
rum,
Capreolos, damas fert puerile decus,
Ille pius prædam famulos partitus in omnes,
More suo, Clero pars quoq; magna cadit.
Interea Heroldus cum talia cerneret hospes,
Multimoda versat pectore consilia.
Regia jura videns, stupet imperiumque fidem-
que,
Officiumque Dei currere jure suo.
Sed tamdem incertos tergit de pectore mo-
tus,
Consiliumque capit, quod Deus ipse, de-
dit.
Ecce Fide plenus, Regi hæc quoque verba
profatur,
Sponte sua veniens procidit ante pedes.
Cæsar opime, Dei cultor, rectorque tuorum,
Quos tibi cunctipotens contulit alme Deus.
Cerno, quod insignis, patiens, fortisque, pi-
usque,
Armiger, & clemens sis, tribuente Deo.
Dives opum nimium, nec non largitor egen-
tum,
Blandus subjectis, atque quietus ades.
Omnia virtutum video tibi credita Cæsar
Flumina, fidereo pectora rore madent,
Colla jugo Christi en monitans mea vestra sub-
egit
Suasio, & æternis traxit ab usque focis.
Deque errore malo memetque domumque
subactam
Abstulit, & vero pectora fonte replet.
Insuper en donis variisque juvatus, & armis,
Corde Deo plenus, corpus abundat ope.
Talia quis faceret, ni Christi ignitus amore
Ingratæ plebi munia tanta ferens?
Credo quidem, in terris vos nunc caput esse
bonorum,
Christicolum imperii rite tenere decus.
Idola cuncta mihi ut cedunt pro nomine
Christi,
Sicque potestates nomine quippe tuo.
Cedat jamque potens antiqui gloria secli,
Dum viget imperium, dante Tonante, tuum.
Forte aliquis æqvandus erat tibi munere &
armis:
Præcellis cunctos sed quoque amore Dei.
Sed quid agam jam jam? cur me mea verba
retardant?
Et sermone brevi prodere tanta volo.
Mox manibus junctis Regi se tradidit 59) ultro,
Et secum Regnum, quod sibi jure fuit.
Suscipe Cæsar, ait, me, nec non Regna sub-
acta:
Sponte tuis memet confero servitiis.
Cæsar at ipse manus manibus 60) suscepit
honestis:

strum heic blandiri, ac dulcia dicere Judithæ Augustæ, ut per eam qvoqve ab exilio liberetur, atqve in gratiam Ludovici restituatur. Lege qvæ sequuntur.

57) Freqvens mentio Bacchi & Lyæi apud nostrum Nigellum. Ad hæc animum adverte, ne tempora nostra incuses, qvasi olim temperantia mensis assideret, nunc autem inde exclusam non raro se doleat.

58) Scilicet ad Vespertinum Officium, qvod per Clerum in Templo decantabatur.

59) Manibus junctis se tradere alicui, est ei fidelitatem, subjectionemque juramento præstito polliceri. Heroldum se ac Regnum Daniæ suppossuisse Ludovico Augusto, in Annalibus eorum temporum non reperio. Nam quod in Vita ejusdem Imperatoris Astronomus scribit ad Annum 814. *Heroldus, ad quem summa Regni Danorum pertinere videbatur, & qui pridem a filiis Godefridi Regno pulsus fuerat, ad Imperatorem Ludovicum confugium fecit, & juxta morem Francorum manibus illius se tradidit*: non satis aperte rem firmat; est enim verborum sensus dubius, pro qvibus Eginhardus habet; *& se in manus illius commendavit*. Attamen tantam Nigello nostro auctoritatem esse futuram arbitror, ut rem ab eo apertissime narratam amplius negare nemo velit. Ac proinde emendandus Hermannus Conringius, qvi Lib. I. Cap. IV. de finib. Imp. German. contendit, neqvaqvam sub Ludovico Pio translatam fuisse Daniam in Jus Imperii, qvamqvam Ludovicus Hamburgensem Episcopatum super Daniam qvoqve instituerit; sed id primum factum sub Henrico I. Aucupe Germaniæ Rege. Abiit qvidem brevi leves in auras Heroldi fides; attamen ab eo datum credere cogimur.

60) Quo ritu jurantis sacramentum a recipiente ratum habebatur. Res nota eruditis, ac propterea mihi non illustranda.

Junguntur Francis Denica Regna piis.
Mox quoque Cæsar ovans Francisco more veterno *61*)
Dat sibi equum, nec non, ut solet, arma *62*) simul.
Festa dies iterum surgit renovata nitescens,
Francis & Denis concelebrata micat.
Interea Cæsar Heroldum jamque fidelem
Munere donat opum pro pietate sua.
Illius ast propter tribuit sibi *63*) prœlia fines,
Et loca vinifera, multimodasque dapes.
Officiique Dei cultum quo rite perornet,
Dat sibi Cæsar adhuc omnia vala potens.
Ordinibus vero dat vestimenta sacratis,
Datque Sacerdotes, Catholicosque Libros.
Illuc & Monachos *64*) mittit miserando volentes,
Qui revehant populos ad pia Regna poli.
Munera quanta quidem, seu qualia donat habenda,
Ingenium vincunt exsuperantque melos.
Interea nautæ, pelagi qui pignora norant,
Stipe rates onerant, regificisque cibis.
Et jam vela vocant auræ, ventusque morantes
Arguit, atq; hyemis signa tremenda monet.
Navibus æquatis tandem, velisque novatis
Cum licitu *65*) Heroldus intrat honore ratem,
Filius, atque nepos ipsius Regis in aula
Excubiis *66*) vigilant, Francica jura colunt.
Heroldus dapibus variisque refertus & armis
Per mare fluctivagum propria Regna *67*) petit.
Hæc Hludovvice Deo das te quoque lucra potenti,
Et socias Regnis inclita Regna tuis.
Arma patrum, nullo quæ non valuere duello,
Sponte sua, capere, te modo Regna petunt.
Quod nec Roma potens tenuit, nec Francica jura,
Tu retines Christi nomine cuncta pater.
Organa *68*) quin etiam, quæ numquam Francia crevit,
Unde Pelasga *69*) tument Regna superba nimis,
Et quis te solis, Cæsar, superasse putabat Constantinobilis *70*), nunc Aquis aula tenet.
Fors erit indicium, quod Francis colla remittant,
Cum sibi præcipuum tollitur inde decus.
Francia plaude, decet: Hludovvico fer pia grates,
Cujus virtute munera tanta capis.
Det Deus omnipotens cœli terræque repertor,
Secla perampla suum nomen in Orbe sonet.

61) Heus bone Hermolde, aliud est *veterno*, aliud *vetusto*, quod unum dicere voluisti.

62) Et hic veterum Francorum mos animadvertendus. Quum quis sua Regi subjiciebat, fidelitatem ei sacramento obstringens, vicissim & Rex illi dona conferebat, equum præcipue & arma. Uno exemplo contentus ero. Fredegarii Continuator ad Annum 764. hæc habet: *Remistanus ad Regem veniens; sacramenta multa & fidem prædicto Regi Pippino promisit, ut semper fidelis tam prædicto Regi, quam & filiis suis esse deberet. Rex vero in suam ditionem eum recepit; & multa munera auri & argenti, & pretiosa vestimenta, equos & arma largiendo eum ditavit.*

63) Sensus parum perspicuus. Incertum, num significet: *tribuit sibi fines*, id est regionem conterminam Danico Regno, *propter illius prælia*, hoc est eo, quod seditiones hactenus contra ipsum Heroldum in Regno illius viguissent, & adhuc vigerent; an potius *proemia*, quam *proelia* legendum sit; quæ dona ei Ludovicus contulerit *propter*, id est juxta, seu prope *fines* Daniæ. Germanum sensum nos Eginhardus docebit in Annal. ad annum 826. ubi scribit, Heroldum *per Frisiam qua venerat via* reversum fuisse. *In qua Provincia Comitatus, qui Rhinstri vocatur, ei datus est; ut in eum se cum rebus suis, si necessitas exigeret, recipere posset.* Paria habent & alii Francorum Annales, uti & Astronomus in Vita Ludovici.

64) Ac præcipue *Anscharium*, gentium Septentrionalium Apostolum, ac deinde primum Hammaburgensem, ac postea Bremensem Episcopum, virum Sanctitate vitæ clarum, cujus Vitam habes apud Bollandum in Act. sanctor. ad diem III. Februarii.

65) Id est *licentia* sive *venia* ei ab Augusto facta discedendi: qua voce Poeta noster supra quoque est usus.

66) Nempe hi obsides ab Heroldo Rege apud Ludovicum dimissi in pignus datæ fidei.

67) Petiit quidem sua Regna: verum non multo post Christiana Religione ejurata rursus ad pristinam superstitionem transiit. Saxo Grammaticus Lib. IX. Historiæ Danicæ, inter tot fabulas Romanenses, quibus narrationem suam saturavit, Heroldi tamen conversionem ad Christi Fidem, Ludovico Pio instante, agnovit. Tum addit, ab eo primum delubra diruta, victimarios proscriptos; sed deinde is a Regnero pulsus, *fortunam ad Sacrilegium transtulit. Nam ut præcipuum inchoatæ Religionis specimen, ita primum neglectæ spectaculum fuit, atque ex splendido sanctitatis auctore, infamis ejusdem desertor evasit.*

68) Mirabilis adeo visus est olim Francis primus Organorum musicorum in Franciam invectorum aspectus, ut rem veluti singularem posteris prodendam censuerint. In vetustissimis eorum Annalibus Tom. II. Du-Chesnii pag. 4. & 8. ad annum 757. adnotatur: *Venit organa in Franciam.* Illud vero ad Pippinum Regem a Constantino Imperatore Græcorum missum (tunc enim tam artificiosæ machinæ opifices sola Græcia dabat) Eginhardus ad eum annum scribit. Carolo quoque Magno missum a Græco Augusto *omne genus organorum* testatur Monachus San-Gallensis Lib. 2. Cap. 10. Vitæ ejusdem Caroli. At anno 826. uti Annales Fuldenses tradunt, *Georgius quidam Presbyter de Venetia, cum Baldrico Comite Forojulienſe venient, Organum hydraulicum Aquisgrani fecit.* Quamquam Organum *hydraulicum* appellari heic audias, cave ne suspiceris, aliud significari, quam Organa pneumatica, quæ nunc in usu communi Ecclesiarum sunt. Eginhardus ad eum annum scribit, venisse Georgium illum de Venetia, *qui se Organum posse facere asserebat. Quem Imperator Aquisgrani cum Theodolfo Sacellario misit, & ut ei omnia ad id instrumentum efficiendum necessaria præberentur, imperavit.* Supra laudatus Monachus San-Gallensis hæc explicat, tradens: *illud musicorum Organum præstantissimum* constructum fuisse *e doliis ex ære conflatis follibusque taurinis per fistulas æreas mire perflantibus &c.* Ceterum vel Augustini, Isidori, & Cassiodori ævo Organa cognita, atque in usu fuere. Licuerit mihi in hujus modi re curiosis Lectoribus plura dedisse.

69) Vide, quam sibi olim plauderent Græci ex Organorum inventione, eorumque apud eos tantum fabrica. Sed a Georgio Venetico, qui propterea *Rector Monasterii Sancti Salvii Fanomartensis* a Ludovico Pio constitutus est, invecta in Franciam ejusmodi arte, detumuit iste ex prærogativa Græcorum tumor. Walafridus Strabo in descriptione Templi Aquisgranensis paria scribit, Organa memorans:

„*En queis præcipue jactabat Græcia se se*
„*Organa, Rex Magnus* (id est Ludovicus) *non inter maxima ponit.*

70) Ita in MSto pro *Constantinopolis*.

Hæc

Hæc quoque dum canerem, Strazburc 71) custode tuebar;
Delicti proprii conscius, atque reus,
Virgo Maria tibi quo templa dicata nitescunt,
Quo tuus in terris rite veretur honos.
Sæpius has equidem dicuntur visere sedes
Cœlicolæ; & cœtus has colere Angelicus.
Plurima mira quidem referunt, sed pauca renarrans
Sume Thalia, favet si tibi Virgo pia.
Ecclesiæ custos *Theutramus* *) nomine quondam
Præfatæ fuerat, nomine dignus eo.
Pervigil hic solitus noctuque dieque sacratam
Virginis ante aram sæpe rogare Deum,
Idcirco meruit cœlesti munere fretus
Angelicos cives cernere sæpe Sacer.
Nocte quidem quadam, psalmis hymnisque peractis,
Cum cuperet membra fessa locare thoro,
Templum namque videt subita clarescere luce
Ut Sol, & accendi sole serena dies.
Surgit ab usque thoro, causam cognoscere mavult,
Lumine quo tanto fulgeat alma domus.
Forte aquilæ similis pennis prætexerat aram;
Non tamen in terris gignitur hæc volucris.
Rostrum erat ex auro gemma pretiosior unguis,
Et color in pennis æthere fusus adest.
Ast oculis lux ipsa micat. Stupet ipse Sacerdos,
Nec valet obtutus tendere contra suos.
Miratur volucrem, pariter miratur & alas,
Lumina præcipue, corpus & omne simul.
Tamque diu resident, cum galli garrula terna
Vox resonat, fratres excitat Officio.
Inde levans (miranda fides) se sponte fenestra
Obvia recludit, laxat 72) & ire foras.
Ipsa abeunte polos, pariter lux ipsa recessit:
Apparet, civem inde fuisse Dei.
Tempore nempe alio crevit 73) Didasculus idem,
Mira satis cecinit quæ mihi turba fratrum.
Psalleret ut solito prafatæ Sedis ad aram,
Expendens tenebras, corde petendo Deum.
Discipuli secum, quorum custodia noctis
Servabant 74) signi tempora pervigiles.
Ecce repente sonus, tonitrus, ventusque perurguens
Concutit instanter ardua tecta domus.
Discipuli cecidere solo, trepidique per aulam
Corpora prosternunt, mensque timore fugit.
Intrepidusque Sacer palmis ad sidera pansis.
Scire cupit, causæ quid sonus ille ferat.
Aspicit alma aperire domus mox tecta sacratæ,
Intrantesque videt tres quoque honore viros.
Lumine perfusos, vestitos vestibus albis,
Candidiora nive corpora, lacte caput.
Tertius in medio Senior namque ipse duobus
Fultus abit famulis, ingrediturque pie.
Ut pedibus tenuere solum, mox Virginis aram
Religione petunt, & prece vota canunt.
Tramite more hominis nam cuncta 75) cetera poscunt,
Ore sonant verba, ordine dantque preces.
Dextera pars ædis Pauli nam munere gaudet,
Fulcitur læva nomine quippe Petri.
Egregius doctor hinc, claviger inde polorum;
Inter utrosque micat Mater opima Dei.
Michael mediam sibi, seu Crux vindicat aulam,
Ultima Johannis unguie 76) læta nitet.
Hos quoque Cœlicolæ terris petiere precatu,
Quorum animas cernunt sæpius ante Deum.
Quis nam idiota 77) ferat demens, non corpora patrum
Sanctorum merito rure colenda fore,
Cum Deus in famulis merito veneretur amatis,
Quorum nos precibus scandimus alta poli?
Non Deus est Petrus, sed Petri credo precatu
Noxa delicti posse carere mei.
Nam tenus usque viri properant per templa Mariæ,
Semper tecta super discooperta patent.
Expletis votis remeant ad sidera sursum:
Suscepere suum tecta recluſa locum.
Hoc Sacer aspiens pergit, sociosque revisit,

71) Ut omnes norunt, olim *Argentoratum*, nunc Italis *Argentina*. Hæc Civitas Ermoldo nostro data fuerat custodiæ seu carceris loco, ibiqve is exul, qvum hæc caneret, morabatur.

*) Quare Sacerdotem hunc Poeta appellet *suo nomine dignum*, indicavit mihi doctissimus vir Godefridus Philippi. Nam ex Aventino *Teuto* est idem atque *Rex* & ex Leibnitio *Theodo* significat *Virum, Heroem, Principem*. Rursus *Ram* in compositione *famam & gloriam* sonat, ut ex *Adelram, Adalram* constare potest. Interpretari ergo Theutramum liceat *eximium ac celebrem virum*.

72) Italice nunc *si lascia andar fuori*.

73) Nuper etiam de Organis dixerat, *quæ nunquam Francia crevit*. Quid ergo sibi vult hac voce Ermoldus? Pro *vidit* ille usus est voce *crevit*, deducta nempe a *cerno*: idque Prisciani auctoritate, apud qvem verba Titinnii in Geminis: *Simul ut pueras has noctu suspirare crevi*; id est *vidi*. Sed Organa ante Ludovicum Pium Francis omnino incognita fuisse, jam supra vidimus cum veritate minime consentire.

74) Potius *servabat*. Qvod sequitur *signum*, ut supra monui, Campanam significat.

75) Heic, pro *Alteribus* accipienda sunt.

76) Ita in MSto Cæsareo. Pro *unguine* forsitan, seu oleo benedicto ex Lipsanis Sancti Johannis. Heic enim de reliqviis sanctorum ibi adservatis agitur, ut sequentia produnt, proditumqve etiam est supra verbis illis, *Paulimunere gaudet*.

77) Super vocabulum *idiota* in MSto Codice scriptum est glossema Theotiscum *Heimi Kizogener*. Sensus est: qvis tam demens est atqve indoctus, qvi corpora Sanctorum colenda neget?

Qui ſtupefacta diu pectora rure 78) tenent.
Surgite, ait, ſocii, nam quæ fortuna coëgit
Vos dormire modo, dum vigilare decet?
Singultu quatiente valent vix promere verba,
Ignotosque rei ſe fore nempe ferunt.
Eja, ait, inſtanter horam tempusque notate:
Forte feret nobis hæc quoqve res aliud.
Credo 79), fuit vates, Præſulque dicatus honore,
Angelicus revehit quem quoque in æthra chorus.
Mira fides rerum! *Bonefacius* 80) almus in illo
Tempore deceſſit, quem Sacer ille videt,
Ferrea *Friſonum* Chriſti dum dogmate vellet
Frangere corda, viam ad cœlica Regna dare.
Morbida heu Medicum mox gens extinxit opimum,
Vulnere quippe ſuo Regna paravit ei.
Hic properans cœlos, ſocio comitante gemello 81)
Virgo Maria tua viſere templa volet 82).
Magna tibi virtus cœlo, terraque poteſtas,
Quæ Patrem Mundi progeneraſſe vales.
Tu mihi confer opem immerito, conferque medelam
Exilio, cujus limina ſæpe colo.
Et ſi præſentis fugit effera gloria ſecli,
Te duce, Virgo pia cœlica Regna petam.
Hoc tibi, Cæſar, opus ſtolida crocitante cicuta
Porrigit *Ermoldus* exul, egenus, inops.
Munere quippe carens, ſero carmina pauca potenti,
Divitiis liber offero namque melos.
Regia corda manu Chriſtus qui ſtringit & ornat,
Vertit & in partes quas ſibi cumque placet.
Qui tua præcipue virtutum flore replevit,
Atque redundare de pietate dedit,
Conferat, ut noſtram propius, Rex inclyte, cauſam
Reſpicias, aurem accommodando pie.
Veridicis poteris forſan cognoſcere verbis,
Criminis objecti me minus eſſe reum.
Non tamen excuſo me illius, crede reatus,
Infelix 83) quo ſum truſus in exilium.
Sed pietas immenſa, reis quæ debita laxat,
Deprecor ut noſtri ſit memor exilii.
Tu quoque digna ſibi conjux, pulcherrima *Judith*,
Quæ ſecum Imperii culmina juretenes,
Confer opem lapſo, alliſum ſolare miſellum,
Erige labentem, carcere ſolve reum.
Ut vos Altitonans per plurima tempora ſecli
Sublimet, ſalvet, ditet, honoret, amet.

Poſtquam hoc Poema legerint eruditi, judicent quæſo, num jure, an injuria P. Jacobus le Long Ermoldum noſtrum ſibi numquam viſum in cloſſem fabuloſorum Hiſtoriæ Francicæ Scriptorum retulerit, quam accuratiſſimo Catalogo ſuo haud pridem edito adtexuit pag. 1099. Si enim valet ea ratio, quod is Vitam Ludovici oratione metro adſtricta ſcripſerit; quæ tamen minime valet propter Ariſtotelis Auctoritatem, qui in Libro de Arte Poëtica *docet, Hiſtoricum & Poetam, non quod alter numeris adſtricta, alter ſoluta ſcribat, inter ſe differre; cum non minus Hiſtoria eſſe poſſit cum numeris, quam ſine illis; ſed quod alter quæ facta ſunt, alter qualia fieri oporteat, aut poſſint, commemorat. Sed ſi valet inquam: cur non & Poetam Saxonem Arnulphi Imperatoris æqualem, qui Caroli M. Imperatoris Vitam verſibus illigavit, aliosque anguſtæ fidei, atque adeo fugiendis Scriptoribus annumeravit?*

78) Pro *hiunt*, ni fallor: aut mendum latet.

79) Id eſt, qvantum exiſtimo, venerabilis ille vir, qvem deferri ad Cœlum vidi, eſt aliqvis Sacerdos Epiſcopali munere jam fulgens, qvem Angeli in Paradiſum vehunt.

80) Nempe celeberrimus ille Archiepiſcopus Moguntinus, & Germaniæ Apoſtolus ac Martyr, cujus pretioſa mors contigit in Friſia Anno Chriſti DCCLV. licet alii ad præcedentem DCCLIV. referant. Hujus acta apud Clariſſimos Bollandianos ad diem V. Junii proſtant. Ac propterea habes, qvo tempore Argentorati floruerit *Theutramus* iſte, cujus viſiones a Poeta noſtro deſcriptas cordatorum hominum judicio dimiſſas volo.

81) Neſcio an qvempiam hujus nominis ſocium Sancti Bonifacii innuat, qvem tamen acta ignorant, an potius fratrem ejus uno partu cum eo natum. In Supplemento Vitæ Sancti hujus viri pag. 476. Tom. I. Sanctorum Junii, dicitur *poſt eum frater ejus Hadamunt Diaconus occubuiſſe.*

82) Pro *voluit*, aut *voluerit*.

83) Deſideratur in MSto: illud adjecit Lambecius. Pro *exilium* ibidem legitur *exilio*.

FINIS.

XIV.

BENZONIS EPISCOPI ALBIENSIS PANEGYRICVS RHYTHMICVS IN HENRICVM III. IMP.

(ALIAS IV. GERM. REG.)
SVO TEMPORI ÆQVALEM;
SEV
DE REBVS AD EUM PERTINENTIBVS LIBRI VII.
OPVS HISTORICO - PARÆNETICVM.
EX
MEMBRANA BIBLIOTHECÆ VPSALIENSIS
DESCRIPTVM.
ACCESSERE
D. JAC. AVG. FRANCKENSTEINII, J.C.
NOTVLÆ QVÆDAM EXTEMPORANEÆ.

TEGIS HEINRICO SUPER ASTRA SEDENTIS AMICO, PECTORE SUCCENSO, VITAM CUM VINCERE BENZO.

AUdiat Augustus quæ profert non homo justus, sed mage peccator, fidei tamen altitonator, per quam sit fortis, ridendo pericula mortis, sol velut in cœlis ita fulget ubique fidelis, nam fidei lumen penetrat celeste cacumen, quisque cor aptet ei quo sit hymago Dei.

O quantum est in rebus inane, cui occurrendum est pedetemptit & plane. Sic enim victoria de cælo administratur, sic stultitia sapientiæ subjugatur. Si plus solito crebrescunt scandala, nemo miretur, quia instant dies novissimi, super harenam maris crevit perditissimi. Quibus redactis in savillam, gratias agas ei o cesar qui te custodivit tanquam oculi pupillam. Laborandum est dum vivitur, quia homo ad laborem natus dicitur. Vita quidem nil dedit mortalibus sine magno labore. Neque enim vescimur pane nisi in vultus sudore. Quid curetur, tantum ut victrici lauro potiatur, flocci pendit caro quot plagis afficiatur. Apud cannas urbem apulie oppugnabat Hannibal romuleos cum ineffabili mortalium multitudine. Scipio consul romanus habens faciem cuntis adversus cartaginem detorsit navigium, incautis superveniens urbem invasit, eamque captis civibus solo æquavit. Qua deleta, facta est roma æternaliter læta. De interfectis vero penes cannas ea erat mentio, quod abolitio cartaginis fuit eorum redemptio. Victoria denique facit ex terrigena divum & de mortuo vivum. De talibus & qualibus scribitur, verum uno relicto alter assumitur. Nil propter aliud scripti sunt galba, & vitellus, qui velut cymbalum tinniens dederunt inutilem sonum, ni ut sciamus reprobare malum & eligere bonum. Ideoque sanctus augustinus monet de fortuitis rerum casibus, plures libros a pluribus fieri, quatenus per eorum exemplaria emergentium causarum sententiæ consultius possint diffiniri. Ea propter frater Benzo scribens de domini sui HEINRICI imperatoris triumphis, sive de aliorum regum actionibus multis veneranter ei porrigit hæc pauca quemadmodum est porrectum christicolis panteon a cesare foca. Ut in his cum presulibus & capellanis diebus ac noctibus meditetur, & de reipublicæ negociis, quid potissimum fieri debeat deliberetur. Precor etjam majestatem domini mei HEINRICI imperatoris imperatorum, ut hunc libellum in hereditatem relinquat filiis filiorum, quatenus in eo indesinenter videant monimenta patrum suorum. Eo prestante qui vivit & regnat in secula seculorum Amen.

TERTIO *a*) HENRICO DOMINO SUO ROMANORUM IMPERATORI AUGUSTO BENZO, *b*) DEI GRATIA EPISCOPUS, CORDE ORE OPERE FIDELISSIMUS DIRIGIT HUNC LIBRUM, QUO PELLITUR OMNE PERICULUM DE MEDIO GENTIS REGI SERVIRE VOLENTIS.

CAP. I.

FOrtium quidem virorum nulla foret notio, si periti literarum torpuissent otio, de- *Utilitas historiæ in*

---

a) *Tertio*) Henricus vocatur tertius inter Romanos Imperatores, qvi inter Reges Germaniæ qvartus est, cum Henricus Auceps a Romano Pontifice non fuerit corona Imperiali cinctus.

b) *Benzo*) fuit is Episcopus Albiensis, uti ex *cap. 4.* apparet, huic Imperatori coævus, eiusqve partibus addictissimus, unde se fidelem & superfidelem vocat, *cap. cod.* Eius Chronicam, a Benzii Chronicaqve cum Glosse olim exstabat, esse diversam, notat Cl. *Muratorius* Script. rerum Ital. Tom. I. in Præf. p. 5. ubi utrumqve a Guilvaneo Flamma, Scriptore Mediolanensi, allegari testatur.

fuisset

servanda rerum gestarum memoria.

fuisset exemplorum aurea memoria, nisi eos propalasset aliqua hystoria. Moyses jubente Domino scripsit mundi fabricam, alii scribæ dixerunt Heroum prosapiam, qui per regna sunt partiti Asiam & Africam, Heuropam his jungentes fecerunt Monarchiam. Roma dehinc exaltatur ejusque imperium, cujus Præses scripsit orbem ob tributum regium, caput mundi est vocata per magnum Tyberium, mulis plantis quibus adauxit publicum pomoerium. Cæsarum viribus armis bellorum frequentia, subjugavit totum mundum Romana potentia, cuncta redigens sub lege sub obedientia, pax ubique perpes salus opum affluentia. Sicubi forte surgebat nociva sedicio, ut in cœlis est exorta in rerum initio, protinus sussocabatur Romano judicio, tunc humanitas vacabat omni gravi vicio, Hegesippus doctus scriba descripsit prosaice, quod fecit Vespacianus traduci Judaice, *c*) quia male tractaverunt fabrum hujus seculi, servi gentibus sunt dati lactentes & vetuli. Et liber Pontificatus & plures hystoriæ, non tacent de Constantino, *d*) quod sit vir memoriæ, quem amavit speciali Deus privilegio, nam crux cum agregavit cœlesti collegio. Cosdroë tulit hoc lignum quo nihil sacracius, illudque recuperavit vir fortis Heraclius, *e*) monomachice pugnando Cosdroë cum filio, cujus Cephalum truncavit Domini auxilio. Alii Imperatores triumphis magnifici, hostibus erant feroces subditis pacifici, cui placet perscrutari actiones talium, eas poterit nanciscí in libris annalium. Nam si literæ celassent res cui præteritas, quem rogo deberet sequi succedens posteritas? caruissent ratione homines ut pecora, nisi eos informassent sex ætatum *f*) tempora. Bene habeant scripteres qui faciunt vivere, mortales post mille annos carne facta cinere, nam dum transit vita regum in chartis non moritur, dum putatur defeciisse in melius oritur. Caroli & tres Ottones HEINRICI gemini, *g*) inter quos est Chuonradus *b*) suo compar semini, quod patrarunt satis patet ex eorum chronicis, in æternum sociati regibus catholicis. Sed de Cæsare Augusto HEINRICO tertio, quem pervigil in belli pacisque commercio, quis audebit ejus facta commendare litteris? Daniel succubuisset doctior presbiteris. Tullius namque Romanus & Grecus Demostenes, omnium rethoricorum qui noscuntur proceres, fugerent ejus notare tam multa certamina, neque stilo neque penna neque plumbi lammina. Maro vates Mantuanus, Lucanus & Statius, Pindarus, seu Homerus & noster Horatius, Grillius, Quintillianus, Comicus Terentius, formidassent regis opus quo nil excellentius. Nisi fuerit descriptum magna diligentia, quicquid egit noster Cæsar virtutis potentia, minorabitur non parum hystoria publica, quod ne fiat potens Roma regem cœli supplica. Benzo vice catulorum computat delicias, si sub mensa Senioris *i*) colligit reliquias, cujus rei grandem morsum non præsumit facere, quia dentes sunt infirmi & gingivæ laceræ.

Presules & Sacerdotes Abbates & Clerici, quique sunt de sorte Dei ordines Angelici, bene docti Testamenti Novi atque Veteris, omnes surgant ad scribendum victorias Cæsaris. Qui infantium dat lingvas esse disertissimas, & qui parat mansiones athletis certissimas, hic scriptoribus ostendat fontem sapientiæ, & apperiat thesaurum sanæ eloquentiæ. Plastes mundi res humanas disponens & cœlicas, Cæsari da longam vitam & vires Angelicas, quibus salvet semet ipsum & suas ecclesias, fiat fiat dicant omnes & hic & per grecias. *k*)

Autoris excusatio.

EPYGRAMMA LIBRI PRIMI.

SIne errore in eam domum intratur, cum *Auctor* nomen possessoris super portam scriptum *suum* monstratur. Eodem modo prologi codicum & tituli, indicant sequentia cujusque libri. Qua propter admonendi sunt lectores, ut ea quæ in libris habentur, fideliter interpretentur. Bene faciat misericors & miserator Deus his qui legerint verba prophetiæ hujus, eaque intimaverint regiis auribus. Per hujus enim libri salutaria monita, & humiliabuntur sub pedibus Cæsaris quæ videntur exoica, & erunt prava in directa & aspera in vias planas, & derelinquent impii cogitationes vanas. Quid namque in se contineat liber iste, valde necessarium est nosse Cæsari Augusto suisque successoribus, loquitur enim de im-

c) *Judaice*) indigitat Benzo Vespasianum curasse, ut Hegesippi hisloria idiomate Hebraico donaretur; qvod an unqvam factum fuerit, dubitat cum plerisqve *Struv. de doctis impost. §. 5.* Alii existimant, Hegesippum ex nomine Josephi corruptum fuisse, qvi historiam Judaici belli, patrio primum sermone confecerit in suorum usus, deinde Vespasiano Græce eandem obtulerit, v. *Fabricii Bibl. Græc. L. 4. c. 6. §. 2.*

d) *Constantino*) Nota sunt, qvæ de signo Crucis Constantino M. in cœli apparentis circumferuntur, qvibus immorari jam non est animus. Per hanc igitur crucem ipsum beatorum consortio esse aggregatum existimat.

e) *Heraclius*) Cosroes Persarum Rex iniustissimo bello oppugnaverat Heraclium, qvi tanta virtute Persas est aggressus, ut capta ipsorum metropoli, Cosroes inde profugus a filio primogenito capite truncaretur, unde Benzo: *Cephalum truncavit Domini auxilio.* Etenim qvod Heraclius Regem inimicissimum capite plecti iusserit, nusqvam probari poterit. Iure bellum cum Persis his legibus est compositum, uti Crux sacratissima, qvam Chosroes qvondam Hierosolymorum victor inde asportaverat, Heraclio nunc restitueretur, v. *P. Diaconus l. 18. Evagrius l. 6.*

f) *sex ætatum*) Antiqvis fuit usitatum, ut historiam in sex ætates distinguerent, uti ex Gobelini Cosmodromio constat.

g) *gemini*) nimirum Carolus M. (Otto M. II. & III. Henricus Sanctus, & Henricus Niger.

b) *Chuonradus*) Nam Conradus Salicus inter Henricum Sanctum & Henricum Nigrum medius imperavit, *Compar Semini*, uti verba sunt Benzonis, qvod filium reliqvisset Henricum Nigrum, & Nepotem Henricum, in cuius historia heic versamur, utrumqve virtutibus suis suo haud absimilem.

i) *Senioris*) sive Domini, qvam vocem ævo medio usitatam vel Feudorum & libri evincunt, siqvidem Gallorum *Seigneur*, & Italorum *Signore* plures hinc deriv ant.

k) *per grecias*) Ebo sine dubio collimat Autor, ut unitatem Ecclesiæ Græcæ cum Latina ab Imperatore promovendam exoptet.

peria-

perialium rerum administrationibus. Quicunque ergo adhærent ei ex debito fidelitatis, invitent & cogant eum legere instituta regiæ dignitatis. Nam ipse Dominus noster tercius HEINRICUS Romanorum Imperator Augustus, sedens in arduo suggestu imperii, unde videt omnia regna circumplexa, similibus Appollinis & Cyllenii, *l*) dum ad dispositionem eorum, sensus ejus pluraliter dirigitur, aliquatenus ad singula, quasi minor efficitur. Occurrant ergo sibi quos plantavit per orbis Romani spacia, & suggerant vires auxilii & consilii, prout eis concessa est divinæ donationis gracia. Animum admittant itaque venerabiles Episcopi, insatigabiliter persistentes in Domini servitio, nec non regales capellani longa suspiria trahentes pro anuli *m*) beneficio, quoniam intentio hujus libri respicit ad honestatem & utilitatem Imperatoris Domini nostri HEINRICI. Ita ut per revelationem servi sui BENZONIS, redeant ad lucem, quæ jacent sopita in ventre oblivionis. Enim vero generali censu declaratio, manifestum erit, quia visitavit Dominum nostrum Cæsarem, oriens ex alto. Collocatus equidem in Paradiso diviciarum, per donum Cœlestis gratiæ, magnificabitur super omnes reges universæ terræ. Nam Semiramis, & Assuerus, confitebuntur se egusse, Nabuchodonus & Ptolomeus pauperes fuisse, Darius & Cyrus nihil habuisse, ut persenserint collectam peccuniam tributorum, ad publicum ærarium accessisse. Lauda ergo Dominum tuum o Cæsar mente sincera, & in perseverantia laudis, intende prospere, procede & regna. O quanta & qualia quæ pertinent ad doctrinam tuæ informationis, & ad augmentum tui honoris, in hoc libro videbis, unde & valde multum gaudebis; Sunt enim ibi quædam inserta, de puericiæ tuæ historia, deque Pontificum Italiæ side permodica, superadditis quinetjam aliis corporis & animæ necessariis. Quibus iterum iterumque relectis, sede quo tribunali o Cæsar cum tuis electis. Et discerne arbitrio justitiæ, quotis benevolentiæ privilegiis, sit dignus vir iste, qui contra desertores pro regia fide, fungitur vice agonistæ. Plurium quidem obsequiorum ponderibus dorsum exhibuit, & secundum Evangelium; sicut ministrans servus secit quod facere debuit. Nam ipse est phenestella, *o*) ipse monitor, ipse Hystoriographus, ipse Prophetа, & plus quam Propheta. Quodcunque enim intimat scripto, monstrabit & digito. Justum est itaque ut largitricis gratiæ plenitudine respicias eum de Imperalis potentatus altitudine. Assumpta quæso stabilitate accede mi Domine ad legendum, non desinas usque ad finitimum complementum. Dicit tibi Cato, multa legas facito, perlectis perlege multa, ut dives & glorioſus regnes in æternum & ultra.

CÆSAR HONORETUR, PLASTES *p*) TIMEATUR AMETUR. FAC REGEM SALVUM, QUI SACRÆ VIRGINIS ALVUM NON DESPEXISTI, CARO DUM FIERI VOLUISTI.

CAP. I.

Committit subditis reverentiam erga Cæsarem,

CUM SCRIPTUM SIT, Deum timete, Regem honorificate. Et Domine salvum fac regem. Oportet eos qui sunt regiæ ditioni subjecti, incessanter implere geminum capitulum salutaris præcepti. Convincitur quippe his testimoniis esse transgressor legis, quicunque claudicaverit in dilectione regis. Nam qui pro eo non orat, illumque minime honorat extincta lucerna cum fatuis laborat. Orandum est ergo, ut Dominus conterat Sathan sub pedibus ejus, quia Sathanas non cessat seminare hodie malum, cras pejus. Regis enim victoria, salus est populorum & ecclesiarum gloria. Porro unum est necessarium, videlicet ut rex diligat diligentes, quo magis ad amorem sui servicii faciat ferventes. Et ordinando caritatem, retribuat eis mercedem laborum, quatenus moderni animentur ad opus similium studiorum. Neque præferat novitios emeritis, quod lege est prohibitum a regibus præteritis. Paululum quoque intermissis secularibus consiliis, legat quantulumcunque de historiis patrum præcedentum, ut inde sibi assumat bonæ imitationis emolumentum. Legere enim aliorum annales, plurimum valet ad instruendos ritus imperiales. Hoc est enim ire recta via, ut semel in die loquar cum phylosophia. Quia tunc bene regitur res publica, quando imperant phylosophi, & phylosophantur imperatores. Quin etiam provideat sibi rex suisque successoribus, investigando sepius de regalis fisci publicis pensionibus. Suum est denique in largiendo uti regia magnificentia, quod non fiet sine rerum opulentia. Pro ecclesiis igitur ruinam minantibus restaurantis, & pontibus fabricandis, & xenodochiis reparandis, divisisque usibus regalis miliciæ reconciliandis, non solum apud Romanum palacium, sed etjam papiæ est constitutum publicum gazophylatium. Ut habeat manus imperialis unde lætificet gubernandos sub alis. SEMPER HONESTATI SOCIEMUR ET UTILITATI. Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Cæsari lectionem historiarum,

& liberalitatem erga bene meritos.

CAP. II.

Transitio.

Postremo quia honestum & utile, sunt duo genera expetundarum rerum, debet ea non ignorare Cæsar, quem amplexantur bra-

l) *Cyllenii*) i. e. Mercurii, a Cyllene, monte Arcadiæ, ubi Mercurius dicitur editus; hinc *Virgil. l. 4. Æn. v 258.* *Materno veniens ab avo Cyllenia proles.*

m) *anuli*) potius *annuli*. Namque Imperatorii tunc juris erat, Episcopatus conferre per annulum & baculum, hinc nugatur Benzo, quod Capellani Imperatoris *longa suspiria traxerint*, sive anxie anhelaverint, ut Cæsaric gratia aliquando Episcopatu ornarentur.

n) *revelationem*) non propheticam, sed quod ipse res hoc tempore gellas in scripturam redegerit.

o) *phenestella*) i. e. senestella; hujusmodi enim errores ævo communes.

p) *Plastes*) i. e. Deus, qui omnia formavit, a πλάσσω, *fornio, fingo.*

chia septem mulierum. Talibus igitur Romana potentia pollens documentis, dilatavit imperium in subjacentibus helementis. Dicta sunt autem hec sub brevitate, ne intentio legentis indignetur verborum prolixitate. Sequens vero libellus ea plenius indicabit, & Cæsaris animum per brevia capitula ad legendum invitabit.

CAP. III.

Librorum lectionem commendat Cæsari.

SCrutetur gestas regum Romana potestas. In quibus aspiciat, quid sibi proficiat. Servantur libri, nobis per tempora scripti. Libros quisque legat, ut catus esse queat. In libris reges, in eisdem denique leges. In libris Salomon, Dedalus atque Synon *q*). Pelliger Helias, in libris miles Hurias *r*). Iptum Psalterium, stravit adulterium. Follor Tobias, fit palpo, caditque Golias. Doctrix causa fuit, cum babyl alta ruit. Absalon est ictus, sed nobis non sibi scriptus. Hospni, ut Fineas perspice qui levis es. Vadat quisque vias, quas ivit rex Hezechias. Nullus post Roboam, sed mage post Habraham. Jura quidem morum, libri decuere priorum. Cæsar scrita legat, cum quibus una rege. Tum bene regnatur, cum Princeps phylosophatur. Gentis ubique decor, phylosophare precor. Librorum cura, reseantur sepe futura. Per quos clausa patent, hocte dieque valent. Sunt rerum libri defensio firma pericli, Accedant timidi, mox fuerint rigidi, Littera dando viam, perducit ad usque Sophyam. Sancta Sophya notat, quicquid hydea *s*) rotat. Ipsa tenet cœlum, nimium mirabile velum. Et causas rerum, ponderat ante Deum. In facie divæ, sunt palmæ sunt & olivæ. Balsama thuris hodor *t*), floris ibique color. Ergo patrum gestas, meditetur nostra potestas, et studeat libris, sulserit inde nimis.

CAP. IIII.

UT VINCAS CEDAR PÆSTET DOMINUS OPTIME CÆSAR.

Vota pro Cæsare.

DIvo HEINRICO Romanorum Imperatori augusto, Cencies triumphatori, sub rege regum judice justo. Albensis Benzo, fidelis & superfidelis. Laudate Deum de cœlis. Merito debemus laudare Deum, qui christo suo HEINRICO semper de hostibus prædicabile concedit tropheum. Sit nomen ejus benedictum in Secula, qui dexteram sui christi HEINRICI, sua sustentat dextera. Vere completa est scriptura, quia ipse Dominus ante christum suum vadit, eo quod superbia rebellium, coram facie augusti sicut stipula cadit. Tota igitur christianitas assurgat in laudem creatoris, qui contra hostiles impetus, reddit terribiles aquilas, christianissimi Imperatoris. Et nos ergo qui tantam Dei misericordiam circa dominum nostrum Cæsarem cottidie videmus, in contricione cordis & spiritu humilitatis, redemptorem mundi suppliciter exoremus, ut ceptum opus clementissimæ pietatis super eum usque in finem perficiat, & æcclesia Catholica de beneficiis tanti gubernatoris proficiat.

CAP. V.

DE PUBLICIS FISCIS DE VECTIGALIBUS IPSIS, VERA LOQUAR REGI QUEM DILIGO MENTE FIDELI.

PRetercea quia ego jam delibor, *z*) & tempus meæ resolutionis instat, placet ostendere Cæsari Domino meo quod ætas ministrat. Scio enim quod plurimis intentus undique versum anxiatur, assiduisque petitionibus militantium fatigatur. Quocirca dignum duxi, ut per me cognoscat vectigalia localiter ad se pertinentia, ne illum sequatur rerum indigentia. Nam si non habet in camera quod militibus effundat, nimirum etjam quos amat, quandoque conturbat. Non igitur possunt mederi hec & alia infortunia, nisi ad imperii hœrarium *a*) restituatur provinciarum vectigalis pecunia.

CAP. VI.

TUrpissimum est denique o Cæsar, ut quasi unus ex nobis mendices, cum videas alios tuis vectigalibus felices. Quod a longe cohelet *b*) intuitus, loquitur ita summis ordinibus: Accedite magnates æcclesiæ. Melius est ut filii vestri respiciant in manus vestras, quam vos respiciatis in manus filiorum vestrorum. Reddantur ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, lætabitur mundus de reparata lege veteri. Insuper tale quid Judaico more usurpatur per Latium, quid ultrice lege, in maximam summam librarum auri, augmentabit palacium. Verum istis reseratis, & in palam missis, erit gaudium in cœlo, & in terra, & in mari, & in omnibus abyssis.

CAP. VII.

NE QUICQUAM DESIT, QUOD SERTO *c*) SEMPER INHESIT, CUNCTA REFORMENTUR, QUÆ DETRUNCATA VIDENTUR.

ALiud autem expedit scire, quod minime est reticendum eo quod in consecratione

q) *Synon*) sive ut alii, Sinon, proditor in exercitu Græcorum, de quo vid. *Virgil. Æn. l. 2.*

r) *Hurias*) iterum rhythmi causa pro Hierone Rege Syracusano ponitur, fortissimo, & literarum in senecta sectatore, tellante *Æliano.* conf. *Liv. Hist. l. 24. c. 4.*

s) *Hydea*) i. e. prudentia, ab ὑδηϛ, *prudens.*

t) *Hodor*) *sive odor*; nam Benzonem pro lubitu fuisse usum aspiratione, cernimus in vocabulis; *Heuropam*, *Helias*, *Habraham.*

u) *christo*) i. e. uncto suo, hoc enim nomine Benzo Imperatorem, utpote oleo sancto in solennibus inaugurationis consecratum, compellat.

z) *delibor*) deponens hic formatur a Benzone, loco activi, tulit enim aliquem quædam delibare, sive deligere, de quibus verba faciat ad Imperatorem.

a) *hœrarium*) i. e. ærarium; hinc perspicimus, exercitum Imperatoris illo adhuc tempore ex vectigalibus fuisse sustentatum.

b) *cohelet*) dubius hæreo, quid heic sibi velit Benzo; interim sensum esse puto: *Cæsar intuitus, quod dicere clavaverat.*

c) *Serto*) i. e. Coronæ, nempe quicquid ad Coronam sive Cameram semper pertinuit.

Cæsa-

Cæsaris augusti, passa est imperialis corona non modicum detrimentum. Multa enim detruncavit ignorantia, ex his quæ pertinent ad solempnitatem tam insignis diei, sine quibus non oportuit imponi diadema augustissimo capiti Domini mei. Aliter vero coronatur Imperator orbis terrarum, atque aliter reguli provinciarum; Mirabiliori denique atque venerabiliori cultu, est celebranda imperialis scenophegia *d*) quam quæ exhibetur circa regulos, perstrepente turba plebeja. Fidelis sum, fideliter loquor, Dominus & Pater Domini nostri Jesu Christi scit, quia non mentior. Non enim vere poterit Imperator dici, minoratus integritate tanti talisque officii: Postquam autem cognoverit Dominus meus Cæsar, per me servum suum tam glorioſissimum misterium, confido in Domino, quia non deputabit me in extremo cornu fidelium. Erit quippe dies illa celeberrima Angelis in cœlo & hominibus in terra.

CAP. VIII.

DUo igitur episcopelli, sustentant manus unius provinciæ regulelli. Antecedit eum ferrea crucicula, retro prosequitur agrestis plebicula.

CAP. VIIII.

ROMA MINORATUR PROHELEMPSIS *e*) NI CELEBRATUR JUNCTIS QUINQUE VIRIS CAPITUM GESTAMINE MIRIS.

PRocessio vero Romani imperatoris celebratur talibus modis: Portatur ante eum sacra crux gravida ligni dominici, & lancea sancti Mauricii; Deinde sequitur venerabilis ordo episcoporum, abbatum & sacerdotum & innumerabilium clericorum. Tunc rex indutus bysino podere *f*) auro & gemmis inserto, mirabili opere; terribilis calcaribus aureis; accinctus ense adopertus frisia clamide, imperiali veste; Habens manus involutas cyrotecis lineis cum anulo pontificali, glorificatus insuper diademate imperiali, portans in sinistra aureum pomum, quod significat monarchiam regnorum. In dextera vero sceptrum imperii, de more Julii, Octaviani & Tiberii. Quem sustentant ex una parte Papa Romanus, ex altera parte archipontifex Ambrosianus. *g*) Hinc & inde duces, marchiones, & comites, & diversorum procerum ordines. Sic Imperator incedit ad processionem, nulla humana lingva potest explicare talem gloriam tantumque honorem. Retro vero secuntur quinque viri, *h*) diversa clamide & patricialibus circulis *i*) redimiti. O Domine quid est homo, quia magnificas eum, & apponis erga eum cor tuum, tribuens ei regere totum mundum? Custodi ergo opera misericordiæ tuæ Domine Deus noster, ne in eo prævaleant boreas nothus & auster. Tu es Deus qui facis mirabilia, quia Imperatore gressum movente, tollitur clamor omnium ad sydera; Clerici incipiunt: *Jam bone pastor*, Teutonici, *Kyrrieleyson helf k*) *o Sancte Petre beleyson*; singule quidem nationes, secundum ritum patriæ prorumpunt in suas vociferationes. Tot igitur innumerabilium vocum clamoribus exterrita tellus tremit, & cœlum desuper ad laudem tanti Imperatoris faciem aëris serenissimam reddit, ut in die tantæ festivitatis, sit gloria in excelsis, & in terra pax hominibus bone voluntatis. Finita processione, missa incipitur, & secundum sita *l*) canonum, ante euangelium Imperator consecratur & benedicitur; Expleta missa, ad palacium redeunt, & ad mensam accedunt. Resultat Roma gaudiis, laudes refert apostolis per quorum sacrum meritum Roma tenet imperium; Una est vox leticiæ civium & miliciæ, frequentat universitas *alleluja* per semitas. Postquam autem cum modestia sumpserint cibum, hymno dicto, si fuerit æstivum tempus vadunt parumper dormitum; Et facto modico intervallo, revestit se Imperator viridissima clamide, cum nivea mitra, cui superponit patricialem circulum, & sic itur ad vesperum; Iterum pulsant cœlum voces eorum, ad laudem & gloriam viventis in secula seculorum.

CAP. X.

ALtera autem die domnus *m*) Papa sumit Romanam coronam, de altario appulorum *n*) principis, & ponit eam in capite Cæsaris; Cæsar vero per voluntatem Dei & per orationem sancti Petri coronatus, venit usque ad scalarum gradus, ubi eum præstolatur Romanus Senatus. Ascendensque equum cum equitibus Romanis, Teutonicis, & Longobardis pergit per viam triumphalem; In omnibus quidem plateis, salutatur Romanis cantilenis. Ante fores igitur Constantinianæ æccleſiæ, quæ est caput omnium æccleſiarum per universum orbem terrarum. Congregatæ sedecim regionum scolæ, *o*) suscipiunt Imperatorem cum magna processione. Intrante vero Cæsare æc-

ulterior descriptio solemnium

d) *Scenophegia*) videntur esse scenopegia, hoc est, Festa tabernaculorum Judæis usitata, qvam denominationem Benzo sumit pro solennibus inaugurationis.

e) *Prohelempsis*) Coronatio antea facta, ab προλείφω, ungo.

f) *Podere*) Poderes est tunica talaris, ποδήρης, vestis sacerdotum olim; *v. Ordericus Vitalis L. 12. p. 867.*

g) *Ambrosianus*) i. e. Mediolanensis, ubi S. Ambrosius Archiepiscopatum quondam tenuit.

h) *Quinque viri*) Nimirum, inquit, postea sequuntur Quinq; viri, qvi erant magistratus, ab administratione pecuniæ *mensarii* etiam dicti, *Livius l. 6. c. 21. Cic. ad Attic. L. 9. Ep. 2.*

i) *Circulis*) intelligit speciem qvandam Coronarum, qva præfulgebant in hac solennitate Patricii.

k) *Leif*) h. e. juva.

l) *Sita*) legendum, Scita, illa nempe, quæ Canones sciviſſent.

m) *domnus*) miror, hac voce, quæ minorem saltem dignitatem Autoribus medii ævi indigitat, Benzonem signasse Papam, cui potius *Domini* titulus fuisset tribuendus.

n) *Appullorum*) i. e. Apostolorum.

o) *Scolæ*) sive Scholæ, Seminaria, nunc plerumqve Collegia dicta, in qvibus seminariis juventus ex qvalibet ferme Europæorum gente, literis, vel potius dogmatibus aulæ Pontificiæ innutriebatur.

clesiam, cum multitudine diversarum gentium salutat eum consistens juxta altare chorus psallentium. Benedictus sit cum Patre & Spiritu Sancto Christus Dei Filius, qui talem concedit lætitiam. Angelis & hominibus; Quid plura? Missa celebratur & per omnes vicos *alleluja* cantatur; ubique jubilatio, ubique gaudium & exultatio.

CAP. XI.

Tertia dies solennis. Tercia vero feria, similiter cum eodem exercitu equitans usque ad sanctum Paulum coronatur, *p*) solempniter recipitur, atque in ejus laude Deus glorificatur & benedicitur.

CAP. XII.

Quarta dies cum reliquis. Quarta denique feria, quasi rediens de Bethleem coronatus vadit ad sanctam Hyerusalem; *q*) Expletis autem mysteriis tam insignis diei, commendat se Deo & dicit; *Salvator mundi miserere mei;* Reliquis vero tribus ejusdem ebdomade diebus celebrat synodum, & simul cum domno apostolico emendat negligentias sacrorum ordinum; Deinceps pertractat cum sapientibus de dispositione rei publicæ, *r*) multipharium multisque modis. Tu autem Domine miserere nobis.

CAP. XIII.

IMPERATORUM FUERANT QUI GEMMA PRIORUM SUCCESSOR FACTUS QUORUM DUM RESPICIS ACTUS, CÆSAR UT EXCELLAS AGE, FAC UT ANOMALA VELLAS.

SUper hec autem quiddam perneccessarium volo dicere, cui non satis sunt paucæ litteræ, de amministrationibus scilicet Apuliæ seu Calabriæ. *s*) In quibus venerabilis Karolus, magnique Ottones, & senior HEINRICUS, *t*) non parum laboraverunt, sed perfectionem operis successoribus reliquerunt. Nam Karolus asportavit in Franciam Longobardorum Regem Desiderium, *u*) qui conturbabat Romanum imperium. Rex autem Arnulfus, *x*) Karolmanni filius, quaeliter exarsit adversus Bergamensis comitis falsa consiliabula, sit enim lupus in fabula. Otto vero primus transtulit in Bagoariam regem Berengarium, reipublicæ adversarium. *y*) Secundus quidem Otto cum Saracenis *z*) pugnavit, & de litoribus Hadriatici maris eos exterminavit. Tercius denique Otto, decollavit Crescentium, *a*) & secavit papam Sergium, *b*) ex quod cum Grecis frequentabant inlicitum commercium. At verò primus HEINRICUS *c*) christianæ religionis

p) *Coronatur*) in *cap. 9.* Benzo commemorat, prima festivitatis die Imperatorem inaugurari & benedici, *cap. 10.* altera Papam Imperatori Coronam de altari S. Petri sumtam imponere, *cap. 11.* denique, quod Imperator tertia feria ad S. Paulum (nempe in illo templo) coronetur, & solenniter recipiatur. Hæc ita mihi videntur intelligenda, ut prima die sacra unctio, altera diadematis impositio, tertia inthronisatio significetur, licet nescire me profitear, an sub aliis quoque Imperatoribus actus isti distinctis diebus fuerint suscepti.

q) *Hierusalem*) alludit ad mores illorum, qui in Terra Sancta peregrinabantur.

r) *reipublicæ*) hinc evidentissime patet, Imperatorii Juris fuisse, ut non tantum corruptum Cleri Statum una cum Pontifice emendaret; sed etiam de Reginine urbis Romanæ, primoribus in consilium adhibitis disponeret.

s) *Apuliæ seu Calabriæ*) sub his vocabulis Regnum Neapolcos quondam indigitabatur: Autor vero, ut ex sequentibus videre est, de universa Italia verba facit.

t) *Senior Heinricus*) Heinricum Nigrum, Nostri parentem intelligit.

u) *Desiderium*) De bello Caroli M. quo Desiderius captus, est Regnum Longobardorum s. Italiæ superioris victori cessit; *v. Eginhard. in vit. Caroli M. cap. 6. & S. Paul. Diacon. hist. Longobard. lib. 6. c. 12. Annal. Bertin. & ejusdem ad ann. 773. & 774. Car. Sigon. de Regno Ital. lib. 3. ad ann. 772.*

x) *Arnulfus*) Hic a Berengario contra Guidonem, Italiæ Imperium affectantem evocatus, & copiis collectis Italiam ingressus, a Veronensibus statim debito honore est susceptus. Verum cum Bergamenses loci munimentis fisi, ipsius dicto haud essent obedientes, urbem vi cepit, & civibus illorum passim trucidatis, Comitem illorum Ambrosium, cum baltheo & pretiosis indumentis suspendi ante portæ januam curavit, *v. Luitprandus l. 1. c. 7.* quo facto tantum reliqvis incussit terrorem, ut missis legatis imperata semet facturos pollicerentur. *v. Rhegino*, & *Annales Mettenses ad an. 894.*

y) *Adversarium*) primum Ottoni bellum cum Berengario anno 950. dum Adelheidis precibus motus, ut illam a tyrannide liberaret; cum exercitu Italiam intrat, & fugato Berengario Adelheidam ducit uxorem; unde Berengarius cum filio Adelberto ann. 952. in Comitiis Augustanis supplex factus, clientelæ nexu se Ottoni subjecit. *v. Leo Ostiensis in Chron. Casin. l. 1. cap. ult. Frodoardus ad ann. 952. Ditmar. l. 2. p. 331. sq.* Denuo mox rebellem Imperator tandem in monte Leonis obsidet, & cum uxore Willa mittit in Bavariam, *v. Contin. Reginon. ad ann. 952. & 964. Ditmar. l. 2. p. 333.*

z) Otto secundus Apuliam & Calabriam vindicare Rom. Imperio annitebatur, sed Græci, qvi istas provincias tenebant, conducto Saracenorum auxilio, Imperatorem ab Italis perfide delertum capiunt, qui tamen ab hostilibus non agnitus, lytro soluto, libertati ægre restitutus; Græci vero Calabriam & Apuliam retinuerunt, *v. Leo Ostiens. l. 2. c. 9. Ditmar. l. 3. p. 346.* Sed Imperator Romanorum, ac Beneventanorum perfidiam acerrime ultus, anno 982. Græcos cum Saracenis tanta strage affecit, ut Ottoni inde nomen, Pallida mors Saracenorum adhæserit, *v.* præter supra allegatos *Otto Frising. l. 6. c. 26.*

a) *Crescentium*) Hic Imperatori rebellis, & apud Romanos summa autoritate pollens, captus & per superiora propugnacula turris, quo confugerat, dejectus, deni post terga boum religatus, per vias paludosas tractus, demum in conspectu civitatis in trabe excelsa est suspensus. *v. Leo Ostiens. l. 2. c. 18. & Sigonius de regno Ital. l. 7. ad ann. 998.* qvi etiam Crescentium, vitæ gratia ipsi promissa, deceptum fuisse tradunt; verum Ottonem perfidiæ falso incusari, & Crescentium decollatum, & postea per pedes suspensum, patet ex *Ditmaro l. 4. p. 354. & Anon. vita Meinwerci c. 10. apud Leibnit. Script. Brunsv. Tom. 1. p. 520. & Chronograph. Sax. ad an. 998.*

b) *Sergium*) Labitur hic Benzo, dum Joannes XVIII. potius, ille fuerit, qvem a Crescentio Pontificem constitutum Otto III. jusserat, manibus truncari, eidemque aures abscindi, atqve oculos evelli. *conf. Autores modo allegatos.*

c) *Primus Henricus*) Germanis dicitur secundus, sed Itali Henricum Aucupem, utpote a Pontifice non unctum, e serie Henricorum excludunt. Religionis Christianæ Henricum de quo nobis sermo, fuisse amicum, probat etiam *Adelboldus in vita Henrici c. 1.* unde in Sanctorum numerum relatus, *Baron. in Annal. ad ann. 1152.* Anno 1022. ab Italis evocatus, Græcos fugavit, Italiæ inhiantes, Apuliam Imperio vindicavit, capta Capua: Pandulfum Comitem Teanensem ibi Principem constituit, Trojam etiam in iisdem oris sitam, Neapolin aliasqve urbes subegit, parte terrarum sociis Normannis concessa. *v. Leo Ostiens. Chron. Casin. l. 2. c. 39. Auctor vitæ Henrici, in Canisii lect. ant. T. 6. p. 351.* Redux in-

amicus,

amicus, devicta Troja subjugatisque principibus adduxit secum, Capuanum principem in Svevia quem diu affixit carcerali miseria. Nonnus igitur Chuonradus *d*) diademate glorificatus, rediens per marchias, Trasalegardum suspendio condemnavit, cæterosque in mortis timorem præcipitavit. Filius quoque ejus Secundus HEINRICUS, præcessorum suorum superlativus, Rodulfum trikinot *e*) & Wilielmu Tmamcredi, cum aliis Normannis qui erant parvo numero, subdidit pedibus principum, præcepitque si aliter præsumpsissent fierent exterminium. Memoriæ quidem digna fecit plura, feciſſetque plurima, nisi obstuisset sine intermissione recens nimia pluvia. Erat enim voluntas ejus videre columpnam Karoli *f*) ubi jaculando lanceam fixit in mari. Regrediens autem per Camerinam *g*) & Spoletum venit Anconam, & cepit Cislerium *h*) reclusitque in formicaria *i*) cui melius esset, si eum caperent subgrundaria. *k*)

CAP. XIIII.

Quis enim rogo est tantæ periciæ ut valeat bellicos sudores domini mei Imperatoris HEINRICI tercii describere? Excedunt quippe numerum, trophea suarum victoriarum, sicut fratres mei cernimus in præsentiarum. Sed datum est ei munere divino, ut quod minus est de perfectione, per eum compleatur omnino. Quia ipse Deus vadit, sicut supra scriptum est ante HEINRICUM Christum suum, preparans ei victoriæ cumulum. Nam omnis terra expectat eum quasi redemptorem, & cum palmis tramisque diversarum frondium obviam veniens, aperit portas urbium. Ponat igitur dominus noster Cæsar ante oculos memoriæ, anteceſſorum inceptionem, & accingat se ad cepti operis consumationem. Extirpet prius sicut bonus agricola, rampnos *l*) & vepres, & seminet bonum semen, unde habeat annualiter triticeas messes. Non ferat ibi earum frugum prolem, quæ timeat lunæ rorem, & solis calorem, sed spargat semen ad utrumque inpavidum, & sic obtinebit consumationis bravium *m*) Si enim radicitus non evulserit, totam spinosæ silvæ densitatem, sepius redibit ad extirpandam eandem, fuerit puippe omnibus indecens rediculum *n*) iteratæ reversionis diverticulum. Semel igitur fiat quod est faciendum, ut non sit necesse amplius repetendum.

Hortatur Henricum, ut rebelles in Italia extirpet.

CAP. XV.

DE CHRISTO DIXIT REGUM QUOQUE STEMATA SCRIPSIT, MENTE QUIDEM LETA CUM IS VETERANA PROPHETA. *o*)

ADhuc enim longa sibi restat via, sicut Sybille testatur prophetia. Nam ordinatis & in statum pristinum collocatis, Apulia scilicet atque Calabria, videbit eum bizas *p*) coronatum in sua patria. Deinceps erit egressio ejus usque ad urbem Solimorum, *q*) & salutato sepulchro, ceterisque dominicis sanctuariis coronabitur ad laudem & gloriam vi-

Optat Cæsari Imperatum Byzantinum & Solymorum.

Germaniam Capuanum Principem Pandulfum, qui tamen cum illo Comite Teanensi non confundendus, in vinculis detinuit, qui mortuo Henrico demum libertatem recuperarit, *v. Leo Ostiens. l. 2. c. 48. & 51.*

d) *Chuonradus*) Conradus Salicus Trasolegardum, sive potius Thassalegardum Italiæ Tyrannum, subita invasione cepit, & Judicio Principum ipsum suspendio necavit; *Wippo de vita Conradi Salici, in Pistor. S. R. G. T. 3. p. 434. & edit. Struv. p. 473.* Romanos vero coercuit, ut nudatis pedibus liberi cum nudis gladiis, servi cum torquibus circa collum, quasi ad supplicium præparati, veniam Imperatoris supplices postularent. *v. Wippo l. c. p. 433.*

e) *trikinot*) Fateri cogimur, Benzonem hoic erronee & confuse plura protulisse; Guilielmus enim, Tancredi filius, anno 1046. mortuus est, desiderium sui apud posteros relinquens, *v. Guil. Apul. l. 2. c. 12.* Illum vero ab Imperatore esse punitum, haud videtur asseri posse, cum iste demum anno Imperator Italiam intraverit, & rebus demum Romæ circa Pontificum schisma compositis, res Normannicas ordinaverit, *v. Lambert. Schaffnab. & Chronogr. Sax. ad ann. 1047.* Inter Aversanos autem Comites recensetur Rainulfus, quo sine liberis anno 1046. mortuo, a civibus electus est Asclitinus, a *Leone Ostiens. l. 2. c. 67. Comes Juvenis*, ab *Ordorico Vitali, l. 3. de Guadrellis* cognominatus. Verum hoc breri anno 1047. demum, filiis licet relictis, Rudolfus quidem, *Leoni Ostiens. l. c.* Capellus, *Guil. Appulo, l. 1. Drincenottus* dictus. Comitatum invasit, Aversani tamen isto mox expulso, alium quendam Rudolfum, *Trinclinotte* ab *Ostiensi l. c.* vocatum, & hoc etiam paulo post obeunte, Richardum Asclitini filium, sub Drogone tunc stipendia merentem, cui Drogo sororem matrimonio junxerat, Comitem sibi elegerant. *conf. Pellegrin. in Stemmat.*: Interea Drogo Apuliæ & Rainulfus Aversæ Comites Henricum III. vix Capuam delatum submisse adibant, equos illi plurimos & pecuniam maximam offerentes, quibus Imperator universam, quam tenebant, terram Imperiali investitura firmavit. *v. Leo Ostiens. l. 2 c. 8.* Ex quibus demum patet, nec Drincanoldum, nec Trinclinotem ab Imperatore fuisse pœna affectum, cum nec Imperatorem in istas terras esse reversum constet.

f) *Karoli*) Nec meliora hoic nobis de Benzone pollicemur; Nondum novimus, ullum ex Imperatoribus, qui Caroli nomine inclaruerant, columnam erexisse, ubi jaculando lanceam fixit in mari. In hanc potius prolabimur opinionem, quod Benzo hic indigitet factum Ottonis M. qui Danorum victor, cum destitutus classe, qua in Insulas Danicas potuisset penetrare, lanceam summa vi in mare projecit, his verbis: Hic esto terminus finium Ottonis. *v. Adam. Bremens. l. 2. c. 2. Albertus Stad. ad ann. 948.* Interea si divinando quid assequi licet, Caroli M. quondam Generæ statuam ante Cathedrale templum positam fuisse, reperi *in John Breval Remarks upon several parts of Europe, Vol. 2. p. 18.* ubi forsan Carolus hastam in lacum Lehmannum protrusit.

g) *Camerinam*) Camerinum sive Camerianum, Italis *Camerario*, in Marchia Anconitana situm, cujus incolæ vocatur Camertes.

h) *Gislerium*) Gislerium ignoro, nisi hoic intelligas Papam exauctoratum Gregorium sextum, quem captivum ab duxit in Germaniam, *v. Otto Frising. l. 6. c. 33. Leo Ostiens. l. 2. c. 80.* monasterio Cluniacensi eundem postea includens. *Guil. Malmesbur. l. 2. c. 13.* Hunc tamen Joannem Gratianum alias fuisse dictum constat.

i) *formicaria*) i. e. locus formicarum: monasterium satyrice videtur intelligere.

k) *subgrundaria*) i. e. sepulcro infantum, *v. Fulgentius Planciades de sermone antiquo.*

l) *raupnos*) idem ac vepres, sive omne genus zizaniæ vel lolii.

m) *bravium*) brabium seu brabeum, præmium victoriæ.

n) *Rediculum*) sorte pro reditu.

o) *veterana prophetæ*) rythmo aliquid condonandum, cum dicendum fuisset: veteranus propheta.

p) *bizas*) i. e. Byzantinus s. Constantinopolitanus.

q) *Solymorum*) idem ac Hierosolymorum.

ventis in ſecula ſeculorum. Stupens igitur Babylon, deſiderans lingere pulverem pedum ejus veniet in Syon. Tunc implebitur quod ſcriptum eſt; Et erit ſepulchrum ejus glorioſum. O Cæſar quid miraris ſuper hoc? Quid faciat de te, ſine te deliberat ipſe qui fecit te. Tu autem dic. Multa feciſti Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi. Vivit Dominus & Dominus illuminatio mea, ita fient iſta, ut præfagit Sybillæ Calliopea. O vos Symmiſtes *r*) herilis auriculæ, ne putetis verba Sybillæ, vocem crocitantis corniculæ. De profundis enim eſt cogitandum, ubi auditis quod mare ſit tranſmeandum. Si forte in aliquo dubitatis, in habela *s*) interrogate, & ſciſſo velo, quæ latent erunt in claritate.

CAP. XVI.

FIT BABYLON TRISTIS COMPLETIS QUATTUOR ISTIS.

Rogat, ne dicta vilipendantur

DE his quoque propoſitionibus quas ſummotenus tetigi balbucientis lingvæ ligonibus Domino miſerante & ſenſum confirmante, novi qualiter poſſunt fieri, ad honorem Omnipotentis Dei, & ad ſalutarem profectum imprimis domini mei. Ne deſpiciat dominus meus Cæſar ſervi ſui parvitatem, quia ipſe Deus facit de omnibus & in omnibus ſuam voluntatem. Non vilipendit ſuam facturam, *t*) etjam capillo dedit umbram ſuam. Dicit namque ſcriptura, alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum, ita voluit Deus eſſe diverſas qualitates gratiarum. Et in domo domini erant non ſolum fialæ ſed etjam cyati, qvia unicuiqve datur gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Itaque nihil horum quæ dicta ſunt videatur vanum, aut impoſſibile, ſed neqve incredibile, quia non exeunt de vaſe cui donetur mendacium, quod eſt fermentum putribile. Niſi credideritis non intelligetis, neqve enim ante cognitionem cauſæ judicium inferre debetis. Credite ergo & invenietis, & gaudium magnum inde accipietis.

CAP. XVII.

KAROLUS HEINRICO BOAT *u*) HEC UTAMICUS AMICO; SAXA *v*) DIVE REGI PEDIBUS FRAGMENTA SUBEGI. SIC SIC VICTOR ERIS, SI CREBRO SAXA TERIS, CÆSAR HYMAGO *w*) MEA, SUB QUO TREMIT ORBIS HYDEA *x*) VOS DUO VOS MAGNI VOS FORTES VOS VELUT AGNI. VOS CELEBRAT MUNDUS, TU TERCIUS ILLE SECUNDUS. *y*)

QUi cum Sapientibus graditur, ſapiens eſt, qui vero cum ſtultis eorum ſimilis efficitur. Sicut in libro regum de Roboham legitur in ſublimitate igitur conſtitutis, neceſſarium eſt ſenſatorum amminiſtratione fungi, quia pars ſcientiæ eſt ſcienti conjungi. Pondus enim Romanæ potentiæ ſine dubio levigatur, *z*) ſi cum filiis prudentiæ pertractatur. Prudentia vero metitur exitus rerum, & conſiderat qualitates ſingulorum dierum. Sollertius namque de futuro conſulitur, ſi id qvod præteriit ad memoriam reducitur. Perſpicuum eſt quippe qvod in diebus pueritiæ de bajulo ad bajulum o Cæſar HEINRICE porrexit te fortuna, ſed transcurſo Pytagoricæ litteræ bivio, *a*) jam non es cum his, qui mutantur ut luna. *b*) Quibus remotis bene per temet triumphare cœpiſti, perſevera moneo, quoniam perſeverantibus nunquam deſuit virtus Chriſti. Ne dubites neque formides, ad nihilum enim devenient qvæcumqve fumantia vides. Quod majus & pejus erat tranſiit, qvod minus eſt reſtat, confide ergo, quoniam divina propitiatio tibi de cœlo victoriam præſtat. Enim vero qui dedit terminum tenebris, adbreviat dies malitiæ, prolongat autem fidelibus tempus lætitiæ. Noli ergo fieri modice fidei, eo quod ſervi perfidiæ quantocius ibunt ad immolandum, ea propter vigilanti cautela magis ac magis eſt elaborandum. Ne de tua negligentia vires accipiant, qvi calcaneum tuum mordere deſiderant. Divinum qvidem eſt miſterium, qvod mihi morigeraris Cæſar invictiſſime, ſive in bellicis triumphis, ſeu in diſpoſitione rei publicæ. Nam qvæcumqve ſigna de transmarinis partibus ad venerunt mihi, pene eadem occurrunt tibi. Elephantem vero mihi direxit rex perſarum, *c*) tibi. qvoqve affrica leonem cum comitatu mirabilium beſtiarum. Legatus preterea hyeruſolomitæ *d*) epiſcopi, detulit mi-

r) *Symmiſtes*) ſacrorum, arcanorum Domini participes, ſive ſummi Miniſtri.

s) *babela*) notum eſt proverbium ex Scriptura ſacra 2. *Samuel.* 20, 18. in rebus gravioribus conſilium petite Abela.

t) *facturam*) i. e. creaturam.

u) *Boat*) Carolus M. qvem loqventem inducit, tibi acclamat alta voce.

v) *Saxa*) Subintelligit Saxones, quos a Carolo M. bello triginta trium annorum in ordinem redactos fuſius perſpici poteſt ex *Eginhardo*, *Reginone*, *Egolismenſi*, *Poeta Anonymo*, *de geſtis Caroli M.* aliisque.

w) *Hymago*) imago.

x) *Hydea*) prudentia.

y) *Secundus*) Intelligit Henricum III. & IV. quos more computandi Italorum ſecundum & tertium vocat.

z) *levigatur*) levius redditur.

a) *bivio*) Veteres Philoſophi *litteræ y* duas vitæ vias, virtutis ac vitiorum, compararunt, v. *Perſius Sat.* 3. v. 56. *Lactantius l.* 6. *c.* 3. cujus comparationis auctorem dicunt Pythagoram, *Hieron. Epiſt.* 7. *ad Letam*, *Pontac. Progymn. vol.* 1. *p.* 370.

b) *luna*) exagitat illorum ingenium verſatile, qvi tunc temporis inventuti erudiendæ operam navabant.

c) *Perſarum*) *Chronogr. Sax. ad anno* 807. Fuit is Aaron Rex Perſarum, *Alberici Chron. ad eundem annum*. Plura v. in *Eginhard. de vita Caroli M. c.* 16. & ibi *Schmink. in notis*: & in *Herm. Contract. ad annum* 802. & 810.

d) *Hyeruſolomitæ*) ſ. Hieroſolimitani, de cujus donis Carolo M. transmiſſis, v. *Reginon. ad ann.* 799. & 800.

hi multas reliquias, & claves sepulchri, cum vexillo causa benedictionis, sed hæc prophetia tendit oculum ad te, qui eris in hoc opere per voluntatem Domini signifer *e*) christianæ religionis. Basileus *f*) autem constantinus *g*) misit tibi signa similia, videlicet de sudario Domini, de cruce, simulqve de corona spinea. His itaque figuralibus signis, potes o amice certam sperare victoriam de omnibus inimicis. Delectare ergo in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Ne fias quæso contrarius legis divinæ, neqve sublimes, quos canones atqve humanæ leges adjudicant filios ruinæ. Ne verearis dicere, quod dixit creator ipse, penitet me hominem fecisse. Igitur quod ignoranter commissum est, emenda in melius, ut de tuis bonis operibus glorificetur Deus. Scriptum est enim. Si placuerint Domino viæ hominis, statim inimicos ejus convertet ad pacem regni cælestis emacem *h*) amen.

CAP. XVIII.

TEMPORIS INSTANTIS REX AUDI VERBA GYGANTIS. ME TULIT IN CELUM LABOR, ATQUE VIBRABILE TELUM, EX HOC OCCIDI, QUE MONSTRA NOCENCIA VIDI, SIC FRATER DURA SUBERABIS BARBARA JURA.

ALiena vita est nobis magistra. Sit ergo nostrum iter in dextra nequaquam in sinistra. Pre ceteris operibus suis, legimus duodecim labores Herculis, quorum similitudinem habent facta senioris nostri Cæsaris. Hercules autem post multiplices victorias, numeratus inter deos reliquit mundo venerabiles memorias. Perseverantia quippe reddit eum celeberrimum, quia non morietur nomen ejus in æternum. Non enim dictum est de eo. Iste homo cepit edificiare, sed non potuit consumare. Caleata si qvidem omni difficultate, quicquid incepit victoriosissime peregit. Nullam enim facit digressionem ab itineribus istius, dominus noster Cæsar HEINRICUS. Victa est Deo gratias lupina rabies, quæ contra eum ululabat, succisa est silva capitum hydre, quæ indestinenter pullulabat.

CAP. XVIIII.

FIT DRACO DE VIRGA VORAT ANGVES DENUO VIRGA, SICSINT ABSORTI FIDEI DE CALLE RETORTI, HANC PROPTER REGEM MONSTRAT SAPIENTIA LEGEM.

NUnc autem discinctis armis furoris bellici, tria monet facienda frater BENZO. Ne amplius prævaleant ætlnici. Videlicet ut convertat sicut moyses virgam suam in draconem, qvi devoret hostes usqve ad internitionem, & amplius non erunt. Et iterum per quandam metamorphosim, evertat alios in duriciam lapidis, sicut legitur factum de capite Gorgonis. *i*) Postremo percutiat Amazones *k*) in posteriora, ne sint novissima earum prioribus pejora. Quæ omnia facile possunt fieri, si assensum præbuerit Cæsar vaticinio servi sui.

Suadet, ut Ethnicos seu Saracenos evertat.

Sic, pro convertat.

CAP. XX.

SPECTAMEN PULCHRUM MOYSES IT PER MARE RUBRUM, REX CALCAT DORSUM VADI, TREMIT UNDA DEORSUM.

NOn debent preterea a corde recedere o imperator, quæ circa te operari dignatur mundi Salvator. Nam unum atque idem miraculum fuit, ire per rubrum mare siccis plantis, & calcare dorsum heridani *l*) submurmurantibus aquis. Cujus rei testis est non solum placentia, *m*) verum etiam tota italia, sepius memorando omnipotentis magnalia. Ea quippe dum recolis o Cæsar, ne pigeat pugnis pectus percutere, & lacrimas ab oculis deducere. Multa quidem & alia signa fecit pro te pius plastes, *n*) custodiens vias tuas, ne in eis se occultet callidus cerastes. *o*)

De adventu Cæsaris in Italiam.

CAP. XXI.

RUNCIE DEFORMIS FACTUS SINE LUMINE DORMIS.

LAudetur Dominus, quia vix potuit manus tuas evadere, qui injuriis lingvæ ausus est te invadere. Auditum est in quatuor mundi plagis, qualiter es ultus o formidanda potestas, super runtio *p*) cremonensi atque quibusdam aliis. Sed de boni-

Clerum rebellem puniendum suadet.

e) *Signifer*) Imperatores nostri quondam ob fabulam fœderis Principum Chrillianorum contra infideles, habebantur pro Ducibus Passagiorum, *v. Boeler. ad Grot. de Jure B. & P. l. 2. c. 15. §. 12. Fürstiner. de Jure suprem. c. 32.* Hinc Pius II. in epist. ad Frid. III. apud *Leibnitz. Cod. Jur. Gent. dipl. Tom. I. p. 421.* Imperatorem vocat, *Natum Ducem exercitus Christiani.*

f) *Basileus*) i. e. Imperator.

g) *Constantinus*) *Ducas* cognomento, qvi tenax & parcus noluit bellis conflictari, sed gentes muneribus & aliis obsequiis devincire, & Romano Imperio reconciliare. *v. Zonaræ Annal. Tom. II. l. 18. c. 5. p. 273.*

h) *emacem*) cupidam emendi. *conf. Cato de re rustica cap. 2.*

i) *Gorgonis*) i. e. Medusæ, cujus caput in lapidem obduruisse ferunt, hinc *Gorgonium coralium*, apud *Plin. H. Nat. l. 37. c. 12.*

k) *Amazones*) Saracenos intelligit, qvi ex Scythia, sede Amazonum antiqva, in terram sanctam, sunt profecti. *Mela L. 3. c. 5.*

l) *heridani*) Eridanus, fluvius Italiæ nobilissimus, Latinis *Padus*, Italis *Po* dictus, *Virgil. Æn. l. 6. 659. Lucanus l. 2. v. 405.* Cæsarem igitur Eridanum superasse adeo magnificum Benzoni visum, ut cum Mosis transitu per mare rubrum illud comparaverit.

m) *placentia*) utpote Pado vicina. Benzo hoc priorem Henricus IV. expeditionem indigitat, anno 1077. susceptam, quo tempore ipsemet præter opinionem Pontificis Gregorii VII. omnes Italiæ aditus occupantis in Italiam pertraverat, perterrito Papa, Episcopis vero & Comitibus Italiæ lætantibus. *v. Lambertus Schafnab. ad d. an. Leo Ost. inst. l. 3. c. 49. Arnulph. Mediol. l. 4. c. 7. p. 745.*

n) *plastes*) Creator *v. supra.*

o) *Cerastes*) Serpentum serpentis genus, cujus meminit *Lucan. l. 6. v. 679. l. 9. v. 716.*

p) *runtio*) Runtius & Armanellus seu Morticiellus videntur fuisse prædicatores, atrocibus injuriis contra Imperatorem debacchantes, ex quibus Runtius promeritæ pœnæ est affectus. Interea illos omnes minori saltem clericorum ordini adscriptos fuisse existimo, cum nullibi illorum mentionem fieri deprehenderimus.

zello, armanello, seu morticiello tribus demonibus, quod non idem contigit improbat omnis populus. Nunc autem omnia conturbant, & ecclesiastica officia sibi usurpant. Non est dicere, quanta prestigia agat bonizellus *q)* & in placentina urbe, atque in ejusdem plebibus insistens diabolicis predicationibus, reprobandis quoque ecclesiarum consecrationibus. Armanellus vero sive morticius, facti catholice fidei ruina, debachantur in regione albensis ecclesiæ vicina. Hii suum opus exercent in dandis penitentiis. Penitentia siquidem eorum hujusmodi est. Abrenuntius HEINRICO & suo papæ omnibusque orthodoxis abrenuntio, abrenuntius albensi suisque presbiteris abrenuncio, & ita flexis genibus, & elevatis sursum manibus, promittunt servare quoad vixerint, quicumque de illorum consortio esse voluerint.

CAP. XXII.

Depingit ausus rebellium.

MUltos igitur sive de populo, seu de principibus ad se traxerunt, quos duplo filios gehenne fecerunt. Non est cui possim dicere, stemus simul, quia si non omnes, plures tamen de ordine vicis habyse *r)* infecit pestis patariæ, *s)* sicut est cernere in Kymera *t)* astensis ecclesiæ. Non habeo ubi caput reclinem. Remansi solus, occupavit enim gradus sexus & ætates perfidie dolus. In hoc apparet quia super capillos capitis multiplicate sunt nostræ culpæ, quoniam seviunt inter nos duæ pilosæ scilicet infernus & os vulvæ *u)* Tercia vero cujus nomen incipit a littera canina, *x)* nulla saciatur pecunia, sicut nec terra pluvia. Quarta vero persecutio, cui non placet? sufficit dicere, non cessat vorare quicquid potest attingere, sive illud sit publicum herarium, seu domini sanctuarium ut jus parium aut imparium.

NI MALA SUBSANNAS, O JUDEX, TE QUOQUE DAMPNAS.

Monet, ut eos puniat Cæsar.

EXaltare ergo qui judicas terram, resiste insaturabilibus, redde retributionem superbis, nec non etiam fraudulentis. Gladium quidem ultionis habes o Cæsar de manu omnipotentis, & si in præsentiarum non suppetit facultas vindicte; tamen juxta stultitiam eorum respondendum est stultis, ut minacibus epistolis. Dicit enim scriptura. Rex qui sedet in solio suo dissipat omne malum intuitu suo. Certe si non quomodocunque eos coherces ab inlicitis, si impune eos abire permittis, abusionem eorum non comprimendo, tu ipse persicis. Sicut per quendam sapientem dicitur. Nam impune facere quæ libet id est regem esse. Post dominum o Cæsar tu es rex, tu imperator, tu rege, tu impera, trementi potestate, terror minarum redigat in nihilum confidentes in sua feritate.

DIVITIS IN MENSA, RESIDENS ÆQUALIA PENSA.

QUia frequenti persvasione, revertor ad causam Cæsaris domini mei, ne miretur venerabilis optimatum populus, quia ubi amor ibi oculus. De illo enim dicit scriptura. Ego ante te ambulabo, & superbos terræ humiliabo, hujus rei testis est ausonia *y)* nec non canusiæ *z)* colonia, velit, nolit, id ipsum affirmat saxonia *a)* Manifestum est igitur multis victoriarum signis, quia Deus it pro te, si sequeris eum o Cæsar non est abire. Scriptum est enim. Cum sederis ad mensam divitis, vide quæ apponuntur tibi, oportet te similia præparare. Dominus contrivit manibus suis tibi resistentes, & tu comprime tyrannos sanctas Domine ecclesias persequentes, forsitan dices. Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. Interim terre eos tonitruis epistolarum quoniam pene ad nihilum devenit dignitas ecclesiarum, assiduis tempestatibus rapinarum. Sed in his mortibus albensis ecclesia mortificatur præ omnibus, itaque terribiliter tona minacibus epistolis, vox tui tonitrui, erit aliqvantula salus tuis episcopis. Nam Deus aliquando tonat, & non grandinat. Si vero qvi tonitrua audierint in iniquitate sua permanserint, justo

q) Bonizellus) de quo sequentia habet *Ughelli Ital. Sacr. T. 2. p. 210.* „ S. Bonitrius, quem Bertholdus in „Chron. Bonizzem apellat. Hic cum libertatem Ecclesiasticam contra Heinricum, Cadolaumque Pseudo-Pontificem strenue propugnaret, de sutrina sede, unde primum Jus divinum dicebat, impio Imperatore jubente, „deturbatus est. Deinde cum plura ærumnosaque mutasset „exilia, perveniissetque Placentiam, ibi a Catholicis ejusdem civitatis est dictus Episcopus dimicansque cum impietate, ac factiosis schismaticis, primum est carcere „maceratus, postea truncatis membris atque exoculatus prope S. Domninum nobili est coronatus martyrio „sexto mense, quam Placentinam Ecclesiam cœperat „administrare, anno 1089. die 14. mens. Julii: ejus sacrum „corpus Cremonam delatum, ibidem exceptum tumulo „est, apud S. Laurentium, ubi hæc subjecta carmina inciduntur.

Nobile depositum tibi Clara Placentia gessit
Antistes Bonizzo, Christi pro nomine martyr,
Septima bis Julii hunc lux collegit in urna.

r) habye) Abios forsitan intelligit genus Scytarum Nomadicum, cum quibus *Tertullian. de Præscript. Hæret. c. 42.* Hæreticos Ecclesiarum extorres comparat.

s) Patariæ) Hæresis Paterinorum nota est, de qua videri potest Benizo Episcopus Sutrinus, in *Lamberti Biblioth. Vindob. l. 2.*

t) Kymera) legendum forte Chymera.

u) os vulvæ) videtur intelligere Matildis notissimam Papæ Gregorii VII. furtivis amoribus, cujus partibus illa constantissime adhæsit, *v. Lambert. Schafnab. ad an. 1077. p. 247.*

x) Canina) Rebellionem forte indigitat, qvæ vocula a littera R. Romanis canina dicta, incipit.

y) Ausonia) Italia, ab Ausone, Ulyssis & Calypsus filio, *Virgil. Æn. l. 4. v. 349.*

z) Canussiæ) Henricus Imperator fœdis qvidem conditionibus in arce Canussina absolutionem ab excommunicatione Gregorii VII. impetravit, *v. Leo Ostiens. l. 3. c. 49. Lamb. Schafn. ad ann. 1077. p. 248. sq.* Inde reversus Principes Italiæ frementes cernens, Imperii Majestatem tam indigne fuisse proculcatam, curam Reginimi denuo suscepit, pactis cum Pontifice, ipso ferme inspectante, renuncians, qvo facto, Italorum viam mitigavit. *v. Monachus Herveldens. ad an. 1077. Bruno p. 21.*

a) Saxonia) Bella Henrici cum Saxonibus abunde narrant *Autor vitæ Henrici, Poeta in hist. bell. Saxon. Bruno in hist. Bell. Sax. Lamb. Schafnaburg. Sigebertus Gemblacensis*, qvorum victor aliqvot vicibus extitit Imperator.

judicio super eos tonat, grandinat & fulgurat. Vade & tu Cæsar fac similiter. Intona super lupos rapaces, si se correxerint parce, quod si non jube quo super eos impleant sua officia parce. Dicit enim tibi scriptura. Dissipabit impios rex sapiens, & curvabit super eos fornicem. Completis vero o Cæsar supra dictis, bene præparasti ea quæ vidisti in mensa divitis. Vide ne dicat tibi Deus. Ego non peperci inimicis tuis, & tu indulges ecclesiarum lupis? Redde ergo vicem Christo, sicut bonus amicus amico.

CAP. VII.

CONSESSUS QUALIS SCALÆ, *b*) RETRIBUTIO TALIS.

SI exempli gratia, voluissem coram Cæsare domino meo præsentare totum mundum, a primo homine usqve ad ultimum, ut tanqvam in speculo, prospiceret, qvaliter fugientes de prœlio aut hostibus resistentes, ponderare debuisset, viderer minor capitis, qvia ipse sapientiæ habitat in abditis. Novit enim qvia intellectu distat homo a pecudibus & ideo scriptum est. Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus. Novit enim monstrante justitia, qvoniam aliter remunerande sunt virtutes qvam vitia. Novit enim qvod non in eadem lance ponendi sunt deficientes cum perseverantibus ideoqve voce magna clamat Spiritus sanctus. Ordinate in me caritatem, si qvantocius vultis venire ad universalis monarchiæ dignitatem. Si audeo dicere, fortasse in hoc solo peccatis, qvia caritatem non ordinatis. Scriptum est enim. Qui totam legem observaverit, offenderit autem in uno, factus est omnium reus. In ordine quidem caritatis est primus gradus, ut omnis creatura, diligat Deum sine mensura. In secundo gradu, amor proximi ordinatur, quia fraterna dilectio ad se ipsum mensuratur. Inimici vero ponuntur in ultimis scalis, ut eis non reddantur mala pro malis. Pensate tandem, cujus ordinis sit frater Benzo, qvi corpus & animam posuit pro vera fidelitate, & adhuc perseverat in eadem firmitate. Audite & intelligite, intellectus bonus, omnibus facientibus eum.

CAP. VIII.

IN GREGE SUBLIMIS, SUPEROS DISCERNAT AB IMIS.

NE videatur domino meo Cæsari, sermo meus inanis, aut vanus, qvia vbi dolor ibi manus. Volo eum non ignorare, qvod qvidam audent de illo submurmurare. Dicentes qvia in pontificum *c*) creatione, minime utitur speciali discretione. Cum deberet attendere, qvod ipse Deus vice sua, contulit ei ad superiores gradus ordinare homines, sicut ipse disponit supernorum civium ordines. Et qvia vicarius est Conditoris, non debet esse sine cotidiana sollicitudine suæ præpositionis. Nam de prælaturæ suæ reddenda ratione, non est ambiguum in ultima discussione. In tantam itaque sublimitatem divinitate propitia elevatus, & super omnes potestates, omniaqve jura regnorum exaltatus, jactet super dominum suos cogitatus, & in cunctis actionibus suis, habeat nutricem virtutum discretionem, reddens ei semper gloriam & honorem, qvi cum ad similitudinem sui, fecit in creaturis humanis, alterum creatorem.

CAP. VIIII.

SIT PAR MICIPSE *d*) RECTOR SI DE VIAT IPSE.

DICIUNT etjam submurmurantes, qvia est peccatum non ad mortem, de qvo orandum est, & est peccatum ad mortem, pro qvo orandum non est. De præsumptione vero utriusqve commissi, rogandus est, ut apperiat ille, qvi tenet claves magnæ abyssi. Assumpta igitur divinæ legis auctoritate, perscrutetur Cæsar qvid significent utraque. Nam illi ita sentiunt. Peccatum non ad mortem; est aliqvid non respuere, de commendandi antistitii precioso munere. Quibus ita possumus respondere. Multa fiunt contra legitimos usus, cogente necessitate. David enim pulsatus necessitate famis, commedit panes propositionis, qvod non licebat nisi sacerdotibus solis. Sed qvod necessitas pro remedio repperit, cessante necessitate, debet cessare id qvod urgebat, & legitimus usus in suo statu permaneat. Peccatum vero ad mortem dicunt fore, spurios ponere in pontificali honore. Qvod qvia divinæ atqve humanæ leges contradicunt, ideo non est orandum pro eo. Ad hec ita dicamus. Emendemus in melius, qvæ ignoranter peccavimus, ut ecclesia catholica in sua religione consistat, & non ira Dei sed gratia ejus super nos veniat. Propterea ista præmisi, qvia semper cupio videri frequens, in administratione herilis servicii.

Excusat, venditionem Præsulatuum, monet ne dentur spuriis.

CAP. X.

CUR CLAMOR NOSTER TE PULSSAT PERCIPE SOTHER. *e*)

QUoniam a singultu meo & suspiriis avertit benignas aures Cæsar dominus meus, clamor meus ad te veniat Deus. Adtende ergo cœlum qvæ loqvar, & audiat terra ex ore meo, quanta pertuli pro domino meo. Utinam omnes cognovissent, licet non omnes

Deum invocat.

b) *Scalæ*) i. e. in qvo gradu meritorum, seu bonorum operum qvis considerit, in eodem gradu præmia accipiet.

c) *Pontificum*) i. e. Episcoporum, qvi medio ævo sæpius sic vocati, uti apparet ex legibus *Wisigoth. Longobard. Capitul. Caroli M.* Heinrico autem vitio datum, qvod hominibus haud bene merentibus, aut pretio soluto Episcopatus contulerit, *Chron. Gozec. ad an. 1088. Fleurus hist. anecdote de Florence. p. 165.* cujus insimulationis falsitatem satis ostendunt *Benno in vita Greg. VII.* & *Helmold. l. 1. c. 32.*

d) *Micipse*) omnia miscens, a μίγνυμι, misceo; qvod Imperator in collatione beneficiorum Ecclesiæ omnia misceret.

e) *Sother*) Servator.

mala perfessa refers.

condescendissent. Tot enim tantasque herumpnas passus sum pro eo, ab ipsa sui puericia, quantas vix posset per annum colligere tulliana pericia. Ex præcepto quidem dominæ meæ augustæ, debellaturus heacum *f*) & radamanthum Romam veni, ut breviter dicam, eos expuli a barca *g*) petri. Regiones Romanæ urbis, fere omnes ad fidelitatem domini mei regis, sub sacramento collegavi, atqve cum illis intrepidus remansi, ex- A pectans adventum domini Kadali. *h*) Et ut credatis qvod ita se habet veritas rei, testis est dominus clemeus, *i*) tunc cancellarius, modo sancti petri vicarius. Et lunensis bernardus, eo tempore regis capellanus. Qualiter autem hec acta sunt, & quomodo confratres & coepiscopi me solum reliqverunt, *k*) & ad apostatas abierunt, & qvaliter eos revocavi de proelio fugitivos, & perie semivivos non parvi operis sequens libellus indicabit & per ordinem cuncta narrabit.

Pontifices sede dejecti.

CAP. XI

DAPSILIS. *l*) ESTO MIHI, DE TE QUI TALIA SCRIPSI, REGALIS PLANTE SOBOLES PRECEPTOR AMANDE.

incitat Imperatorem, ut dona distribuat,

QUis rogo imperatorum ita durus, ut non dedisset tam bene servienti, tantaqve de eo scribenti aliqvod munus? C

CAP. XII.

LIBER CUM REBUS MARO CUNCTIS ESTO DIEBUS, ET DE THESAURO JULII SIS DIVES IN AURO.

Exemplo Julii Cæsaris.

CErte pro duobus carminibus, a julio Cæsare *m*) est honoratus duplici honore virgilius. Apud reges seu Cæsares antiquos, sine mora sequebatur opus alicujus famulitii decentissima merces, multiplicis benefitii. Quem delectat talia cognoscere, hystorias regum dignetur revolvere. D

CAP. XIII.

QUI LACRIMANS ORAT REX HUNC ASVERUS HONORAT.

Abaveri.

AUdiat Cæsar dominus meus, qvid honoris ab asvero prqmeruit mardocheus.

CAP. XIIII.

DANIEL ORNATUR, QUAMVIS MALA VATICINATUR.

NAbuchodonus vero & balthasar torqve aurea danihelem ornaverunt, licet terribiles interprætationes ab eo didicerunt. Ut multis supersedeamus qvid otto tercius secerit audiamus. Accepta solutione de ratione uti & rationali.

CAP. XV.

LOGICA CUM VOLVIS, QVOD TU GERBERTE RESOLVIS. HINC ORBI TOTO, TE PRÆFERT TERTIUS OTTO.

GErberto *n*) resolutori, post ravennam placuit Romam dare donum, videlicet imperiale.

CAP. XVI

TRADO BONUM FATUM FACIUNT TE DONA BEATUM.

DE tadone vero, qvi propter metum ardoini *o*) pedester legatus marchionis teodaldi, atqve episcopi leonis, qvid fecit venerabilis clementia magni HEINRICI, serenissimi imperatoris? Certe uni filio ejus dedit verone episcopatum. Alteri comitatum, patri vero gardam & totum benacum. *p*) Sequatur ergo dominus meus Cæsar exempla illorum, qvia & hereditate & honoris dignitate est verus heres eorum. B

CAP. XVII.

FELIX CÆSAR ERIS PATRUM SI FACTA SEQUERIS.

TEmporibus consulum sive imperatorum, erat talis consvetudo militum Romanorum. Ut si qvis aliquando fortiter, seu sive aliqvid fecisset, multiplici beneficio ditatus, statuam in fore promeruisset. Sive esset pugnator, ut in populo rethoricus perorator, aut etjam imperialium legationum non inprovidus delator.

CAP. XVIII.

CANTANS CONSTANTER MOX FACTUS ES AUREUS ANSER.

NOn dico de hominibus tantum, nam anser meruit aureus fieri, qvia excitavit custodes capitolii. O felices illo tempore nati. nunc autem si pro Cæsare latro, adversus lar-

---

f) *Heacum*) Æacus & Radamanthus ab Ethnicis creditisunt inferorum judices; heic vero Autor indigitat sub illis nominibus Benedictum X. & Alexandrum II. Pontificia sede, jussu matris Henrici, Benzonis opera deturbatos v. *Lamb. Schafnab. & Bertoldus Constantiensis ad ann. 1058. sq. Otto Frising. l. 6. c. 34. Leo Ostiens. l. 3. c. 21. Dist. 23. c. 1. Platina de vitis Pont. Rom. n. 161. 163. p. 315.*

g) *barca*) i. e. navi Petri, sive sede Romana.

h) *Kadali*) aliis vocatur Chadelus, Cadolus, Cadolaus. Fuit Parmensis Episcopus, Honorii II. Titulo, ad Pontificatum, jubente Imperatoris matre, admotus, *Chron. Saxo & Albericus ad ann. 1063.* sed ab Alexandro II. mox dejectus.

i) *clemens*) nimirum Clemens III. ab Imperatore Henrico, Gregorio VII. oppositus, quem plerique ex Pontificum numero expungunt, cum quiete dignitate parta frui nunqram ipsi contigerit. *Bertoldus Constant. & Sigeb. Gemblac. ad ann. 1084. sq. Leo Ostiens. l. 3. c. 50.*

k) Otto Coloniensis enim, ad negotium componendum Romam missus, Hildebrandi artibus mox permotus est, ut deposito Cadolao, Anselmus Luccensis, Alexander II. vocatus, surrogaretur, *Lamb. Schafnab. ad ann. 1064.*

l) *dapsilis*) i. e. largus, munificus.

m) *Cæsare*) errat Benzo, dum cuivis notum, Virgilium Augusto Cæsari dona tulisse accepta.

n) *Gerberto*) Hic insigni doctrina præditus, Ottonem III. Imperatorem, & Robertum Franciæ Regem, aliosqve viros summi nominis liberalibus artibus instituit, unde primum Rhemensi, mox Ottonis III. beneficio Ravennatensi, & tandem Romanæ Ecclesiæ præfuit, Sylvestri II. nomine auctus, v. *Ditmar. l. 6. p. 399. Helgaldus in vita Roberti* ap. *du Chesne. Tom. 4. p. 63. Platina de vitis Pontif. n. 147. p. 303.*

o) *Ardoini*) Hic ab Italis in Regem electus, cum Clerum insolentius tractasset, adeo invisus esse cœpit, ut Henricus S. e Germania adversus ipsum evocatus, mox rerum potiretur; plura pete ex *Ditmaro Lib. 5. p. 350. Lib. 6. p. 377. Adelboldo in vita Henrici cap. 32. 36. sq. Sigon. de regno Ital. l. 7. p. 159.*

p) *benacum*) sortitan per Gardam tractum terrarum intelligit, quem Itali hodie *Lago di Garda* vicinum vocant; Benacum autem confinia *Bennæ* exiliano, qui locus in Pedemontio situs, Montisferrato propior est.

Vas

vas usqve ad raucitatem fauciũm, & si subeo pericula mille mortium, idem est mihi ac si semper tacuissem, aut attritus sub, sampsone suras semori imposuissem.

CAP. XVIIII.

INSTRUIT HIC MILES, QUOS CERNIT CORPORE VILES.

EGles samius, athleta mutus, multocies fortiter fecit, & nihil remunerationis accepit. Proinde tamen non se abstinuit, sed iteratis vicibus inter hostes victor emicuit. Depositis armis qvibus poterat nutibus expetebat meritum trophei. Senatus qvasi dissimulans responsum non dedit ei. Ille transfixus nimio dolore, muciendo, gruniendo prorupit in verba. O ingrati, in multis preliis, mea dextera confortati, in multis periculis, mea ope adjuti, cur invidetis laboribus militis muti? Exagitatus deniqve in pacientia extremi doloris, erupi in voces articulati sermonis. Senatus itaqve post plurimam beneficiorum largitionem, jussit ex metallo fabricari æquum & ascensorem, & collocari secus africanum sipionem. Dicta sunt autem hec de laborantium sudoribus ac de justis remuneratoribus.

CAP. XX.

CUM PUERI PANEM CANIS EST, REM CERNIS INANEM.

NUnc autem video multos, qvi non laboraverunt pro Cæsare saltim una hora, quos dominus meus extulit ad arces procerum sine ulla mora. Ve mihi qvia me post habuit, & oblivioni tradidit. Verum sicut ego semper cucurri, ad sui honoris ampliationem, ita deberet in corde suo retinere meæ mercedis debitam retributionem. Nam cum esset parvulus, cogitabat ut parvulus. saciebat ut parvulus. Modo vero factus vir, non revertatur amplius ad parvulitatem, sed ut vir fortis & sapiens, reddat bene meritis prout decet imperialem majestatem. Accepimus enim a Domino, non ab homine aliqvo. Merces operarii tui non moretur apud te usqve mane, ne sit quæso in cogitatione Cæsaris verbum istud transitorium aut inane.

PREFACIUNCULA LIBRI SECUNDI.

EGo vero frater Benzo, fatigatus dubia spe remunerandi laboris, erumpam sicut egles in voces articulati sermonis. Et narrabo coram omnibus partem misericordiarum quas mihi servo suo contulit dominus. Nam si capilli capitis forent lingvæ, nulla tenus valuissem cuncta singulatim exprimere.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

POst decessum igitur Papæ victoris, ordinatus est Kadalus parmensis episcopus, per ilianum regis HEINRICI filii, item HEINRICI imperatoris. Conlaudantibus tripertiti ordinis romanæ urbis primatibus, astipulantibus quoque diversarum provinciarum episcopis & optimatibus. Ex præcepto deniqve pueri regis atqve matris reginæ, accepere italiæ proceres, ducatum hujus viæ. Sed dene gata est eundi facultas, pluviis diluvialiter irruentibus gotefredo *q*) cum uxore qvoad poterant impedientibus Romani vero cognoscentes neoterici papæ tarditates, sicut sunt cerei, in vicium flecti ceperunt se dividere per diversas voluntates. Qvo cognito rex genitrixqve ejus per azolinum cubicularium, direxit clitellarios honustos præciosarum pellium donis, jussu qvoqve ac promissione magnæ remunerationis, mandavit ut fierem auctor hujus legationis, frater vero BENZO, inprimis aliqvantulum stupidus, eo qvod domi remanebat pingvium taurorum cuneus, muniens se signo crucis, erexit cor sursum videlicet ad Dominum & dixit. In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Pergens namque per mediam tusciam, honoravi, simulque honoravi comites amirandis muneribus, qvos feci consortes meis itineribus. Ipsi vero cum multis catervis bellantium deduxerunt me usqve ad sanctum Pancratium. Ibi fuit obvia Romanorum maxima multitudo, nullus eorum sine scuto. Ivimus per mediam trans tiberim usqve ad pontem, & ecce turba magna sicut lætantium suscipiunt me processionaliter cantantes novum canticum. Hi omnes ut papam me salutaverunt & cum diversis melodiis ad palacium octaviani assportaverunt. Ubi per singulos dies septimanæ peroravi causam pueri regis domini mei, & pene totam urbem ad fidelitatem ejus sub sacramento collegi. Asinandrellus autem, atqve prandellus, *r*) inter glandaricios glandaricii, non audebant apparere involuti spinoso tegmine sicut hericii.

Kadalo electo, Benzo Romam missus.

CAP. II.

INterea per singulas regiones congregantur conventicula sapientum, conferentium ad invicem, ut de honore legationis regiæ, cicius fiat qvod est faciendum. Itaqve tota nobilitas romanorum & cetus reipublicæ deduxerunt me ad qvoddam hypodromium, qvia ibi regiæ mandatelæ videbatur esse competens auditorium. Affuit ex altera parte hereticus ille lucensis immo lutulensis cum suis

Narrat, quæ cum Anselmo Lucensi, post Alexandro II. Pont. egerit.

q) *Gotofredo*) is fuit Matildæ, terrarum spatiosarum in Italia hæredis maritus, Dux Lotharingiæ inferioris, qvi 1076. absqve hærede est defunctus, & qvoad vixit, cum uxore, Romanis aliisqve, qvi jura Imperatoris in Pontifice ordinando convellere conabantur, accerrime tutatus est, qvod & hac occasione satis demonstravit, v. *Lamb. Schafnab. ad ann. 1077 in Pistorii & G. Tom. I. p. 418. & ad an. 1064. p. 332. Platina de vitis Pontif. p. 321.*

r) *Prandellus*) sub nomine *Prandelli* aut *Follebrandi*, qvorum sæpius fit mentio, Hildebrandum, assumta postea Gregorii VII. compellatione in sede Pontificia conspicuum, ironice intelligit Benzo. Hildebrandi autem in promovendo Alexandro II. operam satis describunt *Leo Ostiens. l. 3. c. 21. Gotfrid. Viterb. p. 340. Platina p. 319. 321.*

glandariciis. Cujus teterrima hymago erat similis spritibus horrificis. Ubi vero apparuit velut infernalis umbra, ejus formidabilis vultus, murmur multum fit in populo, oriturque perstrepens tumultus. Tandem post longum temporis spacium, qvievit fremitus murmurantium. Ego autem extensa manu, præcepi silentium, & monui ut ad verba mea essent intentæ aures audientium. Et factum est ita. Tum ego inqvam. Si qvicqvam sensus habes o anselme, s) puto recolis qvod dominus meus Imperator HEINRICUS, præfecit te lucensi æcclesiæ, & sicut mos est de omni suo honore fecisti sibi atqve filio ejus jus jurandum, & præsertim ad conservandum imperium romanum. Post decessum vero patris augusti domino meo HEINRICO filio ejus qvi nunc est rex, jurasti hanc eandem fidelitatem cur transgressor factus, prorupisti in hanc temeritatem, ut imperiali manu tibi commissam relinqueres æcclesiam lucanam, & invasor factus arriperes omnium æcclesiarum matrem romanam? Et hoc cum normannis, latronibus, & tyrannis, & hoc mediante pecunia. Nam prandellus sarabacta filius symonis tuusque trepezita, fuit interventor hujus mercati, inde apud Deum & homines, tu & ille estis ambo dampnati. Tu non ascendisti ad cathedram petri cum clericorum processione, sed cum homicidiis, cum sangvinis effusione. Nam richardus sangvineo ense accinctus, ea ipsa manu qva tres ex nobilibus romanis morti destinavit, hac eadem super cathedram te collocavit, & hoc totum factum est in nocte, non in die, ex qva re cognoscunt omnes, qvoniam filius perditionis es atqve vas iræ. O qvalis ascensio ad sedem petri, ad qvam te asportaverunt satelliles demonum, non senatus, non populus, non ordo cleri. Certe hoc non est ascendere, sed descendere. Merito ergo debes utramqve perdere, & illam qvam despiciendo reliqvisti, & hanc qvam sicut adulter usurpare voluisti. Nunc autem ex contraditione juris jurandi, qvod jurasti dominis meis scilicet patri & filio, contradico tibi lateranensis palatii stationem, simulqve romanæ cathedræ sessionem, & omnino tocius romuleæ urbis habitationem. Precipioqve tibi ex parte Domini mei, atqve similiter domini tui, quo sine dilatione, atqve remota occasione, a roma exeas, & ad lucam redeas, ibiqve datis induciis per unum mensem, postea ad dominum meum regem pergens, ex his quæ prædicta sunt te expurgasi poteris, alioqvin aut penitentiæ, aut canonicæ sententiæ subjacebis. Certe melius est tibi per canonicam medicinam in hoc seculo animæ tuæ subvenire, qvam cum diabolo, qvi te ad hanc transgressionem traxit æternaliter perire. His dictis, confestim clamor omnium tollitur ad æthera, perhibentium qvod testibus cælo & terra commissa sunt ab eo hec omnia scelera. Post hec omnes conticuere, iterumqve facto silentio facultatem respondendi ei dedere. At ille, scio inqvit & recolo, qvia de manu imperatoris HEINRICI, accepi præsulatus dignitatem, & propter conservandam fidelitatis curam, suscepi romanam præiaturam. Accepto consilio dirigam sibi meum legatum, qvi nuntiabit meæ voluntatis statum. Hæc dicens retorsit frenum, & popellus ejus secutus est eum. Tunc universus populus universaliter cepit clamare. Vade leprose, exi bavose, discede perose. Deus omnipotens contra cujus dispositionem agis, percutiat te egyptiacis plagis. Triumphantes deniqve remeavimus ad palatium octaviani ubi erat meum ospicium, diluculo reversuri ad inciA piendum de futuris concilium.

CAP. III.

MAne autem facto convenientibus nobis in unum residerunt singuli, secundum prælationes graduum. Primo loco sedit nicholaus, magister sacri palatii, oriundus de genere antiqvi trebatii. Vir factus ad ungvem, locuples innumerabilium thesaurorum adornatus preciosissimis gemmis phylosophorum. Deinde numenculator ad similitudinem nume pompilii divinus consiliator. Post hunc Saxo dehelpiza judex judicum, in cujus arB bitrio pendebat judicium publicum. Deinceps alii de ordine dignitatis senatoriæ, sicut series parentum tradidit memoriæ. Johannes Berardi, Petrus devia, Bulgamenes cum fratre, Berardus deciza, Gennarius, Cencius francolini, Bonifilius, & plures alii de generibus procerum, valde necessarii in consiliis nostrorum operum. Istis igitur coram me in subselliis residentibus, & diu multumque tacentibus. Ego inqvam albensis episcopus, qvi sum regius legatus, volo scire, qvid de perturbatione reipublicæ consulat romanus senatus. Multi qvidem nobiles & sapientes viri morantur in curia domini mei, qvi cicC ronicis amministrationibus valuissent sedare commotiones imperii. Non tamen placet domino meo regi aliqvem præferre vobis, in quorum manibus sunt lances judiciariæ discretionis. Agite itaqve ex præcepto domini mei vestrum mysterium, & consulite, ne deinceps talibus phantasiis fascinetur imperium.

CAP. IIII.

TUnc magister palacii nicholaus, candidissima redimitus mitra exorsus est ita; Gratias agamus patres conscripti, Domino & regi, qui nos dignatur conparticipes in gerenda cura publicæ rei, facit enim qvod se decet, dum unicuiqve suam justitiam præbet. Nos autem nolumus oberrare a recta via, sed in omnibus sibi obedientes, gradiemur post sua vestigia. Nam satis & supra docet nos liber pontificalis, quomodo fieri debeat ordinatio talis. Ideoqve ex clero & senatu,

s) *Anselme*) ita namque vocabatur Alexander II. patria Mediolanensis, & Episcopus Lucensis, antequam Pontificatu ornaretur.

ac populo, legatos misimus ad eum, ut cum his eligeret qvem vellet papam secundum dominum *t*). Qvod & factum est. Conlaudantibus igitur italiæ, alemanniæ, burgundiæ *u*) catholicis episcopis, regnorumqve optimatibus, electus est parmensis præsul venerabilis Kadalus. Qvo audito prandellus, diaboli membrum, novus antichristellus, habuit consilium cum leone, originaliter procedenti de judaica congregatione, simulqve cum cencio frajapane, atqve cum brachiuto iohanne. Cetera turba erat ex mendicis, solita victitare de reliqviarum cibis. Cum his tribus prædictus Sarabaita richardum petiit, qvem sub pecuniaria conditione romam advexit. Cujus ope creaverunt papam nostulanum contra totam christianitatem, & contra imperium romanum. Verum hoc sciat omnis homo ratione præditus, qvoniam qvi deserit proprium ordinem non habet letos exitus. Non est auditum a seculis seculorum, qvod ordinatio papæ esset in manibus monachorum, ne dum etjam in manibus normannorum. Pro pudor, a diebus romuli, a quo primum cepit romana curia, non evenit publicæ rei tam atrox injuria. Cur non concurritur ex omni parte tocius orbis, quo fiat citissima ultio de talibus morbis? Fastidium est de illis qvicqvam dicere, heri venerunt mendicantes & qvi essent habitu & opere demonstrantes. Nam eorum panniculi erant sine utraqve manica, in dextro latere pendebat cucurbita in sinistro manica, barbata vero genitalia nesciebant sarabara, & hodie coram elevato simulacro resonantibus tubis perstrepunt taratantara? Qvæ est ista rogo patres conscripti retrotensio? ut monachi qvi sunt homines mortui, superponantur vivis adiciantqve sua abusiva super cypriani duodecim abusivis? heu, heu, completum est in hac die, qvod in parabolis prædixit filius uxoris hurie. Per tria movetur terra, & qvartum qvod non potest sustinere. De tribus est unus leo judeus, alter aaselmus pharisæus, tercius falsa cuculla dohechidumeus. Qvartum normannus factus de plebe tyrannus. Si non fuerit hec radix peccati penitus extirpata, omnia mundi climata erunt in maxima perturbatione fietqve novissimus error pejor priore. Ergo si placet domino albensi episcopo, qvi est regius legatus, properent veredarii ex parte senatus, ut qvantocius veniat qvi est a domino electus & designatus. Qvid plura? Nuntii habierunt, qvæ audierant & viderant viva voce, hilari vultu nuntiaverunt, frater Benzo Dei gratia albensis episcopus, ex regia jussione præcursor ejus salutavit domnum præelectum his versibus;

CAP. V

SAlve surge veni, ceciderunt germina seni;
Fronte veni leta, veniat tecum logotheta. Ne timeas jumqvam, solidat Deus æqvoris undam; Ne dubites undæ, te credere petre secunde; Non est formido, cum te vocat orbis origo; Fluctibus in tantis, mare fit calcabile plantis; Porrigit ipse manum, satis est cui fidere sanum; Non te fraudabit, romæ sed in arce locabit; Principe cum petro, tantum ne respice retro; Recta perge via, dux est tibi sancta maria; Quæ proli caræ pro te deplorat amare; Ut vincas vincens, & sis de præsule princeps: Tunc memor esto mei, ut inima parte diei.

CAP. VI.

dimovet illos Benzo a Proposito.

REmansit inter eos frater Benzo, quasi in medio mari, semper timens improvisa tempestate turbari; Post habita supra dictorum nobilitate, non est dicere quot prothei commorentur in illa civitate. Sed frater Benzo factus alter aristeus, ligans eos verborum compedibus; stringebat vincula valde & multum, donec cogebantur reverti ad priorem vultum. Nunc pollicendo auri montes, nunc paradisi mellifluos fontes, aliquando consultans de republica cum majoribus quandoqve confortans populum utebatur rethoricis coloribus. Scriptum est enim; Quot milia capitum, tot milia studiorum, expedit qvo circa ut concionator proferat verba convenientia voluntatibus eorum, atqve ita dociles facti intentiqve ad audiendum, cum ipse vellet qviescere, invitabant eum magis magisqve ad loqvendum; Quasi pater erat universaliter carus, omnibus dulcis, nullis amarus.

CAP. VII.

Malphitani Præsulis epistola, de Normannorum invasione.

HIs diebus intimavit mihi hanc epistolam malphitanus pantaleus. Episcopo albensi & majoribus romæ, Pantaleon patricius salutem; Credo non esse ignotum latinis & grecis de concordia inter utrumqve principem, romanum quidem atqve constantinopolitanum, mediante romano apostolico. Nunc autem qvia de finibus orbis terræ venerunt normanni conturbantes fraternum foedus indivisibilis imperii, ad dedecus atque communem verecundiam ausi sunt nostra invadere, in medio nostrum contumaci præsumptione soliti erant romani aliis gentibus dominari & spolia nationum referre ad capitolium. E contrario qvi erant olim nostri servi, potestatem acceperunt super nos, & non tantum spolia sed regna auferunt nobis. Saltim rubore suffusi, evigilemus, nostrosque basileos ad vindictam excitemus. Sit ergo romani regis legatus, studiosus in hoc opere, & incitet Koropalates pueri domini sui ad expulsionem ignobilium. Nam & ego, hyschyron basileum, constantinum doclitium, continuis allegationibus fatigabo, ut impiger occurrat dilectissimo fratri HEINRICO, in ultionem servilis turpitudinis. Dominus Kadalus Domini Omnipotentis præco, & beati petri vicarius,

t) *Dominum*) nempe ex voluntate Imperatoris, a cujus confirmatione Pontificia electio tunc pendebat.

u) *burgundiæ*) Hinc patet, electionem Pontificiam isto tempore non a Cardinalibus, sed omnibus Episcopis præsentibus ex Italia, Germania & Regno Arelatensi fuisse peractam.

secundum consvetudinem præcessorum; fiat tuba ad convocationem amborum atqve liberationem patriæ.

CAP. VIII.

inimici se opponunt Kadalo advenienti

INterea plenius dolo sarabaita prandellus falsissimus atqve diabolicus monachellus, fidens non in Domino, sed in multitudine divitiarum, nobis nescientibus, comparavit hostilem copiam de nationibus gentium plurimarum, ut quandocumqve noster papa venisset, statim bellum in prima fronte habuisset. Magis volens vincere effuso mortalium sanguine, qvam sacrorum canonum glorioſissimo certamine. O Domine Jesu Christe videns qvid facit diabolus iste, cur non exerces judicium tuum, qvi dixisti; maledictus homo qvi ponit carnem brachium suum? Quis o Pater misericordiarium, & Deus tocius consolationis, ut in diebus malis mitiges nobis, donec fodiatur peccatoris fovea, & tunc apparebunt profunde cogitationes tuæ, & magnifica opera tua. Sit nomen tuum o Deus salutaris noster benedictum in secula.

CAP. VIIII.

Adventus Kadali.

DUm hec geruntur romæ, accepta dominus Kadalus capitolii legatione, commendans se Domino qvi humilia respicit, & alta a longe cognoscit, præ electis turmis de tota nobilitate parmensium movere præcepit exercitum. Gradiens igitur per ætruriam, asscivit suis agminibus decentissimam comitum curiam; Inter qvos fuit pepo, nepos farulfi ex filio, comes nobilissimus, regi & papæ indubitanter fidelissimus; Cæteri autem satis insignes & potentes, nullis viribus indigentes. Octavo denique Kalendas aprilis ingressus est sutrium homo Dei non tepidus sed virilis; Ubi occurrit ei frater Benzo cum senatoribus romanis, associatis sibi principibus galerianis. *x*) Omnia valde bona annuntiavi ei, quæ audierant aures & viderant oculi mei. De dolis vero prandelli nihil ei dixi, qvia hec omnia ignota erant mihi; Badaculus autem revolvens se tanqvam in laberinthi volubilitate, dicebat se velle recedere ab ea qvam male acceperat clavigeri dignitate. Id ipsum autem fautores ejus submurmurabant in plateis, ut fraus latuisset qvæ erat meis; Leo qvidem judeus synonica strophia plenus, volens occultare qvæ in nos moliebatur folleprand manichæus. Convocatis nostris proceribus dixit. Ne forte veniat super nos cælestis iræ indignatio, penitentia ducti, abrenuntiamus lucensi acatio. Non sit quæso amplius inter nos schisma, jungat nos fides quos unum facit Christi baptisma. Certi sumus de voluntate regis, per albensem episcopum regis silentiarium, nunc vero cum parmensi electo audivimus esse cancellarium. Cujus auctoritati contrastare, lex jubet esse capitale. Veniat ergo dominus electus, & sedeat in monte gaudii, cancellarius autem cum episcopo albensi descendat ad portam crescentii. Ubi communiter assistamus ei, & qvodcumqve præceperit nuntiabimus clero, senatui, atque universo cetui publicæ rei. Altera die similiter faciat. Tercia autem die processionaliter recipiemus dominum electum cum suis in urbem, secundum nostram consvetudinem: Judeus erat judaice loquebatur; nam illa die cum conducticia manu adest prandellus provocans nos ad bellum, qvod Domino volente versum est illis in flagellum. Visis enim nostris aqvilis, dedit terga multitudo illa innumerabilis. Fugiebat qvippe manum Dei qvam ad iram provocaverat cuculata insania scariothei. Quis scribat penna qvos sorbuit atra gehenna in aqvis & in terra? Sicut dixerunt numerantes mille fuerunt. Post tantam igitur pereuntium ruinam, *y*) sine ullo obstaculo intravit exercitus sancti petri cortinam, nam porticus erat ab incolis vacua. Imminens vero nox coegit nostros revisere castra. Incolumis denique rediit exercitus totus, exceptis de minoribus solis duobus. Orto autem sole, omnia luctus erat, nam qvisqve cadaver proximi hejulando qværebat. Sive pauperes, sive divites, hujus mestitiæ videbantur participes. Ea propter declinavimus ab urbe, ne forte amici & inimici communiter pulsati, inpacientia recentis doloris in nostram convertissent perniciem arma furoris. Dicebant autem; A diebus regis evandri, qvi fuit conditor romanæ arcis, non accidit nobis acerbitas hujusscemodi stragis. Per qvinqve ita dies sedit exercitus in eodem loco, donec aliqvantulum cessavit gemitus merentium extincto tristitiæ foco.

CAP. X.

HIs ita gestis ex consulto senatus Romani, *planis cianis dels* trasivimus tyberim ac portum flajani. Ibi fuerunt nobis obvii filii burelii, viri martifices ad pugnam novelli. Seqvaces eorum numero mille, audacia pares cornelio sylle. Post hec direximus iter ad tusculanum & nostro cœtui sociavimus junsuenculum nepotem alberici olim princeps ejusdem municipii. Deinceps universi comites circum circa subjiciunt se regendos domni Kadali apostolica virga. Subarce vero prenominata, erant ingentia prata. Ubi residentes in papilionibus delectabamus herbarum & florum svavissimis hodoribus. Cotidie autem coram domno electo disputabant seniores, qvomodo possent cuculati demonis allidere tergiversationes.

CAP. XI.

QUadam vero die venerunt ad nos iohannes berardi & petrus devia, dicentes asinelmum esse in agonia & loqui aliena quasi ebrium atqve morti propinqvare freqventi

Assist ex ecc sarmig dno, s hec fa luc

x) *galerianis*) Duces videtur intelligere, Galero velut Ducalis potestatis insigni decoratos, *v. Ceremoniale Roman. Lib. 2. p. 136.* Cardinalibus enim Sec. XIII. is demum concessus censetur, *ibid. l. 1. sect. 8. p. 99.*

y) *ruinam*) de strage illa *v. Leo Ostiensis in Chron. Casin. L. 3. c. 21.* qvam mutatis circumstantiis qvoqve refert *Lambert. Schafnab. ad ann. 1073.*

molestia febrium. Ideoqve præstolanda Dei misericordia qvoniam libitina invalit ejus præcordia. Nobis autem super hac re non parum dubitantibus intulit ista electus noster coram adstantibus. Sathanas mille formis insidiarum fucis transfigurat se in angelum lucis. Qvandoqve se induit mortuorum imaginibus & divinando falsa, separat seqvaces ab ecclesiæ luminibus. Ejus qvidem illusionibus non se credat populus catholicus. In Domino confido cor unuscujusqve nostrum dicat, & sicut fuerit voluntas in cælo sic fiat.

CAP. XII.

HAc eadem die, allatæ sunt ex bizancio regales litteræ. Portitores vero litterarum fuerunt tres missi, purpura induti, cum candore byssi. Clamides nimiæ viriditatis relucebant aureis signis, coccinei galeri videbantur sicut carbones ignis. Talaria nempe aurea & geminata, occeani margaritis, artificiosæ hornata. De qvibus nulla fuit dubitatio, qvo minus forent de basilei palacio. Illi vero de communi imperio, & de fraterna principum dilectione adinvicem, multa dixerunt, demum scedam in hæc verba domno hec lecto z) flexis genibus porrexerunt. Romano patriarche regia constitutione super universali æcclesia sublimato; Constantinus doditius *a*) Constantinopolis, Basileus *b*) salutem; Romana sapientia, a nostro greco fonte derivata, qvæ in primo ut secundo, ac tercio ottone bene floruit, instanti tempore ita defluxit, ut paciatur normannos consortes imperii. Iam enim sibi usurpant imperialia officia, ut in præsumptione lucani pseudo papæ. Ad hec corrigenda, per manum fidei tuæ volo firmare æternalis amicitiæ pactum, cum puero HEINRICO rege romano. Nam & ego romanus sum, & ita nos amabo romani, sub te communi patre sumus unum. Conligati vinculo indivisæ caritatis super hoc filium meum porphyro genitum dabo sibi obsidem, totumqve meum thesaurum, ut ex eo faciat qvod voluerit ad suos usus, suorumqve militum, qvatenus te prævio, sit nobis facultas ire usqve ad sepulchrum Domini, & expurgata spurcicia normannorum sive paganorum, refloreat christiana libertas ut in fine seculorum. Tu autem vir Dei heres beati petri claude sermones istos in pectore tuo & operare opera Dei. His auditis levavimus oculos ad cælum, & de suis sanctis operibus laudavimus Deum.

CAP. XIII.

FAma volans susurravit in auribus gotefredi, lætos exitus nostri trophei. Qui ut impius hostis pueri regis, patri & filio semper infidelis, animo consternatus vehementer doluit, & qvasi ad nostrum auxilium venire disposuit; Veniens autem ad pontem holbii & castrametatus est ibi. Per dolum igitur atqve simulationem, direxit domno Kadalo hujusmodi legationem. Cum sciat amicus noster domnus Kadalus, qvod per seniores canusiæ sit paparum ducatus, cur me abdicavit, neqve tamen cursum consumavit. Revertamur uterqve ad usum antiqvæ constitutionis, ita ut ille non auferat a me debitum consveti honoris, & ego ponam terminum sui laboris. Placuit sermo iste viris sapientibus utriusqve partis, & conjunguntur in pratis tusculanæ arcis. Nobis vero simul residentibus, sic incepit gotefredus; Non possumus revocare lucensem illum, a sua intentione, nisi usi fuerimus convenienti cavillatione, scilicet ut uterqve vestrum tam diu se abstineat ab hujus prælationis potentia, donec interrogetur deliberativa regis sententia. Et qvem rex cum matre augusta contente curia, abjudicaverit dignum cathedræ sessione, ille sedeat remota omni contradictione. Scitis enim omnes, a minimo usqve ad majorem, qvia dominus meus rex cum matre totaqve curia, non mutabit hujus rei tenorem. Et sic sopietur jurgium, atqve uterqve nostrum recuperabit jus suum. Ego viæ ducatum, & vos me ducente pertingetis ad apostolatum. Quod ut verius cretis, jure jurando firmabo certitudinem credulitatis. Data itaqve fide super evangelia Dei, qvodcumqve promisit creditum est ei. Confestim discessit a nobis, & ad lucam deduxit hominem perditionis. Nos autem spe revertendi, nostris lætificatis, & in pace dimissis, regredimur sepius memorando verba apocalypsis. Hæc dicit qvi habet rompheam, ex utraqve parte acutam, scio ubi habitas, & scio ubi est sedes sathanæ, & scio qvia tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Tandem redeuntes, recepit inclita parma, gaudens nos sua vicisse per arma.

CAP. XIIII.

IGitur de reditu nostro, multiplices in populo rumores fiebant, diversi diversa sentiebant; Quidam autem dicebant; Quis debet fidei ejus se committere, qvi voluit dominum suum Cæsarem interficere? Hujus rei causa per biennium est ejus neqvitia in carcere clausa. Alii vero dicebant, vinculo enim recentis sacramenti ligatus, evitabit maculam inmanis reatus. Ad hec alii, lupus mutat pilum & pili colorem, sed dum vivit pessimum non abicit morem. Unde oratius; *c*) Quo semel imbuta recens, servabit odorem testa diu. At pater noster Kadalus, contra hec murmura fortis & inpavidus, ei se commendabat, cujus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia svaviter. Sciens enim qvod victoria de cælo administratur, omnes suæ dicceesis sacerdotes ad celebrandam synodum cohortatur. In qvorum medio residens dixit; Confratres & filii benignissimi qvi confiditis meum in adjutorio altissimi, precor ut vestris orationibus me adjuvetis, qvi sub tanto

Contra rumores.

constans oratio Kadali.

z) *beleclo*) electo.

a) *Doclitius*) Constantinum Ducam intelligit, unde perspici potest, qvam misere nomina propria a Benzone sint corrupta.

b) *Basileus*) Imperator.

c) *Oratius*) Horatius.

pon-

pondere gementem videtis. Coactus deniqve patrum coëpiſcoporum ammonitione; & pueri regis domini mei matrisqve auguſtæ clementi juſſione, ad portandum hunc faſcem me inclinavi veſtrisqve ſupplicationibus fretus, quos ſemper amavi. Preſertim autem huic honeri, *d*) ideo me ſubjeci, ut removerem lapides offenſionis, de itinere domini mei futuri imperatoris. Quos proiciunt normanni impulſione gotefredi, ad dedecus regis atqve totius imperii. Quis ego ſum, qvem deſignarunt ad apicem ſummum? Non meis meritis ad hanc electionem veni, ſed ineffabili pietate omnipotentis Dei, qvi de animalibus infimis pharaonem edomuit, & infirma mundi ut confundant fortia eligere voluit. Quod ſibi placet de ſervo ſuo faciat, etiam ſi in mare cum iona ad devorandum me jaciat; ſit nomen ejus in ſecula benedictum, cujus effugere non valemus edictum. Vos autem fratres ſine intermiſſione orate, & impugnantes me, jejuniis atqve vigiliis expugnate. His dictis ſurrexerunt & ſacras lætanias effuſis lacrimis cantaverunt. Poſt harum expletionem, dedit albenſis epiſcopus hanc orationem; Omnipotens ſemper Deus, qvi de cælo ruentibus gehennam paraſti & achitofelis fatuum conſilium diſſipaſti, diſſipa conſpirationem annæ & cayphæ, & virtutem brachii tui ſuper electum tuum extende, per Extremum vero ſynodi complevit hymnos auguſtini & ambroſii.

votum Albenſis Epiſcopi.

CAP. XV.

Gotefredi conſilium.

Cælum non animum mutat qvi trans mare currit; Qvalis extitit gotefredus penes germanos, talem ſe exhibuit erga romanos. Poſtquam autem perturbavit noſtram liguriam, adgreſſus eſt ſubvertere regalem curiam. Et qvia ſuis inſidiis patrem neqvivit extingvere, filium quærit ad petram allidere. Itaqve peciit annan non primum, ſed agrippinum, & cum eo miſit manum in traditionis catinum; Anxius non ceſſans adicere peccata peccatis, cum prædicto anna *e*) rapuit puerum regem de gremio matris; flens & ejulans, remanſit ſicut umbra declinans mater auguſta, excuſſa qvemadmodum in deſerto locuſta. O Domine Jeſu Chriſte cui non placet hoc divortium, oſtende te fortem dividendo ſpolia fortium. Rapto deniqve puero rege de ſinu materno, ſine mora exeunt qvinqve furiæ de in feriori inferno, & intrantes in annam & gotfridan, inſtant eos vento ſuperbiæ, ut habiron & dathan. His furiis uterqve inflammatus deſpectis ceteris, arripiunt locum regalis prioratus, permittentes cum pueris puerum ludere, ſed hi ut arrepticii per regna non deſiſtebant furere. Qvicqvid ergo vectigalium ad jus publicum pertinebat, in ſuis ſitharciis *f*) totum annas reponebant. ſi forte deficiebat qviſpiam de principibus per inveſtituram regiæ manus porrigebat ipſe officii vicem ſuis participibus, & ita muniebat ſe opibus, & parentum qvibus ſe erigebat ſortitudine, adverſus inconſtantium fallacis fortunæ. Poſtqvam autem conſpirationem qvammente conceperant, foras efferunt & verbis & rebus ad italiam ſe contulit gotefredus, qvaſi ex juſſione regis ad regiam urbem alinelmum reportavit, normannos romam venire faciens, ſocios & amicos rei publicæ appellavit. Camerinam & ſpoletum invaſit, plures comitatus juxta mare tyrannice uſurpavit. Qvid plura? Per totam italiam quos valuit ad regis inimicitias incitavit. Normannis qvoqve perviſit inrumpere ſancti pauli munitionem, ad noſtrorum civium contritionem. Noſtri vero romani cognoſcentes intentionem gotefredi, adhibita militum cuſtodia, munierunt utrumqve opidum pauli & petri. Pre nimio enim hodio, qvod habebat in regem puerum, lapſus eſt in perjurium, obſtruens ei vias, ne poſſet attingere ad imperium, & ideo in eadem urbe voluit eſſe normannos, qvi cotidiano jurgio fatigarent romanos, qvatenus fatigati aſſiduis perturbationibus deſinant raciocinari de regis honoribus, enim vero in tantis periculis invocanda eſt Dei pietas, ut idignetur conterere qvicqvid in regem molitur hoſtilis impietas. Ergo dicamus omnes; Omnipotens ſemper Deus, in cujus manu ſunt omnium poteſtates, & omnia jura regnorum, erue puerum tuum HEINRICUM ab inſidiis inimicorum elevaqve eum ad imperium romanæ arcis, largiendo tempora ſalutis & pacis; Romani vero memores patrum, qvi non dubitaverunt mori pro libertate patriæ, definito conſilio ſtatuunt pugnare cum ſervis hydolatriæ. Communi igitur decreto, ad imperatricem legatos miſerunt, qvi feſtinantes, talia romæ ab eadem auguſta renuntiaverunt. Revertatur domnus electus ad ſedem ſuam, & ſecundum ſapientiam a Deo ſibi datam pertractet cauſam ſuam; ſi normanni cum ſuo hydolo, favente gotefredo *g*) adorant conſtantini eqvum *b*) domnus Kadalus cum romanis in hymnis & canticis ſpiritualibus honoret noſtros patronos paulum & petrum. Aſcendat itaqve in caſtellum creſcentii, & dominator exiſtens, defendat domno ſuo puero regi, & armis & orationibus culmen imperii. Et nos qvidem auxilii manum ad vos extendemus, qvoniam adhuc tales ex procerum grege nobiſcum habemus, qvorum natura nullo accidente poteſt viciari, ſicut nec aurum in plumbum

Colonienſis eripit Henricum Regem.

matri Auguſtæ.

omnes redeunt ad ſe rapiunt.

d) *honeri*) oneri.

e) *anna*) Ironice Anno Colonienſis cum Hanna Judæorum Pontifice Maximo comparatur; ceterum de iſto ſatiſſore Annonis, *v. Lamb. Schafnab. ad ann. 1062. Bruno. Hiſt. bell. Sax. in princ. Conrad. Urſperg. p. 231.*

f) *Sitharciis*) a σῖτος, frumentum, & ἀρκέω, ſufficio, pro ſaeculis enim, in qvibus cibaria recondita, accipiebatur, *v. S. Auguſtinus de cantico novo c. XI.* poſtea pro qvaris pera, vel arca hæc vox ſumta eſt, *v. Vita S. Gerulfi L. 2. c. 2.* Qvam ſolliciti autem tunc fuerint Colonienſis aliiqve, in loculis ſuis locupletandis, *v. Autor vitæ Henrici p. 381. & Alb. Stad. anno 1056.*

g) *gotefredo*) Gotefredum Loth. Ducem ironice ſagillat.

b) *equum*) id eſt, Imperatorem Græcum, Conſtantinum Ducam.

mutari,

mutari. Nam qvi regiam prolem prædam fecerunt, ex aliqva parte infames fuerunt. Vos autem viriliter agite & confortetur cor vestrum, qvia veniens aqvila fugabit hoestrum.

CAP. XVI.

Audientes autem hec Romani gavisi sunt valde, & notificaverunt ea parmæ, coram domno Kadalo electionis vasæ. Qvi præcingens se secundum verba augustæ redire disponit. Cornesredus autem in montibus & silvis insidias ponit, & ideo per aliqvod temporis spacium, est iter ejus remoratum. Accedentes autem multi, spiritualis gratiæ donis suffulti, susurratione placabili, stillabant hec in auribus domni Kadali. Pater sancte, vides qvia gotefredus perjurii reus, nititur te præcipitare in mortis abyssum, propterea domne salva temetipsum. Sede nobiscum ut anno solo, forsan deficiet insidiator iste cum suo dolo. Dicebat unus, alter & tercius, cepit plumbescere qvi erat ferreus. Dum divulgatur tarditas unius anni, invalescebant inde normanni. Qvod ut cognovit imperatrix domina mea, mandavit mihi thomum *b*) epistolæ in hec verba. Agnes Dei gratia imperatrix; Benzoni albenzi episcopo, salutem & omne bonum. Sicut fidelis & prudens, pro causa domni tui regis bene cucurristi in stadio, fortiter resistens nostro adversario. Sed qvia res nondum accepit finem, oportet te in agone perseverare secundum tuam perfectissimam fidem, roborando scilicet Domnum Kadalum qvi timet gotefredi juxta iter reversionis positum scandalum. Tu autem pergens cum eo, confortata cum sicut bonus signifer in die prelii, in veritate scias, qvia duplicabo super te qvinqve talenta sancti euangelii. Scio enim qvoniam ultra vires tuæ possibilitatis sunt ista quæ præcipio, tu tamen constanter age, eo qvod merces multæ retributionis erit tibi a me, & ab eo pro qvo dimicas filio. His auditis gaudio magno repletus, ducatum itineris arripio letus. Verum qvia beneplacitum est Domino in populo suo, qvi exaltat mansvetos in salutem, præstitit electo suo eundi virtutem. Intravit romam fortis & mansvetus, oravit in loco ubi reqviescit beatus petrus. De hinc ascendens in poliandrum *i*) adriani, ubi conveniunt per singulos gradus majores romani; Qvos salutavit paterno osculo, stanti deorsum benedixit populo. Qvibus dixit. Nullus mortalium fratres carissimi, anteqvam nasceretur cognovit de sua nativitate, nulli notum est de vitæ suæ longitudine, seu brevitate. Incerti sunt pene omnes de mortis affinitate. Ea propter dum vivimus. Domino vivamus. Si morimus Domino moriamur. Sive viventes, sive morientes Domini sumus, sine cujus nutu, nil agere possumus. Non est in nobis nostra via, qvia trahimur ad voluntatis ejus occulta judicia. Qvid de nobis fieri debeat ab æterno prædestinavit, nam & omnes potestates quæ fuerunt, sunt & erunt, per intervalla temporum ordinavit. Itaqve in eo ponamus spem nostram quia si ei non placuisset, non esset reditus meus ad romam. Pro reconciliatione igitur catholicæ fidei, pro defensione romani imperii, Deo propitio ad sanctum petrum & ad vos redii. Ergo simul stemus, qvia intra muros hostes habemus. De qvibus Deo volente facile triumphabimus, eo qvod victricia signa nostri certaminis, portabunt nostri apostoli sacris manibus. Scitis enim quia orantibus apostolis, ad nihilum devenit audacia symonis; simili modo expurgabunt hanc urbem ex fetore normannorum, & monstrabunt se principes & fautores romanorum. Tunc omnes qvasi ex uno ore dixerunt; Benedictus tu, & sermo oris tui, per qvem ædificabuntur novæ hyerusolymæ muri; Credimus enim qvia per hos *k*) tuum loqvitur Deus, ideoqve in cunctis qvæ jusseris oboediemus tibi. Deniqve ad multiplicandas vires nostræ fidei, facta est nutu Dei regressio albensis episcopi; Per cujus saluberrimum consilium, speramus nobis ad futurum divinæ pietatis auxilium; Qvi enim cælestia disponit & humana, septiformi gracia, suæ mentis replet archana. Tali igitur suffragante consiliario, fiducialiter possumus pugnare cum recenti symone petri & pauli adversario. O potens roma cujus caput olim tangebat parallela, nunc infimi omnium parant tibi plus qvam civilia bella. Ex una parte trinkynot & tancredus, ex altera annas & cornesredus in medio sarabaita *l*) cinedus; *m*) Judicet inter utramqve controversiam verus judex omnipotens Deus.

Romani se parates spondent.

CAP. XVII.

Prandellus autem cognoscens præter qvam sperarit aliter evenisse, per triduum in sua proseuca *n*) delituit, nulliqve mortalium se videndum exhibuit; Utrum deniqve sacrificaverit demonibus, aut cum hyanne & mambre daret operam magicis incantationibus, & si qvibusdam erat incertum, tamen id susurrabat omnis populus. Tandem apparuit in pallore defunctorum, dans testimonium se interfuisse contuberniis demoniorum. Accersitaqve sibi saventium contione, hac abusus est confabulatione; Qvid aliud dicam romanis, nisi ut sint romani? pro nihilo ducant qvod in angulo urbis se

Prandellus

Normannus Romæ

b) *thomum*) tomum ἀπὸ τέμνω, scindo, partem epistolæ sive brevem epistolam, ut mihi videtur.

i) *poliandrum*) molem Hadriani, hodie *Castello di Sant' Angelo*, qvod ibi primarii Civitatis viri conveniret.

k) *Dei*) os.

l) *Sarabaita*) monachorum genus, qvi nulla regula approbati, adhuc operibus servantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur, qvi interdum bini aut terni per urbes aut castella proprio arbitratu vivebant, *v. Isidorus l. 2. de Offic. Eccles. c. 17.* Exagitantur isti passim a Scriptoribus, *v. Petrus Damianus l. 5. Ep. 9.* ut alios taceamus.

m) *Cinædus*) Cinædus, qvi muliebria patitur, qvorum sæpius meminit *Catullus & Petronius.*

n) *proseuca*) προσευχὴ, locus precationis.

clauſerunt parmeniani. Dati ſunt qvippe in captionem dentium, ſolummodo noſtrorum clientium. Sed o vos normanni terra mariqve inſuperabiles, ad qvoscunqve caſus fortunæ infatigabiles qvod eſtis; precor eſtote, & qvid brennus rex ſenonum fecerit in italia mementote. Veniens autem duxit ſecum gallorum triginta milia, non eſt dicere, qvanta ſtupenda, qvantaqve operatus eſt mirabilia. Verum de multis aliqua dicamus, qvo ad informandos animos, veriſſimis exemplis ad ſimilitudinem parentum vos perducamus; Ad expugnandos eqvidem evandrum atqve aſcanium, a ſolo hedificavit *o*) nobiliſſimam urbem mediolanium; Et qvia excogitati operis videbatur longinqvus, condidit ſenogalliam, qvatenus ad excurſionem romanæ expugnationis fieret propinqvus; Temptavit autem hoc multis argumentis, ſive bellicis inſtrumentis ſeu pecuniæ oblectamentis, qvin etiam ſynonycis *p*) figmentis; Nam ſcalis appoſitis pene irrupit capitolium, ſed perſtrepente anſere repellitur ejus conatus, qvaſi qvod a vento proicitur folium. Rex autem potentiſſimus plurium regnorum gloria ſplendidiſſimus, diu multumqve laboravit pro ſolo nomine imperii, qvia inſaciabiliter erat cupidus appellari imperator publicæ rei. Vos vero qvi ſine ulla laſſitudine, gloriamini nobiſcum in conſtantino palatio, accingimini viriliter ad expulſionem parmenſium ut exaltemini ſuper univerſali latio. Sive gladiis, ſeu fuga evaneſcentibus parmenianis qvem de grege elegeritis, ſublimabo diademate conlaudantibus romanis. Novi enim homines; in qvam partem qvippe voluero poſſum detorqvere ſingulos ſingulari hobolo; *q*) Major vero pars teutonicorum ſegregata a matre & filio, communicant nobiſcum voluntate atqve conſilio. Propterea erigite cor ſurſum & venabulis! perſeqvimini, non hominem ſed urſum; Hiis furiis verboſæ dicacitatis inflammata phalanx normannorum exacuit adverſus parmenſium catervas, omnia genera telorum. Surgite ergo apoſtoli Jeſu Chriſti & exinanite, qvod evomit ſathanas perputidum hos *r*) ſui miniſtri. Vos igitur inclíti bellatores, inſuper & victores, diabolicæ conſpirationis, proicite eum de ſupercilio montuoſæ cogitationis, & ſicut præcipitaſtis ſymonem magum ab altitudine acxis qvem gyrat bohotes, *s*) ut convertite in carbonem, qvemadmodum zarohen & arſaxar converterunt ſymon chananeus & Judas zelotes, & tunc apparebunt qvid illi proſint ſomnia ſua. Tu autem Domine ſabaoth qvi judicas juſte & probas renes & corda videam precor ultionem ex eo, qvi eſt inferi porta.

contra Kadalum & Parmenſes

CAP. XVIII.

NOrmanni vero falſiſima pollicitatione æbrii diſcurrunt per plateas utpote freneti ci, grandiſſonis vocibus bellum bellum clamitant atqve ad congreſſionem pugnæ noſtros exagitant. Noſtri autem audito clamore, inflammati iracundia magna, protinus perſequuntur fugientium agmina, proſternuntqve ex eis qvosdam inculcantes alios uſqve ad montem cœlium, ubi inter utramqve aciem grave commiſſum eſt prælium. Multi qvidem eorum interierunt ut confoſſione armorum ſeu calcibus eqvorum. De noſtris deniqve pauci vulnerati, ceteri vero, ſatis & ſuper deportita victoria confortati. Vili ſunt autem ſancti apoſtoli in medio certamine cum albis labaris, compellentes normannos terga vertere cum aſſvetis cantaris; *t*) In hymnis igitur gratiarumqve confeſſionibus ſimul cum domno electo, ſatrapis bellantium circumſepto, ad eccleſiam beati petri pergit omnis populus; referens trinæ unitati gloriam, qui per apoſtolos ſuos pro libertate imperii pugnantibus conceſſit victoriam. At prandellus ſciens contra ventum regirare tegmen mantelli, deſperantibus normannis dixit, qvia varius eſt eventus belli, viciſſitudo eſt omnium rerum, nam & tempus variat qvalitates dierum. Aliqvando pluit, aliqvando reſtat, ſic fortuna alternatim ſua munia preſtat. Nolite filii Kariſſimi puſillanimes fieri, victor tandem extitit helias, licet fugiens dormierit ſub umbra juniperi; itaqve hiis adulationibus deliniti a conſvetis aſſaltibus qvieverunt, & integro menſe quaſi ſomniculoſi ſiluerunt. Poſtea vero reſumpto ſpiritu curſores eorum ad belligerandum noſtros provocant, ſed ſine mora revertentes dorſa demonſtrant, facta ſunt autem adverſum noſtros hæc irritamenta, qvaſi ex affectu deludentium tranſcurſo ſpatio duorum menſium. Interim dum ſarabaita, ſemper cogitans mala infinita, dicit ſe a bellicis tumultibus quiſcere velle, qvaſi lupus latens ſub ovina pelle. Domnus noſter Kadalus ſciens qvia non eſt, ſecuritas vicino ſerpente dormire, vicinarum urbium comites mandat ad ſe venire, ut cum eis peragat curam præſentis negotii, qvi ſecundum conſvetudinem progenitorum debent eſſe, & laboris dignegve remunerationis ſocii; Venientes autem veniunt cum exultatione, & promittunt ea facere unde reportent manipulos, ex bona videlicet retributione. Qvid vero eſſent facturi cum romanis atqve parmenſibus ſecreniſſime diſpoſuerunt, reditumq; ad propria ſimulaverunt. Qvadam deniqve nocte reverſi, poſuerunt ſe in inſidiis ad locum qvi dicitur opus praxitelis ſurgente vero ante diem phoſphoro, adeſt noſter exercitus previis apoſtolis cum auricio & carpophoro. Bombis igitur tubarum

o) *hedificavit*) ædificavit.

p) *Synonycis*) proditoriis; Sinon enim proditor fuit in exercitu Græcorum, *Virgil. Æn. Lib. 2.*

q) *bobolo*) obulo.

r) *bos*) os.

s) *bohotes*) bootes, Arctophylax qvoqve dictus, Cyllos urſæ: boreale ſidus, *Cicero de natura Deor. L. 2. cap. 42.*

t) *cantaris*) aqvæ vel vini receptaculis, ubi Benzo ſugillat Normannos, qvi potum nbivis circumvehere ſecum ſuerant aſſveti.

ſtrido-

ſtridoribusqve ictuum contremuit totum laterancnſe tugurium. Normanni vero excitati currunt ad arma parvi curantes qvod cornicat parma. Dicebant enim; Cito videbitur qvid valent normanni fortes in bello, trucesqve tyranni. Brandellus autem non inmemor ſuæ artis, collegerat multos in adjutorium ſuæ partis; Enimvero noſtri circa hec loca diu perſtiterunt, & neminem exeuntem viderunt, lentoqve greſſu reverſionem conari ceperunt. At illi a longe inſeqvebantur eos clamoribus compreſſis veſtigiis in modum teſtudinis tardioribus. Aliqvando vero noſtri vertebant facies ad illos, ſtantes ut ferrei muri, qvia per Dei voluntatem ipſi ſciebant qvid eſſent facturi. Stantibus autem noſtris, normanni ſtabant, noſtris ambulantibus illi valde procul qvaſi ambulabant, & ita nolendo, volendo, neſcientes deducti ſunt ad inſidiarum locum. Conſeſtim noſtri de latibulis exeunt, *u*) & ſupra, ſupra vocibus & tubis perſtrepunt. Repentino deniqve motu normanni perterriti, dubii de ſpe vitæ, clamant ad invicem, ferite, ferite. Ab ultrisqve concurritur & obvius ab obvio percutitur. In prima qvidem belli vertigine utrobiqve pluribus proſtratis, reſonat fragor ruptis haſtis. Deinde ſtrictis mucronibus alternatim galeas concuciunt, ac de duricia ferri, ſintillas ignis excuciunt. Non erat normannis ulla ſpes fugæ, reſummebant ſpiritum viſo ſanguine ſicut ſanguiſugæ. Iterum a noſtris reqviruntur, vulnerantur, proſternuntur. Ad extremum collecti in angulo, petunt pietatis dextras, & ſub jure jurando pollicentur noſtras relinqvere terras. Noſtri vero romani miſerantes alios romanos, qvi cum normannis venerunt, datis obſidibus ab exercitu noſtro hoc impetraverunt. Collectis ergo ſpoliis, triumphantes remearunt, elevatisqve vexillis kyrie leyſon decantantes domnum noſtrum Kadalum ſalutarunt. Tota roma cum diverſis cantilenis prorumpit in laudem Dei, & cum domno electo procedit ad templum beati petri. Ibi cum lacrimis jubilant Deo, percuciendo pectora, qvi per apoſtolos ſuos coram ſervis ſuis, de theſauro ſuo profert mirabilia nova poſt vetera. Cathedra præparatur, æccleſiæ præ foribus & ſedit domnus Kadalus Dei deſignatione apoſtolicus: In gradibus vero ſtetit exercitus & populus evangelice autem loqvens, dixit numenclatori: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a noviſſimis uſqve ad primos, qvos merito debemus vocare reipublicæ amicos. Honorandi ſunt enim glorioſæ retributionis commu-

pluribus beneficiis, qvibus divina protectione datum eſt de mortis evaſiſſe periculis. Larga eſt manus Dei, plena eſt arca beati petri; lætificentur ergo triumphatores noſtri non ſolum gloria & honore, verum etiam gazarum recompenſatione, ut ſint ſpectaculum poſteris. Nam ſeqvax poſteritas ſperabit recipere talia, ſi per exempla iſtorum gradiens, fecerit magna magnalia. Igitur & equis, & mulis, loricis & palliis, maſtrugis *x*) renonibus *y*) advectis de galliis, aureis nummis, argenteis cuppis *z*) anaphis *a*) qvoqve lancibus multis, dotatur ſplendide victrix milicia, urbs tota plaudit pro tanta lætitia. Decretum eſt poſt hec ex conſulto ſenatus, ut per vices cuſtodirent urbem ex contiguis civitatibus ſufficiens comitatus. Eſſet procul dubio litigandi finis, ni inſtigaſſet langvidum animum ſarabaitæ legataria gotefredi infernalis herinis. *b*). Prandellus autem triſtis usqve ad mortem, pro inſtanti ſuorum contricione volens eos prout ſolitus erat permulcere mythologica perſvaſione, pecit ut ſtarent adhuc ſaltim menſtrua remoratione. Cui reſpondentes dixerunt. Qvomodo valemus eſſe vobiſcum qvibus adverſatur, qvi pugno claudit habyſſum? Non eſt igitur mirum ſi fugimus, qvia minimæ eſt noſtra conluctatio cum hominibus, & enim manus Domini eſt cum ſuis ſanctis, neqvaqvam cum complicibus veſtræ partis. Durum eſt itaqve contra ſtimulum calcitrare, videte qvid agatis, non poſſumus vobiſcum amplius ſtare. Ibibus, ibimus, certum eſt ſi vobiſcum ſtamus, qvoniam peribimus. Illis autem ab invicem ſeparatis, convenerunt in unum genimina *c*) viperinæ ferocitatis. Gotefredus ſcilicet atqve ſarabaita, qvorum ſpiritus erat unus cum aman agagita; atrahuntqve alios normannos, qvi foris ſtantes non permittant feriare romanos, ſepiſſime venientes ad portam happii *d*) minantur obſidionem, & ut vi, ut fraude ſancti pauli invadere munitionem. Talibus vanitatum vanitatibus noſtri romani vehementer irati, ajunt domino electo. Qvomodo poſſimus tanta ferre, regio ſolamine deſolati? & qvia communis eſt honor, communis eſt dolor, communiter rogamus domnum albenſem epiſcopum, ut ſcribat hec regi, atqve univerſo collegio pontificum ceterorumqve principum, qvatenus de communi dedecore, ſeviat communis dolor, in eorum communiter pectore. Et ſi amant præeſſe, ſtudeant & prodeſſe. Frater vero Benzo, annuens romanorum precatui, ſcripſit ſequentia verba regi, ſuoq; ſenatui.

Gotefredus & Normanni Romanos laceſſunt.

qui rogant Penzonem, ut Regi hæc referat.

u) *exeunt*) multus eſt Benzo in deſcribendis hiſce turbis, qvas nullus Autorum accuarte ob oculos poſuit, levi enim penicillo ſaltim iſtas adumbrarunt *Leo Oſtienſ. lib. 3. c. 21. Lamb. Schafn. & Albericus ann. 1063. Otto Friſing. l. 6. c. 34.*

x) *maſtrugis*) ſeu *maſtrucis*, pelliceis veſtibus populorum Septentrionalium, *v. Barth. ad Claudian. p 56.*

y) *renonibus*) potius Rhenonibus, veſte ex pellibus confecta, qvæ humeros & latera tangebat, *v. Cæſar de bell. Gall. l. 6. Iſidor. l. 19. c. 23.* a voce *Rheen* Rangiferis, animali Svecis & Lapponibus notiſſimo, *v. Loccen. antiqv. Svec. l. 2. c. 20.*

z) *cuppis argenteis*) id eſt vaſis ex argento, vino condendo paratis, *v. Leon. Oſtienſ. l. 3. c. 57.*

a) *anaphis*) anapus, Hanapus, ſive vas, patera, calix, ex antiqvo Saxonum vocabulo *Hnæp. v. Hartulphus l. 2. c. 10. Chron. Fontanellenſe l. 2. c. 16.*

b) *herinis*) Erinnys, furia.

c) *genimina*) genita a viperis.

d) *happii*) Appii i. e. porta Appia Romæ.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAP. I.

MS. *famulam* ROMÆ SUO REGI FAMULAMEN CORDE FIDELI.

Epistola Benzonis ad Regem; & jeiunatur, ut ferunt concordes auxilia contra Normannos & Antipapam.

HOnus *e*) ruentis imperii. Vę qvi dicitis malum bonum, & bonum malum potentes tenebras lucem, & lucem tenebras estimatis. Vę qvi sapientes estis in oculis vestris & coram vobismetipsis prudentes; Non attendentes ad petram unde præcisi estis, neqve cujus beneficio estis qvod estis. Propterea rectores imperii; audite verbum Domini; Petrus & Paulus christianæ miliciæ antesignani, dimicantes adversus simulacra quæ coluere pagni, unus cruce alter ense adepti sunt arcem imperii romani, qvod vice secundum placitum alterna, qvando grecis, qvando gallis, qvando longobardis contulerunt, ad ultimum sorte perpetua possidendum teutonicis tradiderunt: Qvi usqve ad cælum pertingentes ex huberantia *f*) apostolicæ gratiæ, per plurima tempora potiti sunt splendidissimo obrizo *g*) calabriæ. Obtulit ultrò suum apulia; nec videbatur sibi injuria. Qvicqvid habebat dives liguria, his effundebat absqve pencuria; Quid plura? præpotens rerum magna italia gaudebat fore hiis tributaria sed o dolor dum profanis odiis inter se decertant, dum matrem a filio separant in horrendis hujusce præliis, perdiderunt unum ex apostolis. Normanni enim qvi melius dicuntur hulliimanni fetidissima scilicet stercora mundi, castrum sancti pauli, altera pars imperii, aspirant sibi subicere *b*) non jam tyrannice, sed qvasi hereditarie, & cito perventuri in capitolium, qvod erit svevis in æternum obprobrium: Jam enim obsident portam appii, Nonne appius indixit bellum cartaginiensibus? & ejus porta cingitur ab humanis stercoribus; vobis vobis ò teutonici romanorum defensoribus. O boni defensores cur non accuritis paulo, qvem servi servorum præcipitare conantur de duodecimo throno? fortasse accurrere putatis, dum hydolum moloch qvod normanni conflaverunt refirmare festinatis; O barones in matris & filii discordia, non ad reparanda rei publicæ primordia, qvis sensus, qvis animus vobis erit, cum infimi mortalium assumunt in proprios usus, aurum, gemmas & pallia, qve hactenus devotis manibus ministravit vobis italia? Certe doclitius constantinus, præcessorum suorum superlativus, disposuerat, jam ante pedes effundere domini mei, qvicqvid gazarum, congesserunt bizanzeni reges ab inicio seculi, papa Kadalo; & pantaleo patricio, mediantibus cælo & terra super hac concordia exultantibus; Verum audiens qvia dejectum rehedificastis sculptille, *i*) qvod nullimanni *k*) titularunt in apostolico culmine, consternatus animo, invocat contra vos cælum & terram; retrahitqve qvam putabat vobiscum jungere dextram; Deputat imbecillitatis, impotentiæ, qvia non respondetis, sed potius favetis eorum insipientiæ; saltim debueratis moveri ni essetis lignei, qvod ea nocte qva proprium hydolum in horchestra *l*) apostoli statuerunt, aureos cancellos lateranensis palacii, ad dedecus pueri, qvem vos senes portatis, ensibus ferierunt; Ut ictus illi essent testes, qvod normanni, licet contra Deum, licet contra ordinem catholicum tamen creaverunt fantasticum apostolicum. Insuper ex donariis quæ obtulit imperator constantinus monomachus sanctæ romanæ æccleſiæ, precioſiora ſibi abraſerunt ad ignominiam imperialis contumeliæ. Neqve enim giezite, *m*) illi, ſtatuam conflatilem aliter voluiſſent erigere, ne prius conducerentur infinita ſumma pecuniæ. Et hoc laudatis? & ratum fore judicatis? O peſſima alienatio mentis in ſacerdotibus Dei omnipotentis; Certe ſi etjam angelus de cælo, voluiſſet hoc vobis perſvadere, pocius deberetis eum anathemate ferire, qvam huic errori deſervire; Reverimini ergo ad unum patres conſcripti, patris æterni benedicti, ſuccurrite paulo intercepto a latronibus mendicis & balatronibus; *n*) Neqve enim frater petrus erit in lætitia, donec paulum ſenſerit in triſtitia; Igitur o gemme romani palacii, o gloria imperantis lacii, expurgate per manus papæ Kadali hoc putribile fermentum, qvia ſic poteſtis illum fere noſtrum baſilcum doclitium, adducere ad communem conventum.

CAP. II.

DOmno Alberto, *o*) Bremenſi archiepiſcopo frater Benzo, domus domini ſtans in porta, ſurſum corda, vę romæ ab ſcandalis, nemo eſt qui pugnat pro apoſtolis, cur appetimus nomina paſtorum, ſi ſeqvi refugimus veſtigia apoſtolorum? Certe ipſi bellatores incliti, portantes cæleſtis hominis hymaginem, *p*) reſtiterunt antichriſtis usqve ad ſangvinem. In ipſa deniqve novella plantatione chriſtiani nominis, nonne petrus radicitus evulſit phantasmata ſymonis? ſi bene transacta recolimus, idem fecit ſilveſter, & leo, & gregorius; *q*) Qvis modo mutum ſonat, contra hydolum qvod normanni ſtercora mundi ſtatuerunt in ſede apoſtolica? Nemo eſt qvi vicem petri immo Dei doleat: De domino noſtro rege, ad cujus injuriam

Epistola ad Alb. tum Ep. Leodiensis

e) *bonus*) neſcio, an *onus*, an potius *bonos* hic legi debeat, ultimum tamen videtur verosimilius.

f) *huberantia*) uberantia, ubertate.

g) *obrizo*) auro purgato, ſive ad *obruſſam* examinato per ignem, *v. Anaſtaſ. in vitis Pontif. p. 119. ſq.*

b) *ſubicere*) ſubjicere.

i) *ſculptile*) quem tanqvam ſculptum quoddam idolum rexedificaſtis ſive, denuo in ſolium erexiſtis.

k) *Nullimanni*) ironice pro *Normanni*.

l) *horchestra*) orcheſtra.

m) *giezite*) gazitæ, qvi theſauros ſive gazas colligunt.

n) *balatronibus*) hominibus nihili, *v. Varron. de re ruſtica l. 2. c. 5. Horat. l. 1. Sat. 2. v. 2.*

o) *Alberto*) Is gratia Imperatoris tunc pollens, omnia pro lubitu adminiſtrabat, *Lamb. Schafnab. anno 1065. Bruno hiſt. belli Sax. p. 175.* aliiqve paſſim.

p) *hymaginem*) imaginem.

q) *Gregorius*) nempe Gregorius I. *v. Platina de vit. Pontif. p. 156.* Sylveſter I, *v. eundem p. 81. ſq.* ac Leo II. *ibidem p. 186. conf. Anaſtas. de vit. Pontif.*

hoc

hoc presumptum est nulla mentio qvia puer est; Pocius rident qvidam sub oculo, sed ve ridentibus. Ubi sunt colonienses herimanni? *r*) Ubi sunt sancti patres peregrinnii? monierantes frena romani imperii. Ubi sunt haribones *s*) maguntini? Ubi sunt illi & illi, qvos non recolit memoria stili? tu solus peregrinus es in hierosolyma, qvi debes opponi murus pro domo israel. Cernis o pater, qvia ruit mundus, periclitatur ecclesia, ante tempus finiuntur secula. Qui succurrere perituro potest, dum non succurrit occidit; succurre ergo perenti mundo; succurri universali ecclesiæ, sub ultimo gementi discrimine. Succurre domino nostro regi, suggere vires ei, ut conterat audaciam normannorum, qvo romana ecclesia resumat statum ut in fine seculorum.

CAP. III.

DOmno Alberto, Bremensi archiepiscopo frater Benzo. Evangelium æternum, qvia verba mea videntur vobis deliramentum, & veluti mythologiarum risibile figmentum detreveram indicem hori *t*) imponere, ut immunis persisterem ab omni legationis honere; *u*) Verum de specu propositi silentii, evulsit me transmarinus ille constantinus doctitius, super communi re publica auriga peretissimus; Per manum enim malfitani patricii, direxit domno Kadalo, & mihi rescriptum pytacii, *w*) in hec verba. Domno Kadalo sancti petri electo, & benzoni albensii episcopo, salutem; Vos qvi estis portitores pueri regis domni vestri HEINRICI, agite cum ceteris fidelibus teutonicis, & latinis, ut veniat idem domnus vester rex cum centum milibus in apuliam atqve calabriam, & faciat urbes contra urbes, & castella contra castella, impleatqve ea militibus qvibus erit ex nostra parte per viginti annos indeficiens cibus; In malfitano enim mari eodem momento occurrent vobis centum naves, unaquæque suffulta centum remis in qvibus erit inestimabilis alimonia hominibus & equis; Insuper tanta habundabunt pecunia, in auro, argento & palliis, quantam vix posiet comparare italia, cum suis nummulariis; Ut experiatur italia, qvia tales sumus in facto, qvales in verbo. Nunc vero o pater sancte, ut vestra ope, vestro consilio, vestraqve prudentia, humi prostratum iterum tangat cælum, imperium romanum, non sit vobis ante lucem surgere vanum; Videtis enim qvia vestris temporibus ipse rex gloriæ disponit oleo letitiæ puerum suum HEINRICUM pre consortibus ungere; Utinam non essetis nati, si ad hoc recipiendum non estis parati; Vivit domnus qvia si divæ memoriæ dominum meum HEINRICUM imperatorem, talis percelleret nuntius, ad id peragendum foret citissimus. O felices & plus qvam felices, qvibus tanta promittuntur, qvanta post salomonem, nullum legimus promeruisse imperatorem; Laqvearia enim & pavimenta ecclesiarum vaicbitis auro purissimo sternere, & ad suscipiendum tardi, vultis cum satuis stertere? Vigilate itaqve cum prudentibus & letis ulnis accipite, qvæ domnus præparat se diligentibus.

CAP. IIII.

ad eundem epistola Benzonis;

DOmno archiepiscopo Alberto, aliis atqve aliis, asteriseo, & obelo, frater Benzo, propheticum librum, intus & foris scriptum. Num celare potero domno meo, ciconias, qvas pleriqve nostrorum faciunt post tergum regalium bajulorum videlicet archiepiscoporum? Discensio itaqve facta est in turba propter vos, eo qvod aliter cantatis *de cantu Litaniæ.* qvam nos; In extremis autem precibus solemus universaliter dicere. Ab omni malo libera nos domine; Vos autem nos exlusistis, *x*) quia aliter & singulariter, & seorsum dicitis; Ab omni bono libera nos Domine. Ab arce imperii libera nos Domine. Ab apulia & calabria libera nos Domine. A beneventto & capua libera nos Domine. A salerno & malfia, libera nos Domine. A neapoli & gerentia, libera nos Domine. A felice sicilia, libera nos Domine. A corsica & sardinia, libera nos Domine. Qvid plura? Diligo Dominum meum, perscrutetur medulliter hoc secretum, sciat, videat, recogitet, intelligat, & ungulas dividat, fidelis sum, fideliter loqvor, qvi putat me loqvi facecias, manducet senecias. *y*)

CAP. V.

suadet, ut Henricus cum divitiis cito adsit.

DIvo HEINRICO, Regi Romanorum certissime spei, Albensis Benzo, caput gorgonis, cum salute mentis & corporis. Tu es qvi venturus es an alium expectamus? Si vis venire, oportet herarium *z*) summo tenus auro palliisqve farcire, ut habeas unde pluas super justos & injustos cum quibus adquiras romanos & æternos triumphos, quæ facile compleveris, si tantum sententias tui fidelis mente conceperis, quas si nescis interroga in habela.

CAP. VI.

comperat Regem cum Ottone III.

DIvo HEINRICO, Regi serenissimo, Albensis Benzo, Cotidie manducans panem

---

r) *Hermanni*) Hermannus Colonienſis, præcipua Arnulphi Imperatoris autoritate pollens, v. *Flodoard. dut Hist. Rhem. l. 4. c. 1. p. 594. Henschenius in vita S. Anscharii, T. I. Act. Sanct. Febr. ſ. 20. p. 407.*

s) *haribones*) de utroqve Arribone Moguntino, & Pilgrino Colonienſi, qvem Peregrinnii vocat Benzo, v. *Wippo de vita Conradi Salici p. 462. Chron. Mind. p. 828. & 832.*

t) *hori*) ori.

u) *honere*) onere.

w) *pytacii*) pittacii, brevis epiſtolæ, qvam vocem origine græcam, uſu Romanam dicit *Caſaubonus.*

x) *exluſiſtis*) irriſiſtis.

y) *Senecias*) varie hæc vox explicatur, ſignantius autem videntur *manducantes ſenecias appellari*, qvi Græcis φαγεδαίνες, cum ſecundum *Papiam* ſeneciæ ſint herbæ cito in vere exarescentes, quæ per macerias naſcuntur, alias dicuntur *Erigerum.*

z) *herarium*) ærarium.

doloris. Spiritum tercii ottonis, & utinam spiritum tercii ottonis. Cognovimus docente fortuna, qvia vestra & illius puericia non est altera sed una, fuit enim ille raptus ab ubere matris, *a*) & vos bibistis calicem ejusdem acerbitatis. Abusi sunt deniqve papiani, contra eum pseudo pastore, vobis autem id ipsum contigit sed diverso tenore Romulei qvidem statuerunt eo nolente qvendam symoniacum, *b*) & vobis opponitur normannorum simulacrum. Ulterqve vero degustavit cum amaritudine qvædam alia, de qvibus modo non est dicendum per singula. A la. Verum legifer otto, omni genere legis injuriam suam ultus est. Nam eo sedente pro tribunali, & cælum desuper ingemuit, & omnis terra tremuit; Neqve enim solis viribus sed magis subtilitate ingenii, reparavit monarchiam tocius imperii; Oportet itaqve vos exqvirere artes triumphatoris, & hæc omnia adjicientur vobis.

CAP. VII.

HArum portitor litterarum noster legatus, presentavit se bremensi archiepisco, & B sicut a nobis acceperat, apperuit illi qvare venerat. Archiepiscopus autem convocatis pauci*Albertus Bremensis consultate cum Procerib.*cis de procerum grege, introduxit romanum legatum coram domno nostro rege. At illi non surda aure medullam nostræ litteraturæ exceperunt, & alta suspiria de corde traxerunt. Et præ angustia spiritus gementes, respiciebant sese invicem talia proferentes. Melius esset nobis non venisse ad ortum humanæ procreationis, quam ad imperium descendisse hujus perditionis. O magni ottones romanæ reipublicæ triumphatores, qvod nobis adquisistis ferreo pectore viles facti, amittimus non rapiente paride, ut germano hectore, sed C vach clepit *c*) illud annas agrippinita, *d*) & prandellus sarabaita. Abstineto precor lamentis dixit suppressa voce archipontifex bremensis. Mulieres vindicant lacrimis illatam injuriam, non est hoc vestrum, qvi dominatum habetis super regalem curiam. Opus est ut consolatur qvid in hac re potissimum fieri debeatur. Sit nostra consultacio cum fidelibus; cum hiis qvorum patres ordinaverunt consilia regum. Non intersit cetui nostro balaham nec achitofel, sed hietro & samuel; statuunt itaq; datis inter se dextris sub christiana D fide, qvod nemo committeret hoc secretum auribus mydæ. Et ne fama, qvæ indifferenter canit facta & infecta, posset istud divulgare per campos & tecta, placuit domno bremensi singulatim vocare duces, comites & pontifices, qvatenus sub fidei clamide fierent silentii hujus participes. Hac de causa retinuit secum nostrum legatum, per longum temporis spacium. Nos vero nimio stupore agitabamur, non recipientes, nec nostrum nec alium. Transactis autem sex mensibus adest noster legatus, de qvo ita gavisi sumus tamqvam si foret de sepulchro resuscitatus; Igitur ex hiis qvæ oculis vidit, atqve auribus percepit fideliter habundanterqve nos hylares reddidit, atqve ex parte domini nostri regis suorumqve magnatum hunc brevem vobis detulit. Domno Kadalo, delignato sponso, sanctæ romanæ ecclesiæ, inspiratione divinæ clementiæ, HEINRICUS Dei gracia rex, cum consensu fidelium, perseverantiam bonæ inceptionis usqve ad finem consumationis. Monemur ut benescitis scriptura teste, qvod sacramentum regis est abscondendum sub fidei velle. Ideoqve si vobis modo non apperitur, non accipatis molestie; Vobis autem qvos in cordis sacrario habemus, nihil celare debemus. Sed qvia plus prodest ignorantia hujus rei, qvam scientia, loqvimur vobis prophetali providentia. Expecta re expecta, modicum ibi, modicum ibi; similiter dicit evangelium. Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me; Nonne petro dictum est qvod nescis modo scies autem postea. Ergo vos qvi cum petro habitatis pacienter expectate, qvoniam qvod cor vestrum desiderat, videbitis in veritate. Eodem qvidem modo, hortabatur moyses hysrahelem dicens; Vos tacebitis, & Dominus pugnabit pro vobis. Constantes igitur estote, videbitis auxilium domini super vos.

CAP. VIII.

DEfecta vero cum qvibusdam, regiæ legationis epistola, locutus est de interpreta- *Rom. 11.*tione ejus domnus petripaula; Magna sunt hec, alta sunt hec; custodienda sunt hec; Dicat unusqvisqve in voce ejus qui decapitavit goliath devictis philistheis; Pone Domine custodiam ori meo, & hostium circumstantiæ labiis meis. Si forte susurratis, qvomodo possumus custodire qvod nescimus? Illud videlicet qvod audistis, Deus pugnabit pro vobis & vos tacebitis; Nempe si de verbis istis persenserit inimicus aliqvam sintillam suis fallis opinionibus volutabit eam in mille figuras, qvia diabolus male interpretatur scripturas; In hoc enim qvod magistri secretorum, silentium nobis imposuerunt, sollertiores nos reddiderunt; si illi secuti sunt salomonem qvi dixit; Totum spiritum suum proferit stultus. Sapiens autem differt & reservat in posterum. Et nos imitemur nostrum senecam, qvi ait in suis proverbiis; qvod celatum vis nemini dixeris, ad hec nostri, fiat sicut moneas, proiciatur istud indicibile in cordis profundum, qvia secundum scripturam, omne vas non habens

a) *matris*) Henricum Ducem Bavariæ agnatum, Ottonem III. matri & aviæ subduxisse, sed a Principibus adactum, ut eundem matri restitueret, testantur *Ditmarus sub fin. l. 3. & l. 4. init. Annal. Hildes. ann. 984. Albericus & Chronographus Sax. ad ann. 984. sqq.*

b) *Symoniacum*) De turbis Romanorum, qvi absente Ottone III. Crescentio duce, Gregorium V. sede dejicientes, Johannem XVIII. in sede Papali constituerant, qvas injurias Otto severissime est ultus, v. *Meinwerci vitam c. 10. Ditmar. L. 4. p. 354.*

c) *clepit*) fusfuratur, *Cic. de Leg. L. 2. c. 9. Senec. Medea v. 155.*

d) *Aggripinita*) Anno Colonienſi.

cohoperculum, neqve ligaturam erit inmundum; Tamen dilatio futuræ ſpei, proficit nihil publicæ rei ſpes eſt longa dea, aliqvando anteqvam. Spes fiat res, moritur tota expectantium parentela. Contra has inutiles verborum qvisqvilias, reſpondit pater familias; Chriſtianorum eſt ſperare, diaboli deſperare. ſcriptum eſt enim. In te ſperaverunt patres noſtri, ſperaverunt & liberaſti eos. Nam qvi arat, in ſpe arat, qvi militat, in ſpe militat; Nullus ergo veſtrum in ſpe deficiat.

CAP. VIIII.

VIdens autem albenſis epiſcopus eos per nimium dubitare, de virtute ſpei, ait; Audite ſeniores & fratres mei; Via hominis in mundo, numquid eſt in homine? tua ſunt abyſſus multa judicia Domine incurvatur omne genu in auctoris nomine. Qvam beatus homo ille cujus ſpes eſt dominus, licet hic ſit minoratus angelis paulo minus poſt mortem videbit Deum cum electis omnibus. Tali ſpe, noë in arca ſtetit inperterritus qvem ventorum, ut undarum, non durbavit fremitus, nec contrivit palmo diſtans, aquarum interitus. Pater gentium multarum ſpem in Domino poſuit, cum de terra ſua Dominus hunc exire voluit, confidenter cunctis rebus Dominum præpoſuit. Phyliſteos qvi replebant puteos ruderibus, iſaac, devicit ſpei lactatus huberibus *e)* benedictus ſit creator in ſuis operibus. Jacob exiit a ſuis, ſpe contentus ſocia, qva docente recuſavit pigreſcentis ocia, dives rediit ad patrem poſt acta negocia; Cum joſeph eſt glutinata ſpes, qvæ neſcit fallere, in cyſterna fuit ſecum, nec non & in carcere, præparavit ei locum in regali latere: ſpe pulſati piſcatores reliqverunt retia, facti ſunt judices ſecli, o qvam magna precia, qvæ non valet cogitare de paſtus ſenecia. *f)* Spes martyribus promiſit coronarum munera, ideo fortes fuerunt ad ferenda vulnera, ſe tortoribus tradentes non timebant funera. Spe monente, confeſſores fame corpus macerant, cencies in die, flexis genibus ſe lacerant, in ſpeluncis & cavernis ſe qvidam incarcerant. Virgines & continentes, ſpe currunt in ſtadio, ſpes eas non defraudabit poſt agonem bravio, ſed locabit ante Deum in ſolari radio. Omnis ætas, omnis ſexus, omnisqve conditio, credunt ſe remunerari ſpei beneficio, ea propter perſeverant in Dei ſervitio. Et qvi orat, & qvi arat & tyro qvi militat, & qvi plantat, & qvi rigat, atqve qvi hedificat, cunctos ſpes ducit ad Chriſtum qvi eos mirificat. Igitur poſtqvam finem loqvendi fecit epiſcopus Benzo regis legatus, tale dedit reſponſum ſapiens ſenatus; Vere vir Dei es, vere verbum Domini, in hore tuo verum eſt, tacebimus, expectabimus, pugnavimus, & pugnabimus. Sive ſit pax, ſive ſit uverra *i)* fiat voluntas tua rex æterne Domine, ſicut in cælo & in terra.

CAP. X.

SEnatores preterea tractabant inter ſe de amphybologia *k)* regalis epiſtolæ; ſuggerunt itaqve domno electo, qveniam bonum eſt, ut ex univerſis urbibus comites advocentur, ac de præſenti legatione, qvæ agenda ſunt, cum hiis deliberentur. Qvibus collectis atqve in conſcientia ſecreti unanimiter receptis, reſpondit; Rapizo tudertinus comes, qvi in bellis ſeu in conſiliis ſine dubio extitit ſalutaris fomes. Etſi rem difficilem perſvaſiſſet curia, non obtemperare computaretur injuria. Qvanto magis qvia flagitat ſitentium, qvod ſolummodo pertinet ad cuſtodiam virorum prudentium; Interim ergo dum tacentes expectamus eventum rei, oportet nos vigilanter circumſpicere transeuntes curſus ut noctis, ſive dici: ſemper enim eſt timendum imperio romano, a cuculla delitiſcende in tenebris, & a demonio meridiano. Multiplicentur qvo circa cohortes bellantium, qvi luporum arceant inſidias de foris ululantium. Ab univerſis conclamatum eſt, placet qvod a venerabili comite, ſcilicet domno Rapizone peroratum eſt. Et diviſis turmis per vices eligunt habitationem ſingulis menſibus in urbe veluti cives. Qvicqvid armorum poteſt fabricari ex ferro, erat eis indigentia nulla, inde pene rumpebatur falſa cuculla. Tempore qvidem nicholai, *l)* qvem velut aſinum paſcebat in ſtabulo, coadunavit prandellus pecuniam in centenario ſacculo. Inde comparabat ſervilem manum, per qvam cottidie fatigabat populum romanum; igitur in tot & tantis tormentis, ſuimus per tempus & tempora & dimidium temporis; Tandem Deo nos miſerante, & nube pietatis ſuæ nos obumbrante, goteſredus *m)* qvi erat laqveus noſtræ contritionis, cepit langvere, & arbitratus eſt, qvia ſi mutaſſet aerem ab imminenti valetudine poſſet convalere. Petiit proinde ſuum caſtrum bullionem ubi exſpiravit, & deſcendens in infernum domnum ſuum plutonem ſalutavit, qvi cum ſecus judam protinus collocavit. De adventu ejus non parum inferus lætatur, deqve ejus diſceſſu totus mundus gratulatur.

conſilio Rapizonis Romani arma capiunt.

Gotefredus moritur.

CAP. XI.

EMinentiores autem apuliæ & calabriæ gementes ſub jugo dominationis normannicæ, ut cognoverunt veraciter interitum gotefredi, ultra qvam credi poteſt, facti ſunt mirabiliter læti. Et accepto conſilio, cum pantaleo malphitano patricio, eodem duce, ac previo navim aſcenderunt, & ſub obtentu negocii, romam venerunt. Inſiſtebant deniqve qvidam illorum, mercium venditionibus ſicut edocti fuerant ab inſtitutoribus. Pantaleus

quo audito, Normanni Romam veniunt.

---

e) huberibus) uberibus.
f) Senecia) herba cito exareſcente.
i) uverra) guerra, bellum.
k) amphybologia) dubiis verbis.
l) Nicholai) Nicolai II. qvo ſedem tenente, Hildebrandus pecunias undiqvaqve corraſit.
m) Gotheſredus) Lotharingiæ Dux, langueſcens in Galliam Belgicam ſe recepit, & ibi in Caſtro Bullionis (notis hodiernum Ducatus Bullionenſis) mortuus eſt anno 1076. *v. Lamb. Schaſnab. ad ann. 1077.*

vero cum civitatum primariis, descendit in scapham & navigans ad castellum crescentii, ascendit ad futurum papam. Sub celeritate qvidem scapha revertitur ad mare, negotiatores navis ostendunt venalia, volentibus comparare. Patricius vero cum suis humiliatus coram domno electo flexis genibus dixit; Magnus Dominus noster & magna virtus ejus, qvia de medio nostrum disparuit pestilens grugnefredus; Ipse enim alter judas, qvi qværebat animam regis pueri, Nunc apud trenaros *n*) luit penas innumerabilis perjurii. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies A salutis, qvia largitur nobis pius plastes arma suæ virtutis. Ecce qvod promisit Dominus meus, constantinopolis basileus, per suas epistolas est ad implere paratus. Ergo desiderabilis pater fac tu similiter, & tuus senatus id ipsum peragat vester rex, sueqve curiæ magistratus. Recitentur epistolæ, & secundum verba epistolarum, sit factum consimile. Bareas *o*) autem habetis atqve alias civitates, isti enim qvi mecum sunt tenent claves earumqve urbium possident potestates. Qvandocunqve & qvomodocunqve volueritis intrabitis, si fidem qvam vobis faciemus nobis faci- B tis. Ad hec domnus Kadalus: Nuntianda sunt hec domno nostro regi, qui est currus ecclesiæ & auriga imperii. Tu autem ibi sta ubi stas, qvoniam definite periit sathanas.

pollicentur, se urbes tradituro.

CAP. XII.

Ad nunciandа illa, Benzo mittitur ad Henricum.

ILlis autem abeuntibus cepit dicere ad senatum, noster petripaulentius; *p*) Eligatur de vobis unus, qvi afferat domno nostro regi, generalis leticiæ munus. Ceperunt singuli dicere nescio loqvi teutonice; si placet beatitudini vestræ, talis eligatur qvi litteratoriæ ut C teutonicæ, gaudium istud dominus auribus sapienter confiteatur. Oculi autem omnium in me intendebant, & tamen cogitationes cordis promere non audebant. Compescens igitur domnus Kadalus eorum susurrationem hanc intulit responsionem; In legatione, qvam nuper accepimus fratres, & filii me patenter datur intelligi, qvia de cælo nos respicit misericordia dei; Nam in ea continetur nostrorum reqvies laborum, & laqveus atqve contricio inimicorum. Committenda est itaqve hec cælestis ammonitio philosophyæ nutricio, qvi sit immunis ab omni barbarismi vitio; Di- D cit enim tullius; Fieri potest ut recte qvis sentiat, & id qvod sentit *polite eloqvi non possit.* Ea propter & qvi sentiat recte, & qui loqvatur perfecte, mittatur a gremio partis electe. sed qvem hujus rei oratorem esse cupimus, effari minime præsummimus. Et si nomine non exprimitur, tamen ex ardentissima dilectione quam exhibet circa honorem cæsaris, facile cognoscitur. Tum ego inquam; Deus cui omne cor patet, & loquitur omnis voluntas, ipse novit, quoniam diligo domnum meum cæsarem HEINRICUM, supra id qvod mea neqvit adimplere facultas. Non est necessevobis per circuitiones verborum abire; Paratus sum qvippe pro domno meo, & incarcerem & in mortem ire. Solum modo dicite, qvicqvid vultis dicere, nostrum enim est velle, Dei est perficere; Utimini tantum exordio postposita insinuatione, nihil est tam difficile, qvod non videatur facile, sola herili dilectione. Qvia valida est ut mors dilectio. Et dixerunt omnes; Non est nostrum vobis imponere; Vos scitis qvod opus sit jacentibus; subhonere; Vos estis medulla secreti; Vos estis bilanx in causis beati petri; Qvæcumqve respiciunt ad commune negotium cis mare, ut citra, in corde tuo o pater sunt omnia sita. Dominus tecem & cum spiritu tuo; Dominus te circumtegat suæ veritatis scuto. Accepta benedictione patris; Valete dixi omnibus & pater subintulit: Qvi est via, veritas & vita, ab omni malo custodiat te dominus.

CAP. XIII.

CRedo Deo, credo Deum, credo in Deum; qvi prosperum fecit iter meum; Nam cæteri gressu adii liguriam & transiens per alpes julias ad regis devenі curiam: Erat autem dominus meus cæsar in aula cotelinii monasterii, ubi me ita recepit, prout se decet recipere legatum imperii. Archipontifex autem bremensis aliiqve episcopi, summeqve dignitatis proceres ei assistebant. Multitudines qvoqve virorum diversæ ætatis, assvetis plausibus de foris perstrepebant. Ego vero stans coram cæsare domno meo, tamqvam qvi debet offerre sacrifitium; hoc habui romanæ legationis initium; salutant vos domne mi, Petrus & paulus, sancti apostoli, fidelia oramina? Dominus electus; Debita servititia, mandat senatus & omnis populus. Ad hec domnus meus rex; Mi frater qvia fatigatus es ex itinere, volo te per hos octo dies in requie consistere; Postea dabitur tibi locus audientiæ, ante conspectum nostræ clementiæ.

CAP. XIIII.

POst dies octo, sedente domno meo cæsare cum principibus januis clausis, interesse me jussit pro romanis causis; Introgressus, eorum in medio steti, annuntians eis hec verba, qvasi ex ore apostoli petri; Puer meus noli timere, tecum fui, sum, & ero, victoriam tibi & tuis cottidianis *precibus ad deum quæro.* Roma facit qvod suum est; Consilio & armis defendit hereditatem tuam. Exurge ergo tu ipse, & judica causam tuam. De cetero res publica, prosequitur verba apostolica dicens; Ab ipsis cunabulis o bone rex, semper servivi tibi sub fide non modica. Nunc autem Deo gratias qva perveniſti ad annos pubertatis, ostende qvi sis pro defensione paternæ hereditatis.

n) *trenaros*) plangentes, ἀπὸ θρήνους, planctus.

o) *Bareas*) hodie Bari, in regno Neapolitano situm.

p) *petripaulentius*) Papa Kadalus, Petri & Pauli Apostolorum successor.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * NEC NON AGARENIS. *q*) NON CESSIT TOTUM. TU NOSTRUM PERFICE VOTUM, MAGNE TRIUMPHATOR POST BELLUM PACIS AMATOR, CESAR HEINRICE, QUEM CHRISTUS CUM GENITRICE, SALVET IN ÆTERNUM DET AGALMATA *r*) CLAUDAT AVERNUM.

REvoca ante oculos memoriæ attavos imperatores, qvi tibi adqvisierunt hos imperiales & æternos honores; Tu habes sine sudore, pro qvo illi sudaverunt, pro quo illi sepe & multum pugnaverunt. O qvocies pugnavit primus otto, cum rege berengario, *s*) ubi multi barones *t*) perierunt ex utroqve alveario; *u*) Tandem eo de campo belli projecto, filioqve ejus uvidone *v*) interfecto. Ottò victor emicuit, postremo in carcere trusum, regnare prohibuit. Post hec filius ejus rex Albertus, *w*) ad varios eventus belli, semper inter primos repertus, adversus eundem rebellavit, atqve bis acro certamine fatigavit; Qvem magnus otto exterminavit ab italia, sed deficiente terra, receperunt eum maria; Ubi per tribennium jactatus fluctibus evasit captivus veniensqve augustidunum *x*) obiit peregrinus. Otto secundus, *y*) & tertius, *z*) qvali tui agricolæ bene trituraverunt pro tuo imperio, malas enim arbores extirpaverunt de apostolorum pomerio. Primus autem HEINRICUS, *a*) sapientissimi salomonis unicus & singularis amicus, pro pacificanda tua hereditate, facta magna strage ex utraqve parte, cum ardoino *b*) dimicavit eumque regno privavit; Ardoinus autem expoliatus cingulo regalis bullæ, gemebundus expetiit latibulum cellullæ; sub qva velut penitens aliqvantulum se atrivit, sed in brevi hominem exivit. Qvid vero fecit idem HEINRICUS romæ, ut æccleśia catholica esset sine rapacium macula, sit modo lupus in fabula; qvanta autem & qvalia, alii imperatores fecerunt, qvibus es propinqvior carnea progeniæ, in chronicis eorum exaratum est egregie. Enim vero certissima res est o cæsar, qvod sancti apostoli non cessant pro te orare, nam reges qvos debueras ad auxilium invitare, sine tuo rogatu, ultro se offerunt, & apertis thesauris munera usibus tuis conducibilia deferunt. Quæcumqve habet & habere potest, polli- *Byzantini auxilia promittente,*
cetur tibi constantinus doclicius rex bizanzenus, tanqvam si esses porphirò genitus filius ejus; Qvicqvid enim in epistolis suis legitur qvacumqve hora volueris complebitur. Manifestum est igitur qvod te Deus amat, & uterqve apostolus pro te cottide clamat. Apu- *& Neapolis*
lia siqvidem atqve calabria apertis portis te *ad obsequia*
præstolantur, rogantes ut vindictam facias de *tua parata,*
hiis qvi per romana rura, velut jumenta indomita pervagantur. Dicit enim Horatius; Qvi prorogat horam recte faciendi, rusticus expectat ut amnis defluat; Festina ergo o Cæsar, noli tardare, qvod potest manus tua facere instanter operare. Cui dictum est labora ne fame pereas, & piger fuit? Qvodli- *antequam hostis vires recipiat.*
bet arbustum possumus uno ictu deicere. Si autem ad magnitudinem perfecte arboris crescendo roboratur, jam non timet casum etjam si multocies securibus feriatur. Deiciendi sunt itaqve isti in præsenti momento, ne amplius sint vobis & nobis impedimento. Forsitan qvod hodie licet cras erit inlicitum, oportet qvocirca regem esse sollicitum, ut non seqvatur vocem corvinam, *c*) sed qvantocius præcipitet eos in perpetuam ruinam, & solium gloriæ teneat.

CAP. XV.

PRetèrea ex his duabus provinciis apuliæ *Reditus ex*
scilicet atqve calabriæ replentur condicio- *Apulia &*
naliter imperatorum kameræ. Ecce tempus *Calabria*
hyram & salomonis, aurum & argentum ad si- *commendat.*
militudinem lapidum, hec duo regna ministrant vobis. Sed prius eradicentur badaculus & prandellus qvi sunt causa maliciæ. Deinde normanni filii spurciciæ. O seniores teutonici, certe solo terrore vestri adventus, fugabi- *Hortatur Germanos, ut debellent hostes.*
tis hos scarabeos, qvia cælum & terra conspiraverunt contra eos. Non enim vos expectabunt, marinis fluctibus se necandos dabunt. Gotefredus autem qvi erat animositatis eorum pabulum, descendens per acheronta gemit in tormentis apud principem demonorum zabulum. Qvid plura? De vobis senioribus nihil siniśtrum putat roma. De solo uno dubitat, qvi clamdestinis legationibus cum prandello sepissime musitat. Exqvirite inter

q) *Agarenis*) indigitantur Saraceni, qui ortos se ferebant ab Ismaele, Hagaris filio.

r) *Agalmata*) oblectamenta, ornamenta; vox Græca.

s) *berengario*) De bellis Ottonis M. cum Berengario, *v. Witichind. Annal. l. 3. p. 652. sq. Ditmar. l. 2. p. 331. 333. Odilon. Cluniac. in vita Adelheidæ, cap. 2. & 3. Chronogr. Saxo ann. 966. Hroswitha p. 173. 180. Luitprandus l. 6. c. 6.*

t) *barones*) sub hoc nomine olim omnes summæ Nobilitatis Viri indigitabantur.

u) *alveario*) Regno, metaphorice sic dicto.

v) *uvidone*) Guidone; Berengarii filio.

w) *Albertus*) *Luitprandus l. c. Ditmar. l. c. Otto Frising. l. 6. c. 33. Sigonius de regno Ital. l. 7. p. 275.*

x) *Augustidunum*) Augustam Vindelicorum, *Ditmar. l. c. Lamb. Schafnab. ad an. 964.*

y) *Secundus*) de Ottonis II. rebus in Italia gestis, *v. Leon. Ostiens. Chron. Casin. l. 2. c. 9. Gotfrid. Viterb P. 17. p. 480. Andreas Presb. Chron. Bav. p. 19*

z) *Tercius*) Ottonis III. expeditiones Italicas referunt *Ditmar. l. 4. p. 353. sq. Radulfus Gluber. l. c. 4. Chron. Sax. ann. 996. 1061. vita Meinwerci cap. 10. p. 520. Leo Ostiens. l. 2. c. 18. & 24.*

a) *Heinricus*) Sanctis annumeratus; a Clerò, cui impense favebat, egregiis laudibus mactatur, qvas nec Benzo celare potuit, *conf. Ditmar. l. 5. p. 364. Adelboldus in vita Henrici c. 1. Arnoldus in vita S. Godehardi c. 2. p. 436.*

b) *ardoino*) Fuit is Berengarii II. nepos, ab Henrico S. regno Italiæ privatus, *Ditmar. l. 5. p. 370. - 378. & l. 7. p. 400. Adelboldus l. c. cap 15. - 42. Auctor vitæ Meinwerci c. 26. sq. Chronogr. Saxo, ann. 1014.*

c) *corvinam*) *Cras*; hortatur igitur Benzo Heinricum, ne procrastinando optimum rei gerendæ tempus elabi patiatur.

vos utrum corde & corde loquatur super hac re annas agripinus, & cavete qvoniam nulla pestis est efficatior ad nocendum quam familiaris inimicus. Verum quasi in unius persona, omnibus vobis dirigit hoc breviloqvium roma. Et obnixe precatur qvatenus in cordibus vestris firmissime teneatur.

CAP. XVI.

Bremensem excitare studet.

METropolitane, cui non est nomen inane, imperii summa defixus in orbe columpna. Cur partes romæ, non veras gemma coronæ? Qvam modo normanni, facti de plebe tyranni. Plus solito turbant, qvo plana per hembada currant. Dedecus ad regis, qvi temperat organa legis. Hac re currebam, revocando volare volebam, ut prestolantes, regem reddantur ovantes; sed qvia non vultis audire juvantia multis, sed qvia non vultis reserare sepulchra sepultis; Hoc est romamanis calabritis apulitanis. Conficitis manum, neqve jam reparabile dampnum; Qvi cælum girat, vobis Deus ista reqvirat.

CAP. XVII.

Votum.

MUsa tamen prome, quid mandet grecia romæ; Ut pus quod turget, romana potentia purget; Facta per HEINRICI causæ victricis amici. Ad cujus numen, tremit imperiale cacumen; Victrici lauro, comptus post regnet in auro; Et cum tetrarchis, primatibus & patriarchis, Presulibusqve suis magnatibus atqve tribunis, Cumqve sua scola, qvæ regis ludit in aula, omnia sint aurum, romæ comitantia scaurum. *d*)

CAP. XVIII.

Bremensis serio trutinanda omnia dicit.

DE cetero, Roma vestra supplex & acclinis postulat ut secum cantetis lætanias, sicut ab antiqvis & pax Dei qvæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras, ut possitis consolari romanos, qvi pro vobis cottidianas cum normannis exercent palestras. Tunc rex dixit eis secreto, consulite qvid respondeamus sancto petro. Bremensis autem archiepiscopus, cui rex archana sua numqvam abscondit ex ejus precepto ita respondit. Romana legatio non est cursim pertractanda, sed morose, atqve diutius coadunatis in unum episcopis & ducibus. Qua propter imperat domnus noster rex, ut perscruteris nobiscum, hujus legationis tenebrosam habyssum. Tu enim frater es legatus domini mei, missus ad romam pro salute publicæ rei, ad dexstruendam heresim arii & manichei. Tu scis interiora & exteriora, tuo consilio debemus eligere meliora. Tu cognoscis viscera grecorum, nec ignoras qvalitates romanorum. De apulia qvoqve sive calabria, non est aliud examinari necesse, nisi qvia volunt perpetim in hergastulo hostium esse; Cui ego. A fructibus eorum cognoscetis eos. Si certi fuerint greci de regia expeditione, confestim erunt in malphitano mari cum rebus promissis, sine ulla dubitatione; Nam scriptum est. Segnius irritant animos demissa per aurem, qvam qvæ sunt subjecta fidelibus oculis. Qvivis cecus palpando dijudicat, qvod roma normannos cottidiæ fulminat. Omnia vobis respondent ad votum, talibus & qvalibus ex parte petri hoc facite notum. Videte ne tale Dei donum ne indeficiens bonum subripiat vobis pigricia, qvæ fovet in suo gremio cetera vitia. Ad hec subrisit domnus metropolita, aliisqve ridentibus locutus est ita; Fides tua o albensis episcope facit te salvum, merito te nominamus heliseum calvum. Ascendens domnus meus cæsar in romano curru, fiat tibi sicut helias, & dando spiritum duplicis gratiæ remuneret tibi multiplices, in suo famulamine laboris & perseverantiæ vias procurante Domino nostro Jesu Christo cui placet ut resistamus bicipiti antichristo.

CAP. XVIIII.

IGitur dum detineor in curia, secundum statuta præcepti dominici, relatu qvorundam didici, qvod domnus meus imperator verus, secundus HEINRICUS, transiens de hoc mundo ad Christum, deputavit filio suo Bremensem metropolitam tutorem & magistrum; Ideoqve familiarius adherebam ei disputans secum de necessariis publicæ rei, qvæ respiciunt ad honorem & utilitatem victoriæ domini mei. Ipse vero me instruebat ex hiis, qvæ erant nuncianda domno electo, senatui, aliarumqve dignitatum gradibus, simulqve apuliæ atqve calabriæ civitatum primatibus Rogans ut affirmarem cunctis in ea qvæ Christus est veritate qvam citissime videbunt regem venientem cum potestate magna & majestate & omnes tribus terræ cum eo, tunc cantabimus simul gloria in excelsis Deo.

CAP. XX.

IN diebus illis congregati sunt primatis teutonici ad regem, & dixerunt ei. (Sicut elevasti normannorum simula.) Veniat annas agripinus in medio & dicat, cur te exheredat romano imperio. Et statuerunt eum in consilio, dixeruntqve ei. Sicut elevasti normannorum simulacrum, nisi deposueris, & ad nos adduxeris, de collegio nostro amplius non fueris. Qvi dixit. Si male arripui iter sinistrum, deserens dextrum, fideliter volo emendare ad arbitrium vestrum; & adjecit. Si vobis bene videtur prius de confirmatione ejus, accitis ligurianis episcopis, apud nos synodus celebratur ut in altera synodo penes mantuam, facilius illa qveetur. Cui respondentes dixerunt; Non aliter vulnera dubietatis de cordibus nostris amputabis, nisi tactis evangeliis & sacra cruce, te id facturum affirmabis. Qvod & factum est.

CAP. XXI.

POst hec coadunata principum contione consilium inierunt de mea reversione. Et

d) *Scaurum*) de Mamerco Scauro insigni nobilitate & causis orandis conspicuo, divitiis & vitiis abundante. *Senec. de benefic. L. 4. c. 31.* ibique *Lipsium.*

dixe-

dixerunt omnes una voce; Frater Benzo, merito debemus te diligere, qvem videmus in regis servitio, numqvam deficere. In omnibus enim periculis certans pro eo, semper intrepidus fuisti. Ex præcepto domni mei romam ingressus, hereſiarchas depoſuiſti, qvid facere debeamus nobis impoſuiſti, calicem multarum paſſionum pro eo bibiſti. Dic ergo fiducialiter domno meo. Ecce ego reliqvi omnia, & ſecutus ſum te. Qvid pro hoc erit mihi? Ut totus mundus aſſurgat in laudem ejus? Reſpondeat tibi noſter baſileus. Inimicos ſancti laurentii, ſub pedibus tuis humiliabo. Qvæcumqve ſunt æccleſiæ tuæ perdita, nova ut vetera integrum reſtaurabo. Qvæ nunc habere videris centuplicabo. Cum fuero per Dei clementiam ſublimatus in arce imperii, eris omnia in omnibus ſecundum voluntatem tui deſiderii. Ut cognoſcant fideles & perverſi, qvia hec mutacio eſt dexteræ excelſi. Adhuc autem per meam manum tale qvid dabit tibi Deus, qvod qvi audierit tinnient ambæ aures ejus. Hæc audiens cecidi in faciem ante pedes regis domini mei, & benedixi Deum & regem, atqve omnem turbam præſentis collegii. Deinceps præcepit dominus meus rex fieri ad tutelam æccleſiæ meæ præcepta & mundiburdia, *e*) qvatenus per hec ſopiantur litigantium jurgia. Inſuper in eqvis ac pellium donis reddidit me letum, acceptaqve licentia reliqvi regalis curiæ cetum. Nudius tercius locuerat me valde & multum, de univerſis ſuis mandatis, & recedentem monebat eisdem iterum & iterum replicatis. Ajebat enim. Nihil horum precor obliviſcaris, qvia tu ſemper mecum es, nullatenus de redibitione verearis. O Domine Jeſu Chriſte qvi de cœlo deduxiſti africum transferens hauſtrum, aſpirando præveni & adjuvando proſeqvere conſilium noſtrum, qvia qvid in extremis locutus eſt cæſar manet alta mente repoſtum. Si umqvam ſui oblitus ſui, ut aliqvando obliviſcar, de tenebris ad lucem non proficiſcar. Obliviſcatur me dextera mea, quæ licet peccatrix ſignat calicem, ſi eo relicto, ad infructuoſam me convertero ſalicem.

CAP. XXII.

AD cor reſpicit Deus, nihil eſt qvod non videat oculus ejus. Videns autem pius plaſtes, me fidem interprætem inter dominum meum regem, & populum romanum ſelici reditu, remoto inſidiantium metu, reduxit me ad vaticanum. Congregata autem in æccleſia ſancti petri maxima multitudine romanorum civium. Salutato domno electo factus alter eſdras, aſcendi in gradum ligneum. Qvi habet aures audiendi audiat, qvod vobis ſpiritus ſanctus per hos ſervi ſui benzonis annunciat. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete, qvia ad portum letitiæ perducunt veſtros veredarios romanæ navis proretæ. Videlicet ſancti apoſtoli qvi eam gubernant ex juſſione Domini.

CAP. XXIII.

FORTES ET MITES, PERPENDITE VERBA QUIRITES.

DOmnus noſter rex HEINRICUS, ſanctæ romanæ æccleſiæ protector & amicus; Fidelibus ſuis romanis, plenis fidei & veritatis; Munus gratiæ, & bonæ voluntatis. Recitata veſtra legatione patres conſcripti, in auribus domni noſtri cæſaris & principum, una fuit vox reſpondentium; O roma, o romani, ideo ſuper omnes gentes præpoſuit vos creator generis humani, qvia non timuiſtis ſubire periculum pro patriis honoribus; Atqve inflexibili fide, domi, militiæqve ſemper adheſiſtis imperatoribus. Qvis non debeat reddere vobis vicem, qvi falſæcucullæ dedignamini flectere cervicem? Merito vobis ſuccurrere debemus, qvia verbis & operibus veraciter eſt vobiſcum Deus. Dignum eſt ergo ut de militibus romanis faciat domnus noſter rex, ſenatores de ſenatoribus exaltet ad principum honores. Ut nati & naſcituri, ad ſerviendum Deo & regi cor figant, & nimis honorati ſunt fideles regis dicant. Hæc & his ſimilia illis dicentibus atqve adhuc plura præ gaudio dicere volentibus, Cæſar præcipiens ſilentium fieri dixit; Non poteſt arbor fructus malos facere, ſic nec iſti procedentes ab arbore, qvam plantavit Dominus in montis oliveti latere; ſicut enim legitur in eorum hyſtoria, fulget in eis parentum memoria. Video inter eos afſricanum ſcipionem, utrumqve catonem, fabium & ciceronem. Certe revix *f*) - - & de reſugis, atqve de male fidis, dat legem regulus ſcaurus, nec non fabricius. Metellus, & marius, ac ſylla patricius. Nonne iſti ſunt qvorum progenitores aſſveti qvirinali trabea, occiderunt jubatum ſerpentem, apud fluvium bagrada? Cujus corium viginti qvinqve pedum, adlatum eſt in capitolium. Ipſi ſunt pro me beilatores, ipſi ſunt conſiliatores, ipſi dividant inter ſe mea regalia, qvos faciam priores ſuper omni italia. Hiis auditis, tollitur clamor in cælum. Vivat rex in æternum. Et de rege factus imperator regnet in ſempiternum.

CAP. XXIIII.

DEinde in kamera recepto, cum tribus ſilentiariis domno electo, ſeriatim cuncta enucleavi, qvæ accepi ab hore *g*) regis ſedentis in ſuo conclavi. Scilicet de certitudine adventus ejus de confirmanda amicicia qvam expetebat rex bizanzenus, & ut apulus & calaber, habeant in Deo & venturo rege ſuæ liberationis ſpem firmam, qvia volente Deo, extendet auream de more aſſveri virgam. Deqve nimia benivolentia, qvam habet ſerenisſimus rex erga domnum electum, ergaqve communem gregem, qvem in ſui dilectione,

Regem & Germanos ipſis auxiliaturos.

Benzoni gratias agit Radevicus.

e) *mundiburdia*) plerumque ſignificant defenſionem, ſeu tutelam, *v. Ditmar. L. 2. p. 334. Miræi diplomata Belg. L. 1. c. 8.* Heic vero ipſa Imperatorum ac Regum in Imperatorum mundiburdia ſeu defenſione ponuntur, *v. Ughellus Ital. Sacr. T. 2. p. 569. 705. T. 7. p. 334.*

f) *revix* - -) revixerunt.

intuetur esse perfectum. Qvin etjam de utraqve synodo, quæ omnia sunt claudenda sub taciturnitatis modio. Expositis deniqve omnibus, qvæ mihi commisit magnus rex & piissimus domnus, continuo silui, respuens adicere qvicqvem sermonis superflui. Surgens autem domnus electus, fundens præ gaudio lacrimas, cepit percutere pectus, dicens; Gratias tibi referimus pastor bone qvi in tribulatione positos nos reddis ovantes, sit nomen tuum benedictum in secula, qvi non derelinqvis in te sperantes. O sancti apostoli, hoc est vestrum opus qvo jugi præcatu universaliter salvetur romanus populus. O Karissime frater episcope Benzo, ipse te conservet, qvi fulgere per diem concessit helenco. Deinceps ad omnes partes mittuntur legati, qvatenus præstolantes domnum nostrum regem secundum propositam sponsionem, sint caute parati: Ubicunqve vero adventum cæsaris prædicabant, omnia genera gaudii & leticiæ, tamqvam opobalsama ibi flagrabant. Qvisqvis autem tantum gaudium tantamqve leticiam perturbare voluerit, etjam angelis de cælo. Sit anathema maranatha, pereat cum saule & jonatha; non habeat partem cum eo qvi pro nobis crucifixus est in golgotha.

CAP. XXV.

IN circuitu impii ambulant, sed in finem velut judas laqveo diaboli semetipsos exstrangulant. Qvi potest capere capiat, neque plus qvam oportet sapere sapiat. Interim decurrit perficere annas qvod testibus evangelio & cruce spospondit regi suisqve fidelibus. Itaqve convocatis undicumqve episcopis disponit celebrare sub specie synodi conventiculum qvasi suæ voluntatis indiculum. Interfuerunt autem qvidam de partibus liguriæ, appellati tamqvam ex jussione curiæ. Cunctis vero residentibus hoc habuit annas suæ locutionis initium. Videtis fratres Karissimi qvia sancta romana æcclesia grave patitur præjudicium. Propter duorum enim altercationem, ducuntur filii ejus ad occisionem. Si matri mode non succurrimus, ea pereunte pariter peribimus. Succurrendum est ergo ne simus consentientes neci ejus. Nam sicut scriptura dicit. Qvi succurrere perituro potest, dum non succurrit occidit. Discernat qvocirca inter utrumqve verbi Dei gladius, cui debemus consentire, qvamvis sit noster adversarius. Si enim de cordis vestri medicinali pixide adhibetis huic insaniæ Kanonicum capipurgium, confestim extingvetur hujus furoris improbabile jurgium. Ad hec italici episcopi responderunt; Non est æqvum super hac re diffinitivam sententiam dare, sine ambrosio, & appollinare, & ille; Aliqva reservemus & aliqva dicamus, ne in cassum convenisse videamus; Nostri vero conventus sententia erit suspensiva in altera synodo diffinitiva. Ceteri autem dixerunt. Non improbamus qvod dicitis induciæ qvidem sunt dande canonicis judiciis. Annas dixit. Audite qvæso cum diligentia, & memoriæ commendate cujus ponderis sit mea sententia. Si ita intravit sicut ego intravi, dico alexandrum sedere usqve ad proximam synodum. Episcopus autem constantiæ romaldus constanter dixit. Regula canonica non prohibet vestrum introitum, qvia legalis est vestra ordinatio, atqve orthodoxa consecratio. Deniqve pro moniali adulterio enu- A chizatus arnaldellus eodemqve vitio inqvinatus sarabaita prandellus hunc elegerunt. Normanni qvoqve accepta pecunia nocte cum inthronizaverunt. Romani autem nolentes hunc recipere, voluerunt ei resistere, ideoqve introitus ejus non fuit sine sangvine; Non ergo ita intravit iste, sicut nos intrastis. At ille; qvod dixi, dixi. Si ita intravit sicut ego intravi, dico Alexandrum sedere usqve ad proximam synodum. Hæc autem omnia per nepotem suum qvi ēpatur alberstet, *b*) notificavit annas romæ ad caiphan & dohec *c*) B Tunc sumpserunt cornua isti duo magi, zarohen & arphaxat, tanqvam contra david phylisteus goliath. Nos vero ad salutem nostram putantes hec fieri, eramus quiescentes qvasi sub umbra juniperi. Illi deniqve qves in furorem megera & alecto exagitabant bellicis provocationibus cottidie nos fatigabant. Fiducialiter quidem expectabamus finem rei, sperantes in misericordia salvatoris nostri Dei.

Coloniensis, synodo in Germania habita, Alexandro Pont. inducias indulget.

CAP. XXVI.

IGitur completo spacio annuæ revolutionis, incepit annas iter suæ expeditionis, & C venit mantuam cum trecentis galeatis, qvem recepit comitissa beatrix *k*) sumptibus regifico luxu paratis. Mandaverat autem ipse jam dudum alexandro, par cunibertum taurinensem episcopum, ut causa finiendæ litis, jungeretur sibi mantuæ ad celebrandam synodum. Rursus qvoqve per vercelensem gregorium, cui se alexander familiarius credebat. Annuntiaverat idem annas omnia quæ idem alexander prescire volebat. Veniens autem gratulabundus & letus, arridenti fortunæ se indubitanter dedit. Prandelus deniqve de certis semper incertus domi D resedit. Preterea domno electo legavit ipse idem annas, ut qvantocius adesset parmæ atque totum exercitum suum dirigeret mantuæ. Adiciens quoque; Domine pater quare venerim, tu bene nosti, matura ergo qvæ sint opponenda tocius æcclesiæ hosti. Continuo domnus electus effusis lacrimis suspexit in cælum & dixit. In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Deniqve tanta velocitate regressus est parmæ, ut videretur sibi qvod angelus Domini qvi asportavit abacuc super lacum babyloniæ transtulisset eum in locum parmensis colo-

b) *epatur alberstet*) Episcopatur Halberstadt, *c*) *dohec*) Doeg, Edomita, de qvo *1. Samuel. XXII. 18.* *k*) *Beatrix*) mater potentissimæ illius Comitissæ Matthildis, *v. Otto Frising. L. 6. c. 33. Chronogr. Saxo ann. 1055. Bertholdus Constanc. ad ann. 1054.*

nix. Congregatis autem episcopis, synodus inchoatur. Baburrus *l*) alexander in cathedra collocatur, & prout valebat baburrando, *m*) eos de servitio Dei ammonebat. Et cum diu multumqve strendens, blaterando verba perstreperet, nullusque balbutationem ejus intelligeret, annas ammonuit esse cessandum, atqve in crastinum reservandum.

CAP. XXVII.

POstqvam autem mediante die, complevit alexander synodicæ amministrationis officium, patarinorum magna comitante caterva, abiit ad suum hospitium. Annas vero ascendens in sanctuarium juxta altare cepit cum lacrimis diutius orare. Ad qvem accedens comitissa dixit. Domne archiepiscope, tempus est refectionis. Cui ille; Prohibet hodiernum cdulium dolor cephalicæ passionis. Illa qvidem ut ad epulas accederet, devote instabat. Ipse autem in proposito abstinentiæ perdurabat. Tandem rogavit eam qvo præciperet cunctis expetere mensam, pullisqve omnibus secretam redderet ecclesiam, & adjecit. Est secretum o domina, qvod tibi volo confiteri, post cujus confessionem tecum cenabo, si forte aliqvid hodie manducabo. Deinde ex improviso motu, inclinans se ut ad pedes ejus caderet, illa opponens brachia contra, precatur ne id faceret. Flentibus autem non parum utrisqve suspirando, singulciendo, absterstis lacrimis exorsus est ipse. Ante hoc sacrum altare, super qvod celebratur sacrificium corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, tristitiam cordis mei o piissima domina confiteor tibi, & terram osculando, supplico benignitati tuæ qvatenus inde mihi digneris largiri medicinam, ne cadam in obprobrium & in baratri ruinam. Non te latet o domina meum figmentum, atqve meorum originem parentum. Luce clarius est, qvod sanctus imperator secundus HEINRICUS me erigens e stercore, super altitudines ceterorum procerum præesse voluit, meqve se alterum in imperio constituens, nil plus facere potuit. Et ego miser & peccator factus lupus rapax, rapui filium ejus de sinu matris, cum debuissem me opponere præsumptori hujusce crudelitatis. Et qvoniam approbavi promotionem istius alexandri, *n*) qvem in cathedra beati petri statuerunt normanni. Inde inimicatur mihi tota curia domni mei regis, inde appellor judas, & desertor, & infidelis, & nisi ista correxero, tanqvam leprosus elongabor ab eis. Hæc est mors mea, si cadens in infernum reliquero galaxea; *o*) Prebe itaque consilium o bona princeps, misericordiæ & veritatis amica, ne de vetito consilio judiceris, velut dives denegata lazaro mica. Comitissa vero hec audiens ingemuit, & facie pallens, toto corpore intremuit, dixitque, o pater quicquid tua sapiens cogitatio super hac re melius sentit, proferre non dubites, quia non deficiam si quoquo modo possim tuam revelare tristitiam. Tunc annas ter & quater, suspirans ait; o domina, Deo & tibi committo, Vide ne me interficias. Vide ne hoc alicui dicas. Volo istum alexandrum ducere ad curiam, & jurabo illi quod nullam patiatur injuriam, & si de pacto amicitiæ inter istum & regem, fuerit fortasse aliquid intervallum, morabitur coloniæ, & imperabit super totum archiepiscopatum, me autem habebit sicut capellanum. Et comitissa dixit. Pater sancte, sicut vis fiat, nullus erit qui tuis decretalibus contradicat. Tunc annas præ gaudio dixit; Veraciter vocaris beatrix in tribulationibus constitutis, adjutrix & benefactrix, macrobiam *p*) te faciat agya sophya, *q*) cæli terræque creatrix.

CAP. XXVIII.

ET facta est dies crastina. Noluit annas ea die in conventu synodi sedere cum alexandro, quia tedium fuerant cunctis verba quæ dicebat blaterando. Tercii vero diei diluculo adest parmensis *r*) exercitus maxima multitudo. Promptissima perficere jussionem colonicnsis agrippæ discurrens per plateas mantuanæ urbis, (clamans vocibus & tubis) horror armorum ingerebat formidinem turbis, clamans vocibus & tubis; Badaculc *s*) diabole, quid venisti huc facere, Carbo estinctus, stigia palude tinctus, maledicte foris & intus. Hæc audiens asinander delituit, atqve ad synodum venire distulit. Ut autem pervenit ad aures beatricis sonitus iste, quasi morte præoccupata, cecidit in lectulum angustiata. Hoc audito annas ad eam cucurrit, qua visa, ruens in terram, velut mortuus fuit. Currunt tales & quales ad triste spectaculum, ululabat civitas, flebatque palacium. Mutavit fortuna rerum faciem, labefactavit parmensium aciem. Post spacium unius horæ, reversus in se annas, & nutu ac flebili voce cepit dicere, exite foras. Turba quidem dimissa, semel & iterum oscitavit ipsa. Tunc archiepiscopus, qvasi sibilando dixit; O piissima domina dignare paululum aperire oculos, & resuscita nos tuos fideles mortuos. At illa palpebras sublevavit visosqve qvantulumcunque letificavit. Interea nox venit, atqve exceptis puellis, alios ad hospitium abire coegit. Dum medium silentium tenerent homines & animalia cuncta, reficitur modica forbicimcula. Dormivit parum solummodo ad unius horæ spacium. Deinde eodum cybo resocilatur. Post hec archiepiscopus convocatur. cui dixit. O domne

Adventu exercitus Parmensis

trepidat Colonienſis & cæteri,

l) *Baburrus*) stultus, ineptus, *v. Isidor. Orig. L. 20. Gualdo in vita S. Anscharii c. 95. ex* Græco βαβύρρας, *v. Hesychius.*

m) *baburrando*) inepticndo.

n) *alexandri*) v. omnino *Lambert. Schafnab. ad ann. 1063. & 1064. & Platina de vitis Pontif. p. 322.*

o) *galaxea*) lacteum Circulum in cœlo; ex Græco.

p) *macrobiam*) longævam.

q) *agya sophya*) sancta sapientia.

r) *Parmensis*) de expetitione illa Parmensis exercitus, *v. Leo Ostiensis L. 3. c. 21.*

s) *Badacule*) ex Gallorum voce hodierna *Badaut*, qva hominem infimæ sortis designant, hoc vocabulum puto deducendum.

Beatrix cum debortari conatur.

si hoc vis perficere qvod mihi dixisti, me & te & regem occidisti. Ubi enim fuerimus notati nomine, atqve officio, judæ traditores adjudicabimur filii perditionis. Non est hoc tui juris sed imperatoris, & hoc debet fieri in synodo cum episcopis, qvi examinent causam sub testibus legitimis, levius deniqve evitabis iram regis qua argui times, qvam habyssum infamiæ, qua te absorbendum vides. Certe de duobus illicitis, sine necessitate impellimur ad quodlibet faciendum, majore prætermisso, minus est eligendum. Si hoc herodes fecisset, culpam homicidii non incurrisset. Age ergo o pater ne tua culpa ceteri sacerdotes, pro popularia conventicula vocitentur traditores. Quid plura? Eva vicit, qvia hunc in hescando vetitam escam mordere cohegit, statimqve a proposito cogitationis omnino quievit, rasisqve crinibus ad curiam rediit. Qvod ut cognovit rex ejusque curia, indignantur sibi præ communi omnium injuria. Annas autem habens similitudinem apopompei, *t*) cepit conspirare adversus christum domini. Qvod malum adhuc perdurat, det finem mali qui cuncta regendo & judicando procurat. Badaculus equidem reversus ad laterani sedem, gloriabatur se illam vicisse per legem. Continuo universi properant ad eum tanquam pisces ad vivaria firmantque fœdus cum eo, jurantes per evangelia Dei super crucem & altaria. Remansit solus frater Benzo, insanias falsas contradicens eis, in spiritu & habitu hysmahelis. *u*) De quo dicit scriptura, quia manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum. Dolens igitur frater Benzo, conatus est hos transfugas revocare ab errore hydololatriæ, ad culturam catholicæ fidei, & ad conservandam fidelitatem cesaris HEINRICI, singulariter atque universaliter scripsit ad eos ea quæ continent sequentia libri.

Colonienſis conſpirat contra Henricum.

Benzo reliquos diuovere nititur.

A

B

C

PROLOGUS LIBRI QUARTI.

CAP. XXVIIII.

Admonitio ad Coëpiscopos, ut Deum colant, & Regi fidem præstent.

SI peccaverit vir in virum, orabit pro eo sacerdos, & si sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo? si nolumus fratres & coëpiscopi in æternum perire, expedit nobis verbis Deum obedire, qui dixit; Non poteſtis duobus dominis servire. In domo & enim Domini estis plantati, manibus regis, non manibus follepprandi. *w*) Oportet itaque ut sitis subjecti plantatori, minime autem supplantatori; Regi namque debetis miliciam, qui vos erexit ad præsulatus honorem. Archiepiscopo autem synodalem obœdientiam, qui afflatu spiritus sancti effudit super vos tanti honoris benedictionem; Quid ergo vobis cum cucullano aut cum aliquo symoniano? Cur post Deum domnum nostrum regem abdicatis, & ad apostatam festinatis? Cur collectam ex beneficio regis peccuniam, in obseqvio diaboli consumitis, & laboranti regi de suo sibi ministrare refugitis? Non recolitis quod dixit ipse Deus, videlicet qui reddit malum pro bono, non recedat malum de domo ejus. Ad viam ergo regiam quæ est via virtutum, confratres & coepiscopi redite, & salutaria monita sequentis libri aure cordis vigilanter audite.

D

INCIPIT LIBER QUARTUS.

CAP. XXX.

AMMONITIO AD TEODALDUM ARCHIEPISCOPUM.

NOn habentes cor virile dicenti sunt feminæ, timidi sine timore, notho, nati semine fugitivi velut damæ, prosequente nemine, facti sunt per totum orbem, at at interjectio, & proverbium & risus, & plebis abjectio, per conventus populorum legitur hec lectio. Vos qui estis vere viri respicite secula, segregate dignos laude, ab infusis nebula, istos sepelit abyssus erigit hos specula. Non ignavis terga dentur, demonstrate faciem, ordinate contra tales terribilem aciem qui videntur sibi pingves, vertantur in maciem. Ab inicio mendaces certant cum veracibus, semper fraus in scrobem cadit cum suis sequacibus, non est ergo formidanda pugna cum fugacibus. Ante legem & sub lege in lite primaria, contriverunt patres nostri tela adversaria, hostium collo suspensa, mola asinaria. Tres in medium ducamus ex priorum numero, david regem, & sampsonem cum extento humero, danihelem qui elegit depasci cucumero. *x*) David emulos turpavit abscidens præputia, sampson vulpibus est ultus, dalilæ convicia, danihel destruxit belum, arte cinericia. Hæc sunt enim sacramenta, hec sunt verba mistica, non sunt sucis obumbrata, sed neque sophystica, si quis ea perscrutetur inveniet pistica. *y*) Et in novo testamento nostri primicerii, dolos symonis vincentes ad decus imperii, ostenderunt nobis viam summi desiderii. Post hos plures extiterunt adhlete mirabiles, qui in arce præliandi fuerunt laudabiles, contra sectas multiformes, atque condempnabiles. Nostra quidem sub ætate fuisset gemma præsulum, leo ille versellensis ornans totum seculum, in quo fratres mirabantur ut vultus ad speculum. Valde potens in sermone efficax in opere, sapientiæ vestitus septiformi podere, *z*) pro

Hem fratres

fuit

---

t) *apopompei*) venti abducentis, qvo pervenire cupiunt nautæ; ex Græco.

u) *hysmaelis*) Ismaelis.

w) *follebrandi*) Hildebrandi, v. supra.

x) *Cucumero*) i. e. cibis vilioribus; Danielem pulmentaria sibi suisque sociis expetiisse, ne opiparis epulis à Rege destinatis semet inquinarent, constat ex *Daniel. I, 12. sq.*

y) *pistica*) fidelia, à πίστις, fides.

z) *podere*) tunica talari, à ποδήρης, v. supra.

eccle

ecclesiis pugnavit animo & corpore, ardoinum qui se regem dicebat in gentibus diademate privavit sparonistis *a)* flentibus pax in cœlo pax in terra angelis gaudentibus. Hujus erant adjutores arnulfus ambrosii, nec non vuido papiensis, heres theodosii, & novariensis petrus non impar horosii. *b)* Post hos pater heribertus, terror dissidentium, raginaldus, currus regni, qvies papiensium, & riprandus splendor orbis dux novariensium. In consiliis cum rege, hii sedebant judices, non kamelos gluciebant, nec liqvabant culices, nec leonibus obmissis currebant post pulices. Leo græcum contempnavit ottonis imperio, & riprandus gracianum HEINRICI, cauterio, vos debetis idem seqvi assumpto psalterio. Ceteri ejus ætatis barones episcopi, invicem se aspergebant ramusculis hyssopi, calciati procedebant ex calceis piropi. Qvi tenetis horum loca, in sanctis ecclesiis, similes illis estote in divinis preliis, triumphantes obviate falsis philateriis. Hercules hydram prostravit abscisis capitibus, sic & vos supersedete malignis spiritibus, qvi conturbant sortem nostram fraudulentis litibus. Qvidam buzi *c)* sacerdotis proles det estabilis, contra vos qvi super omnes estis, honorabilis, debriat *d)* nobis subjectos arrianis crapulis. Jam invasit error iste qvosdam de principibus, qvi insultant universis nostris participibus, horum lingvam lacerate ferreis forcipibus. Surgite ne timeatis contra eos pergere, vestrum est talium sordes a nobis abstergere, te præsente cesset lupus fideles discerpere. Qvia igitur videtis qvod non fuit primitus, multiformi cogitatu estote solliciti, donec istud evellatur de terra radicitus. Numqvid patribus præmissis vos estis deterior? omni genere virtutum apparetis melior, natu opibus & sensu omnibus superior.

CAP. XXXI.

AMMONITIO AD DIONISIUM PLACENTINUM EPISCOPUM.

DOmno Dionisio. Planetarum gaudienti *e)* mixolidio, *f)* frater Benzo, prudentiæ oculum & terampetiæ *g)* poculum. Cum scriptum sit; sine consilio nil facias, cur me inconsulto perqvisistis illicitas gratias? In privata autem re, unusqvisqve in suo sensu habundet. In re vero communi si gradimur per diverticula, multa e regione occurrent pericula. Qvod minime perspicitis, qvia in vobismet tanqvam justus confiditis; Non est vobis cura de aliqvod qvasi tutus in astutiæ angulo. Cavendum est ne mordeat coluber calcaneum vitæ, licet tria oscula porrexerint vobis tres caritæ. Prima enim fronti infixit oculum, per qvod habetis incomparandæ pulchritudinis flosculum. Secunda qvidem hori aptavit basium, in qvo geritis eloqventiæ bravium. Tercia vero deosculata est pectus, ubi reposuit sapientiæ, & scientiæ qvestus. Hinc est qvod nimia formositate ganimedem obfuscatis; tullium & demostenem perorando conculcatis salomonem vero in scientia prævolatis. Hinc est qvod ad comparationem vestri, omnes nos sine albedine, sine lingva, sine sale, comprobatis. Hoc est ethyopes, traulos, *i)* & rancidos judicatis; Totus igitur sapiens, facundus & pulcher parvi curatis, limatus, aut ferrugineus, nos feriat culter. Quid erpo erit nobis? Fugiamus ad eum qui dixit; Venite ad me omnes qvi laboratis, qui trepidatis. Ego autem a vobis auferam omnes larvas calamitatis. Non sit ergo nobis vanum qvam totius arripere consilium sanum. Qvia iste formosus, iste facetus, iste plus qvam salomon hic, non erit nobiscum istic aut illic. Sibi soli providet, suæ causæ invigilat, flocci pendit qva occasione qvisqve deficiat. Sed huic tam diviti, tam potenti, ceteros hominum despicienti unum deest. Porro unum est necessarium qved non habet suum viridarium. Nam ubi carite eum deosculando ditaverunt, pystis, helpis, & agapis, *k)* a longe steterunt. Dicentes oscula caritum, ad tempus proficere, tantum in carnea superficie. Temporaneam igitur altitudinem illius he tres reliqverunt, & humilitatem nostram visitare voluerunt. Habeat ergo ille suas caritas, & nos possidebimus trium sororum incomparabiles margaritas. Verum si dignamini redire ad participium pristinæ societatis, nostra faciemus communia in unitate trinitatis.

CAP. XXXII.

AMMONITIO AD CUNIBERTUM TAURINENSEM EPISCOPUM.

Monet, ut Regi obediant, ut sub uno capite sint contra hostes stent.

GAmbara vetus avia, fuit de scandinavia, exul a regni terminis, cum paucis sui germinis. Quibus dixit o filii, sit vobis mens pompilii, qui credulus hegeriæ, *l)* vixit expers miseriæ. si mihi credideritis, vos pauci multi eritis, mecum caput eligite, sub quo securi vivite. Fides sit nostra domina, & regat nos per omnia, fide namque salvabimur, ubicunque morabimur. Fidei stricti cingula, animantur ad singula, fide siunt inpavidi, ad triumphandum avidi. Fide crevit gens barbara, sicut prædixit gambara, regna devicit extera, sacra fidei dextera. Fides gerebat aqvilam, parans torvis sandapilam, beneficio

c) sparonistis) militibus hastatis, à voce Saxonica, *Sparen*, v. *Ekkehardus de Casibus monast.* & *Galli cap. 5. Chyzerius Germ. antiquæ p. 302.*

b) horosii) Orosii.

c) buzi) contemtui vel despectui habendi, uti interpretatur *Papias.*

d) debriat) inebriat, ingurgitat: *vita* S. *Paterni c. 9. Bronton. p. 1053.*

e) gaudienti) gaudenti, læto.

f) mixolidio) ellychnio lucernæ pretioso, sive aureo, a μύξα, & λύχνος.

g) terampetiæ) sanitatis, a θεραπεύω.

b) hori) ori.

i) traulos) balbos, blæsos, a τραῦλος.

k) pistis, helpis & agapis) fides, spes, charitas.

l) hegeriæ,) Egeriæ, nymphæ, cujus monitu se Romanorum sacra instituisse finxit Rex Numa, *v. Livius L. 1. c. 19.*

fidei,

fidei, hoſtes ſiebant lignei. Sacræ ſidei creduii, ungaros petunt heruli, ubi per qvædam tempora, hoſtica rumpunt pectora. Poſt hæc ſalutant latium, & ticine palacium, viſitant multa alia, regnando in italia. Fides perſeverantiam, diligit & conſtantiam, dat inſulas conſtantibus, regna perſeverantibus. Qvi incipit & deficit, hunc ab horcheſtra *m*) deicit, nullus ei vult credere, qui tali ſordet ſcelere. Per annorum volumina, tenuit mundi culmina, cum parvis & majoribus, fuit multis temporibus. Hujus erant ſigniferi, ſeniores epiſcopi, hanc firmant ſuis monitis in urbibus & compitis. Sed venerunt heretici, ebrii & frenetici; erraverunt ab utero, cum capite lucifero. Ibant per noſtras curias, ſuas docentes furias, facti ſervi perfidiæ, delatrabant cotidiæ. Contra fidem catholicam, nec non & apoſtolicam, ſed victi a noſtratibus, ceſſarunt a latratibus. Nunc nequiores ſpiritus in nos faciunt impetus, conantur nos invadere, & perfidiæ tradere. Legem ructant bucolicam, & non fidem catholicam, quibus ſi terga dabimus, nihil eſt quod pugnavimus. Si patarini vicerint, quid nobis patres dixerint? quorum dignas memorias cantamus & victorias. Patarinorum milia, velut alga ſunt vilia, fumus eſt horum fremitus, & phantaſia ſtrepitus. Qui hanc umbram timuerit, cadaver, non vir fuerit, quod ſine flatu ſternitur, & in cinerem vertitur. Fortes eſtote poſtulo, non vos ſeducat oſculo, quisque ridens ſub oculis, preſentans hæs *n*) in loculis. Hoc falſum beneficium, vertitur in exitium, finem rerum perpendite, calcaneum deſendite. Quid veſtra ſapientia, valet nunc ſi dementia? expoliat vos veſtibus, & nudos tradit peſtibus. Quicquid laici faciant, qui ſe fabulis faciant, ſtent firmiter epiſcopi, induti veſte fidei. Deum ſemper glorificent, & regem honorificent, a fide non exorbitent, patarinos excorticent. Reddant Deo quod Dei eſt, atque regi quod regis eſt implendo legem Domini, erunt ſicut apoſtoli.

CAP. XXXIII.

HYPOREIENSI *o*) EPISCOPO.

Hortatur exemplo Anteceſſorum & aliorum, ut fidelis ſit Regi.

Dic ſub modio cur lates, o lucerna præſulum, ſapientiæ vibratu qui luſtrabas ſeculum, non in ira coherecebas in peccatis vetulum. Heres enim es illius qui noſtras æccleſias, libertavit contra malos, opponens maccrias, honera noſtra portavit tulitque miſerias. Dominus ſcilicet vuarmundus, fratrum ſpes firmiſſima, contra faciem damaſſi, turris invictiſſima, clypeus hepaminundæ *p*) ad tela nequiſſima. Hic leonis vercellenſis extitit aſſecula *q*) quo lucente vaneſcebat zypheorum *r*) nebula, cujus par non eſt in terra, nec erit in ſecula. Sub leone & vuarmundo fuit ætas aurea, horum plantis erat ſupplex rabies æquorea, ſomata *s*) quidem gygantum fecerunt marmorea. Iſti regum laterales, & fortunæ ſocii, quos volebant abſcondebant in ſinibus ocii, quosdam vero fatigabant curſibus negocii. His patronis facer ordo celebrabat ſabbatum, ceteri ſemper egroti, non tollebant grabatum, ſed in multis cruciati, expetebant baratrum. Numquid erant iſti ſoli bellatores inclyti? ſibi dextras porrigebant invicem epiſcopi, aqua ſancta ſe ſpergebant ramuſculis hyſopi. Inter ſratres deteſtanda nunc regnat diviſio, quorum matres tuam matrem ſecuntur familio, *t*) quæ eſſudit quos abhorrent qui ſunt in helſio. *u*) Noſtros vero præceſſores jungebat concordia, nos ab invicem ſejungit invidens ſocordia, illi autem retinebat fidei primordia. Unusquisque loco ſuo ſydus erat rutilum, & nos ſumus contra eos tenebræ & lubricum, angelus idcirco malus nos urguet ad ſyrticum. *x*) Ne accipiat in malum præſularis curia, ſi quid loquar de communi omnium injuria, ſine ſenſu reddit eos qualiscumque furia. Cum ſint nati de minervæ ſpirituali ſemine, ad ruinam quare vadunt deducente nemine? non jam viri deputantur, ſed ut viles feminæ. Qui nos autem præceſſerunt barones & incliti, magni precii *fuerunt* nullatenus timidi, apparebant phantaſiis in *vultu terribili*. Melior fuit landulfus cum ſua pinguedine, *quam* ſit domnus cunibertus in metri dulcedine, non ad eum proximabant deceptorum neniæ. Pocior fuit alricus tardus corpulentia, qvam ſit ingo ſatis celer in adoleſcentia, in humana qui confidit nimis ſapientia. Et quis neſciat vuidonem virum probatiſſimum, licit ei ſubſtitutus fingat ſe ſanctiſſimum, ne quid nimis mandant fratres cogitet ſepiſſimum. Magnus petrus tantus erat, quanta eſt italia, de quo vere procedebant tunc magna magnalia, quis audebit comparare ſibi qvædam alia? Placentinus ſigifredus probitate præditus, nullus ei coeqvatur, ut porphyrogenitus, inter homines morando verſabatur cælitus. Num vuidoni & rainaldo regni propugnacula, ſimilabitur vir ille qvi pavet ut damula, hoſtes illi fulgurabant galaxei facula. Qvis erit ut heribertus in mundi plaiciæ, fuit enim chriſtianæ ſigniſer miliciæ, expurgavit ſortem noſtram fermento maliciæ. Et qvis valet eſſe compar riprando novariæ, qvem elegit cruciſixus in loco calvariæ, cum duodecim eſt judex plebis ſiniſtrariæ. Magnus leo, leo fortis, leo ammirabilis, poliphemum qvi proſtravit inde venerabilis, ſine paribus eſt ſcriptus in ſupernis tabulis. Qvid de nobis qvid de nobis nimis peccatoribus, qvi commune poſ-

m) *horcheſtra*) orcheſtra, locus Theatri, ubi optimates conſidebant.

n) *hæs*) æs.

o) *Hyporeienſi*) Hyporea, hodie Italis *Ivrea*.

p) *hepaminundæ*) Epaminondæ, Thebanorum Ducis bellici.

q) *aſſecula*) aſſecla.

r) *zypheorum*) caligantium, a ζόφος, caligo.

s) *ſomata*) corpora.

t) *lamiſio*) lamentatione, ejulatu, uti contextus id indicat.

u) *helſio*) Elyſio, ſeu in cælo. Ethnici enim cœlestia gaudia ſub nomine camporum Elyſiorum imaginabantur, v. *Origenes L. 7. contra Celſum p. 358.*

x) *Syrticum*) Syrtes, hoc eſt ſcopulos, vel loca arenoſa in mari, v. *Selin. in Polybiſt. c. 31.*

ſidemus

fidemus nomen cum majoribus, rebus aliis videmur pejores prioribus; Quia sentit nos divisos persequens astutia, penes eam sumus viles utpote pathnutia, y) viscera nostra conturbat sua cataputia, z) Ut post fugam nos ad tubam ducat verecundia, satis sit quod nos seduxerunt verba gerundia, sensibus non simus illi quos fovent crepundia. Rex in nobis multum fidit, & eum dimittimus? nos a vulgo sequestravit ponens cum principibus, & ad alium migramus quo nihil iniquius. Qui hec audis de majorum veniens progeniæ, fugientibus occurre dum est locus veniæ, consule quocunque modo potestati regiæ. Imitaris ciceronem sequeris salustium, in catalogo virorum es scriptus illustrium, frange nostræ captionis perplexum gurgustium. a) Si te trahit ad ruinam angelus invidiæ, & in te si prævalebunt hostiles insidiæ, timeo ne moriaris in sinu perfidiæ. Sta constanter homo Dei verax cultor fidei, esto fortis & robustus ad exemplar tydei, fient hostes te jubente confestim lapidei. Non ignoras qvod est factum gorgonis de capite, dum contendere cum jove voluissent lapithe, pallidis ope sunt facti duriores lapide. Recondantur pater sancte in cordis sacrario, qvæ procedunt ex amici humilis armario, per hec enim sies primus in regis solario.

CAP. XXXIIII.

FIdes veniens de summis cælorum culminibus, habitare cum terrenis voluit hominibus, ut terrigenas cum celsis vinciret ordinibus. Circuivit ergo terram ambulans per patrias, una summis conjungebat calcans hydolatrias, legem Dei prædicabat confringebat statuas; Qvod perfidia dum vidit, unum clausit oculum, monuit exorbitare jam fidelem populum, porrigebat qvibuscunqve cæcitatis poculum. Hoc ajebat, nemo credat fidei sermonibus, illa vult vos ceaptare legitimis moribus, ego vobis laxo frena patefactis foribus. Clausus erat protoplastus in qvodam pomerio, fides eum cohercebat sub legis imperio, ego reddidi solutum rupto monasterio. Statim autem ut momordit meo jussu vetitum valvas orci referando præparavi exitum, in sudore cybum sumat qvod est morsus meritum. Et qvi erat paradysum peragrare solitus, munduſei b) mancipetur in maligno positus, non sit requies in illo ante diem obitus. Ne sit nudus vestiatur tunica pellicia, velit, nolit, consenescat in nostra militia, adportandos hunc curvabit fasces avaritia. Qvem cupiditas docebit aliena qværere, qvalicunqve qvibit modo etjam cum scelere, & tenacitas monstrabit fossis cuncta credere. Talibus deliramentis congregantur perfidi, & qvi sunt qvocunqve modo ad peccandum fervidi, & medea fascinante qvi videntur herbidi. Cahin profugum & vagum, caput sibi eligunt, sub qvo urbem construentes muris eam sepiunt concedatur ut abusus communiter exigunt. Tunc deceptrix horum dixit non detur abusio nisi generis humani veniat confusio, & discurrat inter eos demonum illusio. Adsint collo cum inflato filii superbiæ, eos qvidem consequatur, phalanx lingvæ tertiæ, & fatuitas qvæ caret spiritu sollertiæ. Nec hypocritarum desit biceps satellicium, qvi simplicibus illudunt per falsum cilicium, & ut sancti videantur ungunt capillicium. Veniant omnes latrones, mendaces & subdoli, baratrones & perjuri, rapaces, adulteri, & paterno qvi non timent interesse funeri. Et velatas d) qvi usurpant qvod est exsecrabile, & qui fiunt sodomite malum detestabile, & qvicunqve fornicantur piis intollerabile. Si qvi forte commiserunt dictu horribilia, sicut culleo consuti protestantur hylia, cicius introducantur ut cara familia. Omne scelus omne crimen intrent in hec mœnia, traditores huc accurrant velut ad hencenia, e) & quicumqve desperantur qvod est sine venia. Non huc intrent sacerdotes, foris stent episcopi, qvia se vicissim spargunt ramusculis hysopi, qvorum manus est porrecta pupillo & inopi. Meis intus congregatis urbi nomen inferam, & abusum qvem exoptant sanccire non differam, in commune personabo tabulam mortiferam. Huic urbi sit æternum nomen babylonia, ibi enim perditorum locetur colonia, stridor dentium & luctus sit pro alimonia. Voso mei sine fide quicqvid vultis facite, in delicti volutabro libenter vos jacite, voluptatibus vacate neqve gulæ parcite. Cenodoxia, vobiscum sit & phylargiria, vobis enim ministrabunt planctum & suspiria, & perducent in infernum ad mille martyria. Sancta fides sumptis paucis struxit cymiterium, in qvo gentis christianæ posuit imperium, habet qvoqve sui gregis fecit primicerium. f) Et vocavit nomen ejus diva hierusoluma, ubi omnes coronantur honore & gloria in runcina qvi conflantur ut sint sine scoria: Ibi justi ordinantur mites & pacifici, & qvi habent cor contritum, genus sacrificii, & qvi sunt humilitatis veraces nutricii. Et qvi amant castitatem & colunt jejunia, & qvi tristes consolantur effusa peccunia, & qui sua cum egenis faciunt communia. Qui observant qvod est scriptum in duabus tabulis, qvi avertunt aures suas a mundanis fabulis, qvorum mentes sunt immunes criminosis macu-

y) *pathnutia*) stabulum vel vile receptaculum, à φάτνη stabulum.

z) *cataputia*) medicorum pilluæ, v. *Marcellus Empiricus c. 16.* & *Champerius* ad eundem.

a) *gurgustium*) locus coarctatus ad capiendos pisces, v. *Thuroczi in Carolo Rege Hungar. c. 97.*

b) *munduſei*) mundus ei.

c) *herbidi*) herbas seu gramen, id est, nova peccata proferentes, v. *Colvenerium in Glosar. ad Baldricum.*

d) *velatas*) moniales, velo amictas.

e) *hencenia*) Encænia, feriæ in memoriam fundatæ Ecclesiæ, in quovis loco constitutæ, v. *Magdeb. Cent. 4. c. 6.*

f) *primicerium*) primicerius est quilibet primus in suo ordine, v. *l. 2. Cod. de domest. & protector.* & *l. 1. Cod. de mensor. Paul. Diacon. hist. Longob. l. 4. c. 34.*

lis. Cum hierarchis & prophetis fides regnum tenuit, usqve qvo maria virgo Deum nobis genuit, per apostolos deinceps cum multis consenuit. Non in sanctis prævalebat multiplex martyrium, fides oculos purgabat qvasi per collyrium, tamqvam aurum colorati petebant hempyrium. Post per magnum constantinum subjugavit seculum, mundo corde se videbant cuncti non per speculum, renitebat inter omnes sacer ordo præsulum. Sed constantius a fide dissesit cum arrio, fecit plures egrotare in morbo psiatico, *g*) qvi non bene sentiebant de nostro paraclyto. Sic paulatim defluxerunt tamqvam stillicidium, operantes in se ipsos stulti homicidium, & a fide exeuntes fecerunt discidium. Heu campum occupavit deceptrix perfidia, eam qvippe instigavit turbatrix invidia, sed a nostræ sortis fides secessit præsidia. Hiis exceptis ad hanc pestem convolarunt ceteri, transgressores sunt effecti cum homine veteri, & a fide alieni & a Deo exteri. Currunt enim tamqvam pisces ad alta vivaria, aula Dei jam remansit qvasi solitaria, & derisui habentur Domini altaria. Nova monstra patarini famuli perfidiæ, sicut vermes de fetore nascuntur cotidiæ, cursu demonis permixti qvi currit meridie. Non formidant sacerdotum apices invadere, & conantur astra cæli de supernis trahere, hoc est præsules a fide heu cohortant cadere. O beati successores patrum præcedentium, qvi jam estis ordinati in terra viventium, ne velitis terga dare qvisqviliis gentium. *Unusqvisqve* suæ urbis patronum prospiciat, ejus dicta atqve facta infidis obiciat, & a fide christiana neqvaqvam deficiat. Nostri sancti nil timebant latrante tyrannide, neqve fidem abscondebant sub terroris clamide, in æcclesiis sunt modo mali sub pyramide. Vos qvi estis digna menbra glorioſi capitis, non videtis persequentem & jam fugam capitis? sic timetis ac si esset certamen cum lapithis. State state fides vera, fideles non deserit, si qvis autem ejus jura ignorantur præterit, revertatur ei portam, statim fides aperit. Et si stellæ cecidissent de cælis ad tartarum, de novariensi sole qvis sentiret catharum? qvi adversus ophyaltem deportabat labarum. Hoc si moysi levita murmuret aut presbiter, ut si angelus de cælo susurret hoc leniter, anathema super eum descendat celeriter. Nam in eo rex & fratres simul reqviescimus, & per eum emundamur ab his qvæ negleximus, eo quidem veniente fugit hostis pessimus.

CAP. XXXV.

ITEM AMMONITIO AD ARCHIEPISCOPUM. *b*)

Laudat maiores Cleri anteriores.

Priorum vita præsulum, aureum vidit seculum, fructus pacis cum gaudio, habens non sub modo, sed palam coram omnibus foris & in domibus. Nusqvam erat turbatio, totum regebat ratio, qviescebant terrestria, veluti cælestia, devote stabant clerici, ut chori angelici. O tempora felicia sine dolo malicia, sine sollicitudine, sine turpitudine, erroris absqve nebula, tota patrum secula. Nobis aliter accidit, nam unusqvisqve aspicit, qvantas patimur furias, qvantas & injurias, non potest penna scribere, cunctas fraudes vipere. Infernus totum vomuit, qvod habet & qvod potuit, turbavit terram mare, atqve sanctuaria, ad quem debemus fugere, ausus est concutere. Hoc est principem principum, qvi tenet legis vinculum, ipsum temptavit præliis, divulsis maceriis, opponens ei hydolum, falsum atqve frivolum. Inter nos facit scismata, blasphemando karismata, quæ fiunt in æcclesiis, quibus obstat heresis, quod cernimus cottidie non est opus dicere. Altera fides colitur, cui qvi credit moritur, hanc patarini prædicant, aras ei dedicant, contempnunt sacrificium, & dignum officium. Antechristina tempora, qvorum dam itenent pectora, ob hoc qvidam episcopi, sponte facti miseri, heu relictis labaris, adhesserunt pataris. Tu solus es in prælio, decertans pro imperio, & pro fide catholica, atque apostolica, achates ante faciem, vadit sternens aciem. O signifer æcclesiæ, archos pater egregie, qvem cernis non deficere, sed magis proficere, præsenta tuis litteris, ante vultum principis. Dic regi quanta pertuli, quando zabulum expuli, de romanis palacis, & gazophylaciis ad regis amiciciam, retorsi militiam. Quis dabit ei meritum, qui sic tenet anhelitum? sitticini palacium, dabitur & lacium, non erit redhibitio, tanto pro servicio. Tu pater videns militem, armis fidei divitem, decet ut verbis liqvidis, aurem pulses principis, huic quo reddat premium, post tam longum prælium. Talionem qui viderit, ad pugnam mox redierit, frontem monstrabit frontibus factus hostis hostibus, aquilas trudet aquilis in belli spectaculis. Tu qui crucis signaculum, bajulas contra zabulum, dum mea laudas vulnera, tua quæris munera, cum agonistam prædicas, temet ipsum dedicas.

CAP. XXXVI.

HYPOREIENSI *i*) EPISCOPO.

DEsolatur omne regnum vadens post divortium, viles fiunt sequestratæ legiones fortium, hæresis latenter fodit scrobes milie mortium. Unus dicit ego pauli, sum alter apollinis, tercius cephe se jactat celsioris nominis, sic dividere conantur christum Deum dominis. Buzi quidam sacerdotis proles putidissima, novos facit buzianos seminando scismata, contradicit consecrandis, divina karismata. Nullus hominum occurrit inportu-

g). *psiatico*) psiathus, matta, teges ex junco aut papyro confecta, *Papiæ* etiam, cilicium significat; inde sub morbo psiatico, squalores & ærumnæ carceris, hominibus semper psiatlis incubare coactis, mihi videntur intelligi, quibus Constantius ab Arianis seductus, in orthodoxos sæviit, *v. Anastas. Apolog. & Epist. ad Solitarios p. 811. sq. Socrat. L. 2. c. 26.* licet cum excuset *Gregor. Nazianzen. Orat. 3. & 4.*

b) *Archi Episcopum,*) nempe Coloniensem, cui tum hæc cura fuerat demandata,

i) *Hyporeiensi*) Hyporea, hodie *Jorea.*

nis canibus delatrantes nemo terret, nec fuste, nec manibus similes sunt conticentes, picturis inanibus. Tu defensor veritatis ne petas tribulum, pedites asta pulsare quale est periculum? ut crementur hæ ligari tales in fasciculum. Non es homo sine sale, trito plenus pipere, oleo perunctus sacro, non cruore viperæ, nil habes cum hyæna hæc, filius es liberæ. Spiritus & enim Christi tuis est in naribus quanta tibi facit Deus ne abscondas paribus, vice petri nos confirma dictis salutaribus. Omnibus rite locatis mei curam adhibe, me præsenta regi nostro litterarum adipe, die quid passus fui romæ pugnando cum haspide. His adjunge quod pro rege inceſſanter dimico, hostem ferio lapillis de vase davidico, me bellante jacet hostis compar paralitico. Tuis verbis adhornato *k*) benzonis audaciam, qua laceſſo, qui non recte tenet neomaciam *l*) donec laxet quod usurpat, nullum finem faciam. Quod se decet regis honor diligat judicium, & remuneret clementer fidelis servicium, approbabit istud plastes plus quam sacrificium.

CAP. XXXVII.

OMNIBUS EPISCOPIS.

CAput peccati fuit superbia de qua sunt scripta multa proverbia. Ipsa temptavit primitus angelos, quosdam illorum fecit diabolos. De paradiso projecit hominem, omnium rerum conturbat ordinem. Seminat lites atque discordias, Christi non cantat misericordias. Pulsat tyramnos obstare regibus, fœdera rumpit neglectis legibus. Certare docet caudam cum capite, ut præsumpserunt cum jove lapithæ. Preponit gregem suis pastoribus posteriores prefert prioribus. Subruit urbes atque palacia, christianorum non vult solatia. Subvertit regna, curvat imperia, culmine lapsos replet miseria. Exemplo nobis est babylonia, moenia cujus servant demonia. Et rex illius effectus bestia, nos saciari docet modestia. Qui delectatur quidem superfluis, ad instar regis erit cum bestiis. Qui se castigat damnis alterius, huic dicetur scande superius. Ad Deum nostrum sint nostri oculi, ab ipso datur potestas populi. Si potestati resistunt aliqui, Deo videntur esse contrarii. Eradicantur de loco penitus, quos repentinus vorat interitus. Non remanebit horum posteritas, hæc est vindicta quam facit veritas. Cui de factis redditur ratio, per cujus manum fit ordinatio. Regnorum, regum & magistratuum, orbis terrarum & potentatuum. Huic agamus sedulo gratias, cæsari nostro quo det pancracias. Atque triumphum jugis victoriæ, qui est rex regum & Deus gloriæ.

CAP. XXXVIII.

AD EPISCOPUM PAPIENSEM.

HOnor Regni vuilelme, rector papiensium, annis vivas quot sunt undæ aquarum currentium, videas post Dei bona in terra viventium. Bonitatis tuæ fama jam transivit maria, angeli te inphulatum dicunt ad altaria, tua vita toto orbi fat est necessaria. Salvet Deus HEINRICUM regem nobilissimum, veritatis defensorem & christianissimum, qui præfecit te papiæ præsulem dignissimum. Ergo decet ut pro rege nunc in campum salias, & a lupis tueris nos & oves alias, ecce tempus pariendi, justum est ut parias. Postquam rex te ad honorem levavit feliciter, sancti syri ampliavit aulam multipliciter, ut se ipsum te & tuos amat unanimiter. Respondere debes certe tantis beneficiis, hostibus regis occurrens mille artificiis, omnibus ostende qui sis talibus indiciis. Non ab arbore procedis vili nata genere, sed de cedris paradisi uti possint cernere, qui cognoscunt tuam gentem delapsam ab hethere. Dictis factis, ut oportet redde sua cæsari, inimicos ejus merge in profundum trenari, *n*) holoserneni redde truncum cum filia merari.

laudat ipsius mores, & hortatur, ut fidelis sit.

CAP. XXXVIII.

OMNIBUS EPISCOPIS.

QUod cynifiones *o*) fidem flocci pendunt, oleum quoque somnolentis vendunt, qui sapit tantum ad sobrietatem, subsannat prorsus hanc fatuitatem. Bilinguis turba crevit super numerum, veluti muscæ ad fetorem vulnerum, hos scribit mundus in suis matriculis, vix invenitur fides in christicolis. Non derivantur tales ab origine, sed de novella fluunt scaturigine undique versus effundunt hanc nausiam, per omnes terras & ad usque scotiam. Ab universis erratur ordinibus, remansit fides in paucis hominibus, sed electorum melior est paucitas, quam dissonantum infidelis raucitas. Fidem servanti nil nocebit fascinus, ibit in vanum ut vapor fumacinus, adversus crucem nihil est illusio, contra veraces nil valet abusio. Cur patarinos timetis, episcopi? vos enim purgat fasciculus hysopi, illos condempnat quod amant mendacium, ut psycophantam *p*) damnavit acasium. Ecclesiarum vos columpnæ aureæ, tumentem statum non curantes boreæ, in fide recta durate viriliter, state cum rege omnes unanimiter.

Monet, ne timeant adversarios.

CAP. XL.

ITEM AD DIONISIUM PLACENTINUM EPISCOPUM, EX PARTE ALBENSIS EPISCOPI.

SEnex puerum portavit, porta puer vetulum, quia nimis conturbatum me contur-bat seculum, mecuram geras precor, tu o

fidelem Regi esse jubet.

k) *adhornato*) adorna.

l) *neomaciam*) novam pugnandi rationem, a μάχη, *pugna*, ita enim reddere malui, quam *novam constructionem*, *a macio*, constructor, Gallis *maçon*.

m) *hethere*) æthere.

n) *trenari*) planctus, v. supra.

o) *Cynifiones*) Cinifio, sive Cinifero dicitur, qui cum folliculo flammam ignis excitat, aut qui ferrum calefacit, quo capilli crispantur, v. *Joann. Scriberiens. in Poetic. L. 3. c. 12.*

p) *psycophantam*) sycophantam, falsidicum, mendacem, ut est in *Plauto Trin. act. 3. scen. 3. v. 86. & Act. 4. scen. 2. v. 25.*

gemma præsulum. Est humanum atque pium condolere miseris, cynis *q*) enim oblivisci numquam debet cyneris, ora ergo pro infirmo liberior liberis. Quæ torquebat pedes meos passio diutina, ea capitis invasit pretiosa lumina, unde fluunt intermisse lacrimarum flumina. Quia desum, tu adesto pro me in judicio, & si cariam dic legem heresis de vitio, quæ præsumpsit contra Deum in orbis initio. Sta pro rege contra omnes suos adversarios, fecit enim te & tuos in regno primarios, creans eos chyliarchas hoc est millenarios. Duplex causa te invitat, ut pro rege dimices, dedit tibi summas alpes quas tenebant hybices, præstitit ut istos plantes aliosque dissipes.

CAP. XLI.

ITEM UNIVERSIS EPISCOPIS.

Monet, ut ratione duce Regem defendant.

INsanctis narratur æccleſiis, quod homo ſit Kyrrios *r*) beſtiis, utens eſt quippe rationibus, quod denegatum eſt peccoribus. Intellectus ei tribuiter, per quem ſlammis cæli conjungitur, erectus ſurſum habitudine, ornatur lingvæ pulchritudine. Honoratus talibus graciis, nec non angelorum ſolaciis, paradili poſſeſſor exitit, quem inſtigante gula perdidit. De hac quod cecidimus gloria, dum recolit noſtra memoria, amári cordis crebra ſuſpiria indeſinenter pulſant hylia. *s*) Nec mirum ſi deficit animus, ubi caro ſudat pro panibus, ſvavitatis uſa ædulio nunc rodit ſabas ut gurgulio. In quanta verſamur miſeria, proferre nequiſſet hegeria, quamvis egreſſa de gente ſuperum, quamvis invenit prima numerum. Invidia pulſi de patria, cujus ſpacioſa ſunt atria, ad tenebrarum ducti exilium, amamus vana rerum vilium. Cur aurem præbemus diabolo, qui ſerere ſvadet in ſabulo, poſtquam erit corpus exanime ſterelitatem mavult animæ. Mundi brevitatem diligere, hoc eſt beſtialiter vivere, revertamur ad vitæ moenia, ubi æterna ſunt hencenia. Duobus ſervire qui nititur, ſtultiſſimus omnium dicitur, calicem Chriſti qui vult bibere, venenum prorſus ſpernat vipere. Brutorum eſt ire poſt ſeculum, quem cernunt flagitiis vetulum, ceci cum ceco ad præcipitium, eunt ſequendo mundi vitium. Pro rebus caducis & vilibus cur noſtrum factorem negligimus? qui nos redemit cruore proprio, ne ſimus hoſtis ſub obprobrio. Ne ſimus perpetuo miſeri, propiuqus dignatus eſt fieri, nos coheredes ſibi voluit, noſtræ ruinæ nam condoluit. Conſratres ſecit de manzeribus puriſſimos reddens ſceleribus, Deo noſtro ſiet injuria, ſi nos uſurpet orbis furia. Quos ratio præfert pecudibus cum porcis cur gaudent paludibus? utantur magis propria differentia flocci pendentes hec præſentia. Ne perdamus perpetem gloriam propter vitæ brevis memoriam, infelix erit in pertuum, cui arridet preſens ſeculum. Tranſit mundus cum phylargiria inferni quæ parat martyria, ubi eſt luctus & juge ſcandalum, ubi deludit urna tantalum. Quid prodeſt in tranſitu tangere qui tactu parturiunt plangere? ſinquamus ergo adæ pellicias, ſupernas amemus delicias. Habere debemus agalmata, quæ perdidit primus apoſtata, humilis quidem noſtra plantatio, conſtat ruinæ reparatio. Veraciter angelicrimus, ſi ſpiritu ambulaverimus, ad flægetonta nullus deſcenderit ni qui diabolus devenerit. Ergo ſeniores epiſcopi, eſtote pro rege ſolliciti, quid vobis fecit rex perpendite, & cauſas ejus vos defendite.

CAP. XLII.

AD PURCHARDUM EPISCOPUM ET CANCELLARIUM.

GRatulamur te veniſſe pater cancellariæ, te ſuſcipimus in ulnis omnes voluntariæ, ſapienter cogitato quid dicas primariæ. In exordio loquendi monſtra letam faciem, neque palpebris abſcondas oculorum aciem, te clariſſi mum oſtende lucens ultra glaciem. Sint dulcies ſermones tui atq; delectabiles, quibus reddas auditores mites & placabiles, ab hoc enim erunt omnes tanquam petra ſtabiles. Hos conſorta promittendo ſenioris gratiam, poſt hec quære ſi blaſphemant illius audaciam, qui uſurpat contra Deum petri neomaciam. Illis dium replicatis in conſpectu omnium, dic de novis buzianis qui non colunt Dominum, legem namque chriſtianam dicunt eſſe ſompnium. Aſſerunt non eſſe regem, neque ſacerdotium, ni per faſcinum hyrcani fiat hoc negotium, miſſas damnant, docent ſuos ſedere in otium. Conſecrari dedignantur transgreſſi inducias, quæ jubent infra tres menſes venire ad nuptias, kanones divinos putant nugales pathnutias. Cum clamore hos ſubſanna audiente populo, & ne bibant cunctos mone heresis de poculo, immo vindicent in eis ſpreto judæ loculo. Unum eſt de quo te volo pater cautum reddere hadeleidam *t*) appella in regali ſedere, voca eam regis matrem, ſi vis hoſtem perdere. Per legatum clama eam magiſtram concilii, dominam atque ductricem communis conſilii, ut hegeria dux fuit in cauſis pompilii. Aquilam de cælo trahis, ſi hoc pater dixeris, & plumabis non moventem qua parte volueris, plus profuerit hoc regi thelauris innumeris. Ne abhorreat magiſter quod dicit diſcipulus, habet enim umbram ſuam cujusque capillulus, ſi me audis diſrumpetur cannabæ funiculus. Si deſtruere confidis illius dividias, *x*) qui conturbat regem noſtrum per ſuas inſidias, plus eſt regi quam ſi dares trans mare numidias. Scio enim quibus vinclis pretheus ligabitur, qvo ligato rex cum grege ad cælum levabitur, & æccleſia ſub rege in pace morabitur.

---

q) *cynis*) cinis.
r) *kyrrios*) Dominus, vox Græca.
s) *hylia*) ilia, intestina.
t) *pathnutias*) res nihili, uti ex contextu patet, conf. ſupra.
u) *hadeleidam*) Adeleidam.
x) *dividias*) diſcordias, v. *Feſtus*.

PRÆ-

PRÆFATIO LIBRI QUINTI.

ETsi non omnia possumus omnes, tamen pro secundum posse sumus debiti Deo & regi pro acceptis beneficiis cottidianas reddere laudes. Unusqvisque de se videat, utrum Deum & regem veraciter diligat. Erga igitur herile obiequium, qvanta est flamma benzonici amoris, ex antecedentibus & conseqventibus potest experiri prudentia lectoris. Non est enim suæ opis singulatim exprimere universas temtationes fortunæ, quibus est vexatus cæsar, adhuc jacens in gremio puerilis cunæ. Si ne intermissione quidem conturbatus est in sua adolescentia, sive bellorum furiis, seu malignantium injuriis. Transiens autem frater benzo, per prata regalium accionum, collegit aliqvos flores plenos hodorum. Ut ab his valeat cæsar HEINRICUS, romanorum imperator augustus relevare animum, postqvam fuerit fatigatus multiplici lectione suorum annalium. Amant enim alterna camenæ, nam in fastidium vertitur, indelinenter sumere potum ex scaturrigine unius venæ. Qvapropter sicut supra scriptum est, decerpsit frater Benzo purpureas rosas ex multitudine regiæ actionis, quæ hodorisero *y*) halatu trahant cæsarem augustum ad sententias hujus lectionis. Decet utiqve qvatenus omnes ordines, ex provinciis regnorum, qvæ sub se continet romanum imperium, ut afferant suo imperatori munera, unusqvisque juxta suæ professionis ministerium. Et præsertim sacerdotes & levitæ, qvos episcopos faciens, elevat ultra cydum senis abderitæ. *z*) Inter qvos frater Benzo omnium minimus, offert ea qvæ indicat quinti codicis tytulus.

INCIPIT LIBER QVINTUS.

CAP. I.

POstqvam cæsar HEINRICUS galaxeum *a*) petiit, omnibus ab helementis *b*) omen grave exiit, quia fraus cum dolo fœdus contra fidem pepigit. Sol in tenebras est versus, & luna in sangvinem, piscibus ostendit mare tunc mortis hymaginem, *c*) tellus solitam negavit herbarum propaginem. Quicqvid monstri fuit usquam confestim apparuit, libanus in suis cedris vehementer aruit, babylon erexit caput, cades palma caruit. Mox in campum salierunt spiritus silvatici, paturini & ambrones, simul & artabati, atqve ligna colligentes sacro die sabbati: senes puerum portantes errarunt ab utero, qvi sub cesare sedebant in loco deutero, *d*) sed apostatantes cadunt a cardine supero. Conspirantes contra matrem, contra regem filium, statuentes separatim, hinc rosam, hinc lilium, hos privatos facientes, scandunt super titulum. O Deus habyssus *e*) multa, tua sunt judicia, qvæ sunt cunctis veneranda tanqvam sacrificia, licet ea nesciamus qvorum sunt indicia. Qvid est qvod se potuerunt a fide pervertere? cum fuissent mundo teste erecti de stercore, ab cuonradi HEINRICO romanorum cæsare. Hismahel qvidem effecti insequuntur puerum, ut pilosi se vicissim clamant alter alterum, faciunt opus servile, omne genus laterum. Ab his sumpsit monachellus publicam audaciam, in constituendis vappis *f*) per nummi fallaciam, cum pecudibus romanis tenens neomaciam. Qvalemcunqve depascebat in stabulo asinum, per quem posset præcantare stolidorum fascinum, illi crustas *g*) sibi dabant panem similaginum. Sed prandelli asinander asinus hereticus, congregavit patarinos *b*) ex viis & sepibus, & replevit totam terram urticis & vepribus. Qui dicebat non est templum, non est sacerdotium, nuptiarum improbabant, stabile negotium, sacrificium ridebant sedentes in ocium. Non est Deus asserentes, quid apostatacius? *i*) facti sunt ut symon magus, ut mendax acacius, non refugiunt ad petram sicut herinacius. *k*) Omnes pene se junxerunt his antichristalibus & præsertim baculares dant sinistras talibus, sociati parant bellum viris principalibus. Cum dedecore pellatur ab urbe circellio, *l*) orthodoxus ordinetur in Petri subsellio, cujus caput gestet mitram de lapide bdellio. HEINRICUM talis debet coronare cæsarem, totam legem qui cognoscat & novam & veterem, temperans cum fletu potum & manducans cynerem. Destruat quod asinander & prandellus monuit, nam uterque contra fidem catholicam docuit, & per omnes civitates error ille nocuit. Quia nemo mei memor, in tantis laboribus quibus romæ desudavi pro regis honoribus, quædam paucis explicabo rex magne sermonibus. Bellum egi cum prandello atque cum badaculo, qui thesaurum sancti petri ponebant in sacculo, eos expuli ab arca potitus pinnaculo. Omnes nobiles romani nati ex patriciis erant mecum colligati arcæ beneficiis capricornes tuebantur solis glandariciis. *m*) Decet tantum seniorem servo vicem reddere, quem blandicie nec mine cogunt terga vertere, qui non timuit pro

y) *hodorifero*) odorifero.

z) *abderitæ*) hoc est, supra circulum seu modum senis Democriti, Abderæ nati, Philosophi Physici; *Gellius L. 10. c. 17.*

a) *galaxeum*) cœlum; pars pro toto, per Synecdochen.

b) *helementis*) elementis.

c) *hymaginem*) imaginem.

d) *deutero*) secundo, à δεύτερος.

e) *habyssus*) abyssus.

f) *vappis*) vino corrupto, *Plin. H. N. L. 14. c. 20.*

g) *crustas*) crusta, fragmenta panis, uti subsequentia indicant.

b) *patarinos*) paterinos; sic compellati, qui Gregorio VII. adhærebant, quod ipsi Papæ, Patris nomen tribuerent, *v. Hugo Flaviniacensis in Chron. p. 218.*

i) *apostacius*) apostata.

k) *herinacius*) erinaceus; de qvo animali *Plin. H. N. l. 8. c. 37.*

l) *circellio*) Circulator, qvi qvæstus causa circumit, & circulos vel conventus cogit: hinc medio ævo *Circellio*, seu *Circilio*, qvi sub habitu monachi undiqvaqve vagatur.

m) *glandariciis*) qve glandes ferunt.

eo semetipsum perdere. Cæsar spes ecclesiarum studę sapientiæ, quæ tibi servabit arcem romanæ potentiæ, ante te vadens cavebit gonos *n*) fraudulentiæ. Nam si rex philosophatur quid est gloriosius? hec fecit justinianus hoc & theodosius, id exsequere quod constat auro pretiosius. Imperator HEINRICUS, pater tanti filii, sapienter rexit sceptrum summi domicilii, septem artibus ornatus ad instar pompilii. Dignum est ut tu patrisses in celsis honoribus redde patri suam formam, corde, manu, moribus, præstet Deus ut hoc agas, in multis temporibus. Triumphator HEINRICE ad te supplex fugio, de profundis medullarum ad te solum mugio, utque populantur sacra, perdat tuus pugio. Dextram porrige jacenti in porticu laticis, quem non angelus sed demon turbat cum scismaticis, & cum hyrcis & cum capris cum porcis silvaticis. Non demergat me in amnem mille formis vipera, mortis vulnus ei detur de manu legifera, & a plagis universis omnes tuos libera. Si hec facis, carus Deo eris & hominibus, per te fiet pax in terra, & in cunctis finibus, de te dominum laudabit universus spiritus.

CAP. II.

Monet, ut Rex breve tempus vitæ insigni-bus factis ornet.

REx cleoneus *o*) hoc operetur, quod ptolomeus, qui moysei *p*) dulcia scripta transtulit ad se forte i elicta, demoniorum sorde remota, sortilogorum fretus at ille, horthographya *q*) quam dedit orbi sancta sophya regna potenter subdita rexit. Et sapienter omnia gesit. Sed quia paucis vivitur annis, & breve tempus, transit ut amnis, hinc querebatur, & brevitatem insequebatur, talia fando. Vita caduca cur tibi spondes tempora multa? Es brevis arta, *r*) crimine farta. Tu velut umbra, non eris ultra, te nimis odit candida turba, testolidorum, castra virorum cum quibus omnis, grex asinorum, & ciniflones, & nebulones, & baratrones. *s*) farma copole, *t*) hoc genus omne, te venerantur atqve secuntur, hoc ideoqve qvod tua leva donat eisdem, lilia flores, & ruituros prorsus honores, sed velut hostis, omnia tollis, es qvia facta vernula *u*) mortis. Qvis rogo credat huic male fide, qve veniendo gaudet abire? qvicqvid ab illa, qvisqve rapinat, cum morietur omne resignat. Sed tamen illa crimina sola laxat eisdem vita dolosa protinus illa selle remoto respiciens hunc, lumine torto taliter infit si rea dicor, est tua culpa, qvi male facta, credis inulta, nam tibi rerum largior usus, tu qvoq; vertis, hos in abusus, plura reponis, stultus in arca, qve tibi tollet tercia parca, ergo qvod hora dat tibi præsens, utere prutens, utere clemens, non retro linqvas qvod dare debes est male fidus forsitan heres, sed qvod habundat, te qvoqve dante, si mihi credis, vadat in ante, sum tibi parva, sum tibi curta, sic jubet auctor, qvi bene juncta, longat & arctat tempora cuncta, ergo magistra, sit tibi vita preteritorum, rex bone regum gemma priorum, nos rege, serva, phylosophande, & miserorum dampna levando, in quibus unus, nomine benzo, te petit, o rex, poplite flexo, ut sua curans, vulnera tangas, atqve luporum guttura frangas, sic faciendo ibis ad illum, qvi pie nutrit qvemqve pusillum.

CAP. III.

A DIVO HEINRICO, CESARI AUGUSTO.

DEo nostro demus omnes honorem & gloriam, qui HEINRICO, regi magno contulit victoriam, atque sibi adversantes convertit in scoriam, te plastes *x*) a ventre matris dignatur protegere, ipso quidem obumbrante quis valet te ledere? versipelles morientur in proprio scelere. Ergo rex omnipotenti semper refer gratias, deprecare quo sveras non neget pancratias, donec eodem jubente finem vitæ facias. Quanta tibi facit Deus, sis memor

B cottidie, te sequentibus appare ut sol in meridie, noctis speciem ostende filiis perfidiæ. Legifer es dante Deo in subjectis gentibus æqua lance pensa pondus parvis & potentibus sic jus legis temperabis sub te quiescentibus. Mercenarii mercedem, lex jubet ne teneas, pro hac culpa cautus esto rex bone ne pereas, imple legem non videbis phalanges funereas. Si Benzoni servo tuo sum reddis meritum, evanescet velut fumus excursus proselitum, ad apostasiam versi, ibunt in interitum. Terga vertent universi spiritus

C silvatici, *y*) patarini & ambrones *z*) simul & artabati, atqve ligna colligentes sacro die sabbati. Dignus est mercede sua albensis episcopus, qvi pro rege cum cypheis *a*) pugnavit præ omnibus exturbans hereſiarchas de romanis domibus. Bellum egit cum prandello atqve cum badaculo, qvi thesaurum sancti petri ponebant in sacculo, expulit eos ab arca potitus pinnaculo. Redde vicem promerenti certa spes imperii, nec inanes paciaris moras desiderii opibus & majestate, compar es tyberii. Non est magnum tanto regi unum signum facere, hoc est dicere benzoni, veni

D foras lazare, reddita tibi mercede sta sub meo latere. In me solo si te ipsum rex bone glorificas, universos fratres meos non parum letificas, legem enim conservando Deum honorificas. In hoc scimus qvod sub alis te servat altissimus, si in te non prævalebit temptator nequissimus, in episcopis creandis si es discretissimus. Et ne umquam seducaris ab ali-

n) *gonos*) genus.
o) *Cleoneus*) gloria juvenum, a κλέος & νέος.
p) *moysei*) Mosis.
q) *horthographya*) orthographiæ.
r) *arta*) arcta.
s) *baratrones*) baratatores etiam dicti, hoc est, impostores, *v. Matth. Paris ad ann. 1239.*
t) *farma copole*) pharmacopolæ.
u) *vernula*) verna.
x) *plastes*) formator, Deus.
y) *Sylvatici*) sylvestres, feri.
z) *ambrones*) *devoratores*, gulosi, luxuriosi, *v. Isac. dor. Gloss. Cluver. Germ. antiqv. l. 2. c. 4.*
a) *cypheis*) caligantibus, *v. supra*, quasi cæco impetu pugnassent; nisi forsan sibi addictos hoc comparasse videatur hominibus ex deserto Ziph. qvod tamen nimis foret detortum.

quo

quo homine, temetipsum quæso muni rex noster & domine, fac in fronte signum crucis, in auctoris nomine. Sit discreta rex o bone manus inpositio, ne fortasse labem trahas ex tyronis vicio, vita prius requiratur mores & conditio. Ne accipias pro agno barbatum cornigerum, nec pro jovis ave, summas nocturnum aligerum, nec constituas priapum in numero syderum, Qui pro socrate salutat dyogenem cynicum, & qui lolium extollit despiciens triticum, ipse cutitur martino postponens dominicum. Deum lauda rex HEINRICE qui tibi discernere præstitit omne quod exit ab utroque genere, ipse tibi philisteos concedit prosternere. Quapropter semel in die, relictis inanibus ante vultum redemptoris elevatis manibus, te præsenta suspirando cum devotis planctibus. Beneficiis pro tantis temetipsum immola, in altare tui cordis cum mente benivola, sic placatus pius Deus conquassabit hydola.

CAP. IIII.

COnditor mundi solus spes omnium, ne irascaris reatu hominum. Tu nos creasti de terra fragili, serva ne frangat fraus adversarii. Callidus hostis nos videns tuteos, mergere cupit in mortis puteos. Qvos redemisti proprio sanguine, hosti ne tradas carnis contamine. Tu pater noster corrige vicium, tene currentes ad præcipitium. Castiga tuos paterno verbere, ne sinas lupis agnos discerpere. Tibi est enim proprium parcere, nos de meroris extrahe carcere. Nam tu occidis & tu vivificas, percutis, sanas, a morte liberas. Et qvi coherces mundi stultitiam, cæsari nostro confer leticiam.

CAP. V.

PUblica res romanorum, tunc scienter regitur, cum sophye gemmis sertum regale inseritur, & imperiale sceptrum docta manu geritur. Cui tantæ dignitatis datur curam gerere, semper debet si non multa saltim pauca legere, ut legendo discat orbem post Deum protegere. Sumat breviter descripta regalis sublimitas, in his enim spiritualis habundat utilitas, per qvam sursum aspirabit humana fragilitas.

CAP. VI.

IN diebus umbræ nostræ semper simus pavidi, alienæ facultatis nullatenus avidi, ut feliciter curramus viam nostri stadii. Non camelum gluciamus, nec liqvemus culicem, nec leonibus obmissis perseqvamur pulicem, conculcemus scorpiones trans eamus supplicem. Ubicunqve conversamur sit comes justitia, ore, manu, propellatur hostis avaritia, quæ turbare sepe solet principum judicia. Balaham hec deludendo fecit haretalogum, ideoqve cum prophetis non habet katalogum, miser ille cum asella formavit dialogum. In hyerichontinæ urbis ruina notissima, achar ista conturbavit ex lamna purissima, morti tradidit ut esset omnium perhypsima *b*) Cum apostolis certavit hæc deceptrix gentium, judam loculos portantem traxit ad suspendium, dedit ei sempiternum sulphuris incendium. Hæc minores & majores temptat mille formiter, cui non consentientes resistamus fortiter, contra pugnam deceptricis eamus concorditer. Cur debemus fratres mei huic monstro credere? quæ non cessat nos & nostra cottidie ledere? donec trudat in gehennam durantes in scelere. Nihil tulimus in mundum, nihil reportabimus, nisi forte qvod largimur pietatis manibus, non seducat hec seductrix nos verbis inanibus. Nudi nascimur & nudi in terram regredimur, præter victum & vestitum quid in mundo quærimus? nil hic proprium habemus peregrini venimus. Superest ut caveamus superbiæ vicium, quia ipsa est peccati totius initium, devitemus sapienter tam grave flagitium. Hæc inflato vadit collo cum cervice rigida, semper est ad opus bonum sterilis & frigida, velut torrens ruit preceps, oculis est livida. Ut ab illa recedamus expedit summopere, legem enim christianam non vult ipsa colere, erubescit mendicare dedignatur fodere. Cur hanc magam non abhorrent quicunque sunt homines? cur non eam detestantur populorum ordines, quæ cælorum potestates fecit esse demones. Inquinabitur a pice, picem qui tetigerit, qui communicaverit superbo idem apparuerit, nemo doleat si collum ipse sibi ruperit. Ut post mortem careamus infernorum tenebris, jugiter est prœliandum cum carnis illecebris, qui triumpho pocietur erit mundo celebris. Non invadit nos voluptas armorum potentia, sed nimietate cybi, *c*) atque vinolentia, sic transverberat incautos dulci pestilentia. Et ut solet vulgo dici, nocet omne nimium, nimis hec edendo, templum dissipat dominicum, & de viro castitatis videm reddit cynicum. Omnis enim caste vivens templum Dei dicitur, si quis tantum sacramentum violare nititur, unus de porcorum grege protinus efficitur. Facti celibes ardentem fugiamus sodomam, hierosolimam petamus christianis commodam, semel intrans non habebit semitam retrogradam. Felix ille qui pro factis hunc locum merebitur, felix erit in æternum & non commoliebitur, hic in secula viventem vivens confitebitur.

CAP. VII.

PLures sanctarum pastores æcclesiarum, cladibus afflicti, sub tempestate relicti. vix retinent flatum, nimio merore gravatum, Qui consoletur non est, nos nemo tuetur, nullius dextra tegimur, sunt intus & extra, hostes mortales, ad nostra voranda sodales omnia devastant & apertis faucibus adstant, ut nos consumant, post quæque relicta resummant, nemo manum contra, portendit talia monstra, numquid opem præbent, qui nos defendere debent? nostri vasalli, sunt facti sardanapalli, nec nos defendunt, nec iniquis recia tendunt, forsan

rogat, ut Rex suis succurrat.

b) *perhypsima*) omnium altitudo, a περὶ & ὑψιόω. *c*) *cybi*) cibi.

majo-

majores, tolerant utcunque labores, non inopes rerum, redimunt malefacta dierum, nos tenues lucro, ferit hosticus undique mucro, nos velut inbelles, non possimus esse rebelles; non apti bello, sed tradere dorsa flagello, pejus adhuc restat, graviter quod corda molestat, ante sacros vultus, fit creber in urbe tumultus, ceduntur coram, si qvi famulantus ad horam, dum sumus in villis, terimur trahimurque capillis, cæsar quocina, trucibus sis ferrea virga, te Deus elegit, terram populosque subegit, nos ut defendas, inimicis digna rependas, ut sint in penis, & sint in mille cathenis, qui res sanctarum devastant æcclesiarum. A.

CAP. VIII.

TAURINENSI EPISCOPO.

Hortatur, ut constans sit in bono.

OPhulane præsul magne, refer Deo gratias, quia semper quod quæsisti possidebis tracias, tandem tandem exauditus, perspice quid facias. Omnibus absconde precor tam sacrum misterium, nam si dixeris hoc evæ, ammittes pomerium, generabit tibi lingva perpes improperium. Trinitati hoc committe unde semper gaudeas, non ames quaternitatem, ex qua nimis doleas, trinitati B numquam tollet, quicquam furens boreas. Trinitas non est in terra, nisi in episcopis, ipsi quidem congregantur nomine opificis, ceteri si adunantur, tractant de in licitis. Si ad ad diu expectatum finem mavis tendere, noli temet alienis confitendo vendere. Hoc est enim pedem tuum ad petram offendere. E. T. A. *d*) si adsunt simul in auctoris nomine, sis in illis ut dixisti Jesu Christe Domine, tu inspira quid agamus tuo bono omine. Manda locum atque diem has præcedens litteras, quo sententias dicamus nobis salutiferas totis tribus ipse Deus det longas presbiteras. *e*)

CAP. VIIII.

QUEDAM PRELOCUTIO.

Refert, se verbis duribus Episcopos ad obsequium traxisse,

DUræ arboris nodo, ferreus cuneus quærendum est itaqve frater Benzo usus est ferreis increpationibus durisqve extortationibus, adversus coadelphos *f*) qvi debuissent in regis fidelitate usque ad mortem persistere, D laudabiles & glorioſi, instigante perfidia, facti tortuosi atqve nodosi. Qvos ubicunqve intuebatur populos, insequebatur blasphemis clamoribus. Tandem delatrante fratre Benzone, repetunt ovile fidei, induti nimia confusione. Sed alia manu erat agendum cum domna adeleida *g*) cujus parem non assignat orbis ephymerida, *b*) Ipsa igitur quasi regina piscium ammirabilis balena, non poterat capi neqve hamo neqve catena. Qva propter adgressus est eam frater benzo, mellifluis verbis porrigens ei escas ex floribus, nec non aromaticis herbis. Et qvia noverat eam dilectari planetarum cantilenis, cottidie infundebat auribus ejus ambrosianas melodias, maritimis associatus syrenis, & ita lyrizando, organizando, deduxit eam in sagenam fidei, traxitqve ad litus ante pedes imperatoris HEINRICI. Ut autem cognoscant fideles cæsaris, qvia vera sunt qvæ dicimus, pro testimonio veritatis, de pluribus hec pauca descripsimus.

majori-ex-scopis fac.

CAP. X.

DOmne Adelegidæ Romani senatus patriciæ, frater Benzo. Per voluntatem Dei, claves tocius imperii. Non est ille homo sanæ mentis, qvi conatur contraire voluntati omnipotentis. Nihil valet noster cogitatus, nihil item noster conatus, qvia Deus faciet secundum voluntatem sui potentatus. Omnia enim quæcunqve voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Qvo enim possumus fugere ut non faciamus voluntatem ejus? In cassum fit fuga ilta, sicut testatur psalmista. Qvo a facie tua fugiam? si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum ades. Nil deniqve valuit Jonæ, qvod fugam paravit, nolens, volens, verbum salutis ninivitis ministravit. In voluntate ergo Dei universa sunt posita. Et vos sola nitimini modo contra ejus imperium? Nam Deus usqve hodie in omnibus adimplevit vestrum desiderium. Duci A. - - - Domine, super domnæ, B. *i*) fidelis & super fidelis, consilium non achitophelis, sed sancti archangeli michaëlis. C A puericia enim mi domna opus Dei operaris, id circo favente Deo post regem italiæ dominaberis. Certe si dignaris credere consiliis meæ parvitatis cum tranquillitate sedebis sub rege in solio regifice majestatis, & videbis ante te duces cum principibus, orbis terrarum opes tibi ministrantibus. In hoc qvidem placido, nihil omnino erit periculi, si fiet secundum dispositionem mei consilii, sed erit perpes gaudium domus tuæ in seculum seculi: Qvid plura? A die etenim exitus de ventre matris, non venit super te visitatio talis. Itaqve tu dilecta Deo & hominibus, ascende in cælum regalis benivolentiæ ad miranda in cunctis terræ finibus. Secretum meum mihi, tibi, & illi, non addas qvartam personam trinitati. Certe velitis nolitis, Deus faciet de vobis sicut sibi placuerit. Ordinatum est quippe

d) *E. T. A.*) applicat huic dictum: si duo vel tres congregati fuerint &c. *Matth. 18, 20.* Explicatio autem ænigmatis hæc erit: E. est secunda vocalis, T. est abbreviatura particulæ; *Aut*; A. est prima vocalis, vocales hoc accipiuntur loco numerorum; E. 2. A. 1. si addantur sibi, efficiunt, 3. Igitur si congregati sunt E. 2. aut adhuc A. unus, sive conjunctim, tres, ero in medio ipsorum.

e) *presbyteras*) rhythmi causa, pro longa presbyteria, sive diutinam officiorum possessionem.

f) *coadelphos*) consratres.

g) *Adeleida*) Adelheidis, hæres Ulrici Comitis Segusini, Taurinensis & Astensis, vidua Ottonis Marchionis Italiæ, fœmina potentissima, quæ sub sua ditione, ut hodierno more loqvamur, Sabaudiam & Pedemontium, tenebat, & Italiæ qvasi claves, qva Burgundiam ingredi, possidere dicebatur; v. *Willelm. Chron. in vita S. Benedicti Chusensis, f. 32. Arnulph. Mediol. l. 3. c. 7. p. 516. Bertheld. Constant. ann. 1091.*

b) *ephymerida*) vox Græca, qvi brevissimum vitæ tempus vivunt, sub qvibus, omnes homines intelligit.

i) *Duci A. - - - Domine, super Dnæ. B. - - -*) Ducissæ Adelheidæ, Dominæ, Potentissimæ Dominæ, Benzo.

divina

divina diſpoſitione, qvod eſſe debetis ſuper gentes & regna, ut evellatis, deſtruatis, diſperdatis, diſſipetis, poſt hec ædificetis, atqve planetis. Vos autem dicitis, nolo, & Deus dicit ego volo, qvis igitur erit victor de vobis duobus? Certe certe, Deus faciet ſecundum ſuam voluntatem de tua ancilla, quæ actenus cuſtodita eſt ab eo tamquam oculi pupilla. Facite ergo ſponte qvod facietis invita, ut ſit vobis duplex retributio, & in hac & in altera vita. Beati qvi audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.

CAP. XI.

DOmne Adelegidæ cujus prima medietas nominis, eſt genetivus, ſive dativus *k*) vocabuli primi hominis, frater Benzo. Nomen tuum nomen bonum. Nomen tuum Dei donum. Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed qvibus datum eſt. Myſteria qvidem libri geneſis non capit volatica freneſis. Sanam mentem expetunt myſteria illa, non qva impellebantur caſſandra & ſybilla. Qvarum pectora pythius *l*) replebat, cum phanaticos ex ambiguis deludere volebat. Sed incarnato Domino, illuminavit ſpiritus ſanctus corda fidelium, eiciens ab æccleſia phytoniſſas & delium. Apperuit qvippe archana *m*) divinæ ſcripturæ, in fidelibus pateat, quod abſcondebant prioris *n*) teſtamenti figuræ. Neque jam velatur moyſi facies, quia luce clarius perſpicit totum moyſen catholicorum acies. Nam in paſſione Domini, & petre ſciſſæ ſunt & velum ſciſſum, & chriſtiana fides profunditatem litterarum cernit, licet clamet habyſſum. Ergo non ſimus eqvus & mulus, quibus ſnon eſt intellectus, queramus novum myſterium, ubi latet noſtræ ſalutis proſectus. Enucleemus ſacramentum cariſſimi nominis, noſtræ ſcilicet beatiſſimæ principis. Providens enim humanæ utilitati ſalvator, & Dominus, abtanda *o*) diſpenſat ſingulis temporibus. Nam ſicut præſcivit de coſta viri, formam conjunctivam ita prævidit, domnam adeleidam de nomine ejus denominativam. Unde factori gratias referimus qvia non ſumus expertes donis gratiarum ejus. Vere gratia Dei eſt qvod typice factum eſt. Igitur ſicut eva converſim ſit ave, ita adeleida converſis partibus ſit nomen bonum atq; ſvave. Quid eſt enim adeleida, niſi da legi adæ filios. Hoc eſt dicere eſto datrix legis, ſuper caulas chriſtiani gregis. Eſto gregis chriſti cuſtos gregaria, quem diſperſit per dumeta præſumptio temeraria. Tu es quippe regina illa, quæ apparuiſti pſalmiſtæ a dextris Dei in veſte polimita. Plena es gratiarum oculi tui columbarum, vade poſt eum qui eſt Deus miſericordiarum. Ne timeas o princeps, ab initio ſeculi prælecta, neque formides, qvoniam omnia ſub pedibus vides. Porrige dextram romæ mergenti, ſuccurre regi, piis oculis te reſpicienti. In his duobus pendet tota æccleſia, vide quid facias ſancta adelegida. Ut ſpiritui ſancto qui te prælegit non ſis contraria, te rogamus audinos. Ut regi ſubvenias, te rogamus, audinos. Ut clericis & laicis ſubvenias, te rogamus, audinos. Ut omnibus chriſtianis ſubvenias, te rogamus audinos. Ut pereunti mundo ſuccurras, te rogamus audinos. oremus. Famulam tuam adelegidam quam elegiſti ab initio, conſerva quæſo domine in tuo ſervitio, ut per eam te duce, ſiat pax in æccleſiis tuis, ad perpetuum gaudium humanæ ſalutis, per Dominum noſtrum.

CAP. XII.

DOmne primæ vocali *p*) frater Benzo. Ligium ſcientiæ boni & mali. In pingvedine terræ, & in rore cæli auribus percipe verba oris mei. Cum ſim fidelis & cotidie dictis & factis, oſtendo meam fidelitatem. Cur opponis o domna meæ fidei duriciam cordis atque incredulitatem? Licet converſor in miſeria, tamen per me ultimum ſervum, ſuum revelat tibi Deus ſua myſteria. Poſitus enim in ordine vicis habiæ, non fallaciter proſero verba cæleſtis prophetiæ. Nam ſi preterita placet recolere, nullatenus eſt dubitandum, de ſubſequenti opere. Turba igitur præcedentium patrum, ſine ambiguitate ſe commiſſerunt oraculis ſuorum vatum. Ut multis ſuperſedeam, de paucis dicenda ſunt quædam. Jonas autem elapſus a belua, decapillatus ſedit ſub ædera, hubi hec pauca locutus eſt verba. Ad huc quadraginta dies, & ninive ſubvertetur. Et pervenit verbum ad regem. Qui non vocavit pulingerios, neque manciani primicerios. Sed ſtatim ſurrexit de ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum a ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cynere cui mox adfuit pietas divinæ miſericordiæ. Sapiens rex ſine mora credidit ignoto prophetæ, & domna mea mihi noto, ſibi dedignatur credere? Per plures denique vices profuerunt ſibi mea vaticinia, ſicut tota proteſtatur vicinia. Revera verba mea non ſunt mea, ſed ejus procul dubio qui dixit. Aperi os tuum & ego adimplebo illud. Qui ergo me ſpernit, ad ſuum dampnum me ſpernit. Et non ſolum me ſpernit, verum etiam eum qui me miſit. Recordare o prædicabilis domina, quanta tibi fecit Deus, & ſede cum maria humilis ad pedes ejus. In tuis quippe cunabulis, dictum eſt tibi a Domino, aſcende ſuperius, & divina præteſtinatione ſemper aſcendiſti de bono in melius. Nunc autem ad hoc es aſcenſura, ut in manibus tuis ſit orbis terrarum cura. Vult enim Deus quo geras reipublicæ ſarcinam, cum eo qui regnorum regit monarchiam. Nam in ſpiritu & virtute heliæ *q*) parabis viam cæſari, quatenus errantes quieſcant ab homine veteri. Et ſicut helias fretus auctoritate prophetica, dixit ad regem achab, quia non erit pluvia, niſi per

Rogat, ut ſibi tandem quam prophetæ non reſiſtat.

k) *dativus*) nempe *Adæ* (alias Adami) qvæ vox & genitivum & dativum exprimit.

l) *pythius*) cognomen tum Apollinis a Pythone interfecto.

m) *archana*) arcana.

n) *prioris*) veteris.

o) *abtanda*) aptanda.

p) *Domne primæ vocali*) i. e. Dominæ Adelheidæ.

q) *Heliæ*) Eliæ.

verbum meum. Ita o domna inſpirante trinitatis potentia, exiet ab hore tuo ſimilis ſententia. Vivit Domnus ſi erit epiſcopus, aut marchio, ut ſi ſublimabitur ad aliquem honorem aliquis homo, niſi per verbum meum. O laudanda pietas redemptoris, quæ ancillam ſuam elevare dignatur ad culmen tanti honoris. Quod ergo ante mundi conſtitutionem diſpoſuit Dei providentia, nemo debet contradicere ſua negligentia. Preordinata eſt quippe ſeries omnimodæ poteſtatis ante conſpectum divinæ majeſtatis. Dic ergo o domna ſicut maria ad angelum. Ecce ancilla domini A fiat mihi ſecundum verbum tuum.

CAP. XIII.

Nunciat Regi, Atelheidin ad obſequium rediiſſe, & ſuadet, ut ipſi aures præbeat.

DOmno ſuo regi HEINRICO a Deo coronato, tanquam aurum in fornace divinitus colorato frater Benzo. In proſperis & in adverſis idem, omni conſumatione vidi finem. Quia cucullatus diabolus de cœlo petri, lapſus eſt, & domna addeida cum lampade ſua, ante regis januam eſt, merito poſſumus dicere conſumatum eſt. Sic enim ſuſcepit nuntios domini mei, ac ſi vidiſſet angelos Dei. Omnipotentiam ergo benefactoris o bone rex lauda cervice humiliata, qui pedibus tuis proſternit colla inflata. In converſione igitur talis B domnæ omnes dicamus gloria tibi domne? Nemo precor o cæſar ſubripiat cordi tuo, quominus adimpleas quæ regia promiſit celſitudo, & adhuc ſupra, ut regnes in æternum & ultra. Deo gratias, ſapiens es litteratus es. Recordare quæ Deus precepit abrahe. Omnia quæcunque dixerit tibi ſarra, *r*) audi vocem ejus. Sarra denique petebat. Ecce ancillam & filium ejus. Si filius es abrahe, immo quia es, opera fac abrahe. Omnia ergo quæ tibi dixerit domna adeleida audi vocem ejus. C Si dixerit ecce ſarabaitam & omnes ſequaces ejus, audi vocem ejus, & ſi non dixerit, audi vocem ejus. Quia ad te eſt converſio ejus. Nam mulieri prædixit Deus, ad virum eſt converſio tua, & vir dominabitur tui. Non igitur eſt pavendum, ut non audias vocem ejus quoniam ad te eſt converſio ejus. Poſtquam autem fuerit ad te converſa, audies vocem ejus, inquam pluribus, ipſa vero audiet & faciet voluntatem tuam in omnibus, quia tu dominaberis illius. Noli ergo o bone rex denegare quæ ſibi placita videntur, quoniam D una die dabis, altera die centuplicata ad te revertentur. Neque enim eſt denegandum beneficium, quod ſcimus poſſe reverti ad idem principium.

INCIPIT PRÆFATIO LIBRI SEXTI. *s*)

Adveniente Rege Prandel.

COgnoſcetur Dominus judicia faciens, ſi de medio Chriſti ovium tollitur peſtilentia macilens. Morbo quidem ſuæ peſtilentiæ ſarabaita prandellus factioſiſſimus monachellus morbi davit gentes & regna pharmaceutrians ea, per plurima tempora. Inter alios denique quos fecit mente captos, prævaluit in ſaxonibus reddens eos ſimiles demonibus. Exagitavit quippe illos ſervili auſu arripere arma adverſus chriſtum Domini cæſarem HEINRICUM, uti legimus contra michaelem præſumpſiſſe hoſtem antiquum. Verum ſicut michahel cujus interpretatio eſt quis ut deus, proſtravit draconem & ſequaces ejus, eodèm modo diſſipata eſt ſaxea barbaries, a cæſare Heinrico, quia manus Domini erat cum illo. Celebravit proinde generalem conventum cum ſuis ſatrapes, ſcilicet ſvevis & italicis penes brixanorium, *t*) tractans cum eis de ſuo itinere ad romanum ſolium. Inter qvos præfuerunt duo archontæ agye ſophyæ debriati *u*) mellifluo fonte, videlicet tocius lyguriæ primas, & hemilie *x*) rector ravennas ſimulque eorum ſuffraganei, in perditione falſæ cucullæ conſentanei. Quibus erant inmixti de ſenatoribus romanorum inſignes legati, adſtipulantes quod cuncti ordines publicæ rei cottidie ſtabant parati, ad receptionem ceſaris HEINRICI, tamquam ſi veniſſet majeſtas julii, vel tyberii. Quorum aſſertioni nemo noſtrum fuit didimus, *y*) ſed unanimiter quæ dicebantur credidimus. Cæſar autem figiens anchoram ſpei, in ſoliditate romanæ promiſſionis, deſignavit in jam dicto conventu inceptionem ſuæ expeditionis. Indicavit præterea univerſis regius præco, quia in die pentecoſtes Deo volente, erit præſentia regis coram ſancto petro, affectu ſcilicet ſuæ conſecrationis, ad laudem & gloriam viſibilium & inviſibilium creatoris. Venit igitur ſexta feria ante pentecoſten ad diem conſtitutum, ſed romani prævaricatores effecti, clauſerunt ei introitum. Rex *z*) vero commotus ira juſtiſſime indignationis, præcepit figi caſtra in pralo neronis. Prandellus itaque qui romuleos faſcinaverat, aſcendit in creſcentii caſtellum monuit quod nullus corum exiſſet ad bellum. Adiciens quoque, clauſis portis ſtate ſecuri, quia inter vos & hoſtes ſunt inextricabiles muri. Indie quidem ſpiritus paracliti, non inponet HEINRICUS ſicut ſperavit ſertum ſuo capiti. Deluſus hac prima fiducia deſperans redibit cum verecundia. Sapientes vero epiſcopi, & optimates profundioris conſilii, circumſteterunt domno noſtro regi dicentes. Revera quicunque ſunt ſane mentis animadvertunt, quod mira & vera eſt diſpoſitio Dei omnipotentis, qui dat unicuique ſecundum opera ſua. Putatis o barones, quod ſacrilegos, & perjuros comitetur victoria? Non, quia

r) *Sarra*) Sara.

s) *Sexti*) quæ ſequuntur de Gregorii VII. temporibus ſunt intelligenda, cum nullus ſcriptorum ante ejusdem Pontificatum, Romam ab Henrico IV. obſeſſam memoret.

t) *brixanorium*) hodie Brixia.

u) *archontæ agye Sophyæ debriati*) Principes ſanctæ ſapientiæ inebriati.

x) *hemilie*) Æmyliæ, quæ nunc Parmæ, Mutinæ & Bononiæ terras complectitur.

y) *didimus*) i. e. qui contradiceret, Didimus Cæcus etiam, Alexandrinus, Arianis acerrime fertur reſtitiſſe, v. *Voſſius l. i. Inſt. Orat. p. 76.*

z) *Rex*) Henricum IV. anno 1081. Italiam intraſſe, con-

conflati in runcina, *a*) inventi sunt scoria. Isti sunt qui dicunt in corde suo, non est Deus. isti ponunt in cælum hos *b*) suum, & lingva eorum transit in terra, ideoque tenet eos initium peccati superbia. Isti sunt qvi dicunt faciamus mala, ut veniant bona, qvorum dampnatio justa est. In veritate sciatis, quoniam nunc judicium est romæ. Nunc pseudo princeps romæ eicietur foras, adbreviavit enim Deus romanæ maliciæ moras. Summo igitur mane paraclitenæ festivitatis, coadunati sunt archiepiscopi & pontifices in conspectu regiæ majestatis. Et dicebant adinvicem. Qvid hodie fratres faciemus, qvia hic duas æcclesias non habemus? ut in una domnus noster rex vestiatur & coronetur, & in alteram vadens coronatus ubi missa celebretur. Ista est vetus consvetudo regalis coronæ, quæ non potest inmutari sine usuali transgressione. Residebat inter eos, Manasses archipræsul remensis, nobilis & litteratus, phylippi regis franciæ venerabilis legatus, qvi dixit. Si non possimus agere qvod volumus, velimus ut qvimus. Et si removet nos ab obsequio regiæ coronæ locus inconveniens, celebremus tamen debita devotione missam, qvam postulat solempnitas præsens. Cui statim omnes assenserunt, & fiat fiat unanimiter responderunt. Surrexit autem frater Benzo, albensis episcopus, qui erat unus de numero residentium, supplex exorans cæsarem, ut præciperet silentium. Et assatus est ita. Audiat domi-C nus meus rex, & vos seniores & coëpiscopi. Audite verba fratris vestri minime. Verba mea non sunt mea, sed sunt verba spiritus sancti, in cujus nomine hic estis congregati. Si id qvod majus est & divino cultui necessarium hodie faciemus, cur quod minus est preterire debemus? Hodie in tentoriis celebraturi sumus precioſissimi corporis & sangvinis Domini nostri Jesu Christi sanctissimum sacrificium, consequens ergo est, ut sub iisdem papilionibus peragamus regalis coronæ officium. Multa deniqve fiunt contra usum cogente necessitate. David enim pulsatus necessitate fa-D mis, comedit panes propositionis, qvod non licebat nisi sacerdotibus solis. Relinqvens igitur silvarum solitudinem, cessante necessitate, contulit se ad cottidiani panis consvetudinem. Ubi vero necessitas perit, statim usus in propria redit. Ubiqve est Deus, ubiqve colitur, & adoratur, & rex coronetur, honoretur, ubi & qvando kanonice constituta solempnitas celebratur. In atticis enim legitur hystoriis, qvod byzanzenus rex nikophorus *c*) vir sapiens, & belliculosus, circumcinxit antiochiam vallo, formidandisqve machinis, plus minus septem annis. Et bis in hebdomada, coronatus circuibat civitatem cum multis populorum turmis, ad similitudinem hyerechontine urbis. Crux deniqve ligni dominici præcedebat eum, per qvod sperabat victoriæ tropheum. Antiocheni vero perterriti novo & inusitato miraculo, subiciunt colla regiæ perseverantiæ retiaculo. Et si rex ille sorus & sapiens, pro amplificanda christianitatæ omnia faciens, coronabatur sub divo, sine æcclesiis, sine sollempnibus seriis, multo magis domnus noster cæsar debet coronari circumseptus venerandis præsulibus & decentissimis clericis & præcipue in festivitatibus egregiis. Adhuc autem. Libentius deniqve illud perficitur, qvod verisimilibus argumentis circumscribitur. Alexander macedo, qvocunqve B gradiebatur, qvis esset, corona consitebatur. Veracissimæ ergo rationis conclusione, debet cæsar uti mysterio regalis coronæ. Tunc ambrosianus vicarius, universæ liguriæ archos & primarios *d*) dixit. Vere frater Benzo, sicut dixisti, non sunt tua verba ista, sed spiritus sancti prout testatur psalmista. Aperi os tuum & ego adimplebo illud, hoc ipsum resonat mattheus euvangelista. Non enim vos estis qvi loqvimini, sed spiritus patris vestri qvi loquitur in vobis. Fiducialiter igitur possumus & debemus celebrare, qvod spiritus sanctus per te voluit revelare. His auditis suspiciens in cælum cæsar, gratias egit terciæ sanctæ trinitatis personæ, qvæ misericordissimæ pietatis revelatione, dignatur adesse celebritati suæ coronæ. Dixitqve. Nihil dubietatis est in corde meo ex omnibus his, qvæ per asflatum spiritus paraclyti locutus est frater Benzo. Et conversus ad ravennatem, divitis flaminiæ primatem. Qvid sentias inqvit pater scire volo, qvi judicaturus es orbem cum petro & paulo. At ille respondens ait. Ad reverentiam cæsaris loqvor. Nemo sapiens aliud requirat, nisi qvod per hos confratris nostri spiritus sanctus nobis adspirat. Erectis ergo cordibus sursum, divinum adoremus mysterium, ut qvod magno Dei munere geritur, magnis æcclesiæ laudibus celebretur. Preparentur itaqve duo tabernacula, in uno coronatus cæsar, processionaliter ad alterum eat tabernaculum, eritqve angelis & hominibus delectabile spectaculum. Factum est ita. Continuo advolat turba castrensis, amans celebrare diem sollempnem in condensis. *e*) Ordinatur populus in spacioſum circulum, per cujus medium

---

eque facile ad obsequium redacta, Romam per tres continuos annos obsessam tandem expugnasse, & Gregorio in exilium acto, Clementem Romæ Henrico Imperiale diadema imposuisse, tellantur *Chron. Casinense l. 3. c. 50. Autor vitæ Henrici p. 186. sq. Epistola Henrici ad Theodoricum Ep. Virod. ap. Goldscherum Gest. Trevir. c. 61. Hebold. Chron. Slav. l. 1. c. 80. Bertoldus Constant. Albericus, Sigeb. Gemblac. Annal. Hildes. ad ann. 1081. sq. Chron. Lobiense, ap. Martene Thesaur. anecd. T. 3. p. 1415. Chron. Stederburgense ad ann. 1084. Autor Apolog. pro Henrico IV. p. 183.* Interea licet Benzo multa huic

in medium proferat, qræ alibi frustra qræsiveris, in nonnullis tamen a reliqvis plane videtur abire.

a) *runcina*) major serra fabrorum, qvi tamen significatus contorte convenit cum verbis antecedentibus, ubi potius indicari videtur *Clibanus*, in qvo scoriæ a puro metallo separantur.

b) *hos*) os.

c) *Nicephorus*) de Nicephori oppugnatione Antiochiæ, *v. Cedrenus p. 540. Zonaras T. 3.*

d) *archos & primarios*) princeps & primarius.

e) *condensis*) tentoriis.

transeat chorus psallentium. Cumqve exit a tabernaculo cesar diademate redimitus, statim incipitur a clero. Veni creator spiritus. Singulæ vero nationes, secundum patriæ ritum, prorumpunt in vociferationem in unitate patris & filii, laudantes sanctum spiritum. Oritur preterea ex omnibus castris stridor lituum clangorqve tubarum. Qvarum bombis atqve tonitruis, sarabaita cum suis, sunt similes mortuis. Finita prohelemsi, *f*) celebratur missa cum suis melodiis sollempnissima jubilatione, omnisqve populus per totum diem laudat Deum in gaudio & exultatione. Protinus auditum est in nationibus qvod rex HEINRICUS, fecit novam romam ex tentoriis & papilionibus. Ubi ad prandellianorum dedecus atqve injuriam, disposuit novam curiam. Ex qua creavit novos centuriones, tribunos, ac senatores, prefectum, & numenclatorem, aliasqve dignitates, secundum antiqum morem. Ibiqve sub sole & luna novo genere coronandi, diademate est coronatus, cælo & terra mirantibus gloriam sui potentatus. Agmina vero populorum innumerabilia, dant laudes Deo, qvi innovat signa & inmutat mirabilia. Concurritur ab omnibus certatim confluit ex vicinis marchiis inæstimabilis populus. Rex autem relicto prato, adgreditur divum, de sub cujus pede evomit stix larum *g*) internitionis amicum. Qvem cum vidisset exercitus timuerunt timore magno, propter sulphureum fetorem fumantem ab eodem stagno. Verum Dei pietas misertа regi, suisqve omnibus, compressit sinum diebus ac noctibus, induxitqve super nos hybernum frigus, per qvod factus est locus ille salubris & apricus. Ut autem cognoscat mundus qvia non parva cura est Deo, circa benivolentiam pueri sui regis HEINRICI, aliud miraculum demonstrare dignatus est ibi. Qvadam nocte in hora canticinii, factum est terribile signum civilis exterminii. A fundamentis qvoqve corruit longa series murorum, per spacia fere mille cubitorum. Qvod cum cognovissent facto mane regalia castra, amplissimam portam inqviunt fecit nobis qvi numerat astra. Fit clamor intro intro vociferantium, corripiunt arma de more bellantium. Qvo rex audito, compressit per velites tumultuantium clamores, jubens ad se venire omnes. Qvibus dixit. Benedictus Deus in cunctis operibus suis, qvi dat nobis videre interiora inimicorum precipitatis muris. Sine ulla difficultate valemus eos invadere, atqve morti tradere. Sed demus honorem Deo sanctisqve suis apostolis paulo & petro. Si forte resipuerint & ad debitam obedientiam nostræ susceptionis dura corda converterint. Non enim veni ad mortificandum, sed ad salvandum. Si prout beatus paulus monuit reddiderint cui tributum tributum. Cui honorem honorem, & nos persolvemus eis sua, secundum imperatorium morem. Alioqvin, Deus qvi est nobiscum, precipitabit eos in mortis habyssum. Et qvi nobis dormientibus pessundedit machinas murales, ipse dabit virtutem ad destruendas turres, & antemurales. Ea propter demus eis aliquod intervallum, ut cogitent & intelligant, qvoniam a Domino factum est istud qvi nunqvam deest his qvi convertuntur ad ipsum. Transeamus si placet fluenta tybridis, & tusculanos aliosqve faciamus consortes nostri itineris. Omnes dixerunt una voce vobiscum sumus, sive in vita sive in morte, sed multi locuti sunt in corde & corde. Circuitum denique montis soractis gradientes post novem dies venimus ad flumnis ripam, ubi ceperunt musitare maligni qvod magis valeret reditus ad devastandam mathildam. Caret enim pontibus & vadis, harenas involvens turbidus ammis. Qvibus autem erat inflexibilis fides dicebant. Itinere trium ut quattuor dierum ibimus, & apud narniam facile transibimus, & scisma erat inter eos. Plures eorum instigabat retrotensio, minime transeundi fluvii intentio. Inter has ambiguitates vicissitudines preterierunt decem dies. Loquebantur autem inter se illi & ipsi, & falsi ac veridici, si forte valuissent seducere sanos infirmi. Extendebatur quoque usque ad tres miliarios ordo castrorum, frater Benzo erat castrametatus quasi in medio eorum. Cognoscens autem eorum malam cogitationem, qvia volebant deserere miliciam, & incipere reversionem, non ausus est mitigare conceptum furorem per aliquam verborum persvasionem. Jam enim conspiraverant ut si quis eorum conatibus presumpsisset contraire, gladiis & fustibus habuisset perire. Qua de re tale nactus est consilium, per qvod eorum astucia versa est in nihilum. Fecit enim emere duas naviculas quibus posset transportare suas sarcinulas. Quadam vero die inter nonam & vesperum, dedit ei Deus ad transferendum se & sua eventum prosperum. Statimque tenso tentorio ad cenandum recubuit, & remota cortina tabernaculi, universis se spectandum exhibuit. Perfidi autem atque mendaces, acuunt lingvas maleloquaces. Stantes in littore jaculant in eum sermones pravos, nil plus facere poterant, qvoniam interpositum erat inter utrosque fluminis chahos. *h*) Deinde Iyburnis eisdem evectus est placentinus, cujus fides est flamigera ut ardens caminus. Prefati vero episcopi tota illa nocte inmolaverunt se ipsos in laudem Dei cum psalmis & hymnis, dolosi vero exarserunt sicut ignis in spinis. Diluculo quidem transiit domnus noster rex navigialiter cum domno ravennate & aquilegiano, trahens secum svevorum cuneum, & omnis iniqvitas opilavit *i*) hos suum. Indicaverunt preter ea indigenæ duo vada albensis episcopi militibus, ubi vadavit mediolanensis archiepiscopus, & pene aliorum omnium exercitus. Cumque fuerunt ultra, cepe-

Rex coronatur in tentoriis,

Pars murorum noctu cadit.

Henricus a sanguine fundendo alienus, expectat deditionem voluntariam.

f) *prohelemsi*) unatione.
g) *stix larum*) sulphureum fœtorem letiferum.
h) *chahos*) chaos.
i) *opilavit hos*) subministravit os, ab epeiri ferire.

runt

runt murmurare milia multa, quod ea tellus esset advenis & peregrinis mortifera, licet ad diversos usus hominum haberetur fructifera. Ideoqve non est inmorandum in ea, qvia insperato, adgregabit nos sibi mortis hydra. Itaqve in brevi qvod faciendum est faciamus, & qvantocius frena retorqveamus. Tunc abjecta formidabili suspitione, cunctarum urbium procures coacervatim humiliant se ad vestigia domini nostri regis, qvos benigne suscipiens, fecit participes sui gregis. Qvibus dedit spem suæ reversionis, secundum voluntatem omnium seculorum dispositoris. Post annum vero rediit romam iterum, & manifestavit romanis se ipsum. Qvanta autem & qvalia operatus est ibi non est nobis dicendum per singula, qvoniam non est tanti operis subiciens nostra historiola. Frater vero Benzo, volens de corde domini sui HEINRICI, exterminare mordacis cure pressuram, direxit ei pro munere, seqventis libri scripturam, ut ex ea recreatus aliqvantulum, qvasi novus redeat ad belli spectaculum.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI SEXTI.

IN apostoli andreæ sacro natalicio, revelatum est Benzoni, scribe de hoc vitio, qvod monstravit folleprandus buzi ut morticio. Sine mora sumpsi pennam ut atramentarium, & descripsi patarium per genus triumpharium, notet verba rex & omnes ministri altarium.

NARRATIO.

SIlicernius *k*) est mundus finem clamat seculi, ante tempus senectutis homines sunt vetuli, longe fiunt a virtute sed in malis seduli. Vices suas non abservant celum terra maria, helementa vitæ nostræ qvondam salutaria, facientibus peccatis apparent contraria. In incertum jactat gressum vana gens mortalium, in disciplinate currens more animalium; simillimis qvidem videtur choris bachanalium. Civitates sunt divisæ in multis erroribus harum cives transformantur in hyrcos ex ovibus hec mutatio ministrat helegos *l*) pastoribus. Ab inferno prodierunt noviter heretici, patarini, buziani, nec non & prandellici, non curantes qvid loqvantur utpote frenetici. Araldinus patariam primitus edocuit, buzi filius, buziam conseqventer vomuit seqve esse antichristum prandellus innotuit. Nimis sunt insipientes qvi his volunt credere, araldellus lingva grossa catus tantum frendere, ad euphoniam lingvæ neqvivit ascendere. Saonensis buzianus est qvidam humuntio, ventre lato, crure curto par podicis nuntio, *m*) tale monstrum non creavit sexuum conjunctio. Falsus monachus prandellus habet mille vicia, qvem cognoscimus deformem carne leprositia, ab ecclesia tollendus hac sola malicia. Angeli vultum assummit sathanas veritimus, & in templo petri sedet homo perditissimus, tempus est ut eum perdat discretor altissimus. Miseri qvi non cavemus quam pius est Dominus, qvi non statim scelus punit subveniens omnibus, qvorum corda videt lota, lacrimarum fontibus. Suspirantes veneremur Dei pacientiam, qvi dissimulat peccata propter penitentiam, in duricia manentes dampnat per potentiam. Chain profugum & vagum fecit cor inpenitens, pharao mersus est undis curribus superbiens, dathan gluciit cum fratre terra se apperiens. Qvid putatis de prandello qvi est compar haspidis? *n*) cujus cor vincit rigorem adamantis lapidis, qvæ vorago hunc sorbebit omnes bene sapitis. Ultra furias furentum furit iste rutrifer, *o*) contra Deum contra regem delirando jugiter, indignando qvis non inflet buccas velut jupiter? Natus matre suburbana de patre caprario, cucullatus fecit nidum in petri solario, symoniace politus ejusdem herario. *p*) Unde delubra sanctorum deberet resicere, hinc hominibus svadet homines occidere, sed qvis valet seriatim ejus mala dicere? Nabuchodonum qvi vertit de rege in bestiam, destruat hunc monachellum defendat ecclesiam, & coronet regem nostrum cum filio etjam. Vadat cæsar per exempla regum præcedentium, qvi tulerunt triumphantes regiones gentium, & dederunt possidendas turmis se seqventium. Rex det terras sicut boves dedit peternatius, non accipere sed dare censetur beatius, donativis disrumpetur infelix acatius. Qvod lex dicit capitale presummit acatius, nam in cetu synodali cum residet altius, abusive coronatur qvid apostatacius? sicut ultus ex hyrcano est cæsar pompegius, *q*) idem agat in prandello successor egregius, amplius ne id conetur aliqvis plebegius. *r*) Hoc in Dei civitate augustinus recitat, ad vindictam tanti mali regem nostrum excitat, augustinum veritatis testem nullus hesitat. Crure sub inflato, retinetur benzo grabato, oppressus morbis, qvia sic vult conditor orbis, sed qvia non possum, cum rege ferire colossum, hos apices mando, per qvos mea viscera pando, qvod valui dixi, vos fratres regis amici, promere debetis, sapienter qvicqvid habetis, sensum qvisqve suum, pariter compertet in unum. sensibus ex multis, faciat rex esseda stultis.

INCIPIT PROLOGUS.

AUro carens vel argento, albensis opilio lias litterulas præsentat salomonis filio, regi nostro HEINRICO, simili pompylio. His instructus siat seqvax regum præcedentium adversantes cogat stere cum stridore dentium, cælum audiat vindictam, & termini gentium. *Librum Regi offert*

k) *Silicernius*) senex, decrepitus, qvi dignus, ut pro eo silicernium paretur, *Terentius Adelph. Act. 4. scen. 2. v. 48. Kirchmann. de Roman. funer. l. 4. c. 4.*

l) *helegos*) elegos.

m) *podicis nuntio*) crepitum ventris intelligit.

n) *haspidis*) aspidis, serpentis.

o) *rutrifer*) qvi fert rutrum, i. e. instrumentum rusticum, qve qvid eruitur, a *rumdo*, v. *Nonius*; Benzo igitur illum, qvem depingit, Rusticum videtur appellare.

p) *herario*) ærario.

q) *pompegius*) Pompejus.

r) *plebegius*) plebejus.

NARRATIO.

Antecessorum exemplo ad conterendos hostes excitat Regem.

POstqvam romam perdiderunt cæsares de grecia, statim francis *s*) portas pandit romuli lucretia, qvo gundafarus *t*) audito tremit cum trepecia *u*) Karolus francorum primus vicit aqvitaniam, *w*) deinde felici gressu prostravit hyspaniam, *x*) & rebellium *y*) multorum correxit insaniam. Tres ottones *z*) qvi fuerunt reges in saxonia, summunt vices in romana regnandi colonia, qvorum fremitum horrebat magna babylonia. His succesit HEINRICUS in sede tyberii, qvem decebat magistratus romani imperii, homo Dei & cælestis plenus desiderii. Post hunc venit chuonradus *a*) ex druso vuindelicus, dives sensu, fortis manu, vultuqve angelicus, ejus namqve potestatis, est orbis famelicus. De secundi HEINRICI, multa sapientia, deqve ejus contra hostes, virtutis potentia, promulgare pertemptabit, nullius scientia. Tantus erat cæsar ille, qvanta est humanitas, formidabat ante eum apparere vanitas, pulsis morbis, habebatur generalis sanitas. Hic heredem dereliquit HEINRICUM tercium, contra qvem se congregarunt phalanges inercium, talibus restitit nemo de turba solercium. Bajoli *b*) homines neqvam, filii mendacii rapientes hunc de sinu materni solacii, obsistebant ne veniret ad coronam lacii. Multa passus est in sua heu puericia, qvæ non valet explicare tullii pericia, judicet hoc qvi secernit virtutes & vicia. Factus idem adolescens cæpit causas agere, & legalia mandata per climata spargere, ne presummat qvis non sua ut exlex invadere. Roma qvondam caput mundi facta babylonia, audiens regem dictantem legis testimonia, mox direxit contra eum hec duo demonia. Scilicet alexandrellum de loco badaculi, & prandellum cucullatum ministrum diaboli, per qvos oritur in terra omne genus scandali. Dedit eis radamanthus *c*) infernales furias, quæ inducunt super gentes dolos & injurias, & qvocunqve transmittuntur mortes & penurias. Has miserunt ad merdulsum hominem ægyptium, qvem fecerunt furiosum, sive arreticium duro cordi apponentes superbiæ vicium. Stupent sani christiani de magorum artibus qvod in palam se demonstrant in romanis partibus, nam prandellus eas docet effectus nactanabus *d*) Ut se tradidit merdulsus malignis spiritibus furiarum propulsatur creberrimis ictibus, colluat ut contra regem omnimodis litibus. Non rementus, *e*) qvod a rege sit raptus de stercore, & per eum factus homo de balanti peccore, inter principes locatus, erat major hectore. Sed prandello instigante perjurus efficitur, & tocius benefacti regis obliviscitur, a zypheis pice tinctus, mox tyrannus dicitur. Qvi per hostium non intrat ad regni fastigium, mercenarii ut furis seqvitur vestigium, non purificat hunc crisma, sed pix reddit stigium. Totum hoc folleprandelli confecit astutia, in medea non in Deo, cui est fiducia, nam de viris facit beluas sua cataputia. *f*) Qvod de arca tulit petri ejusqve altario, inpugnaret contra regem misit mercennario. Sed sic fuit utqve aqvam pinsat *g*) in mortario. Rex *b*) munitus signo crucis abiit ad prœlium, utrobiqve confortabat cancos fidelium, & contrivit phylisteos seqventes cornelium. Pugna erat cum perjuris atqve cum mendacibus & cum ventrium amicis *i*) atqve cum fugacibus, qvi fuerunt esca lupis, & corvis edacibus. Non se tamen continebat hydra multicapitum, sed erat certamen tale ut cum jove lapithum, fontem sanguinis rex cernens, non mutabat habitum. Postqvam rex hos superavit per multas victorias, cecidit ipse merdulsus ad secli memorias, demus omnes Deo nostro gratiarum glorias. Menbris omnibus abscisis caput fixum stipite, conspexerunt permanentes in castrorum limite, ut sic fiat folleprando o fideles dicite. Post hec ventum est ad romam summere imperium, sed turbavit agarenus nostrum desiderium, viam sepsit qva transitur ad petri pomerium. Nunc scitote qvot sit plenus ille virdemonibus, qvi avertit seniorem *k*) appro-

s) *Francis*) De illis, qvæ Pipinus in gratiam Romanorum egerit contra Longobardos, *v. Eginhard. in vita Caroli M. c. 6. Adelmus in Chron. ad ann. 756. Joh. Tilius in Chron. de Reg. Franc. ad ann. 755. Cantelius in hist. urb. Metrop. P. 2. Diss. 2. c. 2. p. 194.*

t) *gundafarus*) videtur significare qremvis vexilliferum, a *Guntifano*, vexillum.

u) *trepecia*) Trapezus, velut pars insignis Imperii Græci.

w) *aquitaniam*) *Eginhard. in vit. Car. M. c. 5. Adelm. Bened. ad an. 761. Monachus Egolismensis p. 235. Astron. Annal. ad ann. 768. sq.*

x) *Hyspaniam*) *Eginhard. c. 9. Egolismensis, Annales Astron. & Fuldenses ad ann. 778.*

y) *rebellium*) de bello contra Saxones, *v. Eginhard. c. 7. sq. Egolismensis, Regino, Annal. Astron. Loisel. Bertin ad ann. 772.* contra Bavaros, *v. Eginhard. c. 11. Egolismensis, Annales Tiliani, Metenses ad ann. 787. sqq.* contra Longobardos, *v. Eginhard. c. 6. Paul. Diacon. de reb. Longob. l. 6. c. 61. Anastasius in vita Hadriani Papæ*

z) *Ottones*) de Ottonibus, sæpius *supra*

a) *Chuonradus*) Conradus II. Salicus, ex Regia Franconiæ Ducum stirpe oriundus, minime vero a Druso, ut somniatur Benzo, *v. Sim. Frid. Hahn de genuino & Salico Conradi II. ortu, & Ejusd. Reichshist. P. 2. c. 7. §. 1.*

b) *Bajoli*) Bajuli, Pædagogi filiorum Principis, nutritores, tutores, *Hincmar. Ep. de ord. Palat. c. 2. Annal. in vit. Lud. P. ann. 781. Gregor. Turon. l. 8. c. 22. Chron. Flandr. c. 69.*

c) *radamanthus*) judex inferorum, *Virgil. Æn. l. 6. v. 566.*

d) *Nactanabus*) Nectanebus Rex Ægyptiorum, *v. Plutarchus in Agesilao, Diod. Sicul. l. 16. c. 52.* Hoc Benzo id indigitat: *postqvam Hildebrandus factus summus Princeps, seu Pontifex.*

e) *rementus*) in memoriam revocans.

f) *cataputia*) medicorum pillulæ, *v. supra.* Hoc qvodvis virulentum medicamentum videtur intelligi.

g) *pinsat*) contundit.

h) *Rex*) Henricus IV. a mercenario Gregorii VII. nimirum Roberto Guiscardo, Normannorum Duce Roma coactus excedere, *v. Order. Vital. Hist. Eccl. l. 7. p. 641. Donnizo in vita Matildis l. 2. c. 1. p. 663. Chron. Casin. l. 3. c. 53. Bertholdus Constant. ad ann. 1084.* Interea hic notandum ducimus, Benzonem heic & in seqventibus nullo ordine Chronologico sua protulisse, unde haud mirandum, si plura hinc inde permixta deprehendas.

i) *ventrium amicis*) fornicatoribus.

k) *Seniorem*) Dominum.

priis domibus, justum est ut his *l*) tradatur pardis & leonibus. Rex ad petrum pavens ire cum effuso sangvine, per quem sperant expiari peccatorum animæ, foris stetit per qvot dies cum irato agnine. Sicut avus atqve pater inqvit nudis pedibus qvælierunt sanctum petrum in sacratis hedibus, *m*) ita est mea voluntas cum meis fidelibus. Audi Christe regis vocem exauditor omnium, contumatiam elide superborum hominum, & in cunctis creaturis, te ostende Dominum. Porticanos *n*) rex dimittens transmeavit fluvium, omnes currunt velut aqve, qvas urguet *o*) diluvium, dare fidem seniori omnibus est studium. Urbibus rex ordinatis & locis munimium, dereliqvit gomorreos *p*) amatores criminum, lento pede iter habens, devenit ariminum. *q*) Post hec transit per matildam stantem in canussia, contorqventem manus suas pro amissa tuscia, sed adhuc expectat eam acrior angustia. Ad se traxit rex castella cortes & cenobia, cui rerum serviebat diversarum copia, huic rege faciente adsistit inopia. Tanta perdidit mathilda *r*) residens in cellula, quanta nequit explicare mea scribens penula, quia sum ignarus loci, non sum de gubernula. Ab æstate separato jam jam solis radio, visitavit rex vuidonem everso sezadio, nullus hominum cum rege contendat in stadio. Omne cælum sit serenum veris tempus prodeat, apparere ante solem nulla nubes audeat, de adventu principissæ totus mundus gaudeat. Cujus parem non assignat orbis ephymerida, pellit filium regem domina adeleida, inter regem & mathildam, fieri vult media. Ipsa quidem se & sua dabit regi filio, ut sit freqvens ceu martha in regis consilio, & hegeria secunda recente pompilio. Duos post hec abbacucos *s*) prandellus edocuit, & per eos regi nostro, & nocet & nocuit, pluribus secreta cordis per tales innotuit. Unus est de porcarana, alter de ructeria, facie exterminati nudant monasteria, hii prandello tradunt opes, se velant miseria. Horum monachi vicissim, contra regem musitant, & per omnes regiones nocituri cursitant etjam adversus eum feminellas suscitant. O qvam multis temptamentis rex noster concutitur, circumquaque propulsatur & pene obruitur, pacientiæ sed scuto sapienter utitur. Sunt occulta valde tua rex regum judicia, quia punis quos defendit humana justitia, ne condempnas quos accusant manifesta vicia. Joseph autem tamquam mechum placet claudi carcere, danihelem permisisti leonibus tradere, cum deberes ut putamus justis viris parcere. Quam beatus homo ille qui sub virgua tacuit, & qui dicit factum esse sicut Deo placuit, ille serrum ferientis nequaquam exacuit. Hæc temptatio quibusdam videtur abjectio, non est ita sed factoris est vera dilectio, atque his qui perseverant fidei perfectio. Nam uterque adornatus fuit torque aurea, & de parvo cruciatu venerunt ad gaudia, ecce signum quod flagella non fuerunt hodia. *n*) Sertum namqve ponebatur in regum capitibus, torques aurea in collo secundis principibus, qui sedebant secus reges ordinatis vicibus. Clemens Deus regem nostrum temptavit laboribus, rex ut aurum coloratus exit a caloribus, ideoque jam est scriptus cum imperatoribus. Vadit Deus ante eum complanando singula, ejus ira sunt rebelles complures in vincula, lex jubet ut resistentes ferri stringat cingula. Clarum est qvod eum amat rector dominantium, ante romam confert ei regna circumstantium, africam, siciliamque par romæ bizantium. Basileus misit ei multa sanctuaria, quæ in templis seu bellis sat sunt necessaria, nulla dona super terram his habentur paria. De sudario, de cruce, de corona spinea, qua delusit regem suum amaricans vinea, hujuscemodi thesaurum non corrumpit tinea. Alieni volunt regem magno desiderio, constantinus optat eum in suo imperio, infideles claudunt portas digni vituperio. Hæc dilatio intrandi ad romanum solium, innuit quod male perdat malos, facti solium, his expulsis cæsar suis tradat capitolium. Transferantur catenati quidam in saxoniam, ut judei sunt translati apud babyloniam, dispergantur nunquam magis habeant coloniam. Nemo tradat sepulturæ parvulum aut vetulum, videant posteri nostri totum hoc per speculum quod fecistis novam romam, atque novum seculum.

CAP. V.

Extollit Regis virtutem, & dona ab exteris missa parvas.

Victrici dextra, tenet imperialia sceptra, cæsar HEINRICUS, divinæ legis amicus, hoc sciat omnis homo, quoniam veratia promo. Monachus est victus, propriaque cohorte relictus, spe fultus nulla, cecidit retro falsa cuculla, de solio petri, jubilemus in ordine læti, laudeturque Deus, quia liquit nos phariseus, cum patarinis, qvos mundo fudit herinis, *x*) regnet in hac vita, cui terga dat hysmahelita *y*) cæsar & augustus, trabea sanguque venustus, per quem purgaris, per quem nova roma vocaris, terram concucias, & cælum vertice pulsas. Ecce vacas hellis, *z*) nullis turbata procellis, supplex absqve mora, latorem pacis adora, atqve refer grates, tu roma tuique penates, & satis exulta, qvia pro te prœlia multa, fecit cum saxis, pyrenei culmine lapsis, pugnans cum sclavis, rex fortis mente svavis, exsuperavit eos, referens

l) *bis*) is.
m) *hedibus*) ædibus.
n) *Porticanos*) advenas, a porticu, loco cœnobii, ubi excipiebantur advenæ, *v. S. Stephanus in Regula Grandimontensium c. 51.*
o) *urguet*) urget.
p) *gomorreos*) gomorram inhabitantes.
q) *ariminum*) hodie *Rimini*,
r) *mathilda*) qvam misere Matildis terræ fuerint vastatæ, *v. Autor vitæ Anselmi Lucensis §. 18, Autor Apol. pro Henrico IV. p. 219.*
s) *abbacucos*) abbates, ironice.
u) *hodia*) odia.
x) *herinis*) erinnys.
y) *hysmaelita*) Ismaelita, sive Saracenus.
z) *bellis*) pro *Elis*, loco Peloponnesi, ubi ludi Olympici habebantur; scissus ergo est: *Ecce vacas ludis.*

tibi

tibi roma tropheos, perculit ambrones, *a*) lutices simul & frisiones, vuindelicos asta, laniarunt regia castra, barbaries multas, contrivit eqvina facultas, calcibus inventum, volat illico vita gementum. Quis scribat penna quot sorbuit atra gehenna? Principio rixæ, concurrunt undique lixæ, servi servorum, cultores demoniorum, a qvibus ipse Deus, procul est & filius ejus, moloch constituunt, super hunc anathemata dicunt, in que brevi meta, cadit ipse suusque propheta, precisо collo, moritur mentitur apollo, hic pulsus vita, caret ephot sarabaita, *b*) roma tui causa, fuit hoc jam quæso repausa *c*) tantus in orbe pater, non est nisi julius alter, pace viget mira, sed vindex fortis in ira, adversus turpes quibus est mala fama per urbes, in nullis nuta venient tibi; roma tributa, de multis regnis, sine murmure ut sine tegnis, de locuplete casa, dedit africa plurima vasa, ex auro mundo, nec non ex here secundo, *d*) pallia pigmentum, librarum milia centum, misit burdones, phylogeos *e*) atque leones, addens dromelos, & habentes struma camelos, pelle nigra pullos, & nudæ carnis homullos *f*) strucio venisti, spectacula magna dedisti, risimus o quantum veniente sorore gygantum, reges hyspani, simul omnes galliciani, unus post unum, gaudent offerre tributum. Et nostri sardi, non sunt ad munera tardi, dicit cartago, qvam struxit helissa *g*) virago, ante dabo censum, quam perdam territa sensum, quando roma ruis, me contra, sum sine muris, allobroges ambri, cynomannes atque sicambri, *b*) sponte revertentur, nam se peccasse fatentur, ante Deum jacta te roma juvencula facta, & pete nobiscum, regem qui cernit abyssum, augustum talem concedat perpetualem.

CAP. VI.

DESCRIPTIO DE PRANDELLI MALEFICIIS ET DE SIMILIBUS SUIS.

Deus pervertos nocivit.

QUis est sicut Deus noster qvi in altis habitat, qvi de gradu qvalicunqve humilem non abdicat, a longe cognoscit eum stimulo qvi calcitrat. Homines caro & sangvis in orbis infantia, longe vidit aberrantes a prima substantia, lavit aqvis, qvod commisit carnis habundantia. Induratum pharaonem a longe prospiciens, mare rubrum contra eum potenter obiciens, servis suis fuit via & spes indeficiens. Habyron *i*) & fratrem ejus cum suis cohortibus videns prorsus alienos ab israël fortibus, condempnavit inauditis ab æterno mortibus. Num senacherib nescivit ereptum de stragibus cum sathan nec uni parcit de suis phalangibus, adorantem nesrach vidit sossum ut spalangius. Cui placent redundantes caritate gemina, & humilitatis ruri sua dantes semina, holofernem jugulandum prescivit a semina. Nabuchodonum in summis cuntem articulis, procul cernens, dedit pessum sonabar de titulis, septem fecit hunc silvanum annorum curriculis. Qvi pro nobis coram anna *k*) toleravit alapas, aman regis assveri princeps super satrapas, longe vidit te apensum sicut latro gammatras. Benedictus sit creator semper & laudabilis, qvi in cælo & in terra apparet mirabilis, & terribilis perversis, rectisqve placabilis. Priusqvam fieret mundus solleprandus visus est, & in finem seculorum primus antichristus est, omnium herrorum caput abehemoth *l*) factus est. Vicia coadunata in uno collegio, fece scismatis hunc replent non legis pulegio, *m*) vas setoris mancipatum vocaverunt legio. Protheus est monstruosus in diversis vultibus modo ridet, modo plangit a mixtis singultibus, nocte carnibus abutens, die tantum pultibus. Magi symonis adeptus omnino mendacium, & synon est mentiendo vincit & acatium, arrium & manicheum, zarohen, ursacium. Marsos quidem superando in suis accantibus superis nigros presentans coram circumstantibus in meridiano cursu, se jungit bachantibus. Suis autem phantasiis turbat omne seculum, & imperii rectorem nec non cetum presulum nullum penitus obmittens puerum aut vetulum. Imperator romanorum HEINRICUS tercius solleprandi malam famam scire volens cercius, romam venit cui portas claudit stercorentius. *n*) Ruptis muris imperator triumphans introiit, merdiprandus fugam capit, hunc venisse doluit, ut hyena quodam trullo latitari voluit. Synodus hinc congregatur in petri vestibulo, nolüit exire symon de trulli latibulo, judicatur reus mortis & trabis patribulo. Condempnato in cubone *o*) ravennas eligitur, orthodoxus qvi de regum traduce producitur, cæsare precipiente papa benedicitur. Qvo audito liqvit trullum *p*) confestim stercutius, neqve loco in eodem vult esse diutius, nullum putat poli-

a) *ambrones*) gulosi, voraces.

b) *Sarabaita*) pravus & irregularis monachus, *v. supra; carens ephot*, id est, qvi sacerdotali veste non est indutus.

c) *repausa*) qviesce, dormi secure, *v. Lex Bajvar. tit. 6. c. 2. §. 4.*

d) *here secundo*) argento, tanqvam ære post aurum secundo.

e) *burdones, phylogeos*) pardalos, atqve Leopardos, ut mihi videtur.

f) *nudæ carnis homullos*) videtur simias indigitare.

g) *helissa*) Elissa, sive Dito, qvæ Carthaginem condidit, *v. Vossii Institut. Orat. L. 1. p. 122.*

h) *cynnomannes atque Sicambri*) Cænomanes, hodie *Mans* in Gallia, Sicambri autem ex Asia in Europam transeuntes, Francorum genti originem dedisse, feruntur, Franci denique Galliam postea occuparunt, *v. Jo. Parisiens. p. 129. Aimoin. L. 1. c. 1. Otto Frising. L. 4. c. 32.*

i) *Habyron*) Abiram, de qvo Numer. cap. 16.

k) *anna*) Hanna, Summo Judæorum Pontifice.

l) *herrorum caput abehemoth*) errorum caput a behemoth; qvid vero sit behemoth, consulatur *Hiob XL, 15.*

m) *pulegio*) svavitati sermonis, *v. Cicero L. 16. Ep. ad Famil. 23.*

n) *Stercorentius*) stercori similis: aut qui stercore inqvinatur; de expeditione hac Imperatoris contra Hildebrandum, *v. supra.*

o) *incubone*) alias morbus est, qui ex eruditate dormientes invadit; heic vero ex sensu medii ævi, fornicarium significat, *v. Huga Rothomagensis de hæret. Lib. 3. cap. 5.*

p) *trullum*) Trullus indigitat omne ædificium rotundum, sive concameratum, per excellentiam deinde Conclave secretum, seu intimius, in Palatio Constantinopolitanorum

andrum fore ſibi tutius. Qværitur per totam urbem ſollerti indagine, ille draco tortuoſus angvis de propagine, in telluris ſe abſcondit profunda varagine. Sed pulſatus de cavernis ob ruinæ cumulum, devolavit moriturus ad creſcentis jugulum, qvod indigene appellant adriani tumulum. Jam piloſus ad piloſum, alter clamat alterum, qvia fecimus de luto omne genus laterum, pari morte hoc de loco ibimus ad tartarum. Sicut ego decollatus *q*) ab ottone tercio, ita tercius HEINRICUS te dabit proverbio, nam pro factis ſumus digni ſimili commercio. Eſſet melius non naſci qvam mori tam turpiter, ſed hoc leve ad tormentum qvod ſencies jugiter, mortem enim ſine morte præſtat ſuis jupiter. Omnes ordines in mundo dent laudes altiſſimo, qvi conceſſit HEINRICO cæſari fortiſſimo, conculcare baſiliſcum pede beatiſſimo. Ecce novus conſtantinus dat mundo lætitiam, nam radicitus evellit prandelli nequitiam, & ubiqve chriſtianam confortat militiam. Et qvoscunqve faſcinavit prandellus hereticus, alter revocat ſilveſter *r*) papa neotericus, patarinos deſtruendo ſcriba evangelicus. Roma cæſar ſubjugata poſſides imperium, qvia Deus adimplevit tuum deſiderium, tolle nobis qvod portamus magnum improperium. *s*) Nos epiſcopi vocamur, nec ſumus epiſcopi, auferunt qvicqvid habemus homines neqviſſimi, manum pone contra tales miniſter altiſſimi. Ceſar quære cur mendicent fideles epiſcopi, nihil habent ſibi ipſis nil qvod frangant inopi, nihil eſt eis relictum, neqve ramus hyſopi. Solum faſtem *t*) qvem das ceſar gerimus in manibus, cetera bona vicinis vorantur a canibus, ſimiles qvidem videmur nos umbris inanibus. Perit honor ſacerdotum & preſulum dignitas, ſupergreſſa eſt feneſtras crudelis iniquitas, conclamatum eſt in veſtra nobis adſit pietas. Si eccleſias ſervatis easqve defenditis, & ſi pedibus luporum decipulam tenditis, placens Deo holocauſtum devotus inpenditis. Enſem enim vobis cingunt æccleſiæ preſules, ut mali ceſſenta malis mutili ut debiles, proſcribantur in æternum per vos fient exules. Juſſu legis ſi vel unus artubus truncabitur, ſtatim lupus fiet agnus Deus collaudabitur, omne tempus regis noſtri ſabbatum vocabitur. Ceſar ſpes æccleſiarum ſtude ſapientiæ, qvæ tibi ſervabit arcem romanæ potentiæ, ante te vadens cavebit gonos fraudulentiæ. Nam ſi rex phyloſophatur qvid eſt glorioſius? hoc fecit Juſtinianus, hoc & theodoſius, id exſeqvere qvod conſtat auro precioſius. Imperator HEINRICUS pater tanti filii, ſapienter rexit ſceptrum ſummi domicilii, ſeptem artibus ornatus ad inſtar pompilii. Dignum eſt ut tu patriſſes in cellis honoribus, redde patri ſuam formam corde manu moribus, preſtet Deus ut hoc agas, in multis temporibus. Qvanta tibi facit Deus ſis memor cotidie, te ſeqventibus appare ut ſol in meridie, noctis ſpeciem oſtende filiis perfidiæ. Legiſeres dante Deo in ſubjectis gentibus, eqva lance penſa pondus parvis & potentibus, ſic jus legis temperabis, ſub te qvieſcentibus. Mercennarii mercedem lex jubet ne teneas, pro hac culpa cautus eſto rex bone ne pereas, imple legem non videbis phalanges funereas. Si benzoni ſervo tuo ſuum reddis meritum, evaneſcit velut fumus excurſus proelitum, ad apoſtaſiam verſi ibunt in interitum. Terga vertent univerſi ſpiritus ſilvatici, patarini & ambrones ſimul & artabati, atqve ligna colligentes ſacro die ſabbati. Dignus eſt mercede ſua albenſis epiſcopus, qvi pro rege cum zypheis pugnavit præ omnibus, exturbans hereſiarchus de romanis domibus. Bellum egit cum prandello atqve cum badaculo, qvi theſaurum ſancti petri ponebant in ſacculo, expulit eos ab archa potius pinnaculo. Redde vicem promerenti certa ſpes imperii, ne inanes paciaris moras deſiderii, opibus & majeſtate compar es tyberii. Non eſt magnum tanto regi unum ſignum facere, hoc eſt dicere benzoni veni foras lazare, reddita tibi mercede, ſta ſub meo latere. In me ſolo ſi te ipſum o ceſar glorificas, univerſos fratres meos non parum lætificas, legem enim conſervando Deum honorificas. Ceſar potens in triumphis noſtram ſalvans patriam, ex ſetore zipheorum expurgans monarchiam, tibi ſoli Deus noſter talem preſtat gratiam. Qvicqvid julius collegit ſub uno imperio, rei publicæ reddetur tali primicerio exultabit reſtituto roma deliderio. Templa Dei conſternentur auro tributario, qvod perſolvent reges terræ corde voluntario, utinam cernat hoc alba de ſuo ſolario. Amplius non erit uverra *u*) ſed pacis perhennitas, una erit ſine fine dierum ſollempnitas, per qvem fiet hoc in mundo ſalvet vera deitas.

commercio. *fua merita* *dat.*

CAP. VII.

TAntus es o ceſar, qvantus & orbis, cis mare ut citra tu leo fortis, preſſo nam qve tua calce draconé, victor habes palmam cum ſcipione, ille qvidem penos *v*) exſuperavit, ſed tua romuleos dextra fugavit, ille palaciola fregit eliſſe, *w*) tu romæ muros julius ipſe, tranſcendens fabios, & cicerones, cunctos fabricioſ atqve catones, das populis jura cum ſalomone, nam mel ab utroqve ſunditur hore, *x*) Reges chriſticolas atqve proſanos, & theodoſios juſtinianos, & magnos karoles, atqve pi-

ut Je ruſa- *tur Rex,* *rogat-*

litano, v. *Labbeus Concil. T. 6. p. 587. & 1140.* Heic vero Caſtellum S. Angeli, qvod paullo poſt *poliandrum* nominatur, intelligi liquet. Et enim Gregorius VII. non ſecurum ſemet ibi ratus, Salernum aufugit, v. *Guil. Apulus l. 4. p. 621. Hugo Flaviniac. P. 2 p. 229.*

q) *decollatus*) ſive depoſitus fuit ab Ottone III. Johannes XVII. v. *Ditmar. l. 4. p. 395. Chron. Caſin. l. 2. c. 18.*

r) *Sylveſter*) Ignotus mihi eſt iſte Papa Sylveſter Neotericus, nec in Catalogo Pontificum circa illa tempora Sylveſter deprehenditur; in mentem igitur mihi venit, Clementem III. hic intelligi, ab Henrico IV. ſedi Romanæ præpoſitum, qvem Benzo ob circumſtantias nunc ignotas, forſitan, qvod hucusqve lautare neceſſum habuerit, Sylveſtrum appellat.

s) *improperium*) dedecus, injuria.

t) *faſtem*) baculum epiſcopalem.

u) *uverra*) guerra, bellum.

v) *penos*) Pœnos, Carthaginenſes.

w) *eliſſe*) Didonis.

x) *hore*) ore.

pinos altius ut dicam, atqve sabinos. Transilis hos sensu, viribus armis, de cælo missus, non homo carnis. Te qvoqve regna tremunt, cesar amande. Temet ubiqve Deus ambulat ante, ad votum faciens cuncta venire, effundens fialam fellis & iræ, qvos super ipse videt cordis amari, deqve tuis sceptris velle vagari. Ergo Dei cesar cerne fideles, qvos humiles noscis & michahes *y*) inter qvos famulus nomine benzo, te petit o rex bone poplite flexo, ut sua respiciens vulnera tanguas, *z*) atqve lupina potens guttura frangas. Sic faciendo qvidem ibis ad illum, qvi pietate nutrit qvemqve pusillum. De longa serra *a*) brevietur postulo uverra, ne sarabaitæ me vincant & sodomitæ.

INCIPIT PROLOGUS SEPTIMI LIBRI.

QUi diligitis Dominum pura mente, state cum silentio audientes intente. Fama nihil celans, bona vel mala cuncta revelans. Retulit ubiqve qvod justo judicio Dei condemnatus est prandellus collega scariothei. *b*) Ipse autem pertinaciter resistens catholicæ religioni noluit interesse pontificum congregationi. Mandaverat autem sibi domnus noster cesar HEINRICUS per episcopos, per satrapas, & per insignes viros, ut siducialiter venisset ad synodum, sedensqve in tribunali discerneret ex his qvæ emerserint æqvitatis judicium. Zabernas *c*) secum traheret plenas codicum, ex qvibus ad probationem causarum proferret veras testimonium. Remordente autem conscientia, recusavit sedile qvod expetit apostolica reverentia. Exspectatur per triduum delitiscendo, manifestavit se rationis vacuum, & veritatis viduum. Scriptum est enim. In vitium culpæ ducit fuga si caret arte. In extremitate vero synodi aperti sunt libri, & locata sunt universa testimonia scripturarum, quod prandellus æternaliter sit projectus a limine omnium æcclesiarum. Remoto itaqve noctis filio, elevatur ravennas filius lucis in petri domicilio. Quem rex benedici precipiens, imposuit ei nomen Clemens. Precipitato igitur diabolo in puteum confusionis. Sit pax & gratia Domini nostri Jesu Christi semper cum omnibus nobis. His ita gestis regrediens cesar in germaniam, placuit notificari cunctis prandelli insaniam. Ideoque apud concilium disposuit cui presules hesperiæ interesse voluit. Frater vero Benzo albensis opilio, quia molestia corporis impedente, nequivit adesse huic concilio ad laudem Dei qui tulit de medio æcclesiæ adversarium, misit domno suo regi & fratribus hoc litterale chorolarium.

Narrat, Prandellum sede dejectum, Clementem elevatum.

INCIPIT LIBER SEPTIMUS.

DOmno suo tercio HEINRICO Romanorum imperatori augusto, frater Benzo, sine pisscopatu episcopus, langvens oculis & pedibus, salutare tuum expectabo Domine. Non est homo sub cælo qui possit dicere cesar quantum debeas Deo pro tot graciis misericordiarum. Innumerabilium quoque beneficiis victoriarum. Immola ergo Deo sacrificium laudis & redde altissimo vota tua, tales enim retributiones expectat creator a creatura. Et nos levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cælis, ut semper te muniat protectione michaëlis. Concisis igitur cervicibus adversantium, eripe nos de laqueo venantium. Preterea mi domine, quia in legendis hystoriis, non est tibi ocium, saltim de pontificali libro excerptum digneris legere hoc breviloquium. Dixerat enim ille sarabaita, quod in sua esset potestate, quem vellet ad imperium promovere & quem nollet removere. Sed arguitur falsitatis, testimonio libri pontificalis. *d*) Ibi quippe legitur quod ordinatio papæ atque episcoporum sit atque esse debet, per manus regum & imperatorum.

CAP. II.

QUoniam de impiissima hereſi folleprandelli volumus & debemus aliquid dicere, oportet a superioribus paulisper incipere. Constantinus igitur imperator, divina revelatione sanctiq; silvestri digna prædicatione, conversus ad culturam christiane religionis, roboravit catholicam fidem multipharian multisque modis. Postquam autem romanam dignitatem, & pene totam urbem traxit secum ad apostolicæ credulitatis fidem, edicto constituit, ut omnes in sacræ fidei professione sentirent unum atque idem. Ea de causa, reliquit romæ suum patricium ad custodiendam rempublicam, & de manu papæ accipiens apocrisiarium, *e*) voluit ut esset constantinopoli ob disciplinam æcclesiasticam, quatenus presumenti garrire contra fidem, fieret obvius apocrisarius, & æcclesiæ romanæ volenti injuriam inferre, contradicere patricius. Et quoniam electio papæ siebat in criptis, *f*) propter metum paganorum, precepit ut deinceps celebraretur sollempniter in conventu populorum. Taliter quidem, ut si esset imperator eo loci, quo per unum vel duos menses valuisset romana legatio ad eum attingere, datis induciis interroganda foret per legatum ejus clementia utrum placuisset sibi interesse corporali presentia. Si vero moras ageret cesar in longinquis partibus orbis, cis mare, vel extra, sedente patricio in sua horcheſtra, vice impe-

y) *michahes*) Micha propheta in V. Test.

z) *tanguas*) tangas.

a) *serra*) continuatione.

b) *scariothei*) Judæ iscariothi.

c) *zabernas*) arcas vel capsas ex tabulis ligneis confectas, *v. Isidor. Origg. l. 15. c. 7.*

d) *Pontificalis*) Papæ & Episcoporum ordinationem ad Imperatorem Nostrum pertinere, innumeris testimoniis præter illa, quæ Benzo solide in medium adduxit, posset probari; sufficiat hic annotasse *canon. 22. dist. 63. Theod. de Niem de Jur. & privil. Imp. ap. Schard. in Sylloge Hist. Pol. Eccles. p. 248. Petr. de Marca de concordia Sacerd. & Imp. l. 8. c. 19. §. 6. Marc. Ant. de Dominis de Rep. Eccles. l. 4. c. 11. §. 41. Conring. de Consist. Episcop. Germaniæ.*

e) *apocrisiarium*) Legatum, Nuncium, Referendarium, Responsalem, qvia Responsa deferebant ab ἀποκρίνω.

f) *criptis*) occultis; vox Græca.

ratoris

ratoris a clero, ſenatu, & populo, fiat ſecundum Deum conivencia hujusmodi electionis. Conſecrari denique nullatenus preſumatur, donec per ſe, aut per ſuam epiſtolam imperialis conſenſus adhibeatur. Quod a nullo violatum legimus, preter de pelagio, qui ſuam non auſus eſt ad ceſarem dirigere legationem, propter longobardorum circa romam frequentiſſimam diſcurſionem. Cognoſcens autem ceſar veritatem rei per patricium, non grave accepit, quod non erat dolo comiſſum. Preterea non ignotum credimus epiſcopis, & ſapientibus clericis, qualiter beatus gregorius A eſt inthronizatus, operante germano patricio, volente atque jubente imperatore mauricio. Usque quo vero hoc perduravit, cui eſt cura cognoſcere, librum pontificalem dignetur revolvere. Illic inveniet qualiter exarſit contra eos imperialis cenſura, qui auſi ſunt infringere ſacræ conſtitutionis intemeranda jura. Nam neque temporibus grecorum, ſive francorum, aut teutonicorum, qui adepti fuerunt arcem romani imperii, evaſit penas *g*) preſumptor hujus ſacrilegii. Tercius denique otto, cujus magnalia predicantur in orbe B toto, ſuper cujusdam pſeudo papæ nefaria preſumptione, ultus eſt in aurium lingvæ naſique detruncatione, ſimulque cum oculorum evulſione. *b*) O vir virorum, o imperator imperatorum, cujus liberalitas erit memorialis per ſecula ſeculorum. Si ille otto tercius o ceſar HEINRICE, & tu HEINRICUS tercius. Ergo o vos duo tercii, eſtote unum in lege ejusdem commercii. Sed veniamus ad cauſam. Dominus noſter ceſar, ſecundus HEINRICUS, *i*) volens romam venire, gratia ſuæ conſecrationis, audivit tres diabolos uſurpaſ- C ſe cathedram apoſtolicæ ſeſſionis. Quibus precipiendo mandavit, ut ſibi occurrerent ſutrio, ſed non venerunt niſi duo. Facta eſt autem ibi ſynodus, ubi ſedente rege cum pontificibus, uterque eorum juſto judicio eſt contempnatus, tercius vero qui auſugit anathematis facula fulminatus. Ventum eſt ad romam. Poſtera die congregato concilio in æccleſia principis apoſtolorum, ſedit rex HEINRICUS, in medio epiſcoporum. Interfuit de univerſis gradibus tota nobilitas romanorum. Circumſtantibus ducibus. diverſa- D rumque dignitatum procribus. Inter quos etjam marchio bonifatius. Poſt hec conticuere omnes intentique hora[k]) tenebant. Tunc rex ait. Seniores romani, licet hactenus, ſive falſum, ſive inſulſum degiſtis, & quæcumque, & quomodocumque voluiſtis. Ecce ſolito more, ſit in veſtra electione, accipite quem vultis de tota præſenti congregatione; Qui uno ſpiritu parique conſilio reſponderunt. Ubi adeſt præſentia regiæ majeſtatis, non eſt electionis conſenſus in arbitrio noſtræ voluntatis. Et ſi forte aliquociens abſens eſtis, tamen per officium patricii, qui eſt veſter vicarius, ſemper apoſtolicæ promotioni intereſtis. Neque enim patricius eſt papæ patricius, verum ad procuranda reipublicæ negotia eſt imperatoris patricius. Conſitemur itaque nos deviaſſe, & ut minus ſapientes, fatuos atque hydiotas *l*) inthronizaſſe. Pertinet quippe ad veſtram imperialem potentiam, romanam rem publicam legibus emendare, moribus adhornare, *m*) & hanc ſanctam apoſtolicam æccleſiam, ne in aliquo detrimentum paciatur, brachio deſenſionis gubernare. Inito proinde conſilio, approbante ſacra ſynodo, conlaudantibus ſenatoribus ceterisque civibus romanis procerumque & populorum catervis ibi congregatis, decretum eſt ut rex HEINRICUS, cum univerſis in monarchia imperii, ſibi ſucedentibus fieret patricius, ſicuti de Karolo factum legimus. Confeſtim attollitur clamor in cælum commiſtis vocibus clericorum atque laicorum laudantium Deum. Indutus igitur rex viridiſſima clamide, deſponſatur patriciali anulo, coronatur ejusdem prelature aureo circulo. Flexis deinde poplitibus rogatur ab univerſis ordinibus, quo adhibita diſcretione, tales ſecundum Deum eligat pontifices, quorum doctrina revocetur ad ſalutem langvidus orbis, evulſis ab æccleſia peſtilentiæ morbis. Juſſu vero regis omnes ſurrexerunt, atque ſacras lætanias cum effuſione lacrimarum decantaverunt. Deinde bauembergenſem *n*) epiſcopum, accepit rex potenti dextra, quem fecit ſedere in apoſtolico horcheſtra. Eo quidem ſalutato ſicut mos eſt ab omnibus ſoluta eſt ſynodus. Die autem natalis Domini papa conſecratur, per cujus manum rex HEINRICUS oleo ſpiritus ſancti perhunctus, ad imperium ſublimatur. Vocatus eſt enim ipſe papa clemens, & merito fuit quippe bonus & benignus, placens Deo & hominibus, hunc conſequutus eſt brixanorum *o*) preſul litterarum ſcientia dives, ſed tantum tres & viginti vixit in urbe dies. Poſt quem ab eodem imperatore ordinatus eſt domnus leo, de quo ſuperfluum videtur aliquid narrare quia in æccleſia ſancti petri habet ſuum altare. Dormiente preterea domno leone in ſomno pacis, venerunt ad imperatoris curiam tres monachi quaſi de roma cum non eſſent de roma. Nam primus eorum erat de tuſcana, alter de burgundia, tercius de apulia, & dicebatur unus aldeprandus, ſecundus umbertus, ultimus bonefacius, & ſimulabant ſe ſungi legatione pro futuri paſtoris electione. Quibus dixit pater herimannus, colonienſis archiepiſcopus. Cum ſitis monachi, nil ad vos pertinet iſtud negotium. Fugitivi eſtis ſancti benedicti, ſub nul-

Henricus Niger monachorum fraudes eludit.

g) *penas*) pœnas.

b) *evulſione*) crudelis hæc pœna Johanni XVII. irrogata fuit, *v. Baron. T. X. Annal. ad ann. 998.*

i) *ſecundus Heinricus*) nobis Tertius, ſive Henricus Niger, cujus geſta inſignia contra Pontifices referunt *Otto Friſing. L. 6. c. 32. Sq. Chron. Caſin. L. 2. c. 80. 82. 89. Appal. Hildeſ. Sigeb. Gemblac. Chronogr. Saxo, Alberi-*

cus ad ann. 1046. 1047. 1054. & 1055.

k) *hora*) Ora.

l) *hydiotas*) idiotas, indoctos, rudes.

m) *adhornare*) adornare.

n) *bauembergenſem*) Bambergenſem Epiſcopum Suidgerum, poſtea Clementem II. nominatum.

o) *brixanorum*) qui Damaſus II. appellatus.

Nv horet, also kaiser *Sigmunde* sterben solte, wie gar uornunfftiglichen er starp, des tages also er uorschaiden solt, do his er sich anlegen wie einen romischen kaiser des morgens mit seinen alten Epistoler rock vnd ewangelier rock, sein korkappen, sein kaiserliche cron, vnd horte die messe, vnd nach der messen his er sich do wider austun vnd sprach, *Nu tut mich an also mon mich begraben will*, das tet mon, Also sas er auff einen stule vnd verschide, Also nu scholtu mercken, was er Jm befalch ee er starb, So solte mon Jn sten lassen zwen tag ader drey tage, das alle mon Jn sehen mochte, das aller der werlde herre tot vnd gestorben were, Vnd einen tag uorruffte er zu yme seinen sun, den herzog *Albrecht* von *Osterrich*, den his er sun, wanne er hatte des kaisers tochter, vnd ettlichen vngerischen vnd beheimschen lant hern vnd sprach zu yn, vnd pat sie, also lip als sie Jn hetten, das sie selber mit triden vnd gemache solten sein, vnd sie seinen sun Herzog *Albrechten* zu einen konig koren vnd nemen, wenn es stundle doch an das wunderlich in *Vngern*, so were sein tochter erbe zu den paiden konigreichen, vnd wolten sie ane grossen krig sein, das sie denne die kaiserynne sein frawen behilten bis das Herzog *Albrecht* in das konigreich keme, oder sie wurden den konig von *Polanden* nemen vnd in das konigreich zihen, so were das lant nymer an krige vnd vrlenge, Also das auch geschcen were, hette mon es nit versehen durch seinen weisen rat, Also do er vorschid, do lillte mon die kaiserin auf, das sie nyrgent dorffte reiten, bis das die vngerischen vnd das ganze lant herzog *Albrecht* koren zu einen konig, vnd wart gekront auf der heiligen drey konig tag zu vngerischem konig in dem M CCCC vnd XXXVIII iare nach Cristus gepurt, vnd die behemischen herrn ritten zu dem herzogen auf dieselben zeit, vnd wolten Jme vberkomen, auf welche zeit sie in kronen solten, vnd er zu Jn komen mochte, also zog er in daz lant zu *Vngern* vmb vnd stalte das lant zufriden.

Quo habitu decesserit.

Albertum Austr. Proceribus commendat.

CAP. CCXX.

Hie sint die kurfursten zu Franckfurt, *vnd sint zu sant Bartholmeus in der kirchen, zu kisen einen andern konig an des romischen kaisers* Sigmundes *statt, dem Got genade, Vnd also schullen sie stan, zu der rechten hant stat der bischoff von* Meinz *in seinem stulle oben an, Jtem dornach der pfalzgraff auf der andern seiten zu der lincken seiten, Jtem der bischoff von* Colle, *Jtem der von* Sachsen, *Jtem der von* Prandenburgk, *Jtem ein stulle letig zwischen den zwen fursten, vnd der bischoff von* Trire *vnd tewret die fursten alle.*

t) Ipsam Epistolam sive Auctor sive librarius inserere oblitus est.

Darnach

Electores Franco-furti, electionis cau-sa.

Darnach komen die kurfursten alle gein *Franckfurt*, bischoff *Dittrich* von *Meinz*, was ein schencke von *Erpach*, bischoff *Dittrich* von *Colle*, was ein graff von *Morsche*, bischoff *Rabi* von *Trire*, Herzog *Otte* von *Heidelberg* an herzog *Ludwig* (stat) sein sun was zu jung, so was sein vater iechling gestorben, also muste der am sein stat kysen, Es woren do der herzog von *Sachsen*, vnd der margraff von *Brandenburg* mit dreyen seinen herlichen herren, vnd was der lantgraff von *Hessen* vnd herzog *Ludwig* von *Brawnschwig* vnd der pose bischoff von *Wirzpurg*, vnd komen auf montag nach Oculi also mon schreib MCCCC A vnd XXXVIII iare, vnd waren do virzehen tage gleich, vnd Jn was gemacht ir stulle mit guten pelcken, also mon zu kore gat in die pfarrekirchen zu sant Barthelmeus zu *Franckfurt* - - - - zu der rechten hant stunt des bischoffes von *Meinz* stulle obenan mit seinen pelcken, vnd *Meinze* stunt dorvber geschriben, vnd ieglichen furste wo er sten solte, dornach ein konig von *Beheim*, der was nit, wenn es was noch keiner zu *Beheim* gecronett, dornach der pfalzgraff auf der andern seiten, zu der lincken seiten der bischoff von *Kolle*, der von *Sachssen*, darnach der B marggraffe von *Brandenburg* vnd ein stul ledig zwischen zweyen fursten; Also swuren die fursten vnd konden nit eins werden, vnd flugen den eid auf zu sweren acht tage, wen der herzog von *Sachssen* trug dorein, er meinte die kure zu haben, Es mocht aber nit gain Er hette denne dise mit recht vberkomen, die fursten komen an den achten tag in den kore zu *Franckfurt*, Nu was mein herre von *Trire* mitten in dem kore an dem pultum, do stunt sein nam angeschriben, vnd der begunde die fursten zu manen, das sie Got anesehen vnd einen gemeinen nuz, vnd einen romischen konig kurten, der gote lobelichenn C vnd der cristenhait nuz were; Also hub bischoff *Dittrich* von *Meinz* an vnd fragete den erzbyschoff von *Kolle*, wenn er kurte den konig von *Vngernn*, Er fragete den konig von *Beheim*, wenn er kurte, Do sas nymant auff demselben stulle, Er fraget den von *Sachssen*, wen er kure, den konig von *Vngernn*, Er fraget den bischoff von *Tryre*, wen er kure, den konig von *Vngern*, das was Herzog *Albrecht* von *Osterreich*, der was konig in *Vngern*, do warn sie eins worden, was die maiste menig tete, das solte getan sein vnd die andern solten do yider nit sein noch tun, Also D gab der pfalzgraffe vn der margraffe ire kore auch den konig, wie wol vil rede was, das der margraffe oder sein sune einer solte es sein vnd werden, vnd sie wusten auch nit anders vnd waren dorvmb do, als mon denne saite, also was doch durch alle lant, Edel vnd vnedel, arm vnd reich, das meiste teill fro vnd begerte den konig von *Vngern*, Also gab Jm das got durch sein gnade, der wolte Jme helffen zu dem besten zu bringen, Nu hat des kaisers *Sigmundes* buch, vnd was pei seinem leben eins teyls gescheen ist ein Ende, der allemechtig got alles vbel vnd poses von vns wende, Amen Amen, Vnd also laite mon den kaiser auff einen wagen vnd furte Jn in *Vngern* durch *Merbern* gein *Preßburg*, gein *Gianmary*, gein *Gran*, gein *Windenburg*, gein *Wosen*, gein *Offen*, do leit er begraben bej konigin *Maria* seiner ersten hawsfrawen in des liben herren sant *Landislaus* kirchen, den der selbe kaiser alle wege lip hat vnd gerne dynnte.

CAP. CCXXI.

Also Herzog Albrecht *von* Osterreich *zu einen romischen konig gekorn was vnd in* Beheim *vnd gein* Prag *zoge.*

Dv scholt wissen, das konig *Albrecht* kaiser *Sigmund* tochter mon, der also zu vngerischen vnd beheimschen vnd zu romischen konig gekorn was, also du uor gelesen hast, der zog gein *Beheim* vnd gein *Prag* mit drey tausent pferden ader me, vnd wart gekronet zu sant Venzlaws vfi dem hawse zu einen beheimschen konig vff sant Peters vnd paul tag, also mon schreib tausent vir hundert vnd XXXVIII iare, Jn derselben zeit hatte derselbe konig *Albrecht* seine potschafft getan auf den *Rein*, zu den kurfursten vnd den 1438. steten gein *Nurmberg* zu komen bj seinen *Electores Noribergam vocat.* rette vff sant Margareten tag in demselben Jare, sich do zu vnterspreche vnd auch zu voreinigen einen fride zu machenn in dem reiche vnd ein eyninge, korunge aller munze von silber vnd von golde, vnd das mon dorzu auch alle gericht stelte auff gerechtigkait, das do auch idermon gleich vnd gerecht geschee.

CAP. CCXXII.

Hie uorschriben die fursten dem romischen konig gein Wynne *genant konig* Albrecht *ir mechtige potschafft zu Jm zu komen gein* Franckfurt.

Also du uor gelesen hast von konig *Albrecht* zu *Osterrich* kayser *Sigmundes* tochter man, der gekoren wart zu einen romischen konig in der vasten in dem iare MCCCC vnd XXXIII iare, do santen die fursten ire treffliche potschafft gein *Weine* in *Osterreich* zu demselben konig *Albrecht* vnd lisen Jn piten dinstlich das er das reich an sich nemen wolte, das wolte er nit gerne thun, Er hatte selber lant vnd leut zu beschirmen, Do gaben Jn die fursten frist zwey iare heraus in das lant zu komen, Jn derselben weil do vberzugen Jn die *Durcken* in das lant zu *Vngern*. Also beraittent sich der konig zu vnd zog hynab *Bellum Turc.* gein *Vngern*, gegen den *Dorcken*, vnd hatte wol XXIIII tausent manne, So hatten die *Dorcken* hundert tausent vnd dreissig tausent manne, vnd solten gestritten han also vmb sant Michelstag, Also sante der Dorcke seine potschafft zu dem konig *Albrecht* vnd lis Jn verstan vnd lesen, das er nit streiten solt mit Jm, wenne er hette allwege acht manne, wo er einen hette, dorzu hatten ettliche sein lanthern Jn uorraten vnd uorkaufftet, vnd lise Jn des briffe senden vnd lesen, Also was es war der konig *Albertus proditur ab Hungariæ Procerib.* *Albrecht*

Albrecht uorlor ſeiner länthern VI, die des nachtes von Jn fluchtig worden, Alſo brach konig *Albrecht* vfi des morgens, wenn der Dorcke yme ſchreip, *er horet ſagen, wie gar ein frumer furſte vnd konig er were, des wolt er Jn genieſſen laſſen, vnd wie ſein landes hern alſo gar falſche an Jm weren worn*, vnd alſo zog konig *Albrecht* gein *Offen* vnd lis die *Durcken* alſo ligen, die hatten gewunen ein groſſe *Walachie* vnd ein cleine *Worzlant* vnd die *Sibenburg* vnnz bis vmb die *Domesburge*, vnd heten das lant alles verheret vnd gewuſt, vs geſchaiden *Tragenſtat*, *Hermonſtat* vnd ettlich ſloſſe, Alſo do in der zeit komen des koniges von *Polauden* rete zu konig *Albrecht* gein *Offen* vnd teidgent mit konig *Albrecht* von des reiches wegen zu *Behem* vnd von der alten kaiſerin auch von ires gutes wegen, das ir genomen was von des koniges gehaiſſe, alſo kunden ſie nit endes treffen vnd ſchiden do von einander, Alſo wart ein funt funden, das ſie ſolten ein ſuppen . . . . . das konig *Albrecht* wol er kant, das er nit leben mochte vnd ſein teile hat, do moclite er ſich auff vnd reit gein *Offen*, vnd do er kam gein *Langendorff* ein meile obwendig *Offen*, do muſte er ſterben, vnd ſtarb, das was am montag nach *Criſpini* vnd *Criſpiniani* tag, vnd was auch auff den montag uor Symon vnd Jude ler zwelff poten in dem Jare tauſent yrhundert vnd XXXIX Jare, Jn derſelben zeit nach aller heiligen tag do warent die kurfurſten zu *Franckfurt*, mit namen biſchoffe *Dittrich* von *Colle*, biſchoff *Dittrich* von *Meinz*, biſchoff *Jacob* von *Trire*, vnd aller kurfurſten rete trefflich, vnd deſſelben koniges rete mit namen der biſchoff von *Auſpurg* vnd der von *Winſperg*, Alſo kam den kurfurſten die potſchafft, das der konig tot was alſo ſchiden ſie von dannen vnd wart derſelbe konig alſo ſere geclaget von edeln vnd vnedeln, von reich vnd armen, alſo kein konig ſint Criſtus gepurt ye geclaget wart, vnd die mumlenige des totes ging auf die alten kaiſerine, *Eſt mala mulier & tota pritena*, vnd wie es ſich nu machen wurde mit dem newen konige, Jn derſelben zeit was alles das conſilium zu *Paſell* vnd das conſilium was vneins mit dem babſt *Eugenio*, wenn er doch wider das conſilium was vber das vnd ſolichee briffe, alſo er denne vber ſich geben hette, vnd dorvmb wart er entſazet von dem babſtum vnd auch vmb andre artigkel, alſo du uorn in dem puch vindeſt geſchriben, dorvmb machte das conſilium ein beſlyſſunge vnd kuren einen andern babſt an der mitwochen nach aller heiligen tag zu *Paſell* den herzogen von *Saffayen*, der his *Amadeus*, er wart aber genant *Felix* tercius, vnd der was geweſen ein leye vnd hatte gehabet zu weibe des herzogen ſweſter von *Burgonien* vnd hatte mit ir vil kinder, zu der zeit lebeten ir noch V. der tochtern eine hatte der konig von *Caſtelien*, die andere hatte der konig von *Cecilien*, die dritte hatte den herzogen von *Meylon*, hern B . . . ſun, Alſo ſtunt in irrung die werlde, das machte alles, das der babſt *Eugenius* volget den *Venedigern*, vnd nit dem conſilium gehorſam was, alſo er ſich des verſchriben hatte, das macht alles, das er ein *Venediger* was.

Legatio Regis Poloniæ.

Albertus veneno moritur.

1439.

Ejus mors ubique deploratur.

Eugenius deponitur.

CAP. CCXXIII.

Hie ſanten die kurfurſten alle ir treffliche rete zu konig Friderich *von* Oſterreich.

Alſo du hie uor *u*) geſchriben vindeſt, wie die kurfurſten Erzbiſchoff von *Kolne* vnd herr *Jacob* von *Sircke* erzbiſchoff von *Trire* vnd her *Dittrich* ſchencke von *Erbach*, erzbiſchoff von *Meinz* . . . Do ſanten ſie vnd alle kurfurſten ire rete zu dem konig mit namen konig *Friderich*, der do was Herzog *Albrechz* ſun von *Oſterrich*, zu halb vaſten in dem iare tauſent CCCC vnd XL iare, dornach in dem andern jare acht tage nach pfingſten, als mon zalte nach der gepurt Criſti XIIII hundert vnd XLII iare do kam konig *Friderich* von *Oſterrich* gein *Franckfurt* vnd kam mit ym der Herzog von *Sachſſen* vnd margraff *Friderich* von *Brandenburg* vnd beſchaide die andern furſten auch zu ym zu komen, Alſo kam zu ym der biſchoff von *Meinz*, *Colne* vnd *Trire* alle drey erzbiſchoff vnd margraff *Jobſt* von *Baden* vnd ſein ſune, vnd bliben do wol acht tage, do zog der margraffe von *Baden* wider heim, vnd zog der konig mit den kurfurſten den *Mein* abe gein *Meinz*, do was Herzog *Ludwig* von *Haidelberg* zu *Meinz* vnd ging dem konig entgegen mit ſeiner herſchafft an den *Rein*, wenn er hette vil hern mit ym, XXVIII groffen vnd er, vnd die thum hern zu *Meinz* vn die ſtat *Meinz* enpfingen den konig gar herlichenn vnd furten Jn in das munſter vnd ſazten Jn auff den altar, Dornach fur der konig mit allen furſten den *Rein* abe gein *Bacharach*, do wart er ſchon vnd herlichn enpfangen vnd geſchach Jm groſſe ere von herzog *Ludwig*, Jn der weill was Herzog *Albrecht* von *Oſterrich*, des koniges bruder mit dem konig vneins, wenn Jm der konig nit eigens geben wolte, vnd auch von der Juden wegen, den er gar feint was, vnd ſie der konig gern hette, vnd zog dem konig fur ſtete vnd ſloſſe in *Oſterrich* vnd auf der *Steyermargk*, vnd gewann Jm die an, das der konig gros arbeit hatte, do er heim kam, bis ſie Jm wider wurden vnd beſunder die ſtat *Pruck* auf der *Stewermargk*, Dornach fur der konig mit den hern von *Bacharach* den *Rein* abe, vnd do ſie komen gein *Boparten*, do des koniges ſtulle ſtat zu *Renſe*, do was der ſtull koſtlich berait mit guldein vnd ſyden tuchern, Do wart der konig drauff geſezt von den kurfurſten, alſo dann das von alter herkomen iſt, Dornach furen ſie furder den *Rein* abe, vnd do der konig vnd die kurfurſten gein *Bin* komen, do wart der konig gar ſchon vnd

1440.

1442.

Fridericus Francofurtum petit cum Electoribus.

Honos habitus.

Diſſidium inter Fridericum ejusque Fratrem, Albertum

Locus, ubi olim Imp. Rom. eligi ſolebat.

u) Auctor nuſpiam artigit, quod nunc eſt relaturus. Et hanc formulam ſolummodo connexionis cauſa ponere ſolet.

herlichen enpfangen von dem biſchoff *Dittrich* von *Colne* zu *Bunie*, vnd bliben do wol zwen tage, bis das die pferde auf dem lande herab komen, do raiten ſie gein *Thuer* vnd furder gein *Ache* wol mit XI tauſſent pferden auf das aller koſtlichen vnd herlichſte vnd mit gezewge ausgericht.

CAP. CCXXIV.

Hie reitet der Herzog von dem Perge *vnd der Herzoge von* Gelren *vnd der biſchoff von* Lutich *vnd der Junckher von* Cleffe *mit vil graffen vnd herren vs der ſtat* Oche *vnd enpfingen den konig mit den kurfurſtenn.*

A

Rex Aquisgranum ducitur.

Dv ſcholt wiſſen, als der konig gein *Ache* zu raite, do ritten gegenn Jm von *Oche* aus der ſtat der herzoge vom *Perge*, der herzog vonn *Gelre*, der biſchoff von *Ludtich* vnd der Junchher von *Cleffe*, vnd enpfingen Jn mit groſſer herlichkait, vnd furten Jn in die ſtat *Ache* gar mit groſſer macht, das wol XVII tauſſent wol beraiter vnd erzugkter pferde einritten zu *Och* mit dem konig, das meinte das gar uor langer zeit nye ſo gar gros herlichkait bej einander geſehen were worden, den auf dieſelben zeit, wenn gar in langer zeit do uor kain konig gecronet wart vnd eitel Junckhern B vff furſten worn, vnd alſo er in die ſtat *Ache* ſo gar mit groſſer herlichkait vnd macht yn kam, das was auf freitag nach ſant Veiztage in dem 1442. Jare als mon zalte XIIII hundert vnd XLII. Do wart auf dieſelbe freitag zu nacht ein ſchoner vnd ein groſſer danz gemacht dem konig zu lobe vnd zu ere vff dem rathaws, vnd do waren vil ſchoner Junckfrawen *x*) vnd beſunder vil ſchoner frauen franzoſchiſcher, vnd dor nach auf dem ſampztage nechſt vmb funff ore nach mittage, do ritten die herrn vnd knechte vnd knaben in die drencke mit den pferden, vnd do wurden des pfalzgraffen knaben C herzog *Ludwigs* von *Haidelberg* mit des koniges knaben ſtollig in der trencke vnd flugen do an einander, das des knaben einer von dem pferde kam in das waſſer vnd ertranck zwiſchen den pferden, do hub ſich ein groſſer ſtraws do von, wenn des koniges diner wolten den knaben ye rechen vnd machten ein gros geſchrey, Do wolten ettlich wennen, es ging vber die ſtat vnd der konigk hette die ſtat verraten, vnd machten ein gros geſchrey vber den konig, das der konig nit gar ſicher was in der ſtat *Ache*, wenne der konig weſte nit dovon, D vnd ettlich ſprachen, der konig wolt vber Herzog *Ludwig*, do ſprachen ettlich, der Herzog wolt vber den konig, vnd ging wilde teidung in der ſtat vmb, vnd ettlich ſaſſen auf ire pferde in ganzem Harnaſch vnd raitten zu *Ache* vmb in der ſtat mit ploſſen waffen, vnd wolten ein tail vber den konig vnd ein tail vber den pfalzgraffen, vnd weſten paide hern nit dorvmb, das erſchracken die purger gar fere vnd forchten, das geſchrey ging vber ſie, vnd die ſtat were verraten, vnd teten ſich an mit ganzem harnaſch vnd gingen auf das rathaws, Do kam zu Jnn auf das rathaws der herzog von dem *Perge* wol mit XIIII hundert mannen vnd wolt Jn peiſtan, den die ſtat ſtund Jm zu verſprechen vnd zu behuten auf dieſelben zeit, do ſas der Herzog von dem *Perge* vnd ettlich purger von *Ache* auf ire pferde vnd ritten in der ſtat vmb vnd rufften aus, Es were fride vnd die ſach were ganz ſchlecht vnd gericht, vnd wuſten doch nit was es was, Jn dem do kam es Herzog *Ludwigen* fur, das ſolche wunderliche mere in der ſtat vmbging zwiſchen Jm vnd dem konig, do erſchrack er gar ſere, *das wol got nit, das wir vns eins ſolchen vnderſtan, vnd reit in dem zu dem konig in ſein Herberg vnd ſprach zu yme, gnediger herre, es gin wunderlich mere in der ſtat vmb, das ich mich wider ewr koniglich gnade ſeze, das iſt nit, vnd wil pej euch ſterben vnd genesen.*

Fides Palatini in Regem.

CAP. CCXXV.

Hie leget der romiſch konig die vinger auf das ewangelium und ſwert den kurfurſten das romiſch reich in ern zu behalten &c.

Coronatio Friderici.

Dornach zu morgen am ſuntage vmb funff ore, do ritten die kurfurſten in iren maigeſteten fur vnſer frawen Munſter zu *Oche* vnd wolten den konig cronen, Do kam der konig zu Jn reittende vnd ging mit den kurfurſtenn in das munſter, vnd do prachte mon dem konige ein puch vnd las Jm fur was er ſweren ſolte, vnd ſwure den gaiſtlichen furſten vff das ewangelium vnd den werntlichen auff das ſwert, das kaiſer *Karln* von Hymell kam, ſolches zu halten, vnd do wart er gekronet von einem apte, der dann das zu thun hat von bepſtliches gewalz wegen, vnd do er nu gekronet wart, do ging der konig vs dem munſter alſo angetan mit ſeiner koniglicher maigeſtat, mit den kurfurſten vnd trug yglicher was er dann tragen ſolte von kaiſerliches amptes wegen, vnd ging auch in ſeiner majeſtat, vnd do was nit fere von dem munſter ein prun gemacht, der gab guten wein vnd ſtunt genug prot dabey, vnd do brente man ein ganzen ochſſen mit den hornern vnd fuſſen, was *y*) nit dovon komen die haute vnd das yngewaide, vnd do ging der konig zu den prot vnd nam das prot, vnd ging zu den ochſſenn vnd ſneid dor abe, vnd as das vnd tranck von dem prunnen, als denn gewonhait iſt, das mon ſolches zu eines romiſchen koniges kronunge pfliget zu thunn.

Discordia inter famulos Regis & Palatini.

CAP. CCXXVI.

Hie ſizet der romiſch konig Friderich *von* Oſterrich *mit ſeinen kurfurſten zu tiſche zu* Oche *auff dem ratthaus vnd dint ym zu tiſche der Herzog von* Perge, *der Herzog von* Gelre, *der biſchoff von* Luthich *vnd der Juncker von* Cleffe.

Hic deficit nigrum.

x) Adde ex altero; *vnd frawen, wol X Herzoginne vnd vilgrefin vnd freyin vnd &c.*
y) Forte: *nur.*

CAP.

CAP. CCXXVII.

Hie nemen des reiches vnd erbe amptleute alles das guldein vnd silberein geschirr, das mon den hern auff dem tische zu Oche *vff dem ratthaws fur satzte, wenn es in gewonhait vnd recht ist, vnd dorvmb wart des koniges volck mit Jn vneins auf dem rathaws vnd slugen sich das sie wundt wurden.*

Dornach ging der konig mit den kurfursten vnd allen andern fursten, hern, rittern vnd knechten auff das rathus, vnd gab der konig allen fursten vnd hern, die den zu *Och* auf dieselben zeit worn, ein köstlich mole, vnd ist ein gewonhait in dem romischen reiche, wenn mon einen romischen konig cronet, das an demselben tage zu mittage alle herren lette mit Jm essen vnd was mon einem iglichen fursetzet von silber oder von goldein geschire, das mon denn nuzet zu demselben malle, es sey tring geschire oder schussel oder gisfasse, das ist sein vnd mag es nemen vn sunderlich des reichs erbe amptlewte, die nemen die kandeln, gisfas, was das ist, es sey silberin ader guldein, vnd das weste der konig nit vnd his darsezen, vnd tragen gros gut von guldein vnd silberein geschire, das er von *Osterrich* prachte vnd das Jm zu *Franckfurt* auf dem *Rein* geschenckt was, des worden die gar froe vnd assen vnd trancken vnd lebten woll, vnd iglicher nam das Jm zugehoret, vnd die schencke namen die gulden vnd silbern flassen, so namen die truchsessen die silberein vnd guldein gefess, pecke, protkorbe vnd die silberein schussseln vud was Jnn zugehorte von kaiserliches amptswegen, vnd do sulches des koniges lewt sahen, do meynten sie es zu wern in frefeln vnd westen von solcher gewonhait nit zu sagen, vnd wolten das widerhaben vnd was ein grosser stos zwischen Jnn, das sie von schaide zugen vnd an einander slugen, das ettlich wunt wurden, do retten die kurfursten mit dem konige, *Es were ein gewonhait vnd ein altes herkomen, was fur einen kem das wer sein, Dosprach der konig, Jst es denn ein gewonhait vnd ein recht, das haben wir nit gewust vnd wer vns zu hertte, wir wollen gern ein sum geldes dofur geben,* Also wart es gericht, das dem konig sein geschir wider wart vnd er ein sum geldes dorfur gabe.

Convivium splendidissimum.

Cui vasa cedant.

Furginm inde & pugna

CAP. CCXXVIII.

Hie empfecht der Herzoge von Heidelbergk, *der herzog von* Perge *der margraff von* Prandenburg *vnd der bischoff von* Luttich *vnd vil ander herzogen vnd herren Jr leben zu* Oche *vor dem rathawss &c.*

Variorum investiturae.

Dornach am montage nechst als der konig gekronet wart, do empfing der pfalzgraff Herzog *Ludwig* von *Heidelbergk*, vormittage von dem konige *Friderich* von *Osterrich* zu *Ache* uor dem rathawss sein lehen, An demselben tage nachmittentage empfing der Herzog von *Perge* sein lehen, Am dinstag dornach empfing margraff *Friderich* von *Brandenburg* sein lehen uormittage; Nachmittage enpfing der Herzog von *Gelere* sein lehen, Am mittwochen uormittage enpfingen des Herzogen von *Purgonien* rate ir lehen an das Herzogen von *Purgonien* sein stat, Am dornstag nechst dornach do zaigete mon dem konig vnd den fursten das loblich heilitum, das mon zu *Och* hat, Am freitag dornach do zog der konig vnd ydermon von *Oche* vnd raite der konig gein *Kolne*, do wart er schon enpfangen von der stat *Colne* vnd enpfingen ettlich fursten vnd herrn ir lehen do von dem konig, do bleib der konig funff tag vnd zog dem *Rein* wider auff gen *Kobelenz*, do enpfing Jn der byschoff von *Trire* gar herlich vnd zog do furt vnz gein *Franckfurt* vnd lag allo aldo VI wochen, vnd uorschrib allen fursten herrn vnd steten zu ym gein *Franckfurt* zu komen, aber er trug nit aus, vnd zog do furter dem *Rein* auf gein *Stroßpurgk* in *Elsessen* vnd furder gein *Zirch* vnd teydigeten mit der stat *Zurch*, das sie Jm swuren an das haws zu *Osterrich* zu ewigen tagen, do von hernach gros krig vnd plut uorgissen vfferstund zwischen den *Sweizern* vnd den von *Zurch*, vnd zog furder an die *Etsche* vnd dornach also piss heim.

Diz puch ist gens worden zu Eger *am freitage nach sant Veiz tag nach Cristi geburt tausent vir hundert vnd in dem ein vnd sechzigisten iare geschriben* Vlricus Aicher *oder* Eicher *diner der stat* Eger *mit seiner hant, vnd ist der gepurt von* Kozing, *got helff ym mit lib vnd die iunc fraw Maria, das er das vndmer schriben müsse, vnd lange pleibe gesunt mit seiner schonen frawen* Barbara *des* Caspar Richters *doselbes tochter &c.* 1461.

FINIS.

XVI.

ANTONII DE MUSICA ANTWERP.

COMMENTARIOLUS RERUM GESTARUM APUD S. DIGERIUM AB IMPERATORE CAROLO V. AD REGEM ANGLIÆ HENRICUM VIII.

EX BIBLIOTHECA

B. DOCT. JOH. WILH. JANI, PROF. WITTEB.

QUI EX COD. BIBL. REG. LONDIN. DESCRIPSIT.

DEDICATIO AUCTORIS.

HENRICO VIII. *Dei Gratia Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regi, Fidei Defensori, inque Terra Ecclesiæ Anglicanæ & Hiberniæ Capiti Supremo. Victoriam contra hostes & perpetuam felicitatem.*

Auctoris fides.

Offero T. R. M. Commentariola, in ipsis castris militari more ac stilo Laconice conscripta eorum, quæ apud S. Digerium *gesta ipse vidi, tantoque veriora, quod aliorum relata non refero, sed quæ ipse sæpissime capitis mei periculis expertus sum. Nam cum Commissarius essem, & adhærerem ob linguarum peritiam* Fr. Duarti, *Provisori totius exercitus Generali, cui quotidiana exercitus acta referebantur, si quædam non vidi, ea multorum relatione recognovi, utque melius omnia a T. M. intelligerentur, adjunxi separatim* Catalogum & Ordinem militiæ Cæs. Majest. *quem habuit in expeditione bellica hujus anni adversus* Galliæ *Regem, curiose & juxta ipsos delectus Mens. Julii habitos, descriptum. At cum stilus sit rudis & plane nudus, nec Latini sermonis decoretur nitore, ut qui magis sim in aulis Principum & bellicis negotiis versatus, quam in Palæstra literaria, Tua Maj. animum & rem ipsam inspicere non verba, dignetur. Quod si intellexero, me non fuisse importunum Tuæ* R. M. *audacius posthac nonnulla alia scitu non indigna sub Tuo glorioſissimo editurus sum nomine. Reliquum est, ut Tua R. M. me in mancipiorum Tuorum numerum recipere dignetur, quam Christus Opt. Max. juxta vota conservare velit.*

Tuæ Regiæ Maj.

Ex aula Cæs. ult. Octobr. M. D. XLIIII.

deditissimus mancipium

ANTONIUS DE MUSICA Antwerpian.

COmpositis ab Illustrissimo D. *Ferdinando* de *Gonzaga Malpheti* Principe, Prorege *Siciliæ*, Cæsareique exercitus generali Capitaneo, rebus, quæ ad custodiam Castelli *Ligniaci* (oppidum enim ab Gallorum Italis concrematum est) pertinere videbantur; recta cum pleno exercitu ad oppidum *S. Digerii* (sic a *Gaguino* diligentissimo Gallorum Historiographo vocatur) proficiscitur, præmissis in *Germaniam Inferiorem* Comitibus de *Brigna* & *Rousſi* fratribus, *Ligniaci* Dominis, una cum Dn. *Deschene*, alias *Tyniteville*, qui accusatus olim a *Sebast.* de *Monticulo* ob toxici crimen Delphino *Francisco* porrecti, post absolutus, is fuit, qui cum *Strozianis* machinatus fuerat proditionem & invasionem oppidi *Murrani*, quo facinore eo pervenerat, ut bene apud Regem audiret, & ab ipso Lustrator Oppidorum Castellorumque fortificationi limitum *Campaniæ* designaretur. Graviter tamen prius & serio de comeatu ac alimentorum ratione actum est, non quod aliqua esset militantium rationum in progressu dissentio, ut qui cum ipso Cæsare expectabant socias cohortes; quamvis certe sua Mai. non tam proregis *Ferdinandi*, sed principum Germaniæ aliorumque suæ Maiest. benevolentium literis etiam deterritus fuerit a propria personæ exhibitione. Solent enim Proceres & Magnates regnorum Principem optare a bellicis tumultibus & tarantanticis claugoribus ob pericula remotum. At Cæsar, magna animi virtute ductus, ut omnibus rebus præest ita in hac exoptatissima expeditione præsens & coram adesse voluit, in qua Principes, Status & Ordd. S. R. I. quod vix aut raro nostra ætate visum est, *Galliæ* Regem, ob fœdus Turcicum, hostem decreverint, subsidiariasque belligerandi pecunias viritim contribuerint. Quam obrem pertinacius de alimentorum ratione consultum est, ne tantus exercitus, in quo maxima spes erat, aut Gallicas vires fore confringendas, aut perpetuam tranquillitatem adipiscendam, ob penuriam atque inopiam commeatus destitueretur, ac plane post dissolveretur, ut sæpe accidisse experientia & vidi-

Cujus rei in hoc bello inprimis curam gesserint Cæsarei.

Carolus V. interest huic expeditioni.

In quo spes fuerit Gallo.

vidimus & legimus. Nec ipse quoqve Galliarum Rex alia ipe animabatur, sæpissimeque more Gallico apud suos gloriabatur. *Cæsarem se non armis, sed fame oppressurum*, objiciens præteritum Cæsaris successum in *Transalpina* aut *Togata Gallia*, quam Romani provinciam nostram appellarunt. Ac tandem prudentia Pro-Regis, & dexteritate *Francisci Duartii* Proveditoris, generalisque totius exercitus Commissarum, deliberatum est: quando *Lotharingiæ Barrique* Provinciæ *Gallis* sint vicinæ, multisque in locis contiguæ, antiquissimisqvæ & perpetuis Galliarum Regum beneficiis, connubiisque hinc inde Nobilium ita contextæ, ut merito debeant nonnulli Gallicæ factionis esse studiosi, quorum industria ita viarum insidiæ strui possint, ut commeatus non, nisi gravi periculo advehi quiret, licque exercitum periclitari posse, nisi tempore subveniatur: visum est, ut post posita neutralitate, quam Dux *Anthonius* vivus, & *Francisci*, ejus filius & Successor non infringendam per suum Oratorem D. de *Aranges* proponebant, nihilominus nonnulla oppida & castella *Lotharingiæ Barrique* Ducatuum intercipiantur, nostrorumque militum præsidiis muniantur, sicque futurum, ut itinera existant securiora, & alimenta copiosius advehantur. Oppida *Lotharingiæ Barrique* hæc fuere: *Pons Monsonius*, *S. Michael*, *Barleducum*, *Castella Sourey*, *Pyrrefort* & *Malatone*. Duo posteriora occupavimus absque Ducis præjudicio. Alter enim erat Oeconomus Regis *Galliæ*, & Cæsari omnium fama infestissimus, alius ita aulæ Gallicæ erat addictus, ut non Lotharingus sed Gallus ab ipsis Lotharingis haberetur, verebaturque, Sagacissimus *Duartus*, ne inde insidiæ nostris commeatum adducentibus pararentur. Nihil enim magis illi curæ fuit, nec quidquam curiosius aut sumtuosius agitabatur, qvam viarum securitas & explorationes. Ea enim ratione suo instinctu Pro-Rex *Asperimontem* nostrorum militum præsidiis custodiri jussit, quamvis sit Comitatus Imperio addictus, non ob aliud, quam quod alter Comitum (duo enim sunt fratres) nimium illecebris aulæ Gallicæ delectaretur, adeo insistebat securitati itinerum, ut ne suspicionem quidem pateretur. *Virodurum* denique, ut civitatem imperio addictam, nimia tamen neutralitate nobis snspectam, quod *Marchæ* familiæ nobiles *Jamaicæ* Dominos vicinos haberet, & ipse etiam Rex prælatoria præsidia in *Castello Montefaucone* sustineret, nostrorum præsidiis firmam conservavimus. Quod & *Thuolensibus* evenisset, nisi *Tusanus Hoccædius* Episcopus, Vir prudens & magna eruditione præditus, ac Senatores mira exquisitaque alimentorum & advectionum diligentia ansam & occasionem præripuissent. Deinde præter *Commerziatum*, quod violenta manu hostibus eripuimus, occupavimus *Vasseolerium*, castellum prædatibus valde propitium, ut ex ea parte hostium excursiones & insidiæ itinerum prohiberentur. Erant constituti & *Metis* Legati, qui nunc Commissarii vocantur, qui farinam ac frumenta ex *Germania* & aliunde advecta recipiebant, ac primum ad *Pontem Monsonium*, post ad *S. Mirbaclem* destinabant, ubi præcipua statio rei frumentariæ habebatur, ac indies plures quam 50. mille panes conficiebantur, idque commissione atque expensis Cæsareis. At *Duarti* industria, qui etiam ex Germanorum cohortibus peritissimos pistores selegerat, nec minori diligentia *Ligniaci*, *Barri*, & apud *Virodunum* pinsebatur. Nulla denique necessitate pretium hujusmodi panis immutatum est, sed æqali pondere constans dimidio stufero Brabantico a Deputatis & juratis Comissariis divendebatur. At talis erat ordo, ut juxta quantitatem primum autoritate *Duarti* Syngraphis, post æque cohortibus per Decanos, juxta ordinem incessus, distribueretur, nec in tanto & diversarum nationum exercitu quicquam desiderari visum est, quam quod Germani utriusque *Germaniæ* totum harum rerum imperium penes *Hispanos* non detrectabant, sed reprehendebant. Sed hæc rursus leniebatur mira *Duarti* affabilitate, nemo enim accedendo janitorum fastu impediebatur, verum omnes cujuscunque conditionis incredibili animi alacritate & comitate excipiebat, ut ipsi Germani proceres & gregarii etiam milites illum, non nisi lingua Hispanum judicarent. At ipse vere est Hispanus ex *Bætica Hispania*, quam *Wandalusium* vocant, dignitatemque *Proveditoris* Generalis jamdudum adeo feliciter administravit, ut omnibus expeditionibus in *Italiam*, aut ex *Hispania* post Cæsaris *Bononiæ* coronationem susceptis mari & terra, ipse præfuerit præparationibus & commeatui, idque cum summa laude & Cæsaris existimatione etiam apud exteras nationes servata. Eum primum *Merbonæ*, deinde apud *Castellonovum* Magnus *Melphitorum* Princeps *Dorianus Andreas* publice, cum acclamatione militum, laudavit, Cæsarique, post obitum Pampilonensis Episcopi, heri sui, adeo commendavit, ut nisi eo Proveditore, se quicquam mari ausurum aut effecturum, conceptis verbis affirmarit. Multa hic adferrem, quæ sua virtute & prudentia facta constant, nisi ipsis Germanis esset admirationi, quod tam exiguo tempore stupendas provisiones ac munitiones superiori anno, in bello contra Ducem *Cliviæ* & *Geldros* conflarit. Sed hæc vel ideo refero, ut desinant calumniari, qui falso evomunt, Cæsarem hominem novum & peritia belli ignarum, ad hoc fastigium, tamque arduam totque curis plenam dignitatem evexisse. Proinde cum fere omnes essent Hispani, quos hinc inde, ratione alimentorum, habebat dispersos, eos scil. quos ipse Cæsar anno præterito ob fidei expertæ integritatem *Cremonæ* selegerat ac nominarat, curavit, ut ex sattellitibus quisquæ Germanicæ Custodiæ Cæsaris, quorum fides & probitas esset perspicua, ob ligvarum peritiam illis juxta eventum negotiorum, adjungeretur, qui etiam cum essent *Lotharingis* ignoti, & ut verum fatear, aliquibus in locis invisi, ne illorum conatus spreta autoritate di-

Duarti affabilitas & merita.

Malevolorum in eum crimina.

minuerentur, ac si forsan penuria ob protractionem commeatus induceretur sollicita Vitacriter ap. Pro-Regem, ac post apud Cæsarem, ut adsciscereturNicolaus de Hu, Dominus de Ennery nobilitate vel splendore natalium apud Metenses vel Mediomatricos primus, ac in ambigua Civitate semper Cæsaris & imperii partium fautor, cujus experientiam & autoritatem cum summam apud Lotharingos esse intellexerat, ut qui Senlori Duci fuerat a secretissimis consiliis, ejusque Orator ap. Cæsarem in Hispanis, curat, ut is hinc inde aliquibus Oppidis cum imponat, qui nunc apud Pontem Mausonium, nunc apud S. Michael juxta negotiorum expostulata, divertebat, Cæsarisque mandata patrio more exponebat, Commissariosque populo commendabat, eumque etiam præmiis propositis ad commeatus adductionem invitabat. Dispolitis etiam nonnullis commissariis ex contiguis Cæsaris Dominiis, qui locorum peritiam haberent, & apud Lotharingos alicujus essent autoritatis. Deinde cum Duartus difficultatem curruum præteriti anni necessitate collegerat, 200. præparatissimos Currus, cum singulis 8. equis, sumtuoso stipendio ex Superiori Germania adduxerat, ne quotidiana coactaque agricolarum exhibendis curribus calamitas instaret. Cautum denique capitali pœna fuit, ut quævis armenta militum excursionibus adducta, exercitu deduci nulla alienatione quirent, sed aut mactanda in castris, aut simul ducenda, atque semper vili pretio carnes divenderentur, ipse Duartus plures mille boves ex commissione Cæsaris subinde, in ipsis castris adducebat. Bovis pinguissimi pretium erat 4. Coronatorum Italicorum ad maximum, cogebanturque laniones pretii respectu vendere. Hisce omnibus tandem factum est, ut si non abundantissime, saltem absque necessitate, exercitus retineretur. Quod si Lotharingiæ Barrique nobilitas adeo nostræ expeditioni aut Cæsaris victoriæ favisset; & omnium rerum abundantiam vel majorem copiam alimentorum nacti fuissemus.

Habita igitur certa & præscripta de alimentis & commeatu ratione, Prorex intra biduum in prospectu S. Digerii cum integris copiis pervenit, exercitumque ex occasione in monticulo quodam prope nemus collocat, situmque oppidi ex eminentioribus locis contemplatus, expertorum Ducum militumque consilio usus, biduum ibidem quievit, donec de occupanda planitie & oppido propius accedendo consultius & securius deliberatur. Erat *duplex* via, *una*, qua veniebatur ex oppido Zenville, prope litus fl. Matronæ, qui fl. ex meridie percurrit S. Digerium, altera Ligniaca, qua exercitus migrabat. Vtramque Pro-Rex industria observari jubet, præmissis Dominis de Bredevode & Bossy, Magistris Equitum inferioris Germaniæ, ut hi cum suorum equitatu fauces monticuli & nemoris occuparent. Prius enim lustrandi & explorandi gratia præmiserat Franciscum Estensem Paduæ Marchionem, qui equitibus levioris armaturæ præerat, una cum Comite Jo. Baptista Gastaldo, primipilo totius exercitus, quem Hispani & Itali Mæstro de Campo dicunt, ut iis ex officio locum castris idoneum deligeret, & planitiem exercitui divideret; nam recte Præfectus Major castrorum erat. Quibus adjunxerat Ludovicum Perez de Bergas, cum aliquibus cohortibus veteranorum Hispanorum, peditatum legionis Italicæ, quibus & ipse præerat, vir certe animosus & belli gloria clarus. Ex alia parte ad lævam prope flumen Matronæ, Galliæ Marne, erat vallis dicto monticulo contigua in qua Prorex omnes cohortes peditum superioris Germ. consistere jusserat. Ex ea jubet eos, una cum parte equitatus, cui imperitabat, Jo. Hiliquin, eques auratus; D. de Lorch, Marischallus vel Magister Equitum superioris Germaniæ, recta oppidum accedere, primamque aciem ex ea parte committit Georgio a Ratispona, quem Comes Guilelmus a Firstenberg, & Conradus a Bemelberg ordinibus instructis, cum suorum peditum cohortibus subsecuti sunt; hos omnes oppidum præterire, & Castra simul ad flumen metari imperat Georgio a Ratispona, tum cum sex vexillis separato. Quem congungit Hispanicis castris; amabatur enim ipse Georgius & sui ab Hispanis, quod præterita hieme simul fraterne hiberna apud Samarobrinam vel Camaracum habuissent. Eam autem exercitus partem, quæ in ipso monticulo & nemore castra habuerat, per Ligniacum iter propius proficisci majoribusque Castris adjungi jubet, præter decem cohortes peditum Germaniæ Infer. Principis Aurangiæ, quas tum ducebat Wolffg. a Pomerem; hos in faucibus monticuli & nemoris Castra collocare disponit prope equites Brederodianos, ut ex ea parte ad obsidendos nullus pateret accessus, & nostra castra essent ab insidiis & inquietationibus hostium tutiora. Hic describerem situm nostrorum castrorum, ut tum primum concepta erant, nisi perpetuæ molestissimæque pluviæ nos subinde ad mutationem locorum perpulissent, quæ quam fuerint nobis molestæ, vel ex eo considerari licet, quod in castrorum metatione ac tormentorum machinarumque firma plantatione fere XI. dies consumserimus, & id in commodissimis totius anni belligerandi mensibus Junii sc. & Julii, solemque præter naturæ & temporis rationem vix ter clarum conspeximus, idque jam adepto oppido, invaseratque milites tanta desperatio, ut palam, *Deum Gallo favere*, murmurarent. Sed priusquam recte denique nostra tormenta aggerarentur, nisus est magnopere Pro-Rex, ut machinam quandam, quam vulgo *Falconeam* vocant, quamque hostes in turri Ecclesiæ erexerant, contunderet. Nam cum ex altitudine planitiei dominarentur, magna nobis damna impingebant; utque consultius omnia perageret, quid velit, communicat Johanni Jacobo de Medices, Melignani Marchioni, ac Generali omnium machinarum vulgo *Artilleriæ* Capitaneo, viro belli gloria Famosissimo, ut qui bellum Mussianum con-

Ordo exercitus Cæs. ad S. Digerium.

Imbres moratur obsidionem S. Digerii.

contra bellicosos *Helvetios* ac *Grisones* vel *Rhætos*, & Ducem *Franc. Sphortiam* jam restitutum solus militari virtute X. Menses gessit, is, ut est vere Cæsarianus, cum rem cordi cœpit, eo incumbit, ut ea absque templi detrimento, ex vineis prope oppidum etiam absque aggeribus concuteretur. Quæ an fuerit contusa continuis conquassationibus hostes indicent; evanuit ea periculosa exercitui molestia, postquam triduo nobis fuerat exitio. Nec tinnitus post in omni oblidione ex ea parte auditus est. Dum hæc aguntur, indiesque graviores machinæ muro propius admoventur; XXVI. magna tormenta collocantur ad murorum & propugnaculorum demolitionem, nempe duæ Serpentinæ, & XXIV. Carthaunæ, & Semi-Carthaunæ, quas in duas partes ex apportunitate Prorex dividit. Sex enim Carthaunas e regione propugnaculi vulgo *Valvarte*, ad CC. passus plantare jubet, his præfecit *Fredericum* a *Melcun*, Præfectum machinarum *Inf. Germ.* Virum ea in re summa experientia, reliquas XX ita disponit, ut illud propugnaculum contunderent a latere. Vis enim summa oppidi in eo erat; nam cum ultra muros extendebatur, uti hujusmodi solent Structuræ, muros reservabat ex ea parte in accessos, cura & Sollicitudo ex officio in his XX erat apud Marchionem quamvis certe Prorex noctu semper in aggeribus prope ipsa tormenta excubabat. Interim mirum in modum angebatur, ut solent solertissimi Duces, etsi nulla præsens necessitas munitionum instabat, quod reliquæ munitiones & tormenta ac impedimenta belli, quæ ex *Germ. Infer.* adduci expectabat, tardius & ultra expectationem retardabantur; ideoque frequentissime *Duartum* admonet, ut per celeres ac crebros nuncios, Commissarios *Thuinvillæ* & *Confluentiæ*, diligentiæ et celeritatis instigaret; Sed cum ex *Dordrechto* aversо *Rheno* navigia munitionum *Confluentiani*, vi equorum attrahuntur, & deinde navigiis mutatis; *Mosella* etiam aversa ac simili equorum attractione fere *Thionuillam* usque navigetur, vix possibile fuisset, eo tempore applicuisse, nisi emicuisset singularis affectio & promtissima erga Cæs. Majestatem voluntas ac observantia Reverendissimi ac Illustrissimi Principis Archi-Episcopi Trevirensis, qui primum *Spiræ* Cæsarem & *Duartum* officiose monuit, difficultates differentiasque navigationum *Rheni* & *Mosellæ* animadverterent, Burgimagistro aut Consuli Confluentino instanter scripsit, *Christophorumque Ochsenfelder*, Protoscribam Thelonii (telonii) ibidem ideo destinavit, ut in tempore & ex insperato naves conducerentur, ne post dispersæ nullo improbo labore adipisci possint. Ipse etiam finitis comitiis eo profectus est, ut *Petro* de *Orcate* Commissario Cæsaris præsens auxilio esset, adeoque profuit, ut omnia suo tempore & mira celeritate advenerint. Non potui sane continere, quin tam Pii Principis acta recenserem, quando is ex maximis sit, qui huic expeditioni & Cæsareæ victoriæ favere. Proinde Cæsar, qui tum *Metis* agebat, cum reliquis conscripti exercitus equitum peditumque cohortibus, ut in vetustissima Imperii, sed ambigua (ob vicinitatem *Galliæ* & privatorum ambitiones) civitate, nonnulla pro Majestate Imperii componeret, tanta conjungendi exercitus cupidine tenebatur, ut paucis rebus confectis ordinatisque cujusdam Domini de *Granvella* consilio, qui ad perpetuitatem commeatus spectare videbantur, recta ad *S. Digerium* cum reliquis copiis properat, ibidemque in suis castris applicuit d. XI. Julii cum magna Principum, Comitum ac Nobilium caterva. Hic non absurdum duco, exercitum, qui cum Cæsare venit, referre. Adducebat Cæsar sub *Mauritio*, Duce *Saxoniæ* MCCC. & plures equites, sub *Alberto* Marchione Brandenb. DCCCC. sub *Renato Aurangiæ* Principe D. Nam etsi omnibus turmis, vulgo *Bendis*, equitum *Germ. Inferioris* præesset, bis mille equites jam habebat in exercitu Pro-Regis sub Dominis de *Brederode* & *Bossy*. Adduxit præterea adhuc X. cohortes peditum *Germaniæ Infer.* Viginti enim vexilla conscripserat; advenerunt denique X. signa peditum *Superioris Germ.* qui desiderabantur ex XX. quibus imperitabat *Conrad* a *Bemelberg*, Eques auratus, Dominus in *Ebingben*, strenuus vir & belli scientissimus. Venere etiam sub *Guascone* de *Acuna* 3400. *Hispani*, qui nuperrime ex *Hisp.* in *Zelandiam* appulerant. Constabat Phalanx Cæsarea ex suis aulicis & Nobilibus D. Equitum, præter CXXX. Equites, quos *Wolfgangus* Magnus *Bruſſiæ* Magister, suis propriis expensis & stipendiis adducebat. Venit etiam Dominus *Diffeus* cum C. Equitibus minoris armaturæ, venitque etiam una cum patruo *Maximilianus* Archi-Dux *Austriæ*, cum honesta suorum aulicorum manu, advenerunt quam plurimi Magnates & Proceres, qui proprio ære Cæsarem sequuntur, ut suam magnanimitatem & potentiam oculatim testari possint. Vix biduum Cæsar quieverat, suumque exercitum jam adunatum conspexerat, quando Princeps *Aurangiæ*, nostræ *Germaniæ Inf.* decus, cum ex nostris aggeribus incautius situm oppidi lustrat, infeliciter ex adverso terræ motu serpentinæ vulneratus in clavicula prope humeros, sequenti die, cum summo Cæsaris & totius exercitus luctu, exspiravit. Sic ab omnibus ob veræ Principis & naturæ dotes amabatur & venerabatur; Ejus Cadaver Cæsar honorifice *Bredam* compostari jussit, eo fere tempore XIII. Julii, cum a nostris machinis & bellicis tormentis incessanter muri conquaterentur, unaque muri pars ita videretur demolita, ut facilis accessus ad oppugnationem oppidi crederetur; *Hispani*, qui proximiora muro castra habebant, ut sunt honoris & rapinæ avidissimi ordine non servato, fortiter quidem & strenue oppugnationem magno clamore aggressi sunt, sed, cum pauci essent, nec *Germanos* facti admonuissent, continuisque hostium e sclopetis plumbeis & sulphureis pillulis obruerentur, postquam fere 3. integras horas pugnassent, & ad muros manus con-

Dispositio tormentorum.

Carolus V. in castra venit.

Princeps Aurangiæ ex vulnere obit.

Clades Hispanor.

Æp. Trevirensis in hoc bello officium laudatur.

conseruissent, magno eorum detrimento repulsi sunt; accurrunt fere simul Pro-Regis edicto tres cohortes *Germanorum* peditum *Georgii* a *Ratispona* sane fortissime, vixque demolitam muri partem oppugnandam susceperé, sed hi fere omnes cum *Hispanis* densitate telorum aut occubuere, aut repulsi sunt. Nec ex tempore illis subventum est, quod in castris, ut illis temporibus moris est, nihil de assultu erat proclamatum. Læsi extitere duo Primipili Hispanici exercitus legionum *Italiæ & Siciliæ Luid. Perez* de *Bargas* & *Aluarus* de *Sande*, alter concrematus igni artificiali, quo hostes utebantur ad nos repellendos, alter ictu sclopetæ vulneratus in femore, duo post Capitanei ex vulneribus oppetierunt, *Joh.* de *Sutdrate* & *Alphonsus* de *Caminja*; cecidere CL. Hispani, vulnerati extitere CCCC. desiderati sunt fere totidem Germani ex tribus illis cohortibus Georgianis, cæsi fuerunt duo Capitanei cum suis signiferis, *Eydelfridus*, Comes a *Zoru*, & *Joh.* a *Cortevilla*, qui dictu mirum, quam egregie se gesserit; Læsi extitere plures CCC. At Cæsar, qui ad mille passus *Cæsaris consilium.* sua castra habebat, cum ex inopinato oppugnationem intelligeret, statim jubet per tubicines, ut phalanges & turmæ totius exercitus instruantur, talisque fiat acies, ac si cum hostibus esset dimicandum. Majores enim nostri, & hujus quoque temporis experti Duces hunc ordinem servant, quando aliqua oppidi vel Castelli accidat oppugnatio, ut, qui ab ea desistunt, ita se componant, ac si cum adversariis sint signa conferenda, idque ut animosius oppugnatores, ita securius aggrediantur, & hostes ab insidiis inquietationibusque ac subsidio deterreantur. Interim Pro-Rex in nostris aggeribus prope machinas se continebat, & aliquoties, aliis invitis, hostium telis se exponebat, ut suos animosiores redderet. Sed cum Cæsar ac ipse *Hispanos* frustratos eorum animositate perspicerent, receptui cani jubet, nec septem cohortes petitum *Germaniæ Inf.* quos præsto & paratissimos adducebat *Joh.* a *Sollant*, vir strenuus, peditumque *Infer. Germaniæ* Principis *Aurangiæ* vicarius, alioquin voluntarios oppugnare voluerunt. Incredibile est dictu, quanta cum fortitudine Cæsar *Cæsaris constantia animi.* hunc fortunæ casum pertulit, ut ne affectum quidem, quem Græci πάθειαν vocant, declararit, quamvis dolorem ex Principis *Aurangiæ* morte vix reprimere potuerit. Imo, nec Principes oppugnatorum etiam instante Pro-Rege, scire voluit, quando læsos ipsos Primipilos Hisp. exercitus intellexit, nempe *Aluarum* de *Sande*, & *Luid. Perez* de *Bergas*. Quos magnus ille *Jeriæ* Comes ex antiqua *Gothorum Signeroarum* familia, ut est nunc omnium *Hispanorum* principum apud Cæsarem & nomine & re maximus, qua est magnanimitate, in suis tentoriis curandos suscepit. Animati ea victoria hostes, nostrisque exasperati, cum sequenti die Cæsar animadverteret demolitos muros ignis cespitibus cæstisque terræ plenis reparatos, magnum Consilium, i.e. omnium *Quæ in consilio constituta.* Ducum convocat, in quo deliberatur considerata loci fortitudine, minus subterraneis fultodiendum esse, fieri posse, ut ea ratione propugnaculum illud, magna cum murorum parte, dispositis cuniculis subrueretur, deinde ut adhuc propius muro conficeretur ex densitate terræ ac virgultis cratibusque moles quædam, quam *Hispani* & *Itali Canalliero* vocant, ex qua fieri possemus superiores facileque tum liceret demoliri eorum propugnacula, ac terræ in muris defensiones. Tertio ut aqua, quæ ex rivo & fluvio in fossas fluebat, præriperetur, ac ita fossæ deliccarentur, tumque minori periculo liceret muros contingere. Ordo & cura harum rerum data est *Francisco Duarti solertia.* *Duarto*, qui cum mirus sit in cognoscendis ingeniis hominum artifex, in celeritate rem omnem latere, expendit, iamque non *Hispanos*, sed cujusque nationis industrios ac ingeniosos sollicitat; pretia & præmia diligentibus proponit adhibitisque apud Pro-Regem Germanorum peditum Proceribus, ab iis petit pretio honesto, si qui reperiantur intra cohortes præcipue Metallorum fossores, ii eliciantur, nec non & alii idonei ex agris robusti tyrones, ut utrique conceptui satisfacerent, alii suffodiendo minis terraneis sufficerent, ceteri ducendis fossis & eruendis cespitibus cursum fluminis & rivi impedirent. Nam molem Marchio *Meligniaci* cum suis legionibus, quos *Peoneros* vocant, conficiendam susceperat. Impetravit *Duartus*, quod a Germanorum primipilis petierat, nactisque aliquibus metallorum fossoribus, quos Germani *Bergknappen* vocant, præcipue ex Regimine *Hildebr. Baronis* de *Madrusco*, quod is sub se nonnullos Duces haberet, qui milites coëgissent in Provincia *Tirolis* omnium metallorum fertilissima, hos & alios ejus farinæ homines subalternis horis laborare disponit, ne fastidioso labore ægrius post succelluro operi accederent. Videbat enim id opus non posse perfici absque immenso labore, vixque XX. dierum spatio, ita sequenti a consilio die Cæsar edixerat. Interim ut hæc curiosius ac securius peragerentur, jubet Pro-Rex, ut ex alia parte fluminis omnes XX. cohortes Peditum *Germaniæ Inf.* castra collocarent prope Monasteriolum exustum, fere ducentos passus ab Castello, quod oppido conjunxerunt, quam partem uti post ipse vidi & didici, observabant CCCC. pedites, quos Capitaneus *Landra* ex *Landrecy* adduxerat, qui eo die, quo *Aurangiæ* Princeps obiit, ictu etiam serpentinæ periit, quandoque jam erant separati a majoribus castris, ut ab hostium equitatu essent securiores, imperat *Francisco* Comiti a *Manderscheid*, & *Hermanno* Comiti de *Nuenara*, cum CCCC. suorum equitibus se illis adjungant, dum prædicta parantur, intelligit Cæsar per speculatores, *Galliæ* regem nondum habere paratum exercitum, nec posse quidem adunare maximum, quod Ser. *Angliæ* Rex belli Socius jam *Bononiam*, maris & *Monstroilum* obsederat. Deinde quod *Liliaurophagorum Helvetiorum* dubios animos nondum satiarat, qui nescio quid de bello non contra imperii ordines susciendo susurrabant, cum

cum tamen amicitiam Gallicam publicis ad omnes imperii ſtatus literis nuper *Spiræ* teſtati ſint, a qua etiam nullo unquam periculo avulſuros affirmarint, nec adhuc Regi conſultum erat, rebus utcumque in *Allobrogibus* a Comite *Dengvie* bene geſtis, exercitum eo deduci, etſi in eo ſpem ſummam habebat, præcipue *Petro Strozzio* cum tot *Italorum* Proceribus apud *Zoraballium* luſo. Cum igitur non haberet exercitum, qui Cæſari obviam iret, aut obſidionem impedire poſſet, ad inſidias animum movit, omnibusque modis eo nititur, ut pabulatione & commeatu noſtri prohiberentur. Perceperat jam, noſtros equites ob prope conſumtum pabulum, illud longius a caſtris diſperſos petere. Præſcribit igitur Filio Duci Aurelianenſi, qui belli adminiſtrationem *Campaniæ* cum *Lonquevillo* habebat, ut, quando aperto Marte nihil poterat, conſtitueret, qui inquietationibus caſtra turbarent, & pabulationem & alimentorum advectionem impedirent, nominavitque ad impediendam pabulationem Dominum de *Bryſach*, equitum levioris armaturæ Præfectum, ut is adjunctis aliquibus Italis ex cohortibus *Joh.* de *Taurino* & *Petri Corſi*, qui tum apud *Catalaunum* in præſidiis cum *Nivernenſi* Comite degebant, pabulatores infeſtaret, adunatis etiam aliis tumultuariis militibus, qui eo conſilio hinc inde prope oppidum *Vitri* diſcurrebant. Deinde quando præcipuus commeatus & omnium rerum alimenta per *Lotharingiam* advehebantur, diſponit, ut Dux *Guiſſe Burgundiæ* Ducatus Gubernator, una cum 2. filiis eo proficiſceretur, cum DCCC. equitibus, fretus locorum peritia, & ipſius Ducis in ea incolarum veneratione, quod Frater Ducis ſit defuncti, & Patruus Succeſſoris, multaque habeat dominia communia, quæ jure neutralitatis intacta remanſere, dat in mandatis, ut quam primum noſtros alioquin diſſidentes, quod pauci eſſent, & procul a caſtris ad inſtar prædatorum in denſiſſima ſylva latitantes profligaret. Sed noſtri ultro ceſſere, vim hoſtium abſque munitionibus & bellicis tormentis non expectantes, poſt, ut ea loca occuparet, quæ alimenta & commeatum adducentibus eſſent quotidiana, ſic putabat, qui pabulandi gratia longius progrediebantur, poſſe paulatim a *Bryſachii* equitibus deleri, ducis quoque excurſionibus poſſe quotidianum commeatum, præſertim commiſſionis, intercipere, ac ſic omni commeatu Cæſarem intercludere. Nec fefelliſſet *Galliæ* Regem ſua intentio, ſi Cæſaris potentia non tanta extiſſet. Nam cum Cæſar jamdudum in animo habuerat, occupare oppidum *Vitry*, ut ibi impoſitis præſidiis, atque in aliis locis pinſeretur, occaſionem tum ſibi datam non prætermiſit, & quamvis curam omnem exercitus Cæſar rejecerat in Pro-Regem, ipſe ne leviſſimas quidem cauſas inconſulto Cæſare tractabat; cumque percipere, jam *Bryſachum* cum ſuis equitibus, & quos ſupra dixi, peditibus verſari prope *Vitry*, molientem inſidias exercitui, præmittit *Franc. Eſtenſem* cum ſuis equitibus levioris armaturæ una cum comite *Joh. Bapt. Gaſtaldo*, quod is vir ſit fortis & pugnandi peritiſſimus, ſubſequi ſtatim jubet Ducem *Mauritium* & *Marchionem Brandenb.* cum parte eorum equitatus, poſt & *Guilelmum* Comitem a *Furſtenberg*, cum X. peditum cohortibus, inſequi imperat cum duobus ſemichartaunis, & tribus ſacris, ut hi *Briſachum* ex inſperato adorirentur. Erat quidem *Bryſachus* in itinere, ſed ut facile erat in tanto exercitu habere exploratores, noſtrorum adventum percepit, cumque niteretur *Catalaunum* ſe recipere, a *Franciſco Eſtenſi* cum equitibus levioris armaturæ mira celeritate oppreſſus, pugnam leviori certamine non detrectavit, tantoque vehementius & acrius pugnatum eſt, quod *Franciſcus* tacito odio *Bryſachum* perſequebatur, quod anno præterito prope *Guyſam* fuerat in eo capiendo aliquantum absque armis rudior ſolito, tantaque fortitudine a *Franciſco* proelitatum eſt, ut antequam ſubvenirent equites Germani, *Briſachi* equites eſſent quaſi contriti, ipſeque *Bryſachus* cum Barone de *Corlaon* Burgundo fortiter pugnans, jam fere ſuperatus ſe dediſſet, niſi Baro, eum non agnoſceris, ob alium melioris armaturæ occurrentem, reliquiſſet. Fuit ea pugna ſatis hoſtibus cruenta; periere enim D. tam equites quam pedites, paucis ex noſtris deſideratis. Solus capitur ex Nobilibus *Alphonſus Biſtalius* Cathalaunus. Cum enim illius pugnæ mos ſit, hinc inde, ordine non ſervato, diſcurrere, aliquoties ſpe victoriæ aut prædæ, inſequendo longiusque progrediendo, in hoſtium manus etiam fugientium pervenitur, ut & hic ſimili facto evenit. Interim *Guilelmus* Comes a *Furſtenberg*, qui nimio flagrabat deſiderio, ob graviſſimum in *Gallorum* Regem odium, cum *Gallis* manus conferendi, cum vidit avidis pugnandi cohortibus, Eſtenſis virtute occaſionem præreptam, fremens animadvertit templum, in quod hoſtes nonnulli confugerant, ſeque conglobarant. Hos obſidet, pertinacius reſiſtentibus, Comite ipſo ictu pixidis prope dorſum vulnerato, incendit, ac omnes *Germanorum* furiis exponit, paucis ſervatis. Cæſi ſunt plures CCC. Oppidum denique ſitu pulcherrimum *Vitri*, totius *Partheniæ* Metropolis, ubi & Regius Senatus habebatur, una cum Caſtello loci natura munito, neſcio quo fato, penitus igni conſumtum eſt. *Itali* id tribuunt *Germanis*, rurſus *Germani Italis*; utcumque ſit, cum ſumma certe Cæſaris indignatione id factum eſſe conſtat, quod ibidem præcipuam rei frumentariæ ſtationem habere ſtatuerat, eo quod *S. Michael* longius ab exercitu diſtabat, nec alternis diebus commeatus adduci quibat. Fuere intercepta VII. hoſtium vexilla, V. peditum, duo equitum ipſius *Bryſachi*, qui obſeſſis ex noſtris aggeribus fuerunt oſtenſa, quod ipſe *Bryſachus* magnum militiæ nomen apud *Gallos* haberet. Sic ex ea parte Rex fruſtratus, etiam cum ſuorum clade, ſua intentione excidit. Quamvis noſtris pabulatum euntibus multa incommoda illata ſint, ope *Lotharingorum*, ſibi occulto ſa-

Gallus commeatu Cæſareos intercludere parat.

Acre præliū cum hoſtibus emiſſis.

Vitri cremat. Itali Cæſari.

Cæſar impedit hoſtis conſilia.

ventium, sed & his subventum est, ala una equitum singulis diebus subsidio data.

Ordo est, ut quæ Cæsar contra excursiones Ducis *Guisæ* conceperit, referamus. Paulo ante hunc rumorem, instante *Duarto*, is enim perpetuo de commeatu sollicitabatur, destinavit *Metis Johannem* a *Lynera*, Dominum de *Berchen*, virum nobilitate insignem, & magna apud *Germanos* autoritate, ac tanta, ut vix exercitum Cæsar in *Germania* conscribere posset, nisi ipso Legato, eo consilio, ut quando Dominus *Dennery*, objectatem non in diversis locis præsto esse posset, ipse oppida munitionum percurrens, sua autoritate & consilio Commissarios juvaret, deinde, si forsan, ut in animo Cæsar habebat, diminutas copias redintegrare vellet, eo in *Germaniam* proficisceretur. Interim Cæsar oppidum *S. Michael*, ubi, ut dixi, celebris statio omnium alimentorum habebatur, occupare jubet, præsidiis equitum peditumque intra oppidum dispositis, *Barleduri* suburbia etiam existente Duce intercipit ac præsidiario milite implet, *Souvey Pierefort* reliqua castella fortioribus præsidiis munit, Ducem *Mauritium Saxoniæ* & *Johannem Hillichium* mittit, ut is aut Duci occurrat, aut subinde equitando quotidiana itinera explorata habeat, vel ita Ducem ab itinerum insidiis & insultibus deterreat, jamque vi- debatur data occasio consilio *Ottonis Discha*, *Laus Ottonis de Diskau.* prudentissimi & fortissimi equitis ac Ducis *Mauritii* consiliarii, intercipiendi Marchionem *Habnale* Ducis Filium primogenitum, cum CCCC. equitibus, nisi aliquorum literæ ab ipso Marchione in itinere fuissent interceptæ, cognitoque Ducis *Mauritii* consilio se retraxisset. Nec Dux ipse aut Filii quicquam dignum factu effecere, quam quod duobus insultibus Dominus de *Humieres*, Filius Ducis secundogenitus cum CCC. equitibus diversarum turmarum, vulgo *Bendis* prope *Abbatiam Guantvillanam*, quæ inter *Ligniacum* & *Sanctum Digerium* viarum media est, postremas subsidiorum cohortes, insequentes dolose interceperunt, inter quos nomine apud Cæsarem & nobilitate insignem *Michaelem* a *Moncada* famosissimi, *Hugonis*, ejus nominis fratris filium, Proregem *Siciliæ* & Magnum *Rhodosolimitanorum* alias *Rhodiorum Massanæ* Priorem. Eo capto tanta adhibita est diligentia, ut ne *Ligniacum* iter ex *Jenvilla* attingere licuerit, Duce *Mauritio*. Nec illis adhuc contentus Cæsar, ægre ferens, *Vaucolerium* a *Gallis* recuperatum, jubet *Lyrano*, qui tum *Metis* erat, per *Laurentium* ab *Altenstein*, Nobilem suæ Majestati a dapibus, ut septem & decem peditum cohortibus quas *Sigismundus* a *Laudenberg* ex *Eburronibus* adducebat, ad Castellum *Souvey*, ipso *Laurentio* Comissario destinaret. Hæ sunt illæ X. cohortes peditum *Superioris Germaniæ*, quas *Christoph.* a *Laudenberg* Tuæ Regiæ Majestatis adunaverat, sed promissorum neglector ac cavillator, diffidens post Tuæ Regiæ Majestatis benignitati ac innatæ liberalitati, ut & Tuo prudenti consilio visus est renuere pedites sumtuosos & perpetuo murmuraturos, & ideo vix fideles. Cumque *Eburronibus* vel *Leodiensibus* essent hæ cohortes molestæ, Cæsar eas per *Christophorum* a *Schawenburg* & dictum *Laurentium* sollicitavit ideo diligentius, ne post dissipati milites *Henrico* juniori, Duci Brunsuicensi res novas tum, ut fama erat, in *Westphalia* molienti, aut alio *Germaniæ* Principi inservirent, ac ita præsumta Occasio, evitaretur rumpendi pacem communem *Spiræ* nuper admissam ac stipulatam. Proinde præcepit etiam Cæsar Dominis de *Bredcrode* & *Bossu*, equitibus Aurei Velleris, ut cum suorum equitatu his cohortibus *Soury* se conjungerent. Venit Dominus de *Brederode* solus cum utroque equitatu. Nam Dominus de *Bossu* ægrotus apud *S. Michael* remansit, adunatisque ibidem copiis mandat, ut recta *Vaucolerium* proficiscerentur, *Gallosque*, si quos reperirent, expellerent, castellumque & oppidum, ne posthac aut prædandi inde hostibus, aut etiam male custodiendi, daret occasionem, igni absumerent. Quod, postquam appulere, & desertum *Vaucolerium exuritur ac Cæsareis.* Castellum reperiere, *Galli* enim omnes profugerant, dicto citius fecere, plane enim exustum exstitit, nihilque præter vacuas murorum partes relictum est: hi denique post tamdiu hinc inde divagati sunt, cum ad castra rediere, donec coactus *Gioyse* Dux se cum suis in *Gallias* receperit, nec quicquam ipsum molitum post aperte fuisse scitur, quam quod rusticos & paganos in nostros concitarit, qui milites extra ordinem vagantes, spoliabant. Nam omni commeatu venienti aut vacuis curribus redeuntibus cohors subsidiaria singulis diebus ordinabatur, cujus rei curam habebat *Johannes Vandino* suæ Majestatis a Nobilibus. Si qui igitur tardius sequebantur, procul dubio a *Lotharingiæ* paganis intercipiebantur. Interim e. t. in fine Julii bis hostes nostros, prælidiarios milites in ipsis suburbiis *Barleducis* invasere, aliquibus captis abductisque nonnullis equis. Sed cum Comes *Guilelmus* ex vulnere laboraret, ibidem advectus, jubet Cæsar intra urbem præsidia collocare, graviter reluctante Duce *Francisco*, sed frustra, sub specie neutralitatis, quanquam plurima *Galli* insolenter agitarunt. Accidit eo etiam tempore, cum duæ suorum peditum cohortes ex *Barleduce* hostes conspicerent, eosque insequerentur, ac in planitiem descenderent, cum catervatim alii ex sylvis, ubi delituerant, prosilirent, nostri insidias metuentes, retrahendo fere C. ab hostibus fuere occisi. *Clades Cæsarorum.* Hanc solam victoriam *Galli* a nostris in omni obsidione militari (ordine) adsecuti sunt.

Evenit quoque summo quodam mane prima Augusti, exsurgente aurora, quando fessi milites e nocturnis vigiliis castra petunt,

*) In MSC. legitur, *Grabsanes*.

tunt, quod XL. *Galli*, omnes Equites, ex ea parte, qua cohortes *Germaniæ Inferioris* castra habebant, turmatim facto cursu, velocissimo impetu ingruerent, sed partim ab equitibus, partim a peditibus nocturnæ custodiæ deprehensi decem nostrorum manus evaserunt, ac fortiter equorum præstantia ad muros usque oppidi pervenere, ibique a suis animadversi scandendo oppidum ingressi sunt; XII. capti, reliqui, qua venerunt via, aufugerunt. Captorum quisque repertus est cum lagula quadam admodum manticæ plena pulveris tormentarii aut salispetræ. Quid hæc sibi vellent, aut cujus instinctu hæc intentassent, severe interrogati, separatim una ratione retulerunt, eos venire ex Castello *Monteclaro*, quod IX. inde milliaribus versus Ducatum *Burgundiæ* distat. Regium id castellum est, vix expugnabile, adeo loci natura & fossis munitum, instinctu Capitanei ejus arcis hæc intentasse declarant, qui eos has lagulas pulveris equorum dorsis imponere disposuit; necessitatem pulveris in oppido esse, non asseverant sed dubitant; Neminem alicujus nominis in eorum fuisse consortio, nisi quendam pharethrarium, quem *Archerum* vocant Regis, qui etiam unus extitit eorum, qui oppidum ingressi sunt. Hisce argumentis & indiciis confirmatur Cæsar, quod jamdudum animo conceperat, obsessos laborare penuria pulveris tormentarii: *a*) sclopeta emisissent. Jamque moles erat justæ magnitudinis & altitudinis, nostrique cuniculi fossas ipsas muri contingebant, & subterraneæ minæ eo pervenerant, ut jam fundamenta propugnaculi reperirentur, (centum enim & plures passus sub terra erant evulsi, aqua etiam quæ in fossas fluebat, jam erat intercepta) talis habebatur status quarta Augusti, cum jam tribus ab assultu hebdomadis laboratum fuerit, omniaque jam præparantur ad oppugnationem & evulsionem propugnaculi apta ac necessaria, quando ex muris quidam colloquendi copiam expetit. Quid velit, ab Hispano signifero, qui in diurnis vigiliis excubabat, interrogatus respondit: *Comitem de Auccre, qui Regias vices in hoc oppido gerit, expetere a Pro-Rege copiam colloquendi; quod si per eum libere liceat, missurum in castra duos ex suis Proceribus, qui cum eo nonnulla & suo & obsessorum nomine agant.* Signifer postulata Comitis Pro-Regi indicat. Promissa stipulataque exeundi ac redeundi licentia, die 7. Augusti per posticum a tergo Castelli prope flumen *Matronæ* exiere duo Capitanei satis provectæ ætatis, nempe Vice Comes de la *Riviere* & Dominus de *Chiniure*, qui postquam fuere a nostris recepti, adducti sunt ad tentoria *Marchionis Meligna-*

Ex captivis cognoscitur, pulveris in oppido esse inopiam.

Obsessi petunt colloquium.

ni, qui ex proceribus exercitus proximiora oppido castra haberet. Hi ab eo rursus conducti extitere ad Pro-Regem, cui exhibuerunt obsignatum ab ipso Comite *Diplóma* fidei publicæ, quod *Credentiale* vocant, ac inter alia post, more Gallico proposuere superba quædam de cedendo oppido intra 3. menses, ni subveniatur eo tempore valido regis *Galliæ* exercitu; ac post discessum liberum, vexillis apertis, ordine militari omnibusque bellicis tormentis & machinis intactis liceret ad oppidum *Estene* adducere. Ad quæ Pro-Rex severe respondit: *Ne desiderare quidem Comitem ac suos tam diuturnam incarcerationem, nec eam permissurum, etsi hostes, cum tamen Christiani essent, ut tanta inedia ac calamitate diutius torquerentur, constituisse intra biduum rursus oppugnare; ad tempus illis concedere ad supremam deliberationem, ne bellum iniquum gerere videretur, quod si eo tempore expleto non cedant vel molliores conditiones adferant, omnia eis hostilia, absque illo post remedio, esse subeunda. Cæterum quæ de tormentis bellicis & munitionibus peterent, esse puerilia, non eos in eo statu esse, ut præter vitam quicquam postulare deberent.* Habito eo responso, ad suas rediere, ac intra 3. horas rursus convenere ad Pro-Regem, nihilque de superiori proposito mutarunt, quam quod terminum unius mensis tantum nunc admittebant, quo finito absque Regio subsidio cederent. Primis conditionibus admissis, ad quæ nonnulla fatus, nihil de priori sententia mutavit. Sequenti die redierunt, ac cum illis tum venit *Hieronimus Marimus*, Italus Bononiensis, qui curam fortificationum, propugnaculorum & vallium habebat, cum Galli vocabant *Ingenieur du Roy*, vir sagacissimus. Hos Marchio iterum ad Pro-Regem ducit, cumque in horam prandii esset disceptatum, viderenturque Pro-Regis sententiam amplecti, apud Marchionem pransi, a prandio iterum convenere, tandemque convenitur datis obsidibus: *Comes & sui cedant oppido, ni intra 8. seqq. dies ad diem 9. Augusti. tantus exercitus a Rege mitteretur, quo aut obsidionem impediret, aut Cæsarem cum exercitu ab oppido bina leuca castra mutare cogeret. Deinde ut cum omnibus militibus vexillisque in speciem exercitus, explicatis duobus tantum falconetis, absque aliquo impedimento, Catbalaunum se recipere possit.* Dantur sex nobiles obsides a Gallis, & a nostris unus ex Hispanorum Capitaneis in oppidum destinatur, ut rimetur, ne post pacta ea quidquam innovetur, confectis hinc inde Diplomatibus securitatum, stipulatur etiam, interim utrinque læsum iri neminem. Die 16. August. seq. die cogerentur discedere. Pro-Rex, (nam Cæsar belli

Colloquium ipsum.

Conditiones dedendæ urbis.

a) Textus mutilus, nisi fallor, ita supplendus; *Quippe jam per plures dies tormenta imo nec.*

gloriam ei deferebat) consilio *Francisci Duarti* petit a Comite, ut nonnulli annonæ *b*) restauratores mittantur, nec non qui & tormenta bellica ac munitiones describant, juxtaque pacta, duas falconettas assignent, quod facile Comes admisit. Ad annonam missi sunt *Johannes* de *Argarayn* & *Petrus* de *Messega* Hispani; & *Antonius* de *Musica*, Antwerpianus; ad tormenta Capitaneus *Clavero*, & *Johannes Marrines* de *Chunes* Hispani; bisque mille modia frumenti reperta sunt, ac plurimum salis, sed nullæ carnes aut vina, nihil pulveris tormentarii; (quæ præcipua ratio fuit deditionis) XXV. tormenta bellica, sed XIV. tantum magna & egregia, ac militari ordine in obsesso oppido dispositæ, vigiliæque militum erant sane industriosæ in murorum cuniculis distinctæ, atque adeo, ut nihil desiderari visum sit ad tuendum oppidum, quod sane munitissimum erat, nec facile expugnari poterat absque magna Cæsareorum strage. Die 17. August. postquam ex præscripto Pro-Regis Comes *Dancerre* intromiserat *Vassonem* de *Aucuna* cum 3. cohortibus peditum Hispan: ipse cum suis ordinibus instructis, non aliter, quam si cum hostibus sit dimicandum, egressus, oppidum deserit, ac recta *Cathalaunum* proficiscitur, primum ducibus itineris & aliquibus equitibus a Pro-Rege acceptis. Fuerant in oppido 2400. milites, inter quos 600. fuere nobiles. Cæsar, potitus oppido, non ita facile potuit discedere, utque nonnulli imperiti rerum judicant. Primum enim eligere præsidio expertum præpositum ac fidelem Ducem, quem sciebat, habere voluntarios & obedientes milites, non parum erat. Deinde cuniculos, aggeres, & reliqua ad oppugnationem concepta non nisi magno & fastidiosissimo labore complanare quibat, extabantque nonnulla adhuc oppida suspecta, ex quibus sublato exercitu insidiæ & insultus parari poterant, utpote *Jenvilla*, & etiam expectabantur Comites *Franciscus* a *Manderscheid* & *Hermannus* a *Nonaquila*, qui cum eorum equitatu & nonnullis peditum cohortibus *Germaniæ Inferioris* ad *Pontem Mausonium* erant profecti, ut subsidiarias Imperii pecunias, quas *Hugo Angelus* ab *Englezee*, Thesaurarius Imperii destinabat, conducerent, ob peditum *Superioris Germaniæ* solutionem in quibus tota vis exercitus constabat.

Autor scripti hujus.

Apparatus in urbe inventus.

Cur Cæsar diutius post captam urbem subsistere.

Nunc, ut reliqua pertranseam, quam difficile sit, absque soluto menstruo stipendio *Germanos* alibi deducere, alii judicent. Tua certe Majestas didicit, quam ea gens absque ingenti pecunia vix retineri possit. Primum igitur statuit Cæsar prudenti consilio in præsidio ibidem relinquere Baronem *Bernhardum* a *Schauwenburg* cum V. cohortibus peditum Germaniæ quibus ipse præerat; tum quod *Bernhardus* erat Luzenburgensis, e nobili ac insigni familia ortus; tum etiam quod *Lotharingis* esset gratissimus, ac ita facilius *Lucenburgenses* & promptiori animo *Lotharingi* commeatum adducerent ipsi, profecto, quamvis Cæsar, quicquid necessarium visum est, imo quod *Bernhardus* postulabat, sive ad militum alimentationem, sive ad oppidi defensionem, provideri jussit, relicto ibidem *Johanne* de *Argarayno* expertissimo in illis rebus viro. Ne denique ex oppido *Jenvilla* continuæ excursiones fierent, eo misit *Franciscum Estensem*, cum equitibus levioris armaturæ, & *Johannem Maldonatum* signiferum Hispanum, virum fortissimum, cum aliquibus cohortibus Hispanis peditum, qui oppidum, etsi Ducis erat *Guisæ*, ubi præcipue residebat, & sub neutralitate Lotharingica comprehensum, tamen excursionibus & insultibus hostium aptissimum, comburerent ac solo æquarent. Id quod executi sunt præter Castellum vel palatium Ducis celeberrimum ac totius *Lotharingiæ* sumptuosissimum, quod etsi in mandatis habebant conflagrare, tamen *Johannes Bapt. Gastaldus* allectus pulchritudine litus & superbia ædificiorum a Vulcano reservavit. Depopulati deinde sunt totum eum agrum, & si quid erat ad milliaria V. a. *S. Digerio*, in speciem turris sive Castelli erectum, conflagrarunt, ne inde insidiis daretur locus. Interim etiam Cæsar cum juxta conventa cum Tua Majestate constituisset in mediis *Galliis* violento exercitu venire, ut sic Regem ad universalem pugnam provocaret, eumque ita in discrimen regni adduceret, vel detrectante, se cum Tuæ Majestatis copiis conjungeret, simulque aduersus natis aut regno propellerent, vel pacta, juxta vota consequerentur. Priusquam exercitum eo movet, scribit *Lyrano*, ut summa celeritate conficiat in *Germania* Superiori MD. equites, & nonnullas peditum cohortes, adducatque *Johannem* a *Sychnigben*, qui ex pecuniis Tuæ Majestatis multos adhuc equites habebat addictos. Deinde & Dominum de *Cruningben* destinavit, ut ipse quoque IV. M. peditum adduceret. Comiti denique *Guilielmo* numerantur nonnullæ pecuniarum summæ, ut copias diminutas cohortesque restauraret, novosque milites ex *Germania* accerseret. Hæc omnia eo proposito, ut Cæsarem in *Gallias* proficiscentem statim sequerentur, hostibusque ex insperato essent terrori, ac, si quid præsidio dignum custodiri videretur, istis novis militibus uteretur; ac sic integer veteranorum exercitus remaneret. His rebus confectis & oppido alimentato, & tormentis bellicis & munimentis provisio, Cæsar disponit *Cathalauniam* proficisci, cumque pleno exercitu d. 25. Aug. discedit, separato Comite *Guilielmo* cum suis XX. cohortibus, quem una cum Duce *Mauritio*, &

Jenvilla crematur.

Pactum Cæsaris cum Angla.

Cæsar discedit Digerio.

b) Forte: *visitatores.*

suo

suo equitatu jubet per *Barledacum* ad oppidum *Vitri* certo die venire, ibidem deliberaturus, quod iter suscipiendum sit. Erant enim quam plurimi, qui suadebant, ut adepto *S. Digerio*, reliqua *Luxemburgi* oppida, utpote *Vines*, *Monmiedi* & *Estene*, obsiderentur. Ita fractas esse Gallicas vires, ut reliquo æstatis tempore facile potirentur illis, satisfactumque existimationi Cæsareæ h. a. affirmabant. Sed huic opinioni præcipue refragatus est Comes *Guilielmus* a *Furstenberg*, qui ingressum & invasiones per mediam *Galliam*, etiam relicto *Cathalauno* proponebat. Nonnulli etiam tum de colloquendi facultate tractabant, præcipue quidam Monachus quidam Dominicanus, natione Hispanus, *Gabriel* de *Guzmann*. Is *Spiram* venerat e *Gallis*, & a multis *Galliæ* Regis habebatur explorator, quod ut id genus hominum est cæteris audacius, jam confessorem Cæsaris eo perduxerat, ut pius vir suaderet pacem, si æquis conditionibus concipi posset, cumque eam multi *Galliæ* Proceres, instinctu legis expetere viderentur, Cæsar, ne ipse videretur Μισάνθρωπος, admittit colloquium. A Rege missi sunt Dn. de *Hanibao*, Amiraldus *Galliæ*, & supremus Cancellarius *Franciæ*, & Secretarius *Bayardus*, qui venere cum L. nobilibus ex præcipua nobilitate totius *Galliæ*. Ex parte Cæsaris destinati sunt præcipue Prorex *Siciliæ*, & Dn. de *Granvella*, primumque in monasteriolo intra *Vitri* & *Cathalaunum*, ibique nonnulla a *Gallorum* Proceribus fuere scripto proposita, quæ Rro-Rex Cæsari ostensurum suscepit; nec quicquam dignum scriptu accidit, quam quod bis mille veterani Hispani, qui Proregem comitabantur, tam instructo ordine & tot sclopetorum clangoribus advenere, ut *Gallis* essent admirationi, ac ipsi Cancellario tanto stupori, ut nonnulli eum in Paroxismum incidisse, credant, ac intra 24. horas exspirasse. Seqv. die, qui fuit 30. Aug. *Cathalaunum* Cæsar cum omnibus copiis appulit, ac eo die leuiori prœlio Comes *Guil.* & Dux *Mauritius* ac Marchio Brandenb. egregie ad portas usque civitatis pugnarunt; non minori gloria seqv. die ab *Hispanis*, & equitibus *Germaniæ Infer.* prœliatum est. Cæsar enim leuca una Gallica castra habebat ab urbe, ibidemque quievit, quod non longe a castris rursus in domo quadam pulcherrima rurali Episcopi Cathalaunensis conventuri erant Galli Proceres, adveneruntque omnes dempto Cancellario, qui a primo colloquio ægrotabat. Quæ tum ibi vel post, apud Castellum *Theriacum*, & ultimo apud *Suessionenses* acta aut concepta sunt, adeo occulta fuere, ut ea nec selectissimi Consiliarii scire potuerint. Quare & ego hic narrationis finem impono, cum tantum, quæ apud *S. Digerium* acta sunt, describere decreverim, utpote quæ ipse vidi, & aliquibus rebus non modo interfuerim, sed præfuerim. Tua igitur Majestas animum propensum & addictum hujus sui mancipii agnoscere dignetur.

Diversa Ducum consilia.

Monachus pacificator.

Legati Cæsaris & Galli ad pacem conciliandam.

Κύριε σῶσον τὸν πρέσβυτέρα.

Catalogus Militiæ Cæsareæ, Commentariolo de obsidione S. Digerii subjunctus, cujus Auctor meminit in Dedicatione.

CATALOGUS & Ordo militiæ Augustissimi Caroli V. Hisp. R. in expeditione adversus Franciscum I. Gallorum Reg. anno M. D. XLIIII.

Præfectus omnium Legionum Copiarumque (quem nunc *Capitaneum Generalem* vocant) erat *Ferdinandus* de *Gonzaga*, *Malphetti* Pr. & *Ariadnæ* Dux &c. Is Legatorum more vices Cæsaris habebat, plenamque omnium rerum potestatem, ejus præcepta Tribuni Majores, Primipili, ac Centuriones, ceterique milites servabant, vigiliarum ac profectionis tessera ab eo tantum petebatur. Is natione Italus erat, ex Principibus *Mantuæ*.

Ferdinandus de Gonzaga Capitaneus Gen.

Præfectus præcipuus omnium machinarum, vulgo *Artilleriæ*, erat *Joh. Jac.* de *Medices Melignani* Marchio, is secundam ordinis dignitatem repræsentat hac tempestate, in quovis magno exercitu. Nam cum machinæ & tormenta bellica nunc in omni exercitu & bello tertiam partem occupant, ob multitudinem hominum ac rerum, computatorem ac thesaurarium aliaque exercitus officia cum summa auctoritate separatim habent. Illis omnibus præfuit, nec non & operariis, quos vulgo *Peoneros* vocant. Est natione Italus Mediolanensis.

Joh. Jac. de Medicis

Tertium dignitatis hujus militiæ ordinem consecutus autoritate & prudentia est *Franc. Duartus*, qui commeatui & omnibus belli præparationibus præerat. Eratque ejus præcipua cura, ne quid exercitui necessarium deesset, remque annonariam politicis libris annotari faciebat, jusque habebat creandi Commissarios, *c)* aliarumque etiam rerum exercitui necessarias destinabat. Eum Cæsar titulo *Proveditoris* ac *Commissarii Generalis* decorabat. Est nat. Hisp. Bethicus.

Franciſc. Duartus.

Erat Castrorum Præfectus nulli a Prorege ex recitatis dignitate in consultando inferior *Joh. Bapt. Gastaldo*, cujus judicium utpote experientissimi jamdudum primipili Centurionis multorum in *Italia* primæ cohortis bellatorum habebatur, præcipue in castrorum metatione, valliumque & fossarum in omni necessitatis destinatione, habuissetque majorem imperandi potestatem ex officio hodiernæ militiæ, ni expers linguarum extitisset.

Joh. Bapt. Gastaldo.

c) Textus male sanus.

Est nat. Italus, eumque *Itali* & *Hisp. Maestro del Campo General* vocant.

Joh. a Liera. Approbata post extitit eximia *Joh.* a *Liera*, Domini de *Berchem*, militaris a teneris unguiculis innata industria. Is enim ita cum *Germanis* gregarius miles, post & virtute Dux vixit, ut a Cæsare, quamvis adultæ tum ætatis, exoptatissimus *Germanorum* equitum peditumque legatus vocaretur. Is Majores Tribunos Cæsari proponebat, quibus approbatis, ipse solus militiæ & fidei Sacramenta ab iis excipiebat, illisque post Diplomata, ac Cæsaris consensu placita militibus in Corona exhibendis conferebat. Ita se gesit, ut autoritate *Commissarius Generalis* totius *Germaniæ Super.* exercitus appellaretur, Natione Brabandus.

Sanctius Bravo de Lagunas. Nec minori fungebatur dignitatis officio *Sanctus Bravo* de *Lagunas* religionis Alcantaræ Commendator. Is enim eam dignitatem in exercitu habuisse videtur, quam *Cato* ille *Senior* in Vrbe Romana. Nam alio nomine, quam *Censoris*, illius officium vix definire possum, cum in Veterum exercitibus tale munus non reperio, nec in modernis, nisi inter *Hisp.* & *Italos* habetur; ab iis vocatur *Veador General* vel *Campo*, quod alludit ad *Gallorum* munus in exercitu *Primier Controleur du Camp.* quainvis nonnulli & rectius forsan, id tribuant Camputatori Generali exercitus. Vtcunque sit, Summus habebatur, & secretissimis consiliis adhibebatur; si quid denique Capitanei in delectibus seu in subornatione militari peccabant, is eos reprehendebat; habebat merum coercendi imperium. Natione Hispanus.

Ynitus de Peratta. Hunc subsequebatur autoritate officii *Ynicus* de *Peratta*. Is enim *Generalis* totius exercitus *Calculator* erat, rationesque omnium copiarum s. obsequiorum, s. militarium numerorum, aut etiam pecuniarum ad eum deferebantur, ut ea libris exercitus inscriberet. Delectores denique matriculas delectuum, eo habito, illi reddebant, ut calculatis ab ipso stipendiis militum, singulis Capitaneis debita portio solveretur. Quod fiebat mandatariis ipsius Syngraphis, confirmatis notula Censoris *Bravi* aut *Duarti*. Post Quæstori aut Thesaurario Generali exercitus, Capitanei e vestigio solutionem consequebantur. Est natione Hisp. & ab iis vocatur *Contador General del Sueldo del Exercito*.

Quando fecimus mentionem Quæstoris aut Thesaurarii Generalis exercitus, non absurdum videbitur, eum qui tum fuit, recitare, quando in modernis exercitibus summa apud illum est autoritas, imo & multorum veneratio. Is fuit defuncto *Gondisalvo* de *Molina Petr.* de *Hoyos*. Hic curam omnem pecuniarum exercitus habebat, & si quid nummorum ex utraque *Germania* aut *Italia* advehebatur, illi aut suis reddebatur; is post juxta exercitus postulata, aut ex mandato Pro-Regis *Duartique* vel. Calculatoris distribuebatur. Erat & alius, qui separatim habebat curam solutionis exercitus, equitum peditumque *Infer. Germ.* nomine *Joh. Carpentier*; quem *Elandri Tresorier* des *Guerres* appellant. Sed alter erat præcipuus & nat. Hispanus.

Petr. de Hoyos.

In hoc denique exercitu erat Tribunus Major justitiæ, quem *Capitaneum Justitiæ Generalem* vocabant, *Seb. Schertel* a *Burtenbach*, vir belli gloria clarus. Is omnium cohortium Præpositorum erat caput, si dignitas sua recte æstimetur; cum tamen *Præpositus Major* vocari voluit, cum ipse alioquin sæpius Præfectus legionum extiterit, ideoque per *Lyranum* Capitanei Generalis Justitiæ nomen a Cæs. impetravit. Is primum subse habebat CXXXVI. equites, cum quibus subinde obequitabat, lustrando limites castrorum, & contigua nemora observabat, commeatum denique adventantem & commeatares a militum invasione coercebat. Negotiatoribus Cauponibus atque lixis securitatem & locum absque exercitus præjudicio in ipsis castris dabat, habebatque maximam puniendi jurisdictionem. Est nat. Germanus.

Auditores Generales. Erant etiam duo *Auditores Generales* gravissimarum querelarum, totius exercitus, *Nic. Zinner* D. & Assessor Imperii *Spiræ*, Germanus, & *Joh. Duarte* D. Hispanus. Hi graviores & severiores causas exercitus ac inquisitiones altioris indaginis discernebant, erantq; tantæ autoritatis, ut sententia etiam interlocutoria a quovis eorum pronunciata statim haberet executionem paratam. s. apud *Hisp.* aut *Germanos*. Rationem juris observabant quidem at summarie & sine strepitu judicidi, more militari judicabant.

N. de Cylly. Præcipuus nocturnarum vigiliarum Præfectus erat N. de *Cylly*, Commendator religionis Alcantare, Burgundus, qui accepta a Prorege tessera eam equitibus præcipue in dispositionibus nocturnis, dabat.

Joh. van der Noot. Præcipuus cohortium subsidiariarum Præfectus earum, quæ commeatum conducebant aut vacuos currus reducebant, erat *Joh. van der Noot*: a nobilibus Cæs. Is per vices militum regimina ad hujusmodi conductiones distribuebat. Est nat. Brabantus, Bruxellensis.

Commissarii Delectuum habendorum. Habebat denique Cæsar nonnullos Delectores, quos *Commissarios* vocabant, qui delectibus militum singulis mensibus præerant, inter quos equitibus *Germ. Super.* Comitem a *Zollern*, peditibus legionis Comitis *Guil. Sebast. Schertel*, peditibus legionis *Gonradi* a *Bernberg*, *Christophorum* a *Schaurenburg*, peditibus & equitibus *Infer. German.* Gotschalcum *Ericum*, sed & his multi alii ex præscripto Commissarii Generalis *Franc. Duartis* adjungebantur. Nam cum multitudo militum ingens esset, & aliquorum fraudes essent suspectæ,

ſpectæ vix unus ſufficiebat examinationi unius cohortis, nili illi adjungeretur ſocius. Hinc quadraginta & IV. cohortes peditum una die examinitæ ſunt & 3000. equites, ut militum ſuppoſitiones evitarentur.

Numerus militiæ juxta delectus habitos XXIV. Julii ap. S. Digerium.

Viſum eſt militiam exordiri ab equitibus levioris armaturæ, quos & velites lego apud vet. fuiſſe appellatos; Hi enim ante aciem præcedentes, uti & nunc faciunt, provocabant adverſarios ad pugnam, ſi eos fugare poterant, inſequebantur, ſi premebantur, ad ſuos revertebantur. Habebat igitur Cæſar ſub *Franc. Eſtenſis*, Marchionis *Padulæ* imperio equites, levioris armaturæ Italos & Hiſp. DLXII.

Sequitur equitatus Superioris Germaniæ.

Duplex genus *Germanorum* equitum Cæſ. habebat, *Cataphracti* vocabantur, qui graviorem & integram hujus temporis armaturam gerebant, hiq; lanceas longas cum cuſpidibus ferreis gerebant, præterque gladios malleos- B que ferreos & pixides affixas habebant. Cataphracti tamen majora conſequebantur ſtipendia: Marechallus vel Mag. Equitum erat *Joh. Hiliquin*, Germanus, eques auratus, Dn. *Hilarez.* Is proprios equites habebat CCXXX.

Franciſc. Comes a *Manderſchid* CC.
Herm. Comes a *Nuenarn* CC.
Joh. Comes a *Naſſau* CC,
Gwolfard Comes a *Mansfeld* CXX.
Goricus Baro de *Creanges*, CLXX.

Hi omnes venere cum Marechallo *Joh. Hilichino*, & eorum erat ſupremus Capitaneus:

Mauritius Dux Sax. MCXXIV.
Albertus Marchio Brandenb. DCCCC.
Wolfg. M. Mag. *Pruſſiæ* ſuis propriis expenſis adducebat CXXX.
Seb. Schertel a *Bartenbach* CXXX.

Sequitur peditatus Sup. Germ.

Cæſar in anno ſup. cum animadverteret, ex diverſitate Coronellorum aliquorum cohortium *Germ. Sup.* absque ſupremo quodam & exercitato Tribuno majori, languidius disciplinam militarem obſervari, præcipue exiſtente omnium Legionum Præfecto Italo, prudenti conſilio *Lyrani* ac aliorum duas conſtituit conſcribere Legiones vel Macedonum more phalanges, quod hæ conſiſtant octo armatorum millium, cum Legio nonniſi VI. mille centum & V. peditibus juxta *Modeſtinum* conſtat, vel demptis quinque totidem apud *Vegetium*. At Cæſ. & *Lyranus* Legionis ordinem ac diſcretionem divino inſtinctu, teſte *Vegetio*, conceptam, imitatus videtur. Nam etſi nonnullas ſupernumerarias cohortes confici juſſerit, rationem tamen Legionis voluit &c.

Duos Tribunos Majores elegit, eorum quilibet imperitabat XX. cohortibus, quævis conſtabat CCCC. peditum, quamvis ea limitatio ap. *Germ.* vix ſervari poſſit. Putant enim *Germanorum* Duces conſequi magnam gloriam, ſi ultra D. (is enim numerus apud eos communiter conficit cohortem) multos alios ad deſtinatum delectus locum adducant; eſſet quidem conſultiſſimum, ſi absque fraude vel ſuppoſitione militum fieret. Una igitur cohors CCCC. peditum habebat Capitaneum, & ſuos principales milites ac Officiatores, ita tandem fiebant in quovis magno regimine XX. Capitanei. Hi rurſus dividebantur per minora Regimina (ita enim nunc vocantur) eaque committebantur Tribunis minoribus. Quod ſi jam quicquam a militibus petebatur aut proponebatur, Capitanei id primum referebant Tribuno minori, cui ſuberant, is autem decidebat, aut ſi res poſtulabat indicabat Tribuno majori, is poſt diffinitive determinabat, nec adibat Proregem, utpote Præfectum omnium Legionum. Magnam libertatem huic autoritate ſineſſe interpretabantur Germani.

Primus Trib. maj. erat *Guil.* Comes a *Furſtenberg*, qui habebat XX. vexilla & tres Tribunos minores, nempe *Job.* Baronem de *Gunzech*, qui regebat VII. vexilla, & *Bernh.* a *Thalum* qui etiam VII. vexillis imperitabat, & *Georgium* a *Boulach*, qui VI. reliquis præerat.

Conſtabant hæc XX. vexilla ita, ut ſupra repartita juxta delectus habitos XXIV. Julii. 7936.

Secundus Trib. Major erat *Conradus* a *Bemelberg*, eques auratus, Dn. in *Ebingben*, qui totidem habebat vexilla & IV. Tribb. min. *Hildebr.* Bar. de *Madraſeb* ac *Eraſmum von* C *der Hauben* d) Horum quilibet præerat V. cohortibus aut vexillis. Conſtabant hæc XX. vexilla juxta delectum, ut ſupra. 7936.

Erat & *Georgius* a *Ratiſpona* ex Tribunis maj. Nam ſolus ſuis imperitabat, cum duobus recitatis aliquomodo ſuberat. Hic habebat VII. ſelectiſſima ac fortiſſima vexilla, eaque hieme præterita hibernarunt apud *Camera-cum* Conſtabant hæc VII. vexilla. - - 3100.

Adduxit *Sigism.* a *Landenberg*, qui poſt venit cum VII. vexillis. Nam III. reliquerat in præſidiis aliquorum oppidorum *Luxen-burgi*, juxta Dejectus Menſ. Auguſt. conſta- D bant. - - 2492.

Stipendia horum Germ. peditum in tantum excreverunt, ut multæ cohortes fuerint, quæ cum vix conſtarent CCC. peditibus, haberent ducenta & XXX aucta, ſ. altiora ſalaria absque ratione primipili Jamque eo res pervenit, ut qui *Germanos* velit, ni habeat aureos montes, nihil acturus ſit; Glorian-turenim hac tempeſtate, exercitum non poſſe adunari ipſis deſideratis. Hæc quando veriſſima, recitare volui. *Germanorum gloria militaris.*

d) Deſunt duo Tribuni.

Sequi-

Sequitur Inferioris Germ. equitatus.

Renatus Aurangiæ Princeps, qui omnium turmarum aut *Bendarum* erat præfectus supremus, etsi quævis Benda habebat suum Decurionem, habebat tamen *e) Brederode* & Dn. de *Bossu*, equites aurei velleris, hi repartitis turmis eorum quilibet imperitabat M. equitibus. - - MM.

Restabant ipsius Principis, quam regebant *Liber Turch* post data Comiti ab *Eggbemont* Phalanx Cæsarea suorum nobilium ac aulicorum, cui præerat.

Maximilianus Archi-Dux *Austriæ* D. Habebat Dn. *Dysfey* sub se equites Burgundos levioris armaturæ CXXX.

Sequitur Peditatus Infer. Germ.

XX. Vexilla conscripserat Princeps *Aurangiæ* in *Germ. Inferiori*, quibus omnibus præerat *Io.* a *Sallant* Geldrens. Constabant 6646.

Sequitur Peditatus Hispanorum.

Hispani non habent tam copiosas cohortes atque *Germani*, fere omnes Capitanei sunt Centuriones; Major Ducum pars vix C. præest militibus. Hi tres habebant præfectos, quos *Maestros* del *Campo* vocant.

Lud. Berez de *Bargas*, qui præerat Veteranis Legionis Ital. quos ex *Italia* adduxerat, habebat. 2122.

Aluarus de *Sande*, qui imperitabat veteranis Legionis *Sicil.* quas ex *Sicil.* adduxerat, habebat - - - 1754.

Gwasso de *Acuna*, qui imperitabat tyronibus, quos *Besignos* vocant Legionis Hisp. quas nuper ex *Hisp.* adducebat, habebat - - - 3400.

Hospitale militare Hispan.

Hispani denique industria aliquorum piorum virorum in hoc bello habuere hospitale, quod quidem exercitum semper sequebatur, sustinebatque infirmos ac vulneratos *Hispanos*, ibique curabantur communi bursa. Nam ægroti immunes a solutione Medicorum aut Chirurgorum erant, etsi stipendia ibidem consequebantur. Cæsar enim non tantum Medicos aut Pharmacopolas sustinebat, sed & suos præcipuos Sacellanos ad curam supremam ejus hospitalis destinabat, qui curam & moderationem habebant, ultraque ea, quæ Cæsar & probi viri conferebant, militum quisque duos argenteos, quos ipsi reales vocant, singulis mensibus ex stipendio contribuebant. Ita ferociores ad pugnam reddebantur, quando vulnerati sciebant, quo se sanandos, conferrent. Placebat hic pietatis modus aliquibus Principibus Germ. sed inter eos servari vix potest propter religionum diversitatem.

Adducebat Cæsar LXII. diversa tormenta bellica, his adhibebantur 3500. equi, horum curam habebat *Andr. Thaun* Tyrolensis. Habebat CC. currus cum singulis VIII. equis, qui tantum inserviebant commeatui. His præfuit *Georgius Breudel* Tyrolensis. Habebat LXX. naviculas vel scaphas, quæ impositis curribus adducebantur ad confectiones portium. Reliquas reliquerat *Metis*. His præfuit *Jo. Nothus* de *Liera*.

Adunare Cæsar jusserat 4000. operarios vel vallatores diversarum Provinciarum, tamen in *Germ. Infer.* collectos, qui tandem perpetuo labore & imperio *Hispanor.* pertæsi apud S. *Digerium* aufugere, ut vix D. super fuerint, fuitque Cæs. coactus, novos vi quasi ex *Burgund.* & *Lucenburgi* ditionibus adunare. Primis præfuit Dn. de la *Forge*, erantque divisi per Centuriones. Nam quævis provincia habebat Capitaneum, qui Centuriis præerat. Reliquis fere DCCCC. præfuit *Claudius* Burgundus.

Hic non refero numerum globorum aut quantitatem pulveris tormentarii quod vix ipsi custodes ea scire possint.

e) Supplendum videtur: duos Magistros equitum.

FINIS.

In anteriori parte ligaturæ aureis literis hæc verba leguntur:

Vero Defensori fidei errorumque profligatori optimo.

In posteriori autem:

Maximo Henrico Octavo Regi Anglorum, Franc. Hiberniaque,



Debueram Chiron dici, qui dicor Achilles,
Vix Chirone minor qui Medica arte fui
Non Lindoia modo hoc non sola Augusta sacebat
Innumeri hoc Reges atqve sciere Duces

XVII.

ANNALES

DE VETUSTATE ORIGINIS, AMOENITATE SITUS, SPLENDORE ÆDIFICIORUM, AC REBUS GESTIS CIVIUM REIPUBLICÆQUE AUGSTBURGENSIS, MULTO SANE LABORE, SUMMA ETIAM FIDE PERDIU COLLECTI, ET JUXTA SERIEM ANNORUM NATIVITATIS JESU CHRISTI, AD ROMANORUM IMPERATORUM FRANCORUMQUE REGUM TEMPORA, NEC NON TAM, AD POLITICI, QUAM ECCLESIASTICI IBIDEM MAGISTRATUS FASTOS, ACCURATISSIMO ORDINE DIGESTI,

PER

ACHILLEM PIRMINIUM GASSARUM,
LINDAVIENSEM,

E CODICE AVTOGRAPHO BIBLIOTHECÆ DUCALIS SAXO-GOTHANÆ

NUNC PRIMUM EDITI.

I.

LEGATI, PRÆFECTI, PRÆSIDES, PRÆTORES ET DUCES RHETIÆ, TERRÆQUE NOSTRÆ.

L. Munatius Plancus.
Claudius Druſus.
Tyberius Nero.
Varus Quintilius.
Titus Annius.
M. Antonius.
Portius Septimius.
Sextilius Fœlix.
Sevaſtus.
Titus Varius Clemens.
Soſius.
Cl. Reſtitutus.
Lucius Cejonius.
Annius Verus.
Italus.
Auſidius Caſſius.
Campeſtrius.
Q. Cecilius Ciſiacus Septicius.
Auſidius Victorinus.
Helvius Pertinax.
Didius Salvius Julianus.
L. Septimius Severus.
Ælius Baſianus.
Julius Philippus Noricus.
Licinius Valerius.
Fulvius Bojus,
Annius Tacitus.
Bonoſus Brito.
Decius.
Ejulaſius.
Galerius.
Cajus Aquilius, ſive *Carus Aquilinus.*
Maximianus.
Conſtantinus Chlorus.
Severus Dacus.
Anus.
Magnentius Chreſtus.
Julianus Thrax.
Sylvanus Gallus.
Barbatio.
Anitus.
Flavius Nevitta.
Theodoſius Hyſpanus.
Majorianus.
Marcus Aurelius.
Macrinus Authemius.
Triarius.
Atius Patritius.
Julius Clemens Aquilifer.
Burdo.
Matrinus.
Pierius.
Servatius.
Fridbaldus.
Severianus.
Remedius.

Poſt hos, exploſis Romanis, ſubjugatisque Suevis, ceperunt Francorum reges territorium noſtrum gubernare.

Dietbrechtus rex.
Dietbaldus rex.
Hildtbrechtus rex.
Dietbrechtus II. rex.
Degobrechtus rex.
Huldrychus rex.
Carolus rex & imperator &c.

Sub quibus Sueviæ & Rhetiæ noſtræ duces provinciam & civitatem noſtram tenuerunt.

Landtsfredus ſive *Luitfridus.*
Huntzelinus,
Cambolinus, Fratres.
Herpinus,
Sigebrechtus.
Cuntzo.
Ottuinus.
Rumelius.
Martinus.
Gottfridus.
Arnholdus.
Luitfridus.
Dietbaldus.
Marſilius.
Landsfridus.
Hiltbrandus.
Gerboldus.
Hiltrychus,
Iſenbardtus.
Nothardus.
Rudtbrechtus.
Bero.
Berthmayrus.
Carolus.
Rycharius, Fratres.
Rudolffus.
Burghardus.
Burghardus II.
Erneſtus.
Hermannus.
Luidtholffius.
Burgkhardus III.
Udo vel *Otto.*
Burghardus IIII.
Chunradus.
Hermannus II.
Hermannus III.
Erneſtus II.
Erneſtus III.
Hermannus IIII.
Hainrychus.
Otto II.
Otto III.
Rudolffus.
Fridrychus.
Fridrychus II.
Fridrychus III.
Fridrychus IIII.
Chunradus II.
Philippus.
Bertholdus Zeringenſis.
Fridrychus V.
Hainrychus II.
Chunradus III.
Chunradus IIII. qui & *Chunradinus*, ultimus hujus proſapiæ & nominis.

II.

ADVOCATI MAJORES SIVE PRÆFECTI PROVINCIÆ, Augſtburgenſis, vulgo Landvögt dicti.

Wernherus a Seldnecca.
Welffo Lycatium comes.
Mangoldus comes ab Entzburgo.
Schweickerus comes Schwabercenſis.
Aſchwinus comes Schwabeccenſis.
Wernherus comes Schwabeccenſis.
Adelgetzo II. comes Schwabeccenſis.
Adelgetzo III. comes Schwabeccenſis.
Fridrychus Cæſar dux Sueviæ.
Chunradus Sueviæ dux.
Philippus Sueviæ dux.
Fridrychus II. Cæſar & Sueviæ dux.
Chunradi reges Sicyliæ & Sueviæ duces.
Berchtoldus a Mylhauſa.
Albrechtus comes Hohenbergenſis.
Chunradus a Ramſwago.
Vlrychus comes Helffenſtainenſis.
Chunradus comes Kyrchbergenſis.
Diethego comes a Caſtello.
Otto Greyffius miles.
Petrus ab Hohenegka.

Fridrychus dux Teccenſis.
Vlrychus II. comes Helffenſtainens.
Chunradus comes Oetingenſis.
Fridrychus Rheni Palatinus.
Leupoldus dux Auſtriæ.
Wilhelmus a Franberga miles.
Sigoſtus Landtgravius Leuchtenbergenſis.
Steffanus dux Boiariæ.
Schweighardus baro Gundelfingenſis.
Rudolffus baro Haideccenſis.
Chunradus a Reyſſchbachio.
Steffanus Epſerus a Wagraino.
Haupto Bappenhaimenſis Marchſchalcus.
Hainrychus Bappenhaimenſis Marchſchalcus.
Georgius Bappenhaimenſis Marchſchalcus.
Adamus a Fraindsberga miles.
Wilhelmus baro Waldburgenſis.
Eberhardus a Freiberga miles.
Johannes a Rechberga miles.

III.
SUBPRÆFECTI SEU PRÆTORES URBANI, qui vulgo Stadtvögt vocantur.

Friderychus a Rietheima.
Dietboldus a Neyffa.

Wernherus a Schwanga.
Wernherus ab Andloa.
Chunradus a Zeilnhardo.
Widoldus a Sultzbacho.
Rudolffus a Graba.
Hainrychus Gula.
Hugo Fraſſius.
Otto ab Ulma.
Syboldus a Mülen.
Seifridus a Phalheima.
Petrus a Rorbacho.
Hainrychus ab Hattenberga.
Chunradus a Buichs.
Wildboldus a Stauffa.
Sigoſtus a Laberna.
Fridrychus a Freiberga miles.
Hanſus de Itenhauſa.
Dietbego a Katzenſtaino.
Chunradus ab Hoppinga.
Johannes Dendrychus.
Ulrychus a Uvelda.
Hainrychus Portnerus.
Heinrychus Diſchingerus.
Hainrychus Marchſchalcus.
Thomas a Freiberga.
Johannes ab Absberga miles.
Hanſus Eyſchingerus.
Fridrychus Tollingerus.
Wilhelmus a Weixelraino.
Hanſus Diſchingerus.
Leonhardus a Grienbacho.
Ulrychus Langenmantellus.
Eraſmus Diepharts kyrcherus.
Georgius Otto.
Steffanus Muſerus.
Georgius Otto iterum.
Steffanus Beſchtlerus.
Alexander Beſchtlerus.
Ludwichus Spinnerus.
Hanſus Antonius Brunus.
Georgius Bruyus.

IV.
EPISCOPI AUGUSTANI.

Sozymus.
Bernulphus.
Dagobertus.
Manno.
Wicho.
Brico.
Zeiſo.
Marckmannus.
Widbertus.
Toſſo.
Zymbertus.
Hantho.
Waldherus.
Udalgerus.
Neodegarius.
Lancko.
Udalmannus.
Wicherus.
Adalbero.
Hiltinus.
Udalrichus.
Hainrychus.
Udalgerus II.
Etticho.
Luitholdus.
Waltherus II.
Gebhardus.
Syfridus.
Bruno.
Eberhardus.
Hainrychus II.
Emmrycho.
Syfridus II.
Wigoldus æmulus.
Hermannus.
Waltherus III.
Chunradus II.
Hartwichus.
Udalſchalcus.
Hartwichus II.
Syfridus III.
Siboto.
Hartmannus.
Syfridus IIII.
Wolffhardus.
Degenhardus.
Fridrychus.
Udalrychus II.
Hainrychus III.
Marckwardus.
Waltherus IIII.
Johannes.
Burghardus.
Eberhardus II.
Ansbelmus.
Fridrychus æmulus.
Petrus.
Johannes II.
Fridrychus II.
Hainrychus IIII.
Chriſtophorus.
Otto.

V.
PRÆPOSITI MAJORIS ÆDIS.

Junckfredus.
Gebhardus.
Gebhardus II.
Eberhardus Hohenlobenſis.
Einhardus.
Northerthus Hohenwartenſis.
Ulrychus comes ab Heefra.
Volckmairus de Thalheima.
Waltherus de Staino.
Geyſelherus.
Udalſchalcus.
Syfridus Höchſtettenſis.
Syfridus a Rechberga.
Eberhardus II. de Thumpnoa.
Hainrychus a Diesheima.
Rapoto.
Syfridus de Witliſinga.
Ludwichus comes Helffenſtainenſis.
Wolffhardus a Rhodt.
Fridrychus comes Zolrnenſis.
Chunradus a Rechberga.
Rudolffus ab Hürnheima.
Suitzherus de Mindelberga
Ulrychus II. de Aichamo.
Craffto de Neidinga.
Hainrychus II. de Schönegga.
Eberhardus III. de Hürnheima.
Engelhardus de Entzberga.
Otto de Sunthaimia.
Waltherus II. Schubelius.
Burghardus de Eiſenburgo.
Fridrychus II. Burggrafius.
Hainrychus III. dapifer de Hopfinga.
Johannes dux Boiariæ.

Johannes Baptiſta Sabellus nepos ejusdem.
Matheus Langius.
Marquardus de Staino.
Marquardus II. de Berga.

VI.
DECANI TEMPLI CATHEDRALIS.

Dietrychus.
Thymo.
Rudigerus III.
Hainrychus a Dieshaima.
Syfridus Pincerna a Winterſtetta.
Degenhardus baro Gundelfingenſis.
Rudolffus a Hürnhaima.
Hainrychus de Neidinga.
Syfridus de Witliſinga.
Craffto de Fliglinga.
Hermannus a Staino.
Rudebrechtus de Hürnhaima.
Eberhardus de Rorbacho.
Chunradus de Garenbacho.
Chunradus de Zymbern.
Ulrychus Burggrafius de Ehinga.
Gottfridus Hariſcherus.
Leonhardus Göſſelus plebeius.
Ulrychus de Rechberga.
Wolffius de Zylnhardto.
Chriſtophorus a Stadio.
Philippus de Rechberga.
Chriſtophorus de Freiberga.

VII.
ABBATES ULRICHIANI.

Reginbaldus.
Dego.
Godesgenus.
Frideboldus.
Hainrychus.
Theodo.
Adalbero.
Theodomarus.
Sigehardus.
Hartmannus.
Berengarius.
Guntherus.
Egino.
Volmarus.
Udalſchalcus.
Hetzilo.
Udalrychus.
Hainrychus II.
Manegoldus.
Hainrychus III.
Erchenboldus.
Udalrychus II.
Hainrychus IIII.
Dietho.
Luitfridus.
Hiltebrandus.
Goßwinus.
Theodorychus.
Sihotho.
Hainrychus V.
Marquardus.
Chunradus.
Johannes.
Fridrychus.
Hainrichus VI.
Johannes II.
Johannes III.
Hainrychus VII.
Johannes IIII.
Melchior.
Hainrychus VIII.
Johannes V.
Chunradus II.
Johannes VI.
Johannes VII.
Simon.
Jacobus.

VIII.
PRÆPOSITI CRUCIANI.

Berchtoldus.
Udalrychus.
Berchtoldus II.
Hainrychus.
Arnoldus.
Udalrychus II.
Chunradus.
Hainrichus II.
Udalrichus III.
Petrus.
Nicolaus.
Petrus II.
Hainrychus III.
Stephanus.
Johannes.
Udalryches IIII.
Johannes II.
Vitus.
Jacobus.
Chriſtophorus.
Bernhardus.

IX.
PRÆPOSITI GEORGIANI.

Udalrychus.
Hainrychus.
Chunradus.
Hermannus.
Eberhardus.
Ludwichus.
Rudolffus.
Luitboldus.
Gebhardus.
Johannes.
Udalrychus II.
Egloffus.
Johannes II.
Petrus.
Johannes III.
Nicolaus.
Johannes IIII.
Michael.
Rudolffus II.
Laurentius.
Wolffgangus.
Johannes V.
Eberhardus II.
Georgius.
Jacobus.
Martinus.

X.
ABBATISSÆ STEPHANINÆ.

Elizabetha.
Agnes.
Wilburgis.
Catharina.
Catharina II.
Agnes II.
Elizabetha II.
Urſula.
Anna.
Anna II.
Urſula II.
Anna III.
Agnes III.
Anna IIII.
Dorothea.
Euphroſina.

XI.
SANCTI NOSTRATES.

S. Lucius.
S. Victor.
S. Affra.
S. Narciſſus.
S. Dionyſius.
S. Quirinus.
S. Fortunatus.
S. Philippus.
S. Urſus.
S. Largio.
S. Columbanus.
S. Gallus.
S. Magnus.
S. Ambroſius.
S. Hieronymus.
S. Gertrudis.
S. Remigius.
S. Pyrminius.
S. Bernhardus.

Augusta Vindel. situs.

AUGSTBURGUM sive *Augusta Rhetiæ* primæ, quæ nunc *Svevia* dicitur, civitas Romani Imperii, ut origine vetustissimum, ita hodie quoque cultu & divitus clarissimum municipium existit. Id inter pisculentissimorum fluminum, *Lechi* videlicet qui *Lycus* etiam vocatur & jam jam Sinckelin recipientis *Werdachæ* quam *Virdonem* olim dictam, nunc *Vindam* vocari literatores nonnulli asserunt confluentiam, in nativo & aprico colle situm, ab ortu solis *Fridbergam* Bojariæ oppidulum, trans *Lechum* respicit, a Meridie per campestria memorati fluvii *Algæicas alpes*, & *Landsbergam* prospectat, ab Occidente *Marchiam Burgaviæ* contingit, ac ab Arcto communes cum *Svevia* sua terminos, ad *Lechi* usque cum *Danubio*, e regione quasi *Werdensis* oppidi commixtionem possidet.

Clima.

Cujus Meridianus circulus a *Fortunatis insulis* unde locorum longitudo cosmographis peti solet XXXI. partibus, ac XVI. scrupulis distat, Et Aquilonaris polus supra finitorem ipsius XLVIII. gradibus, ut cum Geographis loquar, & XVII. minutus eminet. Constituta est igitur urbs ea, in septimi climatis, Διαφυλωμ ἡ Διαπεντε dicti, Lunæque attributi principio, sive quod idem est, sub XV. ab æquatore mundi, juxta *Claudii Ptolæmei* numeros, paralleli fine, Ubi longissimus dies ex XV. horis, & LIIII. minutiis, nox vero brevissima, horis VIII. minutisque VI. in solstitio æstivo, & e contra in bruma constant. Umbra autem recta in Meridie æquinoctiorum, gnomonis altitudinem proportionalem, semiuncia & sicilico fere in plano excrescit. Ac habet præcise vel quasi sydera Verticalia, stellam quinti ordinis, quæ est in cubito sinistro *Bootis*, Item stellam quartæ magnitudinis, quæ est septentrionalior duarum, sub genu dextro Herculis, ἐνγόνασι appellati. Deinde & ex sexto ordine stellulam, quæ videtur media trium, in sinistro pede ejusdem asterismi. Ad hæc stellam quartæ iterum magnitudinis, quæ fulget in pede dextro imaginis *Andromedæ*. Denique tertii ordinis stellam, quæ in sinistra, prioris pedis, *Ursæ Majoris plaustrum* a rusticis vocatæ extremitate Borealior apparet. Quorum astrorum potissima pars, Martis & Mercurii planetarum naturæ, communicans, apoteleſmata sua, generaliter, nec obscure, indigenis infundere existimatur ab Astrologis. In zodiaci tamen signorum partitione, *Capricorno* subjectam *Augustam* hanc, non omnino vane, Mathematicorum vulgus quoque judicant. Est autem aer ibidem salubrimus, undiquaque liber, ac flabris omnibus pervius Ager, pro soli non Vitiferi ac ἀπρεσδιονύσῳ natura, fertilis, frumentosus & planus, qui specifica quadam proprietate, καὶ ἀντιπαθείᾳ majores mures, sive glyres, Vulgo *Ratzios* vocatos, neque gignat, neque aliunde advectos ferat, Læta circum circa pascua, terra pinguis & lutosa, Campi item tum Aucupiis tum Venationibus idonei, saltibusque amœnissimis, consiti, Amnes præterea limpidissimi vivique laticis fontes sapidissimi, nec non prædia & Vivaria minime ingrata.

Structura.

Habet porro civitas hæc nostro tempore sub *Maximiliani II.* Imperatoris tutela, tam publicas extructiones, quam privata ædificia, supra quam credi potest, & sumptuosissima & splendidissima, plateas etiam amplas pariter ac dum sibi constat mundissimas. Claditur ad hæc mœnibus ambitiosissimis, pomeriis denique & fossis in exuperabilibus. Portis vero patet principalioribus quatuor, juxta totidem terreni orbis plagas, nempe versus Eurum & Bojariam, *Jacobæa*, versus Austrum & Algæam, *Rubra*, Versus Favonium & Sveviam, *Geggingense*, versus Aquilonem & Danubium, *Werdachæ pontano*, sexque aliis minoribus, præter eam, qua noctu aditus precio conceditur: videlicet, *Aviaria*, *Fornicata* (vulgus *frabrorum arcum Schwibogen* denominat) *Klenckeria*, *piscatoria*, *Steſſingeria* & *Oblatteria*, tum accedentibus tum recedentibus debito tempore nam festis diebus hora sacrorum, & quando minus læta sunt tempora, obseratæ manent firma cum custodia, interdiu pervia, apertaque est.

Munimenta.

Propugnacula item muris & Valla mirificis molibus, monticulorum instar, commodissimis in locis fulcta, quam munitissima illi supersunt, ut puta ad *Bacchorum agrum*, ad *Aquariam turrim*, prope *Rubram* portam, juxta *Æseri angulum*, apud *Geggingensem* portam, in *Judæorum cœmiterio*, ad *Werdachæ* pontis portam (quod plebes *Chibanum* a forma appellant) apud *provinciæ speculam*, & ad *Ruffani turrim*.

Quorum omnium circumferentia ambitusque anguloſus, cum area neque ad amussim quadrata, neque Ovalis sit, plus minus, novies mille, non citati incedentium gradus, passusve communes, quorum unus duos cum dimidio pedes complectitur. forinsecus hodie continet, Diameter vero sive Longitudo a *Rubra* ad *piscatoriam* portam, directe quater mille passus communes habet.

Fluvii utilitates.

Multis adhæc *Lechi* rivis, tum utiliter tum salubriter, sed non sine magni Reip. sumptibus irrigatur, quorum primus, *Leupoldinus* ac *Fontanus* dictus ab *Hanſtetense* porta, subtus *Hospitalariam domum*, alveo XII. pedes lato, proxime cum monticulum deducitur, qui secundum longitudinem per medium civitatis, tanquam spina per dorsum hominis protenditur, & aliquot publicas balneas molasque, *Hospitalariam*, *Crucejam P. Stadterlachiam* alluit. Secundus *Klesingii Lechus*, sive *Ratarius rivus* vocatus, alveum XIIII. pedum latitudine habet, ac supra *fornicatam portam* admissus, aliquot *cœnobiola*, & *inferiorem lanienam* præterfluit, plurimisque *Alutariorum*, *Cerdonum*, *tinctorum* & *Balneatorum* officinis, una cum *Schwalmyla*, *Geumyla*, a qua quondam nomen habebat, &

Episcopi makendyno deseruit. Tertius *Lechus*, qui & *posterior* nuncupatur, postquam a jam dicto *Lecho*, aggeribus, ad *S. Ursulæ* claustrum divulsus est, alveo itidem XIIII. pedes spacioso, coriariis, visceratoribusque, & uni atque alteri mole inserviens, ad reliquos, paulo supra *Harbruggam* divertit. Quartus *Lechi rivus*, *Röttingius* appellatus, infra *Aviariam* portulam, alveo XVI. pedes occupante excipitur, ac *Jacobæum* suburbium perreptans, non procul *politoria* portula stratribus miscetur. Vnde omnes tandem pariter apud *Oblateriam* portam, mœnia & fossam A perumpentes, in matris gremium, multis fecibus onusti recipiuntur.

Præter enumeratos autem jam rivos hosce, ex eodem flumine fossæ Orientales implentur, & alii minores rivuli, per civitatem derivantur, qui partim loturis, partim latrinis accommodati, denominationes a *Canibus*, a *Trabibus* sive *sparis*, & a *limpiditate* trahunt.

Inde adeo evenit, ut *Augustburgum* hoc nostrum, non modo plebejæ multitudinis conversationi, aut crebris negociatorum commerciis, præ cæteris superioris Germaniæ habitationibus, locus nunc sit accommodatissimus aptissimusque, verum etiam maximorum B principum, adeoque Regum & Imperatorum Romanorum, veluti domicilium, inclita regia, aut diversorium paratissimum, ac sedes longe munificentissima ab antiquo esse credatur.

Incolæ. Cives vero indigenasque civitatis hujus, sicuti semper industrios, humanos, & nullo non virtutum genere ornatos, extitisse constat, ita nostra hac ætate forma plerumque (in primis *blandas Veneres*) pulchros, statura decoros, corpore robustos, vestitu splendidos, victu voluptuarios, congressu ceremonioso, verbis affectatos, actionibus astutos, moribus exoticos, & plane aliarum nationum simias, ac ut alios nævos præteream, opulentia ac parentelarum vetustate φιλάυτους, esse in confesso habetur. C

De cujus urbis certo nomine primisque conditoribus vel etiam aliis celebrioribus antiquitatibus factisque admiranda passim feruntur, quæ ut varia, sic quoque valde dubia sunt. *Antiquitas* Tradunt enim vulgati Annales, paulo post illud Vniversale mundi diluvium, a *Japheti filiis* locum hunc inhabitari cœptum, & primordia admodum rudia sumpsisse, dum nimirum primi incolæ, hirundinum nidos imitati, de luto & virgultis, habitacula sibi, quæ subirent, fecerint: Quoad, ut est homo docile animal, erectis furcis, parietes ex arefacta gleba, nigrumantes, & proclinatis ex D stramento arundinibusque tectis, stillicidia deducentes, domunculasque qualescunque sibi, contra imbrium nivisque injurias, ac contra hyberna frigora, pagi instar contexere, contiguoque inter sese ponere auspicati sunt.

Dein annis ferme sexcentis ante conditam Romam, narrant viraginem illam Germaniæ decantatissimam, *Martpesiam*, *Amazonum* sic a Græcis dictarum mulierum, quod alteram *Martpesia Amazonum Regina.* semper mammam, dextram videlicet, ob sagittandi promptitudinem, vel siniſtram, ne scuta in præliis impedirentur, sibi exusserint, cum revera *Germanica* Etymologia, quod nimirum *sine viris bella gererent*, *) an man mäzen, nominatæ fuerint Reginam, posteaque *Europa*, majori ex parte potita fuisset, eiusdem hunc vicum & debellasse & captum ex spoliasse, inque signum victoriæ, sui generis efirenes, capitosasque fœminas, in eo tanquam fidos colonos in nostra usque tempora reliquisse. Ea inde in *Asiam*, relicta domi *Lampedia* Sorore, militatum iterum abiens, a *Bellerophonte* in *Lycia* occisa est.

Sequente postea tempore, locus hic ab indigenis denuo pro ævi ejus captu exædificatus, tignisque & materie fortius quam antea communitus, haud aliter atque reliqua barbarorum oppida, inter horridas sylvas, fædasque paludes, aspero satis cœlo, multis sæculis cultus, novisque insuper advenis satagentibus, in captivitatem tandem ampliatus est. Namo tamen Agriculturæ tum, vel saltem rarissimi, in hac regione operam dabat.

Quid autem præclari interea temporis, a civibus hic gestum sit, qualemue Resp. illorum habuerit faciem, sive quæ vivendi illorum ratio extiterit, aut quo idiomate loquendi usi fuerint, ob historicorum penuriam, nemo, nisi exoletas fabellas velis, facile dixerit. Constat certe *Germanos* priscos, venationibus & rei latruncularie verius quam militari unice studuisse. Quare neutiquam a veritate dissonabit, si quis terram hanc cum sua gente mutuis vicinorum populationibus crebrisque aliarum nationum incursionibus, subinde a pristino statu, non tam divexatam, quam avulsam, aut desolatam fuisse dixerit, ac prædominantibus, modo *Rhetis*, quorum e *Thuscia* in Alpes primus adventus circiter D. L. annos nos ante servatoris Christi incarnationem etitisse perhibetur modo *Cymbrorum* sobole *Vindelicis*, non raro *Celtica* gente *Boys*, sæpe etiam & potissimum extremo. *Sueuis Alemannisque*, vel misere euersam funditus, vel omnino indigne permutatam fuisse.

Adhæc in confesso habetur, quod licet *immanis* tali namque Epitheto Latinorum poetæ *Rhetos* ornant Barbarus, & moribus ferocior populus respectu sanctorum *Hæbræorum*, sapientum *Præcorum*, aut integriorum *Romanorum*, hic fuerit, aut saltem sic culpatus sit: Justitiam tamen & pudicitiam inter suos, nec non hospitalitatem erga exteros, semper exercuerint: Astrologiam etiam Magicasque artes, ut ut liberalium disciplinarum rudes, in precio ac usu frequenti habuere: Deos denique, uti omnes alii Germani, qui Deum suo idiomate TYBILENVM vocabant, *Monum*, *Dii Augustanorum.* *Sunnam*, *Herthumque*, hoc est, *Lunam*, *Solem Terramque* ac consecratis in lucis, arbores quasdam, præcipue annosas Quercus, & in his natum Viscum, ignem item, nec non & fluminum aquas, venerati tantummodo sint: Nimirum quod hæc viderent, eorumque juvamenta sentirent, reliquos nescirent, donec

*) i. e. ohne Man.

crescen-

Præcipua Cisa.

crescente ex timore superstitione, peculiarius civitati suæ numen, CISAM quandam receperunt quoque. A qua protinus, sive ea *Isis* cornuta καὶ Θεσμοφόρος, sive *Ceres* frugifera, sive Deum magna mater turrita *Cibeles* fuerit, talia enim pro Deastri sui Epitheto Majores nostri, vel potius sequentium sæculorum Grammatici annotare ausi fuerunt non solum civitatem suam CISARAM, ZISARIMVE indigitasse, sed & ob mitius demonstratum, sub Suevo octavo Germanorum præliis felicissimo rege, pabulum non enim multo frumento aut pane, sed glandibus tum quernis, tum fageis, & maximum lacte, butyro, caseoque, & non nunquam pecore aut ferina hactenus vixerant *strobili* seu *coni pinei* insignia sibi deinceps adscripsisse, inque honorem ejus hodieque, ostentare incolas non parum multi pertinaciter credunt. Quanquam imperiti rerum, jam *Botrum*, jam *Fragum*, immaturа pinxerint. Et plebes modernæ cum *Pinum* deberent, urbis *pyrum* sive *Beren*, inepto satis idiotismo in finibus passim & compitis, vocare soleant. In Deæ hujus gratiam ceu Tutelaris suæ, annua festa item hic ad IIII. Kalendas Octobris agitavit quondam Antiquitas, quemadmodum & posteritas adhuc publicas nundinas, nocturnaque urbiluſtria, eodem die celebrare, veteri instituto non erubescit. Extat sane supra *Vlrichiani Auditorii* valvas, prægrandis ac lapidea facies, quam vulgus olim responsa Delphicis oraculis veriora dedisse, ac caput simulachri *Cisæ* ejus fuisse, persuasum habet: Sed angues capillis colloque impliciti, alæque geminæ fronti annexæ, in diversum plærosque rapiunt, nam aut *Medusæ* aut *Empusæ* caput repræsentare videtur.

Insigne comus, pinus.

Romanorum in Germania gesta.

Tandem cum inexplebilis regnandi libido, Romanis, quorum urbs olympiadis VI. quarto anno, hoc est, D. CC. L. ante Christi servatoris nativitatem annis paribus, XI. videlicet Kalendas Maji, condita fuit a *Romulo* & *Remo* Lupa natis fratribus omnino persuasisset, ut liberæ quoque *Germaniæ*, arma vel suomet malo inferre auderent: Factum est tandem, ut *Ernuestus* Latini *Arioviſtum* scribunt Germanorum Rex, posteaque jam commilitantibus Suevis, Galliam trans *Rhenum* occupasset, a *Cajo* IULIO CÆSARE perpetuo Dictatore, ac primo Romanorum Monarcha, qui adoptato successore, in curia *Pompeii*, dum senatum haberet, Idibus Martiis, anno ante nativitatem filii Dei XLII. Viginti tribus plagis occisus est prelio vinceretur fugareturque omnino. Inde non multo post tempore, sub initia Imperii *C. Octaviani Augusti Cæsaris*, contigit quoque, dum *L. Munatius Plancus* V. C. ex Rhetis Alpinis triumpharet, ut & Regio & civitas hæc nostra, hactenus ignota Romanorum arma, si non cominus sentire, eminus saltem metuere etiam occiperent. Et cum dein, fatis ita volentibus, *Germania* iterum strenua manu undique asserenda esset, non addubitavit præfatus Imperator Augustus, accepta paulo pridem, apud *Sicambrorum* patriam, quæ hodie *Westphalia* dicitur, a Germanis, quorum duxerat *Melo Lolliana* quam ignominiosissima clade, amissaque V. Legionis Aquila, totum belli ejus onus, *Claudio Druſo* privigno suo delegare: Qui *Druſus*, ut erat industrius adolescens, superatis confestim alpibus, exercitum copiosissimum in campestria deduxit, & *Rhetos* una æstate anno scilicet XIII. ante Christi Jesu natalem plurimo illorum sanguine, suorum vero majore sollicitudine quam periculo perdomuit: Simul ac urbem hanc nostram per deditionem, primo die sextilis mensis accipiens, non modo pro sepibus muros, & pro tumultuariis aggeribus elaboratas turres, ad instar Moguntiaci, quod simili studio jam quoque excoluerant ad *Rhenum* Romani, ubi *Druſus* ille ex equi lapsu, sexennio ante nativitatem Christi mortuus est ædificando restituit, ac novis, pro Romanæ Reipublicæ modo, Colonis præsidiisque firmius adornavit. Sed & quemadmodum frater ipsius Vterinus, *Tiberius Nero*, eodem commilitio *Vindelicos* cum *Boiomundo Boiomanno* rege illorum inpropinquo devincens, *Rhetobonnam*, quadratam apud illos civitatem, a suo vocabulo *Tyberinam* dici voluit: Ita ipse *Druſus* nomen suum, ne videlicet in posterum, *Cisara* hæc de sese DRVSOMAGVS vocaretur, illi tanquam immortali trophæo imposuit. Quanquam non nesciam supersse quam plurimos, qui eam *Augusto Cæsari* dedicatam, ac memorati *Druſi* mandato, ad gloriam Vitrici, extemplo *Augustam* nuncupatam, adeoque illam ipsam *Augustam Vindelicorum*, tam in *Ptolæmei* Geographico opere, quam aliorum autorum historiis esse, ad aras usque contendant, pluribusque inscriptionibus, etiam nostra ætate præfigere pergant. Multo minus autem pervulgatæ illæ me latent narrationes, quæ recitant, Romanos ingenti exercitu, auxiliaribusque *Macedonum* copiis, & *Abaris* filii *Bogudis Mauritaniæ* regis equitatu, vel sub *Augusto* vel *Tyberio* Imperatoribus, tam certa est illorum traditio Vrbem *Cisaram* circumsedisse, ac in ipsa *Cisæ* Deæ celeberrimo festo, dum nimirum cives, veteri de more, ludis & ingluvie dediti, remissius agerent, dirissime oppugnasse. Adventantibus vero a *Rheni* partibus *Suevis*, illam non modo obsidione solutam, ac ab extero hoste, desideratis tamen *Habbino* & *Cacco* civitatis primoribus, liberatam esse: Sed etiam *Tito Annio* in castris obtruncato, ita legiones Romanorum, a nostris deletas fuisse, ut ne signifer superfuerit, ni *Verres* Tribunus militum, transmisso proximo amne solus aufugisset. Ad cujus fabulæ assertionem, belli homines postea, propinquorum aliquot pagorum denominationes improprie detorserunt, insulsisque versiculis celebrarunt, quorum opiniones tamen ut nullas comprobare possum, ita nec in præsentiarum, eas etiam revellere in animum induxi.

Sub Planco.

Sub Claudio Druſo.

Sub Nerone.

Augustæ nomen num primum.

Titi Annii clades.

Rhetia itaque prima & secunda, *Noricum* ac *Pannonia*, prorsum debellatæ, & a prædicto

Status sub Augusto.

Impera-

Imperatore *Augusto* (qui Romæ Triumviratum cum *M. Antonio*, & *M. Lepido* XII. annis gessit, ac confectis quinque civilibus bellis, denique pacato toto terrarum orbe *Janum Geminum*, tertio & dein iterum clausit, posteaque solus XLIIII. annos imperans, *Nolæ* in *Campania*, XIX. die Sextilis, ætatis septuagesimo septimo anno, εὐθανασίᾳ obiit ad unius provinciæ formam redactæ, Romanis per eam tempestatem parere vi armata coactæ sunt. Et tali pacto dein civitas ista, qua de nunc præcipue sermo est institutus, in fide illorum quoque permansit, quoad territorium hoc per *Rectores* & *Legatos* in officio cohibitum, præsidiisque retentum est.

Nativitas Christi, unde anni computandi.

Eodem ferme sæculo, pacatis iam omnibus provinciis, Edictum ab *Augusto* Romæ promulgatum est, ut universus terrarum orbis censeretur, cumque a creatione mundi M. M. M. DCCCCLXII. annus laberetur, en JESUS CHRISTUS, Dei omnipotentis æternus & unigenitus filius, ex *Maria Hæbrea* virgine, verus homo, VIII. Calendas Januarii, pro salute humana, in *Bethlehema* Judeæ natus est: Quod professionis gratitudinisque ergo, hoc loci annotasse non præter rem duxi, præsertim cum in posterum ab hac nativitate, omnes futuri anni calculandi veniant.

Quia autem *Suevi* paulo pridem ex ultima quasi *Germania Albisque* citeriore ripa, ab eodem *Augusto* ad *Rheni Danubiique* fluenta admissi subinde acriter patriis anconibus, prameisque, toti tunc imminebant *Rhetiæ*, fieri non potest, quin Romanorum legati, si non solenne prætorium, at certe continuum domicilium, militumque stativa aut hyberna, semper ob loci commoditatem hic habuerint. Accedit & hoc, quod *Vari Quintilii*, sive juvenilis protervia, sive fatalis ofcitantia, rebus *Augusti* extremum excidium adferre existimabatur, postquam circiter annum Christianæ salutis X. *Herminnus Cheruscorum* & *Langobardorum* Rex, *Sigmairi* filius, quem Latini Sigemerem, illum vero Arminium vocant tres legiones integras, totidem alas & sex cohortes, una cum omnibus auxiliaribus copiis, in saltu *Teutoburgensi* qui locus in *Clivensi* Ducatu, hodieque inter *Lippiam* & *Amisiam* amnes notissimus est captis insuper duabus Aquilis, internecino prælio, IIII. die Mensis Augusti, Romanis contrucidasset: Nam mox per totam *Italiam*, metu *Germanorum* irruptionis, anxie trepidatum est, ac limites Imperii Romani tam per *Rhetias* nostras, quam alibi firmioribus præsidiis, turmatim, accuratoribusque ducibus, haud absque incolarum gravamine, dubio procul muniti sunt.

Ao. 10. Arminii gesta.

Ao. 15. Titus Annius Augustam missus.

Missus iccirco paulo post a TIBERIO *Julio* qui anno redemptionis humanæ XV, tertius Romanorum Imperator adoptione, mense Augusto fuit factus ad arcendas in *Rhetiis* barbarorum, præsertim *Merhodi*, *Marobudive Suevorum* regis, incursiones, *Titus Annius* Prætor, ad hanc urbem cum *Martia* Legione est.

Cæterum Cæsaris hujus XVII. anno, qui erat Olympiadis ducentesimæ secundæ annus quartus, Jesus Christus pro peccatis mundi passus, & VIII. Kalendas Aprilis cruce mortuus *Hierosolymis* est, moxque tertio die ad salutem credentium in se resurgens, post quadraginta dies, in cælos videntibus suis ascendit, unde in fine mundi reversurus, judicabit vivos & mortuos, & sæculum per ignem.

Tiberii gesta.

Tiberius vero jam dictus Imperator Romanus, *Galliæ* philosophos sacerdotesve, *Druydes* dictos, in *Germaniam* nostram expulit, ubi deinceps religiones suas, maximis superstitionibus, non absque humanis victimis, professi sunt, ac XXIII. Imperii sui anno in villa *Lucilliana* Campaniæ, XVI. die Martii, octo & septuaginta annos natus, mortuus est, ingenti omnium gaudio, qui libidinosus, crudelis & avarus fuerat.

Druides unde dicti.

Porro *Druides* istos, non juxta *Græcam* etymologiam a *quercubus*, sed a *Drubtin*, quo vocabulo *Germani Deum* sua lingua appellarunt denominationem, quasi dicas *divinos* aut *Dei cultores*, consecutos consentaneum videtur, cum scilicet eo tempore & diu post, *Gallica* lingua una cum *Germanica* fuisse multis existimetur. Quanquam autem nulla privata historia amplius de *Drusomaga* nostro extet, ac omnino certi nihil de civibus aut aliis rebus ipsius, in medium, temporis injuria, sicuti supra de *Cisara* quoque conquesti sumus, possit adferri, non injucundum tamen lectori futurum putavi, si ab hoccè ævo, aliquot saltem legatos vel præsides, vel denique prætores, a Romanorum Imper. *Rhetiæ* datos, qui dubio procul hic loci præclara multa gesserunt obiter annotavero. Atque tali pacto annalium præsentium seriem continuavero, usque dum in magis notas historias plenioremque temporum notitiam devenerimus.

Claudii gesta.

Itaque sub CLAUDIO *Germanico* Cæsare qui XLIII. anno Christi, *Caligulæ* ex fratre nepoti, monstro hominis a *Chærea*, vicesimo quarto Januarii cæso, in Imperio, *Grati Germani* militis opera & ductu, subrogatus Romæ, ac XIIII. Imperii anno, ab *Agrippina* uxore, in palatio suo, medicato Boleto infectus, XIII. die Octobris excessit, ac Divus consecratus a Senatu est, transportata e *Syria* in superiorem *Germaniam*, ob civilia bella, Legio IIII. est, quæ & *Scythica* & *Macedonica* appellabatur. Fuitque *M. Antonius Rhetiarum* legatus, ac *Vannius Suevorum* Rex.

Ao. 43.

Neronis gesta.

Sub NERONE *Ænobarto* Viro scelestissimo, qui vitricum iam dictum in Imperio anno Domini LVII. adoptione insecutus tredecim annis est, deque *Germanis* suo more Romæ, quintum clauso *Jano*, *gemino*, triumphavit, ac tandem hostis a Senatu judicatus, seipsum tricesimo secundo ætatis anno, in suburbano liberti sui occidit.

Ao. 57.

Vitellii gesta.

Item & sub *Aulo* VITELLIO, qui apud inferiorem *Germaniam*, militari factione, ex legato Cæsar contra *Galbam* & *Ottonem*, anno salutis LXX. Januario mense dictus est, cum gurges voracissimus foret, post octavum mensem Romæ ad *Gemonias* scalas excarnificatus, inque *Tiberim* dejectus, communi sepultura caruit Imperatoribus, *Portius*

Ao. 70.

Septi-

Septimius Rhetiæ utriusque legatus, & procurator incorruptissimus fuit. Cui si nihil aliud, certe legiones hac in Italiam, & ex ea rursus in inferiorem *Germaniam*, subinde migrantes, non parvas molestias, negotiaque facessisse nemo ambigat. Quo tempore *Velleda* sive *Velthaida* virgo Fatidica & *Aurinia*, sive *Albruna*, per omnem Germaniam numinis instar hominibus admirationi fuit.

Vespasiani gesta. Flavii VESPASIANI autem clementissimi Principis tempore, qui Itali *Germanorum* alii habent *Suevorum* regis auxilio, *Vitellium* æmulum devicit, & ex legato consulari in *Judæa* ubi *Hierosolymam* dira clade expugnavit Imperator factus, decimo regni, vitæ vero sexagesimo nono anno Reatæ, apud *Sabinos*, alui profluvio, stans, XXIIII. die Junii mortuus, inter divos relatus est. Habuit civitas hæc nostra, *Sextilio Felice* Rheticæ provinciæ legato, *Sevastum*, & post eum *T. Varium Clementem* præsides, sub quibus satis pacifica fuit, quod *Germani* alii fœdus cum Romanis iniissent, præsertim præfatus *Italis* Sueviæ Rex Cæsarum amicus foret.

Domitiani gesta. Sub DOMITIANO vero, *Muscario* agnominato, qui post *Titum* fratrem, delitias humani generis, anno Christi LXXXII, Cæsar factus, & post quindecim annos cunctis invisus redditus, amicorum conspiratione, in palatio, ætatis XLV. anno, Septembris die XVIII, contrucidatus cum ignominia fuit, cum *Germani* ob illius avaritiam solitis fraudarentur stipendiis, mox *Suevi* transito *Danubio*, igne & ferro regiones hasce, quibus *Sosius* præfectus erat, misere vastarunt, dilacerarunteque, licet Catti a dicto Cæsare triumphati sint: brevi tamen iterum ab *Ulpio* TRAJANO *Crinito* dicto, decimo quarto, & *Hispano* natione Imperatore, qui a *Coccejo Nerua*, primo exterorum, nempe *Narnienſe*, apud Romam Cæsare a Senatu creato, in filium successoremque, dum jam *Germaniæ* præesset, adoptatus, XIX. annos faustissime imperavit, ac *Selinunte* in Cilicia, vel, ut alii volunt, apud *Seleuciam Isauriæ*, aqua inter cutem, sexagesimo tertio ætatis suæ anno obiit, ac inter divos relatus est non exili labore, plurimis vero muneribus ad pacem denuo illecti, *Rhetiam* hanc, cujus legatus tum erat *Claudius Restitutus*, tam securam reddidere finitimi, ut *Drusomagus* ista, evidentissimo sui incremento, tum cristas attollere cæperit, tum læta tranquillitatis commoda, hinc in decimum usque lustrum, & eo amplius senserit. Cum primis vero superior nostra *Germania*, tunc paci studebat, quod jam dictus Imperator, victo *Dekunuolo* seu *Decebalo*, nummosissimo *Gottorum*, qui & *Getæ* Græcis dicebantur, rege, primus Romanorum *Daciam*, regionem amplissimam trans *Danubium*, in solo barbario provinciam fecisset.

Trajani gesta.

Hadriani gesta. Dein sub P. ÆLIO HADRIANO, qui itidem a prædicto *Traiano* consobrino suo, imo hoc jam mortuo per *Attianum* procuratorem ejus, factione *Plotinæ* adoptatus Cæsar extitit, ac provincias Romanorum, in certas dioeceses primum subdivisit, *Germaniamque* rel aurans, tum mitiorem, tum civiliorem reddidit: nec non proprium in ea regem, quietis gratia restituit, denique XXI. Imperii anno, hydrope ad *Bayas*, orbus & pacifice medicorum turba periit. Item & sub *Boionio* ANTONINO, qui quod solus prope ex omnibus principibus, sine civili hostilique sanguine vixerit, PIUS a Senatu est dictus, ac XXIII. Imperii, vitæ vero LXXVII. anno, apud *Lorios*, febre decessit, Romanorum Imperatoribus, memorata nostra *Drusomagus* sic innotescere cœpit, ut *Cornelius Tacitus*, cui in historiis plurima fides adhiberi solet, *eam* haud immerito *Rheticæ splendidissimam Coloniam per ea tempora* dicere non addubitet, *in qua etiam Romanis penitus sine custode, commercia cum barbaris agere, ac pro libitu ad Germanos transire licitum fuerit.*

Antonini gesta.

Fuere tunc provinciæ hujus legati L. *Cejonius*, qui postmodum anno Domini CLXII. Imperator factus, ÆLIUS VERUS dici voluit; *Annius* item *Verus*, qui AURELIUS, quum Cæsar esset, cognominatus fuit: *Italicusque* vir consularis: Et post hos, *Aufidius Cassius*, homo justus & imperterritus, Ao. 162.

Quorum clementia prosperitateque, quis cives nostros, etiam Deos cum sacris illorum, innata hominibus curiositate recepisse dubitabit? Nam præter alia idola, MERCURIUS quem adorantes *Germani*, sua lingua *Godan*, id est, *Deum bonum* dixerunt, Cereviſiamque illi in capacissimo vase immolare consueverunt adeo addicta hic sibi templa habuit, ut ipsum posterorum inscriptiones nonnullæ, hodieque in procinctu extantes ceu propriissimo epitheto *Augustanum* cognominent. *Godan Deus Augustanus.*

Sylvanum item, finium tutorem, ara publica, lacte piarunt, & in foro, quo postea *S. Martino* ædicula fuit consecrata, ubi quoque etiamnum lac & lacticinia venalia indies prostant. *Dii alii.*

Ita & *Pluto* cum *Proserpina*, ædem hic meruere habere suam. Inveniuntur etiam *Apollini Cranio* & *Marti*, dedicati lapides & similia.

Quam primum autem EVANGELIUM, de filio Dei domino nostro JEsu Christo, *Lucio Cyrenæo*, qui Divi *Pauli* cognatus ac *Timothei* discipulus fuit vel altero quopiam posteriore *Lucio*; Nam *Lucius* Britanniæ ille rex, quem circiter annum domini CXC. *Rhetiarum* Apostoli multi, præcipue vero Curienses nugantur, patrium solum regnumque nusquam reliquit, sed ut cuncti ejus terræ annales testantur, pie apud suos obdormivit, annunciante, non ita diu post duodecim Apostolorum salvatoris hominum tempora, per hanc quoque provinciam increbrescere divino nutu occepit. Illico & *Drusomagi* sibi auditores prædestinatos acquisivit, inter quos *Campestrius* prætor extitisse fertur. Cujus zelo christiana religio, solito more, magis sub crucis offendiculo, clam, quam plausibili prædicatione palam, inter cives disseminari, ampliusque propagari, inde adeo usque ad *Diocletiani* tempestatem non defuit. *Apostolus Augustan.* Ao. 190.

Antoninorum gesta.

Porro sub M. & L. ANTONINIS VERIS, Divis fratribus, natione *Gallis*, Romanorum Imperatoribus, qui omnium primi orbem regnare bini cæperunt *Quintus*, *Cecilius*, *Ciciacus Septicius* præses, & prolegatus humanissimus in Urbe hac fuit. Quam dum omnino securus una cum provincia *Rhetica* administrat, subitam *Cottorum* irruptionem experitur. Quare circiter annum domini CLXXI. A. 171. *Ausidius Victorinus*, Cæsareus legatus, adducta primum in *Rhetiam* legione III. quæ & *Augusta* & *Italica*, non solum ab imminentibus hostibus provinciam eam strenue propugnavit, sed etiam dictæ legioni perpetuum quasi domicilium hic Imperatoris *Marci* concessione constituit: Ex qua re posteris ansa est præbita, ut civitas hæc dein, ad *Augustam* legionem potius, quam ad *Drusomagum* dici uulgo cæperit.

Cæterum ex prædictis Imperatoribus *Lucius*, dum in *Germaniam* adversus *Marcomannos* expeditionem cui *Claudius Galenus Pergamensis* medicus interfuit parat, XII. regni anno, apoplexia *Altini* obiit. *Marcus* vero frater ipsius, *philosophus*, *Verissimusque* denominatus, XIX. Imperii anno post devictos divina ope *Sauromatas*, *Dacos*, *Quados*, *Vandalos*, & *Svevos*, peste apud *Vindobonnam* in *Panoniis* decessit, interque Deos relatus omnibus certatim adnitentibus est.

Commodi & seqv. gesta.

Inde sub L. COMMODO M. Imperatoris filio, Cæsare incommodissimo qui XIII. Imperii anno Romæ concubinæ gratia a *Narcisso* adolescente stranculatus est *P. Helvius Pertinax*, natione *Ligur*, prætor hic, primæque legionis dux, civitatem hanc nostram, provinciamque ab *Garmanorum* quos nondum plane Romanorum Imperatores subierant incursationibus, armis iterum vendicare coactus fuit. Χρησόλογος hic multis trophæis, quæ contra Germanos erexerat, insignis, postea, sexagenario major, Imperator invitus factus, sexto mense in domo propria Romæ occisus est, ac *Fortunæ pila* cognomen habuit. Interea ac paulo post, Terra

Status Augustanus sub Juliano.

hæc cum *Drusomago*, a *Didio Salvio Juliano Mediolanense*, juris perito providentissimo, qui dein ex senatore Imperator factus, post sextum mensem a prætorianis apud pontem *Milvium* itidem Romæ occisus est & post eundem a *L. Septimio Severo Afro*, qui ad imperii apicem quoque apud *Carnuntum* in *Panonia* exercitus acclamatione, & mox Romæ senatus jussu ascendit, ac devicto *Nigro* in *Asia*, proditorieque interfecto *Albio* post XVII. annos *Eboraci* in Britannia podagra decessit, ac *divus* appellatus est, non infeliciter administrata, in officioque præclare est retenta. Demum cum transdanubiani *Germani*, *Rhetiam*, *Vindelicumque*, sua consuetudine de novo diripere aggrederentur, per *Ælium Bassianum*, fortiter defensa civitas hæc iterum extitit. Nam non procul hinc, magnæ latrocinantium copiæ, ductu ipsius *Bassiani*, circiter annum Christi CCVIII. quo A. 208. juxta quorundam nostratium annalium, computationem *Argentoratum* mœnibus circumdatum, & civitas primum effectum est cæsæ ac victæ sunt, non sine superstitiosa devovendi imprecatione. *Bassianus* vero jam dictus, cum primum Imperator post patrem *Septimium* dictus fuit, crudelis fratricida, & superbissimus, incestuosusque factus, CARACALLA cognominari meruit, ac post sextum annum prope *Edessam* in *Mesopotamia*, a militibus suis, ventrem forte exonerans, interemptus est.

sub Severo.

sub Ælio Bassiano.

Regio hæc dein *Julium Noricum*, ALEXANDRI *Syri* Romanorum Imperatoris legatum benignissimum, cum prælidio cohortis IIII. *Rhetorum* habuit, cui & *Vindolici*, qui postea *Lencienses* sunt dicti, ad caput lacus *Acronii*, quoque paruerunt. Ipsius autem *Alexander Augustus*, licet ἀναίμακτος regnasset, ac semper a *Germanis* pacem fœderaque potius emercari, quam bello periclitari contendisset, post quam *Heliogabalo* consobrino, ganeoni obscœnissimo, in latrina quarto regni anno cum matre *Symiassyra* necato summa pietate ac gravitate XIII. annis Romæ successisset, *Moguntiaci* tamen anno domini CCXXXVI. in vico *Scila*, *Siglin-* A. 236. *gave*, tumultu militari, cum *Julia Mammæa* matre, mense Octobri occisus est. Ejus scrinii magister, *Ulpianus* juris conditor fuit.

sub Alexandro Syro.

sub Maximino.

Cui Julius MAXIMINUS *Gottus*, homo vastissimus, voracissimus & ignobilis, nam opilio fuerat, primus ex corpore militari, citra senatus Rom. assensum, in imperio successit, eo quod bellum in *Germania*, incensis per quadraginta miliaria cis *Rhenum* vicis, qui certe tunc temporum non ex Lapidibus, nec coctilibus lateribus construi solebant non sine civium nostrorum metu prospere tyrannus crudelissimus gessisset, ac tertio anno a militibus, cum obsideret *Aquilegiam* successorum subornatione, apud *Aquilegiam* in tentorio, cum filio humanissimo occisus est.

sub Philippo.

Postea quando jam *M. Julius Philippus*, natione *Pannonius*, nempe *Vostrensis*, quem multi *Arabem* fuisse, primumque ex Romanis principibus, Christianam pietatem professum esse, ac *Veronæ*, quinto regni sui anni, a militibus *Decii* opera cæsum perhibent imperio post *Gordianos* potiretur, *Licinium Valerium* *sub Licinio* *Illyrium*, *Colobium* vocatum, procuratorem *Rhetiis* dedit. Qui anno domini CCLVI. alii A. 256. *duos* demunt hinc a procuratione, ad imperii Romani culmen, *Alpinorum* militum suffragiis, quæ senatus Romanus rata habuit, contra *Æmilianum Maurum* evectus est, ac assumpto VALERIANI nomine, dictoque Romæ *Galieno* filio Cæsare, mox *Fulvium Bojum*, in *Rhetiarum* protectione, successorem non instrenuum reliquit. Postea septimo imperii anno, senex venerandus a *Sapore*, *Persarum* rege bello captus, vilissimam, quoad vixit, servitutem pertulit. Et inde adeo triginta tyranni *Romanum* imperium per diversas provincias, non sine patriæ nostræ consternatione, totiusque Germaniæ moribus, invaserunt, dilaceraveruntque.

Post

Sub Aureliano Imp. Post quæ imperator L. *Domitius* AURELIANUS *Dacus*, deleto non procul *Benaco* lacu, ad *Placentiam*, *Marcomannorum*, *Francorum* & *Sucvorum* eorum, qui quod alpibus jam vicini habitarent, illis sese prædæ causa junxerant, terribili exercitu, prostratis item in *Illyrico Gottis*, non modo speciosissimum triumphum Romæ, de Germanis egit, primus Romanorum Imperatorum coronam auream gestavit verum insuper statim *Annium Tacitum Rhetiæ* nostræ procuratorem dedit.

Annus Tacitus Rhetiæ procurator. Ac cum admodum truculentus esset, post quintum imperii sui annum, insidiis *Maestei*, notarii sui, inter *Heracleam Bizantiumque* confossus est ferro, & inter divos relatus. Ipsus vero TACITVS, postquam provinciam istam cum civitate nostra, *Vindelicisque*, tam pacatam præ Alemannis, qui ex omni variarum *Germaniæ* gentium colluvie collecti circiter hoc ævum, novum hocce nomen primum, a cunctorum virilitate sibi assumpserant, ac Romanam servitutem ejicere pro viribus diu noctuque contendebant reliquisset, ut ne ulla terroris suspicio supereesset incolis, Cæsar a Senatu Romano creatus est, quem tamen VII. Imperii mense, ingratus miles in *Ponto*, alii volunt *Thasi* oppresit.

A. 282. *sub Valerio Probo.* Circiter annum autem Christi CCLXXXII. cum sub VALERIO PROBO *Pannonie* Imperatore, qui sublatis undique tyrannis, septimo imperii anno *Syrmii* in patria, per insidias militum, quos non amplius Reipublicæ necessarios esse dixerat, occisus est quique primus Vineas, quibus *Germani* adhuc carebant, *Pannonios* suos ac *Gallos* habere permisit *Bonosus Britto*, cui *Aurelianus* Imperator *Henilam* regalem virginem ex *Gottica* in *Thracia* gente, ut cuncta ab illis cognosceret, uxorem jam antea dederat *Rheticæ* provinciæ curator foret, civitas hæc nostra, haud pacatissima, citra tamen civium vota esse potuit: Quam primum enim *Franci* Romanorum provincias, duce *Clodio* in *Belgiis*, non levi terrore obruerent, caperentque, cepit illico ex ea occasione, *Bonosus* etiam suo malo superbire, ac concitatis vicinis *Alemannis*, jam antea exasperatis, ausus est hisce in terris, ad instar *Saturnini Floriani* & *Proculi*, sese pro imperatore, contra Romanam Monarchiam gerere. Verum profligatis brevi ad *Nicrum* fluvium hodie *Neccarum* indigitant conjuratis, abactaque ingendi præda, bibulus iste, laqueo sibimet vitam in *Germania* nostra finivit, & loco epitaphii viri fortis, vulgarem Sarcasmum, nempe non *hominem* sed *amphoram* pendere quod semper, quantum nemo hominum putasset promeruit. Ipsus vero *Probus* de ea victoria Romæ triumphavit, ac populo venationem amplissimam dedit, sicque & agro huic pauxillula tranquillitas, & successoribus major invidia relicta sunt. Postmodum cunctis iterum in ordinem haud levi animadversione reductis, sub *Decio* & *Ejulasio*, Christiani nominis crudelissimis osoribus, item sub *Galerio*, atque etiam sub *Caro Aquilino* alii *Cajo Aquilio*, ex *Calatinorum* stirpe progenito legunt præfectis, tum tota hæc regio pulchre adversum inimicos conservata, tum civitas ipsa liberaliter adaucta fertur.

Sub Diocletiano. Simili conditione & sub initia DIOCLETIANI *Jonii Dalmatæ*, qui *Caro Narbonensi*, anno CCLXXXIII. ad *Tigridem*, dum *Parthos* debellasset, fulmine prostrato, filiisque ejusdem, *Numeriano* videlicet in *Syria* fraude sui soceri cæso, ac *Carino* a se apud *Galliam* prælio victo, Romanorum imperator, ex præposito domesticorum est factus, *Galerius Maximianus Thrax*, *Armentarius* dictus, provinciam hanc adversus *Alemannos* tutandam desumpsit. A. 283.

Persecutio X. Cum autem sub jam dicto *Diocletiano* per totum orbem, Sathanæ livore, tam dira & exitialis in Christicolas persecutio, quæ a sævissimi *Neronis* crudelitate decima in Ecclesiis extitit, suscitaretur, non potuit non & pusillus grex Evangelii hic quoque angi, extremeque terreri, præsertim dum *Victor* apostolicæ fidei professor, his in terris interficeretur. Nam cum eo totum pietatis negocium una extingui ac e medio tolli putatum est. Sed ecce tibi, spiritus sanctus, qui suo semper afflatu prout vult, spirat, ecclesiamque sibi congregare ac fovere non desinit, brevi operarios fideles in messem domini denuo extrusit. Etenim *Narcissus* quispiam, sive *Hierosolymitanus*, sive *Gerundensis* præsul, utriusque enim opinionis autores satis oscitanter extant, credentes mox verbo divino hic corroborasse, *Dionysiumque Cretensem* alii *Cypri regulum* & *avunculum S. Affræ*, ut inferius in *Hainrichi II.* episcopi historia patebit, somniant primum episcopum neophytæ ecclesiæ apud *Augustam Augustana castra* constituisse narratur. Qui *Dionysius* brevi martyr fidei *Gaio* damnante, apud eandem civitatem cum sorore *Hilaria* igne effectus, quos aut quot in officio sibi successores habuerit, nusquam liquet: Quanquam sint, qui *Quirinum*, sive *Kyriacum*, imperatoris *Philippi* filium, qui Laureaci certe docuit ac *Fortunatum* atque post hunc *Philippum* quem piam, cum martyrii corona, episcopos *Augustanos* fuisse velint. Quod tamen potius ad *Augustam Vindelicorum* quam ad *Augustana* hæc *castra*, referendum crediderim. Fertur adhæc, *Crescentianum* ac *Leonidam*, aliosque nonnullos devotos homines, non procul hisce tempestatibus *Augustæ* sive ea *Rhetia*, sive *Vindelica* fuerit, nam adhuc sub judice lis est, a populo pertinaciuscule, in paganismo perstante, ob christianismi documenta supplicium cruentum pertulisse. *Dionysius Episcop.*

sub Fl. Constantio Illyrico. Porro quam primum GALERIUS, præfectus aliquando noster, anno domini CCXCI. pari potestate cum *Diocletiano* Cæsar foret dictus, confestim *Flavium Constantium Illyricum* χλῶρον appellatum, *Germaniæ* præfecit, qui cum a sævitia Imperatorum, suorum abhorreret, non modo Christianis hic pepercit, sed & *Rhetiæ* clementissimus patronus, tantumque non pater patriæ extitit. Ac demum circiter annum salutis CCCIII. Cæsar ab eodem A. 291. A. 303.

dem *Galerio* est lectus. *Diocletianus* autem cum sese ut Deum adorari præcepisset; post XIII. Imperii annos; sponte apud *Nicomediam* Asiæ se abdicavit, priuatusque dein nouem adhuc annis ciuiliter viuens, *Saloniæ* veneno extinctus; & inter divos a senatu relatus est. Inde adeo hæc nostra civitas, vix unquam vel rebellare Romanis potuit, vel novi quippiam impune moliri, nisi forsan *Severo Daco*, *Galerii Maximiani* nepote, per *Rhetias*, quarum *limitaneus rector* erat anno
A. 360. domini CCCVI. pro obtinendo contra *Maxentium Maximiniani Herculei* Cæsaris filium, imperio, tumultum excitante.

sub Constantino M. Sub imperio dein CONSTANTINI *Drepanensis* Vicus est promontorii ad propontidem. Asiæ multi *Britonem* faciunt, qui Romanorum Cæsar *Eboraci*, post *Constantium* patrem, *Eroci* sive *Croci Alemannorum* regis, juxta quorundam opinionem, auxilio, factus, *Magni* atq; *Maximi* cognomen meritissime adeptus est. Is postquam novam divisionem orbis adornasset, quam posteri, notitiam provinciarum tum orientis tum occidentis vocarunt, *Danubii* ripas mox solitarum regionum præsidiis, militeque liberavit, ac ambabus *Rhetiis*, primum limitaneum Ducem dedit: B Sub quo duo earundem provinciarum præsides, sicuti & ipse dux sub Vicario *Italiæ* fuere. Unde & terra & urbs hæc nostra satis florere potuerunt, præsertim quando jam *Svevi*, insultores perpetui Romanarum provinciarum, *Crispi*, nothi imperatoris filii, industria, trans *Istrum* victi, & in *Pannonias* tunc temporis translati quoque forent. Ita enim non immerito justitia & pax, sese magis atque magis osculatæ, tum Augustburgensis Reipublicæ statum, tum ecclesiasticum gregem solito feliciorem reddiderunt.

Cæterum postquam ab eo tempore prætoriana munia, per dictum imperatorem Germanis quoque committi cepissent, mox etiam in usum venit, ut pro gentili nostrorum fastu, magnifica elogia, officiis Romani addere didicerint, atque eo pacto, duces, præfecti, præsides, & comites, posthac *spectabiles*, *clarissimi* & *illustres* novis titulis dici cæperunt primum.

Duces Rhetiæ Augustburgo habitarunt. Constat autem liquido, spectabiles viros, duces Rhetiæ, per hocce sæculum, Romanorum stipendio, in *Augustanis castris*, quæ *Augstburgum* nostrum certo sunt, non solum habitasse, sed & secum ibidem *equites stablesianos seniores* hodie *stabulorum fratres* nuncupantur semper retinuisse, sicuti *minores Stablesianos* non procul hinc in *Febiana castra*. *Babenhusiæ* jam nomen habent *Ursariensiumque* militum stativa, ad *Guntiam* hodie *Gyntzburgum* dictum propter commeatus pabulique commoditatem, collocasse illos palam est. Extat ejus domicilii non obscurum fragmentum etiamnum hic in ea platea, quæ ALTA VIA vulgo vocatur, turris nempe antiquissima, quam *regis turrim* nominare solent, quamque diu Cæsarum loco præfecti civitatis incoluerunt, donec ea cum contiguis aliquot ædibus, comitibus in *Hohenlohe* in beneficium cesserit.

Denique postcaquam *Constantinus* Augustus exoptatissimus, imperii domicilium a *Constantinopolitani ac Iouiani Romani* Roma *Byzantium* transtulisset, eamque urbem regali dedicatione de sese *Constantinopolitani ac Iouiani Romani* dici, & mundi caput esse statuisset, ac præterea sacra Biblia per totum Romanum imperium spargi fecisset, XXXI. imperii sui anno, in *Ancyronę* suburbio *Nicomediense* ubi sub extremum vitæ, ab *Eusebio* episcopo baptisatus fertur, licet Romanistæ aliud tradant a ministris toxico sublatus est, ac inter A divos referri a senatu meruit tunc, sicuti post aliquod sæcula a pontificibus Romanis ter sanctus est pronuntiatus. Per tempestatem vero filiorum jam dicti Imperatoris *Constantini*, *sub filiis Constantini* CONSTANTINI junioris nimirum, Julii CONSTANTII, *Valerii* CONSTANTIS, & *Dalmatii AnnibalIiani*, ex fratre horum nepotis, Romanorum Cæsarum, *Magnentius* Cretus *Gallus*; post avum, comes ordinum *Augustanis*, adeoque *Rhetici* limitis, dux fuit. *Magnentius Rhetiæ Dux.* Is ubi in hac nostra prænominata urbe anno salutis CCCL. a militibus, quibus more gentis hujus, convivium a mane usque ad vesperam
A. 350. exhibuerat; Cæsar non modica largitione, & haud sine seditionis crimine, fuisset salutatus, quarto demum labente anno, imminentis exercitus potentia repressus, semetipsum in fuga *Lugduni* gladio confodit, *Constantioque* triumphandi ex Romano sanguine occasionem, non absque maximis terræ hujus turbis præbuit. Porro prænominatus Cæsar *Constantius* junior, licet *Gallias* & cunctas trans alpes provincias ex pacto obtinuisset, terras tamen hasce nostras cum *Vindelico*, contra minorem fratrem, latrociniis & incursionibus tantum non evertit, ac anno domini CCCXL prope
A. 340. *Aquilegiam*, seditione militum trucidatus est. Constans vero *Italiam* cum *Illyrico*, *Græcia* & *Affrica* addictam habuit, annoque domini CCCL. *Magnentii* insidiis apud *Gallias* inter-
A. 350. fectus est. *Constantino* denique in imperii illa divisione, *Asia* ac *totus Oriens* parebat, qui tandem *Mopsocrenis*, ad *Tauri* montis radices, anno salutis CCCLXI. obiit.

A. 361. *Julianus Rhet. Dux.* *Magnentio* sublato, continuo in provinciæ nostræ gubernaculis, *Julianus Trax*, *Constantini Magni* ex fratre nepos, & ex *Helena* filia gener, non citra funesta arma lugubriter insecutus est. Statim enim ipsius ductu, non procul *Argentorato*, quidam *apud Concordiam*, alii *apud tres tabernas* volunt *Notmairus* obesissimus, *Westerwalderus*, *Vrus Aigenrychus* & *Hertherus*, quos Latini ejus sæculi depravate *Chunodomarium*, *Vestralpum*, *Vrsicinum*, *Agenaricum*, *Serapionemque* & *Hortarium* vocant, *Germaniæ*, *Allemanniæ* & *Suevorum* reges, sub jugum missi cruente sunt. Quin & nostrates *Svevi*, dum Romani in retinendis *Galliis* extreme contra *Francos* laborarent, superato iterum *Danubio*, *Noricum*, *Vindelicum*, ipsasque adeo *Rhetias* confidenter incursare, ferroque ac flamma subinde depopulari perrexerunt. Qua calamitate cives

Augusta-

Augustanorum castrorum, non parum exagitatos, reipublicæque illorum faciem tristissimam fuisse, etiam vel cæco apparet. In gravissimis itaque hisce & *Allemannorum* & *Bojorum tyrans Danubianorum* devastationibus, missi in *Rheticam* provinciam fuere *Sylvanus Gallus*, qui anno domini CCCLV. imperium viginti novem dierum apud *Germaniam* inferiorem assumpserat pedestrium legionum præfectus. Et post illum *Barbalio* forte *Arbetio*, qui sæpius contra *Alemannos* pugnavit, ac circiter annum Domini CCCLIII ab eisdem ad *Lacum Brigantinum* fortiter pulsus est equitum magister. *Avitus* etiam vir consularis qui *Vithungos* & *Noricos*, anno Christi CCCLIX bello vicit & *Flavius Heuitta* qui paulo post Romæ consul cum *Mamertino* est creatus post tot tumultus, prælides ac præpositi hic sibi, haud citra negocium ordine successerunt. Sunt autem *Allemanni*, ut ne quid præteream, *præcipua pars Suevorum, qui exactis temporibus omnem eum Alpestrem occuparunt tractum, quem hodie Curiensis, Sedunensis, Constantiensis ac Basiliensis episcopatus, ultra Rhenum comprehendunt*. Cæterum præmemoratus JVLIANVS homo literatissimus & dolosus, circiter annum Christi CCCLXI, consensu militum Imperator factus, Christianæ religioni, summo in ea perseverantium periculo, renunciavit, *apostataque loquax talpa* dictus, tandem apud *Ctesiphontem* in *Persida*, Gallilæum blasphemans, incerto jaculo necidatus, & inter divos relatus est a suis.

Sequente ævo sub JOVINIANO *Pannone*, & VALENTINIANO *Cibalense*, Romanorum imperatoribus Christianis, quorum benevolus ille anno salutis CCCLXIIII. nidore calcis in *Didastane* oppido *Galatiæ*, ferus autem hic *Germanis*que charus princeps post XI. annos, sanguinis narium profusione apud *Bregetionem* in *Pannonia* hodie *Rabam* vocant *Taurinumque* obiit. *Theodosius Hispanus* equitum magister, fluctuantem *Rhetiam* bello cum victoria compressit, ac redactis in *Valentiniani* Cæsaris potestatem, *Suomairo* & *Bodomairo Sueviæ* regibus e quibus *Suomairus* postea Romæ in *Cælio* monte Veterno obiit, alter vero in *Asiam* transportatus, *Phœnicem* rexit, ac pro Romanis acriter cum *Persis* pugnavit *Augustana* hæc *castra* integre servavit. Quanquam *Lentienses Daglaiphum*, qui anno gratiæ CCCLXIX. cum *Gratiano* Romæ consul fuit, provincia sua acriter armis propellerent donec subsequenti tempore, *Allemanni* de novo & post illos *Withungi Virtungive*, quos nunc *Wirtembergenses* esse putamus tum propter avaritiam *Valentiniani* Augusti, *Funarii* per scomma dicti, tum *Ursacii* officiorum magistri sordes, legatis enim *Allemanniæ* consueta munera vilius distribuere solebat. Cis *Danubianas* provincias misere invasissent, ambasque *Rhetias* aliquandiu penitus occupassent.

Ibi haud contemnendo labore, empto insuper *Francorum* auxilio, tandem a *Flavio* VALENTE qui statim a prænominato imperatore fratre suo Cæsar anno domino CCC. LXIIII. erat factus, citeriori Christi annum CCCLXXVII. terra hac recepta, ac depulsis cum rege suo *Macriano* hostibus, una cum suis civitatibus, inter quas & *Augustana castra* quoque fuisse creduntur, in tranquilliorem statum denuo collocata est. Cæterum memoratus *Valens* altero ab hoc anno a *Fritigerno* duce *Visgottorum* (*Westogottorum*) a se antea in *Thraciæ* partem ultro admissorum, prælio Romanæ reipublicæ exitialissimo victus, dum fugiendo sibi consulit, in tugurio quodam prope *Hadrianopolim*, vivus concrematus, quod *Arrianis* nimirum favisset, justo dei judicio periit.

Postquam vix altero elapso lustro sub *Gratiano Sirmiense*, Romanorum, post patruum & erudito & pio imperatore, *Augustanorum castrorum* cives, *Lentiensium* qui ad superiora lacus *Acronii* littora habitabant, & *Vindolici Strabonis* putantur, provocatione, defectionem meditati sunt, idque *Maximi Britonis* qui *Gallias* jam occupaverat, *Treverisque* sibi regiam constituerat, & postea anno CCCLXXXIII. præfatum *Gratianum Lugduni* per insidias & manum *Andragathii* classis præfecti extinxit metu, cujus emissarii regionem hanc circum circa ex improviso lacessebant, sed contrucidatis apud *Argentuariam Alsatiæ* oppidum, triginta, terrifice Harritum frementium *Allemannorum* millibus, cum rege eorundem *Vindicabio*, *Wittigabove Bodomairi* filio, regeque *Lentiensium Priario*, facile desertores ejus, *Majorianus* præses Cæsaris auxilio consopire, ac ferocientem hanc provinciam refrenare potuit. Id quod circiter annum domini CCCLXXX, factum constat. A morte autem *Gratiani*, cum affinis ejus THEODOSIUS *Magnus*, Princeps Christianissimus, Augusti munere mere jam fungeretur, non modo *Rhetiam* cum civitate hac nostra, sibi jam olim pernotam a bellis immunem quietamque fecit, verum etiam militaris disciplinæ restauratione, totum Romanorum imperium ex *Germania* in *Ægyptum* usque, quoad vivere illi contigit, pacavit. Obiit vero summo omnium desiderio *Mediolani*, mense Januario, salutis CCCXCV. anno. Quo tamen adhuc vivo, videlicet non multo post secundum Oecomenicum & generale illud concilium, quod Christiani *Constantinopoli*, pro spiritus sancti deitate, contra *Macedonium* celebrarant, non parum multi a *S. Ambrosio Insubriæ* Archiepiscopo, *Albanum* & *Theonestum*, ad tollendam e *Germania Galliisque Arrianæ* hæresis, Christi æternam divinitatem; patrique omnipotenti consubstantialem eundem esse negantis, labem, fuisse missos testantur nonnulli *Macedonia* pulsos & per *Pannonias* in *Rhetiam* perlatos volunt. Quorum comes, *Ursus* nomine, in ipso itinere, ab *idolatris*, alii *hæreticis* ajunt, *Augustanæ* civitatis incolis contrucidatus, inque puteum orientalis suburbii projectus sit. Quæ historia, ut profecto certis demonstrationibus plene asseri nequit, si non ad *Vindelicorum*

Sylvanus Rhet. dux. A. 355.

Barbasio Rhet. dux. A. 353.

Avitus & Fl. Heuitta Rhet. duces. A. 359.

sub Juliano. A. 361.

sub Joviniano & Valentiniano. A. 364.

sub Valente.

A. 364. A. 377. *sub Gratiano.* A. 383. A. 380. A. 395. *Macedoniorum hæresis.*

Ritus ecclesiastici.

rum Augustam, quæ a *Bojaris* postea eversa, ne vestigium quidem nostro tempore apud *Vindelicos* habet, referri libeat: ita nullis argumentis refutari quoque potest, nullam omnino illo sæculo Christianam philosophiam hic loci pullulasse, cum notorium sit prædictum S. *Ambrosium*, literas pietatis plenissimas ad *Fridegildam*, Rosemundi Suevorum per *Marcomanniam* & *Bojohemiam* regis uxorem, hocce ævo dedisse, ipsumque adeo *Hieronymum* Stridonien sem, *Germaniæ* presbyteris, *Davidicos* hymnos ad græcarum hæbrearumque linguarum veritatem translatos misisse. *Anastasium* item Romanorum archiepiscopum *Germanis* nostris vicinisque *Burgundis* persuasisse, ut *Evangelium* non amplius, ut hactenus consuessent, *seaendo* sed *stando* in cætibus audirent legerentque. Post ista tempora imperii Romani majestas, fatis ita volentibus, passim in angustias redigi, & non solum apud *Germanos Italosque Gottorum* armis, sed etiam apud *Gallias Francorum* victoriis, omnino conteri declinareque cæpit. Qua propter & ad *Lechum* nostrum incolæ pro nutu præfectorumque ingenio, rempublicam satis tumultuanter administrarunt.

Sub Arcadio & Honorio.

Præcipue autem sub ARCADIO & HONORIO patribus, *Theodosii* filiis, Romanorum jam imperatoribus placidissimis, ne dicam socordis ingenii quorum hic Romæ occidenti XV. annis, ille *Constantinopolis* Orienti XIII. annis præfuit. Quando *Balamberus Hunnorum* rex, subinde e *Norico Rhetias* incursando molestaret, prædasque tyrannice ageret, haut quaquam diœcesis hæc periculo vacare aut otiosa esse potuit. Quod malum magis ac magis insuper in patria hac adauctum fuisse, vero non est absimile, quum vicini *Suevi* hactenus Romanis tributo obnoxii, *Vindelicis* mixti, subornatione vaferrimi *Vandali Stiliconis* imperium filio suo *Eucherio* contra generum parantis *Germaniam* primam, retro ab actis *Francorum* copiis, circa annum domini CCCCVII. ad *Rhenum* depopulati sunt, nec non debellatis in *Heduis Burgundionibus*, *Sequanorum* regionem occupaverunt. Qua tempestate dum *Westogotti* ad concessas ab Imperatore pergerent *Gallias*, a *Stilicone* de improviso in perniciem Romani nominis, bello impediti sunt. Quare non immerito succensentes relicto instituto itinere, Romam quam citatissimo agmine contendunt, urbemque fortissime expugnant & capiunt, captam miserabiliter diripiunt, ac tandem direptam IX. Kalendas septembris, anno Christi CCCCXI. sub *Allrycho Baltheo* (*Alaricum* Itali appellant) rege illorum incendunt.

Stiliconis flagitia.

A. 407.

A. 411.

Inde adeo *Germani* undique libertatem quoque vendicantes, succesisve Romanos his terris, non tamen urbe hac ejecerunt, *Alemannique*, *Helvetiam* cum prima *Rhetia*, profligatis veteribus colonis, ad summas alpes, mere & mixte possidere; libereque incolere cœperunt. *Suevi* vero Inquilini, diu affectas in *Danubium* provincias non impigre receperunt, perpetimque inhabitare, & de novo sibi suisque asserere perrexerunt. Quemadmodum & *Franci*, *Sicambri*, *Belgio* jam potiti, circa *annum* salutis *CCCCXXI.* nonnulli *anno CCCCXVII.* volunt, primum regem sibi *Waremundum* nomine, *Galli* barbare *Faramundum*, exprimunt *Marckmiri* ducis præstantissimi filium XXIIII. aprilis die in *Gallia* quoque quam animosissime constituerunt. *Waremundus* hic novem annis regnavit, ac *legem Salicam* tulit, qua præcipue cavetur, ne regnum ulli mulieri, ut hæreditario, aut alio quocunque jure obveniat. Circa illam ætatem præsides *Rhetiæ* fuerunt, *Marcus Aurelius*, *Macrinus Anthemius*, & post hos *Triarius* quidam sub quibus cum omnia undique in pejus ruerent, Romanisque sua per *Europam* eriperentur, fieri non potest, quin & in civitate hac nostra varie quoque tumultuatum sit. Præsertim vero maxima perturbatione eam sursum ac deorsum fuisse jactatam, non ambigimus, primum quando *Ætius* Moesa Romanæ militiæ dux, superatis *Burgundionibus*, *Vittungorum* gentem in *Germania*, circiter annum salutis CCCCXXXVI. delere aggrediebatur, dein iterum, quando flagellum illud Dei *Attila*, *Manduci* filius, *Hunnorum* ferocissimus simul ac superbissimus rex, inita cum *Danubiani* limitis legatis pace, exercitu quingentorum millium militum, adversus Romanos quibus *Dietrychus Westogottorum*, *Gundrychus Burgundiorum*, & *Merovingus Francorum* reges suppetias ferebant ad meditullium Galliarum usque commilitantibus *Gibbylffo Suevorum*, *Hartrycho Gepidarum*, *Quadorumque* & *Waldmairo Ostrogottorum* regibus, profectionem apparatu trunculentissimo meditaretur, neque id frustra, nam postquam is non ex animi sententia rem gessisset nec prospere cum supradicto *Aetio* patricio quem tamen VALENTINIANUS III. Cæsar brevi post occidendum non sine talione ingratissime curavit in campo *Catalaunico*, alii *Mauriaco* dicunt, prope *Aurelium*, a meridie in multam usque noctem indesinenter dimicasset, quo prælio centum sexaginta millia hominum ceciderunt illico furore, ceu cestro insano percitus, in reditu suo, quicquid munitionum, oppidorum, castellorum ac urbium, inde adeo per universam fere superiorem *Germaniam*, *Helvetiam*, *Rhetias*, *ambas*, *Noricumque* in *Pannoniæ* suæ limites usque obviam habuit; tum crudelissime & flamma & ferro prostravit, tum plus quam barbarica strage conculcavit, penitusque demolitus est.

Waremundi gesta.

A. 421.

A. 417.

Attilæ gesta.

A. 436.

Agebatur forte tum Christi servatoris CCCCLV. annus, quo in publica ea civitatum calamitate, etiam *Augustana castra* hæc, funditus, MARTIANO *Illyrico* decrepito non iniquo imperatore, qui sexto regni sui anno conspiratione suorum *Constantinopoli* occubuit diruta post tristes favillas in rudera recidere, & deserta usque ad dicti *Attilæ* subitaneam

Augusta diruta refit.

A. 455.

neam mortem, quæ illi ferme centenario, *Sycambriæ*, a *Iburis Budæ* vocatæ, ex nimia hæmorragia in nuptiis cum *Hyldegunde* juvencula, *Horrychi Franciſci* Principis filia jure quod ſanguinarius extitiſſet accidit. Inde adeo cladis hujuſce ſuperſtites, e vicinarum alpium, ſive quod idem eſt, ex *Rheticorum* montium, *Algoicarumque* ſylvarum latebris trepide proreptantes, paulatim vires & animum recolligere antiquam patriam repetere, & eandem tanquam de novo in *Rhetia* prima non procul *Lechi* ripa exuſcitare, excolereque auſi ſunt, idque potiſſimum a Chriſti fidelibus factitatum cenſetur, qui eccleſiam qualicunque acceſſione hic loci reparantes, proximos quosque extorres, ad cohabitandum, ſua innocentia, ſolique opportunitate iterum invitarunt. Et ſicuti manſio iſta ab initio, tum elegantioris civitatis formam, tum omnem morum urbanitatem, Auguſtorum imperatorum armis debet, novumque nomen dubio procul a legionis III. *Italicæ*, quæ & *Fœlix* & *Auguſta* denominata fuit, continuis ſtativis vel certe annuis hybernis in gloriam Auguſtorum accepit, ut videlicet abrogata veteri *Druſomagi* appellatione, ad *Auguſtam* legionem ſive ad *Auguſtana caſtra* latino idiomate, vulgariter vero *Germanis* AUGSTBURGUM, deinceps haud difficili occaſione vocatum ſit. Ita de cætero religioni ſanctæ reſtaurationem, & quam nunc faciem gerit, acceptam ferre poſteritas merito quoque debet.

Druſomagi appellatione abrogata vocatur Auguſta.

Reſtauratio Auguſtburgi.

Poſt fœdam itaque *Attilæ* barbariem, quum ut relatum jam eſt, veteres inquilini, patriam ſuam *Auguſtam* videlicet noſtram a ditiore cis occidentalem *Lechi* fluminis ripam, loco, in *Rhetia* prima, ut dixi, pro viribus reficiunt, novisque ſubinde accedentibus colonis, undique adimplere ſatagunt, contigit, ut e *Rhetia ſecunda*, quæ proprie *Vindelicia* vocatur exules etiam non parum multi, præſertim vero ex *Auguſta Vindelicorum*, quæ urbs Romanis quoque familiariſſima, utpote in qua præpoſitum theſaurorum reſidere ſemper voluerint, longiusque hinc ultra *Lycum* verſus hyemalem ſolis exortum jacuit, niſi quis eandem eam cum hac noſtra fuiſſe omnino exiſtimare capitoſius pergat, ejecti, loci vicini amœnitate capti, potiſſimas ſui reliquias, huc una cum abolitæ ipſorum, nec unquam ſub *Boys Vindelicorum* paulo poſt contra Romanos mere occupantibus; refloreſcentis urbis antiquo epitheto traduxerint quaſi. Atque tali pacto civitas hæc denuo reſtaurata, & adiacens provincia ſub LEONE *Beſſicano*, qui primus *Græcanici* ſanguinis imperator extitit, primusque Cæſarum a patriarcha *Conſtantinopolitano Anatolio* unctus & coronatus fuit, ac XVII. annis regnavit. Item ſub LEONE *Iſaurico*, qui antea *Aricmeſus*, *Tharaſis*, *Codicusque* vocitabatur, & poſt decimum ſeptimum imperii annum, cum peſſimus tyrannus foret, animi dolore vitam *Conſtantinopoleos* finivit. Alii ab uxore *Ariadne* vivum ac temulentum in ſepulchrum fuiſſe incluſum, atque ita periiſſe ajunt,

Sub Leone Iſaurico aliisque.

Orientis imperatoribus. Imo & ſub *Olybrio*, *Glycerio*, Nepote, & *Momyllo* AUGUSTULO occidentis momentaneis Cæſaribus, aliquot annis reſpirans, animumque recipiens, *Burdonem*, *Matrinum*, *Pierium*, *Servatumque* gubernatores præſidesque tum clariſſimos tum vigilantiſſimos, ex *Italia* habuit. Porro licet hic Veterum monumenta plæraque ipſaque adeo Romana ædificia, partim *Attilano* perierint excidio, partim vetuſtate ſua ultro, ut nihil eſt ſub ſole perpetuum interierint, reperiuntur tamen adhuc epitaphia aliquot, viſunturque parietibus hinc inde infixæ lapideæ inſcriptiones, non ſolum præſtantiſſimorum, qui Romanis hic meruere, militum, verum etiam multorum aliorum nobilium hominum, quibus patria hæc noſtra hoſpitium non ingratum præbuit. Cumprimis autem extant etiamnum Julii Clementis legionis III. aquiliferi, *Apii Claudii Laterani* XV. viri ſacrorum faciendorum, & legati legionis ejusdem *Italicæ*, *Curionis* & *Decorati* ejusdem legionis alumnorum, *C. Managnii Juſti*, *Juliani Julii*, *Auli Sylvani* Veterani, *Vitalii Vigoris*, *Julii Macrini*, *Ælii Æliani*, *Julii Amandi*, *Adjutorii*, *C. Juliani*, Item quatuorum viralis, *Cleuphæ* Sextumviri *Auguſtalis* negociatorum artis purpuriæ, & nonnullorum aliorum *προυνηματισμον*, per quæ memorati noſtri, *Auguſtburgi* & vetuſtas & celebritas perſpicue colligi, emunctioriſque naſi lectori deprehendi poſſunt.

Veterum monimenta.

Sed ad propoſitum. Sub annum Domini CCCCLXI, factum eſt ingens bellum, ob finium jura, inter *Chuninundum Suevorum*, & *Waldmairum Gothorum* reges, apud *Pannoniam* ſuperiorem, ac *Waldmairo* occiſo *Suevi* imperium ſuum late propagarunt verſus Occidentem. Qua tempeſtate etiam *Hildricus Francorum* in *Gallia* IIII. Rex terræ illi nomen mutavit, ac *Galliam* in poſterum de ſuis *Franciam* dici curavit. Quando autem poſtea circiter annum redempti orbis CCCCLXXVI. *Udagrius* ſive *Ottackerus*, *Itali Odoacrem* vocitant, *Rugus Saxove* & imperatorio armigero *Ravennæ* rex *Herulorum*, *Scyrorum*, *Turcilingorumque* per ſeditionem eſſet factus, ac urbem Romanam mox ſtrenua manu invadens, ac per *Baſilium* prætorio præfectum ſuum Synodum Epiſcoporum in ea celebrans Italiam univerſam, cedente imperio *Auguſtulo*, XVI. annis potentiſſime gubernaret, occepit fatis urgentibus, Romanorum poteſtas undiquaque evidenter iterum minui. Suntque illorum præſidia, quibus *Auguſtana* hæc *caſtra* annis plus minus quingentis nunquam hactenus deſtituta fuerant, per totam etiam *Germaniam*, haud difficilibus ſtratagematibus exacta. Etenim ſimili conſilio *Gibbylffius Allemannorum* rex *Vindelici Noricique* tum terras tum oppida debellarat iam excideratque. Ac *Sydon* Suitonum rex, pulſis *Burgundionibus*, *Rheni* caput & *Helvetiam*, ubi *Schwyrzeri* vel hodie adhuc ab illis denominati habitant, vi & armis occuparat.

Ao. 461. *Bellum inter Suevorum & Gothorum Reges.*

Ao. 476. *Romanum imperium nutare incipit.*

Suevi

Suevi Gothis, jungunturs.

Suevorum autem sive *Suaborum* potissima pars non parva enim illorum manus iam *Gottis* juncta *Lusitaniam* & *Callæciam*, conditis sui nominis regnis, apud *Hispaniam* edomarant relicta *Boiohemia* (*Silesia*) *Lusatiaque Venedis* quorum rex tunc erat *Zecho*, de cujus nomine *Bohemi* adhuc *Vandalica* sua lingua *Zechi* dicuntur, trajecto impune Danubio, in *Rhetiam* nostram de novo totis familiis irruerunt, & quicquid agri supra Lycum, occidentem versus, usque ad *Alpes Rhenumque* est, repulsis tum residuis *Romanis*, tum *Francis* paulatim occupare, nemineque repugnante penitus possidere cæperunt. Denique novo de sese cognomento, quo nimirum hodieque gaudet, SCHWABOLANDIAM, aut SUAVIAM, sub *Utrycho*, *Udalrychove* rege suo gloriosissimo clarissime indigitarunt. Ac cum ejusmodi successu animosiores indies redderentur, statim suis legibus, nostrates homines immunes vivere noluerunt, & ad nativam primævamque libertatem cuncta comparantes, insolentiores quoque erga finitimos tandem facti sunt. Quare cæperunt illico cum ipsis, sicuti & cum reliquis *Allemannis Boiisque* sævissimo pariter atque diutissimo marte *Franci*, qui post pulsum *Attilam* libertatis auspicium præclare sumentes, pares ferre neutiquam poterant, non modo de totius *Germaniæ* titulo; ut ne quid de perpetuis finium contentionibus dicam, sed etiam de *Galliarum* regno, totis nervis omnibusque viribus digladiari, dormitante ANASTASIO *Dicoro*, hæretico illo orientis imperatore, qui in divinitate *quaternitatem* potius quam *trinitatem* adorandam statuens, posteaquam *Francis* regnum in *Gallia* confirmasset, *Luitwichoque* illorum regi auream coronam ac codicillos de Romano consulatu misisset, XXVII. imperii sui, LXXXVIII. ætatis, Christi vero DXVIII. fulmine *Constantinopoli* VI. Iduum Julii ictus interiit.

Anastasii gesta.

Ao. 518.

Theodorici gesta.

Sub hanc tempestatem *Theodoricus Ostrogottorum* rex, vulgo *Dietrychus Beronensis* & *Strabus* dictus ex familia *Amalorum*, *Theodomiri*, (verius *Diethmairi*) filius, confecto apud *Ravennam* supra dicto *Ottackero* prælio, primus ex *Germanis* per sacram Augusti sanctionem, non modo *Italiæ*, sed & totius Occidentis Cæsar factus, adeoque a S. P. Q. R. consul fuit receptus. Is tumultuantibus ille inter sese *Suabis Francisque* per occasionem ad *Rhetiarum duces*, quos *Landgrafios* sua lingua illi vocabant, *Baldebrechtum Alpestri Rhetiæ* apud *Rancovillam* præsidentem, & *Friðbaldum* campestri *Rhetiæ*, adeoque territorio nostro præfectum, literas valde amicas dedit, quibus illos obnixe adhortatus est, ut officii memores se fortiter gentilibus & imminentibus barbaris, pro salute *Italiæ* opponant, inque Romanorum & sua familiaritate constanter persistant, eo quod patria illorum ab antiquo semper munimentum & claustrum adversus Germanorum furorem Italis fuerint.

Interim commisso apud *Tolbiacum* quod oppidum hodie *Zulpich* dicitur in *Ubiis* extremo & ferme internecino prælio integer, nec exiguus *Allemannorum* exercitus, una cum *Irmenrycho*, *Hermanaricum Itali* vocant, *Suaborum*, quos alias *Suevos* recte vocamus, & *Adelgerione Boiorum* regibus, a *Luitwicho comato*, vulgus *Lodoicum*, *Galli Clodovæum* incongrue dicunt, *Francorum* rege, natura ferocissimo juvene, anno dominico CCCC. XCIX. deletus & extinctus est.

Luitwichi gesta.

Ao. 499.

Fuit autem *Luitwichus* hic *Huldrychi Francorum* ethnici regis, ex *Basina Thuringiaca* desertrice filius, qui ut immanes prædictos hostes proclivius devinceret, in ipso procinctu, jamque classici canendi momento, se christianum futurum, idquod inter suos hactenus abominabile habebatur persancte vovit. Adeptusque victoriam *Luithuldæ* quam *Galli* sua lingua *Clothyldim* nominant *Burgundicæ* uxoris procuratione, a beato *Rhemigio*, *Rhemense* præsule, statim cum tribus procerum suorum millibus baptisatus est, & continuo hostes persequi, quam late nomen *Allemannorum* patet, non destitit, tantamque inter illos stragem fecit, ut continuo subjectis superiore *Germania* primaque *Rhetia*, universi tum *Allemanni* tum *Suevi* amissa ingenuitate, non solum jure bellico *Fiscalini*, hoc est, *adscriptitii servi*, *Francorum* regum sint facti. Verum super ab his regia potestate, novi ducis jugum, quo minus videlicet rebellarent unquam, beneficii loco suscipere, quam diu *Franci* rerum apud *Germanos* potiti sunt, compellerentur.

Quanquam autem a memorabili illa & *Suevis* perpetuo funesta pugna, statim potissima vicinæ *Rhetiæ* pars prædicto *Luitwicho*, qui ut solus regnare posset, mox etiam cunctos alios *Francorum* reges atque duces, ad *Rheni* fluenta, & in *Belgio*, per fas & nefas, partim insidiose, partim aperta crudelitate sustulit ceu victori parere devote cæperit. *Augstburgum* tamen nostrum usitata custodia munitum, *Severiano* sive *Severino* prætore in Romanorum fide permansit. Obquam rem & Suevi cladis superstites, postquam ad *Dietrychum* prænominatum *Ostrogottum*, *Ludwichi* generum, in *Italiam* usque confugissent, deprecatore eo tandem domum redire tuto permissi sunt.

Interea *Hildebrechtus* & *Lutherius Francorum* reges ob cædem *Luithmari* fratris totam *Burgundiam* anno gratiæ DXII. armis occupant, fugato in *Affricam* usque *Guitmairo* ultimo *Burgundiæ* rege. Dein & *Dietho* sive *Theodo* II. novus dux *Boiarorum*, quibus cum hactenus omnia ferme *Suevi* communia habere solebant, superata *Altmyla Danubioque* cum filiis *Hurrone* & *Hercule* non sine *Hunnorum*, *Avarorum*, & *Francorum* auxiliis, *Vindelicum* fugato *Remedio* præside occupavit, ac circiter annum Domini DXXI, veterem illam *Augustam Vindelicorum*, contrucidato in sua ecclesia *Marino* episcopo ibidem, funditus denuo solo æquavit, ac Romani nominis odio omnino evertit, quemadmodum & paulo antea *Cracco*, *Venedorum* dux, *Poloniam*, & postea *Ottovinus*

Ao. 512. *Hildebrechtus & Lutherius Francorum Reges.*

Ao. 521.

vinus *Langbardorum* rex, cui *Theſſalo Boiuſ-* num vocant, *Allemanniæ* & *Rhetiarum* duces,
confœderatus erat, *Pannonias* invaſerant. Tan- *Theiæ* ultimo *Oſtrogottorum* regi militantes,
Ao. 527. dem cum anno Domini DXXVII. *Juſtino Thra-* paſſim per *Italiam* felicibus victoriis, diris ta-
Dietbrechtus Germ. Rex I. *ci* avunculo *Flavius Anicius* JUSTINIANUS, men exſpoliationibus, contra *Narſetem Per-*
Bedirinenſis Illyricus, in imperio ſucceſſiſſet, *ſam*, imperatoris Romani eunuchum, potiren-
exploſo undique ex *Germania* Romano tum tur. Nec non *Juſtinianus* ſæpe nominatus
magiſtratu, tum nomine, *Dietbrechtus, Theo-* Cæſar, undique fatalibus bellis peſſundatus,
dobertum literatores latini appellant, *Francus*, *Francis Gallias Maſſiliam* usque, ubi, expulſis
ſuperioris *Luitwichi* ex *Dietrycho* notho filio, *Gottis*, & ſupra majorum conſuetudinem, au-
qui *Suaborum* & *Boiariorum* terras recens ream monetam primo ipſorum inſcriptione
aquiſitas, ſtrenue jam debellaverat, ac *Her-* cuderunt, libere inhabitandas conceſſiſſet:
menfridum Thuringiæ regem dolo, non ita conjectura minime vana aſſequi licet, mox il-
pridem quoque ſuſtulerat, nepos, *Mediomatricum*, A lum etiam quicquid juris adhuc in *Germaniæ*
ſeu quod idem erat, *Auſtraſiæ* rex, provinciis, & præcipue apud *Auguſtburgenſem*
Allemannorum gentem penitus per *Gottos* di- civitatem, totoque eo tractu habuerit, mere
miſſam in deditionem accepit, primusque ex & mixte *Francis* poſſidendum reſignaſſe, juxta
Francia progenie GERMANIÆ rex dici, ac proverbium illud: Φαύγκον φίλον ἔχε οὐγείτονα. Atque ita demum ea tempeſtate Ro-
noſtram *Sueviam* omnino ſibi una cum *Cotiis* mana tum officia tum arma hic penitus aboli-
Tridentinisque alpibus ſubdere occepit. ta & exploſa fuiſſe.

Res geſtæ Imp. Juſtini. Porro *Juſtinus* proxime jam nominatus, in Poſt obitum Dietbaldi hujus LUTHERUS, *Lutheri Galli Clotarium* perperam dicunt, *Sueſſionum geſta.*
adoleſcentia ſuum & boum cuſtos fuit, & ex rex, *Ludwichi Magni* filius, totius *Francorum*
ſatellite aulicorum ordinum dux, tandemque regni nempe *Germaniæ* & *Galliarum*, monar-
Imperator appellatus, *Hormiſdæ* Romanorum chiam partim hæreditario jure, partim vi &
pontifici plene conceſſit, ut *patriarcha* voca- fraude, ſolus ſibi circiter annum Domini
retur, quem titulum tamen *Nicena* prima Sy- B DLIX. comparavit, ac plene invaſit, adeo ut Ao. 559.
nodus dudum Romanis epiſcopis addiderat, & civitatem etiam hanc cum omni adjacente a-
inde a ſucceſſore ejusdem *Johanne I. Conſtan-* gro, ſive illum *Augſtgoviam*, ſive *Alpgæam*,
tinopoli coronatus, ac demum nono regni an- ſive etiam *Sueviam* indigitare malis, omnino
Imp. Juſtiniani. no mœrore & ſenio ibidem confectus eſt. *Ju-* ſubditam ſuoque dominatu ſubjectam habue-
ſtinianus vero XXXVIII. annis imperitans, rit, eamque ab eo inde tempore ceu peculium
Magni cognomen apud poſteros obtinuit, proprium cunctis ſuæ proſapiæ poſteris reli-
quod præter alia clariſſima facta, majorum la- querit: quam & ſub illorum tutela incremen-
tas leges abbreviarit, pandectasque juris civi- ta iterum, tam in religione chriſtiana, quam
lis promulgaverit. Magnificentiſſimum item politicis rebus luculenter acquiſiviſſe, nemo
ac reliqua mundi opera excellens, *S. Sophiæ* ſanus ambigere poteſt.
templum *Conſtantinopoli*, in quo nongenti ſa- Ne forte autem, Lector, exiſtimes, *Auguſt-* *Veteris*
cerdotes ſimul ſtipendia aliquando habue- *burgum* ſemper tam amplum ſpacioſumque, *Auguſtbur-*
runt, ædificari curavit: qui ad extremum ex- atque noſtro hoc tempore, ſub *Maximilia-* *gi limites.*
oculato citra culpam *Belliſario* duce fortiſſimo C *no II.* imperatore clementiſſimo, adparet, ex-
Conſtantinopoleos, idibus Decembris furens titiſſe: Noveris id poſt *Attilanum* excidium,
deceſſit. per *Francorum* regum ſecula, plurimisque
Ao. 538. Commemorata novitas, aut ſi mavis *Ger-* annis poſtea, longe arctiore circulo circum-
Dietbaldus Germ. Rex. *maniæ* illa reſtauratio, circa annum humanæ ſcriptum, ac hiſce ſolummodo terminis in-
ſalutis DXXXVIII. primum accidit, atque eo cluſum fuiſſe. Mœnia ſeptentrionalia a pri-
modo regnum inde ad *Dietbaldum*, quem maria civitatis porta, quam propterea *Burgen-*
exteri inepte *Theodovaldam* nuncupant, fi- *ſem* adpellabant, a tergo ædium Præpoſiti
lium *Dietbrechti* devolutum bonis avibus eſt. *Marioni*, usque ad *Ægidianum ſacellum*, uti
Is cum præter paternum regnum, ambas de- nunc quoque ruinoſa ſunt ſita, protendebantur. Inde in Ortum ad *clivum*, peculiariter
ſuper *Rhetias*, *Helvetiorumque* alpes poſſide- a *Muro* dictum, ubi altera porta patebat, re-
ret, ſimul etiam civitatem hanc obtinuit, quam flectebantur: A quo directe in Meridiem,
per *Locumtenentem* ſatis pacifice, quoad vixit, D usque ad eam angularem domum, quæ ab
gubernavit. Quo pacto tamen, qualive dedi- *hirundinibus* nomen ſortitur, ubi ad tertiam
tione in jus ipſius vel anteceſſorum ſuorum portam telonium exigebatur; vergebant:
ex Romanorum manibus devenerit, non eſt Illius per Suillum forum, eumque Vicum,
diſerte in annales relatum. Niſi quod poſt- qui *Vallis* nomen habet, verſus Occaſum ad
quam *Totilas*, qui & *Baduilla* dicitur, *Oſtro-* Epiſcopi hortum producebantur: Ultra quem
gottorum octavus in *Italia* rex, cujus rogatio- iterum, ceu per anfractum ad *Burgenſem* por-
ne *Pelagius* archiepiſcopus Romanus conſti- tam, ſicuti veteres muri cum fiſſis turribus
tutionem fecit, ut in ordinandis epiſcopis, non adhuc extant, fundata erant. In quorum
ſolum cleri & populi conſenſus, verum prin- area, ab antiquo arx Legatorum Romanen-
cipis quoque autoritas adeſſet, ſubjectis ſibi ſium, & dein regalium præfectorum, eo loco-
univerſis civitatibus, Romam anno Domini rum ſita fuit, ubi etiamnum hodie *Turris regia* nuncupata, in *alta* quam vocant *Strata*
Ao. 550. Chriſti DL. funditus diruiſſet: Ac non multo
poſt, jam dicti *Dietbaldi* regis conceſſione,
Luithardus & *Baltuinus* fratres, alii hos idio-
matis *Germanici* ignari *Leutharim* & *Bulti-*

conſpicitur: Juxta quam & cives *Auguſtburgenſes*, antequam adaucta civitate, Curiam ſuam ad *Perlacum*, ſive *Berlachejum* monticulum, ædificaſſet, Senatoriam domum habuerunt. Sed ad hiſtoriam revertamur.

Sigebrechti geſta. Obeunte itaque diem ſuum jam dicto *Luthero*, cum denuo *Francicum* regnum in tetrarchias per quatuor ipſius ſcinderetur filios, SIGEBRECHTO, *Sigwertové*, tertio nato illius filio, *Auſtraſiæ* regnum ſorte obvenit. Sub quo non ſolum *Rhetia* hæc noſtra, ſed etiam *Germaniæ* multo maxima portio contenta fuit.

Altero *Sigebrechti* hujus anno, nempe A
Ao. 564. DLXIIII. Chriſti anno, *Auguſtburgum* hoc cum
Fata iniqua Auguſtburgi. omni vicinia, non inſigni aliqua calamitate, non mediocri certe trepidatione afflictum eſſe cenſendum eſt, quando nimirum *Hunni* & *Avares* contra noſtrum regem immaniſſimo impetu primo *Thuringiam* invaderent, & dein *Vindelicum* in propinquo ſecundum devaſtarent. Similiter nec poſt triennium metu penitus liberum eſſe potuit, quando *Albuvinus Langbardorum*, qui & *Winuli*, undecimus rex, relicta *Pannonia*, *Italiam* cum omni ſuo populo, contra *Juſtini junioris*, *Pelagiana* labe infecti Cæſaris, qui deorum & hominum con- B temptor factus, XI. imperii anno *Conſtantinopoleos* dolore pedum amens eſt mortuus, primum Exarchum, *Longinum* nomine, *Narſetis* evocatione invaderet, invaſam ſuis diſtribuendo occuparet, occupatamque de ſuis *Longobardiam* cognominaret. Potiſſimum vero mæſtitia, ſi non triſti tumultu repletum extitiſſe *Auguſtburgum* verisimile eſt, dum *Hylffrychus Francorum* apud *Sueſſionem* rex, memoratum regem noſtrum *Sigebrechtum* fratrem ſuum, per totam Auſtraſiam, non ſolum diutino premeret bello, verum ſubmiſſis inſuper ſicariis, eundem *Lutetiæ Pariſiorum*, ubi C poſt 994. annos per *Carolum Maximilianum* regem ſimilis atrociorque laniena in Admiralio perpetrata eſt, anno dominicæ incarnatio-
Ao. 628. nis DCXXVIII. jugulari tandem doloſiſſime curaſſet. Quæ enim provincia, dominatore ſuo ab inteſtato ſaltem mortuo vacat?

Hildbrechti geſta. Huic cum paulo poſt HILDBRECHTUS ſive *Hylffwerthus*, qui alias inſcite *Childebertus* nominatur, filius impubis in *Auſtraſiæ Germaniæque* regno legitime ſucceſſiſſet, nemo non ſummam hiſce in terris expectabat tranquillitatem. Sed quemadmodum dici ſolet, *fortuna vitrea eſt, quæ cum nimis ſplendet, fa-* D *cillime frangitur*, ſic ſperatam pacem, *Saxones* a *Longobardis* circumventi, *Italia* hac ſecedentes, cuncta importune interturbant, conceptumque gaudium in luctum vertunt. Etenim dum antiquas ſedes illi repetunt, quas jam *Francorum* dono, Suevorum propago inhabitabat, non tam inſolenter per noſtram *Sueviam*, tanquam per medium hoſtilis ſoli iter faciunt, quam inimice ſe etiam, obvia quæque diripientes, gerunt. Correptis igitur ad ſua defenſanda licitis ſubito armis, ardentiſſimis velitationibus vaſtatores *Saxones* noſtri homines tum magna occidione ſupe-

rant, tum in territorio ſuo, nec tamen citra ſanguinem fortiſſime ejiciunt.

Dum iſta per *Germaniam* noſtram gerun- *Paganorum converſio* tur, ecce ſanctus *Columbanus Scoticus* Monachus, e *Galliis*, quo circiter annum ſalutis DLXVI. e Scotiacum *Euſtaſio* & *Agilo*, pri- Ao. 566 mum venerat, ob veritatem ejectus in *Rhetiam* hanc devenit, ubi Chriſtum paganis palam intrepideque *Francorum* patrocinio deprædicavit, reliquos autem fideles, hactenus nullis humanis traditionibus aſtrictos, Romaniſticæ eccleſiæ ritibus imbuere primo occepit, haud aliter atque *Rudbrechtus* Francus, *Wormatia* efugatus, *Boios* & *Noricos* in fide inſtituiſſe, tunc quoque, a *Juvavia* (quæ & *Hadriana* olim, nunc a præterfluente *Salzburgum* dicitur) donatus, fertur, circa annum gratiæ DCXII. Ao. 612.

Interea nihilominus & hoc mali acceſſit, *Reliqua Hildbrechti geſta.* quod male ſemper ſuſpicantibus utrinque incolis, raro admodum fida obedientia animique candor victis *Suevis*, erga arrogantiſſime dominantes *Francos*, aut vicisſim ſincerus amor *Francis* erga feroculos *Suevos* coaleſcere quiverit. Quapropter memoratus *Hildbrechtus* rex, *Landsfredum* multi *Luythfridum* nominant, *Sueviæ* & *Allemanniæ* ducem, quod cum *Garibaldo*, quem *Cariovaldam* & *Grinobaldum* ſemigermani literatores ſcribunt, quique ex *Dietlinda*, *Theodolinda* alias vocata, filia muliere devotiſſima, & *Gregorio* papæ literis notiſſima, *Antheri* Longbardorum regis gener erat, *Boiariæ* novo & intruſo rege, in ſe quoque conſpiraſſet, anno ſalutis DLXXXVII. Ao. 587. principatu pepulit, civitatemque *Auguſtburgenſem*, novo ex *Straßburgo* miſſo milite, in officio retinuit, ac ditionem *Huntzelino*, *Uſelinum* & *Uncilenum Galli* perperam vocant, alteri Vaſallo adminiſtrandam veteri jure contulit. Qui cum ſubmiſſe & integre cuncta gereret, amiceque ſuperiori pareret, pacem iterum civitati huic & *Lecho* attulit. Præſertim quando jam quoque *Theſſalonus*, poſt longum exilium, *Boiariæ* per dictum regem *Hildbrechtum* reſtitutus, non amplius *regio*, ſed *Ducali* titulo, uti poſt patrem eſſet juſſus. Qua tempeſtate *S. Hilarius*, quem vulgo *Largionem* appellant, *Neoburgi* ad *Danubium* epiſcopatum tenuit, ac parochiæ noſtræ piam etiam curam geſſit, adeo frequenter, ut multi ipſum quoque eccleſiæ noſtrati præfuiſſe ſentiant.

Porro interea *Caganus* ſeu *Cacanus Hunnorum* & *Avarum* rex, cui *Mauritius Cappadox Græcorum* poſt ſocerum Imperator, proprium ſuum exercitum, quod ſibi contumax foret, per Commentiolum ducem ad occiſionem perdidit, *Boios* anno Domini DXCVIII. Ao. 598. *Boii tormentum Caganum.* debellans, non parvum metum noſtris hominibus attulit.

Cæterum ſalutis humanæ DC. anno ſuceſſerunt præfato regi in *Auſtraſiæ* adminiſtratione, DIETBRECHTUS II. cui *Germania* adeoque & *Rhetia* noſtra mere obvene- *Dietbrechti II. & Dietrychi II. res geſtæ.* rant, & *Dietrychus* itidem II. cui *Burgundia* contigerat, filii, quorum ductu *S. Gallus*, ſupra-

Ao. 600.

dicti

dicti *Columbani* discipulus; ad lacum *Acronium* primo, ubi perampla abbatia, oppidumque etiamnum ab eo nomina & originem trahunt, ac dein per ambas has *Rhetias*, hoc est, *Sueviam* & *Boiariam*, magistri sui more ecclesias docere aggressus est. Verum cum heremita hybernicus foret, facile *Gregorii Magni* Romani tunc temporis pontificis superstitiosissimi autoritate, imo pietatis specie seductus, plebem, contra majorum institutiones, novis & Missæ & orationum ritibus aliisque recentibus Romani cleri cæremoniis onerare, Christianamque libertatem in hominum servitutem nescio qualem redigere amplius pergeret, pii A plerique coactis ad id nostratium sacerdotum conventibus, haud injuria illi hic æque ac in *Vindelico* restiterunt, & refragati ex officio sunt. Porro licet præmemoratus papa *Gregorius*, omnibus patriarchis, archiepiscopis, & præsulibus Oecomenici, hoc est, universalis episcopi, nomen serio Romæ inhibuerit; idque ipsissimum Antichristi characterem futurum clare præmonuerit, ac iccirco primus se servum servorum Dei in literis inscripserit, spectris tamen permotus, purgatorium animarum post hanc vitam ignem primus Christianorum poëtice adstruxit, sanctorumque B defunctorum invocationem anilibus miraculis confirmavit. Denique modum psalmodiarum & Letanias, traditionum item ceremoniarumque Ethnicarum multo maximam partem non sine bonorum autorum, antiquorumque monimentorum injuria, in ecclesiam Christi quam impiissime invexit.

Gregorii M. Pontif. facta.

Brunhyldis crimina.

Posteaquam autem *Brunia Hispana*, vulgo *Brunhyldis* dicta, Superioris *Sigebrechti* regis uxor, mulier procacissima crudelissimaque, utpote quæ decem extinxerit reges, & nihilominus ob fundata aliquot monasteria templaque monachis quibusdam *religiosa* putetur, miras inter nepotes propter spurios suos, C tum proditiones tum cædes subinde perpetrare non desisteret. Ac jam jamque etiam *Dietbrechtum* nostrum contra *Dietrychum* Burgundum fratrem ita inflammasset, ut ille bello pulsus, *Coloniæ Ubiorum* decollatus, omne quidem regnum alteri reliquerit. Hic vero talionem deinde, *Metis* veneno sublatus, non immerito acceperit. Quin item eadem vetula *Wernbero*, *Galli Germanismi* ignari *Garnerium* appellant palatii præfecto insidias nectens, usque adeo in cunctorum odia præcipitata est, ut tandem dignam scelerum suorum mercedem quoque receperit. Caudæ enim D indomitæ equæ alligata, *Lutheri II. Francorum* apud *Suessionenses* regis jussu membratim discerpta fertur.

Quatuor Europæ Reginæ.

Hocce ævo quatuor prudentissimæ astutissimæque Viragines & reginæ, simul in *Europa* floruerunt, ac tantum non imperitarunt, nempe *Edelburga Saxonica* apud *Anglos*, *Dietlinda Boiariæ* apud *Longbardos*, *Brunhyldis Westogottica* apud *Burgundos* & *Germaniam*, item *Fridegundis* apud *Galliam*.

Huntzelinus Sueviæ dux.

In his tam tragicis turbis, *Huntzelinus Sueviæ* nostræ dux, *Prothadium Italum*, *Burgundiacæ domus Majorem*, præfatæque *Bruniæ* amasium, in ipso regis papilione, justo dolore occidit, atque iccirco ejusdem anus mandato uno pede mutilatus ac toto ducatu privatus est. Cui *Cambolinus* succedens *Aventicum* cum *Burgundia* ultra *Ibiram* montem debellavit, ac provinciam hanc nostram cum *Herpino* fratre, peccatissime diu administravit.

Cambolinus Sueviæ dux.

Anno dein humanæ redemptionis DCXVIII, quum LUTHERUS II. *Hilfirychi* regis ex *Fridegunda* viricida concubina filius, omnia *Francorum* regna, nempe *Germaniam*, *Galliasque* tam belli quam hæreditario jure sub unum deA nuo sceptrum redegisset, protinus *Augstburgi* universi cleri & populi christiani communibus suffragiis, SOZIMUS quidam, qui & *Dionysius* quoque quorundam opinione vocabatur, verus Ecclesiæ pastor, antistesque primus est electus, & nulla Romanensis potificis, quem paulo ante hos annos *Phocas* Græcanicus, imperator somniculosus & parricida avarissimus in universalem papam, cujus sedes caput sit omnium ecclesiarum, haud citra mysterium iniquitatis extulit primum, vel gratia vel confirmatione, sed sola *Francici* regis concessione inauguratus, decem & octo annis ecclesiam eam diligenter docuit.

Ao. 618. *Lutheri II. gesta.*

Sozimus Episcop. I.

Cæterum præfatus *Lutherus* II. Francorum rex, *Allemannis Suevisque* nostris *novas leges scriptaque instituta*, quæ etiamnum extant, contra incertas inveteratasque judiciorum illorum consvetudines, circiter annum domini DCXXVI. præsentibus triginta quatuor Ducibus, triginta duobus Episcopis, & septuaginta duobus Comitibus, CVII titulis, quam diserte dedit.

Lutheri II. novæ leges scriptæ.

Ao. 626.

Peccata tempora.

Haud ita post ista, per *Sueviam* tam alta ubique securitas, optataque quies insecutæ sunt, ut *Augstburgi* nostro, *Sigebrechto*, *Dietbrechti Austrasiæ* regis apud *Agrypinenses* capite plexi filio, *Allemanniæ*, *Helvetiæ*, ac *Rhetiarum* regulo protegente, tum omnium rerum ubertas beata publice affulserit, tum privata civium bona affatim profecerint, plurimumque inde increverint.

Mahumedis gesta.

Eo tempore *Mahumedes*, *Muhamadus Jitraripius Arabs*, *Abdalami* ex *Enima*, sive *Hebdallæ* ex *Jmina* filius, epilepticus, negociator, & necromanticus sceleratissimus, postquam *Sergii Nestoriani* monachi græci, *Babiræ Jacobitæ*, & *Abdallæ ben salem*, sive *Solami* judæi, hominum desperatissimorum, communi consultatione, *Alsurcam*, seu *Alkoranum* spurcissimæ suæ sectæ codicem, jam condidisset, ac inter scenitas suos non modo magna superstitione, verum etiam irreparabili pernicie promulgasset, primus *Sarracenorum Ammiras* ac rex est factus, cui *Ebubebar* contra *Halyn* brevi succedens, templum *Salomonis Hierosolymis* ad ignominiam christianorum a fundamentis restauravit.

Inde DEGOBRECHTUS, *Dagobertum* chronici latine exprimunt, post *Lutherum* patrem, per *Austrasiæ* & germaniæ regnum successit, & quod S. *Dionysium* prope *Luteciam* Argentoratensemque episcopatum, cum *Weissenburgense*

Degobrechti Regis gesta.

genſi coronato monaſterio fundarit, *Magnus* cognominatus eſt, ac circiter annum domini
A. 634. DCXXXIIII. occiſo à ſe paulo pridem *Berchtoldo Saxonum* duce, *Sclauos Sorabos, Wendosque* prope Bojohemiæ ſaltus, *Theſſaloni* II. *Baiariæ* ducis ductu, bello quam animoſiſſime vicit, propter quæ plebs *Augſtburgi* animo ſuſpenſa, vicinorum armorum ſtrepitus, diu Martis furorem extimuit.

Berwelphus Epiſcop. II. Per quam tempeſtatem, nihilominus tamen *Berwelphus* ſive *Wervolphus Svevus*, ſecundus *Augſtburgenſis* epiſcopus, ſupra memorati *Degobrechti* regis auſpicio ordinatus, ſexennio Chriſtum hic pro data ſibi gratia docuit.

Ao. 642. *Dagobertus Epiſcop. III.* Quo mortuo *Dagobertus* quiſpiam, anno ſalutis DCXLII. paſtoralem ferulam, tertio loco apud nos à clero & populo rite conſecutus, piorum eleemoſynis decem & ſex annis ad eccleſiam S. *Affræ*, extra veterem civitatem, hocce ævo primum conſtructam, Evangelium annunciavit. Alii ipſum in fano eo, quod S. *Hilariæ* domus fuerat, & diu poſtea divo *Martino* dedicatum, itidem extra urbis *Augſtburgenſis* muros ſitum erat, reſediſſe docuiſſeque adſerunt. Fuit item his ipſis diebus & *Neuburgi Danubiani*, ſi non, quod ſuſpicor, unus & idem eſt homonymus præſul Chriſtianorum. Lapſis autem diebus rexerat *Svevi-am* cum provincia hacce noſtra, *Cuntzus*, quem *Gonzonem* improprie vocant, qui regiam ſuam *Iburingæ* ad *Acronium* lacum habuit, cui *Ottavinus* ſucceſſit poſtea. Ipſius vero *Degobrechtus* jam dictus rex noſter, licet mulieroſus fuerit, ita tamen bellicis inclaruit artibus, ut *Heraclius Conſtantinopolitanus* Cæſar, qui hæreticus factus XXX. imperii anno tentigine & aqua inter cutem periit amicitiam ipſius expetiverit, miſſisque legatis ipſum moverit, ne judæos, cottidie chriſtum blaſphemantes, per terras ſuas toleraret, ſed ad baptiſmi regenerationem compelleret. Cæterum idem *Degobrechtus*, *palatii præfectum*, ſeu quod idem eſt. *Majorem domus* habuit *Pipinum* ſeniorem ab *Heriſtell* & *Brevem* agnominatum, ducem *Brabantiæ*, heroem integerrimum, ſtrenuum & prudentem, qui pater fuit *Beggæ* uxoris *Ansgyſi*, Marchionis *Antorffenſis*, ac *S. Gertrudis* moribus infenſiſſimæ monialis *Novigellenſis*.

Cuntzius et Ottovinus Suev. duces.

Degobrechtus Rex bellicoſus.

Sigebrechti II. geſta. Anno dein ſalutis DCXLV. SIGEBRECHTVS II. patri in regno *Auſtraſiæ* ſeu *Oſtrofranciæ* ſucceſſit, cui etiam *Sueviæ* ac *Baiariorum* reguli parebant. Is ſeptimo regni ſui anno, cum nullam iam ſperaret ſobolem, præterito fratre *Ludwicho*, *Gallorum* ſive *Weſtofranciæ* rege, *Hildebrechtum Grunwaldi*, *Grimoaldum Galli* barbare appellant, poſt patrem *Pipinum Majoris domus* filium adoptavit, ac duodecim monaſteria *Benedictini* inſtituti, quod vitæ genus ante centum viginti annos *Benedictus Nurſinus*, omnium primus inter chriſtianos occeperat, *Remacli Traiectenſis* epiſcopi ſuggeſtione conſtrui fecit. Verum nato ſibi poſtea ex *Fridburga Cuntzi Suevorum* ducis filia, *Degobrechto* legitimo hærede, priorem inſtitutionem de facto caſſavit. *Grunwaldus* vero eo obeunte, ambitioſiſſime in ſententia perſiſtit immobilis, ac verum regis filium, qua potuit potentia ſuppreſſit; ac ſuum regnicolis obtrudere inſolentiſſime perrexit. Qua protervia totum regnum tantis involuit diſcordiis, ut ſubditi hinc inde etiam per ſuperiorem *Germaniam* arma haud injuria corripientes, ſeſe LVDWICHO II. præ-nominato regi dedere non ſint gravati. Qui ſumpto dicto citius de *Grunwaldi* perfidia ſupplicio, armata manu de novo *Francorum* monarcha, tam in *Germania* quam *Gallia*, anno ſalutis DCLVI factus eſt, atque *Huldrychum* filium, *Erchenwaldi* Majoris domus conſilio & opera, *Auſtraſiæ* præfecit; cum jam nepos ex fratre *Degobrechtus* attonſus in *Scotia* monachum ageret.

Ludwici II. geſta.

Ao. 656.

His ſic *Pariſiis* geſtis, poſt biennium *Manno* Sambucam, *Augſtburgenſem*, totius eccleſiæ electione, quarto loco nactus eſt, quam admodum quiete undeviginti annis tenuiſſe narratur. Religioſus hic primus diœceſi ſuæ fundos agroſque tanquam patrimonium, certius quam hactenus conſuetum fuiſſet, ſub *Francicorum* regum tutela aſſignare cepit, ſuitque natione *Alemannus*.

Ao. 658. *Mannus Epiſcop. IV.*

Cæterum ante dictus HULDRYCHUS exactis undecim annis, *Dietrychum* fratrem propter inertiam, *Eberwinique*, *Ebroinum Gallici* ſcriptores vocant, *Majoris domus* tyrannidem in monachum totondit, ac a gubernatione depoſuit, *Galliæque* regnum *Germanico* quam fauſtiſſime quoque conjunxit. Verum ſecunda cum abuteretur fortuna, ac *Wolfradi* ſeu *Wolfoaldi Majoris domus* incuria luxurioſius imperitaret, a *Bodilone Ripuario*, quem aliquando virgis turpiter cædi juſſerat, una cum *Blutbylde* gravida uxore interemptus in venatione eſt.

Huldrychi geſta.

Moxque prædictus *Dietrychus III.* frater, e *S. Dionyſii Pariſienſis* monaſterio evocatus, annodomini DCLXXIX. ſecundario in *Gallicum* regnum reſtitutus, & *Landoſillus* prætorio præfectus eſt, qui *Erchenwaldi* filius, alias *Lendeſius Gallicis* ſcriptoribus dicitur, poſt biennium miſere quoque a ſupra dicto *Eberwino* occiditur. Nam propterea *Eberwinus Luxonienſem*, hodie *Plumers* a *thermis plumbeis* vocatur, cucullum reliquerat, ac totum *Francorum* regnum per *Gallias*, tantis nobilium ſeditionibus, adeoque populi ſceleribus opplevit, ut dictu horrendum ſit.

Dietrychi III. geſta.

A. 679.

Circa quam tempeſtatem *Leo II.* Romanenſium papa, quo magis alias ſubjugaret eccleſias, ſtatuit omnibus archiepiſcopis *pallium de corpore S. Petri* ex urbe mittendum, quod licet tunc gratis elargiretur, permagno tamen hodie redimendum laneum illud redimiculum venit.

Leo II. diſtribuit pallium.

Conſtantinus item *Pogonatus Conſtantinopolitanus* imperator, qui XVII. imperii ſui anno domi e palatio præcipitatus anxie occubuit, mox etiam *Benedicto II.* pontifici maximo, privilegium primus, dedit, ut quem clerus & populus deinceps Romæ, quam urbem pater ejus *Conſtans II.* ante triginta annos ſpo-

Conſtantini Pogonatis geſta.

Ao. 683.

liaverat

liaverat, *papam* dicerent, *is verus Petri successor, Christique vicarius* haberetur, *non petita vel Cæsarum* vel *Exarchorum autoritate & ratificatione* quorum tamen hactenus papa confirmare intereat.

Per supra enarratas *Gallicarum* rerum turbas, tota nostra natio, ipsaque adeo civitas *Augstburgensis*, non modicas præfectorum, & Vicinorum, quorundam injurias, tam in prophanis quam ecclesiasticis negociis ægerrime tulit, conturbataque diu extitit, quoad ac cito e *Brabantia Pipino Ansegysi & Beggæ* filio, reipublicæ *Francia* onus omnium votis impositum sit.

Pipini gesta, Ao. 687.

Ad annum igitur Christi DCLXXXVII. dictus *Pipinus* cognomine *Parvus*, sub *magistri equitum*, hoc est, *Majoris domus* titulo, *Germanis*, ac toti regno *Austrasiano*, contra *Gallorum* voluntatem dominari cæpit. Quo anno item sub *Martino Sueviæ* nostræ duce, qui *Rumelio* successerat, & postea ab impio *Eberwino* cæsus est, postquam *Augstburgensis* ecclesia aliquantisper pastore orba fuisset. *S. Magnus* Scoticus monachus, qui jam pridem *Wicho Episcop. V.* *Abusiaci* sibi ad *Rheticarum* alpium fauces oratorium ac cellam, quæ posterius in opulentum monasterium excreverunt, *Fussensique* oppido occasionem præbuerunt, non sine devotionis opinione extruxerat, opera & præsentia sua efficit, ut *Wicho* tandem quintus episcopus hic cleri & populi votis eligeretur. Qui inde incolarum nonnullorum & propinquorum procerum liberalitate de novo ad ædem *S. Hilariæ*, matris scilicet S. *Affræ*, XVIII. annos sedit, multaque contra idololatras incantatoresque gessit.

Reliqua Pipini gesta.

Pipinus vero favente sic *Rhamnusia* tum hostes omnes superavit, tum sacris addictus multa apud nos & hinc inde offertoria contulit ecclesiis. Degenerantibus denique fato quodam *Merovingis* regibus, totius *Francorum* regni habenas summa industria arripere non est cunctatus, adeo ut præter jam memoratum *Dietrychum*, bello intestino captum ac incolumen dimissum, *Ludwichum III.* quoque, nec non *Hildbrechtum* III. filios *Dietrychi* pro innata clementia reges inauguraverit. Qua novitate dubio procul & in hac regione, motus neutiquam leves exortos conjectamus. Præsertim cum *Gottfridus* dux *Sveviæ*, civitatisque hujus *patronus*, seu ut usitato vocabulo utar *advocatus*, *quod Eberwino* iniquissimo tyranno monente, cum rege *Dietrycho* sensisset, rebellasset que, armis ad obsequium reductus initio, brevi autem iterum repugnans, omnino patria ejectus expulsusque sit. Cui adhuc viventi confestim per *Pipinum* victorem, exclusis filiis, *Ernboldus* seu *Arnboldus* tum in ducatu Sueviæ, tum civitatis *Augstburgensis* advocatia substitutus est.

Gottfridus præfectus.

Arnboldus præfectus.

Justiniani II. gesta.

Quo anno etiam *Justinianus II.* sive *Minor*, *Græcorum* imperator, abscisis naribus in *Ponto*, *Leontii* successoris machinamento, relegatus extitit. Et licet post dennium, auxilio *Trebellii Trebellinive Bulgarorum* primi regis, fuerit restitutus, *Philippi Bardanis* tamen inlidus, cum filio *Tyberio Constantinopoleos* occisus est. Cæterum non multo ab hoc tempore, anno videlicet Christi DCXCVII. *Paulutius Anafestus* primus *Venetorum*, quorum urbs in rivo alto maris *Adriatici* ante CCXLIII. annos extrui primo cæperat, abrogata tribunorum potestate, dux in *Heraclia* a populo est declaratus.

Paulutius Anafestus Venetorum dux I. Ao. 697.

Brico Episcop. VI. Ao. 705.

Inundantibus autem magis ac magis apud christicolas humanis traditionibus, successit *Wichoni* anno dominico DCCV, in *Augustense* cathedra, *Brico*, sive *Perichus Periochiusve*, A Brigantinus comes, qui eam sexto loco XX. annis possidens, plus locupletiorem quam piam fieri sedulo studuisse videtur. Quanquam plurima certamina is tum, disputando tum docendo, cum *Arrianis* hæreticis hic habuisse dicatur. Circiter hanc tempestatem *Francorum* exercitu gravissimæ cædes in Suevos contra *Wilianum* quendam factæ sunt etiam. Atque hic iterum Fatorum pertinacia attendenda venit. Nam hoc sæculo intra decem annos, septem Cæsares *Constantinopoleos*, varia sorte fortunaque propter *Iconomachiam* & imperarunt & occubuerunt satis indigne. B Tandem post obitum *Pipini*, qui in annum Christi DCCXIIII. incidit, *Blutrudis* vidua ipsius, una cum *Dietbaldo* nepote, præter cæteras *Ostrofrancorum* provincias, *Allemannos* & *Suevos* nostros sub DEGOBRECHTO III. Austrasiæ rege ad nutum gubernavit. Ac *Carolum* privignum, quem pater testamento successorem in regni palatinatum constituerat, *Coloniæ* ad *Rhenum* arctissima custodia securitatis causa inclusit, unde invidiam sibi pernicioſam conflavit, terrisque his, damna non pauca dedit. *Carolus* tamen novercæ C vinculis, anno salutis DCCXVIII. divinitus liberatus, frequenti *Austrasiæ* & *Germaniæ* principum rogatione *supremum Palatinatum*, *prætoriive præfecturam* ad instar parentis accepit, contra *Regenfridum*, quidam *Rachfridum* scribunt, ac posthac ob bellicas virtutes tam suis quam exteris & *Martellus* & *Tutinus* agnominari meruit.

Blutrudis gesta. Ao. 714.

Ao. 718.

Zeiso Episcop. VII. Ao. 725.

Interea anno salutis DCCXXV. *Zeiso* sive *Rozilo*, septimus præsul *Augstburgi* nostri communibus incolarum suffragiis electus, ecclesiæ viginti uno annis præfuit. Hic primus, posteaquam hactenus antecessores ejus ad lignea m *S. Hilariæ* ædiculam, propter muros D civitatis hujus a meridie munia sua complessent, ex collecta vulgi stipe, Basilicam paulo splendidiorem eo loci intra dictam civitatem, concedente regis Vicario, inchoavit, quo olim Romani theatrum, aut certe Christum peramplumve porticum habuisse nostris antiquariis putatur. Ad hunc *Zeisonem Vinofridus* sive *Wunnefridus* nuncius Apostolicus, *Caroli Martelli* autoritate divertit, ac synodum ecclesiasticam pro primatu Romanæ sedis, ejusq; ritibus per *Germaniam* hanc confirmandis, celebrasse fertur, quanquam non desint, qui conventum eum sub *Bricone* habitam asserant. Porro *Wunnefridus* iste, ex Anglico monacho nonnulli *Rychardi* regis in Britannia, alii *Brin-*

Vinofridi gesta. Ao. 732.

næ uxoris hujus fratrem faciunt, primus Metropolitanus *Moguntiaci*, consilio *Gregorii* III. pontificis maximi, qui oblationes pro mortuis Christianis, non tamen impiis, fieri gentili sane more primus permisit, exspiranteque *Ravennatensis* exarchatus magistratu, autor fuit, ut tota *Italia* ab *Imperatore Græco* deseereret, exauctorato ob homicidium venationisque studium *Gebolybo Gervilove*; *Wormatiensium* ultimo archiepiscopo, qui *Gerboldi* antecessoris sui uxorati legitimus filius fuerat, magno nationis præjudicio est, ac *Bonifacius* dici occepit. Sub *Zeisonis* hujus episcopatu, non parva civium *Augstburgensium* pars, gentilibus ritibus adhuc æque ac tota *Suevia* nostra imbuta superstitiose pertinaciterque extitit. Et Romæ in synodo quadam contra *Græcos* & Orientales ecclesias statutum ac decretum, Christi & sanctorum imagines, tum habendas in templis, tum venerandas esse.

Caroligestai.

Sed ut redeam, unde digressus sum, fuit prædictus *Carolus* noster, *Pipini* ex *Alharda Colonienſe* concubina filius; qui ubi propter *Francicorum* regum cincinnata ocia degeneremque ignaviam, totius imperii ejus summam, tam per *Gallias*, quam per *Germaniam*, aperto Marte, non citra procerum invidiam, asserere inciperet, ac præcipue adversus *Merovingos* ineptos agnatos, omnibus nervis digladiari pergeret. Ausi sunt & *Suevi* de excutienda ipsius tyrannide, cum primis vero vicinorum *Bojariorum* persuasu, qui similiter *Francorum* jugum abjicere meditabantur, consultare denuoque ad pristinam libertatem quacunque occasione aspirare. At plane tam fatali infelicitate, ut licet *Luitfridus*, *Landsfridum* alii vocant, *Gottfridi* filius, a *Daniele*, quem seditiosi *Hylffrychum II.* nominantes, *Galliæ* regem contra novos homines *Carolinosque* suffecerant, *Sueviæ* dux solenniter fuerit constitutus, eidemque ex merito semper adhæserit. Post obitum tamen *Hylffrychi Carolus Martellus* anno domini DCC.

Ao. 727. XXVII. DIETRYCHUM, *Calam* cognominatum, *Degobrechti* III. filium, ejusceque nominis ultimum, *Francis* regem pro suo arbitratu, annis plus minus XIIII. dixit, supra memoratumque *Luithfryduni* cum tota hac *Suevia Bojariaque*, non sine civitatis *Augstburgensis* detrimentosa inquietudine, ferro & flamma devastavit, atque expeditione insigni superavit, ac opinione celerius obedientem cum gente sua reddidit. Tandem idem *Carolus* post præclaras adversus *Abdirramam*, *Athinum* & *Amorræum*, *Saracenorum* regulos, victorias, vix biennio ante mortem suam nempe anno domini DCCXLII. HVLDRYCHUM IIII. hominem stupidum, fratri apud *Gallias* regii nominis successorem ad libitum suum dedit, regiam potestatem sibi reservans.

Huldrychi III. gesta.

Ao. 742.

Ao. 735. Ac deinde Roma, quam ante octo annos *Luithbrandus Langbardorum* rex cum papa obsederat, rediens, monachus pro demerenda vita æterna ultro est factus. Inde statim sub prædicto *Huldrycho* rege, *Carolomannus* & *Pipinus* fratres, præterito fratre *Grypho*, paternam administrationem herciscuntes, hic *Gallis*, ille *Germanis*, non citra maximas rebelliones præfuere. Quo ævo & *Dietbaldus* patris apud *Sueviam* successor, qua fuit ingenua pervicatia, veterem debellationem patriæ sub memori pectore ruminans, *Elsatiam* ex improviso adoritur occupatque. Relegaverat autem idem dux jam antea illuc e *Suevia* sua, *Pyrminium Meldenſem* episcopum, qui undeviginti monasteriorum per *Germaniam*, *Belgiumque* auctor, cum primis vero *Sinthleobesunæ*, sive *Syntlisawiæ* insulæ, quam hodie divitem, maioremque *Augiam* in *Lacu Veneto* appellant, repurgator, ac post decennium *Eabarienſis* in *Rhetia Alpina* monasterii, ubi in valle tantum non avernali, circiter annum Christi MCCXLII. thermæ, saluberrimæ repertæ sunt, fundator fuit, & in *sanctorum Catalogum* relegatus est. Cæterum ob prædictum *Dietbaldi* facinus, tota *Allemannia Augstgovienſeque* territorium, postea prædira populatione, a *Francis* triennio fere devexatum, ipsaque adeo *Boiaria* etiam ferro subiecta est. Quin item non procul hinc, superato acie *Vittilone* seu *Wattilone*, *Boiorum* regulo, *Dietbaldus Suevus* cæsus est, civitasque hæc nostra *Carolomanni* exercitu, circiter annum christianum DCCXLV, ad fidelitatem reducta dicitur: in qua posthac tam firmissima semper perstitit, tamque immobilis mansit, ut *Francici* nominis causa, quod hercle vicinis, plus satis suspectum præ ppotentia, subditis vero subinde propter novos rectores invisum erat, a plurimis hostilia innumera pertulerit constantissime.

Dietbaldi res gestæ.

A.1142.

Ao. 746.

Carolomannus.

Ao. 745.

Cumque ea ætate aliquantisper interpontificium, apud iam dictam nostram civitatem fuisset, *Marsilii* fortissimi novique *Sueviæ* ducis sollicitationibus, *Marckmannus* sive *Martinianus* anno tandem Christi DCCXLVI, octavus episcopus de more constitutus, dignitate ea *Carolomanni* principis munificentia, qua singulari observantia *Bonifacii* noni *Moguntini* archiflaminis actiones & institutiones literis corroboravit, annis undetriginta docendo orandoque officiosissime perfunctus est. Nonnulli huic *Fortunatum* collegam sociant, ac Romæ in synodo ea fuisse volunt, quam *Stephanus III.* papa, contra *Constantinum II.* præcessorem suum celebravit. Quia autem singulorum *Augstburgensium* episcoporum nomenclaturas, eorundemque perpetuam seriem deinceps æque ac civicas, & quas prophanas dicunt, historias, hocce libro Laconice, & quantum ejus fieri potest, absolute contexere instituerim: Non præter rem etiam fore existimavi, si illis *Abbatiarum* & *prælaturarum* liceat illorum vocabulis uti per universam eorundem Diœcesin constitutarum, initia, fundationes, confirmationes progressusque, una cum ambitiosissimis illarum immunitatibus breuissime perstricta quoque junxero. Inprimis vero operæ precium fuerit, ut ejusdem civitatis nostræ *sacrataruin ædium*, nec non *Cœnobiorum*, utut innumera habeantur, primordia etiam

Marckmannus Episc. VIII.

Ao. 746.

etiam cum qualicunque rerum in iis celebriter gestarum delineatione attexam, qua in re si quid forte deliderabitur, aut hiulcum inconcinnumque visum fuerit, antecessorum ex quibus talia excerpsimus, negligentiæ, ac præsentium, psafforum, qui ne repetundarum conveniri possint, nihil communicare voluerunt, invidentiæ imputetur. Enimvero tam incertus antiquorum episcoporum Catalogus etiam apud ipsosmet Psaffos extat, ut non modo annorum continuatio illis desit plerumque, verum insuper successionis ordo non raro varius habeatur. Quare veniam errati in his nullam præcor, cum gratiam non vulgarem me hocce indefesso labore, diligentia accuratissima, serie denique nullis ante tentata, meruisse, ut ut non omnibus placeant, confidam.

Organorum invention.

Sed, ut unde digressus sum, redeam, sub memorato *Markmanno* præsule, visum auditumque primo omnium apud *Germanos* est, maximum illud musices instrumentum, vulgo *Organum Nabliumque* vocant, quod *fistulis ex buxo vel albo plumbo compactum, follibusque inflari*, ac *manuum digitis pedibusque symphoniace pulsari* solet. Id e *Constantinopoli* à *Constantino VI. Copronymo* dicto, *Græcorum* imperatore qui magiæ cum primis deditus, postquam XXXIV. annis impie regnasset, *Elephantiasi* apud suos in castello *Strongylo* periit, *Pipino Francorum* proregi dono missum, vix ante octuaginta annos per *Vitellianum* Rhomanum papam templis Christianorum primo additum fuit.

Trium Cænobiorum origo.

Sub eodem item episcopo, *Walderamus Antorffensis* comes, annuente *Uttilone*, *Vindelici* rectore *Wessenbrunnense* pro maribus, *Ruthardo* priore: frater vero ejusdem *Elilandus*, *Pollingæ* pro virginibus unum & aliud ibidem pro præpositura salvatoris, cænobia construxerunt primum. Quæ dein elapsis plus minus triginta annis, *Thessalonus III. Boiariæ* dux, frater *Uttilonis*, ampliavit & liberalius dotavit, constituitque *Ilsungum* monachum *Altahensem*, primum abbatem *Wessenbrunni* ad *S. Petrum*. Quin & *Thierhauptense* monachorum collegium, & *Uttilone* præfato duce propter Lechum, anno domini DCCLII. fundatum, confestim primum abbatum *Uttinum* habere occepit. *Uttenbeyrha* item sive *Ottenburra*, *Benedictini* ordinis monasterium, a *Silacho* comite *Ilergonniæ* ad amnem *Guntium* anno salutis DCCLXVI. fundatur primum, cui statim *S. Totto* primus abbas, a dicto jam comite parente nimirum suo, *Marckmanni* præsulis nostri confirmatione, præficitur, ac monachos regit quinquaginta tribus continuis annis.

Thierhauptense Monachorum collegium fundatur.

Ao. 752.

Monasterium Benedictin.

Ao. 766.

Quando igitur semper mali aliquid a malo vicino expectandum veniat, palam est, civitatem *Augstburgensem* non levibus periculis aut injuriis iterum atque iterum hoc ævo affectam fuisse. Primo non solum quod *Uttilo*, *Odilonem* alii legunt, *Dietboldique Sueviæ* ducis fratrem faciunt, *Boiariorum* regulus, *Hiltrudim* memoratorum *Franciæ* principum, *Carolomanni* videlicet ac *Pipini* sororem rapuisset, illisque invitis uxorem duxisset prædictosque affines, bello etiam per *Suevicas* terras suo malo lacessere non reformidasset. Sed & postea, cum *Pipinus Junior* & *Nanus* agnominatus, cui frater, hic a Papa *Zacharia* & *Euchario*, *Ayelatense* Episcopo, de parentis ad infernum damnatione persuasus, sumpto Romæ religionis habitu, totum jam resignarat imperium, *Vindelicum* quoq; a tertio fratre *Grypho*, vi, ac *Landfridi Suevorum* ducis auxilio interceptum, recuperare, ac una cum dicto fratre suo, duceque *Landfrido*, ad officium cogere serio satageret. Quibus in turbis *Augstburgum* nostrum valde etiam ab hostibus vexatum fuit; præsertim cum anno Domini 750, *Hunni Pannonias*, & *Vindelicum* crudelissime invaderent. Inde victoria ea, oppressis undique æmulis, factum est, ut *Pipinus* cristas attoliere, ac celebratis *Francofurti* ad *Moenum* comitiis, communicatisque, interventore *Burkardo*, *Wirzburgense* Episcopo, cum *Zacharia* Romano papa doctissimo, qui primus *Germaniæ* & *Galliarum* episcopus sedi suæ mere in sacris subiecit, adeoque sub Apostolici obedientiam plane nexos fecit, consiliis, *Huldrychum* regem suum, cum *Gunsula* uxore, in monachum, ad cœnobium *S. Haymerani*, quem *Landobrechtus Dietti III. Boiorum* ducis filius ante centum plus minus annos occiderat, *Ratisbonæ* anno Domini DCCLI. detonderi curavit, atque ita *Francici* regni coronam *Germaniæ* nimirum & *Galliæ* imperium, non amplius dissimulanter ambire, sed quo jure, qua injuria, sublatis *Merovingis*, primus ex *Carlingorum* gente aperta fronte sibi usurpare ausus fuit.

Ao. 750.

Ao. 751.

Quos conatus mox *Stephanus* II. papa, qui impetrato apud *Lucernam Helvetiorum* contra *Longobardos* a *Pipino* auxilio primus non amplius jumentis, sed ab hominibus gestari in pompis, etiam sacris voluit, sedulo ac antichristico studio juvit. Etenim juramentum, quo regi, *Pipinus* erat astrictus, inaudita apud pios dispensatione, ille relaxavit, simul & cunctos eidem regi subditos ex communicationis fulmine, ab obedientia præstita absterruit, talique pacto PIPINVM, per *Bonifacium* prædictum archiepiscopum, quem *Germaniæ apostolum* vocare quosdam non piget, cum revera explosa veteri divinorum apud illam consuetudine fidem ejus Romano pontifici, jam jam imperialem papatum quærenti prodiderit, *Rhemis* totius *Galliæ* regem, cum cognomenti *christianissimi* ornamento, nec non sanctissima in posteros duratura benedictione, inungi curavit, mandavitque.

Stephani II. Pontif. gesta.

Propter quod beneficium idem novus rex, de alieno liberalis, omnem Imperii per Romanam urbem *Italiamque* jurisdictionem, *Exarchatum Ravennatensem*, & quicquid *Marsilii Sueviæ* nostræ ducis, commilitio ductuque, bis *Attabylffo*, Itali *Aystulphum* nominant, *Langbardorum* penultimo regi apud *Jusubriam Hetbruriamque* bello detraxerat, frustra suprædicti *Constantini* imperatoris *Protospatario* reclamante, catholicæ Romanæ sedis ecclesiæ dono dedit. Porro *Pipinus* jam rex factus, pri-

Pipini Reg. Gall. donatio Papæ facta.

Origo Parlamenti in Gallia.

Uttilonis gesta.

primus *Parlamentæum ſenatum* in *Gallia* prudentiſſime inſtituit. Ac poſtquam ingentia bella etiam contra *Saracenos* fortiſſime confeciſſet, jamjamque & *Vaſconiam* occupaſſet, *Turonis* VIII. Kalendas Octobris, anno Domini
Ao. 768. DCCLXVIII. aqua inter cutem obiit.

Cui e veſtigio in *Francorum* regnis filii duo ſucceſſerunt, *Carolus* videlicet, qui *Wormatiæ*, & *Carolomannus*, qui *Sueſſionis* glorioſiſſime coronati ſunt.

Ao. 772. *Caroli geſta.* Hoc autem intra quadriennium demortuo, CAROLUS totius *Germaniæ Galliæque* rex potentiſſimus, hæreditario jure effectus eſt, ac ſtatim expurgato apud *Saxones Eresburgo* celebratiſſimum illud fanum ſive a catholica veneratione, ſive a Mercurii idolo, *Irmiuſul* dictum deſtruit. Sub quo & ager & civitas *Augſtburgenſis* liberaliter iterum refocillata, ſatis proſpere munia ſua obire, de novo quaſi occeperunt, *Hiltbrando* præfecto, qui *Marſilium* patrem in *Sueviæ* ducatu ſubſecutus eſt, & in *Hermonte* habitans, *Caroli* noſtri propter *Hildtgardam* filiam, tertiam uxorem, quinque enim conjuges habuit, ſocer poſtmodum eſt factus.

Ao. 775. *Widbrechtus Epiſcopus IX.* Inde circiter annum ſalutis DCCLXXV, eligitur in nonum Auguſtenſem epiſcopum *Widbrechtus*, *Vitterbiſve* natione *Gallus*, vir decrepitus, qui dudum etiam *Neoburgenſis* præſul ordinatus fuerat, & nunc, ſi annales non fallunt, erat ſecundus abbas *Ellwangienſis*, quod cœnobium *Hartolphus Lingovienſis* præſul, ante annos undecim ſcholæ inſtar fundarat primo, primusque *Pipini* regis conceſſione abbas in eodem fuerat factus, ſeditque *Caroli* præſentis, collatione XVI. annis laudabiliter, ac poſt fata *Sanctus* vocatur. Hic præſul licet *Boiariorum* contumacia non parum gravaretur, adjumento tamen præfati regis advocatique ſui *Hiltbrandi* ducis, cuncta ſuperans, *Beyrham* cœnobium ante triginta quinque annos conſilio *Bonifacii Moguntini* archiepiſcopi a *Landsfrido*, *Waldramo* & *Ellando* fratribus, comitibus de *Bliantza*, quos *Caroli Martelli* conſobrinos fuiſſe ferunt, ſuſcitatum, apud illos & confirmavit & ſacravit primus, id propter mutatos colonos hodie *Benedictbeyrba* dicitur. Sub hujusce etiam epiſcopi conſecratione *Audegarius* ſive *Amolgarius Grundfeſtus*, quem quidem comitem de *Brunſwico* ſomniant, *Rolandi* filius, & frater *Rutbrechti Saxonis* illius, cui *Ludwicbus* pius Cæſar *Sueviæ* ducatum poſtea feudo conceſſit, ab *Hiltgarda* regina, cum ampliſſima dotatione *Caroli* mariti indulgentia, primus Abbas *Campoduni* ad *Ilermontem* inauguratus, decem & novem annis monachorum pater illis extitit. Porro ſub noſtri hujus præſidis villicatione *Adrianus* civis & Papa Romanus *Carolo* Francorum regi ſupra modum contra *Longobardos* favit, eique ut meliora reciperet, approbante 153 Epiſcoporum Synodo creandi ſummi Pontificis omniumque adeo per *Italiam* ejusque cunctas ditiones, ordinandorum antiſtitum plenam poteſtatem fecit. Adhæc ſacerdos ille magnus primus occidentalibus Eccleſiis, in quibus hactenus pro cujuslibet provinciæ ritu proprii cultus ceremoniæque in ſuis templis libere manſerant, *Gregorianam Miſſam*, exceptis *Mediolanenſibus*, qui adhuc *Ambroſiano officio* detinentur, audacisſimo molimine haud citra Antichriſticum characterem imponere obtrudereque auſus fuit. *Widbrechtus* autem præſul obiit ad S. *Afram* XIIII. Kalendas Maji, eſtque initio, humatus *Eptatici* ſive *Epachii* paulo infra *Schongaviam*, ad Licum, & tandem *Auguſtam* translatus, putaturque *Vultenbachenſe* cœnobium vivus fundaſſe.

Ceteræ Caroli M. res geſtæ. Dum autem per hanc tempeſtatem *Theſſalonus* III. alii *Taſſillonem* appellant, *Boiariæ* dux, *Luitburgæ* ſive *Lindburgæ* uxoris imperioſulæ ſuſurrationibus in gratiam ſoceri ſui *Langbardorum* ultimi regis *Deſiderii*, *Hunnis* & *Avaribus Pannonias* tunc occupantibus, conſcederari, ac *Sueviam* contra amitinum ſuum, jam nominatum *Carolum* debellare audet, non modo moleſtiſimis hoſtium incurſionibus, vicinus ager vaſtari, *Augſtburgumque* noſtrum angi cepit. Sed ſuburbia etiam illi anno Domini DCCLXXXVII. inflammata, ac *S. Afræ* extra
Ao. 787. muros fanum funditus in cineres impio eo bello redactum eſt. *Caroli M. munificentia in afflictos Augustanos.* At *Carolus*, cui jam ob ſummas corporis atque animi virtutes MAGNI cognomen acceſſerat, poſt victum, captum & *Lugdunum* relegatum *Deſiderium Longobardorum* extremum regem, invictis copiis propter mœnia urbis hujus ad *Lycum* amnem non cunctanter caſtra metatus. *Francis* vero Orientalibus cum *Thuringis* & *Saxonibus* ad *Pheringam Danubii* papiliones figentibus, *Pipino* item *Italiæ* rege exercitum per *Tridentinas* alpes quoque in patris auxilium adducente, ſubito barbaros abegit, perfidumque *Boiarum* bis devicit, ſimul ac civibus noſtris illata damna, ſolito more magnifice reſarciit. His in præliis, ut & hoc obiter indicem, cum præ cæteris *Gerholdus* comes *Augienſis*, patris *Hiltbrandi Sueviæ* noſtræ ducis loco magnanimiter præ cæteris pugnaſſet, circumſpectiſſimeque Phalangas adverſus infideles ductitaſſet, Proſapiæ ſuæ poſteris, hoc eſt, *Suevis*, *primorum ordinum* privilegium, in *Germanici* regni expeditionibus, clariſſime conſecutus, & poſtea Orientali *Boiariæ* etiam capitaneus, *Marckgrafiusque* contra *Hunnorum* irruptiones eſt datus. Demum univerſa Boiaria tertium in deditionem accepta, præhabitus *Theſſalonus*, apud *Ingelheymam* perfidiæ ab imperii principibus, damnatus eſt, ac dein, in civitate iſta noſtra ſupplex *Carolo* Regi factus eſt, qui eo in monachum cum filio *Dieto Theodove* attonſo, ac *Lauriſſenſi* monaſterio ad *Rhenum* ſito, incluſo, totam hanc cis *Danubianam* utriusque *Rhetiæ Noricique* oram, in tutum collocare clementiſſime dignatus fuit. Eſtque *Augſtburgi* deci- *Toſſo Epiſcop. X.*
mus præſul, per electionem, duodecim annis non ſine ſanctitatis fama effectus. TOSSO *Waldenſis* juxta *Fuſſam* parochus, qui in honorem magiſtri ſui, *S. Magni Abuſiacenſe* cœnobium, & illuſtravit magis, & tanquam ſecundus fundator auxit plurimum, doctus hic eloquensque præſul, interfuit concilio pontificum,

Adriani Pap. geſta.

ficum, quos *Carolus Magnus* ex omni *Italia*, *Germania Galliaque*, *Reginoburgum*, ad damnandos errores *Fælicis Orgellorum* in *Pyreneo* monte episcopi, qui Christo duplicem personam ad instar duarum ejus naturarum tribuerat, quam religiosissime convocaverat: Accessit item & eam synodum, quam idem rex *Carolus Franckfurti*, *Francorum vadum* ejus ætatis literatores, vocabant, ad *Mœnum* in ineditullio regnorum suorum, contra *Nicenum* II. concilium anno salutis DCCXCIIII. Ao. 794. propter imaginum abusum celebravit. Jam nominatum vero *Nicenum* concilium, *Irenechaiani Hunnorum* filia, imperatrix *Constantinopolitana*, cum filio *Constantino* VII, quem tandem exœcavit, pro veneratione statuarum, crucis imaginumque ante quinquennium haberi mandarat, idque *Hispani* in *Elibertino* suo, *Granatense* hodie diceretur, concilio jam olim damnarant. *Tosso* autem episcopus *XVII. May*, alii *XVI. Januarii*, demortuus ad *S. Afram* sepelitur hic.

Ao. 794. *Bellum Caroli M. cum Avaribus, Hunnisque.*

Eo ipso anno *Avares*, & *Hunni*, prædis dudum illecti, diutius quiescere non potuerunt, quin ex abrupto terras nostras iterum, atrociB incursione adoriri, villas populari, *Augstburguinque* obsidione dira premere sunt ausi. Cui pesti *Magnus* ille *Carolus*, præmisso *Pipino* filio, *Italiæ* rege, cum magno exercitu in Sueviam, protinus occurrens, hostes cum *Thudano* rege ipsorum non segniter superavit, ac ex numero eorundem XXIX. primipilos, in prospectu mœniorum, simul hic enecari, & tanquam opima spolia patibulis suspendi jussit, profligataque mox, reliqua turba, tum collapsum restauravit episcopatum, tum rempublicam civitatis *Augstburgensis*, tam authenticis prærogativis dotavit, ut ea deinceps non solum opulentia, sed civium autoritate creverit, inC quilinorumque numero, cum duobus suburbiis *Austrino Actooque*, valde amplificata sit. Circiter hanc tempestatem, cum idem *Carolus* noster *Regensburgi Hunnorum* regis *Capani* caussa, qui se tantum dedens, & in fidem orthodoxam acceptus, *Theodorus* cognominatus fuit, integro amplius anno hæreret, ne frustra exercitum aleret, statuit, quod proverbio dicitur, *Isthmum perfodere*, hoc est, conatus fuit corrivatis *Altmyla* & *Ratza* fluviis, quorum illa in *Danubium* exoneratur, hæc in *Reduissam*, quæ inde in *Mœnum*, qui tandem in *Rhenum* effluit, navigationem ab Oceano *Germanico* inD Pontum usque Euxinum, instituere, cujus molitionis peramplum vestigium, fossa nimirum trecentos pedes lata, duo millia passuum longa prope *Weissenburgum Noricum*, hodieque extat. Porro *Hunnicum* hocce bellum octo annis continenter est gestum, in quo barbaræ eæ gentes primum ab *Anaso* flumine *Posonium* usque communi principum vocato sunt pulsæ: inde *Pipino Italiæ* rege pergente armis a dicto oppido usque *Teutoburgum*, *quinque Ecclesias* posteri vocarunt, profligatæ penitus fuere.

Hinc post *Hildrychum* fratrem *Geroldi* & *Isenbardus* *Hiltgardæ* Augustæ, *Sueviæ* ducatus, cum provinciæ hujus tutela, *Isenbardo* sororio *Hiltrychi*, eo quod sæpe dictum *Carolum* regem, aliquando in Urorum venatione, præsentibus *Amymurlini Persarum* regis legatis, ab imminente liberasset letho, solenni more commissa sunt. *Sueviæ dux.*

Eo brevi decente, *Nothardus*, qui *Rorynnam* *Nothardus* *Belgicam* ejusdem regis *Caroli* ex sorore ne- *Suev. dux.* ptem, sanctique *Zimbrechti*, episcopi postea nostri, germanam, in uxorem duxerat, illi in honore & officio sustectus, est, ac provinciam cum civitate hac viriliter semper propugnavit, A lætissimeque rexit. Cæterum *Carolus* rex *Scabinatus* vere *Magnus*, debellato demum post triginta *apud West-* annos, *Rolandi Anglerii* nepotis sui ex *Berchta* *phalos.* sorore, imperterriti fortissimique herois ductu, cujus statua imagoque adhuc in multis *Saxoniæ* urbibus publicitus extant, *Wittikindo*, rege *Saxonum*, universæ illius nationi, ex qua decem millia colonorum partim in *septem castra Ungariæ*; partim in *Brabantiam* transmilit, ne denuo christianam religionem toties abnegatam desereret, summum illud rigidissimumque judicium, quod *occultum & sacrum*, judices vero & *Scabinos* illius, *legis tacitos ac conscios* vulgo vocant, apud *Sycambros* sive *Westphalos* instituit. Id ad *Maximiliani* I. Cæsaris tempora usque per totam *Germaniam* duravit, verum cum in abusum tyrannicum devenisset, vetitum dici cæpit, ac per eundem Cæsarem publico decreto anno Domini MDXII. in comitiis *Coloniæ* omnino antiqua- A. 1512. tum est.

Exactis autem tota *Italia Langbardis*, pulsis *Carolus M.* item *Apulia Græcis* & *Saracenis*, pacatis denique *Hispaniæ* & *Pannoniarum* regnis, idem *German.* *Imper. I.* *Carolus* imperialem celsitudinem primus ad *Germanos*, VIII. Kalendas Januarii, qui dies natali salvatoris Christi sacer habetur, incipientis jam DCCCI. anni, S.P.Q.R. applausu, in ipsa Ao. 801. Alma urbe, *Leone* III. papa, qui omnium doctorum scriptis, pontificum decreta anteponenda statuit, ac a nonnullis *Allemannus*, fraterque comitis de *Calowa** fuisse putatur, diadema illi in *Vaticano* imponente, proprio transtulit marte, *Augustusque* vocari jure cæpit bellico. Is præterquam quod Romanam ecclesiam su- *Carolus M.* pra modum ditarit, & ex infidelium ac se de- *literas re-* victorum manubiis, juxta literarum alphabeti *staurat.* initia numerumque, monasteria ædesque sacras fundarit, & *Alcuini* Angli doctissimi, qui & *Albinus Flaccus Caroli* hujus in artibus olim, sicut *Petrus Pisanus* in Græcis literis præceptor fuit, consilio, gymnasia literarum, *Parisiense* videlicet in *Gallia*, ac *Papiense* in *Italia*, de novo instituerit, *Bononiense*que renovaverit; vernaculam etiam nostram linguam plurimum excoluit, cum primis vero anni XII. mensibus, atque totidem orbis ventis, propria nomina primus imposuit. Et præterea *Majoris domus* dignitatem quoque haud inscite abrogavit; ac ne similis iterum repullularet tyrannis, XII. *Patres*, *Galli* suo idiomate *Pares* indigi- *Parium origo.*

*) *von Kalb.*

tant, tanquam *regni Eporos Justitiæque patronos*, per Gallias providentissime disignavit. Quin item *Saltzburgi* cum apocrisariis *Nicephori Constantinopolitani* cæsaris, qui *Irenem* Orientis imperio, cui post *Constantinum* VII. filium, quinquennio viriliter præfuerat, abdicare coegit, ac postquam *Græcis* dolose novum quasi annis imperasset, in prælio contra *Bulgaros* prope *Hadrianopolim* occisus est; de herciscundo orbis imperio, anno Domini
Ao. 803. DCCCIII. consultissime pariter ac solennissime transegit denuo, ac per suos ministeriales non Pontificios jus in alma urbe mere dixit.

Ao. 803. *Zymbrechtus Episcop. XI.*

Quo anno tandem sanctus *Zymbrechtus*, *Xympertusve*, *Amberti Belgiæ* ducis ex *Symphoriana* uxore, quæ *Caroli* imperatoris soror, imo neptis erat, filius, *Tossoni* in Episcopatu *Augustburgensi*, qui hoc tempore nondum erat in Principatum elevatus, avunculi substitutione successit, cum antea abbas *Maurbachensis* fuisset. Hic diœcesin hanc jam dicti sui avunculi avtoramento, ultra *Lycum Danubiumque* extendens, demortuo *Manno* ultimo *Neoburgense* antistite, totum eum episcopatum nostro incorporavit, ac triginta quasi, alii *dimidio minus*, culpanda sane negligentia ponunt, annis ecclesiæ dexteritate prudentiaque singulari præfuit, primusque summum templum in civitate hac consecrando, qui mos sub *Paulo* I. Romanense papa, vix ante dimidium sæculum, superstitione nequaquam minima inoleverat primum, magnæ matri *Mariæ* virgini, in profesto *S. Michaelis archangeli* addixit. Unde τῆ πωλητηρίᾳ *Augustburgensis* celebritas annua, de novo iterum excrevit. Interfuit episcopus hic plurimis conciliis, nempe *Moguntino* quod *Rycholpho*, Metropolita ibidem, sub ætatem
Ao. 813. anni DCCCXIII. jussu *Caroli* imperatoris conscripserat. Item *Aquisgranensi* II. in quo *Ludwicbus* imperator, anno salutis DCCCXX. se-
Ao. 820. stum *assumptionis gloriosæ virginis Mariæ*, C fastis primum addidit, celebrandumque quotannis indixit, ac de institutione scholarum, præsertim apud cathedrales ecclesias, non parum sollicitus fuit. Dein & *Theodovillensi* ac *Wormaciensi*, quæ idem *Ludwichus* pius quoque celebranda curavit. Denique & *Aquisgranensi* III. quod *Pipinus Italiæ* rex, filius jam dicti imperatoris pro reformanda ecclesia congregari jusserat. Ac post obitum, qui in XIII. diem Octobris inciderat, ad Fanum *S. Affræ*, extra mœnia a se restitutum, sepultus, post multa sæcula, *Maximiliani* I. imperatoris ordinatione, & de tumba levari, & in sanctorum D numerum primum recipi canonice, miraculorum ergo, meruit. Traduut aliqui sub *Xymberti* hujus ævum, ancillam quandam *Augustburgi*, post sumptam sacram Synaxim, triennio absque omni materiali cibo vitam degisse.

Templorum consecrationis origo.

Carolo II. obvenit Augustburgum.

Verum ad imperatorem, annaliumque ordinem me converto. Postquam sæpe dictus Augustus *Carolus*, superato *Gottfrido*, sui *Gotrychum* vocant *Gorthricumque*, *Danorum* rege, in accuratissima ea occidentalis imperii divisione, quam *Dierrhofii*, in generali *Francorum*
Ao. 806. conventu, anno dominico DCCCVI. pacis gratia, ad instar testamenti, filiis suis sacratissime conscribi jusserat, civitatem nostram *Augustburgensem Carolo* secundo genito, jamjam *Germaniæ* & *Galliæ* designato regi peculiariter & præcise destinasset, nam reliqua Suevia fratri ejus *Pipino* juniori obtigerat; mox cives ac clerus, illi non modo fideliter obtemperantes, unice floruere, verum etiam sub ipsius familiæ, tam Romanorum imperatoribus, quam Germaniæ regibus, ab eo tempore, perpetua clientela, in hodiernum usque diem devoti manent. Dein anno 809. ultimum & undecimum bellum *Carolus* propter piraticam con- A. 809. tra *Gotfridum* sive *Gotrychum Danorum* regem gessit, ac ab ostiis *Rheni* usque ad *Fistulæ* ostia omnes *Cimbrici* maris insulas per septingenta millia passuum tributarias fecit. Annales nonnulli ferunt, sub *Carolo Magno Ainhoerum*, sive *Ainotherum* gigantem quendam vastissimum, ex *Durgæo* pago Sueviæ natum, militasse, qui in præliis adversus *Hunnos* & *Venedos* grandi fæniseca falce hostes demetere, ac sæpe septem captivos simul ex hasta dependentes, super humero gestare solitus fuerit. *Ainotherus gigas.* Quibus narrationibus si quis fidem adhibere nolit, per me sane non peccaverit. Porro *Carolus* imperator, jam septuagenario major, *Aquisgrani* ex pleuritide, V. Kalendas Februarii, anno Christi Domini DCCCXIIII. de- Ao. 814. cessit, humatusque est sanctissime, in *magnæ matris* æde a se fundata ibidem.

Ludwichi I. gesta.

Cui confestim LVDWICHVS ex *Hiltgarda* Sueva filius, *Aquitaneæ* rex, ex condicto mense Martio *Aquisgrani* coronatus, in imperio Romano viginti sex annis successit, & confirmata cum *Leone* V. Constantinopolitano Cæsare, qui *Michaelem curopalatem*, *Rancabe* vocatum, præcessorem suum abdicare altero anno coegerat, & octavo regni sui anno occisus fuit, amicitia, a *Stephano* IIII. papa, Kalendis Novembribus, anno salutis DCCCXVI. Ao. 816. *Rhemis* consecratus primum est. Huic partim per antiphrasin a morum sævitia, partim per superstitionem a religionis studio, PII cognomen obvenit. Nam primus Cæsarum eas donationes, signatis literis, datoque diplomate, *Pascali* papæ, qui tamen citra assensum ipsius electus Romæ fuerat, stabilivit, ac ratas habuit, quas avus atque parens Apostolicæ sedi in præscriptum posteritatis contulisse ferebantur. Quanquam ingratissimi pontifices hodie ea, per *Constantinum Magnum Sylvestro* Romanorum pontifici, qui primus confirmationem, & chrysmatis confectionem instituisse dicitur, ejusque successoribus dudum donata, immo restituta fuisse, quam impudentissime affirmare non erubescant. Cæterum *Ludwichus* Cæsar hic, *Rudbrechtum* & *Beroiem Rulandi* fortissimi Athletæ filios, Saxonicos fratres, in ducatus *Sueviæ* nostræ administratione, confirmavit. Et *Bernhardum* fatris *Pipini* filium, jam *Italiæ* regem, ob rebellionem, quam *Anshelmi Mediolanensium* archiepiscopi consilio occeperat, oculis crudeliter privari, & apud *Aquisgranum*, Cænobio miserabilius, non sine odio ingenti procerum

rum mancipari fecit. Nonnulli *decollatum Aquisgrani* ajunt. Ac quamprimum etiam *Ludwichum* filium *Franconiæ & Bojariæ* post fratrem regem, cujus ope antea ex *Pipini* Aquitaneæ regis, & *Lutheri Italiæ* regis, filiorum vinculis liberaliter *Suessionis* fuerat liberatus a sese defectionem, veluti uxorio, quorundam *Sclavonicæ*, *Germaniæ* principum conspiratione, meditari comperisset, relicto confestim *Belgio Augstburgum* cum valido exercitu, circiter annum domini DCCC XXXV * advolavit, ibidemque comitia regalia serio agitavit, ac maturis consultationibus omnia prius, quam armis tentanda ratus, non modo filium perduellionis reum, ad saniorem reduxit mentem, verum insuper citra sanguinem, totum eum tumultum consopivit. Unde idem *Ludwichus*, parenti in hocce nostro *Augstburgo*, culpam deprecando satisfecit, clementiorque vicinus civibus est redditus.

Ludwichi I. gesta Augstburgi.

A. 835.

Hanthus Episc. XII.

Quo tempore & *Hantho* sive *Hanthus* comes Andeccensis, dicti Cæsaris concessione duodecimo loco episcopus *Augustanus* post *Zymbrechtum* subrogatur, annis septem. Hic multas opes de suo in *Bojaria* episcopatui huic contulit, habuitque fratrem *Ratbardum* nomine, *Augustensis* ecclesiæ devotissimum Canonicum, qui ejusdem Cæsaris licentia, Collegium novum Sacerdotum in *Damasia* fundavit. Quod *Hantho* noster, anno domini DCCCXL. sancto *Georgio*, cujus *contra draconem historia in ipsol. Niceno* concilio, quando *Arrii* & περὶ τῆς ὁμοουσίας corruptelæ heresesque damnatæ sunt, inter apogrypha jam olim est habita, consecravit. Quanquam nonnulli arcem eam, *Diessen* nomine, a *Berchtoldo* comite *Diessense* & *Andeccense*, in monasterium anno domini MCX & posterius a *Poppone* & *Gebhardo* fratribus a *Wolffradshausa*, circa annum Christi MCXLII, in præposituram regularium canonicorum, *Hartwicho* primo ibidem prælato, versam, doceant. Sub hoc *Hanthone*, *Gregorii* IIII. Romanensis papæ, qui primus decimas & certos proventus templis sacrificulisque procuravit, rogatione, festivitas *omnium sanctorum sanctarumque* Germanis ac *Gallis*, ad Kalendas Novembres celebrari, primum anno domini DCCCXXXV a Pio Cæsare præceptum est, cum hactenus Romana ecclesia, solummodo *omnium martyrum* memoriam Maio mense coluerit. Sub eodem item *Hanthone*, ceptus primo est *S. Jacobus Maior*, apostolus, *Hispaniarum patronus*, haberi, & propter insomnium *Raymiro* Legionis regi factum, tanquam peculiare terræ ejus numen contra *Sarracenos* invocari. Et inde adeo invalescentibus ad sepulchrum ejus in *Gallitiam* votivis peregrinationibus, post paucos annos lapideum templum *Compostellæ* illi per *Alfonsum* III. regem, magnifice condi meruit.

Cænobii Georgiani primordium.

A. 840.

A. 1110.

A. 1142.

Omnium sanctorum festi origo.

Ao. 835.

Post *Hanthonem* præsulem, *Waldherus* seu *Guvaltherus Augstburgi* episcopatum decennio tenuit & quod prudentissimus vir esset, *Luthero* imperatori & a consiliis & alias dilectus fuit, qui Legatus etiam arbiter *Ludwichi* supra dicti *Germanorum* potentissimi regis mandato, *Herveldenses* monachos cum *Otgero* metropolita *Moguntino* de decimis *Thuringiæ* altercantes reconciliavit. Cæterum præsul hic noster interfuit *Moguntinæ* synodo, quam *Rabanus* archiepiscopus ibidem doctissimus, jussu præfati regis *Ludwichi* contra *Godeschalci* hæresin convocarat, ubi *Lupus* presbyter jam dictum *Godeschalcum*, de prædestinatione, libero arbitrio, & sanguine Christi male sentientem conviciisse fertur, simulac *Theoda Sucvica* vaticinatrix, *Solomonis Constantiensis* episcopi traductione condemnata est. Sub hoc *Waldhero Gerungus Ambergerus*, *Augustanus* patria, sextus abbas *Compoduni* in *Algovia*, quam martialissimus fuit. Circa quam ætatem cæperunt etiam Romanenses primum, sibi nomina in baptismate imposita, cum pontifices crearentur, mutare, aliudque non sine iniquitatis mysterio assumere: Sic enim qui *Os porci* antea vocabatur, nunc papa factus, *Sergius* dici voluit, quem *Lutherus* Cæsar armis ad officium reduxit.

Waldherus Episcop. XIII.

Dum cum proximo præcedente anno, cometes igneus per totam Germaniam mense Aprili multis fulsisset noctibus, *Ludwichus* I. post plurima intestina bella, concessamque *Nordmannis Frysiam*, facta omnis cleri per regna sua reformatione, in *Rheni* insula propter *Ingelheimam* XII. Kalendas Julii mortuus, *Metisque* sepultus est, in Basilica *S. Arnulphi*, in matris monumentum. Post quem statim *Moguntiæ* anno Christi DCCCXL. Romanorum imperator efficitur, LVTHERVS primogenitus ipsius ex *Irmengarde Saxonica*, nonnulli *Ingrami Andium* ducis filiam asserunt, uxore filius, qui jam dudum a parente, Cæsar *Aquisgrani*, & a Papa *Italiæ* rex Romæ, ubi pro suo iure plebi prætorem ac judices constituit, dictus erat. Huic fratribus suis cruentissime diu rebellantibus, *Leo* IIII. Romanensis Papa in omnibus imperialibus præceptis more præcessorum obedientiam se præstiturum professus sancte est: is Pontifex primus pugnantibus pro defensione Christianorum cæleste regnum promisit. A quo & potissima *Augstrasiæ* pars inter *Mosam* & *Rhenum*, propter divisa cum fratribus regna, deinceps *Lutheringiæ* cognomentum traxit. Is cum tandem & ocio incuriosus, & bello infœlix foret, renovato & dotato prius, ab *Hunnis* destructo, *Tierhauptense* non procul hinc, dissito cænobio, postquam XV. annis imperasset, monachus in *Brunia* apud *Treviros* ultro, urgente conscientia detonsus est, ubi sequente anno, III. Kalendas Octobris obiit.

Ao. 839. *Lutheri gesta.*

Ao. 840.

Ao. 855.

A. 871.

Huic anno DCCCLV. successit in imperio Romano LVDWICHVS II. filius, princeps & literarum & pietatis studio præclarus, qui ante quinque annos *Aquisgrani* a parente cæsar appellatus, demum Romæ anno domini DCCCLXXI, in die festo Pentecostes, ab *Hadriano* II. papa, ad *Basilicam apostolorum*, Augustus est coronatus, ac tandem vicesimo imperii anno post devictos *Sclavos*, ac *Ratzulum Mara-*

Ludwichi II. gesta.

Ao. 876.

* alii 833.

hensium regem & varia apud *Italos*, præsertim contra Sarracenos, gesta bella, Kalendis Augusti mensis, *ex casu de solario*, nonnulli *peste* scribunt, *Mediolani* periit, ibidemque in templo *S. Ambrosii* sepultus est.

Ludwichi gesta.

Sub duobus, hisce imperatoribus, & etiam aliquandiu ante & post eos, regnavit a *Rheni* fluentis, per Boios & totam ferme Germaniam, in qua regni conventus atque comitia plerumque *Francofurti*, *Erdtfurti*, *Strasburgi*, *Basileæ*, *Solothuri*, *Turegii*, *Ravenspurgi*, *Campidonæ* & *Regensburgi* celebravit, ad fines *Pannoniæ*, *Illyricique*, per *Germaniam* nostram tum latislime tum invictissime, annis plus minus quinquaginta duobus continuis *Ludwichus* supra dicti *Luitberi* Cæsaris uterinus frater, *Germanicus* dictus, qui uxorem habuit *Hispanicam*, *Hemmam* nomine, ac licet memoratus *Luitherus*, & etiam post illum *Carolus* II, Cæsares, subinde illum bellis, divexarint, semper tamen pressæ palmæ instar reluctans prospere enituit, tantaque fælicitate refloruit, ut præter *Bulgaros*, mox etiam *Bohemannos*, *Marahenses* & *Zorabos*, partim per multos annos præliis contuderit, partim ad christianum baptisma adactos, obsequentes imperio suo fecerit: Is princeps *Berechtmairo*, *Sueviæ* nostræ ducatum, *Augustburgensemque* advocatiam, post diram provinciæ ejus famem, jure suo, administranda concessit. Atque non multo post *Rathbodum* etiam *Ostriaco* limiti præfecit contra barbarorum insultus.

Berechtmairus præfectus.

Vdalgerus Episcop. XIV.

Qua ex re civitas hæc nostra, insperatis successibus, iterum plane triumphare, ac reliqua *Rhetiæ* oppida lutulenter superare occepit.

A. 848. Quin & anno salutis DCCCXLVIII, vel circiter, *Vdalgerus*, *Adelgerus*, *Olgerusue*, decimus quartus pontifex *Augustanus*, cleri & populi electione fit, ac sedens annis sedecim, emolumenta non parva a rege *Ludwicho* corrogata posteris in eadem dignitate hic reliquit. Cum primis autem *Nicolai* I. pontificis Romanni, impiissimo decreto, quo is sacerdotum connubia per *Germaniam* satis indiscrete prohibebat, Canonica epistola viriliter restitit: Ea epistola hodie *S. Vdalrychi* nomine perperam circumfertur. Porro non procul ista tempestate, erat Romæ papa *Johannes* VIII. nomine, qui mulier imo scortum turpissimum, *Gylberta Moguntinensis* dicta, ab *Anglo* quodam *Fuldensis* cænobii monacho, tum per *Græciam*, tum per *Italiam*, mentito sexu, diu circumducta, literatissima versutissimaque bestia evaserat, pontificatumque in urbe invaserat.

A. 858. *Johannes VIII. Pontif.*

Demortuo *Vdalgero*, statim anno salutis DCCCLXIIII. accepit lituum apud nos *Neodogarius* sive *Nicarius*, tertius Abbas *Vttenheyrhamus*, & sedit sæpe nominati *Ludwichi Germanici*, *Franconiæ Boiariæque* regis, collatione ac confirmatione, ultra quadriennium persancte. Apud quem *Arsenius*, *Nicolai* supra dicti papæ, qui imperatores a synodalibus conventibus, exceptis illis, in quibus de fide catholica agitur, primus excluſit, episcoposque in posterum non regio favore, sed apostolica autoritate eligendos censuit, Romanam ecclesiam caput omnium aliarum mundi ecclesiarum esse, & a nemine dijudicandam iterum statuit, denique apud Romanum pontificem terreni simul ac cælestis imperii jura contineri plane auguste asseruit, *apocrysarius* fuit, postquam is *Lutheri Belgii* & *Rhenensium* reguli, imperatoris Homonymi filii, Digamiam cum *Dietberga* & *Baldradta*, quarum hæc *Guntheri Colonienſis* archipræsulis, soror, illa vero *Habsburgensis* comitissa erat, jam damnasset. Ac deinde quoque *Engeltrudim* *Matfridi* comitis filiam, quæ relicto *Bosone* marito, *Wangerum* vasallum ejus, in *Galliam* secuta fuerat, secum pro suscipienda pæniteritia Romam abducere parans, a *Rheni* partibus, ad *Danubii* usque fluenta perduxit, eamque hic pluribus diebus, nimirum dum illa cognatos suos invisere se fingebat, anno domini DCCCLXVI. frustra expectavit. Cæterum *Neodogarius* episcopus obiit XV. die Aprilis, cubatque ad latus *S. Xymberti* apud *S. Afram*, cujus sepulchro epitaphium initio superpositum fuit, quo lectorem mortuus rogabat, ut apud piissimum Deum misericordiam sibi imploraret. Id quod postea, cum ut divus coli, ac pro vivis intercedere putari cæpit, abrasum a monachis fuit.

A. 866.

Porro circiter annum salutis DCCCLXIX, ablegavit *Basilius Macedo*, qui ex captivo *Protostrator*, & dein præcessoris sui, *Michaelis* tertii *cubicularius*, & jam imperator *Græcorum* erat factus, apocrysarios, nuncios, suos *Constantinopoli*, ad *Ludwichum Germaniæ* nostræ regem, quos *Carolomannus* filius ipsius *Salzburgi* excipiens, ad patrem *Reginoburgum* decenti comitatu deduxit, ubi *Græci* juxta veterem consuetudinem amicitiam cum Germanis renovarunt, ac sacrum fœdus cum *Ludwicho* rege nostro de novo solenniter inierunt.

Basilii Macedonis Imp. Græc. legati ad Ludwichum.

A. 869.

Post Neodogarium *Lancko* seu *Dancko Augustensis* præsul decimus sextus, anno Christi DCCCLXIX. communibus votis ordinatur, ac paulo supra VI. annos ecclesiam regens, & *Magnum* publice canonizasse putatur. Cum ethnica illa *ἀποθέωσις* aliquanto posterius a *Stephano* V. Romanistico papa, qui etiam decrevit statuta Romanæ ecclesiæ, omnibus observanda necessario esse, ac prohibuit candentis ferri aquæque bullientis judicia, primum inter cerемonias recepta sit, ac multo posterius, ab *Alexandro* III, pontifice maximo, decretum sit, mortuorum sanctorum canonizationes a solo papa tum deberi tum posse fieri, *Lancko* hic subscripsit etiam synodo illi, quam *Ludwichus* II. imperator, *Coloniam Agrippinam* propter depravatos ecclesiasticorum mores, mense Octobri, anno DCCCLXXII cogi jusserat.

Lancko Episcop. XVI.

A. 869.

A. 871.

Post *Ludwichum II.* quod orbus fuisset, suscepit Romanum imperium anno salutis DCCCLXXV. CAROLVS II. *Galliæ* rex, *Calvus* appellatus, *Ludwichi Pii*, ex *Guta* sive *Juditha* secunda uxore, quæ *Altorffensis* comitis *Welffonis*, fuerat natus. Qui licet frater

Caroli II. gesta.

A. 875.

Lud-

Ludwichus Germaniæ rex, totis repugnaret viribus, Romæ tamen a *Johanne IX.* papa, in *Basilica apostolorum*, in ipsa nativitatis Christi eiusdem labentis adhuc anni solennitate consecratus est Augustus. In cujus rei gratiam, rejectis omnium aliarum ecclesiarum, quæ adhuc vigebant, ritibus, utputa *Gallicanæ*, *Mediolanensis*, *Toletanæ*, *Hierosolymitanæ*, & *Constantinopolitanæ*, solum Romanæ ecclesiæ morem in missarum celebratione suscepit, subditisque colendum mandavit in posterum. Ac cum vir acer, insolens & invictus foret, veneno a *Zedechia Judæo*, medico suo familiari, dum *Carolomannum* ex fratre nepotem, A propter factum *Bosonem Langbardiæ* regem fugeret, *Mantuæ*, vel ut alii volunt, in pago *Brior*, prope *Vercellas*, pridie nonas Octobris, post secundum imperii sui annum sublatus, initio *Vercellis* sepultus, & post septennium ad *S. Dionysii* monasterium in *Galliam* suam translatus est.

Vdalmannus Episc. XVII.

Sub hoc ævum, *Augstburgum* nostrum tam in politicis quam sacris pulchre floruit. Nam *Ludwichus*, *Germaniæ* nostræ rex, præter alia utilia, *Vdalmannum*, *Suevigenam* ingenuum decimo septimo loco episcopum in civitate ea constitui curavit, qui annis amplius B septem ecclesiæ hic præfuit laudabiliter, dedicavitque *Herbertzhoviæ* sacellum *S. Clementis*. Qua tempestate *Ludovicus Germanicus*, *Franconiæ & Boiariæ* rex, *Landefridum VII. Campidonensem* Abbatem præter alias dotationes, cudendæ monetæ privilegio donavit.

A. 877. *Ludwichii gesta.*

Cæterum anno domini DCCCLXXVII. defuncto *Carolo*, mox LVDWICHVS filius, *Balbus* vocatus, & in Romano & Gallico regnis, *Johannis* supra dicti papæ, qui Romanæ ecclesiæ privilegia, non nisi centum annorum præscriptione, tolli posse statuit, machinatione, sesqui annum saltem, contra *Germanicos* cognatos insecutus, *Trecis IV.* Iduum Aprilis, veneno quoque in fata concessit, ibidemque nulla legitima prole relicta, in fano *Mariano* sepultus jacet.

A. 879. *Caroli III. gesta.*

Qua propter statim anno Christiano DCCC LXXIX. CAROLVS III. *Crassus* cognominatus, post fratruelem, Romanorum imperator, capta jam absente papa urbe, ab *Italis* & *Germanis* acclamatus, pronunciatusque Decembri mense est. Is initio *Sueviæ* nostræ ac *Elsatiæ* dux, a *Ludwicho* Germanico parente, *Forchaimæ* fuit constitutus, cum *Berchtmairus* ultro dignitate ea cederet. D

A. 876. Deinde anno DCCCLXXVI, cum pater ipsius princeps formosus, fortis, fortunatus, & minime ociosus; utpote qui militibus auri & serici usum ademerat, jam septuagenarius, V. Kalendas septembris *Frackfurti* obiisset, ac in monasterio *S. Nazarii* in *Lorishaima* sepultus fuisset, *Rhenarum* & *Germaniæ* rex est factus. Demum iam Cæsar *Galliam* quoque tutorio nomine, pro *Carolo simplici*, *Ludwichi Balbi* posthumo filio, administravit, licet multorum opinione, *Crassus* noster verus rex *Galliarum*, contra *Ludwichum* nil facientem, *Carloni* filium, ob *Danorum Normannorumque* in *Neustriam* irruptiones electus dicatur. In quo cum primis laudandum, quod primus imperatorum & epistolis & diplomatibus annos in nativitate servatoris Christi addendos curaverit, cum hactenus tantum per annos regnorum, Regum, Cæsarumve, libelli & acta computari consveviſſent. *Æræ Christianæ origo.*

Quem morem tamen circiter annum Christi DXXV. *Dionysius* abbas Romanus, A. 525. primo introduxisse videtur, quando rerum gestarum historiarumque seriem, non ab annis, vel conditæ urbis, vel Consulum Romanorum, vel etiam initii imperiorum, Augustorum Cæsarum, sed ab incarnatione Jesu Christi numerare primus docuit, ut nimirum *Diocletiani* memoriam aboleret, a cujus morte annorum computus ea tempestate fieri consueverat.

Wicherus Episcop. XVIII.

Interea *Wicherus*, *Wiggerus*, sive *Vidogarius*, quartus *Vttenbeyrhanus* abbas, *Vdalmannum* in officio pastorali *Augstburgi* anno Christiano DCCCLXXXIII. cunctorum suffragiis, Cæsarisque ratificatione propter eruditionem insecutus, quatuordecim annis sedit. A. 883. Interfuitque synodo *Moguntinæ*, quam *Arnulffus* Cæsar *Lindebrechtum Lintpertumue* metropolitam ibidem, *Germanis* episcopis ad annum DCCCLXXXVIII. indicendam præ- A. 888. ceperat. *Vidogarii* hujus tempore, *Adrianus* A. 884. *III.* natione Romanus quam primum in patria papa crearetur, & a *Carolo* nostro Cæsare pro more confirmatus esset, cum imperii vires a tot competitoribus enervari animadverteret, arrepta occasione, præsumptuosissimum decretum fecit, ne scilicet in eligendo summo pontifice, clerus vel autoritatem vel consensum Imperatoris amplius expectaret. Porro sunt, qui *Wiggerum* hunc nostrum indies Evangelium prædicasse ferant, ac *Helvetiorum apostolum* admodum inconsiderante fingant.

Caroli III. reliqua gesta.

C Licet autem Imperator noster *Carolus III.* fortunatissimus locupletissimusque heros fuerit, utputa, cui Italia, *Gallia* & *Germania* in qua omnino *regum* nomina abolevit primusque *Landgraviarum Thuringiæ* instituit paruerint. Ad hæc liberalitate, pietate, fortitudine, ac literarum peritia princeps præstantissimus sit habitus, iniquioris fortunæ tamen ludibria, sævioris fati procellas ad extremum subterfugere, nedum superare nequivit. Etenim cum postremo *Vidonis Thusciæ* reguli motus in *Italia* suppressisset, illinc *Boiariam* petens, *Augstburgi* nostro aliquot dies pontificaliter genio indulsit, inibique *Rychario* & *Rudolpho*, *Burgundionibus Sueviæ* universum ducatum liberrime resignavit. Parvo autem intercedente temporis spatio, in acutissimam ægritudinem incidit, ex qua delirus factus, *Triburiæ* imperium abdicare per optimates coactus est. Et cum iam antea divortium cum *Rychardo Scota* conjuge fecisset, quæ post obitum *Andaloæ* apud Vestales in *Alsatia* sepelitur, eo quod Sueviæ primores stupri eam cum *Luitbardo Vercellensi* episcopo, cancellario suo, insimulassent, planeque ex omni parte orbus esset, confestim ab omnibus immeritissime desertus, &

ad tantam penuriam redactus est miser, ut concedente successore suo in imperio, vix e *Nitingæ* pagi *Hegowiæ* reditibus, post octavum imperii sui annum victitare, & pridie idus Januarii anno domini DCCCLXXXVIII demortuus, quidam in prædicta villa a proprio famulo strangulatum volunt, in *Augiæ majoris* monasterio obscura sepultura condi ut ignobilis potuerit. Quemadmodum itaque *Crassus* hic a summa vitæ humanæ felicitate, ad contemtissimam tenuitatem, monarchis elatioribus in exemplum fuit præcipitatus, nihil enim mundi potentia infirmius mobiliusque: Ita & *Augstburgum* quoque nostrum hactenus tranquillitate floridum, partim novorum bellorum turbinibus concuti, partim aliis invidiæ insultibus ex alto non parum deprimi subsequenti sæculo cæpit.

A. 888.

Ernhulffi gesta.

Quamprimum enim *Ernhulffus*, *Arnulphusque Carolomanni Bojariæ* & Italiæ regis ex *Lindoswinda Carenthana* pellice, naturalis filius, & nepos *Ludwichi Germanici*, adnitente *Luitgarda* abbatissa chiemseense, amitina sua, loco patrui, anno salutis DCCCLXXXVII. Novembri mense, apud *Franckfurtum*, nonnulli *Triburiæ* statim a *Caroli* depositione volunt, a *Germanis* in Cæsarem fuisset lectus; & *Aquisgrani* a *Lindebrechto archiflamine Moguntino* coronatus; en *Rudolphus Burgundiæ* rex consobrinus, se illi quam audacissime opponit, ac *Langobardi Berengarium Foro Julii* ducem, eidem æmulum *Ticini* suscitant. Quin item *Zuentebaldus Marabensium*, sive quod idem importat, *Suatobogius Moraviæ* regulus, quem jam dictus *Arnhulffus*, adhuc *Bojariæ* rex, propter antiquam familiaritatem, & quod sororem suam *Gysalam*, in matrimonium duxisset, *Bojohemia*, in quam is *Zechos* & *Sclovinos* postliminio quasi reduxit, jam ultro donarat, ingratissime illi quoque in patriæ finibus toto triennio rebellare non reformidavit. Propter quos motus, statim & civium nostrorum felicitas, præ inhumanissimis tum *Marabensium* tum *Hunnorum* incursionibus, frustra *Burghardo Nellemburgense* Landtgravio, jam jam post *Rychardum* parentem ab *Arnulpho* Cæsare *Suevorum* duce creato, ex debito opitulante, perturbari non modice cæpit. Quod infortunium intolerabilis quoque omnium rerum caristia, famesque funesta comitabantur, quæ non modo civitatem hanc nostram premebant, verum insuper utranque *Rhetiam* insueta affligebant macie. Tandem imperator *Arnhulffus*, pulsis *Vidone* & *Landbrechto*, Italiæ regibus, captaque præcurrente Lepusculo urbe Romana, ubi postea anno domini DCCCXCV. in *basilica apostolorum* a *Formoso* papa *Augustus* consecratus fuit, cæsis denique ad *Mosam Nortmannis*, *Ratisbonæ* ob crebriorem alii usum, XII. regni anno, *phthyriasi*, VI. Kalendas Decembris periit, alii *veneficio* apud *Italiani*, ipsum paralyticum prius factum fuisse volunt, apudque *Noricam Oetingam* sepultus in *Mariana*, a se fundata *æde* est, juxta *Carolomannum* patrem.

A. 887.

Bellum & inimoné caritas Augustanos premunt.

A. 895.

Post quem protinus *Germaniæ* procerum rogatione LUDWICHUS III. unicus ipsius & adhuc impubis ex *Dietha Carenthara* sive *Gusta Bojarica* legitimus filius, anno domini DCCCXCIX, III. Kalendarum Decembr. *Forchaymæ* Cæsar, sub tutela *Ottonis Saxonum* ducis fratrii sui, pronunciatus, & ab *Hattone archiepiscopo Moguntino Aquisgrani* coronatus est. Ac statim sævissima armorum tempestas totius imperii tranquillitatem conquassavit. Nam ut alias orbis partes præteream, Italiam quatuor tyranni lacerabant; *Galliam* tres corrivales turbabant, certe *Germaniæ* nostræ ob ortu solis atra surrexit nubes, pestiferaque aura. *Ungri* enim *Asiatica* plebs, quæ nostris hominibus hactenus ignota, sua lingua *Megari* & *Maigoroli* vocatur, cum paulo antea *Hunnorum* & *Avarorum* gentes, una cum nomine illorum, *Dacia*, *Pannoniisque* penitus sustuliissent, ferociores victoriis redditi diro agmine per totum *Noricum Vindelicumque* ad *Sueviæ* usque nostræ terminos, *Cussalæ* regis sui ductu insolenter quoque prorumpere, immo occiso sub annum domini 900. *Burkardo* duce nostro furiosissime cuncta de more vastare ausi fuerunt. Et ni memoratus Cæsar paulo antequam moreretur, non procul hac civitate ad *Lyci* fluenta cum illis fortissime simul ac cruentissime conflixisset, actum de toto *Augstburgo* fuisse cuncti per ea tempora existimarunt, pertimueruntque. Aliter tamen de prælio hocce, *Aventinus* hystoriographus exquisitissimæ diligentiæ sentit, ad quem lectorem libenter remittimus, non enim *Ausburgum*, sed *Ansburgum* scribendum fuisse docet. Atque hic vide, quem errorem unica litera parere possit.

Ludwichi III. gesta.

A. 899.

Bellum cum Vngris

A. 900.

Porro sub *Arnhulffo* præcedente Cæsare, anno nimirum salutis DCCCXCVII. *Adalbero* comes, *Wirtzslingensis*, qui comites, ut multi opinantur, ex *Kyburgensium* prosapia orti, jam a possessione nominabantur, *Dillingensis*, alii *Baronem à Brandenburgo*, quod juxta *Byberacham* est, faciunt, electione concordi *Augustani* cleri, decimo nono loco hic est factus, qui & musicus egregius, & *Ludwichi III.* Cæsaris colendissimus patrinus & præceptor fuit, abbasque duodecimus *Ellwangæ*, aç postquam & docte & virtuose annis decem & septem in pontificatu, quem ab Imperatore, sua prudentia valde illustrari curavit, apud nos vixisset, præciosissimaque offertoria tumbæ & Cænobio *S. Galli* in *Helvetia* præsentasset, vivusque sibi propter varia incumbentia negocia peregrinationesque successorem haud indignum adoptasset, pro sancto a suis coli cæpit, humatus ad *S. Afræ* ædem.

A. 897.

Adalbero Episcop. XIX.

Pater hic interfuit Synodo *Triburiensi* ultimæ, quam imperator *Arnhulffus* anno salutis DCCCXCIX. in agrum *Moguntinenseni* conscribi mandarat, ubi episcopi & abbates quatuor provinciarum, videlicet *Moguntinæ*, *Colonienses*, *Treverenses* & *Salzburgenses*, collecti ex instinctu *Formosi* papæ, qui primus alienæ diœcesis episcopus, Romæ pontifex maximus est

Adalbero interfuit Synodo Triburiensi,

A. 892.

ctus, & post mortem a successoribus mire agitatus, tandemque in *Tyberim* resossus projectusque fuit, sacerdotalem autoritatem maxima cura contra sæcularem, quam vocant, potestatem, per *Germaniæ* regnum stabilierunt.

Altbaimensi. Interfuit item idem noster *Adalbero* postea *Altbaimensi* sacerdotum conciliabulo, in quo legatus *Johannis X.* Romani pontificis, qui *Sergii* III. Papæ & impii & indocti ex *Merocia* meretrice nobilissima spurius, *Theodoræ* amasiæ suæ studio initio præsul *Bononiæ*, deinde archiepiscopus *Ravennæ*, tandem papa in urbe *devotissimus*, si Diis placet, est factus, ac extremo propriæ matris fraude cervicali suffocatus in carcere est, multa pro antistitum libertate statuit, & præsertim de restitutione *Salomonis* a *Ramswago Constantiensis*, ut versutissimi ita arrogantissimi episcopi, qui simul *Sangallensis*, *Majoris Augiæ*, *Fabariensis*, & *Ellwangæ* abbas erat, ac tum forte a Sueviæ principibus in arce *Dietboldsburgo Alpgoviæ* captivus detinebatur.

Porro sub *Adalberonis* præsulis hujus villicatione, cum mortuo *Tutone* septimo *Wessenbrunense* abbate, cœnobitica sorderet incolis vita, *Ruthardus* qui spiam primus popularis præpositus ibidem esse cæpit. Extitit item tanta in eligendis papis Romæ barbaries, ut intra undecim saltem annorum curricula, novem pontifices summi vere successores, *ad cimbam*, quam vocant, *Petri*, non ut alacres *naucleri* sederint, sed ut turpes *Pyratæ*, absentibus imperatoribus *Germanis* nutaverint, & sese invicem ambitionum procellis submerserint.

Arnoldi gesta. Cæterum postea quam *Ludwicbus* III. Imperator, prævalentibus undique atrocissimis *Ugris*, ex animi dolore XII. regni sui, Christi

A. 911. vero CMXI. anno *Ratisbonæ* XII. Kalendarum Februarii, supremum orbis obiisset diem, e vestigio *Bojari* redditis illi ibidem in feriis, ex sese regem veteri consuetudine, ob imminentes infideles hostes, *Arnoldum* sive *Ernboldum*, *Lentboldi* ab *Ungris Posonii* paulo antea occisi

Chunradi gesta. ducis filium, salutarunt. *Hatto* vero *Moguntinus* Metropolita, compater *Arnulffi* dudum defuncti imperatoris, vir malarum artium instructissimus, & insignis traditor, *Ottonis Saxoniæ* ducis auctoritate cum *Francis* CHUNRADUM *Ostrofrancum*, *Hessiæ* & *Wenderaviæ* principem *Cunradi Lutheringiæ* ducis ab *Adelbrechto Pabergense* comite fraudulenter interfecti filium ac *Ludwichi* proximi Cæsaris ex sorore *Placentia* ad finem, mense Decembri *Fritzlariæ* Germanis Cæsarem constituit

A. 912. ac statim sequente anno, *Aquisgrani* coronavit, reclamantibus serio *Suevis*, *Bojaris* & *Lutheringis*. Cumque talia in *Germanico* ficrent regno, statim & *Italia* ad ingenium redire, *Germanicumque* jugum excutere conata est. *Thusci* enim cum *Insubribus Ludwichum Bosonis Narbonensis* provinciæ, seu *Arelatensis* regis filium, contra *Berengarium Langbardum Italiæ* jam regem, *Ticini* imperatorem appellarunt, qui tamen cum incautius & imperaret & pugnaret, paucilos post annos ab adversario secundum captus, & *Veronæ* erutis oculis visu privatus est.

Interea dum *Ungri* præterita *Bojaria*, cujus orientalem limitem *Rudigerus Bechlarien-* *Ungrorum cladcs.*
sis, heros martialissimus Cæsarumque legatus, inclite propugnabat, totam ferme Germaniam impune iterum pervagantur, & tertio *Chunradi* Cæsaris anno, ad muros usque *Augustburgensis* civitatis latrocinia & prædas pro libitu agitant, non potuit non & clerus & populus in ea summe consternari & anxius esse, Donec imperator ipse contra evocatorem illorum, *Arnbulffum* præfatum, cui *Malo* cognomen haud abs re in *Bojaria* tandem mansit, bis huc fortissima manu anno videlicet Domini CMXVI, A. 916.
& illum immediate sequente, *Reginoburgum* debellaturus pervenerit, bisque præliis admodum cruentis *Dursacum Ungrorum* regem superans, tum civium animos confirmavit, tum provinciæ hujus statum adeoque totius *Germaniæ* tolerabiliorem reddiderit. Quibus ita cum gloria gestis, fugato & proscripto memorato *Arnbulffo*, comitia apud *Altbaimam Rhetiæ*, sub ejusdem anni autumnum, contra rebellium *Suevorum* contumaciam, tanta se- *Suevorum*
veritate celebravit, ut XII. Kalendas Februarii *rebellium*
subsequentis anni, *Erchingerus* & *Berchtol-* *supplicium.*
dus, *Sueviæ* principes, & illorum ex sorore ne- A. 917.
pos *Luitfridus*, ante biennium in comitiis *Moguntiæ Solomonis Constantiensis* episcopi instantia, capitis damnati, atque hactenus in ipsorummet castro duello a *Ramsowagis* intercepto, captivi in *Adingense* villa *Hegovia*, securi percussi sint.

Posthæc *Burghardus Sueviæ* dux, qui itidem *Reconciliatio Burghardi cum Chunrado.*
Chunradum Cæsarem non agnoscebat, agnatorum periculo edoctus, rebus suis sine mora melius prospiciens, universum suum ducatum in integrum restituere, ac veluti de novo suscitare curavit. Nam & imperatori reconciliatus est, & firmioris securitatis ergo *Rudolffo Burgundiæ Italiæque* regi, qui post cædem memoratorum principum terras illorum jam occupare studebat, a se apud *Vitodurum* victo, postea filiam *Berchtam* in uxorem elocavit, atque ita pacem inter vicinos coalescere sedulo sategit, & tandem *Lamperti Mediolanensis* archiepiscopi insidiis, prope *Navariam* alii *Eporbediæ* volunt, interfectus est.

Decedente dein in *Quindelburgo* circiter *Hainrichi Aucupis gesta.*
Kalendas Julii, *Fuldæque*, alii *Wamburgi* volunt, sepulto, sæpe dicto *Chunrado* Cæsare, confestim anno salutis CMXIX. HAYNRY- A. 919.
CHUS *Saxoniæ* dux, *Auceps* dictus, *Ottonis* filius, nepos *Arnulffi* imperatoris ex *Luitgarda* filia, consobrinusque *Chunradi* proximi *Fritzlariæ* Cæsar, ex prædecessoris sui, cujus acerrimus hostis fuerat, ultima voluntate efficitur, nec ab *Heringero Moguntino* pontifice vel coronari, vel inungi voluit. Sub quo concordia inter *Germaniæ* principes est facta, & tandem *Galliæ* regnum a *Germanico* penitus avulsum separatumque est.

Sub hocce ævum HILTINUS vir sapien- A. 914.
tia & eruditione præstantissimus, post *Adalbe-* *Hiltinus*
ronem præsul vicesimus *Augustburgi* decennio *Episcop.*
plus minus extitit: Quanquam nonnulli, ma- *XX.*
xima incuria, ne dicam detestanda inertia,

quin-

quindecim annis, eum, multi solum *quindecim mensibus* præfuisse scribant. Qui error tamen ex eo salvari poterit, quod præcessoris *defunctor*, hodie *adjutorem* vocant, diu fuerit.

A. 925. *Udalrychus Episcop. XXI.* Quo mortuo divus UDALRYCHUS, *S. Adalberonis* ex *Hugbaldo Dillingense* comite, fratre nepos, pontificatum apud nos subiit. Huic dum in Cœnobio *Sangallensi* apud *Waninguan S. Notkeri*, qui *Prosarum*, quas *sequentias* appellant, in missa latina primus autor fuit, disciplulum successoremque in schola literis operam daret, a devota illic moniali *Wiberratha* non solum episcopalis præeminentia, sed & in eadem plurimæ tribulationes prædictæ sunt. A

A. 925. Anno igitur Christi CMXXV. ex *Utenheyrhano* monasterio populi ac cleri *Augustani* rogatione, ab *Hainrycho* I. Cæsare evocatus, & præsul in die *innocentum puerulorum*, natus XXXII. & dimidium annos, confirmatus est, administravitque ecclesiam suam quinquaginta quasi perpetuis annis, tanto pietatis Zelo, ut Romanis pontificibus, suæ diœcesis, sacerdotibus uxores denuo adimere volentibus, atque etiam ciborum delectum populo indicentibus, non minore atque *Udalgerus* præcessor quondam suus spiritu, haud statim acquievebrit. B

Ernestinus Suev. dux. Sub hoc episcopo *Ernestus*, ultimus *Hiltenbrandini* sanguinis *Sueviæ* dux, & provinciæ *Augstganiæ*, & civitatis *Augustanæ* advocatus fuit, cujus instinctu beatus *Udalrychus Arnoldum Bojarum* maturis monitis, a civile, quod meditabatur, bello ad humilitatem erga imperatorem deflexit, obedientiamque hocce argumento, quod per insomnium sibi oblatum fuerat, persuasit, nempe minus utilem regno esse, quem non post justam electionem episcopus unxisset, quam sine capulo gladius sit.

A. 948. *Synodus Ingelhaimensis.* Interfuit autem idem noster episcopus, subscripsitque *Ingelhaimensi* synodo, qua anno Domini CMXLVIII. a triginta pontificibus *Ottoni Magno* imperatori assertum est, melius fore *Germanis*, paucos Deo servientes monachos pascere, quam magnum gregem ociosorum, nullatenus Reipublicæ utilium, quique nec Deum etiam recte colerent, sed monastico habitu sæculi voluptates sequerentur, diutius tolerare. C

Augstburgum bello devastatur. Cæterum cum memoratus *Udalrychus*, jam dicto *Ottoni* in omnibus negociis, etiam secretioribus, semper comes ac consiliarius fidissimus esset, facile in multorum, ut fieri in aulis solet, odia incurrit. Adeo ut anno salutis CMLIII. a *Bojariæ* quibusdam tetrachis, D

A. 953. connivente *Luitholffo Suevorum* duce, acerrime debellatus, totaque hac provincia in despectum imperatoris direpta vastataque sit. Quin & ipsemet quoque præsul in *Menchinga* sua obsessus, haud incruento prælio, nam *Albrechtus Marchtalensis* comes, patruus & præfectus ibi interfectus est, *Dietbaldi* fratris indefesso auxilio, liberari potuit, ob quod bellum *Augstburgi* nostri minus læte victitatum esse conjicimus. Nam quidam ista ab *Arnoldo Bojariæ* duce gesta, atque adeo totam civitatem *Augstburgensem* ad vivum usque dire-

A. 957. ptam exspolitamque anno Domini CMLVII. fuisse volunt. Nihilominus tamen sanctus vir, magno semper animo plurimis expeditionibus imperatori suo præsertim contra infideles præsto adfuit: Cumprimis vero eo in conflictu virtus sanctimoniaque ipsius enituit, quo *Ungri* ad mœnia civitatis suæ deleti sunt, missa in victoriæ signum cælitus cruce aurea, ut sui fabulantur. Quin item detestabile illud bellum, quo ante dictus *Luitholffius* adversus parentem suum imperatorem, jamjam ad *Ileram* amnem, prope *Tyssam Sueviæ* nostræ pagum, hostiles manus impiissime conferturus erat, adjumento *Hardbrechti Curiensis* episcopi, in quem & propter hoc officium, & quia a *Sarracenis* per suam diœcesin damna passus paulo prius fuisset, *Otto* imperator munificentissimus extitit, ultro citroque indefatigabiliter commeando, nullo respectu sui habito, partim precibus, partim minis, tanta persuasionis vi consopivit, ut non solum rebelles conterraneos in officio continuerit, verum etiam ipsummet ingratum filium pio reconciliaverit patri. *Udalrychus componis litem inter Cæsarem ejusque filium.*

Quam ob causam illi *Neuburgensis* ecclesiæ procuratio, de qua post *Zimbrechtum* nonnihil controversum a *Bojaris* hactenus fuit, de novo donata, *Augustanæque* Diœcesi mere iterum ascripta fertur. Tanta autem dilectione civitatem hanc, postquam humilia ejus mœnia orationibus jejuniisque potius miraculose, quam præsidiorum telis fortiter, contra *Ungrorum* oppugnationem, paulo antea defendisset, complexus est, ut *S. Johannis* ædem, anno incarnationis divinæ CMLVI. pro Catechumenorum & laicorum parochia primus erigi curaverit. *Erigit eadem S. Johannis.*

A. 956. Postea *Cralochum*, *Sangallensem* abbatem, Cæsari *Ottoni* reconciliavit, cœnobioque suo reddidit. Ad hæc *Campidonense* monasterium ab *Ungris* similiter desolatum, non modo post *Ludwichi* XII. illic abbatis, apud se exulantis, mortem in *Commendis*, quod dicitur, habere dignatus est, sed etiam *Ernesti*, *Sueviæ* ducis, supradicti liberalitate restituens, *Alexandrum*, *Fordrestenum*, ab *Egk* novum in eo monachorum patrem constituit. Denique allatis *Roma Agathoque* sanctorum quorundam religiis, nobilium virginum gynecæum ad *S. Stephanum* protomartyrem, anno virginei partus CMLXIIII. sub sororis suæ *Elsinæ* sive *Elisabethæ* disciplina, de suo *Batzenhofam* cum omnibus attinentiis & jure illi donando, ut nimirum *Dietbaldi* fratris manibus, paulo antea eodem in loco occisi parentaret, quam liberalissime *Augstburgi* nostro fundavit. *Fundat gynecæum ad S. Steph.*

A. 964. *Elisabetha Stephanina abbatissa I.* Cujus *cœnobitas*, sive quo magis delectantur nomine, *canonicas* virgunculas, nulla vestitus religione, aut cælibatus voto obstrinxit, possunt enim, quando libet, in domino nubere, oportetque easdem, dum nomina sua consortio illi dant, non infra novem nec supra duodecim annos natas, & ab ingenuis parentibus usque ad attavos procreatas esse. Quanquam non desint, qui has ipsas *Stephaninas* nymphas initio, & diu post, sub ordine *S. Benedicti* degisse hic adserant. Restauravit etiam idem noster *Udalrychus*, *S. Afræ* ædem, sacelluu, ultra centum jam annos, vepribus & *Restaurat ædem S. Afræ.*

situ

situ extra civitatem horrens, vivusque sibi monumenti loco legit, constitutis eo *regularibus*, quos sic vocant, *Canonicis*, ubi hodie peramplum adhuc sui nominis claustrum floret. Non desunt item, qui scribant, ipsum *Augstburgensem* urbem ampliasse quoque, ac præfatam *S. Afræ* ædiculam, cum *Austrino* suburbio, quod idcirco *superiorem civitatem* dici quidam volunt, mœniis primum inclusisse. Porro sæpedictus præsul, in pauperes largissimus fuit, ac cœnobium illud consecravit, quod *Rasso* comes in ima parte castri sui *Rassenberga*, anno Domini DCCCCLIIII. *Werdæ* construxerat, vacantique apud *Uttenbeyrham* abbatiæ, *Adalberonem* comitem ab *Helffenstaino*, ex sorore *Luitgarda* nepotem præfecit, quem & successorem sibi Imperatoris consensu delegerat, unde *symoniacæ* hæreseos in *Gaylhaimensi* Synodo notatus brevi illum, ex incisione venæ, amisit. Qua de re anno salutis DCCCCLXXI, dein abbas ad eundem locum postulatus, altero anno dignitatem eam *Rudungo*, cum certis ab imperatore impetratis privilegiis resignavit. *Eberhardum* item veterem sodalem, qui relicto summæ apud *Argentinenses* ædis decanatu, in anarchoretam persanctum in obscura ea *Helvetiorum* sylva, conversus fuerat, in qua ante annos plus minus CLX. *S. Maynrhadus*, comitis *Sulgoviensis* filius, dimissa *Augiæ Majoris* consuetudine, primam sibi cellam, arctioris vitæ causa, construxerat. In qua & posteriore sæculo homines, divinam virginem *Mariam* ad heremitas, miraculorum ergo, insano concursu adorare consueverunt, tum amanter tum frequenter convenire solitus fuit. Quemadmodum etiam in transitu eo cognatum suum *S. Chunradum*, comitem ab *Oeringa Altorffoque*, episcopum *Constantiæ*, sua præsentia persuasioneque anno Domini DCCCCXXXV. factum, sæpissime visitare non est gravatus. Ad extremum IIII. nonas Julii, die Veneris, anno Christiano DCCCCLXXIIII, *Augustæ Rhetiæ* obdormiens, a *S. Wolffgango Ratisbonense* præsule, quem natione *Suevum* & comitem a *Pfullingen*, nec non in *Wellenburgo*; propinquo urbi nostræ castro, natum fuisse contendunt, honorificentissime in monumentum proprium illatus est. Cui loco tunc æque ac summæ apud *divam virginem* ædi *Junckfredus* erat præpositus. Sub hujus antistitis ævum, *Hatto* II. *Moguntinus* Metropolita, quod aliquot mendicantes horreo inclusos, incendio deleri curasset, a muribus justo Dei judicio vivus corrosus, & in medio *Rheni*, quo bestiolas illas, si non Cacodæmones fuerunt, fugerat, devoratus est. Cum interim non parum multi a præfato *S. Udalrycho*, territorium nostrum majoribus muribus sive glyribus, primo mundatum esse credant, ac monachi in eundem eventum glebas de sepulchro ipsius, non parva superstitione etiamnum divendant exteris hic.

Ampliat urbem.

A. 954. *Legit abbatem Utenbeyrhæ.*

A. 971.

Visitat Eberhardum & Chunradum.

A. 935.

A. 974.

Et hactenus ecclesiastica ista, nunc ad institutum præcipuum revertar. Statim sub initia regni *Hainrychi Aucupis*, *Arnboldus Bojoriæ* regulus, ab *Ungrico* exilio rediens, atrocem rebellionem moliri cæpit, fretus antiquorum hospitum subsidiis, qua tamen præpropere *S. Udalrychi* episcopi nostri hortatu mollitus, initisque mutuis inter utriusque liberos coram Cæsare affinitatibus, non tam facile quam commode destitit, atque eo pacto & se & suam patriam, una cum hisce vicinis terris, ab intestato discrimine liberavit quidem, veruntamen inhumanissimis *Ungris* occasionem dedit, ut *Augstburgo* crebris irruptionibus, tum ruri tum domi infinita damna attulerint.

Arnholdi rebellio sopitur.

Ungrorum irruptiones.

A. 925. In annales namque relatum est, *Bugothum* regem illorum, æra salvatoris CMXXV, ac postea teterrime cuncta hic circumquaque & depopulatum esse, & misere evertisse. Circiter quæ tempora occiso, a jam dictis *Ungaris*, *Burghardo*, *Sueviæ* ducatus, una cum civitatis hujus tutela, *Eberhardo* nobili, beneficii loco, ab *Hainrycho* Cæsare concessus est. Id quod etiam *Otto* subsequens imperator ratum habuit.

A. 926. *Burghardus Sueviæ dux.*

Cæterum imperator *Hainrychus* ob devictos prope *Merseburgum Saxoniæ Ungros*, suppressosque dein *Obodritas*, in qua expeditione *Augstburgenses* auxiliarii Cæsaris, non parvo numero fuerunt. Equestres ludos *Magdeburgi* in *Vandalia* sua anno salutis CMXXVIII. alii habent 938. cum principibus optimatibusque totius *Germaniæ*, publice primum ad instar triumphi celebravit, a quo tyrocinio severum illud armorum exercitium apud nostros nobiles originem sumpsit, quod a *Trojano agmine*, vulgo *Thorneamentum* dictum, solis virtute & honestate claris, & non solum natis nobilibus adire licitum fuit. Erectis tandem duabus adversus *Sclavos*, limitaneis præfecturis, quas *Brandeburgensem* & *Sleswicensem Marckgraviatus* vocant, comparataque sibi pro magna *Sueviæ* provinciæ parte, a *Rudolffo* rege *Burgundiæ*, *Constantini Magni* lancea, quam is ex uno clavorum, quibus servator hominum Christus cruci affixus fuisse putatur, sibi artificiosissime olim confeciisse creditus est, facta denique *Bojobemia* imperio tributaria; dum dictus *Hainrychus*, iter in *Italiam* appararet, apoplexia VI. nonas Julii in castello suo *Himekewa*, *Miemmeleva*, obiit, humatusque *Quindelburgi* seu *Quettelburgi* est in basilica *divi Petri*.

A. 928. A. 938. *Ludi equestres Magdeburgi.*

Ultima Henrici Aucupis gesta.

Cui statim anno Christi DCCCCXXXVII ex *Mechtilde Saxonica* conjuge filius, OTTO a *Germanis* & Cæsar proclamatus, & ab *Hildebrechto Moguntinense* archiepiscopo, *Aquisgrani* coronatus, in imperio Romano successit. Licet *Ludwichus* VII. *Transmarinus* dictus, *Caroli simplicis* filius, *Galliæ* rex, quorundam *Rhenensium* episcoporum, *Gisbertique Lutheringiæ* ducis subornatione, de imperii jure, cum ipso aliquantisper, usque ad expugnationem *Argentoratensis* civitatis, armis contenderit. Quo tumultu *Eberhardus Sueviæ* nostræ dux, a Cæsare *Ottone* apud *Brisacum* prælio anno domini CMXXXIX. occisus fuit, cui *Hermannus Franco*, alii *Hessum* faciunt, ob ductam *Burkhardi* superioris viduam,

A. 937. *Otto Imperator.*

A. 939.

jam dicti Cæsaris collatione apud nos successit. *Hermannum* hunc, *Stephanus* VIII. primus ex *Germanica* natione Romanorum papa, latina lingua contra Grammatices usum, vobissavit primum, hoc est, *vos* pro *tu* compellavit. Quod vel eo non indignum notatu censeo, quia sicuti vera religio, tum apud pontifices lapsa erat, ita puritas quoque latini sermonis in barbariem conciderat. Postea cum & *Danckmarus* nothus *Hainrychusque* legitimus, fratres ipsius Cæsaris, quorum hic tandem in gratiam receptus, *Bojariorum* dux factus, *rixosus* dictus est, se se illi quoq; opponerent atque *Fridrychi* novi *Moguntini* archiepiscopi proditione, terras ejus armis invaderent, Statim *Udonis* & *Chunradi Sueviæ* principum auxilio, tumultum eum victrici consopivit dextra, atque ita tantum non totam *Germaniam* in tutum collocavit. Occiso demum in *Italia*, circiter annum domini DCCCC XLVIIII. *Hermanno* bellicosa *Rhetiæ*, hoc est *Suevorum* & *Allemanniæ* duce, qui cremata fortuito *Lindavia*, cum claustro, castrum *Brigantinum*, non sine ope Cæsaris *Ottonis*, vi ceperat. Idem imperator *Luitholffum*, ex *Editha Angla* uxore, filium, provinciæ ejus ex gratia præfecit, cum jam antea *Itam*, unicam *Hermanni* dicti filiam, in conjugem duxisset. Atque dein, *Otto* Imperator, comitia frequentissima, præsentibus *Saxonum*, *Suevorum*, *Francorum*, *Bojariæ* ac nonnullis *Italiæ* principibus, una cum XXV præsulum congregatione, mense Augusto, anno domini CMLII *curente, in civitate *Augstburgense* celebravit. In quibus præter alia gravissima regni negocia absoluta S. P. Q. R. nostrum benignissime complexus, acceptis homagii juramentis, in tutelam, imperii, accepit, *Berengarioque* II. *Eporediæ Marchioni*, qui cum *Adelberto* filio, ob interruptam imperandi aviditate pacem, supplex demum est factus, *Italiæ* gubernacula ac sceptrum feudi idem *Otto* clementissime concessit. Lapis item stupendæ magnitudinis, iisdem comitiis, in medium forum de cælo hic jactus non modo universam terruit urbem, verum insuper imminentes calamitates certissime portendit. Etenim proxime insequenti anno, quando *Luitholffus Saxo*, *Suevorum* & *Rheni* dux, filius adversus patrem, nec non *Chunradus Mosellanus*, nonnulli *Luthringiæ* volunt dux, gener adversus socerum, eundem videlicet imperatorem, propter secundas cum *Adelhaide* filia *Rudolffi Burgundiæ* regis, & relicta *Lutheri Italiæ* regis vidua, nuptias, socia conspiratione arma moverent, dici non potest, quantus tremor, quantave consternatio civium hic fuerit. Cumprimis dum *Ernhulffus Arnoldusque* & *Hermannus*, *Scheurenses*, civili hac dissensione ansam sibi recuperanti ducatus *Bojariæ* oblatum existimarent. Firmato enim cum jam enumeratis seditiosis fœdere, *Auſtburgo* huic nostro, quod urbi episcopo suo *Ottonem* justum suum dominum sequebatur, furiosissime insultarunt, agrumque propinquum cum villis, non solum conculcarunt & deprædati sunt, sed & civitatem ipsam, fugatis incolis *Menchingam* usque occuparunt combusseruntque. Qua turbulentia difficulter admodum, per imperatorem, intercessione *S. Udalrychi* episcopi, superata, ut est rerum humanarum incertus status, conditioque instabilis, en longe prioribus actrocius, immo nefandissimum civitati nostræ incubuit malum. Nam *Chunradus Luthberingiæ* dux, perduellionis a socero damnatus, eoque extorris factus, in gratiam *Heroldi* A *Scheurensis*, episcopi *Saltzburgensis*, qui *Gerhardum Battaviensem* præsulem, sibi in metropolica dignitate prælatum, iniquissime ferebat, innumerus *Ungrorum* ad quos metu transfugerat, proscriptorumque *Germanorum*, copias turmatim, & quam fieri dabatur, crudelissime, contra *Ottonem* Cæsarem, parricidali plane classico evocavit, ac ad usque luctuosam nostræ hujus civitatis obsidionem, qua *S. Afræ* ædicula extra mœnia tunc sita ab hostibus exusta fuit, tanta barbarie eduxit, ut post truculentas *Bojariæ* populationes excursionesque hostium, usque in *Elsatiam Luthringiamque*, tantum non universa hæc provincia, cum memorato *Augstburgo* nostro, B diruta fuissent, eversaque, ni protinus idem *Otto* invicti imperatoris munus obiisset, ac communi *Germaniæ* expeditione, hic ad *Lechi* ripas eorundem *Ungrorum* terribilissimas Phalanges interneciissime, sed non citra suorum militum cruorem, IIII. Idus Augusti, anno domini CMLIIII. nonnulli *unum annum* adhunc computum addunt, oppressisset, delesset, fortissimeque haud unquam intermoritura gloria penitus conviciisset. In isto prælio habuit *Otto* Cæsar, octo lectissimorum militum legiones, quarum primam, secundam & C tertiam *Bojari* sub *Eberhardo Semptacensi*, *Hainrychi Bojariæ* ducis valetudinarii legato, quartam *Franci* sub *Chunrado* duce suo, quintam Cæsar ipse cum *Saxonibus*, sextam & septimam *Suevi*, *Burckhardo* duce suo, octavam cum sarcinis & impedimentis *Bojohemi* sub *Bolitzlao* regulo suo, ductitarunt, occubueruntque nostra ex parte *Burghardus* comes ab *Helffenstaino*, cui paulo antea imperator, qui neptem ipsius ex fratre conjugem, nempe *Haidwigem Bojaram*, principissam pulcherrimam, & apprime græce latineque D doctissimam, sed supra modum austeram, in conjugem, post *Luitgardam S. Udalrychi* episcopi sororem, haberet, *Sueviæ* & *Rhetorum* ducatum contra *Luitholffum* ipsius vitricum donarat, *Starchandus Eichstetensis* præsul, *Dietbaldus S. Ulrychi* frater, *Regenbaldus Pferringensis* comes, nepos ejusdem *Ulrychi* ex sorore, cum non parva nobilium caterva. Captus item & excæcatus a Bojis est *Heroldus Saltzburgensis* episcopus omnis belli incensor. Denique & supradictus *Chunradus* armiductor hostium, licet iterum socero imperatori ante conflictum sese dederit, acie cecidit. Adeo usque autem *Ungri* ea strage extincti sunt, ut

Appellationis VOS pro TU origo.

Imp. hostes suos vincit.

A. 949. *Luitholffus Suev. Dux.*

Comitia Augstburgi.

A. 952.

Hostilia Augstburgenses experiuntur.

Bellum cum Ungris.

Burghardus dux

Interneciva Ungrorum clades

A. 95[illegible]

nemo illorum, præter ipsum *Bultkonem* regem, cum quatuor suis ducibus, *Leele* videlicet *Sura*, *Toxone*, & *Schabo*, quos tamen avidius insequentes Suevi, non sine justo dolore, indignante tamen Imperatore, *Rhetobonnæ* suspendiis enecarunt, vivus ex castris evaserit. Vnde in posterum *Vngri* adversus imperatorem nostrum ne mutire quidem ausi sunt, *Augstburgumque* adeo permagno metu liberatum, dulces pacis artes, de novo, utraque manu amplexari perrexit. Cæterum in narrata jam pugna conventuque præmisso, virtus ac fides *Augstburgensium* civium in tantum eluxere, ut ab eo tempore inde, non solum ipsis ampliandorum mœnium, quippe quæ longe arctiore tunc, quam hodie, essent circuitu, sic ut in ripa *Lechi* lignea tabernacula, & qualescunque extemporaneæ mansiunculæ, præter militaria tentoria, sub divo pro advenis & peregrinis compacte in comitiis ab Orientali parte fuerint, facultas, & aliæ quædam municipales emunitates, ab imperatore *Ottone* donatæ solenniter sint. Verum in- *Textorum insignis origo.*
super textorum societas, sive tribus oppressi ab ipsorum manipulari cohorte, coryphæi, cujusdam *Vngrici* reguli clypeo & armis, quæ inter alias manubias, salva domum retulerant, tanquam proprio insigni etiamnum hodie gaudeat. Ea sunt *rubro & flavo colore* decussatim distinctum *Scutum Parmave.* *Vid. Tab. VI. Fig. 5.*

Adserta tandem ad nutum *Germania*, idem imperator *Otto*, CMLXI. anno, Romam secundo iturus, denuo *Augstburgi* nostro decentissimum comitatum conscripsit, ac per *Bojariam* & *Tridentinas alpes*, iter in *Italiam* sumpsit hinc. A.961. *Imper. iter in Italiam.*

In ista expeditione quæ totum biennium duravit, Imperator noster non solum omni *Italia* justitiam exercuit, tanquam merus Dominus, ac inter alia egregie facta, *Mediolanensibus*, quod signatum a se aurum & argentum adulterassent, ut coriacea moneta in posterum uterentur, mandavit, sed & urbem Romanam, elapso *Johanne* XII. papa, homine ingrato, scelestissimo, luxuque perdito, qui jam sancierat, ut imperator Augustus semper, post hac Romæ ab apostolico consecraretur, vi iterum atque iterum cepit, reformata ibidem, sacra sede, celebrataque synodo, extemplo omnem autoritatem & creandi & confirmandi, præter alios episcopos, summos pontifices, a clero populoque denuo, *Leonis* VIII. papæ sanctione recipiens, plene imperiales titulos, a *Romanis*, *Langbardis*, *Gallisque* abstulit, ac ad posteros suos Germaniæ reges, iterum transtulit. Unde ad instar *Caroli* I. *Magnus* quoque dici meruit, fuitque literarum & liberalium artium non vulgariter doctus. Mansit igitur civitas nostra, quoad is vixit, satis tranquilla, *Udone* II. *Luithlffi* filio, quem alii honorificentius *Ottonem* vocari putant, *Sueviæ* ducatum cum *Augstgoniæ* provincia, administrante, cui ad extremum & *Bojaria* quoque ad regendum concredita est. *Udo II. Suev. dux.*

Anno Domini dein CMLXVII. cum *Otto* junior jam Cæsar dictus ad partem imperatorem, a papa invitatus, Romam, ductu *Wilhelmi Moguntini* archiepiscopi, aliorumque Germaniæ principum, proficisceretur, hac cum tripudio transiens, memoriam *S. Michaelis*, cum emporii annalis festivitate, *Augstburgi* præsens lætissime concelebravit. *Burgum permeat.*

Decedente autem subitanea morte, nonis Maji in vico *Mimeleuna*, non procul *Goslaria*, ubi repertis hac primum ætate metallicis venis, opes, irritamenta malorum, in *Germania* tandem etiam effodi cæperunt, ac sepulto in æde *S. Moritii Magdeburgi*, quam urbem memoratus imperator, post devictos *Bojohemos*, caput *Vandalorum Zoraborumque*, archiepiscopum vero ejusdem, *Germaniæ* primatem esse voluit *Ottone I.* imperatore. *Ottonis I. Imp. mors.*

Mox eodem anno salutis CMLXXIV. ipsius ex *Adelhaida Burgunda* filius, OTTO II. ante tredecim annos, in festos Pentecostes, *Wormatiæ* Cæsar dictus, & mox *Aquisgrani* a *Wilhelmo* fratre archiflamine *Moguntino* etiam coronatus, denique intra quinquennium Romæ, præsente patre, a papa *Johanne* in natali domini consecratus, jure in imperio successit. A.974. *Otto II. Imperator.* A.979.

Hic a corporis habitu *Ruffus*, a victoriis *mors Sarracenorum*, & *Sanguinarius* dictus fuit, atque jam imperator factus, frustra *Luthero* V. *Gallorum* rege *Germanias* trans *Rhenanas* asserente, statim rebus patriæ animum intendens, primo imperii sui anno, *Augstburgensi* ecclesiæ *Hainrychum* comitem a *Wolfratzhusa*, ex sorore nepotem, quidam ex *Adelhaida* patrui *Hainrychi* filia pronepotem faciunt, episcopum constituit. Qui tamen ingratissime, una cum *Hainrycho Saxo Bojaro* agnato, qui *Boleslao Bojohemiæ*, *Mietzlavo Polaniæ*, & *Haraldo II. Cymbrorum* regulis confœderatus, novus rex *Bojorum* esse contendebat, *Rixosusque* est dictus, præfato suo collatori ac domino rebellionem, haud citra civium urbis nostræ incommoditatem meditatus, diutinam captivitatem pertulit. E qua tandem expiatus, universum patrimonium suum, nempe *Gysenhusam*, cathedræ *Augustanæ* incorporavit addixitque, sed & templum cathedrale novo festo ornavit, Pontem item non procul *S. Afræ* sacello supra *Lycum* fieri fecit. Vltimo post sextum villicationis annum, cum prædicto imperatore, in *Calabriam* contra *Sarracenos* proficiscens, prælio cæsus dicitur, quanquam *Hermannus* contractus comes *Veringensis*, cui magis quam vulgari nostrorum mystarum catalogo crediderim, ipsum a Græcis captum & in exilium deportatum scribat, Circiter annum gratiæ 976. *Hainrico* Duce expulso imperatore, *Bojariam* armis invalit, eamque *Ottoni* novo duci commendavit, ac sequente anno in *Bohemos* exercitum ducens totam nostram terram propter *Hainrici* præsulis nostri contumaciam, irrequietam solicitamque reddidit. A.976. *Otto Boiodux.*

Anno domini DCCCCLXXXII. *Chunradus* superioris *Ottonis* frater, *Sapiens* denominatus, in ducali officio suffectus est per *Sueviam*, A.982. *Chunradus Suev. dux.*

A.967. *Otto. Imp. filii Augst.*

Wernher. advocatui Augſtburg.

viam, qui *Wernherum* à *ſeldnegga* advocatum tum tum epiſcopatui, tum reipublicæ *Augſtburgenſibus* conſtituit. Sub cujus gubernatione, tum provincia hæc, tum civitas, ſatis commode ſe in otio domi geſſere, foris vero dum militando Cæſaris ſui partes contra *Gallos* apud *Belgium*, quo *Otto* imperator adverſus *Hugonem Magnum*, *Galliæ* invaſorem ſuperbiſſimum triginta duas militum legiones, ſtramineis pileis intectas, ſive, ut nonnulli ſcribunt, erectos ſuper galeis colos cum filo, & fuſo geſtantes, victorioſe ductitavit, ac dein contra *Græcos* in *Calabria*, alacrius quam evenerit, ſequuntur, multos amiſere & cives & colonos.

A. 979. Vdalgerus II. Epiſcop. XVIII.

Interea anno Chriſti CMLXXIX. *Hainrychi* præſati epiſcopi Pedum, *Vdalgerus II.* ſive *Waindelgerus*, nobilis, *Suevigena*, imperatorio conſenſu, ſub menſem Auguſtum natus, illo paulo minus quadriennio potitur. Sub quo præſule *Wettenhuſenſis* Canonicorum regularium præpoſitura, ad *Camlacham* fluvium, a *Gertrude* comitiſſa *Roggenſtainenſe* fundata primo eſt, alii tamen *Wettenhuſanum* monaſterium, ante ſæculum ferme, per *Werinherium* & *Chunradum* fratres, comites a *Roggenſtaino* conditum aſſerunt.

Otto III. Imperator.

Ottone II. imperatore, infortuniorum tædio, & ut multi autumant, haud ſine veneni ſuſpicione, Romæ VI. Iduum Decembrium mortuo, ibidemque in paradyſo, ante Baſilicam *S. Petri* humato, ſubito ad annum

A. 983.

Chriſti CMLXXXIII. primogenitus ejus ex *Nicephori Phocæ* Conſtantinopolitani, Ἀυτοκράτορος, quem domi ſexto regni anno *Johannes Zemiſces* ſucceſſor, per inſidias ſuſtulit, filia, ſeu, ut nonnulli volunt, ex Romani III. Cæſaris relicta privigna *Theophania*, OTTO III. nimirum, *Mirabilia mundi* dictus, Imperator Romanorum, adoleſcens adhuc, a *Germanis* ibidem, non citra contentionem; nam cuſtodiæ erat traditus *Creſcentii* factionibus, decernitur, & *Aquisgrani* a *Johanne* archiepiſcopo *Ravennatenſe*, Romano legato ſine mora, coronatur.

Ettichо Epiſcop. XXIV.

Ab hoc Cæſare, mox poſt *Udalgerum*, *Etticho* vel *Eutichus* comes *Altorffenſis*, quidam depravatè *Stucho* de *Altomunſtero* legunt, vicelimus quartus epiſcopus, *Augſtburgi* quinque annis conſtitutus eſt, pompa per, quam decenti. Sub hoc epiſcopo Cæſar *Otto Pragenſibus* primum epiſcopum *Theodagium* conceſſit, ingensque annonæ cariſtia famesque & civitatem noſtram & adjacentem agrum miſere torſerunt circiter annum domini CM

A. 987.

LXXXVII.

A. 988. Luitholdus Epiſcop. XXV.

Ettichone defuncto, *Luitholdus*, *Luitholfſusve*, anno ſalutis, CMLXXXVIII. per ſuffragia plebis & cleri electus, jam dicti Cæſaris beneficio, præſulatum hic aliquot menſes ultra ſeptennium tenuit, ac beatæ ſemper virginis baſilicam, dominicanum videlicet ſuum, anno Chriſti DCCCCXCI. vetuſtate collapſam, alii exuſtam ajunt, fuerat enim ligneis luteisque parietibus conſtructa,

A. 991. B. Virginis baſilicæ refectio.

præcipua devotiſſimæ viduæ *Adelhaidis*, quæ ex *Berchta Sueva*, *Rudolphi Burgundiæ* regis filia initio *Lutheri Italiæ* regis, & poſtea *Ottonis* I. Auguſti ſecunda uxor extiterat, munificentia iterum erigi, ac pulchrius quam antea fuerit, etiam vulgi ſtipe collecta, laterítio opere refici curavit, ſunt tamen, qui operam eam *Vdalgero* perverſo ordine adſcribant. Porro *Luitolffus* epiſcopus ſatis curioſe apud *Gregorium* V. papam, qui antea *Bruno* dictus, *Vttonis Sueviæ* noſtræ ducis filius, *Vercellenſis* & *Aichſtetenſis* præſul, jam agnati Cæſaris auctoramento, contra *Creſcentii Numantini* tyrannidem, & *Johannis* XVI. ingratitudinem, pontifex maximus fuit factus, Romæ impetravit, ut *Udalrychus* epiſcopus quondam *Auguſtanus*, vel patriæ cauſa, in ſanctorum numerum inſcriberetur. Conſecravit item monaſterium *S. Stephani*, quod *Kuniza* comitiſſa in *Dieſſen* de novo pro fœmellis per hæc tempora fundarat. Interfuit etiam *Halberſtadenſis* eccleſiæ apud *Saxones* dedicationi, obiitque tandem VI. Kalendas Auguſti, anno humanæ redemtionis CMXCVI. Quo anno, poſtquam *Otto* III. Cæſar, cujus conſenſu ante octo annos, extincto jam *Carolino* apud *Gallos* ſtemmate, *Hugo* capetus, comes *Pariſienſis*, *Francorum* rex contra *Lutbringos* fuit effectus, adverſus, *Creſcentium* ſupradictum, penitus conſularem poteſtatem Romanæ redintegrare ſeditioſius ſtudentem, pro conſtituendis, immo ut merebantur, plectendis, pontificibus maximis, ex quorum numero *Johanni* XVII. oculos effodi juſſerat, aliisque rebellibus, in *Italiam* magno exercitu per civitatem hanc properaſſet, cives noſtri quoque præclaros illius conatus prompte & ex debito adjuvare non diſtulerunt. At ſolita fortuna non parum multos tum ex ſuis, tum ex aliis conterraneis, in expugnanda urbe amiſerunt, ipſus vero Cæſar ab agnoto papa in die Pentecoſtes, in baſilica *S. Petri*, Auguſtus conſecratus extitit, ac ſanctiſſima lege conſtituit, ne alius quisquam in poſterum, quam *Germanus*, Romanorum Cæſar fieret, aut ab aliis, quam a *Germanis* Principibus eligeretur, nullo eorundem numero, nullave certa familia poſitis.

A. 996. A. 988. Auxilium contra Italiam Ottoni III. miſſum.

Vdalrichus ſanctorum catalogo adſcribitur.

Waltherus Epiſcop. XXVI.

Interim *Waltherus* II. *Luitholdo* ſucceſſor in epiſcopatum luce biennio datus fuit, ſub quo monialium cœnobium *Neuburgi* ad *Danubium Kunigunda Rheuanæ*, poſtmodum imperatricis caſtiſſimæ juſſu fundatum primo eſt.

Hermannus II. Suev. dux.

Porro permutante vitam cum morte *Chunrado*, Sueviæ noſtræ duce, *Hermannus* II. ducatum ejus, a ſæpe nominato imperatore, circiter annum ſalvatoris DCCCCXCVII. in beneficium accepit. Is *Chunradi Burgundiæ* & *Arelatenſis* regis, ex *Gerburga* filia gener fuit, ac *Elſatiam* quoque ſubditam habuit, *Augſtburgenſiumque* provinciæ & civitati prædictum *Wernherum Seldneccenſem* denuo advocatum prætoremque confirmavit.

A. 997. Wernherus præfectus

Gebhardus Epiſcop. XXVII.

Migrante autem *Waltbero* antiſtite e vivis, eccleſiæ Auguſtenſis curam, *Gebhardus*, *Gerhardusve* de *Ammerthala* anno domini

CMXC

A. 998. CMXCVIII. sex fere annis imperatoria approbatione susceptit. Quam ubi cum fruge, sed haud citra canonicorum suorum arduam contentionem gessisset, VII. idus Julii, anno
A. 1003. domini MIII. diem supremum clausit, in æde majori hic juxta præcessorem suum sepultus. *Gebhardus* iste antea decimus septimus *Elephancensis*, sic enim nonnulli græcissantes *Ellwangum* indigitant, abbas, atque collegii canonicorum, ad *divom virginem* hic præpositus extitit, ante omnia autem sacellanus diaconusve quondam *S. Ulrychi* fuit, cujus *vitam*, seu ut monachi putide vocant, *legendum*, luculenti pro ætate ea stylo conscripsit. Intestina præterea *Ottonis* III. imperatoris, cujus cadaver loculo hac prætervectum fætere nimium ceæperat, in primario suo templo honorifice sepelivit, in cujus æternam memoriam posterioribus sæculis *Frydericbus* IIII. *Saxoniæ* dux, & imperii Elector sapientissimus, pietatis ergo epitaphium elegantissimum eo-
A. 1510. dem loco columnæ, anno domini MDX. inscribi fecit.

Demum præfatus imperator, suspenso Ro-
A. 1002. mæ ad publicam furcam *Crescentio*, ac sumpto apud *Mutinam* de *Mariæ Arragonicæ* B uxoris suæ procacitate supplicio, & ad suos reversus, *Polaniam* imperii sociam esse jussit, ac *Boleslaum*, *Vandalico* idiomate *Chabri* de-
Boleslaus Pol. Rex. I. nominatum, primum *Sarmatiæ* illius regem *Cracoviæ* dixit, inauguravitque præsens, ac *Dietrychum* primum *Elsatiæ Landtgravium* in Germania creavit, inde Romam cum lectissimis copiis tertium profectus, vix tumultum illic vivus evasit. Quare dum ira plenus,
Ottonis III. obitus. regressum ad Germaniam parat, missis ab amasia Romana intoxicatis chirotecis, supremum diem juvenis eruditissimus in Italia V. Kalendas Februarii claulit, cujus cadaver per C alpes *Augstburgum* devectum, ibidem exenteratum, & tandem *Aquisgrani*, solitis ceremoniis terræ redditum est.

Post quem, quod improlis fuisset, statim
A. 1001. anno domini MI. agnatus ejus *Hainrychus II.*
Hainricus II. Imperator. *Bojariæ* dux, *Claudus* in vita, & post mortem *sanctus* dictus, Cæsar apud *Italiam*, communi *Germaniæ* & *Galliæ* principum electione, quanquam nonnulli *Moguntinæ* velint, non sine *Ardowini Egbardi* alii legunt, *Epo-redienses Marchionis*, quem *Langobardi* apud *Mediolanum* regem crearant, rebellione ap- D pellatus, atque inde *Aquisgrani* a *Willigiso*, sive *Willichino Moguntino* archiepiscopo, perquem cum Carpentarii filius esset, sedes ea Metropolitica, *Rotæ* insignia primum accepit, refragante *Heribrechto Colonienses* Metropolita, coronatus est, sub quo iterum respublica nostra meluis se habere cæpit.

Anno itaque salutis MIII. secutus *Gebhar-*
1003. *dum*, novi Cæsaris calculo in episcopatu hic
Syfridus Episcop. XXVIII. *Syfridus* generosus vir, annis plus minus sex est, quem tamen posteri sui, nescio cujus rei culpa, non valde commendant.

Ne autem nimia felicitate *Augstburgum* diu-
Hermannus Suev. dux. tius superbiret, non parum bello illo perturbatum est, quod *Hermannus III.* Sueviæ dux, contra *Hainrychum*, Cæsarem, ea tempestate excitavit. Et quamquam id facile & sine cruore diremptum sit, ac mortuo *Hermanno* eo, statim memoratus Cæsar, anno Christi MIV. filium ejusdem, *Hermannum junio-* A. 1004. *rem* dictum, *Sueviæ* & *Elsatiæ* ducatibus investierit: fames tamen dira, vicinas nobis terras cum incolis, misere toto eo affecit anno, quo & memoratus *Hainrychus* Cæsar a *Mediolanense* archiepiscopo, *Hereberto*, qui suam Ecclesiam Romano pontifici subiecisse fertur, *Papiæ* rex *Langbardorum* quoque est coronatus.

Post quæ lustro uno revoluto, cum *Syfri-* *Bruno Episcop. XXIX.*
dus antistes noster humanis X. Kalendas Septembris eximeretur, vicesimus nonus pontifex *Augustæ*, jussu fratris Cæsaris, *Bruno Hainrychi IV.* vulgo *Hetzelii* appellati, *Bojariæ* satrapæ, qui frater *Ottonis III.* imperatoris fuerat filius, constituitur, anno videlicet salvatoris MIX. Is *viginti*, nonnulli *de-* A. 1009. *cem* solum, alii *septendecim* habent, annis sedens, non solum ab initio jam dictum *Hainrychum* fratrem suum aspernatus est imperatorem, sed etiam barbaras cum *Welffone* inimicitias, aperte & cum magno civium nostrorum damno exercuit. Universum item, *Cathedralem ab Afrana segregat.*
eundemque sacrum thesaurum cum libris ac potioribus reditibus, e templo *S. Affræ*, in summam *magnæ matris* ædem hic transtulit, ac *Benedictinos* cucullatos ad locum eundem, ubi populares mystæ huc usque fuerant, invehens, penitus cathedralem ecclesiam, quæ hactenus unum capitulum eosdemque populares symmistas cum illa habuerat, ab *Afrana* segregavit, Monasteriumque *S. Ulrychi* de novo instituit. Cui anno Christiano MXII. A. 1012.
Regenbaldum Dillingensem comitem, ejus- *Regenbaldus Ulrichianus abbas I.*
dem *S. Ulrychi* pontificis ex fratre nepotem, abbatem ac patrem, largissima prædicti Cæsaris confirmatione ac donatione, videlicet quinque pagorum, *Rottenbachii*, *Schombachii*, *Hollenbachii*, *Maibachii* & *Todtenwisæ* constituit.

Qui tamen post tres annos, præfecturam *Degon II. & Godesge, nus III. Ulrichiani abbates.*
eam abdicans, *Degonem* triennio, & post illum *Godesgenum*, sive *Godesdegum*, non toto biennio, successores ibidem habuit. Ipse vero tandem circiter annum Domini MXXXII. *Spyram* postulatus, episcopus illic plebi quam A. 1032.
acceptissimus est factus. Tam inepti autem sunt harum rerum scriptores, ut & *Gebhardo* suprapositio præsuli, dictorum monachorum in *Augustam* introductionem adscribere non vereantur, & *Regenbaldo* huic annos inconvenientes adnumerent.

Cæterum idem *Bruno* episcopus noster, anno Domini MXIX. quadraginta popula- A. 1019.
rium mystarum collegium, una cum novo *S. Mauritii ædis exstructio*
Fano, *S. Mauritio*, *Thebeæ* legionis militi, prædicti *Hainrychi* II. sacerdotum amantissimi Cæsaris mandato sumptibusque, in medium fere civitatis *Augstburgensis* dicavit, exædificarique curavit, verum non tam magnifice, quam frater voluerat. Primus denique venandi jura, hactenus Sacerdotibus non con-

concessa, episcopatui suo, quem primus fratris imperatoris clementia in principatum Germanici imperii evexit, cum non contemnenda civitatis nostræ jurisdictione, a Cæsare precario acquisivit. Quin & postea quam prædicto *Hainrycho* fratri suo reconciliatus author extitisset, ut is dotem *Kunigundæ* uxoris; præteritis legitimis hæredibus, sacerdotibus elargitus esset, *Chunradumque Francum* affinem, contradito hæreditario suo in *Bojariam* jure, ad imperii dignitatem promovisset, ab eodem *Chunrado* II. jam imperatore facto, tutor ac curator *Hainrycho* filio ejusdem, novo *Bojariæ* duci, una A cum *Engelbrechto Fruxinense* præsule est datus.

Brunonis legatum.

Cæterum *Bruno* hic, quo illustrior stemmate nullus successit, templi sui orientalem adytum, seu chorum ampliavit, ac cum percepisset *Odilonem*, abbatem *Cluniacensem* in *Burgundia*, propter auditos ad Ætnæ montis ignivomas voragines, ululatus, commemorationis *animarum omnium defunctorum* diem, hoc ævo primum, *Johanne* XIX. papa, cognomine *Sicco*, qui æque ut & præcessor suus, & successores aliquot, desperatissimus necromanticus extitit; acceptante commentum confirmanteque instituisse, ne scilicet B nullam sui ipsius rationem post hanc vitam habere existimaretur, de patrimonio proprio, primarium cathedralis chori suo altare, amplissimo legato; nempe *Straubinga*, paulo ante obitum, *Dietrycho*, mystarum ibidem decano, & *Mangoldo* advocato probantibus, dotavit, tali pacto, ut Canonici fratres cottidie ante illud, psalmum Davidis, qui incipit, *De profundis clamavi*, pro animæ suæ requie dicerent, anniversariumque depositionis suæ diem XXIII. luce mensis Aprilis in fano *Moriciano* semper perage- rent. Legatum illud *Curtis* scilicet & *Strau-* C *bingensis* cum omnibus attinentiis, quæ per vicedominos hactenus *Augustani* canonici possederant, *Ludwicho* & *Wilhelmo* fratribus, *Bojariæ* ducibus, totius capituli consensu, per *Christopherum* episcopum, plus minus triginta aureorum nummorum millibus nostra memoria primum divendita sunt, habuereque hactenus illic appellationem curiæ *Augstburgensis*.

Fribaldus abbas Ulrychianus IV.

Sub hoc *Brunone* factus est ad *S. Ulrychum* hic quartus etiam abbas, *Fribaldus* nomine, senex & doctus & religiosus, qui confessor, quod dicitur, *S. Hainrychi* imperato- D ris fuit, ac ea dignitate monasterio suo, cui decennio præfuit, multa privilegia, villas & prædia comparavit. *Gebhardus* item musicus, cantorve *Augustanus*, cultu vestium supra modum curiosus, & nitidus, per eundem S. Imperatorem, pontifex *Reginoburgensis* constitutus est. Porro *Bruno* noster interfuit & *Gandersheimensi* & *Selgenstatensi* synodis, anno Domini MXXIII. simili- A. 1023. ter & postea quoque *Franckfurtensi*. Re- *Cœnobii Thierhauptensis refectio.* ædificatum præterea *Brunonis* hujus confirmatione *Thierhauptense S. Petri* cæno-

bium, anno Domini MXXVI, est, a jam dicto A. 1026. *Gebhardo Reginoburgensium* episcopo, qui calvariam *S. Florentiæ*, & os de Brachio dextro *S. Valentini* loco illi contradedit, fratreque ejus *Rapotbone Vittelopagense* palatino. Id diu jam a *Bojis* vastatum, quasi solitudo manserat, ac jam iterum *Humbertum* seu *Hymbricum*, novum monachorum patrem, *Brunonis* nostri benedictione, a prædictis restauratoribus accepit. *Eberhardus* denique *Sueviger* a *Augustensis* ecclesiæ canonicus, in patriarcham *Aquilejensem* a *Germanico* Cæsare promotus est. Tandem *Bruno* noster VIII. Kalendas Maii in comitiis *Ratisbonensibus*, obiit, cujus mausoleum in *Moriciana* æde, sub ipsum chori ingressum, hic usque ad annum Christi MDXLVI. honorificum exti- A. 1543. tit, inde humilitatum, atque iterum tandem qualitercunque refectum est.

Sed ad civilem historiam redeo. Interea *Ernestus Sueviæ* post edomitos a Cæsare *Boleslaos*, uno *Bohe-* A. 1012. *morum* duce, altero *Poloniæ* rege, cum anno salutis MXII. *Hermannus Sueviæ* dux absque herede foret mortuus, successit illi *Ernestus Ostriæ Marckgrafius*, nonnulli *Babenbergensem* faciunt, patruus, qui jam *Gyselam*, *Vandalicam*, *Hainrychi* Cæsaris ex sorore nepotem, ac *Brunonis Saxonici Marchionis* relictam viduam duxerat. Sub quo & *Welffo II. Ambronum* & *Lycatium* apud *Bojaros* comes, *Augustanæ* diœcesis advocatus fuit factus.

Augustburgenses multa mala experiuntur.

Atque dum sic provinciales civesque omnem impunitatem sperant, en ea ipsa ex causa *Bruno* episcopus noster, mutuas cum dicto *Welffone* deprædationes hostiliaque incendia, per totam viciniam exercere cæpit, cui bello cum & Cæsaris affines facem subderent, immerito *Augstburgian* armis rebellantium lacessitum, ac ut aliquibus placet, frustra *Engelbrechto Freysingensi* præsule opem ferente, anno Domini MXIII. proditorie ex- A. 1013. pugnatum direptumque est. Et quod pejus videtur, hodieque dolemus, potissima civitatis nostræ tum vectigalia tum munia episcopis vel precario concessa, vel oppignorata, Cæsaris indultu fuisse posthac, in multis apparet. Quæ servitus eo magis futuris temporibus invaluit, quo magis *Sueviæ* nostræ duces, altioribus inhiantes, provinciolæ ac civitatis hujus advocatiam neglexerunt.

Porro *Hainrychus* II. Cæsar recepta a *Sarra-* A. 1014. *cenis Apulia* armis, tandem, anno Domini *Hainricus II. a Papa Imperator salutatus.* MXIIII. a *Benedicto* VIII. qui primus symbolum Nicenum Romæ, posthac ad publicam *missam* post Evangelium, imperatore hoc instante, decantari jussit, cum ad illa usque tempora Romani id nequaquam, ut aliæ ecclesiæ fecissent, eo quod ipsorum ecclesia non fuisset aliquando ulla hæresi infecta, scilicet papa, Romæ in die paschatis ad *S. Petrum*, imperator, consecratus cum conjuge est. Ac postquam & reliquam *Italiam* pacasset, *Gyselam* sororem suam, puellam omnium venustissimam, *Stephano Ungrorum* regi, Christianæ religionis ergo elocavit, ac

causa

causa fuit, ut quæ *Gleyſa* novi affinis pater utcunque in religione ſacra inſtituiſſet, hic rex per totum *Pannoniarum* regnum, conſtituto *Aſcerycho*, quem & *Anaſtaſium* vocant, primo apud *Strigonium*, hodie *Grana* dicitur, archiepiſcopo, firmius fundarit. Interea *Erneſto Sueviæ* noſtræ & *Allemanniæ* duce, a Comite *Adalberone* ſagitta in venatione caſu interempto, ſucceſſit illi Cæſaris gratia, anno Domini MXV, primogenitus filius *Erneſtus* III. Poſtremo firmata cum *Roberto* Gallorum rege pace, *Hainrychus* Auguſtus, ſine liberis, hominem in *Grona*, *Franconiæ* villa, III. Idus Julii exuit, & *Pabebergæ* in epiſcopi, a ſe primo fundati, beati *Petri* templo, in quod *Eberhardum* primum præſulem conſtituerat, humatus, inter divos poſt CLXXVII. annos, *Philippi* Cæſaris cura relatus eſt, quod cum *Kunigunda* conjuge, toto matrimonii tempore, inſtar virginis caſtimoniam ſervarit. Fuerat autem *Kunigunda* ea *Moſellana* natione, *Sigefridi Rhenani Palatii* & *Lutheringiæ* ducis patrui mariti ſui filia.

Erneſtus III. Suev. dux.

A. 1015. *Hainrychi mors.*

A. 1020.

Jam dictus itaque *Hainrychus* animam agens, anno ſalutis humanæ MXXIIII. CHUNRADUM II. *Salicum* vocatum, quia ex veteri *Francorum* proſapia oriundus eſſet, *Hermanni Oſtrofranciæ* comitis filium, ſucceſſorem ſibi in imperio legit, qui protinus in natalitio Domini feſto labentis hujus anni, *Aquisgranii* Cæſareum diadema ab *Aribone*, *Moguntienſe* archiepiſcopo, accipiens, poſt duos annos, ſedatis *Ungrorum* & *Sclavorum* rebellionibus, cum *Gyſela* uxore, & jam dicto *Aribone Augſtburgum* conceſſit, habitoque inibi procerum non parvo conventu, glyſcentes contra ſe ipſum turbas prudenter ſedare conatus fuit. Ac dein anno MXXVII. Italiam pro conſecratione petiit, ubi dum *Mediolano*, quo loco jam *Hiltebrandus Anglerienſis* primus dux per ſeditionem fuerat factus, armis prohiberetur, primus Germanorum *Modoetiæ*, aſtantibus *Rudulffo Burgundiæ*, & *Canuto II. Angliæ Daniæque* regibus, *Langbardorum* rex coronatus, quod exemplum nonnulli ſequentium Cæſarum quoque imitati deinceps ſunt, ac paulo poſt a *Johanne* XX. papa, qui nullis ſacris initiatus in pontificem maximum electus fuerat, Romæ in feſto Paſchæ, quod erat VII. Kalendas Aprilis, Auguſtus imperator conſecratus per maxima pompa eſt, ac ſtatim *Gebehardum* fratrem Clericum fieri coëgit, nimirum ne æmulum in regno haberet: at ecce fati invidiam. Brevi enim ex inſperato ipſi *Chuno*, *Francorum* dux, patruelis ipſius, quorundam *Germanorum* deſignatione, tanquam alius Cæſar, una cum *Erneſto*, *Sueviæ* duce, privigno ſuo reluctari audet, unde iterum *Augſtburgum* hoc noſtrum moleſte inquietari cæpit, duraveruntque turbulentiæ illæ maximo, tum totius ſuperioris *Germaniæ*, tum præcipue noſtrorum civium malo, in quartum usque annum. Quo temporum curriculo, propter crebras rebelliones, potiſſime vero ob *Wetzilonis* furioſiſſimi militis latrocinia, præfatus *Erneſtus* ad extremum a *Chunrado* imperatore vitrico ſuo, armis pulſus, jure proſcriptus, & omnino exauctoratus, tam patria, quam dignitate excidit, ac tandem levi prælio contra *Mangoldum* comitem ab *Entzberga* in *Helvetiorum* eremo, quam hodie *nigram ſylvam* vocant, occubuit, *Hermannumque* IIII. fratrem, nonnulli patruum volunt, dicti Cæſaris clementia anno Domini MXXX. ſucceſſorem in *Sueviæ* ducatu paulo feliciorem matris favore habuit.

Chunradus II. Imperator.

Bellum Chunradum II. inter & Chunonem ſociosque.

Hermannus IIII. Suev. dux. A. 1030.

Anno item ſalutis MXXIX. EBERHARDUS, qui & *Eppo* vocatur, poſt *Brunonem*, Imperatoris *Chunradi* ordinatione, ſucceſſit in *Auguſtano* epiſcopatu, quem tricelimo loco decem & octo annis obtinuit, quanquam nonnulli ipſum MXXXI. anno pontificatum ſuſcepiſſe, ac ſedecim annos ſediſſe ſcribant. Hic pater totam *Pfaffenhofam*, & partem minorum decimarum ex adjacentibus civitati noſtræ pagis, gynecio cænobitarum *S. Stephani* apud nos donavit, ac telonium cum ponticulo ante *Hausſtettenſem* portam, una cum virgultis & ſaliceto, quæ ſunt inter Lechum ibidem, & molarum fluviolum, monachorum ad *S. Ulrychum* conſortio, cui *Hainrychus* mitiſſimus & ordine quintus abbas, tunc præerat, & in totum XIIII. annis præfuit, concedente imperatore, collocatore ſuo ſuperiore, propter vitam æternam reſignavit. Interfuit præſul hic Synodo *Conſtantienſi*, quam imperator *Hainrychus* III. anno Domini MXLIII. cum *Germaniæ* epiſcopis, quos Romani pontifices, jam ab obedientia ipſius eximere meditabantur, pro conſtituenda firmiore pace, ac concordia, celebravit. Porro tempore hujus *Epponis*, *Ottbertus* viceſimus *Ellwangenſis* abbas, a dicto jam imperatore, in numerum principum regni *Germanici* primum receptus eſt. *Adalbero* II. item *Ebersbergenſis* comes, *Beyrbanum* monaſterium reſtituens, rectis *Auguſtinianis* cucullatis, duodecim *Benedictinos* monachos apud *Ellingerum-Tegernſeenſem* abbatem obtinuit, inque id collocavit. Unde conſtituto *Epponis* noſtri confirmatione, *Gotholino* primo ibidem abbate, eidem monaſterio in poſterum, *Benedict-Beyrbæ* nomen accesit. *Eberhardus* præterea *Hohenlohenſis* comes, canonicus & præpoſitus *Auguſtenſis*, hinc *Ratisbonam* ad epiſcopale munus transportatus eſt.

Hainrychus Ulrichianus abbas V.

Synodus Conſtantienſis.

A. 1043.

Gotholinus monaſterii Beyrrhani abbas.

Ad hæc ſub dicto noſtro epiſcopo, tres errones Romæ papalem ſedem occupare conati, nempe *Benedictus* IX. *Sylveſter* III. & *Gregorius* VI. homines Italici, ab imperatore *Germanico* abrogati ſunt ut hæretici, inque locum eorundem *Suidgerus*, *Pabergenſis* ſecundus epiſcopus, natione *Saxo*, cancellarius ſuus ſuffectus, *Clemens* II. eſt dictus. Et ſub eam tempeſtatem pluralitas beneficiorum inter eccleſiaſticos invaleſcere primum cæpit.

Clemens II. Pontif.

Jam

A. 1038. *Hainrychus rex Burgund. & Sueviæ dux.*

Jam postquam anno Domini MXXXVIII. *Hermannus* IIII. in Italia, ubi Imperator & *Mediolanum* & *Apuliam* subegerat armis, peste interiisset, Imperator idem statim domi *Hainrycho* filio, sive ex *Gysela Lutheri* V. *Galliæ* regis, ac *Ernesti Suevi*, filia legitime nato, sive ex comitum *Calomenſium* familia adoptitio generoque, *Sueviæ* nostræ ducatum ac regnum *Burgundiæ*, ut Feudorum juris est, donavit. *Rudolffus* enim ultimus *Burgundiæ* rex, *Ignavus* appellatus, jam nominato imperatori, coronam

A. 1032. suam ante sexennium in *Germaniam* transmiserat, unde deinceps Germani Cæsares, A eam *Burgundiæ* partem, quæ quondam *Allobrogum* erat, & postea *Delphinatus* est dicta, titulo regni *Arelatensis*, ultra CCC. annos possederunt. Et cum *Hainrychus* hic, traditas sibi provincias non infeliciter administraret, ornaretque, inopinata morte Imperator pridie Nonas Junii, apud *Utricesium Frysiæ* sublatus, *Spyræ* in templo *Mariano* a se primum condi cæpto, contumulatus

A. 1039. anno salutis MXXXIX. est, quo & universalis Eclipsis XI. Kalend. Septembr. apparuit.

Hainrychus III. Imperator.

Cui HAINRYCHUS III. filius jam dictus, ab B ore *Niger*, a moribus *Pius* cognominatus, in Imperio Romano, statim apud *Germanos* ex debito successit. Ante undecim enim an-

A. 1028. nos pater illum, jam *Bojariæ* ducem quoque factum, *Ulmæ* in comitiis Cæsarem designarat,

A. 1030. & altero dein anno, *Aquisgrani* in die sacro paschæ, per *Piligrinum* archiepiscopum *Colonienſem* coronari inungique fecerat, cui tamen mox *Benedictus* IX. papa, necromantia infamis, probrosus & factiosus, *Petrum Ungriæ* regem, transmisso cum hocce versiculo diademate: *Petra dedit Romam, Petro tibi Papa coronam*, æmulum excitavit.

A. 1040. *Comitia Augstburgi.*

Quod is non magni faciens, mox primo C sequentis anni vere, maxima aulicorum caterva *Augstburgum* devenit, comitiaque hic agitans diutius, non modo civitatem nostram in defensionis suæ *Mundiburdium*, agnosce lector, ævi hujus phrasin & idiome, clementer suscepit, sed & tum *Italorum* legatis jura splendidissime dixit, tum aliarum etiam nationum nunciis responsa prudentissime reddidit, indeque in *Bojohemiam* arma movens, antiquum tributum, nempe centum altiles, boves & quingentas argenti marcas, *Uratislaum* ducem reddere coegit.

A. 1042. *Imperatoris gesta in Italia.*

Idem Cæsar post biennium e *Saxonia* ite- D rum huc venit, ac toto mense Septembri, (licet & annonæ defectu & peste civitas nostra crudeliter premeretur) abitum in *Italiam* quam solertissime paravit, plurimosque cives hinc in militiam secum adduxit. Post ista expeditiones aliquot cum victoria adversus *Abain* sive *Ofonem*, a qua *Sicambriâ* vetus *Pannoniæ* metropolis regiaque *Buda* vulgo *Ofa* est vocata regem in *Ungriam* habuit *Petrumque* ut ut

Otto Suev. dux. corrivalem restituit. Circiter quam tempestatem constat etiam imperatorem nostrum *Ottoni* comiti Palatino, *Ottonis* III. Imperatoris ex filia nepoti, principi & religioso & strenuo, qui *Hermanni* IIII. agnatus erat, *Sueviæ* & *Allemanniæ* ducatum libere in beneficium *Goslariæ* contulisse. Verum eo juvene, orbo & intra triennii spacium mortuo, pius Imperator, *Sueviæ* nostræ ducatum *Ottoni III.* comiti *Schwinfurtensi*, ex novo administrandum in publicis comitiis *Ulmæ* benignissime concesit, anno domini MXLVIII. alii *Reginoburgi* in Pascalibus anno MXLVII. ajunt factum.

Otto III. Suev.

A. 1048.

A. 1047. *Hainrychi gesta Romæ.*

Interea Cæsar iterum Romam profectus, A ibidem trium schismaticorum paparum negotia, ad nutum suum, ut superius in *Eberhardo* episcopo relatum est, composuit, ac die natalis domini, incipientis novi MXLVII. anni a *Clemente II.* papa, Augustus cum *Agnete* conjuge consecratus est, atque vetus interdictum, de non creando pontifice, absque Imperatoris consensu sanctissime renovavit. Posteaquam e *Mantua* Junio mense *Augstburgum* suum tertium pervenit, multisque diebus hic permanens, & cleri & populi ibidem, propter jurisdictionem subinde præfectis stertentibus dissidentium, curam non tam circumspectissime quam placidissime gesit.

A. 1047.

Quo tempore etiam domo nostræ *Hainrychus II. Arnoldi Bojariæ* ducis ex sorore nepos, vir formosus, robustus, nec indoctus, tricesimo primo loco præsul *Augustanus*, ab eodem Imperatore, cui *a sacris* fuerat, (alii *Cancellarium* ejus fuisse perhibent) præsente in die ascensionis efficitur, seditque superbissime sedecim annos, quibus initio non tam ipsi Augusto, quoad is adhuc vixit, ab intimis consiliis, quam postea etiam *Agnetis Pictavienſi*, relictæ ipsius viduæ familiarissimus fuit. Episcopus hic posteaquam ad lubitum suum totius quasi civitatis nostræ potestatem a prædicto Imperatore suo ambiisset, immo mere obtinere satageret, primus episcopale palatium hic prope Cathedrale Dominicanum erigi curavit. Ac summi pontificis *Leonis IX.* (qui iam antea ex *Moguntino*, CXXX. episcoporum, inter quos & *Hainrychus* noster quoque fuerat, concilio, in quo *Bardoni* metropolitæ ejus loci, jura sua alleganti, non fuit antepositus, huc ad imperialia comitia rediens, *S. Galli* fanum anno MLI. propriis digitis consecrarat denuo, nam multi id primum ac vetustissimum *Augstburgenſis* civitatis Christo fidelium oratorium fuisse constanter asseverant) exemplo inductus, tum S. *Stephani* lararium a se ampliatum, anno Domini MLIIII. lustravit, tum etiam triennio post summum templum quoque venustis porticibus, & novo atrio, Imperatoris expensis reparans, ornate consecravit, denique biennio hinc nempe anno Christi MLIX. (quo *Nicolaus* II. Romanus papa in concilio *Lateranо*, damnata *Berengarii*, *Turonenſis*, de substantiæ sacramenti eucharistiæ opinione decrevit, ut semper

Hainrychus II. Episcop. XXXI.

A. 1501

Episcopale palatii origo.

Lustratio templi &c.

A. 1051.

A. 1057.

A. 1059. *Consecratio altaris Ulrichiani.*

sum-

summus pontifex Romæ, initio ab episcopis cardinalibusque, dein a toto clero, & ubi nec ii concordes fuerint, ab universo senatu populoque electus, præsentis vel futuri Cæsaris auctoramento, approbetur imposterum, confirmaretur(que) monasterium *Ulrychianum*, quod *Adalbero Theodonis* successor, septimus abbas, muro primum cinxit, in ejusque area, S. *Agnetis*, sacellum condidit, peculiaribus penatibus simili festo dedicavit, (nam *suffraganeorum* opera nondum præsules nostri utebantur) primusque diem divo *Udalrycho*; ad IIII. nonarum Julii ascriptum, ferias deinceps esse præcepit.

Theodo VI. & Adalbero VII. Ulrichiani abbates.

S. Affræ reliquiæ repertæ.

Cæterum in jam dicti templi encæniis, A saxeum bustum in aditu ejus forte repertum sub terra est, quod statim S. *Afræ* reliquias, ob ambustionis quasdam notas, continere non erubuerunt superstitiosi monachi, proclamare, devotamque plebiculam falso persuadere.

Lites inter Hainr. II. & Dietbaldum monachosque Ulrichianos.

Ad extremum cum dictus episcopus noster *Hainrycho* IIII. Imperatori, cujus pædagogus informatorque fuerat, jam ex ephæbis excedenti, ob suspiciones licentiosiris cum matre consuetudinis, aliisque episcopis propter fastum, civibus vero propter tyrannidem, invisus undique fuisset factus, bellum illi *Dietbaldus Wittelsbachensis* co- B mes, ob negotia quorundam jurisdictionem, intulit, in quo *Rapotho* jam dicti comitis filius *Merchingam*, non sine civium nostrorum sollicitudine, hostili incendit igne. Cæperunt & *Ulrychiani* monachi, supra memorato illo abbate subornante, (cerenim is ejus rei causa Romam ad *Alexandrum* II. papam profectus, in itinere obiit, postquam quindecim annis ovili ei præfuisset) eundem repetundarum accusare, ac ad retinendum in suo templo dictæ sanctæ *Affræ* quæstuosum cadaver, negotia quoque mo- C lestissima facessere.

Hainrychi II. exitus.

Unde omnium odiis aggravatus, insidiis ex omni parte impetitus fataliter est, ac cum se in arcem *Falckenstainum* (quam de novo ipse non longe a *Nesselwanga* inter *Algiones* construi fecerat) cum quingentis armatis abdidisset, obsidione per Imperatorios cinctus est, atque ad deditionem coactus, tandem adacto non citra bellicam fraudem, ligneo per resticulos cuneo, vitam cum morte *hic tertio die Decembris*, (alii *III. Kalend. Septemb.*) permutavit. Cæterum præsul hic, quia aliud delictorum piaculum non sciret, centum libras numD morum, pro remedio animæ suæ, ad *Mariani* templi, similiter quinquaginta ejusdem monetæ libras, ad *Ulrychiani* monasterii fabricas hic legavit, ac cumprimis anno A. 1055. Domini MLV. prædium suum *Sigishindam*, *Augustensi* ecclesiæ, per manum nobilis cujusdam viri contradidit. Sunt qui *Hainrychum* II. vix septennio *Augustæ* sedisse, illique *Chunradum Lucilloburgensem* comitem, mira sanctimonia fulgentem, decem annos succesisse, in horum temporum acta retulerunt, apud quos sua sit fides. Certe sub *Hainrycho* episcopo, *Rainhardus* præpositus, *Marianus*, & *Wortolffus* canonicus hinc ad præsulatuum fastigia, hic *Pataviam*, ille *Spyram*, expetiti sunt. Ac *Chunradus Schwabeccensis*, comes *Mauritiano* collegio hic, anno Domini MLXII. multa bona contulit: præcipue autem *Richentia*, uxor ejus, paulo post præbendam eam illuc e *Palazhusa* transtulit, quam sacrificuli *Moritiani* hodieque *Comitissæ præbendam* nominant, ac singulis septimanis inter sese commutant. Ipsa vero rei veritas, hoc loco maximopere testimonium flagitat, ac non obticendum urget, nullam *Affram* vel *Augustæ Vindelicorum*, vel apud *Augustana* eis *Lechum castra*, nunquam fuisse, exultam, verum *Affram* illam, *Cretensem*, quam vulgo ut sanctam martyrem hic venerantur, posteaquam a *Narcysso Hierosolymorum* episcopo, in patria insula, una cum matre *Hilaria*, ancillisque seu sororculis, *Dimade*, *Eunomia* & *Eutropia*, e Veneris quæstu, ad fidem christianam conversa, idolis sacrificare amplius volumet, apud civitatem *Augustam* juxta *Lethæum* amnem (quæ nomina propter allusionem cum nostris vulgaribus, cuculla- ris, vehementer, imposuerunt) circiter annum salutis CCCIIII. nonis Augusti, ignem vivam passam esse, id quod saniores historici omnes certissime, præsertim exteri quoque attestantur. Nec sufficit argumentum a vetustate cultus, aut fani, ipsius apud nos, cum & *Maria* Deipara virgo, *Maria Magdalena*, *Catharina* & *Ursula* hic sua habeant templa & festa, quarum tamen nulla hic vel vixerit, vel mortua sit.

S. Affræ combustionis locus.

Sed ad institutum. Ea tempestate, cum A. 1048. sub Majum mensem anni MXLVIII. clerus *Damasus II. Papa.* populusque Romanus, juxta præstiti juramenti fidem, legatos tandem ad Imperatorem *Hainrychum Poletham*, in *Germaniam* pro electione pontificis maximi misissent, statim *Popponem* is balneatoris cujusdam ex *Bojaria* filium, jam tamen *Brixinensem* antistitem, patriarchamque *Aquilejensem*, pro papa illis dedit, quem *Damasum* II. (a patria opinor) nominarunt, & præcessorem suum veneno sustuliisse ajunt.

Postea idem Imperator, quando jam *Metis* cum ipsomet *Hainrycho Gallorum* rege, pacem firmasset, comitia Imperialia anno salutis MLII. Kalendis Februis *Augustburgi* ri- A. 1052. te agitavit, quæ tum ob maximam principum frequentiam, tum ob summi, ab ipso ante tres annos *Freysingæ*, dicti Romamque missi pontificis *Leonis* videlicet IX. (qui antea *Bruno Hetzilo* vocatus, initio quadragesimus sextus *Argentinensis* præsul, & dein *Tullensis* episcopus, denique ex familia comitum de *Togsburgo Elsatiæ* oriundus erat) præsentiam, longe celeberrima habita sunt. In quibus (præterquam quod Papæ *Ravennatensem* archiepiscopum reconciliavit) reipublicæ *Augustburgensis* libertas, contra episcopi sui

Comitia Augustburgi.

præscriptiones, incrementa minime contemnenda cum aliis civium emolumentis accepit iterum: Cum interea Papa *Leo* exercitum ex omnis generis hominum colluvie secum ex *Germania* contra *Normannos* ducens, *Augustburgi* nostri festum *Purificationis S. Mariæ* anno gratiæ MLIII. peregerit. Post ista iterum per *Reginoburgum* in *Ungriam*, & inde in *Saxoniam* profectus Imperator, *Merseburgi* cum *Magno Denmarchiæ* rege, fœdus coram pepigit. Cæterum prædictus Augustus noster petitione cardinalis, cleri & S. P. Q. R. denuo summum pontificem anno Domini MLV. quo cura fames omniumque virtualium charistia vigebant hic, *Gebhardum* comitem a *Calowa*, jam episcopum *Aichstettensem*, *Moguntiæ* in comitiis, dixit, quem sui protinus ad urbem, *Victoris* II. nomine insigniverunt. Post hæc laudabilissimus ille Imperator, tertio nonas Octobris, vitam in *Botfelda Saxoniæ*, bucella panis suffocatus, imo ex mœrore, præsentibus Papa Romano & patriarcha *Aquilegiense*, finivit, *Spyræque* sepulturam accepit V. Kalendas Novembris.

Victor II. Papa.

A. 1053. A. 1055.

Cui anno Domini MLVI. filius septennis HAINRYCHUS IIII. sortitus & *Senior* nuncupatus, ante biennium *Triburiæ* frequenti procerum senatu, patris adoptione electus, & mox XI. Kalendas Junii, *Aquisgrani* ab *Hermanno* archiepiscopo *Colonienſe*, ægre *Luitbaldi* archiflaminis *Moguntini* consensu impetrato, Cæsar coronatus, ac jamjam a *Victore* II. papa, in regale divi *Caroli Magni* ibidem solium collocatus, initio sub matris *Agnetis* curatione, ac dein proprio marte quinquaginta annos in imperio Romano Germanicoque successit. Hic pulso ob crudelitatem *Chunrado Bojariæ* dux non sine civitatis nostræ congratulatione factus est etiam. Aque anno virginei partus MLVIII. e *Saxonia* ad *Sueviam* commigrans, Pentecostes sacra *Augustburgi* fecit. Quo cum & *Andreæ* I. *Ungrorum* regis, oratores magna pompa venissent, non solum pacem exoptatissimam impetrarunt, verum etiam sponsalia inter *Juditham* (*Sophiam* alii scribunt) Cæsaris nostri sororem, & regis sui filium *Solomonem* confecerunt.

A. 1056. *Hainrichus IV. Imperator.* A. 1054 *Hainrychus IV. Imper. dux Boj.* A. 1058

Legati præterea Romanorum, huc quoque tunc missi, papam sibi veteri more poscentes, *Gerhardum Burgundionem* quempiam, multi *Sabaudum* faciunt, jam *Florentinorum* antistitem, a dicto nostro Cæsare gratanter obtinuerunt, ac post consecrationem *Nicolaum* II. vocaverunt.

Nicolaus II. Papa.

Inde adeo idem Cæsar *Swigherum Saxonem* a *Baltzbusa* comitem in *Swabecca* creavit, ac provinciæ civitatique *Augustburgensi* advocatum constituit. Et accepto a civibus hic fidelitatis juramento, non modo solitam protectionem illis promisit, verum insuper posthac civitatem illorum, una cum *Agnete* matre sua, muliere ingeniosissima sæpissime accedere dignatus est.

Swigherus advocatus Augustburgensis.

Proxime sequenti autumno, cum IIII. Kalendas Octobris, *Otto Swinfurtensis* homo esse desiisset; *Rudolffus Rhynfeldiæ* comes, *Rumholdi Constantiensis* episcopi consilio, *Machtildem* Cæsaris sororem *Berchtoldo Zeringensi* duci præripuit, atque ita socru annitente, *Sueviæ* ducatum quoque nactus est, quem illi *Hainrychus* Cæsar & affinis mox solitis ceremoniis, non tam in dotem, quam feudum contulit in *Francia*. Ex qua re magni motus per superiorem *Germaniam*, non sine civium nostrorum sollicitudine orti sunt, donec imperatrix memoratum *Bertoldum* ducatu *Carentino* placaverit.

A. 1058. *Rudolfus Sueu. dux.*

Cæsar vero interea, per *Hannonem Colonienſem* archiepiscopum, aliorum principum consilio una, cum ornamentis regalibus, a matris tutela, navigio, ex quo cum ista proditorie agi posset, in medium *Rhenum* apud S. *Suitberdi* insulam, se non sine periculo vitæ dederat, de improviso, abductus, causa fuit, ut prudentissima ea matrona Romam querulatum pontifici profecta sit, & ibidem tandem religioni nomen dederit. (Alii ipsam ad propria rediisse, ac injuriarum oblitam, privatam posthac vitam egisse scribunt.) Ipsus autem *Hainrychus* custode remoto, luxui & venationibus operam adhibens, e *Saxonia* cum *Adelbrechto Bamense* archipræsule, potissimo consiliorum rectore, iterum *Augustburgum* nostrum immo suum, anno gratiæ MLXI. lætabundus invisit. Quo denuo Romanorum legati missi XII. Kalendas Septembris eundem Cæsarem arbitrarium sequestrem, ad tollendum perniciosissimum Schisma, clerique disidium, obnixe imploraruntque Cæsar itaque ex templo hinc ad comitia *Basilejam* abiens, non modo illic in generali tum principum tum episcoporum Germaniæ Italiæque conventu, ab iisdem legatis, imposita corona, patritius Romanus est appellatus, sed & insuper pro sua autoritate *Cadolum Parmensem* præsulem, VII. Kalendas Novembris, clementer illic papam declaravit. Interim tamen reliqua apud urbem cohors *Hiltebrandi Saonensis*, dolosissimi monachi & archidiaconi ambitiosissimi demoniacis artibus, *Nortmannoriumque* pragmatica conspiratione *Anshelmum Lucensem* episcopum, natione *Mediolanensem* in papam, non expectato Imperatoris rescripto, contra *Cadolum* nostrum evexit, ac *Alexandrum* II. denominavit.

A. 1061. *Imperatoris gesta Augustburgi.* *Cadolus Papa.* *Alexander II. Papa.*

Secundo ab hoc anno, idem Cæsar *Hainrychus*, restituto contra *Belammi* regnum *Ungariæ*, *Salomone* fratrio, ab *Ungrica* ea expeditione in Germaniam rediens, tertium *Augustburgum*, cum triumpho media hyeme ingreditur, ubi non tam fortuito, quam ex consulto, multa negocia civitatis nostræ clementissime absolvit, ac interempto ob imperiosius administratum regnum diœcesis ejusce præsule, novum Flaminem, antiquo suo jure ibidem constituit.

A. 1063.

A. 1064. *Imbricus Episcop. XXXII.*

Proinde anno domini MLXIV. in ipso festo candelarum, quod & *Purificatio Mariæ* & ὑπαπάντη dicitur, quodque ob ingentem pestem in quinta generali synodo *Constantinopolis*, ante DXXIII. annos, ad honorem *beatæ Mariæ* initio Februarii institutum fuit, *Imbricus*, *Embricho* sive *Emmicho*, comes a *Leininga*, præpolitus metropoleos *Moguntinensis*, vir pontificiæ gravitatis, modestiæ & prudentiæ singularis, nec non in pauperes munificus, *Hainrychi IV.* Cæsaris præsentia autoritateque, in tricesimum secundum *Augustanum* episcopum assumptus est. Hic a non-A nullis perjurii insimulatur, quod fuerit principio fautor & assecla *Cadoli Parmensis*, *Basileæ* per Cæsarem in pontificem maximum lecti, ac *Honorii* II. nomen consecuti, contra *Alexandrum* II. papam, qui habita *Mantuæ* synodo, sancte inhibuit, ne quis clericus, ecclesiastica vel munia vel beneficia a Laico acciperet, decrevitque papam posthac a solis Cardinalibus contra Imperatorum jura eligendum, sacrandumque fore. *Alleluja* item a Dominico septuagesimæ die, usque in resurrectionis Dominicæ festum, non cantandum statuit in templis. Deni-B que sanciit, ne monachi clericorum officia peragerent, aut populo concionarentur, & licet serio quoque inhibuerit, ne quis omnino concubinarii sacerdotis missam audiret, concessit tamen, ut presbyterorum illegitimi filii, autoritate apostolica sacris initiari possint, ac dein in Concilio *Wormatiense*, quod præfatus Cæsar noster anno salutis MLXXV. *Syfrido Moguntino* Metropolita præsidente, contra *Gregorium* VII. papam, convocarat, a partibus *Gregorii* veluti ambidexter steterit. Nihilominus tamen propter negocia, inter eundem C Papam Imperatoremque dictum obeunda, captivitatem apud *Longbardos* fortiter pertulit, ac postea quoque *Saxones* rebellantes, *Moguntino* ac *Saltzburgensi* metropolitis, ac *Gozeloni Lutbringriæ* duci junctus, blandiloquentia sua cum ipso Imperatore composuit.

A. 1075.

A. 1070. *Cœnobii Martiniani exstructio.*

Quin & domi anno salutis MLXX. cœnobium cum delubro *divi Martini* pro velatis virginibus erigendum, *Portneris* patriciis ad id ædes suas devoventibus, sacrandumque concessit. Nonnulli ædiculam hanc, quod ruinosa esset, per præsentem episcopum restauratam solummodo: ac de-D

A. 1263. in anno Domini MCCLXIII. sororculis tertiæ regulæ *beati Francisci* cum adjacente area, a cathedrali capitulo divenditam esse docent: Plurimi tamen ecclesiam hanc S. *Hilariæ* domum fuisse, ac dudum ætatem a *S. Narcisso* in honorem *SS. Apostolorum*, *Philippi* & *Jacobi* consecratam putant, in qua & jam dictæ *Hilariæ* mausoleum ad nostra usque tempora cultum est, per cujus cavernam homines nescio cujus devotionis causa repere solebant. Sacella item S. *Gertrudis* ad ædem majorem pro præpositura, ac S. *Georgii* extra urbem, ubi

Imbrichus excitavit sacellum S. Gertrudis.

S. Georgii.

post annos plus minus septuaginta cœnobium fundatum est, de suo extrui curavit. Deniqne S. *Stephani* templum, tertio jam ignis voragine ruinosum a fundamentis restauravit.

ædem S. Stephani.

Nec multo post illa ædificia, anno nimirum Christi MLXXV. duas campanarias turres, sacræ fabricæ expensis, immo stultæ plebeculæ eleemosynis, templi Cathedralis lateribus addi jussit. Unde & portæ illi, quæ directe in Austrum prospectat, duodecim indigenarum aurifabrorum *patresfamilias*, vulgo *domestici* dicebantur, ac tunc temporis, simul etiam statuariam tam in Saxis, quam lignis exercebant, parerga cum multis divorum imaginibus, privatis expensis, prout adsculpta adhuc insignia testantur, devotionis ergo adjunxerunt. Quanquam sint, qui porticum & portam eam sic ante duodeviginti annos extructam velint.

A. 1075. *Duas campanarias turres.*

Porro episcopus hic etiam *divi Johannis* paroeciano fano, parvum *adytum*, quem vulgus *chorum* vocant, semirotunda forma adstrui fecit. Ac primo statim anno *Dietmayrum* ex novitio (sic juniores monachos & nullis sacris initiatos appellant) in octavum abbatem ad S. *Ulrychum* hic odio absentis *Adalberonis* promovit. Item & hyrcum mulgentibus cribrum supponens, *Dimnam*, *Eutropiam*, & *Eunomiam* sanctas, in dicto cœnobio, cujus novum templum a se ædificatum, anno MLXXI. præsentibus *Ellenhardo Fryfingense*, & *Gundagrio* II. *Aichstettense* episcopis consecravit, plumbeis tumbis recubare tabulis, bullatis, confirmavit.

Chorum S. Johannis.

Dietbmayrus abbas ad S. Ulrychum VIII.

A. 1071.

Hortator etiam sedulus extitit, provinciæ hujus præfecto, *Suigbero* II. comiti a *Bajazbusa* & *Swabegga*, (cujus pater *Suigberus Berchtam Adelgœtzi* ultimi *Schwabeccensis* comitis, unicam filiam in uxorem adeptus, jamjam deficiens in *Rbetia* veteris ejus comitatus stemma, Cæsaris, ut prius relatum est, institutione restauravit) ut is collegiatam ædiculam S. *Petro* apostolorum principi, sanctæque *Felicitatis* viduæ sacratum, prope civium curiam in colle *Berlejo*, ad piscarium forum, anno Domini MLXVI. A. 1066. fundarit, donando illam, pro anima sua uxorisque, ad clericorum Deo ibidem servientium utilitatem, villa sua *Ladmotinga* cum omnibus attinentiis, & cum viginti mancipiis. Cujus præpositus & cum episcopo de mera subjectione adhuc contendit, & merum jus collationis canonicatuum (quos vocant) suorum habet.

S. Petri & Felicitatis ædis origo.

Adhæc *Emmicho* noster rogatu *Nortberti Hochenwartensis*, quidam *Brigantini* legunt, comitis, cathedralis ecclesiæ suæ præpositi, templum S. *Ulrychi* in *Hæbacho*, quod *Sigemairus* comes *Hæbachensis*, pro collegio sacerdotum fundarat, ampliatum anno salutis MLXXIII. dedicavit. Cui loco jam A. 1073. dictus *Nortbertus*, cranium S. *Abundi*, quod beatus *Ulrychus* quondam Roma asportaverat, præfati episcopi concessione dono dedit

Consecratio templi Ulrychiani in Hæbacho.

it. Cœnob. Hochenwartensis.

Hochenwartense item sacrarum fœmellarum novum cœnobium, paulo pridem a *Rapotone*, comite de *Tauris*, *Hemma* de *Osterycha* uxore, *Weiltrudaque* filia ipsorum fundatum, anno Domini MLXXIIII, & consecravit & constituta *Luitgarda* prima in locum eum abbatissa confirmavit.

A. 1074.

Wessenbrunnensis monasterii restitutio.

Wessenisbrunnense etiam monasterium, quod post Ungricam desolationem canonici populares occupaverunt, Cæsar *Hainrychus* hocce ævo, *Ennichonis* nostri suggestione, *Benedictinis* presbyteris *Walthone* abbate restituit. Extremo cum quatuordecim annis pontificasset apud nos, ac *Moritiano* collegio, quod per Cæsarianos hoc seculo ferunt ad summam inopiam redactum fuisse, utcunque restituto reformatoque, XII. tantum myssas constituisset, denique constitutiones quasdam ecclesiasticas, nec non *donationes, præsentias* hodie vocant, Canonicis suis gloriose feciſſet, tertio Kalendas Augusti mensis demortuus est. Per cujus tempora, & clero & monachis adhuc uxoratis esse hic ac tota *Alemannia* licebat. At libertatem eam immo honestatem *Gregorius* VII. papa, statim diris fulminibus, Imperatore & omni clero habitis ejus rei gratia apud *Erphordum* primo, dein *Moguntiæ* a *Sigefrido Moguntino* archiepiscopo frequentibus synodis, non injuste diu contranitentibus, ab ecclesiis *Germanicis* plus quam impie prorsus eliminavit. Qui papa carnium quoque esum christianis, sabbatinis diebus, ac caseum, butyrum & ova per Quadragesimam, primis prohibuit, voluitque laicos decimas possidere, ante omnia vero inhibuit, ne imperator amplius episcopatus conferret.

Gregorii VII. P. M. gesta.

A

B

Cæterum ut civilia ordine prosequar, sciendum, anno Domini MLXV, *Hainricum* Cæsarem nostrum *Wormatiæ* primum bellicis armis per archipræsulem *Bremensem* succinctum fuisse. Ac sequente proximo anno divum Cometam in festo Paschali fulsisse, ac mox post, tristissimam famen annonæquæ gravissimam penuriam per totam *Sueviam*, ac præcipue inter tenujores cives opificesque. *Augustburgi* tam sævum in modum viguisse, ut plærisque res ad restim redierit.

A. 1065.

Annonæ caritas.

C

A. 1069.

Comitia Augustburgi.

Anno abhinc tertio sæpenominatus Imperator, comitia minime obscura cum *Germaniæ* principibus, propter *Italicam* expeditionem, quam ob anathema papale, adornabat, Februario mense hic celebravit. Cæterum Chronici quidam adfirmant, anno nati Meschiæ MLXX. civitatem *Augustburgensem* ab Im. *Hainrycho* armis esse captam, nullam tamen belli occasionem ponentes. Constat autem altero evoluto dein anno, eundem Imperatorem specialem conventum, cum *Suevorum* & *Bojariorum* primoribus ob *Saxonicos* motus, ad festum Pentecostes hic quoque valde anxie agitasse. Quo tempore & *Aschuvinum Schwabeccensem* comitem, civitati & provinciæ nostræ advocatum confirmavit.

A. 1070.

A. 1071.

D

Secundo iterum ab hoc anno, qui erat aservatoris nativitate MLXXIII dum ille ipse *Hainrychus IIII.* Imperator festum *palmarum* (quod *Gregorius Magnus* papa solenni processione, ante quadringentos & octuaginta fere annos, haud aliter atque alios superstitiosos ritus, ex Ethnicismo traductos, apud Christianos primus instituit) *Augustburgi* nostro colit, *Rudolffum Rhynfeldensem*, *Sueviæ* ducem, cum aliis quibusdam Dynastis *Saxonibusq;* conjurationis contra rempublicam insimulatum, in gratiam recepit, breviquè post hinc *Bojoriam* petens inter redeundum, Pentecostes ferias ejusdem anni in eadem quoque nostra civitate concelebravit, haud modico incolarum gaudio & emolumento.

Imperato-

ris gesta A. Augustburgi.

Pacata dein maximis laboribus patria, dum exteris se tradit negociis, ac in Italia pacem plantare satagit, ejusque rei gratia in *Lombardiæ* castello canusio, tantum non abiectissime a pontificis Romani execrationibus, in quas propter decreta *Wormatiensis* synodi, mense Martio anni MLXXVI, *Hellebrandum* pontificem recusantis, incurrerat se absolvi postulat. Ecce tibi *Rudolffus* prædictus Suevus, jamiam etiam *Burgundiæ* dux effectus, traducentibus ita rebellibus *Saxonibus*, cum *Hiltbrando* ut ambitiosissimo necromantico, sic quoque seditiosissimo papa, quem posteaquam præcessorem suum, quod imperatoriæ majestati deferendum censeret, veneno in vinculis sustulisset, milites sui ad hoc conducti, Romæ eadem hora, sine cleri & populi votis, in sede apostolica intronizarunt, *Gregoriumque VII.* vocarunt, clandestine & veteratorie iterum conspiravit. Qua propter pontifex is, ecclesiæ clavium potestatæ abutens, mox non ut apostolicus, sed ut antichristus incarnatus, non solum a sacramento fidelitatis Imperatoris veri, qui tamen ipsum pontificem Romanum confirmarat, subditos absolvit, sed etiam manum ad totius terreni orbis imperium directe admovens, primus pontificum meram jurisdictionem, in omnes reges, principes, & magistratus quoscunque plus quam tyrannice exercere, immo Imperatores præcario admittere, cunctosque episcopos in ordinem redigere, impudenti ac plane nova autoritate non est veritus.

A. 1076.

Rudolfus Suev. dux rursus rebellat, novas machinatur.

Ipse vero *Rudolffus* conventiculum admodum funestum, sub initia Februarii MLXXVII. anni, complicibus suis, videlicet *Berchtoldo Zeringio*, *Ottoni Scheurensi*, & *Welffoni Altorffensi* regulis, nec non *Moguntino*, *Colonensi*, *Magdeburgensi*, & *Saltzburgensi* archiepiscopis, *Augustburgum* indixit, quo & *Hainricum* imperatorem præsumptuose citavit, ac *Embricum* episcopum nostratem, fidelitatem sibi jurare adegit: quæ facinora, ubi Imperator recte antevertisset, astuque incolarum justa formidine disturbasset, conjurati *Ulmam*, quæ tunc villa adhuc erat, monachisque divitis *Augiæ* parebat, secesserunt. Quibus memoratus pontifex non multo post aliud comitium, misso ex urbe *Bernhardo Massyliensium* abbate legato, *Forchheymæ*, alii *Pforzæ* volunt, congregari præcepit. In

A. 1076.

Rebellant, conveniunt.

quo

quo *Rudolffus* insolentissimo *Hiltbrandi* instinctu, qui vere *Hellebrandus*, hoc est, *infernalis fax torrisve*, ad eam tractationem coronam miserat, cum hacce inscriptione: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolffo*; anticæsar X Kalendas Martii, a seditiosis illis est electus; & *Moguntiæ* a *Syfrido*, archipræsule coronatus. Exqua re universa non solum *Germania* bello exarsit, sed & S. P. Q. *Augstburgensis* una cum adjacente provincio-la, perniciosissimis casibus ad plurimos annos involuti undiquaque fuit. Nam ubi memoratus novus Cæsar in patriam suam plenus in- anis spei protinus concessisset, fortiter ab *Hainrycho* vero imperatore *Rhenensium* & *Francorum* copiis, quibus *Gottfridus Bulionius Brabantiæ* dux, præfectus erat, instructo ex *Sigmaringense* castro in *Saxoniam* profligatus, totaque nostra *Suevia* ultricibus armis haud difficulter recepta est. Atque ducatus ejus, sub cujus jurisdictione & *Augstburgenses* comprehenduntur administratione victor, *Fridrycho* comiti ab *Hochenstauffa*, quod belli hujus fidelissimus capitaneus extitisset, beneficii loco, contra *Berchtoldum Zeringium* concessit, tradita simul illi & *Adelhaida* (Italici scriptores *Agnetem* nominant) filia in matrimonium: Unde digladiationes acerrimæ diu hinc inde, inter fortissimos illos heroas, hisce in terris contigerunt, utut Cæsar *Corenthanum* ducatum *Berchtoldo* donarit. In quibus jam dictus *Friderychus* designatus *Suevia* dux, *Sigefrydo II. Augustano* episcopo, & *Rapotoni Wittelsbachensi* palatino confœderatus, castrum *Sybenaicham*, prædonum latibulum ad *Werdacham* situm bello cepit, destruxitque: Nonnulli castrum illud VI. Idus Augusti anno Christi MXC. per prænominatos coufœderatos direptum ac incensum esse volunt. Cum interea cives *Augstburgenses*, turbis talibus nihil moti, inconcussa semper fide, verum suum Imperatorem, & debita observantia venerari & pro virili adjuvare nunquam destiterint.

Friderichus Suev. dux.

A. 1090.

A. 1077. *Sigefridus Episcop. XXXIII.*

Accepit forte tunc post *Embricum*, anno salutis MLXXVII. episcopatum civitatis nostræ, tricesimo tertio loco *Sigefridus II.* comes a *Dornberga*, (plurimi *Marschalkum Donnersbergensem* faciunt, usque adeo familiarum nomina homines illius sæculi literis diserte mandare nequibant) cui quod *Hainrycho IV.* Imperatori ceu justo suo collatori ac domino obediret, *Hellebrandus* prædictus papa extemplo e medio canonicorum suorum, *Wigoldum* quempiam æmulum plus quam hostiliter, per *Ottonem Hostiensem* episcopum, legatum suum, exuscitavit, ac furtim a *Sigefrido* archiflamine *Moguntino*, apud *Northusiam* consecrari fecit. Is *Fussæ* XII. annis resedit, ac cum tandem patrantibus sociis, captoque iam dicto vero præsule *Augstburgi*, ubi ad S. *Virychum Hartmannum Gottwicensem*, & eo ultro cedente, *Berengarium Fuldensem*, monachos, abbates esse propria vi jussit, obstinatius sacrificaret, subitaneis intestinorum tormentis expiravit, ac *Fiessæ* contumulatus est. Ex schismate hocce, tum in civitate *Augstburgense*, tum per totam ejus diœcesis provinciolam, annis plurimis cruenta admodum prælia, (quorum uno *Udalricus* de *Planckenberga* *Syfridi* episcopi pincerna hæreditarius nono Calend. Septembr. anno Domini MLXXX. gladio *Welfonis*, novi ducis *Bavariæ*, interiit inermis) non raro facta feruntur. *Welffone* enim novo *Bojariæ* duce, pontificias factiones propugnante, præter innumera civitatis nostræ incommoda, non modo multi mortales in ipso summo templo, quo ex privatis domiciliis, tanquam ad sacram anchoram confugerant, contrucidati sunt, sed & ipsum jam dictum Dominicanum, exustis sanctorum *Michaelis*, *Petri* & *Laurentii* propinguis sacellis, cum claustralibus ipsisque *divæ virginis* mystarum (erant enim *canonici* illi, qui hodie tam dissoluta ferociunt vita, tunc *regulati* ac *fratres* nuncupati, certa disciplina adhuc astricti) & refectorio & dormitorio misere direpta. Simul ac *Moritianum* sanum anno domini MLXXXIV. hostili igne absumptum est, alii tamen id anno MDLXXXIV. in vigilia Paschæ patratum volunt. Ipsus vero interea *Sigefridus* noster, utut in synodo *Quindelburgensi*, quam *Hermannus* anticæsar, anno salutis MLXXXV. Aprili mense, *Gregorii* pontificis adornatione congregarat, cum aliquot aliis superioris *Germaniæ* episcopis, *Hainrycho* vero Imperatori adhærentibus, per papisticum cætum secundario & absens abrogatus esset, sequente tamen anno interfuit *Moguntinæ* illi synodo, quam *Hainrychus* indubitatus Monarcha, cum imperii potissimis episcopis principibusque, præsente *Petro Portnense* episcopo, *Clementis III.* papæ legato, contra æmulos suos & *Hellenbrandum* schysmaticum solenniter celebravit, ac dein ejus rei causa, post totius civitatis nostræ lamentabilem eversionem ab *Algiobojaris* bello interceptus, & ab ara, quo confugerat, vi retractus est, trienniumque ferme *Ravensburgi*, in *Welfonis* castri carceribus mancipatus, magnaque vi pecuniarum difficulter liberatus, superstes plurium competitorum momentaneorumque successorum suorum, inter quos *Wernherus* & *Hartwichus*, Canonici *Augustani*, & *Eggbardtus Nellenburgensis* comes, *Augiæ* majoris, quam *Ditem* hodie nominant, & *Hainrychus Dornstychius Campidonensis* abbates fuere extitit. Atque tandem XIX. præsulatus sui anno, cum jam *Zellensem* totam villam, simul ac *Merdingensem* ecclesiam, cum decimis, cathedrali suo collegio salutis ergo donasset, secundo nonas Decembris domi pie obiit. Sunt, qui *Welfonem Algiobojarum* præfatum, pœnitentia ductum esse, ac dimisso memorato *Sigefrido*, quicquid violaverit officiis & muneribus recompensasse tradunt.

Welfonis Boi. ducis hostilia in Augstburgenses.

A. 1080.

A. 1084.

A. 1584.

A. 1085.

Sigefridus Moguntinæ synodo interest.

Hartmannus X. & Berengarius XI. Ulrichiani abbates.

Sub hoc episcopo ex primariæ ædis collegio, *Hainrychus* quispiam, anno domini MLXXVIII. *Aquilegiam* patriarcha postulatus est. Item *Norbertus* ejusdem collegii præpositus

A. 1078 *Augustani exteraum eccle-siarum præfecti.*

A. 1080. positus, anno domini MLXXX. sub mediis ecclesiæ turbis, Curiæ *Rhetiæ* præsul a Cæsare electus, a papisticis id persymoniam adeptus
A. 1085. culpatur. Adhæc anno domini MLXXXV. *Adalbero* alius hujus chori canonicus, *Tridentum* episcopus vocatus est. Denique an-
A. 1092. no domini MXCII. *Ulrychus* comes ab *Hæfra*, ex *Athesina* provincia, præpositus summæ
Ulrichus & Rapotus maj. æd. præpositi. ædis hic in *Pataviensem* antistitem ordinatus legitur. In cujus locum *Rapotus* quispiam hic succesſit: qui postea *Salisburgum* postulatus narratur. Quin etiam sub eodem *Sigefrydo*, *Augustano* episcopo, *Adelbelmus*, *XIIII.* abbas *Urtenbeyrbanus*, tam singulari devotione sedem Romanam prosequutus est, ut etiam cœnobiorum apud Fauces, *Weingartam*, *Narisbaymam* & *Petershausam*, rector atque pater esse meruerit, citra simoniam.
Sigbardus abbas Ulrychianus. IX. *Sigbardus* item novus *Ulrychianus* abbas, qui cœnobium id *Augustburgi XIIII.* annis rexit, & ratificatione *Syfrydi* episcopi, in perpetuos annos constituit, ut singulis annis unicuique *Mariano* Canonico, qui in festivitatibus divorum *Ulrichy* & *Afræ* tum vespertinis precibus, tum summo officio apud ejus templum interfuerit, duæ amphoræ *Athesini* vini & duodecim similaginei panes in *præsentiam*, quam vocant, distribuerentur. Quin item confraternitatem perpetuam, pactis suffragiorum mutuis subsidiis, cum *Wylhelmo Hyrsaugiense* abbate duodecimo superstitiosisli-
A. 1083. moque contraxit. Anno salutis MLXXXIII. in *Hispannias* ad *Berengarium Gerundensem* præsulem, pro obtinendis beati *Narcyssi* reliquiis, explorandaque certius S. *Afræ*, hic scilicet recubantis, legenda, solicite admodum, ne dicam stulte aut insane nuncium misit, ac novis nugis allatis, Antiquum & conceptum errorem constabilivit. Anno præte-
A. 1094. rea MXCIIII. *Ornestus Dillingensis* comes, ab *Hartmanno* nepote suo, ex fratre, primus abbas, in novum *Narisbaymense Benedicti-*
Urbanus II. Papa. *ni* cultus monasterium, constitutus est. Quo anno & *Urbanus II.* papa cruentissimus, qui & *Turbanus* dictus, præceptoris sui *Brunonis Colonienſis*, superstitiosissimam arctissimamque sectam, nempe *Chartusianam*, nuper adeo metu extremi judicii in Gallia natam confirmavit, concilium *Claremontis* apud *Avernos* celebravit, in quo præter ea, quæ pro sedis Romanæ superioritate, contra Imperatores decisa sunt, de recuperanda e manibus *Sarracenorum* terra sancta tractatum, diversionis nimirum gratia est, ac horæ *beatæ Mariæ virgi-*
Korsangus Augstburg. acerrimus Pontificiorum antagonista. *ni* dicendæ institutæ primo sunt. Cæterum perturbatissimo istoc ævo, quo insolentissimo antistitum fastu, cuncta per Germaniam & impie & seditiose permiscebantur, claruit *Augstburgi* nostro, magister *Mathæus Korsangus*, ecclesiastes tam liberrimus, ut postea quam satis pro Theologica vehemantia Romanistarum tyrannidem pro Imperatore nostro taxasset, nobilium & dominorum extraordinarias in plebeculam exactiones etiam, crudelitatemque centauricam, in concionibus improbasset, pene seditionem imprudens per totam Sueviam inter rusticos excitaverit. Floruit etiam *Gerochus* sive *Geroculus Reichersbergensis*, summæ apud nos ædis sacerdos pervicacissimus, qui quod rebus papæ fervidius studeret, tumultusque præsentes editis libellis, pro affectu, amplius succenderet, in exilium ab Advocato jussu Imperatoris actus est. Et hactenus sacra illa, jam etiam prophana, si diis placet, absolvamus.

Anno salutis MLXXX. convocavit *Hermannus*, ditissimus ille *Lutzelbergensis* co- A. 1080.
Hermannus Suevorum duxo Trojaludum edit. mes, nonnulli *Lutheringiæ*, *Nauclerus Zæringiæ* ducem appellant, jam quoque *Sueviæ* dux a *Rudolffo* institutus, totius *Germaniæ* equestrem ordinem, videlicet principes, comites, barones, & universam nobilitatem, ad ludendum *Trojanum agmen*, quod vulgo *thorneamentum* dicitur, quodque octavum a primo fuit, mense Augusto in civitatem *Augstburgensem*; quem ludum inter alios heroës etiam *Friderychus Hohenstauffius*, alius Sueviæ dux invisere non reformidavit, tanta tunc integritas hominum erat.

Quam primum vero *Rhynfeldensis* anti- *Rudolfus Antiquisimus*
B cæsar, quarto Iduum Octobris præcedente anno prope *Sladam Saxoniæ* bello devictus, ac nunc denuo apud *Volssam* ad *Ellstrum Saxoniæ* fluviolum, sub finem mensis Martii præsentis anni, amissa, qua domino suo antea fidem dederat, dextera manu, prælio cum *Hartwicho Magdeburgensi* archiepiscopo, occubuisset ac *Mersburgi* ut Imperator sepultus fuisset, *Hermannus* jam dictus, quem *Hermannus capto Augstburgum.* *Saxones*, mox Islebiæ afflictis imposuere rebus pontificiaque authoritate Cæsarem salutarunt, Sueviæ ducatum horribili exercitu invasit, & *Augstburgensem* civitatem tribus ampluis septimanis, ab Orientali plaga, obsidione ardua cinxit, atque cremato tandem *S. Jacobi*, cum toto eo suburbio, sacello, *Bajaris* comilitantibus, civibusque aliquibus prodentibus cepisse fertur. *Hermannus* iste passim rex *Alliorum*, per despectum, nuncupabatur ab hostibus, ac post septem annos vel sponte abdicans, vel ruinæ portæ in expugnatione quadam arcis *Hermanni* archiepiscopi Trevirensis oppressus, Metis contumulatus habetur.

Cæterum his ita gestis, Philominus et- *Leopoldus IIII. Austriæ dux Augstburgum.*
iam *Augstburgum* nostrum e vestigio hostiles alios ignes, si Annales non fallunt, *Leopoldi* IIII, *Ostriaci* limitis præfecti, sive *Marchionis Austriæ*, (qui postmodum non solum Imperatoris nostri, *Hainrychi* præsentis, ex *Hagnette* filia, *Friderichi Suevi* relicta vidua, gener astu, sed & longe posterius Cæsaris *Maximiliani* I. arte, per *Julium* II. P. M. ob multiplicem sobolem, sanctorum numero claustro *Neuburgi* insertus est) *expertum esse* passim quoque perhibetur. Quam injuriam *Welffo Altdorffensis* co- *Welffo Augstburgi*
mes, qui primus ex ea familia ducta *Edelinda Ottonis* IIII. profligati præcessoris sui filia, fidelitatis ergo, anno Domini MLXXI. A

ab

ab ſæpe dicto *Hainrycho* Imperatore, dux Bojariæ, *Babenbergæ* creatus fuerat, altero vix evoluto anno conduplicavit. Nam corruptis pecunia cuſtodibus, ex Imperatoris vinculis, in quæ propter ſectatas *Hellebrandi* partes, jam dudum conjectus fuerat, elapſus qualescunque copias, munito *Revensburgo* ſuo, contraxit, ad *Lechique* campeſtria eduxit, ac dum memoratus Imperator, capta poſt biennalem obſidionem Roma, fugatoque papa, in eâdemanda jam contra *Nordmannos Apulia* occuparetur, *Augſtburgum* noſtrum de improviſo iterum invaſit, ac diluculo VI. Kalendas Februarias, anno chriſtiano MLXXXIII. occupavit, & non ſine plurimorum indigna occiſione diripuit: *Wigoldumque* prætera ibidem, ſacris contra verum paſtorem, præfecit, qui mox uti pſeudo pontifices mercenariique ſolent, tam in civium, quam adhuc hic morantis cleri reliquias, multo acerbius graſſatus quoque eſt. Donec *Friderychus* non ita pridem ab Imperatore inſtitutus *Sueviæ* dux, eundem intruſum parochium mitratum, hinc velut lupum ab ovium caula vi pepulerit, ipſumque ad *Welffonem*, cum *Hermanno* & *Leupoldo* ſupradictis, menſe Auguſto *Hoechſtetii* ad *Danubium* bello ſuperaverit. Sunt tamen annales, qui contrarium aſſerant.

A. 1083. *Wigoldus intruſus Augſtburg. Epiſcopus.*

Sequente dein anno, hoſtibus metu & infamia fugitantibus, civitas hæc noſtra ſub *Maji* initia (alii *Auguſto* menſe volunt) ab ipſomet Imperatore *Hainrycho* redeunte ex Italia (ubi pridie Kalendis Aprilis in ipſa paſchatis celebritate, a ſuo pontifice, quem ſuberiore anno in ſynodo *Brixinenſe*, dejecto *Hellebrando*, rite ſubſtituerat, *Clemente* videlicet III. Romæ in *Baſilica Lateranenſi* Auguſtus fuit, cum *Berchta* conjuge Italica conſecratus, ac brevi a *Roberto Guiſchgardo* inde *Senas* exploſus) in gratiam ac tutelam de novo recipi, ut utcunque reſocillari potuit miſera. Quo tempore *Augſtburgi* noſtro apud nobilem quendam civem in delitiis fuiſſe *album Corvum* nonnulli ſcribunt.

A. 1084. *Imperator Augſtburgum rediit.*

Fuerat autem per eam tempeſtatem *Friderychus* a *Rietbaima* prætor *Augſtburgi* noſtro, qui jamjam animam agens, fratribus chori ad *divam virginem*, quæ per vim forte hiſce tumultibus occupaverat reſtituit. Cui ſtatim *Dielboldus* a *Nyffen*, ſupradicti *Aſchwini* advocati autoramento, in civitatis noſtræ ſub præfectura annis plus minus XXXX. ſucceſſiſſe fertur.

Krydrychus & Dietboldus præfecti Augſtb.

Ecce autem prodigia circa cuncta apud nos volatilia, nempe anates, columbæ, anſeres & pavones, una cum domeſticis gallinis pullisque furia quadam arrepta, anno Domini MLXXXVII. ſubito avolarunt, ac relictis prioribus habitaculis, in ſylvas locaque inſveta ſe receperunt, neque aliter recuperari potuerunt, quam aliæ ſylveſtres aves ſolent: piſcium præterea multo maxima pars, in fluminibus vivariisque per regionem iſtam, ſua quadam peſte paſſim periêre quoque, unde & paulo antea, & ſequentibus aliquot annis, adeo implacabilibus turbis, ira Dei, feneſtra per univerſum hunc diſtrictum apperta fuit, ut ſæpius ac numero iterum *Augſtburgenſis* civitas tum per inſidias adobruta, tum atrociter vaſtata fuiſſe, utpote minus vallo ſepta, minusque armatis ſtipata in acta relatum legatur. Etenim dum tunc etiam *Egbertus Misniæ Margckgrafius* (qui poſt quinque annos ab Imperatoris noſtri *Hainrychi* ſatellitibus, prope *Brunſwicum* in molendino, *Eiſenbüttel* vocato, obtruncatus eſt) juſſu pontificis in Cæſarem, contra Imperatorem, cujus affinis erat, a deo ordinatum, lectus a papiſtis in Saxonia eſſet; certe noſtrum *Augſtburgum*, in ipſo cœnæ dominicæ feſto, anni MLXXXVIII. quidam *uno plus*, nonnulli *tribus minus*, numerant, a ſæpe dicto *Welfone*, qui ad *Saxones* defecerat, tertium proditorie ac dolo malo, commilitantibus vicinis *Algionibus* & *Bojariis*, una cum epiſcopo ſuo captum, integroque triduo tam inhumaniter exſpoliatum miſere eſt, ut præter incolarum promiſcuas cædes, opumque privatarum direptiones, etiam ex archivis reipublicæ, cuncta tam civitatis privilegiorum dyplomata, quam tabularum publicarum protecola, una cum rerum geſtarum annalibus inſtrumentisque quibuscunque, & quæ vocant *regiſtris ærarii*, ſecum avexerint, ac feria ſecunda paſchæ, urbem ærumnoſe deſtructam muris undiquaque ſolo æquatis, lamentabiliter ſane everterit impius hoſtis. Porro dyplomata & conſignatas literas præda hujus, cum aliter uſui non eſſet, ad *Rotenfelſum* ſuperioris *Algeæ* arcem, tanquam ad inacceſſum locum, comportarunt hoſtes, ubi aliquot ſæculis non ſine deploranda Majorum & omnis antiquitatis obliteratione, incognita non tam dilituerunt, quam mere ſepulta fuerunt. Donec tandem ſenatus *Augſtburgenſis* noſtra memoria ea ſubodoratus, a *Wolffio*, *Montfortenſe* comite recuperare majore affectu, quam effectu ſtuduerit, fortuito enim igne, ſub *Carolo V.* Cæſare, abſumta in dictæ arcis, propugnaculo *Hugenfeſſo* dicto, nefarie fataliterque ſunt.

A. 1088. *& Augſtburgenſ. eum archivum ſecum auferr.*

Fomes autem totius prædicti belli inteſtini, ex ea ſimultate ardere cepit primo, quod respublica *Auguſtana Hainrycho IIII.* Imperatori præſtitam ſervare fidem, quam Romani Idoli, quod non ſolum denominatum in *Germoniæ* antiſtites, ſed & meram monarchiam ſedi ſuæ meditabatur nefandiſſime, fulmina obſervare maluerit, dein quod *Sigefrydus* verus eccleſiæ noſtræ antiſtes, præhabitum *Welffonem* advocatum ſuum recognoſcere noluerit.

Augſtburgi direptionum cauſa.

Interea *Hainrychus* Imperator in publicis *Germaniæ* comitiis, quæ ſub annum Chriſti MLC. *Ratisbonæ*, in *Italiam* profecturus agitavit, *Angſtburgenſium*, civium tranquillitati, unde Imperii reſultant commoda, conſulens, in violando dyplomate, tum epiſcopi per ipſorum civitatem, jurisdictionem, tum Canonicorum fratrum ibidem reditus, miniſterialiumque illorum officia & ſumptus, ab advocati prætorumque in eadem civitate muniis, adhæc a civium antiquis prærogativis, tam

Imperatoris diploma de clericis jurisdictioni civili eximendis.

A. 1090.

Variæ calamitates experitur Augſtburgum.

A. 1087.

tam in criminalibus pœnis, quam aliis mulctis, certis conditionibus terminisque, tam diserte iterum discrevit, ut ni inexplebilis avaritia fecisset, summa inter utrosque concordia, ac benevolentia in hodiernum usque diem perpetuo durassent. Sunt tamen, qui determinationem hanc, ab *Hainrycho V.* post viginti annos factam adserant, nec omnino male. Succesſit circiter hoc ævum *Wernhero* comes a *Baltzhusa* & *Swalecca*, patri, in *Augustana* tum provinciæ, tum civitatis majore advocatia, sive præfectura, sub quo domestica demum iurgia sopita sunt, infælix tamen pestilentia ad annum domini MXCII. plebes hic & animalia per omnem viciniam pernicioſiſſime depopulata est. Et memoratus *Welffo*, a cujus nomine omnes pontificium partium homines, Imperatoribus adversantes, ad posteros, præsertim seditiosos *Italos*, semper cognominari meruere, siniſtris conjuratorum fatis perterritus, sero admodum resipiscere occepit, ac veniam a mitissimo Auguſto impetrans, non solum ducatum suum, apud *Bojariam* recuperavit, sed etiam eundem præter consuetudinem filiis suis hæreditarium effecit, simul ac *Augustburgensibus*, præsertim Ecclesiasticis illata damna resarcivit, eisque pecunia & prædiis sponte satisfecit.

Post quæ facta, *Sigefrydo* episcopo, tandem anno domini MXCVI. *Hermannus* monocylus, comes *Witielsbachensis*, recte per Imperatorem, *Hainrychum*, *Ulrychi Palatini* fratris intercessione, apud *Veronam* subrogatus est. Qui cum tricesimus quartus præsul hic, per XXXVIII. amplius annos fuisset, ac excommunicatis Cæsaribus, contra Romani Antichristi tyrannidem, jure semper adhæsisset, ecclesiam disturbare culpatus, nec non ut Simoniacus anathemate notatus fuit, a *Paschali II.* qui papa primus episcopatuum & monasteriorum bona, fundos, reditusque in despectu cæsaris, bullis per *Germaniam* confirmare, ac in suam tutelam, recipere incepit. Sicque primus ecclesiasticis antistitibus prælatisque potestatem fecit, rem familiarem absque advocatis curare. Quin & collegiis sacerdotum, ab aliis extinctis, immunitates tum contra fundatorum hæredes, tum contra omnem sæculi potestatem, primus donare non erubuit. Primus item pallia archiepiscopis, nullatenus, nisi præstito prius obedientiæ & fidelitatis in Romanam sedem iuramento, tribuenda sanciit, denique omnia jura in scrinio pectoris Romani pontificis contineri, eundemque errare non posse arrogantissime pronuntiavit. Unde non immerito *Fluentinus* apud *Italos* tunc temporis episcopus, antichristum natum esse affirmavit. *Hermannus* præterea noster, a fratribus chori sui, quibus *Kolokmarus* de *Dalheima* præpositus erat, apud ipsummet Imperatorem, in comitiis *Ratisbonensibus*, circiter annum Domini MCIIII. in Epiphania Christi, accusatus atrociter fuit, tanquam qui ecclesiastica bona dilapidaret, ipsorumque Canonicorum prædia & reditus, per suos officiales & ministros injustis exactionibus premeret, immo illos reditibus & aliis tum ad oblationem, tum ad ipsorum stipendia pertinentibus spoliaret. Unde pius Imperator auditis partibus, communi aliorum episcoporum & *Rheni* principum suffragio, tales utrisque in amorum censuum perceptione, mulctarum determinata taxatione, denique & in faciendis sumptibus, deligendoque ad rationes justo tempore reddendas, loco, nempe vel *Airingæ*, vel *Gysenbusæ*, vel *Strubingæ*, ipsis etiam ecclesiæ *Augustensis* advocatis ministerialibusque eorundem tum leges, tum conditiones præscripsit, ut quantum ad æquitatem attinet, melius non potuerit. Nihilominus tamen prædictus præsul noster, non tam ab Metropolitano suo, *Alberto Moguntinense* archiflamine, quam a *Kindone Curiense* episcopo quoque (qui tamen antea in *Augustensium* canonicorum albo non postremus fuerat, nunc autem ad cripiendam *Germanis*, tum episcopalis tum cæsareæ electionis libertatem, papalis commissarius, & ad *Northusanum* conventiculum anno Domini MCV. legatus, ac postea anno MCXIIII. in Comitiis *Basilienſibus* a parte *Hainrychi V.* Cæsaris stetit) muris modis etiam ad civium nostratium implacabilem tumultum usque exagitatus est. Interfuit autem *Hermannus* hic, ac subscripsit detestabili illi pacificationi, quæ *Triburiæ* in agro *Moguntino*, e regione *Oppenheimæ* ad Rhenum sitæ, anno Christi MCXX. (multi *Wormatiæ* IX. Kalendas Octobris post biennium impium illud decretum esse publicatum docent) inter *Hainrychum V.* Imperatorem & *Callistum II.* papam, qui contra *Burdinum*, *Gregorium VIII.* vocatum, in *Gallia* electus, ac profugis cardinalibus fuerat, est facta. Ubi episcoporum & abbatum per *annulum* & *baculum confirmationem*, hoc est, *meræ* & *legitimæ collationes*, tandem omnino Cæsaribus, relicta tantum modo regalium per sceptrum investitura, ereptæ, ac ipsis adeo cathedralibus collegiis pro electione proprii episcopi, sex solum menses toto anno concessi, reliquaque pontifici summo plene adjecta sunt. Fuit etiam *Hermannus* noster in alio quopiam concilio, quod *Lutherus* Cæsar, *Matthæo* episcopo *Albanense*, papistico legato præsidente, anno salutis MCXXXI. *Moguntiæ* celebrari mandarat, ad nutum *Innocentii II.* papæ, qui percussorem sacrificuli excommunicandum primus censuit, ac *Arcubalistorum* usum contra christianos prohibuit. Idem præterea *Hermannos* noster, ecclesiæ suæ advocatum assumplit, *Adalgetzum II.* de *Schwabegga*, *Wernheri* filium; *Augustburgensem* item urbem ab inimicis, præsertim *Welfone*, dirutam summopere refici, ac pristino nitori reddi, una cum civibus curavit. Donavit quoque decimas monasterio *Mutterhofensi*, quod jam dudum a *Marschalckis Biberbachensibus*, *S. Nicolao* extructum de novo fuerat. Simul ac scholam bonarum artium hic fovit eruditissimam, ex qua *Gerungus* a *Buchonia*, primus abbas cellæ *S. Paulinæ* in *Thuringia* assumptus

Werinherus præfectus Augustburg.

Welffo cum Imperatore reconciliatur.

Hermannus Episc. XXXIV. A. 1096.

Paschalis II. Pont. M. gesta.

Imperatoris decretis Ecclesiasticis Augustburg. constitutiones.

A. 1104.

Templum S. Aegidii exstruitur.

ptus est. Sub hocce præsule statim *S. Ægidii*, juxta orientales muros lararium, extrui primo *Augstburgi* cepit, quod tamen postea an-

A. 1197. no Domini MCXCVII. primum esse consecratum multi asserunt, nonnulli vero ante CXCI. annos, a *Syfrido* episcopo dedicatum fabulantur. *Berengario* item *Fuldense*, post *Hartmannum Gottwicensem* Danubio suffocatum,

Guntherus abbas ad S. Ulrych. XII.

schismaticumque monachorum patrem, apud *S. Ulrychum* hic per vim intruso abbate, munus post undecim annos quietis gratia resignante,

A. 1107. *Guntherus Wessenbrunensis* abbas monachorum duodecimus pater, ibidem esse cæpit: Qui & ipse secundo non plene evoluto anno,

Egino abbas ad S. Ulrych. XIII.

Eginoni civi *Augustano* cum ignominia pedum cedere coactus est. *Chunradus* quoque a *Bibregga* ecclesiæ hujus canonicus, curiæ *Rhetorum* tricesimus octavus episcopus constitutus electione est. Cæterum monoculus

Uttenbeyrhensis coenobii confecratio.

nostet præsul, renovatum *Uttenbeyrhensis* cœnobii templum rogatione *Rudberti XVII.* ibidem abbatis, quem sui pro divo colunt, & CXX. annos vixisse credunt consecravit. *Hartwicho* item *Diessensi* præposito, concessit anno

A. 1114. MCXIIII, ut Canonicos suos a templo *S. Gregorii*, ad ecclesiam *divi Stephani* ibidem, abrogatis monialibus transferre posset. Qua tem-

S. Gregorii canonicorum ad S. Stephan. translocatio.

pestate cum humanæ satisfactiones, operum fiducia, & cum primis castitatis votum, non solum contra servatoris Christi monita, sed etiam contra naturæ fragilitatem, prorsus invalescerent, cœperunt primi omnium *Cistercienses* cucullati, (quorum sectæ *Norberthus Santhonensis Lutheringus* autor, paulo antea, *S. Augustino* adscriptam vivendi normam in arctum contrahere ausus fuit) monialium habitacula, sive hæ olim illorum uxores sororesve, sive alias sacratæ virgines fuerint, a cœnobiis consortiisque suis, quibus hactenus proxime adhæserant, longius removere, ac assignatis aliis locis, in desertis sylvis vallibusque propria ad instar heremitarum monasteriola suscitari curarunt, atque ita dictus præsul noster monialium in *Kubacho* cœnobium, quod *Adalbero* comes *Hertesbusanus* Imperatoris *Haimychi II.* concessione, anno Do-

A. 1010. mini MX. ultra *Lycum* de suo fundarat, *Willburgis* cognatæ orationibus permotus *S. Magno* quoque dedicavit, *Rychardamque* primam ibidem abbatissam, sub regula *S. Scholasticæ* constituit. Similiter & *Ellwangiensis* monasterii novam ædem consecrans *S. Vito*, *Helmrycho Oetingense* comite, tricesimo ibidem abbate devovit. Adhæc reliquiarum in sacello arcis *Andeccensis* dotationem confirma-

Egino abbas ad S. Ulrych. XIII.

vit. Quin item *Eginonem XIII.* ad *S. Ulrychum* hic abbatem, ob superstitiosiorem in papam obedientiam, & quod chrismate ejus, tanquam banniti hominis, uti recusaret, non sine *S. Affræ* sepulchri commotione, sicuti monachi dicebant, post decimum tertium villicationis annum ministerio pepulit. Unde is Romam *Ruthardi* metropolitæ *Moguntini* promotorialibus literis properans, ac dira

A. 1122. meditans, in itinere *Pisis* obiit. Cui *Volmairus* quispiam, anno Domini MCXXII. quadriennio succellit dicti episcopi nostri nutu. Sub cujus etiam gubernatione, *Benedictini* monachi *Werdæ* ad Danubium, in locum sacratarum virginum, paulo prius a *Tuta Dillingense* comitissa fundatum, monasterium videlicet *S. Crucis* introducti primo, & ab eodem episcopo decimis ibidem donati sunt: *Ursbergense* item præmonstratensis instituti cœnobium a *Wernhero Schwabaccense* comite, circa annum Domini MCXXV. ad amnem *Mindelem* extructum, episcopi nostri consensu *Ulrychum* primum præpositum accepit. Sicuti ex *Rychenza* uxor jam dicti *Wernheri* sequente anno *Ettelstettum*, sacrarum Vestalium, quæ hodie tamen sublato velo canonissæ vocantur, gynecæum constituens, *Gysselam* filiam, episcopi nostri confirmatione, primam in eo loco abbatissam fecit. Mox item *Urspringense* Benedictinæ sectæ Nympharum monasterium, anno Domini MCXXVII. a A. 1127. *Rudigero*, *Adelberto* & *Gualtero*, comitibus de *Schelklinga*, sub visitatione abbatis *Wernheri* ad *S. Georgium* in *Bacem* sylva originem habuit. Denique *Rothensis* præpositura præmonstratensium sacerdotum ab *Hemma Wildenwerkense* matrona, hocce tempore fundata, elapsis viginti annis *Odinonem* dapiferum *Waldburgensem* primum abbatem nacta est. Fuit autem, hoc ævo *Thymo* quispiam, primarii mystarum templi *Augustæ* decanus. Narrantque Pontificii patronorum suorum *S. Dionysii, Quiriatii, Hilariæ, Dinnæ, Eutropiæ & Eunoniæ* corpora in fano *S. Affræ* hic reperta esse quoque.

Abbas ad S. Ulrych. XIV.

Coenobii S. Crucis Werdæ origo.

Ulrychus abbas I. Ursbergensis.

Gisela abbatissa I. Ettelstett.

Odino abbas I. Rothensis.

Sub annum vero salutis nostra MXCV. atque sequentes tota *Augstburgensis* respublica communi & ingemiorum & plebejorum consilio, adde quoque episcopi novi adjumento, tum muros superioribus bellis destructos, reficere, tum totius civitatis suæ aream rectius constituere serio ac sedulo conata est, adeo ut brevi, multo quam hactenus fuisset, ornatior ampliorque civitas ista facta legatur: Cum interea tamen Septentrionale suburbium, versus *Werdachæ* pontem misere nescio cujus culpa, conflagrarit. Et non parum multi ex civibus hinc ad sacræ militiæ profectionem, partim heremita *Petro* ductore, partim *Gualthero Allemannio* sive *Sueyo*, capitaneo juxta *Claromontani* concilii decretum, de quo supra diximus nomina haud citra posterorum decus, circiter annum humanæ redemptionis MXCVII. quo maximus Cometa vespere in occidente Novembri mense hic fulsit, consensu Imperatoris sui, ultro dederint. In hac præclara *Germanorum* & Gallorum expeditione, quæ invito *Alexio Comneno, Novellesimo* vocato, *Græcorum* Imperatore, apud *Chalcedonem*, tandem congregata lustrataque, sexcenta peditum millia, equitumque loricatorum centum millia, magna ex parte, sponte suis stipendiis militantium, habuisse fertur, *Gottfridus Bulionius, Brabantiæ & Lutheringiæ* dux, sub cujus signis superiores *Germani* nostrique homines, sicut & sub *Roberti Flandriæ* comitis ductu, inferiores *Germa-*

A. 1095. *Muninentorum Augstburg. refectio.*

Augstburg. cives sacræ militiæ intersunt.

A. 1097.

Germani ac *Saxones* militabant, devicto *Lamachore Syriæ* rege, tandem *Hierosolymam*
A. 1099. Idibus Julii anno Christi MXCIX *Turcis* a *Sarracenis* eripuit, primusque christianus ibidem rex, communi procerum consilio, sed contranitente clero, sub spinea corona est factus.

Cometa. 1098. Anno Domini MXCVIII. cometes insolitus, Octobri mense per urbem nostram visus, non modo subsecuti hic terræ motus causa futurorumque malorum generalis nuncius fuit, verum etiam nihil privati perpetuo durabile esse contestatum fecit. Sic enim insperatus ignis
Augustburg. suburbiorum deflagratio. subito hic erumpens, iterum nova suburbia impiissime ab ortu hyemali consumpsit, pulcherrimosque civium conatus anno MCII.
A. 1102. calamitose impedivit. Haud aliter atque sequente anno, ingens pestis famesque plurimos mortales apud nos sustulerunt. Quo ævo publicus mos *Augustburgi* nostro fuisse, a nonnullis chronographis perhibetur, ut viri æque sicuti puellæ longiores capillos & intortos, concinnos, tricas hodie mulieres vocant, venustatis gratia gestare soliti fuerint; simul ac episcopo suo, quoties hic laverit in balneis, ut cives duo cingula, seu succinctoria & sacellano ejus quadraginta nummulos obtulerint. Tandem fatis viam invenientibus,
Hainrichi IV. Imp. mors. *Hainrychus IV.* bellicosissimus ille Imperator, qui bis & sexagies collatis cum victoria signis, pugnavit, pontificis Romani *Paschalis*, qui illum propter inobedientiam, ut hæresiarcham damnaverat jam, injuriosissimo instinctu, destitutus functione, & exauctoratus, *Ingelheymæ* ab episcopis, præcipua *Ruthardi Moguntini* flaminis immanitate & audacia, per vim est, atque etiam ab unico filio suo, parricidalibus armis impetitus, per *Lymburgum* elabens, *Coloniæque* obsessus vix *Leodium* effugit, ubi animi dolore, postquam *Johannes Spyrensis* antistes, illi præbendam, quam vocant, in suo choro denegasset, VII. Iduum Augusti
A. 1106. vitam, anno salutis MCVI. finivit, ac terra conditus atque iterum ejectus viliissime est. Et post quinque demum annos, præ papali interdicto, vix *Spyræ* sepeliri potuit, quanquam multi illum post indignissimam violentamque degradationem justo mœrore in fuga Caloniæ mortuum dicant.

Hainrichus V. Imperator Cum interea e vestigio die natalitio Christi currente adhuc MCV. anno HAINRYCHUS
A. 1105. V. *Junior* appellatus, *Hainrychi Senioris* ex *Berchta Ottonis* Italiæ *Marchionis* gnata (nonnulli Romani *Russorum* regis natam, & *Ulrici Braudenburgici Marchionis* viduam faciunt, cum tamen hæc *Præxedis* dicta, noverca *Hainrychi V.* fuerit) legitimus filius, quem pater ante sex annos in die *Epiphaniarum Aquisgrani* Cæsarem a principibus *Germaniæ*, eo jurejurando salutari, & ab *Hermanno Coloniense* archiepiscopo coronari obtinuerat, ut nunquam a se ad pontificios deficeret, Antichristi subornatione, *Moguntiæ* imperii habenas, non tam ambitiose quam ingratissime moderare occeperit. Is protinus Sueviam petens, *Paschalem II.* præfati scelaris impiissimum autorem, sicuti inter sese compromiserant, *Augustburgi* nostro cum plurima comitiva justo diutius totis duobus, videlicet Augusto ac septembri mensibus, anni MCVI. quo anno longus cometa per totam A. 1106. quadragesimam apud nos fuerat visus, præstolatus frustra est. Papa namque, quam primum *Hainrychum Seniorem* jam demortuum esse certo comperisset, ad *Padum Veronæ* subsistit, & sublata hostis potentioris formidine, obnoxiæ partis cætum non parvum coegit, ac *Gregorii VII.* & *Urbani II.* acta confestim comprobavit. *Clementis* vero III. novi papæ *Germaniæq;* pontificum, ipsiusque adeo præhabiti Augusti decreta omnia, ad lubitum rescidit & execratus est. Quam ludificationem, ubi optimi quique merito detestarentur, atque indies paparum adversus Cæsares intolerabiles injuriæ, abominandæque calumniæ, vulgo passim, una cum ecclesiasticorum prælatorum fraude & impietate innotescerent, immutatus non parum Cæsaris erga pontificem est animus. Nam licet eos, qui a parente discedere noluerant, inter quos *Noribergæ* fun-
Imperat. adversus Hostes ge- ditus eversa, dicitur, puniisset, toto tamen *sta.* pectore, quibuscunque potuit conatibus, super præmissa contumelia vindictam volitare non desiit, donec confecta, contra *Colo-* A. 1108. *mannum* resecratum regem, *Ungrica* expeditione, a *Polonis* negatum tributum vi exegerit, *Pragam* in *Bohemia* captam liberarit, denique paterno exemplo Romam cum *Paschali* pontifice, in ipsa anni MCXI. Quadragesima A. 1111. ceperit, & acclamantibus militibus, ut redderentur Cæsari, quæ sunt Cæsaris, in antiquum investiendi confirmandique antistitis jus, *Welffone II. Bojariæ* duce, a cujus thoro *Mathyldis* se jam separarat, procurante aythentico diplomate restitutus, ac Idibus Aprilis Augustus Imperator in *Basilica Apostolorum* consecratus sit.

Eo autem Italia abeunte, mox *Sanctissimus pater*, sic *papas* per antiphrasin appellare licet, cuncta transacta XV. Kalendis Aprilis in ecclesia *Constantiniana*, ad *Lateranum*, anno MCXII. retractavit, ac vota extorta non A. 1112. servanda asseveravit. Quocirca *Augustburgi*, ob perfida ea perjuria, diu multumque cives inter & clerum, non secus atque in omni ferme *Germania*, *Alberto Moguntino* archiepiscopo & *Luthero Saxoniæ*, Cæsari nostro reconciliato duce, pontificias partes contra Imperatorem asserentibus, tumultuatum est.

Quanquam autem circiter annum salutis humanæ MCXVIII. alii anno MCV. docent factum, *Friderychus II. Waiblingensis* & *Unoculus* vocatus, strenuissimo patri in *Sueviæ* A. 1118. ducatu, avunculi Cæsaris authoramento, fortissime successisset, ac frater germanus ipsius *Chunradus* ab eodem avunculo *Franconiæ* ducatum, contra *Herbipolensem* episcopum *Erlongum*, quoque obtineret. Denique *Hermannus Veronensis Marchio*, primus *Marchgravius Badensis*, ob ductam *Immutam* seu *Judithan*, unicam comitatus ejus hæredem,

Friderycus II. Suev. dux.

Comitia Augustburgi.

per

per dictum Cæsarem creatus esset, unde pax optima rerum, ab omnibus speranda erat, non potuit tamen *Augstburgensis* respublica, ob invalescentem Romanensium tyrannidem, extra noxæ periculum esse. Etenim dum merito pro communi suo jure, proque cujuslibet civis privata salute sollicita valde est, longe atrociora certamina, ob *Triburiensis* conventus decreta, de quibus supra in *Hermanno* episcopo scripsimus, non modo vicinas cum civitate hac nostra regiones, sed & universam Germaniam iterum integro dominicum MCXXI. annum, sequente triennio, A. 1121. miserandum in modum conturbaverunt. A Quo tempore memoratus *Friderychus Sueviæ* nostræ illustrissimus dux, nunquam non adversus *Callisti* II. impii papæ pleonexiam, machinamentaque, saniores Imperatoris sui partes, bene & naviter tutatus est. Verum insuper & supradicto *Adelgetzo* comiti a *Schwabecca*, *Augstburgensis* provinciæ civitatisque præfecturam confirmavit. Qua tempestate solita fuit respublica illa episcopo suo quotannis de publicis civitatis suæ teloniis sex, & pro vectigali conductuque eorum, qui aliunde ad nundinas *Michäelicas* per territorium ejus huc transibant, quatuor, item, B dum ad Cæsarea comitia proficiscereturvi- atico decem asses sive libellas nummorum contribuere. Interea memoratus Imperator, iterum atque iterum a paparum excommunicationibus absolutus, *Ultrajecti* ex *Dracunculi* morbo innato diutissimeque celato, XII. Kalendas Julii ortus periit, ac *Spyræ* majorum monumentis pro more illatus est.

Hainrichi V. Imp. mors.

Lutherus II. Imperator.

Inde sub finem Augusti anno Christi MC XXV. LVTHERVS II. *Simpelburgensis*, *Supplenburgensisve Saxoniæ* dux, pontificis ma- A. 1125. ximi consilio, (cujus sedi se primum is penitus subjecit, omnemque tyrannidem illi in *Germaniæ* antistites confirmavit) fraudu- C lento autem *Alberti Moguntini* & *Chunradi Salzburgensis* archimystarum astu, imperium apud Germaniam invasit, ac Idibus septembris a *Friderycho Colonienſe* metropolita *Aquisgrani* cæsar coronatus fuit, cui continuo *Friderychus Suevus* cum *Chunrado Franco* fratre (apud quos imperialia ornamenta sacraque insignia, post avunculi ipsorum obitum in arce *Hamersteino* collocata remanserant) quod indignius repulsam essent passi, rebellare non omnino injuste ceperunt. Ipsusque *Chunradus* protinus *Moguntia* ab *Ansbelmo* archiepiscopo, *Mediolanense*, *Italorum* principum præsentia, ferream coronam accipiens, rex Romanorum est dictus, licet *Honorius II.* papa, præstigiator, anathemate optimum principem propterea notarit, *Ansbelmumque* officio suspenderit. *Lutherus* Cæsar itaque malo nodo malum cuneum quærens, coactis *Reginoburgi* comitiis, unicam quam habebat, ex *Rychsa Northemia* uxore, filiam, *Gertrudem* nomine, *Hainrycho Alorffensi Catulo*, hoc est, *Welffo* dicto, qui *Brandeburgensem* marchionatum ab *Albrechto Urso*, comite *Ascaniæ* jam comparaverat,

Chunradus Imperator.

Lutheri Imp. gesta.

Bojariæ duci in matrimonium opis gratia elocavit. Atque eo pacto per magnam *Sueviæ* partem, ferro & flamma depopulatus est, ac tantem *Ulmam*, quod *Friderycho* pareret, armis obsedit, qua ægre expugnata, penitusque anno domini MCXXIX. diruta, A. 1129. licet *Augstburgensi* civitati incommoda illata fuisse nulla legamus, pavore tamen vicinarumque molestiis, nec non terræ motu, qui per eam tempestatem hic fuit, illam non penitus caruisse certo conjicimus, præsertim cum postea prædictus *Friderychus Suevus*, exustis *Ravensburgo* & *Memminga*, patria sua a Bojis esset pulsus.

Bellis his factiosa illa & postea *Italis* pesti- *Guelphorum & Gibellinorum origo.*
fera, *Welffonum & Waiblingorum*, *Guelphi* & *Gibellini* exteris incongrue dicuntur, cognomina audiri tanquam militares tesseræ primitus cæperunt.

Postquæ prænominatus *Hainrychus X. Bo-* *Hainricus Boj. dux nuptias Augstburgicelebrat*
jariæ dux, sponsam suam anno domini MC A. 1130.
XXX. *Augstburgum* venientem, mirifissimo equitatu excepit, & hinc in suum ducatum tantum non ovans solenniter deduxit. Nec procul eadem civitate in campo Lechi apud locum, qui tunc *concio legionum* dictus, satis splendide ædificatus erat, nunc vulgariter zum Contzilech appellatus, inter *Landsbergam* & *Moringam* plane desolutus jacet, in ipsa pentecostes octava, qua festum sanctæ & individuæ in Deo Trinitatis, ex institutione *Alcuvini Angli*, sive, qui idem est, *Albini Flaccii*, ante trecentos triginta circiter annos primum facta colimus, quod tamen *Leo* III. papa reprobavit, nuptiis sibi lætissimis cæremoniis, jucundissimoque apparatu copulavit.

Deinde cum idem Cæsar anno salutis MC A. 1132.
XXXII. ad restituendum contra *Petri Leonis* *Tumultus Augstburgi.*
Anacleti dicti electionem, *Innocentium II.* papam semetque coronandum per civitatem nostram proficisceretur, & aliquot hebdomadarum spacio hic hærens, quæ ad pompam eam necessaria erant, luculenter instrui satageret. En denuo sors Fortuna in novercam versa, horribilem tumultum inter cives & aulicos, ipsosque adeo Cæsarianos milites, tanta furia excitavit, ut subita clade citra legitimas causas, & clancularias simultates tollas, quas *Suevi* adversus *Saxones* Imperialesque contra papistas imis alebant visceribus, maximam civitatis hujus partem ignis voragine, ac plurimos mortales gladio periisse, a rerum hujus temporis scriptoribus annotandum sit.

Porro redeunte post annum *Lutthero* Im- A. 1133.
peratore ex *Italia* (ubi cum prospere cun- *Lutheri Imp. cum Fridrico & Chunrádo reconciliatio.*
cta successissent, ac in æde salvatoris *Constantiniana* Romæ per supradictum papam *Innocentium* pridie nonas Julii Augustus esset coronatus, *Wernheri* Jure consulti, vulgus *Irnerium* vocant, opera, Romanarum legum quinquaginta unum libros in lucem, adeoque in forum iterum reduxit) in gratiam etiam cum ipso sancto *Bernhardo* reconciliatus, redierunt *Friderychus Suevus* & *Chunradus Fran-*

Francus fratres, illique *Pabergæ* in *publica curia* (ſic horum temporum chronologi *comitia* appellant) Imperii inſignia non ſine totius viciniæ noſtræ tranquillitate emolumentoque reddiderunt. Eſt autem hoc
A. 1133. ipſo anno menſe Auguſto Eccliypſis ſolis dira, non parva populi admiratione hic viſa.

Gualtherus Epiſcop. XXXV. Quando vero in epiſcoporum electione jam quoque hoc loci Imperatorum poteſtas vileſceret, & econtra *canonicorum ſenatus*, quem ipſimet *cathedrale collegium*, vulgus autem *Dominicanum capitulum* vocant, autoritate propria, ne dicam Romani ſpiritus inſpiratione, increſceret, mox anno ſubſequente, qui a
A. 1134. Chriſto nato MCXXXIIII. numeratur, *Gualtherus* III. *Palatinus Tubingenſis*, unanimi ſummæ ædis cleri conſenſu, decimo nono die Aprilis, ſub *Bojarica* tutela in *Auguſtenſe* diœceſi *Hermanno* ſuffectus eſt, ſeditque annis ferme XVI. Quibus is conſeſtim S. *Michaelis archangeli* ſacellum, ſuper *Auſtrinam Ulrychiani* cænobii portam, nuper admodum conſtructam dedicavit. *Dedicatio ædis S. Michaelis.*

Cœnobii Anhuſiani. *Anhuſianum* item ad *Brentiam* amnem *Benedictinorum* ſacerdotum monaſterium a *Mangoldo Tubingenſe* patre ſuo, fundatum
A. 1125. confirmavit, conſecravitque. (Alii anno MC XXV. in *Langenawia* primo extructum, & nunc demum *Eugenii* III. papæ conſenſu, per jam dictum noſtrum epiſcopum, in vallem *Brentiæ* translatum eſſe volunt.) Sequente dein anno, *Kayſhaimenſe* novum cænobium, *Lythero* II. Cæſare, a quo *Cæſarienſe* alias dici creditur, aſſentiente confirmavit, infulamque beati *Ulrychi* epiſcopi, ut ne quid ſacri ſacro deeſſet loco, cucullatis illis quam religioſiſſime dono dedit. Prædictum *Kayſhaimenſe* cænobium, *Haimrychus* pater, *Luigarda* conjunx, & *Wolradus* filius comites *Lechgmundenſes*, facta ex *Lauterbrunna* translatione, *Bernhardo Caſtalio Clarevallenſi* abbati, centum ſexaginta per *Gallias*, *Italiam* & *Germanias*, clauſtrorum plantatori, cujus pro habendis feſtis mobilibus inventum, ſi *Julium Cæſarem* aut ipſius Mathematicum *Soſigenem*, honore eo defraudare licet, aureus numerus eſt, viventi in ſylva *Haidwanga* dedicarunt. Interea *Engelſchalcus Benedictbeyrhamus* abbas, impetrato
A. 1136. *Spyræ* anno Domini MCXXXVI. dyplomate, in poſterum per Imperatorem *Lutherum* ab omni ſubjectione regni liber eſt factus. Poſt iſta anno a nativitate ſalvatoris MCXLII. multi *ſeptem* detrahunt, *Gualtherus* etiam præpoſituram canonicorum *beati Auguſtini* ratam habuit, quam cathedralis chori ſui fratres S. *Georgio* ad civitatis *Auguſtburgenſis* ſeptentrionale ſuburbium, dedicarant, ac in eum finem tunc fundarant, ut dum ipſi habitum religioſiorem geſtare indies faſtidirent, loci hujus cultores vices illorum perſonati gererent. Denique cum idem epiſcopus Dominicanum ſuum templum, magnificis clinodiis ex auro & gemmis donaſſet, triennio ante mortem ſuam, & onus & honorem ſucceſſori ſponte reſignans, apud *Selgenſtadium Franconiæ*, reliquum vitæ monaſtice conſumpſit, obiitque VIII. die Septembris. Cæterum ſub præſule hoc *Albrechtus* comes de *Irtzenberga*, *Elchingenſe* cænobium, a *Chunrado* comite de *Simpelburgo*, fratre *Lutheri* Cæſaris, qui *Luciam Chunradi Suevorum* ducis ſororem in matrimonium duxerat, non ita pridem pro *Benedictinis* conſecraneis, in arce ſua, turris *Babylonis* dicta, inchoatum, de novo non procul *Ulma* reſtauravit, ac addita monialium ejuſdem regulæ manſione, id quod tamen adhuc inter *Benedictinos* abſque omni ſuſpicione, ſolitum erat, ad unam devotionis ſocietatem, *Lucii* II. papæ confirmatione fundavit. *Conradus* hic ex dote *Luciæ* territorium illud acquiſierat, *Friderychus* præterea III. *Sueviæ* dux, Imperator poſtea factus, ab Italis *Ænobarbus Barbaroſſaque* in contumeliam eſt vocatus, Canonicorum regularium S. *Auguſtini* cænobium, in *Herbrechtinga* ad amnem *Brentiam*, circiter annum ſalutis MCXLIIII. de ſuo in honorem S. *Dionyſii* fundavit, ac *Amandum* quempiam primum præpoſitum ibidem conſtituit. Ad hæc *Wilhelmus* & *Arnoldus* nobiles a *Biberbacho*, anno Domini MCXLV. clauſtrum in *Weienberga*, juxta *Wertingam* oppidulum, pro *Auguſtinianis* myſtis primum erexerunt. *Welfo* item IIII. *Bojariæ* dux, *Thuſciæ* & *Sardiniæ* merus hæres, ac dominus, circiter annum Chriſti MCXLVII. *Staingadenſe* cænobium apud *Lycatios* ulteriores, *Præmonſtratenſis* inſtituti conſecraneis, ad honorem *divorum Johannum, Baptiſtæ* videlicet & *Evangeliſtæ*, de novo conſtrui, ac ſub *Ausbelmo* primo præpoſito, ſibimet mauſoleum ibidem fieri fecit, in quod dum ſequente anno ſepeliretur, interfuit exequiis *Waltherus* epiſcopus noſter. Denique *Friderychus Klingenſtainus*, civis *Auguſtburgenſis*, XXV. abbas *Campidonæ* eligitur. Sub prædicto etiam epiſcopo noſtro, fuit *Raporo Wallerſtainenſis* apud S. *Moritium* hic præpoſitus tam prodigus, ut canonicorum ſuorum *ſtipendia*, *præbendas* vulgo vocant, eo usque attenuaverit, ut vix ſingulis XV. ſolidi in annum competerent. Cui *Hermannus*, de *Wartelſtetta*, Canonicus *divæ virginis* apud nos ſcholaſticus, in dignitate ibidem ſuccedens, redditus quidem collegiatis ſuis recuperavit, ſed impetrato ab *Eugenio* III. papa, qui in *Rhemenſi* ſynodo monachis prohibuit, ne baptizarent, ne pœnitentiam darent, & ne ſæcularem eccleſiam gubernarent, ut poſthac ſemper præpoſitum ſibi ex ſolis myſtis ſummi templi poſtularent. Audiverat autem *Hermannus* ille apud *Bononiam* a *Gratiano Nigro canonum diſcordantium concordantias*, quas *decreta pontificum* appellant, eaque primus Germaniæ & cum primis foro eccleſiaſtico apud nos intulit, cui *Gottſchalcus Marianus* canonicus anno gratiæ MCXLIX. ſucceſſit.

Elchingenſis cœnobii inſtauratio. *Origo cœnobii S. Dionyſii Herbrechtingæ.* *Præpoſituræ Auguſtinorum confirmatio.* *Auguſtinianorum Weienbergæ.* *S. Johannum Staingadæ.* *Raporo præpoſitus ad S. Moritii.* *Hermannus ſcholaſticus.*

Circiter quod tempus *Rothenſe* monachorum monaſterium tam opulentum fuit, ut CC. monachos, & ſorores quam plurimas quoque aluiſſe dicatur. Simul & *Udalſchalcus* ingenuus de *Mayſico*, decimus quintus S. *Ulrychi Auguſtæ* abbas floruit, qui fuit ſui temporis ex-

Udalſchalcus abbas ad S. Ulrych. Aug.

excellentissimus musicus, composita versificatorque; nec non Theologus egregius, ac monasterio suo prudentissime præfuit, ac vela jejunii templo adornavit, viginti quinque annis, ex cujus monachis *Isengrynus* in abbatem *Uttenbeyrhanum* assumptus est.

A. 1135. *Æstas fervens.* Sed ad propositum. Annus Domini MCXXXV. vertens, tam ferventissimam æstatem, cum juncto sibi autumno habuit, ut chronologi prodant, civitatem *Augstburgensem*, aquarum penuria, propter exiccatos omnes puteos, que diutissime laborasse, sed & vepres, dumeta, sæpes, ac in summontoriis saltus sua sponte exardescentes, metum non modicum incolis A totique rusticorum viciniæ incussisse. *Wernherus prætor urbanus.* Quo anno a provinciæ nostræ præfecto, *Adelgotzo* supra dicto, *Wernherus* a *Schwangavia* prætor urbanus *Augstburgo* est datus, & Imperator post victos *Polanos*, *Rugos* cum *Pommeranis* imperio adjecit, ac paulo post *Ludwichum Barbatum*, primum *Landtgravium* in *Thuringia* constituit. Qua tempestate *Joannes* de *temporibus*, a longævissima vita sic dictus, nam *Caroli Magni* imperatoris armiger fuisse ferebatur, apud *Galliam* mortuus demum est.

A. 1138. *Lotheri II. Imper. obitus.* Cæterum cum anno salutis MCXXXVIII. *Lotherus* secundus Imperator, pacata iterum *Italia*, domitoque *Rogerio Sicolo* rege in *Germaniam* reditum parat, superatis pene *Tridentibus* alpibus, ex pestilentia in *Brendua* sylvæ vili casa, inter *Oeni* & *Lechi* fluenta, *tertio Kalendas Novembris*, sive ut alii volunt, VIII. *Idus Decembris* decessit. Cujus exanime corpus *Hainrychus*, *Bojorum*, *Saxonum* & *Thuscorum* regulus, *Superbus* haud absre dictus, qui eximii apud *Regensburgum* super *Danubio* pontis, fundator & autor anno Do- A. 1135. mini MCXXXV. esse cæperat gener, *Augstburgum* nostrum transvehi, & inde in Saxoniam ad tumulandum, ad monasterium *Cæsariam Luthiam*, ab ipso conditum, deportari C *Chunradus III. Imperator.* curavit, plenus regii culminis spe. Germaniæ tamen proceres fastum illius exosi, mense Februario *Confluentiæ* ad *Rhenum* congregati pro more sunt, ac in ipso cathedræ divi *Petri* ad *Antiochiam* festo die, supra memoratum CHUNRADUM III. *Waiblingensem Franconiæ* ducem, Cæsarem salutarunt, eumque e vestigio ad *Aquasgraneas* deductum per *Theodowinum* episcopum *Portuensem*, *Innocentii* II. papæ Romani, qui subjectis sibi *Antiocheno* patriarcha, in vera *Petri* cathedra residente, & *Armeniarum Cappadociæ*, *Mediæ* & *Persidis*, pontifice maximo, quem *catholicum* vulgari- D ter appellant, mere tandem *Germanis* quoque præscribere occepit, legatum Cardinalem Ka-

A. 1139. lendis Aprilibus, anno MCXXXIX. inungi fecerunt, qui statim contra ducem *Hainricum superbum Bojariam Luitbaldo Austriæ Marchioni* in feudum contulit: unde is collecto milite mox castra ad *Licum* e regione *Augustæ* nostræ non sine civium formidine pro jure dicendo per triduum posuit. Contra quæ acta *Bojaro saxo*, qui hactenus omnem, ut socero in Imperio succederet, lapidem moverat, protestationibus excipit, & pro animi magnitudine tanta pertinacia restitit, ut res ad arma devoluta sit.

Ac commisso cum *Friderycho* III. *Sueviæ* duce, fratre novi Cæsaris, ad *Nærisbaimam*, inter *Gengam* & *Nærdlingam*, ubi ob victoriam eam abbatia *Benedictinorum* monachorum eo loci, a *Suevis* fundata postea est, prælio devictus, a proposito nonnihil proprio cesserit damno. *Friderycus Suev. dux vincit Hainricum Boj. ducem.*

Qua tempestate *Augstburgum* nostrum non parum, quo Martis alea caderet, trepidavit. Verum quamprimum sæpedictus *Bojaro saxo* imperialia ornamenta, coronam videlicet, crucem & lanceam sacram, quæ apud socerum reperta adhuc adservabat, III. Kalendarum Juliarum die, *Reginoburgi* in comitiis *Chunrado* Cæsari reddidisset, belle iterum civitas nostra sub clementissima novi Cæsaris protectione florere cœpit.

Novus igitur Imperator mox sequente an- A. 1140. no spectabile admodum *Germanici* regni concilium, *Augstburgum* coëgit, quo sæpe nominatus *Hainrychus* ad sese purgandum, restituendumque Cæsari *Hetruriam* & *Noribergiam*, citatus cum magna equitum vi venit, sed urbem non ingressus, tentoria extra mœnia ad instar castrorum fixit. Quod factum, B quum Cæsar non tam insidias, quam obsidionem interpretaretur, atque missis ultro citroque conciliandæ pacis gratia proxenetis, tempus se frustra terere judicaret, nocte quadam tanquam cubitum iturus, cum paucis fidissimis, nemine salutato, in *Franconiam* se recepit, protinusque *Wirtzburgi* eundem ducem frequenti senatu, crimine læsæ majestatis condemnavit, ac inde ulterius progrediens, *Gossiriæ* lata sententia, Ipsum omnibus ditionibus summovet proscribitque, unde superbissimus ille princeps, post annum in exilio moritur. *Comitia Augstburgi.*

Circiter hancce ætatem Imperator *Chunra-* A. 1141. *dus*, publicæ quietis gratia, *Cæsareum Consistorium*, vulgus id *aulicum judicium* vocat, pro *Cæsarei Consistorii origo.* Germaniæ superioris litibus, *Rottwilam* in *Rottwila Suevis*, tanquam ad perpetuum tribunal, cujus supremus judex vel comes vel baro semper est, propter reipublicæ ejus fidelitatem constituit, cujus jurisdictioni & civitas hæc nostra subjecta quoque est, hodie vero Imperatorum sequentium privilegiis exempta prorsus est.

Friderychus III. autem, parenti in *Sueviæ* *Friderychus Suev. dux.* ducatu, non parva omnium congratulatione succedens, *Augstburgo* iterum animum addidit, quem hactenus ob motus vicinorum, præsertim *Welffone* III. & *Leutbaldo Austrio*, de *Vindelici* provincia belligerantibus, tantum non desponderat. Quum item *Hainrychus*, Cæsaris filius, superato ad *Elnhofam* prope *Winsbergam Welffone*, instar sereni post nubila phœbi affulsit, tranquillique temporis usum attulit nostris hominibus, & toti quoque *Sueviæ* uberrime. Edidit autem hoc bello *Chun-* *Expugnatio Winsbergæ.* *radus* Cæsar memorabile clementiæ exemplum, cum enim *Weinsbergo*, quo *Welffo* pugna elapsus confugerat, post deditionem mili-

militibus diripienda permitteretur, & mulieres, quæ in ea erant, ut sibi salvis, tantum de suis asportare liceret rebus, quantum quæque humeris ferre posset, supplicibus orationibus impetrassent, singulæ parvos liberos sinubus complexæ, maritos dorsis imposuerunt, hisque pignoribus onustæ portas egressæ sunt. Quo spectaculo victor ad talem commiserationem commotus fuit, ut illis & reliquas concesserit fortunas, *Welffoniemque* ipsum in gratiam receperit.

A. 1147. *Sacra militia.* Deinde anno salutis MCXLVII. Imperator sacram profectionem meditans, filium *Hainrychum* in locum suum Cæsarem constituit, firmataque in comitiis *Francofurti* pace, totam *Germaniam* ad *Asiaticam* expeditionem, pro stabiliendo *Hierosolymitano* regno, cui tunc *Baldwinus III.* post *Fulconem Andegavensem* patrem, quinto loco præerat, non tam pio zelo, quam innumera multitudine, invitato simul ad idem bellum *Ludwicho X. Galliarum* rege secum excivit. Cui militiæ licet pseudopropheta quispiam hic in urbe nostra multos dehortando abduceret, mox S. P. Q. *Augustburgensis*, tum ex inquilinorum capitibus, non spernendas cohortes, tum communi civium imperata stipe, belli nervos fideliter pariter ac gnaviter subministraverunt. Sed porh dolor egregios illos nostrorum hominum conatus *Gallicorum* ducum avaritia, *Damasci* obsidionem deserentium ac *Græcorum* perfidia, quibus *Manuel Comnenus*, ante imperium *Tryphò* vocatus, Imperatoris *Chunradi* nostri affinis, utpote qui ambo *Berengari* comitis a *Sulzbacho* filias, hic *Gertrudim* illa *Berchtam*, sua lingua *Frenem* dictam, in matrimonium haberent, *Constantinopolis* XXXVIII. annos imperavit, invidiose impedivit. Accedentibus enim fame & pestę totus ille exercitus, ex septies hominum centenis millibus constans, nullo memorabili vel in *Turcas* vel in Saracenos edito facinore, ad internecionem pene, intra *sesquialterum annum*, nonnulli *quadriennium* ponunt, disperiit. Post istam calamitatem anno Domini MCL. *Wernhero*, ab *Andloa*, milite perstrenuo, prætore,

Incendium Augstburgi. A. 1150. vastum incendium etiam *Augstburgi* nostro, magna civibus inconimoda anno Domini 1150. attulit. Sunt qui igne illo majorem suburbii Meridionalis partem, una cum *S. Petri* æde miserabiliter conflagrasse, sed sequente anno XI. Kalendas Maji scribant. Quo anno etiam

A. 1151. A. 1150. *Chunradus Episcop. XXXVI.* episcopalem sedem hic tricesimo sexto loco, *Chunradus* comes a *Boela* & *Lutzelstaino Ellsara*, libera præcessoris cessione, arripuit, eamque discordantibus extreme canonicis, quorum præpositus tunc erat *Waltherus* a Lapide, decem & septem annis haud vulgari probitate, prudentiaque tenuit. Episcopus hic advocatum provinciæ hujus, una cum civitatis nostræ prætore ipso, ad novum Cæsarem *Friderychum* in comitiis *Reginoburgi*

A. 1152. anno Christi MCLII. propter minus rigide factam, aut certe segnius executam, sui prædecessorumque suorum tum negligentia, tum absentia, justitiam accusavit. Quo prætextu cum sibi merum dominium in rempublicam quæsiisset, nihil aliud, quam publicorum judiciorum legalem per civitatis hujus forum reformationem, apud imperii senatum obtinuit. Idem item episcopus, supradicto *Welffoni Bojariæ* & *Spoleti* duci, *Thusciæ* marchioni, *Sardiniæ* principi, & *Altorffensi* comiti, auxilium postea pro virili præstitit, dum is cognatum suum *Hugonem Tubingensem Palatinum*, curiæ *Rheticæ* & *Briganti* comitem, ob *Buchhornensem* comitatum crudeliter oppugnaret. Atque hic silentio non est prætereundum, ditiones eas, quas *Welffo* A ille, apud *Thusciam*, *Spoletum* & *Mantuam*, in Italia possedit, hodie *Patrimonium Petri* vocari, easque pontificios adserere esse Romanæ ecclesiæ legatas, a *Machtylde*, cum notorium sit, *Machtyldem* hanc *Hainrychi III.* Imperatoris, ex *Beatrice* sorore neptem, & *Egberti I. Mysniæ Marckgravii*, (verius *Bonifacii Mantuani Marchionis*) filiam ac trium virorum mulierem, denique papistici senatuli sub *Hellebrando* Romæ principem fuisse, cujus legitimi hæredes ex *Germania*, terras & civitates ipsius, ea mortua semper in libera possessione administraverint. Donec tandem summi pontifices illas *Sueviæ* nostræ principi- B bus, ad quos partim emptione, partim successionis jure devolutæ erant, fraudulenter eripere, & injustissimo titulo invadere ausi sint, eaque omnia tanquam merum spolium etiamnum sacra vi occupent.

Cæterum ut in ecclesiasticis pergam, præsul noster *Chunradus* magna dotatione fundavit, ut singulis diebus in omne ævum, post completorium pro sua salute, apud summam ædem antiphona cantaretur, quæ incipit, *Alma redemptoris mater*. Monachos item ordinis *S. Augustini*, cum ipsorum claustro, ex *Mutterbosa* quo loci initio a nobilibus de C *Byberbacho*, ad sacellum *divi Nicolai* fundato fuerant in vicinum civitati nostræ castrum *Hauelbergam* prope *Defertingam* anno salutis MCLIX. transtulit. Laudabiliter etiam *Wirzeburgensi* (alias literatorum consuetudine *Herbipolense* appellatur) concilio interfuit, in quo ab omnibus Imperii *Germanici* principibus, episcopisque decretum est, nullum posthac pontificem maximum Romæ fore, nisi more majorum & consensum & confirmationem Imperatoris *Germanici* accipiat, celebratum id authentice anno Domini MCLXV. est, mense Majo, licet aliqui ante quinque D annos congregatum ferant. Quanquam autem certo certius constet, *Chunradum* hunc posteaquam sæpius in Italia sub Imperatore suo militasset, Romæ eo tempore, quo *Friderychus I.* Imperator, fugato *Alexandro III.* (qui eo usque patrocinantibus *Gallis*, apostolicæ sedis regnum, atque adeo Romanisticarum cæremoniarum abusus confirmavit, ut præter alia impiissima decreta, statuere etiam non erubuerit, ne unquam laicus in criminali causa contra clerum testimonium præbere possit) post *Victorem* invictis copiis *Paschalem* antipapam ad Almam urbem introduxerat,

rat, peſtilentia menſe Octobri extinctum eſſe. Nugari tamen quosdam non pudet, eundem diu ante migrationem ſuam in cucullatum ſacrificulum, apud *S. Ulrychum* ſub *Herzilone XVI.* monachorum illorum patre, hic transformatum fuiſſe.

Herzilo XVI. & Udalrychus XVII. abbates ad S. Ulrych.

Qui *Herzilo* abbatiam XIII. annis cum fruge obtinuit, cui *Udalrychus* de *Byberbacho* decennio *Auguſtæ* ſucceſſit. Sub dicto autem antiſtite *Chunrado*, fundatum circiter nati Meſchiæ annum MCLII. eſt monaſterium monialium in ſilva, vulgariter zum *Holz* dictum, *Marquardo* ab *Holzhaimo* fundum donante: Id quod paulo poſterius ab *Hartwicho* epiſcopo *Auguſtenſe* confirmatum quoque fuit. *Otto* iteni, comes ab *Habsburgo*, canonicus *Marianus*, & præpolitus *Mauritianus Auguſtæ*, *Conſtantienſis* epiſcopus eſt factus. Item *Eberhardus Suevigena*, canonicus *Auguſtenſis Ratisbonæ* præſul, *Fridrychi* Cæſaris interceſſione ordinatus, biennio tantum ſedit. *Chunradus* adhæc canonicus *Auguſtanus* & vice dominus *Strubingenſis*, donavit cathedrali ſuo capitulo eccleſiam *Tammerſchofenſem* una cum prædio ſuo *Byberbachi*, ac *ſcholaſtoriam* quam vocant hic, donavit ſimiliter eccleſia *Brettlatzhofenſe*. Adhæc *Gebhardus* quispiam itidem Canonicus S. *Mariæ* hic, poſtquam 90. annos in *presbyteratu* compleſſet, ac ſub Epiſcopi *Brunonis* ætatem ſenatum diceret, tandem anno Dominini MCLX. ſub *Rudigero* ejusdem Eccleſiæ Decano homo eſſe deſiit. Circiter quam ætatem etiam *Guta Werdenbergenſis*, *Adalberti Dillingenſis* comitis uxor, clauſtrum nobilium monialium fundavit in *Lietzhaima*. *Machtildis* præterea *Andecenſis* comitiſſa, ac ſecunda monialium apud *Edelſtettum* abbatiſſa tam religioſam vitam apud ſuos duxit, ut poſt obitum epiſcopi hujus indultu inter ſanctas relata ſit. *Hiltgardis* præterea, montis S. *Ruperti*, prope *Bingiam* abbatiſſa, mulier vaticinatrix docta & ſancta habita, totius ferme *Sueviæ* cœnobia, peculiari quodam ſpiritu afflata, viſitare & monachos æque ac moniales ad arctiſſimas religionis votorum & cultuum normas, adhortari non ceſſavit. Pullulante interea hinc inde *Petri Waldonis* cujusdam auſpiciis, pauperum de *Lugduno* non omnino peſſima ſecta, cujus cultores etiam *Inſabbatatos* & *Leoniſtas*, tandemque *Piccardos* appellant alii.

A. 1160. *Guta abbatiſſa.*

Hiltgardis abbatiſſa.

Sed ut ceptam proſequamur ſeriem, *Chunradus* Imperator, contracto ex fruſtraneæ peregrinationis doloribus laboribusque, non ſine ſiculorum medicorum a *Rogerio Normanno* primo *Neapolitano*, per Papam pro mercatu creato, rege ſubmiſſorum, lenta intoxicatione, immedicabili morbo, XV. Kalendis Martii *Pabergæ* obiit, ibidemque ad latus *S. Heinrychi* Cæſaris inteſtina ejus humata ſunt, reliquum cadaver in *Lorchenſe* monaſterio, anno Domini MCVIII. prope *Gamundiam* Sueviæ a *Friderycho* parente ſuo conſtructo cubat.

Conradi Imp. mors.

A. 1108.

Fridericus

Cui FRIDERYCHUS Sueviæ noſtræ dux, ex fratre nepos, *Francfurti* tertio nonas Martii anno Domini MCLII. juxta morituri jam prædeceſſoris ſuffragium, Cæſar nuncupatus, ac e veſtigio VII. Idus ejusdem Martii, ab *Arnoldo Colonienſe* metropolita, *Aquisgrani* conſueto more, coronatus, immediate in Romani imperii atminiſtratione, reluctante diu *Eugenio III.* papa, glorioſiſſime ſucceſſit. Ac *Barbaroſſa* cognominatus toti *Germaniæ* exoptatiſſimam attulit pacem, qua cum & *Auguſtburgenſes* cives ſe merito quoque frui ſuaviſime autumant poſſe, ac ſub *Adelgettzo* III. *Schwabeccenſe* comite, advocato ſuo, & *Chunrado* præfecto conſueto judicandi ſecundum æquum & bonum modo ſe quoque recti gubernari credunt, ſtatim adverſæ ſortis injurias experiuntur non parvas. *Chunradus* namque ſacrorum apud illos antiſtes, una cum univerſo civitatis clero, illique adhærente populo, ſive æquitatis amore, ſive amplius dominandi cupiditate inductus, lamentabilem querimoniam contra illos, & tantum non criminalem actionem, propter minus exquiſitas rerum venalium, quoad pondera ac menſuras, rationes, ac quod nullo certo juris ordine vel termino fungerentur, initio quidem hic coram præſente Imperatore in ejusdem per civitatem hanc tranſitu inſtituit, quo tamen ſtatim ad inſtantia comitia *Regensburgum*, ut acrius jure ventilaretur, tunc rejecta eſt. Ac anno demum MCLVI. replicata conventione, *Noribergæ* XXI. die Junii, in Imperii ſenatu, plenius diſcuſſa definitaque, occaſionem præbuit, ut civitas hæc noſtra, conſtituto certo advocatorum urbis, præfecti civitatenſium, omniumque totius civitatis ordinum jure, non ſolum propriæ libertati reſtituta, liquidiſſimam municipalium legum non tam reformationem, quam confirmationem nacta a Cæſare ſit; verum etiam in adminiſtrandis negotiis cauſisque civilibus, & adornanda republica ſua, multo liberior præter epiſcopi & pfafforum opinionem evaſerit. Tyrannidi enim ipſius frenum injectum eſt, & certa ſtatuta, ſuper conſtituendo parocho, admittendo *Burggrafio*, conducendo Monetario, teloniis, mulctis, & ad proſcriptitiorum colonorum tributis exigendis, illi præſcripta atque ſacroſanctis literarum monumentis diſerte in acta ſunt relata, & a ſenatu, qua decet, diligentia conſervantur. Ab eo itaque tempore ſubinde *Auguſtburgum* convenibus principum illuſtrari magis, & propria induſtria plurimum in creſcere cæpit.

Lites inter Conradum Epiſc. & Auguſtburgenſes componit Imperator.

A. 1156.

Poſt quæ *Fridrychus* Cæſar noſter, ubi jam *Adlam Uchburgenſem* Bojaram, propter agnationem, quidam fornicationis infamia ajunt, *Hermanni Arbonenſis* Baronis, epiſcopi *Conſtantienſis*, utpote ordinarii ſui, judicio repudiaſſet, compoſitis agnatorum reliquorum diſſidiis, per maximum exercitum apud urbem hanc noſtram in *Lechi* campis luſtravit, & inde ſuperatis *Tridentinis* alpibus, *Italiam* non ſine moleſtiis inſperatis ingreſſus eſt, ubi devictis *Longbardis*, apud *Roncalias* juxta *Padi* ripas,

A. 1153. *Imperatoris in Italiam geſta.*

ripas, *Curiam* ſic iſto tempore *comitia* vocabant, ſplendidiſſimam habuit, in qua omnia per *Italiam* tum jura tum regalia ad ſe tanquam Imperatorem, mere & mixte pertinere, à principibus terræ ejus tam profanis quam ſacratis decretum fuit. Revera autem decretum hoc, una cum legibus de feudis, paceque per univerſum Imperium ſervanda, in ſecunda ad *Roncbalias*, non longe a *Placentia*, curia, anno
A. 1160. ſalutis MCLX. in feſto divi Martini, ſancitum & promulgatum, ſuſpenſo ad arborem clypeo, fuit. Dein ex eo loco *Papiam* invitatus, anno
A. 1155. ſalutis MCLV. dominica Jubilate in templo S. *Michaelis* corona ferrea de more coronatus triumphabundus eſt. Nec multo poſt Romæ etiam XIIII. Kalendas Julii, in *baſilica apoſtolorum* ab *Adriano* IIII. papa, (qui *Carolum Magnum* canonizando, in gratiam *Gallorum*, inſtante *Friderico* Imperatore, inter ſanctos retulit, ac execrationibus demum S. P. Q. R. adminiſtrandæ urbis poteſtatem penitus ademit. Denique *Wilhelmum Nortmannum*, poſtquam is ligium ſe hominem ſedi Romanæ juramento dixiſſet, non modica Imperatoris noſtri injuria, *Siciliæ* ac *Neapolis* regem denunciavit) haud citra cruentum civium Romanorum tumultum, quem illi ob negatam pecuniam, juramentumque, quæ ſatis impudenter ab ipſo Cæſare exigere non ſunt veriti vulgo & temere excitarant, Auguſtus Imperator creatus eſt.
Vivi comitis geſtatio. Poſtmodum cum deſtructo *Spoleto*, in *Germaniam* rediiſſet, *Wormatiæ Arnoldo Moguntino* archiepiſcopo, & *Hermanno Rhenani* pallatii comiti propter ruptam pacem, miram, ſed tamen *Germanis* ab antiquo conſuetam ſatisfactionem præſcripſit. Hic namque in ſingularem pœnam vivum canem ipſum Imperatorem publice e curia civium usque ad ſuum hoſpitium ſequendo per humeros geſtare juſſus fuit. Paulo poſt iſta, peractis *Wirtzburgi* cum *Beatrice Reginaldi Burgundiæ Arclatenſisque* principis filia, ſecundis nuptiis, etiam inter Bojariæ duces tranſactionem pacificam menſe Septembri, apud *Regensburgum* ingenti civium noſtrorum gaudio fecit. Ac deinde
A. 1157. anno MCLVII. copias in urbe hac *Auguſtburgenſe*, ad debellandum *Bolezlaum Poloniæ* ducem, iterum conſcripſit, & menſe Auguſto hinc trans *Oderam* profectus, victoriam obtinuit. Quo anno item, licet nonnulli *unum* a
A. 1156. computo hoc demant, & *Hainrychum* orientalis limitis *Marchionem*, quem a diverbio, quod ſemper in ore habebat, *Joch Sammlergott* cognominant, quique antiquum *Flavianum* reſtaurans, novus *Viennenſis* urbis fundator exiſtit, conſanguineum ſuum *Auſtriæ* ducis titulo itidem *Regensburgi* menſe Septembri primo condecoravit, multa privilegio ipſius *Hainrycho* XII. in Bojaria ad *Anaſum* adimens.
Vienna conditur.

Comitia Veſontii. Dein mox publicam curiam *Veſontii* menſe Octobri, cum imperii provinciæque ejus primoribus, ſolenniter celebravit, quo cum & *Adrianus* pontifex, ut maximus, ita ſuperbiſſimus, *Bernhardum S. Clementis* Cardinalem presbyterum, & *Rolandum S. Marci* Cardinalem, cancellarium, legatos miſiſſet, & perfricta fronte anteactas tranſactiones retractans, dictum noſtrum Imperatorem totamque adeo Germaniam, Imperium ab apoſtolico habere, coram frequenti ſenatu aſſerere in faciem non dubitaſſet, ingens clamor, vehementiſſimaque contradictio contra intolerandam eam injuriam ſuborta fuerunt. Quibus vix ſopitis, cum Cardinalis alter denuo pro pontifice ſuo pertinaciter replicaret, *ſi ergo a domino apoſtolico Cæſaream dignitatem non habetis, a quo habetis?* Commotus verborum indignitate *Otto Palatinus Wittelsbachenſis*, qui gladium imperatoriæ majeſtatis pro officio ibi tenebat, evaginatum, eo diſtricto impetum in hominem fecit, & ni ipſum mercle clementiſſimus Imperator jam nominatum *Ottonem* retinuiſſet, de facto ſtolidiſſimum ac inflatum pfaffum exitio dediſſet, evidentique documento comprobaſſet, Jura imperii in armis potentiaque Germanorum, poſt Dei ordinationem, adhuc ſita eſſe, æque ac olim majorum ſuorum virtute comparata fuerunt. Hinc itaque idem Imperator *Fridrychus* noſter, frequentiſſima comitia *Auguſtburgi*, anno Chriſtiano MCLVII. ſuperſumenda ea de calumnia impudentiaque papa vindicta, haud immerito accuratiſſime agitavit. In quibus ſpumoſam, *Hainrychi* & *Jacinti* Cardinalium & legatorum, Romani præſulis excuſationem, ſuper inflicta ſuperiori anno injuria, difficulter ſane admiſit. Poſt arduam tamen longamque reconciliationis tractationem, gratiam iniquiſſimo illi quam magnanimiter heroiceque *Hainrycho* Bojariæ & Saxoniæ duce, ac *Ottone*, *Auſtrio Friſingenſe* epiſcopo interceſſoribus, dignatus tandem eſt reſtituere. Multi tractationem hanc extra civitatem noſtram, metatis caſtris in campeſtriis *Lechi*, ab Imperatore factam docent. Sequenti dein anno idem Imperator octava *Epiphaniarum* denuo comitia, maxima principum frequentia, *Regensburgi* celebrare cæpit. Ubi poſtquam *Geyzam*, *Ungriæ* regem, cum fratre *Stephano* reconciliaſſet, *Labeslaum Ladislaumque Bohemiæ* ducem, regem creavit, ejusque dignitatis inſigne hæredibus & ſucceſſoribus illius perpetuum eſſe voluit: Cum ante annos LXXII. *Hainrychus* IIII. Imperator, *Bzetislaum* ſive *Uratizlaum Bojomannorum* ducem ob latum in rebelles Saxones auxilium, *Moguntiæ* Junio menſe, regem *Bohemis* dixiſſet primum. Inde confeſtim Imperator is, ſecundam expeditionem in Italiam, propter *Adriani* papæ conſpirationes, *Mediolanenſiumque*, qui admodum ludubriosa contumelia, cum fortiora non poſſent, *Beatricem* Auguſtam apud ipſos forte degentem, afficere non ſunt veriti, diſſectiones paravit. Ac dein anno MCLX. vicissitudine bellum id apud urbem noſtram, ad *Lechi* fluminis ripam, exercitus luſtrando fortiſſime reſtauravit. Denique ſuſcepta poſt biennium quarta expeditione, confirmato jam *Waldemaro* in Daniæ regem, propoſitum ſtrenue manu urgens, tandem *Mediolanum* vi cepit, miſere evertit. Ibi quando omnia diriperentur, curavit & *Reginaldus*, *Colonienſis* archiepiſcopus, trium *Magorum* corpora, e *Perſide*

Comitia Auguſtburgi. A. 1157.

A. 1158.

Imperator versus Mediolanum.

A. 1160.

A. 1162.

olim

olim a Græcis *Constantinopolim*, atque illinc circiter annum Domini DXVII. ab *Eustorgio* archiepiscopo ad *Insubres* delata, secum in Germaniam adeoque suam ecclesiam manubiorum instar transportari ad *Ubios*. In hoc bello Imperator vix sicarii manus & magi veneficia apud *Laudam* subterfugit.

A. 517.

A. 1162. *Imperator Augstburg. advocatus.*

Hoc ipso anno memoratus *Fridrychus* Imperator, mortuo *Adelgeltzo Schwabeccense*, civitatis diœcesisque *Augstburgensis* advocatiam, quam præfecturam, aut jus tutelare vocare poteris, seu fiscali seu hæreditaria successione, sibi & suis plene vendicavit, (nonnulli A ista post sex annos facta volunt, quod eo anno plurimas alias ditiones hinc inde in Germania sibi quoque compararit) atque ita statim summo studio Reipublicæ illi, quantum in se fuit, semper benefecit, constituitoque *Chunrado* a *Zeilnharto* prætore, *Augstburgum* imperio reddidit, optimisque prærogativis donando, omnino Germaniæ liberis coloniis parem esse voluit, in quo præsens ac lubens multas festivitates, militumque delectus non raro habere consuevit. Verum enim vero ut secundas res mœstitia squalorque sæpissime comitantur, ita dubio procul anxie post istos successus in urB be nostra trepidatum est, quando tetrum illud gliscceret bellum, quod anno Domini MCLXV. post *Ottonis* ultimi *Buchornensis* & *Lyntzganiæ* comitis mortem, *Welffo* IIII. *Altorffensis*, *Bojariæ* & *Spoleti* dux, contra *Hugonem Tubingensem* Palatinum, *Curiensis Rhetiæ* & *Brigantii* comitem, propter dicti comitatus hæreditariam possessionem gerebat. Nam postquam *Hugo* prior lacessitus, *Alpgoviæ* agrum armata manu, anno Domini MCLXIII. invasisset, avunculoque *Möringense* castellum occupasset, ac Ia trunculos aliquot in eodem patibulis suspendi jussisset, confestim *Welffo* Senior, evocato ex Italia filio, auxilia a *Bertoldo Zaringiæ* duce, & a *Conrado* nostrate, *Guntheroque Nemetum* Episcopis, ac multis aliis comitibus, inter quos *Veringensis* erat signifer, impetravit, ac hostem agnatum initio quidem dire invasit, at brevi post arcem *Tubingam* obsidens, non modico suorum strage fusus est. *Hugo* enim *Friderico Sueviæ* duce, *Rottenburgense* vocato, & *Zollerensibus*, comitibus suppetias ferentibus, *Bebenorum* gentem in auxilium evocavit, quæ ut est natura effrenis, per *Bojariam* & adjacentem *Sueviam*, *Ravenspurgum* & ad lacum usque *Bodinensem*, *Lemannum* indocti legunt, tam truculenter incendiis populationibusque cuncta vastavit, immanissimeque D conculcavit, ut non solum primo transitu per vicinas nobis terras, tum amicos tum inimicos, indifferenti furia, ceu extrema illuvies perturbaverit, sed etiam succumbente *Hugone*, in reditu civium nostrorum fundos, tanta calamitate attriverit, ut in reditibus ad aliquot annos maximum discrimen subierint. Sunt tamen, qui *Bebenos* hos a *Fridrycho Rotenburgense*, duce, in præsidium *Hugonis* contra *Welffonem Ravensburgum* usque conductos fuisse scribant. Sed utut se ista habeant, certe propter illata jam damna, communes illæ obligatio-

Bellum inter Welffonem & Hugonem.

A. 1165.

A. 1163.

Obligationum formularum origo.

num, syngraphiarumque formulæ hic postea natæ sunt, quibus proventuum, usufructuum, & annorum censuum hypothecæ pleræque ratificatæ, & securiores sint factæ, ut videlicet ingruente qualicunque incommodo, tuto tamen, ocius, ac citra omne detrimentum ad dominos suos redire debeant, & appellantur jam publice in instrumentis tabulisque a consuetis direptoribus, *Unigri* & *Bohemi*. Eodem hoce MCLXV. anno supradicti *Welffones* sub pentecostes festa, conventum magnificum non procul hinc apud *Concionem legionum*, haud citra civium nostrorum, cum quibus illi non conveniebat, terrorem celebrarant quoque.

A. 1165. *Welffonum conventus apud Augstburgum.*

Porro MCLXVI. Domini anno, Imperator A. 1166. Italia rediens, provincias nostras, jam denuo a prænominatis Pricipibus misere vastatas, in ipsa quadragesima, *Ulmæ* lata sententia pacavit, ac *Hugonem* ad castrum *Neuburgense*, prope curiam Rhetiæ relegavit, & postea totius Imperii comitia, *Augstburgi* iterum quam auspicatissime agitare cæpit. In quibus cum & auxilia & consilia contra pontificiam tyrannidem idem Augustus impetrasset, confestim anno Christi MCLXVII. in campis *Lechi*, ad A. 1167. urbem nostram, exercitum collegit, cum quo denuo in Italiam quartum invicto penetravit animo, Romam obsedit, ac Junio mense cepit, papasque aliquot, adversus *Alexandrum* III. proditorem suum, quem magna *Papiensis* synodus, ab Imp. indicta, exauctoraverat jam, & Octavianum Romanum, qui *Victoris* IIII. nomen mutuatus erat, pontificem verum dixerat, pro arbitrio creavit, ac propter pestis sævitiam, quæ plurimos principes & episcopos Germaniæ sustulit, tandem relictis in *Thuscia* præsidiis, in patriam rediit.

Comitia Augstburgi.

Imperatoris in Italia gesta.

Sed & cedente in Italia e vivis *Conrado* præ- *Hartwisule* nostro, HARDOVIGUS, sive *Hartwichus*; C *chus Episc.* Baro *Lierbaimensis*; ex priore *Ulrychianorum* *XXXVII.* apud nos monachorum, episcopus *Augustanus* anno salutis MCLXVII. in nocte *omnium* A. 1167. *sanctorum*, præsente *Ottone* II. *Constantiense* pontifice, cleri canonici suffragiis constitutus est, seditque decem & septem quasi annos. Hic quanquam natura placidus esset, incidit tamen in intricatissimas turbas. Nam excepto eo, quod capitulares fratres sui, quorum major præpositus erat, *Geyselberus*, cornua sumentes, diutinas illi propter annuos reditus fructuumque usus rixas moverint, ingens etiam certamen cum propriis advocatis habuit. Dum enim *Sueviæ* ducibus potius quam *Welfonibus*, ecclesiæ suæ tutelam seu advocatiam concederet, universæ diœcesis suæ tum jura tum ditiones haud parum pressæ sunt, ac dum defensores sperat, devoratores sentit.

Porro episcopus hic noster, propriis iisque chirotecis gemmatis tectis manibus, quod nondum talium dedicationum mercenarii, *Aliptæ* in usu apud Christianos forent, consecravit majus *Kayserhaimensis* monasterii templum anno MCLXXXIII. in præsentia *Ottonis Aichstettensis* antistitis. Statim autem per initi *Hartwichi* hujus, *Welffo Algiobojarus* prin-

mingani fundatio.

ceps, *Maurum Scotum*, cum duodecim suæ & gentis & ordinis monachis, *Regensburgo* evocavit, ac primum abbatem ad novum S. *Nicolai* a se prope *Memmingam* extructum cœnobium, sub *Augustani* episcopi, cujus præcessorem occidisse, ejusque facinoris causa ultra mare in exilium *transmissum esse*, quibusdam putatur, confirmatione constituit. Quæ fundatio postea ex *Benedictinorum* regula, in præposituram Canonicorum regularium degeneravit, & extremo nostra ætate ut meruit, omnino interiit. Sub dicto etiam *Hartwicho*, episcopo, factum esse, in certo fundatore, initium fertur, claustri monialium illarum, quæ sunt in *Holtz*, habuereque *Moritiani Augustenses*

Hermannus II. præpositus Moritianus.

Hermannum II. de *Weienberga* præpositum. Ac *Bernriedensis* præpositura ab *Ottone* comite de *Valaja*, apud Bojaros in honorem S. *Martini* fundata primo est, sunt tamen, qui *Sigibotonem*, primum præpositum ibidem, à *Calixto*

A. 1123. II. papa anno salutis MCXXIII. confirmatum adserant. *Echenbrunnense* item *Benedictinorum* monasterium, extra mœnia *Gundelfingensis* oppidi, anno Domini MCLXXV. ab *Egone*

Echenbrunnensis monasterii exstructio.

barone *Fayningense*, quæ familia & de *Vochberga* quoque dicebatur, de novo ad Danubium constructum est. Nonnulli fundatio-

A. 1175. nem *Echenbrunnensis* cœnobii anno MCXXII. a *Chuniberto*, comite *Vochbergense*, filioque ejusdem *Cunone*, qui & primus abbas in eo loco, *Calixti* II. pontificis maximi confirmatione, extitit, factam asserunt. Adhæc anno Chri-

A. 1122. sti MCLXXXII. *Ursinense*, sive *Kysecnse* cœnobium, ab *Hainrycho* marchione, *Rumbsbergio* e fundamentis erectum est.

A. 1182.

Anno autem MCLXXXIII. excitato fortuito in ædibus sartoris cujusdam, apud *Hanstettense* suburbium, nonnulli in fabri ferrarii officina ad S. *Afræ* sylvam ajunt, igne, conflagravit, XVI. Kalendas Julias *Augustburgi*, cum non

A. 1183. *Cœnobii Ulrichiani deflagratio.*

modico ob deperditum S. *Ulrychi* cadaver, luctu, quod tamen post triduanum jejunium in eruenda ruina miraculo repertum tradunt, vicinarumque domorum damno, totum *Ulrychianum* cœnobium. Cui tunc *Manegoldus*,

Hainricus XVIII. & Manegoldus abbas XIX. ad S. Ulrich.

postquam quinquaginta totos annos monachorum ibidem prior extitisset, *Hainrychi* de *Mayssico* per *Welffonem* liberalissime donati abbatis successor, decimo nono loco in extrema senectute præfuit. Cui *Friderychus* Augustus universas possessiones bonaque, largitione Imperatorum, Episcoporum, aliorumque fidelium oblatione collata, cumprimis vero advocatiam *Hanstettensem* & ponticulum in arena Lechi structum, anno salutis

A. 1182. MCLXXXII. confirmarat.

Mediolanenses res novas moliuntur.

Interea *Alexander* Romanus pontifex, ad fulmina sua recurrens, optimum Imperatorem, una cum *Paschali* III. pontifice novo, excommunicavit. Qua religione extorres *Mediolanenses* freti, spretis juramentis, rebellare audent, eaque contumacia Imperatorem, novam, quæ tamen ordine sexta erat, expeditionem Italiam reverti concitaverunt. In qua

Hainricus XII. ob perfidiam patruani luit.

Hainrychus XII. *Superbi* filius, Bojariæ & Saxoniæ dux, qui postquam magnifice terram sanctam visitasset, *Leo*, & tandem patria pulsus, *Brunsvicensis* est dictus, quique in agro cœnobii *Schäfftlariensis*, novum oppidum ad *Isaræ* ripam, primus condidit, ac *Monachium* dici curavit, ab illo propter denegatam *Gosslariam*, parum honeste, ne dicam perfide, non procul *Clavenna* desciv it, paratamque victoriam impedivit, novamque conspirationem, in Germaniam præpropere reversus, apud Sueviam, non sine civitatis nostræ consternatione contra eundem excitavit. Quapropter & Imperator quoque, re infecta, indignabundus domum in *Burgundiam* rediit, ac jure armisque in desertorem animadvertens, civili bello, quo vix sæpius Germania habuit, in nonum usque annum occalionem dedit, & tandem eundem ad subeundum judicium primo *Ulmam*, dein *Regensburgum* citavit, ac tertio *Wirtzburgi*, lata in festo *Apostolorum Petri & Pauli* definitiva sententia, utroque ducatu intra unius mensis spacium, potenter anno MC A. 1177.

LXXVII. privavit, Bojaris *Ottonem Wittelbachensem* Palatinum, vexilliferum suum, Saxonibus *Bernhardum Anhaldensem* præficiendo, *Lubeccensemq;* civitatem imperio assignando. In his conventibus lex *Duelli* in re dubia, pro jure perpetuo imperiali edicto Germanis ratione & autoritate confirmata denuo est. Qua tempestate confines terræ, intestinis flagrantes bellis, *Augustburgo* nostro sollicitudinem pariter ac molestias haud leves incutere non destiterunt, & cum dabatur, proterva etiam manu intulerunt. In quibus turbis sæpe memoratus *Welffo*, unico quem habebat filio orbatus, omnem suam per Sueviam ditionem, patrimoniumque in Italia, tardante *Hainrycho* Bojaro Saxone fratuele suo, Imperatori vendidit, ac securus in diem vivere *Memmingæ* cœpit, demumque cum uxore jam præsenio excæcata, uti epicureus *Staingadiæ* suæ, anno Domini MCXCI. mense Decembri obiit. A.

Welffo Sueviæ Imperatori vendit.

Quia vero *Alexandri* III. pontificis Maximi, cui jam post *Callistum*, *Innocentius* papa Romæ oppositus erat, perpetuo incitamento, tota Italia subinde debitam Imperatori detrectaret obedientiam, coactus est optimus princeps patriæ securitati prius consulere, & deinnolens volens ad hostes eos vires intendere. Annales nonnulli circiter hanc tempestatem *Wernherum Herwartum* inter cives *Augustburgenses* cæteris enituisse honoribus docent.

Friderycho itaque secundo genito suo, *Sueviæ* ducatum, civitatisque *Augustburgensis* advocatiam commendavit, ac inde ut fortissimum heroem decet, collectis novis copiis, in quibus plurimi nostrates cives haud instrenui connumerati fuere, septimum adversus perduelles fortunam foris experiri non formidavit. Verum cum Otto filius ipsius, cui *Burgundiam* cum regno *Arelatense* assignarat, a *Venetis*, ad quos Romana bestia nuperi illius Siciliæ regis conductu aufugerat, non procul *Salboria Hystriæ* navali conflictu, per *Sebastianum Zianum*, unde quadragesimum illorum ducem interciperetur, pacem pro nutu pontificis, tali injuria facere adactus est, ut

Friderychus Sueviæ

anti-

antichristicus papa, collum christianissimi
A. 1178. Imperatoris IX. Kalendas sextilis, anno MCL
XXVIII. Venetiis pede calcare, etiam publice non erubuerit, adempto illi Siciliæ ac po-
A. 1183. tissimo Italiæ jure. Poſtea anno Domini
Comitia Constantiæ. MCLXXXIII. idem Imperator comitia apud *Constantiam Sueviæ* civitatem habuit, in quibus universæ tum Germaniæ tum Langbardiæ pacem tenendam rigidissima lege decrevit, eamque feriis pentecostes solenniter promulgari jussit, licet nonnulli pacem hanc
A. 1176. *Constantiæ*, anno MCLXXVI. factam certis statutis esse scribant. Inde mox etiam cum
A. 1184. anno salutis MCLXXXIIII. *Erdfurti* in cœnobio fratrum divi *Petri*, mirabiliter supra latrina collabente periclitatus fuisset, magnificentissimum Imperii conventum sequenti anno
A. 1185. *Moguntiæ* celebravit, ubi poſtquam simili
Comitia Moguntiæ. infortunio vix ventorum inmanissimum discrimen evalisset, *Hainrycho* primogenito filio suo *Coństantiam Rogerii* Siciliæ regis filiam desponsavit, præsentibus multorum regum legatis.

A. 1184. Præcedente autem LXXXIIII. anno, statim
Udalschalcus Episcop. XXXVIII. V. Kalendas Februarii successit per electionem in episcopatu hic *Hartwicho Udalschalcus* comes *Tennelocheńsis*, alii ingenuum ab *Eschenloho* faciunt, jam antea summi templi major diaconus, sive præpositus *Augustensis*, fuitque admodum frugi antistes per decem & octo annos. Sub cujus initio *Hainrychus*
Hainricus III. abbas Ulrichianorum XX. *III. Ulrichianorum* monachorum vicesimus abbas, monasterium suum brevi apud nos ad unguem adeo restauravit, ut in enceniis tem-
A. 1188. pli ejus, quod Idibus Aprilis, anno MCLXXX VIII. cooperante *Ottone Frisingensi* episcopo, a jam dicto *Udalschalco* dedicatum *S. Affræ & S. Ulrycho* pariter est, tum Imperatorem *Friderychum* cum plærisque Germaniæ principibus, tum *Chunradum Moguntinum* & *Berchtoldum Agrippinatem* metropolitas, una cum aliis infinitis sacerdotum prælatis, præsentes habere meruerit. *Udalschalcus* præterea noster, paulo poſtea eodem anno *S. Crucis* in *Werda* monasterii majus templum & dein parochialem ecclesiam *Byberbachi S. Jacobo* consecravit, ac mortuo *Syfrido Hochstetense*, *Mauritiani* apud nos collegii præpositio, quem nonnulli simul & summi templi præpositum faciunt; iisdem mystis *Hainrychum Emersackerum*, anno Domini MCXCI.
Emersackerus præpositus Mauritianorum.
A. 1191. violenter præfecit, cum ipsi illi sibimet *Hainrychum* a *Brentia* elegissent. Unde lis orta, quæ *Moguntiæ* in synodo provincialis tandem difficulter terminari, prævalente *Brentio*, potuit. Adhæc canonicos regulares familiæ *Augustinianæ* ex *Hamelberga*, hodie simpliciter *Hamel* vocatur, anno Christi MCXCIIII. ad novum monasterium *S. Crucis*, a se se primo
Bercheoldus Præpositus S. Crucis I.
A. 1194. fundatum, certis privilegiis, ac, ut sonant literæ, *maturioris oportunitatis consilio*, in *Augustburgensem* civitatem transtulit, illisque *Bercholdum* quendam primum præpositum concessit. Sunt tamen, qui Cœnobium illud *Crucianum*, priusquam ad urbem hanc deportatum sit, in eo cis Lechum loco, situatum fuisse perhibeant, quo hodie *S. Johannis* ædicula in *Quercèto*, quod vulgus ad *querna folia* vocat, conspicitur. Idem denique, episcopus *Chunradum* vicesimum *Uttenbeyrrhanum* abbatem, in civitate hac consecravit confirmavitque. Et cum jam ecclesiæ capitulo-
Conradus abbas Uttenbeyrhanum XX. que *Mariano* suo, non parum multa, nempe *Cusingam*, *Erringam* cum prædio in *Taitenrieda* de proprio patrimonio contribuisset, prima die Julii, quæ erat vigilia Pentecostes, patientissimus mortem obiit. Cæterum sub
Erchinbaldus Ulrychabbas XXI. hoc præsule & *Erchinbaldus* vicesimus primus abbas ad S. *Ulrychum* octo annis effectus est, qui præterquam quod cœnobium suum undique valde ornasset, etiam *Paristylium*, quod vulgo vocant *circambulacrum*, templo junctum, lapideis pylis, columnulisque per quatuor ejus latera sepiri curavit. Item *Clemens III.* pontifex maximus, episcopos sæcularibus principibus dignitate præire, quam superbissime sanciit. Primusque azymum panem & lymphatum vinum in missa offerenda decrevit, cum multi hactenus, ut & græci etiamnum solent communi & fermentato pane, meroque vino litasset, adhæc *compaternitatem*, quam vocant, matrimonia impedire censuit. Demum *Friderychus* quispiam chori nostri canonicus *Spyram* episcopus postulatus, ipte *Conrado Metense* Episcopo repulsum est passus. Cæterum annus Domini 1186. ob præcedentis hyemis teporis tam
A. 1186. præcox fuit, ut sub finem mensis Maji plena messis per terras nostras totamque Sueviam ac Bojariam extiterit.

Porro magnanimus Imperator noster, poſteaquam *Bugislaum* & *Kazimarum* Sclaviæ præsides, contra Danorum insultus, Bomeraniæ duces creasset, præclara instituta & cum primis pacis literas Germanis tenendas præscripsit, mense Decembri, anno salutis MCLXXXVII. in comitiis *Norimbergæ*. Ac
A. 1187. tandem intestinorum bellorum pertæsus, *Expeditio adversus Turcas.* *Hartmanno Brixinense* episcopo, secretario suo, hortante, ex Europa in Asiam signa cœpit convertere, vocatis in auxilium *Rychardo* Angliæ, & *Philippo* Galliæ regibus, atque in Syriam contra *Josephum Negemedini* filium, secundum Ægypti *Sultanum*, quem Saracenі propter *Mahumeticæ* legis correctionem *Salahadinum* appellant, mane sexcentorum millium militum, a qua egentes & morbidos cautissime excluserat, hacce & tessera insignitorum, pugnaturus, mense Majo anno salutis MCLXXXIX. intrepide profectus
A. 1189. est. Salahadinus enim ille & totam *Palæstinam* & civitatem sanctam, nostris inter sese ambitione discordantibus, jam occupaverat, direque christicolas supprimere non cessabat. Sed & e vestigio *Friderychus Sueviæ* nostræ dux, ad supplendum pii parentis exercitum, per universam suam provinciam, ac præcipuo *Augustburgi* milites conscripsit, illosque non solum hic præsens lustravit, verum insuper civium quam plurimos, tam ex patriciis, quam ex plebejis, secum una in eandem expeditionem, animosius quam feliciter ab-

abduxit. Sæpe dicto etenim Imperatore jam septuaginta annos nato, post aliquot contra Græcos, qui *Isatio Angelo* imperante, transitum illi in Europa præpedire conabantur, & dein in Asia contra *Saracenos*, apud *Iconium*, & in comagena, victorias, dum hostes insequitur, in *Saro* vel *Serra*, vulgo *Salefo* dicto, *Ciliciæ* jam a se captæ fluvio, cujus vadum explorare æquo incautius pergebat immaturiore facto, quarto Iduum Junii anno Domini MCXC. abrepto, ac apud *Tharsum*, *Tyrum* alii volunt, honorificentissime a jam dicto suo filio sepulto. Dein & post sex menses eo ipso *Friderycho*, cum jam victoriam urgens *Berytum* cæpisset, non procul regia *Turcarum Ptolemaide*, quam *Aconem* seu *Accam* alias nominare solent, tunc primum a nostris expugnata, peste quoque demortuo, paucissimi ex conterraneorum nostrorum numero salvi domum repedare, vel ob inediam potuerunt. Nonnulli, inter quos *Tageno* major Ecclesiæ *Passaviensis* decanus, qui in procinctu eo cum *Diepoldo* episcopo suo militarit, præcipuus habetur, jam dictum Augustum nostrum in *Seleucia* Syriæ urbe, coram altare, sub ipsas vespertinas dominicæ diei preces, subito spiritum Deo, IIII. Iduum Junii, reddidisse, ac a filio *Antiochiæ* postea in summa basilica, ante aram S. *Petri*, *XI.* Kalendas Julii, sepultum perhibent. Populares vero sui, ipsum dum in mediis successibus æstum declinare ac patrio more in *Scira* amne solus cum suo sacrificulo lavare natareque audet, frigidis fluctibus per antiperistasim, subito inflammatum, omnibus viribus destitutum, vixque ad littus extractum, in manibus sublevantium, erectis ad cœlum oculis, devotissime exspirasse, & in *Acca* humatum esse tradunt.

Frid. Barbarossæ Imp. mors.

A. 1190.

Ea tempestate *Hainrychus Brimo* a *Walpota Bremensis*, ordinem *teutonicorum fratrum*, sive *hospitalis Sanctæ Mariæ virginis*, pro curandis peregrinis ægrotis, sub norma *militum templi Hierosolymitani*, apud *Accam* Syriæ primum inchoavit. Quod sodalitium elapsis nonaginta annis, cum perdita Gallorum incuria *Acca* Christiani jam *Saracenis* per Asiam impares essent facti viribus, numeroque, *Venetias* se contulit, & inde *Marieburgum* in *Borussiam* Cæsaris *Friderychi II.* concessione, translatum est, ubi præter *Livonos* & *Esthones* domitos, contra *Ruthenos Lithuanosque* diu feliciter religionem suam propugnans, principis locum in germanico Imperio obtinere meruit. Ac ab eo tempore jam non fratres, sed *aurati milites* ac *Teutonici domini* salutari volunt, nigram crucem albo pallio, vel etiam lupinis pellibus affixam gestantes. Cæterum præterire hic silentio non possum, quod *Nicetes Acominatus* in continuanda *Constantinopolitanorum* Cæsarum historia aperte scribat, Alemannis nostris, qui cum Imperatore *Barbarossa* anno salutis 1189. *Philippopolin* in *Thracia* contra Græcos occuparant, adorationem sacrarum imaginum fuisse interdictam, atque eo nomine illos *Arpentis* acceptiores extitisse.

Dominorum templi origo.

A. 1189.

Post *Barbarossam* HAINRYCHUS VI. cognomento *Asper*, genitori in Imperio Romano, mere anno Domini MCXC. mense Julio successit, is vices ejus hactenus apud Germaniam gesserat, fuitque ante viginti annos *Aquisgrani* a *Philippo Coloniensi* archiepiscopo, patris petitione Cæsar coronatus. Sequente autem jam anno, Romæ a *Cœlestino III.* papa, tradito prius *Tusculano*, decimo septimo Kalendas Maji, imperator consecratus est, cumque princeps ditissimus foret, etiam *Syliciæ* rex, ob ductam *Wilhelmi I.* regis unicam filiam & eam monialem vetulam, quæ nomen *Constantiæ* habebat, & jam dudum *Emerycho* Ungrorum regi desponsata fuerat, effectus quoque secundo imperii sui anno est, id quod multo illi sanguine constitit postea, præsertim cum Romanos pontifices *Neapolim* sibi asserere non puderet. Porro *Hainrychus* hic, quamprimum ex Italia in Germaniam rediit, non solum *Rychardum* Angliæ regem, a *Leutpaldo Austriæ* duce, apud *Viennam Pannoniæ*, ob illatam in *Acca* injuriam, captum, ad se *Wormatiam* deduci jussit, ac post incredibilem auri mulctam tandem liberum fecit. Sed & *Hainrycho Leoni* extorri illi duci, acceptis duobus ejus filiis, *Luthero* videlicet, qui *Augustburgi* nostro brevi in fata concessit, dum nimirum anno Meschiæ MCXCIII. Cæsaris castra in Italiam sequitur, & *Hainrycho*, qui tandem post *Chunradum* patruum suum, Rheni Palatinus est factus, obsidibus *Brunswicum* & *Luneburgum* reddidit. Demortuo item anno Domini MCXCV. fratre imperatoris *Chunrado*, alii *Durlachii* anno MCXCVII. dum bellum adversus *Bertoldum* quintum *Saringiæ* ducem parat, interfectum scribunt, ad quem provinciæ *Augstburgensis* advocatia fuerat devoluta. *Philippo* alteri fratri suo, jam Hetruriæ a se constituto duci, Sueviæ ducatum ultro, una cum *Irene Isaci Angeli*, qui exacto *Andronico Comneno*, novem annis *Constantinopolis* imperitans, tandem ab *Alexio* fratre oculis cum imperio privatus est, filia, jam *Rogerio II.* pontificio Syciliarum regi, a *Danckredo*, *Danckmairo*, *Nartmanno Antiochiæ* principe, patre desponsata, propter egregias illius virtutes in conjugem dedit. Quamobrem statim *Philippus* & patriæ amore, & quietis gratia Italiæ partes relinquens, recta in Sueviam reversus est, ac apud *Augustburgum*, alii prope id in latissimo illo Lechi campo, loco qui *Eptaticus* & *concio legionum*, vulgariter zum Güntzilech, dicitur, factum asserunt, nuptias anno Christiano MCXCVII. quam splendidissimo apparatu, planeque regali luxu fecit. Ad quas cum omnes ferme Germanici principes convenissent, ac peracto festo, in civitate hac nostra, de communibus negociis consultaturi aliquot dies consedissent, supradictus Augustus per amicos internuncios ab illis petiit, seriisque postulationibus contendit, ut filium suum quadrimum *Fridrychum* Cæsarem sibi cooptarent. Quod dum nemo penitus denegasset, *Hainrici* sanior

Philippus Suev. dux.

Nuptiæ Philippi cum Irene Augstburgi celebrantur.

A. 1190. *Hainricus VI. Imperator.*

A. 1170.

A. 1191.

A. 1192.

A. 1193.

A. 1195.

A. 1197.

A. 1197.

Hainrici Imp. obitus.

sanior tamen pars amplius deliberandum censeret, accidit interea, quod generalis illa, quæ ordine quarta apud Germanos habetur, & in qua *Livonus* Armeniæ rex nostris homagium juravit, adversus Saracenos in Asiam expeditio, magna nostrorum hominum frequentia infeliciter caderet, ipsusmetque Imperator *Hainrychus* insuper, sedatis jam Siciliæ motibus, edomitisque *Calabria* & *Apulia*, *Sybillam Danckredi* conjugem, cum *Alteria* filia in *Hochenburgense* Elsatiæ castrum, & filium ipsius *Danckredum* dictum, in *Amisium* Rhetiæ curiensis relegavit arcem, atque inde socios principes classe secuturus paulo post III. A. 1198. Kalendas Octobris, anno salutis MCXCVIII. dysenteria, ab uxoris Zelotypæ toxico contracta, apud *Messanam* Syciliæ obierit, *Panormique* sepulturam regiam acceperit.

A. 1199. *Berechtoldus Suev. dux.* Unde memoratus PHILIPPUS anno Domini MCXCIX. post *Haganoensem Arnsbergensemque* tractatus, quod *Mülhausam Thuringiæ*, mense Martio, Romanorum Cæsar post fratrem a Germanis est dictus, qui præter alia egregia facta, e vestigio *Berechtoldo V. Zäringensium* duci, quorundam Rhenensium principum *Andernachi* congregatorum factione, & præsertim *Innocentii III.* papæ jussu, nam pontifex is pro libertate sua, aut se *Philippo* diadema detracturum, aut *Philippum* sibi apostolicum insigne ablaturum esse confidentissime dixerat, corrivali sibi suscitato, *Sueviæ* ducatus administrationem, cum ingenti pecuniarum summa pacis causa tribuit.

A. 1203. *Philippus Imperator.* Et anno Christiano MCCIII. conventum cum Germaniæ aliquot principibus, præsente Pontificis legato, *Augstburgi* nostro celebrasse fertur. Ac dein postquam *Hermanni Thuringiæ Landgravii* obsidionem *Erfordi* arte declinasset, atque etiam nonnulla feliciter contra *Ottonem Saxonem Brunswicensem*, alterum æmulum, gessisset bella, *Aquisgrani* ab *Adolpho Colonien se* archiepiscopo, anno A. 1205. Domini MCCV. de more Cæsar coronatus est. Atque inde quotiescunque per ardua negocia dubatur, pro singulari, quem erga nos gessit, affectu, cum *Irene* Augusta sua in *Schwanhausia*, castro non procul hinc dissito, & venationibus liberaliter indulsit, & jucundiorem vitam degere volens, quottanis *Augstburgum* invisere studuit. Quo etiam pro suo jure *Widoldum* a *Sultzbachio* prætorem securitatis causa constituit. Quin & deficiente antiqua propagine, *Burgavien sem Marckgraviatum* comitibus *Roggenstainensibus*, haud sine urbis nostræ congratulatione, quod semper boni aliquid a bono vicino sperandum, in beneficium contulit. Circiter quam ætatem anno videlicet Domini MCCII. A. 1202. *David* quispiam *Persa*, primus *Tartarorum Cham*, sive *Cæsar*, capta *Media* & *Parthia* fit, dictusque *Guyssan* est. Similiter & *Baldwinus* Flandriæ comes, exacto *Murtzuflo*, captoque iterum Venetorum auxilio *Byzantio*, Imperator *Constantinopolis* anno Christi MCCV. novem menses efficitur, cui prælio a A. 1205. *Græcis* sive *Balachis* victo, *Hainrychus* frater decennio succellit. Mortuo autem Kalendis Junii anno salutis MCCII. *Udalschalco Hartwichus II.* ab *Hyrnbaima*, tricesimus nonus episcopus per cleri electionem, in civitate hac sexennio constituitur, qui tamen ab *Innocentio III.* papa, qui primus maledicentibus Romano pontifici pœnam infligere præcepit, & creandorum episcoporum meram potestatem, plurimo sane sanguine apud Germaniam & Angliam, invitis principibus demum obtinuit, ac confessionem auricularem primis invitis christicolis extorsit. Sudarium item, quo vultus *Christi* adumbratus putatur, *Veronicæ* appellatione, in hospitali *S. Spiritus* Romæ adorandum populo primus demonstrari, specialibus ceremoniis, atque Ungaris pro peculiari sacro addixit. Denique & eucharistiæ consecratum panem per parochialia templa continenter proprio sacrario servandum mandans, sanguinis christi calicem in cæna dominicia Laicis aperte, & plus quam sacrilege prohibere primus non est veritus, juxta novum morem, quia *Philippo II.* Germanorum Imperatori, a se excommunicato, contra *Ottonem* Saxonem adhæreret, nunquam confirmari potuit, utut in mera possessione dignitateque permanserit. Ad hunc nostrum præsulem memoratus Imperator subinde accedere *Augstburgum* dignatus fuit, idque ejus miraculi ergo factitatum esse quidam narrant, quo in templo quopiam hujusce civitatis, hostia azymi panis inter missandum in cruentam carunculam per ea tempora, ad ratificandū dubio procul, novum & inauditum de sacramenti eucharistiæ transsubstantiationis comentum, conversa putabatur. Alii portentosam hanc sacramentarii panis metamorphosin, in tuguriolo pauperculi civis repertam, & ex illo ad novum *S. Crucis* templum, religionis causa, anno MCC. donante *Ulrycho Marchschalco* a *Rechberga*, pro ea conservanda, argenteam thecam Sacrariumve monachis, translatam esse prædicant. Tandem obiit pontifex hic Kalendis Maji, sub quo *Chuno* tricesimus *Ellwangianus* antistes, *Fuldam* postulatus, abbasque illic effectus, imperatricis archicancellarii titulum habuit.

Hostia in cruentam carnem Augstburgi mutata. A. 1200.

Cæterum Imperator *Philippus* iterum comitia *Augstburgi* anno Christi MCCVII. mensibus Novembri & Decembri, magno principum numero, populi vero nostratis non parvo commodo, super regni compositione, ac sui cum summo sacerdotum principe unione, præsentibus *Hugone Hostien se* episcopo, & *Leone S. Crucis* in *Hierusalem*, cardinalibus legatis Romanisticis, maximis expensis, sed frustraneo eventu celebravit.

Comitia Augstburgi. A. 1207.

Inde adeo decedente *Hartwicho*, *Syfridus III. Marchschalcus* de *Calatino*, sive, quæ eadem erat familia, a *Rechberga*, jam antea major ecclesiæ *Augustanæ* præpositus, episcopus apud nos anno salutis MCCVIII. designatur, A. 1208. seditque annis plus minus decem & novem. Hic statim nuperam illam *Ursinensis* cœnobii fundationem, primus confirmavit. *Hainrychum* item *Balleshaimensem*, vicesimum sextum

Syfridus III. Episc. XL.

tium abbatem, resignante *Udalrycho II.* decrepito eo, qui *Lomeringam* & *Greggenhofam* villas, cœnobio suo, pro parte aureæ illius tabulæ coëmit, quam *Adelhaidis* imperatrix, quondam *S. Affræ* fano donarat, apud *S. Ulrychum* hic consecravit. Quo post decennium decedente, *Dietho Fuessensis* monachus, jam dicti præsulis confirmatione, abbatiæ illi novem annis præfectus est. Idem episcopus adhæc, novum ex *Andechsense* arce templum, pro indicibilibus sanctorum reliquiis, apud Bojaros factum Deo dicavit, papales que ad id donatas indulgentias sua autoritate quoque si non aniliter, certe adulanter sane admisit. Ecclesiam item *Peurbachensem* monachis *Benedict Beyrbanis*, *Stephaninæ* vero apud nos abbatiæ, jus patronatus *Berckæ*, & decimas juxta *Wellenburgum* dono dedit. Et quia martialis erat, acceptissimus ante dicto Imperatori *Philippo* fuit, eaque occasione mox castrum *Schwabeccam*, ob læsa prædia ecclesiastica in *Menchinga* oppugnavit, oppugnatum cepit, ac captum in odium *Ottonis* Cæsaris destruxit, dein tranquillitatis causa a *Mangoldo* extremo ibidem comite emptum omnino sui juris fecit, irerumque restauravit, licet contractum cum Bojariæ duces octuaginta amplius annis impugnarint, rebellandoque præsuli, etiam Rempublicam *Augustburgensem* inquietam reddiderint. Paulo post mutato Imperii rectore, idem Episcopus animum ad præsentia applicans, cum *Ottone IIII.* novo Cæsare Romam pro coronatione proficiscens, orto apud urbem tumultu, a civibus illis non modo turpissime irrisus, sed & vulneratus, ac cum nonnullis aliis Germanis, omnino pessime tractatus est. Tandem tertium Imperatorem, pontificiis sumi mandato suscipiens, in comitiis *Norimbergæ*, dum tantum non immane schysma pullularet & a parte *Friderychi II.* Cæsaris, tanquam gentilitii sui principis audacter stetit, cum quo etiam extremo contra Saracenos bellatum *Hierosolymam* abiens, diem suum *Brundusii* obiit. Porro Præsuli huic cum *Eberhardo XXIII.* & acerrimo, *Hyrsaugiense* abbata, propter diœceseos suæ præposituram, quæ est *Rhodii*, non levis dissensio fuit, qua &, Capitulo suo sententiam ferente, succubuit. Sub eodem item antistite nostro, perhibent quidam ultra 200. ædes in *Ulrichinga* parochia simul una nocte *Augustburgi* exustas fuisse, ac *Eberhardus II.* de *Thumpinoa*, majoris ædis hic præpositus, *Brixinensis* ecclesiæ episcopus creatus, *Hainrychum* a *Dieshayma*, jam antea canonicorum nostrorum decurionem, anno Domini MCCXI. in præpositura dicta successorem habuit: Cui intra decennium *Honorii III.* Ro. papæ, (qui imperatorem *Fridrychum II.* quod in Syriam ad ejus arbitratum proficisci armatus nollet, sacris interdicere ausus fuit, ac judicia candentis ferri aut aquæ ferventis districte iterum inhibuit. Adhæc corporis dominici sacramentum cum lumine, tintinnabulo & speciali habitu, ad infirmos deferendum constituit) collatione *Rapoto* successit.

Expugnatio Schwabeccæ.

Hainrichus præpositus maj. æd.

A. 1211. *Rapoto ejusdem successor.*

Hainrychus, nostri episcopi ætate, præterea de *Ziplinga* canonicus *Marianus*, hinc *Aichstettam* ad episcopatus honorem devenit. Fuitque *Gottfridus* de *Neyffa* præpositus collegio S. *Moritii Augustani*. *Sigefridus*, item *Illsyngus* sibi & uxori *Fulcknnæ* monumentum in sacello S. *Ottmari* ad *Cruciatum* cœmiterium, anno Domini MCCXV. raro patriotarum exemplo legit hic. *Gottfridus Moritianus præpositus.*

A. 1215. Interea temporis *Philippus* Imperator, spreta pontificis Romani affinitate, apud *Northusiam Ottoni* Saxoni, desponsata *Beatrice* propria filia, reconciliatus est, & occasione ita oblata, bellum in Danos parare cœpit. Ac dum exonerandi corporis causa, venam *Parbergæ*, *Pavonis* nomen, nonnulli latine vocant, incidere prius sibi jussisset, ab *Ottone Wittelsbachense* Palatino X. Kalendas Julii mensis, propter dilaturi *Chunigundæ* promissæ filiæ matrimonium, in conclavi suo, *Egeberti* episcopi ibidem, ejusque fratris *Hainrychi* Marchionis *Andeccensis* non obscuro adjumento, ex insperato occisus, ac in templo cathedrali ibidem initio sepultus, & tandem *Spyram* ad suos majores translatus est. Ipsus tamen *Otto Wittelsbachius* sicarius non multorum mensium spacio, ab hoc parricidio, per *Hainrychum Bappenhaymensem Marschalckum*, apud *Oberdorffium* Lechi, simili pœna contrucidatus merito est. Qua de re provincia & urbs ista nostra diu inter spem metumque haud indigno mœrore constituta fuit, tum quod advocato & tutore suo destituta, imperatoris morte fuerit, tum quod ob antistitis sui inconstantiam, non parva libertatis pericula subire compulsa sit, præsertim quando Bojarii duces postea de *Schwabeccense* ditione, cum episcopo nostrate digladiari occiperent. *Philippi Imp. mors.*

Sub has turbas OTTO IIII. *Bruvswicensis* primus dux, extorris *Hainrychi Leonis* filius, demum anno MCCVIII. in ipso festo *divi Martini*, a principibus post socerum, nam *Beatricem* filiam *Philippi* Cæsaris jam duxerat, imperator *Francfurti* consalutatur. Is jamdudum per vafriciem & *Rychardi*, Angliæ regis, avunculi sui respectum contra præhabitum *Philippum*, *Coloniæ* mense Martio anni MCXCIX. in schysmate Cæsar fuerat dictus. Jam vero *Innocentii III.* papæ, qui apostolicæ sedi, Cæsares & ad imperium promovendi & rejiciendi jus, mere attribuens, ab hoc *Ottone* juramentum de custodiendo ac contra quoslibet pro ecclesia *Petri* patrimonium defendendo exegit, autoramento meram potestatem nactus, comitia admodum temeraria, & tantum non justo ferociora, ab *Epiphania Domini* ad festum usque *Johannis Baptistæ* anni sequentis, in hac nostra civitate celebravit. In quibus, quod *Romam* secundis ventis pro sui coronatione, quæ V. Octobris mensis Idus, eodem hocce MCCIX. anno, non absque cruento tumultu celebrata est, ibat, multa in imperii proceres, multa contra præcessorem socerum suum, pro papa superbissime criminatus est. Et nihilominus tamen, in pacis Germaniæ violatores aliquot, præsertim *Ottonem* *Otto IV. Imperator.* A. 1208. *Comitia Augustburgi.* A. 1209.

Ottonis IV. Imp. mors.

Wittelsbachensem Cæsaris *Philippi* cæsorem condemnando, severiter hinc animadvertit. Verum dum omnia cum clero & pontificibus simulasset, paulo post, depopulatis *Flaminia*, *Piceno* & *Hetruria*, sacris a prætato *Innocentio* abstentus, & quia *Apuliam* non pontifici, sed imperatori attinere contendisset, quarto regni sui anno, ejusdem papæ instigatione abrogatus, imperioque non sine maximis motibus privatus est. Ac post sexennium in arce patriæ suæ *Hartesburgo*, vitam X. Kalendas A. 1218. Maji, orbus ex dysenteria finivit, ac *Brunswici* sepultus est.

A. 1212. *Fridericus II. Imperator.*

Interea circiter æstatem anni humanæ redemptionis MCCXII. quando FRIDERYCHUS II. Siciliarum rex & Sueviæ dux, jam viginti annos natus, in avitam patriam tandem ex Italia devenisset, mox *Rudolffum* a *Graba*, in provinciæ suæ civitatem *Augstburgum*, prætorem sive subpræfectum confirmavit. Et dein pro obtinendo imperiali diademate, Cæsar enim ante biennium, Idibus Decembris a Germanis erat absentis appellatus, papæ adorationē *Aquisgranum* properans, præfatum *Ottonem*, jam excommunicatum Imperatorem, cum Saxonico exercitu admodum furibundo, ad *Acronium* seu *Bodmensem lacum* obviam habuit, qua ex re cives nostri maximis angustiis formidineque pressi, nullo sui merito diutissime inter sacrum & saxum quasi attoniti steterunt. Nam dum imperatores Germanici & pontifices Romani sese tum scriptis tum armis mutuum indesinenter hocce ævo proscinderent dilacerarentque, fieri nequit, quin dubia semper animo, variis intentionibus, respublica ista, sicuti & omnis alia Germania, titubaverit, incertaque eventuum spe præoccupata fuerit. Immo ut est novitatis avidissima, perfacile assertiones, contra papatum & cardinalium fraudes tyrannidem ac impietatem amplexata, cohortem illam extreme execrata sit. Quoad jam dictus *Frydrychus II.* pro stabiliendo Germanici imperii statu, conventum *Augstburgi* nostro percelebrem, anno dominico MCCXV. hyeme cum principibus utriusque ordinis, agitarit. Ex eo enim tempore, S. P. Q. noster, illi pro more jurejurando publico obnoxius est factus, ac sub ipsius tutela securior postea vivere cæpit. Nisi quod anno MCCXX. dira pestis per nostram hanc civitatem plurimos mortales, quidam sex millia hominum axtincta scribere audent, absorpserit. Quo anno interim idem ipse imperator noster, cui paulo antea imperii insignia, ex testamento præcessoris apportata primum ferant, Romæ ab *Hugolino* comite Anaguino & Cardinale episcopo *Hostiense*, *Honorii* papæ III. (qui jura civilia *Parisiis* & in vicinis scholis civitatibusque, tum legere tum audire vetuit, & ab imperatore *Frydrycho* summam de sui & suorum libertate & ecclesiæ immunitate constitutionem, contra omnes veterum imperatorum leges, non sine detrimento imperii regnorumque omnium obtinuit, qualem vero grātiam inde reportarit, infra patebit.) legato, decimo Kalendas Decembris Augustus consecratus est.

Comitia Augstburgi.

A. 1215.

A. 1220.

Porro post tres evolutos annos sæpe dictus imperator *Hainrychum* ex *Constantia Ferdinandi Castellæ* regis filia, natum suum, Sueviæ ducem, ac civitatis *Augstburgensis* advocatum constituit, adeoque *Aquisgrani* regem Romanorum appellari maxima civium nostrorum lætitia curavit. Moxque in Italiam remeans, imperialia insignia *Eberhardo* dapifero commendavit, inque *Algoja* castrum *Waldburgum* collocari jussit. Quibus factis gloriosissimus princeps universam usque adeo sibi devinxit Sueviam, ut incredibile sit, quam posthac perpetuo ea prompta, voluntaria & paratissima illi in omnibus exstiterit. Etenim ejus rei gratia vel sola civitas *Augstburgensis*, ut alios præteream, anno Christi MCCXXVIII. adversus *Saracenos* in ipsam Syriam, subsidiarias copias dicto imperatori sua sponte misit. Dum vero ista sic hinc inde perpetrantur, statim *Sifrido III.* episcopo, *Sigebottus* sive *Sibotto*, baro *Gundelfingensis*, *Seevelta* vocatus, successor quadragesimo primo loco, anno Domini MCCXXVII. lectus *Augustæ* est, ac resedit annis viginti quinque pontificaliter, & cum fruge. Interfuit is splendidissimis illis nuptiis, quas *Ludwichus* Bojariæ dux, *Ottoni* filio suo cum *Gertrude*, *Hagnen* alii vocant rectius, *Hainrychi* ultimi suæ prosapiæ ad Rhenum palatini, jam aquis fortuito submersi, unica filia *Strubingæ* celebravit. Interfuit & dein exequiis ejusdem *Ludwichi Kelhaimæ* interfecti, quas superstites liberi apud *Schyram* mense Septembri anno MCCXXXI. peregerunt. Episcopo huic *Hainrychus*, Sueviæ dux, & advocatus *Augstburgensis*, jam etiam Romanorum rex factus, absente patre *Frideryche* imperatore, medietatem precariarum seu collectarum, quas a civibus *Augstburgensibus* deinceps duxerat exigendas, in perpetuum donavit, datis ad id *Ulmæ* literis sigillo suo communitis, V. Kalendas Decembris, anno jam dicto. Ex qua donatione sequentes episcopi, publicæ civium *Stuiræ* mediam partem sibi deberi, hic etiamnum contendere non verentur. Curavit autem idem *Sibotto*, ut hic *Lariano* suo templo, supra veterem cryptam, posterius adytum fortissimis muris astrueretur. Quia tamen imperatorias partes admodum devote, sicuti & plærique superioris Germaniæ episcopi, & abbates sequebatur, non potuit *Gregorii IX.* papæ avarissimi insidias dominandique libidinem penitus subterfugere. Nam *Albertus Behaimus* decurio *Passaviensis*, qui licet legatus papalis per totam Allemanniam, Bohemiam, Moraviam & Poloniam, cum potestate deponendi archiepiscopos & episcopos diu extitisset, extremo tamen *Passaviæ* perfidiæ condemnatus, vivusque excoriatus est, Romanæ curiæ impudentissimus satelles, prædicti pontificis bullas & mandata, illi transmisit, ut scilicet bonus pastor universum suum gregem, hoc est S. P. Q. *Augstburgensem*, adhæc *Ulmam*, *Nordlingam*, *Werdam*, *Laugingam* & *Meringam*

A. 1223. *Hainricus Suev. dux.*

A. 1228.

Sigebottus Episcop. XLI.

A. 1227.

A. 1231. *Privilegium de media parte collectarum Episcopo concessum.*

Gregorii IX. adversus Cæsareos gesta.

gam, quod milites optimo suo imperatori in Italiam miserint, diris dimoveret, Sathanæque traderet, haud aliter atque Episcopo *Aichstertensi* præceperat, ut scilicet *Norimbergenses*, *Wirtzburgenses*, *Gemundianos*, *Hallenses*, & *Dinckelspulenses*, qui nimirum Imperatori *Friderico* parerent, excommunicatos perscribat. Quibus literis & vere bullis cum nemo hic, apud nos æque ac apud prænominatas civitates, obediret, confestim ipsus episcopus indignationem apostolici incurrens, pessime exagitatus & a malis vicinis cum tota hac civitate divexatus est. Quin & ejusdem *Behami* (verius *Beanii*) rabulistica suggestione, memoratus A *Gregorius* IX. cujus sanctitas mendicantes religiosos mundo primum obtrusit, & *Raymundi Barcinonensis* dominicastri ope, libros quinque *Decretalium*, pontificii juris, basim, primus edidit, foroque Ecclesiastico consecravit, novo prorsus modo, aliquot sacerdotes pinguiores, civesque habitiores, quod non perinde autoritati ipsius, tanquam terreni Dei, deferrent, hinc Romam in jus vocare præsumpsit. Ex qua protervia continuo factum est, ut non solum hujus nostræ civitatis concionatores sacrorum, verum insuper totius Sueviæ parochi contra Romani pontificis fraudes illicitamq; tyrannidem non sine exsibilando papisticæ cohortis scandalo, veritatem quam liberrime docere, ac quantum per ejus sæculi caliginem licuit, *sacra enim Biblia sub scamno*, quod dicitur, *jacebant*, humanas traditiuncu- B las impugnare occeperunt. Unde demum semper in deterius labente episcopatu, bonus pastor, *Sibotto*, facto cum *Ottone* Bojariæ & Rheni duce, qui tamen plurima subinde damna monachis intulit, omnibusque provinciæ ejusdem episcopis, fædere, tandem ad imitationem antecessoris sui, cum cruce signatis, quos *Ludwicbus Turingiæ* princeps ductavit, ad ter- C ram sanctam adversus infideles quoque, profectus est, ac in eo itinere naturæ debitum persolvit. Alii ipsum, postquam una cum pluribus Germaniæ primoribus, ipsoq; adeo *Berchtoldo Aquilejense* patriarcha, pium Imperatorem *Friderychum*, cum elato pariter atq; inflato papa *Innocentio* IIII. qui ante pontificatum imperatoris amicus fuerat, & tandem pontifex creatus, illi nocentissimus hostis redditus, primus cardinalibus Romanensis ecclesiæ, *roseum*, *galerum* purpuratorum patrum instar, concessit, ac septem tantummodo virorum electoratus potestatem, contra Suevicam progeD niem, contraque antiquam consuetudinem, Germanis primum subornasse fertur, in ipsa Romana urbe non potuisset componere, re infecta ad oves suas rediisse volunt; libereque cum gratiarum actione episcopatui renunciasse, ac relicta caula monachum *Cæsariensem* sub divi *Bernhardi* bicolore cultu factum decennio esse perhibent, sub *Wolwicbo* nono ibidem abbate. Sub isto præsule frater *Chunradus Martburgensis* dominicaster, per totam Allemanniam, contra Theologorum a Romana eccle-

Sigebotti Episcopi mors.

Conradus acerrimus hæreticorum persecutor.

sia, nunc temporis nil nisi superstitiones parturienti, dissidentium dogmata, non solum vehementissime concionatus est, sed & suspectos hinc inde in religione, vera per ignitum ferrum probans, tandem ut hæreticos nemine prohibente comburi primus fecit.

Dein circiter annum salutis MCCXXXII. A. 1232. *Luitfridus* vicelimus quintus ad S. *Ulrychum* hic per octo annos abbas, *Hiltbrando* monacho prudentissimo, cœnobii sui magistratum ultro resignavit, quem is XII. annis postea cum laude gessit. *Udalrychus* item secundus, monachorum apud S. *Crucem* rector præpositusve in civitate hac constitutus est. Eodem *Sibotto* præsule annuente, æra Christi MCCXXXVI. *sacri sepulchri* rotundum in foro vinario fanum, ab ejusdem cognominis patritiis, quorum potissimi jam olim in expeditionibus palæstinis auratæ militiæ honores promeruerant, ædificatum *Augstburgi* nostri, ad instar *Hierosolymitani* illius de novo est. Idem etiam episcopus *Degenhardo Anbusano* abbati, *Heldelfingensem* parochiam propter peccatorum suorum remissionem dono dedit, ac precibus *Adelhaidis*, abbatissæ *Hochenwartensis* cœnobii ejusdem majus templum iterum, una cum S. *Nicolai* in *Awa* ibidem sacello, de novo consecravit. Nec non anno MCCXLI. collegium *Cistertiensis* sectæ monialium, ex *Byrckhaima*, alii scribunt *Byrckfeldo*, ad Lechi cum Danubio confluentiam, *Chunradi* Cæsaris, *Fridrychi* II. filii, hortatu, atque *Berchtoldi Lechsgmündensis*, *Graisbachensisque* comitis primi ipsius fundatoris consensu, in *speciosum campum*, quem vulgariter etiamnum superiorem *Schonefeldam* vocant, cum *Gertrude* prima abbatissa transplantavit. Hujus item tempore *Berchtoldus* XXI. *Uttenheürhanus* abbas, monasterio suo a papa *Gregorio* IX. circiter annum Domini MCCXLII. insulam cæteraque pontificalia ornamenta impetravit, ac post quinque annos gubernationem *Waltbero* voluntarie resignavit. Adhæc eodem, hocce episcopo nostro concedente, cæperunt circiter annum salutis Christianæ MCCXLIII. *Minores fraterculi* sive *cordigeri*, in civitatem *Augstburgensem*, primum eo loco versus solis ortum ad civitatis mœnia nidificare, quo *discalceatorum* claustrum & templum, hodieque nomen, sed mutato instituto, antiquum; prope *Sträffingeriani* portam servat. Porro novum id mendicans monachorum genus, *Franciscus Assisius*, quinque Christi servatoris vulnerum stigmatibus, seraphice insignis Italus, vix ante annos plus minus quadraginta, in christianismum, contra pauperum de *Lugduno** sectam introduxerat primum. Floruit præterea sub *Sibotone*, nostro *Chunradus* a *Liechtenawia*, novus *Ursbergensis* præpositus, qui autor extitit præclari ejus chronici, quod passim *Ursbergense* intitulatur. Simul ac *Sigefridus* Canonicus, civisque hujus nostræ civitatis, episcopus *Sabonensis Brixinæ*, ac tandem etiam *Ratisbonæ* effectus est.

A. 1241. A. 1242. A. 1243.

Luitfridus XXV. & Hiltbrandus XXVI. abbates Ulrich. Udalrichus S. Crucis præpositus II.

Sacri sepulchri templum exstruitur.

Berchtoldus abbas Uttenheyrhanus XXI

Discalceatorum ædis origo.

Ursbergensis chronici auctor.

* *Evangelicum institutum.*

Cæte-

Expeditio sacra VI.

Cæterum ut ſuperius referre cæpimus, imperator *Friderychus* II. noſter, univerſam Syriam cum ipſa ſancta civitate anno ſalutis
A. 1229. MCCXXIX. circa mediam quadrageſimam, pulcherrima ea expeditione, quæ ſexta ordine ab Europæis chriſticolis eſt facta, fortiſſime occupavit, rexque *Hieroſolymitanus* juxta ſepulchrum Domini, in die ſolenni paſchæ coronatus, templa & muros reparavit, ac *Joppen Nazarethamque* munivit, pactisque cum *Cordirio Carradino, Capbadinove, Ægyptiorum & Babyloniæ Sultano*, nec non cum *Naſore, Caracti & Damaſci* rege, qui terram eam antea tenuerat, induciis, plus minus quindecim annis regnum Sanctum, quiete poſſedit, utut illius patrimonium interim per Italiam, præſertim Syciliæ regnum Romanæ eccleſiæ ſubjiciendo, *Gregorius* IX. papa, iniquiſſime & plane proditorie debellarit, ac optimum principem a piiſſimo propoſito dejecerit, eo prætextu, quod ſcilicet, ſe irrequiſito, fœdus cum *Saracenis* iniiſſet, quod tamen *Templarii* mox rumpentes, anſam exitio totius & civitatis & terræ ſanctæ præbuerunt. Quo tempore

Puerorum ad militiam ſacram confluxus.

puerorum choros, undiquaque ad liberandam ex infidelium manu *Palæſtinam*, turmatim confluxiſſe, & cum tripudio tanquam lympha-B tos, ad Hadryaticum usque mare proceſſiſſe, poſthac vero a pyratis direptos, nunquam amplius comparuiſſe, literis per ambas has Rhetias proditum eſt. Atque dementiæ ejus evidentiſſimo argumento, affabre illud ſculptorum, chorizantium puellorum ſaxum, quod extra antiquiora *Augſtburgenſis* civitatis mœnia, ad *politoruni* portulam in limine ponticuli juxta Fulloniam adhuc apparet, non parum
A. 1231. multi extare arbitrantur. Indead annum Domini MCCXXXI. tanta chariſtia annonæ *Augſtburgi* noſtro, & in vicina Suevia fuit, ut olyræ magnus modius quinque numariis libris conſtiterit. At vide hominum malitiam, dum C

Hainricus adverſus Imperatorem res novas molitur.

enim multa fortiſſima præclariſſimaque ab imperatore foris geruntur, *Hainrychus* filius ipſius domi cum ſupradicto *Gregorio* injuſtiſſimo pontifice, cujus legatis *Petrus Caputius*, neſanda tunc apud Germanos ad ſupprimendam imperii majeſtatem non tam ſubdole, quam gladiatorie machinatus eſt, clandeſtinum & ſceleratum fœdus fecit, quo *Ottonem* antea nominatum Bojorum ducem, qui jam recens connubio Rheni palatinus quoque erat factus, quam dignitatem Bojarii etiamnum obtinent, præter decorum debellare cæpit, ut vel tali occaſione, abſente patre, totam Ger-D maniam proclivius ſibi penitus ſubjugare poſſet. Propter quod facinus, compromiſſo
A. 1232. ad annum Chriſti MCCXXXII. in civitatem *Augſtburgenſem* colloquio, *Eberhardus* II. *Saltzburgenſis* metropolita, qui tres epiſcoparus in ſua provincia, videlicet *Chiemſeenſem, Secovienſem*, & *Laventinum* de novo erexit, cum noſtrate aliisque multis præſulibus, ut hoſtes illos in gratiam reduceret, indefeſſam operam non levi ſumptu, ſed fruſtraneo conA. 1233. tu hic inſumpſit. Quare ſequente mox anno, totius Bojariæ & utriusque Lechi littoris, bellica devaſtatio, per dicti *Hainrychi* regis latrunculos emiſſariosque audaciſſimos reipublicæ noſtræ permagna clade ſubſecuta eſt. Donec Imperator eundem ſuum filium, non ſolum ob talem ingratitudinem, *Regenſburgi* in comitiis, ſeptuaginta principum condemnatione exauctoraſſet; Verum inſuper ipſum ob parricidalem rebellionem, & quod *Waldmarum* II. *Denmarchiæ, Belam* IIII. *Ungariæ*, & *Wentzelum Bohemiæ* reges a ſe alienaverit, ac conventum *Lebuſani*, pro novo creando imperatore, cum *Hainrycho* Polonorum duce convocare non ſit veritus, in perpetuum carcerem merito conjeciſſet, in quo *Conſentiæ* in *Calabria* XXIII. ætatis ſuæ anno extinctus de-A. 1235. mum eſt, reſciſſis omnibus ejus actis. Et inde idem imperator, in ejus locum *Chunradum* alterum ſuum ex *Jole*, alii *Jolantam*, nonnulli *Comitia Iſabellam* vocant, *Johannis Brienni Hieroſoly- Mogunmiæ* regis filia gnatum, jamjam Palaſtinæ & *ciaci.* Hieroſolymorum regem inunctum, maturo principum conſilio, *Mogunciaci* (quidam *Spyræ* ajunt) ſucceſſorem ſibi deſtinavit, ac ejuſce honoris gratia, ipſum, utut ſummopere Rom. Pontif. refragaretur, anno Domini MCC- A. 1234. XXXIIII. ab *Hainrycho Colonienſe* archiepiſcopo *Aquisgrani* coronari obtinuit. Porro in iisdem maximis *Moguntinis* comitiis, imperator *Fridrychus* etiam ſecuriſſimam pacem toti Germaniæ mandavit, cujus leges Auguſto menſe, tum clare præſcripſit, tum ſerio manu tenendas promulgavit. Vulgus decretum id & terræ ſeu patriæ pacem & provinciarum jus vocat, extatque adhuc materna lingua, Teutonicorum exaratum, ſunt tamen, qui biennio ſerius id edictum ſancitumque putent.

Inde itaque ad annum Chriſtianum MCC- A. 1235. XXXV. Kalendis Novembribus, idem noſter *Comitia* imperator comitia *Augſtburgi* agitare cæpit, *Augſtbur-* in quibus urbis ac provinciæ ejus advocatiam *gi.* jam nominato *Chunrado* regi filio ſolenniter commiſit, & *Wenceslao* monoculo Bohemorum regi præſenti decem millia marcarum argenti appendit, pro ea ducatus Sueviæ parte, quæ ad *Chunigundam* uxorem ejus, ſobrinam imperatoris, hæreditario jure devoluta erat. Dein & *Friderychum* Auſtriæ & Styriæ ducem, quem ſui *bellicoſum* nominant, ob crebras ſeditiones, inobedientiamque contumacem proſcripſit, ac patria poſtea capta *Vienna* ejecit.

Cæterum anno Domini MCCXLI. alii *duos* A. 1241. *mimus* numerant, ſecundo nonas Octobris, die dominico, tantam ſolis eclypſim ſtatim a meridie annales noſtri fuiſſe perhibent, ut ſtellæ cæli æque ac nuda nocte hic admodum terrifice ſint viſæ. Quod oſtentum procul dubio truculentiſſimam illam *Tartarorum* irruptionem præſagivit, qua inhumaniſſima ea gens, *Batho* cæſare, qui primus poſtmodum regiam in *Cathajo* conſtituit, ubi hodieque *Tartarorum magnus Cham* reſidere ſolet, per *Ruſſiam* iter *Orchodario* duce arripiens, integro ferme triennio, cuncta in Poſonia & Ungria, illorumque confiniis, tam ab ortu, quam ab occaſu, miſere non ſine

Tartarorum excurſiones.

Germaniæ & præcipue civitatis noſtræ ingenti metu, innumerabili exercitu conculcarunt, vaſtaveruntque, ac tandem a *Danubio* per paludes *Meotidis Tanaimque* fluvium in Aſiam ſuam reverſi ſunt. Interea *Fridrychus* imperator noſter ad ſua tutanda iterum varia per Italiam bella cum adverſariis, conſtituto prius *Entio* naturali filio totius mediterranei maris navarcha, Sardiniæque rege, qui tandem vivus in poteſtatem *Bononienſium* venit, ac viginti duos annos captivus illorum fuit, conficere adactus eſt. Ex quibus *Gregorius IX.* cui optimus imperator paulo antea *Capuæ* Germanicorum principum transactione, centum viginti mille uncias argenti pro reconciliatione numerarat ſuo more, non ſolum pugnantibus contra illum, vitam æternam inverecundiſſime promiſit, ſed & principes quosdam Germaniæ, ſuper electione novi Cæſaris ſollicitavit ſeditioſiſſime. Qua in re dum nihil proficeret, mox *Friderycho* opitulantes nefariam execrari non deſtitit. Atque tali pacto totam *Augſtburgenſem* Rempublicam, *Haimbrando Fullenbachio* & *Rychardo Onſorgo* civitatis ibidem curatoribus, eccleſia clavibus abutendo malignantiſſimis quoque devovit diris. Quam condemnationem cum populus *Augſtburgenſis* imperatoris reſcripto, qui tunc temporis ad mœnia urbis almæ cum Romanis crudeliter prælium commiſerat, ac capta *Faventia*, cruce ſignatos aliosque unctos male mulctando, etiam pontificis fratrem ſuſpendio, cardinalesque aliquot ſubmerſione tolli juſſerat, ceu brutum fulmen maſcule aſpernaretur, mox papa is ſeveriore, attamen irrito ſtratagemate cives noſtros aggreſſus, negotioſiſſimis labyrinthis involvit. Nonnullos enim ex ipſis, qui negotio commodiores videbantur, ut ſupra quoque in *Sibotone* epiſcopo diximus, nominatim in jus Romam vocare, ſerioque rapere, in audita hactenus jurisdictione conatus eſt. Qua de cauſa ſeditiones non parvas hic clerum inter & populum diu viguiſſe, vel cæco apparet. Præſertim vero dum *Balduinus II. Conſtantinopolitanus* Imperator, partes ſuas quoque interponeret, atque nihiloſecius brevi poſt, nobiliſſimus ille, potentiſſimus, ſapientiſſimus, καὶ πολυγλωττότατος Auguſtus, divus *Friderychus* in conciliabulo *Lugdunenſi* de novo excommunicaretur, ac abſens, nec convictus, antichriſtica audacia, ab *Innocentio IV.* papa injurioſiſſimo XI. Kalendas Julii anno MCCXLV. imperio deponeretur, indiſcriminatim apud Germaniam ſævitum atrociterque tum ultuatum eſt. Quapropter Auguſto & Septembri menſe anni inſequentis, *Chunradus* Romanus rex de nefandiſſima ea novitate arduas cum optimatibus ſuis conſultationes *Augſtburgi* noſtro habuit. In qua civitate tunc forte *Hainrychus Gula*, vulgariter *Uraſ* dictus, ſubpræfectum prætoremque egit, ſub quo *Gotfrydus* comes de *Hohenlobo*, *Ottoni Bogenario* civi, amplam ſuam aream, cum turre regia hic, apud antiquam civitatis portam, quæ e regione angularis ejus domunculæ, cui nomen ab *hirundinibus* adhuc ſupererat, in feudum tali conditione contulit, ut is ſuique hæredes ſe & ſuos perpetuo, quoties *Augſtburgum* venerint, hoſpitio accipiant, ac deſuper in recognitionem beneficii, annuatim duas caligas de *Sageto* ſolvant: Ubi vero eandem aream, cum omnibus ſuperædificatis ſtructuris, juxta municipale hujus civitatis jus, vendiderint, tunc emptores illorumque ſucceſſores dictis *Hohenlohenſibus*, in ſingulos annos ad feſtum *S. Michaëlis vittatas ancas*, Latini *anſeres galeatas* vocant, in feudi ampliorem recognitionem deferant: Actum in prædicta tum civitate tum domo, præſente domino noſtro *Chunrado* illuſtri Romanorum rege, anno dominicæ incarnationis MCC XLVI. quarto Kalendas Septembris, ſub teſtimonio plurium comitum, baronum nobiliumque, nec non civium quorundam, e quorum proſapiis apud nos ſoli adhuc *Welſeri* ſuperſtites ſunt: Ex quorum familia *Hainricus* ſummum civitatis noſtræ magiſtratum hocce ipſo anno, ſicut & *Conradus Welſerus* paucos annos hic geſſerat quoque. Quia vero ob imperii divullionem, tutum tota Suevia nihil erat, cæperunt illico cives hic urbem ſuam, quibus potuerunt munitionibus obfirmare. Cumprimis autem turrim, quæ eſt ſupra *Caſtrenſem* vocatam portam, hodieque a *propinquo divæ virginis templo* nomen fortitur, pro majore ſui ſecuritate, eminentiorem anno Chriſti MCCXLVII. conſtrui curarunt. Undeſtatim myſtæ, ipſusque adeo antiſtes *Marianus*, ſenatui urbano novas turbas dare, eamque portam cum adhærente utrinque muro, in ſuum jus pertrahere attentarunt. Id quod etiam non raro poſthac ambiguis ſane controverſiis præſumpſerunt, & adhuc ſub judice lis eſt.

Porro ſub ſæpe nominato *Friderycho* imperatore liberalium artium totiusque Mathematices ſingulari patrono, allati circiter hanc tempeſtatem primum, ex *India* & *Æthiopia* in *Europam* ſunt, numerorum illi characteres, quos *Zyphras*, & regulæ illæ *Arithmeticæ*, quas *Algebræ* vocamus, per *Leonhardum Piſanum Bonucii* filium: Quod me hic inter noſtratia poſuiſſe, nemo culpare debet, cum iisdem hodie tota hac civitate, rejectis literarum notis, ad ruſticos in omnibus calculationibus paſſim cuncti utamur.

Sub peſſimo autem eo interregno, quod Romani pontifices pro ſuæ tyrannidis incremento, & in Germaniæ noſtræ perniciem, annis plus minus viginti octo continenter & ſceleſtiſſime, adornarant, cum initio *Hainrychus Thuringiæ & Haſſiæ Landgravius, S. Elizabethæ Ungricæ* filius, *Raſpen* vulgo vocitatus, in Cæſarem *Wirtzburgi* eſſet a *Moguntino*, *Agrippinenſe*, *Trevirenſe* & *Bremenſe* archipræſulibus, aliisque epiſcopis lectus, qua ex re pfafforum rex nuncupabatur, dictus *Chunradus* Suevus, jam dudum Cæſar deſignatus, abſentis patris partes contra *Thuringum*, potiſſimo provincialium ſuorum procerum civita-

Fridericus bellum in Italia gerit.

Augſtburgi munimenta firmantur.

Zyphras & Algebra.

Hainricus Antichriſtus creatur.

A. 1245.

Conradus Augſtburgi conſultat.

A. 1246.

Comes de Hohenlohe vendit.

civitatumque, inter quas *Augſtburgum* præcipua fidelitate enitebat, adjumento ſatis ſtrenue diuque tutatus eſt.

Interfecto autem Sagitta ad annum Domini
A. 1248. MCCXLVIII. in oppugnatione *Ulmæ*; ſive,
Wilhelmus Anti-Cæſar creatus. ut nonnulli volunt, ex ventris profluvio apud *Warttembergenſe* caſtrum demortuo, memorato rege *Hainrycho*, *Hſenachique* ſepulto, confeſtim ſupra nominati Cardinalis *Caputii* inſtigatione, plurimi principes epiſcopique, crucem tanquam ſacri belli in paganos teſſeram, adverſus pium viventemque imperatorem, apud Germanos, proh ſcelus, iterum aſſumpſerunt. Quare congregatis omnibus, qui papiſticas ſequebantur partes, *Wilhelmus Hollandiæ* princeps, *Nuſſiæ*, non procul *Ubiorum* colonia, alii in campo apud *Worenchom* villam volunt factum, contra legitimum imperatorem *Fridrychum*, ipſiusque filium *Chunradum*, anticæſar creatus, ac anno ſequente
A. 1249. *Aquisgrani* coronatis Kalendis Novembribus
VII. Electorum in coronando Cæſare munia. eſt. Qui autem electionem Cæſarum apud Germanos novo plane more, excluſis aliis principibus, ad ſeptem viros iſta tempeſtate, pontificia praxi, admodum arcte devolutam primo, circumſcriptamque apparet. Neque etiam vel electorum iſtorum familiæ nominaque, vel certi ritus inaugurandi Romanorum regem, apud ullum veterem hiſtoricum, usque ad præſentis *Wilhelmi* tempora, extare videntur, non alienum duxi hic ſubnotare, quæ etiam *Trithemius* in ſua *Hyrſaugia* ponit, ac in antiquo & eo manu ſcripto libro, hac de re legerim, quæ ſic ad verbum ſe habent.

A. 1249. „ Anno Domini MCCXLIX. in feſto omnium ſanctorum in civitate *Aquisgrani*, *Wilhelmus* comes Hollandiæ, filius *Florentii*, „ rex Romanorum eſt factus tali ceremonia: „ *Myndenſis* & *Munſterienſis* epiſcopi, ipſum „ ad benedictionem archiepiſcopo *Colonienſi* „ in templo *divæ virginis* præſentarunt. *Tra-* „ *jectenſis* & *Leodienſis* epiſcopi ſtatim in mo- „ dum diaconi dalmatica induerunt. *Chun-* „ *radus* archiepiſcopus *Colonienſis* ipſum in „ regem Romanum inunxit, & poſtea in ſe- „ dem regni locavit, cum tali conſecratione, „ *ſuper thronum ſedis glorioſæ ſedeas, judi-* „ *cium & juſtitiam in terra faciens*. *Chriſtia-* „ *nus*, alii *Sigefridum* ponunt, archiepiſcopus „ *Moguntinus*, oleo ſanctificato dexteram „ ejus inunxit, dicens; *conſecrare te digne-* „ *tur omnipotens Deus in Regem Romanum,* „ *qui David per manum Samuelis prophetæ* „ *inungi juſſit ſuper populum hæbreorum.* „ *Arnoldus* archiepiſcopus *Treverenſis*, ma- „ nus ſuper caput ejus impoſuit, dicens, *de-* „ *ſcendat in te ſpiritus ſapientiæ, intelligentiæ,* „ *ſcientiæ, pietatis, fortitudinis & conſilii, re-* „ *pleatque ſpiritu timoris divini. Ludwichus* „ comes Palatinus Rheni, archidapifer regni, „ globum aureum in manum ipſius poſuit, di- „ cens, *accipe globum Sphæricum, ut omnes* „ *terræ nationes Romano imperio ſubjicias, &* „ *Auguſtus glorioſus appellari valeas*. Marchio *Brandenburgenſis*, *Otto* vel *Johannes* Camerarius regni, annulum in manum tradidit, dicens, *accipe ſignaculum monarchiæ,* „ *ut Romanum imperium in ſuo vigore conſer-* „ *ves, & invicta virtute ab omni barbarorum* „ *incurſione defendas*. Dux Saxoniæ, *Alber-* „ *tus* nimirum regni enſifer, gladium ei de- „ dit, dicens, *accipe ſceptrum regium, ut re-* „ *belles ſevera correptione potenter affligas,* „ *omnesque benevolos in tranquilla pace guber-* „ *nes*. Rex Bohemiæ, qui *Primislaus* tunc „ erat, pincerna imperii, de conſenſu archie- „ piſcopi *Colonienſis*, coronam argenteam „ capiti regis impoſuit, dicens. *Accipe dia-* „ *dema ſplendidum, ut ſis virtuoſis actibus* „ *adeo coruſcus in terris, quatenus merearis* „ *coronam æternæ felicitatis habere in cœlis.* „ *Amen.* „

Sed domum redeo. Eo tempore, licet cuncta ad defectionem apud nos ſpectarent, videreturque Sueviæ facies, deſperatiſſima, civitas tamen *Augſtburgenſis*, principis & advocati ſui, ſcilicet *Chunradi* Cæſaris, ſigna impigre & fortiſſime ſequi, adeoque vulgares inſultus, ipſius cauſa viriliter ſuſtinere, ac auſpicatiſſime ſuperare nequaquam ceſſavit. *Augſtburgenſes a partibus Conradi Cæſaris ſtant.* Præcipue vero illi non contemnendo ſattellitio adfuit, dum is *Reginoburgum* debellare ſtatueret, ob intentatum ſibi ibidem a *Chunrado Hochenfelſio* latrocinium, quod papa illi per *Albrechtum* epiſcopum ibidem & *Ulrychum* abbatem *S. Haymerani* adornarat. Porro idem princeps noſter, ac Cæſar tunc frequenter in vicina arce, ad *Barrum* amnem ſita, *concio legionum* vocabatur commorari ſolebat, & quanquam rempublicam noſtram clementer complexus ſit, nonnullas tamen cum ſenatu noſtro controverſias, propter inquilinos Judæos habuit, idque epiſcopi noſtri delatione, quibus ſopitis, *Hugonem Uraſſum*, jure ſuo prætorem ſubpræfectumque fratri huc benigniſſime ſubſtituit.

Interea cum ſæpedictum imperatorem noſtrum *Friderychum* amiſſa victoria, nova urbe ad obſidionem *Parmæ* condita, ſtatim *Welphi*, Papiſtici conjurati, tota *Thuſcia* & *Longobardia* jam acriter debellaſſent, ſtatim & *Manfredus*, ſpurius ſuus, ad obtinendum *Syciliæ* regnum eundem. Itibus Decembris, MCCL. anni; *Tarenti* ſive *Ferenti* in *Apulia* A. 1250. quod venenum datum non ſat cito illum acrumnoſum ac ab omnibus derelictum principem tolleret, injecto ori pulvino ſuffocavit, ac pietatis ſpecie in archiepiſcopali montis regalis baſilica ſepeliri juſſit. Multi tamen optimum imperatorem in caſtello *Florenzola Apuliæ*, ex febre, devoto in Chriſtum animo, ac cunctis ſuis rebus ordine diſpoſitis, expiraſſe, *Panormique* humatum eſſe perhibent, cum paulo prius *Petrum* de *Vineis*, *Capuanum*, cancellarium ſuum & Curiæ judicem, oculis privari ob proditiones apud *S. Miniatum* curaſſet, quam ignominiam homo is tam ægre tulit, ut ſtatim ſeſemet in publico interfecerit. *Friderici Imp. mors.*

A. 1251. Cæpit forte tunc ſequente anno, *Otto Bojariæ* dux novam monetam cudere, cujus centum quinquaginta nummuli, *Rhenenſem* aureolum *Otto Boj. dux novam monetam cudit.*

reolum apud nos valebant, ſicuti & ſexaginta *Regensburgi* ſignati nummi itidem hic *Rhenenſis* aureoli præcium æquabant. Sub his turbis anno nimirum Chriſti MCCLII. donatus Canonicorum votis mitra *Auguſtana* eſt *Hartmannus Dillingenſis* comes, quam quadrageſimo ſecundo a *Zoſimo* loco, annis XXXIII. nonnulli XV. perperam evariant, merito obtinuit. Fuit enim natura mitiſſimus, ſed in Eccleſiaſticis negotiis vehemens avarusque, cui multa cum civitate noſtra diſſidia fuere. Cumque ultimus virorum ex ſua progenie eſſet, ac ob deplorandum interregnum, quod Suevici nominis odio papa flagitioſiſſime apud Germanos pepererat, nullum certum feudi collatorem haberet, non ſolum arcem cum oppidulo *Dillingenſe*, ſed etiam totum *Witteſlingenſis* ditionis diſtrictum, citra & ultra Danubium, eccleſiæ ſuæ dono dediſſe, legatoque ſcripto, reliquiſſe narratur. Is item epiſcopus a *Chunrado* ultimo Sueviæ duce, & *Hieruſalem Sicyliæque* rege, quem eccleſiæ ſuæ tranquillitati proſpiciens, in advocatum jam elegerat, emunitatum adprobatarum confirmationem, aliaque advocatiam & ejus colonos concernentia privilegia vaferrime impetravit, V. Nonas Octobris, anno ſalutis MCCLXVI. in ipſis gradibus eccleſiæ ſuæ *Auguſtenſis*. Quam paulo ante hoc ævum, eo miſeriarum deveniſſe ex actis liquet, ut præter illas exactiones, quas clerus tota dioeceſi cottidie ſolvere conſuevit, vix centum majores nummorum libras, in corpore redituum, ad annuos ſumptus adhuc habuerit integras. Cum olim duo, quidam XX. legunt, millia dictarum librarum quotannis receperit. Propter penuriam erga dictum *Marianum* collegium cuncta ſua per civitatem *Augſtburgenſem* & jura & bona, una cum aureo *S. Ulrychi* calice, quem pro precioſiſſimo theſauro aſſervabant, ejusdem epiſcopi ſui cauſa, *Hainrycho Schongawero*, *Ulrycho Vendano*, *Geroldo Edlckwino*, *Chunrado Hurlocherо*, *Leutbaldo Schrotero*, *Chunrado* & *Hainrycho Hollonibus* patriciis noſtratibus, tanquam conſtitutoribus, menſe Julio anno MCCLXX. oppignoravit, ea conditione, ut hi viciſſim pro quadringentis nummorum libris, quas *Hartmannus* epiſcopus debebat, fide juberent, vadimoniumque ipſius nomine ſubirent. Cæterum *Hartmannus* epiſcopus iſte dedit menſe Auguſto anno gratiæ 1275 ad inſtantiam glorioſiſſimi Domini Romanorū regis priori & fratribus *S. Mariæ* de monte *Carmeli* diploma avtenticum, per quod annuit & confirmat venditionem de domo & area, loco dedicato, ubi *Sacetini* civitate *Augſtburgenſe* habitabant in quo monachi illi omnipotenti Deo, B. Virgini *Mariæ*, & ſanctis ejus perpetuo famulari intendebant: concedens inſuper eisdem poteſtatem habendi apud ſe ſepulturas, ac audiendi delictorum confeſſiones, ſalvis tamen parochialium ædium juribus. Horum cucullatorum ſecta circiter annum ſalutis 1244. ab *Alberto Hieroſolymitano* patriarcha *Heliæ* & *Eliſæ* prophetarum nomine ſub regula *S. Baſilii* in Syria primum inchoata, & poſtea *Honorio IIII.* Romano papa concedente, per Europam quoque diſperſa eſt. Præſulem item hunc noſtrum multi novum adytum a tergo Dominicani ſui, quo de ſupra in *Sibotone* ſcripſimus, efundamento ſuſcitaſſe perhibent. Auſpicatus autem eſt, confirmavitque contributiones offertoriaque tum civium, tum vicinorum nobilium, præſertim *Banackerorum*, aliorumque devotorum hominum, inter quos *Hartmannus Langenmantellus* de *Trigoni* inſignibus, uxoremque ejus *Mechtildis*, annis MCCLXXXII. & LXXXVIII. donationes propter animarum ſuarum ſalutem non parvas fecerunt, quas larga manu tanquam ſacras eleemoſinas, ad extruendum hoſpitale ad *S. Spiritum*, in ſuprema adverſus Auſtrum, civitatis *Augſtburgenſis* regione, extra *Hanſtettenſem* portam, pro pauperibus & egenis obtulerunt fundaruntque. Inde adeo mos inolevit, ut non modo epiſcopus ruſticam domum initore tauro prope hoſpitale id, bubulcique publici jus habeat, verum etiam ut ſemper cathedralis eccleſiæ decanus, deputatis a ſenatu noſtro aſſideat, quando dicti hoſpitalis œconomi annuam de ſingulis expenſis rationem curatoribus dant. Idem epiſcopus interfuit provinciali illi ſynodo, quam *Werinherus* archiepiſcopus *Moguntinenſis* anno Domini MCCLXI. celebravit. Fundavit item una cum parentibus ſuis clauſtrum monialium in *Mœdinga* trans Danubium, Eccleſiam quoque *Landsbergenſem Weſſenbrunnenſi* abbati donavit. Speciale item jus in eccleſiam *Mechingenſem* ob preces conſanguinei ſui *Ludwichi* Bojariæ ducis, monachis *Munſterienſibus* anno MCCLXIII. conceſſit. Et cum novus Cæſar *Rathulfus* totius hujus epiſcopatus advocatiam ad ſe denuo recepiſſet, non leviter exaſperatus, cum canonicis ſuis conventiunculum, anno MCCLXXVI. agitavit, in quo illi iterum, nam ſimili ſacramento ſe idem hic epiſcopus, & canonici cum civibus ante ſedecim annos ſatis proterve obſtrinxerant quoque, ſimul ad ſacra evangelia jurantes, propria autoritate ſtatuerunt, ſi quando advocatiam illam denuo vacare contingat, eam nemini hominum amplius conceſſuros, ſed ſe ac ſuam dioceſim, in libertatem omnino vendicaturos totis viribus fore. Fundato denique *Dellingæ* novo Xenodochio, hic obiit in die *S. Ulrichi*. Per initia vero præſulis hujus, erat ſupremi templi myſtarum hic decurio & *Moritiani* collegii præpoſitus, *Syfridus*, pincerna à *Winterſtetta*, cujus ductu mox circiter annum ſalutis humanæ MCCLI. *Hartmanno* epiſcopo areas eas, quas Officiales ipſius *Oswaldus* miles & *Berchtoldus* diſpenſator, in parochia *Moritiana* in feudum tenebant, Nonis Auguſti ſororibus donante, ac potiſſimum ex fundatione *Chriſtinæ* de *Wellenburgo*, translatæ ſunt *Prædicatorum* regulæ moniales, e ſabulo ſeu glarea ripæ Lechi, ubi extra urbis noſtræ Orientale latus habitabant, ad cœnobium illud, in quo nunc temporis *S. Katharinam* intra mœnia ad occidentem eædem nonnæ colunt,

A. 1252. *Hartmannus Epiſc. XLII.*

Meriani bona Eccleſiæ ſuæ oppignorant.

A. 1266.

A. 1270.

A. 1275.

A. 124.

Hoſpitale ad S. Spiritum fundatur.

Vid. Tab. IV. Fig. 2.

A. 1282.

A. 1288.

Synodus Moguntina.

A. 1261.

A. 1268.

A. 1276.

Syfridus Moritianus præpoſitus & Templi Cathed. Decanus.

A. 1251.

Cœnobium S. Katharinæ.

lunt, in quo ſtatim & per hos annos, *Agnes Burgaviæ Marchioniſſa* monaſticen degit, quam tamen multi C. annis poſterius vixiſſe volunt. Cæterum ſororculæ illæ demum ab hominum converſatione penitus ſegregatæ, muroque Caſtitatis ergo ceu ſepto *Petri* Cardinalis epiſcopi noſtri admiſſione, anno Chriſti MCCCCXLI. a ſenatu religioſius incluſæ ſunt. Quarum templum etiam anno ſalutis MDXVI. auguſtius de novo extructum eſt. Sub ſæpe nominati antiſtitis tempus, ſucceſſit in ſumma canonicorum præpoſitura hic *Syfrido* a *Witteliſinga*, *Lutwicbus* comes *Helfenſtainus*, qui conſenſu collegii ſui & de communi voluntate civium vendidit *Minoritis* apud nos anno Domini 1265. duas ædes juxta foſſata murorum *Augſtburgenſis* civitatis ad liberum tranſitum amplificationemque templi ipſorum. Fuitque *Chunradus Spanvagilus* anno Domini MCCLVII. advocatus epiſcopi per civitatem noſtram, cui *Siboto* quispiam in eodem officio ſucceſſit, & poſtea factus eſt *Engelſchalcus* de *Haldenberga Burggrafius*, epiſcopalis in urbe hac, cujus miniſterio idem *Hartmannus*, quod imperium Romanum capite vacaret, Judæis per civitatem noſtram, quam is primus ſacerdotum ſuam vocare non erubuit, non exiguas levesve immunitates, adeoque & ſalvum conductum anno Domini MCCLXXII. conceſſit. Sub cujus præterea gubernatione *Urbanus IIII.* papa feſtum *Corporis Chriſti* Romæ plurimis indulgentiis, & plus quam ethnico aut Perſico ſpectaculo *Evæ Leodienſis* adamatæ mulieris rogatione primum inſtituit. Ac extitit *Hiltbrandus* a *Rechberga*; Canonicus *Marianus* hic ad *S. Petrum* præpoſitus. Adhæc *Chunradus* de *Biberbacho* Canonicus *Marianus*, vicedominusque *Strubingenſis*, egregia legata tum toti ſuo collegio, tum ſeorſim præpoſituræ, tum ſcholarchiæ fecit.

A. 1441. A. 1516. *Ludwichus maj. ædis præpoſitus.* A. 1265. A. 1257. A. 1272. *Hiltebrandus ad S. Petr. præpoſitus.*

Anno item incarnati Verbi MCCLXV. ſdonavit *Chunradus II, Sicyliæ & Hieruſalem* rex, extremus Sueviæ dux, in remedium & ſuæ & progenitorum ſuorum animarum, poſt nonnullas alias, quas monachis hinc inde apud ſuos fecerat donationes, etiam eccleſiæ *S. Georgii Auguſtani*, cujus ſodalitii tunc *Udalrychus* præpoſitus erat, advocatiam & prædia curiæ in *Lentershofa*, actum nona die Aprilis in caſtello *Fridbergenſe*. *Goswinus* præterea a *Thierhaima*, viceſimus ſeptimus *S. Ulrychi* abbas, poſtquam clavum monaſterii ſui apud nos viginti tres annos adverſum nobiles refractariosque monachos, præſertim *Wernherum de Welda*, magnanimiter ſane tenuiſſet, atque a prælibato *Chunrado* rege eccleſiam ſuam cum omni familia, ab officialibus ejus in civitate iſta, videlicet a prætoris, conſulis & judicii nunciorum præconumque poteſtate exemiſſet, cujus immunitatis dyploma *Augſtburgi* noſtro XXIII. Octobris die anno Domini MCCLXVI. conſignatum & datum eſt, a quo etiam aſyli libertas in dicto monaſterio originem primo traxit, officii pertæſus, *Dietrychus* a *Rhode* id anno Chriſti MCCLXVII. epiſcopi noſtri conſenſu ultro reſignavit, qui inde viginti uno annis cœnobio illi præfuit, ac jam tunc malefactores ad ſe, tanquam in tutum aſylum, recipere occepit quanquam non diutius quam triduo. *Dietrycho* iſti Syncronus extitit, *Berchtoldus II.* ad *S. Crucis* monaſterium præfectus tertius hic, Frater quoque *Berchtoldus Ratisbonenſis* ſacræ paginæ doctor, ſub *Minoritarum* primitias, univerſos cives hic plebemque non ſemel nec obiter, ſed zeloſo ſpiritu, ſicuti & in patria ſua ſæpiſſime fecerat, a futuris Romanenſium indulgentiarum nundinationibus, ac in expleA bili auri ſame, publicis concionibus palam præmonuit, cautosque eſſe juſſit. Simul ac *David* alius quispiam ex *Franciſcanorum* familia, non tam vitæ ſanctimonia, quam religionis novæ hypocriſi, pro miraculo hominis *Augſtburgenſi* plebi habitus eſt. *Albertus* item *Bolſtadienſis*, non procul *Lauginga* ad *Danubium*, ubi *Wolffgangus* palatinus *Rhenenſis*, *Bipontinus* dictus, celebrem Academiam, poſt tria ferme ſecula fundavit, nobili proſapia ortus, Germanorum philoſophus maximus, utpote qui literarum gratia *Ratisbonenſem* epiſcopatum ſponte abdicans, cuB cullo Dominicæo permutavit, ac *Coloniæ* ſtudiis incumbens, propter eximiam eruditionem rerumque inſignem peritiam, *Magnus* cognominari a poſteris meruit, per hoc ævum floruit, noſtroque præſuli clariſſimus fuit. Anno autem Domini MCCLXXX. *Degenhardus* Baro *Gundelfingenſis* primariæ ædis hic decanus, & *Hainrychus Kronbeerus*, præpoſitus ſecundus ad *S. Georgium Auguſtanum*, exiterunt. Bojariæque dux plurima in univerſum diœceſeos hujus, & clerum & plebem, hoſtiliter deſignare non eſt cunctatus. Porro ſæpedictus *Hartmannus* præſul, paulo ante obitum, pro ſe & ſuis, Anniverſarium ad C diem 8. *Damaſi* Papæ perpetuo celebrandum fundavit, donando ad id dominis & fratribus chori ſui Eccleſiam, domos, agros, & & omnia jura apud *Manticbingam*, una cum XXXII. ſolidorum nummi ſumma, præſentibus quotannis viritim diſtribuenda.

Albertus Magnus t. floruit. A. 1280. *Degenhardus Templ. Cathed. Decanus VI. Kronbeerus Georgianæ præpoſitus II.*

Sed ad Cæſares, præpoſitamque hiſtoriam redeo: Poſtquam *Hartmannus* epiſcopus interregni occaſione, non ferendam in civitatem *Augſtburgenſem* affectare neutiquam formidaret, tyrannidem, ſtatim ſenatus civium cum illo de omnibus juribus alacriter contendere cæpit, donec facta anno Chriſti MCCLII. tranD actione, meram & mœniorum & portarum urbis ſuæ poteſtatem contra pfaffos obtinuit. Commiſſoque poſtea prope *Hamelem* velitari prælio, denuo epiſcopus is, vicinorum interventu, cum noſtro ſenatu pacem facere adactus eſt, ac pro accepto a civibus damno, numeratam pecuniam accepit, anno Dominico MCCLIIII.

Lites inter Auguſtanos & Epiſcopum componuntur. A. 1252.

Eo forte anno *Chunradus* Suevus dux & Cæſar noſter patientiſſimus, apud *Apulos* ſuos XI. Kalendas Junii, veneno in clyſterem mixto periit, *Neapoliqve* ſepultus eſt. Quod ubi ſequente anno, quo *Augſtburgenſi* noſtro ci-

A. 1254. *Conradi obitus.*

Indulgentiarum paſticarum adverſarii

Goswinus S. Ulrichi abbas XXVII. A. 1266. *Dietrichus Ulrichianus abbas XXVII.* A. 1267.

vitatis duumviratum *Hainrychus Schongowerus*, & *Berchtoldus Bytschlinus* gerebant, certo his innotuit terris, mox *Ludwichus* III. Bojariæ dux, *Werdam*, *Laugingam*, *Hochstettumque* infra nostram civitatem, & supra eandem *Ammergoviani*, *Peutingam* & *Schongaviam* sita oppida, cum toto *Schwabeccense* comitatu, quæ præfatus *Chunradus*, sororius ipsius, pro mutuo accepta pecunia, hypothecam illi dederat, non sine reipublicæ *Augstburgensis* molestia tædioque omnino occupavit, inque sua verba jurare coëgit. Atque illorum accessione insolentior redditus, post biennium *Mariam Brabanticam* conjugem, ob adulterii suspicionem *Werdæ* Januario mense capite mulctavit. Propter quod facinus tamen, diu postea apud nos præ adfinium timore, tanquam in asylo vel latuit, vel exulavit. Quo tempore & firmas amplissimasque ædes extra mœnia hic inter *Castrensem* portam & S. *Stephani* gynecæum, sibi ædificari, & divo *Severino* tutelari suo sacellum ibidem dedicari curavit. Atque dein ob temere perpetratam prædictam cædem, *Furstenfeldense* monasterium pro *Cystertiensibus* sacris, anno MCCLXII. fundando, primumque abbatem illuc *Ansbelmum* monachum *Allersbachensem* constituendo, papali censura satisfactioneque exspiravit.

Ludwichi III. Boj. ducis gesta.

A. 1256.

A. 1262.

Porro quamprimum & *Wilhelmus Hollandus*, princeps nondum triginta annos natus, æra Christi MCCLVI. *Frysiorum* insidiis circiter Kalendas Februarias, crudelissime occisus, *Mittelburgique* post aliquot annos a filio *Florentio* in sua *Seelandia* humatus fuisset, in tam contraria studia Germanici sunt scissi proceres, ut neglectis indigenis, iisque optimis heroibus, ad exteros Pragmaticorum quorundam & cum primis papæ complicum susurratione ἀγενιτῶς καὶ ἀχρειῶς sane conversi, pars *Rychardum Cornubiæ* comitem ex Anglia evocatum VI. Nonas Maji, in ipso ascensionis Dominicæ festo, anno salutis MCCLVIII. *Aquisgrani* per *Chunradum Colonien sem* archiepiscopum coronaverint, pars impellente eos *Trevirense* archipræsule *Alphonsum* X. *Castiliæ* regem, cujus nomine tabulæ astronomicæ *Azrachis* medici opera ex *Toletanorum Judæorum* imaginationibus congestæ extant, ex *Hyspania* postulatum, *Francfurti* pro Cæsare delegerint. Propter quod intestinum schisma, plerique cœlum terræ miscere conantes, totam ita inflammarunt Germaniam, ut nec vicinus a vicino, nec hospes ab hospite, neque item frater a fratre tutus esse potuerit, præsertim autem in vicinia hac nostra, adeo seditionibus cuncta æstuabant, ut nullus non pagus sævissime armis perstreperet. Dum enim *Chunradus* impubis Sueviæ nostræ dux, Itali *Chunradinum* per contemptum appellant, parenti suo, prædicto videlicet *Chunrado* in regnis *Siciliarum Hierosolymitanoque*, hæreditario & acquisito, jure tunc succedere accingeretur, bella illi non tam varia quam ardua apud totam Italiam livore plus quam Vatiniano parata fuere, adeo ut quatuor Paparum, imo furiarum infernalium, inauditas insidias diutissime immeritoq; solus sustinere compulsus fuerit. Qua propter in patria potissimum commoratus, jam *Augstburgi* nostro, jam alibi de rebus publicis, proprioque infortunio, solerter consultabat.

Richardus & Alphonsus Imperatores.

Conradus Suev. dux.

Qua tempestate *Ludwichus* Bojarus, de quo jam antea commemoravimus, *Fridbergensem* recens adquisitam arcem anno Domini MCCLVIII. in despectum tam episcopi quam civitatis hujus nostræ, quam potuit firmissime exædificari curavit. Visus autem *Augstburgi* ab Orientali cœli parte cometa est, mense Augusto, & eo amplius, anno Christi MCCLXIII. & confestim anno sequente, cometa longus tribus ferme mensibus in cœlo nostris hominibus quoque est visus; atque senatus *Augstburgensis*, *Sifrido Welsero* præside, ultra debitam præfecturæ urbanæ curam, regis sui *Chunradi* ac *Ludwichi* Boji prachabiti protectionem, ampliusque præsidium, singulis annis trecentas nummum libras illis pendendo, tum contra *Hartmanni* episcopi iniquitatem & injuriosam præscriptionem, tam contra prædonum grassatorum & latronum, quibus omnia scatebant, vim ad triennii spacium sibi comparavit. Et quia *Chunrado* regi nostro, principi optimo & adolescenti, ad asserendam paternam hereditatem exteri procinctus fataliter omnino incumberent, iterum *Augstburgi* sub autumnum, anni Domini MCCLXVI. comitia pro pacificandis patriæ seditionibus celebravit, quibus interfuerunt, *Hainrychus Rheni* palatinus, avunculus *Chunradi* regis, *Fridrychus Austriæ* & *Styriæ* dux, *Hartmannus Badensis*, & *Hainrychus Burgavien sis Marckgravii*, *Mainhardus Tyrolis* & *Goritiæ*, *Rudolphus Habspurgi*, comites, una cum *Eberhardo Waldburgense*, *Constantiensium* episcopo, *Berchtoldo Falckenstainio Sangalli*, *Rudperto Burgbergero campidonense*, abbatibus, multisque aliis superioris Allemanniæ præsulibus, comitibusque. Et quia opus habebat *Conradus* rex alieno auxilio, idcirco pro comparandis majoribus belli nervis, cuncta sua per Germaniam vel mere divendidit, vel saltem pignori aliis dedit. Atque ita *Ludwichus* jam sæpe nominatus Bojus, itidem avunculus *Chunradi* nostri, XII. Kalendis Novembribus, plus pecuniarum, duo videlicet millia *Besium*, vulgus *Marcas* appellat, argenti appendens, *Laugingam*, *Werdam*, *Schongaviam* & supra narrata Sevica oppida, dudum oppignorata, irrevocabilis emptionis titulo, confectis in civitate nostra jam dicto anno tabulis, in solidum obtinuit. Porro eidem illi duci *Ludwicho* sexaginta urbes & oppida apud Germaniam securitatis ergo, in his turbis, confœderata jam erant. Sæpe dictus itaque *Chunradus* rex, mox hinc cum valido exercitu abiit in Italiam, properantibusque Parcis, demum contra *Ludwichi Galliæ* regis fratrem *Carolum Andegavensem* (qui jam a *Clemente* IIII. papa, utriusque *Siciliæ* & *Hierosolymæ* rex, sub anno quadraginta octo millium aureorum tributo, ac ne Imperatoris nomen etiam ultro

Comitia Augstburgi.

Conradi Suev. ducis obitus.

A. 1258.

A. 1263.

Conradus & Ludwichus Augustæ protectores.

A. 1266.

electus

electus a Germanis susciperet, stipulatione factus erat, atque *Manfredum* regem a suis desertum prælio in *Apulia* ceciderat) ad *Beneventum* male pugnavit, *Agasonisque* cucullo fugiens, apud *Asturam*, cæde *Ciceronis* nobilem civitatulam, *Frange panis* Romani militis proditione interceptus est. Ac post annum tandem in *Clementis* jam dicti pontificis Romani adjudicatione, *Ottockaroque Bebemorum* rege succenturiante IV. Kalendas *Novembris* alii *Decembris* volunt, anno Domini MCC
A. 1268. LXVIII. *Neapolis* in medio foro, una cum *Friderycho Badense*, *Austriæ* tunc duce, *Humbaimenseque* equite *Suevo*, tam indigne quam impie securi percussus, funestum nobilissimæ ejus familiæ apud nos fecit finem. Ab hoc
Augstburgenses in libertatem se asserunt. ce *Chunrado*, dum is undique & undique in angustiis positus foret, confestim & *Augstburgenses* cives, sese & sua quoque in libertatem ampliorem non parvo asseruere argento. Ac tali conditione a mera advocatorum civitatis suæ potestate redemerunt, ut in posterum sibimet ex suis municipibus ingenuus, nullo vel ducis vel præfectorum impediente præscripto, proprium senatum eligere, & civitatis curatores Duumvirosque libere creare possint. E quorum arbitrio communique consilio, totius reipublicæ suæ civilis gubernatio penderet, capitale tamen judicium maleficiorumque actiones, sicuti jam olim juris erat, irrefragabiliter apud Imperatoris vicarios, civitatis nimirum præfectos manerent. Quorum officium, ceu summum apud nos magistratum, hactenus Germani imperatores & illorum concessione Sueviæ duces, plerumque emeritis nobilibus, aliquando etiam potentioribus in colis patriciisque, non raro item ipsis episcopis nostris, præcio præcque ad lubitum contulerant. Unde omnibus haud levis servitus, perpetuæque contentiones oriebantur. Itaque cum nunc S. P. Q.
Consules sibi legunt Augstburgenses. *Augstburgenses*, ob fidelitatem maximam per sæpedictum regem *Chunradum* ultimum Sueviæ ducem, civitatisque suæ advocatum, quasi in integrum restituti, proprios sibi con-
A. 1266. sules ante biennium, *Hainrychum* videlicet *Schongoverum*, & *Luitbaldum Schroterum* per Vindicias creassent, ac pro civium suorum commodo, rempublicam administrare magnanimiter pergerent, dici non potest, quantam invidiam sibi apud vicinos, & eos, qui præfecturæ inhiabant, conciliaverint, præcipue vero miris technis varie exagitati sunt, quando vacante imperio, nulloque advocato superstite, episcopus noster cum Canonicorum suorum collegio, ab eo tempore sicuti alias nunquam non ubicunque terrarum pfaffi solent, omnem circumquaque jurisdictionem, in civitatem hanc, quo jure quave injuria usurpare satageret, sibiquemet inveteratis quibusdam, & illis vel nudis vel precariis præscriptionibus, dominium inter nos vendicare sedulo anniteretur. Donec tandem
Pactum cum Episcopo ineunt. imprudentes illi cives, egregie circumventi novum fœdus, socii securitatisque gratia cum *Hartmanno* episcopo, ipsiusque cathedrali capitulo, super advocatiæ administratione, ac mutuo præstando auxilio, IX. Kalendas Novembris, anni redemptoris MCCLXIX. privatim A. 1269. inierint, atque eo pacto, non tantum contra propiam libertatem illi obedientiam, & fidelitatem promiserint, sed etiam in futuri Cæsaris meri sui Domini præjudicium, ea cuncta in tabulas haud valde prudenter retulerint, adeo ut ni melior brevi affulsisset fortuna, plane se & posteros eo fœdere nexos effecissent, inque serviles conditiones præcipitassent. Utur interea ipsum *Hartmannum* plurima civibus *Augstburgensibus* pignori dare pudenda impulerit necessitas. Cæterum pridie Ka- A. 1270.
Ludwichum inter & Hartmannum fit pax. lend. Aprilis, anno Domini MCCLXX. pax ac concordia inter *Ludwichum* Rheni palatinum, & inter Episcopum *Hartmannum*, præsentia plurimorum nobilium hic est facto, quum jam diu de totius diœceseos advocatia, & civitatis nostræ jure contendissent: placuitque partibus, ut acta ea munirentur sigillis, ducum *Bojariæ*, Marchionis *Burgoviensis*, Episcopi & civitatis *Augstburgensis*. Enim vero A. 1271.
Episcopus ab Augustanis pecuniam mutuam accipit. sic is anno salutis MCCLXXI. tutelare in Judæos, per civitatem *Augstburgensem* commorantes, jus senatui nostro pro decem libris nummorum ad anni spacium oppignoravit. Et biennio post id vix evoluto, eidem senatui nostro cuncta quoque telonia vectigaliave, ad A. 1273.
portas civitatis hic exigenda, ad quinquennium certo precio, ac ea conditione concessit, ut sua familia tamen, reliquusque clerus immunes haberentur. Quæ versura cum ad satisfaciendum creditoribus præfixo, tempore nequaquam sufficeret, post lapsum terminum, eadem diutius nostris exercenda, liberam potestatem idem pontifex dedit.

Postquam autem deinde *Gregorius X.* pa- *Gregorii P. M. gesta.*
pa, apostolicæ sedi omnium optime prospiciens, anno Dominicæ incarnationis MCCL- A. 1272.
XXII. in concilio *Lugdunensi*, præsentibus DLX, omnis generis antistitibus, patribusque primus Cardinales defuncto pontifice maximo, in conclave aliquod, certo dimensu victus, tam diu concludendos, donec unanimi consensu alium eligant, statuisset, ac *Michaelem Palæologum*, qui pulsis *Constantinopoli* latinis, interfectisque *Theodori Lascaris* filiis, Græcis imperium Orientis ante XII. annos restituit, ac plus minus XXII. annis *Genuensium* auxilio regnavit, ad amplexandum Romanum dogma adegisset, denique *Alphonsum*, Hyspaniæ regem, placabilibus verbis ad spontaneam Romani imperii abdicationem persuasisset. Fertur munus quoque electio- *Gregorius confirmat VII. Electores.*
nis Augustorum Cæsarum septem solummodo selectis principibus, vitandæ dissensionis compendiique gratia commissum, ac non ita pridem inter Germanos instituendum, primus sua autoritate comprobasse, ratumque seorsim in rem suam habuisse. Atque ita demum septem viris illis serio demandasse, ut ecclesiæ Romanæ, Germanicæque nationi tandem consulentes, ordinarium caput orbi, regemque sibi pro more constituerent. Unde protinus Kalendis Octobribus, anno salutis

MCC

A. 1273. MCCLXXIII. *RADTHULFFUS Rudolphum* vulgus appellat, *Ergoviensis Habsburgi* comes, Cæsar *Franckfurti* absens, dum nimirum *Basilejam*, ob ejectos a *Pfitacis* stelliferis contra *Hainrychum III.* episcopum ibidem, obsideret, electus ac statim XV. Kalendas Novembris, alii VIII. Idus Januarii subsequentis anni volunt, *Aquisgrani* debitis ritibus inauguratus, & a *Syfrido Colonienſium* Metropolitano sacro *Caroli I.* diademate coronatus est omnium congratulatione. Alii ipsum prius *Lausannæ* pontificem Max. *Gregorium* convenisse volunt, ac ejus approbatione VIII. Iduum Januarii sequentis anni tandem inunctum. Porro *Radthulffus* iste, quia imperatoriam majestatem tanquam postliminio Germanis tandem restituit, toti patrio regno tranquillitatem exoptatissimam attulisse quoque, haud ab re visus est, quam dum ex officio pro sua virili ubique plantare & fovere studet, *Augstburgenſium* etiam Reip. consulturus, nam episcopatus ibidem *advocatiam*, vulgo *Casten Vogtam* dictam, jure suo jam ad se quoque invito clero receperat, *Berchtoldum* a *Mylhusa* advocatum præfectumque, provinciæ & civibus dare, anno domini MCCLXXV. mense Junio, dignatus est. Atque ita illos denuo tanquam verus pater patriæ, ab episcopi dominio, quod vacante imperio usucapione jam invaserat, affatim eruere, ac in tutelam suam liberalissime iterum recipere non est cunctatus. Nihilominus tamen *Hartmannus* episcopus subsequenti anno *Hainrychum Schongauerum* patricium *Burggrafium* suum hic constituit. Simul ac illi fratribusque ejus *Siboto* & *Johanni*, domos suas a civium jurisdictione, prætorisque nunciis, ad instar Canonicarum ædium, liberas esse jussit. Indemox idem ipse Cæsar *Radthulffus* frequentissimum Germaniæ principum conventum eo ipso salutis anno, videlicet MCCLXXVI. ad eandem civitatem nostram convocavit. In quo præterquam quod *Primislaum II. Ottocharum* cognominatum, *Bohemiæ* regem, *Hainrychum*, *XIII. Bojariæ* ducem electioni ipsius gravissimis accusationibus perpetuo refragantes, publicos hostes pronunciari ab Imperii senatu præsens obtinuit. Etiam S. P. Q. *Augstburgenſi*, quam primum illi *Luitbaldo Stolzhyrsio* consule, in verba ipsius in publico juxta *Marianum* templum, circo, alii in sacra area a tergo templi dicti factum volunt jurassent, non solum antiqua privilegia clementissime confirmavit, sed etiam quam primum sibi supplici libello humiliter exposuissent, se jura sua & definitivas seu judicialiter latas sententias quasdam, pro communi libertate in unum collegisse, amplioraque reposituros esse, statim, ut habet dyploma, mentem rectam, intentionem bonam, & petitiones desiderabiles fidelium civium intuens, illos favorabiliter exaudire, ac codicis ejus tam scripta quam scribenda, autoritate sua regia, maturoque principum assensu stabilire, rataque habere non dubitavit, liberaliorem insuper gratiam addens, eodem privilegio cavit, ne prædicti cives *Augstburgenſes*, de bonis, fundis & aliis possessionibus suis extra muros sitis, ullo jure advocatitio constringerentur, aut ulla servitia facerent. Adhæc speciali dyplomate optimus ille Cæsar, iisdem suis civibus concessit, ut omnes tam episcopo, abbati, præpositisque, quam canonicis hic famulantes ac subditi, quicunque in civitate illorum negotiari, atque merces vel vendere vel emere pergant, a nullis exactionibus pecuniariisve collectis exempti sint, sed æque ac reliqui tum inquilini, tum advenæ semper communia onera cum civibus subeant portentque. Quæ emunitates, indulta & privilegia solennibus tabulis consignata ac data *Augstburgi* nostro hoc ipso MCCLXXVI. anno, VII. Idus Martii sunt. Quin item quando jam summa diligentia idem *Radthulffus* Cæsar noster, certis conditionibus transactione inter clerum & cives de præteritis certaminibus fecisset, curavit ut ipsemet *Hartmannus* præsul noster, licet invitus, novo jurium municipalium, & receptarum consuetudinum civitatis codici subscripserit tandem, III. Iduum jam nominati mensis.

Radthulffus Imper.

A. 1274.

Berchtoldus Aug. præfectus.

A. 1275.

A. 1276.

Comitia Augstburgi.

A. 1276.

Majorum jurium codicem parant Augustani.

Diploma de exigendo a civibus vectigali Augst. burg.

A. 1276.

Continet autem codex ille civitatis, veteri & simplici *Suevorum* lingua in membranis exaratus, præter antiqua privilegia, provinciæ suæ civitatisque nostræ consuetudines, quibus aperte iterum solis civibus portarum claves potestasque, & campanæ pro classico canendo, sacro sanctæ custodia demandatur, omnium etiam civilium negociorum communem usum, simul ac pacis servandæ morumque statuta, una cum pravi rectique legibus. Diserte adhæc non modo imperialis præfecti ejusque prætoris munia, ab episcopalis *Burggrafii* jurisdictione discernebat, sed & persancte inhibebat, ne quis civium unquam posthac dictorum officiorum aliquod ambire, multo minus gerere auderet. Adhæc magistratus seu civitatis curatorum quatuor præcipuorum senatorum, quorum loco hodie silentiarii habentur, totius communitatis consiliariorum, Judiciique assessorum, partes, officia, debitaque juramenta edocebat. Denique totum politicarum rerum, manualiumque artificiorum ordinem, tam a *Christi* fidelibus, quam *Mosis* cultoribus, qui instar lolii inter triticum aliquot seculis *Augstburgi* quoque dispersi habitabant, hic servandum clare enunciabat. Et inter cætera monomachiam ad diluendas diffamationum notas, viris cum æqualibus armis, ad probanda vero per vim oblata stupra, Actrici lapide pugnum æquante, in peplum ligato, reoque viro umbilicotenus in terram defosso, cum querno cubitali fuste, tum admittebat, tum præcipiebat: Et pro perpetrati homicidii pœna, postquam cum cæsi amicis fuisset transactum, decem tantummodo *Rottwylenſium* nummorum libras, quæ sex nostrates libras, hoc est, sex argenti uncias valebant, mulctam reipublicæ ærario inferendam, præsentibus & fassis tali rigore irrogabat, ut si quis non haberet in ære, corio & crinibus puniretur, sicut & in aliis mulctis juris erat: Contra

Novi codicis contenta.

absen-

absentes vero & fugitivos, mirabiles juris consuetudines de vindicanda cæde, in diruendis culminibus aut januarum postibus domus rei præscribebat. Ad cujus *codicis, civitatis librum* vulgo vocant, præscriptum, cunctæ actiones, transactiones litesque dijudicari diu hic solitæ fuerunt, sicuti etiamnum hodie capitales sententiæ feruntur. Veterum norma jus dicendi. Nam cum perpaucis in hoc usque sæculum, apud nos imperialium legum scriptas constitutiones, normasque calluerint, omnes controversiæ tam in criminalibus quam civilibus causis, per Germaniam & præsertim per Sueviam nostram; & judicialiter & arbitrarie, ad æquum & bonum, A pro Scabinorum Julliciumque, virorum probitate & honestate spectabilium, captu discussæ ac decisæ sunt. Talisque modus in singulis imperialibus civitatibus, absque omni fere exceptione, mordicus ad tempora usque divi *Maximiliani I.* Imperatoris retentus fuit. Qui imperator, vulgatis istis consuetudinibus sua vetustate, adde & ruditate, ultro consenescentibus, ac reflorescente omnimoda suo ævo cunctarum artium ac disciplinarum cognitione, etiam scripti civilis juris praxim ad fora reduxit, sacræque cameræ tribunal germanicis negociis primus instituit.

Præfecti Augstburg. officia. Hoc est autem præfecti civitatis *Augstburgensis* officium munusque, quanquam ea subpræfecti seu prætores, plerumque obire, hodie soleant, judicia capitalia, injuriarumque actiones exequi, forenses lites inter cives quoscunque advenasque, in omnibus tam mobilibus quam immobilibus bonis, sive ea ἐμφυτευτικὰ sive allodia, sive etiam feudalia existant, singulis septimanis in publico prætorio dirimere, tres item per anni circulum in episcopali palatio, privatos Dicarum dies, speciali quadam prærogativa peremptorie edicere. Adhæc contractus, testamenta, legatarios, & obligatorias quascunque Syngraphas obsignare suo sigillo, vicuum, ponticulorum C & rivulorum, ne dicam cloacarum ornamenta procurare, nec non imperatoris vice, domi injustam pecuniam prohibere, pacem conservare, grassatorumque vim interdiu noctuque cohibere. Foris vero itinerum, præsertim autem præfecturæ provinciæ securitatem curare, sicuti & *Burggrafii* jurisdictio, solum in Judæos, psafforum famulicia, & quæ horum intra civitatis nostræ pomeria comprehenduntur, extenditur. Quem licet episcopus ab antiquo, suo quodam jure, civium judiciis præsidem addat, non potest tamen is ullam in civitate hac constitutionem facere, nec ultra quinque solidos, quorum unus duodecim nummulis, valebat, mulctam petere, nec debet alia hic, nisi Oenopolas, & osculeiita, quæ in foro prostant, præterea bilancium pondera, liquidorum & aridorum mensuras, æqualitatemque ulnarum administrare.

Fridericus redivivus. Cæterum ut historiam temporum absolvam, postquam fratrem discordia, per Cæsarem *Radtbulffum Bojaria*, nonnullo nostrorum periculo esset debellata, percrebrescebat tota quasi Europa, præsertim apud *Saxones* & *Thuringos*, varius & enormis de redivivo *Friderycho* imperatore rumor, qui cum cottidie magis ac magis incresceret, viresq; eundo acquireret, gentem sane hanc & urbem, pro genuina illorum curiositate, supra modum quoq; sollicitas reddidit, ac donec impostoris, *Tille Kolupp* dicti, a quo fama ea emanarat, *Wetzlariæ* crematus tandem sit, non parum contristavit clerum. Cumprimis autem magno dolore affecti principes sunt, cum per ea tempora *Nicolaus IIII.* pontifex summus, *Bononiam* cum tota *Flaminia*, exarchatumque *Ravennatensem* ab imperatore nostro emungens, novos reges apud Italiam, in Germanici regni contumeliam creare adniteretur. Sed secundo demum bello victo, ac ut habet antiquus versiculus:

Nec vi Suevorum, sed cæso fraude suorum,

Nicolai III. P. M. gesta.

VII. Kal. Sept. anni christiani MCCLXXIX. propE *Maxum* amnem, non longe a Marcheka, vel *Cistersdorffio*, supra memorato *Ottokaro*, qui *Austriæ* provincias prioris uxoris *Margaritæ*, a se intoxicatæ jure asserebat. Idem Impera- Comitia Augstburnati; *Ottokari* filio, *Boëmiæ* regnum locata illi filia sua *Guta* de novo in feudum concesB sit, & protinus regni Germanici principes *Augstburgum*, ad sequentem annum, quo *Siboto Stolzhyrsius*, ac *Hainrychus Schöngauerus* ad reipublicæ clavum hic sedebant, vinique & frumenti precium tam vile erat, ut vulgaris *olyræ* modius XXIIII. *avenæ* XVI. obolis vænierint, ad comitia venire iterum jussit. Quibus splendidissime concelebratis, propriis filiis, *Rudolffo* quidem *Sueviam* & *Elsatiam*, *Albrechto* vero *Austriam* & *Styriam*, precario gubernandas credidit. Interea *Verpi* hic, sicuti & per totam ferme Germaniam misere incivibus exagitati bonisque mulctati sunt.

A. 1279.

A. 1280.

Et quoniam ob plurium principum crebros Episcopum inter & Senatum de portoriorum actio. in civitatem nostram conventus, indies emolumenti aliquid ad indigenas rediret, occiperentque tum manualium artificum numerus crescere, tum omnis generis mercium nundinationes, lucra civibus undique afferre, cæpit ex ipse senatus cornua sumere. Etenim ubi ad *Werdachæ* amnis propter civitatem pontem, publicanorum cupiditas, tam incolas quam advenas, magis ac magis vexaret, usus fuit idem senatus, *Johannibus Gossenbroto* & *Vendo*, magistratum gerentibus, *Hartmannum* episcopum ea de injustitia liberius compellare, coque illum perduxit, ut e canonicorum suorum albo *Syfridum* ab *Algyshusa*, *Wolffhardum* a *Rhodto*, & *Marquardum* a *Berga* scholasticum deputarit, qui una cum selectis senatoribus, seniore videlicet, *Volckwino*, *Hainrycho Schongawero*, *Cbunrado Remboto*, *Cbunradoq; Notnagelio*, discordiam eam componerent, ac qualiumcunque mercium tolerandum vectigal, exactori certius præscriberent. Super qua re episcopale diploma, altera post festum *Jacobi Majoris*, apostoli die, mensis tempore, anni MCCLXXXII. confectum, in- A. 1282. dieque in archivis adservatur, in quo diserte civibus

vibus, & cumprimis laniis, & dein sacerdotibus, certa in singulos annos pensio, utpote dimidia libra piperis, vel duo armi, vel duo anseres pro redemptione portoriorum præscripta est. Quam transactionem ubi frater *Hermannus* Episcopalis pontium curator, injustius iterum violaret, statim *Rudolffus* Cæsar authentico rescripto, in civitate hac nostra, ultimo die Decembris, finientis ejus anni dato, penitus priorem compactionem abrogavit, mandavitque, ut singulis æqua lance penitatis, justa de novo telonii ad supra dictum *Werdachæ* pontem conderetur taxatio. Post ista, cum subin- A.
Judæorum juramenti forma. de in publicis judiciis, juramenta inquilinis Judæis a litigantibus essent deferenda, suspicarenturque semper nostrates, illa Apellas, pro sua perfidia, neque sancte recipere neque vere præstare, præsertim quod religiosiore verborum carerent forma, curavit senatus *Augustburgensis* misso cum literis pistore quopiam, *Herbipoli Wyrtzburgove*, ubi tum plurimi pseudo hæbrei habitabant, conceptum jurandi modum sibi afferri. Eum dicta civitas intra octavam *S. Martini* anno MCCLXXXV. talem huc præscripsit: Ut nimirum Judæus, a quo jusjurandum expeteretur, posita manu dextera ad pentateuchum *Mosis*, in ipsorum *Synagoga*, testaretur, *se tam bona fide veritatem in re proposita professurum, quam velit sibi deum adiutorem esse*, idque *se per legem, quam Deus domino Mosi in monte Sinai lapideis tabulis prose & omnibus Judæis dederit*, atque *per præsentes hos quinque domini Mosis jurare libros*. Quo anno item Cæsar *Rudolphus* ad
Comitia Augustæ. VIII. Calend. Jan. concilium regni Germanici *Augustburgum* convocat, in quo præter alia cum *Bojis* acta, etiam *Heinrico*, inferioris *Bojariæ* duci, ac *Rudolpho Saltzburgensi* archimystæ, acerrime dissidentibus, pacis leges sunt dicta. C

Quando autem *Otto* ab *Ulma*, Cæsareus ministerialis, *culinæ præfectum* fuisse multi ajunt,
Augustburg. cum prætore leges componuntur. jam annis plus minus decem, civitatis hujus præturam administrasset, habitans præcessorum suorum more in ædibus illis hic, quæ propter *australem* portam e regione angularis domunculæ ab *hirundinibus* dictæ, sitæ sunt, quasque posteri inhabitatores a *Ludovico IIII.* Imperatore, pro 80. argenti bessibus hæreditario pignore possidendas denuo acceperunt, ut annales quidam referunt, ac nonnunquam alios in locum suum substitueret, forensibus- D que actionibus se absente, præesse hic juberet, ægre ferentibus culpantibusque id civibus, non est veritus senatus civilis, ea in re illi satis contumaciter resistere. Quapropter ipsus Cæsar *Radtbulffus*, a dicto *Ottone* interpellatus, vehementiore ad totam *Augustburgensis* civitatis communitatem rescripto, quod *Spyræ* mense Decembri anno Domini MCCLXXXVI, da-
A. 1286. tum est, inobedientiam eam inhibere, ac cives in officio retinere adactus fuit.

Eodem anno certamen quoque haud incruentum inter *Sueviæ* nostræ satrapas quosdam, *Wertingæ* nonnullo nostrorum damno fuit, consopita item *Ludwichi Bojariorum* ducis inter-
Conspiratio adver- cessione tandem est ingens illa adversus *Rodulffum* Cæsarem conspiratio, qua non sine consternatione totius *Sueviæ*, ut interim sileam de reipublicæ nostræ trepidatione, *Badensis* Marchio, *Wirttembergenses*, *Tubingenses*, *Beblingenses*, *Montfortii*, *Tockenburgenses*, *Werdenbergii*, *Sabaudi*, *Kyburgenses*, *Regensbergii*, *Fürstenbergenses*, *Helffenstainii*, *Kyrchbergenses*, *Hochenburgenses*, *Sultzii*, *Lupffenses* comites, aliique nonnulli barones electo in regem *Chunrado* quarto, *Teccevsium* duce, obedientiam detrectare dicto principi ante decennium conati fuerant. Porro post Hartmannum episcopum SIGEFRIDUS IIII. de *Algishusa*, *Franco*, salutis MCCLXXXVI. jam enumerato anno, insulam pontificiam hic canonice, sed tantummodo biennio gestavit. Quo tamen & *Pfersshaymense* castrum, cum pagi ejus jure patronatus, episcopatui suo comparavit, & *Herbipolensi* synodo interfuit, quam *Honorius IIII.* papa Romanensis, egregius *Rudolffi* Cæsaris calumniator indixerat, in eaque per *Tusculanum* cardinalem *Ordeonium*, quartam partem proventuum, omnium in Germania ecclesiarum, ad integrum quadrienB nium, ab omnibus prælatis perfricta fronte postulavit, cui tamen solus probus *Tullensis* episcopus, religione *Minorita*, & natione *Tubingensis*, cæteris formidantibus, præsente Cæsare magno animo per modum appellationis contradixit. Fuit eo tempore hic canonicorum *Marmorum* decanus *Rudolffus Hyrnhoymensis*, quo etiam *Hartmannus Langemantellus* mense Januar. apud *S. Servatium* alimenta hospitiumque in perpetuum pro 125. libris nummariis hic emit, ac quasi alter fundator xenodochii illius habetur. Ipsus autem *Sifrydus* domi, III. Kalendas Julii mortuus est.

Cui protinus, XVI. die Augusti quidam vo- A.
lunt, uterinus frater *Wolffhardus* a *Rhödt*, *Suevus*, jam antea ecclesiæ hujus major præpositus, & *Moguntinæ* metropolis, admodum nummosus Canonicus, quadragesimo quarto loco per annos duodecim suffectus est. Hic initio statim civibus dominari, omniaque fere civitatis jura denuo sibi vendicare aggressus est: Sed intercedente *beato*, ut vulgo dicitur *Chrysostomo*, ab iniquo & odioso eo destitit propolito. Dein a *Rudolffo Bojariæ* duce, tum ad *Lechi* fluenta, tum ad *Fuessam*, propter *Gaisbergensis* arcis structuram, ac *Schwabecensem* arcem ditionemque, quas occupaverat, immo propter episcopatus advocatiam, tam diu una cum civitate hac quoque debellatus est, donec cum omni clero suo illi confæderari, patremque illius, *Ludwichum* scilicet Palatinum *Rhenensem*, tanquam interregem ac diœceseos suæ tutorem & advocatum agnoscere dignum duxerit. Postea multa coë- A.
mens, inter quæ *Schænecca*, *Syfridsberga*, *Eggenthala*, *Pfaffenhusa*, *Hattenberga*, & nonnulla alia cum attinentiis connumerantur, redimensque adhæc arcem *Hopfam*, cum parochia *Seggense*, diluensque prædecessorum suorum contracta debita, septem videlicet millia librarum *Augustburgensis* monetæ omnino,

episco-

Imperatorem Lapis 4.

A. 1286. *Sigefridus III. Epis. XLIII.*

Rudolphus Teut. Cathedr. Pontif. Rudolffus Hyrnhoymensis.

A. 1288. *Wolffhardus Epis. LXV.*

A. 1291. *Episcopi munificentia.*

episcopatum *Augustanum* habitiorem reddidit. Interfuit etiam provinciali synodo, quam *Gebhardus* archiflamen *Moguntinensis*, anno
A. 1292. MCCXCII. *Aschaffinaburgi* magna frequentia celebravit. *Wolffhardus* præterea nolter, nonnas dominicani cultus, ab amne *Myndela*, in civitatem hanc, concessa illis mendicandi tantummodo licentia, nam ante *Franciscum* & *Dominicum* neque mendica religiositas, neque religiosa mendicitas, inter christianos lauda-
Nonnarum ad S. Margaritam translatio.
A. 1298. data aut tolerata fuit, anno MCCXCVIII. ad *S. Margaritam* transtulit. Quo loci nunc Xenodochii publici boaria villa, extinctis vetustis illis, circiter annum redemptionis humanæ MDXL. Senatus decreto constituta est.
A. 1240. Adhæc idem episcopus, *Sibotum Stoltzbyrsium* agnatorum procerum vi atque potentia ad *S. Ulrychum* quadriennio intrusum abbatem, ægre deponere ac *Hainrychum Hagnatium*, qui tamen post viginti tres annos, quibus invitus præfuit, ob prodigalitatem, osorum culpa itidem abrogatus est, tricesimum abbatem inibi anno dominico MCCXCII. rite consecrare potuit, constituto tamen jam dicto *Syboto* monasterii custode. Cæterum anno salutis
A. 1299. MCCXCIX. corruit sero vesperi hic, in ipso *S. Urbani* festo, *Moritianum* templum, citra ullius hominis læsionem. Tandem ubi bonus pastor etiam de patrimonio suo villam *Rhodt* omniaque mobilia bona ecclesiæ suæ tradidisset, octava die post *trium Magorum* festum, anno MCCC. obiit.
Sibotus Ulrichianus abbas XXIX. Hainricus V. Ulrich. abbat XXX.
A. 1300. Sub hujus præsulis ætatem, anno videlicet Domini MCCXC. concessione *Nicolai IIII.* papæ, qui tertiam regulam *Francisci*, quam etiam conjugati observare possunt, confirmavit, ac neminem post se, nisi de sua secta, nempe *Franciscana*, pontificem Romæ fiendum meditatus fuit, *Minoritæ* primum *generale* ordinis, sui *capitulum*, sic enim *conventicula* sua reverentius appellant, in Germania celebrarunt, in quo triginta tres *provinciales*, & septingenti *Guardiani*, *ducum* & *Tribunorum* nomina apud illos sunt, *Strasburgi* convenisse annales testantur, tam cito lolia in tritici agro
Generale Franciscanorum Strasburgi capitulum.
A. 1290. pullulant. Anno item MCCXCIII. electus est
A. 1293. *Fridrychus* comes *Zolrensis*, primariæ nostræ ædis præpositus, in episcopum *Constantiensem*, contra *Hainrychum Klingenbergensem*. Verum cum schisma id in bellum aperte vergeret, maluit *Fridrychus*, accepto argento, corriyali cedere, ac *Augstburgi* in utramque aurem securius dormire, quam alibi negociis
Fridericus maj. ædis præpositus.
A. 1298. durius implicari. Porro *Hainrychus* de *Lauginga* quartus ad *S. Crucem* apud nos præpositus, anno salutis MCCXCVIII, ordinatus, rexit cænobium id quadraginta sex continuis annis provide. Successit item *Hermannus Hartmidius Chunrado* in præpositura *Georgiana* hic anno eodem.
Hainricus Crucianus præpositus IV. Hermannus Georgianus præpositus IV.

Age vero ad civilia gesta redeamus. Cæpta sunt anno Domini MCCLXXXVIII. eorum primum & nomina & prænomina, qui civitatem *Augstburgensem* apud præfectum, qui præsentibus ad minimum duobus senatoribus, municipalia jura advenis conferre tunc temporis solebat, vel prece vel precio de novo consecuti essent, certum in altum adeoque privatum catalogum, senatus jussu ab archigrammatæo hic conscribi, vocatus is vulgo *civium libellus est*.
A. 1288. *Cives in album conscribuntur.*

Inde Cæsar *Radtbulffus*, postquam *Lucensibus* & *Florentinis* apud *Hetruriam* libertatem decem & octo aurcorum millibus, probante *Honorio IIII.* Romanense papa, non sine imperii indignitate, ante tres annos jam vendidissent, denuo *Augstburgi* nostro ad annum salvatoris MCCLXXXIX. concilium principum Germanici regni cogit. In quo supra memoratum *Albrechtum* filium, *Austriæ* & *Styriæ* ducem, perpetua successione, contra *Bojorum Tyrolensiumque* allegata, solenniter investivit, mereque instituit. Simul ac *Hainrycho Bojariæ* duci *Rudolffoque*, *Saltzburgensi* archiepiscopo, inter esse ob *Mülldorffium* finesque digladiantibus pacis leges dixit. Et quanquam prosperrime non modo senatus nostri patritiorumque autoritas, *Siboto* sive *Sebaldo* a *Mülen* urbano prætore, *Albrechtoque* comite *Hochenburgense*, provinciæ *Augstburgicæ* præfecto, subinde adaugeretur, verum etiam vulgi libertas cum artificiorum numero pulchre increscret: Nihilominus tamen *Wolffhardus* episcopus, prædecessorum suorum more, ex irrita quadam possessionis continuatione, omnia civitatis hujus jura ambitiosissime iterum asserere ausus fuit. Donec facta, anno Domini MCCXC. Aprilis decimo sexto die, concordia, non parvam pecuniæ summam a civibus acceperit, ac ab eo jure, quod in portas urbis habere prætendebat, omnino cesserit, illisque antiqua privilegia & præcipue vectigalium apud portas exactionem, & indebitum de vino, quod vulgo *Ungelt* dicitur, eo modo & conditione denuo salva permiserit, ut & sua familia, & totus clerus ab hisce immunes manerent, haud aliter atque præteritis annis a præcessoribus suis eisdem civibus concessum fuerat. Interea fatorum livore senatoria domus prætoriumve in monte *Berlachejo*, non exili reipublicæ detrimento, sive incuria habitantium, sive aliena fraude incensa, ac una cum ædiculis Canonicorum vicini *S. Petri*, funditus quoque exusta est. Cæciditque XXVIII. die Maji, eodem anno, apud nos altissima nix, *Sebastiano Herwartho* & *Ottone Hurlochero* duumviris civilibus. Quo anno item *Judæis* hic habitantibus a senatu, in vigilia *S. Nicolai* peculiare lavacrum tali lege concessum est, ut neminem alium hominem sive inquilinum sive exterum, eo quam sui generis lotum admitterent, sub pœna quinque solidorum nummi ex æquo tum prætori tum reipublicæ solvendorum. Id illi ab abbatissa *Stephanina* compararant, situmque fuit ad primum *Lechi* post Xenodochium in urbem influxum, hodieque corvinum balneum vocatur. Est item eodem tempore ab Urbano Senatu, & saltatoria domus *Verpis* hic ex gratia privatim permissa. Curia vero civium e vestigio ac sedulo, reipublicæ expensis, tumultuarioque opere, reædificari cepta, intra sequiannum pro more ejus sæculi ad usus publi-

Lites inter Suarum & Episcopum compositæ.
A. 1289. *Comitia Augstburgi.*
A. 1290.
Incendium
Judæis peculiare lavacrum concessum.

cos absoluta plene est iterum. Altero ab hoc
A. 1291. anno, nonis Julii, cum S. P. Q. *Augstburgensis*, vulgus *parvum* & *magnum consilium* nuncupat, denuo inter sese, de numero, electione, atque autoritate senatorum, de suffragiorum valore, de judicii securitate ac reverentia, denique de cogendi senatus per anni circulum, tum modo, tum tempore, benevole pariter & amice matureq; convenissent. Constitutionem etiam fecerunt perpetuo duraturam, ut quicunque civium ad festum *candelarum*, in senatorium ordinem rite cooptatus sit, nullo pacto id renuere declinareque possit. Aut si omnino obedire nolit, mulctam X. librarum nummi in promptu ad fossarum civitatis structuram numeret, liceque per sequentem annum tantum immunis sit. Addiderunt insuper municipalium civitatis legum codici, sub præfecti Burggrafiique consensu, novellas quasdam constitutiones, quæ lites de hæreditatibus, de fidejussoribus, & vadimoniis, deque fugitivis debitoribus, amplius concernunt, prout semper ex malis moribus bonæ leges enatæ sunt.

Novarum legum latio.

Radtbulffi Imp. mors.

Dum ista sic apud nos geruntur, ecce Imperator *Radtbulffius*, princeps comis & religiosus, B qui innata prudentia, nunquam *Italiam* adire propter sui coronationem, æsopico apologo monitus voluit, quique primus chirographa & literas, teutonica lingua exarari tunc primo cæptas, sigillis roborandas statuit, sublatis communi patria, præsertim *Turingia*, prædonibus, postquam undecies, quaterdecies multi volunt, collatis signis, strenue prælia præsens commisisset, pridie Kalendas Octobris, jam septuaginta tres annos natus, in *Elsatiæ* oppidulo *Gemersbaima*, ex hectica febre mortuus, ac *Spyræ* sepultus, anno Christi salvatoris
A. 1291. MCCXCI. omnium luctu est.

Hainrichus Augstburg. protector.

Quamobrem statim *Rudolffius Bojariæ* dux; C *Ludwichi* palatini ex *Anna Polonia* ducissa, secunda uxore, filius, omni arte persuadere initio, ac dein etiam superbius contendere, ab *Augstburgensibus* perrexit, uti se parentemque suum *Ludwichium*, tanquam interreges susciperent. Ast cives spretis *Bojis*, *Hainrychum Burgoviæ* penultimum marchionem cujus homonymo nepote sine mascula prole demortuo, marchionatus is *Fridrycho* Austriæ duci cessit, sibi in protectorem ad instar advocati accersiverunt. Quod cum male *Bojos* haberet, crudele bellum vicinis movere aperte cæperunt; quo memoratus dux, ad angustias D alpium prope *Lechum*, ad perdomandos hostes, arcem firmissimam extrui curavit. *Augstburgenses* vero erumpentes, junctis *Wolffhardi* præsulis sui, cum quo tamen de superiore magistratu & præcipue de jure clavibusque portarum civitatis suæ, non leviter contenderant paulo prius, copiis, confestim *Koltenbergam*, alii *Kattzbergam*, *Gaisbergumve* nominant, novam eam arcem ceperunt, & ejectis præsidiis solo æquarunt. Et ita diu atrociterque belligerantes, utrinque sese infestis pugnis confecerunt. Quoad adventante in filii auxilium, a Rheni provinciis patre, pax hinc inde

Bellum cum Bojis.

Ludwichus Augst. burg ad. vocatus.

talibus pactis sancita sit, ut nimirum demolita arx, non reficeretur a *Bojis*, captivique omnes utriusque partis incolumes dimitterentur, denique ipsius *Ludwichus* Palatinus, advocati immo interregis muniis, per totam *Augustam* diœcesin, ac per civitatem *Augstburgensem*, jure suo perfungeretur. Quod quam primum osculo pacis, ac tabularum & sigillorum testimonio confirmatum, ac utrinque ratum esset habitum, societas iterum inter vicinos, qualis inæqualibus solet, coaluit.

Interea temporis ETTAHULFFUS, *Ettahulffus Imperator.* A qui alias *Adolphus* appellari consuevit, *Nassoviæ* comes, Cæsar Romanorum apud *Francfurtum* Mœni, mense Januario, anno salutis MCCXCII. præcipuis *Gerlaci* archi- A. 1292. episcopi *Moguntini* & astu & opera, unde & vulgo *pfafforum rex* est dictus, intercessione que *Columnensium* renunciatus, nec diu post *Aquisgrani* a *Syfrido Colonienſe* archiepiscopo, coronatus, in annum sequentem, imperii principum conventum percelebrem *Augstburgi* fieri edixit. In quo præter alia A. 1293. acta, supra dictum *Ludwichum Rhenanum*, *Comitia Augstburgi.* jurisjurandi religione, ab adversariæ conspirationis suspicione, purgare sese coëgit. Ac acceptis publice juramentis, civitatis nostræ veteres prærogativas omnes *Augustali* dyplomate benignissime, *Hainrycho Langenmantello* & *Cbunrado Eulenthalero* duumviris asseruit. *Syfridum* denique a *Pbalbaima* civibus prætorem, provinciæque advocatum, ut nonnullis placet, hic constituit. Cæterum ante annum hunc, *Rudolffius* supradictus *Bojariæ* dux peramplam suam curtim cum horto, ac *S. Severini* fano, extra *Marianam* portam hic sitam, pro parentatione anni versaria *Volckmairo Furstenfeldensi* abbati dono dedit, unde ea cognomen accipiens, posthac C *Furstenfeldensis curtis* est dicta, quam senatus noster, devotionis ergo, a publico censu, certamen lege immunem fecit. At cum ea posterioribus sæculis in manus, *Rabboldorum*, ac ab his in potestatem, *Rhelingerorum* devenisset, ab hæredibus ipsorum sibi comparavit, inque publicum granarium anno Domini MDLVI. A. 1556. converti curavit. Anno autem MCCXCIIII. A. 1294. *Johanne Schongawero*, *Berchtoldo Byschlino*, civitatis magistratum administrantibus, donata est respublica *Augstburgensis* a Cæsare suo immunitate nova, ne scilicet cives hinc ad ullum exterum judicem, præter advocati prorii tribunal, quacunque de causa in jus vocari debeant. Et ut de omnibus tam in civitatem hanc invehendis quam evehendis rebus debitum vectigal ad singulas portas hic senatui solvatur. Atque deinrogatione *Wolffhardi* episcopi, totiusque *Marieni* chori, senatus decretum id in vigilia *S. Jacobi*, eodem anno, edito per consuetum tintinnabulum classico, promulgatum clero & civibus est. Quo in dandis & recipiendis syngraphis illis contra Usurarios titulos prospicitur, qui ex pactis & censibus, ad dies vitæ suæ tantum, usum fructum habeant, fuitque totus hic annus siccissimus.

Furstenfeldensis curtis in publicum granarium converti.

Privilegium de Austgustanis ad alienum judicium haud rapiendis. it. de portorio a cunctis exigendo.

At

Rebilia inter Augustanos & Rudolphum Bojum.

At cum non multo post ista, præhabitus *Rudolffus* paternorum pactorum oblitus, ex *Vindelicis* in *Rhætos* arma converteret, *Augustanumque* præsulem de novo debellare petulantius occiperet: vix summo nisu, civium furorem, dum episcopo suppetias strenue ferebant, vique vim repellere animosissime satagebant, avertere potuit. Donec cæsaris inhibitione, ne latius serperet, paucorum mensium induciis, continuo circumscribi malum illud meruit. Interim tamen memoratus dux, non exigua *Augustburgensium* civium molestia, *Mergetheimam* per *Chunradum Haldenbergensem*, clanculum adorsus occupavit, & tandem in despectum episcopi VII. Idus Octobris dirui jussit. Quare finitis mense sequenti datis induciis, mox *Augustburgenses* nostri, supradicti *Hainrychi Burgovici* limitis præfecti, propugnatoris & defensoris sui, conductitio ductu, sociisque *Zollrensibus* comitibus tum *Oberthalam*, quam *Bojus* nuper admodum emerat, intercepto *Kymergero* præside, per insidias, numeratis incendiariis octo aureis, evertunt, tum *Fridbergam* vicissim quoque obsident. Quam cum expugnare nequirent, eo quod *Rudolffus* auxiliariorum copiis, sua etiam non segniter defensaret: Tandem se domum, omnibus juxta incensis, cum exercitu receperunt. Quanquam interea temporis multa hinc inde damna insonti plebeculæ & deprædationibus & incendiis instanter sint illata, quoad Cæsar *Ettabulffus*, civibus favens, de novo mandata pace inducias, sed eas quam brevissimas edixerit. Quibus evanescentibus dum *Rudolffus* ad Rhenum, pro augendo milite, esset profectus, statim *Wolffhardus* episcopus *Augustburgensesque* cives, sub

A. 1296. medium Januarium anni Christiani MCC XCVI. oppidulum *Pyel*, sive *Bychelem* invadunt, idque non sine Vatiniano inter *Wilden Rhodtenses* ac *Rorbeckios*, odio, misere exurunt finemque certaminum totiusque ejus belli, Cæsare iterum pacem partibus imperante faciunt.

A. 1297. *Augustburgenses & Rudolffus fœdus percutiunt.*

Sequente dein anno, *Leutbaldo Schroterо* & *Hainrycho Rytschardo*, civitatis nostræ curatoribus, validissima fames tum *Augustburgi*, tum in tota vicinia viguit factaque nobilium *Bojariæ Sueviæque* aliquot, adversus sæpe nominatum principem *Rudolffum* tanta rebellio est, ut is tum reipublicæ nostræ, tum episcopo nostro *Wolffhardo* confœderari, *Berchtoldi* a *Reblinga* persuasione non dedignatus ad tempus sit. Post hæc gesta, postquam Cæsar *Ettabulffus Arelatense* regnum a *Philippo* IIII. *Gallorum* rege, animose repetiisset, *Flandriamque* armis concutiisset, cæpit diu suppressus erumpere dolor. *Albrechtus* enim *Austriæ*

Albrechtus Ettabulffum Imp. vincit.

dux, & *victoriosus* & *monoculus*, cognominatus, quem tota *Augustburgensis* civitas ante septennium hic *Monachio*, tantum non extorrem progredientem, haud aliter quam jamjam designatum patris *Radbulffi* in imperio successorem, omine honorificentissimo ad se exceperat, jam ex professo regnum ambire, atque

A. 1291. anno Dominico MCCXCVIII. innumerum exercitum per *Bojariam* adversus sordidulum pauperemque Cæsarem *Ettabulffum*, *Ulmæ* tunc forte, post bella *Misnica*, hærentem, educere accinctus fuit. Cui cives *Augustburgenses*, Majo mense, *Fruximum Freysingamve* usque legatos obviam miserunt, qui demisse, ut antea se illum ad urbem suam, armata manu deducturos, arroganter sane pollicti essent, jam accessum ipsius eo deprecarentur prætextu, ne videlicet tanta diversarum nationum turba, nam copias ex *Ungris*, *Rasciis*, *Sclavonibus*, & *Bohemis* contraxerat, transeundo agrum ipsorum, vix dum a superioribus cladibus respirantem prorsus conculcarent, pessundarentque. Quo impetrato, posteaquam is in territorio *Wormatiense*, non procul *Altzhaima*, inter *Gillenhaimam* villam, & cœnobium *Rosenthalam*, in leporino colle, VI. nonas Junii imperatorem *Ettabulffum* incautius, occurrentem, prælio occidisset, protinus idem AL-

Albrechti Imperator.

BRECHTUS, omnium electorum principum suffragia, *Francofurti* iterum, nam superiore anno in ipsa præcursoris Domini nativitate ca-

A. 1297. in conventiculo adversus *Adolphum* congregato, *Oppenheymæ*, sive, ut alii volunt, *Moguntiæ*, insanis promissis a nonnullis comparat, obtinens, *Aquisgrani* ad festum *Jacobi Majoris apostoli*, eodem hocce anno, Cæsar a *Wichbaldo Coloniense* archiepiscopo coronatus est; præsente fororio suo *Wenceslao II. Bohemiæ* religiosissimo rege, oppressoque a turba *Adelbrechto Saxonum* duce. Cum autem postea sepulto adversario *Spyræ*, bonus princeps non haberet, unde solvendo esse posset, ipsiusque Romanus pontifex *Bonifacius*, illum regia sede deturbare in primis cuperet, subitam rebellionem in imperio & periculum non leve expertus est.

Hac seditione omnia ea telonia vectigaliaque, quæ a morte *Friderychi II.* Imperatoris in præsentia usque tempora instituta fuerant, in odium archiepiscoporum, Palatinique Rheni, per Cæsarem abolita & antiquata per Germaniam sunt. Ac dum liberæ civitates per totam *Sueviam* (cui terræ jam dictus Cæsar, imperata inviolabiliter servanda pace, *privatas leges*, quas vulgo *provinciale jus* vocant, ad quod infringendum, nec ipsum papam, posse leges ferre, expressis verbis cautum est, non tam de novo tulerat, quam multis jam sæculis receptas confirmaverat) a partibus *Albrechti* starent; statim *Augustburgenses* mandato illius *Schwabeccense* castrum, anno salutis *Schwabeccensis castri expugnatio.*

A. 1299. MCCXCIX. vel veterem ob iram, prompta obsidione clauserunt, inque ipsius Cæsaris dictionem brevi, sed non incruente redegerunt. Pro cujus servitii recompensatione, illico Cæsar urbi nostræ cuncta privilegia *Noribergæ* luculentissime confirmavit, *Augustalibusque* literis & sigillo roboravit. Quo tempore *Judæi* hic commorantes, anxie trepidarunt, ac difficulter, non exili pecunia securitatem a civibus impetrarunt, ne sibi accideret, quod in *Franconia* & *Norico*, & postea quoque ad

Rhenum reliquis suis gentilibus, vulgi furore, *Rindflaischi* cujusdam incitamento obvenerat.

Cæterum novo hoc sæculo ab incarnatione
A. 1300. videlicet Christi servatoris MCCC. anno, fuerunt *Augstburgo* curatores, civitatis ex patritiorum albo dati, *Rogerius Langenmantellus*, & *Chunradus Eilenthalerus*. Sub quibus *Greinboldus fœdus cum Augstburgensibus init.* *Greinboldus* a *Reblinga*, mutuum fœdus ad biennium cum Repub. nostra, Julio mense, tali pacto iniit, ut videlicet arx sua *Schervecca* pro quacunque necessitate, civibus libere pateret, ac vicissim sibi cuncta civitatis nostræ jura concessa forent. Atque mox inde affinitatem etiam cum patritia nostra gente filio suo *Hanso* contrahens, *Rhelingerorum* familiæ primus propagator hic extitit. *Ottomannus Turcarum Imper. I.* Reliquis ita se recte apud nos habentibus, ecce *Ottomannus Oguisius Orthogrulai* filius, prædandi & prælandi peritissimus homo, suppressis seditione commilitonibus magnum apud *Saracenos* nomen nactus, primus *Turcarum* imperator, erepta christianis *Bythinia*, in *Asia minore*, *Natolia* vocata jam, est factus. Simul ac post fata *Wolffhardi* episcopi *Degenbardus* Baro de *Helenstaino*, & *Haidenbayma*, *divi* apud *Augustam* nostram *Moritii* præpositus, nepos ex *Degenhardus Episc. XLV.* sorore *Hartmanni*, superioris præsulis, eodem
A. 1300. anno quadragesimus quintus antistes hic a Canonicis eligitur. Cujus pontificatus initio statim, sub *Hainrycho* de *Neudinga* primario sacerdotum decurione, jejunium in festo *S. Marci Evangelistæ*, ob subitaneos mortalium quorundam apud nos interitus, perpetuo statuto peragi primum apud Diœcesim hanc institutum & ceptum est. *Primum Jubilæum Romæ celebratum.* Plurimi item homines hinc Romam ad Jubilæum, christianis hactenus ignotum annum, & a papa *Bonifacio IX.* (qui sextum decretalium scandalis confertum librum imperiosissime hoc ævo edens, non modo utriusque gladii potestatem, sed & vacantium quorumcunque beneficiorum ecclesiasticorum collationem sibi ac posteris asseruit. Galliæque regnum contra Philippum IIII. Albrechto Cæsari, jam sibi per satisfactionem reconciliato, ultro contulit, in summa intravit, ut vulpes, regnavit, ut leo, mortuus est, ut canis) Ethnico modo, loco sæcularium ludorum ad centesimum quemque annum, de novo institutum, sub spe mercedis remissionis peccatorum inaniter profecti sunt. *Conradus maj. ed. præpositui.* Quo anno item successit *Fridrycho Zolrensi*, *Chunradus Rechbergensis* in præpositura ædis mojoris hic. Ipsus vero *Degenbardus*, qui prædecessorum suorum, puta *Hartmanni* & *Wolffhardi*, libertates quasdam, ac privilegia civitati *Augstburgensi* concessa, tabulis liberaliter confirmarat jam, post septimum episcopatus sui annum, V. Kalendas Decembris, domi animam exhalavit.

Interea cives *Augstburgenses* anno Christi
A. 1301. MCCCI. *Hermanno Hollo*, & *Hainrycho de Fussa*, urbis suæ curatoribus alii imperii civitatibus juncti, *Schongaviam* non sine multo vicinorum damno, propter impeditam commerciorum securitatem obsederunt. Atque inde etiam communi deliberatione, quia non omnia pro ingruentibus bellis, firma satis hic tutaque viderentur, curarunt a septentrionali ora, novam urbi suæ portam, cum pomerio prope *Werdachæ* pontem validissime construi. Simul ac totum illud cum *Georgiano* monasterio fossato circumdari, valloque propriis impensis muniri. Quin item intercessione *Albrechti* Cæsaris sui, obtinuerunt eodem anno ab *Hainrycho* II. *Ursinense* abbate, liberam ratium & arborum per *Werdachæ* districtus ejus fluenta trajectionem vecturamque in perpetuum. Id quod & triennio post *Hermannus* ab *Agawanga* iisdem civibus per
A. 1304. *Hildtolffingensem* pontem quoque Kalendis Februariis concessit.

Post quæ facta, cum anno Domini MCCCII.
A. 1302. *Chunradus* a *Ramschwago* urbis & provinciæ *Augstburgensis* advocatus sive præfectus esset, atque soli optimates, duodecemvirali aristocratia, *Hainrycho Schongawero*, & *Berchtoldo Bytschlino* civitatis curatoribus, rempublicam hic præclare administrarent, adhæc non parum multi ex civibus ob virtutem militari baltheo forent cincti; inter quos *Hainrychus* a *Pfetten*, *Johannes Langenmantellus*, *Hainrychus Snellmannus*, & alii quidam patritii erant, dici non potest, quanta admiratione omnium in se oculos illi converterint.

Sequente enim anno, *Chunrado Langio* &
A. 1303. *Hainrycho Briolo*, duumviris, postquam *Petrus* ingeniuus a *Rorbachio*, prætoris civilis officium apud nos a præfecto suscepisset, statim etiam Cæsar senatum *Augstburgensem*, non tam arbitrum, quam consultorem *Machthyldæ* sorori suæ, matri *Ludwichi* futuri Cæsaris, *Bojariæ* ducissæ, adversus *Rudolffi* alterius filii ingratitudinem delegit. Quo in negocio summam ille fidem hospitalitatemque, nam *Machthyldis Augstburgum* sese tunc receperat, cum laude præstitit. Quo anno item Senatus consultum, in ipso *divi baptistæ* festo, sub pœna sempiterni exilii, factum est: Ne quis civium consulis sive Burgimagistri munus, quod nescio quid tyrannidis in concives præ se ferre, aut ipsam etiam præturam, quod Tribunorum plebis potestatem præsupponere videbatur, apud nos vel ambire, vel affectare præsumat. Cæterum hoc ipso anno, Senatus civium, *Degenbardo* episcopo, datis tabulis sigillo reipublicæ roboratis, se omnes conditiones ac jura Ecclesiæ ipsius legaliter observaturum, in recompensam confirmationis concessarum libertatum, repromisit.

Deinde anno redemptionis humanæ MCCC
A. 1304. IV. gesserunt reipublicæ hujus curam *Georgius Ludfrydus* & *Johannes Langenmantellus*, miles deauratus.

Anno autem salutis MCCCV. cum duo
A. 1305. *Chunradi Bytschlinus*, videlicet & *Minnerus*, duumviratum civitatis *Augstburgensis* administrarent, commissa a sæpedicto Cæsare tum provinciæ, tum civitatis ejus præfectura est *Ulrycho* comiti a *Helffenstaino*, sub quo cum

Nova munimenta condunt.

Scitum de non ambiendo Consulatu.

Ulrichus præfectus.

non

non parum multa, indies propter cleri insatiabilem libertatem, fisco publico, decedere hic viderentur, persancte a senatu nostro sub medium mensis Julii, annuente Cæsare constitutum est: Ne quis tam civium quam aliorum inquilinorum quidquam de immobilibus bonis fundisque ad intra mœnia nostra sitis, *spiritualibus* sic *sacerdotes omnis generis & ordinis* tunc vocabantur, vel venderet, vel legaret, vel etiam perpetuo censuo obnoxia redderet, oppigneraretque etiam nec pro redimendis animarum justis. Quo anno forte cæpit *Sybotus Stoltzbyrsius* senior, magistri civium honorem *Augstburgi* nostro, ceu novam dictaturam, non tam inani fastu, quam plebejorum exitiosa conspiratione, non solum ambire, verum insuper creatis Tribunis, plus quam tyrannice contra patritios gerere. Unde tota Respublica turbata diu, tandem præfecti auxilio, tum dictum *Sibotum*, tum homonymum, alii *Luitholdum* legunt, ipsius filium, uxoremque *Rychenzam*, una cum *Hainrycho Zwainkirchero* illorum complice, in die *S. Magni* confessoris, qui est quintus septembris, civitate lata sententia proscripsit, & in perpetua sæcula extorres esse decrevit. Quin & senatus consultum paulo pridem factum, iterum in omnibus ordinibus duraturum sanciit, ut videlicet nemo inquam civium, sub simili pœna, idem attentare, aut ut tribunum magistri inter artifices crearentur, populo persuadere in urbe hac posthac ausit, sed omnibus sub præstito juramento adnitendum, ut Duumviris salvus inter cives magistratus, patriciisque sua semper authoritas maneat.

Sibotus res novas molitur.

Senatus de non creandis Trib. pl.

A. 1306. Anno incarnati verbi MCCCVI. *Rudigero, Rogeriove Langenmantello & Ottone Kraffto, Augstburgensis* civitatis curatoribus, constitutus huc in supradicto provinciæ nostræ præfecto, prætor sive subpræfectus est, *Haimychus* ab *Hattenberga*, concessitque *Albrechtus* Cæsar Reipublicæ nostræ privilegium, XVI. Kalendas Aprilis *Ulmæ* datum, ut bona immobilia & domus, quas clerici hæreditate hic consecuti essent, intra anni spacium solis civibus venderentur. Item ut eadem & facultates aliæ, quæ civitati tributariæ publico censu, *Stuiræ* vocato, hactenus fuissent, ac ad ecclesias vel sacratos homines, quocunque titulo pervenissent, sub ejusdem fisci annali censu inconvulse permanerent, sub pœna confiscationis: Adjiciens insuper, ut bona quæcunque, nunc extra *Steurum* existentia, ad eam vel hæreditatis seu venditionis, aut alienationis titulo devolverentur, perpetuo posthac, sicut alia civium propria tributum solvere teneantur. Quia vero *Beginarum* numerus magis superstitiose quam utiliter in hospitali *S. Spiritus* apud nos crevisset, statutum senatu adstipulante, ab *Ulrycho Schefflerio* tunc temporis ibidem magistro, & fratribus hospitalariis est, ut non plures posthac, quam quatuor velatæ mulierculæ ad inserviendum ægrotis reciperentur, nisi si quæ ingenuæ matronæ, propriis impensis illic religionis ergo victitare vellent. Quod statutum *Hainrychi Rittscharti* & *Rudigeri Langenmantelli* domus ejus procuratorum precibus, V. Junii civitatis sigillo communiri meruit. Evictum præterea pro tribunali, contra *Chunradum Langium*, qui *Lechaussam* ab episcopo in beneficium acceperat, viginti tribus testibus est, cives suburbiorum nostratium, ab hominum memoria semper hactenus jumenta & pecora sua, cis *Lechum Werdachamiqué* a superiore *Lechi* ponte ad eum usque angulum, ubi ambo, jam dicti fluvii concurrunt, sine omni impedimento ad pascua deduxisse, in cujus rei fidem præfatus *Langius* tabulas civibus suo sigillo firmatas dedit.

Privilegium de clericorum bonis civibus reddendis.

Statutum de hospitalis mulierum numero.

Actus libertatis vindicatio.

Humato autem anno Domini MCCCVII. *Degenhardo* præsule, mox *Friderychus* spectus de *Turnegga*, sive, ut alii scribunt baro a *Vaihinga*, intra mensis spacium successit, ac viginti duos annos *Augustæ* episcopus extitit. Hic primo anno conseltim Canonicis suis, Vicariisque sacerdotibus templi summi libertatem de bonis ipsorum ante mortem testandi & disponendi ad voluntatem dedit. Et biennio post, donavit sub finem Augusti mensis, propter annuas animæ suæ inferias, jus patronatus parochiæ, quæ est hic ad *S. Stephanum*, una cum *S. Galli* sacelli collatione, *Agneti Munsterlinæ*, abbatissæ ibidem liberali diplomate. Dein licet parsimonia cunctos præemineret, prigritiæ suorum mystarum tamen prospiciens, quatuor in summa basilica *provisorum*, quos sic vocant, autor fuit, alii confirmatorem saltem harum a capitulo ordinatarum præbendarum faciunt. Confirmavit item sorores tertiæ regulæ dictas de *Congregatione minore Dillingæ*, primusque adeo parochias suæ diœceses, concedente non frustra *Johanne XXII.* papa, hinc inde canonicis incorporare, & peculatus ecclesiarum abusum, quem *Absentias* appellant, fieri indulsit. Porro prænominatus *Johannes* Papa, patre veteramentario sutore in *Gallia* natus, *Clementi V.* a quo *Clementinarum* sacrilegus liber, in conciliabulo *Viennensi* est editus, quique quod *Vasco* esset, sedem pontificiam *Avinionem* transtulit, denique ossa & mortuorum sanctorum reliquias, ter maxime venerandas sanciit *Avinionis* succedens pontifex, locupletiss[illi]me, & ex dissidio regum Romanorum, Italiæ tantum non merus dominus est factus, atque *Annatarum*, nec non reservati in beneficiis inventor fuit. Et quanquam defunctorum animas, ante extremum judicium nullas in cœlo esse crediderit, primus tamen pro salutanda *Deipara* virgine tintinnabula quocunque die ter pulsanda instituit. Sub nostro autem *Friderycho* hoc, *Johannes Honoldus*, civis *Augstburgensis Rayshaimæ* decimus tertius abbas magno, familiæ suæ commodo est factus. Ac *Hainrychus Ulrychiani* apud nos cœnobii prior, novus *Ursini* abbas, ab eodem *Friderycho* episcopo constitutus, dein ad *Fuessense* monasterium quique abbas promotus est. *Eberhardo* item successit *Ludwichus* decennio, in præpositura apu-

Hainrichus prætor.

Actus libertatis vindicatio.

Friderichus Episcop. XLVI.

Johannis XXII. P. M. gesta.

apud *S. Georgium* in ſuburbio hic. Idem etiam *Friderychus*, epiſcopus noſter, confirmationis diploma *Vultenbachenſi* cœnobio, a *Burgavienſe* Marchioniſſa virgine paulo prius fundato, tanquam verus protector illius, anno Domini MCCCX. conſcribi juſſit. Sunt tamen, qui initia *Vultenbachenſis* cœnobii *S. Victorbo* Epiſcopo noſtrati inſcribant. Et poſtquam ambitioſiſſima *Templariorum* factio, qui albis veſtimentis rubram crucem aſſutam geſtabant, per Galliam totamque Germaniam, etiam *Lucelburgenſis* Cæſaris nutu, ob colluſiones, quas cum *Saracenis* & in *Ægypto* & in *Syria* habebant, ſibique inter chriſticolas tantum non novum imperium parabant, *Jacobo Molago Burgundo*, ordinis ſive militiæ ejus ſupremo magiſtro, extirpata jam foret, eorundem cultus ac habitatio quam vix dum quadraginta tres annos tenuerant, in meditullio ferme civitatis *Auguſtanæ*, circiter annum Chriſti MCCCXII. *prædicatoriis* monachis, quos *Dominicus Calaguritanus Hyſpanus* ante centum fere annos, contra *Humiliatarum, Gazarorum & Patarenorum* in Italia ſectas, mendica religione mundo obtruſerat, quosque *Innocentius* Papa conceſſis immunitatibus poſtea confirmavit, primum, prædicti epiſcopi conſenſu tandem aſſignata eſt. Qui monachi, dum papa Romanenſis *Ludwichum IIII.* Imperatorem violenter excommunicare cœpiſſet, prout utilitas invitabat, nunc pontificiis, nunc imperatoriis rebus ſtudentes, cum tamen *Franciſcani* & reliqui omnes per civitatem hanc clerici, firmiter decreto principum, pro Germanico Cæſare ſtarent, tantum non loco excidiſſent novello. Anno dein MCCCXIII. factus eſt poſt *Syfridum Wittliſingenſem*, qui & *Moritiani* templi, quod demum omnino reſtauratum ſequente anno *Fryderychus* epiſcopus in die *S. Mathæi* devote conſecravit, & eidem *Chunradum* comitem de *Schelklinga* præpoſitum confirmavit, præpoſitus fuerat; *Craffto* de *Fliglinga*, vulgo *Krapff* dictus, Canonicorum cathedralis eccleſiæ decanus hic. Anno dein ſervatoris MCCCXV. accepit primum a ſæpe dicto epiſcopo noſtro confirmationem, congregatio illa tertiæ *Franciſcanarum* regulæ *Beginarum*, quæ hic ad *ſtellam*, e regione *Cordigerorum* eſt, eidem ſectæ monachorum eſt. Quanquam jam dudum devotæ quædam mulierculæ, collatis in medium patrimoniis, pro ſui juſtificatione domum eam inhabitare, ac ita a fraterculis perſuaſæ, privatam pietatem illic colere occeperint. Sequente ab hoc anno *Suigherus* de *Mindelberga* poſt *Rudolffum Hyrnhaimium*, ſummæ ædis hic præpoſitus eſt factus a papa. Anno autem MCCCXXI. totum Marianum Auguſtæ templum, ſupra vetuſta intercolumnia, teſtudine altiſſima eaque lateritia, integi cæptum, & vix toto decennio piorum oblationibus ſtipeque abſolutum eſt. Quo anno & *Burckhardus Federus* civis, anniverſarias inferias ſtipemq; eleemoſinariam non parvo ſumptu ad *Marianum* templum animæ ſuæ hic ſundavit. Et *Carmelitarum*, qui apud rude noſtrum vulgus *noſtræ dominæ fratres* appellantur, manſio delubrumque ad *divam Annam* prope *Geggingenſem* portam, civium liberalitate a fundamentis condi epiſcopique admiſſione coli cæpit. Horum cucullatorum ſecta circa annum ſalutis MCCIIII. ab *Alberto Hieroſolymitano*, patriarcha in *Aſia* inchoata, ac *Honorio IIII.* papa concedente poſt octuaginta duos annos per *Europam* primo diſperſa eſt. Anno dein MCCCXXIIII. Dominico, ante feſtum *aſcenſionis Chriſti* die, exuſtum rurſus hic eſt *Ulrychianum* monaſterium, *Marckwardo* de *Hagele*, prædicatorii ordinis nonacho, tricelimo primo, & per agnatum epiſcopum decem octoque annis vi intruſo abbate. Triennio poſthæc, *Craffto Neidlingenſis*, juris um doctor, *Udalrycho* ab *Aichaima* in ſummæ ædis præpoſitura hic ſucceſſit. Cum interea temporis, dormitante patrefamilias, variæ & miræ hereſes feminatæ, tum per *Bohemiam* tum per *Auſtriam*, ut *Hyſpanias* talium paradoxorum ſemper fertiles prætereamus, in agro Domini pullularent, quarum profeſſores aſſeclæque utriusque ſexus a Dominicaſtris ad ignem infinito numero abrepti ac condemnati ſunt. Cæterum *Johannes Langenmantellus*, auratus eques, proprium ſacellum ſibi in ſe pulturam, ac in eo ordinarium ad ſacrificulum, in *Mariano* cæmiterio ad latus tenebroſorum gradium fovearumque fundavit, quæ ſtatim *Friderychus* epiſcopus II. Idus Maji, anno MCCCXXIX. tabulis conſignatis confirmavit.

Et hactenus eccleſiaſtica. Nunc ſtilum iterum ad civilia dirigamus. Anno Domini MCCCVIII. Duumviratus magiſtratum inter *Auguſtburgenſes* cives gerebant *Berchtoldus Byſchlinus* & *Johannes Schongowerus*, ſive, ut alii legunt, *Schœneggerus*. Quo tempore demum urgentibus ſic imo ultionem, de occiſo a ſe Cæſare, quærentibus Parcis, *Albrechtus* Cæſar lætus admodum per civitatem hanc noſtram, una cum *Johanne* ex fratre *Rudolffo* nepote, ſimul ac *Ludwicho Bojio* ex ſorore *Machthylda* itidem nepote, tranſivit ad *Helvetios* ſuos, (apud quos nova illa populi contra tyrannos conſpiratio, quam hodieque *Schwytzerorum conjurationem* ſive *jusjurandum* vocamus, ob *Wilhelmi Telli* audaciſſimum apud *Uraniam* facinus, *Wernhero Stoffachero Suitenſe* inceptore, ac *Ærnio Underwaldenſe* ſocio, nuperadmodum tam non infeliciter, quam plauſibiliter libertatis ergo occeperat, cujus confœderationis tamen tabulæ anno Domini 1315. die Martis poſt *D. Nicolai* feſtivitatem demum conſcriptæ & ſigillis communitæ ſunt) ac mox Kalendis Maji, dum jam ſecundam in Bohemos adornaret expeditionem, ex improviſo ad veteris *Vindoniſſæ* ruinas in *Ærgovia* a præfato *Johanne Auſtriæ* duce, decimo imperii anno, cum duodecies acie dimicaſſet, diriſſime, *Rudolpho* a *Worta* & *Ulricho* a *Palma* Conſiliariis prædicti *Johannis Auſtrii* impias manus adhibentibus, interfectus eſt, eo quod illi paternam hæreditatem, in *Sueviæ* nimi-

Templarii bona ſua Auguſtburgi cedunt monachis prædicatoriis.

A. 1310.

A. 1312.

A. 1313. *Syfridus Templ. Cathed. Decanus IX.*

Craffto Templ. Cathed. Decanus X.

A. 1315.

A. 1316. *Rudolffus & Suigherus maj. æd. præpoſiti.*

A. 1321.

Ædem ad D. Annam condunt Carmelitæ.

A. 1204.

A. 1324. *Marquardus Ulrichianus abbas XXXI.*

Ulrichus & Craffto maj. æd. præpoſiti.

A. 1329.

A. 1308.

Albrechti Imp. cædes

A. 1315.

nimirum ducatu, non modo non reddere, sed tanquam puerum irridens, ferto placare, loco ducalis tiaraæ conatus fuisset. Sepultus autem initio, apud *Wettingam* prope *Badam* ab *Elisabetha* conjuge est, quæ statim erecto in loco cædis tuguriolo monasticam illic vitam transigere cæpit, ubi paulo post *Agnesa*, *Ungriæ* regina vidua, filia ipsius amplum & amænum pro *Franciscanis* utriusque sexus monachis claustrum fundavit, *Königsfeldam* vocatum. Ipse vero occisus Cæsar sequente anno, *Hainrici* successoris in imperio mandato *Spyram*, sicut & *Adolphus* Cæsar tunc demum quoque translatus, regium monumentum obtinuit. Sub hoc Cæsare *Otto Landsbutensis* *Bojariæ* dux, a *Pannonibus Ungriæ* rex est electus; & *Rudolffus Austrius*, *Sueviæ* dux, postque eum *Hainrychus Carinthiæ* & *Tyrolis* princeps *Boheimiæ* reges sunt dicti.

Hainricus Imperator.

Quamprimum autem post parricidium hoc HAINRYCHUS VII. *Lucillohurgensis*, *Kalendis Novembribus*, alii *Idibus Octobris* volunt, prædicti anni; a *Petro* de *Achtsbald* medico quondam suo, jam vero ex *Basileënse* episcopo *Moguntinense* archiflamine facto, qui post biennium etiam *Johannem* Imperatoris filium, *Cæcum* cognominatum, *Bohemiæ* regem conubio factum, *Pragæ* mense Februario coronavit, suffragante *Baldwino Trevirensium* Metropolitano, fratre candidati, Romanorum Cæsar, in villa *Rhen*, *Rhens* vocata, propter *Miltenburgum* dictus, ac in anni sequentis *Epiphaniarum* festivitate, *Aquisgrani* de more a *Friderycho Rolantzeneccio*, archiepiscopo *Coloniense*, coronatus esset, adversus *Rheni* flumen, *Sueviam* petens, tum comitem *Oetingeïsem Schrimpf* dictum, cum *Eberhardo Wirttenbergense* comite debellavit, tum principum imperii comitia, non tam de concordia Germaniæ, quam de restituendis Italiæ provinciis, prædecessorum inertia vel amissis vel divenditis *Augstburgi* mense Martio laudabiliter solertissimeque celebravit. In quibus etiam emunitates antecessorum Imperatorum civitati nostræ jam olim concessas, clementissime ratas esse voluit, honestissimeque illustriores reddidit. Adhæc provinciæ urbique eidem *Chunrädum Kyrchbergensem* comitem præfectum designavit, qui mox pro fienda justitia, *Chunrädum* de *Buichs* prætorem, ac subpræfectum suum huc substituit. Eodem ipso 1309. anno, erant *Augstburgi Allwichus Stoltzhyrsius*, & *Marquardus* de *Langinga* Reipub. Duumviri, sub quibus, in die *S. Ottomairi*, qui est decimus sextus Novembris, senatus *Augstburgensis*, panes primum ad certa statuæ pondera, pro frigidæ aquæ natura, ac pistoribus conferi vendique, serio decreto mandavit, quos eius ætatis Latini *batitios panes* vocarunt. Veniebat forte tunc publico foro magnus modius, quem, a *vase tripede*, vulgariter *Schaffium* indigitamus, *tritici XVIII.* solidis, *Siliginis* vero XIII. Atque ex hac æstimatione jam subductus est calculus, ut *similagineus panis*, quem *semellam* vocant, libram unam & dimidiam ponderans, uno nummo prostare potuerit.

Comitia Augstburgi.

Conradus præfectus.

A. 1309

Decretum de pane ad certum pondus vendendo.

Postea anno redemptoris Christi MCCCXII. concredita ab ipso Imperatore civitatis ac provinciolæ nostræ præfectura, *Diethego* comiti a *Castello* est, quam is annos plus minus viginti summa erga cives fide, candoreque in Imperium inculpate administravit, ac prædictum a *Buichs*, iterum locum tenentem suum hic ad minus octo annis esse permisit.

Diethego præfectus.

Dein ipse Cæsar *Hainrychus*, posteaquam anno salutis MCCCXI. in *Epiphania Domini*, *Mediolani* ferream coronam, tanquam rex *Langbardorum*, ab archiepiscopo *Cassovo Türriano*, & inde die *Petri* & *Pauli* Romæ in ecclesia *Lateranense*, quod *Ursini Basilicam apostolorum* armis prohiberent, a purpuratis flaminibus imperiale & aureum diadema recepisset, denique *Clementi* V. pontifici Maximo, qui Italiæ urbes, imperium agnoscentes, temporibus interregni Papis obedientiam debere statuit admodum impudenter, in Gallia exulanti, servo videlicet servorum, ipse princeps principum, sacramentum dicere contra majorum morem religionisque Christianæ libertatem, esse merito judicasset. *Robertum* tunc *Neapolis* & postmodum *Ungriæ* quoque regem, dicti papæ instinctu, hostem infidiosissimum nactus, leges eas de crimine læsæ majestatis, ac de rebellibus, quas Itali odiose *Extravagantes* vocant, solenniter pariter ac glorioſe *Pisis*, ubi *Johannem Austrium Albrechti* Cæsaris cæsorem in claustrum monachorum tanquam perpetuum carcerem concluſit, anno MCCCXII. tulit: Exantlatisque tandem toto quinquennio, quo contra *Gallici* regis technas imperavit, pro *Europæ* commodo, non vulgaribus laboribus XXIIII. Augusti mensis die, anno redemptionis humanæ MCCCXIII. apud *Beneventum Hethruriæ* oppidum, ex dysenteria mortuus est, quem morbum ex intoxicata eucharistia, indito nempe sacræ potioni polline *Adamantino*, in festo Assumptionis divæ virginis a vernaculo suo confessore, *Bernhardo Senense* dominicastro monacho, *Florentinorum* subornatione, quibus propter contumaciam potestatem reddendi jura abstulerat, contraxerat, sepulchrumque *Pisis* altero demum anno in metropolica basilica obtinuit.

A. 1311. *Hainrichi Imper. in Italia gesta.*

A. 1312. *Hainrichi Imperatoris.*

A. 1313.

A. 1317.

Cæterum anno MCCCXIII. prædicto, per totum autumnum fames & pestis usque ad bruman, non parum multos mortalium apud *Augstburgum* nostrum populariter sustulere. Cumque ab obitu jam membrati Imperatoris inclytissimi quatuordecim ferme menses interregnum, periculis refertissimum, in Germania foret, Respublica *Augstburgensis* tempori inserviens, *Bojariorum* amicitiam non imprudenter aliis principibus prætulit. Quo anno cometes terribilis usque in sequentem annum quatuor ferme menses arsit.

Interregnum per XIV. menses.

Itaque cum post insolitum interregnum Kalendis Septembribus anno Christi MCCCXIV. Imperii electorum major pars, initio LUDWICHUM *Bojarum Franckfurti*, *Oppenhaimæ* multi

A. 1314. *Ludwichus IV. & Friderieus Fridberi Imperat.*

multi volunt, pars minor *Friderychum Austrium*, cui *Pulchro* agnomen, quique consobrinus, alii amitinum volunt, competitoris fuit, *Bonnæ* non sine indignissimis licitationibus factionibusque pestiferis Cæsares Romanos legissent, illeque a *Petro* superius nominato, *Moguntino* archipræsule, sub medium Octobrem *Aquisgrani*, hic vero ab *Hainrycho Virnburgense*, Colonienſium archiepiscopo, VI. Idus Decembris, itidem *Bonnæ*, coronati essent, maluit *Augstburgensis* civitas *Albrechto Gossembroto* & *Johanne Illsyngo*, duumviris, *Ludwichi* IIII. vicini Cæsaris dicto fideliter ac debite inhærere, quam aliorum principum A minitantia, arma, aut etiam pontificis maximi diras bullas exhorrere revererive. Adeo, ut, ubi *Friderychus Austrius*, *Caroli Roberti* antedicti *Ungriæ* & *Siciliarum* regis redempto auxilio, in *Sueviam Esslingam* usque contra corrivalem pugnaturus veniſſet, ac frater ipsius *Leutbaldus*, cui *gloria militum* nomen, quique postremus omnium ducatus *Sueviæ* titulum usurpavit, hostili agmine ab agro *Spyrense*, per transversam *Sueviam* non procul hinc, *Lycum* minabundus quoque trajeciſſet, *Bojariamque*, haud sine municipum nostrorum damno, vastasset, perpetuo magis legitimum B principem suum juvare, quam socios injuria afficere, studium atque operam adhibuerit. Quin item octo illos continuos annos, quibus duo illi reges de rerum summa inter sesemet digladiabantur, ac varios hinc inde de potestatis concordia tractatus, non tam acriter quam astute tentabant, cives *Augstburgenses* una cum totius *Sueviæ* civitatibus, præter *Ulmam*, quæ semper singularis esse studet, a partibus *Ludwichi* Cæsaris nunquam non candidissime steterint. Quapropter civitas hæc nostra a clementissimo eo Cæsare, & antiquarum emunitatum confirmationem facile obtinuit, & peculiares alias, easque tam præclaras C gratias luculenter desuper impetravit, ut ex eo tempore magis atque magis ad obsequia grata alacrior reddita, non parvas nec paras ad laudem imperii Germanici expensas facere cunctata sit. Cujus rei I. dyploma *Ingelstadii* V. Idus Januarii anno Domini A. 1316. MCCCXVI. conscriptum ac datum civibus *Augstburgensibus* est. Quod dein, eodem anno, duo electores imperii principes, utpote *Petrus Moguntinensis* archiepiscopus & archicancellarius per *Germaniam* VIII. Iduum Martii, *Baldwinusque Trevirensis* archiepiscopus & archicancellarius per *Galliam* VII. Iduum ejusdem mensis, *Nurmbergæ* in comitiis, re- D cognoverunt, ac autoritate ipsis congrua adprobarunt legatis Reipublicæ nostræ.

A. 1318. Anno Domini MCCCXVIII. fuere post *Johannem Apoteckerum* & *Ulrychrum Rytschardum* civitatis nostræ curatores *Bartholomæus Welserus* & *Berchtoldus Rhenus*.

A. 1319. Anno sequente, eundem magistratum apud nos gesserunt *Rudigerus Langenmantellus* junior, & *Chunradus Stoltzhyrsius*.

A. 1320. Cæterum per hos tumultus, locarunt anno salutis MCCCXX. *Hainrychus Byschlinus* & *Hainrychus Barchus* urbani ædiles hic publicam salis tabernam, *Wernhero Drechselio*, in annum, centum libris obolorum, sub quibus in publico civium censu, de qualibet libra nummum, unus nummus persolutus est, fuitque quidam *Goldochsius*, *Stuiræ magister*. Circiter quæ tempora factus est præfecti autoramento prætor civitatis nostræ *Wilbaldus* a *Stauffa*, vir integræ erga *Ludwichum* Cæsarem fidei.

Anno Christi MCCCXXII. duumviri Augst- A. 1322. burgi inter cives dicti sunt *Hainrychus Stoltzhyrsius* & *N. Minnerus*, commissoque tandem *Friderieus capitur.* sexta expeditione *Syfridi Suneppermanni Algrensis* ductu, ad *Ampfingam* prope *Nabburgum*, alii apud *Gundersdorffium* volunt, prœlio succubuit præhabitus *Friderychus* rex in prato, latissimo, cui hodieque nomen ab *inimicitia*, die Vechwysen manet, XXVIII. Septembris die captusque ab *Albrechto Rindmaulo* est. Quem *Bojus* victor inde in arce *Trausnitia* tres cum dimidio annos arcta custodia usque ad plenam cessionem detinuit. Cæterum propter victoriæ hujus seriem, senatui *Augstburgensi* certo nunciatam, aliasque explorationum expensas, numerati *Eberlino Monachiensi* octuaginta obolorum libræ sunt. Continebat autem eo tempore libra una obolorum decem solidos, solidus vero tres nummos sive sex obolos. Et in summa XXX. oboli puriores monetæ pendebant dimidiam unciam argenti.

Anno Domini MCCCXXIII. pronunciati A. 1323. reipublicæ curatores *Augstburgi* ex patritiis *Augustani Imperatori suppetias ferunt.* sunt, *Hainrychi* duo, alter *Portnerus*, alter *Bachus*, sub quibus dum *Ludwichus Cæsar*, capta *Lauginga*, primo vere *Burgaviam* ejusdem nominis marchionatus in vicinia oppidulum, cum arce, jamjam *Austriacis Burghardo Ellerbachense*, castellano parens, majore impetu quam successu oppugnaret, non dubitarunt & cives nostri permagna cohorte, commilitio illi, utut *Avinionis* VIII. Iduum Octobris, impius papa pium Cæsarem execraretur, imperioque privaret, quam animosissime, sed non citra suorum ab *Ellerbachensium* familia illata damna, interesse, adventantibus tamen *Leopoldi*, *Austriæ* ducis, ex *Helvetia* præsidiis, fuga sibi consuluere, subque hyemem æque ut alii frigide domum rediêre nostrates.

Anno salutis MCCCXXIIII. *Johannibus* A. 1324. *Hojeno* & *Portnero* duumviris, donavit *Lud- Privilegium de via libera.* *wichus* Cæsar civibus *Augstburgensibus* privilegium, ut cunctæ quaqua versum per totam *Bojariam* viæ, ad salis vecturam aliasque merces, semper illis libere paterent. Sed & senatus plebiscito in profesto S. *Jacobi Majoris apostoli*, firmam legem sancivit, ut si quis unquam nocendi vel civibus vel canonicis causa quacunque arte vel clam vel insidiose, in civitatem hanc irrepserit, a nemine hospitio excideretur, aut ullo favore foveretur, sub pœna, qua faciens & consentiens æque plectendi sunt. Renovatum item sub pœna amissionis totius municipalis juris, antiquum illud statutum

Augstburgense, a partibus Ludwichi IV. Imp. stans.

Imp. Ludw. Augstburgensium antiqua privilegia confirmat, novaque addit.

Tabernæ salinariæ locatio.

tum est, quo penitus prohibetur, ne quis civium vel subpræfecti vel Burggrafii apud civitatem hanc munia peteret aut gereret unquam. Estque interea bellum inter Cæsarem & Austrios, *Hainrycho Carentano* duce arbitratore, apud *Ulmam* compositum atque plane sublatum. *Gossenbroti* patritii ædes item e regione sani *Leonartini* in medio civitatis fortuito igne exustæ hic sunt, id quod ex actis præcise 100. annis, si computus non fallit, iterum quoque factum est.

A. 1325. Anno a nativitate Christi MCCCXXV. fuere civitatis nostræ curatores, *Hainrychus Schongawerus* & *Berchtoldus Byschlinus*. Anno A

A. 1316. Meschiæ Veri MCCCXVI. *Hainrychi* duobus, nempe *Bytschlino* & *Herwartho*, duumviris, erant *Augstburgi* nostro ædiles urbani *Rudigerus Langenmantellus* & *Ulrychus Ravensburgerus*.

A. 1327. Anno a nato Servatore MCCCXXVII. dati sunt *Augstburgi* civitatis curatores *Hainrychus Stolzhyrsius*, & *Rudigerus Langenmantellus*. Ac non diu post Cæsar *Ludwichus* in Italiam profectus ultima Maji a *Guidone Tarlato* live *Petramala*, *Aretino* episcopo, ferream coronam *Mediolani* pro decoro accepit, in templo divi *Ambrosii*. Et capto *Gallatio* vi- B ce comite, *Wilhelmum Montfortensem* comitem *Insubriæ* præfecit.

Ludwichi Imp. in Italia gesta.

A. 1328. Anno subsequente, quo iterum ambo *Hainrychi*, *Portnerus* videlicet ac *Bachus*, duumviri nostrates erant, redimitus idem *Ludwichus* Cæsar cum conjuge *Margarita Hollanda*, aureo diademate XVI. Kalendas Februarii, in *Vaticano* almæ urbis Romæ per *Stephanum*, *Sarram* ac *Columnium* & *Jacobum Sabellum* Cardinales, præsentibus Romanis principibus pontificibusque, ut Imperator est. Et post quatuor menses, depositio jam ex communi Germaniæ principum, nec non *Parisiensis Pragensisque* scholarum consilio, *Johanne* C *XXII.* qui apud *Gallos* hærebat, ac grande nefas ac hæresim esse censuit, si quis Christum & ejus apostolos nihil in hoc mundo possedisse affirmarit, creato item *Petro Remalutio Corbariense Minorita* in pontificem maximum, quem *Nicolaum V.* appellavit, in eadem urbe in *apostolorum basilica*, ut verus Augustus inunctus consecratusque devote denuo a suo Papa est. Sub quo principe claruit *Ulrychus Hangenor*, vir jure consultissimus, ac patritius *Augstburgensis*, qui cum ob prudentiam rerumque multiplicem usum, imperatoris *Scrinio* foret *præfectus*, vulgo *cancellarium* vocant, noluit in patriam ingratus haberi, verum D quanta potuit sedulitate illius & honorem & libertatem asseruit.

Nicolaus V. Papa.

Tali itaque modo revertente post enumeratas ceremonias novo imperatore ad Germaniam, donata est universitas civium *Augstburgensium*, ob fidei integritatem, devotam constantiam, & ut dyploma habet, propter gravia damna, quæ pro defensione honoris jam dicti imperatoris paulo antea subierat, præter antiquorum jurium, libertatum, consuetudinumque laudabilium confirmationem, etiam hoc splendidissimo privilegio, XXIIII. die octobris anno salutis MCCCXXIX. A. 1329. *Cremonæ* sub aurea bulla, confecto datoque, sollicitante *Chunrado Gollenhofero* patritio nostrate & imperiali aulico, ut scilicet pro debito imperatoribus censu tributoque, non amplius, ut hactenus usus postularat, quingentas, sed solum quadragintas nummi libras, quotannis fisco appenderet. Item ut nullo unquam tempore posthæc, cum, una de honorabilibus & principalioribus Germanici regni colonia sit, ab imperio avelleretur, abalienaretur, oppignerareturve, multo minus vendeturve: præterea, ut ingenui & discretiores ipsius cives, haud secus ac alii imperii fideles ministerialesque in quibuscunque civilibus consistoriis, judiciisque assessores esse, ac sententias dicere, æque ut alii nobiles, & Vasalli citra recusationem impedimentaque possent. Adhæc ut res ipsorum naufragiis, incendiis, seu ruina evasas nemo cujuscunque vel status vel conditionis, invadere, rapere, aut qualitercunque sibi usurpare, consvetudine, quæ *Grundtrur* dicitur, vel quacunque alia non obstante sub pœna proscriptionis Imperialis præsumat. Denique ut ad nullum exterum vel forum vel judicium citari trahique, sed coram provinciæ suæ civitatisque præfecto, in ipsorummet urbe convenire cives debeant. Quo anno etiam a civibus hic in publico censu pro qualibet libra nummorum, duo nummi Quæstoribus urbanis, nescio quarum expensarum causa, persoluti sunt majoris senatus decreto.

Vertente dein Salvatoris Jesu MCCCXXX. A. 1330. anno, *Udalrychus II.* a *Schönegga*, ab *epistolis*, *Cancellarium* vulgo appellant, *Bojarici* nostri imperatoris fidelissimus, Papisque *Avinionensibus* infensissimus, ex quibus *Johannem XXII.* in epistola quadam bestiam e mari ortam, inscio & forte non intelligente *Ludwicho*, cum inexpiabili ejusdem bestiæ exasperatione compellarat, præsul *Augustæ* legitime factus, nusquam a pontifice maximo confirmatus est, ac sexto episcopatus sui anno, in fata concessit. Hic capitali sui consensu, cujus tum decurio erat *Hermannus* a lapide, legum Doctor, Cæsari suo castrum *Eschenlochum* pagum *Murnawiam*, *Staffelseeum*, & aliquot his vicinas ecclesias, anno Domini MCCCXXXII. A. 1332. vendidit. Sub quo *Rudolffus Hyrnheimensis*, post *Rudolffum* a *Hochenbusa*, præpositus popularium *S. Mauritii* mystarum; Ac *Eberhardus* de *Bernhausa* episcopalis *Burggravius* apud nos facti sunt. Et anno Domini MCCC A. 1333. XXXIII. *Chunradus Winckler*us, civis *Augustensis*, in tricesimum secundum *S. Ulrychi* abbatem hic est lectus. Qui ob singularem doctrinam, non solum ab auriculari confessione *Ludwicho* imperatori fuit, sed & omnes ejus liberos de sacro fonte lavavit. Unde cum magna utilitate cœnobio illi viginti duobus annis præfuisset, & monasterii sui metas, a civitatis area muris arcubusque distinxisset, secundus fundator dici meruit a suis, cui etiam *Carolus IIII.* Imperator argenteam & deauratam cæ-

Conradus Ulrichianus abbas XXXII.

Ludwichus Imp. Augstburgensium antiqua privilegia confirmat, novaque condit.

pſam e *Praga* pro conſervatione capitis *S. Dionyſii* epiſcopi dono transmiſit. Conflagravit item primo abbatis hujus anno cœnobium *S. Margaritæ* hic.

A. 1336. *Hainrichus Epiſcop. XLVIII.* Jam dictus *Udalrychus Hainrycho III.* fratri suo germano, jam antea cathedralis chori hic præpoſito, pedum cum ovili Imperatori addictiſſimo duodecim annis haud citra turbas, quas Papa *Benedictus XII.* qui ſeptimum librum Decretalium a *Johanne* præceſſore ſuo, ob odium mendicantium monachorum confirmatum, iterum abrogavit, & tanquam hæreticum revocavit, dum imperii jura per totam A ad ſe traheret Italiam, dare ſolebat, moriendo reliquit.

A. 1337. *Rudolfius VII. & Luitbaldus VIII. Georgiani præpoſiti.* Hujus epiſcopi altero anno, *Luitbaldus Rudolffo* in præpolitura *Georgiana* hic quatuordecim annis ſucceſſit. Ipſi vero epiſcopo noſtro, *Ludwichus* Imperator, quod vicecancellarius ſuus extitiſſet, illique plurimam pecuniam deberet, *Augſtburgenſis* provinciæ præcipuam portionem, nempe *regiæ viæ*, vulgus *ſtratam* appellat præfecturam, pro bis mille & ſexaginta argenti unciis, ſive quod idem eſt, totidem libris nummariis ſubarravit. Continet autem ea *Oberhauſam*, *Geggingam*, *Inningam*, *Bobingam*, *Weringam*, B *Aytingam*, *Menchingam*, *Erlingam*, & nonnullos alios pagos. Cæterum hujus præſulis ævo, *Eberhardus* ab *Hyrnhaima*, majoris ædis hic præpoſitus una cum *Hunbrechto Viennenſe Delphino*, ſeu *Arelatenſe* Dynaſta, *Ludwicho Oetingenſe* comite, ac cancellario *Hangenore*, ad ſupra nominatum *Benedictum* pontificem, pro petenda imperatori noſtro abſolutione, ſtabiliendaque concordia, *Avinionem* honeſta & quadriennali legatione, ſed irrito ſucceſſu miſſus fuit. Anno vero ſalutis MCCCXLIII. adſtructa *Marquardi Randeccenſis* myſtæ Canonici, & ædilis cura, qua poſtea curiali praxi epiſcopatum hic quoque C obtinuit, *Mariano* templo eſt, nova ea cum pluribus deaſtris porta, quæ etiamnum in boreali ejus latere integra ſupereſt. Qua tempeſtate cæperunt primum, aut paulo prius, privata ſacrificia, miſſæque votivæ, potiſſimum pro purgatorii ignis refrigerio, corporalibusque fortunis, apud noſtros homines, fundatis propriis & altaribus & ſacrificulis invaleſcere. Adhæc *Clemens VI.* papa *Gallicus*, qui Jubilæum *Judaico* exemplo in quinquaginta annos auri gratia reduxit, quique pernicioſiſſimam hæreſin eſſe cenſuit, aſſerere, Imperatores non eſſe beneficiarios Paparum, aut D docere, abrogationem ſummorum pontificum ad imperatores attinere. Qui item primus *Bohemis* contra *Polanorum* ſarcaſmum, proprium archiepiſcopum, non modico *Moguntinæ* metropoleos præjudicio, *Pragam* conſtituit. Denique qui inſignibus imperii feſtum diem quotannis in Germania celebrandum haud abſque myſterio conceſſit,

A. 1354. *Indulgentiarum origo.* *Indulgentias* criminum in hac noſtra urbe primo, ad annum ſalutis MCCCLIV. vendere ac accepta pecunia vetitos cibos concedere, extra tamen quadrigeſimales dies, inaudito modo occepit. Qua fraude etiam per reliquam univerſam Germaniam, totumque ſeptentrionem homo ille peccati uſus, innumerabile pondus auri conflavit. Eodem anno item *Arnboldus* quispiam, quintus ad *S. Arnoldus Crucianus præpoſitus V. Katharina Stephan. abbatiſſa.* *Crucem* cœnobitarum hic præpolitus factus, quatuordecim annis præfuit. *Katharina* quoque a *Liechtenecca*, *Wilburgi Thierhaimenſi* in abbatia Veſtalium *S. Stephani* apud nos ſucceſſit. Nova præterea pœnitentium ſecta, ſeſemet *flagellantium* anno Domini MCCC A. 1346. XLVI. cohorte quingentorum hominum, maximo incolarum ſtupore, certis germanicis cantiunculis huc primitus tranſiit, cujus veſaniæ imaginem noſtris hominibus *Hyſpani*, annis Domini MDXLVIII. LI. in feſtis para- A. 1548. & ſceves noctu hic quoque ſatis ſuperſtiose, ne dicam, ridicule aut impie repræſentarunt. A. 1551. Quo anno & *Eberhardus Rorbachius*, poſt *Rudtbrechtus XII. & Eberhardo XIII. Templ. Cathed. Decani.* *Rudtbrechtum* ab *Hyrnhaima*, Canonicorum cathedralium decanus eſt conſtitutus. Porro præfatus præſul noſter, *Ulrychum Hangenorem*, cujus opera & conſilio *Ludwichus* imperator domi foriſque, tam in ocio quam negocio, utut adverſarii ipſum ſubinde temerarium, faſtuoſum & inflatum criminati ſint, ſicuti & *Wilhelmi* de *Occam* Anglici minoritæ, pluriſum ac confidenter uſus eſt, magnifice in primarium ſuum templum condi jam mortuum juſſit. Verum vir ille qua erat ſapientia, nefarium talionem, hoc eſt, contumelioſam cadaveris ſui efoſſionem ab antichriſto veritus, ſe extra ſacratum cæmiterium humari teſtamento caverat. Interea cum mortuo *Hainrichi Epiſcopi obitus.* *Ludwicho* imperatore, papiſtæ iterum invaleſcerent, bonus noſter pater in exilium a corrivali certa penſione, anno Meſchiæ nati MCCCXLVIII. actus, poſt unum & alterum, A. 1348. nonnulli XX. habent, annum *Gamundiæ* in *Suevis* XV. Kalend. Januarii mortuus & ſepultus eſt.

Ut autem ad noſtros annales oratio redeat, non prætereundem erit, anno ſalutis MCCC A. 1330. XXX. *Chunradum Byſchlinum* una cum *Bartholomæo Weſſero*, duum viratus munus *Augſtburgi* adminiſtraſſe. Sub quibus *S. Urſulæ* clauſtrum, mœnibus Civitatis noſtræ primo incluſum eſt: quanquam nonnulli id ante centum annos hic factitatum perhibeant, cujus rei veritatem lectori commendo inquirendam.

Anno vero Chriſti MCCCXXXI. dictum ur- A. 1331. bis noſtræ magiſtratum geſſerunt *Johannes Portnerus* & *Hainrychus Herwarthus*, ſub quibus imperator *Ludwichus*, jam dudum ab *Otto præfectus.* *Avenionenſe* pontifice eccleſiæ hoſtis proclamatus, *Ottonem Gryffium* deauratæ militiæ equitem, propter ſtrenua ipſius merita, veluti rude donans, *Augſtburgenſi* noſtræ tum provinciæ tum civitati advocatum præfectumve XXIII. Maji die apud *Noribergam* confirmavit.

Sequente anno curatores civitatis fuere A. 1332. duo *Chunradi Herwarthus* videlicet & *Klockerius*.

Atque

A. 1333. *Comitia Augſtburgi.* Atque altero mox anno comitia apud nos arduiſſimis de rebus imperator *Ludovicus* habuit, inter quas haud poſtremo loco cenſendum fuerit, quod *Eduardus VI. Angliæ* rex, jam nominati imperatoris indultu vicarius imperii per *Galliam* & *inferiorem Germaniam* eſt dictus, & quod *Johannes, Bohemiæ* rex, tandem *cæcus* dictus, regnum ſuum a dicto imperatore, in beneficium hic publice, ut moris, acceperit, quodque *Otto Auſtriacus* exauctorati *Friderychi* filius, qui papæ inſtinctu Cæſari rebellare, & in ejus contemptum *Colmariam* in *Elſatia* obſidere auſus jam fuerat, dicti *Johannis* regis interventu, cum tota ſua domo imperatori noſtro reconciliatus ſit. A quo & vicarius imperii, dum ſcilicet ipſe Cæſar ultra *Bormienſe* jugum *Langbardicosque* montes, aut ultra *Thuringicam* ſylvam abfuerit, civibus noſtris datus. Denique & brevi poſt *Carenthano* ducatu deſuper *Lynceæ* donatus eſt. Sub hocce *Auſtriæ* principe, ut nugas ſeriis miſceam, floruerunt *Otto Fuchſius* nobilis gelotopœus, cui a perpetuo cum ruſticis propter mutatum violæ florem diſſidium *Neidharti* nomen impoſitum eſt, & *Wigandus* a *Teben Callembergenſis* εὐτράπελος plebanus. Cæterum eodem ipſo anno conflagrarunt menſe

A. 1333. *Ingens Augſtburgi incendium.* Julio *Augſtburgi* noſtro domus plus minus ducentæ quinquaginta, una cum clauſtris monialium *S. Nicolai*, quod extra muros ſitum a parte Orientis, ſenatus decreto anno

A. 1542. MDXLII. abolitum eſt, & *Margaritæ*, quod in villicum pecuariumque uſum hoſpitalis pauperum a magiſtratu civili circiter annum

A. 1541. Domini MDXLI. converſum eſt, cæpitque ignis illius voragò ab *Affræ* ſylva, vulgus *clivum* cum, *eliſa canina litera*, nunc in *ſimiis* cognominat, per *piſtoriam* plateam, ad *Hanſtettenſem* usque portam, hodie *rubram* vocamus, & ad eam usque portulam, quæ a *fornice* populo *fabrorum arcus* incongrue nominatur, inextinguibiliter ſævire, obviaque omnia conſumere. Tanta quoque vini copia per totam Germaniam hujus anni autumno crevit, ut & vili hic precio vænierit, & multis in locis vaſa ad condendum defuerint.

Anno ſequente, qui a nativitate Domini

A. 1334. MCCCXXXIV. numeratur, erant in civitate *Augſtburgenſe Hainrychus Portnerus* & *Chunradus Herwarthus*, Conſulares Duumviri.

A. 1335. Anno MCCCXXXV. pronunciati ex patriciis *Ulrychus Ravensburgerus* & *Chunradus Gollenboferus* civitatis curatores ſunt.

A. 1336. Anno item MCCCXXXVI. eundem magiſtratum hic geſſerunt *Chunradus Onſorgus* & *Johannes Rappoldus*.

A. 1337. Anno dein MCCCXXXVII. *Hainrycho Herwartho* & *Chunrado Klockero* duumviris, apparuit Junio, Julio & Auguſto continue per maxima crinita ſtella, habitusque *Augſtburgi* noſtro principum ac civitatum ſuperioris Germaniæ frequentiſſimus conventus. Octobri menſe eſt, in quo Imperator *Ludwichus*, una cum *Albrechto II. Auſtriæ* duce, compoſitionis concordiæque autores facti ſunt, inter *Tigurinos* cives, ac ab eisdem nuper *Grynoviæ*, ob receptatos illorum exules, cæſi *Johannis Habsburgenſis* comitis liberos.

Comitia Auguſtæ.

Anno Chriſtiano MCCCXXXVIII. *Chunrado Onſorgo* & *Johanne Vögelino* civitatis curatoribus, inauditus terræ motus viceſimo quinto die Januarii hic fuit. Fecitque vigiliantiſſimus ſenatus noſter grandiorem horriſonamque campanam, veteri illa & parva confracta, de novo conflari, quæ in publici fori altiſſima ſpecula, *Berleja turris* populariter vocatur, etiamnum ad claſſicum canendum, ſive hoſtilia ſive incendiaria pericula inſtent, ſive item ad novos renunciandos magiſtratus, aut etiam ad capitales fontium pœnas, populus ſubito convocandus ſit, ſacroſancta conſervatur. Ea quadragies centenas libras pendet, eſtque ab *Hugone* quodam *Noribergenſe* opifice fuſa. Quo anno oppignoravit imperator *Spyræ*, menſe Junio, noſtræ provinciolæ & civitatis præfecturam, una cum ea jurisdictione, qua Judæos obnoxios hic habebat, *Petro* ab *Hohenneggâ* baroni CCLXXX. argenti *beſſibus*, quas monetarii marcas *appellant*. Is *Petrus* civibus Juridicundo *Si-*

Nova campana.

Petrus præfectus.

B *goſtium* a *Laberna*, ſive *Sigmundum Lavernenſem*, jam ante prætorem noſtrum de novo confirmavit. Quo brevi decedente *Johannes Friderychus* a *Fryberga*, civitatis ſubpræfectus apud nos eſt factus. Cum imperator interim *Hainrycho* epiſcopo noſtro, potiſſimam provinciæ *Augſtgoviæ* partem in beneficium conceſſerit, ſicuti ſuperius recenſui in ipſius annalibus.

Friderici us prætor.

Anno Domini MCCCXXXIX. tenuere Du-

A. 1339. umviralem magiſtratum *Augſtburgi Hainrychüs Stoltzhyrſius* & *Chunradus Langius*. Quorum rogatione decretum in ſenatu eſt, ut exuſtis ſive alias deperditis, quacunque de

C cauſa literis, quibus uſuræ ad dies vitæ alicui aſſignatæ fuiſſent, debitores penſionum talium in poſterum ab eo gravamine penitus liberi immunesque haberentur. Quo anno item, dum papiſtæ ſuis armis Germaniæ libertatem perpetuo extinguere ſatagerent, hoc eſt, ſæcularem mundi poteſtatem ab eccleſiaſtica cenſura omnino pendere urgerent, duobus tum Cæſareis tum curiatis principum Germaniæ comitiis, nempe VI. die Julii in vico *Rens* prope *Moguntiacum*, & VI. die Auguſti *Francfurti* ad *Mœnum*, ubi *Eduardus* VI. *Angliæ* rex, ab Imperatore

Comitia in vico Rens & Francfurti.

D Romanorum *Galliæ* regnum, contra *Philippum Valeſium* in feudum accepit, quo titulo inde etiamnum *Angli* gaudent, diſerte imperii dignitatem, nequaquam a papæ Romani vel conſenſu vel autoritate, ſed a ſolo electionis beneficio poſt Deum proficiſci, nec habere in terris ſuperiorem editis dyplomatibus probatum, cautum & ſancitum eſt. Hisce comitiis etiam *Reinoldus Geldriæ* comes, dux ab imperatore effectus primo eſt. Similiter & *Wilhelmus Juliacenſis* comes, Marchio creatur initio, & poſt ſedecim annos a *Carolo* IIII. Cæſare *Metis* ducis honorem conſecutus quoque eſt.

A. 1340. Anno salutis MCCCXL. dati sunt *Augustburgensi* reipublicæ curatores, *Hainrychus Portnerus* & *Chunradus Herwarthus* iteruin. Sub quibus inusitata locustarum exanima, agros & prata mense Julio atrocissimo jumentorum nocumento, apud nos vicinamque omnem regionem depesta subito sunt. Alii calamitatem hanc ante biennium fuisse putant. Postea in vigilia divi *Bartholomæi* per frequentissimum senatum hic bene præmeditato consilio, contra tyrannidis glyscentia mala constitutio facta est, ut singulo quoque deinceps anno, tum Duumviratus præeminentia, tum senatorum ordo ad festum *candelarum* permutarentur. Ac ut duodecim hactenus consuetis senatoribus XII. alii in futuris annis adderentur; ita ut posthac semper XXIIII. civitatis consiliarii essent; ea conditione, ut exacto anno prioribus dimissis, XII. alii ex optimatibus adsciscerentur. Et sic subinde semper post unum annum, vetustiores novis, pari numero delectis cederent, ac Senatui præessent. Qui tamen prius sacramentum magno consilio, quod *civitatis communitatem* vocabant, darent, se nunquam non ea reipublicæ consultores, præstituros esse, quæ utilia & honesta visa fuerint. In qua reformatione sancitum porro est, ut *Ædiles* sive *fabricarum magistri*, una cum Quæstoribus censoribusque ad festum *sacri militis Georgii* crearentur. Qui item quottannis quoque coram Magni Minorisque senatus deputatis, accepti & dati rationem redderent. Denique statutum insuper tunc etiam persancte pariter atque frugaliter est, ne scilicet nimii sumptus fierent, ut parvus senatus toto anno non ultra X. obolorum libras, citra Magni præscitum insumere debeat. Et si quis ex consulibus aut Senatoribus in legationem aliquam reipublicæ causa ablegandus sit, ut illi simul ac equo, per singulos dies unica tantum obolaris libra in viaticum stipendiumque numeretur. Sub quibus exteriores civitatis nostræ muri & fossæ, apud S. *Ulrychum* extrui primo ceperunt, ea occasione, ne scilicet claustrum id, nuper ab abbate suo munitum, exorto aliquo bello, hostibus vallum munimentumque contra cives fieret. Ceterum monasterium jam dictum, civitatis mœnibus inclusum fuisse anno salutis MCCCV. nonnulli narrant, quando nimirum civitas ipsa amplior fuit facta.

Senatus Augustburgensis reformatio.

Exteriora munimenta ædificantur.

A. 1305.

A. 1341. Ab incarnatione verbi divini MCCCXLI. anno, prætor Urbanus *Augustburgi* nostro fuit *Hansus* de *Itenhusa*, Urbis vero Curatores *Hainrychus Herwarthus*, & *Petrus Mimmerus*. Cumque senatus urbanus ob præteritorum quorundam bellorum impendia Judæis pluriam pecuniam, non levi indies accedente fœnore deberet, cæpit necessitate adactus totius communitatis assensu pro eluendo ære alieno versuras facere, ac quibuscunque volentibus civibus annuos census ad *dies vitæ*, ad *unius corporis durationem* vocabant pro sex promptorum nummorum libris, unam ejusdem valoris libram certo die in singulos annos numerandam divendere, atque tali mox pacto 2. Januar. præsentis anni die vendidit *Joanni Vogelino*, *Wernheri* filio, *Ottiliæ* conjugi, & quatuor liberis ipsius 8. libras nummum pro acceptа 48. librarum summa annuatim pendendas, idque consignatis Reip. sigillo tabulis, datisque ex senatori ordine septem obsidibus, promisso denique persolutionis ad constitutos terminos sumptuoso illo nexu, quem populariter die Laistung Barbari, *obstagium* indigitant, ratum habuit.

Hansus prætor.

Annos census venditi.

Anno Christi MCCCXLII. *Chunrado Riederero* & *Leutbaldo Wolffhartо* civitatis gubernatoribus, decretum ab universo senatu tam inviolabiliter quam prudentissime est: Ne unquam de cætero in senatorum ordine hic sederet, quicunque alienum officium gereret, vel externo alicui domino obnoxius juramento esset. Item ne fratres, aut pater cum filio, aut socer cum genero, simul ac semel senatoria dignitate apud nos fruerentur. Quo tempore *Hainrychus Snellmannus* junior, episcopalem Burggraviatum *Augustburgi* nostro admodum imperiose administrabat. Quidam scribunt, hoc anno etiam ab *Augustburgensibus* arcem *Brentiam* in festo *Bartholomæi* captam & exustam, de quo bello infra annum 49. vide.

A. 1342. *Decretum de Senatu.*

Anno salutis MCCCXLIII. civitatis Augustburgensis consules fuerunt *Chunradus Daxius* & *Chunradus Minnerus*.

A. 1343.

Anno salutis MCCCXLIIII. facti sunt hic dictatorum instar, civium consules, *Chunradus Onsorgius* & *Joannes Rappoldus* secundum.

A. 1344.

Et cum *Augustburgum* nostrum multis hostibus immerito premeretur, impetrarunt conscripti patres ab Imperatore suo clementissimo privilegium, ut diffidatos suos hostes, incendiarios, aut eos qui civibus, illorumque tum coloniis tum adscriptitiis, qualecunque sive corporis sive bonorum damnum de facto intulerint, aut vim saltem minitati fuerint, non solum undecunque captivos abripere, sed & capitis damnare una cum receptatoribus illorum impune queant. Quoniam sicuti diploma id XX. die Aprilis *Spyræ* conscriptum habet, omnis gloria & fortitudo principis in subditorum prospero statu subsistat. Quo anno propter intempestivam, quæ circiter ultimam Maji apud nos ceciderat, nivem horridasque inde subsequentes grandines, magna caristia per omnem hanc provinciam ipsamque adeo Bojariam extitit.

Privilegium adversus hostes.

Anno Domini MCCCXLV. *Chunrado Herwarthо* & *Johanne Vogelino* consulibus, decretum *Augustburgi* est, ab utroque civitatis senatu, die Jovis festum *Mathæi Evangelistæ* sequente; Quod si qui arborum rami ultra hortorum sepes propendentes, damnum alicui dent, aut vicino impedimento sint, ut tollantur, ac quando fructibus jam careant, penitus resecentur. Quo anno magni motus in *Bojaria* suscitati non levem terrorem urbi nostræ incusserunt.

A. 1345. *Decretum de ramis propendentibus resecandis.*

Anno redemptionis nostræ MCCCXLVI. cum jam Duumviri apud nos pronunciati fuerunt *Berchtoldus Riedererus* & *Berchtoldus Remus*, essetque ingenti sumptu *Lechi* ripa, prope

A. 1346. *Novum telonium.*

prope mœnia noſtra contra allwiones conſtruenda firmandaque, inſtituit ſenatus urbanus hic, æque ac cives *Fuſſenſes* novum telonium apud eandem: Quod tamen *Hainrychus* epiſcopus noſter, cum diœceſeos ſuæ præfecto, *Hainrycho Portnero*, in tres tantum annos duraturum conceſſerunt. Cujus rei gratia & Syngrapham a ſenatu *Augſtburgenſe* Kalendis Februarii acceperunt. Dein venit *Augſtburgum Ludwichus* Imperator, ac poſt alia orbis compoſita negocia, eidem civitati VIII. Iduum Maji, per ſpeciale privilegium, Auguſtali ſigillo munitum, & in ævum duraturum conceſſit, ut a primo *Werdachæ* fonte, usque ad ipſius in *Lechi* fluenta divertigium, omni ſemper tempore, & citra omnium molendinorum, aggerum vel ponticulorum obſtacula, tum oneratas rates, tum omnis materiæ arbores, libere devehere, & ad ſuum comodum transmittere poſſit. Ad cujus rei opportunitatem ampliorem, poſtquam respublica noſtra accolis CLX. obolorum libras ſeorſim perſolviſſet, etiam *Hainrychus* epiſcopus noſter, *Burghardus Campidonenſis* abbas, *Chunradus S. Ulrychi* hic abbas, Canonici *Stockhaimenſes*, & vicini nobiles, non modo ſponteneũ aſſenſum, ſed & teſtimoniales literas civitati *Augſtburgenſi* dederunt. Quo anno aut forte altero præcedente idem imperator & regiam turrim cum curte adjacente apud nos N. N. civi pro octoginta *heſſibus*, vulgus *marcas* dicit, argenti oppignoravit in ſolidum; & poſtea plurimos mortales hic, ſicuti & per totam quaſi Germaniam maxima peſtis ſuſtulit. Porro hocce anno maximum prœlium inter *Philippum Franciæ* & *Eduardum ſextum Angliæ* reges vincente Cæſaris noſtri favore *Anglo* commiſſum apud *Ambianos* in *Piccardia* eſt.

Regiæ turris oppignoratio.

A. 1347.

Tandem anno virginei partus MCCCXLVII. poſtquam duo viginti comites, barones & nobiles, cum *Carolo Bohemo*, Papæ inſtigatione, contra imperatorem noſtrum, ſeditioſius in vicina *Suevia* conjuraſſent, ſtatim *Steffanus Bojariæ* dux, filius ejusdem imperatoris, oppida & caſtra illorum debellans, armis rebelles ad officium, non ſine reipublicæ *Augſtburgenſis* clerique trepidatione reduxit. Quæ de re factum eſt, ut *Engelhardus* de *Enzberga* majorum Canonicorum non minimus a ſenatu noſtro jus civitatis C. libris nummum, ad decennium ſibi compararit, ac ſalva quam papæ & epiſcopo debebat obedientia, ſolitum juramentum data Kalendis Octobribus jam ſignati anni ſyngrapha civibus præſtiterit ſecuritatis ergo. Mortuo autem repente V. Idus Octobris circa meridiem, apud *Weilhaimam* in Urſorum venatione, idq; haud citra evidentem veneni ſuſpicionem, magnanimo Imperat. *Ludwicho Monachiiq;* apud *div. virginem* ſepulto.

Rebelles ad officium redeunt.

Ludwichi Imp. mors.

A. 1345.

Dum CAROLUS IIII. *Lucillobur-*

Carolus IV. Imperator.

genſis, duodecimus *Bohemorum* rex, qui jam pridem *Venceslaus* dictus antichriſti juſſu a ſacramento, quo fidem *Ludwicho* præſtiterat, abſolutus, a *Clemente VI. Bogenſem* eccleſiam in archiepiſcopatum, contra *Moguntinenſis* metropoleos jurisdictionem, erigi curaverat, in villa *Rens* prope *Andernacum*, per ſchysma, ac poſtea *Gallici* regis ſubornatione *Treviris*, Cæſar appellatus, atque tandem a *Waldramo Colonienſe* archiepiſcopo VII. Kalendas Septembris coronatus *Bonnæ*, proximo ſuperiore anno fuerat, Germanici imperii habenas attrectare accingeretur, formidoloſa ſane & tempora & diſſidia ingruere undique cœperunt. Domi enim noſtræ ob adulterinam *Regenſburgenſium* pecuniam, qua emendo & vendendo cuncti apud nos utebantur, plebs plurimum tumultuata eſt. Foris vero facta electorum principum ſeceſſione, eo quod *Carolus* jam nominatus imperium a papa in feudum, primus Cæſarum præſtito fidelitatis juramento, contra vetera jura accepiſſet, pars initio *Eduardum* ſupradictum *Angliæ*, regem illi oppoſuere. Eo autem onus ob imminentia ſibi bella excuſante, mox *Frydrichum Myſſnenſem* marchionem, demortui Cæſaris *Ludwichi* generum, Anticæſarem memorato Carolo corrivalemque dare auſi fuere. Sed ubi *Myſſnenſis* accepta ingenti pecunia, ab æmulo, locum dignitati præferret, pars altera deinde *Guntherum* comitem *Schwartzenburgenſem* ceu optimum heroëm *Francfurti* anno MCCCXLIX. ſecunda Februarii die, regem conſtituerunt Romanum. Quo poſt ſextum menſem ibidem per venenum a *Freidancko* medico ſublato, atque regio apparatu in ædem *divi Bartholomæi* ſepulto, ſumma rerum tandem ad *Carolum*, non admodum fiducialiter, per multam tamen pecuniam omnino devoluta eſt anno ſalutis MCCCL. Propter jam recitatam diſcordiam, primores & civitates ſuperioris Germaniæ, tanquam ἀκέφαλοι, inter ſeſe diriſſime graſſari cœperant, ac pro cujuslibet affectu ſatis atrociter agebant. Donec *Carolus* Cæſar reconciliatis ſibi *Bojariis*, venditaque non ſatis decore *Arelatenſis* regni, hodie *Delphinatum* appellant, jam mortuo *Huniberto* ultimo ibidem principe abſque legitimis hæredibus, ditione, *Philippo VI. Gallorum* regi, nonnulli *Ludwicho Andegavenſi Caroli VII.* Gallici regis fratri, principatum eum a dicto Cæſare pro ſolenni ſibi in *Villa nova* regione *Avinionis* exhibito prandio, *Urbani V.* papæ confirmatione, anno Domini MCCCLXV. hæreditario conceſſum eſſe docent, *Sueviam* noſtram togato exercitu intraverit: Ibi enim viginti quatuor oppida, illi *Ulmam* occurrentes, juramenta ſub certis pactis præſtitere, ac pacem confirmavere. Inter quæ cum *Augſtburgum* haud poſtremum fuerit, confeſtim eidem memoratus Cæſar, dominica ante feſtum *purificationis Mariæ*, ibidem anno ſalutis MCCCXLVIII. ob promptam obedientiam conſtantiamque erga Romanum imperium, tum cuncta prædeceſſorum ſuorum data privilegia inconvulſe ſemper tenenda confirmavit; tum amplius etiam autor fuit, ut cives pro dictorum privilegiorum conſervatione, cuilibet imperio armis reſiſtere, ſua totis viribus tueri, & de ſionem apud reliquas civitates implorare bitum poſſint. Et exin idem Cæſar pro

A. 1349.

A. 1350.

A. 1365.

Eduardus, Fridericus & Guntherus Anti-Cæſares.

Carolus Imp. Augſtburgenſium privilegia confirmat.

A. 1348.

ciæ civitatique *Augſtburgenſi* præfectum quoque dedit *Friderychum Tectoſagum* ducem. Qui quanquam undeviginti annis non impro-
ſpere eo ſit fretus munere, nihilominus tamen
Peſtis. infinitis calamitatibus adhuc civitas noſtra irretita & preſſa diu extitit. Nam non modo per præſentis anni æſtatem ſæviſſima peſtilentia, quam plerique ex terræ motu eo ortam judicabant, qui XXV. proxime præcedentis Januarii die, horribiliter ædes hic atque tota vicina regione concuſſerat, infinitos iterum homines abſumpſit. Verum inſuper magiſtratus ſuperſtes, *Hainrico Hurlocbero* & *Hanſo Ammano Werdenſe* urbis curatoribus, e papali A banno, in quod propter fidem clementiſſimo ſuo imperatori *Ludwicho* devotiſſime ſervatam incurrerat, difficulter admodum ſeſe extricare potuit. Usque adeo myſterium iniquitatis jam apud chriſticolas invaluerat. In-
Domus hoſpitalaria fundatur. terea temporis hoſpitalaria domus & γεροντοκομεῖον pro tenuioribus civibus, non autem mendicantibus, & præcipue pro ſenatoribus, civitatisque officia gerentibus, ad anguſtiam rei familiaris adactis, in ſuburbium orientale, hic, ſub ſenatus urbani tutela, fundata primo, eſt. Quod hoſpitium poſt CXCIIII. annos ad deficientium *Minoritarum* habitaculum, idem magiſtratus apud nos transponendum cura- B
Portnerus Wellenburgum venditi- vit. Cæterum hoc ipſo anno etiam *Hainrychus Portnerus*, accepto undecunque graviſſimo damno, ſubſcribentibus filiis, *Wellenburgum* arcem ſuam, *Hainrycho Herwartho* & *Chunrado Onſorgo*, concivibus, duobus millibus librarum nummi majorum, conſentiente *Hainrycho* epiſcopo feudi domino divendidit. Et ſunt paulo poſt XXII. ſcilicet Novembris
Supplicia de veneficis. die, *Verpi* aliquot, ob impia veneficia, quibus per totam fere Europam puteos fontesque infeciſſe culpabantur, ultrici flamma damnati, ac epiſcopi adjudicatione e medio hic ſublati, id quod ſatis crudeliter ſequente anno in plurimis aliis civitatibus perpetratum etiam C eſt. Per hanc tempeſtatem cum *Nicholaus Rentius* publicus ſcriba Romæ, occupato capitolio, ſe libertatis & juſtitiæ tribunum, atque adeo Auguſtum Severum & clementem populi applauſu nominare, ac tum *clementi* papæ *Avinionenſi*, tum *Ludwicho Caroloque* Cæſaribus Germanicis dicere auſus fuiſſet, temeritatis & ſtultitiæ pœnas haud immeritas ultronea fuga dedit.

A. 1349. Anno Domini MCCCXLIX. *Berchtoldo Riedero*; & *Chunrado Minnero*, Duumviris,
Portnerus ob æris alieni magnitudinem Auguſto excedit. poſteaquam ſupradictus *Portnerus*, qui inter patritios haud poſtremus, ſupremum etiam D magiſtratum *Augſtburgi* noſtro geſſerat, ſicuti & ſenior natu ipſius filius, auratæ militiæ conſors erat, ad inſtar ſatrapæ ampliſſimas ante *Burgenſem* portam habitaſſet ædes, quæ etiamnum urbis pinu a regia via diſterminantur, ſumptuoſiſſimeque omnium vixiſſet hactenus, ac apud Judæos, quos ab imperatore *Ludwicho*, cui acceptiſſimus, dum in humanis degeret, fuerat, ubique tota Germania delendos jactabunde ſemper ſperaſſet, tam grandem alieni æris paſſim & ſummam & uſuram conflaſſet, ut neutiquam ſolvendo eſſe poſſet. Quin item aliis quoque creditoribus fidem perficta fronte fallere, exterisque principibus ſacramento ſe adſtringere, non verecundaretur, adhæc ad pallianda talia ſcelera, urbis tyrannidem, conſularem poteſtatem ambiendo, contra jus jurandum præſumeret, turpiter patria cum filio excedere, & in perpetuum exulare coactus eſt, at ne fame ac inopia periret, Cauſidicum ruri inter agricolas mercede poſtea egit. Eo anno & *Carolus* Cæſar reipublicæ noſtræ privilegium dedit, ne cui peregrino aut extero liceat hic domum habere propriam, aut ullam hæreditatem poſſidere, verum ea, ni ipſemet civis fieri velit, civibus noſtratibus vendat. Fatorum deinde neceſſitate civitas iſta haud quaquam puerilia diſcrimina plane invita ſubiit. Ejusque rei cauſa
Mindelbergæ & Brentiæ expugnatio. *Marckwardo* epiſcopo ſuo confœderata eodem hoc anno eſt. Ac poſt expugnatam Majo menſe, epiſcopi ejusdem clasſico, ſuorum vero civium permagno ſubſidio, *Mindelbergenſem* arcem; occupavit inſuper die 24. Auguſti caſtellum & pagum *Brentiam*. Sub
Dietbegus prætor. quod tempus conſtitutus etiam præfecti noſtri ſolertia, *Dietbegus* a *Katzenſtaino* prætor huc eſt. Quo anno etiam *Carolus* Cæſar *Albrechtum Megalburgenſem* comitem primo ducali dignitate ſublimavit.

Anno ſequente Duumviri fuerunt Auguſtburgi noſtro *Johannes Rappoldus* & *Chunradus Onſorgius*, quos publica inſtrumenta Conſules ſcribunt. A. 1350.

Anno Domini MCCCLI. Conſulibus *Johanne Vögelino* & *Hainrycho Herwartho*, emiſerunt *Augſtburgenſes* Majo menſe DLXIIII. mi- A. 1351.
Villebachi direptio. lites, qui erant quarta pars civium, ac quadraginta duo bellica plauſtra, dirueruntque, juvantibus nonnullis imperialibus civitatibus, plus quam hoſtiliter caſtrum *Villebachum*, nobilium quorundam intolerandis injuriis provocati. Nec diu poſt expeditionem hanc, cum cives nonnulli ſuſpicioſius ſubinde, ad delubrum *Jacobæum* hic in Orientali ſuburbio coirent, adeo ut vulgus eos palam *Jacobitas* vocaret. Subtimens ſenatus, ne pernicioſæ pullularent conſpirationes, ſub pœna decennalis exilii, conventicula illa prudentiſſime prohibuit. Et quia epiſcopi officialis propter
SCtum adverſus Epiſcopi officialem. quascunque etiam profanas cauſas, civibus dicam dicere occiperet, ſenatus conſulto item ſub gravi prætoris pœna prohibitum *Augſtburgi* noſtro eſt, ut nullus civium poſthac ad eccleſiaſticum conſiſtorium vel ſiſti debeat, vel alium citare præſumat, niſi propter cauſas matrimoniales, mortuorum juſta, & notorias uſuras.

Anno Chriſti MCCCLII. cum civitates imperiales *Sueviæ*, a *Teccenſe* duce, atque a *Co-* A. 1352.
Augſtburgenſes æs alienum contrahunt. *nite Wirttenbergenſe* inſignem cladem prope *Weidenſtettam* accepiſſent, usque adeo reipublicæ *Augſtburgenſis* ærarium ob crebriora bella exhauſtum eſt, *Hanſo Langenmantello* & *Heinrico Vögelino* urbi præſidentibus, ut undique æs alienum mutuare compulſa, pro octo libris nummum, unam libram pro uſufructu

fructu in annum ad sex aut septem hominum vitæ tempora divendiderit.

A. 1353. *Supplicia de Kindlino complicibusque ob furta.*

Anno salutis MCCCLIII. *Hainrycho Hermartho & Chunrado Langenmantello* Duumviris contigit, quod cernentarius quidam, cui nomen *Kuntzo Kindlino*, sub finem Julii mensis hic, una cum filio & sex famulis, publico supendio furta luerit, quæ artificii sui dolo cum illis numero sæpius perpetraret, quando enim in tectis locupletiorum civium mercatorumque pro reponendis thesauris, ac aliis desiderabilibus, cameratas cellulas construebat, solitus erat, certo aliquo versus plateas loco, muros sine calce, solo tectorio inducto adornare, ut noctu illos sine strepitu perrumpere, & quæ placebant, facile auferre potuerit. Qua æstate ingens exercitus *Caroli* Cæsaris mandato, ex omnibus civitatibus ad obsidendum *Tigurum*, in auxilium *Albrechti, Austriæ* ducis collectus, hic lustratus est, cui & respublica nostra militares copias quoque ex debito sed in cassum junxit. Hoc anno *Judæorum* archisynagogus hic fuit, *Tibsilius* nomine, homo opulentus.

Auxilia Imp. nitetunt.

A. 1354. *Pulveris pyrii inventio.*

Interea circiter annum Domini MCCCLIIII. parari cæpit à *Berchtoldo Schwartzio, Chymista* & *Francisc*ano Cucullato, dæmonum proB cul dubio instillatione, in Germania Tartareus ille *pulvis*, qui *ex hali nitri tribus partibus, ryliaceorum aut saligneorum carbonum duabus, & sulphuris cocti una parte constans*, tormentis illis, quæ a *terrifico sonitu Bombardæ* nuncupantur, nihil non pervium facit, dejicitque violenter. *Carolus* Cæsar inde in Italiam togatus abiit, ac anno MCCCLV. *Modoëtiæ* initio, a *Roberto* vicecomite archiepiscopo *Mediolanensium* VIII. Idus Januarii, ferrea corona, & mox nonis Aprilibus in ipso Paschæ festo Romæ a *Petro* Cardinale *Ostiense, Innocentii* VI. legato, aureo diademate redimitus ImC perator est, brevique ob præstitum pontifici pactum, Italiam relinquens domum est reversus, ac *Noribergæ* in die S. *Nicolai* jam dicti anni Augustali diplomate denuo ex speciali imperatoria clementia, haud aliter atque antea ex regia potestate fecerat, cunctas *Augstburgensis* civitatis emunitates antiquasque consuetudines & jura confirmavit. Et replicata cum primis *Ludwichi* antecessoris sui prærogativa, cives ejus ab omni extero, sive sit provincialis, sive aulicus, judice immunes, ac certa justitiæ conditione liberos sub nullitatis latæ sententiæ, & quinquaginta puri puti auri liD brarum pœna, esse voluit. Erant forte tunc apud nos Duumviri magistratus *Berchtoldus Riedererus*, & *Hansius Dachsius*.

A. 1355.

Augstburgensium privilegia confirmat Carolus Imp.

Aureæ bullæ origo.

Dicto jam anno evoluto edidit idem imperator noster IIII. Idus Januarii, *Noribergæ*, nonnulli *Metis* putant, in frequentissimis comitiis, eam rogationem, quam hodieque *Caroliniam* seu *auream bullam* vocamus. In qua toti Germaniæ imperio primus formulam electionis futuri Romanorum Cæsaris promulgavit, & septem Electorum principum ad eam rite celebrandam securitatem, salvos conductus nec non privata officia, præeminentias, privilegia, & sessiones eorundem significantissime comprehendit primus, asseruitque, tali adjecta lege, ut sacrosancta ea eligendi Romani Cæsaris potestas, apud quatuor sæculares principes regem *Bohemum, Rheni* Palatinum comitem, ducem *Saxoniæ* & *Brandenburgensem* Marchionem hæreditario, apud Spirituales vero, puta *Moguntinum, Colonien*sem, *Trevirum* archiepiscopos & Imperii cancellarios, ordinariæ successionis jure semper maneret. Cæterum currente hoc eodem anno, civitatis *Augstburgensis* curatores erant, duo *Chunradi* scilicet *Kuntzelmannus*, & *Minnerus* sive *Veterus*. Quo & corruit XVIII. die octobris *Basileja* ad Rhenum horridissimo terræ motu, quem etiam tota superior Germania passim sensiit.

A. 1356.

Terræ motus.

Anno sequente, qui erat a nativitate Jesu servatoris MCCCLVII. facti sunt *Augstburgi* nostro consulares advocati, *Otto Gollenhoferus*, & *Hansus Ammanus*. Sub quibus *Ulricus Illsingus, Ulricus Winckl*erus, & *Johannes Hangenor* senior, curatores hospitalis ad *S. Jacobi* sacellum hic fuere, ac mox *Eberhardo* comiti *Wirtenbergensi*, respublica quinquaginta galeatos equites, in subsidium milit, dum is arcem *Eberstainum* demoliretur. Et erant dictorum equitum, quorum singuli duos levioris armaturæ equites ducebant, *Hertthegus* a *Katzenstaino* auratus miles, & *Paul. Pfettnerus* patritius senatus stipendio præfecti. Interea tempus *Wilhelmus* ab *Ochsenburgo*, & cum eo ingenui a *Villebacho*, nostris ad mœnia usq; hostiles incommoditates, intulere, suburbiumque pfafforum proditione ante *Streffingeriam* portam infeste exussere, licet alii id post quinque demum annos perpetratum hic putent.

A. 1357.

Augstburgenses Eberhardo auxilia mittunt.

Anno Christi MCCCLVIII. gesserunt apud A. 1358.
nos consularem Duumviratum, duo *Chunradi Minnerus* videlicet & *Vœgelinus*. Ac postquam senatus *Friderychi Teccensis* præfecti, sui tum consilio tum impulsu, *Carolum* imperatorem supplici libello edocuisset, oppignorationes officiorum plerumq; in tyrannidem, crudeliores que dominatus degenerare, statim clementissimus princeps XXV. Junii *Noribergæ* reipublicæ *Augstburgensi* solenne privilegium donavit, quo cavetur, ne cuique posthac provinciolæ civitatisque ejus præfectura, pro mutua pecunia concederetur, aut pignoris loco amplius daretur, sed ut apud ipsammet Cæsaream majestatem, ad quam immediate tota advocatia pertinet, præfecturæ ejusce Collatio libere permaneret. Quo anno & *Augstburgenses* cives, reliquis Civitatum turmis juncti, contra nobiles a *Westernacho*, castrum *Altenburgum*, non longe a *Lauginga* occuparunt.

Privilegium de præfectura.

Anno salutis MCCCLIX. *Johanne Rappoldo* & *Jacobo Kuntzelmanno* Duumviris, facti A. 1359.
ex *Augstburgensis* senatus ordine, publici ad *S. Spiritum* hospitalis curatores Kalendis M. sunt, *Hansus Herwarthus* & *Chunradus Minnerus*, qui inde adeo tutelam pauperum sollicitudine susceperunt, tantaque fide vi- tionem domus ejus de novo instituerun-

Hertthegus & Hansius

merito tanquam secundi fundatores illius sint habiti. Eorum enim ceu manuductione ita hospitale illud crevit, ut lapsis CXC. annis, cum *Caroli V.* imperatoris reformatione, cuncta ad exactissimam rationem subducerentur hic, omnis sortis redituum, supra decem millia *Rhenensium* aurcolorum in annuis proventibus habere compertum liquide sit. Porro eodem hoc anno concessit imperator *Carolus Pragæ III.* Junii, civitati nostræ novum privilegium, ut videlicet ad publicos suos procinctus communemque imperii militiam rusticis per agrum vicinum, castrenses currus ac vecturas quascunque impetrare possit congruis stipendiis.

A. 1359. *Bellum cum Wirtenbergensi comite.*

Anno Domini MCCCLIX. *Joanne Vögelino & Berchtoldo Bacho* Duumviris mutata fortuna armarunt *Augustburgenses* nostri in gratiam Imperatoris sui, mediam suorum civium partem (duo millia peditum, ac sexaginta equites aliqui computant) ac eam contra prædictum *Wirtenbergensem* comitem, ili se subinde superbissime opponentem, una cum totius *Sueviæ* civitatum copiis militatum ablegarunt. Quo bello liberatis *Esslinga & Reutlinga*, comitem ad obsequium *Caroli* reduxerunt. Quapropter idem Augustus reipublicæ nostræ præter extraordinarios belli ejus sumptus, aliaque ærarii debita, iterum *Norib ergæ* in die *Apostolorum Petri & Pauli*, novum privilegium, sumendi a suis de omni potionum genere, vini scilicet, Medonis & cerevisiæ tributum ad decennium concessit. Quo anno ditissimus *Tertolensis* comitatus *Rudolpho Austriæ* duci in dotem cum *Margarita* vulgo *Maultaschia* dicta hæreditarie obvenit.

Privilegium de tributo vini &c.

A. 1361. Anno redemptionis humanæ MCCCLXI. *Joannes Langenmantellus & Petrus Riedererus*, in consulari Duumviratu apud nos successerunt, satisque turbarum tum propter superioris belli sumptus adhuc, tum propter novum & insvetum vectigal habuere. Eodem anno imperator *Carolus Pragensem* academiam *Urbani V.* papæ privilegiis ad instar *Parisiensis* scholæ fundavit.

Pragensis Academiæ fundatio.

A. 1362. *Expugnatio castri Zwingenbergensis.*

Anno sequente *Hainrycho Herwartho & Syboto Müntzmaistero* consulibus, cum omnia intestinis bellis circum circa æstuarent, prædonumque nefaria protervia, civibus nostris negociationes undique præcluderet, advocatis sociarum civitatum auxiliis, habitoque quingentorum civium & sexaginta duarum quadrigarum delectu, invaserunt *Augustburgenses* nostri mense Septembri *Zwingenbergense* castrum, non impigro stratagemate, armisque expugnatum & captum, funditus everterunt. Ex qua re dum plurimorum in se odia concitassent, innumerosque inimicos nacti essent, haud sine causa antedictum suum præfectum, *Friderychum Teccensem* ducem, non tam generalem prætorem, quam omnis belli capitaneum specialem, certo stipendio decreto, sibi asciverunt amplius.

A. 1363. *Oppignerantur tabernæ salinariæ.*

Anno salutis MCCCLXIII. Urbis curatores sive consules a patritiis hic lecti sunt *Bartholomæus Riedererus & Chunradus Langenmantellus.* Sub quibus, quod ad tot incumbentium bellorum nervos publici proventus nequaquam sufficerent, censuit senatus *Salinariam* suam *tabernam*, vulgo *salis horreum* nuncupant, cum vinario tributo, *Marianorum* mystarum collegio, pro MCCLXXX. *argenti unciis*, quas plebs *libras nummarias* vocitabat, hypothecam dare, annuatimque pro ea sortis summa LXIIII. uncias argenti usuram persolvere, quod factum certe non parum multi cives improbarunt.

Tabernæ Marianis.

A. 1364. *Caroli privilegium de viis regiis pascuisque.*

Anno Christiano MCCCLXIIII. *Chunradis Minnero & Illsingo*, supra lapide patritiis, magistratum in urbe *Augustburgense* gerentibus, concessit imperator *Carolus*, *Lynceæ XIIII.* die Januarii, reipublicæ nostræ certo privilegio, tum regiarum viarum, tum pascuæ ad *Lechi* fluenta jus, liberumque usum. Cumque adhuc plurimi tam inter patritios, quam in populo, salinarii horrei abalienationem ægerrime ferrent, facile *Ulrychus Illsingus* senior, quo in fundandis missis anniversariis, sepulchralibusque luminaribus, quæ sempiterna vocant, vix alius devotior hic tunc erat, ansam bene merendi de civitate arripuit, ac summam prædicti alieni æris de suo a Pfaffis ultro redemit, ejusque sortis usuram in eleemosinariam stipem, pauperibus ex publico ærario quottannis divisim in quatuor *Deiparæ virginis* festivitatibus, nam plures ætas ea nesciebat, in ipsa salinaria taberna, ab ipsismet Ædilibus, quibus pro eo officio duas nummi libras in singulos annos quoque legavit, erogandam, pietatis ergo commutare, certo pignore, ac totius populi senatusque obligatione curavit. In cujus rei fidem tabulæ sabbato ante *purificationem Mariæ*, eodem hocce anno conscriptæ obsignatæque sunt. Atque tali cambio horreum illud cum vinario vectigali, reipublicæ fisco iterum inexspectato restitutum est. Sed ecce instabilis fati rotam, dum enim omnes cives de jam dicto commodo exultarent, accidit ut *Chunradus Minnerus* junior miserabiliter confossus & exanguis in publica platea repertus sit, propter quam cædem, tantum non gravissima inter patritios seditio excitata, totam civitatis faciem in luctum convertit. Etenim cum tanti homicidii autor diu incertus haberetur, varia murmura multos bonos viros in suspicionem traducebant, donec vulgo ferebatur, *Luitfridum* quendam homicidii ejus autorem propter adulterii cum uxore sua suspicionem extitisse. Et quia hyems algidissima acerrimaque erat, maleque feriati homines tum conspirationes tum depopulationes frequenter faciebant, decrevit senatus haud inconsideranter, suburbium illud quod *Wogenbals* dictum, ab oriente civitatis nostræ ante *Formicatam* portam, usque ad *S. Servatii* delubrum extendebatur, simul ac id, quod ab occasu ante *Gegginnensem* portam erat, demolitum iri, eo quod cum mœnibus non essent illa cincta, facile cuilibet irrumpenti paterent, totique urbi tumultus excitare possent. Eo ipso anno etiam capitalis suppliciitumulus, a *Gegginense* porta in eum transpositus

Illsingii munificentia tabernam salinariam fisco restituit.

Cædes Minneri.

Demolitio suburbii Wogenbals.

Transpositio carnificinarum.

politus est locum, ubi hactenus cis *Sinckelim* occisorum cadavera, e regione Judaici cæmiterii irreligiosius sepeliri consueverant. *Patibulum* item, sive *publica Furca*, ab eo termino, in quo hodie ante jam nominatam portam *alta & lapidea statua*, vulgo *acutum signum* dicunt, situatur, ultra rivum *Hettebachum* trans *Werdachæ* pontem collocatum est quoque. Quanquam nonnulli annales hanc carnificinarum transpositionem decennio post senatus consulto factam velint.

A. 1365. Anno Domini MCCCLXV. civitatis nostræ consulibus curatoribusve *Hainrychio Herwartho* & *Joanne Dachsio* seniore, venit primum A imperator *Carolus VIII.* Kalendas Junii *Augustburgum* comitatu nitidissimo, ac a clero populoque debita reverentia exceptus, & pulsatis sub ipsius ingressum omnibus campanis, sicuti hodie majores bombardæ exploduntur ad principis adventum, honorifice ad hospitium deductus est. Post triduum vero hinc solvens, *Avinionem* in *Galliam* ad *Urbanum* V. Pontificem maximum, (qui amicitiæ gratia rosam auream dominica Lætare, qui dies ab eo flore apud vulgus nostrum, etiamnunc appellationem habet, *Joannæ, Apuliæ* reginæ, dono misit, ac primus paparum de simili, quotB tannis in posterum benedicenda, & devoto alicui, vel alioquin demerendo, imo dementando, regi aut principi mittenda, constitutionem, pro majore ecclesiæ obedientia, paulo pridem fecit) properabat, ejusque adjumento bellum avertebat, quod *Ludwichus Ungriæ* & *Casimirus II. Poloniæ* reges contra ipsum conspirantes parabant.

Carolus Imp. Augustburgum venit.

Annonæ vilitas.

Ecce autem tibi miram apud nos annonæ in foro diversitatem, Major modius *tritici*, qui mense Majo XLII. solidis publice væniit, is sub medium Septembrem XIX. grossis divenditus est. Similiter modius *avenæ* XVII. solidis Majo emptus, sub autumnum ejusdem C anni IX. grossis Dei benedictione valebat, & permutabatur tunc ævi forte unus *solidus* XII. nummulis, unusque *grossus* octo nummulis, id quod scire hoc loco operæ præcium est.

Excursiones latronum.

Cæterum quando *Brittannicorum* latrunculorum colluvies quædam ductorem habens, quem vulgo archipresbyterum vocabant, e *Galliis* in *Elsatiam* permagno numero irrupisset, jamjamque *Straßburgo* immineret, conscripsit senatus noster Julio mense in auxilium sociæ civitatis, centum galeatos equites, quorum singuli duos alios loricatos secum ducebant, ita ut in universum CCC. fuerint D Equites. Quorum supremus tribunus, *Chunradus* a *Burgovia*, stipendio centum librarum obolorum, *Johannes Marchschalckus* a *Bochsberga* signifer, *Hartmannus* a *Burgovia*, *Hansusque Remus*, turmarum magistri erant, suntque Galeato uni cum duobus ejus assclis simul. in singulos menses quinquaginta obolorum libræ in stipendium promissæ.

A. 1366. Anno Christi MCCCLXVI. *Hanso Vogelino* & *Paulo Pfettnero*, consulatum *Augustburgi* gerentibus, hostilis eruptio a nostris in *Bojariam*, sed non impune est facta.

Eruptio in Bojariam.

Anno sequente *Hainrychus Vogelinus* & A. 1367
Chunradus Rhelingerus civitatis curatores ac consules apud nos, pro consvetudine civium sunt facti.

Porro, ne quem episcoporum prætermittam, sciendum, quod vivente etiamnum *Hainrycho III.* præsule, sed ob novercale in optimum imperatorem odium, anno virginei partus MCCCXLVIII. a papa exauctorato, A. 1348. *MARCKWARDUS* a *Randecka Suevus*, cognomento *Neidlingus Bombergensis* exemtæ ecclesiæ præpositus, *Augustanæ* vero hujus custos, per *clementem VI. Lemovicensem* papam, *Avinionis* in dignitatem cathedræ ejusdem schysmatice intrusus sit. Qui statim conciliatis sibi civium animis eorundem militari præsidio, ut præmissum est, *Myndelbergensem* arcem, ob nescio quas causas infestissimo demolitus est animo. Et cum ad hæc usque tempora imperatorii Quæstores solum in civitate hac, sub episcopi tamen inspectione, pecuniam signassent, cambiorumque versuram exercuissent, *Marckwardus* iste a *Bohemico* suo Augusto, cujus aulam indesinenter secutus, locumtenens qualis in Italia, refragantibus pro virili *Mediolanensibus*, apud quos anno Christi MCCCLVII. captivus fuerat, præcipua in papam reverentia extitit, præter antiquorum ecclesiæ suæ privilegiorum confirmationes, etiam cudendæ propriæ, sed ejus tantum obolaris, & argenteæ, nec non aureæ monetæ potestatem, seu regalem prærogativam anno Domini MCCCLVII. sortitus est. Quin & A. 1357. fundato apud nos, anno salutis MCCCLIX. in A. 1359. cathedrali æde S. *Victoris* altari, *Küllenthallensem* arcem, quam ante VIII. annos *Ludwicho* de *Bartha* militi, consensu Collegii sui, pro nongentis libris obolorum impignoravit, a *Susanna Donnersbergense*, filioque ipsius *Sygefrido*, anno Domini MCCCLII. denuo coëmit, A. 1352. renitentibus aliquandiu nobilibus a *Franberga Schwevingaque*. Demum uti ecclesiastica quædam pro canonicis suis statuta hic condidisset, vicesimo episcopatus sui anno, patriarcha *Aquilejanus*, cujus ecclesiæ primatum *Venetæ* Harpyæ hodie penitus ad se rapuerunt, cum hactenus a Germanicis imperatoribus pependerit, designatus, *Augustanam* cathedram cognato suo reliquit, ac in sede *Aquilejense*, post septem, alios quidam XVII. ponunt, evolutos annos, III. die Januarii tandem defunctus vita est; cum non parva prius sollicitudine bellum, quod imperator adversus *Eberhardum Wirtenbergium* gessit, *Lambrechco* a *Borne Argentoratense Nemetensique* episcopo adjuvante, composuisset. Tantæ autem auctoritatis in vita sua *Marckwardus* iste fuit, ut post obitum relictus ipsius ejusdem nominis nothus filius, *Constantiæ* ad *Bodenseni* lacum, anno Domini MCCCXCIX. episcopus, *Friderici* A. 1399. *Nellenburgensis* prædecessoris sui resignatione, dicatur effectus. Sub hoc nostro antistite, A. 1355. *Johannes* de *Fischbacho* ann MCCCLV. tricesimus tertius abbas ad S. *Ulrychum Augustburgi* nostro undecim annis est factus, qui antea & diligentissimus librarius multisque eximus

Marckwardus Episcop. XLIX.

Jus cudendæ monetæ impetratum.

Marckwardus legitur patriarcha Aquilejanus.

Johannes Ulrichi abbas XXIII.

fuerat.

A. 1356. fuerat. Cæptum item proxime sequenti anno Senatus civilis permissu, id quod urbis pinea nux muris ibidem infixa adhuc testatur, devotorumque civium largitione, novum *propiciatorium*, vulgo *chorum majorem* appellant, ad ampliandam summam ædem, versus solis ortum hic, in eum publicæ plateæ locum construi, ubi in hæc usque tempora S. *Gertrudis*, proprio præposito sacelloque culta fuerat. Quo anno etiam episcopi confessione S. *Jacobi* delubrum extra mœnia in orientali urbis nostræ plaga, civium cum primis *Ulrychi Illsyngi* stipe, ad eorundem γεφυροτοκομείον reædificatum pulchrius est. Alii tamen an-A
A. 1360. no Domini MCCCLX. id primo extructum
A. 1357. esse affirmant. Anno deinde MCCCLVII. *Chunradus Minnerus* vir consularis & patritius, sacellum in medio cæmiterii, quoque inter Dominicam basilicam, & S. *Johannis* parochialem ædem hic condidit. Inde proximo anno
A. 1358. *Udalrychus II. præpositus ad S. Crucem VI.* *Udalrychus* II. *Gerstboferus*, Sextus ad S. *Crucem Augustæ* præpositus deligitur, præestque canonicis ibidem monachis XXVII. annis. Sed
A. 1359. *Gebhardus IX. & Johannes X. præpositi Georgiani.* & alio mox sequente anno successit *Gebhardo Vergio* in præpositura *Georgiana* hic *Johannes* quispiam viginti annis. Adhæc anno
A. 1360. *Engelhardi maj. ad. præpositus. Conradus Templ. Cathed. Decanus XIV. Baptizatur campana.* Domini MCCCLX. capitulum majus *Augustense* mystarum, quibus *Engelbardus* ab *Entzberga*, tunc præpositus & *Chunradus* de *Garenbacho*, decanus erant, cum episcopi sui consensu, statuta quædam & ordinationes, partim ecclesiasticas partim œconomicas concinnavit, inque rem suum edidit, quibus etiamnum hodie suaviter gaudent. Quo anno & *Ursbergense* cœnobium, pontificis summi indultu, abrogata præpositi dignitate, primum abbatem *Hainrychum* de *Raina* habere cæpit. At ut vanitates omnes recenseam, fusa pro collegiato *Mauritianorum* sacerdotum templo, in quo circa hæc tempora *Eberhardus* de *Randecka* post *Chunradum Fridbergensem* C præpositus & *Ulrychus* de *Schönegga* Decanus erant, permagna campana est, quæ contra veri baptismi institutionem, in ipso palmarum die, limphis tincta, reginæ cœlorum nomen,
A. 1362. proh pudor, anno Domini MCCCLXII. accepit: quanquam nonnulli impium hoc factum
A. 1333. *Fundatio Academiæ Viennensis.* anno Domini, MCCCXXXIII. perpetratum velint, quod forte in alio vase usu venit. Cæterum hac tempestate, quum bonarum literarum studia nec non philosophiæ, ac quarumcunque professionum rudimenta apud cathedrales ecclesias, ipsaque monasteria, ubi hactenus solum, nullis erectis academiis tradebantur, non modo negligerentur, insciteque frigerent, sed etiam detestanda barbarie plane extingui viderentur, fundata primum in Ger-
A. 1366. mania circiter annum salutis MCCCLXVI. universalis artium schola, publicumque doctrinæ gymnasium *Viennæ Austriæ* est, *Albrechto* II. cognomento *Claudo*, provinciæ ejus sapientissimo duce, & privilegia & stipendia quam liberalissima suppeditante.

Gualtherus Episcop. L. Demum recedente, uti jam dixi, *Marckwardo*, assumptus anno redemptionis nostræ MCCCLXVII. in quinquagesimum *Augustensem* pontificem, post agnatum suum est, *Gualtherus* III. a valle *Kyrchaima*, *Hochschlytziis* cognominatus. Hic quod antea *Caroli* IIII. imperatoris vices per Italiam gessisset, elatiore spiritu correptus, mox altero villicationis suæ anno, arcem *Myndelhaimensem* oppidumque *Oppugnans arcem Myndelhaimensem perit.* in gratiam cognatorum suorum, præcipue patrui sui *Hainrici* contra *Fridericum* ducem *Teccensem*, qui ea *Hochschlitziis* fraudulenter præreptum occupabat, obsidere, militariterque oppugnare *Augustburgensium* civium auxilio ausus fuit, ac dum improvidus, e castris ad mœnia usque, adequitat, ab *Eberhardo*, multi *Albrechto* legunt, comite a *Werdenberga* de mœnibus sagitta, quarto die Octobris interfectus, est. Sub hoc episcopo rexit *Ste- Katharina II. Stephabbatissa.* phaninum* gynecæum *Augustæ*, *Katharina Pincerna* de *Winterstetta*.

Sed ad civiles annotationes redeo. In hoc usque ævum, soli optimates senatoriam dignitatem, civitatisque *Augustburgensis* munia, mere & mixte, Cæsarum, præfectorumque indulgentia, obtinuerunt, administraruntque. Quia vero non semper pro publico omnium commodo, sed ad libidinem paucorum quoB rundam, nullo habito mechanicorum & plebis respectu, pleraque geri vulgo viderentur, ipsique adeo patritii, admodum atroces inter sese alerent simultates, & non raro superbius tumultuarentur, cepit plebs aristocratiam eam, tantum non tyrannidis initio clam insimulare, ac mox æmulatione *Argentoratensium Tigurinorumque* Democratiæ, qua illi anno Domini MCCCXXXII. lapso, hi vero quadriennio A. 1332. post,(*) justas ob causas nobilitatem suam in ordinem redegerant, minime obscuris significationibus corripi.

Anno igitur Dom[illegible]MCCCLXVIII. cum A. 1368. consulatum hic gererent *Hainrychus Herwarthus* & *Chunradus Bytschlinus* patritii, cumque *Ulrycho II.* comite ab *Helffenstaino*, *Augustga- Ulrichus præfectus. viæ* præfecto, & *Chunrado Heppingense* aurato *Conradus prætor.* milite civitatis nostræ prætore, annona tum levis esset, ut magnus modius *tritici* tribus libris obularibus, *Olyræ*, duabus cum dimidia, *Hordei*, duabus, *Aveñæ*, sesquialtera libris, minor modius *pisorum*, quinquaginta nummis, *Vaccinæ* item *carnis* libra unico nummo, *butyri* libra quatuor nummis, *vini* bilibralis mensura duobus nummis venierint. En populares subito nec tamen inpræmeditate, ante lucano XXX. Octobris diei tempore, quæ lunæ *Tumultus.* D dicata, post festum *Apostolorum Simonis & Judæ* erat, cunctas urbis hujus portas occuparunt, illisque probe, ne quis primorum elaberetur, munitis, in instanti tam ingentem fieri promiscuæ & ejus armatæ, feruntur enim XXIIII. aut ad minus XIX. vexilla habuisse, multitudinis ad curiam concursum, libertatis causa curarunt, ut conspirationis ignaris, horrendum latrocinium non ab re existimari potuerit. Ibi cum ambo Consules haud immerito terrefacti ex officio, ocius occurrissent, confestim dato campanulæ consvetæ signo,

(*) *Anno 1336.*

utrius-

utriusque ſenatus ordines cogi mandarunt. Qui univerſus propere, ſimul ac *Chunradus Illſyngus* ſupra Lapidè agnominatus, Ædilis, *Johannes Goſſenbrotus* ſigilli cuſtos, *Johannes Nogelinius*, *Formoſus* dictus, & *Bartholomæus Riedererus* publici cenſus ſive Tributorum magiſtri, ſtupidi magis quam mirabundi, demirandum quod ſi non deteſtandū videtur, quod tantam rem nemo ex patritiis olfecerit prius, advolantes, ad conſveta conclavia pro capiendo ex tempore conſilio ſollicite conſederunt. Plebis vero anteſignani, mox januas curiæ ſingulas arcta cuſtodia ſtiparunt, & ex præſentis turbæ colluvie, ſex viros pro plena inchoati negocii abſolutione delegerunt *Haintzium* nempe *Weiſſum* textorum cellarii magiſtrum, *Hainrychum Burtenbachum* piſtorem, *Hainrychum Wittzigerorum* pellionem, *Hanſum Weſſensbrunnerum* Salinatorum, *Sigbardum Schreiberum* cereviſiæ cauponem, & *Hanſum Bringerum* lanionem. Patres itaque manſvetiſſime ne dicam ſubmiſſe, quidnam inſolita iſta congregatio vellet, interrogantes, ab *Haintzio Weiſſo*, qui plebis interpres erat, ſatis reverenter & diſerte reſponſum acceperunt: ſe illis vitæ & bonorum ſecuritatem promittere, nec aliud quam ſtabilem reipublicæ pacem quærere. Aſt ſummam rerum, adeoque totius civitatis gubernacula ex ſuo arbitrio jamjam cum illis permutandam, ac claſſes ſeu tribus artificiorum pro communi, uti jactabant, omnium commodo & honore inſtituendos fore. Quæ vox ſicuti inſolentior liberiorque erat, ita non potuit non ſenatum ingenti angore afficere. Sed quid in præcipitio poſitus faceret? ad petita poſt feriam deliberationem annuit. Vulgus autem his non ſatiatus timens ne vana ſpe lactaretur, uti magnates ſolent, periculumque in mora ſubeſſet, e veſtigio etiam claves, tum ad claſſici campanam, tum ad fiſci Cameram, una cum municipalium jurium codice, civitatisque ſigillo ſibi in promptu exhibenda petebat. Id licet magis perplexos patritios redderet, neceſſitati tamen parendum cernentes, iterum tumultuantium votis aſſenſi ſunt. Et mox ſingulis compoſitis admiſſisque ſenatores cum plebium deputatis ſimul in forum *Berlachejum* deſcendentes, toto expectante populo, cum octuaginta ſeptem conſcriptis patritiis, utrinque corporale juramentum, *Cano Vogelino* concepta præclamente verba, præſtitere, & totum hoc negocium in acta ſolenni inſtrumento, quod XXIIII. die Novembr. poſtea exaratum fuit, triginta præcipuorum patritiorum, qui tunc ſimul urbis magiſtratus ac conſiliarii erant, videlicet *Hainrychi Herwarthi* Senioris, *Chunradi Bytſchlini*, *Hanſi Vegelini*, *Hanſi Dachſii* Senioris, *Hainrychi Vegelini*, *Berchtholdi Riedereri* Senioris, *Hanſi Ravensburgeri*, *Pauli Pfettneri*, *Chunradi Reblingeri*, *Bartlamei Riedereri*, *Hanſi Goſſenbroti*, *Chunradi Illſingi* ſuper lapide, *Hartmanni Onſorgi*, *Hanſi Brioli*, *Hanſi Dachſii* junioris, *Hainrychi Pfettneri*, *Marquardi Hangenoris*, *Rudigeri Rapoldi*, *Hanſi Welſeri*, *Joſi Vegelini*, *Wernheri Schoneggeri*, *Ulrychi Langenmantelli*, *Hanſi Remi*, *Leupoldi Kargi*, *Hainrychi Bachi*, *Caroli Bachi* junioris, *Erhardi Dillingeri*, *Petri Langenmantelli*, *Ulrichi Breiſſchuchii* junioris, *Martini Heutheri*, ſigillis notanter munito, contra omnem tergiverſationem, exceptionem, & principum tam privilegia quam reſcripta valituro, referendum perſancte promiſerunt. Ut nimirum abrogati jugi illo patritiorum dominio, deinceps centum continuos annos ac unum diem, quo temporum curriculo æternitatem Germani plerumque metiebantur, bini civium magiſtri conſulesve, tam ex Tribubus plebis, quam patritiorum albo, annuatim hic pari poteſtate crearentur. Et ut univerſa plebe in certas claſſes tributim diſtincta, Tribunitia autoritas in ſenatorum numerum haud poſtremo loco adſcriberetur. Denique ut ſubitanea hæc, aut ſi mavis temeraria politici ſtatus mutatio, tam cæptoribus quam ſuaſoribus, omni depoſito rancore, impunis eſſet. Qui vero refragarentur, publicatis illorum bonis immediate cum uxoribus & liberis proſcriberentur. Hujus plebiſciti diploma, inde adeo CLXXX. continuos annos ſemper plebejo conſuli, tanquam ſacroſanctum aliquid, certa ad ſervandum ſolennitate concreditum fuit. Dimiſſo itaque hiſce pactis, ſub ſerum veſperum cœtu, horribilis illa conſpiratio, placidum finem, præter opinionem ſane facillime ſortita eſt. In cujus rei ſignum atque adeo publicæ lætitiæ conteſtationem, donavit confeſtim eo ipſo veſpere ſenatus popularium artificiorum claſſes vino, quantum XLIIII. nummum libris, *Wirtzburgenſis* monetæ, cujus tres libræ duos *Rhenenſes* aureolos valebant, comparari poterat. Quo amice & hilariter evoto, univerſæ civium communitati neceſſaria, ac vitæ commoda ſocietas reſtituta, ac tanquam certiſſimo arrabone confirmata poſtmodum fuit. Quapropter S. P. Q. *Augſtburgenſis*, majoris tranquillitatis ergo juratos, nuncios, *Ulrychum Reckhardum*, *Spyram*, *Wormatiam* & *Moguntiam*, *Hanſumque Bantzerum*, *Strasburgum* & *Baſilejam*, ac dein civitatis pronotarium *Ulmam*, pro ratione ac ordine inſtituendorum tribuum miſerunt. Atque eo modo non ſolum præcipuarum imperii urbium, prudentiſſimorumque hominum maturas conſultationes adhibuere, ſed & quam plurima inter ſeſe exquiſitiſſime tum colloquia, tum deliberationes, amplius quoque agitavere, donec totam converſam rem in die *S. Katharinæ virginis* omnino abſolverint, initoque fœdere complanarint. Sunt que tandem juxta præſcriptas conditiones, *Johannes Vogelinus* ſenior, vulgus *canum* appellat, patritius, & *Johannes Weſſensbrunnerus* plebejus, ex ſalis Propolarum claſſe, multi ipſum jam etiam mercatoribus annumerant, conſules unanimi ſuffragio, altera poſt Nicolai feſtum pronunciati.

Et ex decem & ſeptem mechanicorum vulgi novis collegiis, addita mercatorum ſocietate, cui poſt patritios propria ſubſellia in ſeriaculo ſunt aſſignata, præter ſingulos Tribunos liber-

Reipublicæ formæ mutatio.

Seditio ex voto componitur.

De optima imperii forma conſultatio.

S. P. Q. A. juramentum præſtant.

Conſules patritius & plebejus.

Novi Senatores.

libertatis scilicet præsides, certus numerus in senatum est lectus, ita ut semper duobus Burgimagistris XV. ex patritiorum ordine, & XXIX. ex plebis Tribubus summatim in senatu assiderent. Ad cujus rei perpetuam memoriam avthenticæ tabulæ, civitatis majore sigillo roboratæ, accurate iterum sunt confectæ. Quibus & jam dictorum novorum consulum & præterea XXIX. senatorum, utputa ex patritiis XIIII. *Hainrychi Vögelini*, *Berchtoldi Riedereri* Senioris, *Pauli Pfettneri*, *Hainrychi Herwarthi* Senioris, *Johannis Hangenoris*, *Johannis Gossenbroti*, *Cbunradi Illsingi* super lapide, *Bartholomæi Riedereri*, *Cbunradi Bytschlini*, *Hartmanni Onsorgi*, *Rudigeri Rappoldi*, *Ulrychi Langenmantelli* cum *trigono*, *Hainrychi Bachi*, *Caroli Gollenhoferi*. Ex plebeis vero XV. *Hansi Goppoldi*, *Hainrychi Sydeleri*, *Hainrychi Burtenbachi*, *Cbunradi Loreintzii*, *Sighardi Schreiberi*, *Hainrychi Walckenberi*, *Hainrychi Witzigeri*, *Sighardi*, *Schusteri*, *Cbunradi Hugonis* coriarii, *Cbunradi Vogeli* institoris, *Haintzii Henereri*, *Hansi Schmidi* e regione *S. Margaritæ*, *Cuntzii Stainlini*, *Hainrychi Drechselii*, *Cbunradi Segmilleri*, privata sigilla quoque annexa sunt, in profesto *Thomæ apostoli* anno præhabito. Atque in hunc modum, *Carolo* imperatore, alias sagaciſſimo B principe, & Romani pontificis selectiſſimo amico, hypocritaque egregio, qui *Bohemicum* & *Francicum* regna plerumquæ magis excoluit, quam Germanicum imperium, nihil unquam aperte impediente, multo minus episcopo nostro contradicente, recens ista gerendæ Reipublicæ metamorphosis, constitutioque *Augstburgi* a concivibus miro consensu acceptata comprobataque est.

Ordo patricius. Hæc autem sunt hujusce ætatis patritiorum *Augstburgensium* nomina gentilicia, qui videlicet antiquis divitiis, propriorumque fundorum aut etiam feudorum redditibus C contenti, nullis vel mechanicis artificiis vel turpibus lucris palam dediti de suo honeste vivebant, nec ad plebis tribus, pro sua ingenuitate descenderunt.

Vid. Tab. IV. V. VI. Fig. 1. 2. 3. STOLTZHYRSII, LANGENMANTELLI cum *trigono* RIEDERERI, *Bytschlini*, *Langenmantelli* cum duplici R. *Minneri*, *Onsorgi*, *Luitholdi*, Cognonomine *Hangenores*, *Gossenbroti*, *Vœgelini*, *Gollenhoferi*, *Portneri*, *Bacchi*, *Luitfridi*, *Reblingeri*, *Welseri*, *Herwarthi*, *Illsyngi*, *Hojeni*, *Hofmairi*, *Köntzelmanni*, *Schongaweri*, *Vendani*, *Rappoldi*, *Humlocheri*, *Dillingeri*, *Pfettneri*, *Fidleri*, *Langii*, *Ravensburgeri*, *Hollones*, *Goldochsii*, *Winckleri*, D *Felckwini*, *Kargi*, *Cheileni*, *Brioli*, *Banwolffii*, *Schroteri*, *Hurnausii*, *Breiningi*, *Breisschuchii*, *Krantzii*, *Glaneri*, *Hallberi*, *Morenkopfii*, *Myleiseni*, *Hailiggraberi*, *Zollrajeri*, *Eylentaleri*, *Dorneri*.

VII. patrisii ad plebem transeunt. Inter quos cum & *Rhemi*, *Dachsii*, *Schönegeri*, *Heuberi*, *Nordlingeri*, *Alpershoferi* & *Dendrychii* hactenus quoque haud postremo fuissent loco, sive privati commodi multitudinisque liberorum sollicitudine, sive singulari quadam contumacia ducti, maluerunt ad vulgi Tribus cum quæstu descendere, quam in antiquæ dignitatis censu sortem suam attenuare, *Byttrychi* vero, *Rittschardi* & *Schrenckii* omnino civitate cesserunt ista.

Ordo plebejus. Est & similiter hæc popularium sodalitiorum sive Tribuum plebis, in qua universum vulgus *Augstburgi*, secundum manuarias suas, quæstuariasque operas, tanquam in cognatas familias, tunc temporis distributum fuit, Nomenclatura.

Vid. Tab. I. Fig. seq. MERCATORES, TEXTORES, INSTITORES, PISTORES, macellarii, sutores, Pelliones, Sartores, Cerevisiæ coctores, Lanifices, Lignarii Fabri, Ferrarii Fabri, Piscatores, Doliatores, Pomarii, Coriarii, salis propolæ.

Hoc loci jam non est silentio premendum, hodie sub Imperatore *Maximiliano II. Austrio*, in sola textorum tribu mille & sexcentos amplius τεχνίτας, quos vernacula sua lingua *Mäistros* vocant, hic esse, qui innumero famulicio, præter hausknappos, Ilinci, gosipii, & semiserici generis, simplices telas, bilicia, trilicia, quadriliciaque ingenioſe pariter ac Ariadnæo opere artificialiter contexant. Ad institorum classem pertinent Circitores, Bibliopolæ, *aromata vendentes*, quos *speciarios* vocant alii, Fusores æramentarii, quique ligulas, loculos, marsupia, cingula, cartas & talos lusorios, pectines tam corneos quam setaceos, clepsydras, specula, pileos, chyrotecas, calopodia, & similes nugas factitant. Pistoribus molitores connumerantur. Sub sartoribus Acupictores, Phrygiones, & qui lanceos pannos xilinaque radunt, continentur. Cerevisiæ coctoribus Zytopolisve Caupones adduntur, Oenopolæque Lanificibus, multiplicis colores tinctores, Purpurariique una cum Fullonibus adnumerati sunt. Sub fabris lignariis, Arculatii sive Cistellarii, statuarii, stathmiones Cementarii, Figulique comprehenduntur. Fabris ferrariis sociantur omnis generis metalla, præter aurum, argentum & aurichalcum exercentes, utputa, ferarii, enlifices, cultellorum, telorum, armorum, loricarum, cassium, calcarium, tractilium, machinarum, καὶ Αὐτομάτων Horologiorum factores, una cum tormentorum campanarumque fusoribus, nec non cupri artificibus, Chantarorum, lanceumque plumbearum fusoribus, pictoribus, vitriariis, fenestrariisve, & ephippiariis. Ad piscatores pertinent serrani, nautæ, & qui rates vehunt. Doliatoribus sociantur Torneatores, carpentarii, & qualiumcunque ligneorum tum vasorum tum cadorum constructores. Pomariis annectuntur Olitores, Hortulani, Agricolæ, Leguminarii & Funarii. Sub coriariis comprehenduntur alutarii, & qui membranas pergamenaque præparant. Salinatoribus captivorum custodia, priusquam subterranea illa ergastula, cæcique carceres forent ædificata, tali conditione demandata erat, ut fontes & criminosos, quamdiu senatus juberet, in curia observarent, ob debita vero captos non

ultra

STOLTZHYRSII.

Fig. 1.



LANGENMANTELLI.

Fig. 2.



RIEDERERI.

Fig. 3.



BYSCHLINI.

Fig. 4.



LANGENMANTELLI.

Fig. 5.



MINNERI.

Fig. 6.



ONSORGI.

Fig. 7.



LVITHOLDI. Cognomine Hangenorf.

Fig. 8.



GOSSENBROTI.

Fig. 9.



VOEGELINI.

Fig. 10.



GOLLENHOFERI.

Fig. 11.



PORTNERI.

Fig. 12.



BACCHI.

Fig. 13.



LVITFRIDI.

Fig. 14.



REHLINGERI.

Fig. 15.



VVELSERI.

Fig. 16.



HERVVARTHI.

Fig. 17.



ILLSYNGI.

Fig. 18.



HOIENI.

Fig. 19.



HOFMAIRI.

Fig. 20.



KŒNTZELMANNI.

Fig. 21.



SCHONGAVVERI.

Fig. 22.



VENDANI.

Fig. 23.



RAPPOLDI.

Fig. 24.



HVRNLOCHERI.	DILLINGERI.	PFETNERI.	FIDELERI.
Fig. 1. 	Fig. 2. 	Fig. 3. 	Fig. 4. 
LANGII.	RAVENSBVRGER	HOLLONES.	GOLDOCHSII.
Fig. 5. 	Fig. 6. 	Fig. 7. 	Fig. 8. 
VVINCKLERI.	FELCKVVINI.	KARGI.	CHEILENI.
Fig. 9. 	Fig. 10. 	Fig. 11. 	Fig. 12. 
BRIOLI.	BANVVOLFII.	SHROTERI.	HVRNAVSSII.
Fig. 13. 	Fig. 14. 	Fig. 15 	Fig. 16. 
BREININGI.	BRELSSCHVCHII.	KRANTZII.	GLANERI.
Fig. 17. 	Fig 18 	Fig. 19. 	Fig. 20. 
HALBHERI.	MORENKOPFII.	MYLEISENI.	HAILIGGRABERI
Fig. 21. 	Fig. 22 	Fig. 23. 	Fig. 24. 

B. sc.

ZOLLRAIERI.



EYLENTALERI.



DORNERI.



MERCATORES.



TEXTORES.



INSTITORES.



PISTORES.



MACELLARII.



SVTORES.



PELLIONES.



SARTORES.



CEREVISIÆCOCTORES



LANIFICES.



LIGNARIIFABRI.



FERRARIIFABRI.



PISCATORES.



DOLIATORES.



POMARII.



CORIARII.



SALIS PROPOLAE



GASSARI.



AVRIFABRI.



BALNEATORES.





B. sc.

ultra octavum detinere cogerentur diem, compedum tamen & vinculorum claves, penes *judicii nuncios*, quos vulgariter *Waibelos* dicimus, permanerent. Cæterum noſtro ævo cum publici tabernarii & caupones, majori ex parte contribules illorum ſint, fori Vinarii contractus & cura iisdem, tanquam proxenetis, commiſſa eſt. Monetarii vero & his conſociati Aurifabri, Vaſcularii Bracteariique per epiſcopos jam olim Imperatorum conceſſione reſervati propriis ſtatutis, ad inſtar privilegiorum vivebant, immunesque a ſenatus & Judiciorum ordine erant, quorum ſodalitium non *Tribus*, ſed *Inſpectio* dicebatur, uſumque anno Domini MCCCXLVII. A. 1347. in inſignibus, *calice* eſt, licet poſterioribus ſeculis loco calicis *deauratı trullam* ſive *duplicem ſcyphum* pinxerint. *Vid. Tab. VI. Fig. 21.*

Balneatores dein, tonſoresque & qui vulnerariam medicinam, hoc eſt, Chirurgiam publice exercebant, per Magiſtratum a publicis muniis liberi ſunt facti, quo videlicet arti ſuæ diligentius lubentiusque, nulla non hora diu noctuque pro ſubitaneis calibus, invigilare queant.

Anno itaque ſalutis MCCCLXIX. in ipſo A. 1369. candelarum feſto, quod *Sergius* Romanus papa ante ſexcentos octuaginta circiter annos, loco Februarum luſtrationum cum proceſſione & ardentibus candelis, ad IV. nonas Februarii, primus *divæ virgini* dedicavit, ſupra recitati conſules, *Voegelinus* & *Weſſenbrunnerus* novum Magiſtratum *Augſtburgi* inierunt. Quibus item nova electione, quatuor ædificationum magiſtri, nempe *Chunradus Illſyngus*, ſuper lapide, *Johannes Bachus* patritii, *Heinricus Burtenbachius* piſtor, & *Hainrychus Witzigerus* pellio, nec non quinque cenſores ſive Tributorum magiſtri, *Bartholomæus* ſcilicet *Riedererus*, *Ulrychus Langenmantellus* patritii, *Hainrychus Sidelerus* mercator, *Heinrzius Weisſius* textor, & *Chunradus Hugo* coriarius juncti ſunt. Quorum conſilio ſtatim publici ejus civium cenſus, quem *Struiram* vocant, ratio æquiſſima eſt habita, ac totius ſenatus decreto lex lata, ut de paratæ pecuniæ qualibet nummorum libra, duo *Wirtzburgenſes* denarii numerarentur, de immobilibus autem bonis, qualia ædes, horti, agri & alii fundi ſunt, dimidium ſaltem ſolveretur, aurea tamen & argentea tum monilia tum pocula, veſtimenta qualiacunque, plumea lectiſternia, periſtromata, utenſilia quæcunque, cum tota ſuppellectile, immunia cuicunque, uti hactenus & juris & moris fuerat, manerent libere. Quam penſionem utut æquabilitati conſentaneam, tolerabilem ac planam, Lanii, calceatores & cerdones tamen pro ſua ruditate aliquandiu impugnarunt. Poſtea etiam conſtitutio per ſenatum facta eſt, quis ordo civibus ſit ſervandus, cum vel hoſtibus præſentibus, vel in incendiorum periculis, ad arma concla matum fuerit, videlicet, ut omnes patritii, & quinque priores Tribus, cum patritio conſule ad curiam urbanam, quinque aliæ Tribus cum plebejo conſule ad aream *Ulrychianam*, quatuor item Tribus cum media parte Ædilium & Quæſtorum ad *forum vinarium*, quatuor aliæ Tribus cum reliqua Ædilium & Quæſtorum parte ad aream juxta *Marianum* templum decurrant. Qui autem in duobus ſuburbiis habitant in ſua ſtatione cum ipſorum centurionibus conſulum juſſa armati expectent. Inde ocioſi aliquot homines hic, ſimultates inter ſemetipſos agere, limisque oculis popularem magiſtratum intueri. Adhæc quidam raptu vivere ſoliti foris, graves ſubinde turbas reipublicæ noſtræ dare malevolentiſſime occeperunt. Etenim cum *Ottonem Schweninga*, prædonum armiductor, & præcipuus *Augſtburgenſium* hoſtis, a noſtris equitibus prope *Rumsburgum* captus, in vinculis apud nos detineretur, interceperunt vicisſim *Ulius Pfettnerus* ac *Greſſingius*, alii *Effingerus*, auxiliatores ejus ſub Maji initia, prope *Fridbergam*, *Haintzium Weisſium*, *Eggerum* & *Ungcheurum*, cives noſtrates. Quos tamen *Stephanus Bojariæ* dux, uti bonus vicinus absque mora certis præſcriptis conditionibus liberavit. Unde protinus VI. die Maji, capitis ſupplicium a dicto *Sweningenſe*, acculante plebejo conſule hic publice ſumtum eſt. Ipſusque *Bojus* XXVI. Junii, *Aitinga* prædam abegit, & ſacerdotum *Marianorum* præpoſito, *Ottoni* a *Sunthaima*, granarium refertiſſimum ibidem exuſit.

Insultus prædonum.

Census civium Augſtburgenſium.

Constitutio ignis extinguendi.

Porro ſub finem anni hujus, poſt interdictum eccleſiaſticum, quod *Chunrado* de *Zimber*, Chatedralis templi Decano, propter Diœceſani cædem, admodum rigide per totam hanc diœceſim ſervabatur, ſucceſſit tandem Romaniſtico more *Johannes Schadlandius*, *Jacobita*, & ſacræ paginæ *Colonienſis* Doctor, jam antea præſul *Hildesheimenſis*, quinquageſimus primus epiſcopus *Auguſtæ*, cujus iniquitate atrox ibidem clerum inter & plebem diſcordia, ob immunitatis horum aſſertionem viguit. Per cujus ætatem etiam *Gregorius XI.* papa (qui inſtituta feſtivitate præſentationis *beatæ Mariæ virginis* in templum *Katharinæ* de *Senis* στιγμάτιζος hortatione, papalem ſedem Romanis reſtituit, ac ab omnibus qui religionis ſpecie viliones loquerentur, cavendum ſtatuit) ad extorquendas ab univerſo omnium provinciarum clero, cunctorum beneficiorum & fructuum decimas, *Heliam* de *Verdone* legatum a latere milit, cujus exactionis memoratus *Schadlandius*, veclamantibus tribus Electoribus, Archiepiſcopis, per ſuam diœceſin primus collector extitit. Qua ex re majorem ſibi invidiam etiam a capituli ſui myſtis concilians, corraſis quibuscunque clinodiis ac theſauris, clam hinc auffugit, ac tertio nondum elapſo anno, munus id per abſentiam reſignavit, *Wormatiæque* obiens, *Confluentiæ* ſepultus eſt. Fuit *Schadlandius* iſte natione *Fryſius*, nec non officio hæreticæ pravitatis inquiſitor, & nuncius apoſtolicus irrevocabilis; qui præterea *Conſtantiæ* in *Suevis*, *Wormatiæ* ad *Rhenum*, nec non apud *Guhnam* in *Boruſſia* epiſcopatus inviſerat, & ali-

Johannes Schadlandius Epiſcop. LI. leg. Catholicus.

Decimæ a Clero exiguntur.

A. 1371. aliquandiu tenuerat. Primo autem ejus anno, nempe Christi MCCCLXXI. impia illa antiphona, quæ, *salve regina misericordiæ*, dicitur, & ab *Hermanno Contracto*, monacho *Sangallensi*, ante trecentos annos, vel ut alii affirmant, per *Petrum* episcopum *Compostellanum* primum compolita fuit; a *Sebastiano Illsyngo*, ad vicinam sibi *divi Petri* ædiculam, singulis sabbatis post vespertinas preces decantanda certo salario fundata primum hic est. Non desunt tamen, qui fundationem naeniæ hujus, præcise centum annis posteriorem faciant. Non multo post tempore *Hainrychus Ellerbachius*, Canonicus *Augustanus*, *Carthusiense* cœnobium in *Buxheima*, propter *Memmingam* primo erigi curavit.

Origo cujusdam antiphonæ.

Exstructio cœnobii Carthusiensis in Buxheima.

Fuit item sub *Schadlandii* episcopatu *Friderichus* de *Gumeringa* ad *S. Ulrychum* hic, tam ἄθεος & discolus abbas, numero tricesimus quartus, ut cunctos ferme sui conventus, ut sic loquar, fratres per tredecim eos, quibus præfuit annos, cœnobio effugarit, morositateque pepulerit.

Fridericus Ulrichianus abbas XXXIV.

A. 1370. Anno a nativitate Christi MCCCLXX. creati sunt *Augstburgo* nostro Consules, *Bartholomeus Riederer*us patritius, & *Sibotus Menchingerus* Plebejus, ex salis propolarum tribu. Sub quibus dum *Zengerus* quispiam ex improviso pecora nostris e pascuis hostiliter abigeret, cucurrit admodum imprudenter *Chunradus Vogelus*, antiquus Institorum Tribunus, in ædes *Dendrychii* successoris sui, & vexillum tribunitium abripiens, ad *Berlachejum* circum id armatus detulit, populumque citra Consulum licentiam ad eruptionem concitavit; cum tamen jam multi a Consulibus clam forent ad insequendum hostes emissi, qui tum pecora sine detrimento reduxerunt brevi, tum ipsummet *Zengerum* cum tribus servis captivum adduxerunt. etiam, cui quamprimum capitis pœna eodem die jure est irrogata. Mox utriusque senatus decreto lex est lata, ne quis injussu Consulum posthac vel ad arma conclamet, vel quomodocunque seditionem populi excitet, idque sub pœna perpetui exilii, aut quinquaginta librarum nummorum. Inde & XXIII. Aprilis confœderata est civitas nostra *Noribergæ*; *Carolo* imperatori suo, tanquam regi *Bohemiæ*, ejusq; hæreditariis provinciis. Postea contigit, dum conductitii reipublicæ nostræ equites, novum episcopum hinc *Gengam* conduxissent, ut in reditu XXVI. die Julii a nobilibus de *Landenberga*, *Stainbaima*, *Burgovia*, & *Burtenbacho*, non procul *Gundelfinga* capti sint, *Stadelbachio* ipsorum decurione cæso.

Tumultus.

Fœdus cum Rege Bohemiæ.

Interea domi *Sighardus Schreiberus* Zythopolarum tribus magister, & sigilli civitatis conservator, deprehensus in insigni publicæ pecuniæ furto, nam CXCVII. aureolos depeculatus fuerat, unica ea legatione, qua cum *Ulrycho* comite *Helffenstaino*, præfecto nostro, ac *Paulo Pfettnero Pragam* pro impetranda Tribuum confirmatione petierat, cum uxore & liberis in perpetuum exilium actus est. Hujus anni autumno periere præcoci frigore & botri & vites, tum ad *Neccarum*, tum ad *Acronum* lacum, unde insolitum *Lyæi* præcium hic invaluit, senatusque consultum super publicorum puteorum restauratione Reip. expensis fienda, factum est. Tandem IV. die Decembris, qui haud citra omen *S. Barbaræ* dicitur, conatus est *Jacobus Byttrichus*, olim urbis nostræ patritius, jam apostata, ac *Bojaricus* Hyppocentaurus factus, *Petrum Kuntzellmannum* & *Thomam Rappoldum* cives, ex ipsa hac urbe, proditione *Hermanni Haselnussi*, custodis portæ *Geggingensis*, proterviſſime abducere. Verum fraus ea non succeſſit. Quin potius post longam digladiationem, mutuaque vulnera, ipsemet *Byttrychus*, *Petro Langenmantello* & *Hanso Grosso*, propere adequitantibus, captus & in publicam curiæ custodiam saucius deportatus est. E qua post multam sed frustraneam *Friderychi*, *Stephani*, & *Johannis* ducum *Bojariæ* intercessionem, corrupto trecentis aureolis *Kuntzelmanni* famulo, cui ferarum claves erant creditæ, decima septimana elapsus, multa incommoda nostris infligi quinquennio amplius sategit. Porro annales quidam docent, hocce anno *Einsingam* oppidulum, ab *Augstburgensibus* esse combustum, nullam belli occasionem referentes.

Byttrichus duos cives abducens deprehenditur.

Anno dein MCCCLXXI. *Chunrado Rehlingero* patritio, & *Ulrycho Dendrycho* institore, consulibus non parum apud civitatem nostram trepidatum est. Nam *Bojarii* vicinam *Burgawiam* debellantes etiam *Augstburgensibus* minabundi arma intentabant. Verum a *Chunrado Teccense* duce, junioreque *Wirtenbergense* comite fortiter depulsi sunt, ac oppidulum id dicto citius receptum est. Nihilominus tamen jam nominatus dux cum socio comite, civitatum copias, inter quas vi fœderis *Augstburgenses* etiam non parvo numero militabant, Martio mense apud *Altbaimam* prœlio vicit, cæsis 1300. viris, captisque 800. Et postea, *Chunradus* a *Ereiberga*, cum nonnullis suæ parentelæ nobilibus, prætextu nescio quarum adulterinarum *Borochi* inquilini Judæi literarum, protinus civitati toti hostilia, ex *Liechtenberga* denunciat, quæ illa quod capitularis, ut dicitur, Canonicorum suorum senatus a partibus civium ob commune periculum staret, facile ad tempus contemplit. Eodem anno fulgura tonitruaque, quæ Kalendis Octobribus cum inauditis grandine & imbre inciderant, cives hic eo usque perterruere, ut extremam præ foribus diem esse putarint. Decimo tertio dein Kalendarum Januarii die, senatus consultum est factum, ut hi qui ob mutationem magistratus municipali renunciarant juri, & tamen in propinquis prædiolis & hortis habitantes, civitate & foro, indies gaudebant, aut civitati iterum intra octiduum nomina darent, aut toto quinquennio cum uxoribus & liberis proscripti haberentur, constituta non levi comtemptoribus pœna.

A. 1371. *Metus belli vicini.*

SCtum de dandis nominibus.

Schreiberus de repetundis damnatus.

Anno salutis MCCCLXXII. *Chunrado Illsyngo* super lapide, patritio, & *Hermanno Nordlingero* mercatore, consulibus, statim etiam

A. 1372.

Craff-

Craffto Wallerus Freibergenſium ſe compli-
Incendium Oberhauſæ & Lechauſæ. cem, ac noſtris hoſtem declaravit. *Hanſus* item a *Schweninga, Ottonis* capite plexi frater, XII. Martii, *Oberhauſam* ſero veſperi, & ſub mediam noctem, *Lechauſam* incendit. Ex qua re implacabile bellum undique excitatum eſt. In quo tandem *Hanſus Schweningenſis* a noſtris conflictu quodam levi fugatus, & in *Lechi* gurgitibus ſuffocatus properando eſt.

Bellum adverſus Bojos. Ipſi quoque *Bojariæ* reguli bello illi ſe immiſcuerunt. Quapropter convocato ſub finem Maji majore civium Senatu, ab *Illſingo* conſule, quem una cum *Ottone Sunthaimenſe Mariano* præpoſito, *Cunizioque Byſchlino* corruptum fuiſſe, Annales aliqui teſtantur, de placandis non pœnitenda pecuniæ ſumma hoſtibus, & cumprimis de *Friderychi Bojorum* duce conducendo, propoſitum eſt. Verum patritiis, & in his potiſſimum *Paulo Pfettnero, Johanne Hangenoro, Chunrado Minnero, Ulrycho Breiſſchuchio*, & *Wernhero Riederero*, manibus pedibusque id diſſuadentibus, Canonicorumque collegio his aſſentiente, concluſum intrepide eſt, non cauponando, ſed belligerando rem omnem eſſe finiendam. Unde exaſperato *Bojo* illo, cives ſubinde ab inimicis laceſſiti, ſub medium Junium hoſtili animo, *Landsbergam* invadunt, ſuburbia illic & *Sandaviam, Kaufringam, Scheuringamque* pagos exurunt, unico ſolum cive ad portam *Hoſpitalariam Landsbergæ* amiſſo. Dum domi noſtræ interea ordinarius Senatus, majoris Senatus, qui ex CCXVI. viris, majori ex parte plebeis conſtabat aſſenſu, viginti *ærea tormenta*, quæ vulgo *pixides* vocant, præcio quinquaginta majorum librarum nummi, primo omnium pro Reip. uſu, ſibi fundi curarunt, ſericumque ſingulis tribubus plebis ad paranda vexilla diſtribuerunt.

V. viri belli negotiis præſunt. Atque ad prædictos duos conſules, penultima die Junii, quinque alios viros ſelegit S. P. Q. noſter, qui tanquam Dictatores cuncta belli negocia, communi tractarent expedirentque ſemper conſilio & fide. Eorum hæc ſunt nomina, *Chunradus Rehlingerus, Bartholomæus Riedererus, Rogerius* (*) *Rappoldus* patritii, & *Ulrychus Dendrychus, Hanſusque Erringerus* Plebei.

Horum igitur juſſu *Schönegga* menſe Julio a noſtris, contra *Hainrychum Freibergenſem* armis circumſeſſæ, agri vaſtati & multa præda abacta eſt. Quamprimum autem *Ulrychus Wirtembergius* comes, dicto *Freyburgenſi* miniſteriali ac Vaſallo ſuo, ocius robuſtiſſimeque ſuppetias ferret, eo *Augſtburgenſes* adegit, ut numerata ſibi quatuor auri drachmarum millium mulcta, eundem *Freyburgenſem* in integrum reſtituerint. Qui mox eandem ob rem *Friderychum Teccenſem* ducem, Imperialisque cameræ tunc judicem, antiquum videlicet præfectum ſuum, de novo militiæ præſentis ſupremum capitaneum aſſumere, non ſunt cunctati, illum ſtipendio quatuor millium aureolorum in biennium, quo tempore centies mille aureorum damnum & expenſas noſtri fecerunt, conducentes, ac ita iterum inſtructi & milite & animoſitate, vim vi depellere parant: *Schwabeggamque* XXV. Novembris exercitu plus quam inteſto contendunt. Arcem eam, latrunculorum, *Walleri* confugium, mox capiunt, & una cum viginti ſex manipularibus comburunt, junctumque vicum miſerabiliter diripiunt, denique ex adverſariis quinque captivos huc ſecum deducunt. Mox inde præcunte dicto *Teccenſe* duce, VII. Decembris, *Schongaviam* usque, mille quingentorum conductitiorum armatorum phalange, ad quam etiam dimidia civium pars expedita quoque fuit, penetrantes, nihil amplius, quod nulla tormenta, nullos arietes, nullas ſcalas, nec alias ad expugnationes urbium idoneas machinas, vel Ædilium ſocordia, vel conſulis *Illſyngi* malitia, ſecum advexiſſent, effecerunt, quam quod in regreſſu villas aliquot, prope *Landsbergam; Fridbergam*, & *Starebergam*, igne afflixerunt, innocentesque ruricolas plagis contuderunt. Senatus nihilominus tamen pro ſua prudentia, non parvis interim expenſis, apud Imperatorem, non ſolum per legatos ſuos, ſed & per alios illuſtres interceſſores, pacem ſollicitare, ac rogitare non deſtitit. Sed *Hylam* juxta adagium, *implorans*, fruſtraneam luſit operam. Nam *Stephanus* & *Friderychus* ſuperioris & vicinæ *Bojariæ* duces fratres, quorum hic *Magdalenam*, ille *Taddeam Bernabovis Mediolanenſium* principis filias ſorores, in uxores duxerat, quilibet centum millia ducatorum aureorum in dotem accipiens, collecta forti manu, fines noſtros viciſſim ingreſſi, eam provinciæ hujus partem, quæ *Regia via* vocatur, & quicquid ab utroque latere a *Kyſſinga, Geggingaque Menchingam* usque, item a *Pfersbaima, Oberhauſaque* ad *Gerſthofam Gablingamque* erat, XXI. die Decembris, ultrice flamma infeſtarunt ac deperderunt.

Pacem fruſtra rogitant Augſtburgenſes.

Fixis etiam a Septentrionali civitatis noſtræ ora, ubi patibulum eſt, caſtris, *Augſtburgum* noſtrum obſidere ac oppugnare tentant, & cum totis jam viribus, tam ad conflictum, quam ad expugnationem accingerentur, partim innumerabilibus catapultarum ictibus, milibusque civium telis, partim inſtantis hyemis ſævitia repulſi, obſidionem ſolvunt. Sociam autem terram retrocedentes cum caſtellis crudeli agmine conterentes, *Zuſembauſam* & plures alias per totum *Kyſchenauviæ* diſtrictum villas, in cineres redegerunt. Interea *Langenmantelli* patritii noſtrates *Wertingam* oppidum ſuum cum colonis ab hoſtibus redimere duobus millibus aureolorum coacti ſunt. Cives vero denuo ad arma reverſi CCC. equitibus emiſſariis, viceſimo octavo die Decembris, in ipſo nimirum *innocentium puerulorum* feſto, *Fridbergam* de improviſo adoriuntur, ac imparatos aliquot, una cum *Chunrado Freibergenſe*, arcis ejus præſide occidunt, oppidulum incendunt, & ſequenti die *Stettzlingam, Datenmiſſam, Ottenbauſam*, & *Beibybelem* inflammantes, magnam abigunt prædam, incolmesque domum reverſuntur. Eo ipſo bello & anno *Eringerus Schadlandii*, vere la-

Augſtburgi fruſtranea obſeſſio.

Augſtburgenſium in Bojos excurſiones.

Friderico, Teccenſi duci ſumma belli traditur.

(*) In marg. *Rudigerus.*

innosi præsulis, Burggrafius, una cum monetarii sui filio, propter vilius signatum argentum, præfatorum consulum consueta coram prætore accusatione, publice hic securi percussus est. Notatu dignum hoc loco occurrit, civitatem *Augstburgensem* hactenus per totbella, admodum humilibus mœniis, nec etiam profundioribus fossis, coronatum fuisse, præsertim vero suburbia, quæ sunt a *Cruciana* porta, usque ad *Werdachæ* pontem, & ante *Streffingeriam* versus *Bojariam* portam, omni muro caruisse, ac spissis tantum asseribus, præacutisque sudibus, & truncis roborum nodosis septa extitisse.

A. 1373. *Augstburgenses adversu fortuna confligunt.*

Anno Christi MCCCLXXIII, creatis *Joanne Gosenbroto* patritio, & *Petro Egenio* ex mercatorum classe, consulibus, flumina apud nos primis sex Januarii diebus valde exereverunt, & quando præ hostium rabie, adhuc nihil tutum, tota hæc nostra provincia esset, neque præterea ulla tranquillitatis etiam affulgeret spes, concessum per militares Septemviros nostris Volonibus est, ut illatas injurias reddito talione *Bojariis* recompensarent. Illi igitur numero plus minus trecenti, infracto spiritu, VI. Januarii die, qui *Magis*, vulgo *tres reges* vocantur, sacer est, erumpentes non exiguum pecoris numerum ex *Baidelskyrcha* abegerunt, multaque hinc inde nostra *Lechum* loca, quidam septem pagos scribunt, igne ærumnoso vastarunt. Donec *Croffto Wallerus* septuaginta longiores lanceas ferentibus equitibus stipatus, inopinata velitatione palantibus occurrit, ac ex ipsis centum quadraginta, alii CCL. volunt, in loco, qui propter *Mylhausam*, ad *Atram tellurem* dicitur, contucidaverit, & quinquaginta insuper comprehenderit, vivosque abduxerit. In qua victoria confestim magna atrocitate idem *Wallerus Wertingam* adorsus, *Langenmantellos* cum aliis quibusdam civibus nostratibus oppidulum illud possidentibus, ignis pœnam duobus aureolorum millibus redimere coëgit, id quod superiori anno perpetratum alii volunt. Cum vero in his emptibus publicum ærarium hic, tantis sumptibus nequaquam sufficeret, habita consulum autoritate totius communitatis *Augstburgensis*, ad festum *purificationis Mariæ virginis*, congregatio est, in qua novo plebisscito, pro reipublicæ usu & commoditate, tributa seu collectæ, eas plebs suo idiomate *Ungeltam*, hoc est, *Indebitum* appellare consuevit, de singulis tam negociationum mercibus, quam de potibnum frumentorumque generibus, decretæ sunt, ac cunctis indigenis impositæ, nempe ut de quovis tam *Mulsi* quam *Zythi cado*, vulgus *Aymorum* vocant, septima pars pretii, vini autem decem bilibralium mensurarum valor, ac de frumenti *tritici* eo *modio*, quem *Schaffum* indigitant, octo nummuli, de *Siliginis oliræve* modio, quatuor nummuli, de *globo Rhomboide* uno, vulgo *Scheghani* appellant, salis, tres nummuli, de *Marchionense integro panno* quinquaginta, & de *viliore laneo panno* triginta nummuli, de *centum libris piperis*, nam reliquæ aromatum species non admodum familiares usitatæque culinis, ista ætate adhuc nostris hominibus erant, quatuor solidi, & sic de omnibus aliis mercibus, paria vectigalia in fiscum redirent, id quod Imperator *Carolus, Sitavia* VII. die Aprilis usque ad suamet vel successorum suorum in regno Germanico revocationem, avthentico diplomate roboravit. Dum autem cuncta quasi in dubio utrinque penderent, ecce *Friderychus Noribergensis* Burggrafius, inducias *Bojarios* inter & *Augstburgenses* sesqui alterum mensem impetravit sequestratrie. Et habita sunt ea æstate frumenta hic vernalia gravissimo precio, nam magnus modius tritici quinque, olyræ, quatuor, & avenæ, sesquialterum aureos valuerunt. Sub autumnum deinde, qui præter consuetum calidus & siccus erat, adeo ut Octobre & Novembre mensibus subinde hic fulgura cum validissimis tonitruis coruscarint, missi a Senatu nostro *Pragam* ad imperatorem *Carolum* sunt, consul *Gossenbrotus*, & *Sebaldus Menchingerus*, una cum *Friderycho Teccense* duce, pro omnimoda mandanda pace. Qui cum ea peregrinatione MCC. nummorum libras, alii IX. millia computant prodige insumpsissent, nec tamen indiligenter quæ in mandatis habuerant, allata imperiali Tribunorum plebis confirmatione, quæ *Pragæ* XXVI. Decembris die, currente hocce adhuc anno data est, expediissent, mense Januario sequentis anni domum redeuntes, Magistratu moti sunt.

Annonæ caritas.

Pacem efflagitant.

Eodem anno post *Schadlandium*, BURGHARDUS *Ellerbachensis*, ab *Urbano* VI. ut vulgi computus habet, nam revera *Gregorius* IX. tum vixit, papa inquietissimo & rustico, qui extra Cardinici senatus ordinem Romæ creatus, festum *visitationis beatæ virginis* primo instituit, quique non sine totius religionis mutatione & scandalo corrivalem *Avinionis* habuit *Clementem* VII. insulam pridie divi *Nicolai* redimens, ac sequentis anni Dominica *Lætare*, consueta solennitate civitatem *Augustanam* ingressus, inque Cathedram suam exaltatus, posteaquam paulo antea *Kaysbaimæ* primicias suas, nec deinceps toto vitæ suæ cursu unquam Missam amplius, e qua tamen omnis pontificia religio pendet, celebrasset, triginta plus minus annis diœcesim hanc rexit.

Portoriorum institutio.

Quibus ob iniquissima postulata, pactorum inconstantiam, denique quod merces civium nostrorum sub suomet salvo conductu *Bojariæ* duci in prædam *Fuessæ* concesserit, toti urbi adeo detestabilis & invisus est redditus, ut non solum intra primum sexennium illi cathedrale palatium una cum monetaria officina, quæ in umbilico civitatis foroque medio sita erat, hostiliter diruta, verum etiam cuncta fere mystarum suorum ædes, a civibus, ut inferius patebit, demolitæ ac destructæ sint. Ob quam violentiam cives illi tandem, facta compromissoria compositione, septem aureorum millia numerarunt. Altero

huius

hujus episcopi anno, venit in ipso Quadragesimali jejunio, pontificis a latere legatus, genere *Columnensis*; *Augustam* nostram XXXVI. equitibus stipatus, qui pro mensa sua, cuncta vasa, utensiliaque ex auro & argento fabrefacta habebat, id quod hactenus plebi apud nos non fuit visum, præsertim apud *Spirituales*, quos sic vocant. Eum Canonici nostrates, quorum major præpositus per hoc ævum annos ferme triginta quinque, *Otto* a *Sunthaima*, sacerdos valde Martialis fuit, non levi sumptu, utputa in singulos dies decem auri drachmas, contribuendo, diu cum famelica familia, nullo sui commodo, alere coacti, *obedientia charitativa*, ut dicunt, sunt. Octavo præsulis ejus anno nova & devota quædam vesania, sathana efficaciter illudente, mortales *Augustburgi* nostro ad *S. Viti* in atrio pontificali fanum, populariter dementare primum cæpit. Quem furorem cum pastor verus, vel ejus loco mystarum Decanus, *Ulrichus* scilicet Burggrafius ab *Ebinga*, ab ovibus pellere minime curaret, consul misso prætore cum publicis ministris, eum inhibere serio impedireque pientissime non dubitavit. Quin & divina ira dein superstitionem eandem peste nefanda expiavit.

Otto maj. æd. præpositus.

A. 1381.

A. 1386. Anno salutis MCCCLXXXVI. factus est ad *S. Moritium* apud nos Præpositus, *Eberhardus Randeccensis* de vallo *WaldKyrcha*.

Eberhardus Moritianus præpositus.

Item & anno Domini MCCCLXXXIX electus est *Petrus* quispiam, ad *S. Crucem* hic decimus præpositus, qui cænobio illi septem annis præfuit, eumque intra triennium tres præpositi, utpote *Chunradus*, *Hainrychus II.* & *Udalrychus III.* apud eosdem monachos præceserant. Porro antistes hic novum *Kayshaimensis* cœnobii altissimumque templum anno Domini MCCCLXXXVII. denuo consecravit. Sacellum item novum, Hospitali *S. Spiritus* hic junctum,, eodem anno Kalendis Octobris, divis *Medicis*, *Cosmæ* & *Damiano*, nec non *S. Elisabethæ Thuringicæ* clynicæ dedicavit.

A. 1389. *Cruciani præpositi. Conradus VII. Hainrichus II. VIII. Udalrichus III. IX. & Petrus X.*

A. 1387.

A. 1395. Anno autem salutis MCCCXCV. mortuo post sedecimum officii annum, *Udalrycho Susio*, vocatus e *Rhodtensi* cœnobio huc, *Eglolffus* quidam, duodecimus ad *S. Georgium* præpositus effectus est. Sicuti & sequente dein anno, *Johannes Langingerus* abbas *Fuessensis*, ob rei familiaris prudentiam *Augustam* accersitus, tricesimus sextus monachorum pater ad *S. Ulrychum*, exauctorato *Hainrycho* de *Gabelbacho*, ventre ignavissimo, septennio quam utilissime constitutus est. Depositio item *Petro* decimo sexto *Ursinense* abbate, *Annæ* sorori suæ cœnobii administrationem idem noster episcopus commendavit, quæ tandem tamen curarum pertæsa, anno salutis MCCCXCXI. *Chunradum* & *Hauffanum* dictæ abbatiæ præfecit. Hujus præterea præsulis tempore, multi ex hac civitate *Monachium*, pro remedio animarum, ad eas profecti sunt indulgentias, quas tres *Bojariæ* duces Germani fratres, anno Christiano MCCCXCIII. a *Bonifacio X.* papa inerudito, qui tamen Romæ contra *Benedictum XIII. Avinionis* regnantem residens, *Annatas* ecclesiastici aucupii haud mi-

Udalrichus II. XI. & Egloffus XII. Georgiani præpositi.

A. 1396. *Hainrichus VI. XXXV. & Joannes II. XXX. VI. Ulrichiani abbates Abbates Ursinenses.*

A. 1399.

A. 1393.

nimam speciem, primus sacerdotibus in perpetuum instituit, dimidiarum pro mercatu utilissime impetrarant. Sequente dein biennio plurima hic inter cives, propter *Waldenssium* dogma, tum superstitiose tum dire peracta leguntur. Etenim ut quædam obiter recitem, sacerdos quidam, cui nomen *Hainrico*, *Ulrychi* Burggrafii de *Ebinga* supremi chori decurionis evocatione, *Bamberga* huc gladiatorio animo veniens, initio plurimum in usurarios concionibus suis invectus est, mox vero tantas eisdem suis sermonibus tragœdias contra hæreticos movit, ut episcopus illi & vitæ & necis arbitrium in eos concesserit. Qua autoritate Spermologus ille fretus, nonnullos cives nostrates, quorum nomina in actis urbanis reperiet lector, ob insimulatam hæresin vivos comburi judicialiter obtinuit apud senatum, ac postmodum inquisitoria autoritate tam varias revocationum, tanquam ridiculas pænitentiæ formulas, pro errantibus a fide commotus est, ut etiam resipiscentes flava cruce, vestibus a pectore & a tergo assuta, ab orthodoxis non lapsis dignoscendos tandem exhibuerit. Talem tamen ignominiæ notam habitiores apud episcopum auro, utpota pro qualibet persona septuaginta aureolis, non absque turbis expurgarunt. Cæterum anno Christi MCCCXCVIII. electus post *Nicolaum Petrus Stainberus* duodecimus præpositus ad *S. Crucem* hic novem annis est. Fuitque sequente anno *Waltherius Schubelius Aichstettensis*, juris utriusque Doctoratu insignis, apud summam ædem *Augustæ* Canonicorum præpositus. Cui post decennium *Burghardus*, de *Eisenburgo* in eadem dignitate, annis tantum non viginti successit. Anno Domini MCCCCII. agitarunt prædicatores cuculla-ti *conventiculum*, quem sua lingua *capitulum* vocant, *Augustburgi*, quo ducentos amplius ejusce ordinis priores, pro suffulciendo mendicæ religionis statu, confluxisse in acta relatum est. His senatus civilis pro hospitali xenio, quinquaginta aureolos & decem *metretas* vulgo *Aymeros* nominant, *Athesini* vini dono dedit. Extremo fanum *S. Leonhardi* ante *Geggingensem* portam, anno salutis MCCCCIII. mense Septembri ædificari primo cæpit. Id post centum & quadraginta annos securitatis ergo iterum ex agro tolli, ac omnino destrui ab urbano senatu jussum est. Sed ad institutum.

Hainrici insanus adversus dissentientes zelus.

A. 1398. *Nicolaus Petrus Crucianus præpositus XII.*

A. 1399. *Waltherius maj. æd. præpositus. Burghardus ejusdem successor.*

A. 1402. *Monachorum prædicantium capitulum.*

A. 1403.

Anno Christi MCCCLXXIIII. consulatum hic ineuntibus *Chunrado Illsyngo* II. & *Ulrycho Dendrycho* itidem II. concessit imperator *Carolus*, XI. Januarii, *Pragæ*, reipublicæ nostræ privilegium, super indemnitate, ac non resarciendo damno flammarum volantium, aliorumque incommodorum hostibus in bello datorum, quæ fortuitu etiam insontes aut neutrales tetigissent. Et tertio post hunc die, protinus Senatus *Augustburgensis*, pro comparandis majoribus belli nervis, priora tributa confirmavit, ac suffragante populo, desuper dimensum privatum, de qualibet potus mensura, vini qui sex nummulos pretio non excederet,

A. 1374. *Caroli privilegium de indemnitate.*

Novum tributum.

cederet, ac mulsi unus nummulus, cariores vini 3. oboli, *Athesini Italicique* duo nummi, ab Oenopolis & cauponibus ærario inferendum statuit. Inde Imperator, intestinas nostrorum discordias, haud æqua diremit lance, initio enim conventiculum liberarum *Sueviæ* civitatum, ad *Gemundiam* sub Februarium mensem conscribens, ingentem pecuniarum summam propter ruptam pacem, crebrasque illarum conspirationes indixit. Quod ubi durius illis videretur, nec facile acquiescere possent, infecta re discessum est. Interim Senatusconsultum, Dominica Lætare, qua novus episcopus forte huc primo venit, hic est factum, ut posthac ædiles, Sigillique civitatis custodes, ex minoris Senatus ordinis, necamplius ex maioris consilii numero, secretis votis eligerentur. Dumque adhuc & anxie & diutissime, in Senatu nostro bellici eventus disputantur. En tandem *Marckwardus Aquilejensis* patriarcha, episcopus quondam noster, totum illud bellum, quod inter duces *Bojaros* & *Augstburgenses* hactenus satis cruentum viguerat, dirempturus, XX. Junii die non parvo comitatu huc e *Forojulio* venit, ac præsentibus etiam, *Hainrycho Gumpenbergio*, *Hainrychoque Waldeccense*, *Bojaricis* legatis, accepit ab utraque parte compromissionis cautionem, & dicta die tandem *Hochstettii* XIII. Julii mensis luce, cuncta per arbitrariam sententiam tali composuit lege, ut defalcatis ad invicem tum detrimentis, tum cædibus, dimissisque libere captivis, mutua deinceps inter vicinos permaneret & pax & concordia.

Imperator liberas Sueviæ civitates conscribit.

Ineunt pacem.

Augusto dein mense missi sunt in civitatem hanc a nondum placato Imperatore legati, *Ulrychus* a *Mannersberga*, & *Chunradus Reyssus*, qui inquilinis *Judæis* maximam pecuniæ exactionem imperarent. Quod ubi senatus contra libertatem suam esse diceret, vimque & intentata per legatos vincula, a meticulosis recutitis prohiberet, de novo gravem, imperatoris indignationem incurrit. Interponente autem *Eberhardo Wirtembergense* Dynasta vices suas, attentatæ aliæ transactiones tam diu sunt, quoad sæpedicti Imperatoris commissione, cujus rei gratia *Rosenbergius* Baro, & quidam nobilis a *Kolditzio* legati erant; *Kyrsbaimæ* in ipso *divi Martini* festo, universa negocii ejus moles plene sublata complanataque & acerba *Caroli* iracundia satisfactione nummaria lenita est. Erant in pacificatione ea *Augstburgensis* Reip. legati, *Chunradus Illsyngus* consul, *Johannes Gossenbrotus*, & *Ulrychus Hornerus*, qui demum dicto *Wirtembergio* Sequestro, Imperatori tricies septies mille aureolos civitatem nostram solutura, id quod haud citra maximum fœnus & instituta nova vectigalia est præstitum, impetratis duobus terminis, datoque sexaginta ingentiorum civium vadimonio spoponderunt. Quin & Judæi nostrates non impune ea compromissione abierunt, decem enim aureorum nummorum millia seorsum numerare compulsi sunt, quæ summa *Bojariæ* regulis addicta cessit. Estque his conditionibus tandem *Augstburgum* in gratiam a *Carolo* Imperatore, qui *Brandenburgensem* principatum ab *Ottone*, *Bojariæ* duce, filio Imperatoris *Ludwichi* trecentis *Rhenensium* aureolorum millibus tunc emerat, receptum ac XI. die Decembris *Noribergæ* novo super *Judæorum* subjectione privilegio ab eodem donatum. Sed & integra pax, cunctis superioris Germaniæ, præcipue *Sueviæ* Imperialibus, civitatibus, quæ æque non parvam pecuniam contribuerunt, est data. Quidam autem mulctas has, eam ob causam civitatibus irrogatas docent, quod cum præfatus Imperator, sedecim *Sueviæ* oppida, sine medio Romanum imperium recognoscentia, inter quæ *Nordlinga*, *Dinckelsbyhela*, *Bopssinga*, *Weilaque*, *Bojaris* ob *Brandenburgensis* marchionatus redemptionem impignoratæ erant, nulla sui culpa, vicinis quibusvis principibus, vel penitus vendiderat, vel saltem nunquam redimenda oppignoraverit. Alia quatuordecim contermina oppida, quæ adhuc libera, similem fortunam metuebant, inito mutuo fœdere, ipsi rebellionem moliti fuerint, & ascito *Austriæ* ducis auxilio, se suaque fortissime a servitute & subhastatione defenderint. Hinc nostri homines, juramentum fidelitatis per literas, tanquam syngrapham, Imperatori præstiterunt absenti, antiquumque cum regno *Bohemiæ* fœdus redintegrarunt. Ipse vero imperator pro sua potestate, *Chunradum*, alii legunt *Ludwichum*, comitem *Oelingensem*, provinciæ & civitatis nostræ præfectum, *Sultzbachii* confirmavit. Qui item suo jure *Johannem Deudrychum* prætorem civitati dedit. Posteaquam consul *Illsyngus* & *Paulus Pfettnerus* Senatus nostri nomine, *Teccensem* & *Bojaricum* duces, propter *Eparchiam* eandem parantes bellum, muneribus *Güntzburgi* reconciliassent. Tam infelix autem hocce anno & in foro & in pistrinis annona fuit, ut magnus modus *tritici* quinque *olyræ* quatuor, & *avenæ* sesquialtero aureolis in urbe nostra sit divenditus.

Reconciliatio cum Imperatore.

Chunradus præfectus.

Johannes Deudrychus prætor.

Anno MCCCLXXV. dum adhuc satis turbarum prædones, grassatoresque Reipub. nostræ dare pergerent, stato electionis die hic consules creati sunt, *Chunradus Rhelingerus II.* & *Johannes Rhemus* ex laniorum tribu.

Ex quibus hic, cum subpræfecto, stipendiariis equitibus stipatus, provinciam perscrutando, *Wilhelmum Wallerum* & *Schadulium*, hostium primipilos, ac *Hansi* a *Schwaininga* complices, animose intercepit, ac protinus VI. Februarii die, vinctus huc pertraxit, criminalique accusatione coram prætore *Dendrycho* in jus rapuit, ubi capitis damnati e vestigio ante Senatoriam domum, sub ipsum vespertinum crepusculum ad ardentes faculas, securi percussi sunt. Qua de causa socii supra modum irritati, nullam vindicandæ horum mortis occasionem prætermiserunt. Cumprimis vero *Craffto Wallerus* homo inquietissimus, in agnati ultionem CLX. boves nostris laniis apud *Mergenthaimam*, ea quæ pentecostes celebritatem præcedit, Lunæ die, vulneratis custodibus jugulavit, & inde fremebundus, haud aliter,

Wallerus insultus.

aliter, ac ſi taurinum ſanguinem potaſſet, ad civitatem hanc feſtinans, cum nemo alius occurriſſet, miſerum bubulcum cum ejus ſervulo, nihil mali meditantes, ad Lechi ripam, ſupra *Hauſtettenſem* portam, dum pecorum armenta paſcunt, confodit, conviciisque & minis in cives ad ravim usque ejaculatis; eodem quo accurrerat avolavit furore. Unde in illum publica præconis voce, tanquam in notorium latronem conclamatum hic eſt, ſimul ac mille quingenti aurei his, qui vivum adduxiſſent, aut mille, qui interfeciſſent, decreti ſunt. Promiſi præterea a Senatu quingenti aurei ſunt, ſi quis cognatum ipſius nempe *Seytzum Wallerum*, ac ducenti, qui *Sreffanum Eglingerum* complicem eorundem occidiſſet.

Annonæ caritas. Laboratum præterea hoc anno, exceptis jam dictis calamitatibus, tanta annonæ caristia per urbem hanc eſt, ut modius magnus *tritici* octo libris *Siliginis*, quod genus frumenti verius *olyram* vel *ſecale* dixeris, ſex; *hordei* quatuor, & *avenæ* duabus noſtratium nummulorum libris venierint. Quare ſenatus per ſorum totamque adeo civitatem, ne videlicet fœneratorum iniquitate miſeri arctius premerentur, cunctis frumentis æquius precium, ſeria lege conſtituit. Porro libra una nummulorum valet unciam argenti, aureolus vero unus centum & octuaginta nummulos continet. Irrumpentibus autem iterum tunc temporis, permaximo exercitu *Cuſſini* claſſico, e *Gallia* ad *Rheni* partes *Britonibus*, petiit, *Leutbaldus*, *Auſtriæ* dux, per literas XXII. die Julii, *Rhynfeldæ* exaratas, a Senatu noſtro militare auxilium. Quod dum paratur, a noſtris agmina illorum latrunculorum partim *Helvetiorum Rauracorumque* armis, partim *Elſaticarum* civitatum pecunia repulſa ſunt. Viceſimo tertio dein Auguſti menſis die, dum cuncti proſeſtum *divi Bartholomæi* apoſtoli ſecure apud nos peragerent, irrupit ſub ſerum heſperum, *Jacobus Byttrychus*, ſeptem latrunculis comitatus, in *Nicolaitarum* ſuburbium, ac ſuo more quatuor qui forte obviam fiebant homunciones, inter quos & mendicus leproſus erat, in deſpectum civium plus quam ſanguinarie necavit, magnoque ſublato clamore, ceu re ſtrenue geſta, ultra *Lechum* ſe ad ſuos recepit. Is idem *Byttrychus* ante aliquot menſes, in ſacri paſchæ feriis, duobus coriariis civibus, manus prope *Schrobenhauſam* præciderat etiam. Quapropter quando alia via, malum hoc e medio tolli non poſſet, idem precium in eo vel interficiendo vel captivando a ſenatu noſtro conſtitutum eſt, quod paulo poſt ſuperioribus diebus adverſus *Kraffto-nem Wallerum* promulgatum publice fuerat.

Byttrichus acerrimus Augſtburgenſium adverſarius.

Merckli-nus capite plectitur. Et ne quis *Augſtburgenſes* ad ſuorum vitia connivere, ac exterorum ſolorum cruorem ſitire exiſtimet, ſciendum, quod *Mercklinus Hangenor* patritia familia natus, ob peculatum, quem in recipiendo publico civium cenſu, commiſerat, in *Berlæi* circi angulo, juxta perforatum truncum eum, extremis ſuppliciis tollendi, impediti olim aſſervabantur, hodie pede tantum ad mortem educendi illum pulſant, eſtque ceu cavea tectus, ante auroram adventantis XXIIII. *Septembris*, nonnulli *Kalendis Maji* volunt dici, ad tædas ardentes, ſumma ſeveritate plexus capite conſulis accuſatione eſt. Cæterum contagioſa quadam peſte, *Peſtis in-ter feras.* feras quascunque, puta cervos, lupos, hinnulos, urſos, capreas, apros, lepores, & vulpeculas, in nemoribus & ſylvis periiſſe hoc, & proxime ſequente anno, venatores noſtrates non ab re demiratos eſſe, in vulgaribus chronicis reperio.

Anno MCCCLXXVI. ſub *Chunrado Byt-* A. 1376.
ſchlino II. & *Johanne Blumsbacho* inſtitorum contribule, conſulibus, *Friderychoque Bo-* *Fridericus.*
jario Rheni Palatino, provinciæ ac civitatis *præfectus.*
Augſtburgenſis præfecto, ſenatus conſultum eſt factum, ut civitas ea ante *Stræſſingeriam* portam irrigua foſſa fortius munirentur. Id *Seceſſio ob* dum Ædiles, quorum uni nomen *Frantzo*, *foſſam fa-* qui ſocio imperioſior erat, probe exequi per- *ciendam.* gunt, ac pro ſtructuræ illius exigentia, de propinquorum civium hortulis domunculisque aliquid adimendum fore indicerent, adeo præfracta cervice illis *Hanſus Erdingerus*, cum *Joanne Dachſio*, *Lorentzioque Metzgero*, renitebatur, ut non modo publico commodo adverſari, aut ceptum opus remorari velle viderentur, ſed & facta ad *Jacobæum* fanum ſeceſſione, facile quam plurimos, præſertim eos, quibus præterfluens aqua cellariis damnoſa imminebat; adhæc eos, qui jam antea Vinario vectigali ſe injuſte premi quiritabantur, in partes ſuas pertraherent. Quare Magiſtratus futurarum rerum providus, ne ſeditio excitaretur, partim ultionibus ultroneos, partim autoritate rebelles coërcuit, atque deſtructo *Dachſii* molendino ad dicta mœnia, pro temporum uſu, quæ decreverat, ſequente anno penitus abſolvit. Quo anno *Eberhar-* *Dillingeri* *dus* & *Carolus Dillingeri* patritii, quod frater *um exilium* ipſorum *Ulrychus* in *Atheſquis* alpibus, *Pfiſte-* *mittuntur.* *ris* civibus merces ſuas, proditione eorundem deprædatus fuiſſet, in vincula hic conjecti, vix amicorum aliorumque multorum precibus, gravi obligatione, civitatisque ad viginti annos abiuratione, liberari ex illis potuerunt. In cujus rei memoriam conſcriptæ XXII. die Januarii tabellæ, ac trium prædictorum *Dillingerorum* ſigillis conſignatæ ſunt. Porro *Wences-* hoc ipſo etiam anno, procuravit *Carolus IV.* *laus Cæſar* Auguſtus, *Wenceslaum* filium ſuum *Franc-* *dictus.* *furti* ad *Mœnum*, pridie Iduum Junii, in collegam ſibi ſucceſſoremque peſſimo, poſterorum exemplo, pridie Iduum Junii, aſſumendum. Et oppignorato Electoribus principibus totius quaſi Germanici imperii patrimonio, eundem apud *Aquasgraneas*, IV. Julii alii 19. volunt die in Regem Romanorum, per *Friderychum* archiepiſcopum *Colonienſem* coronandum, voluitque protinus, ut & ſingulæ civitates illi ſacramenta quoque darent. Quam novitatem *Sueviæ* noſtræ liberiora oppida, utputa, *Conſtantia*, *Ulma*, *Uberlinga*, *Lindavia*, *Memmuinga*, *Sangallus*, *Rottwilla*, *Reitlinga*, *Wila*, *Siberbachium*, *Ravensburgum*, *Campidona*, *Kaufbeira*, *Luitkircha*, *Wan-*

Wangia & *Isna*, icto fœdere, quod *magnæ Sueviæ liga* dicebatur, ægre admiserunt. *Augstburgenses* vero semel atque iterum recusarunt, Missa tamen ad illos gravi legatione, Dnn. videlicet *Colomanno* a *Dornsberga*, & *Eberhardo* a *Freiberga*, rem penitius considerantes, ad obsequium redierunt. Ac pridie Idus Augusti, tota *Augstburgensium* civium communitas, in foro publico, fidelitatis demum juramentum, de more, novo sed absenti præstitit Cæsari.

Augstburgensium privilegia confirmat

Nec diutius cunctata mox cum jam dictis legatis, alterum Consulum *Byschlinum* & *Paulum Pfettnerum Noribergam*, ubi tunc imperator cum Cæsare, post obsessam ejusdem rei caussa per Octobris initia in septimum usque diem, *Ulmam* comitia agebat, pro confirmatione tum antiquarum consuetudinum, emunitatumque, tum novellarum constitutionum misit, quam loquente auro largissime obtinuerunt. Clementissimus enim princeps tale privilegium avthentico diplomate insuper addidit, ut alio hinc migraturi cives, certam bonorum suorum pensionem, nempe decimæ partis valorem, fisco numerare prius cogantur.

Onsorgius urbe expulsus.

Interea dum hostes non quiescerent, adeoque *Hartmannus Onsorgius* civis & patritius, illis, præsertim comiti *Helffenstaino*, temerarie contra patriam inserviisset, civitate nostra in die S. Hilariæ 12. Augusti, expulsus est, quanquam & alia plura injuriose etiam perpetraverit mala. Unde confestim is *Wellenburgense* castrum, *Hauptoni Marchschalcko Bappenbaimensi*, securitatis ergo sua sponte satis insidiose dedidit, ac jam non amplius litem, sed ferrum intentare, prædasque pro libitu contra cives atque etiam contra *Johannem Bojariæ* ducem agere ausus fuit, comitesque item *Wirtembergios*, in quorum tutelam receptus etiam erat, adversus *Augstburgenses* inciare nunquam desiit.

Supplicia.

Quo tumultu *Bartholomæus Zollerus* civis, hostilibus addictus, foris a prætore *Dendrychone* interceptus, hucque pertractus in *Berlachejo* circo decollatus est. *Utzius* item *Ringus* ob sculpta adulterina sigilla, senatus nostri accusatione impensisque *Laugingæ* fervente oleo pœnas dedit. Eodem hocce anno exustum est molendinum illud, quod ad eandem lamam situabatur, quæ vulgari lingua *pfladerlacha* dicitur, simul ac aliæ nonnullæ ædes in foro boario atque ad S. Nicolai suburbium.

A. 1377. Anno Christi MCCCLXXVII. Consulatum *Augstburgi* ineuntibus, *Rudigero Rappoldo* patricio, & *Joanne Fidelero* ex mercatorum societate, finitum est, constitutæ per provinciam hanc pacis tempus indutiæque.

Fœdus inter Augustanos & Stephanum Bojducem

Quapropter respublica nostra, præteritis aliis Imperii oppidis, *Stephano Bajariæ* duci, qui *Ingelstadii* regiam suam habebat *Burghardo* episcopo, & toti Canonicorum suorum consortio, paulo post pascha, privatum tranquillitatis gratia junxit fœdus. Acceo freta, cum *Dendrychus* prætor stipendiariis civium equitibus stipatus, provinciam pro more lustraret, *Wellenburgensem* arcem forte custodibus vacuam, ex improviso sub medium Aprilis intercepisset, ex toto *Onsorgis* hostilia mandavit, simul ac *Marckschalcko*, quæ in ea tunc habebat, libera dimisit. Ipsam vero arcem prædicti *Boji* ducis auxilio subruens, confestim solo æquavit, *Hartmannumque Onsorgum*, cum uxore & liberis recepta prius triplici *Stuira*, prorsus extorrem pronunciavit. Interea *Eberhardus Wirtenbergensis* Dynasta, die Jovis immediate pentecostes festa sequente, cum confœderatis *Sueviæ* civitatibus, ad *Reutlingam* quoque amissis pluribus nobilibus infeliciter pugnavit. *Teccensis* item dux *Friderychus*, *Raufbeyrham*, nostratis *Aichstettensisque* episcoporum auxilio, magno molimine & corporis sui periculo frustra obsedit. Nam adventantibus *Memminga* civitatum confœderatarum copiis, facile in fugam versus est. Orta etiam interea apud urbem nostram contentio, inter *Marianos* mystas & cives est, de precii locatorum fundorum auctione, numismatumque in solvendis redditibus inæqualitate. Quapropter Senatus VIII. die Septembris statuta aliquot contra pfaffiorum insolentiam & avaritiam sanciit. Post quæ *Friderycho Bojariæ* duce, qui *Landshutæ* residere solitus fuit, intercedente, æqua pax prædictis civitatibus, sub finem Septembris, *Wirtembergio* & imperatore est concessa. Cæterum turbis hisce sopitis, cæpere civitatis hujus mœnia, fossæque hinc inde, fortius communiri in alium eventum.

Anno Domini MCCCLXXVIII, *Chunrado Illsingo III.* & *Petro Egenio II.* consulibus, facta est a Senatu constitutio, ne quis ullum officium, aut quodcunque civilium muniorum per electionem delatum, vel alias per Senatum injunctum recuset, sub pœna X. librarum nummi. In cæteris vero satis tranquille civitas *Augstburgensis* domi floruit. Foris autem sub Pentecostes festa *Ulmensibus*, cæterisque imperii civitatibus, quæ *Wirtembergensem* terram, captis *Aschbergæ*, *Minsinga*, *Stottzingaque* & *Brandenburgo*, adhuc debellabant, *Teccensisque* ducis ditionem *Mindelhaimæ* populabantur, copias suas strenue adjunxit, ac oppidum *Walam* cum castro diripuit diruitq;. Cum denique penultima Novembris die, alii VI. Kalendas Aprilis volunt, jam fato suo *Carolo* Imperatore *Pragæ* mortuo, & in monte *S. Wenceslai* ornatissime sepulto WENCESLAUS filius ipsius, ex *Anna Suidnittia*, *Noribergæ* natus, quem nostri, quod reliquam Germaniam non curarit, *Ignavum*, sui vero, quod *Waldensibus* faverit, *puun* appellarunt, jamjam per sese regnare, imo oscitare occiperet, ne subita mutatio motus pareret, valde sollicita non abs re extitit. Porro XX. die Decembris Senatus consultum hic est factum, ut ni *Judæi*, apud nos commorantes, hæredes de debitis mortuorum civium, intra anni curriculum convenirent, causa caderent, totiusque debiti jus amitterent. Quo anno præterea, fusa hic in atrio *Ulrychiano* Reipub. impensis, per *Johannem Arovienſem* tria ænea tormenta fusa sunt,

A. 1378. *Constitutio de non recusando officio delato.*

Wenceslaus natus.

Tria ænea tormenta fusa.

sunt, quorū majus globum tam ferreum quam lapideum, centum viginti & septem librarum, alterum septuaginta librarum globum, & minimum quinquaginta librarum globum, mil spacium mille passuum ejacularetur, tradiditque idem artifex etiam infarciendi explodiendique bombardas eas, artem, speciali salario, tribus tantum senatoribus, nempe *Johanni Vendio, Johanni Illsyngo*, & *Johanni Elmbacho*, tam secreta adhuc ejus rei practica erat.

A. 1379. Sequente anno postquam *Chunradus Reblingerus* III. & *Ulrychus Dendrychus* itidem III. solito more consules hic essent facti, parvamque spem cuncti in novum Cæsarem, qui mense Februario hujus anni, curiata comitia *Noribergæ* agitabat, nec posthac unquam amplius in Germaniam extra Bohemiæ regnum venit, ponerent, relictis principibus junxerunt sese, S. P. Q. *Augstburgensis*, in ipsa divi Jacobi majoris apostoli consobrinique Christi celebritate, reliquis *Sueviæ* imperialibus civitatibus, fœdere quam sacerrimo, ad XII. annorum curricula. Tali nimirum pacto, ut præter imminentium bellorum subsidia, semper XII. hastatos equites, nonnulli CXX. ajunt, expeditos & in procinctu haberent. Porro fœderis hujus supremus dux erat *Ulrychus* comes ab *Helffenstaino*, idque paulo antea dictæ civitates, contra nobilium quorundam insultus, more *Schwitzerorum*, consensu sui superioris inter sese fecerant, sicut & *Rhenanæ* civitates jam quoque similem legam habebant.

Fœdus inter Sueviæ civitates.

Leutbaldus præfectus.

Hoc anno *Wenceslaus* Cæsar, provinciolæ civitatisque nostræ præfecturam, contra parentis sui privilegium, *Leutbaldo III. Austriæ* duci, qui cognomen habuit *decus auratorum equitum*, oppignoravit. Unde negocia aliqua senatui nostro non leviter sunt oborta, quæ tamen brevi usque adeo placide summota sunt, ut jam dictum ducem, senatus sibi quietis ergo in capitaneum armiductoremque certe stipendio delegerit, eo quod vicinus & *Burgovii* limitis comes esset.

Post ista decretum in senatu XXVIII. Octobris die est, ut quicunque hic cædem fecerit, quinquennii exilio, & viginti libris nummum irremissibiliter deinceps mulctaretur. Universi item cives inde in vigilia *Thomæ Dydimi apostoli*, ad curiam suam congregati, unanimi voto sancierunt, ut omnes tam cleri quam monachi hic, in posterum eum censum exactionemque de suis quoque bonis, decimisque Quæstoribus Reipub. contribuerent, quem cæteri inquilini annuatim numerarent, exceptis, quas inhabitarent ædibus. Quæ constitutio ex eo ortum habuit, quod nonnulli sacerdotes contra Senatus inhibitionem Oenopolarum ritu, vina civibus mensuratim divendere non desisterent in fraudem vectigalis.

Constitutio de vectigali a clero quoque solvendo.

A. 1380. Anno Christi MCCCLXXX. *Chunrado Byschlino III.* & *Johanne Plintsbacho II.* consulibus, senatus non modicis adhuc in augustiis constitutus fuit, tum propter immunitatum suarum, præsertim earum, quæ præfecturam urbis non oppignorandam concernebant, confirmationem obtinendam, tum ob terrificam pestem, quæ per civitatem totamque provinciam hanc tam dirum in modum mortales in ægros ipsaque adeo bruta animalia desæviebat, ut plerique ob mentis alienationem, dæmonio obsessi crediti sint, ac medietas ferme incolarum furiose perierit. Qua de re dum nemo non sua aris præ devotione legare, inferias, funeralia, campanarum compulsationes parare, denique septimum, tricesimum & anniversarium depositionis diem celebrari sibi, magno sumptu satageret. Curavit idem Senatus noster, ut talia parcius & non in fraudem hæredum publicique erarii detrimentum confierent. Ceterum ad avertendam jam dictæ luis sævitiam, factæ sunt cum Sanctorum reliquiis, ut vocantur, *supplicationes*, quas *Processiones cruciorias* Pfaffi adpellant, per totam urbem, nudis pedibus & jejune. Certam item mercedem, necnon certas per diem horas, idem ipse Senatus operariis per urbem nostram, seriose constituit. Interea tamen & annona tam vili precio, per omnia vendibilis extitit, ut *olyre*, seu secalis magnus modius septuaginta sex *Regensburgensibus* nummulis, qui hodie vix uno commutarentur floreno, in publico hic foro venderentur.

Peſtis.

Et civitas a tergo templi *S. Galli*, non sine damno cœnobii *Stephanini*, usque ad vetera, prope *Ægidianum* Lararium mœnia communita muro est. Fueruntque Autumnus & Hyems calidissimæ constitutionis eodem hocce anno. Qua tempestate etiam patritiorum familias in urbe ista, privata symbola contulisse, ac in publicis chureis præcipua loca, quottidianisque congressibus proprias tabernas, plebeis sibi primum arrogasse, animadversum annales testantur. Et cum commodius contubernium non esset, diu in senatoriam domum, ad lusus conviviaque sua coire soliti fuerunt nepotes illorum.

Pars urbis munitur.

Anno Domini MCCCLXXXI. pridie Idum Januarii subito ingens his terris impendere cepit frigus, quod inde adeo in novum usque Kalendarum Aprilium diem, maxima vi perseveravit. Suntque interea stato festo *Augstburgi* consules lecti, *Rudigerus Rappoldus II.* & *Johannes Remus II.* Sub quibus cum per totam superiorem Germaniam equestris ordinis homines, varias confœderationes, alii titulo *S. Georgii*, alii *S. Wilhelmi.*, nonnulli *Panheræ* inter sese iniissent, tandem *Leoninæ* societatis nobiles per *Franconiam* furiis nescio quibus agitati, imperialibus civitatibus bellum non admodum legitimum, auctoramento *Bojariæ* ducum indixerunt. Cumque *Burghardus* præsul noster, qui ab initio præsentis anni, cunctos suos reditus per civitatem hanc senatui sex aureolorum millibus impignorasset, si non confœderatæ civitates id nostris, *Ulmæ* in publico conventu prohibuissent fœdere illis quoque, una cum primario suo collegio, junctus foret, simul ac *Otto Sunthaimius*, majoris templi præpositus, ope *Schellenbergensis* cujusdam, tres nostrates cives, videlicet

A. 1381.

Lites inter cives & Episcopum.

Burg-

vadum

radum Flisyngum, Rudigerum consulem prædictum, & *Josum Waltenboserum*, extra civitatem mense Martio per vim cepisset, quos tamen *Ulmenses* subita velitatione, comprehensis duobus ex hostibus in tempore liberarunt, protinus universo clero hic senatus nomine imperatum est, ut vel civitate migrarent, vel in verba consulum jurarent. Adhæc quicquid episcopalium, aut Canonicorum ædificiorum per civitatem hanc intra XIIII. pedem dimensionem, mœnia attingebat, ejusdem Senatus jussu dirutum ac eversum est, sectis lapidibus inde ad mœniorum structuras deportatis & præpositi bonis confiscatis, Sacrificuli vero minores, monachique qui hic permanere cupiebant, idemq; periculum cum civibus sustinere parati erant, civitatem emendo, tum publicos census, tum stipendiaria onera, & quæcunque alia vectigalia, civili magistratui pensitare, cogebantur. Et licet tota vicinia in his motibus tristis, totaque adeo civium communitas, asperior solito viderentur, dæmonis tamen ludibrio non caruere.

Hansi impostoris supplicium.

Mendicus enim quispiam, cui nomen fratris *Hansi* erat, per totum Majum mensem & deinceps, hic ante *S. Viti* in episcopali area sacellum, epilepticas convulsiones, jactationemque corpusculi cum oris spuma frequenter simulans, eo rudiorem plebeculam insaniæ redegit, ut non parum multi utriusq; sexus, se tali spectaculo eadem affectione quoq; abripi superstitiosissime opinati sint, ac insanis saltationibus clamoribusq; ad animi usq; deliquia ferme agitati, vix per Prætorem & publicos adparitores demum compelli potuerint. At cum erro vagabundus esset, facile dolum prudentiores agnoverunt, ac subiecto nebulone quæstionibus, non modo impostor, sed & turpissimus prædicator est deprehensus. Quare una cum colluforibus *focius*, nempe heremicola ad *S. Leonhardum* extra *Geggingensem* portam, duobus aliis *Beghardis XX.* die Julii, præfecti urbis judicio, igni traditus est. Porro æstate ea *Augustburgi* nostro frequens confœderatarem civitatum, præsentibus etiam aliquot principibus conventus habitus est, in quo cum & *Stephanus Bojarus* Dux fuit, in cujus aulicum quendam a *Weicbs, Hartmannus & Rudigerus Langenmantelli*, ob privatas causas, manus injecerunt, captivumque detinuerunt. Quod facinus Dux adeo ægre tulit, ut e vestigio urbem cum suis egressus, non modo sibi salvum conductum violatum senatui indignabundus exprobravit, sed etiam cuncta *Langenmantellorum* bona fundosque, quos a *Bojarica* domo in feudum habebant, exasperatissimus, in fiscum rapuerit. Unde postmodum ea permagno difficulterque in beneficium illi re impetrare potuerunt. Inter hæc *Judæi* inquilini, in vincula conjecti, quinquies mille aureolos ærario civium, ad festum *S. Bartholomæi apostoli*, inferre compulsi sunt.

Confœderatarum civitatum conventus Augustburgi.

Bellum cum hostibus gerunt Augustburgenses.

Glisente dehinc magis ac magis bello, expeditionem satis arduam civitates, primo in inferiorem *Sueviæ* partem, vulgo *Rbiesam* indigitant, fecerunt, atque inde in ipsam *Franconiam* arma moventes, satis prospere cum [illegible] tauris illis bellum gesserunt. Miserunt [illegible] *Augustburgenses* octavo die Novembris, [illegible] impedimenta & currus, quadraginta octo [illegible] statos, & triginta sagittarios equites, ac [illegible] pedites armatos in auxilium sociis.

Anno dein MCCCLXXXII. irruperunt [illegible] nis Januarii *Augustburgenses*, cum pauco mil[illegible] & centum loricatis equitibus in hostile solum, incensisque tribus pagis, *Oberdorffium* [illegible] mata occuparunt, & arcem ibidem [illegible] runt. Post paucos item dies, ob captu[illegible] vem quendam, acrius certamen eodem [illegible] se instaurantes, dimidia civium parte se[illegible] *Byberbachum Erchingeri Marchschalck* [illegible] nicipium invadunt, atque una cum ca[illegible] deditione gravidæ & jamjam partur[illegible] uxoris capiunt. Quod ubi in suam ditionem liberato e vinculis concive coëgissent, & sibi & suis in posterum patere jure belli voluerint. Quibus sic gestis, *Johannes Gossenbrotus* [illegible] *Johannes Fendus* ex mercatorum classe, co[illegible] les de more pronuntiati sunt apud nos. [illegible] licet satis circumspecte officium domi [illegible] rent, foris tamen, Martis furorem resi[illegible] nequiverunt. Nam episcopi non religi[illegible] sed potius rabiosi, manipulares cohortes [illegible] ipso tempore decem villas nostratium [illegible] puerunt incenderuntque. Quare popu[illegible] per omnem nostram civitatem, cuncta [illegible] sulis & Canonicorum bona, præsertim A[illegible] nain, in prædam verterunt, & inter sese [illegible] tari more distribuerunt. Cumque nullus [illegible] maniæ princeps, nedum ocioſus καὶ ὀυοσ[illegible] Cæsar, partes ab armis utrinque discedere [illegible] beret. En *Leutbboldus, Austriæ* dux, ac [illegible] usque *Sueviæ* provincialis præfectus, indi[illegible] tate rei desperatæ motus, pacis formulas [illegible] nobilitatem & liberas civitates, solus ten[illegible] cæpit. Quas cum ad optatum finem per[illegible] cere nequaquam posset, inducias tamen [illegible] quot mensium fecit. Quibus expirantibus [illegible] nuo atrocissimis animis pugnari reinceptum [illegible] est. Ac *Suevorum* urbes Rempublicam [illegible] stram juvando, & episcopi *Burgbardi* agrum [illegible] populantur, & per vicinam *Bojariam* ca[illegible] atque rapinas implacabiliter, adversariis [illegible] tiquam dormitantibus agunt.

Fulsit hoc anno cometa, quem sabba[illegible] XIII. Kalendas Augusti in regione ista, tam [illegible] hementes validique venti secuti sunt, ut non [illegible] solum arbores domorumque tecta divicce[illegible] verum insuper integra tuguriola horrea q[illegible] flatibus everterint, idque tam in civitate [illegible] nostra quam ruri. Ob sequentis item Au[illegible] mni justo pluviosiorem tempestatem, tan[illegible] murium hic ubique copia, in hortis & cam[illegible] nata sponte est, quanta ab hominum memo[illegible] non fuerit visa. De quarum abolitione, du[illegible] plus plebs metueret, quam præsens damnu[illegible] culparet, en simul ac semel sub ipsum Chris[illegible] servatoris natalitium diem, penitus & subi[illegible] extincta utroque sublata extitit. Cæterum [illegible] sub hisce turbis decretum in senatu est: Ne [illegible] quis vel consulum vel senatorum reipublicæ [illegible] nomine, ulli principi, Antistiti aut cuicum[illegible] que magnati, vadimonium promittat, aut

debitor

debitor esse velit. Et ut his, qui senatus causa ablegarentur, tum sumptu, tum equis & ministris per Quæstores prospiciatur.

A. 1383. *Vid. Tub. IV. Fig. 2.* Anno MCCCLXXXIII. *Ulrycho Langenmantello*, ejus familiæ, quæ *Trigoni rubri* insigne gestat, patritio & *Petro Egenio III.* consulibus, tam levissima & mitis tota hyems iterum fuit, ut nostri homines eam plane nullam hyemem dixerint. Ultima autem Martii die, utriusque senatus autoritate factæ sunt constitutiones civiles: *II. novæ constitutiones civiles.* I. Ne quis incolarum sine certa classe apud nos degeret, & ne quis quacunque de causa ab una Tribu ad aliam reciperetur, denique ut cuncti advenæ, A qui civitatem a senatu comparassent, libere quam vellent Tribum, salvo patritiorum jure, præscripto precio adire possint. II. Ut nemo deinceps in minoris senatus ordinem reciperetur, nisi decennio jam hic civis fuerit. Similiter, &, ut nullus in majus consilium adoptaretur, qui non antea quinque annis municeps noster fuerit. Quod decretum post unum & quinquaginta annos dein, iterum confirmatum hic est. Demum XVI. die

A. 1434. Octobris confirmatus senatus nostri assensu per Cæsareos legatos, *Noribergæ* in comitiis primum, in præfectum provinciæ civita- B tisque nostræ est *Leuthbaldus Austrius*, qui statim prætorem huc constituit, *Ulrychum* a *Welden*, virum plebi acceptissimum. Unde & annis plus minus decem in officio eo permansit. Quia vero funestum bellum continuo adhuc inter nobiles & civitates, parricidali acerbitate ferveret, illique sesemet mutuum ac sua attererent pessundarentque, reconciliationem tandem vicini pertentare, una cum utrorumque hostium sociis, sedulo satagerunt. Cumprimis vero viginti septem imperialium civitatum legati ad VI. diem Decembris, quæ divo *Nicolao, Myrrheorum* episcopo, non sine puerulorum tripudio dicata C est, *Augstburgum* missi sunt. Qui convocatis per fæciales, utriusque partis primoribus, gravamina eorundem & quærimonias examinarunt, ac totum controversum super illatis injuriis negocium, inter episcopum & Rempublicam *Augstburgensem*, juxta æquum & bonum, pro virili componere studuerunt. Denique propositis plurimis pacificatoriis conditionibus, nihil aliud apud duræ cervicis homines impetrare efficereve potuerunt, quam quod litis ejus determinatio, facta induciarum tantisper compromissione in sequentem annum rejecta sit. D

Ulrichus prætor.

Leuthbaldus & Ulrichus bellum componere studuerunt.

A. 1384. Anno itaque MCCCLXXXIV. *Rudigero Rappoldo* III. & *Ulrycho Dendrycho* IV. consulibus, per arbitrarium tandem supradictarum civitatum Oratorum sententiam, transactio, inter clerum & cives *Augstburgenses*, *Ulmæ*, cujus oppidi parochiale spaciosissimum templum ante septem annos, solis inquilinorum impensis, construi primo cæpit, estque undecimo anno absolutum, facta est. In qua *Burghardus* episcopus causa cadens, plane nihil eorum obtinuit, quæ contra senatum nostrum, vel propter rei pecuniariæ offici-

Burghardus causa cadit.

nam, canonicorumque ædium demolitionem, vel propter alias in urbem hanc ejusque portas jurisdictiones, iniquissime rum antea, tum per totum belli tempus prætexuerat, postulaveratque. Apparuit & preciosissimo hocce anno hic, in ejus dominicæ diei meridie, qui proxime festum *gloriosæ ascensionis Christi* præcedit, astrum splendidissimum sudo cœlo, quod plærique cum admiratione jucunde inspexerunt, multi dirum ostentum tristissime interprætati sunt. Sub finem dein Julii mensis, cuncti *Judæi* per civitatem hanc, Cæsaris *Wenceslai* consensu capti, ac ob nefaria scelera, quorum annales tamen nullam particularem faciunt mentionem, apparet tamen ob nimias fœnerationes id accidisse, vicies bis mille aureolis mulctati sunt. Id quod in singulis etiam *Sueviæ* nostræ oppidis, postea quoque, haud citra cædem, factitatum est. Omnium autem primi tumultus ejus *Nordlingensis* populus extiterunt, qui protervius rem eam, incitante *Oetingense* comite, inscio senatu incipientes, miseros recutitos, nulla habita vel sexus vel ætatis ratione, antepenultima die Julii penitus, supra ducentos fuisse constat, jugularunt, id quod vindicta non caruit. Porro XXVI. & sequente Decembris diebus terræ motum in hac nostra urbe nonnulli senserunt.

Judæi ingentem luunt pœnam.

Anno Christiano MCCCLXXXV. creati al- A. 1385.
tera die Februarii consules *Augstburgi* sunt *Chunradus Illsingus* IV. & *Johannes Fendus II.* Sub quibus Sabbatho ante Jnvocavit, qui dies XIX. Februarii erat, ab utroque Senatu decretum est, ut quicunque tam in Senatu quam extra Senatum, de abrogando tollendoque vinario tributo, verba fecerit, aut alioquin contra id vel publice vel privatim in ære quam corpore luat pœnam. Quo anno item Cæsar conventum ad ferias pentecostes, imperialibus civitatibus *Ulmam* peremptorie indixit. In quo decretum severe est, ut omnes debitores cum *Judæis* de usura & sorte, termino trium mensium paciscerentur, & singulis ad Assem computatis, quarta pars summæ decederet. Pro quo demum debito, illis deinceps vel prompte in solidum satisfieret, vel data hypotheca, vicesimæ tantum pro fœnore annuatim persolverentur. Porro vigente adhuc inter clerum & cives nostros vetere simultate, nihilominus tamen senatus Urbanus curiam suam in *Berlachio*, quum hactenus majori ex parte lignea fuisset, muris & lateritiis testudinibus restaurari curavit. Quin & contiguam angularem, versus Austrum, domum comparans, pro captivorum custodia, publicoque carcere primum adornare cæpit. Quo anno item *Lechus*, *Werdacha*, *Sinckelis*, & reliqui amnes hic, propter continuas posteriorum viginti Octobris dierum pluvias, adeo inundarunt, ut campi & agelli stagnum sæpissime sint habiti; damnaque non modica per provinciam nostram, illuvionibus illis acceperint. *Stephanus* autem *Bojoriæ* dux, *Elsam* filiam *Carolo Alberico*, cognomento *bene amato, Gallorum* regi hoc anno elocavit, &

Imperialium civitatum conventus Ulmæ.

Curiæ restauratio.

Inundationes.

& per hanc civitatem eandem XXVII. die Augusti permagna pompa in *Galliam* deduxit.

Sequente vero anno, qui a nativitate JEsu A. 1386. MCCCLXXXVI. numerabatur, inierunt consulatum *Ulrychus Langenmantellus* II. & *Johannes Remus* III. Hi primi apud nos, civibus litigantibus, vel alioquin simultates alentibus, pacem mandare cæperunt, ea lege, ut quicunque post talem consulis inhibitionem, vel facto vel verbo pacem violare tentaverit, in carcerem absque misericordia conjiceretur. Ea præterea consvetudo, tunc primum etiam invaluit, ut sese mutuo vulnerantes, aut saltim evaginato ferro ictus sibi jurgosius intentantes, intra XXIIII. horarum tempus, nomina sua Consuli ultro darent, cum hactenus duo viri a Senatu deputati fuissent, quibus culpam suam impacificos illos coram profiteri oportebat, ni publice nervia exponi, ex quinquennio exulare voluerint. Hi duumviri postea, ex officio de quolibet inflicto vulnere, unde *vulnerum magistri* vocabantur, duos aureolos mulctam exigebant, inque ærarium deferebant. Cæterum præfati consules, cum pacis tempore, ea quæ belli sunt cogitarent, ærariumque ob præteritarum expeditionum sumptus exhaustum, & inops factum viderent, rogationem de colligendis belli nervis, ornandaque & munienda civitate ad S. P. Q. fecerunt. Ad quam Tribuni plebis cum duodecim viris suis, initio duri difficilesque erant. Sagacibus tamen prudentum consiliis tandem, infesto *divi Bartholomæi Apostoli*, eo perducti, ut novum vectigal & vino & cæteris syceris denuo juramento CCCC. virorum, institui passi sint, quanquam nonnulli temporum annotatores exactionem istam sequenti anno demum factam putent; Dum modo præeminentiora tecta, suggrundia, vestibula, scalæque ædium & quicquid de privatis domibus publicas plateas, sive regias vias impediret, tollerentur. Adhæc cellariorum propylæa, quorum vestigia etiamnum in mediis compitis hinc inde clatratis fenestris cernere est, per totam civitatem diruerentur. Estque tunc plebiscito quoque decretum, ut cunctorum civium bona, non amplius privata & consveta æstimatione, sed tali tantoque precio jam censerentur, quali & quanto ea cujusque animo chara haberentur. Atque inde etiam *Lutholdo Wincklero*, *Lorentio Egenio* & *Hanso Mülichio*, ædilibus, publicum civitatis pauperum hospitale, juxta *Hausstettense* portam, camerata fornice per totum restauratum Septembri mense sequentis anni est, simulac civitatis fossæ profundiores factæ, ac muri sane ruinosi undique diligentius refecti sunt. Hoc ipso præterea anno, qui certe criticus fuit, *Wilhelmus*, *Austriæ* dux, *Cracovia* mense Januario fatum fugiens, non solum *Haidwigem*, dudum sibi a *Ludwicho Ungriæ* & *Poloniæ* rege socero desponsatam, sed & totum *Polonicum* in dotem assignatum regnum, Germanici nominis odio, *Jagelloni Lithuano*, illique ethnico infideli, relinquere coactus est. Quin item *Leutbaldus* alius *Austriæ* dux, ab *Helvetiis* suis, nona, die Julii ad *Sembachium* suum bello contrucidatus, postquam provinciolæ & civitatis *Augustburgensis* præfectus, clementissimus fuisset, *Wilhelmum Franbergium* ab *Haga* successorem longe diversissimum, in jam dicta præfectura, Cæsaris mandato, haud citra civium murmura habuit. Nam cum is *Wilhelmus* vir malus esset & immitis, præturamque ipsusmet apud nos hic quoque magna Senatus injuria administraret, tum pecunias mulctas pro lubitu auxit, tum civitatis quosdam reditus sibi deberi πλεονεκτικῶς contendit. Quare vix quadriennio officiis illis fungi potuit, unde postea rempublicam nostram miris exagitavit technis.

Novi Consules pacem primi litigantibus mandant.

Tributum civibus imperatur.

Remoræ viarum rollantur.

Hospitalis pauperum refectio.

Wilhelmus præfectus & prætor.

Anno MCCCLXXXVII. novi consules hic A. 1387. dicti sunt, *Joannes Langenmantellus*, cognomento *Radawerus*, patritius, & *Chunradus Wiserus* Salinatorum contribulis. Quorum tempore mira quædam Epidemia mortales per urbem hanc totamque adeo superiorem Germaniam corripiebat, qua ægri quatuor vel quinque ad summum dies, molestissimis destillationibus laborabant, ac ratione privati instar phreneticorum furebant, atque inde iterum convalescebant, paucissimis ad orcum demissis. Vulgus nominabat morbum *Gune Byrzelen*. Ad hæc, quod pejus est, *Bojaricum* illud bellum inchoatum est, quod deinde toto subsequente biennio duravit. Etenim *Stephanus Ingelstadiensis* dux, post spoliatos *Nurmbergenses* mercatores, etiam sex *Augustburgenses* cives *Wasserburgi*, nil tale vel meritos vel metuentes, in vincula conjecit. Quod quamprimum hic innotuisset, interceperunt vicissim & nostrates haud injusto dolore *Chunradum* a *Freiberga* ingenuum, una cum duobus aliis *Bojaris*. Id dux indignum ratus, mox facta permutatione, nostros homines liberè quidem dimisit, sed effreni insolentia, antiquum vulnus refricans, variis causam dedit turbis. Quapropter prudentissimus noster Senatus, violentiam eam imperialibus civitatibus conquestus, opem illorum enixe imploravit.

Morbus Gunebur-zelen grassatur.

Bojarici belli origo.

Unde anno Domini MCCCLXXXVIII. *Rogerio Rappoldo IIII.* & *Johanne Fendo III.* consulibus junxerunt hand impigre vires, Cæsaris nutu, in gratiam læsæ nostræ Reipublicæ, universæ ex *Suevia*, *Franconia*, *Elsatia* & *Rheni* partibus, imperiales civitates, atq; *Augustburgi* in unum exercitum, *Ulrycho Helffenstainense* Dynasta ductore, quem cum a *Wirtembergensibus* paulo post interceptum sociæ civitates sex aureorum nummorum millibus, confestim redimere pararent, hostes in carcere *Falckenburgi*, nobilibus a *Neidburgo*, *Liechtenstaino*, *Klingenfelsio* cædem facientibus, plus quam impie præcisa gula, jugularunt, conglobatæ, nempe bis mille quingenti equites, & quinquies mille pedites, XXV. Januarii die, in ipso scilicet conversionis, *Pauli doctoris gentium* festo, hinc non segniter *Lechum* trajicientes, *Pilgrino Saltzburgense* archiepiscopo, totius hujus belli inceptore, commilitante

A. 1388. *Imperiales civitates Augustburgensibus auxilia mittunt.*

in

Bojariæ devastatio.

in *Bojariam* irruerunt. Quam quod hostis imparatior se in tuto contineret, hinc *Regensburgum* usque cis Danubium, & illinc ultra eundem fluvium redeuntes, *Ulmam* usque oppida, castra, villas & quicquid obviam fuit, diripuerunt igne & ferro crudeliter vastarunt. Sub eam profectionum manualium bombardarum tormenta nostris in usu fuisse, ac tam altam cœlo decidisse nivem, quantam nemo se vidisse prius recordaretur, in annalibus. Vicesimo secundo dein Februarii die, quem ob Pontificiam cathedram *Petro apostolo Antiochiæ* concessam colunt, earundem civitatum A fœderatæ copiæ, nostrorum incitamento, oppidum *Meringam* expugnantes, penitus diripuere, ac una cum castello nullo præsidio firmato exussere,

Bojorum excursiones.

Qua clade *Bojarii* excitati, accitis conjuratis, & ipsi animum resumere, fines hostium superato *Lecho* ingredi, & quicquid ab utroque Regiarum viarum latere, supra *Augstburgum* continentur, simili sævitia deprædari, Vulcanoq; dedicare non cessarunt. Quin & præsentibus *Stephano* duce, *Ulrychoque Wirtembergense* comite, cæmiterium *Menchingense*, quod agricolæ arcis firmissimæ instar communie- B rant, circumvallant & capiunt. Inde *Kauffbeyrham* castra moventes, cum civitatum militares copias adversum se e *Memmingа* viriliter adventare, non citius per exploratores didicissent, quam septuaginta e sociis amisissent, *Augstburgum* magnis itineribus retro contendunt, illudque ante *Haußstettensem* portam biduo non tam arcte obsident, quam misere pagos propinquos deprædantur, & inflammant. Et quia consules nostri meticulosiores, quam par sit, viderentur, hostes nemine vel reluctante, vel insequente, *Wertingam* cum *Esinga* abeuntes, non sine maximo civita- C tis nostræ detrimento, occuparuut diripueruntque.

Prædam a Bojis recuperant Augstburgenses.

Cumque sic armis cuncta hinc inde inhumanissime perstreperent, irrupit & *Erchingerus* Marchschalckus *Byberbachensis*, *Bojis* adjutus, manipularibus, in agrum nostratem, ac X. die mensis Augusti, quo *Laurentius Hyspanus Diaconus*, Romæ ob Christi confessionem, craticula tostus creditur, civibus *Augstburgensibus* e pascuis prope patibulum ad Werdachæ fluenta M M. pecorum abegit. Dato autem per campanam classico sacram signo, quadringenti cives præpropere arma corripuere, hostemque magno animo insecuti, XX. ex illis captivos secum, una cum *Bojarico* vexillo, ovantes domum reportarunt, prædamque recuperarunt, occisis plus quam XXX. ex Centauris prædictis. Et licet conductitii reipublicæ equites, cum aliquot peditum cohortibus, *Hainrycho* ab *Abensberga* illorum duce, *Agri Bojarici depopulatio.* apud socias civitates in *Wirtenbergensi* agro abessent, cives tamen propter quotidianam adversariorum rabiem, nihil de proposito omittentes, jamdudum XVII. Martii die, *Recblingam*, *Scherneggam*, & alias quasdam villas impigre adorti combusserant. Et sicuti *Zusameckense* castrum, *Burckardi Ellerbachi*, verius Canonicorum pedites nostri exussere, ita etiam XV. Junii equites nostri quadraginta tres *Bojaricos* Hyppocentauros, solum nostrum populantes, prope *Hurlacham* contrucidarunt, & sedecim vivos secum huc vinctos deduxerunt. Quarto item Julii denuo nostri erumpentes, *Oberdorffium*, *Dornsbergam*, & *Ollingam* arces exussere, multaque spolia ex pagis ibidem domum retulere, *Boji* vero econtra XVII. ejusdem mensis die, satis viriliter in nostra irruentes, *Bergam*, *Leuttershofam*, *Stettbachium*, & quædam alia per *Reischenawiam* loca, inflammarunt. Quo tempore *Wielandus Schmelherus* castrum suum *Wolffsbergam*, *Stephano* duci *Bojo*, contra municipale juramentum præ timore resignavit. Estque nobilis ab *Holtzhaima*, ob denunciatam nostræ civitati hostilitatem hic securi percussus. Sed & *Katharina Seyfridi Illsyngi* civis nostratis filia, cum in hostili oppido *Lauginga* jus municipale haberet, atque sub bellum hoc, ad recipiendos, quos apud nos habebat reditus, huc venisset, Senatus jussu in publicam custodiam abducta est, ex qua vix octavo die Augusti mensis post pecuniariam mulctam, præstitamque de se non vindicanda cautionem, libere abire potuit.

Eberhardus Wirtemb. fœderatas copias prosternit.

Interea *Eberhardus Wirtembergius* comes, *Rudbrechti* Palatini aliorumque principum delectis subsidiis stipatus, civitatum copias, terram suam immaniter debellantes, secundo prælio, in profesto S. *Bartholomæi* ad *Wylam* Imperiale oppidum, *Hennenbergense* comite, supremo illarum armiductore, auro expugnato, *Noribergensibusque* ante tubæ clangorem fugientibus, superat, cædit, & cum non incruento, filium enim amisit, triumpho devincit. In ista pugna occubuit ex parte civitatum, præter mille alios, *Waltherus Ebingerus Ulmensium* capitaneus captique sunt inter reliquos sexcentos *Hainrychus* ab *Abensberga*, nostrorum capitaneus, & *Hansus Langenmantellus*, cognomine *Radawerus*, equitum nostrorum decurio, quorum hic DC. aureolis, apud *Rudbrechtum* Palatinum propriis impensis redemptus est. Valebat autem tunc temporis hic unus *Rhenensis* aureolus CXCII. nummos.

Hostilia inter Episcopum & cives.

Inde instante Autumno, dum *Augstburgenses* negociatores, *Venetas* merces, simulac *Athesina* vina, vulgus *Italica* falso vocat, D huc perferri plaustris & ratibus curant, liberum transitum a *Burghardo* episcopo, præ belli insecuritate, per territorium ipsius petunt. Quem dum ille salvum promisisset, statim credulí illi XXIIII. onustas & prægrandes sarcinas, ac LX. dolia mero repleta, *Fuessam* devehunt, quo cum perlata forent, en mitratus sacrificulus a *Stephano Bojariæ* duce persuasus, subito ac subdole civitati nostræ hostilia denunciat, & per fiduciæ rationem mercatores defraudans, ex improviso opima spolia tum sibi tum Duci distribuit. Qua perfidia factum est, ut mox Senatus episcopo illi palatium, quod sedecim hypocausta Zetasve habuisse fertur, ad *S. Lampertum* hic, Canonicorum

corumque tum præpoſito *Ottoni*, tum Decano *Ulrycho*, ſacrificis immaniſſimis, ædes iterum ſubverterit. Adhæc quoque monetariam in media *Berlæi* area officinam, prætore adſtante conniventeque funditus dirui, ſub initia Auguſti menſis, mandarit. Ex quadratis harum demolitionum lapidibus, turris ad *Geggingenſem* portam mœniaque ſupra eam conſtructa poſtea ſunt. Exulceratis itaque hoc pacto utrinque animis, per reliquum anni hujus curriculum mutuæ cædes rapinæque violentiſſimæ inter noſtros tam cives quam Pfaffos, denique & *Bojarios* perſeverarunt.

Augſtburgenſes iniqui o Marte pugnant.

Et quanquam in hac confuſione noſtrates A milite ſuo non raro in hoſtium irruperint terras, *Mylhauſamque* & *Stetzlingam* XV. Sept. ceperint, exſpoliarintque, *Landsbergenſibusque* prædam quam ex *Reyſchennawia* abegerant, tanquam bolum e faucibus eripuerint, male tamen XXVI. ejusdem menſis die, in *Lechi* campo, non procul *Hauſſtetta*, *Ulrychi Kuntzellmanni* ſocordia cum *Bojariis* depugnarunt. Ac XXI. die dein Octobris a *Bentzenawerris*, ſexaginta tres noſtrates viri, cum jam prædas apud *Bojariam* agerent, prælio capti occiſis ſeptem, ſunt; atque *Aichachium* deducti. Similiter & XII. Novembris, B dum noſtrorum militum LXXX. e *Rhayna*, armenta, non parvo numero abducerent, prope *Herwartzhofam*, triginta tres ab inſequentibus hoſtibus, *Petri Vogelini* negligentia conſoſſi ſunt. Quo conflictu tamen octo *Bojari* a noſtris capti ſunt. Poſt quæ VI. die Decembris, noſtri armata civium dimidia parte, *Wolffsbergam* obſederunt, verum præ frigoris injuria operam luſerunt. Quare inde mille militibus *Bojariæ* limites percurrentes, Villas plus minus viginti quatuor, & tres nobilium poſſeſſiunculas exuſſerunt, agricolasque quadraginta captivos, una cum ingenti pecoris C aliarumque rerum præda domum adduxerunt. Demum dum XX. ejusdem menſis luce, ad molendinum *Mœringenſe* quadraginta noſtrates equites, cum viginti haſtatis *Bojaricis* equitibus, ſexingentisque ruſticis acriter conſerere manus audent, amiſſis *Caſpare Riederero* & *Haintzio Umbacho* ſtrenuiſſimis athletis, parte media ipſorum capti & abrepti ad vincula ſunt. Atque hi pro more aleæ Martis, extremum Colophonem toti illi bello addiderunt. Cæterum quando ſub anni præſentis Autumnum, *Carolus* VIII. *Albericus* & *Benedictus* dictus, *Gallorum* rex, D immenſo exercitu militantibus, ſibi *Carolo* III. *Navarræ* & *Johanne Siciliæ* regibus, *Burgundiæ* item & *Lutheringiæ* ducibus, contra *Wilhelmum Juliacenſium* primum ducem, ob occupatam *Geldriam*, *Aquasgraneas* & *Coloniam Agrippinam*, usque penetraſſet, non parvo hercle metu civitas noſtra cum ſociis perculſa eſt, ne is ſocero *Stephano Bojariæ* duci in auxilium veniret.

Anno immediate ſequenti, qui eſt a partu virginis MCCCLXXXIX. Conſulibus *Auguſt-* A. 1389.

burgi Chunrado Illſingo V. & *Ulrycho Dendrycho* itidem V. Cæſar *Wenceslaus*, veterno tandem excitatus, comitia in feſto *Quinquagenalium Ægræ* celebravit, ac pacem univerſæ Germaniæ conſtituendo, cunctos & principes & civitates ab armis diſcedere, initaque fœdera reſcindere, ſingulari *Campidonenſium* obſtinacia ſerio imperavit. Quare mox prædictus *Stephanus*, *Bojariæ* dux, & reſpublica *Augſtburgenſis*, conteſtata lite, *Ingolſtadii* pro datis damnis pervicaciter altercari cæperunt. Verum intercedente immo arbitro, *Johanne Leuchtembergenſe* Landtgravio, concordia inter eos ea lege eſt facta, ut noſtri X. millia Drachmarum auri duci darent, Dux vero illis viciſſim omnem ſecuritatem bonorum & corporis per terras ſuas præſtaret, ac nova telonia, conductuumque penſiones aboleret. Fuit in ea pacificatione Conſul *Illſingus*, vir vehemens quidem & præceps, patriæ legatus primarius, & *Petrus Tuchſchererus* interpres eloquentiſſimus, ſed adverſus ducalium conſiliariorum ſtrophas ſimpliciores quam expedierit. His ita transactis, ad feſtum *Archangeli Michaëlis* convenit & epiſcopus quoque cum noſtra civitate, ſuntque illi per vicinos ſequeſtres *Werdæ*, alii *Aichachii* volunt, in recompenſationem omnis jacturæ, etiam diruti palatii ſanctiq; *Lamperti* ſani, ſeptem aureorum millia adjudicata, diſerteque inter cæteros concordiæ articulos deciſum quoque eſt: Ne unquam epiſcopus ille *Indebitum* per civitatem noſtram exigere deberet. Deſideravit autem in pactionibus hiſce faciendis, plebs noſtra in præfato *Illſingo*, conſule etiam candorem. Etenim ipſius *Johannisque Remi* & aliquot Tribunorum ſvaſu, *Rappoldus* (*) additus collega, qui inſcio ſenatu civitatis ſigillum ſecum avexerat, reclamantibus *Ulrycho Kuntzellmanno*, *Lucio Hörnlino*, & *Ulrycho Schönenfeldero* ſociis, vaferrimæ *Hainrychi Gumpenbergenſis* compromiſſarii aſſutia, dyploma actorum, priusquam ſententia lata foret, conſignavit.

Comitia Ægræ.

Pacificatio inter Bojos & Augſtburgenſes.

it. inter Epiſcopum & cives.

Stomachantibus igitur Domi civibus haud immerito ſuper ea re, conſederunt tandem in curia uterque ſenatus, & cum factum infectum facere non poſſent, de adauctione publici cenſus conſultare cæperunt, decretumque ediderunt, ut præter immobilia bona & promptam pecuniam, utpote quorum ratio aperte conſtaret, etiam cuncta Utenſilia, jumenta, Lectiſternia, clinodia, mundi muliebres, & argentea & aurea quoque vaſa quam exactiſſime a ſingulis jurejurando cenſerentur, quo ſcilicet promiſſa exolvi poſſent debita. In qua tractatione Tribuni plebis, Vinarium vectigal prorſus abrogare conati ſunt. Poſt quæ & uterque Senatus, ſub pœna confiſcationis bonorum capitisque edixit hic: Ne quis civium ſive dives ſive inops, adhæc nemo inquilinorum, tam Chriſtianus quam Judæus intra decennium civitatem mutaret, aut alio citra conſulum conſenſum ſe transferret. Idque propter ſuperiorum bellorum

Cenſus ſubſtituitur.

(*) in marg. *Rudigerus.*

cala-

Pestis. calamitates. Grassata autem hoc anno in civitate *Augstburgense*, pestis funestissima est, quam superstitiosissimis Urbisustriis devoti sacrificuli avertere conati sunt. Etenim totam Urbem extra mœnia cum labaro sacro sequente innumera utriusque sexus plebe circumeuntes, tum Letanias suas cantabant, tum ad singulas portas incensis cæreis Evangelia legebant, atque ita a matutinæ Missæ hora in circuitu ambulantes, vix hora secunda pomeridiana in summam ædem, ex qua egressi fuerant, superstitiosissime reverti potuerunt.

A. 1390. Porro anno Christi MCCCXC. *Ubycho Langenmantello* III. & *Johanne Albishofero* mercatore consulibus, provinciæ & urbis *Augstburgensis* præfectus libere est factus, *Sigemundus*, vulgo *Sigost* appellabatur, *Leuchtenbergensis* Landtgravius. Quo anno textores pro sui artificii commodo conventiculisque angularem eam domum, quæ etiam nunc a latere dextro *Mauriciani* collegii *textoria domus* dicitur, DCC. aureolis, ab *Ulrycho* & *Chunrado Illsyngis*, sub initium quadragesimæ compararunt, & statim quo magis contribulibus accommoda foret, novis structuris & cameris amplius adornata, impensis centum aureorum & undecim librarum obolorum est. Nonnulli emptionem hanc superiore anno factam volunt. Cæterum præsente hoc anno XVI. Kalendas Aprilis, edictum S. C. est hic, ut quicunque juri municipali suo renunciarit, & postea *Fridbergæ* civis factus fuerit, perpetuo proscriptus sit, nec unquam posthac in urbem nostram veniat. Inde item VI. Idus Junii, lex municipalis a S. P. Q. *Augstburgense* lata est, ut nemini sive ligneas sive saxeas domos ædificaturo, deinceps *procumbentes prominentesve extractiones*, quas vulgo *Schupfas* vocant, facere, aut antea factas, jamque demolitas, iterum reficere liceat. Quæ lex post centum & quadraginta annos de novo hic non tam confirmata quam emendata est. Similiter & III. nonas Julii, decretum a Senatu est, ut quemadmodum ille, qui cum tota sua substantia hinc migraturus sit, sic & qui aliunde hæreditatem apud nos aditurus sit, decimam in fiscum absque omni contradictione referat. Ast cum post ista *Ulmensis* Respublica, a *Ludwicho Landavio* hostiliter lacessita, socias civitates ad arma convocaret, haud segni præsidio illi in capienda *Blaubeyrra* civitas nostra adfuit, præsertim *manualium tormentorum*, quæ hodie *scloperas* & *bombardas* a sono vocamus, pedites aliquot exercitatos mittendo, quod genus armorum tunc plurimum in Germania increbrescere, usu sane perniciosissimo fortibus viris cæpit.

Sigemundus præfectus. *Textoriæ domus origo.*

Lex adversus prominentes ædium extructiones.

A. 1531. *Lex de decimis bonorum hinc auferendorum.*

Augstburgenses Ulmæ opem ferunt.

A. 1391. *Area ante curiam ampliatur.* Anno a nativitate Christi MCCCXCI, lecti hic consules sunt, *Johannes Langenmantelius* II. & *Petrus Egenius IV.* Eo tempore dum alma passim vigeret tranquillitas, jussi sunt urbani ædiles aream illam, quæ ante senatoriam curiam in medio civitatis ab *Ursis publica cavea*, uti veteres picturæ etiamnum testantur, ibidem alitis *Berlach*, & non a *perditis legionibus Perleg* denominata est, amplius dilatare. Quapropter remoto ex senatus jussu publico macello, cujus usus imperatorium beneficium, conferentibus id dapiferis a *Waldburgo*, civibus laniis habetur, in angulum, mox super illud Lanii novam pro tribus suæ conventiculis tabernam extrui curarunt. Succisa item ibidem annolissima ea arbore, multi *Tyliam*, alii *Platanum* fuisse scribunt, in qua ante *Illsyngam* supra lapide dictam domum, noxii infamibus collariis priusquam ferreæ Numellæ parietibus curiæ, occidentali parieti, essent infixæ, exponi solebant, forum ceu circus ille multo augustior, ac haud citra civitatis splendorem patentior est redditus. Quo anno XII. Kalendas Martii cautum plebiscito est, ut nemo civium, qui episcopo, vel propter aliquod officium, vel alias jurejurando adstrictus, aut aliorum satraparum conductus hospes sit, in senatum adsciscatur. Similiter octavo post die, senatusconsulto mulcta senatoribus quibusvis præfixa est, si tardius & post cam panulæ sonitum in senatum accesserint, aut citra licentiam abfuerint. Sigularia etiam decreta postmodum a Magistratu nostro super mercede nunciorum Judicii, apparitorumque, & modo Causidicorum, quos vulgo procuratores appellant, denique de examinandis testibus, pignoribus & hypothecis redimendis facta & promulgata hic sunt. Quin item serio a Senatu inhibitum est, ne furni panarii, aut foci pro fabris ferrariis in sacerdotum ædibus construerentur, quod illæ publicum censum Fisco civitatis non inferrent.

IV. novæ leges.

Inde sequente MCCCXCII. anno, dum consulibus *Johanne Illsyngo* patritio, & *Johanne Remo* IIII. qui jam e Laniorum tribu ad mercatorum classem transierat, *Augstburgensibus* nostris, *Ulmensibusque* negociatoribus merces, quas quadragesimalibus nundinis *Francfurto* vehebant, ac pluris quam XXX. millibus aureorum æstimabant, *Wenzeslai* Cæsaris mandato a Nobile, malim dicere a nebulone quodam *Bohemico Werzlao* sive *Barsabo*, apud *Bischofshaimam impedirentur*, rabulæ forenses *arrestare* dicunt. Noluit archiepiscopus *Moguntinus*, quod sub salvo suo conductu essent, prorsum illis vel vim illam vel injuriam fieri. *Dynckelsbyhelem* itaque tuto perlatæ, inde propriis dictarum civitatum præsidiis, absque detrimento domum, invitis aulicis Harpiis deportatæ sunt.

A. 1392. *Moguntinus Archiepiscopus salvum conductui violare non permittit.*

Mandatum autem dederat præfatus Cæsar cunctis civitatibus, superiore anno, ut Judæos equestris ordinis hominibus, absque omni usura sortem, oppidanis vero ingenuis dimidiarum defalcatione, cunctas hypothecas & syngraphas restituere cogerent. Quod ubi iniquum immo subreptio a Cæsare, qui alioquin puras καὶ ἀγράφους membranas tum manu sua subscriptas, tum imperiali sigillo obsignatas, vendere consueverat, imperatum videretur, non tantum hic *Augstburgi*, sed & in aliis quibusdam bene constitutis rebuspublicis prudenter admissum non fuit. Et hinc illa Cæsaris indignatio ortum trahebat.

Cæsar contra Judæos mandatum.

Hainrichi Potnerus & Dyschingerus prætores.

Porro hoc anno cæpit mox post *Hainrychum Portnerum*, qui munus id non multis mensibus administrarat, *Hainrychus Dyschingerus* Landgravii *Leuchtembergensis* confirmatione civitatis nostræ prætor subpræfectusve esse.

Constitutio de clero ex æquo cohærede.

Factaque idibus Maji a S.P.Q. *Augustburgense* municipalis constitutio est, contra Pfaffforum monachorum & Monialium præjudicialem illam libertatem, qua in parentum cognatorumque suorum hæreditatibus adeundis, ubique primas habere, ac potiores partes ecclesiarum nomine accipere contendebant, ut scilicet posthac semper, cum reliquis civibus cohæredibus ex æquo, juxta morem civitatis hujus bona relicta dividerent. Statutum quoque ab iisdem & paulo post est, quo pacto tum ædes, tum horti illi apud nos divendi debeant, quæ prærogativa quadam & speciali *arrabone*, quem vulgo *Dei numnum* vocamus, aliis obnoxia sunt, serviuntque.

Nemo sit cum telo.

Sunt & XIIII. Kalendas Decembris, interdictum ab urbano Magistratu nostro est, universis clericis, profanis, Christianis, Judæis, incolis & advenis, ne quis præter consules præfectum civitatis, horumque servitores vel senatores, arma vel interdiu vel noctu hic gerat. Estque magno serio publicis cauponibus, tabernariisque injunctum, ut ea de re hospites suos admoneant. Habiti a Novembre mense a *Suevica* nobilitate *equestres ludi*, quos *torneamentum* vocant, *Schapbusii* ad *Rhenum* ob (*) testatum ingenuorum antiquum splendorem, novorumque hominum insolentiam, sunt.

A. 1393. *Pontificiorum in Wittklyffistas tyrannis.*

Postmodum anno salutis MCCCXCIII. cæperunt *pontificii tyranni, inquisitores hæreticæ pravitatis* vocari volunt, passim per superiorem Germaniam in sinceriores Christianos, quos *Wittklyffistas* nominabant, animadvertere. Quod cum hic etiam more suo iniquioribus facerent conditionibus, alios enim publice durius tractabant, alios accepta pecunia, clam in gratiam, ut superius in ævi hujus episcopo annotavimus, benignius recipiebant, usque adeo incolarum exacerbarunt animos, ut parum a luctuosa abfuerint seditione, *Hanso Lutzio, Hainrychum Bambergensem* sacrificulum, præcipuum inquisitionis satellitem, stricto ense in sacellum usque *Leonhardinum*, publica platea persequente. Quapropter Senatus iracundia percitus, *Johanne Langenmantello* III. & *Johanne Mangemaistero*, mercatoria e tribu consulibus, *Fridrychum Straussum, Hainitzium Dieffenbeckium*, prædictum *Hansum Lutzium, Stanilinum* cum genero *Stadelbybelem*, & alios quam plurimos, erant enim illorum plures ducentis quadraginta, majori ex parte lanificii & Xilinorum textores, civium in carcerem misit: primores autem illorum, quia palinodiam canere nollent, sic a pharisæis fascinatus, in die *S. Margaritæ* ad ignem damnavit. Cum tamen doctrinam eorum verbo Dei fundatam, nec ipsus adeo Dominicaster *Petrus Engerlinus*, utut sacræ paginæ magister Nostèr, subvertere penitus aut refutare potuerit.

Wittklyffistarum dogmata.

Hi autem erant potissimi ipsorum errores. Asserebant remissionem peccatorum, a quocunque Christiano etiam laico, æque ac ab episcopo aut papa posse pœnitentem accipere. Non credebant post hanc vitam purgationem animarum, & proinde pro mortuis non esse orandum. Damnabant invocationem sanctorum, etiam *beatæ Mariæ*. Nihil tribuebant, A fidendumve censebant pontificiis indulgentiis. Nullam omnino papæ Romani autoritatem in se agnoscebant. *Aquam*, quam vocamus, *benedictam*, aut salis exorcismum, tanquam rem inutilem respuebant, ac diaboli acetarium vocabant. Templorum, cæmiteriorum, candelarum, herbarum atque salis consecrationes, ut præstigias damnabant. Monachorum denique ordines dæmonum inventa esse clamabant, & similia multa contra traditiones hominum, quibus ecclesi[illegible] & populus Christi obruta erant, magna fiducia affirmabant. Ac cum publice non daretur locus, sub terra in cellariis noctu conventicula B sua, sicuti nostris temporibus *Anabaptistæ* in hortis celebrabant. Et quanquam non inhonesti satisque pacifici essent, sacrilegi tamen & scelerati habebantur ubique, ac in vicinia passim magno numero comburebantur vivi. Cæterum currente hoc anno, incepit sæpedictus *Hartmannus Onsorgus*, forensem actionem contra *Bittrychum* a *Renhartzhausa*, ob debitum CCCC. aureolorum, ex qua Senatus noster variis tumultibus litibusque, ab utra- C que parte, triennio fere implicatus quoque fuit. Ipseque adeo *Onsorgus* a *Bojariis* interceptus, post annum non admodum honesta ratione, sub *Wirtembergensis* comitis protectione, se in libertatem vendicabat.

Anno Christi MCCCXCIIII. consules *Augustburgi* nostro creati sunt *Petrus Langenmantellus* patritius, cum insigni *rubri trigoni Moeringensis* a possessione dictus & *Cbunradus Wiserus* II. Quorum ille reipublicæ nomine *Nordlingam* ad ea comitia ablegatus fuit, quæ principes Electores universis Germanici imperii ordinibus, contra inertissimum, & jam jam ab agnatis *Pragæ* comprehensum Cæsarem, sub Majum mensem impense indixerant. Qua tempestate, cum tota æstas calidissima siccissimaque foret tota superiore Germania, etiam *Hainrychus* a *Bappenheymia*, Landtgravii *Leuchtenbergensis* vicarius, & prætor Urbanus, hic paulo supra anni spacium fuit. Celebrasse etiam hic equestria thorneamenta & hastiludia milites aliquot auratos, vicinos nobiles, potiorum civitatum imperii patritios, inter quos vel soli *Regenspurgenses* CXII. equites seu cassides habuere, Annales quidam in præsentem annum adnotarunt. Cæterum quando debilitato capite, reliqua membra plerumque languescant, mira nihil

(*) vid. p. 236. in manuscr. in marg. ubi: *de re statum.*

censé-

censeri debet, si quam plurima etiam tam perverse & interturbate per Germaniam hoc ævo perpetrata legantur. Ad quæ præcavenda nemo non, quanta potuit solertia, tum sua in tutum collocare, tum sibimet quocunque adjumento ut prospiceret ac caveret, studium & operam adhibuit.

A. 1395. *Augstburg. Senatus arbiter in Bojariæ duces.*

Atq; tali pacto currente jam anno Dominico MCCCXCV postquam *Ludwichus* junior, *Bojariæ* dux, *Stephani* filius, *Neostatium* diripuisset, ac *Johannes* cum *Ernesto* filio, similiter *Bojariæ* duces, illi vicissim *Aichachium Fridbergamque* adorientes, tandem *Schwabeccam* haud sine vicinorum terrore exussisset, facta tandem est pacis confirmandæ gratia compromissio, in senatum *Augstburgensem*.

Fœdus Bojorum, Episcopi & civium.

Qui tanta prudentia seditionem eam simultatemque cognatorum principum, composuit, ut statim alii tres *Bojariæ* reguli *Stephanus* videlicet *Ingelstadiensis*, *Friderychus Landshutensis*, & *Johannes Monachiensis*, *Burghardus* item *Augustanus* episcopus, totumque canonicorum suorum collegium, cum S. P. Q. *Augstburgense*, Ligam fœdusque fecerint, quo communes fortunas, mutuaque auxilia, pro cujusque jure & bono, adversus quemcunque violentum hominem sibi invicem sancte repromiserunt.

Stephanus præfectus.

Erat & tunc temporis *Ulrycho Kuntzelmanno* patritio & *Johanne Albishofero* II. consulibus, supradictus *Stephanus*, *Bojariæ* dux, nepos *Ludwichi* IIII. imperatoris, provinciæ & civitatis hujus præfectus. Qui vices suas *Thomæ a Freiberga* per biennium in his mere concessit.

Vectigal vino impositum.

Hocce anno novum vectigal, pro peregrinis in foro nostra vina ementibus, & pro aurigis vina sua prætervehentibus, impositum est. Valebatque tunc major modius *tritici* tres aureolos, *Olyræ* duos, ac paulo plus, *avenæ quinque* minores libras nummûm, *bovinæ carnis* libra tres obolos, *butyri* libra septem nummulos.

A. 1396. Anno Domini MCCCXCVI. Consulibus *Ulrycho Langenmantello* IIII. & *Johanne Müntzmaistero*, mercatorum contribule, lex XXIII. Februarii die, *Augstburgi* posita mercatoribus est, de teloniis prætervehendarum mercium.

Chorearum theatri translocatio.

Repositum item Senatus jussu, non inscite Chorearum theatrum, quod juxta curiam, ubi hodie forum piscarium cum labro salientis aquæ est, scandulis hactenus intectum fuerat, in mediam ejus areæ plateam subtus *forum Vinarium*, qua etiamnum saltatiunculis & aliis ludicris spectaculis patet; Licet *Moritiani* Mystæ, serio reclamantes, fabricam eam omnibus modis impedire conati sint.

Lex pecuniaria.

Dein cum ingens dolus rem pecuniariam apud nos occupasset, facta exquisitissima conventione, statutum lege est, ut XXXVI. *Reginoburgenses* nummuli, quibus *Bojarii* emendo & vendendo cum primis utebantur, apud civitatem istam, semiunciæ argenti pondus continerent. Nostratium vero nummulorum, qui in episcopi officina, mense Julio de novo, cudebantur, libra una recentem *Ungaricum* aureum æquipolleret. Estque a Senatu interdictum, ut quis signatum aurum vel cambio vel emptione ad revendendum vel recudendum compararet, exceptis aurifabris domesticis civibus.

Lites Onsorgi cum Augstburgensibus componuntur.

Interea cum *Hartmannus Onsorgus* vere incurius, apud *Fridrychum* comitem *Oetingensem*, quem Cæsar *Wenceslaus* jampridem *Suevorum* provinciæ, pro conservanda pace supremum arbitrum, & irrefragabilem judicem constituerat, proscriptionis tabulas contra rempublicam *Augstburgensem*, tum propter accepta damna, quæ illa armis adversus *Johannem Bojariæ* ducem requisita non prohibuerat, tum propter contumaciam impetrasset, ac statim suopte Marte, summa injuria, jura sua contra patriam amplius prosequi, cives ejus rei causa deprædari & divexare pergeret. Certe Senatum nostrum ad sese suaque defendendum, qualiacunque stratagemata parare adegit. Quibus demum per quinquaginta conductitios equites, alterum ipsius filium *Josum*, non procul *Nordlinga*, sub ipsis nundinis, quo tempore is nostris insidiabatur mercatoribus, una cum quatuor complicibus suis compræhenderunt, compræhensum caute huc pertraxerunt, denique huc pertractum capitis damnatum, æque ac duos alios ipsius servulos, detruncassent. Nisi in ipso quasi articulo mortis, reliqua ipsius parentela, plenaria obtestatione interces sisset, ipsumque adeo parentem cuncta hactenus superbe contemnentem, una cum reliquo filio *Steffano* supplices illi fecisset, datisque in ipso S. *Laurentii* die, & obsidibus & obligatoriis literis, vitam misero sequentibus redemisset conditionibus, I. ut ultro cum tota familia civitate, nunquam rediturus, cederet, II. ut cunctos sui causa hostes factos *Augstburgensi* reipublicæ reconciliaret, III. ut *Wellenburgum* nunquam restaurari curaret, IIII. ut sumptus in hoc negotio factos exsolveret. Atque hisce rationibus tandem ratificatis, tum *Josus* vita donatus, tum civitas nostra curis liberata est. Annales nonnulli ista ante viginti annos gesta perhibent.

Eclipsis Solis.

Bissextili hoc anno, Phœbus XXI. die Junii ante meridiem, integrum interpositione corporis lunaris luminis est passus deliquium. Et inde *Bajazites*, *Turcarum* imperator, Octobri mense, Christianos, *Sigismundo Ungriæ* regi militantes, insigni pugna ad *Nicopolim Istri* ob *Gallorum* superbiam devicit.

Lex de testamentis.

Demum XIV. die Septembris cautum ab utroque senatu hic est, propter fraudem, quæ sacerdotes piaculares in ordinandis exequiis, aliisque emungendis eleemosynis, moribundos circumveniebat, publicoque censui multa detrahebant, ut nullum vel testamentum vel legatum posthac apud nos validum offi-

cio-

cioſumque cenſerentur, quod non civitatis ſigillo roboratum ſit.

A. 1397. Poſtea anno partæ ſalutis MCCCXCVII. Conſules a Tribulibus debito tempore pronuntiati ſunt *Johannes Langenmantellus* IV. & *Johannes Mangmaiſterus II.* Sub quibus ſtatim Januarii XXV. die, quo *Pauli gentium Doctoris converſionem* non ſine futuræ totius anni ſalubritatis tranquillitatisque omine celebramus, impetuoſiſſimus ſub veſperam ventus hiic incidit, quem tanta inclementia aëris, niviumque nymbus ſubſecuta ſunt, ut jumenta paſſim in medium usque Aprilem, non ſolum paſcuis, ſed & omni alio fere pabulo, deſtituta, majori ex parte ruri perierint inedia. Domi vero noſtræ dux *Bojariæ Stephanus* civitatis & provinciæ *Augſtburgenſis* ſupremus præfectus, vices ſuas plene in illis, *Johanni* de *Absberga* aurato equiti delegavit, qui protinus prætorem hic ſubſtituit, *Hanſum Eyſchingerum* in feriis paſcalibus.

Johannes præfectus.

Hanſus Eyſchingerus prætor

Albrechtus & Johannes Senatu moti.

Albrechtus item a *Füllembacho*, *Johannesque Albishoferus* ædiles, ſenatoria judiciariaque dignitate perpetuo privati ſunt, nonnulli penitus civitate illis interdictum aſſerunt, quod injuſſu Senatus, propria autoritate ſub-B urbium propter *S. Stephani* gynecæum foſſa circumdare, Abbatiſſæque & civium hortos ibidem diruere auſi fuerint. Contigit item XXV. Junii, ut ruſtici duo *Juningenſes* & unus *Geggingenſis*, noctu obſeratis jamportis, valvas *Geggingenſis* portæ, tunc temporis non perfecte abſolutæ; Nam hoc anno quadrata & ſatis alta turri fortior conſpectiorque etiam primo reddita, ſuffodierint, atque fruſtra telonario inclamante eas perreptarint, domumque abierint. Quapropter paulo poſt in civitatem redeuntes capti ſunt, atque cum Senatus temeritatis ſive potius contemptus C cauſa, illos ante eandem portam, reliquis in exemplum, jure ſuſpendere potuiſſet, ex gratia ibidem ſecuri percutere juſſit: Quo anno etiam *Wellenburgum* in propinquo ſub finem menſis Maji bello fuiſſe captum quidam annotarunt, nullis vel hoſte vel cauſa poſitis.

Supplicia.

A. 1398. Anno vero MCCCXCVIII. facti recepta conſuetudine ſunt, patrum conſcriptorum & Tribunorum ſuffragiis conſules, *Johannes Illſyngus* II. ac *Ludwicbus Hörnlinus* ex laniorum tribu. Quorum mox communi cum *Burghardo* epiſcopo deliberatione, conſtitutio primo Aprilis per transactionem facta eſt, ſuper abrogandis penſionibus locationibusque tum ædium, tum hortorum ad intra civitatem ſitorum, & etiam pactorum illorum, quæ ad vitæ curricula erant contracta, nempe ut ea, in civiles cenſus commutarentur, ac pro communi libra nummûm, quæ CX. nummos continebat, *Rhenenſis* aureolus, juxta eam rationem, quæ *Unger* & *Bobem* dicitur, in annuam uſuram recompenſarentur, idque civibus clericisque ad ſeptuaginta annos tantum duraret, & exin prorſus expiraret.

Non multo poſt hæc, conſtitutus hic præfecti autoramento prætor eſt, *Friderychus Tollingerus* miles auratus.

Fridericus Tollingerq prætor.

Qua tempeſtate *Wilhelmus Fronbergius*, qui ante octo annos provineiæ & civitatis noſtræ præfectus fuerat, tanta, veterem ob iram, Rempub. hanc apud Cæſarium tribunal injuria detulit, ut ea ſacro imperii banno notata, ingenti pecunia vix in integrum reſtitui potuerit. Sunt tamen, qui actionem hanc in annum LXXXVIII. hujus ſæculi rejiciant, ac omne negocium quindecies mille aureolos conſtitiſſe urbi tradant. Licet vero peſtis præſente hoc anno, a feſto *divi Jacobi Majoris*, ad *nativitatem Domini* atrociſſime hic totaque *Suevia* graſſaretur. Sutoribus tamen ſellularia officina, domuſque privata, in eum angulum e regione civilis putei ædificata eſt, ubi hodieque angiportus *calceorum viculus* appellatur. Quo nimirum artificii ejus contribules, calceos, perones, ocreasque, quæ tunc temporis roſtrata, & in longum a parte anteriore acuminata geſtari ſolebant, in eadem rectius oportuniusque venundare poſſent. Quia autem optima pace, plærumque res humanæ in vitia luxumque prolabi conſveverunt, cæpere & apud nos male feriati homines tumultuari. Etenim conſpirantibus textoribus, piſtoribus, ſutoribus, doliatoribus & fabris ferrariis, ſubita neclevis, plebis adverſus Magiſtratum, ad tollenda poculentorum vectigalia, ſeditio Kalendis Septembribus excitata eſt. Cui *conſules ordinariique patres, minorem Senatum* vulgus appellat, ſedulo & caute obviantes, curarunt, ut frequentius illud ex *patriciis omnibusque Tribubus conſcriptorum civium* concilium, vulgus *magnum Senatum* vocat, & CCIIII. viris conſtat, cujus aſſenſu VII. lapſi Martii die, tributa iſta ad biennii ſpacium, certis de cauſis, authenticis tabulis, confirmata primum fuerant; citra dilationem peremptorie convocarentur. Quod licet difficulter ſit & anxie aggregatum, mox tamen unanimiter Juſtitium tanquam inducias indixit, ac poſtea diu, ſæpiusque numero ad conſueta publicæ curiæ loca, utriusque Senatus ordines conſedentes, diligentiſſime inter ſeſe, quonam pacto & furentium clamoribus citra atrociores turbas ſatisfieri, & Reipublicæ commodis honeſte ſubveniri poſſit, deliberarunt, conſiliaque captarunt.

Augſtburgenſes S. J. banno notantur.

A. 1388.

Sutorum officina extruitur.

Seditio.

Interea prænominatæ quinque Tribus ad *Minoritarum* cœnobium armatæ cum ſuis vexillis ſecedentes, proprium ſenatulum in monachorum illorum *majore cœnaculo*, *Refectorium* vocant ipſi, habuerunt, ac pro lubitu, non expectata aliorum ſaniorisque partis ſententia dicta tributa omnino & tam ſevere abrogarunt, ut ſimul ſtatuerint etiam, ſi quis vel Senatorum vel patritiorum poſthac de illis reſtituendis ullam facturus ſit mentionem, confiſcatis omnibus ejus bonis, perpetuo cum uxore & liberis extorris civitateque ejectus ſit.

Tribuum ſeceſſio.

Econ-

XVIII. viri eliguntur ad examinandas Reipl. rationes.

Econtra vero reliquæ duodecim Tribus, cum legitimo Senatu tandem communibus votis decreverunt, ut ex singulis Tribubus singuli circumspectiores deligerentur viri: Quibus patritii de suo contubernio quoque populo acceptum aliquem jungerent. Qui numero XVIII. viri, pleve totius Reipublicæ rationes, tam accepti, quam expensi ad unguem inspicerent, & ad rutinam exactissime discernerent, num talibus pensionibus civitas amplius opus habeat, nec ne. Cui consilio, cum optimi quique velut æquitati consentaneo, subscriberent, soli textores & pistores obstinatius adhuc refragati sunt. Nihilosecius tamen reliqui decem & sex deputati, uti jussi erant, civitatis expensas necessarias, cum reditibus certis annalibusque censibus probe conferentes, liquido deprehenderunt, sublatis vectigalibus, de quibus contendebatur, eos ne quaquam cottidianis usibus sufficere. Quapropter concordi illorum suffragatione, ceu justo plebisscito, in ipso *S. Galli* festo, quo semper juxta Atticum adagium, cares, post antisteria nostra foras ejici solent, i.e. post *Michaëlicas* nundinas infames ac nihili homines urbe excedere jubentur, sancitum senatus decreto demum est, ut singuli cives de quibuscunque potionum generibus tolerabilia tributa, nempe decimam partem pretii unius congii, una cum taxatis vendibilium mercium teloniis, deinceps inviolabiliter persolverent, combustisque priorum Vinariorum tributorum tabulis, venia præsentibus moribus est data, dummodo nemo in posterum talia attentare, aut Senatui rebellare præsumat.

Incendium.

Brevi post transactionem istam temporis intervallo, combustus fortuita ignis voragine hic est totus ille clivus, cum adjacentibus habitationibus, qui ab angulari e regione ædiculæ *divi Petri Apostoli*, domo, *Cæsaris areola*, quod *Cæsarum* privilegiis eam Judæi jam olim possiderent, vocata, usque ad supra memoratum *Minoritarum* cœnobium protenditur.

Forum panarium fabricatur.

Ex qua ruina pistorum Tribus jam dictam *Cæsaris areolam* reparans, sibi in tabernam forumque panarium, Reipublicæ sumtu construi obtinuit. Nam hactenus lignea tabernacula, per medium ejus plateæ, quæ est a Judæorum nionticulo, ad fabrorum vicum usque, excepto *Berlejo* circo, ad longum collocata erant. In quorum superioribus tabulatis, sutores antea sua vendiderunt opificia, in inferioribus pistores adhuc panes venales habebant. Quæ *tabernacula* seu *Cadurca* ab hoc tempore prorsus revulsa sunt, sed & Senatus pauperculis fratricellis monasterium suum, partim privata largitione, partim eleemosynis populi iterum confieri fecit.

Sequente anno videlicet a nativitate Domini MCCCXCIX. *Johanne Langenmantello* V. & *Johanne Renboto* mercatore consulibus, sancitum editumque pro communi bono plebisscitum dato dyplomate est, super venditione Feudorum, ac censuum Feudalium. Item & de *proprietatis Arrabone*, quem *Dei nummum* vulgus vocat, invito Domino non transferendo.

Biberbachii excisio.

Quin & circa ipsum æstivale solstitium captum & exustum ab *Augustburgensibus* est, castrum *Biberbachium*, propter latrocinia & deprædationes crebras, necatique hic ejus rei causa sunt *Hansius Marchschalkus* laqueo, & quinque ipsius famuli rota.

Census.

Ac dein pro publici ærarii incremento, Senatus *annuum censuin*, quem materna lingua *Sturam* appellant, notatis civium capitibus, ad festum *S. Nicolai*, ostiatim per cunctas civitatis regiones conscribi, ac in album semper duraturum scrupulosius, quam hactenus moris fuisset, referri, adeoque sub juramenti religione in promptu persolvi, quemadmodum nostro adhuc tempore circiter festum *S. Galli*, gestantibus famulis perlongas porticas, fieri vicatim consuevit, prudentissime hocce primum anno curavit.

Porro novo incipiente sæculo, anno nimirum salutis MCCCC. inierunt *Augustburgi* nostro Magistratum pro more *Petrus Langenmantellus* II. & *Eberhardus Leiberus* mercator. Sub quibus quinto die Februarii edictum est, ne qui sacerdotum, illorumve famuli, cum telo in civitate nostra essent, & ne larvis, vestiumque immutatione per saturnalia uterentur. A. 1400.

Bojariæ & Teccensis ducum conventus Augustburgi.

Medio dein Majo celebrarunt principes aliquot conventum hic, in quo postquam *Ludwichus Bojariæ* Dux, & *Friderychus Teccensis* Dux, de finibus, propter quos diu jam contenderant, compositi fuissent, Hastiludia & choreæ nocturnæ sæpius peracta sunt. Ac inter alia humanitatis benevolentiæque officia, quæ Senatus principibus & advenis præstitit, invitavit *Wilhelmus* a *Meixelraino*, qui nuper admodum prætor civitati nostræ datus, felicibus avibus per sexennium muneri illi præfuit, ducem *Ludwichum* cum omnibus ipsius aulicis ad lotionem in *Cellariense* balneum, in quo illos pontificaliter suo sumptu tractavit. Id quod nostris temporibus ineptum tam illustrissimis viris videretur. *Wilhelmus prætor.*

Deinde autem XXIIII. die Julii horrenda tonitruis & imbre tempestas, urbem hanc quatuor in locis fulminibus incendit, post quæ, abrogatum penitus est per Electores principes, *Wenceslao Bohemo*, monstro potius, quam homini, Romanum imperium *Bopphardiæ* XX. die mensis Augusti, quamquam alii *Leonstaini* ad *Rhenum* eam depositionem factam velint, ac in ejus locum RADTWERTUS *Rudbrechtusve*, cognomento *Parvus & Justinianus*, *Rhenani* palatii comes, quarto idus Septembris, collegarum votis, *Bonifacique* pontificis Maximi comprobatione, demum imperator Germanis designatus, ac *Coloniæ Agrippinæ* *Radwertus Imperator.*

XVI. die Octobris a *Friderycho* archiepiscopo loci ejus, in templo *trium sanctorum regum* Cæsar coronatus extitit, eo quod cives & clerus *Aquisgranenses*, ob vivum *Wenceslaum* refragarentur.

Cæterum *Wenceslaus* iste, divendito Vicecomitibus centum quinquaginta aureorum millibus imperio *Viridario*, hoc est, *Mediolanense* ducatu, postea domi crapulæ immani mancipatus, XX. adhuc annos vixit, ac extremo Apoplexia apud suos *Pragæ* mortuus, regio more in arcis sacellum ibidem sepultus est anno Domini MCCCCXX.

A. 1420. *Fridericus Cæsar creatus.* A. 1400.

Sciendum autem, quod interea temporis, nostro hocce MCCCC. anno, mense Majo, *Rudbrechti* prænominati Palatini convocatione, *Friderychus Brunswitensis* Dux *Francfurti*, a majore electorum parte, debita solennitate Cæsar creatus sit. Qui cum ante diadematis sacri impositionem, *Johannis Nassovii*, archiflaminis *Moguntiacensis* insidiis, V. die Junii, per *Waldeccensem* comitem *Frizlariæ* statim interemptus fuerit.

Ludwichus Cæsar.

Iteratis confestim comitiis, *Ludwichum Hessiæ* Landgravium in regno Romano successorem habuit. Is tamen quod neque legere neque scribere novisset, præeminentiæ illius culmen ingenue renuit, ac tertiæ electioni post paucos dies occasionem præstitit, quemadmodum jam ante recitavimus.

Revoluto anno *Hartmannus Langenmantellus* patritius cum *rubi trigoni* imaginibus, cognomento *Wertingensis*, & *Lorentius Egenius* plebejus mercatorque, consules *Augustburgi* sunt facti.

Vid. Tab. W. Fig. 2.

Fossis urbs munitur.

Sub quibus civitatis ejus fossæ, senatus jussu a tergo *Georgiani* monasterii, ultra *piscatoriam* portulam, a *Burgschlago* sive *Burgfelda*, ad *divi protomartyris* claustrum usque, ubi ab Urbanis ædilibus muri ac fossata, circiter annum domini MCCCVII. inchoata primum fuisse dicuntur, fieri primulum occeptæ, ac sedulis operis absolutæ etiam paucis mensibus sunt.

A. 1307.

Cometa.

Fulsit forte hoc ipso anno hic per totam fere Quadragesimam, magna plebis admiratione cometes. Et *Radwertus* novus Cæsar, cum *Elisabetha*, *Noribergense* Burggravia, conjuge, tanto Germaniæ procerum comitatu, tantaque aulicorum turba stipatus, *Augustburgum* nostrum pervenit, quanta intra ducentos annos hac in urbe visa non sit. Etenim cum præter publica diversoria, non solum ampliores patritiorum domus, privatorumque civium humiles casæ, sed & Canonicorum omniumque sacerdotum ædes, ac ipsa quoque monachorum cœnobia cuncta, peregrinis atque hospitibus forent repleta, ignobiliores tamen equites, lixæ, calones & popellus, qui castra sequuntur, *Oberhausæ*, *Pferssæ*, *Geggingæ*, & in campis *Lechi* mansiones teutoriaque suas habuere. Porro jam dictus Cæsar Romam petiturus, integro mense Augusto profectionem eam, innumeras totius imperii copias, in quibus nostratium equitatus splendore multos alios excellebat, præmittendo, sollerter hic adornavit quidem, sed præ inveterato odio consuetisque *Mediolanensium*, præsertim *Johannis Galeatii*, a papa *Bonifacio IX.* Romæ sedente subornati insidiis, non ultra *Brixiam* iter perfecit. Confirmatis autem luculentissime civitatis nostræ emunitatibus juribusque, clementissimus idem Cæsar hoc eodem anno XV. Augusto die, etiam novum addidit privilegium, ut videlicet usque alibi, nostri quam coram suo præfecto conveniri add. legaliter debeant. Et inde acceptis publico foro solitis juramentis a civibus, in festo *Michaëlis* in Italiam, ut præmissum est, discessit.

Radwertus Imp. venit Augustburgum.

Sub initia dein anni MCCCCII. Consulatum patritiis *Joannes Illsyngius* III. lectus, *Lucam Hörnlinum* ex lanionum classe collegam habuit. Quorum ætate *Rudbrechtus* Cæsar, postquam *Venetias* urbem tum temporis ornatissimam inuisset, haud levi damno Italia in Germaniam suam rediit. Hucque iterum ad filium *Friderychum* & conjugem divertens, interea enim hic manserant, tam quantisper cum civibus festive & tuto degit. Cujus satrapæ balistarios ludos ad festivitatem *S. Georgii* jucundissime etiam hic agitarunt. Licet autem paulo post tristissima pestis, quater mille sexcentos & quinquaginta mortales, præter infantulos hic rapuerit.

A. 1402. *Imp. ex Italia Augustam Vindel. redit.*

Swigbardus tamen Baro *Gundelfingensis* provinciæ & civitati nostræ præfectus per Cæsarem est. Ac cum omnia cætera pacata forent, Vallum cum pomerio ante hospitalem portam, quæ antea *Hausstettensis* &c. nunc rubra dicitur, constructum est. Simul & promurale cum duabus turribus, ad *Wodachæ* pontis portam ædificari cæpit, sed & fossa inter dictas portas quasi circum mediam civitatis partem ducta quoque extitit. Pe... erunt item eo anno ædes aliquot incen... in vico *Klebsattelii* non procul ab *Ulrych... na* area.

Pars urbis

Altero anno, *Johanne Langenmantello* ... & *Ludwicho Hörnlino II.* consulibus, vix ... pta fossa omnino perfici potuit. Quo anno horrida quoque tempestas VIII. Kalendas ... nii, vel solo grandine apud nos, in vitreis ... nestris, arborumque fructibus, inæstimabile damnum civibus dedit.

Lex præterea sumptuaria tam super sponsaliciis ac nuptialibus festis, quam de vestituum conviviorumque luxu, nec non donationibus ad eadem VII. Kalendas Augusti qua divam *Annam* Christi Servatoris aviam colunt, ante decem & octo annos lata, confirmata iterum serioque mandato repetitur hic est. Sunt & chartarum talorum quidam ludi, præterquam in tribuum tabernis interdicti.

Signati autem hoc anno novi nummi sunt, quorum CXL. aureum unum valebant, pondereque duas uncias æquabant. Quo tempore armata manu non sine terrore & urbis

& totius viciniæ hujus noſtræ, *Monachium* ſorte receperunt, *Erneſtus* & *Wilhelmus* ante quinquennium illinc per *Hainrychum Bojariæ* agnatum ducem *Monachio* ejecti.

Eberhardus Epiſcop. LIII. A. 1404. Cæterum *Burghardo* præſule, ex hac vita IX. die Martii, quæ erat dominica *Lætare*, ſub annum gratiæ, MCCCCIV. migrante, eligitur a ſuis myſtis *Eberhardus* comes a *Kyrchberga*, quinquageſimus tertius, *Auguſtenſis* epiſcopus, ac ſequente anno XXII. A. 1405. die Februarii, ſuper altare cathedralis templi hic collocatur: Cui ſenatus urbanus phialam argenteam & pulchre deauratam, nonaginta aureolos valentem, additis centum aureis nummis pro Xenio dono dedit.

A. 1406. Dein idem *Eberhardus*, anno MCCCCVI. in feſto *purificationis Mariæ virginis*, ſequentis anni, ſacerdos primum *Werdæ* conſecratus, ſub *Innocentii VII. Avinionis* reſidentis, papæ tumultuoſiſſimi confirmatione eſt. Antiſtes iſte ob jurgia cum civibus *Auguſtburgenſibus*, quod ſcilicet illi jusjurandum præſtare nollent, relicta civitate, *Dillingæ* ſeptem fere annis, tum ſuperbe tum ſumptuoſiſſime ſedit; ac cives beneficiarios ſuos in univerſum illuc conſcribens, ad præſtanda ſibi fidelitatis juramenta adegit. Cum autem ſecundo in civitatem poſtea noſtram veniſſet, pulſata claſſici campana curiam civium aſcendit, ac mutua pacta de ſervandis utrinque privilegiis cum Senatu civili juramenti inſtar pepigit. Inde paulo ante obitum *Fridrycho Athesino*, duci *Auſtriæ*, apud *Stephanum Ingelſtadienſem Bojariæ* ducem, qui jam ad occupandum *Tyrolenſem* comitatum, ſalinarum rivulos, ejus ditionis *Halæ* diruerat, inducias pro integra facienda concordia obnixe impetravit, tandemque mortuus noluit *Auguſtburgi*, ſed in *Wiblingenſe* monaſterio avitæ ditionis humari. Ejus in vindicandis cleri criminibus tanta negligentia fuit, licet diro paparum ſchyſmate Eccleſiæ undique nutarent, ut illis in perpetrandis etiam nefandiſſimis abominationibus plane nulla religio abfuerit. Ipſus autem *Eberhardus Rudbrechti* Cæſaris autoritate, generali totius imperii judicio aliquando in urbe hac præſedit. A quo etiam *Ludwichus Bojariæ* dux, oppidula quædam ad Danubium ſita, dioeceſi ſuæ oppignorata, prompta pecunia redemit.

A. 1404. Sub quo epiſcopo primam ſacramentariam domunculam, in quod euchariſtiæ panem papiſtæ reponunt, apud ſummam ædem hic conſtructam ex novo conſtat. Unde Amburbalis illa proceſſio, qua deſtinato corpori Chriſti feſto ſacratum panem auro & argento in diaphanum vitrum incluſum, quotannis, ornatiſſima pariter ac idolatrica pompa circumgeſtant ſacrificuli, in uſum primo *Auguſtæ* recipi meruit poſtea.

A. 1406. *Mariani turris perficitur.* Altero epiſcopi hujus anno abſolutum in ea *Mariani* turre, quæ ſcholam proſpectans, inſonoros eas campanas continet, quibus ſtatis diebus *præſens argentum* unde & *argenteæ* vulgo vocantur, Canonicis ſimplici vel duplici pulſu intonatur, plumbeum tectum eſt, capitque æneus globus faſtigio impoſitus; & plumbo albo circumlitus, frumenti plus minus XXII. minores modios. Cæterum præſul hic *Ulrychum II. Herbrechtingæ* præpoſitum inauguravit, qui totum ſuum cœnobium pulchre a fundamentis quaſi renovavit. Sub dicto item epiſcopo *Ludwichus* a *Rotenſtaino* miles, congregationem clericorum in *Grunenbacho Alpgojæ* fundavit, quam & in præpoſituram evexit.

Sub eodem antiſtite etiam *Hainrychus Eu-* *Hainrichus III. Crucianus præpoſitus XIII.* A *dorferus* civis, decimus tertius præpoſitus ad *S. Crucem* hic anno Chriſti MCCCCVII. deſignatus, viginti octo annis monaſterio illi cum laude præfuit.

A. 1407. Circiter quæ tempora *Elizabetha* a *Liechtenavia*, *Agneti Oſtenheimenſi*, in abbatia *S. Stephani Auguſtenſis* quoque ſucceſſit, annis plus minus duo de triginta. *Agnes & Elizabetha Stephaninæ abbatiſſæ.*

Antoninum adhæc hoſpitale ab *Laurentio* A. 1410. *Egone Egeniove*, cive, anno Domini MCC CCX. a tergo ſuarum ædium, fundatum primo in civitate *Auguſtburgenſe* eſt. *Antonini hoſpitalis fundatio.*

Quam fundationem poſtea, anno gratiæ B MCCCCXLV. *Petrus* ab *Argona* nepos, A. 1445. addita ædicula & ſacrificulo, eidem *Vejoni Antonio* ſacratis, denuo tam ubere proventu confirmavit dotavitque, ut XII. ſenes ſexagenarii & natu majores, perpetuo ibidem ali poſſint & debeant. Iſta tempeſtate porro cum *Benedictus* XIII. *Avinionis*, & per totam *Hyſpaniam*, & *Gregorius* XII. *Romæ* & per *Italiam* papæ veri haberentur, electus eſt in concilio *Piſano*, cui *Rudbertus* Cæſar anno MCCCCIX. ſolennem pro- A. 1409. teſtationem oppoſuit, tertius papa, *Alexander* V. cui intra decem menſes mortuo, *Jo-* C *hannes* XXIII. papa *Bononiæ* ſuffectus eſt. Qui cum duos alios extreme devoveret, ac ſolus Chriſti vicarius eſſe contenderet, plane ſe cum corrivalibus filium diaboli, diabolumve incarnatum eſſe toti mundo prodidit.

Jam anno Domini MCCCCIIII. quum de- A. 1404. bito tempore, receptoque uſu Conſulatum *Auguſtburgi* ſuſcepiſſent, *Johannes Langenmantellus* VII. & *Laurentius Egenius* II. fuerunt ſatis pacifica tempora.

Et eſt VIII. Idus Maji, municipalis con- *Conſtitutio de tegulis ædibus imponendis.* D ſtitutio ab utroque Senatu facta, ut ſcilicet cuncta apud nos horrea, domusque vel ſcandulis vel ſtramento intecta intra tres menſes tollerentur, ac tegulis munirentur, nec unquam ullum tectum poſthac ſcandalis aut culmis hic cooperiretur. Item eodem die prohibitum Judæis eſt, ſub pœna amiſſionis totius debiti, ne Propolis quicquam in hypothecam earum rerum, quas venales circumferunt, mutuo darent. Præter iſta, nihil innovatum per urbem noſtram fuit. Foris vero taciti *Weſtphalorum* judicii tum rigidæ leges tum liberi comites, per Cæſarem *Radtwertum*, juſta in-

quisitione reformati, atque certis conditionibus confirmati Germanis iterum sunt *Haidelbergæ* in ædibus *Rebstockii*.

Sequente anno statim tres priores menses rigidissima hyems, ac supra modum nivosum gelu sævierunt. *Joanne Illsyngo* IIII. & *Eberhardo Leibero* II. consulibus. Cæpitque novus præsul, præcessoris sui vestigiis insistendo rempublicam hanc gravibus injuriis immerito afficere, tum propter paradoxæ religionis negocia, tum propter privatas quarundam jurisdictionum affectationes.

Munimentorum extructio.

Quum tamen Senatus ipsum debita reverentia ac Xenio liberalissimo excepisset. Constructus autem eodem anno, muniendæ urbis gratia, ab Ædilibus obliquus, & gradatus murus, eo in loco est, quo *Lechi* rivuli juxta *Murale* balneum, per transversam eam fossam, *Fulloniam* portulam præterlabuntur, cui & quadrata turris in summo monticulo, cornum vulgariter dicto, juncta tunc quoque non indecore est, in quam posteriori ævo *Aquariæ* pro salientibus fonticulis *machinæ* fabricatæ sunt.

1406. Anno MCCCCVI. Januarii XI. die, fortissimus ventus, horas plus minus decem, sine ulla intermissione tam impetuose hic sævit, ut præter alia, quæ dejecit hinc inde, oneratam etiam quadrigam cum quatuor equis de *Werdachæ* ponte in flumen præterfluens præcipitaverit.

Principum adventus Augsburgum.

Consulibus dein *Ulrycho Kuntzelmanno* patritio & *Ludwicho Hörnlino* III. convenerunt sub medium quadragesimæ *Augustburgi* nostro, quinque duces *Bojariæ*, quos, habitis ultro citroque arduis deliberationibus, Dux *Teccensis*, Burggravius *Nurmbergensis*, *Wirtenbergensis*, *Kyrchbergensis*, *Kaltenburgius* & *Oetingensis* comites, una cum episcopo *Ratisbonense* & aliquot imperialium civitatum legatis, tandem ob diutinas dubiasque de *Hollandia* ac annuis pensionibus lites, placidissime composuere. Post quæ, cum altera post *Marci Evangelistæ* festum etiam *Eberhardus* episcopus noster, e *Dillinga* sua huc *Ulmensium* intercessione profectus, ad classicariæ campanæ sonum e palatio proprio ad civium curiam venisset, tum Senatus illi primo, tum dein ipse vicissim civitati, mutuam utrinque jurisdictionum libertatem, omissis juramentis, stipulatione saltem promiserunt, ac mox actu eo peracto, episcopus a Republica congio vini *Illyrici*, quod vulgo *Rafolium* vocant, donatus, ad sua se extra civitatem iterum recepit. Inde VI. nonas Julii, grando impetuosissima subito decidens, fructibus ac viteis fenestris plurimum hic nocuit, & *Lechus* usque adeo aquis intumuit, ut non modo quas vel in Orientali suburbio, vel ad *Coninam* fossam præterlabitur, ædes turpiter inundarit, sed etiam novæ *Jacobeæ* portæ fundamenta disruperit. Quo die insuper filius *Johannis Portugalliæ* decimi tertii regis, *Monachi* agnominati, ad videndum varias regiones & urbes, magnifice a parente amandatus, huc centum equitum comitatu appulit, & in sextum usque diem hic mansit. Eodem item anno extructa quatuordecim pedes altius, stannoque intecta in ea curiæ parte, quæ forum piscatorium spectat, lignea turricula est, in qua horarium tintinnabulum pendebat.

Anno Domini MCCCCVII. *Petro Basilio* patritio & *Haimrycho Schmuckero*, ex tertiarum tribu consulibus, factus est Cæsaris ratificatione civitatis nostræ subpræfectus, sive Urbanus prætor, annis ferme viginti novem *Johannes Tyschingerus*, vir justi amantissimus.

Per eam tempestatem majoris templi canonicus custos fabricæque sacræ magister, *Nenningerus*, proterve admodum supra ipsa urbis mœnia, a tergo *Ægidiani* Sacelli, mœnianum sibi construi fecerat. Quod politicus Senatus sibi in præjudicium factum interpretatus, ex templo iterum dirui sua autoritate jussit. Quare *Mariani* mystæ auxilium, consilium *Ernesti* & *Wilhelmi Monachiensium* principum implorantes, malæ farciæ gratiæ ulcus refricarunt, & quantum in se fuit intestinum excitarunt bellum. Duces enim illi consestim ejus rei causa, *Augustburgensibus* negociatoribus viginti sex diversarum mercium sarcinas, quæ forte tum *Bolzenkyrchæ* erant, per mandatum judicis ne illis redderentur, inhibuerunt. Eas tamen Senatus noster, pro sua solertia, ex impiorum manibus brevi liberavit, mœniorumque suorum potestatem, quando copia judicis deesset, Cæsar enim apud *Insubres* non valde fæliciter belligerabatur, viriliter adservit, ac eo loci, quod *supra cornu* appellatur, pro firmiore sui muri adminiculo semirotundam extruxit turrim. Sunt etiam ejus anni æstate non procul illinc ad urbis fossam, infra *Strefingeriam* portam, novum molendinum ac sudatoria balnearum officina, cui ab *invidia* etiamnum nomen inest, extructa. Hastati item aliquot equites hinc, *Badensi* Marchioni in præsidium, contra *Fridericum Austriæ* ducem, transmissi sunt. Qui tamen brevi domum redière, quod Marchio nihil illis de hostium manubiis, dum prœlia conficerent, concedere noluerit. Deinde cum Canonici messis tempore, præter consvetudinem, pro invehendis in urbem frugibus, decimisque salvum conductum poscerent, tam ambiguum illis senatus de industria dedit responsum, ut civibus diffidentes clerici, frumenta sua partim *Werdæ*, partim *Landsbergæ* in granaria ad tempus redempta condiderint, ubi tamen majorem Cereris partem Vulcanus ipsis *Werdæ*, in ipso *S. Nicolai* festo, postea absumpsit.

Publicus adhuc carcer, hoc ipso anno, Curiæ immediate junctus, ejusdem Senatus mandato, subterraneis ergastulis construi hic cæpit. Qui clivo illi, sive monti

qui antea ad *bebetem ſtolidamve petram* nuncupabatur, novam a *ferreis vinculis pedicisque catenatis*, apud vulgus, appellationem primo dedit. Niſi quis adhuc illum ab *Iſide*, quæ olim Etrinicis & Luna τριόδιτις, & terra πάνδεκτης habita eſt, nomen trahere pervicaciſſime ſomniet.

Peſtis. Cæterum communis peſtilentia Autumno iſto, plurimos incolarum quoque ſuſtulit in urbe noſtra, fuitque hyems longe rigidiſſima.

A. 1408. *Vid. Tab. IV. Fig. 2.* Anno MCCCCVIII. Conſulatum *Auguſtburgi* iniere *Johannes Langenmantellus* junior, ex familia cum *Trigono* & *Ludwichus Hornlinus* IIII. Sub quibus propter peſtis ſævitiam, nihil memorabile hic geſtum eſſe, in Annalibus refertur, quam quod pervia ea domuncula, per quam in medio civitatis, ad balneum illud, quod *in civibus* appellationem habet, publicus deſcenſus erat, prorſum Senatus expenſis amota diruta que funditus ſit, ac *angiportui* illi tritiſſimo ſpacium dederit, qui in hodiernum usque diem, *civium viculus* dicitur.

Rotenburgenſibus auxilia mittunt. Et quod hinc *Rotenburgum* ad *Tuberam*, quam urbem quinque principes, junctis agminibus, ad obſidionem usque debellabant, a B republica noſtra octuaginta Bombardarii pedites, & duo currulia tormenta, cum nongentis Pyrii pulveris libris, ex fœdere miſſi ſint. Alii obſidionem hanc ante biennium a Marchionibus *Brandenburgenſibus* per duos integros menſes fruſtra tentatam docent.

Bellum inter Bojos. Denique quod & ob crudeles motus, qui inter *Bojariæ* fratrueles principes erant, non parum urbs noſtra perturbata, & plus juſto anxia fuerit, præſertim vero quando menſe Septembri *Burgavia* in propinquo in deſpectum *Ellerbachi* a *Ludwicho* Bojaro duce caperetur, & menſe Novembri *Burghardus* a C *Schellemberga* auratus miles, non procul ab urbe noſtra, prope *Uſterſbachium* villam, cum forte ad nuptias ſuas, quas cum N. *Egenia* N. *Rhelingeri* vidua hic pararat, lætior quam ſecurior huc ſeptuaginta comitibus ſtipatus proficiſceretur, miſere & inexpectato per *Landsbergenſes* equites trucidatus fuiſſet, cujus latrocinii cauſam *Bojari* prætexebant, quod *Hainrychus* ab *Eyſenburgo*, capitalis *Hanſi Fullenbachi* ſocii ipſorum hoſtis in equitatu eo fuiſſet, quæ excuſatio cum *Schellenbergicis* non ſatisfaceret, per longam transactionem obtentum eſt, ut pro cæſi anima D expianda mille aureolos ad perpetuæ miſſæ fundationem expenderint poſtea, cum tamen multo majorem pecuniæ ſummam ex captivis illis extorliſſent, exque illorum ſupellectile rapuiſſent.

A. 1409. *IV. Sodomitæ ultimo ſupplicio afficiuntur.* Anno Domini MCCCCIX. Conſulibus *Ulrycho Kuntzelmanno* II. & *Lorentio Egenio* IIII. concrematus publica prætoris condemnatione Cerdo quidam, propter præpoſteram Venerem menſe Martio eſt. Cumque Sodomitici ejus ſceleris complices habuiſſet tres ſacrificulos, nempe *Ulrychum Freyum* præmillarium ad *S. Johannem*, *Jacobum Kyſs*, parochum ad *S. Crucem*, & *Ulrychum* parochum *Gerſthoſienſem*, una cum *Georgio Watzenlechio* cucullato Dominicaſtro, quos ob characteris indelebilis reverentiam citra cathedralis eccleſiæ canonicorum præſentiam, tortuoſis quæſtionibus ſubjicere, nedum punire, illicitum plerique rebantur, facta tamen ex officio juſtitia, Senatus ſuper criminis convicti pœna ſententiam, ab Epiſcopo *Eberhardo* ſemel atque iterum fruſtra rogavit, tandemque faſtuoſiore ipſius reſcripto non tam irritatus, quam edoctus, ſacratos A eos quatuor ſemiviros, vel potius Hermaphroditos, in lignea cavea ex alta *Berlei* fori ſpecula, manibus pedibusque decuſſatim vinctos, a parte *Boreali* expoſuit, ac in contemptum cleri, populi vero terrorem fame, quam a Saturni in ſequentem usque Jovis & Veneris diem tolerabant, & primo biduo miſeri mane horas canonicas orabant, veſperique *Salve Regina* cantabant, quos & prior prædicatorum aliquoties e platea concionando conſolatus eſt, pro merito necavit, atque dein mortuorum cadavera in collem capitalis ſupplicii, per carnificem ſepeliri juſſit.

Friderico damna data mercatoribus reſarcita. Quæ dum apud nos honeſti gratia fiunt, en in ipſo *Johannis Baptiſtæ* natali die, nefarii quidam a *Feldnitio*, & *Weiſſenbacho* nobiles, imperialium civitatum negociatoribus merces, in tranſitu *Noricarum* alpium, connivente *Friderycho*, *Auſtriæ* duce, nulla præmiſſa pacis renunciatione diripuere. Quare civitates illæ, inter quas *Auguſtburgum* non poſtremas tenebat, ſtatim indicto bello, præfatum principem eo redegerunt, ut is pro dato damno ſatisfacere, mutuum deſuper ab iisdem vigeſies quater mille aureis acceptis, fiducialiter ſpoponderit. Noſtrates itaque mercatores ad *Lugani* & ſimilia teloniorum loca, tam diu per comitatum *Tyrolenſem* ſua ultro citroque convexerunt libere, donec quinque aureorum nummorum millium ſumma ipſis, tantundem enim amiſerant, recompenſata ſit.

Duellum inter Gæſwinum & Hechſenackerum Auguſtburgi. Illo etiam ipſo anno antepenultima Junii luce, devictus hic in *foro vinario* caſusque ſingulari certamine eſt *Gæßwinus* Marchſchalkus *Dornsbergenſis Suevus* a *Dietrycho Hechſenackero Bojaro*, cujus duelli monumenta, nempe nobilium illorum parmæ ad noſtram usque memoriam, in *S. Leonhardi* extra urbem ſano, ſuſpenſa & ſacra fuere. Porro agonem hunc memoratus *Hechſenackerus Engelhardo* Marchſchalcko, ob diffamationem conviciaque indixerat. Verum quia is plurimorum liberorum parens erat, quem diutius ſupereſſe non parum referebat, Germanus ipſius frater prædictus ſcilicet *Gæßwinus*, homo cælebs, rogando interpellans utrumque, ultro provinciam eam ſuſcepit, ac loco *Engelharti* mortem minime ſperatam, quod homo foret robuſtiſſimus, ſed fatali quodam omine ſibimet præſagitam, nam libi-

tinam in arenam cum funalibus præferri curarat, ut jam recitatum est, subivit.

Pagus sit oppidum. Pagus adhæc *Friedbergensi* adjacens arci, per *Bojariæ* Duces fossa & muro circumdatus primo, oppidulum eodem hocce anno est factus, in quo obæratorum & decoctorum, adde & homicidarum sacrosanctum asylum, ac refugium inviolabile, hodieque non levi *Augustburgensis* reipublicæ contumelia damnoque existit.

A. 1410. Anno salutis MCCCCX. creati hic consules a patribus & plebis Tribunis sunt *Johannes Langenmantellius* junior II. ac *Ludwichus Hornlinus* V. Quo anno tollendorum intestinorum tum odiorum tum bellorum causa, totius Germanici regni Judicialis notio, publice in civitate ista est habita. Cui *Eberhardus* episcopus noster, imperatoris commissione, die Mercurii post pascha propalam præsedit, ac præter aliarum causarum deciliones, *Hauptonem* (*) a *Calladino*, quem cognatus suus *Erchingerius* a *Biberbacho*, propter ordinariam Marchschalkorum muneris functionem, qua hæreditario jure absente *Saxoniæ* duce Archimarchischalcko, imperatori Romano evaginatum ensem præferunt, in vincula conjecerat, difficulter sane lata sententia, liberare potuit & in integrum restituere. Inde postquam *Radtwerthus* imperator XV. Kalendas Junii, *Oppenhaimæ* debitum natura exolvisset, decentique more contumulatus *Haidelbergæ* in templo *S. Spiritus* fuisset, post tertium mensem *Judocus* cognomento *Barbatus*, *Brandenburgi* & *Moraviæ*, quidam *Badensem* somniant, Marchio, *Franckfurti* XII. Kalendis Octobribus in æde *divi Bartholomæi*, absens & jam nonagenarius, rex Romanorum disparibus admodum votis, appellatus est, is quia sexto statim mense *Brunnæ* XIII. Kalendis Aprilibus obierit, ibidemque sepultus sit, nusquam coronatus, nec obedientia illi facta est. Sub hoc interregno episcopus *Eberhardus* totaque nostra respublica mutuam inter sese pacem firmarunt, per eas *regias vias*, quæ vulgo ad *Stratam* vocantur, & per totum *Zusami* fluminis tractum. Senatus porro noster curavit sibi omnis sortis ærea tormenta, expensis duorum millium aureorum conflari. Obtinuitque præterea muneribus *Monachii* apud *Ernestum Bojariæ* ducem, ut novum quod *Amergaviæ* nuper instituerat telonium civibus nostris relaxaretur.

Germanici imperii judicium Augustburgi celebratur.

Judocus Imperator.

A. 1411. Sequente anno factis *Augustburgi* more veteri, *Sebastiano Illsingo* patritio & *Lorentio Egenio* V. consilibus, SIGISMUNDUS *Bohemus Caroli* IIII. imperatoris ex *Elizabetha Stettinense* filius, & jamjam post maximas difficultates *Ungriæ* rex, post jam dictum *Judocum* fratruelem suum, alii *patruum* volunt, *Francfurti* mense Aprili, assentiente vivo adhuc fratre *Wenceslao*, Cæsar Germanorum haud citra Electorum discordiam, & derisionem consalutatur. Cujus monarchia civitas hæc nostra magis exornari, urbaniusque quam unquam antea excoli cepit. Estque in gratiam Textorum a Senatu nostro mercatoribus inhibitum, ne cum exteris textoribus cumprimis cum illis, qui intra trium milliariorum terminos ab urbe hac habitant, ullos contractus vel de lana arborea, vel Xylinis pannis facerent, idque quamdiu Senatus constitutionem hanc non revocaret.

Sigismundus Imperator.

Eodem anno sub finem Augusti mensis *Ansbelmus* adeptus est cleri canonici suffragiis, sed contra Cæsaris voluntatem, *Anschelmus* de *Numinga Suevus*, jam jam cathedralis apud nos templi custos protervissimus, homicidaque notorius, *Augustanæ* ecclesiæ mitram, adversus *Friderychum* a *Gravenegga*, comitem *Eggbardum* vulgariter alii perperam vocant, *Pannonicum* abbatem. Quem illi Senatus noster vetus ob odium Cæsaris rogationem æmulum excitarat, quemque statim Romanus pontifex, *Joannes* XXIII. qui postea *Constantiæ* quod venificus, adulter, homicida, Simoniacus hæreticus, & quid non fuerit, deposuit est, confirmarat. Verum *Ansbelmus* extemplo arces & oppida occupans *Wilhelmi Bojariæ* ducis favorem sibi conciliavit, facileque *Friderycho* adhærentes largitionibus devinxit. Et quanquam sæpe ac diu, cum jam nominato corrivali suo transegissent, nunquam tamen episcopale munus in civitate sua obivit, eo quod cives *Friderychum* pervicaciter expectarent.

Qui cum anno salutis MCCCCXIIII. in in- A. 1414. *S. Hilariæ* festo, quod Augusti XII. die *Friderici* peragi solet, altari majori impositus, in pos- *Episc. LIV.* sessionem venisset, post biduum solennibus ceremoniis consvetam a civibus stipulationem publica curia & accepit & reddidit. Facta postea in die *S. Bartholomæi* ejusdem anni, principum quorundam intervento, diœceseos divisione *Ansbelmus* vix octavo tandem ab electione sua anno, quo nimirum Canonici ipsius propter interdictum civitate hac cesserant, *Lindaviæ* in ipso *Mariæ* templo apud nobiles Vestales, quarum abbatissa *Ursula Sigbergensis* tunc erat, quæ formationi *Sigismundi* Cæsaris diu cum reluctata est, ad diem *S. Nicolai*, ab *Ottone* Marchione *Röttelensi Constantiensium* episcopo, *Chunrado* de *Pigavia Sangallensi* abbate legatoque *Johannis Abundi, Curiensium* prosulis, consecrationem concilio *Constantiensi* confirmante, accipere primum meruit. Primum decimo administrationis anno, priusquam tias suas Octobri mense *Dillingæ* celebraret, quod oppidum pro VI. millibus aureorum nobilibus N. N. impignoraverat, ac post annos inde una cum *Friderycho* præfectus tanquam irrequietus Schysmaticus officio ejectus est. Nihilominus tamen in possessione bonorum firmiter permanens, post quinque annos de recipiendis in singulos suæ annos octingentis aureolis, cum successore pactus est, cui sic tandem castella & oppida restituit, ac reliquum vitæ *Ulmæ*, ubi

(*) *Bappenhayma.*

cum-

curæum agens, ad extremum *Blaubeyrbæ* cœnobita obiit. Alii ipsum *Ulmæ* subitanea morte periisse, ac *Blaubeirâm* ad sepeliendum vectum scribunt. Alter vero ipsius vel coëpiscopus vel pseudoëpiscopus, renunciato item episcopatu, ad *Sachsaram* monasterium suum in Ungriam, cum magno æris alieni debito remeavit, ubi tandem cæcus redditus mortem obiit, multi tamen ipsum prius *Brandeburgi* episcopum fuisse factum docent. Cæterum sub tetræ hujus nostrorum præsulum discordiæ initio, factus est *Georgius Pfisterus* episcopalis hic Burggravius.

Concilium Constantiense. Et brevi post cepit magnum etiam concilium *Constantiæ* in *Suevia*, propter execrabile summorum pontificum schysma, indefatigabili *Sigismundi* Cæsaris procuratione celebrari. In quo CCCCLX. Cardinales, episcopi & abbates, cum omnium Europæ universitatum Theologiæ magistris, monachorumque generalibus ministris, toto quasi quadriennio congregati, *S. Johannem Hussum* VI. Julii Anno 1415. cum *Hieronymo Pragense*, 30. Maji, Anno 1416. quod Romanæ ecclesiæ errores, paparumq; tyrannidem, scriptis ac concionibus palam impugnassent, injustissimo igne necarunt. Et desuper, ne quid de contemptis seu obstantibus, verbis Christi dicam, impiissimo decreto statuerunt, Hæreticis neque datum salvum conductum, neque ullam publicam fidem esse servanda. Ac postea tandem tanquam Universalis Ecclesia, quam se Concilia repræsentare asseverant, abdicatis tribus Viventibus schismaticisque Papis, *Ottonem* de *Columna*, Domicellum Romanensem, 3. Idus Novembr. Anno MCCCCXVII. in verum & summum pontificem eligentes, *Martinum* V. appellarunt consecraruntque.

A. 1415. A. 1416. A. 1417.

Johannes III. Ulrichianus abbas XXXVII. In ea synodo *Johannes Kyssingerus* civis, ac trigesimus septimus *Ulrychianorum* monachorum pater, *Augustæ* electus, cum jam antea quadriennio *Uttenbeyrhanus* abbas fuisset, ac mitra illic bicorvi uti consveviſſet, quam post ipsum *Egon* comes a *Schwabecca* suscipiens, duodecim annis *Uttenbeyrrbæ* gestavit, noluit prætermittere, quin & insulæ ornamentum huc quoque successoribus suis, tanquam hæreditario jure a *Martino* novo papa, apud quem omnia venalia erant, comparaverit. Tenax alioquin homo, qui tamen parsimonia cœnobium hoc plurimum ditavit, & cœnobitas arctiore disciplina reformavit, præfuitque viginti quatuor annis, mortuus anno Domini MCCCCXXVIII. in thermis *Ferinis*.

A. 1428.

Johannes II. Georgianus præpositus XLIII. Circiter eandem tempestatem *Johannes Reicherus Geroldsboferus* dictus, tertius decimus ad *S. Georgium Augustanum* præpositus, oblatum ibidem episcopatum, constantissime nec imprudenter renuit. Ac cum vacantis cathedræ vices *Martinus* V. papa illi demandasset, maluit in civium sepulturas injurius esse, quam *Nenningerum* offendere, præfuitque canonicis suis undetriginta annis. In turpi hoc tam Romanorum, quam nostrorum antistitum dissidio, *Hussi* doctrina apud nos quoque invalescens, utpote *Wicklipbisticæ* cognata, non parum multos ex civibus a cleri dissoluta vita, ecclesiasticisque corruptelis abalienavit, præsertim cum tantis inter se tum jurgiis, tum seditionibus, canonici majores hic subinde tumultuarentur. Nam eo barbaries ipsorum prodierat, ut quoties capitularia sua consistoria, de imminentibus negociis, ad ædem consvetam haberent, jam non linea veste super laneam tunicam induti, sed sub dyploidibus lorica armati non precationum suarum breviaria, aut globulos orarios in manibus, sed pugiones gladiosque deferentes, semetipsos furiose exagitarint. Cum primis autem anno Domini MCCCC XIX. dum vix dum plene in civitatem essent admissi, templaque sua insicio civili magistratu, de novo lustricis ceremoniis expiassent, Ecclesiasticum senatum congregantes, tam truculenter die Lunæ post festum *S. Bartholomæi* consilia sua tractarunt, ut a verbis ad verbera, & a pugnis ad pugiones deventum sit, quo tumultu supra quadraginta enses in ipso cathedrali templo ejusque circambulacro evaginati micabant. Suntque ipsius-met *Gottfridus Harscherus* Decanus, *Hainrychus* Burggrafius frater præpositi, *Johannes a Rodt* & quidam ab *Hirnbaima* Symmistæ vulnerati. Et ni clamore suscitato populus accurrisset, civiumque magistri pacem summo jure imperassent, dubio procul furiale latrocinium a spiritualibus illis homuncionibus perpetratum fuisset.

Tumultus inter clerum.

A. 1419.

Sed omissis parergis ad nostra concedamus. Anno a nativitate Christi MCCCCXII. *Johanne Langenmantello* III. & *Ludwicho Hornlino* VI. Consulibus, occeperunt non levibus expensis publici aquæductus per civitatem *Augustburgensem* primo derivari, pro manantibus fistularibusque, ut sic loquar, fonticulis. Suntque tunc temporis *Leutboldo Kargo* architectone circa medium quadragesimalis jejunii, salientis aquæ prima labra, unum ad curiæ latus, alterum ante Textorum tabernam, & postea aliquot alia quoque hinc inde per majora compita triviaque civitatis constituta, cum alioquin puteis omnia scaterent loca. Sciendum autem prædictorum *fonticulorum castellum*, *aquæ stubam* vocatam, initio ante *fornicatam* portam, juxta civitatis fossatum situm, ferreisque tubulis laticem inde ad dicta labra perductum fuisset. Quamobrem de dato damno inter rempublicam nostram & præfatum artificem forensis actio tandem exorta est, quæ bonum eum virum sua diuturnitate ad summam inopiam redegit. Paulo posthæc imposita etiam *Berlejæ* speculæ fastigio turricula *albo plumbo*, quod *stannum* vulgo vocant, intecta, pro ea campanula est, qua senatores convocari, & per vigiles horæ secundario significari noctu solebant. Cæterum tintinnabulum

A. 1412.

Primi aquæductus Augustburgenses.

lum hoc decies centenas libras ponderat. Quo anno item constitutiones a senatu factæ sunt, de modo & numero conducendi publicos illos ministros, qui vasa vinaria in foro aperirent, eadem indigenis in cellas conderent, frumenta dimetirentur, onera plaustris imponerent, & similia officia apud nos exercerent. Quando vero duo præsules simul hic esse omnibus nervis contenderent, *Nenningerumque* canonici cum suis gregalibus, cives autem imperatoris & papæ ratificatione, ut ante dictum est, *Grafeneggerum* admitterent, turbulenter sane multa per civitatem nostram peracta esse nemo dubitet. Quas turbas nonnihil etiam Consulis *Hornlini* improvida loquacitas, nec non iniquior tenacitas adauxit. Cum is *Fritzio* Burggrafio nobili, ipsique adeo *Radaverio* civi stipendia, quæ senatus jussu pro *Rotwilensibus* (alii pro *Rottenburgensibus*) contra *Marchionem Badensem* secerant, minus liberaliter persolvenda assereret.

Patritii conventicula in ædibus Riederi instituunt.

Et dum hactenus patritiorum nepotes, quando genio indulgere ociosius cuperent, aut in Monachorum mendicantium cœnacula, aut ipsorum canonicorum gancas, haud citra conspirationum suspicionem, abire consuevissent, tandem indignitate rei proceres permoti, a *Petro Riederero*, sodalitatis ipsorum assecla, non insulse obtinuerunt, ut is ædes suas illis in *Berlejo* foro hocce anno primum pecunia locarit. In quas postea tam ad ludendum quam compotandum, spretis aliis tabernis, soli conscripti pro sua gravitate admissi sunt.

A. 1413. Anno subsequente cum *Sebastiano Illsyngo* II. & *Hainrycho Schmückero* textorum contribule consulibus, varia adhuc & intestina dissidia propter scanduloſum illud præsulum schysma clerum inter & cives nostros pullularent, coactus fuit senatus *Kunrzelmannum*, *Mangmaisterum* & *Blossium*, ad Cæsarem pro ope & consilio contra *Nenningeri* delationes, quibus Pfaffius iste immoderate fluctuans, Rempubl. *Augustburgensem* apud vicinos principes criminabatur, ablegare.

Rudolphus præfectus.

Estque mox a dicto Cæsare tam provinciæ, quam civitati nostræ præfectus assignatus *Rudolffus* Baro *Haideggensis*, qui suscepto munere plerumque hic commoratus, non raro jus dixit. Ejus frater quoque humanitate civium usque adeo delectatus est, ut patritiorum consortio nomen dare non inhonestum duxerit.

A. 1414. *Nenningeviani proscribuntur.* Anno dein salutis MCCCCXIV. *Johanne Langenmantello* IV. & *Ludwicho Hörnlino* VII. consulibus, allatæ sunt mense Aprili & regiæ & papales literæ, per magistrum *Oswaldum* Syndicum Reipublicæ nostræ, quibus *Nenningeri* auxiliatoribus, fautoribus, & quomodocunque adhærentibus, excommunicatio & proscriptio denunciabatur. Plurimi igitur Canonicorum hinc abiere, præpositus tamen & Decanus primæ ædis manere hic.

Interea constitutio a senatu civili facta est, quo pacto mulctandus is sit, qui aliquem per calumniam aut sine causa justa ad tribunal vocaverit, inter nos, quam pœnam vulgus accusationis exactionem vocabat.

Tandem pacificator ille *Sigismundus* Cæsar, concilium *Constantiense* ad Kalendas Novembres auspicaturus X. die Augusti mensis, civitatem hanc primum intravit, ac Graveneggerum alterum Episcoporum secum adducens, non modo solenniter illum tanquam verum pastorem hic *instituit*, *installare* quidam dicunt; Verum etiam civibus, accepto publice ante curiam debito Homagio, cetera privilegia benignissime confirmavit. Factæque sunt in jam dicta curia mutuæ inter novum episcopum & Senatum *Augustburgensem*, ad classicæ campanæ pulsum, stipulationes de conservandis utrinque juribus.

Sigismundus Augustburgum intrat.

Post quæ cum intra pauculos dies *Wilhelmus Bojariæ* dux, una cum altero Antistite huc quoque venisset, transactiones inter præsules gravissimæ attentatæ fuerunt. Nec tamen aliud ab ambitiosissimis obstinatisque partibus impetrari potuit, quam ut episcopatus ad futuri concilii determinationem sisterentur, assignataque *Graveneggero* civitas cum suburbanis villis est, *Nenningero* vero totum rus cum castellis cessit. Prior ista conflagravit altero die post ferias Apostoli *Bartholomæi* molendinum illud, quod ab urbis nostræ orientali plaga a *Lyei* diversorio *Schwalmyla* dicitur. Tandem hoc ipso anno præfatus *Sigismundus* rex per *Rhenum* descendens, *Aquisgrani* ab archiepiscopo *Coloniense* (*) Octavo die Novembris mensis sacro *Caroli Magni* diademate, quod tunc *Prägæ* a temporibus *Caroli* IV. Imperatoris asservari ad hunc usum solebat, sed post decennium illinc propter Hussitarum metum in arcem *Carlostainam*, & mox ad *Vicegradum Blindenburgumve* in Germaniam a Cæsare *Sigismundo* translatum fuit, ex quo loco regni Germanici illud insigne *Noribergam* tandem *Fridericus* III. Cæsar deportandum securitatis ergo curavit, Cæsar coronatus est.

Anno Christi MCCCCXV. *Ulrycho Kirzelmanno* III. & *Lorentio Egemo* VI. Consulibus, missi protinus ex Cæsaris mandato, concilium *Constantiense* Reipublicæ *Augustburgensis* legati sunt *Rudolffus* Baro *Haideggensis*, *Vicegerens* sive *delegatus urbis*, cum tribus senatoribus, quibus viginti duo equites fisci sumptu famulabantur. Quando autem hactenus omnis generis esculenta, panes dulciarii, pastilli rustici, calentes similæ, scolaria, fructus pro tempore, vinum subrubrum & mulsa, indies ad templorum vestibula hic indecore prostarent, factum ab urbano Senatu, nam ecclesiasticos talia non offendebant, XIIII. Maji decretum est, ut & vendentes & ementes a sacris eliminarentur.

(*) *Spatium in Sacramento* [illegible]

mus!

cis, ac dictæ merces ad ordinarium forum, privatasque cujusque ædes rejicerentur.

Hærnlinus ob salutatum Episcopum punitur.

Et cum jam dudum quoque a Senatu decretum fuisset, quod nullus civium *Nenningerum* vel pro episcopo agnosceret, vel uspiam eo titulo appellaret, multo minus Feudum ab ipso acciperet, accidit superiore anno, ut *Ludwichus Hornlinus* alter e consulibus, ductum *Nenningerum*, cui semper familiaris fuerat, huc in festo *divæ Katharinæ* venientem, & equo prætervectum, aperto capite porrectaque dextra, quam reverentur in via salutarit, & inter cætera dominum suum clementem ac episcopum vocaverit. A Quæ verba *Nenningerus* pro serata, & nescio in quod contra civitatem præjudicium acceptavit. Quare Senatus *Augstburgensis* factum id, non simpliciter contemptum sui decreti, sed merum perjurium interpretatus, imprudentem eum virum, utut antea septies consulem, jam vero sigilli secreti custodem, adhæc Bojario duci *Wilhelmo* acceptissimum, civitate proscripsit, ac initio *Rotenburgi*, dein *Strasburgi* viginti continuis annis, quos tamen non vixit, exulare jussit.

Jacobæum suburbium muro circumdatur.

Quo anno cæpit & *Jacobæum* suburbium B muro primum circumdari, idque præfati *Sigismundi* Cæsaris indultu. In cujus rei perpetuam memoriam cives lapideam statuam illi in mœniis ibidem posuere.

Erenbergæ expugnatio.

Cujus classico dein Majo mense evocati, quadringentos pedites, ducentosque equites, ad intercipiendas & arcem & clausuram *Erenbergenses*, contra *Friderychum Austriæ* ducem, cui cognomen a *vacuapera* mansit, eo quod is fugientem e concilio scelestissimum papam tutaretur, juvaretque nostri homines propriis sumptibus emiserunt. Qui juvantibus *Ulmensibus*, & aliis propinquis Impe- C rialibus civitatibus, re bene gesta post tres septimanas, alii undecim dies ponunt, salvi domum redière & summam apud Cæsarem gratiam inierunt. Visa autem VII. die Junii apud nos Solis eclypsis hora VII. ante meridiem est.

Stratuæ viarum origo.

Cæterum cum in hunc usque diem, publicæ civitatis *Augstburgensis* plateæ, sabulo tantum & cespitibus coopertæ, ac pluvio tempore, præ inhærente vestigiis, luto profundo, imo interjectis ligneis gradibus perquam molestæ deambulantibus essent. Curavit sub ipsum autumnum *Hansius Guerlichius* semitam eam, quæ ante ædes suas erat in D *foro boario*, hodie *fæni forum* esse ajunt, domumque eam *Hugonem* atrium dici multi volunt, cum certe ea angularis domus sit, quam post 96. annos *Hieronymus Fuggerus* amplissime restauravit, silicibus primum ordine insterni; & arena interspersa ad instar pavimenti subigi. Quæ structura cum non solum venusta, sed etiam utilis videretur, mox vicinorum opera tota ea via, quæ illinc ad *S. Annæ* claustrum, & inde ad *Geggingensem* portam ducit, similiter lapidibus constrata est sequenti vere. Et postmodum opificium id Senatus ostiatim, ad aliquot pedum latitudinem, tota civitate continuare locupletiores jussit. Inter media autem itinera, amplioresque urbis areas, Ædiles, reipublicæ impensis successive magis ac magis absolverunt, donec omnes plateæ & vici hic saxo jam stratæ sint eleganter. Hac tempestate *Sigismundus* Cæsar *Brandenburgensem* Marchionatum cum Electoratus officio *Friderycho Noribergensi* Burggravio & paulo post *Saxoniæ* ducatum cum septemvirali dignitate *Friderycho Mysnensi* Marchioni contra *Lausenbergenses* duces in beneficium contulit. Simul ac & comites *Dietrychum Clivensem*, *Amadeumque Sabaudum*, ducum titulo ornavit *Constantiæ*.

Anno Domini MCCCCXVI. *Sebastiano Illsyngo* III. & *Hainrycho Schmuckero* II. *Augstburgi* consulibus, renovatum XVIII. Februarii utriusque Senatus sanctione, antiquum statutum est, quo cavetur, ut qui fidem creditoribus hic falleret, ac declinatio foro debitis suis effugio consulere, præsumeret, perpetuo tum municipali tum Tribuli jure destitutus, cum uxore & liberis extorris foret. A. 1416.

Zusambausam capit Remus Augstburgensis.

Deinde sub initia Martii invasit *Georgius Remus Zusambausam*, eamque occupans forti præsidio firmavit, eo quod *Nenningerus* censum nonaginta aureorum, quem de telonio episcopi annuatim illi debebant, jam aliquoties, vel idcirco quod *Remus cautionem scriptam*, vulgo *acceptilationem* seu *quitantiam* vocat, illi ut vero Episcopo dare noluerit, non sine injuria recusabat reddere. Cujus stratagematis mox *Bojariæ* duces se vindices, & *Nenningeri* auxiliatores professi, omnes vias hostiliter nostris præclu- D debant, ac nulla vel stramina vel ligna nedum frumenta aut alia victualia ad urbem inferri sinebant. Quum & in terra ipsorum *Nenningerus Ulrycho Artztio* civi, quinque Sarcinas mercium XV. Aprilis intercepit. Quare Senatus missis *Monachium Gossenbroto* & *Liebero* legatis, eas repetit, quibus contumacius responsum est, quamprimum *Remus* occupatum pagum restituerit, *Artzio* merces quoque suas reddendas fore. Hic nostri, præsertim plebis Tribuni, perlectis domi obligatoriis, quas *Remus* super pignore arcis & Pagi prædicti habebat literis, & illi & *Artztio* auxilia decreverunt, ac missi iterum *Monachium* consule *Illsingo* & *Liebero* senatore, res eo perducta est, ut dies *Constantiam* ad concilii & Cæsaris deputatos, utrique parti sit indicta, quam cum *Neuningerus* renuisset, minus propitios *Bojaros* habere cæpit.

Lis inter Remum & Nenningerum diremitur.

Respublica autem nostra, totam causam per suos legatos *Kuntzelmannum Mangmaisteriam* & *Blossium Rottwilæ* imperatori insinuans, non solum mandatum impetravit, ut civibus suis cuncta restituerentur, simul etiam commissarios propinquas civitates accepit, qui & totios causæ cognitionem haberent &

se pro viribus contra omnem vim adjuvarent. Quibus cognitis *Ludwichus Barbatus*, Rheni palatinus & imperii elector, vices suas interponens, ceu arbiter honorarius, negocium hoc haud multo aperto bello dispar, *Haidelbergæ* demum in ipsa *Mariæ Magdalenæ* festivitate, per compromissionem partium hisce conditionibus, præsente *Illsyngo* consule complanavit, ut scilicet *Nenningerus Artzto* sarcinas mercesque suas, absq; omni detrimento ulterioreque sumptu *Augstburgum* mitteret, *Remoque* omne debitum prompto ære persolveret, *Remus* dein episcopatui *Zusamhausam* vicissim restitueret.

Spectacula edunntur Augstburgi.

Quod ubi utrinque præstitum est, convenerunt statim sub principium mensis Augusti, congratulationis causa, multarum imperialium civitatum utputa *Regensburgensis, Noribergensis, Ulmensis, Constanticensis, Nordlingensis, Memmingensis*, & similium primores, simul & plures nobiles, comitesque, vicini, ipsique adeo *Bojariæ* principes, *Ernestus* ac *Wilhelmus Monachienses*, nec non *Ludwichus Ingelstadienses*, qui solus centum & undeviginti equites adduxerat, in urbem nostram. Ibi inter alios lepidos jocos, quibus summa hilaritate omnes indulgebant, tandem in ipso *Levitæ Laurentii* festo, tum hastiludia tum torneamenta, non tam gladiatorie quam amice, ab illis haud vulgaribus expensis, nec vulgari ritu habita sunt. Fulsere autem simul & semel sexaginta galeæ, in ea ad sacram aream arena cumprimis vero patritiorum nostrorum soboles, majorum imaginibus ornati, plane militariter dimicarunt, promeruitque primariam inter omnes cum gratia coronam *Georgius Remus* supradictus. Interea duobus *Hansis, Guvetlichio* & *Mülichio* ædibilis, absoluti sunt penitus muri, quibus superiore anno *Jacobæum* suburbium muniri cæperat. Adhæc tota circa *divæ virginis* basilicam semita, & nonnullæ aliæ civitatis regiæ viæ, lapidibus arenaque primum stratæ sunt.

Aquæductus reædificantur.

Sic & cum ante quadriennium, inchoatorum fontium Scaturigo male locata, ipsique adeo Canaliculi, ut relatum est, neutiquam recte fuissent facti; durabilius opus per fabrum lignarium *Ulma* natum, *Hanso Felbero* illi nomen erat, hoc modo reædificari cæpit. Primo omnium turriculam in fossam civitatis prope *Ptochodochium*, infra *Haustertensem* portam fieri fecit, in quam dein magna rota *Cresibiam* machinam, quam materno idiomate *Bumppam* appellamus, adornavit, ut per eam præterfluens aqua, sursum ad *Catinum*, tanquam castellum extrusa, postmodum ex eo per Euripos abiegnos, supra mœnia post *Ulrychanum* monasterium, ad *Æseri* turrem usque, ac ab ea ad septem dispositæ urbis loca, nempe ad aream, quæ est ante *S. Ulrychum*, in forum vinarium aut textoriam tabernam, ex oppositio Adyti *Carmelitarum*, prope Curiam in Circo *Berlejo*, inter Judæorum vicum & eam plateam; quæ *Buffonum* insula vocatur, atque e regione Fani *S. Leonhardi*, quindecim Cannulis ceu epistomiis, perenni latice defluentibus, venustius atque utilius quam antea deducebatur, frumentarii item emporii tabernaculum ligneum, nostri *Schrandum* vocant, condi hic ad caput *Mauritiani* templi, hoc anno quoque cæpit. Ac cum multi exterorum nobilium, utputa *Haidecceii, Künigseckeri Holtzhaimeri, Knöringeri, Burggravii, Diesseri* & *Agawängeri* ad patritiorum nostrorum fines connubiis societateque accederent, sodalitium que illorum indies luculenter adaugeretur, nec tamen illi adhuc proprium contubernium haberent, quo seorsim a plebe, recreandi animi gratia, ad libitum convenire possent, habito inter sese consilio, eam demum hoc anno domum, quam hactenus ex adverso Curiæ a *Petro Riederero*, conduxerant, ampliore contractu compararunt, constitutoque caupone *Herorum stubam* appellari fecerunt.

Sequente MCCCCXVII. anno, dum *Ulrychus Kuntzelmannus* IV. & *Johannes Wielandus* ex mercatorum tribu consules essent, tanta *Augstburgi* & hyemis sævitia & annonæ caritas initio extiterunt, ut magnus modius *secalis*, *olyræve* septem, *Avenæ* tribus nummariis libris veniverit. Sub medium vero Augustum mensem, allatis huc *Nordlinga* & ex *Franconia* frumentis, tanta obsoniorum accessit vilitas, ut *olyræ* modius aureolo, ac *Elsatici* vini usualis mensura quatuor nummulis divenderentur postea. Suntque *Bojariæ* ducibus acriter inter se digladiantibus a *Sigismundo* Cæsare *Regensburgi* mense *Septembri* ad quatuor annos induciæ ineratæ; Ex qua re non prorsus nullam ad Rempublicam nostram emolumentum devenisse certum est. A. 1417. *Annonæ caritas.*

Anno Domini MCCCCXVIII. Consulibus *Sebastiano Illsyngo* IV. & *Hermanno Norlingero* mercatore, *Nenningerus* præsul Confirmationem tandem a papa *Martino* consecutus, adeo ferocire cæpit, ut totam nostram civitatem ecclesiasticæ censuræ fulminibus XV. die Junii, propria autoritate ferire ausus fuerit, eo quod ea Imperatoris sui præcepto obediens, neminem civium feuda sive beneficia ab ipso *Dillingæ* recipere permitteret. A. 1418. *Nenningerum Papa confirmat.*

Quare canonici cum omni clero, aut hinc abierunt, aut a sacris suis abstinuerunt, ac soli mendicantes monachi nullam episcoporum in se autoritatem agnoscentes mansere. Qui senatus jussu, divina solita quidem facicbant, & morituros eucharistiæ viatico, extremaque unctione providebant, verum neminem in consecratis locis, plus quam nefarie, sepultura dignabantur, cum tamen *Georgidorum* Cucullatorum præfecto id papali commissione licuerit. Donec Julii XXII. die *Graveneggerus Constantia* rediens, cuncta ecclesiastica officia in templo majore, sed nullo canonicorum præsente, mitratus cum alienis & ruralibus quibusdam, sacerdotibus peragere *Omnis clerus, excepti mendicantibus monachis aufugiunt.*

gere reincipéret. Quo tempore licet *Bojari* interdictum episcopi erga nostros rigide ubique servarent, cujus rei gratia Consul *Illsyngus* & *Remus* quispiam, ad Cæsarem *Rottwylam* missi sunt: Et Cæsaris quoque serio mandato, transactiones in *Nenningerum* & Rempublicam nostram, subinde frustra attentarentur, tanta tamen omnium rerum ubertas affluentiaque hic erat, ut magnus modius *Olyræ* uno aureolo, libra civilis *Bovinæ carnis* tribus obolis, libra *butyri* quatuor nummis, mensura bilibralis *vini Neccarei* tribus, *Elsatici*, quinque nummis, biga una *fissi ligni* X. grossis, ac *tria gallinarum ova*, unico obolo venalia fuerint. Quanquam nonnulli annales, hanc annonæ vilitatem, in annum sequentem ponant. Quo anno item, plus quam media platearum urbis pars lapidibus constrata decenter est, & valebat aureolus *Rhenensis* apud nos XVIII. grossis, grossus vero unus septem cum dimidio nummulis.

Annonæ vilitas.

Sigismundus Augustburgum accessit.

Interea accessit *Sigismundus* Cæsar, finito post tres integros & dimidium ferme annos, *Constantiense* concilio, *Ulmam*, quo protinus Senatus nostri nomine consul *Illsyngus* iterum, *Ulrychus Kuntzelmannus*, *Petrus Tuchscherus*, & *Josus Kramerus*, conquæstum missi sunt, quod dux *Bojarus* civibus commeatum ex sua ditione præcluderet. Unde Augustus IV. Octobris die, intempesta nocte huc venit, quadringentis nostratibus equitibus, medio versus *Gerstbofam* itinere, a civibus, a *Friderycho* episcopo vero in civitate sacris reliquiis, cætuque ecclesiastico exceptus, ad ædes *Hofmayri*, quæ hodie viduæ *Vogeliæ* sunt, in *foro boario* divertit. Cui Senatus postridie pro hospitali munere, deauratum argenteum scyphum cum mille signatis aureis nummis, aliquot dolia vini, avenam & pisces, non parvo numero obtulit. Qui cum quatuordecim dies hic moram necteret, non nisi quatuor pricipaliores portæ per diem toto civitatis ambitu reserabantur, habebantque cives tam interdiu quam nocte armatas undique excubias. Inde idem Cæsar, privilegio Rempublicam utilissimo, IX. Octobris die ornavit, ut nemo *Lechi* fluminis cursum supra civitatem hanc impedire, aut ullis obstaculis ab ea divertere debeat. Ac dein *Monachiensem* ducem, ad ineundam cum civitate nostra concordiam, ad se quoque vocavit. Verum ille episcopale bannum prætexens, nulla religione, sed *Nenningeri* favore, comparere voluit.

Privilegium de libero Lechi cursu.

Stgismundus Imp. munificus in Augst. burgenses.

Augustus tamen nihilosecius genio, post plurimos exantlatos labores, jucundius indulgens, a patritia gente ad choreas invitatus est, quas ut erat comis ac jocosus princeps, mitissime accessit. Et ne incivilior haberetur, unicuique matronæ, quarum quinquaginta fuisse in acta relatum est, aureum annulum, drachmam Ungarici valoris ponderantem, propria manu, digito imponens dono dedit. Augustalibus dein literis his datis, Senatui telonium, quod a *strato solo* nomen habet, & ad quamlibet civitatis portam exigi hodie solet, ad triginta duos annos clementissime indulsit.

Id quod postea anno salutis MCCCC XXX. Reipublicæ nostræ, Kalendis Septembribus *Straubingæ* in perpetuum confirmavit. Demum quatuor aureolorum millia, a Republica mutuum quoque accipiens, una cum *Graveneggero* discessit, ac *Rudolfum Montfortium* comitem apud nos, tanquam Vicarium suum propter episcoporum Schysma reliquit. Tandem item civitatem nostram *Regensburgi Bojarico* duci reconciliavit, ac præterea civibus hanc prærogativam ibidem concessit, ut quoties in posterum *Lechi* fluenta a *Bojariis* principibus, contra prius memoratum privilegium intercluderentur, ipsi eundem amnem apud se simili arte quoque obstruere, & prætervehenda remorari pro lubitu possint. Erat forte tunc *Georgius* Episcopus *Passaviensis* Cæsaris Cancellarius, qui cum hic etiam foret, habebat in aula sua ferum aprum, ita tamen cicurem redditum, ut is equitatum ipsius semper secutus sit, ac quoties equi aquatum educerentur, idem aper ad natandum in fluminibus cum illis ierit & redierit.

A. 1430.

Postremo *Augstburgensis* communitas, summi pontificis commissione, per Abbatem Scotorum *Noribergæ*, tertio die Decembris, Magistri *Oswaldi* procuratione, *Petro Tuchscherero* sollicitante, coram tredecim Doctorum congregatione, ab Episcopi excommunicatione libera pronuntiatur, unde pro expiatione satisfactioneque, solennis missa hic, accensis quadriliberalibus cereis, XVIII. die ejusdem mensis, in æde summa Senatus sumptu decantata est.

Augusta ab Episcopi excommunicatione libera pronuntiatur.

Contra hanc tamen sententiam Canonici *Augustenses*, habita *Langingæ* synodo, suo more excipientes, omnia apud Romanam curiam in dubium vocare, & totius negocii litem replicare, perfricta sane fronte, & silente Episcopo ausi sunt. Cives igitur *Georgium Blossum* ad Almam ablegantes urbem, vix Magistri *Petri Fridi* advocationibus, in ecclesiæ communionem, ad festum *purificationis divæ Virginis*, anni subsequentis, restitui potuere, vel inferius patebit.

Porro currente adhuc hocce anno, pervenerunt Kalendis Novembribus, ad hanc primum civitatem, ignoti & subnigri errones, numero quinquaginta, permagnam etiam tum deformium mulierculorum, tum fœdorum puerulorum catervam secum ductitantes. Quibus duo duces, & uti ferebant aliquot comites præerant, profitebanturque se minore *Ægypto* exulare, & vaticinandi peritos esse. Verum re penitius introspecta, meri trifures furciferique sunt deprehensi, hodie nostris *Zegineri*, Italis *Cingani*, & Gallis *Bohemi* dicuntur.

Zigeuneri Augstburgum veniunt.

Constat autem ante annos plus minus sexingentos *Uxios* gentem *Persicam*, absque omni lege, ferarum more in Vicinas terras, & inde in *Europam* sparsos esse, a quorum instituto procul dubio maleficiorum istorum hominum colluvies, mendaciis furtisque victitans, ortum accepit, impuneque etiamnum cunctas provincias pervagatur. Nisi quis eos a *Zogoris* propagatos velit, qui itidem olim ex *Caucasi* montibus, ubi latrociniis assueverant, cum liberis & uxoribus in *Europam* ante *Tartaros* irruerunt.

Baderus sociique suspendio pereunt.

Eodem anno XI. Kalendis Januarii, interceptus non procul sancto monte, ab equitibus nostris est *Waltherus Baderus*, qui supradictis montibus toti Reipublicæ nostræ, & præsertim laniis, semper ad *Lechi* vallem fluentaque, multa intulerat incommoda, ac mox eodem die, quod præda de facto in promptu afforet, suspendio publico cum tribus sociis periit, non parum *Wilhelmo Monachiense Bojario* duce, cujus ministerialis fuerat, irascente.

A. 1419. Anno Christi MCCCCXIX. dum *Ludwichus Ingelstadiensis Bojariæ* Dux a proximo præterito *natalitio Christi* festo, in diem usque *Epiphaniarum*, propter portoria, *Lechi* pontem *Lechauæ* transtris & fossato tumultuario, non parva *Augustburgensium* injuria occlusisset, factæ cum illo sunt aliquot mensium induciæ. Et civitas quoque nostra *sanctissimi patris gvthentico brevi*, sic *Paparum epistolas* vocant, ab episcopi sui banno, Kalendis Februarii tandem Romæ absolvi meruit. Inde statim *Ulrychus Kunzelmannus* V. & *Hainrychus Engelschalckus* mercator consules creati, fœderatas urbes huc ad Dominicam *Reminiscere* convocarunt.

Pax.

Quarum delegati mox, diu multumque hinc *Fridbergam*, ubi *Boji Nenningeriisque* manebant, & illinc rursus huc commeantes, tandem die Martis post Dominicam *Oculi* concordiam inter *Bojariæ* principes & *Augustburgenses*, facilem quidem, inter Canonicos autem *Augustanos* & cives eosdem difficiliorem, at cum episcopo nullam constabilire potuerunt. Mystæ itaque Canonici e vestigio antiquas sedes repetentes, non solum domos suas & aras, decore repararunt, sed & die Veneris, quæ mediæ quadragesimæ Dominicam *Lætare* appellatam præcedit, omnia fana cum ipsa æde summa Magistri *Rudolffi* plebani procuratione, iterum consecrarunt. Quod cum clam Senatu eoque invito fuisset factum, post aliquot inter illum & suffraganeum tractationes, mulcta centum aureorum alypræ illi præsuli a nostris imperata est. Verum is civitate abire, quam pecuniam eam persolvere exlex maluit. Qua de re factum postea est, ut in festo parasceves nullum chrysma hic de more confectum, sed id pro novi baptismatis consecratione ad Sabbatho festum Paschæ, e *Freysinga* allatum haud levi scandalo sit.

Augustburgenses legatos Romam mittunt.

Quia vero lis in Curia Romana, quæ juxta antiquum proverbium non petit oves sine lana, semel contestata, non amplius solum episcopale bannum, sed & ipsum schysma jam concernens, adhuc pertinaciter penderet, rogavit Senatus noster, missis *Posonium*, quod germanice *Breßburgum* dicitur, *Sebastiano Illsyngo* & *Hermanno Nordlingero* legatis, ab imperatore, promotorialem, quam vocant, epistolam, simul ac veniam super ablegando Romam suo nomine, cum plena potestate, procuratore, petiitque & consilium, ne quid incautius contra patriæ libertatem, imperiumque peccaret. Quibus obtentis, *Paulum Langium* & *Hermannum Nordlingerum* sabbatho ante festum *Georgii*, Romam profisciscí curavit. Qui insumpta multa pecunia, vix tandem Dominico die ante festum *Bartholomæi* redeuntes, *breve Apostolicum*, cognosce lector curiæ terminos, plumbo munitum attulere, quo *Johanni* ad S. *Georgium* hic præposito, totius episcopii Vicariatus per omnia ecclesiastica munera demandatus erat. Verum monachus ille foro uti sciens, præsentis episcopi iram plus quam pontificis absentis bullam reformidavit, omniaque a civibus impetrata repudiavit. Sicque simplicium conscientiis & episcopus & præpositus iste illudentes, Senatum majoribus erroribus intricarunt.

Sequente Anno a nativitate Domini MCCCCXX. erat, consulibus *Sebastiano Illsyngo* V. & qui jam ad mercatorum classem ascenderat, *Hainrychó Schmuckero* III. A. 1420.

Cum jam *Chunradus* a *Reyschachio* nobilis ex *Hegovia*, præfecturam *Augustburgensem* a Cæsare pro servitiis suis, *Uratislaviæ* confirmatus, in beneficium accepisset, lata per Senatum nostrum ultima Februarii lex est; Ne quis civium a quibuscunque Sacerdotibus, ullum prædium vel domum, tam intra civitatem, quam foris, vel conduceret, vel emeret, quod vel quam illi redimere possent. *Concedit præfectur.*

Post quæ facta est per *Hainrychum*, *Wilhelmum* & *Ernestum Bojariæ*, regulos, militaris expeditio adversus *Ludwichum* cognatum ipsorum, non sine civitatis nostræ, utut Senatus pacificatoris vices ageret, detrimento sollicitudinemque. In qua illi *Fridbergam* oppidulum quidem cito vi ceperunt, arcem vero, quam *Hainrychus* ingenuus de *Schwanga* propugnabat, a medio quadragesimali jejunio ultra medium Julium expugnare neutiquam potuerunt. Quare domum abeuntes, exercitum re infecta, nisi quod oppidum dictum incenderint, dimiserunt.

Interea cum adeo præcox esset annus, ut in ipsa *ascensione domini* rosæ passim florerent, ac sub principia Augusti, in ipso *Annona vilissima.*

festo

festo *S. Afræ*, persica mala, uvæque maturæ hic venales haberentur, prostitit in foro magnus *Olyræ* modius libra nummorum nima, *avenæ* quindecim grosis, mensura *Necarœni vini* tribus nummis, & *plaustrum ligni* decem grosis.

Aquæ calidæ balneum.

Ac fabricavit *Ulrychus Pemingerus*, aurifaber, apud *Jacobœum* suburbium, aquæ calidæ balneum, ubi homines vel scabiosi vel lassi, ad instar thermarum naturalium in soliis sive e Picea confectis labris, precio lavare Majo mense *Augstburgi* nostro primum cœperunt.

Pestis.

Grassata præterea anno hocce nefanda pestis, & hic & tota quasi Suevia est, qua cum sedecim forte millia hominum, in urbe hac obiissent, & civis quispiam *Biteringius* nomine, qui æque ut alii quamplurimi luem eam hinc fugerat, apud *Werdam* extinctus, atque huc in paternum monumentum ad ædem *Marianam* illatus, & inferiis de more expiatus foret.

Tumultus.

Quia tamen eucharistia non communicasset eo decubitu, sepulchro suo *Nenningeranæ* factionis invidia, post aliquot dies effossus iterum est. Quapropter refricato vulnere, plebs non leviter nec citra causam, tumultuari cœpit, præsertim quando accedente altero *Nenningeri* interdicto, multorum aliorum insuper cadavera, octuaginta ad minus, debitis sepulturis, pudendo sane ausu quatuordecim integros dies hic caruerint. Sed ne culpæ in autorem redundarent, en confestim *Nenningerus* de novo civitatem hanc in jus Romam vocavit. Unde tandem Cæsaris Augusti, qui fratri *Wenceslao* jam tandem apud *Pragam* paralytico facto, hoc primum anno in regno *Bohemiæ* successit; intercessione, pontifex Maximus commissarios constituendo, diem *Wirtzburgum* dixit, quo amandatis a Senatu nostro *Johanne Grünenbacho*, & *Nicolao Langingero*, cum conductis, & *Strasburgo, Constantia* & *Noriberga*, tribus Jureconsultis advocatisque, similiter ut antea nihil sani præ psafforum perdita malitia, impetrare potuit.

Quando vero sæpedicto *Nenningero*, res non satis pro voto, ista successisset via, aliam iniquissime ingressus est, ac Senatum nostrum, qui illi litem *Blosso* & *Vogelo* actoribus, apud summum jamjam intentarat pontificem, iterum Romam ultra priores accusationes, etiam propter telonium de strato solo, & vectigal vinarium, aliasque in civitatem hanc præsumtiones impudentissime citavit. Quam injuriam *Augstburgenses*, convocatis propere *Ulmam* non solum confœderatis, sed & cunctis imperialibus civitatibus, serio ac anxie per supra dictos suos consules, *Josumque Kramerum* conquæsti sunt. Legati itaque civitatum, unanimibus votis contumeliam eam inclitis Germanis non ferendam, nec sæcularia negocia in ecclesiastico foro dijudicanda esse diserte decreverunt. Quin & auxilium pro manu tenenda antiqua ea libertate, nostrisque fideliter detulerunt, sancteque repromiserunt. Missa itaque legatione præfractum illum antistitem, hujus ipsorum sententiæ certiorem reddiderunt, & ab illicito suo proposito mature avertunt. Cætenum hocce anno, *Rhenanus* aureolus XVIII. grossis, ac III. nummulis apud nos commutabatur, *Ungricus* vero aureus tres libras obolorum valebat.

Erenfelsius episcopatum renuit.

Tandem demum cum exauctorato ob petulantem nequitiam, utroque Diœcesano papa *Erenfelsium* quendam, *Moguntinæ* metropolis præpositum, Augustæ episcopum anno salutis MCCCCXXI. esse juberet, ille autem ocii gratia onus id rejiceret, dura coacti necesitate Canonici nostrates, ad ordinariam electionem quidem condescenderunt. Verum inveteratis mutuisque odiis præpediti, pars *Pupilinum* ab *Eisenburgo* pars *Rhenbardivillanum* quempiam elegerunt, quorum quilibet spe plenus, Romam pro sui confirmatione contendit. A. 1421.

Petrus Episcop. LV.

Ubi dum permagno litigant, en *Petrus Schamburgius Franconicus* nobilis, & pontificius cubicularius, præsente Magistro *Petro Fridio* civitatis nostræ apud papam advocato, & *Burckhardo Zinckio* cive, qui memoriæ suæ nostræ urbis acta diligenter conscripsit, sententiam interea apud *Martinum* V. papam benignissimum, non parvo ære redimens, *Augustanæ* ecclesiæ, de cujus corpore, utpote *Bambergensis* & *Wirtzburgensis* Canonicus non erat, præsul quinquagesimo quinto loco decernitur. Porro memoratus *Martinus*, genere *Columnensis*, ante quadriennium abdicatis tribus schysmaticis, ab universali ecclesia, quam se Concilia repræsentare assueverant, verus & summus pontifex *Constantiæ* electus fuerat, ac primus creditoribus, de quatuordecim argenti marchis, unam annuatim reddi, justum censum, nec usuram esse concessit, atque in fœneratoribus permaximam apud Germanos fenestram aperuit. *Petrus* autem rerum, post sui consecrationem, quæ in annum Domini MCCCCXXIV. cedente penitus *Nenningero*, A. 1424. incidit, quadraginta quinque continuis annis non sine labore, potitur. Antistes hic statim prædicatoribus monachis non modo monasterii, & ædium ipsarum immunitates, per civitatem diœcesimque primus confirmavit, sed etiam Pontificum Romanorum jam dudum super exemtione ab omnibus ordinariis collectisque, ac aliis libertatibus concessa illis privilegia hocce ipso anno septembris die XII. per avthenticum instrumentum rata habuit.

Synodus Florentina.

Estque ob singularem doctrinam, a *Martino* V. Papa Cardinalis creatus, nec ita longe post ab *Eugenio* IIII. papa, cui Cæsar & Christiani principes primum pedes ultro exosculari cœperunt, quique mendicantibus monachis privilegia, pro habendis apud sua oratoria sepulturis & audiendis confessionibus,

bus, contra plebanos conceſſit) *Florentiæ* in ea ſynodo, quam cum *Johanne Palæologo* penultimo Græcorum imperatore, & *Joſippo* patriarcha *Conſtantinopolitano*, de *Spiritus Sancti* proceſſione, purgatorio & Romanæ ſedis præcellentia agitabat.

A. 1438. Sub annum Chriſti MCCCCXXXVIII. *Concilium Baſilienſe.* etiam legatus a latere dictus. Quia vero poſtea in *Baſilejenſe* concilio, (quod Kalendis A. 1431. Octobribus anno MCCCCXXXI. *Julianus* pontificius legatus ac præſes, ſub *Wilhelmi* Palatini *Rhenenſis* protectione, auſpicatus fuerat. Et in quo ſummis patrum contentionibus, contra *Bohemos* aſſertum eſt, Synodis non minus Evangelio credendum, ac papam omnino generali concilio non ſubjectum eſſe) luna cum *Leonhardo Paſſavienſe* præſule Orator cæſareus, *Amadæo Sabaudiæ* primo duci, qui dimiſſa filiis adminiſtratione, jam Anachoretam agebat, & anno MCCCC A. 1439. XXXIX. contra prædictum *Eugenium*, *Felicis* V. appellatione, papa fuerat creatus, nono adhæſiſſet pontifici, ab eodem *Eugenio* Cardinali faſtigio privatus eſt. Ipſe tamen interim id parvi pendens autoritate ſua *Hainrychum* VI. *Angliæ* & *Carolum* IX. *Franciæ* reges, *Philippumque Burgundiæ* ducem, aliis proceribus junctus in gratiam redegit. Bellum quoque ducum *Bojariæ*, cum *Albrechto Brandenburgenſe* Marchione complanavit, pacem vero cum jam dicto Marchione *Nurnbergenſeque* Repub. fruſtra poſtea tentavit. Quibus ingenii dotibus glorioſisque factis, *Nicolaus* V. pontifex Maximus, qui ante ſacerdotium medicus fuerat, ac vir literarum vinique ſitientiſſimus, poſteaque *Friederychi* Cæſaris opera papatum, rejecto *Amadæo*, obtinuiſſet, primis Vaticanam ſelectiſſimorum autorum bybliothecam Romæ inſtituit. Adhæc papalium menſium prærogativam, apud dictum Cæſarem, per Germaniæ eccleſias publicandam, anno MCCCC A. 1448. XLVIII. obtinuit, permotus, ipſum eundem *Petrum* noſtrum ſub Jubilæi feſtivitatem in integrum reſtituit, Cardineoque Galero, cum titulo *S. Vitalis* denuo donavit. Unde cum episcopatum ſuum πλεονεκτικῶς locupletare ſtuder, moleſtiſſimam pariter ac ejus tum promiſſione, tum expectatione indignam Camerinam S. P. Q. *Auguſtburgenſi*, præteritis omnibus anteceſſorum ſuorum transactionibus, perfricta fronte movit, quemadmodum inter civilia acta videre licet.

A. 1451. Demortuus autem anno ſalutis MCCCCLI. *Piligrino Werduvienſe* apud *Campidonam* quadrageſimo nono, & *Johanne Holtzingenſe* apud *Ellwangam* penultimo abbatibus, obtinuit in curia Romana utriusque dignitatem, quas tamen accepta annua ad dies vitæ ſuæ penſione, monachis illis, ut proprios ſibi antiſtites ſeligerent, liberas iterum dimiſit. Eodem anno idem epiſcopus noſter Jubilæi indulgentias, permagno, nam conſtat hac ſola civitate ſupra XX. millia aureorum in ſacram capſam fuiſſe projecta, in civitate noſtra, totaque adeo Diœceſi ſua, his qui Romam adire non poterant, divendidit. Denique *Gynetzburgum* cum Marchia *Burgavienſe*, in die *converſionis divi Pauli*, anno MCCCCLVIII. in pignus pro ſexaginta millibus mutuo datorum aureorum, ab *Albrechto Auſtriæ* duce accepit. A. 1458.

Et biennio ante obitum, quum jam *Johanni Werdembergio* epiſcopatus curam reſignaſſet, in reſtauratione *Ulrychiani* apud nos templi, ipſo *aſſumptionis glorioſæ virginis* die, primum lapidem in fundamentum ſolenni more poſuit. *Templi Ulrichiani reſtauratio.*

Cæterum ſub polypragmone hoc conflagravit in urbe hac, quarto die menſis Februarii, anno Chriſti MCCCCXXIII. fortuito igne clauſtrum *Beginarum* ad *Horbruggam*, quod paulo pridem earundem ſororcularum mendicitate, conſtructum, anno Domini MDXXXVIII. in hoſpitalem expoſititiorum A. 1538. pucrorum domum, a civibus haud iniqua comparatione permutatum eſt. *Deflagratio Beginarum clauſtri.* A. 1423.

Anno inde gratiæ MCCCCXXV. penetrale Orientalibus ſummi templi, quod chorum majorem vocant, diruto *S. Jacobi* Sacello, dilatari iterum ac camerata teſtudine per totum integri, *Albrechti* a *Rechbergæ* canonici, & *Joſii Krameri* textorum Tribuni ædilitatæ, hic cæpit, & vix integro triennio arcuatæ illæ fornices anguloſique ſtylobatæ abſolvi potuere. Nonnulli tamen ſtructuram eam ante XII. annos perfectam fuiſſe volunt. A. 1425.

Quando vero anno Chriſti MCCCCXXVI. A. 1426. *Johannes Bernerus*, *S. Steffani* parochus, in vigilia nativitatis Domini, media nocte & ſine lucerna ad templum ſuum eundo inſidioſe interficeretur. Brevi illi in officio eo ſucceſſit Jacobus *Wölfflinus* jamjam etiam epiſcopi ſuffraganeus.

Inde anno ſalutis MCCCCXXIX. fuit *Friderychus* Burggravius, majoris ædis apud nos præpoſitus decennio ferme. Quo mortuo ſucceſſit in eandem dignitatem *Hainrychus* dapifer ab *Höffingo*, annis plus minus triginta uno. A. 1429. *Fridericus II. & Hainrichus III. maj. ed. præpoſiti.*

Poſt *Gottfridum* item *Hartſoberum* decretorum doctorem, *Leonhardus Göſſelus* juris licentiatus, vir plebejus, ſummi templi noſtri Decanus eſt factus. *Gottfridus XVII. & Leonhardus XVIII. Templ. Cathed. Decani.*

Anno Domini MCCCCXXX. *Petrus Oſtermairus* decimus quartus præpoſitus ad *S. Georgium* hic lectus, quadraginta totos annos monaſterio illi præfuit, ac tandem ob ſenium depoſitus eſt. A. 1430. *Petrus Georgianus præpoſitus XIV.*

Abolitis dein ſequente anno, apud *Staingadiam* præpoſitis *Johannes Scheitelius*, primus abbas, ibidem creatus, & poſt quatuordecim annos ſagitta interemptus eſt. Quo anno item a Canonico cuſtode cuncta ſubſellia clauſique plutei ex ſumma æde hic ejecta fuerunt, quod nimirum ea ſingulis columnis altaribusque nonnullis indecenter annexa, *Johannes III. Georgianus præpoſitus XV.*

nexa, totum quali canedium templi occuparent.

A. 1432. *Benedictinorum capitulum Augstburgi.*

Altero vero ab hoc anno, agitavere *Benedictinæ* professionis, ex duodecim episcopatuum provinciis monachi sacrum conventiculum, quod vulgo *Capitulum* vocant, hac in urbe propter reformationem ordinis sui, quam ante viginti annos *Ludwichus Berbus*, *Patavii* ad *S. Justinam* primus instituerat. *Vilhailus* sive *Wilhelmus*, etiam a *Thaiinhusa*, quintus abbas *Ursbergensis*, mitræ ornamentum cœnobio suo primum in curia potificis impetravit.

A. 1438. *Ursula Stephanina abbatissa.*

Anno Domini præterea MCCCCXXXVIII. *Burghardus* de *Eisenburgo* præpositus ad *S. Mauritium* apud nos est. Et *Ursula a Weilero Algojæ* abbatissa ad *S. Stephanum* hic creata, gynecæo illi triginta sex annis præfuit.

Andeccensis monasterii fundatio.

Quo anno etiam *Ernestus Bojariæ* dux approbatione duodecennalis illius, quod apud *Basilejam* agitabatur concilii, ordinariique sui præfati scilicet episcopi nostri consensu, novam præposituram cum sex popularibus symmissis in *Andechas*, propter sacrarum reliquiarum ibidem multitudinem, fundavit primum.

A. 1458.

Quam post viginti annos ob peregrinantium ex voto illuc frequentiam; *Albrechtus*, *Ernesti* dicti filius, *Nicolao Cusano Brixinense* episcopo & cardinale, Mathematico excellentissimo summopere dissuadente, eo quod jam antea ociosis monachorum gregibus *Bojaria* tellus satis superque exederetur, in abbaticam *Benedictinorum* Cucullatorum commutavit. Vocatoque ex *Tegernseense* consortio *Eberhardo* quopiam, eundem primum *Andeccensem* monachorum patrem esse jussit, templumque ejusdem monasterii augustius multo fieri fecit. Qua occasione locus is, veteri sopito nomine, vel ob miraculorum evidentissima præstigia, *sacer mons* vocari cæpit. Mortuo dein undecimo præeminentiæ suæ anno, *Hainrycho Hutbero Augustano*, Lurcone sybaritico prodigoque, vocatus anno salutis MCCCCXXXIX. *Ebersberga* huc

A. 1439. *Johannes IV. Ulrichianus abbas XXXIX.*

Johannes ab *Hochenstaino* undequadragesimus abbas apud *S. Ulrychum* efficitur. Levis hic *Femningensem* villam cum castro emit, cœnobium que opibus & ædificiis illustravit, atque a *Melicensibus Austriæ* monachis, conventuales suas reformari passus est. Et demum vigesimo villicationis suæ anno, cum propter scortationem officio movendus videretur, Cardinali *Petro* munus resignavit. Qui id statim *Melchiori* a stainhayma, *Wiblingensi* monacho, legum doctori & consiliario suo contulit sedecim annis.

Melchior Ulrichianus abbas XL.

A. 1440. *Stephanus XIV. & Johannes XV. præpositi Cruciani.*

Anno hunc pone sequente, electus post *Stephanum Secherlinum Joannes Dachsius* civis, decimus quintus præpositus ad *S. Crucem* hic, ob prudentiam est, præfuitque triginta perpetuis annis, quibus & cœnobitas suos reformavit, & collapsum monasterium præclare refici curavit. Triennio post, ampliatum, ac camerata fornice *S. Mauritii* a-

A. 1443.

dytum seu chorus, civium stipe intectum primo in urbe nostra est, repleta quæ sub ipso erat caverna humo.

A. 1446. *Dominicanorum conventiculum Augstburgi.*

Triennio ab hoc tempore celebrarunt *Dominico* sacrati monachi, centum quinquaginta priorum conventiculum hic, & constituerunt VIII. die Septembris, *gloriosæ virginis Mariæ nativitati* dicato, novum sibi ministrum provincialem.

A. 1447. *B. Mariæ simulacrum miracula edit.*

Cæpitque mox anno sequente, in ipsis pentecostes feriis, simulachrum quoddam *beatæ Mariæ*, in æde parochiali *S. Johannis*, miraculis portentose inclarescere; e qua imposture non parum argenti sacrificulis ibidem dicto citius accesit. Est etiam eo ipso anno magna illa tabula cum quatuor columnis pro summo altari ad ædem *Marianam* hic ex aurichalco fusa adornataque primum. Per quam tempestatem, cum ob paparum pestilentem illam collusionem, cuncta in dubium per Europam vocarentur, careretque mundus luce verbi Dei, statuerunt prudentiores sæculi hujus, *neutralitatem*, quam vocant, apud nos colore, hoc est *neutri parti* adhærere. Interim tamen pontificalium indulgentiarum nundinationes, anniq; jubilæi promercatus, non solum hic magnam pecuniæ copiam, nam unius anni spatio XX. aureorum millia compilata per urbem hanc fuisse, autores habeo, miseræ etiam emunxerunt plebeculæ. Verum insuper *Johannes Copistranus* minorita *Italicus*, ut versipellis ita confidentissimus, cum neque veteres *Waldenses*, neque novos *Hussitas*, ad Romanæ sedis gremium, inter cives nostros penitus posset abducere convertereque, ne nihil effecisse pœnitentia dignum videretur, vehicula picta, fritilla, alveolas aleas, quarum mille quingentas fuisse constat, & chartas lusorias, in episcopalis palatii area, publico rogo, plus quam histrionica gravitate conbusit.

Ioannis Capistrani gesta.

A. 1454.

Quo anno & *Chunradus Vogelinus* jam animum agens, *Ulrichiano* monasterio argenteum XXIII. besses ponderans *gestatorium*, quod vulgo *monstrantiam* Sacrificuli vocant, pro usu festi *corporis Christi* de suo dono dari primus jussit.

Iohannis Carrivali impostura.

Quin item *Johannes Carrivailus* legatus & Cardinalis Romanensis, interprete *Hainrycho Kalteysio*, dominicastro priore, plenariam omnium peccatorum remissionem promittens, plus quam quadringentos simplices viros, quibus impostor ille propriis manibus crucem assuerat, hinc in *Turciam* tam supervacue, quam temere, ut infra patebit, excivit.

Thierhauptenses abbatem suum occidunt.

Perpetratum item tunc quoq; ingens parricidium est, in *Thierhauptense* cœnobio, monachi enim *Friderychum* abbatem suum contrucidarunt misere. Quare ut notas eas diluerent papistici, instituerunt sequenti anno Letanias, quibus singulis mensibus bini & bini, lino super lanam induti clerici, a *Mariano* ad *Ulrychianum* usque templum hic, cum signis & cruce devota comitante

A. 1456.

plebe

plebe majori ex parte nudis pedibus procedebant.

A. 1458. Dein anno humanæ redemptionis MCCCC LVIII. in festo *annunciationis Mariæ*, quod verius *incarnatio Christi* diceretur, uti hic primulum *Moriciani* collegii Decanus, vario *superpelliceo*, quod illi suo idiomate *Almutium* vocant in templo cæpit.

S. Sebastiani Sacellum ædificatur. Estque sopitis turbis, quas sacrificuli hic ob decimas concitarant, *S. Stephani* templum sequente anno totaliter ferme iterum combustum, simul ac *S. Sebastiani* ad leporosos sacellum, ante *Jacobæam* portam a civibus per *Landisbergerum* ædificatum, quod A
A. 1542. tamen postea anno salutis MDXLII. Senatus jussu iterum destructum est.

A. 1560. Anno autem Christi MCCCCLX. cæpit *Johannes* ab *Hyrnhaima*, initio Canonicus *Augustensis*, & tandem duodequinquagesimus & ultimus abbas *Ellwangensis*, cujus monasterii annales census ad decem millia aureolorum eo ævo ascendebant. *Pii* II. Romani pontificis (qui ex imperatoris *Friderici* amanuense rerum Germanicarum gnarissimus redditus primus a *Dietrycho Isemburgio* archiepiscopo *Moguntino* juramentum petiit, nec tamen obtinuit, ne quod muneris ipsius B
apud Germanos est, nisi consulto Pontifice Maximo, Electores principes ad Imperatoris electionem convocaret, quique propter *Viennensis* Scholæ Theologos sancivit, ne quis unquam a papa ad concilium universale appellaret, & quod vera dicere in papam contra juramentum sit episcoporum) dispensatione, monachos suos in seculares Canonicos transfigurans, primus præpositus & dominus *Ellwangæ* esse. Idque cardinalis noster ea lege comprobavit, ut a tergo summi altaris in ipso choro novum altare *divo Benedicto* construeretur ibidem, in quo quotidie missa ad memoriam illius, ne scilicet mutationem hanc vindicaret, celebraretur. C

Ellwangensis abbatiæ in præposituram mutatio.

A. 1460. Bissextili etiam hocce exustum hic in profesto *S. Andreæ*, invidia coqui, exceptis templo & bibliotheca, totum *Carmelitarum* cœnobium, ad *divam Annam*, cum duabus propinquioribus ædibus est. Quod brevi tamen iterum cives, proinscua stipe multo melius restaurarunt, ambitumque templo junctum, fornicibus intexerunt primo, parietumque arcus, Byblicarum historiarum serie depingi curarunt. Quæ imagines elapsis centum & uno annis, iterum D
abrasæ sunt, & civium novis epitaphiis ad ostentationem usque oblinitæ.

Carmelitarum cœnobii exustio refectio.

A. 1461. Porro sub sæpe nominato Cardinale nostro, *Elchingense* monasterium anno salutis MCCCCLXI. tandem reformatum est, & *Paulum Rastium Ulmensem*, per viam compromissionis, ab eodem ordinario suo novum abbatem suscepit. *Jodocus* item secundus infulatus apud *Ursbergam* abbas, a fratribus suis exauctoratus, *Augustam* confugit, ubi mox sequente anno suffraganeus, cum
A. 1462. inani *Adramyteni* episcopatus titulo, est constitutus. Quo anno & pueri & adultiores e nostra provincia omnibusque *Rheni* terris, ad *S. Michaëlem* in *Nordmanniam* turmatim, & plus quam lymphatice excurrerunt. Sicuti & qui prudentiores, haberi volebant, tam ex *Germania*, quam *Italiam Galliaque*, ad eundem archangelum ad *Apuliæ* montem *Garganum* peregrinari solebant.

Paulus abbas Elchingensis.

Jodocus Ursbergensis abbas.

Quarto post ista anno, successit immediate A. 1466.
Udalrychus de *Rechberga* junior, parvo homonymo in decanatu Canonicorum summæ apud nos ædis, annis ferme XXXV.

Et statim sequente anno, celebrarunt iterum *Jacobitæ* frequentissimam congregationem, capitulumve hic Julio mense.

Estque sub finem Augusti major ad *S. Ulrychum* campana, quinquaginta sex centenariorum pondere hic, in horto abbatis ibidem, noctu nota artificii secretum, per *Justum Wormatiensem* fusa. Præmagna etiam ac sonora illa ad *divam virginem* campana, per eundem æramentarium, in hortis ad *Ægydii* fanum, iterum atque iterum refusa, nonagies quinquies centenas libras ponderat, cum prior tantum septuaginta quatuor centenarios habuisset æris, ac idololatrice ab infulato antistite, in profesto *divæ Katharinæ* baptisata, *Mariæ* nomen accepit.

Eodem quoque anno attulit in nativitate præcursoris Domini *Lorentius Ferrariensis* præsul, nunciusque Apostolicus, splendidissimam facultatem Cardinali nostro, ut scilicet legatus a latere, *Pauli* II. pontificis summi, qui casus reservatos, a quibus nemo hominum, sive speciali Apostolicæ sedis licentia absolvi potest, certa constitutione publicavit primus, affirmans se omne fas & jus in scrinio pectoris gerere, in Comitiis *Noribergæ* apud Imperatorem, omnesque Romani imperii status esset.

Quin & sequente anno *Johannes* dux *Bojariæ*, *Neomarcktensis* dictus, consueta Cæsariæ Romanæ solennitate IV. Decembris præpositus cathedralis ecclesiæ hic est effectus. Circa quæ tempora, *Alanus* de *Rupe*, dominicanus *Suollensis*, primus *Rosale*, sive ut vulgo loquuntur, *Rosarium Mariæ* commentus est, idque ex quinquaginta *Gabrielis* archangeli salutatiunculis, internodatis quinque dominicis orationibus, adpensaque Symboli *Apostolici* recitatione nectens, confraternitatem serti illius, apud inferiorem Germaniam instituit. Quæ inde ad nostram usque ecclesiam quoque serpsit, & ab aniculis ambabus manibus accepta, quantum in se fuit, totum Christi meritum evacuavit conculcavitque.

Ipsus vero *Petrus* episcopus eloquens doctusque, plenus dierum, *Dillingæ* XII. Aprilis Anni MCCCCLXIX. obiit. Qui cum princeps & liberalissimus & splendidissimus semper extiterit, nullos tamen canes etiam nec venationes alere unquam voluit. Et hactenus ista, nunc ad nostra redeo.

Anno

A. 1421. Anno Domini MCCCCXXI. Consules *Augstburgi* sunt dicti *Ulrychus Kuntzelmannus* VI. & *Hermannus Nordlingerus* II. Sub quibus decreta a Senatu promulgata sunt, de non recipiendis quibuscunque munusculis donisque a sacerdotibus oblatis. Et ut nullus civium in ædibus conventiculisque eorundem, vel ludere vel compotare debeat, idque ejus rei gratia ne ulla litis materia, aut alioquin sinisterior suspicio, tam inter pfaffos, subinde causam jurgandi captantes, quam inter incautiores Laicos, amplius pullularet. Nihilominus tamen dum in comitiis curiatis *Noribergæ*, Respublica nostra, diutinam suam cum *Nenningero* controversiam, ex æquo & bono determinandam sperat, en bulla ex urbe adfertur, qua X. millium aureorum licitatione, novus episcopus nostris oblatus est.

Decretum de omni cum clero conversatione fugienda.

Jani de Torsenavia sævitia.

Interea Imperator *Sigismundus Jani* de *Trosenavia*, quem vulgo quod luscus foret, *Zyscam* appellabant, quique superiore anno *Johannem Picardum*, *Platonicam* Facultatum & uxorum communionem docentem, cum suo agmine deleverat, sævitiam, qua is, subscribente *Chunrado Westphalo* archiepiscopo *Pragensi*, quinquaginta amplius & templa & cœnobia papistica, per *Bohemiam* cum *Hussitis* suis indifferenter tum diripuerat, tum instar fulminis incenderat, restinguere, universi Romani imperii viribus, exercitu ducentorum millium armatorum ferociter ac sedulo paravit. Ea propter emissi hinc sunt, *Ulrycho Helffenstainense* comite, ac *Erasmo Sattelbergero* ductoribus, die *S. Bartholomæi*, Reipublicæ stipendio quinquaginta equites, & CCL. pedites, qui ad festum *S. Galli* domum reversi, nullum hostem viderant. Estque expeditio illa, prima numero, quæ in hereticos *Bohemos* a Germanico regno habita catholice est. Post quæ capitalis ille civitatis nostræ hostis, *Haintzius Hößlinus* captus est, ac XI. die Decembris cum aliquot complicibus capitis pœnam hic luit.

A. 1422. Sequente anno *Sebastiano Illsingo* VI. & *Hainrycho Schmuckero* IIII. consulibus, inter tetra mystarum nostrorum schysmata, cum decem & septem *Suevia* imperiales civitates in gratiam *Rottwylensem*, quos *Fritzius* comes *Zolrensis*, injustius premebat, ad expugnandam illius aëream, plane arcem, vulgo *Hochenzollern* dictam, animos obfirmassent, missi a republica nostra eo sunt quinquaginta milites. Qui tunc temporis, non ut hodie, a *Lanceis Lantzknechti*, sed a *Sodalitate*, *Gselli* nostris ac a *Convivando Schlemmeri Saxonibus* autem *Vitaliani*, cognominabantur, & in singulos dies stipendio quatuor grossorum contenti erant. Quando autem expugnationis nullus esset ad arcem eam locus, nostri milites firmatis ex arborum stipitibus, roboreque præsidiis, vulgo a *trunck* domos eas cognominabant, obsidionem cum sociis ultra decem menses protelare adacti sunt. Quapropter alia atque alia auxilia hinc subinde missitata sunt, donec ad extremum Senatus *Augstburgensis*, LX. equites & CC. pedites, præter tormenta & impedimenta, in quintum usque mensem illic suo ære, cujus summa XVIII. millia aureorum nummûm excessit, aluerit. Neque tamen arx ea vi ulla capi potuit. Verum dedentibus se, XXXII. qui in subsidio supererant, militibus, commeatus defectu, tandem a confœderatis civitatibus in Quinquagenalibus sequentis anni feriis Vulcano, tradita est.

Arcis Hochenzollern ab Imperialibus civitatibus expugnatio.

Cæterum hoc anno etiam *Graisbachensis* arx a *Werdensibus*, non sine Reipub. nostræ militari præsidio, ob nova vectigalia, contra *Bojos*, prope *Raynam*, trajecto *Ludwicho Oetingense* comite, mannariæ bombardæ glande, expugnata est. Dumque omnia tam intus quam foris impiissime armis perstreperent, delecti apud nos ex omni civium numero, certi bellorum consiliarii sunt, nempe ex patritiis quotuor, ex Textorum classe decem, & inde ex singulis aliis plebis Tribubus tres, qui turbis illis tanquam capitanei ducesque præessent. Et postea validissimus ventus in die *S. Galli* præter alia, quæ dedit damna, apicis quoque globum cum superposito æreo gallo, e sinistra *Mariani* templi turre hic dejecit. Narrat *Petermannus Etterlinus* in sua *Helvetica Chronica* hoc ipso anno scholarem quendam *Ludwicum* sibi cognatum ab impiissimis Judæis in civitate nostra clam crudelissime interfectum, & postea ne homicidium innotesceret, ab illis in propinquam sylvam arbori, ac si is semetipsum jugulasset, suspensum fuisse, dolo tamen brevi deprehenso horum latronum aliquot prætorio jure exultos vivos esse.

A. 1422. *Graisbachensis arcis expugnatio.*

Anno MCCCCXXIII. *Ulrychus Kuntzelmannus* VII. & *Hainrychus Engelschalkus* II. consulatus officia administrare *Augstburgi* nostro cæperunt. Quorum rogatione leges nuptiales, quæ ante annos XX. frugalitatis ergo latæ erant, nunc denuo Sabbatho post *beati Viti* solstitiale festum renovatæ, ac cunctis tam civibus, quam incolis aliis perpetuo observandæ statutæ sunt, tali addita taxatione, ut *donationes propter nuptias*, hodie *auroræ munus* dicunt, nullæ XX. aureolos, nec sponsalitii cyphi, quorum loco hodie annuli gemmati & torques aureæ offeruntur, tres argenti besses superarent, & ut neutra contrahentium pars, plus quam XII. Umbras, exceptis advenis, convivio adhiberet.

A. 1423. *Leges nuptiales renovatæ.*

Suntque præterea munuscula, quæ tum infantibus ad baptismum, tum genitricibus in puerperia, adhæc etiam quæ obstetricibus, nutricibus, aut puerperis ancillantibus mulierculis, ultra debita salaria, tam a parentibus, quam compatribus dari solebant, simul tunc abrogata. Sunt, qui constitu-

Dona circa Baptismum abrogata.

A. 1399. tiones illas anno Domini 1399. factas scribant.

Constitutio de censu. Eodem item die est constitutio facta, quo ordine publicus census sit a ministris illius recipiendus. Ac ut in eo corrogando, libra una nummorum, quæ idem cum argenti uncia est, duos nostrates nummulos penderet; annalium vero redituum, quælibet libra, pro decem libris in sorte computaretur.

Decretum de proscriptionibus. Hoc ipso etiam anno decretum in Senatu est, *proscriptiones* eas, quas a persequendo *Achias* vulgariter vocamus, propter mutilata membra, vulneraque, quorum inflictu artuum usus impediuntur, in solito judiciorum triclinio posse, per prætorem edici. Eas vero, quæ propter homicidia in absentes ferri debent, in ipso *Bertei* circo, sub divo, a prætore adstantibus consulibus, totoque tum Senatorum tum judicum ordine, pronunciandas esse in posterum. Porro interea triginta duo nostrates lanii, foris ab *Oetlingero Bojarico* centauro, capti & ad vivum usque spoliati sunt. Valva a superiore *Berlejæ* turris fenestra quadam eximproviso decidens duos miseros operarios occidit. Quin & claustrum *S. Margaritæ* tactum fulmine est per æstatem istam, ex quo ictu una ex monialibus illis periit, quæ filia *Andreæ Langii* patritii erat, cujus agnatus *Joan. Langius* Canonicus *Moritianus* paulo post præavaritia ex semet longam literam granario proprio hic fecit, alii post decennium perpetratum hoc volunta

A. 1424. Anno salutis MCCCCXXIIII. *Sebastiano Illsingo* VII. & *Ulrycho Artztio* ex textorum Tribu, consulibus, exusta est XXII. die Februarii in vico Judæorum, e regione *Leonhardini* fani, *Gossenbroti* angularis domus, cujus anterioris acuminati muri ruina, viginti quatuor, qui ad extinguendum ignem aderant, vivi perierunt. Nonnulli annales id præcisæ ante centum annos accidisse volunt. Non multo ab hoc tempore, V. scilicet Aprilis die, conflagrarunt etiam octo ædes, una cum *Türckheimeri* Zytopolæ angulari, domo prope *S. Georgium*. Erat autem tunc temporis omnium victualium tam ingens pretium, ut magnus modius frumenti quinque libris nummûm in foro constiterit. Læta tamen subsequente messe, sors in meliora conversa est, adeo ut postea magnus modius tritici aureolo, *olyræ* XII. grossis, & *Elsatici vini* mensura IIII. *Austriaci* vero V. nummulis hic venierint publice.

Petrus novus Episcopus Augustburgum venit. Quo anno episcopale schysma, quod toto decennio tantum non propter privata quorundam opulentiorum commoda, non levibus tamen Reip. sumptibus jam duraverat, apud nos demum expiravit, ac *Petrus* a *Schaumburgo*, quarta Junii luce, quidam XXV. Maji anno sequente id factum perhibent, non magna pompa urbem hanc primo ingressus, apud *Eberhardum Warausium*, ad *S. Moritii* ædem divertit. Cui Senatus Urbanus pro hospitali Xenio, craterem argenteum, duas marchas habentem, & in eo centum aureos nummos obtulit. Ac Sabbatho sequente, qui proximus ante festum pentecostes erat, pulsata classicaria campana, mutuam illi super privilegiorum conservatione stipulationem, in curia civium præstitit. Et inde Proxenetis Senatus nostri *Ulmensiumque* deputatis, pacta cum *Nenningero* adhuc vivente sunt inita totusque episcopatus *Schaumburgo* redditus est.

Dum itaque sic cuncta in tranquillo statu hic esse viderentur, en ex improviso consul *Illsingus*, coturnicum aucupio cum accipitre intentus, a *Petro Rechlingero*, quem *Erhardus Dietenhaimerus* adfinis comitabatur, post exprobratam injuriam, inter *S. Rhadtæ* delubrum, & pagum *Lentersbofam*, XXVIII. die Julii, gladio confossus est, eo quod *Eberhardus Leiberus*, a dicto consule ita persvasus, plus suo filio, qui *Illsingi* ejusdem natam duxerat, quam filiabus suis, horum videlicet uxoribus, ultra legitima testatus fuisset. At temeritatem eam magistratus parricidium interpretatus, prænominatis *Rechlingero* ac *Dietenhaimero*, ob cædem hanc mox fuga ad *Ernestum Bojarum* ducem dilapsis, prætoris *Dischingeri* proclamatione, igni & aqua cum omni ipsorum familia, repetito banno interdixit. Unde suscitato inter illos intestino bello, *Lucas Bartholomæusque* fratres *Remi*, cæsique consulis generi, simul ac memorati *Illsingi* filius, cum aliquot illorum agnatis pacis gratia, civitatem quoque mutare jussi fuit. *Rechlingerus* vero empta arce *Haldenberga*, cum reconciliari neque prece neque precio posset, mutatis majorum imaginibus, nobilitatis titulo novam quasi parentelam orsus est in *Bojaria*.

Illsingii cædes.

Privilegium de abrogando Biberbachensi telonio. Dum tristia hæc domi geruntur, impetrarunt interea Reipublicæ nostræ legati apud *Sigismundum* Cæsarem XVII. Septembris *Aichachii* rescriptum privilegii instar, ut *Biberbachense* novum telonium aboleretur. Cæterum hocce anno Senatus P. Q. nostri scito unicus tantum nummulus in publico censu stuirave pro qualibet libra nummûm numeratus a civibus est. Tandem XVI. Octobris, in ipso divi *Galli* festo, lex utriusque Senatus confirmatione lata est hic, de successione & pactis inter virum & mulierem, sese ex nulla legitima causa deserentium.

A. 1425. Anno Domini MCCCCXXV. creati sunt *Augstburgi* consueto modo temporeque *Chunradus Vögelinus* patritius, & *Hanrychus Engelschalckus* III. consules. Qui alitera post *candelarium* festum, præsente ipso episcopo ad classicariæ campanæ sonitum, novam monetam e podio curiæ Urbanæ civibus disperserunt, ejusque valorem & usum universo populo intimarunt. Cæterum *Jacobus Peutingerus* pecuniam eam, episcopi nomine, primo tunc hic signarat ea

Nova moneta cudiur.

lege,

lege, ut duæ obolares libræ, ac viginti duo novi nummi, *Rhenenſem* aureum æquarent; libra una autem ſexaginta nummos, ſive CXX. obolos contineret. Accidit autem mox poſt iſta inter Senatum civilem & epiſcopalem Burggravium de ſolidi valore contentio. Quotiescunque enim huic, vel in mulctis vel judiciariis rebus ſolidus competebat, ſemper XII. nummos exigebat, cum tamen Senatus totidem ſaltem obolos illi deberi ſolidi appellatione evinceret.

Annonæ vilitas. Tanta præterea tunc temporis rerum omnium fuit ubertas, ut *Neccaræi vini* bilibralis menſura duobus nummis, *Elſatici Auſtriacique* quinque, *Italici* octo, major item *frumenti* modius, duabus libris nummorum vendita vulgo ſint.

Arcubaliſtarum ludus. Ea propter ad captandam vicinorum majorem benevolentiam, *Arcubaliſtarum* ludus a Senatu, in diem ſolis *Bartholomæi Apoſtoli* feſtum præcedentem, publice apertus hic eſt, cui præcipuum bravium, ſaginatus bos præpoſitus fuit, quem quidam e *Mindelheima* lucro adeptus eſt. Confluxerant autem ex quatuordecim oppidis huc, centum & triginta ſagittarii, quorum qui remotiſſimo loco advenerat, *Velcurienſis* erat, cui annulus pondo trium aureorum præmium datus fuit. Verum enim vero, uti nullum gaudium ſemper ſincerum manet, ita dum reliqua ſe domi noſtræ recte habent, foris *Oxnerus*, alii *Oetrlingerus* legunt, communis patriæ hujus perduellis, *Georgio Mülichio*, *Erhardo Waraufio*, & *Hanſo Meitingo* aurifabris, maſſas aliquot argenti & auri, ſub *Nördlingenſibus* nundinis, in itinere intercepit, prorſumque abſtulit. Eſtque *Dollerus* inſtitor, propter confectas adulterinas literas, publice X. Novembris combuſtus. Nec diu poſt illa, captus in *Rhieſa* propter *Harburgum*, *Cbunradus* de *Hala* ſtipendiarius Reipublicæ noſtræ eques, cum tribus ſociis, *Burghauſamque* abductus eſt a *Bojaris*, quem tamen Senatus brevi citra omne damnum liberavit.

Privilegium de eligendis præfectis & prætoribus. A. 1426. Anno Chriſti MCCCCXXVI. fuère *Augſtburgi* noſtro Conſules, *Paulus Langius* patritius, & *Hermannus Nördlingerus* III. ſub quibus Senatus maxima curia a Cæſare *Sigismundo* iterum enixe impetravit, ut is patris ſui privilegium renovaret, quo cautum fuerat, ne præfectura civitatis noſtræ, ulli unquam oppigneraretur, nedum venderetur ab Imperatoribus. Quod ubi is clementiſſime ſub aurea bulla, *Viennæ Pannonum* XIIII. die Martii confirmaſſet, addidit inſuper in promptæ fidelitatis obedientiæque civium recompenſationem, pro ſua majeſtate talem prærogativam, qua poſthac ſemper & præfectorum & prætorum urbis hujus tam ſelectio, quam rejectio, penes Senatum *Augſtburgenſem* libera ea conditione maneat, ut ejusdem optione aſſumptus vel præfectus vel prætor, Imperatori Germanico confirmandus prius inſinuetur præſenteturque.

Stephanus Obſervus præfectus. Eſtque eo modo confeſtim *Stephanus Obſervus* a *Wagraina* præfectus noſter dictus.

SCtum de urbe migrantibus. Quo tempore item Senatus conſultum, *Ulrycho Artztio*, vetere conſule viroque ditiſſimo, inſtigante ac perſuadente factum eſt, ut ſi quis civium deinceps urbe migrare voluerit, non amplius juxta antiquum ſtatutum decimam poſſeſſionum ſuarum partem, ſed tantummodo tres annuos cenſus ſimul in fiſcum referret. Quod quamprimum *Artztius* ille τῆς χειροτονίας numero obtinuiſſet, e veſtigio juri municipali renunciavit, ac ſe *Noribergam* contulit. Exigebat autem tunc publice cenſus ratio, de ſexaginta *Rhenenſis* auri drachmis, quartam unius aureoli partem.

Pauperum peregrinorum diverſorium fundatur. Cæterum fundarunt hocce ipſo anno primum *Conradus Hirnius* inſtitor ac *Aſra* ejus uxor publicum illud infra Judeorum clivum intra duos *Lechi* rivulos ſitum diverſorium, quo pauperes peregrini exulesque, a quibus præcipue denominationem habet, & cumprimis illi, qui *Romam*, *Compoſtellam*, *Lauretum*, & ſimilia ſacra loca viſitant, recipi conſueverunt, idque talibus conditionibus, ut ſemper quatuor lectuli in eo pro ejusmodi advenis parati eſſent, & πανδοχεὺς illis lumina, ligna & ſal pro uſu gratis daret, ac ſi quæ ſecum eſculenta afferrent, benevole coqueret, ad unam tamen aut alteram ſolummodo noctem. Ea domus accedentibus aliorum priorum Eleemoſynis non parum aucta deinceps eſt. Prænominati item conjuges de ſuo quoque amplius propter DEUM legarunt decem *gryſei* & *lanei panni* faſciculos, vulgo *lodos* dicunt, pro egenis urbis noſtræ patribus familias in ſingulos autumnos perpetuo veſtiendis.

Latrocinia. Suntque hoc anno, qui valde præcox erat, aliquot latrocinia intra urbem hanc flagitioſe quidem perpetrata, ſed & rigidiſſimo jure punita quoque, cumprimis id, quod *Clauſius Geyrus* Zythopola, ſutoris cujusdam empto adjumento, in uxoris ſuæ quadrima ſororcula, ob ſucceſſionem mille aureorum fieri fecit. Quin & peſtilenti morbo plurimi hic deſierunt eſſe mortales.

Taberna frumentaria exſtruitur. A. 1427. Anno ſalutis MCCCCXXVII. Conſulibus *Stephano Hangenore* patritio, & *Georgio Dendrycho* inſtitore, extructa *Augſtburgi* e ligno frumentaria taberna, e regione *Moriciani* adyti, certo quodam myſtarum ibidem conſenſu eſt, licet nonnulli altius ſaltem & latius reſtauratam doceant tunc fuiſſe.

A. 1546. Quæ poſtmodum anno MDXLVI. ſuſcepti belli occaſione, ſublato cæmiterio, ad latus ejusdem templi lateritia aptius ac decentius collocata exiſtit, quanquam ſacrificuli illius loci tandem reſtituti, diu ob

aream eam contra civilem Senatum contenderint. Redierunt autem eo forte anno, subnigri illi errones, de quibus in actis noni abhinc anni meminimus, magno iterum numero huc, quos magistratus priore adventu edoctus, publicis ministris in irriguo rosarum prato biduum custodivit, & inde ultra *Lechum* ad *Bojaros* dimisit.

Auxilia Cæsari adversus Hussitas missa.

Sunt item hinc quarto Julii die, auxiliatrices copiæ, ductore *Marckwardo* a *Schellenberga* aurato equite, Catholico Cæsari, denuo in *Herciniæ* saltus contra *Hussitas* missæ. Quæ priore fortuna quam antea exceptæ, XV. Augusti mensis die, qua *assumptionem in cælos corporis gloriosæ virginis* superstitiosissime colunt, ægre domum remeare potuerunt, fuitque expeditio ista generalis tertia e *Germania* in *Bohemiam*. Eo autem tempore tanta annonæ vilitas hic fuit, ut major *frumenti* modius decem grossis, & bilibralis *vini* mensura duobus nummulis sint vendita.

A. 1428. Anno Domini MCCCCXXVIII. *Ulrycho Kuntzelmanno* VIII. & *Hermanno Nordlingero* III. consulibus, acta sunt hic hastiludia in genialibus illis diebus, qui alias *Saturnalia*, cum vere stultorum festa sint, vocari solent. Quibus *Albrechtus Monachiensis* dux, cum nobilibus *Suevis* nostrisque patritiis, athletice etiam concurrere non est dedignatus.

Hastiludia.

Census.

Eodem ferme tempore, vel certe post unum mensem, habitus inter cives hic, Cæsareo edicto novus Census est, quem ab eventu vulgo *hæreticam sluiram* appellabant, quo per singula capita, quotquot sedecim & plures essent nati annos, octo nummi in promptu contribuebantur, & quicunque ultra ducentos aureos possiderent, dimidium aureum, qui vero plus quam mille, integrum aureum, arculæ ad id paratæ, cui sex cives a Senatu erant præfecti, inferebant. Simili modo & singuli sacerdotes de viginti aureolis annuorum proventuum, unum nummulum appendebant. Quæ pecuniarum summa, quando nimirum arma nostra nihil possent, aheneus murus contra *Hussitas* pontificiis futura sperabatur.

Munimenta extruuntur.

Inde metu dictorum *Hussitarum*, Senatus *Hospitalariam* sive *Hansstetteriem* portam, altiore turri, pro specula fortius, una cum junctis mœniis hic muniri præcepit. Ea cum quinque fulgentibus ære globis, lateritioque tecto ornate picturata simul foret, antiquato priore nomine, *rubra* tunc primum porta vocari cæpit. Eandem etiam ob causam, murus a *Kleinckeria* portula ad Judæorum usque cæmiterium Reipubl. impensis ductus est, & aliquot rotundis turribus fortificatus. Hoc præterea anno *Petrus* ab *Hala* institor, ob violentum nondum viri potenti *Schellenbergeriæ* juvenculæ illatum stuprum, adulteriumque commissum, vivus in capitalis supplicii colle terra defossus prætoris sententia est. Ob quod factum, puella ea cum matre sua, brevi post maniacæ sunt factæ.

Weinsbergensis hostilia.

Interea cum Baro *Weinsbergensis*, propter jus, quod in ejusdem nominis oppidum prætendebat, multa per utramque Sueviam seditiose patraret, contigit, ut quingentis equitibus stipatus, dispoliarit XXVII. die Augusti, *Sinshaimæ*, superioris *Sueviæ*, centum quinquaginta mercatores, inter quos forte duo tantum *Augustburgenses* cives, *Frantzus Besingerus* videlicet, aurifaber ditissimus, qui tamen post annum fidem creditoribus ad sex millia aureolorum fefellit, ac *Gangerus* institor pauperculus fuere, *Francfurtum* ob nundinas petentes, sub *Ottonis* Palatini & *Bojariæ* ducis irrito conductu, quo ex facto non parva imperialibus civitatibus emersere negocia.

A. 1429. Anno redemptionis nostri æ MCCCCXXIX. provinciali Consules *Augustburgi* sunt, *Chunradus*, *Vogelinus* II. & *Georgius Dendrycbus* II. Et statim eo Vere, construxit *Caspar Summerus* balnearia, cum apodyterio, ad ripam *Synckelis*, propter *Werdachæ* pontis telonarias tabernarius, quibus homines ad instar eorum, quæ ante novem annos in *Jacobæo* suburbio *Peutingerus* pararat, lavare possent. Dein triduo post festum paschæ, demoliri Ædiles, jussu Senatus, cæperunt saltatorium theatrum, ruinam, quod vetustum & ligneum esset, minitans.

Balneum fabricatur.

Macellum dilatatur.

Lanii vero qui utrinque ad latera ejus, pro vendendis carnibus tabernacula sua hactenus hæreditarie possederant, ægre id ferentes, Senatum eo impulerunt, ut is tredecim ea cum omni illorum jure, septingentis, quinquaginta octo aureolis redemerit, ac substructo novo macello, ab eo tempore loca in illo, quotannis forte permutanda, certa pecuniæ summa laniis in hodiernum usque diem elocet.

Theatrum saltatorium extruitur.

Forum adhæc panarium ibidem quoque reparans, dictum theatrum de novo & altius & patulum magis supra ea ædificari curavit. Quin item dum sodalitatis patritiorum contubernium, post *Riedereri* obitum, ob non solutos Canonicis *Marianis* debitos fœnerationis fructus, varie ab hæredibus *Scharpfenzaveris Monachiensibus* distraheretur, ac tandum non post longam litem sub hastam veniret, paratum iisdem patritiis, in ipsa chorearum aula, versus Arctoam Cœli faciem, per amœnum triclinium sive zeta est, in qua illi deinceps diu genialem vitam deduxerunt, pollucibiliterque pro ævi ejus sobrietate pergrœcati sunt. Structura vero saltatoriæ aræ, quæ forum vinarium prospectat, in ipso *S. Bartholomæi* festo sedulo absoluta iterum, ac venustissimis saltatiunculis in divi *Michaëlis archangeli* celebritate ab ingenuis suaviter pariter ac decore initiata est. Quanquam triclinium potatorium tardius perfici, & Majo demum sequentis anni Bacho & aleæ consecrari potuerit.

Mone-

Monetaria officina transponitur.

Monetaria autem officina, quæ jam dudum palestræ, versus vinarium emporium contigua adhæserat, in angularem eam domum, quæ parochiali *S. Johannis* ædiculæ opponitur episcopi consensu transposita sequenti anno est. Interea tumultuantibus inter sese, *Constantiæ* ad *Bodensem* lacum Patriciis & plebeis, super generis præstantia, publicisque gerendis muniis, præfecti illius ex viciniis & potissimis *Sueviæ* civitatibus honesti viri sunt: Inter quos & Senatus nostri legati erant *Ulrycbus Hofmairus* & *Egiolffus Blossius*; qui cives eos non parva difficultate, tandem in gratiam redegerunt.

Supplicia.

Verum ne nugas solum agere *Augstburgenses* dicerentur, curarunt iidem quarto die Maji, *Casparem Griesscherum* lanionem nostratem, rotæ supplicio *Fridbergæ* affici, eo quod proprios liberos, uxoremque suam hic calce in cibariis oblata, crudeli latrocinio enecasset. Adhæc peregrinum quendam institorem, propter adulterinum crocum apud nos venditum, ad ignem condemnarunt. Verum is optimorum virorum intercessione vita donatus, pœnitentiæ loco *Carthusianus Bardus*, ad *Christgardum* est factus. Denique quarto die Septembris tres improbissimos nebulones, publico patibulo strangulari fecerunt, qui soporiferis medicamentis, potionibus inditis homines passim dementarant, atque inde illis dormitantibus, multa hinc inde furati sunt.

Bohemicorum grossorum signatura.

Quin item etiam magnam curam fraudis ejus Senatus noster habuit, quam novi *Bohemici* grossi in rem pecuniariam hisce attulerant diebus. Jussi itaque communi civitatum consilio sunt, grossi illi exquisitius probari, ac probatiores certis, punctis notari, quo facilius ab adulterinis plebi discernerentur.

Arcis Hochenzollern restauration impediunt.

Estque signatura ea hic, secundo die Septembris inchoacta. Interea tempus dum comites *Zollrenses* prælatam illam suam arcem, in finibus *Hegoviæ* ante septennium bello eversam, restaurare iterum conarentur, collegerunt confœderatæ urbes novum exercitum, cui & Respublica nostra auxilia sua ex debito junxerat, ac omnem ad eam structuram paratam materiam & inflammarunt & disjecerunt.

A. 1430. Anno ab incarnatione Domini MCCCCXXX. inierunt septima Januarii die magistratum apud nos, *Stephanus Hangenor* II. & *Hermannus Nordlingerus* V. Arseruntque mox XXVI. ejusdem mensis, ædes aliquot in foro *boario*, alii *suario* legunt, suntque ob ingens flammarum periculum tunc, viginti sex, quod in ea usque tempora insvetum auditu fuerat, ad classici campanam percussiones, a *Breisschuchio* illius custode factæ.

Incendium.

Munitionibus urbs sepitur.

Muri item civitatis ab *Eseri* turre, quæ est supremo in meridiem loco sita, usque ad capitalis supplicii tumulum, Pomerio Senatus jussu muniti sunt. Ampliatæ quoque & aquis irrigata ad *Jacobæam* portam, ac circum totum id suburbium fossæ sunt, ut videlicet urbs nostra non solum munitior, magisque tuta ea ex parte foret, sed & ut in dictis fossis tanquam privatis piscinis Truttæ, Mustelæ fluviatiles, variique ad delicias alerentur. Quin etiam in extremum civitatis ad septentrionalem angulum, supra *Auguriorum* sic dictum locum, in ipso *Burgschlagio*, altissima simul & firmissima turris, *Sigismundi* Cæsaris principis admodum popularis judicatione, extrui cæpit, integroque anno vix absolvi potuit. Cui nomen ex ipsa re, *Specula provinciæ* recte obvenit. Cunctæ autem publicæ hæ structuræ, metu *Hussitarum*, qui jam limites suos egressi, in veterum *Nariscorum* terram usque irruperant, factæ & adornatæ fuisse, in Annalibus perhibentur.

Augstburgenses primum sclopetis ludunt.

Occeperunt præterea cives *Augstburgenses* eo anno, Maji III. die, juxta vetus *Arcubalistarum* institutum, in *Rosarum* insula minoribus bombardis, manuariisque sclopetis, publice primum ludere, seseque proposito a Senatu bravio, plumbeas glandes ad scopum jaculando exercere. Quo die statim quidam ex ociosis spectatoribus, pellionem fuisse nonnulli scribunt, ejusmodi globulorum ictu, peremptus fortuito, & ominose est. Cæterum æstate ea V. die Junii, nix insolita, rigidissimum gelu & hic & in vicino agro ad aliquot dies excitavit, non sine horariorum fructuum detrimento.

Constitutio de publicis auctionibus.

Dira quoque pestis, plusquam sex mortalium millia apud nos Autumno hyemeque sustulit. Estque a S. P. Q. nostro municipalis constitutio facta, ut in publicis auctionibus per præconem loco solito, utputa in taberna frumentaria proclamatis, semper illi qui postremam auctionem, ante pulsum serotinum *Angelicæ salutationis Ave Maria* dictæ, fecerit, res subhastata adjudicetur maneatque. Ea tamen conditione, ut reus seu verus Dominus eandem intra octiduum de suo ære redimere possit. Item & de expensis ex ærario civibus reddendis, quas fecissent, dum prædones suos extra patriam per publicum jus vel in nervum conjecissent, vel capitis accusassent.

Privilegium de solvendo portorio.

Cæterum quo cunctæ viæ, tam intra quam extra civitatem *Augstburgensem*, juxta novum institutum civium, planiores ac bene munitæ semper haberentur, concessit *Sigismundus* Cæsar ex gratia speciali, *Strubingæ*, Kalendis Septembribus præsentis anni, Reipublicæ nostræ privilegium, ut apud omnes suas portas, de singulis invehendis aut evehendis onustis plaustris, nummum ac de carris obolum, portorii nomine exigere queat.

Haupto præfectus.

Quo anno etiam *Haupto* Marchschalkus a *Bappenheima*, Senatus interpellatione, præfectus civitatis ac provinciæ *Augstburgensis* factus, perque Cæsarem *Sigismundum Norimbergæ* IX. die Octobris confirmatus fuit. Cumque hactenus Respublica nostra DCCC.

obolorum libras imperatori pro communi censu consueviſſet perſolvere, juſſa eſt memorati Cæſaris indulgentia, in poſterum DCXL. *Rhenenſes* aureolos illi annuatim numerare.

A. 1431. Anno ſequente fuêre Conſules hic *Conradus Vogelinus* III. & *Gabriel Ridlerus* mercator. Et eſt *Margarita*, *Erneſti Auſtriæ* ducis filia, tunc a provincialibus ſuis comitatu ſplendidiſſimo in urbem hanc menſe Majo deducta, ac poſt aliquot dierum haſtiludia, in foro boario habita, ubi non leve diſſidium inter Truchſeſſum a *Waldſee*, & *Ungricum* quendam *Uram*, ob ſellarum A ſive Ephippiorum inæqualitatem atque fraudem ortum fuit, feſtivosque alios triumphos, ab *Hainrycho* comite *Schwartzenburgenſi*, permagno equitatu *Friderycho, Saxonum* duci in *Myſniam* ad nuptias traducta.

Conſtitutio de bonis clero non vendendis. Et ſicuti ſuperiori æſtate homines, ita hac equi apud nos ſua quadam ſtrage magno numero periêre. Interea dum Eccleſiaſticorum pleonexia, necnon Laicorum pro expiandis defunctis, ſuperſtitio, indies magis ac magis invaleſcerent, ab utroque Senatu civili IX. die Junii (nonnulli libri VIII. Januarii habent) ſtricto decreto anti- B qua conſtitutio renovata eſt, ut ne quis unquam civium vel domum vel hortum, per hanc urbem, ſacerdotibus, monachis, monialibus, hoſpitalibus fraternitatibus, aut ulli religioſæ perſonæ, etiam nec propter qualecunque animarum remedium, vel penitus venderet, vel perpetuo cenſu oppignoraret. Fuitque hoc anno *Petrus Illſingus* epiſcopi Burggravius hic.

Auxilia Imperatori adverſus Bohemos miſſa. Poſt hæc ſunt denuo militaria auxilia catholico Cæſari, qui totis Imperii regnorumque ſuorum viribus, nec non Romani papæ benedictionibus, adverſus *Bobemiæ* hæreti- C cos, quarta generali & nova jam expeditione pugnam inire contendebat, hinc IX. die menſis Julii transmiſſa, nempe duo currulia tormenta cum omni apparatu, & munitione, ac quadringenti equites, aliqui tamen CCC. tantum fuiſſe docent. Quorum Primipilus *Ulrychus* comes ab *Helffenſtaino*, cohortium vero Tribuni, nobiles a *Weſternacho*, *Holla*, a *Rammo*, ab *Haimenhofa*, & *Erasmus Sattelbergerus*, (alii *Sattelbogius* legunt) erant, ii univerſo eo exercitu, qui octuaginta millia militum continuerat, non ab hoſtibus, ſed folio volante diffluga- D to, vix memorati *Sattelbogii* provido ductu, per notos *Gabretæ* nemoris anfractus, ſalvi cum impedimentis, ſub XXIIII. diem Auguſti domum redierunt. Quando interim immanis grando XII. dicti menſis die, domi noſtræ & hortis & arborum fructibus, nec non frumentis nondum plene demeſſis haud levia incommoda dederit.

Schwindelinus ultimo ſupplicio afficitur. Eſtque inſignis ille prædo *Schwindelinus* cum ſocio equite, ocreas & calcaria indutus, in crucem hic pro meritis actus.

Porro ſæpenominatus Cæſar huc e *Pannoniis* IV. die menſis Septembris, tertium appulit, ac in ædibus *Petri Egenii* ad forum vinarium divertit. Quem Senatus Urbanus perampla patera, quæ centum ſexaginta duas argenti uncias pendebat, ac mille aureolos continebat, quam reverenter iterum excepit, poſtque decimum diem abeuntem, ab omni ſumptu in hoſpitiis facto, per Quæſtores Reip. immunem habuit. Cui cum VII. ejusdem menſis die, quæ profeſtum erat *nativitatis glorioſæ virginis*, tria aureorum millia e fiſco quoque mutuum a ſenatu noſtro eſſent data, ſtatim ille oppignoravit præfecturas eas, quas Cæſares *Menchingæ Suevorum*, & *Uttenbeyrrhæ* habent, tali conditione, ut Respub. *Auguſtburgenſis* eas defalcatione præſentis ſummæ, ab epiſcopo noſtro, qui eas oppignoratas habeat, integre poſſit redimere. *Sigismundus Imper. Auguſtburgum venit.*

Conſtitutiones item illas Senatui, quas hactenus plebis autoritate ſuper vinariis tributis, rerumque venalium exactionibus fecerant, exercuerantque, auguſtali diplomate, VIII. die Septembris, in urbe iſta, ſub pœna quinquaginta puri puti auri beſſium, ea confirmavit conditione, ut media ejus mulctæ pars regali fiſco, altero medietas provinciali præfecto & Senatui *Auguſtburgenſi* ex æquo ſemper cederent. Addendo privilegii confirmationem ſuper conſucto vectigali, de omnibus generibus potionum a ſuis, pro fiſci neceſſitate recipiendo. *Privilegium de rerum venalium tributis.*

Simul etiam idem Cæſar ſolenni privilegio tunc cavit, ne in poſterum amplius ullus epiſcopus *Auguſtenſis* vel per ſe vel per ſuos officiales, colonis civium per provinciæ noſtræ præfecturam, ultra vetuſtas conſuetudines, moleſtus aut oneri eſſe præſumat. Aut prætori civitatis noſtræ impedimentum, ſeu aliam quamcunque vim ingerat, dum is privatos Dicarum dies, ſive legitima ſua placita, quæ ter quolibet anno, nempe Lunæ diebus, qui proxime dominicam *Invocavit*, feſtum *S. Trinitatis*, & feſtum *S. Franciſci* ſubſequuntur, in jam dicta ſua provincia, ipſoque adeo epiſcopi palatio, non abſque vetuſta prærogativa agitet. Hæc quamprimum cathedrale apud nos collegium olfeciſſet, ſtatim ab eodem Cæſare aliam ſuorum privilegiorum confirmationem, tanquam novum Reſcriptum IX. die Septembris callidiſſime impetravit: In quo is diſerte retractat, ſi quicquam non bene informatus, contra uſucapiones & antiquam pfafforum libertatem, civibus *Auguſtburgenſibus* conceſſerit. Habebat tunc Cæſar in aula ſua, *Pannonicum* quendam Baronem, qui ut erat natura ſuperbiſſimus, ita patrio etiam more facile præ ſe cunctos Germaniæ contemnebat heroës. Is ubi aliquantisper hic, ut relatum jam eſt, necterentur moræ, magno faſtu ad concurrendum ſecum haſta, *Sueviæ* quemcunque provocare auſus *Privilegium adverſus clerum.* *Duellum.*

fuit

fuit nobilem. Ibi reliquis cunctantibus tandem ingenuus quidam a *Riuringa* sese ad vindicandam nostrorum gloriam obtulit, ac equestri Duello *Ungrum* illum, in sacra area fortissime de equo dejecit, tanto omnium cachinno devicit, ut crista tus is tantum non ira ruptus pudoreque sit.

Sigismundi Imp. iter in Italiam.

Inde mitissimus princeps hinc solvens, in *Italiam* perrexit, atque in ipso itinere *Feldkyrchii* IX. Kalendas Octobris, oppignoravit provinciæ nostræ præfecto *Hauptoni* Marchschalcko, censum eum, quem Judæi in urbe hac Cæsaris fisco annuatim pendebant, & aureum offertorii nummum vocabant, eum respublica nostra post decennium penitus redimere jussa est. Superatis dein alpibus præfatus Cæsar VI. Kalendas Januarii, a *Bartholomæo Capra* archiepiscopo *Mediolani* in templo *S. Ambrosii*, *Langbardiæ* rex ferrea corona, redimitus magna solennitate est.

Census.

Hocce item XXXI. anno alleviatis vectigalibus, cæperunt cives nostri in publico censu, pro qualibet majore libra, nuinmum unum tantum exsolvere, continebatque talium librarum una, ultra *Rhenensem* aureolum, qui XXI. grossis constabat, triginta nummos.

A. 1432. Anno Christi MCCCCXXXII. pronunciati apud Consules sunt *Stephanus Hangenor* III. & *Josus Artzius* ex textorum tribu, sub quorum initia tanta obsoniorum annonæque penuria ob præteriti anni grandinem, & præsentis hyemis sævitiam hic erat, ut *Secalis* magnus modius ab initio anni, quatuor, mox quinque, & ita subinde ascendendo, septem demum nummorum libris venierit, *Avenæ* autem æqualis mensura tribus libris. Duravitque frugum infelix ea inopia, tantum non integrum sexennium, idque per omnem hanc tam *Sueviæ* quam *Bojariæ* terram. Centum præterea libræ *plumbi nigri*, veniebant tunc duobus aureolis, minus quadrante unius aureoli.

Annonæ caritas.

Constitutio de mulieribus negotiantibus.

Cæterum VIII. Iduum Martii statutum ab utroque senatu est, ut si quæ mulier, vidua vel virgo, per se apud nos negociaretur, aut qualibuscunque mercimoniis proprio Marte præesset, ut & pro tribunali, dum in jus alios vocaret, sive vocaretur, ad instar viri citra exceptionem sexus staret.

Arcubalistarum ludi.

Et quanquam caristia plurimum invalesceret, nihilo penitus tamen celebrati in civitate hac nostra, Senatus bene merendi erga vicinos voluntate, *Arcubalistarum* ludi sunt, dominica die post *triumphalis in Cælos ascensionis Christi* festum. In quibus illi qui scopum aliis sæpius attigisset, deaurati duorum triginta aureorum valore argentei cyphi bravium, quem *Memmingensis* quidam lucratus est, ac præter alia præmia, simul etiam longinquissime huc profecto aureus nummus, propositi fuerunt. Cum autem duo eadem locorum distantia, nempe ex *Feldkyrchio* & *Sangallo* adessent, noluit Senatus præmium dividi, sed potius pro sua liberalitate ambos singulis donavit aureolis, luseruntque arcubus centum quadraginta viri, quinque dierum spacio, nihil penitus ad cives nostros de propositis muneribus redeunte. Eadem hac septimana sabbatho nimirum proximo ante pentecostes solennitatem, qui dies VII. nonarum Junii erat, validissimus ventus ab occidente in civitatem hanc, totumque adjacentem agrum, tanto impetu irruit, ut cuncta ferme eminentiora ædium turriumque tecta dejecerit.

Sigismundus Imp. Augstburgum redit.

Postea XIV. die Augusti, divertit denuo cum tripudio in urbem hanc, *Sigismundus* jam imperator factus, nam postquam *Senis* ingratissimi pontificis injuriosa culpa, sex integros menses substitisset, tandem XV. Kalendas Julii, ab *Eugenio* IV. papa, Romæ in basilica *Apostolorum* aureo diademate fuit Augustus consecratus, cumque antiqui hospitis sui, *Petri* videlicet *Egenii*, uxor ea ipsa nocte filium forte parturiisset, mox dictus imperator, eundem, sequenti sacro die, ad ædem *S. Ulrychi* una cum episcopo *Trevirense*, de fonte baptismatis lavans, tum de sese *Sigismundum* appellari jussit, tum ipsum infantis parentem militari baltheo cinxit.

Hussitarum clades.

Inde circiter XX. diem Septembris, *Johannes Bojariæ* dux, cujus frater *Ludwichus Rheni* palatinus, & imperii elector, *Sueviæ ducatus* seu administrator tunc temporis erat, ductu *Hainrychi Pflugi*, magnum *Hussitarum* exercitum, terras suas igne & gladio vastantium, paucis manipularibus non procul *Neuburgo* ad *Danubium*, magna nostrorum congratulatione lætitiaque delevit.

A. 1433. Deinde anno MCCCCXXXIII. *Conrado Vogelino* IV. & *Hermanno Nordlingero* VI. consulibus, cum summa caritas propter hyemis algorem, agrorumque sterilitatem apud nos adhuc grassaretur, curavit diligenter Urbanus Senatus, ut undique apud vicinorum monasteriorum præpositos abbatesque, qui semper refertissima horrea, ac promptuaria plena habent, magnus rei frumentariæ acervus compararetur, quo civium alimoniam tam splendide juvit, ut præcium annonæ decresceret, & modius *Olyræ*, qui hactenus sex libris nummûm venierat, mox tribus libris nummorum vendi reinciperet.

Augstburgenses in judicium Westphalicum vocantur.

Interea cives aliquot, ministrique abbatis *Ulrychiani*, hinc ad *Albrechtum Schwindæum*, liberum *Westphalici* judicii comitem, a *Dietricho Wickedense*, peremptorie citati sunt. Quod cum consulibus & toti Senatui injuriosum graveque videretur, Imperatori suo obnixe supplicarunt ea de re, ac facile impetrarunt, ut is pro sua justitia processum eum *Basileæ* VII. Martii consueto dyplomate districte inhibuerit, actorique vel *Ludwichum*

michum comitem *Oetingensem* aulæ suæ præfectum, vel *Hauptonem Bappenhaimensem* Marchischalckum, judices dederit. Aut si & hos actor repudiaverit, *Wilhelmum Rhemi* Palatinum, & *Bojariæ* ducem, totius concilii conservatorem, & vicarium suum constituit, coram quo rei debeant sisti, nec vetito illi juri comparare.

Eclipsis solis. Porro hoc ipso anno accidit insueta & horribilis totius solis eclypsatio XVII. die mensis Junii, inter quartam & quintam vespertinas horas, postquam iterum universa nostra civitas, a *Petro Fleusenbalcko* ad *Hainrychum a Valbrechta*, liberum *Ludisbaimensis* in *Sunderlandia* tribunalis comitem citata est. Verum causam eam confestim ad se omnino Imperatoris vicarius recepit, prædictus videlicet Rhenani palatii præfectus, *Basileæ* X. die Julii mensis. Atque ita denuo Rempublicam a *Westphalici* juris rigore, tutatus æquissime est. Nam id in abusum intolerandum inclinare, ac propter leviculas res, ordinariis non prius requisitis prætoribus, quoscunque ad se in jus, haud citra vitæ discrimina rapere occeperat, cum initio in fidei Christianæ desertores aliaque notoria crimina summum jus exercere institutum fuerit.

Augstburg. iterum in exterium judicium vocantur.

Incendium Cæterum tertio die post ista, qui *divæ Margaritæ* dicabatur, flumine sub intempestam noctem conflagravit, molendinum extra hospitalariam portam a *lupis* denominatum, in quo præter aliorum civium fruges, uni pistori *Reichero* dicto, quatuordecim sacci, quod tunc temporis magnum erat, farre repleti disperiere.

Augstburg. privilegia confirmat Sigismund. Imp. Suntque insuper Reipublicæ nostræ omnia antiqua jura, consvetudines laudabiles, libertatesque & præsertim privilegia ea, quibus ab omnibus exteris tribunalibus, pater ipsius divus *Carolus*, cives *Augstburgenses* immunes esse, ac illos apud solum ipsorum provinciæ præfectum conveniri debere mandarat, tunc ab imperatore benignissimo, avthenticis tabulis, *Basileæ*, in vigilia *S. Martini* de novo confirmata. Adhæc idem imperator, eodem loco & anno, in ipso die *S. Othmari* S. P. Q. nostratibus, privilegia super vinariis, adeoque omnis generis potionum vectigalibus, iterum clementissime, aurea bulla approbavit, rataque habuit.

Constitutio de architectonibus. Inde constitutiones a Senatu factæ sunt super ordinariis & modo & præmio fabrorum lignariorum, cæmentariorum, ac eorum architectonum, qui luto parietes domorum, in fumibulorumque crates incrustant, operarumque illis dictim subservientium.

Barbara Brandenburgens. Augstburgum pernient. Cæterum deducta huc, in ipso *Apostolorum Simonis & Judæ* festo, comitatu quam ornatissimo fuerat, *Barbara Johannis* Marchionis a *Brandenburgo*, quem vulgus *Alchymistam* vocabat, tredecim annorum filia, quo *Ludwicho Johannis Francisci, Mantuanorum* primi Marchionis filio, desponsata erat. Cui Senatus noster argenteam pateram, centumque signatos aureos nummos, una cum quatuor capsis confecto Zaccharo repletis, duabusque metretis *Athesini* vini, pro Xenio obtulit, ductæque in illius gratiam a patritiis nocturnæ, in ipsorum theatro choreæ sunt. Ea dein statim a sponsi legatis pro more munusculis subarrata, ac deaurata quadriga, ducentisque equitibus, hinc in Italiam, ad nuptias magnifice avecta est. Habebantur venales tunc temporis hic singulæ non loti gossipii telæ, vulgus *pannum* appellant, duobus aureolis. Valebatque aureolus septem nummis supra duas & semis libras minores, aut quod computu in eandem summam incidit XXI. grossis.

Constitutio de Judæis peregrinis inquilinis defuncta. Hoc anno item, in ipsa *Thomæ Didymi* festivitate indictum per consules Judæis inquilinis est, ut nullius posthac exteri vernæ cadaver, in suum cæmiterium hic sepelirent, ni prius de quolibet peregre advecto mortuo, Reip. *Rhenensem* aureolum, & telonario minorem libram, quæ sexaginta nummis constabat, atque *obolaris libra* alias vocabatur, persolverint.

Annona cara. Anno salutis MCCCCXXXIIII. concesit imperator *Sigismundus Augstburgensi* civitati privilegium, *Basileæ* XVII. die Januarii Scriptum, ut ea Æneatores, Buccinatoresque tam bello quam pace habere publice posit. Suntque dein insueto more, in profesto *purificationis Deiparæ virginis*, consules apud nos lecti, *Stephanus Hangenor* IIII. & *Gabriel Ridlerus* II.

Annona cara. Sub quibus supra modum iterum annonæ præcium hic accrevit, eo quod superioris anni infortunio, aëris inclementia quoque accederet tanta, ut cuncti ferme arborum fructus, cerasa videlicet, pruna, poma, atque pyra, ac uvæ, nec non olera atque legumina, quibus plebs potissimum victitant, pessime provenerint, Suntque ob eam rem capitati caules & cæpæ *Ulma* huc transvecta, e quibus centum brassicæ capita, VXI. grossis venierunt.

Constitutio de distinctione Judæorum a Christianis. Quando autem Judæi diuturnitate temporis insolescere apud nos occiperent, adeoque præscriptione quadam, ex præfectorum indulgentia nata, non modo promiscue, verum etiam immoderate inter fideles cives versari nequaquam erubescerent, constitutum a Senatu *Augstburgense* primum est, ut illi flavos circulos vestibus a pectore insutos, mulierculæ vero ipsorum, acuminatiora pepla, publice semper gestarent.

Decretum de casseo. Decretum & dein a Senatu populoque hic ferio est, tum ne quisquam mercatorum exteris textoribus, *arboream* eam *lanam*, quam vulgo *cotonum* vocant, & e *Creta Cyproque* per *Venetias* advehunt, venderet, tum ne alibi contexta Xylina, ad hujus civitatis fori inspectionem, æstimanda perferrentur. Valebat æstate ea, integer, sed nondum

dum dealbatus, *Gossipii* generis, pannus, sive una tela, triginta sex grossis, commutabanturque a textoribus novem libræ cotonii, unico panno Xylini.

Ludwich. Boj. dux cum Sigismundo Imp. reconciliatur.

Cæterum hoc ipso anno cum imperator *Sigismundus Ulmæ* in *Ludwichum Barbatum Bojariæ* ducem, jam antea per *Basilejense* concilium sacris abstentum, arma communi procerum consilio ob contumaciam decreviſſet, veniam is suppliciter per filium homonymum plurimosque alios principes petiit, atque eam facile intercedente, tamen magna pecuniæ vi obtinuit. Unde & *Werda Danubiana*, XII. die Augusti ad imperium, a quo jam pridem defeciverat, alii oppigneratum *Bojis* volunt fuisse, tredecim aureolorum millium irrogata mulcta rediit. Ad quam summam persolvendam, Senatus noster Reipublicæ illi, ob vicinitatem humanitatem, tria millia aureolorum mutuum concessit. Quo anno præterea circiter *S. Bartholomæi* festum, tentata per *Sigismundum* imperatorem concordia *Ratisbonæ* est inter *Basilejenſis* synodi legatos, & *Bohemorum*, quorum *Rockenzana* antistes erat, deputatos.

Diploma de non exigendo telonio a clero.

Quin & idem imperator, missō illinc XV. die Septembris diplomate districtæ civitati *Augstburgensi* inhibuit, ne ulla tam ad portas nostras, quam de strato solo intra mœnia, telonia, ab episcopo & universo clero hic vel petant, vel accipiant unquam.

A. 1435. Anno Domini MCCCCXXXV. consulibus *Chunrado Vögelino* V. & *Matthia Rellero* ex salinatorum tribu, dura adhuc frumenti egestate, cives *Augstburgi* laborarunt. Et præterquam quod *Berleja* turris, quæ hactenus lateritium tectum habuerat, plumbo ab ædilibus intecta sit, decretum vigesimo secundo Augusti mensis die, a S. P. Q. nostro est, ut tam tutores, quam curatores, singula pupillorum suorum ac viduarum bona facultatesque in urbis publicum *Cartophylacium* sive *protocolum* authentice referrent, ne scilicet fidei ipsorum commissi detrimenti aliquid paterentur.

Constitutio de tutoribus curatoribusque.

SCtum, ne Judæi sint judices

Circa quæ tempora vel paulo post, utriusque etiam Senatus consultum, imperatoris ratificatione factum est, ne de cætero Judæis juxta christianos in foro judiciario sedere, sententiamque uti hactenus consvetudo obtinuerat, dicere liceat. Item ne amplius in ipsorum synagoga, a civibus nostris hic, recepto more conveniri debeant, sed ut atque ac alii municipes & inquilini, in publica curia coram christiano prætore christianisque assessoribus, juri stantur. Hactenus enim si quid litium aut actionis forensis, civi cum indigena hæbræo intercessisset, id totum magister collegii Israelitici, archisynagogusve, una cum civitatis subpræfecto, pari judicantium utriusque religionis numero, in schola ipsorum, quæ in medio ejus vici versus Aquilonem erat, qui hodieque a Judæis appellationem retinet, decidere solitus fuit. Secus tamen res actæ sunt, dum Hæbrei Christi fideles in jus rapiebant.

Augstburgenses hostes fugant.

Hocce anno item canonicorum nostrorum equestres quidam, prope *Baidelskyrcham Bojariæ*, in hostium suorum manipulares incidentes, acriter manus cum illis conferere cæperunt, confossoque uno, tres, fugatis reliquis, captivos detinuerunt, ac domum properantes, unum ex illis, *Ruffkatzum* nomine, apud *Kriechshaberam* arbore, in ipso itinere suspenderunt, reliquos vero duos *Zusamhausam* pertrahentes, publico judicio vivos exusserunt. Postea in festo *natalis Christi Domini*, sub intempestam noctem, peremptus gladio est, *Stephaninus* parochus, dum e domuncula sua ad matutinas præces forte iret, cujus latrocinii author nunquam sciri potuit.

A. 1436. *Leonhardus prætor.*

Sequente inde anno cum *Stephanus Hangenor* V. & *Gabriel Ridlerus* III. *Augstburgi* nostro consulatum pro more iniissent, constitutus Senatus optione *Leonhardus* a *Gruenbacho*, & per Cæsarem præfectum nostrum, prætor confirmatus est. Hic dum muneri suo, juxta antiquum morem satisfacere satageret, ac tradito sibi a provinciæ advocato, prætoriali scipione, in privatis dicarum suarum diebus, apud episcopi palatium, nulla alia virgula expectata judicio exercendo uteretur. Deinque *Gerstbovæ Langwaidæque* suo jure judicem constitueret, jusque jurandum a colonis acciperet, dirum in modum cleri libertatem violasse culpatus est, & tamen in officio decem annis perstitit.

Mulier ob parricidium viva defossa.

Hinc statim in ipsa Quadragesimalis jejunii devotione, muliercula quædam viva hic defossa est, quæ superiore anno in Vigilia *nativitatis Domini*, avum in templo *Mariano* sub missam Galli cantus cultro clam interfecerat, ac perpetrata cæde ocius per medias turbas aufugerat.

Sacerdotis cujusdam impostura.

Inde confestim adpulit huc sacerdos quispiam, multi Dominicastrum faciunt, e *Basilejense* concilio subdelegatus, qui pro sua confidentia, compositis ad præsens tempus concionibus, opem piorum ad convertendos *Græcos Teucrosque*, promissa credulis delictorum remissione, instanter implorabat. Eoque prætextu magnam pecuniæ summam connivente imo ut fama volabat, participante episcopo nostro, tota ferme æstate corradens, tandem subito disparuit, deprehensumque post festum, quod ajunt, est, spermologum eum, egestate quorundam exterorum præsulum, sic imperitam plebeculam hic pietatis nomine defraudasse, strenuo.

Bojis fœdus rumpunt.

Cum vero *Heinrychi* & *Ludwichi Bojariæ* ducum ministri initio, & mox principes ipsi, factam ante biennium a Cæsare pacem, haud citra vicinorum injurias interrumperent, ac ingentem tumultum præ-

dando excitarent, ad concordiam iterum terra ea per legatos concilii *Basilejensis*, facto quatuor annorum fœdere, mense Julio *Regensburgi* reducta, non sine nostræ Reipublicæ congratulatione commodoque est.

Agnes culeo insuta perit. Dein IIII. Idus Octobris culeo insuta *Stulingæ*, & in *Danubio* submersa est, *Ernesto Bojariæ* ducis sententia. *Agnes*, vulgo *Angelam* appellabant, *Bernaveria* venustissima puella, *Augustburgensis* balneatoris *Leviculi* dicti filia, eo quod *Albrechtus* filius ipsius, illam uxoris loco, præter illustrissimæ familiæ decorum, & deperiret & haberet diu.

Supplicia. Postquam autem *Bestius* a *Laber*, hostis Reipublicæ nostræ irreconciliabilis, civibus multa subinde intulisset damna, & inter cætera *Leonhardum Rhodium* cepisset, ac trecentorum quinquaginta aureolorum exactione mulctasset, demum non procul *Saltzburgo*, a stipendiariis nostris equitibus, haud citra sanguinem, cum sociis aliquot deprehensus & interceptus est. Et mox caput illi jam mortuo, quod in vinculis ex vulnerum sævitia expirasset, XXIIII. Novembris die, a carnifice amputatum fuisset, si non tot præstantes pro eo intercessissent homines. Duo tamen ipsius famuli secuti publica percussi, totidemque paulo post *Norbergæ* patibulo suspensi sunt. Hocce anno XII. libræ arboreæ lanæ, pro uno Xylini panno, qui triginta septem grosis & sex nummulis valebat, commutabantur a textoribus urbis hujus, eratque per Autumnum *Brassicæ* capitatæ magna caristia.

A. 1437. Anno Domini MCCCCXXXVII. creati hic consules de more sunt, *Chunradus Vögelinus* VI. & *Petrus Egenius* ex mercatorum societate. Sub quibus statim XXVI. Januarii, prohibitus privatis meretriculis matronalis cultus est, & interdictum quoque, ne cum pedissequis incederent publice, curaruntque ædiles *Berlejam* turrim, plumbeo tecto ornari ac coloratis picturis per *Blanckum Nasonem* illustrari.

Annonæ caritas. Vigebat autem adhuc anno isto tanta annonæ caritas, ut magnus modius fecalis X. libris in foro prostaret, idque non abundante copia. Porro continebat ea tempestate apud nos libra una æris sexaginta nummos, juxta quem valorem rerum venalium computus per sæculi hujus historiam faciendus erit.

Hofmairi liberalitas. Enituit forte tunc temporis *Sigismundi Hofmairi* patritii benefica liberalitas, qua is e granariis suis omne genus frumenti indigentibus indigenis, tollerabili precio divendere maluit, quam canis in præsepi videri, atque ita non modo ab hominibus laudem, sed & a Deo largam benedictionem consecutus est. Est autem hoc anno sub ipsum æstivale solstitium, a Senatu hic cautum, ne cui deinceps liceat, rates aut ligna, quæcunque per *Lechum* ad urbem nostram devecta, ultra octiduum in ripa ejus collocare, sub pœna viginti quinque nummulorum, ex æquo prætori & fisco pariendorum.

Cæterum *Sigismundus* γυναικόφιλος ille prudens, sed prodigus & bellis infortunatus imperator, jam septuagenario major, post habita, Augusto mense apud *Egram* propter *Basilienſis* concilii schismaticas praxes, comitia, traditaque ob conspirationem cum *Bohemis* in custodiam *Barbara Cilejense* conjuge impudicissima, *Znoymæ* apud *Moravos* V. Iduum Decembris apoplexia sublatus, ac inde in *Ungriam* suam *Waradinum* ad *S. Ladislaum* contumulandus, regali pompa translatus extitit. *Sigismundi Im. obitus.*

Westphalici judicii conscii. Quia autem superioribus hisce diebus *Clausus Rychenbachius* quispiam, non procul hinc per sycambricæ legis tacitos suspendio finiisset vitam, vetitique ejus judicii executores *Seitzius Gablonus*, *Schnittmannus*, *Rümmerlinus*, *Hansus Schmidus* & *Hansus Blappbardus*, cives *Augustburgenses* fuisse perhiberentur, nox frater & cognati demortui, eos apud *Hennickem* a *Fourda Wolmerstainensis* tribunalis liberum comitem, de vi injusta haud injuria detulerunt.

Qui protinus mense Decembri hoc, pro suo jure, consuli *Vögelino* commissionem huc dedit, ut *Steffano Hangenori* Ædili, certam ea de re inquisitionem, coram aliis sacræ illius taciturnitatis votis collegis, faciendam mandaret. In quo negocio dum is magna fide diligentiaque ex officio versatur, deprehensum est in unica nocte, præter quinque jam dictos, alios triginta duos quoque cives, rigorosi illius *Westphalici* judicii, conscios, imo carnifices occultos extitisse. Et ni *Clausus Probstius* e *Dillinga* autoritate sua *Rychenbachium*, ob notoria crimina strangulatum, tum consuli nostro huic, tum libero comiti *Wolmerstainum* rescripsisset, pessime cum accusatis, utut *Faymeri* forent, apud nos actum foisset. Hi autem erant sacræ ejus legis periti *Augustburgi* nostro, *Chunradus Vögelinus*, *Stephanus Hangenor*, *Ulrychus Rhelingerus*, *Hainrychus Langenmantellius*, viri consulares, & patritii, *Georgius* & *Gilgus Remi*, *Georgius Nördlingerus*, *Georgius Mielichius*, *Chunradus* & *Osswaldus Hainzlini* cognomento *Mayri*, *Thomas Breischurius*, *Hansus Langenmantellus*, *Georgius Ridlerus*, *Wigandus Schnäglinus*, N. *Klolinus*, *Leonhardus Krafterius*, *Georgius Schmeckius*, N. *Fuggerus*, *Hansus Mullerus*, *Jacobus Zimmermannus*, *Cuntzo* a *Werthaimo*, *Hansus Kesselschmydius*, *Ulrychus Fergus*, *Georgius Probstius*, *Hainrzius Kellerus*, N. *Kresspserus*, *Hansus Zollerus*, *Leonhardus Fuchsius*, *Ulrychus Nymberus*, Magister *Hainrychus*

chus Roggenburgus, & Jacobus Mullerus.

A. 1438. Subsequentis dein novi anni, debito tum tempore tum modo, consulatum Augstburgi susceperе Stephanus Hangenor, VI. ac Gabriel Ridlerus IIII.

Albrechtus II. Imperator. Estque die Lunæ post Dominicam Reminiscere, qui VI. iduum Martii agebatur, (alii die Jovis post Oculi XIII. Kalendarum Aprilis habent) ALBRECHTUS II. Austriæ dux, Honorificus cognominatus, jam antea Bohemiæ & Ungriæ rex, connubio Elisabethæ factus, Francfurti ab Electoribus imperii socero Cæsar absens subrogatus. Qui diu reluctans, tandem necessariorum precibus persvasus, & VIII. iduum Junii apud Aquisgranum Caroli Magni diademate coronatus, manum sceptro Germaniæ admovit.

Privilegium de ejiciendis Judæis. Ac postquam fideli legatorum nostræ Reipublicæ, qui X. die Julii hinc cum splendidis muneribus Pragam abierant, rogatione, antiqua civitatis privilegia luculentissime comprobasset, annuit etiam ut Senatus Judæos hinc ejicere posset. Qua licentia impetrata, mox in ipso tutelaris divi Ulrychi festo, profanis illis indictum est, ut rebus suis prospicerent, ædes venderet, & exacto futuro biennio, cum liberis & uxoribus vetere migrarent colonia.

Novum Reipubl. sigillum. Porro XXIII. die Januarii, minus & secretum Reipublicæ nostræ sigillum argenteum, de novo exsculptum est, quod vetus usu longo attritum, non amplius impressioni accommodum foret. Suntque in ejus rei memoriam & ad præcavendas fraudes utriusque Senatus testimoniales tabulæ exaratæ.

Bacchanalia. Et dum bacchanalibus diebus patritii cum C nobilibus lætabundi, in sacra propter episcopale palatium area, hastiludia celebrarit, dejectus fortuito ab equite quodam inter concurrendum limitaneus ille civitatis terminus est, qui in medio quasi ejus, ab antiquo propter jurisdictionem positus fuerat. Eum ubi urbani Ædiles priore loco iterum erigere ex officio curant, protinus episcopi vicarius canonicique id prohibere, nescio quo jure conati sunt. Verum Senatus horum nihil curans, suos ut pergerent strenue jussit, estque tali pacto antiquus finium terminus, in circo illo, novo saxo, botro superposito, ut antea fuit, restauratus. D

Pestis. Voluptuarias autem hasce festivitates, sequentibus æstate autumnoque, tum lurida fames, tum eandem tristissima pestis concomitata tam sævisime sunt, ut opulentiores quique, fata illa adversa, quo poterant dilapsi, declinarint & fugerint. Quapropter utriusque Senatus consensu Respublica tali conditione administrari cæpit, ut singulo semestri tempore, quilibet ex Senatoribus, secundum eum ordinem, quo in Senatu considere solebant, consulatum gereret, tertiaque patrum pars ad consueta munia obeunda, constitutis diebus in urbem redire undecunque coacta juramento sit.

Imperialium civitatum conventus Ulmæ. Quia autem Albrechtus Cæsar, comitia sub medium mensis Julii, publicæ pacis, pecuniæ valoris, & judiciorum ergo, Norimbergam indixerat, congregatæ prius sub XVII. diem Junii Imperiales civitates Ulmæ sunt, quo Senatus noster consulem Hangenorem, & Cuntzium ab Halle legatos misit. Ac quod in præjudicium suarum emunitatum, civitates plæraque deliberanda metuerent, communicatis inter sese consiliis, sanxerunt neutiquam ab eo decreto recedendum esse, quod superiore anno Ægræ in comitiis pro Germaniæ libertate factum fuisset. In cujus rei firmiorem executionem, mutuas omnino operas, pro conservandis antiquis juribus sibi invicem persancte voverunt.

Commeatum ex Austria accessiunt Augstburg. Cæterum cum singulorum tum frumentorum tum leguminum precia, indies magis adaugerentur, ita ut magnus Olyræ modius B Majo mense sex, Julio octo, Septembri denique decem libris nummûm venierit, ablegavit circumspectissimus Senatus noster Viennam Austriæ, Egeolffian Blossium, & Hansum Bohemum, ad coëmendum concivibus commeatum, qui munere suo fideliter functi, bis mille frumenti, & trecentos pisorum majores modios, adversis fluminibus Landshutam usque evexerunt. Cumque exoneratis navigiis, annonam illinc collectim plaustris & curribus domum deportandam sedulo satagunt, a Ludwicho Bojariæ duce, qui illis transitum perditiones suas satis inhumaniter negabat, præpediti, non ut instituerant, per compendium huc recta, sed per longiores ambages magno dispendio partitis vecturis, tandem sequentis anni Vere in patriam detulerunt.

Russi Augstburgum transeunt. Qua tempestate Russi, sive Rutheni, Rexolanive, gens Septentrionalis, quam Juvanus magnus Moscoviæ dux, post annos quadraginta, suo imperio, capta per dolum Novogardia ditissima illorum metropoli subjecit, ad conciliandas cum Romana ecclesia, fidei catholicæ controversias, quod Græcorum religionem sequerentur, per civitatem hanc nostram, non sine vulgi admiratione transiverunt Florentiam, ubi Eugenius IV. papa antisynodum contra Basilejense concilium congregabat, præsentibus Constantinopolitanis Cæsare & patriarcha.

A. 1439. Anno salutis MCCCCXXXIX. Chunrado Vogelino VII. & Petro Egenio II. ordinarie creatis consulibus, incredibilis adhuc omnium, quæ ad victum pertinent, penuria Augstburgi nostri fuit.

Fiedleri avaritia sibi ipsi damno est. In qua pauperculi detestandam Herbrthi Fideleri avaritiam, qui Euchionis instar fru-

frumenta, quibus abundabat impie detinuit, tanto execrati sunt devoveruntque effectu, ut is quæ X. libris nummorum divendere bona gratia potuisset, vix demum VI. aut IIII. commerito damno, omniumque adeo sarcasmo, abalienare quiverit. Nam quamprimum sub finem Aprilis, commeatus deliderabilissime tandem e *Norico* adpulisset, publicoque hic foro magnus olyræ modius, XI. prostaret libris nummûm, jussit Senatus nuper advecti frumenti modium novem libris vendi idque cum suo damno. Qua ex re caritas ea commode decrescere, faciliorque annona letissima Cereris affluentia fieri occepit, præsertim quando *Sigmundi Hoffmayri* liberalitas etiam accessisset, qui *Fideleri* prænominati frumenta, permutatione, ad proximam messem fienda, compararat, ac civibus leviori precio iterum divendebat.

Constitutio de libertate carnem vendendi.

Cumque post pascha, tam elixandarum quam assandarum carnium, egestas quoque accederet, concesit Senatus querulantibus laniis, ut libram sedecim unciarum bovinæ carnis quinque obolis venderent. Verum quando neque hac ratione illi faciarentur, sed amplius inflati macellum contumaciter negligerent, noluit pius Senatus plebi deesse, & pulsata classici campana, decretum die Martis post *assumptionis Mariæ* festum promulgavit, ut omnibus & singulis, qui vellent, etiam peregrinis & exoticis, promissa securitate, duobus per singulas septimanas diebus, utpote Martis & Saturni, liberum hic esset, cujuscunque pecoris carnes publice venum habere. Cum primis vero pistoribus concessum est, id quod etiamnum proprio suo macello obtinent, ut porcos mactare suillamque & lardum recitatis jam diebus pro libitu vendere possent. Eodem hocce anno, pestis in urbe hac crudelior, nec tamen irrationabiliter grassata adhuc est.

Bellum inter vicinos.

Et cum *Ludwichus* junior *Bojariæ* Dux, a re *Gibbosus* dictus, initio cum *Hainrycho Landshutense*, *Wilhelmo* & *Ernesto Monachiensibus Bojariæ* cognatis regulis, & dein cum *Albrechto Noribergense* Burggrafio comitibusque *Oetingensibus* fœdus fuisset, præterque alios debellatos vicos, etiam sub medium quadragesimæ propinquum urbi nostræ oppidulum, *Fridbergam*, contra parentem suum *Ludwichum Ingolstadiensem*, seniorem *Bojariæ* ducem occupasset, nec non postea, pridie *Bartholomæi* arce, cui *Georgius Schwangawerus* præerat, nequaquam expugnata, dictum oppidulum, combussisset, Senatus noster in neutram partem dimidio anno, quo in conspectu obsidio duravit, caute declinans, utrorumque militibus & accessum & recessum liberum concessit. Inde *Bojaris* quatuor annorum spatio induciæ, haud sine *Cislechani* nostri agri tranquillitate factæ sunt. Fuere isto anno curatores hospitalis ad *S. Jacobum* hic *Petrus Künzelmannus*, *Georgius Strussius*, & *Hansus Stiefsius*, cum multa alimentorum accessione. Sub quam tempestatem *Christophorus Ambergensis Bojariæ* dux, mortuo *Erico* II. avunculo suo, ad Septentrionalia *Danorum* & *Suetiorum* regna vocatus est.

Albrechti Imp. obitus.

Interea *Albrechtus* Cæsar noster, contra *Amuratem Turcarum* Imperatorem, *Albam Græcam* integro anno obsidentem, arma parans, VI. Kalendis Novembres, *Nesinæ* prope *Strigonium*, sive, ut multis placet, in Insula Danubii *Schutta* dicta, non procul *Commora* arce, ex *dysenteria*, alii *veneficio* tradunt, obiit, ac apud *Albam* regalem *Ungriæ* sepultus est.

A. 1440. *Fridericus III. Imperator.*

Hinc anno a nativitate Christi MCCCCXL. FRIDERYCHUS III. *Austriæ* & *Styriæ* dux, *Francfurti* ab Electoribus principibus, cognato in ipso *trium magorum* festo subrogatus, III. Kalendas Aprilis, alii *mense Augusto* ajunt, *Aquisgrani* a *Theodoricho* archiepiscopo *Coloniense*, Cæsar Romanorum *Basilejensis* concilii legato probante, pro more celebri inungitur, ac sacro *Caroli Magni* diademate, quod jam primo per novum principem *Ungris* ablatum, majoris securitatis gratia est *Noribergensium* fidei commissum deinceps, coronatus est.

Ludus baliſtarius.

Interim etiam *Augustburgi*, *Ulrychus Reblingerus* patritius & *Gabriel Ridlerus* mercator V. consules sunt facti. A quibus postquam reliqua recte se habere viderentur, tota fere superior Germania, ad *Balistarium* ludum, concordiæ gratia, invitata honestis præmiis est. Confluxere itaque huc sub medium Majum CLXI. Sagittarii, qui in ipsis Quinquagenalibus feriis, septem continuis diebus cum nostris hominibus tuto & jucunde pro more jaculati, præter alia minora bravia, sequentia hæc præcipuo proposita habuere. *Primo* videlicet XL. aureolos. *Secundo* equum XVIII. aureos valentem. *Tertio* Cyphum argenteum XII. aureos pendentem. *Quarto* bovem pro VIII. aureis &c.

Judæi expulsi sunt.

Deinde octavo die Julii mensis, quo *beati Kyliani* memoria agitur, Verpi in universum plusquam CCC. civitate ista, in qua per aliquot sæcula domicilium habuerant, nulla redeundi spe, omnino pulsi sunt, id quod ante biennium ipsis peremptorie intimatum fuerat. Post ista S. P. Q. noster, unanimi consilio, legem sibi sub pœna perpetui exilii constituit, ne quisquam unquam nostratium civium concivem ad alienum forum citare, aut a lata hic sententia ad alium judicem appellare debeat, idque vi & tenore datorum privilegiorum. Quod si vero prævaricator quispiam, temere proscriptio-

ptionis hujus sententiam contempserit, & hic deprehensus fuerit, is citra omnem misericordiam aquis suffocetur.

Eugenii IV P. M. constitutio de anno XXV Dec. incipiendo.

Hocce anno *Eugenius* IV. Romanorum pontifex constitutionem instante *Blondo Foliviense* historico fecit, ut annorum initia non amplius a Kalendis Januarii, ut *Julius Cæsar* olim ordinarat, aut a XXV. die Martii, ut *Dionysius* abbas quingentos circiter annos post, ab incarnatione videlicet Verbi divini docuerat, sed a natalicio Christi festo, cujus memoria XXV. die Decembris sancte celebratur, inter Christianos in posterum numerarentur. Id quod propter vulgares calculos principiorum anni me hic annotasse non ineptum puto.

A. 1441. *Nova moneta cusa.*

Anno salutis MCCCCXLI. Consulibus *Stephano Hangenore* VIII. & *Mathia Kellero* II. sparsi *Augsthurgi* die Lunæ ante *ascensionem Domini*, a novi Cardinalis episcopi nostri vicario, astantibus dictis consulibus & civitatis prætore, & Curiæ urbanæ, ambone, novi nummi sunt, quorum centum sexaginta numero, unum aureolum valerent, & deinceps in publicis contractibus usui forent. Et hi ab una parte viri mitrati caput, ab altera, quod monetarius familia *Besingerus* esset, characterem B. sculptum habebant.

Georgius a Riethaimo capitis damnatus.

Estque postea *Georgius* a *Riethaimo*, præfectus *Höchstettensis*, *Werdæ* ab nostris equestribus non sine *Klebsattelii*, qui monachi personam induerat, stratagemate captus, ac propterea quia communis hostis rapinas sæpe fecisset, in jus prætorium ibidem pertractus, ubi capitis sententiam, Senatus *Augsthurgensis* accusatione, cujus legatus *Chunradus Vögelinus* erat, una cum *Cuntzo* servulo suo pro merito tandem subiit, frustra *Ludwichi Gibberi Bojariæ* ducis conjuge coram intercedente. Conduxerat autem respublica nostra ob diras nobilium minas, prædictique principis indignationem, quadringentos milites, qui ad actionem eam tum *Werdenfi* oppido, tum legatis suis præsidio essent, excubarentque.

Katharinæ moniales alio migrant.

Hocce anno post longam contentionem, episcopi tandem dispensatione, moniales ad *S. Katharinam* sub *Agnetis Harscherinæ* prioratu, Senatus nostri cura, arctius muris inclusæ sunt. Quanquam nonnullæ post biennium, quod tempus illis ad deliberandum erat concessum, caveam eam relinquentes, alio potius migrare maluerunt, quam sic vivæ sepeliri.

Lex de vestitu.

Quo tempore cum Senatus prohibita civibus vestium luxurie, singulis a patriciorum ordine, per omnes status, usque ad dejectiores servos, item ab ingenuis matronis usque ad infimas ancillulas, indumentorum, politicorumque cultuum, tam de Bombicino linteo & laneo, quam de pelliceis, auro margaritisque modum hic debite & honeste præscripsisset, non cessavit quidam, holosericorum, *Damascenorum*, & *Undulatorum* pannorum institor, *Herzogius* nuncupatus, constitutionem eam insectari, calumniarique, donec menstruo carcere, & desuper multiplici eleemosinarum erogatione, atque ad structuram mœniorum quinque millibus laterum, & viginti vasibus calcis vivæ punitus, Magistratui obloqui dedicerit.

Ingens frigus.

Porro Novembri præsentis anni mense, tanta hyemis sævitia apud nos incidit, quantam vix aliquis recordaretur. Quatuordecim enim continue sequentibus septimanis, non modo vehementissimum per totam hanc provinciam duravit frigus, verum etiam cum trigesies septies interpolatis vicibus, nulla accedente colliquatione, ninxerit, altissimæ nives undiquaque vias invias reddiderint, ac molendinorum urbis nostræ usum, usque adeo etiam omnino impediverint, ut hinc *Inningam Bobingamque*, ubi *Sinckelis* non congelatur, permolendi annonæ gratia, homines ire permaxima difficultate compulsi sint. Nam conductis a republica CC. fossoribus, qui palis & scopis semitam obiter purgarent, adhibitisque omnium cœnobiorum equis plaustrisque, vix regia via pro commodo ac trito itinere parari potuit. Et ni providus Senatus ingentem farinæ copiam jam antea repositam, in promptu famelicæ plebi, per acutissimi ejus gelu tempestatem, divendi curasset, tam currente hoc, quam subsequente anno, plus quam media civium pars vel fame periisset, vel relictis parvulis nescio quo aufugisset. Pauperculis itaque respublica pollinis farrisque octavam magni modii partem, quam a *mensurando* plebs *Metzum* indigitat, quatuor grossis divendidit.

Equites Halani in præsidium mittuntur.

Quo anno & respublica nostra equites nonnullos *Halam Suevia* in præsidium subitaneum milit, eo quod oppidani illi a nobilibus quibusdam, quorum viginti emissarios propter deprædatos cives suos, patibulo suspenderant, hostilia extrema paterentur. Fuit item maximum incendium apud nos per eum vicum, qui a *Lapidibus* cognomen habet, in ædibus *Vögelini*. Atrox præterea pestis inter equos tam in civitate nostra, quam adjacente provincia sæviit.

A. 1442. *Hastiludia*

Anno MCCCCXXXXII. Consules hic salutati suo tempore sunt *Chunradus Vögelinus* VIII. & *Petrus Egenius* III. Et utut coadunatæ nives, cunctas semitas turbinibus quasi intercluderent, adhuc magna tamen equestris ordinis, ingenuorumque hominum multitudo in gratiam *Albrechti* II. *Brandenburgensis* Marchionis ad carnisprivii, quod vocant, seu stultorum festum, *Augsthurgum* nostrum confluxit. Quæ XII. Februarii mensis luce, quam vulgus *falacem*

cem. Lunæ diem appellat, Martiales ludos in sacro atrio pompoſiſſime celebravit, ubi & ipſusmet Marchio cum *Johanne* a *Franberga*, aurato equite, utut quartana febre laborante, acutæ cuſpidis haſta concurrit. Quia vero vel ſolus Marchio is, quinquaginta deauratos milites, trecentosque nobiles, ſecum adduxerat, juſſit Urbanus Senatus indies CCCC. armatos cives Tributim, ludis his, ne quid ſcilicet violentius aut indecentius fieret, adſtare, turbasque arcere.

Molæ trusatiles fabricantur.

Cæterum in miſeranda illa rei frumentariæ inopia, fluminumque congelatione, duæ trusatiles molæ a Senatu, in eam Judæorum domum conſtructæ ſunt, qua illi choreas ſuas agitare ſoliti fuerant.

Piſtorum fraudes puniuntur.

Quando autem piſtores in populari ea calamitate cottidianas fraudes, contra præſcriptas ponderum conſtitutiones, perpetrare neutiquam ceſſarent, curavit Senatus Furcam excuſſariam cum corbe fieri, ſuper eam lamam, qua equi tunc temporis ad divi *Ulrychi* aream adaquari ſolebant. Cui ſtellionatum in pinſendo panes committentes imponendi erant, ut ubi ſic ſatis populo ſpectaculum de ſeſe ſublimes præbuiſſent, in ſubjectum cænoſum æquor deſilire compellerentur. Ea infamia piſtores, quod a conſvetis diſcedere nollent, perculſi, Sabbatho ante medium Quadrageſimæ, quod erat X. die Martii, hinc univerſi *Fridbergam* ad propinquum aſylum migrarunt. A quo cum adverſus ſtimulum calcitrare durius experirentur, poſt octavum diem ultro reverſi, omnino ſe Senatus arbitrio dediderunt. Qui clementia contra tantam proterviam uſus, toto illis decennio, omnibusque illorum contribulibus, & Senatorio ordine, & judicum dignitate interdixit. Id quod XLV. artificii ejus Magiſtri, præſtito juramento ratum habuere. Tribunus vero ipſorum *Taglangus*, contumaciter ferociens, perpetuo exilio condemnatus fuit.

Fridericus III. Imp. Augſtburgum intrat.

Sedato hoc tumultu, venit huc primum XX. die Aprilis, Cæſar *Friderychus* III. ac manſit ſex dies. Quibus tum ſolitum jusjurandum a S. P. Q. noſtro in *Berlachejo* foro accepit, tum antiqua privilegia, jura, conſvetudines, & quæ illis oppignerata erant, civitatis noſtræ acceptis non vulgaribus Xeniis XXIII. die dicti menſis, confirmavit in ſolidum. Denique & hoſpitem ſuum in foro vinarii commorantem, *Petrum Egenium* plebejum, conſulem, novis inſigniis illuſtravit, natalibus reſtituit, abrogatoque avitæ familiæ cognomento illum poſterosque ejus ab *Argena* dici voluit.

Comitia Francfurti.

Inde per transverſam *Sueviam Franconiamque* pedetentim ſingula imperii oppida, perluſtrans, tandem *Francfurtum* pervenit, ubi Auguſto menſe, conſocios legis *Sycambricæ* in publicis comitiis, reformavit, ſerioque conſtituit, ut nemo infamis ad illorum ordinem admitteretur, & ut cuncta in ipſorum judiciis, ſicuti ab initio a divo *Carolo Magno* inſtituta, ac demum a *Sigismundo* imperatore per *Fridericum Colonienſem* archiepiſcopum, ducem nimirum *Weſtphaliæ*, reſtituta fuiſſent, ab illis rigoroſe ſervarentur, ſed actum agens, mortuo viſus eſt, verba facere. Tunc temporis forte plauſtrum fæni vix tribus aureis apud nos comparari potuit. Accidit autem dein hic, in ipſo *S. Lorentii* feſto, ut Decanus Canonicorum ſummæ ædis, ruralem quempiam ſacrificulum comprehenſurus, in ædes piſtoris cujusdam fugarit. Ex quibus illum absque cunctatione invito hoſpite, tractum in carcerem ſium detruſit. Ob quam vim Senatus urbanus valde commotus, e veſtigio, quotuor ex ſuo ordine, ad dictum Decanum cum talibus mandatis miſit, ut ni jam captivum eum redderet, ſe civium privilegia expedite aſſerturum eſſe, eſtque ſic miſer ille dimiſſus.

Newenfeldæ expugnatio.

Quo anno & *Newenfeldenſe* oppidum, cum arce, a *Sueviæ* imperialibus civitatibus, penultima Auguſti menſis, non ſine urbis *Augſtburgenſis* auxilio, captum fuit. In qua expugnatione ducenties centenæ libræ pyrii pulveris civitatibus abſumptæ fuerunt. Suntque multi qui oppidum illud *Mojenfeldam* ſupra *Martianam* ſylvam, hodie S. *Lucii* clivum vocant, fuiſſe putent, impreſſorum annalium errore decepti.

A. 1443. *Gegginenſis porta reſcitur.*

Ad annum Domini MCCCCXLIII. *Stephanus Hangenor* IX. & *Gabriel Riedlerius* VI. conſules dicti, curarunt *Gegginenſem* portam firmius renovari, altioreque turre tam pro ſpecula, quam pro flagitioſorum ergaſtulis communiri. Quo anno & horarium tintinnabulum primo ad *S. Ulrychum*, parochianorum civium rogatione eſt factum, ſimul ac Senatus decreto, vectigalia de linteis, Xylinisque & telis & pannis exigi, in urbe hac de novo cæperunt. Suntque eandem ob rem tam inſpectores ad Textorum tabernam deputati, quam & dealbatores & tinctores juramentis adſtricti.

A. 1444. *Propugnaculum conſtructum.*

Anno MCCCCXLIIII. *Chunrado Vogelino* IX. & *Petro Egenio* IIII. qui mutatis inſignibus nunc ab *Argena* vocari cæperat, conſulibus, propugnaculum in angulo moeniorum ſupra *Jacobæam* portam, verſus ſuperiora dealbatoria prata, ex robore & terra congeſtitia, militariter ſane conſtructum eſt.

Hyrnheimæ expugnatio.

Et expugnarunt imperiales civitates, quibus *Augſtburgum* conſœderatum erat, ſub finem Aprilis *Hyrnheimenſem* arcem, in qua *Hain-*

Hainrychum Gobelinum, insignem prædonem comprehenderunt, dignaque morte affecerunt. Id quod & *Albrechtus Monachiensis*, *Bojariæ* dux, imitatus, severe quoque in ejusmodi centauros, tota sua ditione animadvertit. Inde in feriis pentecostes, Senatus iterum Arcubalistarium ludum vicinis aperuit hic, trigintaque florenorum bravium proposuit, ad quem cum trecenti confluxissent sagittarii, *Geristhofensis* quidam rusticus id lucratus solerter est.

Ludi Arcubalistarii.

Auxilia Strasburgensibus missa.

Postea dum *Viennensis* Delphinus *Ludwichus*, primogenitus regis *Galliæ*, ad disturbandum *Basilejense* concilium, numerosissimo exercitu, *Elsatiæ* & *Helvetiæ* fines adoriretur, atque etiam *Straßburgo* obsidionem minitaretur, milit initio Senatus noster Urbi illi XXIIII. pedites, manuariis tormentis armatos in subsidium. Urgentibus autem magis civibus illis, etiam alii LII. ferentarii, ac CL. Equites hastati, adversum hostes eos hinc caputiis tribus Reipublicæ nostræ coloribus distinctis amicti, strenue dimissi sunt. Vulgus nostrum colluviem eam *Gallicam* cum *Armoriacos* deberet, sua lingua *pauperes Jäckos* appellabat. Quam paulo post *Schwyzeri*, contra quos ab *Austriacis* potissime evocatos multi dictitabant, prope *Basilejam* cruenta devicerunt pugna, ac patria ejecerunt.

Besingerus creditoribus debitum solvit.

Eodem item anno, clam se hinc *Besingerus* monetalis, ob quadraginta aureorum alieni æris millia subduxit, & impetrato a Cæsare biennalium induciarum diplomate, rediit. Verum Senatus, cui se aliter obligarat, hominem in vincula conjiciens, adegit, ut remissis tertiis, reliquum ex asse persolverit creditoribus debitum.

A. 1445. Anno Christi MCCCCXLV. lecti consules. *Augstburgi* stato festo, sunt *Stephanus Hangenor* X. & *Jacobus Strauſſius* ex lanio-rum tribu.

Scitum de vacatione ab officiis publicis.

Quorum rogatione Senatus consultum est factum, ut Consulibus Tribunisque post gestum uno anno magistratum, feriæ, ab eo munere per biennium concederentur. Ædilibus vero ligillique custodi, post factum biennio officium, similiter duobus annis. Quæstoribus denique, seu Tributorum magistris, post partium suarum biennales labores, tribus annis vacatio daretur.

Elizabetha Landshut. duc. pernoctat Augstburgi.

Dein penultimo die Januarii, qui Sabbathum erat, pernoctavit hic *Elizabetha*, *Hainrychi Landshutensis* ducis filia, quæ comitatu XIIII. pileatorum seu pensilium carpentorum, ducentorumque equitum, *Ulrycho Wirtenbergensi* comiti nuptum, cum dote triginta aureolorum millium *Stutgardiam* prætervehebatur.

Aviariæ portæ extructio.

Quo anno *Aviaria* porta paulo infra *Fabricatam* dictum portam, sectus civitatis fossam constructa, novusque rivus inde a *Lechi* alveo usque ad proximam fluentem, versus ortum solis deductus est.

Ludwichus Boj. dux captivus.

Ludwichus præterea *Barbatus*, *Bojariæ* dux, ante biennium a *Ludwicho* filio *gibboso*, *Neuburgi* novo excitato ob nobile scortum bello captus, *Hainrycho* jam dicto duci, fratrueli ac hosti suo, Julio mense tandem, per *Albrechtum* Marchionem *Onoltzbachensem*, XXXII. aureorum nummorum millibus vænundatas traditur, qui illum usque ad obitum *Burghausæ*, in carcere contra omnium etiam Cæsaris & *Caroli Gallorum* regis, rescripta obtestationesque detinuit.

Constitutio de debitoribus.

Porro quarto Nonarum ejusdem Julii die, decretum hic in Senatu est: Ne hi, qui post evicta coram prætore debita, solvendo non fuerint, protinus, ut hactenus consuetudo obtinuerat, indiscriminatim ad carceres, majore suo cum incommodo detraderentur, sed ut tantisper ad creditorum arbitrium civitate perjurii pœna cederent, donec ut juris est, satisfacerent.

Vid. Tab. IV. Fig. 2.

Sub hanc ætatem emit *Hartmannus Langenmantellus* de *oxigono Kyllethalam* sex millibus & trecentis *Rhenensibus* aureis, a *Petro* Cardinale nostro.

Fœdus inter Bojos & imperiales civitates.

Interea XX. Septembris die, professo videlicet *Evangelistæ* & *Apostoli Matthæi*, provincialis unio *Nonachii* per omnes *Albrechti Bojorum* ducis præfectos, officialesque, cum *Augstburgo* & reliquis imperialibus civitatibus jurejurando sancita est. Dein autem postquam *Friderychus* Cæsar frustra civitati nostræ æque ac aliis imperialibus civitatibus, ut procinctum in confœderatos *Helveticrem* facerent, mandasset, nebulo quidam, qui se comitem venditarat, postquam miras hinc inde fraudes & versuras fecisset, tandemque apud *Noribergam* civium *Augstburgensium* nomine, plurimam pecuniam fictitiis Syngraphis, mutuatus etiam fuisset, a Senatu nostro exploratus, *Tubingæ* in judicium pertractus, atque Octobri mense jussu *Wirtenbergensis* principis, ob dolos malos capite plexus est. Cæterum V. die Octobris præscripsit Senatus Urbanus prætori & suo judicio normam, juxta quam testimonia coram se, in probandis reorum dictis promissisque admittere ac examinare debeant.

Supplicium.

Ladislai clades.

Quo item anno mense Novembre, insignis illa *Ladislai Ungariæ* & *Poloniæ* regis clades per *Amuratem* II. *Turcarum* imperatorem, qui tandem apud suos monachum egit, ad *Warilam Bulgariæ* oppidum, facta est, eo quod pacem juramento firmatam, rex ille Juliani Cardinalis pontificis Romani laxamento fœde ruperit.

Sequen-

A. 1446. Sequente anno in ipsa *Epiphaniarum Domini* festivitate decretum a Senatu *Augustburgense* est, ut in re pecuniaria, productis ad judicium predibus, debitor nihil inficiari amplius creditori possit, nisi honesto testimonio contrarium reus comprobaverit.

Langenmantellus prætor. Inde mox *Ulrycho Reblingero* II. & *Gabriele Riedlero* VII. consulibus dictis, *Ulrychus Langenmantellus* ejus familiæ nepos, quæ ambidextram ℜ in insigniis gestat, urbanus prætor Cæsaris comprobatione, renunciato municipali jure, hic est factus.

Vid. Tab. IV. Fig. 5.

Grassatores dant pœnam. Decima quinta Februarii nocte, capti a vigilibus quinque grassatores hic fuere, qui ea ipsa nocte proterviſſime obvios quoscunque, sine causa tum male tractarunt, tum aliquot vulnerarunt. Quare prætoris sententia unus virgis cæsus, alius oculis privatus fuit, reliquis tribus, cum similiter oculi eruendi forent, hoc felicitatis accidit, ut dum evchariſtia se communiri peterent, sicque corporeis oculis creatorem suum extremo videre cuperent, aliquot dies, ut confiterentur sacerdoti peccata, lapsi sint, quibus *Albrechti*, *Bojariæ* ducis conjunx, forte *Monachio* ad urbem hanc venit, cujus intercessione liberi, abjurata civitate evaserint. Suntque XXII. die Februarii quinque adulti Judæi, ad *S. Johannis* parochialem ædem Christiano more baptisati.

Hastiludia. Hastiludia etiam inter cives, nonnullosque advenas peracta sunt, quibus ultima ejusdem mensis, salaci videlicet Lunæ die, acutioribus hastis *Bestius Illsingus* & *Balthasar Ridlerus* satis athletice concurrerunt. Postero vero die, dum simili studio *Chunradus Reblingerus*, cum *Bojarico* quodam nobili convolat, impetu adversæ hastæ, equo insidens crus letaliter fregit. Unde lusus in luctum versus, omnem eam jucunditatem cæteris, sicuti *Reblingero* vitam in triduo finivit. Quo tempore cauponibus & publicis hospitibus a Senatu inhabitum fuit, ne ullum præter aleæ vulgaris ludum, eumque unius tantum nummuli victoria in sympoſiis tabernisque suis admitterent.

Laniorum taberna renovatur. Dein per sequentem æstatem, publica laniorum taberna, in *Berlachii* circo renovata, muroque cum macello camerato, exædificata a contribulibus suis urbanius est. Cum vero capite censi quam plurimi, propter nobiles a *Seckendorffio Aurbachioque*, diffidatorias, quas vocant, litteras, *Sueviæ* nostræ oppidis destinassent, protinus Respublica *Augustburgensis*, fœdere iisdem civitatibus conjuncta, ob itinerum insecuritatem, *Ulmæ* cum eisdem conventum agitavit, in quo tandem ratio inventa fuit, ut satis viriliter centauris istis reliſtere potuerit.

Artzius nec patritius neque plebejus. Dein cum *Ulrychus Artzius* a *Noriberga* huc migraturus esset, obtinuit prius a Senatu nostro, confectis ejus rei gratia in Vigilia *S. Galli* solennibus tabulis, ut neque patritiorum societati, nec ulli plebis tribui nomen dare rogaretur, ac ut cum pro lubitu civitatem iterum mutaturus sit, præter annuos census, nil amplius fisco numeret. Id quod pater ipsius lapsis jam XX. annis primum hic institui curaverat. Frequentioribus autem Autumni pluviis, innumera papilionum agmina hic excreverunt, quæ post se Bruchos & Erucas relinquentes, tantum non universa olera crambemque consumpserunt, pestilentiamque in urbem nostram induxerunt.

Ranarum multitudo tempore hiemis. Cumque post ista a *divi Martini* celebritate in finem usque currentis hujus anni, creberrimæ decidissent nives, quæ vix sub primis sequentis anni solibus subito colliquescere cæperunt, omnes circum circa agri & campi, suffocatis agrestibus muribus, oppleti ranis fuerunt. Ob quam tempestatem solis Turdis abundantibus vendilibusque, tum Cereris tum Lycei munera per forum nostrum cara extiterunt.

Privilegium de judiciis capitalibus. Cæterum postquam vetus, consvetudo hactenus *Augustburgi* in capitalibus actionibus obtinuisset, ut facinorosi nocentesque, qui in judicium pertrahebantur, a plebejo consule coram prætore, civitatis publice accusarentur, accusatioque ea septem Senatorum jurato testimonio confirmaretur; Ac imperialis prætor inde lata pro arbitrum stantium suffragio contra reum sententia, sub divo pœnæ executionem carnifici publice mandaret. Concesit tandem Friderychus Cæsar. - - - Reipublicæ nostræ regale, quod dicitur, privilegium, ut Senatus in posterum propria capitalium earum judicia, ex officio secrete exercere queat, maleficiisque pœnas, in clauso curiæ suæ triclinio, præsidente tamen prætore, ad minimum per XXIIII. assessores, decernere, tranquillitatis communis causa debeat.

Estque ejusmodi separatum judicium die conversionis *S. Pauli*, hic primum anno salutis MCCCCXLVII. *Chunrado Vogelino* A. 1447. X. & *Petro Argenense* VI. consulibus; contra *Ulrychum Burgoverum*, de blasphemiis submersione factum.

Petrus Argenensis arbiter inter Helvetios & Tigurinos. Inde statim consul *Petrus*, honorarius arbiter, *Helvetiis* & *Tigurinis* expetitus, ad componendum bellum illud, quo sese-met mutuo, *Sigemundo Austriæ* duce, faces subdente, dire exagitaverant. Initio pacis conditiones quasdam *Lindaviæ* Februario mense partibus proposuit. Quæ cum non arriderent, tandem ultima Martii, quæ erat professum *palmarum*, *Badæ* in *Ergovia*, præscriptis certis articulis, diem illis

lis ad heremitas *divæ virginis*, coram antiquis eorundem confœderatis, pro omnimoda transactione dixit. Mox XIII. Maji die, quæ *S. Servatio* dicatur, præstita sunt solenni more hic mutua juramenta, pro servanda jam olim recepta unione, inter episcopum nostratem, cathedrale collegium, & totam civitatem nostram.

Mœnium refectio. Interea Senatus noster mœnia partim ruinosa restaurare, partim infirmiora fortificare hic cœpit. Et dum ad fossam, quæ *Mariana* a templo propinquo vocatur, idem opus quoque aggreditur, en Canonici A præsumptuosis quibusdam præscriptionibus, lites serere & more suo inhibere conati sunt. Verum Senatus imperterritus, murum, ut instituerat, post paræcianam beatæ *Mariæ* domum, contra illorum protestationes demoliri, & iterum ad lubitum reficiri curavit. Multi *Ulmenses* cum aliis oppidis contentionem hac de re sequestrarie complanasse ferunt. Per eam tempestatem interdictum iterum omnino, longioribus gladiis apud nos est, XXII. die Julii, ita ut præter Magistratum illiusque famulos, neque laicis neque clericis, tam indigenis B quam advenis, nulli eos deferre concessum sit. Porro ædiles ultra progrediendo, dum fossas civitatis inter *Rubram* & *Geggingenseni* portas, ad *Eseri* collem reparari curant, invenerunt sub terra XXIIII. Augusti die, ad ipsum supremum mœniorum angulum, vulgo *supra yselam* dictum, plumbeum sarcophagum sexcentarum librarum, qui cum præter carriosa hominis ossa, cum rubiginosa ferrea thorace, nihil contineret, nullamque adeo inscriptionem haberet, in publicum armentarium avectus est.

Petrus ab Argena cudendæ pecuniæ publicæque statereæ administrationem ab Episcopo redemit. Quo tempore prædictus Consul ab *Argena*, cudendæ pecuniæ publicæque stateræ jurisdictionem seu potius administrationem a *Petro* Cardinale ad suæ triumque ipsius filiorum vitæ dies, duobus aureolorum millibus redemit. Ac mox monetalem officinam, in *Austrino* vico ad *divam virginem* destruens, apud forum vinarium propriis ædibus, ubi etiamnum popularis Trutina episcopo meret, non sine publici census præscriptione junxit, Senatu factum id limis aspectante oculis. Nonnulli contractum hunc subreptitie factum fuisse docent, ipsumque *Argensem*, dum regalia civitati D coëmere debuisset, privato commodo victum, quæ e re sua erant, parum honeste exegisse, ac propterea trecentis aureis mulctatum fuisse. Post quæ gesta, dirempta per compromissionem XVI. die Octobris, ab aliquot ex *Marianorum* canonicorum & Senatorum politicorum ordine delectis, lis ea erat, qua diu de pascuis armentorum cives paræciani ad *S. Stephanum* hic, & *Oberhausenses* rustici contenderant. Sequente mox die, quæ erat feria tertia post *Galli* festum, factum est utriusque Senatus consultum apud nos, quo pacto urbanus prætor juxta novi privilegii tenorem, in confessi crimine, & cumprimis homicidio, nullo actore præsente, ut minimum cum XXIIII. Senatoribus, capitalem sententiam contra captivum reum, ferre sedendo debeat.

Constitutio de operariorum mercede. Decimo octavo dein Novembris die, Judicum petitione, decretum a Senatu factum est, ut in solvendis obæratorum debitis, *operariorum* mercedes, ab *artubus* denominationem vulgo trahentes, locatarum ædium pecuniam præcederent semper.

Ludi eduar. Ultimo in *S. Nicolai* die, Jaculatorii ludi hic satis hilariter celebrati sunt, in quibus tam balista quam sclopeto scopum pluries attingentibus, duo generosi equi & totidem saginati boves, a Senatu præmia fuere proposita. Quin & quatuordecim equi intra consuetos carceres, extra rubram portam cursu certarunt. Quorum potissimum bravium, nempe *pannum coccineum* vulgo *Scharlachum* appellant, is equus meruit, quem *Albrechtus Monachiensibus* dux huc miserat. Non desunt, qui Circensem eam ἱπποδρομίαν, omnium primam, sequente demum anno *Augustburgi* celebratum scribant. A. 1448.

Interfuit forte jucunditatibus hisce & *Margaritha* Marchionissa *Brandenburgensis*, relicta *Gibbosi Bojariæ* ducis *Ludwichi* vidua, quæ paulo prius jus civitatis nostræ ad decennium & sibi & doti suæ, nempe *Fridbergæ* a Senatu quietis ergo comparârat, ac dein curiæ suæ magistro, *Wilhelmo* a *Wallenfelsio* nobili Franconi nupsit.

Est & hoc anno ædilium & juratorum architectonum ea sententia per Senatum, ut lex perpetuo duratura confirmata, qua in stillicidiorum, prospectuum & altiorum structurarum jure, vicini in angiportis civitatis nostræ hodieque gaudent.

Anno Domini MCCCCXLVIII. *Stefano Hangenore* XI. & *Andrea Frickingero* mercatore consulibus, præter exoptatissimam pacem, etiam rerum venalium non iniqua fors *Augustburgi* in foro fuit, adeo ut magnus modius *tritici* XX. tantum, *olyræ* atque *hordei* XIV. *avenæ* IX. grossis, & cadus vulgaris *vini Neccarensis*, unico aureolo venierit, denique *Xylinorum quadraginta quinque panni*, quam summam Textores suo idiotismo *Fardelam* appellant, sexaginta novem aureolis empti sunt. Aureolus autem tunc temporis viginti grossis, & quinque nummis, grossus vero octo nummulis commutabantur. A. 1448. *Annonæ vilitas.*

Cumque Majo mense Cæsar *Regensburgum* indixisset comitia, missus hinc alter consulum eo est, cum archigrammateo. *Comitia Regensburgi.*

Extititque totus quasi annus tam fervens atque aridus, ut plærique apud nos fluvioli, una cum camporum graminibus exiccati, solius fœni precium inæstimabile pro jumentis reddiderint.

Porro XII. die Julii renovatum tabulis est fœdus civitatum imperialium *Ulmæ*, fueruntque ejus rei causa, urbis nostræ legati illuc, Consul *Hangenor*, *Ulrychus Rbelingerus* & *Ridlerus* senatores.

Decretum de omnibus noxiis punicudis.

Quandoquidem autem in hæc usque tempora, nullæ actiones adversus criminosos maleficosque, etiam in vinculis detentos solerent institui hic, nisi accusatoribus, aut aliis, qui jus urgerent, ac expensas solverent præsentibus, eamque ob incuriam multa scelera impunita manerent, peccandique ansam pravi arriperent; Decretum in Senatu XVI. die Julii est, ut in posterum ex officio in noxios infamesque, juxta rigorem privilegiorum, non solum animadverteretur carcere, sed quamprimum nefaria facta ipsorum, vel per se notoria vel quæstionibus extorta fuerint, prætor contra eos juxta adprobati civitatis nostræ codicis leges, sententiam pro meritis ferre posit.

Eclipsis solis.

Porro in tanta prosperitate tranquillitateque, post eam solis eclypsim, qua Kalendis Septembribus integra sub vesperam, horrore non parvo hic visa est, grandis

Grando.

grando XIV. ejusdem mensis, tantum per totam civitatem hanc tectis lateritiis, vitreis fenestris & arboribus vespere nocuit, ut inauditum plærisque fuerit, præcipitatæ enim hujus grandinis vel lapillos, vel globulos, magnitudine ova gallinarum æquasse, aliquot, item ex his dimidiam libram ponderasse, denique aviculas per aëra volantes interemisse, annalium scriptores annotarunt.

Fori suilli, pomarii, &c. translatio.

Porro translatum eo tempore Senatus decreto est Suillum forum ab antiquo loco civitatis, ultra *Jacobinum* sacellum in suburbium ante *Sträffingeriam* portam situm, constitutumque præterea est, ut deinceps ligna, fœnum, ac stramina, nullibi per civitatem hanc locorum venalia haberentur, quam in areis illis, quæ sunt prope *Ulrichi*, *Annæ*, *Divæ virginis*, & *Martini* templa. Pomarium item forum in Judæorum vicum tunc quoque tali lege rejectum est, ut tamen rappæ, olera, atque alii horarii fructus, ad *Ulrychi* aream certis diebus vendi posint. Suntque ista XXVII. Septembris ad civitatis nostræ portas per prætorium præconem solenniter promulgata.

Vœgelini legata.

Quo mense insuper legavit emeritus ille urbis nostræ consul *Chunradus Vögelinus*, pietatis ergo sortem binûm *Rhenensium* aureorum millium, pro annali in pauperes cives beneficio, simul ac alias auri pensiones, pro hospitali *S. Spiritus*, urbis hujus.

Abscisli præterea eodem anno, XV. nimirum die Novembris, publico judicio sunt *Hanso Michælio* Fulloni duo dextræ manus digiti ipsaque lingua, tum propter perjurium, tum propter fraudem, qua mercatores textoresque viginti octo plus minus *Fardelis* gossipii panni deluserat, atque ea præda in *Geroltzeggii* Canonici *Mariani* ædes frustra confugerat. Cæterum tota hujus anni hyems tepida & austrina usque in sequentem Februarium apud nos fuit.

Michælio lingua & duo digiti abscissi.

Anno salutis MCCCCXLIX. creati sunt consules *Augustburgi* nostri *Ulrychus Reblingerus* III. & *Gabriel Ridlerus* VIII. Sub quibus curia publici consilii e regione *Petrini* delubri, amplioribus cænaculis, spaciosissimo mœniano, tum augustior fieri, tum inter duas lapideas fores, fornicata pergula, ubi hodie pannicidæ & pellifices cellas habent, pulchrius adornari cepit. Ad cujus structuræ usum, quæ sequente demum anno absoluta omnino est, lapides e dirutis pulsorum Judæorum tum synagoga tum cæmiterio cessisse, vel ea etiamnum scala attestatur, qua in jam dictam curiam a *Berlejo* foro ascensus sub *Mœniano* patet. Adhæc alveus *Synckelidis* amnis, propius ad urbem per rosarum pratum derivatus, & ad ejus ripam prope *Werdachæ* pontis portam, ligneum molendinum Senatus expensis exædificatum tunc primo sunt, quanquam ista nonnulli posterioribus annis completa, Episcopo impediente scribant.

A. 1449.

Curia ampliatur.

Quin & sutores tum pro communis tribus suæ tractandis negociis, tum pro compotatiuncularum commoditate, eam sibi domum sex centis aureolis compararunt, quæ angularis post chorearum theatrum, antiquum etiamnum nomen servat.

Sutores sibi domum comparant.

Hujus anni æstate *Albrechtus II. Brandenburgensis* Marggrafius, *Achilles Germanicus Italis* dictus, cujus pater *Friderychus* castrum *Noribergense*, a quo principes illi Burggrafiorum titulum ab antiquo sustinent, civibus ibidem ante viginti duos annos primum vendiderat, & ex ea pecunia ditionem *Brandeburgensem* compararat, bellum contra Rempub. *Noribergensem* fecit, quod ea *Chunradum Haideccensem* Baronem, in civem suscepisset, habuitque præcipuos adjutores, præter tres suos fratres, *Albrechtum Austriæ*, *Wilhelmum Saxoniæ*, & *Ottonem Bojariæ* duces, Landtgrafium *Hessiæ*, duos *Badenses* Marggrafios, *Ulrychum Wirtenbergensem*, aliosque quam plurimos comites, adhæc *Moguntinum*, *Bambergensem* & *Aichstettensem* episcopos. Quamobrem & Senatus noster sociæ civitati, fidam quoque ex fœdere icto tulit opem. Domi autem civibus suis & arma, & certum frumenti dimensum imperavit.

Auxilia Noribergensibus missa.

Cumque

Imperialium civitatum Nordlingæ conventus.

Cumque *Nortlingæ* triginta duæ imperiales civitates ad sua tutanda jura, mense Junio convenissent, jam dictum Marchionem communem hostem paribus votis declararunt, ac protinus ad instantem expeditionem quinque *legatos*, vulgus *belli commissarios* appellat, tanquam Dictatores, apud quos nimirum summum tam in equites quam in pedites imperium foret, cum debitis auxiliis decreverunt, *Steffanum* videlicet *Hangenorem Augstburgensem*, *Sebaldum Derrerum Noribergensem*, *Waltherum Ebingerum Ulmensem*, *Hieronymum Bopfingerum*, *Nordlingensem*, & *Hansum Gæbum Memmingensem*, qui *Ulmæ* semper in sua statione, dimicantibus interim domi pro aris & focis *Noribergensibus*, excubantes, omnium rerum eventus consultabundi expectabant. Ac sub initia Julii exercitum suum, Marchionis terram adoriri diversionis causa jusserunt. Is extemplo e *Suevia* prorumpens ad *Altmylam*, *Altmoumve*, sive *Alemannum* fluvium *Astacorum*, quos vulgus *cancros* vocant, & abundantia & sapore nobilitatum, non leve damnum inimicis rapina & incendio intulit.

Constitutio de debitoribus.

Interea V. Nonas præsentis mensis decretum Municipale in Senatu nostro est factum: Ne quisquam propter debita atque æs alienum, coram Prætore convictus, statim uti hactenus juris fuerat, in carcerem ubi miser neque sibimet usui, neque creditori solvendo esse poterat, postliac detruderetur: sed acquisitis omnibus juribus, actor reum, donec sibi satisfiat, urbe cedere publico, juramento adigere queat.

Augstburgensium excursiones.

Nec multo post quinquaginta nostrorum equitum, X. Augusti, hinc in *Helffenstainensis* comitis ditionem, prædatum scorsum quoque abiere, quod ubi non infeliciter cessisset, subinde erupit alia atque alia manus hinc in hostiles terras.

Frustranea pacis spes.

Latrociniis his, quibus immeriti agricolæ potius, quam noxii Centauri plectuntur, *Haimrychus* & *Albertus Bojariæ* duces moti, impetratis induciis, partes *Ingelstadium* initio, ad XXX. diem Julii, dein *Langingam* ad XV. diem Augusti mensis pro reintegranda amicitia convocarunt.

Ubi tamen post longas tractiones nihil effectum, sed irritatis magis hominibus, iterum utrinque tum atrocia prœlia, tum cruenta spolia perpetrata sunt. Sic etenim altero post *nativitatis gloriosæ virginis* festum die, juncti sociorum copiis, pro subsidio *Werdensis* oppidi, a Senatu nostro C. pedites, ac CXX. equites sunt, qui inde contra comitem *Wirtenbergensem* toto agmine profecti, *Layphaimam* ad *Danubium* acri obsidione cinxerunt, & post leves aliquot dimicationes per deditionem tandem occuparunt.

Mox vero sequente hunc nostrorum militum discessum die, nova pecuniarum exactio, frumentis, tribunorum consensu hic imposita est, quæ decennio duravit, tali conditione, ut de quolibet, qui ad molas veheretur sacco, referto tritico XVI. siligine VIII. avenæ V. contribuerentur ad fiscum nummuli. *Vectigal frumento imponitur.*

In qua summa corroganda, dum Ædiles cum Quæstoribus deputatis attenti sunt, deprehendit *Petrus Argenensis*, publicum Senatus administrum, *Eberhardum Thottum*, cui *Barbato* nomen erat, quique in ipsa curia confidenter habitabat, centum & sexaginta aureolos unica vice depeculatum esse. Quare admotus torturæ, cum similia multa furta fasius fuisset, in crucem XXIII. die Septembris prætoria sententia actus est. *Senatus administer in cruce agitur.*

Postea fervente adhuc undique Martis opere, missi *Augstburgo Ulmam* sunt, IIII. nonas Novembris nonaginta sex loricati equites, qui reliquis civitatibus aggregati, illinc numero D. *Reitlingam* usque, ultrice flamma in quævis obvia non modice sævierunt, cumque biduo neminem sentirent, qui resistere auderet, remissius agere, & secure *Esslingam* sociam civitatem petere statuerunt. *Equites Augstburgo Ulmam mittuntur.*

Ibi tum *Wirtenbergius* comes, sub vesperam ex insidiis prorumpens, tam crudelem in illos stragem edidit, ut plurimis cæsis, desideratisque *Waltbero Ebingero*, & *Hieronymo Bopfingero*, civitatum ductoribus, insignem ab eisdem adeptus sit victoriam. Quo prœlio ex nostris civibus *Johannes Langenmantellus*, *Nordlingerus*, & *Höchstetterus* ab hostibus capti sunt.

Quapropter Senatus noster ad suos vendicandos X. Kalendas Decembris, de novo hinc *Geislingam*, CCL. equites misere, quo loci duo millia equitum sociorum, & DCCC. *Schwytzeri* pedites, animosissime congregati sunt. Verum multitudine hostium absterriti, infectis rebus se domum receperunt. *Equites Geislingam mittuntur.*

Post quæ *Steffanus Hangenor* XV. Kalendis Januarii, iterum *Augstburgo* nostro, cum CCC. equitibus & CCCC. *Schwytzeris*, abiit, ac tum commeatum, tum præsidia trepidantibus oppidis, *Bopfingæ* videlicet, *Aulæ*, *Gemundiæ* & *Giengæ* adferens, stratagemate eo confœderatis & sociis reliquis, *Esslingæ* adhuc conclusis elabendi januam adperuit. *Rursus alii milites mittuntur.*

Jubilæo dein ineunte anno, *Augstburgenses* nonnulli, præeuntibus *Thoma Ehe-mio*, *Hectore Myliebio*, & *Bartholomæo Jenyschio*, Romam pro salute sua profecti sunt, ac præter vacuas crumenas debilitatosque ventriculos, nihil quam malam conscientiam secum reportarunt. A. 1450. *Jubilæum.*

Milites emittuntur.

Quia vero post frustra tentatam a Palatino *Rheni Haidelbergæ* transactionem, propositum perurgeret suum Marchio, ac *Noribergenses* majorem equitatum a confœderatis requirerent civitatibus, dimissi hinc sunt in profesto *Epiphaniarum Domini*, centum hastati & triginta balistarii equites, qui tamen obsessis undiquaque itineribus, *Wissenburgum* solum modo pervenêre, ubi hostibus murum subinde fortiter adequitantibus, non leves velitationes, athletica *Stumpfii*, nobilis Reipublicæ nostræ, commilitonis virtute peregêre.

Qua tempestate domi nostræ, Januarii nimirum XII. die, *Hainrychus Langenmantellus* cum duplici ℞ patritius & *Petrus* ab *Argena* VII. comites quoque facti sunt. *Vid. Tab. IV. Fig. 5.* Sub quibus quatriduo post medium quadragenarii jejunii, quod idibus Martii fuerat, denuo CC. equites hinc profecti, tum socias civitates per *Rhiesam* commeatu refocillarunt, tum Marchionis subditos igne & ferro infestarunt. Similiter quinto post *resurrectionis dominicæ* festivitatem die, occuparunt nostri milites *Donbusani*, qui pagus *Ellerbachi* cujusdam erat. Interea pridie Iduum Aprilis, per Cæsareos legatos aliosque principes, cum *Bambergæ* iterum nihil fuisset effectum, alia reconciliatio *Moniachii* tentatio fuit, sed qua ob exacerbatos utriusque partis animos itidem frustra operam & impensam lusit. Sub hæc, cum *Nördlinga* commeatu juvanda esset, dissidentibus nonnihil inter sese nostrarum copiarum ducibus, pars flamma sibi viam aperire, ac *Onolzbachium* adoriri omnibus nervis satagere, pars spoliis intenti palantesque *Wirtenbergicos* adequitare colles ausi fuere. Ex quibus XVIII. Kalendis Maji, ducenti equites non procul *Dinckelsbybele*, apud *Sultzense* monasterium, ab hostibus intercepti sunt, quibus jure bellico veteri, certi termini pro redemptione sui concessi fuerunt. Militarunt autem in agmine eo, Senatus *Augstburgensis* stipendio, *Leonhardo Rädawero* duce, CCL. equites, quorum è numero septuaginta cum prænotatis sociis captivitatem pertulere, inter quos & *Klinckhaimerus* decurio fuit, qui postea diras cum civitate nostra inimicitias suo damno gesit. Præfectus adhæc eodem tempore, ab *Albrechto Austriæ* duce, limiti *Burggavienst* fuit, quidam a *Knöringa* nobilis, haud admodum æquus commodusve Reipublicæ nostræ vicinus.

Fit pax.

Tandem vero lassatis post multas ærumnas utrisque integra concordia XV. Junii, in ipso *S. Viti* die, inter Marchionem & *Noribergenses*, *Babenbergæ*, alii ajunt *Höchstetti* non procul *Noriberga*, quo & *Steffanus Hangenor Augstburgensis*, & *Magnus Krafftus Ulmensis* civitatum nomine missi erant, facta talibus conditionibus est, ut utraque pars dati damni immemor, occupata restitueret, & cætera quiete retineret. De quarundam vero arcium, nempe *Liechtenoæ*, *Haideggæ*, *Greiffenbergæ* & aliarum possessione, coram Cæsare jure agerent. Et inde ad festum tutelaris nostri *S. Ulrychi*, reliquis complicibus nempe sociis principibus, confœderatisque civitatibus, omnimoda pax denunciata rata maneret. Qua de re iterum tranquillioris vitæ spem Respublica nostra concepit. Sciendum tamen Canonicos presbyteros apud nos, toto hoc bello antiquum obtinuisse, hoc est, suo more hostibus magis, quam civibus faviſſe, idque vel eo magis *Mariani* facere, non erubuere, quod episcopus ipse haud clam hostes juverit. Unde ab Urbano Senatu cunctis Pfaffis mandatum fuit, ut si qui in hostium terris, parochiis aut aliis beneficiis gauderent, ut illos absque mora tranlirent.

Tributum imperatur.

Tunc temporis item, quando nimirum Respublica magnum æs alienum belligerando contraxisset, plebiscita nonnulla facta sunt. I.) Ut de quocunque frumenti genere, pro speciei proportione, certa nummorum exactio per integrum quinquennium ad fiscum denuo rediret, II.) ut quicunque annuatim XX. aureos publico appenderet censu, unum, habitiores duos, ditissimi vero quatuor paratos ad arma equos alerent. Atque hoc pacto semper CCCC. expeditos Equites, præter conductitios apud civitatem hanc in promptu fuisse constabat.

Lis Augstburgensis cum Petro ab Argena.

Ea ætate *Petrus Argenensis*, alter consulum, *Koboltzinam* quandam agnatam suam, in causa matrimoniali defensans, per ecclesiastici fori sententiam *Langenmantello* cuidam abalienavit. Quod cum collega ipsius, quod jam nominatus procus cognatus suus esset, incivilius quam par factum, libere in Senatu dictitaret, tantum inter illos excitatum est jurgium, ut *Argenensis* præira juri municipali tandem renunciarit, atque magna cum indignatione, ne dicam dedecore, hinc migrarit. Ex qua re, quia nobilitas *Sueviæ*, *Argenensi* illi novo homini, & qui, quod per magnum tum in cive erat, vicies & sexies centenos aureos ex annalibus reditibus acciperet, patrocinaretur, non parum multa diutinaque mala pullularunt. Initio igitur habito *Myndelhaimæ* conventu, actio admodum invidiose cepta est, Senatus tamen nostri, legati, *Ludwichus Vögelinus* & *Andreas Frickingerus*, negocium id domi per compromissarios, & totius controversiæ conscios, *Bero Recklbergense* arbitrario interceſſore, complanandum obtinuere. Cum vero ob repudiatam civitatem *Argenensi* in proprias ædes

des diverti non concederetur, ut habet antiquum jus hic, noluit condicto stare, aut comparere, turpe enim sibi putabat fore, si instar peregrini in patria, publico hospitio frui coactus fuisset. Quin mox dicam Reipublicæ scripsit, ad provinciale Marchionum tribunal *Onolzbachium*. Quo dum neque Senatus noster sisti vellet, ac e vestigio per *Frinckingerum* internuntium Cæsarem ante latam sententiam appellaret, satis diu imprudentiam eam non parvis sumptibus luit. Nam postquam inquietus ille foro vafre utens, toti civitati nostræ, igne & aqua interdici ob contumaciam, apud dictum Judicem favorabiliter obtinuisset, confestim ea non solum molestissimis laboribus domi sollicita cepit esse, sed etiam foris, ut in imperialis aulæ defensionem, pro exceptionis jure reciperetur, non parvis sumptibus impetravit.

A. 1451. Ibi cum *Viennæ Pannonum* lis ea sequenti anno a nostris de novo reinciperetur, obiit ex improviso prædictus *Argenensis* ibidem, nonnulli interceptum, & a nostris satellitibus suspendio sublatum musitant, cujus cadaver huc XXVIII. Octobris loculo relatum, vix Senatus permissione in avitum *S. Antonii* sacellum condi potuit. Uxor tamen & tres ipsius filii, *Antonius* videlicet *Sigmundus* & *Jacobus*, actionem continuantes, jure contra nostros obtinuerunt, ut ad Marchionis tribunal omne negocium iterum remissum sit. Propter quam rem Respub. *Augstburgensis*, infinitis labyrinthis per novem ferme continuos annos intricata extitit.

Augstburgum in quadrantes divisum. Porro hoc ipso anno, quemadmodum & multis sequentibus, consuetudo ea adhuc *Augstburgi* nostri recepta erat, qua dudum ætatem, tota urbs in quadrantes distributa, ejusmodi servavit ordinem, ut scilicet, quoties tam in hostilibus tumultibus, quam intestinis seditionibus, denique & in incendiorum periculis, ad arma esset conclamatum, cives illi qui a *S. Moritio* per forum vinarium, in eodem latere, & post id circa mœnia usque ad *S. Ulrychum* habitarent, in area *Ulrychiana* convenirent, portamque *Husstetensem* observarent. Et qui a *S. Moritio* usque ad *divam virginem* ab occasu commorarentur, aream quæ est ad *S. Martinum* accederent, portamque *Geggingensem* curarent. Qui vero a *S. Ulrycho* usque ad Judæorum montem, & post eum *Lechi* rivulis insiderent, in vinario foro congregarentur, & præter vinarii vectigalis tabernam, vulgo sigilli domus dicitur, etiam *fornicatam* portam custodirent. Qui item a Judæorum monticulo, usque ad *divam virginem* ab orientali plaga domicilium haberent, ad *Berlesum* circum decurrerent, ac ipsam curiam cum *Sträffingeria* porta tuerentur.

Suburbani in partes dispescuntur. Suburbani autem omnes, in quinque classes dispositi, suas & ipsi stationes habebant, paræciani nempe ad *S. Crucem* ad *Crucense fontem* collecti *Resenauveriam* portam, animadvertebant, paræciani ad *S. Georgium*, in ea area, quæ est prope fontem, qui vel a vento vel a gyro nomen sortitur, confluebant, ac *Werdabruggensem* portam habebant commendatam, paræciani dein *S. Stephani*, ejusdem cœnobii circum occupantes, tum ad *S. Galli* tum ad *piscatoriam* portulas excubabant. Incolæ item suburbii, quod est ante *Sträfingeriam* portam in foro equino coibant, ac ambabus ab utraque fossarum urbis parte portis, videlicet *Aziariæ* & *Oblateriæ* invigilabant. Qui denique circa *S. Jacobum* mansiones fixerant, prope *Beytingeranas* balneas coadunati, novam portam, & quæ, a *dealbatoribus* appellatur, præsidiis suis munibant, omnes autem illæ civium turmæ Senatus in curia residentis jussa expectabant sedulo.

Decretum de sponsalibus. Porro hoc ipso anno, cum propter sponsalia clandestina & similes quosdam casus, parentibus hic subinde in foro ecclesiastico multa fieret injuria, decretum a S. P. Q. nostro in Senatu est, ut quicunque aliam, & e contra si quædam aliquem, propter matrimonium ad episcopale consistorium citaverit, causaque ceciderit, statim civitate quoque in perpetuum proscriberetur: Si vel tali pœna suos in officio retinere, vel officialis injustitia prohibere posset. Quamobrem Cardinalis noster plurima postmodum apud summum pontificem conquestus fuit. Alii autem biennium ista facta volunt.

Anno Domini MCCCCLI. cum Consulum electio ob prædictas turbas *Augstburgi* anticiparetur, ac *Steffanus Hangenor* XII. & *Andreas Frickingerus* II. civium magistri essent salutati, Magnus Senatus ea dominica die, quæ proxime festum *trium Magorum* secuta, X. mensis Januarii erat, decretum fecit, ut nemo in posterum civitatem abdicare, nisi præsens coram Senatu, hisque juratis legibus possit, videlicet, ut immobilia sua bona, quæ intra nostros terminos sunt, intra anni spacium civibus vendat, tres consuetos census in promptu persolvat, nullum civem propter negocia in eum usque diem facta, hinc in jus alienum vocet, nunquam posthac municipium hic petat, & si quando huc dein pervenerit, in publico hospitio divertat.

A. 1451. *Decretum de abdicanda civitate.*

Facta adhæc & ista constitutio tunc quoque fuit, ne quis posthac apud nos cum conditione in civem assumeretur, *Aurea bulla Caroli* IIII. *Pfalburgeros* vocat, aut partiali suorum bonorum censu hic habitare permitteretur. Verum omnes & singuli

Constitutio de donanda civitate.

guli municipes tam divites quam inopes, cunctarum suarum summam, apud publici census magistros, sub juramento profiterentur. Exteris tamen & aliunde adventantibus, posse certis quibusdam conditionibus & pactis, urbem & hospitium ad tempus concedi.

Friderico Imp. comites mittunt Augstburgenses.

Suntque statim eodem mense, Cæsari *Friderycho*, quod & ad desponsandam sibi *Leonoram Edwardi Portugalliæ* regis filiam, *Neapolim* & pro sui coronatione Romam aditurus esset, hinc viginti sex galeati equites, cærulcis sagulis amicti, cum militari plaustro sub *Leonhardi Radaweri* ductu transmissi. Qui ut subditos decet, strenue & fideliter imperatorium agmen per totam ferme *Italiam* secuti, tandem Julio mense salvi, excepto *Hainrycho Thauhaymio*, juris doctore, qui *Tridenti* obierat, domum redierunt.

Porro in hocce procinctu est *Fryderychus* Cæsaridibus Martiis ferrea corona, ut rex *Longobardorum* in urbe a *Nicolao* V. pontifice Maximo, redimitus, ac postea celebratis nuptiis XVI. Kalendas Aprilis in Basilica *Apostolorum*, ab eodem papa Augustus Romanorum imperator inunctus, & aureo diademate maxima solennitate coronatus, ac in reditu *Borsum Astensem* ex Marchione ducem *Ferrariensem* fecit.

Hainrychus præfectus.

Non multo post hæc, confirmatus Senatus petitione a jam dicto imperatore est *Hainrychus* Marchschalckus a *Bappenhayma*, novus provinciæ *Augstburgensis* urbisque præfectus. Alii ipsum superiore anno *Viennæ* provinciam hanc subiisse, eamque triginta uno annis administrasse volunt.

Lites inter Episcopum & cives.

Interea *Petrus* episcopus noster, civitatem hanc apud summum sacerdotem Romæ injustissimis accusationibus ita detulerat, ut sanctissimus ille pater, tum imperatori ea de re graviter rescribere non dubitarit, tum Reip. nostræ satisfactionem, sub excommunicationis comminatione, indicta causa mandaverit. Rediens itaque episcopus causia purpurea denuo donatus, ex urbe, *Augstburgenses* coram *Udalrycho* novo *Pataviense* præsule, *Frysyngenseque* præposito, papali ad id commissione impetrato arbitro, in jus satis injuriose, absente imperatore, immo contra propriam commendationem & fas vocavit. Estque litis ejus contestatio æstate hac a jam nominato *Pataviense* episcopo, quæsita quidem, verum Cardinale ipso, quia Senatus illi salvum conductum hactenus non consuetum dare recusaret, non comparente, uterque Senatus cum universa plebe, quod actio civilis esset, petitionesque episcopi impudentissimæ, mere ad imperium spectarent, respondere ad objecta, sacramento novo inter sese inito, noluerunt, meritoque forum hoc declinantes, varias tum in Cæsaris aula, tum apud quoscunque fautores, maximis impensis, & securitatis vias & imminentium incommodorum provisiones pertentarunt. Donec tandem totum illud negocium, post quinque annos, levi quod dicitur brachio, multoque clementius, quam quis credat, domi nostræ consopitum sit.

Pacis conditiones.

Hæc autem sunt avarissimi illius Pfaffi intolerabilia postulata:

I.) Præfecturam tam provinciæ, quam civitatis hujus, ad se immediate pertinere, seque solum prætorem civibus dare posse.

II.) Salvum conductum itinerumque securitatem, tam intra mœnia, quam extra a se pendere, petendaque esse.

III.) Advocatias & tutelas omnium cœnobiorum fundationumque ecclesiasticarum, per civitatem hanc, sub suo dominio ac arbitratu comprehendi.

IV.) Burggrafii sui esse & non civium, assessores publici judicii eligere.

V.) Senatum urbanum nihil uspiam juris vel in suam familiam, vel in Canonicorum ædes servulosque & ancillas habere.

VI.) Claves portarum urbis hujus ad se spectare.

VII.) Telonia & portoria quæcunque per totam civitatem, etiam ea quæ de strato solo recipiuntur, fisco suo inferenda esse.

VIII.) Tributum vinarium, adeoque exactiones illas omnes, quæ in foro a rebus vendibilibus locisque pensitantur, sua esse.

IX.) Tributa sive vectigalia rebus imponenda a se solo, vel sua concessione per Senatum quidem decernenda, mediam tamen pecuniarum earum partem sibi reddendam esse.

X.) *Publici census*, quem *stuiram* vocant, dimidium sibi deberi.

XI.) Neminem peregrinum absque sua voluntate, municipem aut civem hic nosse aut debere fieri.

XII.) Rivulorum omnium in civitate hac jura, penitus sua esse, non licere molitoribus, balneatoribus aut cerdonibus quidquam in illos, citra suam licentiam, vel collocare vel extruere, ne sudem vel qualemcunque palum quidem infigere.

XIII.) *Synckelim* per suam ditionem se invito a Senatu esse ad urbem fossis deductam: Quare pro ea violentia sibi satisfaciendum.

XIV.) Pi-

XIV.) Pihum seu Botrum terminalem non a Republica, sed ab episcopis tam intra quam extra civitatem hinc inde positum esse, ac non urbani Senatus, sed ecclesiæ suæ jurisdictionem denotare.

XV.) Sacra juxta palatium suum areæ proprietatem potestatemque immediate ad ecclesiam suam attinere, & similia alia infinita, quæ sexaginta articulis comprehenderat, tantum non impie sibi arrogabat.

Ex quibus plus quam civile bellum irreconA ciliabiliter exarsisset, si non prudentissimo optimorum hominum molimine, civibus prospectum, ac Antistes ab iniquo propolito discedere jussus fuisset. Sed quis barathri os replebit? *Friderychus* II. enim, & *Otto*, posteriores episcopi, antiquum vulnus refricantes, eadem per fas & nefas, non solum iterum asserere non verentur, sed civium libertati inhiantes, quasi sanguinem illorum insatiabiliter sitire videntur. Cæterum hoc ipso anno novum tributum de Xylino, lineis pannis, biliciis, triliciisque tum dealbatis quam tinctus a Senatu B nostro confectum primo est. Qua tempestate vidua etiam *Argenensis*, quam *Wirsbergensem* nobilem nonnulli, alii *Guerlichiam* fuisse docent, quo expeditius ceptum contra civitatem nostram jus, *Onolzbachii* persequi posset, trecentos eos aureolos, quos maritus adhuc, ob contractum cum episcopo olim factum, fisco debebat, Senatui obtulit, una cum tribus illis censibus, quos civitatem mutantes ærario solvere coguntur, quam pecuniam tamen Senatus recipere in finem usque totius causæ recusavit.

Porticus, Ulrychiano auditorium Hussitarum.

Interea cum Evangelicæ veritatis jubar, C *Hussiticam* hærelim pontificii pharisæi appellabant, denuo plurimorum oculos per urbem hanc illustrant, porticus ea, quæ est ad *divum Ulrychum*, pro habendis concionibus amplificari, & in publicum ejus religionis sectatoribus auditorium, ne scilicet sacram monachorum ædem polluerent permutari primulum cæpit.

Novum granarium.

Superior item ea officina, qua vulgo lineos pannos complicare, & Cylindro, gravissimo superinjecto pondere, protruso q levigare, inter *Ulrychianum* monasterium D & salinarium horreum hactenus soliti fuerant, in granarium Reipublicæ superstructis binis cavediis conversa tunc etiam est. Alia & simili complanatoria machina confestim quoque in vinculo calciamentorum ab ædilibus urbanis excitata.

Theatri saltatorii refectio.

Quin & posteaquam chorearum palæstra, Sabbatina XVIII. Novembris nocte, incuria vernarum pistoriarum, una cum adnexo macello, patritiorumque potatoria taberna, funditus exureretur, ita ut duo fastigiati muri solum, anterior versus septentrionem, & posticus versus meridiem restarent, brevi ea pulchrius, uti etiamnum adparet, ad intra duos lapideos jam dictos parietes restaurata est. Tota quidem superiore area, saltatiunculis destinata, inferiore vero discriminatim, pro vendendis tum carnibus tum panibus, camerata testudine communita. Patritii itaque jam iterum caupona spoliati, antiquum diversorium ad *Berlachium* repetere non dubitarunt, quod *Meitingus* quispiam interea DCCC. aureolis emerat, ac ad suæ sodalitatis conventicula, festivitatesque, emptionis titulo mere compararunt, hodieque possident. Non desunt tamen, qui domum eam, Patritios nostros sibi mere aureis, anno Domini MDXXXIIII. A. 1534. a *Stenglina*, *Hebenringero*, & *Wildiæ* filia redemisse tradant.

Hoc autem anno sunt fossæ civitatis, a *Urbis fortius munitur.* *Werdachæ* pontis porta, ad provinciæ speculam profundiores factæ, ac ab eadem turre, usque ad *S. Galli* fanum, mœnia altius ædificata tectaque, pro vigilum commodo munita.

Anno virginei partus MCCCCLII. A. 1452. adiit novum *Augustburgi* Consulatum, *Leonhardus Langenmantellus*, cognomento *Radawerus*, ex ea patritiorum familia, quæ *Vid. Tab. oxygonum rubrum* in armis habet, cui *Ga- IV. Fig. 2. briel Ridlerus*, cujus quinque filii, nempe *Gylgus*, *Wilhelmus*, *Melchior*, *Bernhardus* & *Christophorus Ridleri*, hoc anno ob maximum æs alienum contractum, ad extremam ferme inopiam apud nos redacti fuerunt, collega pro more est additus, qui munus id jam IX. administrabat.

Sub quibus *Ulmenses*, ubi *Stammleri* C apud illos, rupta fide, negociatores nostros, nempe *Hojos*, *Nördlingeros*, *Warausios* & nonnullos alios grandi summa æris defraudassent, sive quod male audierint, sive quod fuerint mercaturæ æmulatione correpti, civibus suis & cumprimis textoribus, mense Februario inhibuerunt, ne quidquam, etiam vel lanam Xylinam, a nostratibus emerent, aut illis venderent. Quod edictum licet hic agreste & durum videretur, non potuit tamen, pluribus paulatim *Ulma* ad nos, quam hinc ad illos quæstus gratia proficiscentibus, ultra septem menses consistere. *Ulmensium adversus Augustburgenses mercatores edictum.*

Capta item bellico apparatu sunt, a *Rammstaini & Rugburgi expugnatio.* confœderatis *Suevia* civitatibus, inter quas *Augustburgum* nostrum haud in postremis consilio & auxilio extitit, duo prædonum receptacula, quæ *Hansi* a *Rechberga* fuerant. Quorum primum prope *Rotswylam Rammstainum* nomine, quatuor tantum dies vallo obsessum, mense Julio exustum est.

Alte-

Alterum ad *Lindaviam Ruggburgum* dictum, VI. idus Decembris, post quintam oppugnationis hebdomadem tandem dirutum est.

Dumque talia in superiore geruntur *Germania*, obsederunt sub finem Augusti mensis *Ungri*, *Bohemi*, *Moravi*, & *Viennenses* ipsi, *Fridrychum* imperatorem nostrum imparatum, in nova civitate *Austriæ*, ac *Ladislaum Albrechti* Cæsaris posthumum filium, e tutela ipsius vi eripientes, regem sibi constituerunt, qua de re non parum inter mercatores nostros trepidatum esse liquet.

A. 1453. Sequente dein anno, cum *Haimrychus Langenmantellus* II. & *Andreas Frickingerus* III. consules, *Augstburgi* essent, potuit civitatis jus, a peregrinis, etiam divitibus, quinquaginta libris obolorum hic comparari: Atque nihil aliud memoria dignum domi nostræ perpetratum est, quam quod cives dolum eum subodorari primum hic in foro cæperunt, quem ante quadriennium *Martinus Bajerus* apud *nigram Quercum Franconiæ* oppidulum, primus *Germanorum*, Oenopolas, & aurigas docuerat, nempe musta ne ferverent, crudo lardo in vernum usque tempus turbida conservare, ac sapa dulcerare vina, eademque sulphure & *plumbo cinereo*, quod *Bisemutum* vocant, clariora reddere, sed & aromatibus non parva sanitatis noxa, adulterare pro ementium gula.

Oenopolarum fraudes detectæ.

Constantinopoleos expugnatio.

Foris autem IV. Kalendas Junii *Græcorum* illa *Orientisque* regia metropolis *Constantinopolis*, a *Mahometo* II. *Turcarum* potentissimo & novo tyranno, dormitantibus occidentalibus Christianis, crudeliter capta, & longe atrocius toto triduo expoliata devastataque est, *Constantino Palæologo* VIII. alii XV. numerant, ultimo ibidem Cæsare, fugientium trepidatione, ad portam quandam misere oppresso; ac *Isidoro Ruthæno*, ultimo ibidem patriarcha arte elapso.

A. 1454. Anno salutis MCCCCLIV. consules *Augstburgi* creati sunt, *Ulrychus Rehlingerus* IV. & *Ludwichus Hörnlinus* junior ex Caniorum tribu. Sub quibus civitatis nostræ omnia antiqua privilegia, *Friderychus* III. tanquam jam verus imperator, apud novam civitatem iterum confirmavit.

Decretum de nepotibus hæreditatem adeuntis.

Porro XVI. Kalendas Julii, die Sabbatho, decretum in Senatu hic est, propter litem inter *Ulrychum Sultzerum* & *Hermannum Nördlingerum* ortam, ut neptes nepotesque parentibus orbati, avorum aviarumque suarum relicta bona, præ avi aviæque sororibus ac fratribus, jure hæreditario recte adire possint, cum simili decisione hæreditatis, inter fratres sororesque, superstitibus illorum nepotibus, consobrinisque.

Quidam hæc superiore anno facta volunt. Quia vero præter religionem *Hussiticam*, apud nos pacifica essent, Senatus ædificationibus publicis intentus, curavit, & utilitatis & ornamenti causa, ut ad *Sträffingeriam*, hodie a propinquo cœnobio *discalciatorum* dicitur, prius autem nomen antiquitus ab eo traxerat, quod per eam sicuti hodie per *Geggingensem delinquentes virgis publice sint cæsi*, *Steffaniam*, *Piscatoriam* & *Klenckeriam* portas, lapidei ac concamerati pontes construerentur. Item ut *Jacobæi* suburbii humilia mœnia, pinnatis turribus, una versus *Bachorum* agrum, altera e regione superioris, dealbatorii pratum, munirentur.

Munimenta fabricantur.

Denique lateritiam domum pro eo molendino, quod etiamnum hodie urbis mola appellatur, ante *Werdabruggensem* portam, ad præterfluentem *Sinckelim*, de novo fieri fecit.

A. 1455. Anno vero Christi servatoris MCCCCLV. consulibus *Leonhardo Langenmantello* II. & *Gabriele Ridlero* X. cautum Senatus consulto XXII. die Januarii est, ne quis in publicis judiciis posthac civium instar, alicui testimonium præbere possit, qui municipale jus apud nos non vel hæreditate vel consveta emptione obtineat.

Grassatores nocturni pœnam luunt.

Ac, dein sub ipsam diei *cinerum* noctem, qua plebs saturnalibus adhuc exultabat, sartor quidam, *Span* dictus, publica platea occisus, multique alii cives strictis ensibus immerito fugati, a promiscue grassantibus temulentisque laniis sunt. Qui vigiles elapsi, pœna tamen formidine summo mane *Fridbergam* properantissime aufugerunt, ubi paucos commorati dies, non inconsulte XV. ex ipsis ultro redierunt, & de improviso coram prætore in judicio comparentes, se pro juris nostri consvetudine, sacramentis a commissa cæde purgarunt, quibus nihilominus civitate ad triennium fuit interdictum. Reliqui vero qui magis de homicidio suspecti erant, neque judicio se sistebant, publica præconis voce perpetuo exilio condemnati fuerunt.

Inde sub medium Quadragesimæ, confossus a *Schamburgense* quodam Cardinalis nostri agnato, inter *Lechi* pontem ad *Jacobæam* portam gladio est *Michael Remus*, propterea, quod nostros cives in hastiludiis, equorumque concursu longe nobiles præcellere asseveraset.

Tumultus in Templo.

Postea V. Aprilis, in ipsa sacri paschæ vigilia, dum devota plebs dominicæ resurrectionis, ceremonias sub medium noctis in tenebris cathedralis templi expectat, en subito suscitatus, propter strupri in eo forte tum commissi suspicionem tantus clamor tantusque tumultus est, ut non solum exoptatis-

optatissimæ matutinarum preces, in ipsam usque auroram scandalose dilatæ sint, verum etiam profanatum totum delubrum, a suffraganeo de novo expiari suis exorcismis inunctionibusque jussum fuerit. Et tamen rumorem hunc ex nihilo sacrificulorum famulitia vane extulisse, deprehensum postea est. Inde sub ver hoc, repurgatum Senatus jussu Judæorum Polyandrium ac pomeriis civitatis inclusum est.

Fribergenses merces diripuit.

Decimo nono dein Augusti mensis die, diripuerunt nobiles a *Freiberga* XIII. plaustra *Italicis* mercibus onusta, prope *Fussam*, ac spolia lecta illinc ad arcem avitam altam *Freibergam* avehentes, *Rhenanis* civitatibus, ad quas potior earum mercium portio spectabat, præsertim *Colonienſibus Franckfurtenſibusque & Memmingenſibus*, sua propter vicinitatem integre reddiderunt.

Sutorum tribus Senatu movetur.

Tandem XX. die Decembris, tota Sutorum tribus ob seditiosa inter suos dissidia, conspirationesque frequentes, adversus Senatorium ordinem, Senatu admodum ignominiose mota est, prohibitumque præterea illi fuit, ne intra quinque annos Tribunum sibi diligeret, sed quotannis a Senatu expectaret, qui artificii curam gereret. Quo anno etiam *Mahumetes Turcarum* imperator, *Trapezuntem Ponti Euxini* metropolim occupavit, cæpto & cæso demum cum filiis *Davide Comneno* Cæsare, ibidem, licet alii quinquennio posterius id scribant factum esse.

A. 1456.

Anno Domini MCCCCLVI. dominico die post *trium Magorum* festum creati consules *Augstburgi* nostro sunt, *Ulrychus Rhelingerus* V. & *Georgius Strausso* lanius. Sub quibus statim Imperatoris nostri mandato,

Mattzenstessæ ac Baumgartæ expugnatio.

Mattzenstessenſis, ac *Baumgartenſis*, arces *Ellerbachii*, non procul hinc sitæ, per confœderatos *Sueviæ* expugnatæ, & non absque vicinorum nobilium commotione dirutæ sunt.

Dissidia inter Episcopum & cives componuntur.

Dein XIV. die Junii, respublica nostra sedula propinquorum oppidorum & præcipue *Chunradi Baumgartneri Noribergenſium*, *Ulrychique Elingeri Ulmenſium* legatorum, præsidente *Hainrycho* Marchschalko, transactione sive arbitramento, ut vocant, cum episcopo Cardinale, *Marianisque* Canonicis, tum propter mœnia, quæ ab *Ægydiano* Larario neque ad *Crucionam* portam protenduntur, ac jamjam ab Ædilibus nostris, invito clero, restaurari ceperant, tum propter alia cuncta dissidia, quæ toto retroacto quinquennio controversa fuerunt, per compromissionem plenam, consignatis ad id tabulis, composita est.

Vectigalia quædam remittuntur.

Decimo vero die Julii, ob importunissimam pistorum, zytopolarum, & eorum, qui legumina venditant, instantiam, remissa hic majoris Senatus, consensu frumentaria vectigalia sunt, quæ ante sexennium in civitatum bello instituta fuerant. Et cum textoria tribus dicti tumultus autores pro virili adjuvisset, mox & iidem mutuam illi operam deferentes, simili audacia apud dictum senatum obtinuere, ut & id vectigal quoque aboleretur, quod & lineis & xylinis pannis ante sex annos impositum fuerat, quodque præcipuo textores premebat.

Cometa.

Apparere forte hoc eodem mense Cometa, sub signo *Cancri* & *Leonis*, in Oriente cœli plaga cæpit, fulsitque duabus amplius septimanis. Quem dum more solito, ingens soli ariditas consequeretur, cepit primum apud nos rubigo in frumentis ab agricolis cognosci, cum antehac morbus ille frugum nunquam animadversus, vel plane ignotus nostris *Suevis*, adeoque reliquis *Germanis* quasi fuisset.

Porro XVI. Augusti luce, aufugit hinc *Ulrychus Langenmantellus*, Urbanus prætor, cum nonnulla apud se deposita pecunia. Qui ubi aliis quoque debitis urgentibus, nullus rediret, coactus est Senatus D.CCC. aureolos, altercantibus in suo foro partibus causa ipsius exsolvere. Quod exemplum inde & N. *Ravensburgerus* & *Hanſus* ab *Hoja* sequentes, *Fridbergam* hinc secessere quoque, quorum hic creditores plus quam XXX. millibus aureorum defraudans in exilio & contempta paupertate mortuus est.

Erasmus prætura.

Interea *Erasmus* a *Diebbardskyrcho*, a sæpe memorato præfecto nostro, *Hainrico Marschalco* donatus, vix annum officio fungi potuit. Fuit & hoc anno *Georgius Pfisterus* episcopi Burggrafius hic.

Augstburgenses expeditionem adversus Turcas suscipiunt.

Post quæ facinora abiere ex urbe hac sua sponte militatum adversus *Turcas* XXII. Septembris septuaginta sex cruce signati pedites, pauperculi & inermes. Qui vexillum ab una parte crucifixi Christi, & ab altera sanctorum *Georgii* & *Ulrychi* imagini bus depictum præferebant. Hos brevi haud minore zelo XII. Octobris in festo beati Narcisi CCCLVI. alii habitiores, duodecim sacrificulis concomitantibus, splendidius paulo armati, Romanensium instigatione, subsequenti sunt. Qui itidem crucifixum cum *Maria* & *Johanne* ex dextro ac *S. Ulrychum*, sanctamque *Afram*, ex levo latere, in duobus vexillis ostentabant.

Cumque facta vulgari plebis collatione, hinc decem ratibus solventes, secundo flumine veherentur, ac ad fines *Mœsiæ* superioris *Taurorum* usque, hodie *Belgradum* seu *Albam Græcam* vocant, exultabundi pervenissent, en fati ludibrio, *Ladislai* posthumi *Ungrorum* & *Bohemiæ* regis aulæ præfectus, *Ulrychus* nimirum *Ciliæ* comes

Huniadum factione obtruncatus, ipsusque adeo procinctus hujusce buccinator *Capistranus*, febre mortuus est, atque ita perditis, proh pudor, opera & impensa, absque ordine multis delideratis, domum, ut plærique alii *boni Christiani*, sic enim Romanenses *stultos* appellant, sub medium Decembrem deplorate redierunt.

Decretum de expensis minuendis.

Interea XXVII. Octobris, utriusque Senatus decreto, nimiæ omnis sortis legationum expensæ, officiorumque civilis magistratus salaria abrogata, nec non reliquorum ministrorum stipendia imminuta hic sunt, omnium denique aliarum largitionum, haud aliter atque repetundarum, exquisitissimas rationes, iidem quam frugalissime reddendas censuerunt. Cæterum bis sextili hoc anno, extrema manus imposita est turriculæ illi, quæ secto ad normam lapide transparens undique, in medio Curiæ tintinnabulo horario inservit.

Augustburgenses ob ejectos Judæos puniuntur.

Mulctaverat autem hoc anno etiam *Friderychus* imperator Rempublicam nostram, quod ante sedecim annos, recutitos suos, citra Cæsarei dyplomatis calculum ejecissent, XII. alii XXII. ajunt, aurei nummi millibus, quam summa jam demum exsoluta, & desuper mille aliis aureis adjectis. Idem imperator privilegium scriptum Senatui mense Decembri concessit, ut deinceps Verpos vel amplius prohibere, vel iterum recipere ad placitum possit.

A. 1457. *Novæ constitutiones.*

Anno MCCCCLVII. pronuntiati consules sunt, *Bartholomæus Welserus* patritius & *Ulrychus Dendrychus* Institor. Quorum consulatu protinus VIII. Januarii, major Senatus hic decretum fecit, ut singulis plebis Tribunis, perentibusque Senatoribus, transsumpta concederentur publicorum Senatus consultorum, ejusque dyplomatis, quo tribuum constitutio continetur. Item ne quis civium novos colonos, aut privatis conditionibus nexos homines, in præjudicium immunitatum reipublicæ amplius possideret. Et quatenus veteres adscriptitii, civitatis nostræ privilegiis gaudere debeant, quæ singula minor Senatus XXIX. ejusdem mensis die rata habuit & recognovit.

Munsterlini Chronicon Augustburgense.

Eo mense adhæc *Sigmundus Münsterlinus Ulrychiani* sodalitii conventualis, Chronicon de primordiis urbis hujus, deque sanctis & episcopis, nonnullisque templis ejusdem, a se monastico sane captu conscriptum, Senatui obtulit, quem illi triginta aureolis satis liberaliter remunerandum curavit.

A. 1522.

Liber is postea anno Domini MDXXII. eleganti charactere in urbe ista, per *Melchiorem Ramminigerum* germanice impressus est.

Ludi edunter.

Habita autem sunt sub finem saturnaliorum hic hastiludia *mucronata*, seu ut vulgus loquitur, *acria*, ludicrique alii equitum concursus, in quibus post *Osswaldum* Comitem a *Thierstaino*, *Hartmanni Sultzeri* civis agilitas, fortitudoque, sicuti & aliàs sæpissime quoque in omni armorum genere per totam superiorem *Germaniam*, principumque aulis consveverat, præcipuis victoriis enituere. Civicæ item chorcæ, præsente *Johanne Monachiense Bojariorum* duce, quem Senatus argenteo poculo, & centum in illo aureis nummis excepit, quam præclare etiam ductæ in consveto theatro sunt.

Respubl. æs alienum contrahit.

Quarto dein Aprilis die, plebiscito per magnum urbis nostræ concilium, propter multa fisci debita decretum est, ut Ædiles ac Quæstores ad octo vel decem aureolorum millia, alienum æs reipublicæ nomine contraherent, simul ac pro duobus aureolorum millibus frumenta divenderent, alienumque contractum æs inde diluerent. Adhæc servilis quædam constitutio contra eos est facta, qui intra proximum quinquennium civitatem mutaturi erant.

Canradi bostis clades.

Cæterum tertio die Maji, fuderunt conductitii nostri, quorum quinquaginta equites, & triginta sex pedites viritim in singulos dies, hic quidem sex, illi vero decem grossorum stipendio, militabant, non procul *Werda*, conflictu neutiquam levi, *Chunrädum* comitem ab *Helffenstaino*, qui se nostratem quendam colonum, contra æquitatem *Riedinga* abducturum minitatus fuerat, astutia tamen prævenitus, cum jam in procinctu esset, vice versa undecim e suis ministris capti sunt, ipsemetque vix sibi fuga consulere potuit. Quam ignominiam dum vindicare postea studeret, *Albrechtus Brandeburgius* Marchio, amica interventione, ne scilicet in bellum erumperet actio, consopivit & diluit.

Cometa.

Mox inde novus & nigricans cometa, mense Junio, sub piscium asterismo, in æthere arsit. Quo tempore posteaquam *Bojariæ* duces, *Adeltzhausero Mæringensium* præfecto incitante, *Lechi* fluenta architectones Reipublicæ nostræ, ad urbem derivare, severius tum impediissent, tum prohibuissent, tandem post longam ea de usucapione tractationem, numerata illis duo aureorum millia nummûm, a Senatu nostro VIII. Iduum Augusti sunt. Estque tali pacto aquarum decursus, iterum liber urbi concessus. Interea recognitum renovatumque apud nos XIIII. Julii die, qui erat Jovis, antiquum decretum est, quod a Senatu jam olim contra Propolarum, Dardaniorumque fraudes, factum fuerat.

Lex de leguminarie.

Cumprimis tum quoque cautum est, Leguminarii intra sex ab urbe milliaria, *gumina*, butyrum pro se, ad revendendum emant, *rin.* nec qualicunque foro ad intra mœnia nostra coëmptione butyri cives aggravent.

Post

Sigismundus Austriacus Augstburgum venit.

Post ista IIII. Iduum Augusti mensis, venit primum in urbem hanc, *Sigismundus Austriacus*, *Tyrolensium* princeps, qui ante octo annos novellas *Schwatzensium*, in comitatu suo ad *Oenum* argenti fodinas, novis rerum metallicarum legibus, primus confirmarat, certisque privilegiis, pro ampliore earundem incremento exornarat, ac non vulgari Xenio Senatus, adeoque omnium congratulatione exceptus, mansit hic summa hilaritate toto quadriduo.

Georgius Otto praetor.

Circiter quam tempestatem civitati nostræ prætor, Senatus rogatione, *Georgius Otto*, juvenis cordatus, per Imperatorium præfectum confirmatus est, præfuitque officio illi cum laude & labore, annis plus minus quinquaginta septem.

Quanquam non desint, qui patrem & filium homonymo tanto tempore præturam hanc immediate sibi succedendo administrasse hic contendant, penes quos sua sit fides. Nam ex sigillis nullum discrimen deprehendi potest. Cui statim ab initio episcopi officiales, negocia de solvendis pro investitura sexaginta nummulis, & postea sæpicule de tradenda, in tribus legitimis ipsius apud episcopi palatium placitis, virgula, sceptrove, illi iniquissime facesse re non dubitarunt.

Tumultus ob monetam adulterinam.

Quin item ingens eundem mox quoque excepit dissensio, quæ inter vendentes & ementes, diu per hanc civitatem, ob novam & priorem *Ulrychi* comitis *Oetingensis* irrepentem monetam viguit. Nam cum comes nummulos signasset, quorum viginti duo grosi uno aureolo commutari debebant, deprehensum multorum jactura tandem est, triginta talium grossorum aureolum tantum valere. Quod negotium, ne fraudem appellem, ferme ad tumultum apud nos devenisset, ni prudentum consilio, vilioribus proscriptis, plebeculæ melioris notæ nummis prospectum fuisset. Advexerunt per hosce dies *Ulrychus Artztius*, *Hermannus Sultzerus*, & *Ludwicus Meytingus* mercatores nostrates, ex *Austria* magnam copiam generosissimi vini, cujus cadum uno aureolo vendidere cum lucro.

Conventus principum Augstburgi.

Inde sub festum *S. Michaëlis*, quo annua πανήγυρις *Augstburgi* celebratur, agitarunt hic inter sese omnes *Bojariæ* duces, una cum Electore Principe *Friderycho*, *Rhenani* palatii præfecto, decem dierum conventiculum, super provinciarum suarum tum administratione tum tranquillitate, quibus Senatus variorum piscium & optimorum vinorum Xenia perampla obtulit reverenter.

Accipenser grandiscaptus.

Et est captus eodem mense supra *Werdam* forte fortuna in Danubio *Accipenser*, vulgo *Sturionem* vocant, centum sexaginta quinque libras civiles ponderans, qui vivus a piscatoribus huc perlatus, mox ab *Alberchti* ducis obsonatore, octo aureolis emptus extitit.

Albershoferus capitis damnatus.

Porro postquam *Gylgus Albershoferus*, antea civis, jam vero *Klinckhaymeri* socius & reipublicæ nostræ notorius hostis, propter deprædatum *Ortwinum*, *Thomæ Ebemii* cura vinctus *Ravensburgo* huc pertractus esset, statim XXII. die Octobris prætorio judicio capitis damnatus est, licet ad ferendam in illum sententiam, vix debitus assessorum numerus, præ cognatione & adfinitate, in Senatu superfuerit, ac ipse Cardinalis *Petrus*, *Baronissa Veronensis*, cathedrale collegium, omnes civitatis nostræ prælati, plurimique nobiles pro ipso interceserint.

Interea foris alii quoque prædones, urbis hujus inimici, per nostros intercepti fuere. Quorum dum unum capitis quoque damnari apud *Monachium* jure obtinuissent, cui *Wilhelmero* nomen, contigit, ut a duce *Johanne*, ex manibus carnificis, tantum non in ipso supplicii loco eriperetur, gratia ne an ex composito, dubium videtur.

Constitutio de eligendo magistratu.

Inde XXVII. die Octobris abrogarunt S. P. Q. *Augstburgensis* decretum, quod ante duodecim annos, super vacatione supremorum civitatis munerum fuerat factum, constitueruntque de novo, ut perpetuo posthac, singula urbana officia, liberas quotannis electiones haberent, a quibus nemo esset excipiendus, ea tamen conditione, ut qui uno anno Magistratum aliquem gessisset, is proximo sequente ab illo immunis esse debeat. Ab hoc tempore Senatus noster apud *Bojariæ* principes haud parvo ære impetravit, & in authenticas tabulas referri curavit, ut posthac denunciatos quoscunque hostes suos, in terra ipsorum invadere, inque jus capitale rapere queat. Circiter eandem tempestatem numerati a republica nostra CLXXX. aureoli sunt *Jacobo Trugsessio*, propter facinus jam olim apud *Landsbergam* perpetratum.

Ladislai V. legati Augstburgum permeant.

At hic mihi lector sortis humanæ miserrimam instabilitatem vide. *Ladislaus* V. *Ungriæ* & *Bohemiæ* florentissimus rex, superba admodum legatione, *Georgium* archiepiscopum *Colocensem*, ac *Ulrychum* episcopum *Patavicensem* cancellarium suum, in *Galliam* misit, ad adducendam *Magdalenam Margaritam Æneas Sylvius* vocat, *Caroli* IX. *Bituricensis* dicti, regis, desponsatam sibi filiam, qui præsules vicesimo octavo die Octobris, cum sexcentis equitibus, subinde ducentis ex illis patrio ritu præciosissime vestitis, seorsimque gentilium suorum more armatis, erant enim *Germani Ungri* & *Bohemi*, in urbe hac nostra non sine

ne plebis admiratione, pernoctarunt; & emenso itinere *Lutetiam Parisiorum* pervenerunt; ubi dum novam nuptam luculentissime donassent, tantumque non cum regina sua ovarent, en subito & ex improviso XXIII. die Novembris, adolescentem illum regem *Pragæ* ex peste obiisse nunciatur, quamquam hæretici successoris veneno sublatum catholici ferant. Quare legati prædicti, maxima spe cadentes, domumque mæsti redeuntes, hac iterum Kalendis Februarii subsequente anno pullati transiere.

A. 1458. *Aliquorum ædificiorum refectio.*

A Cæterum hocce anno Senatus noster *Burgensem* prope Cathedrale templum portam, duabus contiguationibus altiorem extrui curavit, apiceque nodoso ornari. Senatoriam item aulam venustissimis picturis, ab extra delineari illustrarique, nec non molendinum, juxta capitalis supplicii collem ad *Sinckelim* de novo fieri fecit, erogata insuper in *S. Thomæ Didymi* festivitate, e salis horreo, eleemosynaria stipe, numerata hic mendicantium hominum, quater mille & ducenta capita sunt.

A. 1458. *Hastiludia.*

B Anno Christiano MCCCCLVIII. *Hainrycho Langenmantello* III. & *Georgio Strauffone* II. consulibus, celebrarunt ingenui aliquot *Noribergenses Ulmensesque*, quorum hi *Hansum Kervetterum* Reipublicæ nostræ equis tribus merentem satis indecore ex ipsa arena in asylum *Ulrychianum* usque evaginatis ensibus fugarunt, cum nostris patritiis ad festum *purificationis beatæ Mariæ*, in sacra area hic, hastiludia splendidissima, fueruntque advenarum centum & septem, quos omnes simul patritii, quorum in summa septuaginta tres viri numero tunc

C conscripti habebantur, in sua caupona lætissimo convivio exceperunt, ac postquam lautissime eos tractassent, immunesque dimisissent, singuli nostrorum 84. tantum nummulos in symbolum contulere. Quod eo referendum censeo, ut majorum temperantiam frugalitatemque cum moderni sæculi tum moribus tum sumptibus, comparare modesti homines queant. Vix enim hodie quis opiparam cænam, integro aureo persolverit, solus, in tantum sybaritici luxus & ingluviei vitium prævaluere nobiscum,

D

Constitutio de diplomatibus.

Facta dein VI. die Februarii a S. P. Q. *Augustburgense* municipalis constitutio est, ut cuncta dyplomata, tabulæ vel literæ, quæ fundos & bona immobilia, item census tam perpetuos, quam ad vitæ spacia debitos, item testamenta legataque concernunt, quatenus illa publico vectigali apud nos subjaceant, aut intra urbis nostræ limitaneos terminos comprehendantur, a nemine deinceps conscribantur, quam a publico archigrammateo, vel juratis reipublicæ scribis, eaque ab aliis consignata, neque prætor, neque Burggrafius sigillis suis confirmare debeant.

SCtum de piscatoribus aliisque.

Cæterum Senatus consultum XI. Februarii die, qui erat Saturni, factum hic quoque est, ut nimirum peregrini piscatores per integram Quadragesimam, tribus tantum diebus, videlicet Lunæ, Mercurii & Veneris, ac deinceps toto anno solis Veneris diebus, apud nos in publico foro pisces venales habere, vendereque possent.

Adhæc secundo Martii, quæ erat Jovis, die, decretum in Senatu est, refragantibus consule *Langenmantello* cum aliquot patriciis, ut jurejurando illi, quod singulis annis consulibus hic præstatur, diserte addatur, ne cuiquam advenæ domicilium apud nos in posterum habere liceat, qui non intra XIIII. dies ab hoc termino, tum municipale jus, tum tribum aliquam, sibi comparavit. Item ne quis civium concivem nostrum quacunque de causa alibi jure convenire, quam coram nostro magistratu præsumat, nec ab ejusdem lata in eadem causa sententia, provocare posset, sub pœna perjurii.

Vallum exstruitur.

Primo vere dein, vallum cum satis firmo propugnaculo juxta *Hansstettensem* portam de novo extructum est.

Degregum arborumque fructibus decimas exigit clerus.

Et cum per quadragesimale jejunium sacrificuli *Augustani*, præposito *cruciano* instante, novo aucupio avaritiæ suæ impudentius indulgerent, populoque in piacularibus confessiunculis, in se de cunctis arborum fructibus, gregumque fœtibus, decimas posthac reddituros reciperent, Evchariſtiæ jam antea per papas mutilato Sacramento; prorsus interdicere, plusquam sacrilege præsumerent, prohibuit Urbanus magistratus Tributim, ne quisquam civium novam eam & inusitatam exactionem, citra consulis permissum, clericis solveret, atque ita laicorum illo edicto, sacerdotum tyrannidi frenum, hac quidem parte injectum non impie sane fuit.

Riedererus carcere elabitur.

Quibus turbis XIIII. die Aprilis, elapsus civium vinculis *Gylgus Riedererus* est, in quæ is propter commissum cum propria filia incestum, propterque alias complures proptervias & concussiones conjectus fuerat. Vulgus tamen, quod nonnulli principes magnatesque pro illo intercessissent, vel clam in exilium deportatum, vel occulte in carcere necatum putavit.

Hirschius aufugit.

Est & paulo antea ejusdem Aprilis V. die *Hansus Hyrschius*, candelarius indigena, ab *Ulrycho Holenmayro*, textore *Nördlingense*, in præsentia *Sonderhaimeri*, coram prætore hic accusatus, quod quatuor uxores duxerit, quarum aliquot adhuc alibi in vivis essent, ex quarum priore, *Margarita* videlicet *Eberleria* agnata sua, filiam itidem

Marga-

Margaritam vocatam genuerit; nulla adhibita cautione sibi fuga consuluit; nec unquam amplius comparuit.

Tumultus de adulterina moneta.

Quando vero mire adhuc apud nos, & cives & hospites tam inopes quam ditiores ob dolum rei pecuniariæ tumultuarentur, essentque ad tollendum commune illud malum, variæ a multis initæ, nec non diversæ a negociatoribus pertentati modi, tandem a Senatu in ipso paschatis sacro, publice prohibiti sunt *Oetingenses* nummi. Constitutusque ab eodem publicus nuniularius Trapezitave est, qui tres deterioris monetæ duobus melioribus commutaret cambio nummulos.

Nova monicia cuditur.

Sed quia neque hac via plebi consuleretur, vel fæneratoribus satis fieret, jussit extremo Senatus episcopi monetalem *Steffanum Greslinum*, novos nummos cudere, qui & albi & quadrati erant, quorumque octo grossum, viginti autem & unus grossi aureum *Rhenense* valerent. Suntque illi penultima Junii, pulsata classicaria campana, pro more e curia civium sparsi, ac in usum nostratibus primo recepti.

Verum quod nec hi quottidianis sufficerent contractibus, deprehensumque textorum murmure esset, etiam iisdem nummulis usura multum decedere, permisit postea Senatus noster sub festum *S. Galli*, ut etiam veteri *Ambergensium*, *Landshutensium*, *Ingelstadiensium*, *Monachiensiumque* pecunia, hoc est, quatuor tetrarchiarum *Bojariæ* signatura, omnes indifferenter per civitatem suam uterentur, vel eo, quia illius æque ac episcopalis XXIV. grossi, hoc est, CXCII. nummi aureolo convenirent uni. Quapropter & episcopus Sabbatho ante *Andreæ* festum, a signanda moneta destitit. Ne autem te lector prætereat, vetere nostratium computu, XII. nummuli solidum valebant, ac XX. solidi libra magna nummorum dicebantur. Cujus monetæ bessis, tres tantum uncias argenti continebat, pendebantque XXXVI. nummuli semiunciam.

Kystlerus & Regglinus ultimo supplicio afficiuntur.

Interea temporis *Hansus Kystlerus* & *Hansus Regglinus* cives, egregii decoctores, levicula de causa patriæ hostilia denunciare non sunt veriti. Quapropter Senatus quibuscunque potuit artibus, tum suos defensare, tum illos persequi meditari cæpit. Unde brevi inter prædandum a nostris *Monachium* fugati, *Regglinus* dum vivus capi nollet, interfectus, ibidem judicis, rara admodum, sententia utut mortuus capite truncatus est, *Kystlerus* vero cum aliis socijs, e carnificis laqueo, in ipso supplicii loco, per *Johannem Bojariæ* ducem enormiter liberatus, postquam latrocinando deinceps, etiam *Andream Rudolffum*, matre *Augstburgense*, natum, prope *Braunaw* occidisset, similibus insidiis post triennium periit.

Porro prima hebdomade Maji, abduxit hinc *Fridbergam Hansus Welserus Bartholomæi* viri consularis frater, demortuæ uxoris suæ ex sorore neptem, filiam nimirum *Sebaldi Morlini*, civis opulentissimi, cum eaque concumbens, matrimonium ad lubitum contraxit, frustra reclamante, ut & incestas nuptias inhibente, Canonici Consistorii officiali.

VIII. Rei. publ. hostes intercipiuntur.

Inde sub Julii mensis initia intercepe- A runt Reipublicæ nostræ XX. emissarii, non procul *Ingelstadio*, octo nocentissimos hostes. Quos ubi vi initæ, cum *Bojaris* concordiæ, judicio ibidem sisterent, vix multa petitione, apud præsidium obtinere potuerunt, ut pro obtinenda justitia, ad festum *S. Viti* partibus illuc dies sit dicta, in qua cum civium nostrorum legati, ut puta *Ludwichus Vogelinus*, *Hainrychus Schweicklinus*, *Paulus Raubius*, *Wilhelmus*, *Gremmlingerus*; una cum *Ottone* urbis subpræfecto, & *Hainrycho Erelbacho*, archigrammatæo, septem contra prædones illos perduxissent testes, quo numero etiam facinus inficiantes evinci, per *Germaniam* in criminalibus solent, cavillo admodum elumbi, in prima instantia delusi sunt, quod scilicet septem illi *Augstburgenses*, pro uno tantum viro recipi deberent. B

Secunda vero instantia, postquam *Ludwichus* dux, principalem ex reis, nempe *Klinckhaimerum* (qui ante biennium hic equo impigre meruerat, ac ob suspicionem contrectatæ rei alienæ in carcerem conjectus, & ex eo improvide, hoc est, nondum consignata cautionis tabula liberatus, hinc C ausugavit, ac hostis totius Reipublicæ hujus ultionis causa factus fuerat) nostros exorando, a mortis pœna laxasset, mox simili Strophia in *S. Augustini* festo, reliquos quinque captivos judicis sententia, eo absolvit argumento, quod nimirum dimisso in una & eadem causa principali, etiam complices dimittendos æquum videatur.

Quæ actio non solum civitati nostræ vituperium, & duorum aureorum millium damnum, sed & legatis prædictis semestrem ferme captivitatem apud *Bojaros* attulit. Etenim *Klinckhaimerus* iterum liber redditus, pro cyclopico suo ingenio, non modo majorem *Augstburgensibus*, apud iratum nobis & malevolum principem concitavit invidiam, verum etiam actionem injuriarum acerbissimam illis intentavit. Quare dum jam dicti cives nostri, ejus rei gratia, jam dudum Repressaliis nexi, ad festivitatem *Katharinæ* doctricis virginis, sese ad liberam custodiam *Ingelstadium* citati, in publicum hospitium juxta sponsiones sisterent,

rent, domi noſtræ conſulum decreto, quod alienis obſtricti fide forent, ab ordine & dignitate tum ſenatoria tum judiciaria moti ſunt.

Stephanus Muſerus prætor.

Eſtque interea temporis, quando ſcilicet *Georgius Otto Ingelſtadii Bojaris* ſacramento obſtrictus eſſet, *Steffanus Muſerus* prætor hic conſtitutus.

Baliſtarii ludi Conſtantiæ.

Æſtate hujus anni, quæ erat per totum aridiſſima, habiti ſunt *Conſtantiæ* ad lacrum *Acronium* Baliſtarii ludi, ad quos & cives noſtri invitati, ex præcipuis braviis elegantem equum & ſaginatum bovem ſecum adduxerunt domum. Libet autem hoc loci uno atque altero verbo oſtendere, quam facile, quamque cito joci in ſeria vertantur. Contigit in dicta omnium hilaritate, ut civis quispiam *Conſtantienſis* cum *Lucernenſe* quodam talis ludens, inter colligendum, quam lucratus erat pecuniam, *Bernenſem Blaphardum*, *Vaccinum* appellarit, quam nuncupationem, dum *Helvetius*, quam gentem *Suevi* vicini, quia bucolici ſint, & domi vaccas populariter mulgeant, vaccarum vitulorumque vocabulis plerumque exagitant, ignominioſiſſimum convicium interpretaretur, non modo cum adverſario quoque colluſore, a verbis ad verbera in præſentiarum venit, ſed & poſtmodum concitatis conjuratis ſuis, tantum non exitiale toti *Conſtantienſium* Reipublicæ bellum excitavit.

Auxilia Werdenſibus miſſa.

Poſt iſta miſſi hinc III. die Octobris, petentibus *Werdenſibus*, contra *Ludwichum Landsbutenſem* ducem, cui epiſcopus noſter opem ferebat, in præſidium ſunt ſexaginta Ferentarii, una cum duobus curulibus tormentis, & trecentis pyrii ſeu bombardarii pulveris libris. Cumque *Noribergenſes*, aliæque imperii civitates, iisdem ſimilia præſtitiſſent auxilia, nihilominus tamen boni illi viri, contra jusjurandum, ſeſe prædicto duci, citra omnem neceſſitatem XVIII. Octobris, dediderunt.

Hoſtilia experiuntur Auguſtburgenſes.

Dux itaque *Danubianum* illud oppidum occupans, præſidiariis abeundi cum armis licentiam dedit. Colonos tamen civium noſtrorum in propinquo deprædari, & civitati noſtræ hoſtiliter minas, utut cuncta dyplomata ſcriptaque privilegia, & quæcunque alia fidei noſtræ a *Werdenſibus* commiſſa fuerant, prompte ejus juſſu ſint reddita, intentare injurioſiſſime cæpit. Quam ob rem Senatus non immerito hic anxius fieri, ac omnia per civitatem ſuam, tam in publicis plateis quam mœnibus portisque fortius communiri curavit, ſimul ac privatos quosque cives, armatura & commeatu ſive annona, ampliore, per urbem expediri juſſit.

Fœdus cum Monachienſibus ducibus.

Quin diſſoluta jam dudum ea, quæ inter liberas fuerat civitates, ſocietate ſatis aſtute, novum cum *Albrechto Monachienſe* duce, vix tandem nunc ſibi reconciliato filiisque ipſius *Johanne* & *Sigismundo*, ad decennium fœdus, in ipſa *omnium ſanctorum*, alii *undecim millium virginum*, feſtivitate *Monachii* ſolenniter iniit, *Hainrycho Langenmantello* conſule, & *Gabriele Ridlero* Ædili delegatis.

Diſſidia inter Landshut. ducem & Augſtburg. componuntur.

Quod conſilium memoratus *Ludwichus* iniquiore animo ferens, extemplo in univerſum & annuos cenſus & quæcunque debita civibus noſtris e ſuis terris reddi prohibuit, adeoque omnem illis negociationem apud ſuos præcluſit. Quin inſuper tria plauſtra vini, aurigis noſtratibus *Gundelſingæ* vi ademit, & ad *S. Leonhardum*, paguin tribus milliaribus hinc diſtantem, cingulariis noſtris merces ſuas, utcunque leves, in prædam iniique ſuis convertit. Super quo negocio tamen non multo poſt, *Landshutæ* reconciliatio, legatis *Hainrycho Langenmantello*, & *Hanſo Strauſſone* tentata fuit. Et tandem *Ottobainrycho Rheni* Palatino comite transactore, ſequente anno penitus, cum ipſo in gratiam noſtri reducti ſunt, litet defectio illa *Werdenſis* ſeminarium fuerit peſſimi ejus belli, quod imperator poſtea cum dicto *Ludwicho* cumque *Friderycho* palatino Electore, ſex annis geſſit, varia Martis alea.

Albrechto auxilia mittunt Auguſtburgenſes.

Interea *Albrechtus* confœderatus dux, de *Augſtburgenſium* fide periculum faciens, ex improviſo ſuppetias adverſus *Bohemos* rogavit. Senatus itaque promptiſſime ex quoad ejus fieri potuit, celerrime, in ipſa *divi Martini* celebritate, ſexaginta armatos equites illi *Straubingam* deſtinavit. Quos is mox, ubi ſemel tantum foris pernoctaſſent, cum pace ac ſingulari gratia domum redire juſſit.

Munimenta exſtruuntur.

Qua occaſione etiam ad *Lechauſanam* portam, hodie *Jacobina* dicitur, propugnaculum contra barbarorum dictorum irruptiones extructum, tumultuario opere ab ædilibus noſtris eſt. Illo ipſo item Novembri menſe, exædificata ad Orientalem mœniorum plagam, ex adverſo

verso inferioris dealbatorii prati angulo, jacto quernis palis fundamento, magna ea turris urbani Senatus jussu est, quæ *rubra* vocatur, & nosocomejo gallicæ luis propinqua hodie existit, simul ac molendinum apud piscatores, non procul exuviorum colle.

Munera nuptialia Albrechto Brandenb mittuntur.

Eodem mense cum *Albrechtus Brandenburgius* Marchio, altera post Martini cum *Anna Friderychi Saxonum* ducis filia, nuptias *Onolzbachii* celebraret, forte Respublica nostra legatum, *Leonhardum Radawerum* cum honorario munere, decem equitibus stipatum illuc quoque misit, cui tamen *Ludwicbus*, *Bojariæ* dux, noluit salvum conductum *Werdæ* concedere, unde is non sine pudore domum reverti coactus fuit. Verum Senatus postea ad eundem Marckgravium *Hartmannum Langenmantellum* & *Hansum Peutingerum*, equitum nostrorum Centurionem, cum argenteo cypho, CXX. aureorum valoris, pacis gratia denuo, per aliam viam ablegavit.

Lex de expensis capitalis judicii.

Porro hoc ipso anno, lex, ab utroque Senatu hic fixa est, ut omnes expensæ, quæ propter captivos in quocunque capitali judicio fiunt, e fisco persolvantur, secus de aliis vinctis aut de his qui morte non damnantur. Depictus præterea hocce anno, primum in exteriore muro, versus Arctum, supra *Ulrychiani* auditorii Valvas, circulus ille numerarius est, in quo rectus index continuo per transversum ad certos characteres movetur, ac prætereuntibus horas usuales dierum noctiumque demonstrat.

A. 1459. Anno salutis MCCCCLIX. suscepere consulatum *Augstburgi* VII. Idus Januarii, *Leonhardus Langenmantellus*, cognomine *Radawerus* III. & *Andreas Frickingerus* IIII.

Albrechtus Brandenb. sup. Germaniæ protector.

Quo tempore *Friderychus* imperator, supradictum *Albrechtum Brandeburgensem*, generalem commissarium & protectorem superiori *Germaniæ*, in causis ad se per appellationem devolvendis, mere quidem & cum pontificis maximi confirmatione, sed civitatum ob episcoporum superbiam, ingenti malo constituit.

Lites inter Argenenses & Augstburgenses dirimuntur.

Eapropter dum *Argenenses* hæredes, omnino causam suam apud provincialem illius judicem *Onolzbachii*, contra Rempub. nostram, determinandam a Cæsare, reimpetrassent, missi sunt illuc a Senatu, cum *Hainrycho* Marchschalcko, provinciæ & civitatis nostræ præfecto, *Andreas Frickingerus* consul, *Ulrychus Rehlingerus* & *Georgius Strausso*. Qui tamen ea profectione, quod tota civitas ob superiorem contumaciam generatim proscripta esset, nihil aliud effecerunt, quam ut numeratis in pœnam mille aureolis Marchioni, vix tandem in vigilia apostoli Christi Matthiæ, vigentibus interea hic & maximo frigore, & impetuosissimis ventis, absolutionem per sententiam ordinariam obtinuerint. Contestata dein lite, cæpta est actio ea dominica *Invocavit* dicta, quæ in III. Martii diem inciderat, legatis consule *Radawero* & *Ludwicho Hörnlino* adsistente seu advocato, *Victore Mariani* chori custode.

Cumque iterum inter partes res acerrime ventilaretur, ac cunctis valde odiosa videretur, peramicabilem compositionem octavo die, ne videlicet infanda amplius recrudesceret invidia, in eum finem decisa est, ut *Augstburgenses* adversariis decem aureorum millia darent, atque sic accedente præteritorum ἀμνηστίᾳ, pax utrinque secura firmaretur. Quod ubi nostri acceptassent, firmeque retinere studerent, en *Argenenses* ulterius inter sesemet discordias agere, nullo suo commodo, etiam strictissimo jure properarunt, donec male parta male etiam dilaberentur. Cæterum in dicto jam negocio, Respublica nostra præter alias quas maximas fecit expensas, vel pro solo transactionis instrumento Judici CC. & provinciali Notario XXXI. aureos etiam persolvit.

Augstburgenses cum Ludov. Boj. duce reconciliatio.

Istis ita *Onolzbachii* gestis, sunt & *Ingelstadii* XXII. Februarii missis hinc *Georgio Schmuckero*, *Oswaldo Mayro*, & *Haintzio Luterbacho*, & inde mox *Regensburgi* IV. Martii, prædicto *Radawero* consule, *Sigismundo Gossenbroto*, & *Ludwicho Hörnlino* legatis, *conventus*, seu, ut vulgo vocant, *dietæ*, propter detentos in causa *Klinckbaimeri* cives nostros, cum *Ludwicho Bojariæ* duce habitæ. In quarum postrema admodum difficulter, compromissio in *Ottbainrychum Rheni* palatinum, Electorem principem, communem arbitrum ex asse admissa est.

Quo tempore Senatus noster, undique & undique in angustiis constitutus, dum nihil vel certe parum adjumenti a cunctatore Cæsare suo sperare posset, apud *Helvetiorum* confœderationem, quæ tunc temporis justitiæ oppressorumque vindices per *Germaniam* habebantur, *Tiguri* & consilium & auxilium *Bartholomæo Welsero* oratore expetivit. Interea supra memoratus Palatinus

Otto,

Otto, alii habent *Friderychum*, dicta ad festum *ascensionis Christi in cœlos*, quæ III. Maji celebrata est, *Ambergam* die, totum illud negocium tali pacto consopivit, ut sublatis repressaliis, quatuordecim cives nostri, qui a profesto *Johannis Baptistæ* anni lapsi, usque in currentis anni quinquagenales ferias, *Ingelstadii* publico sacramento nexi fuerant, tandem domum liberi sint dimissi. Quatuor vero aureorum millia, quæ dux *Ludwicbus* fisco nostro debebat, simul & ea pecuniæ summa, quam quæstores nostri *Werdensi* Reip. superiore anno mutuum dederant, remitterentur. En autem tibi, quam nulla calamitas sola sit.

Annonæ caritas.

Die etenim Lunæ, quæ proxime ebriosam *divi Urbani* festivitatem, præcedebat, quæque Maji mensis XXII. ordine erat, nimbosa nix inexspectato decidens, ansam octo continue subsequentibus auroris, pruinæ quam rigidissimæ præbuit. Quæ cum & arboribus & vitibus florescentibus damna inferret, mox ingentem caristiam apud nos peperit. Major enim tritici modius XX. olyræ XIV. avenæ IX. grossis publico foro per æstatem & autumnum veniit.

Albrechtus Austr. dux Augstburguni venit.

Postquæ infortunia, adpulit *Augstburgum* III. die Junii cum turma CCCL. equitum *Albrechtus Austriæ* dux, cui cum fratre imperatore raro conveniebat, quem Senatus hic aureo panno CXXX. aureorum precio comparato, una cum consuetis vini & piscium muneribus, officiose donavit, manentemque triduo toto summa prosecutus reverentia est.

Supplicia.

Eo discedente, elapsis jam novem diebus, *Hainrzius Rellerus* institor & civis capite est hic plexus, tum quod datas senatui obligatorias violarit tabulas, tum quod toti civitati hostilia comminatus fuerit. Quem brevi XX. nempe ejusdem mensis die, quæ erat Martis, proxima post *S. Baptistæ nativitatem*, *Hansus Federus* secutus, propter DC. alii CC. tamen ponunt, aureolos, quos dum *Schweitzeros* conscribere Reipub. nomine debuerat, depeculatus, in privatum usum, converterat, securi percussus publice est, utut pellionum Tribunus extiterit, inque *Sperberseggeri* Canonici ædes aufugerit. Ob præcipitem tamen hancce damnationem, vidua illius relicta, mariti innocentiam probatura, totum Senatum cum prætore apud *Friderychum* imperatorem accusavit, inque jus *Rottwylam* vocavit, ubi diu multumque de violentia quærulans, post triennium demum auro placata, ab omni actione destitit, patriæque pacem dedit.

Patritii inter se digladiantur.

Dum itaque sublatis nocentibus Respublica sibi in portu navigare secura videretur, accidit VII. die Junii, ut obortis jurgiis patricii aliquot inter sese, in suo contubernio diris conflixerint armis, ac præter nonnullos alios læsos, *Ulrychus Hangenor* in ipso statim congressu confossus pugione sit, *Georgiusque Vitellius*, accepto lætali vulnere, post pauculos dies in *Ulrychiano* asylo itidem expirarit. Unde cum inter cognatos & adfines illorum, ingens glysceret tumultus, totaque civitas facti atrocitatem detestaretur, facti haud segni a magistratu animadversione. *Chunrado Vitellio*, demortui *Georgii* germano, civitate metu pœnæ homicidii dilapso, XVI. die Augusti mensis, sub divo inter prætorium ædiculamque *Petrinam*, frequenti Senatorum Judicumque adstante corona, ab *Ottone* jam restituto civitatis subpræfecto, pro more igni & aqua interdictum est.

Calamitas ex viliore moneta.

Sub quam tempestatem, postquam & *Friderychus* imperator, & *Monachienses* duces, mixta æri quinta tantum argenti parte, novos apud suos, & eos ex nigris albos, procudi fecissent nummulos, illique subdole, ut semper viliores solent, probiori nostræ miscerentur monetæ, mirum dictu quam detrimentosa ex ea versura, *Augstburgi*, tum in foro tum inter privatos parietes acciderit mutatio. Nam intra paucos dies vix duo, mox tres, talium nummulorum pro uno nostrate, in contractibus emptionibusque & expensi & computati sunt, cum tamen compari valore jam recepti initio fuissent.

Lites cum Ulrichiano abbate.

Quo anno nonnihil negocii propter reficiendum ponticulum ante *Rubram* portam Senatui nostro cum abbate *Ulrychiano* erat. *Werda* etiam *Danubiana*, *Stephani* a *Nardinis* apostolici legati, & potissimum *Sigmundi*, *Tyrolensis* principis transactione, imperio restituta mense Julio fuit, initio N. *Aichstettensi* episcopo jurejurando adstricta, & post duos menses *Ulricbo Bappenbaimensi* marchschalco commissa ab Imperatore; Imperator item noster augusta prole, apud *Neostadium Styriæ*, sive, ut alii volunt, *Dantzbergæ* in *Carinthia*, *Maximiliano* videlicet filio XII. die Martii auctus, difficillime sane *Georgium Pogginbratium*, Baronem a *Kunstatto*, cui *Brunnæ* totum jam *Bohemiæ* regnum, una cum adnexis principatibus, in feudum splendidius, quam utilius contulerat, prohibere potuit, ne Cæsar ab Electoribus quibusdam constitueretur. Foris autem sub medium Quadragesimæ, a maxima *Hungricorum* procerum parte, vel sacræ coronæ gratia, quam in sua potestate adhuc detinebat, in regem suum per discordiam assumptus est. Prævalente vero *Huniadica* factione, contentus titulo & successionis jure, *Matbyæ Corvino*, vix dum plene a carcere, decollato ob *Cilejensis* comitis cædem *Ladislao* fratre liberato, acceptis octuaginta millibus aureorum nummum, regnum dimisit *Pannoniæ*.

Matthias Corvinus Hungariæ rex.

niæ. Denique *mendacii* pœnam publico igne *Wasserburgi* vetula ea luit, quam dudum fassa fuerat, se XXIIII. aureos a Senatu *Augstburgense* sumpsisse, ut incendia per *Bojariam* faceret.

A. 1460. Anno Domini MCCCCLX. facti sunt *Augstburgi* VIII. Januarii die, consules, *Bartholomæus Welserus* II. & *Georgius Strausso* III. capitque statim tam leve precium annonæ hic esse, ut circiter *purificationis beatæ Mariæ* festum, *Austriaci* meri mensum bilibralis, quatuor nummulis, *Italici* vero sex, apud Caupones prostiterit.

Annonæ vilitas.

Oetingenses nummuli rejiciuntur.

Quia tamen nova pecunia, præsertim A *Oetingensium* comitum nummuli, justo deterior, enormem adhuc tenuioribus noxam dabat, interdicto prætorio ea penitus summota est, ita ut *Hausi Koppi* jurati monetalis probatione, sexaginta ejusce monetæ nummuli, unico tantum Bohemico grosso, qui & denarius erat, permutati deinde sint. Cæperuntque mox post reformatum æris valorem, sexaginta nostrates & melioris notæ nummi, libra minor, ac III. nummi panarius solidus, communi voce per urbem appellari, cum major libra nummum XX. solidos, solidus vero XII. nummos hactenus continuerit. *Rhenensis*, vero aureolus CCVI. talibus valebat nummulis. B

Bessarion pernoctat Augstburgi.

Porro XXIII. Februarii die, pernoctavit in ipso episcopali palatio hic, *Bessarion* græcus ille doctissimus, qui literarum & philosophiæ merito, episcopus *Tusculanus*, patriarcha *Nicenus*, ac Romanæ ecclesiæ cardinalis, tandem a Papa *Eugenio*, factus, jamjam *Pii* secundi summi pontificis, qui cum diu imperatoris *Friderychi* Secretarius fuisset, non modo omnium principum arcana per *Germaniam*, sed & cunctorum antistitum opes exploratissima habuit, atque inde papa creatus, facile ad nutum suum & proditorie universos divexavit, ad *Germanos* legatus, pro constituenda pace inter *Ludwichum Bojariæ* ducem, & *Albrechtum Brandeburgium* Marchionem agebat. C

Qui duo principes, quod ille *Germaniæ* numosissimus ditissimusque hic natura ferocissimus & bellator esset, ob jurisdictionem provincialis judicii, cui Marckgravius non solum vicinam sibi *Franconiam*, sed & *Bojariam* & *Sueviam* omnino subjectas esse voluit, maximis inter se tum odiis, tum auxiliis, haud levi *Aichstettensis* episcopatus, civitatisque ejusdem detrimento bella gerebant. Cumque *Bessarion* nihil operæ pretii fecisset, inducias tandem *Petrus* Cardinalis, episcopus noster in ipsis castris, vulgo in campo ajunt, circiter festum *Johannis Baptistæ* ad aliquot menses impetravit. D

Sub quibus motibus mox *Hainrychus Erlbachus* archigrammataeus, cum Senatu nostro discordias agere inverecunde occepit, atq; ejus rei causa hinc fugitans tum prædicto *Ludvicho* nostris infensissimo duci, se junxit, tum totam Rempublicam non parvis molestiis sumptibusque, novis continuis annis, quandocunque & ubilibet occasio dabatur, implicavit. Estque paulo post ipsius irritamento, civitas nostra per imperatorium quoddam mandatum, ad diversa tribunalia in unum & idem tempus citata, videlicet ut coram *Johanne Tulbeckio Frysingense* præsule, cum centum & quatuor, adhæc coram *Ulrycho* comite *Oetingense* cum septuaginta quatuor civibus, secundo die Martii compareat, ac latæ adversus Tribunum *Federum* & *Haintzium Kellerum* sententiæ rationem reddat.

Erlbachus transfuga multas molestias parit Augstburgo.

Sed quia de re judicata reconveniri se injustum Senatus arbitraretur, mandatumque supra dictum surreptitium videretur, nequaquam sibi parendi necessitatem incumbere censuit, ac nemini ob eam rem nisi coram ipsomet imperatore responsurum se præfracte protestatus est.

In hisce turbis conflagrarunt fortuitu XVII. vel ut alii annotarunt, XXV. die Maji, sabbati videlicet ejus nocte, quod *ascensionis Christi in cœlum* festivitatem celebrem proxime præcedit, totæ eæ ædes, quæ vulgariter *canonicorum lapidea domus* dicuntur, quasque XI. patresfamilias conductis manlionibus seorsim una inhabitarant, periereque igne illo etiam tres homunciones misere. Porro XXI. augusti habita est apud nos in Senatu deliberatio super restauranda publica illa taberna, in qua ante *Mauritii* ædem frumenta vendi solent, verum absentibus patritiis & consule ipsorum reliqui plebei in tot sententias abiere, ut institutum negotium non fuerit absolutum.

Incendium.

Quo anno Senatus quoque, facto sub finem Octobris plebisscito, sedecim nummulos in singulos ad molendina deportatos, octo vero in quoscunque divenditos frumenti saccos, portorii nomine exigi, & in ærarium conferri curavit, necessitate item ita urgente, in omnes alias quoque merces specialia vectigalia denuo per urbem hanc imposita per Senatum sunt. Quin & VI. Julii *Lechi Werdachæque* fluenta in tantum ex improviso intumuerunt, ut alveos utrinque & ripas excedentes, hæc agros prope patibulum, ille dealbatoria prata omnino inundaverint, *Augstburgensemque* civitatem insulam effecerint.

Vectigalia imponuntur.

Inde adeo sub initia Augusti mensis, missi hinc imperatoris edicto, quinquaginta armati equites *Haidelbergam* sunt, ubi

Auxilia Friderico Rheni Palat. mittuntur.

Fridericus Rheni palatinus adversus *Johannis a Lapide Zwifaltachensis* abbatis contumaciam ulterem colligebat exercitum.

A. 1461. Anno Christi MCCCCLXI. Consules de more hic creati sunt *Leonhardus Langenmantellus* IIII. & *Ulrychus Dendrychius* II. Sub quibus plebani animarumque per civitatem nostram pastores, sive innata avaritia, sive impudenti dominandi libidine capti, Quadragesimalibus & ecclesiasticam absolutionem negare, & sacra communione interdicere civibus illis præsumptuosissime conati sunt, qui vel *Pulsani* vel *Meraniæ* in nundinis merces suas distraxissent, aut qualiacunque negocia ad *Athesim* tractassent, eo quod *Sigismundus Austricus*, comitatus ejus princeps per ingratissimum illum *Senensem Pium* II. pontif. max. sacris cum omnibus suis abstentus foret, propter debellatum & *Brameggæ* captum Cardinalem *Nicolaum Cusanum*, qui dicto duci jam diu in curia Romana, ob portoria ad Lugum propterque jura & decimas tum *Hallensium* Oeni salinarum, tum *Schwatzensium* argenti fodinarum, lites moverat, ac cuncta ea ad episcopatum suum *Brixinensem* immediate pertinere contenderat. Sed vide sis amplius, lector, pfafforum devotionem,

Clerus mercatoribus sacris interdicit.

Hanssus Kystlerus per clericum perit.

Etenim dum vulgus omne, per eam septimanam, quam a sacrorum ritu *Magnam* vocamus, Christi veri Dei & hominis in nostræ salutis gratiam perpessam in cruce mortem religiosissime ubique recolit, Sacrificulus quidam non ita procul *Regensburgo Gergi Schaufferi*, qui ad illum vel capiendum vel interficiendum CC. aureis conductus fuerat, proditione, spe proclamati precii illectus, *Hanso Kystlero* jam dudum patriæ perduelle denunciato, gulam supino præscidit, dum lippis illius oculis se collyrium adhibiturum promittit. Quapropter precium sanguinis a Senatu nostro, postquam *Schaufferus* exangve illius cadaver sacco ad *Stephaninam* portulam huc noctu vexisset, satis liberale accepit, fremente interim ob facinus illud *Ludwicho Bojariæ* duce.

Belli per superiorem Germaniam motus.

Cæterum ver hoc & pluviosissimum & ubique inundans fuit, ac recrudescente tum inter jam dictum *Bojarum, Onolzbachensemque* Marckgravium fatali bello, maximi motus per universam superiorem *Germaniam* excitati, non sine Reipublicæ nostræ trepidatione sunt. Cumprimis, quod jam, post *Egranum* conventum, *Ludwichus* dux, Palatini *Rhenani* Electoris suppetiis, quanda potuit celeritate, castella & oppida plus minus viginti tria, in prahabiti Marckgrafii terra occupasset, unde adeo & ipsus *Friderychus* Cæsar, jure indignatus, ex *Grätzio Styriæ* XX. Julii hostile dyploma *Bojaro* transmisit. Et instituto supra nominato *Albrechto Brandenburgense*, Marckgrafio, universi sui exercitus supremo Polemarcho, etiam Senatui *Augustburgensi* mandavit, ut se pro viribus adversus *Bojaros* juvaret.

Sueviæ civitatum convenus.

Quod ubi & aliis *Sueviæ* civitatibus similiter impetratum esset, confestim illæ deliberabunda ea de re conventiones celebrarunt, bis nempe *Nördlingæ*, commissario cæsaris *Hainrycho Bappenheimense*, provinciali præfecto nostro, & consule *Radaverio* civitatis nostræ legato. Et dein Augusto mense *Eßlingæ*, ac multas ob causas obtemperare distulerunt. Quoad tandem Respublica nostra XXV. Septembris, volante jamjam imperiali Aquila in castris *Schiviabachii*, Cæsareo mandato tertium instantissime requisita, omnem lapidem moverit, ut propter præsens periculum, sociæ civitates denuo convocarentur. Interea cum utriusque partis principes, favorem urbis nostræ persuasorias literas anibirent, ipsusque adeo *Poggiebratius Bohemiæ* decimus septimus rex, Senatum hic privatim, ne arma contra *Bojum* sumeret, hortatus fuisset, seque bellum id, sequestrarie compositurum asseveraret, impositæ tamen hic civibus, ad anni principium, ad festum pentecostes, & ad diem Michaëlis, pecuniariæ exactiones publicæ sunt.

Vectigalia imponuntur.

Quin item II. die Novembris nova vectigalia, tantum non omnibus vendibilibus rebus apud nos etiam imposita sunt. Dumque simul quoque ingens annonæ caristia invalesceret, Senatus decreto statutum est, ut deinceps in publico foro major tritici modius, quinque libris nummi minoribus, & Secalis olyræve tuntundem uno aureolo venderentur hic.

Imperialium civitatum conventus Ulmæ.

Demum misio hinc *Ulmam*, ubi circiter X. Decembris, viginti tres superioris *Germaniæ* liberiores civitates con-

congregabantur, *Andrea Frickingero* Reipublicæ noſtræ nomine legato, præfatus *Ludwicbus* dux, communis hoſtis declaratus eſt, ſuntque Cæſari auxilia contra ipſum unanimiter ab omnibus decreta, exceptis *Noribergenſibus*, qui pro peculiari providentia, numerata & Cæſari amico, & hoſti *Bojo* pecunia, neutri parti adhæſiſſe videri voluere.

V. viri belli curatores.

Martis itaque opere adperte jam fervente, conſtituti ab utroque Senatu quinque viri ſunt, nempe Conſul *Radawerus* & *Hartmannus Langenmantellus* patritii, *Leonhardus Pfiſterus* mercatorum, *Andreas Frickingerus*, Salinatorum, & *Paulus Rotenawerus*, Sutorum contribules, qui totius inſtantis belli conſiliarii, ad inſtar Dictatorum hic forent, novusque iterum cenſus *Augſtburgi* noſtro, paulo ante natalem domini, a civibus exigi cæpit, ut videlicet de ſingulis centenis trigenis promptæ pecuniæ aureolis, ſemper unus in ærarium referretur per annum.

A. 1462. *Bellum cum Ludwicho Ingolſtadienſi ejusque ſociis.*

Anno redempti orbis MCCCCLXII. creatis proxima die Jovis poſt feſtum ſtellæ, *Augſtburgi*, *Bartholomæo Welſero* III. & *Georgio Strauſio* IIII. conſulibus, conſcripti a Senatu CC. equites, pro inſtante militia, ſimt, inter quos non ſolum nobiles multi, ſed & *Oswaldus* comes a *Thierſtaina*, ſtipendia fecerunt, conductis adhuc peditibus quam plurimis, inter cives quoque delectus Tributim eſt habitus. Quorum omnium ſumma nunquam quina exceſſit millia, & ex quibus ſemper media pars armata, ſtationem ſuam fortiſſime ad commiſſariorum mandatum, tutata eſt.

Belli indictio.

Miſſis itaque fæcialibus, tota Respublica noſtra *Ludwicho Ingelſtadienſi*, cunctisque illius adjutoribus ſociisque XXII. Januarii die ſpeciatim hoſtilia denunciavit. Quemadmodum & viceverſa *Landshutenſes*, *Ingelſtadienſes*, ſimilesque Bojorum civitates, noſtris pacifica quæque abrenunciarunt.

Kreutham & Wolffbergam Augſtb. capiunt.

Ac protinus cum hyems frigidiſſima, paludes quascunque & aquas pervias reddidiſſet, equites noſtri *Bauchutzio* ductore, in feſto converſionis Pauli *Kreuthum* & *Wolffbergam*, arces Bojaricas, quarum hæc *Hanſi Nördlingeri* civis erat, incenderunt, tertioque die poſt unum & viginti *Höchſtettenſium* equites, qui *Byntzwangam Hartmanno Langenmantello* exuſſerant, *Wertingæ* interceperunt, pedites vero XXX. ejusdem menſis die, pontes *Lechi* combuſto telonio in armata dejecerunt, demolitique ſunt juga.

Bocksbergæ expugnatio.

Inde mox V. Februarii circumvallavit *Albrechtus* Marchio *Bocksbergenſe* caſtrum, eo quod *Rietherus Noribergenſis*, illius ex *Jocobi Remi* filiæ uxoris dote poſſeſſor, ad latus *Bojariorum* inclinare putabatur, ſtatimque illud ſine ſudore deditum, civitati noſtræ, quæ CCC. pedites & C. equites *Wilhelmo Rechbergenſe* ductore illuc miſerat, relignavit, ac *Bojaricas* copias ad portas usque *Höchſtettenſis* oppidi fugavit, capto *Hanſo Freibergenſe* capitaneo illorum una cum XIII. ſatellitibus.

Sigismundus Argenenſis belluin indicit.

Interea *Sigismundus Argenenſis*, propter data, neſcio quæ collonis ſuis damna, ad *Ludwicbum Bojarum* a patria tranſiliens, *Albrechto* Marchioni, *Ulrychis Wirtembergio* & *Oetingenſe* comitibus, ſimul ac civitatibus illis confœderatis, quarum XXX. numero erant, nempe *Augſtburgum*, *Rottvila*, *Nörlinga*, *Ulma*, *Memminga*, *Lindavia*, *Campidona*, *Hala*, *Bibrachium*, *Rotenburgum Tuberæ*, *Ravensburgum*, *Uberlinga*, *Eſslinga*, *Dinckelsbychela*, *Hailbrunna*, *Gienga*, *Reitblinga*, *Kauffbeyrha*, *Werda*, *Gamundia*, *Wimpfa*, *Schweinfurtum*, *Luttkyrcha*, *Isna*, *Wanga*, *Pfullendorffium*, *Buchorna*, *Uvyla*, *Ala*, & *Bopfinga*, fæciales literas transmiſit.

Hoſtilia Fridbergenſium.

Atque inde hoſtes *Fridberga* in propinquo erumpentes, *Chunrado Gaſsnero* hoſpiti famulum fimi plauſtrum cum tribus equis vehentem, ante *Hausſtettenſem* portam, captivum cum jumentis, abduxerunt, ac ſtatim XXII. menſis hujus nocte, *Dealbatorias caſas*, *liquefactoriam officinam*, *duas ſerrarias*, ac *unam maleatoriam machinas*, prope *Jacobæam* portam, nec non *hospitalis piſtrinum* in conſpectu civium concremarunt, proximosque ab occaſu tum pagos tum caſtella truculenter invaſerunt.

Monbaimæ expugnatio.

Poſt quæ mox quingenti pedites, & centum quinquaginta equites, cum ſeptuaginta plauſtris, omnibusque aliis bellicis inſtrumentis, ad obſidionem *Monbaimenſis* oppiduli, hinc *Werdam* ad Marckgrafium abiere. Quod poſtquam miſere tormentis diruerentur, vigeſimo ſeptimo præſentis menſis die imperio ſe dedidit.

Quo die etiam noſtri milites *Sertzlingam*, *Wolffshauſamque*, econtra vero *Fridbergenſes Lechauſam* deprædati ſunt, dum interea *Laugingenſes Höchſtettenſesque* præſidiarii, *Hildboldo Knöringenſi*, quod ſtipendia hic faceret, *Jetingam* haud incruenter oppignarent. Et *Schylhauſius*, *Hanſo Nördlingero* ſupradicto, qui, cum civis foret, *Bojis* tamen militabat, *Horgam* inflammaret.

Schwyzeri.

Cæterum adpulerant forte ultimo Februarii DCCC *Schwyzeri*, quibus Senatus in ſingulas ſeptimanas, quinque aureoli quadrantes in ſtipendium viritim ſo-

vit; provincialibus autem noſtris, duo cum dimidio tantum aureoli una cum alimoniis in ſingulos menſes contributi fuerunt. Ex horum omnium itaque numero, poſtquam in vicinia *Schwyzzerorum* auſpicio, aliquot leves pugnas edidiſſent, mille milites ex urbe hac inimicorum terram adorſi, quinque pagos, cæſis decem hoſtibus diripuere combuſſereque. Fuit præterea tunc ſub finem Martii etiam *Gundelfinga* a ſociis noſtris, ad quos ipſe *Radawerus* conſul, præter priora auxilia, cum L. equitibus, & CCC. peditibus hinc quoque iverat, fruſtra obſeſſa.

Vertinga capitur.

Bojarus vero dux *Ludwichus* talionem reddens *Wertingam Langenmantellorum* oppidum agmine decem millium militum obſedit, obſeſſum doloſe interpaciscendum cepit, captam militibus diripiendam conceſſit, ac impio *Bohemannorum* accedente, in templo ſacrilegio exuſſit, ducentosque noſtratium peditum, qui tunc illic in præſidio fuerant, III. Aprilis in captivitatem abduxit. Quocirca ſeptuaginta equites, trecentique pedites hinc *Schongaviam* ad adducendas ratibus *Venetas* merces, animoſe petierunt, easque ſalvas huc adduxerunt.

Albrechtus Auguſtburgenſibus fert opem.

Sed *Albrechtus* Marchio mox cum ducentis Loricatis equitibus, quos eadem nocte centum alii *Wirtembergenſes* ſequuti ſunt, *Augſtburgum* intrans, conſultare cum civitatum commiſſariis latius cæpit, quo pacto tandem tantis malis ulterius reſiſtendum eſſet. Septimo itaque Aprilis quingentos equites, & mille pedites aſſumens, veſpere hinc in *Bojariam* irruit, *Effingenſem* arcem, *Rhelingam*, & *Ainlingam* inflammavit, magnamque prædam ac multos captivos *Bojaris* ſuo malo inſequentibus domum retulit. Fuit autem in hoc procinctu *Hanſus* a *Freiberga* noſtrorum militum capitaneus. Quam cladem *Ludwichus* dux, neutiquam tarde vindicare ſatagens, deprædata vaſtataque prius *Langenawia* mox VII. poſt die, cum DCCCC. equitibus ad patibulum civitatis usque noſtræ immaniſſime procurrit. Marchione autem ſe illi opponente, ſolum ruſticas aliquot caſas apud *Pferſam Bergamque* combuſſit, retroque inglorius abire, compulſus fuit.

Imminens tumultus avertitur.

Et quanquam extra mœnia apud nos dirum in modum cuncta periculis expoſita forent, intra eadem tamen vix militis ſeditionem, ingentemque ſui direptionem, vulgo *Sackmanium* vocant, præcavere Senatus potuit. Etenim *Andreas Trugſeſſus* ab *Hofinga*, vetus ob odium *Geſſelio* Marianorum myſtarum decurioni, forte tunc foras prandenti, ſabbatho palmarum, quod erat X. Aprilis cum manipularibus ſuis ædes effringere, ac diripere auſus fuit, e veſtigio autem præſente conſulum autoritate repreſſus, & in vincula, e quibus data Reipublicæ diſerta cautione, numeratisque prædicto Decurioni octingentis aureolis, poſt menſes aliquot liberari, civitatem abjurando, primum meruit, conjectus eſt. Quod malum profecto ni in temporis momento factum fuiſſet, non modo ſacerdotes, uti inſtitutum fuerat, ſpoliati abiiſſent, verum etiam atrox tumultus totam peſſundediſſet civitatem, quis enim ubi ſemel admiſſus fuerit, furorem militis promiſcui cohibere poterit? Ob ſervatam igitur hac ratione rempublicam, arripuit providus Senatus occaſionem, ac in feſto ſacri militis *Georgii*, tam majores *Dominicani* capituli myſtas, quam reliquum omnem clerum fidelitatis juramentum ſibi præſtare juſſit, injunxitque, ut ad claſſici cantum, ſive is per ſolitam campanam, ſive per tympanum fieret, ſinguli illorum famuli armis tecti, ſub civium ſignis, communem patriam propugnare fideliter juvarent.

Monachienſes fruſtrati paciscendi conciliatores.

Interea XVIII. Aprilis in ipſis feriis paſchalibus venere huc ad *Albrechtum* Marchionem *Johannes* & *Sigmundus Monachienſes* dicti, *Bojariæ* duces, & poſt triduum hinc iter *Laugingam* ad *Ludwichum Landesbutenſem* agnatum ipſorum, qui hac ipſa tempeſtate Academiam omnium artium profeſſionumque, doctoris Martini Maieri, epiſtolarum ſuarum magiſtri hortationibus *Ingelſtadii* primum inſtituit, quanquam alii *novennio* poſt erectam ſerant, impetrandæ pacis gratia fruſtra fecerunt. Circa quod tempus *Ulrychus Oetingenſis* comes, noſtrorum ſocius, a *Bojis*, qui jam *Näriſshaimam* in *Ryeſa* occuparant, *Vendlingæ* debellatus ſtrenuum auxilium, *Albrechto* Marchioni ex urbe hac uno die DC. equitibus advolante ſenſit. Cum viceverſa agnatus ipſius *Ludwichus* comes *Oetingenſis Bojarum* gregalis ab *Harnauſſio*, patritio noſtro, ad *Laugingam* martialiter captus, quoque paulo poſt fuerit.

Inde

Augſtburgenſium in hoſtes excurſiones.

Inde XXIV. Aprilis die, eruperunt CL. viri ſua ſponte ex civitate noſtra, qui tamen nullo ſtipendio militabant, in *Bojariam*, incenſisque duobus pagis prædam LXXX. boum, cum ſeptem captivis ruſticis altero die ſecum adduxerunt, interque ſe læti diviſerunt. Poſtquæ *Lechauſana* porta, quæ, & *Jacobæa*, cujusdam teuthonicæ *B. Mariæ* militiæ conſecranei delineatione, ad *Boruſſicæ* ſtructuræ formam propugnaculo hoc ipſo menſe communiri fortius cæpit. Cæterum V. nonas Maji, ducenti quinquaginta A equites, & bis mille pedites, hinc erumpentes *Friedbergam*, *Aicham*, & *Schrobenhuſam* terruere, incenſisque ſedecim villis, inter quas *Ottmaringa* flammas prima paſſa eſt, ingentem prædam, fruſtra hoſte prœlium intentante, domum protraxere.

Ludwichus Augſtburgi obſidionem fruſtra intendit.

Dum vero ſic utraque *Lechi* ripa incendiis & rapinis vaſtaretur, ipſusmet *Ludwichus* dux XII. Kalendas Junii, integro exercitu *Sueviam* petens, initio *Gablingæ* caſtra fixit, ac poſtridie civitatem noſtram iterum propius, & ſane ſatis hoſtiliter ab Arcto, e regione patibuli, adorſus eſt. Cui confeſtim cives toto triduo, tam infeſtis armis, præcipueque currulibus tormentis, quæ tamen tunc temporis ſolummodo ſectis e lapide globis fulminabant reſtiterunt, trajectaque *Wertacha*, multis occiſis, non paucos tanta fortitudine interceperunt, ut omnem amplius obſidendi oportunitatem duci ademerint.

Quare quamprimum ſe in tutum recipiens quingentos equos bovesque & plus quam duo millia ovium & ſuum, ex quibus ſolius *Ludwichi Meitingi*, quingentæ bidentes fuerant, ex *roſarum augia*, *Geggingæ*, *Pferſa* & *Oberhuſa*, abbatis inſuper ex eccleſiarum turribus campanis abegit.

Cujus veſtigia quadringenti noſtrorum *Volonum*, præcipue *Schwytzerorum*, qui ſemper inſtar ahenei muri noſtros prœliis præcedebant, propere eadem nocte legentes, haud contemnendum *Bojaris* talionem & cædibus & repetendis ſpoliis, *Ulrico Wolfio* cognomento, *Baucburzio* & *Schillhanſo* præcipuis ductoribus, retulerunt. Et ex eo tempore, conſtructa Senatus juſſu ad utramque *Werdachæ* ripam repagula, ex longis aſperioribusque pinaſtris ſunt, ne ſcilicet poſthac hoſtes tam facile amnem eum perrumpere, prædasque hinc abſque impedimento abigere poſſint.

Halo ſolis.

Non longo intervallo ab his, tertio nimirum nonas Junii, ſplendidiſſimus Halo Solem, ad inſtar Iridis, ab ortu in occaſum ferme usque circumdare, non ſine omine populique admiratione, conſpectus hic eſt. Ac dein ſub Quinquagenalibus feriis denuo utriusque Senatus conſulto, tum vectigalia aucta, tum *publicus cenſus* ſive *Struira*, quo de capite cenſis XV. nummulos, deque habitiorum ſingulis ducentis quinquaginta aureolis, unum aureolum recipere cenſores hactenus ſoliti fuerant, inter cives hic triplus inſtitutus eſt, hac nimirum lege, ut de LX. aureolis promptæ pecuniæ, jam unus ad fiscum, de fundis vero domibusque dimidius rediret. Atque ita illi demum, qui de certa bonorum ſumma, equos ad certamina aluerant, onere eo levabantur. Verum cum adhuc etiam nervi bellorum deficere viderentur, imperatum omnibus præterea eſt, ut quoties unum aureolum juxta præſcriptam exactionem ærario penderent, toties jam deſuper unius aureoli uſuram ad dies vitæ, ſorte octo aureolorum a Senatu B emerent. Quanquam nonnulli, ſcribant, unius aureoli uſuram, ad duorum hominum vitas decem aureolis divenditam tunc fuiſſe. Defalcati tunc quoque ſtipendiariis equitibus de annuo ſalario V. aureoli ſunt, quas ſordes illi usque adeo deteſtabantur, ut multi ſtipendio prorſus renunciarint, ſed & ex profeſſo inimici civitatis poſtmodum ſint redditi.

Cenſus bevatur.

Interea VI. Idus jam dicti menſis alia militum noſtrorum manus CC. vaccas & C XLII. equos *Munſterhauſæ* prope *Rhainam*, in prædam vertit.

Exempla inſignis ſuperſtitionis.

Hoc loci nequaquam ſilentio prætereundam ævi hujus ſuperſtitionem duxi. Etenim *Bojobemi Bojaris* militantes, cum chriſtiana fide reliquos præcellere ſibi viderentur, quoties templa ſuo more ſpoliarunt, & e ſacrariis argentea vaſa prophane diripuerunt. Euchariſtiæ panes loculis ſuis ad pecuniam includentes, lucri cauſa circumtulerunt e collis. Noſtrates vero D ruſtici, qui Romanam religionem adhuc agnoſcebant, tutelaribus ſuis timentes, cuncta ſacra una cum campanis in urbem noſtram tanquam aſylum tanto ſtudio convehere ſatagerunt, ut aliquando duo æditui ſacramentum altaris, Viaticum dictum, in lignea mulctra, ſeu potius oblongiore vaſe, quo butyrum a lacte abſtrahi ſolet, præcedente vola reverentiæ ergo huc humeris deportarint.

Augſtburgenſis exercitus inſtratio.

Quia vero cives noſtri caſtramentationum ignari, & præſertim illorum munimentorum vallorumque, quæ quadrigis fieri ſolent, inexperti eſſent, conſultum centurionibus ipſique adeo *Thierſtainenſi* comiti, qui XXV. Maji huc tandem ex hoſtili terra cum octuaginta armatis equitibus ſalvus redierat, viſum eſt, ut ejus rei gratia tam pedites quam equites apud nos luſtrarentur, expeditiusque ad id tyrocinium inſtruerentur.

Quod & XV. die Junii, recenſitis quinque millibus militum, in agris prope patibulum, adductis aliunde CC. quadrigis, quorum cuilibet bini bombardarii & totidem ſcutati pedites, cum longioribus ſcutis adhibebantur, ſatis ſcite militariterque factum eſt. Quamprimum vero dux *Ludwichus*, per exploratores id didiciſſet, puranis ſe peti, mox *Rhainam* deſeruit, ac copias ſuas *Fridbergam* deduxit. Sub quam expeditionem nobilis quidam ab *Abensberga*, *Hippolitum* ſive *Hildboldum Knöringenſem*, reipublicæ noſtræ militantem, ad concurrendum ſecum acuta haſta, ultra *Lechum* ſatis ſuperbe provocavit; ad quam evocationem ubi noſter ille animoſus annuiſſet, *Bojus* conſtituto die ceu vanus jactator, nusquam comparuit.

Ludwichus rurſus Augſtburgum obſidet.

Cum tamen publica fide utrisque ſatis abunde foret cautum, noſtris itaque ſe caute intra muros continentibus, denuo dux caſtra ad urbem, ſub finem ejusdem menſis movit. Poſtquam autem noſtri ſemel atque iterum cominus pugnare, viriliterque erumpere non formidaſſent, hoſtium audacia langueſcente; majoribus tormentis illos a foſſatis prorſus pepulerunt. Quapropter deprædata *Hausſtetta*, incenſisque duabus ibidem domunculis, porcis denique & ovibus, quas abegerant, gregatim ad noſtros recurrentibus, domum totus inaniter repedavit exercitus. Nonnulli annales referunt, tunc pacem a noſtris MM. aureorum fuiſſe redemptum.

Fridrichus vincit.

Ea tempeſtate *Fridrychus Rheni* palatinus & imperii Elector, dum cognato *Bojaro* ſtrenuam fert opem, a *Carolo Badenſe* Marckgravio, ejusque fratre *Johanne Metenſium*, alii *Moguntino* legunt, epiſcopo, nec non ab *Ulrycho Wirtembergio* comite, Imperatoris nomine debellatus, improviſo ſtratagemate jam dictas tres principes ſimul, cum plurima aliorum nobilium comitumque caterva, prope *Brettam* Kalendis Julii cæpit, ac poſt novum captivitatis illorum menſem, tandem Cæſari reconciliatus, magno auri pondere redemptos dimiſit.

Clades Augſtburgenſium.

Quando tamen omnino Martis aleam experiri *Marchio* noſter ſtatuiſſet, ac ipſius mandato hinc duo peditum millia, quos eo ſæculo *fratres* adpellare moris fuit, quemadmodum adhuc hodie, dum ad tympani ſonum, aliquid illis ſignificandum venit, *fratres* vulgariter inclamantur, ducenti equites, & ex currulia tormenta in aciem educenda eſſent, lecti ſunt ex univerſæ plebis Tribubus, milites, ita ut textores CC. Inſtitores XL. & ſic de ſingulis aliis pedites expediverint cives; quibus CC. etiam *Schwytzeri*, una cum CC. bellicis quadrigis a Republica juncti *Ulmam* VI. Idus Julii miſſi ſunt.

Poſt quos nihilominus altero mox die XX. equites & L. ferentarii, *Schylbauſo* armiductore, tyrocinium facere, atque ex civitate noſtra in *Bojariam* erumpere, non ſunt cunctati. Ubi duos pagos incenderunt, & onuſti præda fruſtra illis, qui *Fridbergæ* in præſidio erant reſiſtentibus, cum tripudio ad nos redierunt. Inde cum *Bojis Haydenhaimam* armis recuperaſſet, noſtri adunatis copiis, XV. Kalendas Auguſti, *Gengam* inauſpicato procedentes ab hoſtili exercitu proſtrati & victi, immo *Wirtembergenſibus* aciem deſerentibus, turpiter in fugam captivitatemque devenerunt. Occiſo eo conflictu XII. cives, ac *Hildboldus Knöringenſis*, *Wilhelmusque Wallenfelſius*, cum quinquaginta quatuor aliis noſtratibus militibus, ac omnibus impedimentis, nempe CC. bellicis plauſtris, milleque omnis ſortis equis, capti ac direpti ſunt.

Friderici Imp. privilegium de libero uſu agri inter Lechum & Werdacham.

Inter id tempus cum *Friderychus* imperator melius non poſſet rebus *Augſtburgenſium* conſulere; nam a fratre *Albrechto* tota *Auſtria* debellatus quoque tum erat, conceſſit civibus illis X. Kalendas *Auguſti Gretzii* privilegium, ut Lechi fluenta ab ipſo ejus orto, ad urbem usque noſtram libere deducere, & obſtacula quæcunque ex his pro neceſſitate removere queant. Item ut ab utraque tam ejusdem *Lechi* quam *Werdachæ* ripa, ad compaſcua pecus agere, piſcari, aucupari & juxta veterem conſvetudinem ſuis etiam venari liceat.

Ludwichus Augſtburgum iterum fruſtra obſidet.

Nihiloſecius tamen præhabita ex victoria, dux *Ludwichus* elatior factus, mox poſt octo dies, ſuperato *Lecho*, tentoria ſua *Hyrbliigæ* & *Battzenhoſæ* fixit. Atque ita, cum ter mille equites, duodecies mille pedites, ac ſexcentos currus in exercitu ſuo haberet, de novo *Augſtburgum* obſidere conatus fuit. Paulo enim poſt caſtra ſub intempeſtam noctem ad *S. Radegundis* ſeu *Rhadtæ* fanum in patentes transtulit campos.

Dumque ut hoſtes ſolent, impia multa patraret, nec tamen mœnus appropinquare

quare auderet, perfacile *Wellenburgum*, *Radawiam* autem difficilius expugnavit, quæ dein una cum *Geggingæ*, *Inningæ*, *Leutershofæ*, *Bergæ*, *Pfersæ* ejusque castello, *Oberhausæ*, *Gerstbofæ*, aliisque vicinioribus villis exusit crudelissime, ac demum III. nonas Augusti iterum noctu cum universa multitudine discessit, in quo procinctu *Hainbofa* dire etiam oppugnata fuit.

Sed postquam *Radawari* uxor, duci *Ludwicho* fertum elegantissimum obtulisset, illæsa præ *Bojis* permansit, utut *Bojohemicus Banus* quispiam ibidem glandis ictu peremptus fuisset. Superioris item regiæ viæ pagi & *Ryschenaviæ* coloni, interventu *Albrechti Rechbergensis*, canonici nostratis, ignis pœnam quinque aureolorum millibus redemerunt. Et quanquam cuncta utrinque barbare agerentur, candorem tamen ingenuamque fidem cives retinentes, nisi *simplicitatem Germanicam* vocare velis, hosti ex urbe sua *Marvisium* vinum, panes dulciarios & delicatoria bellaria, quoties petebat, precio in castra transmisere.

Schwyzeri missi fiunt. Porro VII. iduum Augusti exacto rati per Senatum hic *Schwyzeri* sunt, eo quod cladem *Gengæ* acceptam, *Marchionis* vecordia factam clamitarent, illique propterea militarem disciplinam penitus detrectarent.

Dendrychius repetundarum damnatus. In quorum dimissione *Ulrychius Dendrychius*, antea bis consul, sigillo & ærario præfectus, & jam ædilis, peculare crimen, non ultra XXXII. aureolos subtrahendo commisit, quo a *Gabriele Ridlero* deprehenso, cum in *Mariani* decurionis ædes tanquam asylum confugisset, inde abstractus, & de more furti convictus, licet laqueum meruisset, maxima plebis intercessione, filiisque suis vadimonio se obstringentibus, post decimum nonum diem, publice sub Curiæ podio per carnificem subsellio insistere, & posito sub mentum ex carnificatorio cultro vultum erigere coactus, infamis summo dedecore est factus.

Porro eo ipso die, quo scilicet *S. Afram* hic colimus, auratus quispiam miles, cum legum doctore, a Cæsare missus huc venit, qui *Argenensibus Bojaris* militantibus, & ædes cum suppellectile & publicam stateram occuparunt, affixoque *bicipitis Aquilæ* insigni, in Cæsaris fiscum, magistratu nostro vel etiam episcopo, nihil interponente redegerunt.

Freibergenses merces intercipiunt. Haud aliter sequenti die nobiles a *Freiberga* sex, sarcinas mercibus refertas, quas *Thomas Ebemius*, tunc temporis inter ditissimos hic connumeratus, *Venetiis* asportari curaret, protervissime interceperunt, inque arcem suam *Altam Freibergam*, avexerunt, ac dato damno demum Reipublicæ nostræ inimicitias denunciarunt.

Augustburgensium in hostes excursiones. Post ista XVIII. nimirum Kalendas Septembris, trajecit *Ströbelius*, equitum nostrorum Tribunus, cum viginti quatuor equitibus, & quadraginta audacissimis peditibus, *Lechum* ac prædas solitas agens CC. pecorum capita, ut vulgo loquuntur, non procul *Baidelskyrcha* abegit. Alia præterea gregariorum cohors, *Schylhansi* ductu, hinc quoque eadem luce eruptionem faciens, ad *Desingam*, cum *Kyrchbergeri* cujusdam equitum turmis manus cruentissime conseruit, cæsisque plus minus quinquaginta hostibus, sex tantum e suorum numero desideravit.

Pax firmata restituta. Dum autem cuncta, ut relatum est, tam crudelibus inter nos streperent armis, placuit tandem cunctabundo imperatori, ut *Georgio* Bohemannorum rege, & *Ernesto Saxonico* Electore transactoribus, sæpedicto duci *Ludwicho*, hosti videlicet, dies faciendæ pacis caussa, *Noribergam* ad IX. Kalendas Septembres dicerentur, ad quam Senatus noster *Leonhardum Radawerum* & *Bartholomæum Greggum* legatos misit, ubi V. Kalendis Septembris, quam lucem validissimus proxime præcessit ventus in regione hac annales tantummodo, & eæ non ad modum fiduciales induciæ inter *Bojarum* & nos concessæ, ac vix alius conventus pro totali belli compositione *Regensburgi* ad festum *S. Galli* habendus obtineri potuit.

Argenenses amissa recuperant. In quo tamen *Rudbrechto Ratisbonense* præsule, ac *Monachiensibus* ducibus, partes suas gnaviter interponentibus toto Novembri mense, post varia tractata, plane nihil ulterius effici potuit, nisi quod actio ea, quam *Marchio Friderychi* imperatoris nomine, & similiter dux propter clientulos suos in bona possessionemque *Argenensium* apud civitatem nostram, & in *Wertingam* prætendebat, per Cardinalem *Augustanum*, *Petrum*, arbitrarie finienda sit compromissa. Qua propter *Argenenses* illi statim cuncta sua hic, Senatu iterum nihil impediente, propria vi discerptis cæsarianis imaginibus recuperarunt.

Pestis. Ne autem soli inter se mortales dimicarent, immisit & æternus Deus, peccatis sic commerentibus, populo pestem, quæ Octobri mense hic primulum grassari cæpit, & inde nemine eam curante, usque ad subsequentis anni Novembris finem continenter sæviens, homunciones plus minus undecim mille, ac in sola *Ulrychiana* parochia ter mille & quingentos absumpsit.

Quo

Novi Augſtburgenſium hoſtes.

Quo tempore ſexcenti nobiles centaurique, *Michaële Burggrafio Maidburgio*, (*) *Bohemico Bano*, rem ſpecialiter gerente, *Hainrychi Erlbachi*, proſcribæ quondam noſtri & *Hanſi Lieberi* cauſa, toti *Augſtburgenſium* communitati hoſtilia denunciarunt. Ac ſtatim prope *Jetingam S.* montem occupantes, non ſecus, ac ſi adpertum juſtumque bellum gererent, cuncta itinera inſeſta reddere, ipſamque *Ryſchenawiam*, in prædam ſibi vertere minaciſſime tentarunt.

Verum dum plures ac vehementiores, A quam ſperaſſent antagoniſtas, quorum *Hainrychus Trugſeſſius* urbis noſtræ conductitius miles, anteſignanus erat, experirentur, brevi tota hac terra dilapſi, ad clandeſtina converſi ſunt latrocinia, donec totum illud negocium, ſequenti anno *Piranæ*, per Cæſaris conſiliarios ipſumque *Bohemiannorum* regem, ſequeſtrarie compoſitum eſt. Et exin odioſiſſima illa injuriarum actio, inter rempublicam noſtram dictumque ſcribam *Erlbachum* cepta B. eſt, quæ annos plures duravit, ac apud plurimos principes, præcipue autem apud *Ludwichum*, *Bojariæ* ducem, proditoriis *Erlbachii* delationibus ingentia diſcrimina noſtris parturivit.

Hoſtis appropinquantis ſignum.

Cæterum ſub hocce bellum, ſingulis portarum eminentioribus excubiis hic tintinnabula, pro hoſtium adventus ſignificatione, quemadmodum hodie pro horarum ſecundaria intimatione, tanquam militares teſſeræ adpenſa primo ſunt. Rubrum C item vexillum in *Berlejæ* arcis ſpecula, ad demonſtrandum civibus, qua parte hoſtes inrumpant, additum tunc quoque vigilibus eſt. Quanquam hodie iidem auriflammam eam in incendiis per diem, ſicuti noctu lucernam ardentem exponant, & album vexillum, dum hoſtilia volunt prodere, in altum vehant.

Annonæ caritas.

Ob æſtatem præterea anni hujus ſiciſſimam, in dealbatorum tum pratis tum officinis, non exiguo vulgi damno, apud D nos feriatum eſt, valuitque rudis Xylini pannus, ſeu integra tela *quadraginta* ſex, alii ponunt *quinquaginta octo*, aureos. Aſt ne ob belli infortunium, omnis annona gravior fieret, imperatum mature a Senatu noſtro tam civibus quam clero, qui magnos acervos omnis generis frumentorum repoſitos adſervabant, fuit, ut magnum modium *tritici* XXXVI. *olyræ* XXV. *Hordei* XVIII. *avenæ* denique XVI. groſſis pro æquitate venderent. Leguminariis vero, hortulaniſque, ut *centum pyra* unico nummulo, & *ducenta poma* tantidem, nec non *butyri libram* IX. nummulis diſtraherent.

Cumque meri precium non ab re invaluiſſet, juſſit idem Senatus Quæſtores ejus vini, quo ſibi antea copioſe proſpexerat, *menſuram bilibralem* tribus nummulis vendere, atque eo pacto omnium aliorum victualium, *bonum*, quod ajunt, *mercatum incolis effecit*, magnamque cariſtiam provide antevertit, nili quod *bovinæ carnis libra* quinque obolis ob armentorum & pecudum inopiam venierit.

Reinum Senatu movent.

Quo tempore etiam Senatus *Jacobum Remum*, *Dillingam* ad Cardinalem *Petrum*, pro redimendo Reipublicæ nomine, telonio eo, quod ante *Werdachæ* pontem eſt, ablegavit. Quod ubi is ſibimet ipſi fraudulenter comparaſſet, a toto conſilio urbano decretum graviter interpoſitum eſt, ut univerſæ *Remorum* proſapiæ perpetuo Senatoria interdiceretur dignitas. Id quod deinceps *Augſtburgi* usque ad reformationem *Caroli* V. Imperatoris rigidiſſime obſervatum legimus.

Friderici III. Imp. geſta.

Hocce denique anno, Imperator noſter *Fridericus* III. civibus *Augſtburgenſibus* libertatem piſcandi & venandi a *Langkwaida* & *Schmuttero* fluvio inter *Werdacham Lechumque Menchingam* usque dedit, ac dein paulo ante natalem Chriſti, idem *Friderychus* imperator arcta obſidione cum *Leonora* Auguſta conſorte, & *Maximiliano* trimo filio, a civibus *Viennenſibus* in arce ibidem, in gratiam *Albrechti Auſtrii* fratris, preſſus, oppugnatusque, vix *Georgii Bohemiannorum* hæretici regis, qui & pacis conditiones inter nominatum imperatorem, ac *Ludwichum*, *Bojariæ* ducem, jam ſignatis tabulis quoque confecerat, militari ſubſidio liberari potuit.

Anno ſalutis MCCCCLXIII. Sabbatho A. 1463. poſt *Epiphanias Domini*, electi conſules hic ſunt, *Hainrychus Langenmantellus* IIII. & *Andreas Frickingerus* V. illo autem ſubito, die XVI. Januarii mortuo, conſeſtim *Leonhardus Langenmantellus*, *Radawerus* dictus, communibus ſuffragiis ſuffectus eſt. V. Sub quibus dealbatoriæ officinæ, ſuperiore anno exuſtæ, cum pratis ſuis, ſub Quadrageſimam de novo reſtauratæ *Augſtburgi* noſtro ſunt.

Annonæ vilitas.

Ac licet vere & æſtate hac, tum diriſſima peſtilentia populum, novem millia hominum obiiſſe, hujus anni lue multi annotarunt, tum erucæ vermes peſſimi arborum flores & ſata apud nos depaſcerentur, tam inopinata tamen totius annonæ vilitas extitit, ut *magnus modius tritici* XXV. *olyræ* XVI. *avenæ* IX. *Piſorum* IIII. groſſis divenditus in foro ſit. *Septem* præ-

(*) *Comite a Maidburgo.*

terea

terea *gallinarum ova*, II. nummulis; *bovinæ* aut *suillæ carnis libra* V. obolis; *vitulinæ duæ libræ* VII. obolis, *butyri libra* VI. nummis comparari potuerint. Vini adhæc *mensura Athesini* X. *Elsatici* VIII. *Neccarici* IIII. nummis apud Oenopolas prostiterit.

Cæterum decimo nono die Aprilis, Senatui nostro dyploma ab Imperatore est missum, quo *Viennensium*, qui seditiosius adhuc *Albrechti Austrii* partes tutabantur, tum opes tum cives extremo interdicto subjectos, adeoque ut extorres cuncunque persequendos esse declaratum voluit.

Argenensis citatus non comparet.

Et postquam aulicus judex, litis ejus, quæ inter civitatem *Augstburgensem* & *Sigismundum Argenensem* fuerat, definitivam demum sententiam *Rottwylæ* tulisset, citatus ultima Junii per salvum conductum memoratus *Argenensis*, a prætore nostro ad eam audiendam huc est, nec tamen comparuit. Inde transmissis idibus Julii huc *diffidatorius*, quas vocant, *chartis*, cæperunt *Wilhelmus Veccerius*, *Hansus Rhinawiensis*, *Pflugus* quidam, inimicitias adversus rempublicam nostram protervissime exercere, ac e *Raltenburgo*, veteri prædonum receptaculo, haud levia civibus, & maxime illorum colonis, detrimenta inferre.

Bellum componitur.

Quæ turba tamen postmodum XII. Novembris per arbitros Ulmæ non magno auri pondere, consopita est. Sicuti & XXIII. die Augusti, in ipso *ad Indos apostoli Bartholomæi* professo, totum illud bellum per *Georgium* regem *Bohemicum* apud *Pragam* integre compositum fuit, quod inter *Fridrychum* imperatorem, & fratrem ejusdem *Albrechtum* Austrium, *Ludwichumque Bojarum*, tanto sociorum fervore hactenus viguerat. Et quanquam rumor spargeretur, pacem æquis tam acceptorum quam datorum damnorum conditionibus, undiquaque esse factam, revera tandem, cum Novembri mense concordia inter hostes & Rempublicam nostram, cujus legati illic *Leonhardus Radawerus*, & magister *Valentinus Eberus* syndicus erant, *Ulmæ* in publica conventione, coram imperialium civitatum, nobilitatisque selectis deputatis

Erlbachi in Augstburgenses convicia.

tentaretur, *Hainrychus Erlbachus* prædictorum centaurorum logodædalus, inter transigendum tam diris acribusque non tam expostulationibus quam sarcasmis, in favorem suæ partis totos quinque dies vel contra solum senatum nostrum invectus est, ut plane novum bellum ferere intolerabilibus illis diffamationibus visus sit. Accusavit enim non modo in genere totum Senatum perjurii & latrocinii, sed cum primis in crimen vocavit jam nominatum *Radawerum*, *Hainrychum Langenmantellium*, *Bartholomæum Welserum*, *Gabrielem Ridlerum*, *Ludwichum Hörnlinum*, & *Andream Frickingerum*, viros consulares, quasi fisci pecuniam peculando; lancibus inter se se divisissent, & *Georgium Onsorgium* annonæ præfectum, ac si ultra mille aureorum valorem frumenta communitati civium suffuratus esset. Ad quas verborum contumelias *Radawerus* tamen nihil aliud subinde respondere præsens dignatus est, quam singulas eas accusationes adperta & conferta esse mendacia. Et absoluto instanti negocio, privatam contra eandem rabulam injuriarum actionem cum solenni protestatione ad imperatoris tribunal instituit.

Pestis.

Hocce anno truculentissima pestis a festo pentecostes, usque ad *Martini*, tantum non quartam civium partem hinc iterum sustulit, subinde enim in singulos dies quinquaginta funera & ultra, a Vespillonibus elata sunt.

Riedererus occisus.

Estque *magister*, sic tunc eos nominabat vulgus, quos hodie *Doctores* vocamus, *Ulrychus Riedererus* patritius nostras, imperatorisque sapientissimus consiliarius, apud novam civitatem *Styriæ* gladio transfossus.

Ulricho Summia belli traditur.

Anno MCCCCLXIV. Consulibus A. 1464. *Bartholomæo Welsero* IV. & *Georgio Strausso* V. conductus est pro Reipub. *Augstburgensis* supremo capitaneo, bellique duce, *Ulrychus* comes *Helffenstainensis*, stipendio in singulos annos trium millium aureorum, tali conditione, ut continenter XV. expeditos equiles in armis haberet, atque hic habitaret, quod illi sive sumptuum magnitudine, sive civilis vitæ fastidio, brevi admodum temporis spacio displicere cæpit. Arrepta itaque qualicunque causa, cum indignatione hinc abiit, ac consuli *Strausso* centum viginti saginatos porcos abegit, quos ille CCCL. aureolis æstimabat, quæ omnia quam inulta abiere.

Turris aquaria reficitur.

Inde XVII. Januarii, conflagravit noctu *aquaria turris* a tergo *majoris hospitalis*; operarum incuria, qui prunas ne machinarum rotæ congelarentur, diligentius custo-

disse debuerant. Ea mox altior reædificata ab ædilibus, ac mense Junio iterum in eodem loco absoluta, pro fontium urbis usu est.

Pii Pontif. gesta. Qua tempestate postquam *Pius*, papa, & per *Mantuani* concilii praxes, & inexhaustas indulgentiarum bullas, totam *Europam* ad debellandum *Turcas* incitasset, innumeri milites, quidam sex millia ponunt, ex *Saxonicis* regionibus, Septentrionalibusque Oceani regnis, hac summum pontificem secuturi transierunt. Quorum devotione non parum multi viri, etiam hic permoti, *Tarnisium* usque & *Venetias* Majo mense profecti sunt, ubi æque ac alii benevoli faciles-que homines Rhomanisticas impostoras cernentes, domum cum dolore & pudore repedarunt.

Hostilia. Cumque interim nihilosecius centauri nonnulli rempublicam nostram divexare pergerent, emissi hinc aliquot equites, securitatis ergo in *Reysschenawiam* sunt, quibus *Mittelburgerus* e *Seysridsberga* opem tulit. Ast *Urzus Burggrasius* leve cum ipsis prœlium iniens, duos commilitones nostris interfecit. Qua injuria Senatus merito incandescens, statim ratione & vi præfatum *Burggrasium* eo redegit, ut is missis *Marquardo* a *Schellemberga*, *Georgio Burggrasio*, ipsoque adeo *Mittelburgero*, intercessoribus, paulo post se non solum per ignorantiam cum nostris manum conseruisse, apud Senatum veniam præcando excusaverit, verum etiam occisorum agnatis, centum auri drachmas, & quadraginta exequiales cereos exsolverit.

Furta punita. Quando autem ob præteritorum annorum bella, plerique incolarum raptu vivere didicissent, jamque ociose degentes pecunia egerent, haud exiguo numero, ad compilandum res alienas conversi, totam ferme civitatem furibus compleverunt, idque tali desperatione, ut, licet mense Aprili tres simul patibulo appensi & paulo post duo ex gratia decollati fuerint, nihilominus tamen affabre illud ex auro & argento conflatum, *azymi panis conservaculum*, vulgo *monstrantiani* ab idololatrico cultu vocant, sub ipsum corporis CHRISTI festum, ex *Ulrychiano* templo subtractum sit.

Quare Senatus stricto jure contra illos agere, ex officio non destitit, ititut unus atque alter patritiorum, nempe *Georgius Hangenor* cum filio emancipato, & *Ulrychus Breischuchius*, cum uxore, adeoque unctus quidam *Acoluthus* consectanei illorum, per torturas & alia indicia reperti sint & puniti. Quin item sub Junii initia, ad furcam actus est *Erhardus Summermannus* civis ob furta MD. aureorum.

Porro per eam æstatem fullonia machina, quæ hactenus extra civitatis pomeria, ante *arcuatam* portam, juxta *lignariorum fabrorum officinam* sita fuerat, ab ædilibus ad depressiorem urbis fossam a tergo balnei ejus, quod nomen ab *invidia* traxit, pro lanificiis collocata est.

Et dum jam *Ludwichus*, *Bojariæ* dux, *Wasserburgensem* prope *Gyritzburgum* arcem, non sine mali suspicione occupasset, supplicibus libellis *Albrechtus* alius *Bojariæ* dux *Augustburgensium* nomine, Cæsarem rogavit, ut ea diruerentur, ne scilicet nova latrocinia illinc vicinis emergerent, sed surdo fabulam. Nam ab eo dein tempore Kalendas Augusti, hostilia *Hainrychus Wolffius*, universis *Moritiani* collegii mystis huc denunciavit, propter *Schmidlinium* plebanum illorum, ac ubi *Hansi Rhinavienfis* commilitio aliquoties illis damna dedisset, captis apud nos ipsus plebanus est, atque curru ligatus *Dillingam* ad episcopum missus, unde tota ea controversia per episcopum Cardinalem nostrum, sequenti tandem vere in concordiam redacta est.

Albrechtus Boj. dux Augustburgensium apud Imperatorem intercessor.

Cæterum hocce anno moverunt *Mariani Canonici* litem laniis nostris, nec non *Georgio Sultzero*, propter non solutos census, quos sibi ex hortis, a tergo balneum *ab Invidia* dictarum, sitis deberi allegabant. Cumque nihil vel apud Senatum hic, vel apud Cæsarem, quem adpellarant, obtinerent, tandem a Papa commissione, quam vocant, in *Aichstettensem* episcopum impetrarunt: ubi post plurimas strophas, sexto actionis anno, negotium hoc per arbitrariam compromissionem tandem solito more finitum est. Præsente etiam anno *Langingerorum* societas, mercatoria fraude tum hic tum *Ulmæ*, creditoribus fidem fatis inhoneste violavit.

Marianorum contra lanios actio.

Demum nocte festivitatis *Katharinæ*, cum propter tumultum temere exortum, ipsemet urbis præfectus *Georgius Otto*, excubiis armatus interesset, contigit, ut is fortuito ictu, intenebris, *Achatio Endorffero* manum absciderit. Cui quod immeritus fuisset, & ne justi doloris causa deterius quid moli-

Endorffe-rus per tumultum manum amittit.

moliretur, Senatus XC. aureolos, quoad vixit, quottannis in recompensam numeravit.

A. 1465. Christi Servatoris MCCCCLXV. anno, consulatum apud nos nonis Januarii inierunt, *Leonhardus Radawerus* VI. & *Andreas Fricekingerus* similiter VI. Sub quibus tandem imperator *Friderychus* ultima Februarii, augustali dyplomate, apud novam civitatem *Styriæ* dato, totum illud negotium sustulit, abolitumque noluit, quo Respublica nostra jam diu ob *Hansi Lieberi*, rebellionem A apud extera tribunalia implicata fuerat. Quo tempore etiam omnium rerum facilis abundantia, annonaque vilissima hic extitit.

Pecuniæ reductio. Verum cum deterioris valoris pecunia passim increbuisset, intricatissimasque hic negociantibus daret turbas, publica præconis voce cuncti *albi*, & cumprimis *Noribergici nummuli* III. Aprilis, qui erat dies Mercurii festum palmarum proxime præcedens, prohibiti, ac solius episcopi nostri *Bojariæque* tetrarchiarum, & hi *nigri* approbati sunt. Et sic iterum Senatui necessitas incubuit, Trapezitam constituendi, qui publicæ utilitatis civium causa sex *albos nummulos* quinque *nigris* permutaret.

Carnifex per tumultum occiditur. Dein XV. Maji die, dum reus quispiam *Ludwichi Meitingi* accusatione, prætoris sententia securi percutiendus foret, carnifex ictu exorbitans, ærumnosum eum hominem non plane ut debuerat, unico C ictu decollavit, quare fex plebecula initio illum glebis petere, mox insuper saxis adobruere cæpit, denique e supplicii colle impetuosius fugans, sub ipsum *Sinckelidis* ponticulum persecuta est, miserabilissimeque tandem a dealbatorum quodam famulo, lignea clava occisus est. Propter quod homicidium quotquot manus injecerant, sequentis anni Quadragesima, a nullo sacerdotum hic sacram absolutionem impetrare potuerunt, sed sunt Romam D cuncti pro venia ad *Pauli* II. papæ, qui primus jus & fas in scrinio pectoris se gerere affirmavit, ac septimo pontificatus anno, Romæ in lecto suo strangulatus est, cum *Venetus* natione arrogantissimus, & omnium doctorum virorum osor acerrimus fuisset, *piaculorum magistrum*, quem vulgo *pœnitentiarum* appellant, ablegati sunt. Tanti constat prophanum & justitiæ executorem interimere.

Post ista XVIII. ejusdem mensis die, *Halo solis.* mirus & heptagonus *Halo* toto quasi die circa Phœbum visus hic est, quem triduo post XXI. videlicet ejusdem mensis die, tam vehementes subitique subsecuti sunt venti, ut & horrea & arbores extra civitatem everterint. Quin item dirissimus grando nocte immediate sequente, ter supra modum decidens, hortis, tectis, ac vitreis senestris intra civitatem maximam intulit, cladem. Similiter XX. die Septembris, integrum luminaris majoris deliquium sub vesperam fuit.

A quo horrendo spectaculo, mox in *Civium desertorum flagitia.* profesto *archangeli Michaëlis*, intercepe-runt insidiose *Burghardus Knöringensis* & *Hansus Rhinawiensis*, adjumento sexaginta conjuratorum, inter quos *Jäcklinus Aigenensis*, *Jacobus Gruenebachus*, *Georgius Burtenbachus*, *Hansus Sunderlinus*, *Strelerus*, *Kurzius*, *Hannemannus* & *Schnebergerus* cives desertores patriæ erant, nostris mercatoribus non procul *Gyntzburgo*, quatuor plaustra *Belgicis* & *Anglicis pannis* onusta, simul ac duodetriginta maximos succida lana oppletos saccos, eamque prædam *Wasserburgum* inter sese partiendam abduxerunt. Quam violentiam ubi Senatus apud *Ludwichum Bojariæ* ducem, territorii ejus Dominum, quærulando, per nuncios Senatores exposuisset, usque adeo nihil vel consilii, vel solatii recepit, ut centauri illi in ampliore Reipublicæ nostræ despectum, pagos aliquot quoque combusserint.

Quando igitur ex ejusmodi proter- *Pacis spes frustranea.* viis de novo bella glyscere posse videren-tur, indixit præfatus *Ludwichus Albrechti* ducis agnati sollicitatione, ad festum *S. Galli Freysingani*, tentandæ inter *Augustburgenses* & prædictos nobilistas transactionis diem, quo tamen æqui nihil potuit obtineri.

Unde Senatus iterum sedulo supplica- *Imperatoris mandatum de Wasserburgio diruendo.* re, Imperatoremque implorare cæpit, qui assiduis illis molestissimisque obtestationibus victus XXIIII. tandem Octobris die, Cardinali nostro vicinisque urbibus mandavit, ut *Wasserburgum* prædonum spelunca vi dirueret, soloque æquarent. Id quam primum illi, una cum nostris copiis, III. Novembris serio aggredi moliuntur, en dux *Ludwichus* antevertens, arcem eam præoccupavit & suis præsidiis communivit. Nostri autem econtra cœptum non intermittentes, tum fortem obsidionem adornarunt, ut hostes extremo eam Car-

dinali dedere sint coacti. Qui demum eandem, bis ab imperatore requisitus, sequentis anni Februario exussit. Interea *Caspar Ochenfussius* & *Hansus Kagermannus Rhaynensis*, a *Knöringensis* complicibus raptas coëmerant mercium reliquias, Repetundarum vero accusati Imperatoris rescripto XXVIII. Novembris die, illas pristinis dominis restituere jussi, cautius mercari in posterum didicerunt.

A. 1466 Anno a natali Domini MCCCC LXVI. cum *Bartholomæus Welserus* V. & *Georgius Strausso* VI. Consulatum gererent, lanio quispiam *Kelhaimensis*, posteaquam in ipso festo *Magorum* atrocia multa adversus Senatum populumque nostratem, hic in publico diversorio deblatterasset, ac dein insanis clamoribus & convitiis tetris, celeri equo per civitatem erupisset, confestim *Ströbelinus*, equitum nostrorum audacissimus, illum insequendo, duobus abhinc milliaribus armatus cæpit, ense, lorica, & equo exuit, loroque vinctum huc pertraxit, quem Senatus post longam captivitatem pro merito mulctavit. Inde XXVII. die Januarii occisus est *Franzius Wolgemuetus* pellio a *Jacobo Vitellio* hic prope *Lechum* intra civitatem restagnantem propter scortum quoddam noctu.

Convicia. tor luit pœnam.

Post quæ mandavit imperator Kalendis Februarii secundaria vice, Cardinali nostro, ut *Wasserburgense* castrum everteret, cui reverendissimus pater tandem parens, ope civitatum imperialium id adorsus, in cineres eodem mense redegit. Unde hostes domicilio quidem eo exuti, nihilominus tamen *Ludwicho Bojario* illos receptante, subinde cives per manipulares suos divexarunt, licet imperator illos tanquam perduelles extrema censura proscripsisset.

Castri Wasserburgensis eversio.

Ad obtinendam itaque communem pacem, patriaeque tranquillitatem, celebrati Majo mense, præsidentibus imperatoris commissariis, a dictis imperialibus civitatibus, aliisque Sueviæ proceribus, conventus nonnulli sunt, *Nördlingæ* & *Werdæ*, quo *Leonhardus Radawerus*, necnon *Constantiæ*, quo *Bartholomæus Gregus* Reipublicæ nostræ nomine missi fuere. Interea XVI. Junii exustæ fortuito igne sunt ædes *Horneri* in suario foro.

Werdæ & Constantiæ conventus habentur.

Posteaquam vero nullas æquitatis conditiones, Senatus se obtenturum animadverteret, proposuit III. nonas Augusti, ad classicariæ campanæ pulsum præmio plurimorum aureolum, quicunque uspiam *Knöringensem*, *Rhinaviensem*, aut *Argovium*, aut aliquem ex illorum complicibus vel occideret, vel in jus protraheret, quam in rem illi magis furere cæperunt, ac paulo post aurigam nostratem, *Hansum Freyum* nomine, in fruticeto eo prope *Pyburgum*, quod a *tiliis* denominationem habet, immaniter contrucidarunt, cum cupere non possent. Suntque in ipso quasi facinore latrunculi illi, *Schylhansi* & *Schwartz Petri* insectatione, depræhensi, atque *Höchstettam* usque fugati, ubi post multam cum præfecto disputationem, difficulter obtinere potuerunt nostri, ut hostes in carcerem conjicerentur. In quo citra omnem strictioris justitiæ executionem, quam *Friderychus* imperator *Bojaro* non semel præceperat, biennio detenti fuerunt. Fuerant autem prædonum illorum octo, inter quos & *Martinus Onsorgus*, & *Seitzo Stumpfius* cives nostrates compræhensi etiam erant.

Præmia de hostibus proposita.

Per autumnum eum, dum forte VIII. Octob. die, in Senatu hic de publico censu sermo haberetur, ortum haud leve inter patres conscriptos dissidium est; Nam ubi integram dicti census exactionem, primores ratum haberent, Tribuni quidam suam interposuerunt sententiam, ac causantibus textoribus, sibi in monetæ mutationibus diu factam injuriam, solique ipsorum artificio privatum vectigal impositum, facile pistores ad suas pellexerunt partes. Nulla igitur determinatione facta, Senatus dimissus tum est, cæpitque rumor ea de re in populo spargi, & tantum non seditio exoriri, adeo, ut ditiorum aliquot fugam meticulose adornarent.

Seditio de vectigalibus.

Quapropter adequintantibus in auxilium Magistratus *Ulmensium*, *Nördlingensium*, *Memmingensium*, *Werdensium*, aliorumque propinquorum oppidorum, legatis, maturo utriusque Senatus consilio XXII. Octobris, ex singulis tribubus singuli viri, adhæc unus ex patritiis ea lege tamen, ut omnes in Senatorio albo haberentur, selecti sunt, qui numero XVIII. universas Reipublicæ rationes

tiones tam dati quam accepti examinarent, & pro ſua tum fide tum prudentia decernerent, num in futurum ejusmodi inter cives exactionibus cenſusque auctione opus ſit, nec ne.

Cui pactioni cum reliqui aſſenſiſſent, *Wilhelmus Ubeleyſius* textorum DCC. *technitæ*, *Magiſtrive* tum hic degebant, *Ehingerus* piſtorum, & alius quidam Zytopolarum Tribuni, ſe opponentes, tam diu contra reliquorum ſententiam contenderunt, donec tandem novorum A de lini Xylinique pannis, ac de frumentis vectigalium relaxationem, & præſentis facti amniſtiam XII. Kalendas Decembris obtinuerint.

Conſtitutio de claſſico canendo.

Et exin conſtitutiones a Senatu hic editæ ſunt, ut neque interdiu neque noctu unquam per ſolitam campanam claſſicum poſthac caneretur, niſi præſente innuenteque altero conſulum. Item quo ordine quove numero, in qualibuscunque tumultibus cives, vel ad urbis B portas, vel murorum propugnacula, vel etiam compitalia loca cum armis convolare debeant.

Ludwichus Augſtburgenſes criminis corruptionis poſtulat.

Sub hiſce turbis *Leonhardus Radawerus*, *Georgiusque Strauſſo*, cum *magiſtro*, ſic vulgus tunc eos nominabat honoris gratia, quos hodie *Doctores* vocamus, *Ebero Syndico*, *Ludwichi* ducis evocatione ac conductu, *Landsbutam* hinc ad capitale id judicium ablegati ſunt, quo pridie iduum Septembris *Keſingerus*, *Langendreolus*, & *Ochſenfuſſius*, propter proditiones, C in quatuor truſta ignominioſiſſime vivi diſſecti ſunt, faſi autem miſelli iſti torturæ acerbitate fuerant, ſe a Senatu Augſtburgenſe ad tradendum *Rhaynam*, *Neuburgum* & *Fridbergam* pecunia corruptos conductosque fuiſſe, idque potisſimum *Keſingerus*, inveteratum ob livorem, in noſtros primo confinxerat, nam ob ſpoliatum argentarium inſtitorem civem, aliaque delicta, una cum ſocio, in carcerem conjectus & equulio ſubjectus D ac plectendus morte eſſet, ne conſorte deſtitueretur, aut forſan ut gratiam aliquam impetraret, vindicavit *Ochſenfuſſium* diſertis verbis coram prætore, *Keſingerus* vero cum obteſtatione extremi judicii, in loco ſupplicii, jamjam a carnifice mactandus, ultro revocarunt. Præfatus tamen dux nihilominus in ſententia perſiſtens, univerſis *Augſtburgenſibus*, igni & aqua per totam ſuam provinciam interdixit, planeque nihil in urbem hanc ex ea inferri paſſus eſt.

Reſectio mœnium partis.

Quo anno interea *Berlejæ* arcis cacumen, amotis ſcandulis plumbo intectum primo eſt. Et quia mœnia, quæ a *Mariana* ad *Cruciam* usque portam pertingunt, una ex parte corruiſſent, alia vero parte majorem ruinam minitarentur, ab urbanis ædilibus mox ea reſtaurari, altioraque fieri cæperunt. Sed & turris ſupradictam A *Crucianam* portam, eadem opera, duabus contiguationibus, quam antea fuerat celſior, & pinnaculis in faſtigio ornatior reddita, vix intra biennium abſolvi potuit.

Typographiæ origo.

Hocce item ipſo anno evulgavit *Johannes Bemmlerus Augſtburgi* noſtro ſacra biblia latine, nova typographica ea arte, *Johannes Fuſtius* apud *Moguntiacam Rheni* metropolim, ante ſedecim annos, primus A. 1450. hominum adinvenerat, ac tinctis atramento Vernice adparato formis literarum, ad id initio characteribus *ligno* ſculptis, poſtea ex *auricalco* paratis, nunc vero *ſtanno* fuſis inverſis, cartas & paginas pro libris, ſub prælo imprimere ac excudere docuit. Cujus nobiliſſimi inventi rationem, aſcito ſolo *Petro Scheffero*, licet diu ſecretiſſime quoscunque, etiam operas, celaverit is, intra paucos tamen annos ſcribendi illud non tam laudatiſſimum quam utiliſſimum genus, latius emanavit, indiesque magis ac magis pulchrius inſtructum, & orbi divino prorſus beneficio communicatum eſt, *Johanne Gutenbergio* Strasburgi, *Ulrycho Hano Germano Romæ*, & *Sixto Ruſſingero* itidem *Germano Neapoli*, id exercentibus poſtea. Sed ad noſtra redeo.

Novarum legum latio.

Quando omnino fiſci exquiſitior ratio *Augſtburgi* eſſet habenda, non inutiliter III. Kalendas Decembris, qui erat ſabbatum, ac *divi Andreæ apoſtoli* vigilia, *ſumptuariæ leges* utriusque Senatus decreto latæ ſunt. Quo die item non modo ſtipendiis, pro urbanis muniis officiisque, verum etiam aliis ſuperfluis Reipub. expenſis, recte proſpectum ſimul ac publicum equorum ſtabulum abolitum eſt. Adhæc civium prodigalitati in nuptiarum ſolennitatibus, veſtitu, commeſſationibus, donatiisque obex eſt poſitus.

Denique architectonibus, manuariis opificibus, mercenariisque, certus modus ſalariorum, proba denique rerum vendibi-

lium inſpectio, & juſta æſtimatio præſcripta ſunt. Similiter & die Jovis proxime ſequente, qui erat pridie nonarum Decembris, ab iisdem conſiliariorum ordinibus, ceſtæ pœnæ, definitæque mulctæ, tum pro inhibitis, tum impudentioribus, tum denique protervioribus verbis facinoribusque, nec non pro quibuslibet criminibus, irremiſſibiliter conſtitutæ hic, atque in prætoria acta relatæ ſunt, ne ſcilicet poſthac vel ipſius prætor, cujus intereſt, vel illi, qui irrogandis pœnis præſunt, pro libitii cum delinquentibus agerent, aut tyrannidem aliquem arriperent.

A. 1467. Anno Chriſtiano MCCCCLXVII. Cæpit *Augſtburgi* noſtro Januarii ſtato die, conſulatus per *Leonhardum Radawerum*, VII. & *Andream Frickingerum* VII. adminiſtrari.

Duellum equeſtre. Ac inde ſub medium Februarii, in ipſo nimirum carniſprivio, certarunt hic equeſtri concurſu, ingenuus quidam a *Franberga*, ac *Frantzus Riglerus* civis, erantque ludi ejus bravium quinquaginta aureoli, quos *Franbergius* cum gloria abſtulit.

Supplicia. Viceſimo quinto dein ejusdem menſis die, flammarum pœna extinctus prope patibulum *Burtebachus Jaecklini Argenenſis* aſſecla eſt, quod incendiarius fuiſſet, & alii quidam ipſius ſocii, quod prædones extitiſſent, capite mulctati ſunt.

Templi Ulrichiani exſtructio. Sub medium autem Martium, communibus Senatus noſtri & *Melchioris Ulrychiani* abbatis, conſultationibus concluſum eſt, ut ejusdem monaſterii templum propter cultus excreſcentiam, multo auguſtius extrueretur.

Quare in fabricæ illius abſolutionem, ædiles deſignati ſunt, frater *Ulrychus Grasbayus*, cœnobii dicti incola, & *Thomas Ebenius*, *Wilhelmus Ubeleyſius*, & *Hanſus Beringerus* cives. Quorum ſolicita cura, ſtatim XXIII. ejusdem menſis die, antiquum templum deſtrui cæpit, ac V. Aprilis, in ipſo veterum *enceniorum* feſto, quo ab hominum memoria, emporium etiam ibidem biduo haberi ſolet, a dictis ædilibus collectæ fieri, populique ſtips primo emendicari publice ceperunt. Quæ cum largius affluerent, facilius omnis reſtauratio ſucceſſit.

Supplicia. Poſtea XIII. Aprilis, ſuſpenſi patibulo ſimul, cum ocreis & calcaribus hic ſunt ex hoſtibus noſtris *Schuetterlinus* atque IV. ſocii ipſius fures ac prædones: immaniſſimus item latro quidam, qui intra civitatem noſtram ſuperioribus annis ſacellanum ſpontaneorum pauperum ad *S. Urſulam*, *Welſerique* Zytopolæ ſex annos natam filiam, quæ XIII. tantummodo groſſos in crumenula habuerat, ac prætereca foris duos ſuos patruos aliosque ſeptem mortales ſicarie trucidaverat, rotæ ſupplicio affectus ex prætoris ſententia eſt: Atque hi ſunt fructus belli.

Turris campanaria concidit. Cum autem ſedulo opus ad *S. Ulrychum* pararetur, campanaria prope literariam ſcholam turris, quæ octo contiguationes alta, murum XII. pedum ſpiſſitudine habebat, cum jamjam precio diruenda eſſet, ultro & quod mirum videri poteſt, citra omne etiam tintinnabulorum in ipſa pendentium, quorum majus quam *quadrageſies quinquies centenas libras æris* habebat detrimentum, nocte III. Junii concidit, in cujus fundamenti egeſtione poſtea, præter antiqua Romanorum monumenta lapideus terminus, *Pineæ* imagine exciſus, duodecim pedum profunditate ſubtus terra eo loci inventus eſt, quo hodieque in Boreali præfati templi pariete, ingredientibus a læva conſpicitur, teſtatumque facit, monachorum illorum libertatem, non ulterius in urbem hanc olim extenſam fuiſſe.

Monetæ cudendæ. Porro IV. die Julii, novi *oboli* apud nos ab epiſcopi monetale, cuſi, & reliquis in univerſum prohibitis, in vulgus ſparſi ſunt, quorum CCCCXVI. aureolum penſabant, Aureolus vero XXVI. groſſis, & groſſus VIII. nummis, ſeu qui idem valor eſt XVI. obolis commutabantur, erantque tunc temporis LX. nummi *libra minor*, *Monachienſis* vocata.

Comitia Norib. Quo menſe etiam comitia propter *Turcarum* & Bohemorum inſolentiam *Noribergæ* imperatoris indictione celebrata fuere, ad quæ Reipublicæ noſtræ nomine, *Hanſus Vitellus* initio, & dein Conſul *Radawerus* legati ſunt, ubi etiam quinquennalis pax *Germaniæ* promiſſa eſt, & quando, quod a *Turcis* imminebat periculum, longinquius a noſtro pariete videretur eſſe, ac propterea flocci penderetur, obtinuit ſanctiſſimus dominus papa, ut apud nos atque ac apud alias urbes *Germaniæ*, *publicæ ciſtæ*, vulgo *truncos* appellant, ferramentis tuto occluſæ, in templis ponerentur, ad quas devotiores pro extinguendis Bohemicis hæreticis pecuniam conferrent, quam poſt quadriennium Romanenſis quidam Quæſtor, aufe-

auferens, *Bohemis* diutius præ papistis manendi locum supereſſe monſtravit.

Ludwichi hoſtilia. Paulo poſt iſtos dies, contigit, ut gallinarius quidam *Augſtburgenſis* inſtitor, cui *Georgo Klatzkopfio* nomen, *Landshutam* fortuito venerit, ac patriæ odio ibidem pro exploratore habitus, & in carcerem conjectus ſit, quem poſt longas & improbas interrogationes, *Hainrychus Erlbachus* tandem per tormenta eo adegerit, ut ſe ad importandum ducali culinæ A venenum, ab *Augſtburgenſe* Senatu conductum eſſe faſſus ſit. Quod crimen utut falſum, cum grammaticus ille quondam noſter, inveteratorie amplius apud *Bojum* principem ejusque conſiliarios etiam exaggeraſſet, non ſolum miſero illi *Glatzkopfio* vitam, ſed & toti noſtræ Reipublicæ honeſti nominis famam, ademit. Certior igitur ea de re Senatus per ducis *Ludwichi* epiſtolam redditus, e veſtigio illuc *Ludwichum Feirabendum* una cum *Bartholomæo Hetzlero* imperatorio notario amandavit, ut & confeſſionem & damnationem prædicti homuncionis plene perciperent, ac ſi poſſent, calumniam eam coram judicio diluerent, vel certe ſolenni more contra eandem exciperent.

Quorum neutrum dum concederetur, XXIX. die Auguſti, reus capitis damnatus eſt, prohibuitque mox iterum dux *Ludwichus* cunctis provincialibus ſuis omnia cum noſtris commercia, adeo ut e *nundinis Bartholomaicis*, ad quas tamen ſolito C ſcripto invitati fuerant, CXL. cives noſtrates *Langinga* cum ludibrio ejecti fuerint. Eas injurias utpote ſe indignas, Senatus noſter apud imperatorem conqueſtus, varios quidem & eos laborioſiſſimos, tum ſeſe purgandi, tum vicinis reconciliandi tractatus impetravit, ſed perparum in illis effecit. Nam cum idem Senatus contumelias eas, ſcripta ad ipſummet ducem *Ludwichum* apologia, XV. Septembris ſatis lucuIenter confutaſſet, oppoſuit is XXI. Octobris, frigidam admodum extortarum tam a *Keſingero* prius, quam nunc a *Glatzkopfio* confeſſionum excuſationem, quam tamen non noſtris, ſed cardinali *Petro Dillingam* transmiſit, ac ulterius furens, obtinuit ab agnato ſuo *Friderycho* Palatino *Rheni*, imperii electore, ut is itidem omnem ſalvum conductum per terras ſuas noſtris eo menſe denegarit, cum *Franckfurtum* peterent.

Cæterum hoc anno civitatis muri a *Klenckeria* ad *Stephaninam* portulam, & altiores facti, & tectis propter excubias muniti primum ſunt. *Munimenta exſtructa.*

Textoribus præterea poſt longam concertationem, a Senatu certus operarum numerarus præſcriptus eſt, ac cuilibet ejuſce tribus magiſtro, quatuor tantum liciatoria textoriave ſubſellia permiſſa ſunt, ſed & nobiles a *Rechberga*, quam propter maternum genus, deficientibus *Teccenſibus* ducibus, hæreditario acquiſierant *Myndelhaymenſem* ditionem, ingenuis a *Freundsberga*, quorum origo ex comitatu *Tyrolenſe* eſt, poſterique a *Carolo* V. imperatore *baroniis* ob egregia facta ſunt creati, libere vendiderunt, id quod vel propter vicinitatem non diſſimulandum duxi. *Textoribus operarum numerus definitus.* *Ditio Myndelhaimenſis venditur.*

Porro *Hartmanni Langenmantelli* de *oxygono* hæredes, & cives noſtrates, hoce anno dimidiam partem oppidi & ditionis *Wertingenſis*, noningentis *Rhenenſibus* aureis *Magno* Marchiſchalcko a *Bappenhaima* vendidere non ſine adfinium agnatorumque præjudicio. *Vid. Tab. IV. Fig. 2.* *Wertingæ dimidia pars venditur.*

Cæterum a feſto *S. Galli* præſentis anni usq; ad diem *ſanctorum apoſtolorum Simonis & Judæ* ſequentis anni undecim millia hominum per civitatem *Augſtburgenſem* peſte periiſſe, in acta relatum eſt. *Peſtis.*

Anno a parta ſalute MCCCCLXVIII. A. 1468. in ipſo *trium Magorum* profeſto, electi hic conſules ſunt, *Bartholomæus Welſerus* VI. & *Joannes Vitellus* inſtitorum contribulis.

Cumque adhuc *Ludwichus Bojus* conceptas in nos inimicitias mordicus retineret, & plane nihil vel commeatus vel mercium e ſuo ducatu urbi noſtræ afferri plus quam hoſtiliter permitteret, dura neceſſitate adactus Senatus eſt, ut omnem lapidem moveret, D quo aut in imperatoris ſecuriorem tutelam reciperetur, aut ſi ſuperos nequiret, Acheronta in auxilium moveret. Sexta itaque Martii die, *Ulrychus Paſſavienſis epiſcopus*, *Cæſareusque Cancellarius*, & *Hugo comes Werdenbergenſis* Imperatoris locumtenentes, *Landshutæ* unionem cum dicto duce adornantes, eundem haud magno labore, poſtquam *Pragæ* per Regem *Bohemicum* jam antea in eadem cauſa non parum eſſet deciſum, imperatori reconciliarunt. *Ludwichi inimicitiarum continuatio.*

Sed

Sed civitati noſtræ propter infinita adverſarii convitia, omnino nihil impetrarunt, etiamſi imperator, quod cauſa communis foret, ſpem ſemper fecerit, ſe a nobis in pacificationibus nolle divelli. Quo ubi præteritum jam fuiſſet, confeſtim *Bojus* univerſam Rempublicam noſtram, propter ſuperiora facta quibuscunque potuit diffamationibus per totam *Germaniam* & literis & ore proſcindere ſibi licitum putavit.

Supplicia. Interea domi noſtræ XXVII. Maji, Sabbato nimirum poſt *aſcenſionem Chriſti* A *in cælos*, ſecuri percuſſi ſunt *Caſpar Altenus* judicii nuncius, & *Ringsbergerus* faber ferrarius, quod contra municipale juramentum, ipſaque adeo patriæ privilegia, concives ſuos hinc ad extera judicia, præcipue vero ad *Weſtphalenſe* Tribunal evocaſſent. Sequente dein æſtate, quotiescunque cives noſtri vel fœna e pratis, vel fruges ſtraminaque ex agris, vel ligna ſarmentaque aut etiam pecora ſua trans *Lechum* huc traducere volebant, armata manu id eos facere oportuit. Quemadmodum in primis Julio menſe ex *Lechhauſa* centuriata B cohorte quæ noſtra erant, domum deducta vi ſunt.

Partium litigantium conventus Fridbergæ. Ne tamen prorſus ab imperatore deſtitutum *Augſtburgum* credi poſſet, commiſſum ab illo, Cardinali noſtro *Petro*, & *Sigmundo Auſtriæ* duci ſerio eſt, ut omni modo ac quacunque ratione pacem *Augſtburgenſibus* darent. Hic illi præmiſſa noſtris ſecuritate, primo ſub initia Auguſti menſis, partes *Fridbergam* convenire juſſerunt. Quo cum ipſus dux venire dedignaretur, extemplo ablegatus hinc a Senatu *Ludwicbus Feirabendus* ad aulam eſt, ut de contumacia ea C imperatorem, præter commiſſariorum informationem certiorem redderet, ac melius tum conſilium tum auxilium ſupplicitet exoraret.

Conventus alius Landshutæ. Quibus impetratis, alius de novo conventus *Landshutam* in ipſum nimirum ducis domicilium, eodem in negocio, maxima cum diligentia agitandus, partibus intra paucos dies præſcriptus eſt. Verum quod dux proditorias artes a *Keſingero* pridem, & nuper veneficia a *Glatzkopfio* confeſſa acrius urgeret, noſtri autem injurias eas ſibi falſo & doloſe irrogatas aſſeverarent, præD tereaque ducem contra omnia imperatoris mandata perpetuo capitales noſtros hoſtes, notoriosque prædones receptare accuſarent, operæ precii nihil ab arbitris determinari potuit.

Hoſtilia. Unde XI. menſis Auguſti, *Hanſus Rhinawienſis* viginti quatuor centaurorum ſatellitio, aucupem quendam noſtratem ad *Lechi* ripam in propinquo dumeto miſere tractavit; ac inde dealbatoribus armenta propter *S. Servatium* vi abegit. Verum dato quam citiſſime per vigiles *Berlejæ* arcis ſigno, protinus noſtri illum *Dæſingam* usque inſequuti, non ſolum pecora ſuorum recuperarunt, ſed & diſturbatis inimicis, ſeptem expeditos eripuerunt eisdem equos, & unum ex complicibus, cui *Steffano Böcklino* nomen, captivum huc pertraxerunt, qui ſequenti luce ſtatim prætoris ſententia capitis pœnam luit.

Duodecimo dein Octobris die, Come- *Cometa.* ta apud nos noctu apparere cæpit. Quo tempore papa, Cæſaris *Friderychi* precibus, crucem in *Bohemicos* hæreticos prædicare præcepit ſacerdotibus. Quam rem, licet diriſſimorum anathematum extremam executionem noſtri crederent, *Bohemi* tamen ipſi, ceu brutum fulmen ridendo ſpreverunt.

Imperator autem XXVIII. ejusdem men- *Imperatoris contra prædones mandata.* ſis die, feria iterum ac ſevera contra prædones mandata, in gratiam reipublicæ *Augſtburgenſis*, per totam ſuperiorem *Germaniam* promulgavit. *Bojarus* vero incitato interim agnato ſuo *Albrechto, Monachienſe,* *Augſtburgenſes a quibus interdicuntur.* principe, qui nobis adhuc fœdere junctus erat, circiter *anſerinam beati Martini* feſtivitatem Lechi cunctos rivos in noſtro latere foveis intercipere, imo totius fluminis uſum noſtris eripere anniſus eſt: Cum certe ob eam ipſam rem, ſimul ac propter publica paſcua compromiſſio fuerit utrinque facta. Et jam non ſemel *Johannes Werdenbergius* comes, antiſtitis noſtri coadjutor & *Wilhelmus* epiſcopus *Aichſtettenſis*, ſupradictorum commiſſariorum nomine, per regionis Ichnographiam, præſentesque luſtrationes, plurimam nec non accuratiſſimam transactionem tentaverint.

Quando vero *Bojari Lechum* ea tempeſtate quoque *Landsbergæ* obſtruxiſſent, adeo ut nullæ rates, etiam illæ, quibus ſolummodo calx imponitur, ex alpibus ad nos devehi poſſent, magna lignorum inopia laborare cives noſtri cæperunt. Senatus ergo publici commodi cauſa, ſaltus aliquot, ingentemque ſylvam ad *Werdachæ* ſcaturigines comparavit, & illis ſucciſis, caritatem dictam popularibus nonnihil alleviavit. *Bojari* tamen, qui amici putabantur, dum aliquot millia aureorum Reipublicæ *Augſtburgenſi* deberent, mox alieni æris exſolvendi occaſione, compendium illud impedientes, *Werdachæ* fluenta quoque *Tyrckbaymæ* & *Oetringæ* ſeptis præcluſerunt. Quare *Iterum conventus lites componendi cauſa.* excandeſcentibus undique animis magnus iterum tumultus fuiſſet exortus, ni dicta peremptorie ad Kalendas Decembres die, *Hugo Monſortius* comes, novus ab imperatore datus

datus arbiter, & *Laurentius* episcopus Ferrarien-
sis papalis nuncius; *Monachii* iterum
fortunam experientes, pacificam actionem
instituissent. Quam utut diu continua-
rint, partesque sedulo audiverint, sine opta-
to tamen fine, eam abrumpere coacti sunt.
1469. Anno Domini MCCCCLXIX. consules
hic lecti sunt *Leonhardus Langenmantellus*
Radawerus dictus, VIII. & *Ulrychus Schwar-*
tzius, ex lignariorum fabrorum tribu. Sub
Velitationes cum hostibus. quibus in pacificationum induciis, nostri
equites XX. die Februarii, in hostes per cam-
pestria *Lechi* forte incidentes, strenue cum
illis conflixerunt, occisoque ex eis uno,
etiam primipilum ipsorum *Georgium*
Schnaitbergerum; ad pontem *Landsbergæ*,
quo salutis causa properarat, ceperunt, vin-
ctumque huc deduxerunt. Ubi eodem die
cum calcaribus & ocreis suspendio publica
furca necatus est. In eo conflictu *Lands-*
bergenses parum honorifice se erga nos ges-
serunt, facta enim eruptione, utut confœ-
derati existimarentur, tres ex nostris con-
ductitiis interceperunt. Tandem sub
principium Martii, emissi hinc LXX. equi-
tes, CC. que pedites, una cum architecto-
nibus sunt, ut obstacula aggeresque, quibus
vectura per *Werdachæ* flumen nostris præpe-
dita erant, vi diruerent sustollerentque.
Quod dum Bojarici ministeriales subitaneo
occursu prohibere conantur, submissi mox
ex urbe alii CC. cum armis sunt; quorum
præsidio rates connexis trabibus plus minus
quadraginta invitis adversariis, ad urbem
usque pariter perductæ sunt. Quin & pau-
cos post dies, senatus jussu, totus *Lechus*
etiam, sub inferiorem pontem hic, robustis
palis cratibusque obseptus tam arcte fuit, ut
nihil omnino, quam quod nostri ultro con-
Fit pax. cederent, prætervehi potuerit. Quapro-
pter ne iterum majores motus exurgerent,
convocarunt de novo imperatorii legati,
Johannes videlicet novus *Augustensis* epi-
scopus, nam Cardinalis jamjam obierat &
Hugo Montfortius, pro rollendo Vatiniano
illo dissidio, *Bojaricos* duces ac civitatem
Augstburgensem, ad XXIIII. diem Aprilis,
Regensburgum; quo a nostris *Leonhardus*
Rehlingerus & *Hansus Vitellus* missi præ *Lud-*
wichianorum Consiliariorum duritia, non
potuere integram pacem constituere. Et
exin cunctabundus imperator, justissimis
nostrorum precibus expugnatus, totius cau-
sæ cognitionem ad sese recepit, ac edito
VIII. die Maji, apud *Styriæ* suæ *Gretzium*
publico rescripto, universis & singulis, qui
rempublicam *Augstburgensem*, de incendio-
rum, veneficiorum, aut invadendorum per
Bojariam castellorum, crimine accusare vo-
luerint, diem peremptorium ac liberam
conventionem instantissime ad XXIIII. die-
m Augusti mensis, data etiam securitate
dixit. Quem prius memorati arbitri celer-
rime pariter ac studiose prævenire volen-
tes, alium conventum *Monachii*, nonnulli
Landshutæ ajunt, haberi curarunt, in quo
XV. demum die Junii, aspirante Deo, to-
tum illud negocium, quod utriusque partis
cruore, insignique calamitate, diutissime
jam duraverat, plene confectum, & fiducia-
lis concordia, præsentibus consule *Rada-*
wero, *Georgio Strausſone*, *Hanso Vitello*, &
Magistro *Valentino* Archigrammatæo, le-
gatis nostris, talibus conditionibus firmata
est, ut sequitur:

A I) Ut seposita omni simultate, rancore- *Conditio-*
que, novem articuli ab Electore palatino *nes pacis.*
jam antea præscripti, simul ac *Bojorum* prin-
cipum mandata, quibus aqua & terra nostris
interdixerant, cassarentur.

II) Ut privati alii hostes, ceu *Burck-*
hardus Knöringensis, *Hansus Rhinawiensis*
& illorum socii; cumprimis vero octo illi,
qui *Höchstetti* dudum in custodiam fuerant
detrusi, reconciliati nostris essent.

III) *Augstburgenses* decennali *fœdere*,
nam *protectionis* vocabulum quod *Bojus* af-
fectabat, in præjudicium Imperatoris ad-
B mittere religio erat, cum *Bojaris* juncti, duci
Ludwicho quotannis DCCC. aureos pende-
rent, nec non pro virili sibi invicem auxilia
utrinque præstarent.

IIII) *Albrechto* duci, remissis duobus,
quæ accommodato a Senatu nostro acceper-
at, aureorum millibus, quatuor alia millia
amplius numerarentur, pro præfectura co-
mitatus *Schwabeccensis*, quam *Augstburgen-*
ses a *Wilhelmo Riethaimense* intra triennium
redimere, & tamdiu postea possidere ad-
ministrareque possent, quoad memoratus
dux eandem sibimet soli asserere & recupe-
rare nollet.

V) Nostri tres equites *Landsbergæ* capti
immunes dimitterentur.

VI) Quæ vero ob venationes, piscaturas,
C riparum aggeres, pascua, saltus & campos
cis *Lechum*, in controversiam venissent, co-
ram *Wilhelmo Aichstettense* præsule, aut eo
mortuo coram *Hainrycho Ratisbonense* epi-
scopo, intra anni spacium judicice determi-
narentur.

VII) *Hansi Lieberi* hæredibus, cum qui-
bus Senatus noster ob expensas præfracto-
rum ipsius jurgiorum, jam aliquot annis
contenderat, & ante quadriennium rescri-
pto Cæsaris absolutum se putabat, quadrin-
genti aureoli, alii multo plures ponunt, da-
rentur.

D VIII) *Erlbachus* denique causam suam,
contra nostrum senatum, coram arbitro mi-
lite *Hainrycho Marchschalko* provinciæ & ci-
vitatis præfecto, & e diverso Senatus jus-
suum contra scribam eum, coram selecto
Ulmensi Senatu, intra trium mensium spa-
cium prosequeretur.

Vix autem ad hanc pacificationis for-
mulam acceptandam nostri deduci potue-
runt, tum quia in præsentiarum iniquio-
rem, tum in posterum ignominiosam causa-
rentur. Verum a *Wilhelmo* episcopo

Aichſtettenſe, & a deputatis *Noribergenſium*, *Ulmenſiumque*, non diſſimilia exempla ſe paſſos profitentibus, perſuaſi, manus tandem dederunt. Eſtque pax illa populo hic per clasſicariæ campanæ ſonum convocato, XXIII. Junii publicata. Circiter tempeſtatem hanc vendiderunt *Langenmantelli* patritii *Augſtburgenſes*, poſt plurima accepta damna, *Wertingenſis* oppidi & ditionis reliquam partem etiam ſupramemorato *Magno Bappenhaymenſi* novem millibus aureorum, cum tamen quadringentorum aureorum reditus ſingulis haberet annis. Hocce anno Senatus conſultum illud, quod ante quadraginta tres annos fuerat factum, ut videlicet, quicunque municipali ſuo renunciarit juri, trium annorum *cenſum*, quem *Sturam* vocant, numeret, tali lege denuo patribus plebeque annuentibus, confirmatum eſt, ut æs illud in inſtanti adpendatur, aut ubi quis nolit, ad reddendum carcere compellatur, denique ut protinus cum uxore liberisque migret, nec unquam poſthac hic vel habitare, vel Oeconomiam inſtituere præſumat, ſub pœna perjurii. Mœnia item juxta *Steſſingeriam* portulam ſimul & ea, quæ Orientale ſuburbium, *Jacobæum* dicitur, cingunt, eo quod juſto humiliora optimatibus cenſerentur, non modo undiquaque excelſiora ſunt reddita, verum junctis fulcris ambitu pro nocturnis excubiis muniri civium opera ceperunt. Porro XVIII. die Novembris, edixit novus epiſcopus tam per civitatem hanc, quam per totum epiſcopatum ſuum, ut quicunque a ſeptuaginta retroactis annis fiſco ſuo qualicunque debito vel obæratus vel alioquin obnoxius foret, infra quatuor menſes cum quæſtore ſuo *Dillingæ* paciſcerentur, aut fundis feudisque, quæ beneficii loco a cathedra ſua haberent, cederent. Tandem XII. anni preſentis Decembris die, renovata antiqua ſtatuta, per Senatum urbanum ſunt, quibus omnis luxus nuptiarum, ſuperfluæque expenſæ prohibentur. In quæ tamen e veſtigio novus conſul *Schwartzius* de induſtria commiſit, ut nimirum futuræ tyrannidis ſpecimen præberet. Ut autem ſæculi hujus futiles ſuperſtitiones partim, partim vero & religionis ceremonias in memoriam tibi lector revocem, non omittendam exiſtimo, quæ hoc ipſo anno in civitate noſtra contigit, hiſtoriam. Fuit ſutor octuaginta annos natus, *Leonhardus Guttus*, qui juvenculam uxorem apud nos ſuperiore autumno duxerat, ac cum jam præ ſenio frigidus impotensque ad reddendum conjugii debitum eſſet, tentavit poſt alia remedia vanis artibus extinctam reſuſcitare Venerem ac incantatricum vetularum conſilio uſus, delirus rem aggreſſus eſt in hunc modum. Abſtulit ab occiſi hominis ſepulchro ligneam crucem, tali enim ſigno pauperes loco monumenti in ſuis epitaphiis utuntur, perquam die paraſceves cum aliquot conjurationibus preculisque perforatam, tribus noctibus in introitu lecti minxit, ac dein eam, madidam lotro, ſub lectulum ſuum repoſuit, ſperans, ſe talibus nugis virum futirum ad mulierculæ lubitum. Sed cum ſtultulum ea fefelliſſent, procaculaque uxor tandem ſuum defectum omneque mariti facinus prodidiſſent, in vincula ſutor conjectus eſt, & quia propter peccatum idolatricum illud in prætorio foro aquis ſuffocandus condemnaretur, habita anteactæ honeſtioris vitæ & jam provectioris ætatis, immo delirii ratione, quinquaginta aureis ad domum *expoſitiorum puerorum* ab urbano Senatu ex gratia mulctatus eſt. In eccleſiaſtico vero foro, Areopagitæ illi pro ampliore ſatisfactione injunxerunt, ut die ſecundo dominico poſt pentecoſtes feſtum peracto ſummo officio, quando jam omnia urbis compita hominum frequentia eſſent oppleta, ſeminudus crucem ligneam a *Mariano* ad *Ulrychianum* usque templum, per mediam civitatem bajularet, ac ſequente illum ſpiritali carnifice, nempe Dominicano cucullato, virgis inſuper vapularet miſer. Quo anno Imperator *Fridericus* Romam devotionis ergo petiit.

Cæterum mortuo *Petro Schaumburgio*, ſtatim *Johannes* II. comes *Werdenbergenſis*, ex coadjutore, nam ante triennium peractis in ipſo paſchatis feſto apud cathedrale templum ipſius primiciis, anteceſſor officium reſignavit, illumque mitra ornarat, epiſcopus *Auguſtenſis* mere & mixte effectus, ſequentis anni ſabbato poſt pentecoſten, hoc eſt, XVI. die Junii, civitatem *Augſtburgenſem* comitatu mille octingentorum equitum pro more intravit, præfuitque diœceſi ſuæ quam utiliter decem & ſeptem annis. Nam altero adminiſtrationis ſuæ anno, *Marchionatum Burgavienſem*, cum provinciali ejusdem judicio LII. aureî drachmarum millibus, a *Sigismundo Auſtrio Tyrolenſium* comite, in pignus accepit. Quem tamen *Georgius Bojariæ* dux, epiſcopo illi ſemper contrarius, poſt ſedecim annos iterum redemit. Eodem item anno mox cœnobium *Holtzenſe*, luxu Veſtalium ibidem pene perditum, nam ultra duo millia aureolorum annui redditus jam decoxerant aſſumptis hinc e *S. Nicolai* clauſtro quatuor monialibus, tam in bonis ſecularibus quam monaſticis regulis, ſerioſe reſtituere cæpit. Et quando non modo comis ac feſtivus, ſed & providentiſſimus eſſet princeps, commendatus ei a MCCCCLXXIIII. a *Friderycho* imperatore unicus filius *Maximilianus* eſt, tanquam diſcipulus, quam diu is peregre abfuit. Quo anno etiam *Marcus Aquilejenſis* patriarcha Romanus cardinalis, & pont. Max. a latere legatus, in ſumma apud nos æde, *Palmarum* feſto ramos pro more benedixit, ac die ſancto Paſchæ ſummum officium in eadem decantavit, & in proceſſione dein corporis Chriſti ſacramentum quam

Reſidua Wertingæ pars venditur.

SCtum de renuntiato jure municipali.

Munimentorum exſtructio.

Lex ſumtuaria.

Gutti facinus de reſuſcitanda extincta venere.

1470.

1474.

Johannes II. Epiſc. LVI.

Marcus legatus Pomiſ. a latere.

quam devotiſſime per urbem circumtulit. Eſtque in feſtivitate *Mariæ Magdalenæ* poſtea, ſolennis proceſſio habita hic a clero, contra *Turcarum* rabiem, ex *Mariano* templo ad *Petrinam*, & ab ea in *Moritianam* eccleſiam: Cui ipſusmet Imperator *Friderychus* perſonaliter cum aliquot principibus
A. 1480. interfuit. Poſtea Anno MCDLXXX. legatus fuit præſul hic, totius *Germanici* regni nomine, cum *Joſſo Zolrenſe* comite, ex comitiis *Norimbergenſibus*, ad *Galliæ* regem *Ludwichum* XI. ut pacem inter eum, ac jam dictum *Maximilianum Auſtriacum*, qui de *Burgundiæ* ducatus ditionibus dimicabant, A faceret. Quo anno idem antiſtes poſteaquam *Triſtramus Marchſchalckus* dimidiam partem caſtri *Byberbachenſis*, quam frater ejus *Ulrychus*, imperatoris autoritate illi ereptam, per inſidias recepiſſet, militare auxilium dicto *Ulrycho* menſe decembri miſit, cujus præſidio is totam eam arcem brevi recuperavit, fratremque pepulit. Tandem bonus paſtor biennio ante obitum, cum toto myſtarum ſuorum capitulo, foroque eccleſiaſtico, citra juſtas cauſas, in deſpectum Reipublicæ hinc *Dillingam* emigravit, ubi arcem quam ornatiſſime reparavit, ac lapſis undecim menſibus cum precatoribus rediit. B Quo anno *Seflingenſes* moniales, *Ulmenſium* reformationem fugientes, *Gyntzburgum*, epiſcopus noſter contra ca-
A. 1485. nones receptavit. Anno autem MCCCC LXXXV. *Hohenwartenſium* Nonnarum diſſolutiorem vitam, ad arctiorem vivendi regulam, conſtituta *Barbara Holtzhauſiana* eo abbatiſſa, reduxit. Denique confirmata poſt *Wilhelmum* a *Luſtuania*, *Johanne Röſlino* monacho *Elchingenſe*, quadrageſimo apud *Uttenbeyrrham* abbate, corruptiſſimam monachorum diſciplinam prodigalitatemque difficillime & non citra hoſtiles inſidias eo loci corrigere potuit. Demum C moritur *Johannes* præſul in Curiatis comitiis *Francfurti* XXIII. die Februarii, anno
A. 1486. Domini MCCCCLXXXVI. Sub quo antiſtite reparatum hic de novo, tegulisque
A. 1469. intectum eſt, anno MCCCCLXIX. ſancti *Galli* ſacellum, ad murum orientalem urbis. Inde poſt biennium, cæpit
A. 1471. imago quædam *Mariæ virginis*, apud *Minoritas* noſtros hic, qui monachi hocce ævo vigeſies bis mille monaſteria per orbem Romanæ eccleſiæ habuiſſe feruntur miracula, magno populi concurſu, diabolicaque illuſione edere. Poſtea ſequentis anni Auguſto menſe, ceptum eſt *S. Wolfgangi*, circa D
A. 1472. *Werdachæ* pontem, ad leproſos extra urbem, ſacellum a civibus ædificari. Et biennio poſt id, in ipſa *Apoſtolorum Petri & Pauli* feſtivitate, corruit ſub ipſis veſpertinis precibus ventorum impetu, nova S. *Ulrychi* ædis, ſuntque ruina ea triginta *unus* mortales,
A. 1474. cum *Hieronymo Leibero* parocho, ejusque diacono *Joanne Ebero* oppreſſi, primo anno

Johannes Dillingam deceſſit.

Ædes Ulrichiana corruit.

Marie imago edit miracula,

Hainrychi Triſii civis, & quadrageſimi primi cœnobii ejus, cui octo annis præfuit, abbatis. Quo anno etiam XIII. Julii, *Udalrychus Burgſchneiderus* obeſiſſimus *S. Crucis* præpoſitus, in cellula cujusdam ſororculæ ad *Horbruggam* exanimis repertus eſt, cui *Johannes Fuchſius* e populari concionatore in præpoſituram eandem, epiſcopi præſentia, decimo ſeptimo loco ſuffectus, vulpiniis plane technis, quatuordecim quibus præfuit annis, quantum potuit civitati noſtræ injurius extitit, in monaſterio tamen ſuo, plurima & præſertim novum ambitum & ſummitatem turris Campanariæ conſtrui curavit, cum primis vero vetuſtæ fundationis memor, ſacellum *S. Nicolai* apud *Mutterhofam* renovavit. Eſt item eodem anno *Hainrychus Graſſus Franco*, *Auguſtanus* Canonicus Bambergæ epiſcopus ordinatus. Sequente anno cum *Johannes Huberus* in ferinis thermis eſſet ſubmerſus, *Nicolaus Stainerus* decimus ſextus præpoſitus apud S. *Georgium Auguſtæ* electus, præfuit quatuor annis. *Anna* adhæc *Harſcheria* ad S. *Stephanum* abbatiſſa facta, tredecim annis ſacras eas Nymphas hic gubernavit. Canonici præterea noſtri ad *divam virginem* impetrarunt, ſubrepticie apud *Sixtum* IIII. Romæ, ejus legis confirmationem, qua illi X. Julii hujus anni conſpiraverant, ut nullus *Auguſtburgenſium* civium, in chori ipſorum ſocietatem recipi vel debeat vel poſſit unquam. Cæterum jam dictus *Sixtus*, ex mendico *Minorita*, liberaliſſimus papa factus, anni Jubilæi indulgentias ad viceſimum quintum quemque annum celebrandas primus præcepit. Confirmavit item ad petitionem *Franciſci* ducis *Britanniæ*, cum plurimarum *Indulgentiarum* promiſſis, pſalterium *Mariæ*, quod pro numero Davidicorum pſalmorum ex CL. ſalutationis angelicæ *preculis*, hoc eſt, tribus ejusdem virginis Roſariis, conſtat. Inde *Credentia Freibergeria*, *Urſpringenſis* Gynæcei magiſtra, auxilio *Machthildis Auſtriæ* duciſſæ, cœnobium ſuum anno MCCCCLXXIX. non ſine
A. 1479. tumultuoſa monachorum rebellione ad frugem perduxit, ſanctimonialesque ſuas propter continentiam muris prima incluſit. Quo anno & *Johannitæ Rhodienſes*, per potiora templa *Auguſtburgenſis* civitatis, titulo, ne dicam impoſtura, indulgentiarum Jubilæi non parvam pecuniam, nempe intra anni ſpacium ultra tria millia aureorum, nonnulli 28. aureorum millia ponunt, corraſerunt. Quam ſummam exacto anno *Ulricus* Comes *Werdenbergius* ordinis dicti ſocius hic recipiens majori ex parte fatis turpiter inſumpſit. Proximo ab hoc anno,
A. 1480. *Friderychus* comes ab *Oetinga* cathedræ *Auguſtenſis* canonicus, epiſcopus *Paſſaviæ* eſt factus. Porro cum ſalutis MCCCCLXXXI. anno, *Jacobus Hauſſtetterus* præter alia beneficia, quæ menſæ pauperum in majore civium hoſpitale contulit, vulgo denomina-

Hainrychus VIII. Ulrichianus abbas XLI.

Udalricus IV. XVI. & Johannes XVII. Cruciani præpoſiti.

Nicolaus Georgianus præpoſitus XVI.

Anna Stephaniana abbatiſſa.

Sixti IV. geſta.

Equites Rhodienſes colligunt eleemoſynam.

Hauſſtetteri donationes ad pias cauſas.

tionem a *Stanno* habent etiam pro sui justificatione in *divi Jacobi* delubrum certa pensione fundasset, ut singulis per anni circulum sabbatis, cunctisque beatæ *Mariæ* professis pervulgato eo carmine, quod incipit, *Salve Regina misericordiæ*, eadem virgo collaudaretur, idque per sex clericos, mox *Dominicanum* collegium toto biennio institutum illud impugnavit, non quidem quod idololatriæ resistere meditaretur, sed quod non in suum templum tanquam matricem, destinatum fuisset, evicit tamen
A. 1482. *Hausstetteri* superstitiosa voluntas. Proximo ab hoc anno dein, absoluta sub finem Aprilis est splendidissima, eaque argentea simulachrorum majoris ædis tabula, quæ trium aureorum millium valore æstimatur, quamque *Petrus Rimpfingius* aurisaber, flaminum ibidem expensis, ad divinos sæculi
Johannes IV XVII. Michael. XVIII. & Rudolphus XIX. Georgiani præpositi. ejus cultus artificiosissime elaboravit. Et est eodem anno post obitum *Michaelis Myleri*, qui *Joanni Wendlingero* brevi succesrat tempore, *Rudolphus Fridboldus* e *S. Galli* monasterio huc translatus, undeviceſimusque ad *S. Georgium* præpositus electus ac præfuit vix septennio. Quin item *Bernhardus Artztius* civis collegio *Moritiano* præ-
Artztius præpositus Moritianus. positus, ingentem litem Romæ in rota, *Mariano* capitulo movit, quod se mystæ illi, a canonicatu eo prohiberent, quem *Sixtus* papa proprio motu sibi apud illos donarat.
A. 1485. Adhæc anno domini MCCCCLXXXV. *Ulrychus* a *Fraindsperga Augustani* chori symmista, in episcopum *Tridentinum* evectus est. Verum autem, ne dum nostra ista sacra tam scrupulose recito, exteram illam historiam, quæ tunc temporis, omnibus & veneranda & lugubris, nunc vero etiamnum memorabilis habetur, studio præteriisse videar, præsertim cum novi episcopi
Judeorum flagitium. mentio eo me trahat, sciendum est. *Tridenti* in ipso sacræ paraſceves anno MCCCC
A. 1475. LXXV. die, sutoris cujusdam trimum filiolum, *Simonem* nomine, a Judæis ibidem habitantibus surreptum clam esse, & non modo in contemptum passionis Christi excarnificatum secreto, verum insuper cruorem, ejus acuum punctionibus, in desperatissimo ejus gentis scelestissimos abusus, collectum fuisse, unde puer ille protinus miraculis choruscans latrocinium detexit, & in sanctorum catalogum relatus est, simulque verpi, vindice Deo, meritas exoluerunt pœnas.

A. 1470. Anno a nato Christo MCCCCLXX. creati de more *Augustburgi* nostro consules sunt *Bartholomæus Welserus* VII. & *Johannes Vitellus* II. Quibus a *Wilhelmo Aichstettense*
Pax Lebanis confirmatur. episcopo, instantis negocii honorario judice, adeoque & a præsule nostro, propter privatas *Bojariæ* principum postulationes, quibus rempublicam nostram adhuc impetebant, ad Kalendas Aprilis *Ingelstadium* dies dicta est. Ubi postquam seorsim, primo *Ludwichus Landshuttensis* de cautione famosa hic de se invulgata, qua is præter alia convitia, quæ in hostes evomere solemus, ad *Behomicum* deastrum desciviſſe culpabatur, deque vi tum *Lechausano* templo, tum telonio suo illata. Secundo *Albrechtus Monachiensis* de *Lechi* impetu a nostris non tam illicitis quam crebrioribus aggeribus impedito, deque aucupiorum, Venationum & piscationum, ad ripas illius nostrorum protervia. Tertio ambo simul, super exactis de jumentis, frumentis, saleque ab ipsorum subditis vectigalibus apud nos multa conquesti fuissent. Tandem auditis nostrorum & responsione & confutatione, inspectis etiam locorum controversorum finibus, cuncta ad æqui bonique normas ita decisa sunt, ut utraque pars illis contenta, Majo mense denuo *Fridbergæ* convenerint, ac junctis dextris, non modo initæ superiore anno pacis, sed futuræ confœderationis pacta integra stabilirent, & universa præsentis tractationis capitula XXVIII. hujus mensis die, scriptis consignarint tabulis. Qua *Annonæ vilitas.* tempestate cum Ver serotinum foret, multa pecora fame apud nos perierunt, veniitque circiter *divi Georgii* festum, *fæni plaustrum* tribus aureolis, & *sexaginta culmorum frumenti fasciculi*, vulgus *Schoberum* appellat, uno aureolo, nec non *major modius avenæ* XVIII. grossis. Atque inde paucis evolutis diebus, *Johannes Werdenbergius* comes *Johannes Episcop. venit Augustburgum.* XVI. Junii, ut præsulem decet, in civitatem nostram admitti voluit. At cum duo ferme hominum millia, inter quos tres duces, & duo de triginta comites erant, secum adduceret, in urbem prius receptus multis de causis non est, quam extra *Rubram* eamque clausam portam consulibus, qui CC. equitibus, & septem armatorum peditum e plebe conscriptorum signis illi obviam salutabundi processerant, Reipublicæ immunitatem & securitatem spopondisset. Tum primum, consulibus reserata porta hospites usque ad *Margaritæ* ædem antevertentibus, per mediam civitatem, ut princeps recta ad *Leonardinum* sacellum perductus est, ubi equo descendens, pontificalia induit, totoque clero in sacris habitibus cum vexillo & cruce præcedente sub sericia umbella ad *Marianum* templum perrexit, ac summæ aræ debitis ceremoniis impositus, porro in suum palatium a cætero comitatu tum conductus est, civibus interim per stationes suas excubantibus, ac, repagulis compitorum omnium & platearum diverticulis obfirmatis. Mox deinde eodem Vespere hospitale Xenium, deaurati argentei poculi, centenorum aureorum valore, cum ducentis adnumeratis aureis a Senatu nostro accepit. Ac proxima dein Lunæ die, dato per solitam campanam, hora VIII. ante meridiem signo, in curiam civium adæquitans conservandorum & antiquorum privilegiorum & laudabilium consuetudinum communia vota, tum ab utriusque consilii ordinibus,

trecen-

trecentis nimirum & quadraginta duobus viris accepit, tum eisdem ipse vicissim admota pectori manu, sic enim ajebat jurandi *Dies festi.* se modum habere, dedit. Ductæque a prandio, quo ipse cunctos, in palatio suo hic, lautissime exceperat, cum patritiorum matronis virgunculisque choreæ publico theatro sunt. Ibi cum præsul solenni ritu productus, choragum ageret, duo *Bojariæ* duces illius præambuli, honoris caussa, esse non sunt dedignati. Sequentibus eadem saltatiuncula *Wilhelmo Aichstettense* præsule, & *Johanne Bojariæ* duce, summæædis hic præposito. Quo die præterea habita a nobilibus, in atrio pontificis hastiludia sunt etiam.

Diploma adversus Westphalicum judicium. Interea temporis novum urbi nostræ a *Westphalensis* juris professoribus imminere cæpit periculum, in cujus remedium, statim Imperator *Friderychus* authentico dyplomate hoc ipso mense apud *Velckemarckt*um exarato, vetuit omnem processum inhibitionesque, quas *Johannes Greslinus* contra proprium fratrem *Steffanum Greslinum*, totamque rempublicam *Augstburgensem*, apud asperrimum illud Tribunal instituerat, jam jamque impetraverat, quoque.

Eduntur ludi. Singulis autem his sic rite peractis, dedit Senatus noster in signum infracti animi, arcubalistarios ludos, luculentissime. Missis enim ad quadraginta loca, invitatoriis epistolis, confluxere sub tutelaris nostri *S. Ulrychi* festum, præter Umbras, quadringenti sexaginta sex sagittarii. Inter quos duo duces *Bojariæ*; *Otto Hennebergensis* princeps, tres *Montfortii* comites, & unus *Oettingensis*, quatuor remotissima civitate advenerat, *Strigoviensis* ex *Ungria* civis, natione tamen Germanus erat, propositaque illis fuere XL. bravia, quorum præcipuum, nempe Scyphum argenteum, centum & unum aureos ponderantem, *Urbanus Schwytzerus a Dinckelsbyhela* XII. ictibus citra omnem æmulum, libere vincens accepit. Certatum autem est, non ad veterem scopum in fossa ad *Geggingensem* portam, sed in *rosarum insula*, quæ inter *Sinckelidis* & *Werdachæ* fluenta lætissima jacet, id quod antehac nunquam hic factum fuisse, annales referunt. Exhibita præterea certis donariis, omnis generis joci ludi ac certamina sunt, inter quæ *Christophorus* dux *Bojarus*, palmas cursuum & saltus, *Wilhelmus Zaunrydius* miles auratus saxi unico brachio impulsi præmium obtinuere. Habuerunt adhæc cursores equi bravium XLV. aureorum, quod *Wolffgangi Bojarii* ducis equus celeritate nactus est. Collectis denique undiquaque tricesies sexies mille, quadringentis & sexaginta quatuor cartulis, quibus sortem experiri volentium nomina octo pro qualibet nummulos dando, intitulata fuerunt, XXII. fortuita munera parata sunt. Atque dein cunctis illis cartulis in unam simul Urnam conjectis, & in alteram similem ollam, totidem schedulis partim vacuis partim dictorum lucrorum indice inscriptis, quoque positis, primarium munus, quadraginta videlicet aureoli, *Augustino Cochio Imyndensi* inter eximendum citra fraudem accessit. Quin item singuli sagittarii diurnis symposiis, cottidie refecti exhilaratique, sub tentoriis & præparatis ad id poppinis Reipublicæ liberalitate sunt. Et postquam in totam hanc festivitatem duarum millium ducentarum & octo auri drachmarum, expensæ fuisset factæ, nullam tamen pecuniæ suæ jacturam fiscus, præ advenarum levicula contributione aliarumque rerum communi vectigali, est passus,

Forum equinum lapidibus stratum. Eo anno *equinum forum* a *discalceatorum* porta usque ad *Aviariam* portulam silicibus constratum primo est. Cumque *Ulrychi Artzti* famulus procuratorve *Michael Volmarus*, rupta fide mercatores & alios quoscunque creditores, ingenti ære defraudasset, ac ob eam rem hinc ad *Bojaros* ceu in asylum confugisset, rescriptum *Ludwicho* duci ab Imperatore III. Septembris die est, ne illum amplius vel foverer, vel ullo conductu tueretur. Cui mandato princeps quidem paruit, sed nebulo aufugiens nemini unquam satisfecit. In die insuper *S. Gallæ* improbi ac scelerati homunciones, quibus per autumnales nundinas hic esse aliquandiu licuit, civitate excedere per preconem jussi sunt. Id quod ab antiquo seculo semper moris, verum intra sedecim annos jam non factum fuerat.

Anno redemptionis mundi M CCCC LXXI. consules *Augstburgi* sunt dicti *Leonhardus Langenmantellus* VIIII., nonnulli nescio qua de causa *Petrum Herwarthum* ponunt, & *Ulrychus Schwartzius* II. cujus præcipua jussione, expurgatum non sine omine publici patibuli polyandrium XVIII. die Februarii est, inventæque strangulatorum ibidem CCL. integræ calvariæ sunt, pendentibus adhuc XXXII. furum cadaveribus. A. 1471.

Cura de expositiis. Cæpitque eodem hoc anno Senatus primum de proprio expositiorum puerulorum hospitio consultare, & cum miseri illi orphani hinc inde apud mulierculas conductitias inamanter educarentur, attribuit illis idem Senatus, tanquam victus auctariium, pecuniarias civilium vitiorum mulctas ad aliquot annos. Paulo post ista, dum *Albrechtius Bojariæ* dux; *Christofforum* fratrem suum ob prodigalitatem, Martio mense e balneo extractum in custodiam *Monachii* detrusisset, mox *Wolffgangus* alter ipsorum frater, illinc se *Augstburgum* subduxit, ne scilicet simile aliquid experiretur quoque. Quem Senatus utut pauculo famulitio ad instar privati hominis adesset, donariis ut principem solet, excipiendum curavit, auditaque adventus causa securum per omnia hic esse jussit. Ac missa ipsius voluntate *Monachium* legatione, partes suas pro illo erga germanum diligenter interposuit. Ad quæ *Albrechtius*, vim istam ad

Wolffgangus Boj. dux Augstburgum venit.

Wolffgangum nihil pertinere, respondit, proimposito metu illum pro lubito redire posse. Verum is amico reconciliato non fidendum ratus, hinc post aliquot septimanas abiit, & quandiu frater captivus fuit, *Oenipontis* apud *Sigmundum Austriæ* numinosissimum ducem peregrinatus est. Non ita multis diebus post, XVIII. nimirum Aprilis, misit Senatus hinc triginta tres hastatos equites, cæruleo amictu per totum ornatos, in occursum *Friderychi* Imperatoris, qui ipsum Imperatorem *Passaviæ* præstolantes, illinc *Regensburgum* ad comitia officii causa comitati sunt. Ad quæ etiam *Joannes Vitellus*, turmæ dictorum equitum decurio, Reipub. nostræ nomine deputatus fuit. Sed audi rem ridiculam, lector. Cum mense Majo, quodam die, paulo post Solis ortum repentinus & vehemens ventorum turbo excitatus esset, ac crassæ candicantesque nubes per æthera hinc inde quam celeberrime, hic cursitarent, videre sibi quidam visi sunt, *Benejam* turrim in foro nutare, & jam jam collabi. Quare clamore turbarum, uti apud inconditam plebem solet, præsentes quantocius retrocedere gestierunt, alii vero casus novi admiratione, citra ordinem accurrere, ipsi adeo lanii etiam metu ex macello fugitare cæperunt, atque ita Villicis vetulis vermisque tum venale lac lagunculis effusum, tum ova in sportulis collisa non parvum tumultum, in tali hominum pressura, quoque fecerunt, donec cordatiores perterritos cohiberent, ac nihil periculi ex turri imminere monstrarent, vulgusque tandem fabulam eam ingenti cachinno finierint. Postea sub finem Septembris, ipso festo *Michaëlis*, quando nimirum civitas nostra quibuslibet libere patet, irrepsit huc *Sigmundus Argenensis*, ac vi armata in ædes fratris sui *Antonii* perrupit, effractaque tumultuarie publicæ stateræ taberna, ac direpta ibidem nummaria capsa paternam hæreditatem proprio Marte adire voluit, ac tantum non fratrem quoque interemisset, ni consulum prudentia furor citissime sedatus, grassatorque ille in carcerem conjectus fuisset. E quo dum propter tantam proterviam de capite periclitaretur, *Bojariæ* ducum & præterea magna nobilium, ipsiusmetque adeo *Antonii* fratris pia intercessione, difficulter sane liberari potuit. Unde postea *Argenenses* illi, quibus fastu & opibus nemo hic facile hactenus comparari poterat, de patrimonio compositi, subinde & inter sesemet discordes, & in patriam injurioſi esse perrexerunt, ac extremo, ceu bulla mari tumida innatans, momento temporis exili, usque adeo ad nihilum redacti evanuerunt, ut hodie nusquam illorum posteri supersint. Tantum potest a majoribus concepta invidia.

Imperatori mittuntur comites.

Metus frustraneus de casu turris.

Sigismundi Argenensis fucinora.

A. 1472. Anno a nativitate Christi M CCCC LXXII. cum die Solis, qui festum *Epiphaniarum domini* erat, novus magistratus hic de more legendus esset, convenissentque ejus rei gratia viritim ad suas tabernas singulorum artificiorum collegii, accidit apud pelliones, ut *Georgius Mertzius*, sedecim scriptis votis amplius quam omnino viri in tota ea tribu præsentes forent, Tribunus crearetur, quod ubi suspicione doli non careret, ipsusque Candidatus, examinata de novo coram Senatu electione, perjurii se convinci animadverteret, ne turpius quid pateretur, una cum collegii ejus famulo, stropharum conscio fuga sibi consuluit. Per Imperatorem tamen sequente anno in urbem reductus, infamis est habitus, inde mox altero *post epiphanias* die, consules pronunciati sunt, *Josus Onsorgius*, & *Georgius Strausso* VII. cæpitque eodem mense magnus cometa noctu fulgere, ac Februario & Martio mensibus identidem perdurans, a *Libræ* signo usque ad *Arietem* Zodiacum retrograde pervagatus est, tamque ferventissimum & necum post se æstum reliquit, ut posteriore anno sylvarum jugi nonnusquam exardere occeperint. Postea ab initio Aprilis novi *teruncii* seu *oboli*, per *Steffanum Greslinum* episcopi monetalem, ad summam duodeviginti aureorum millium signati apud nos sunt, quorum CCC LXXXIIII. hoc est, viginti quatuor grossi unum *Rhenensem* aureum penderent, verum exactius tandem perpensi, deprehensum est circiter finem Augusti talium oborum vix CCCCXVIII. integrum valere aureum. Atque hinc jam æque ac exlapsi MCCCCLVIII. anni, fraudibus, ejusmodi homines in futurum cognoscere, ac si potes lector cavere disce. Non longe post hosce dies, etiam *Andreas Frickingerus* vir consularis, ob minus certum quem de ædilitate Senatui reddere debebat, computum, securitatis ergo *Fridbergam* concessit, unde tamen agnatorum consilio, iterum huc ad *Ulrychianum* asylum reversus est. Extant tamen annales, qui hunc ipsum *Frickingerum*, dominico die ante *S. Galli* præsentis anni festum *Arcubalistarum* ludum *Geggingæ*, bravio XVIII. aureorum adperuisse commemorent, ad quem CXLIIII. sagittarii confluxerint. Simili facto & *Clausus Rhodius* eodem tempore ad tantam inopiam *Ulmæ* propter æs alienum devenit, ut instantia nostrorum civium, quibus tantum non animam debebat, ad perpetuos carceres condemnatus sit. Et cum jam satis superque plurima damna Reipublicæ nostræ *Hainrychus Erlbachus* insidiosissime & adornasset & dedisset, XXI. Maji tandem, satis volentibus, *Regensburgi*, mandato *Bojariæ* ducum capite plexus, infidelitatis pœnam merito luit, malum enim consilium consultori pessimum existere solet. Porro VI. Julii die, expositus hic infami suggestu, quem per antiphrasin ab *indecoris moribus Brangerum* vulgo vocant, *Leonhardus Kyssingerus* est, pistorum aliquando Tribunus, ac propter crimi-

Monetæ cudendæ.

Supplicia.

criminationes, quibus tum Senatui, quod fratrem suum, qui Reipublicæ molitor fuerat, ob peculatum jamjam in crucem egerat, tum cunctis contribulibus suis, contra præstitum juramentum falso detrectaverat, lingua, cum duobus dextræ manus digitis per carnificem mutilatus est. Interea *Behemi Ludwichum* Bojariæ ducem bello lacessiverunt, qua propter is tenore facti fœderis, a Senatu nostro militare subsidium petiit. Cui protinus XXV. hujus mensis die, triginta armati equites rubris vestibus decorati, sunt transmissi, qui facta pace, domum in ipso die levitæ Laurentii salvi redierunt. Hoc anno autem tam vilis præcii annona *Augstburgi* nostro fuit, ut *magnus modius frumenti* XXII. grossis *Necarei vini vulgaris mensura* IIII. *Austriaci* VII. nummulis. *Medius Modius Raporum* XXIIII. & *vaporum*, vulgus *Bojaricas rapulas* vocat, XL. nummulis vendita sint. Quare a Tributorum magistris, publicus & annalis civium census, sub jurisjurandi sacramento, S. C. exactus tanto rigore est, ut singula aureorum centena promptæ usurariæve pecuniæ, unum aureum, unicus item aureus duos nummulos, prædia vero seu bona, quæ jacentia seu immobilia dicuntur, dimidium aureum de centenario preciorum fisco numerarent. Ante omnia vero singuli patres familias, etiam mendici LX. nummulos, pro publicis vigilum, semitarum, & aquarum expensis solverent, quod peculium minorem *Stuiram* hodieque & appellamus, & expendimus omnes. Concessum præterea a Senatu & tanquam solenne privilegium datum, Tribunis plebium est, ut si quid mulcta civili dignum, proterviusque in consortium suorum tabernis forte perpetraretur, ab ipsismet una cum XII. viris illorum, citra prætoriam præsentiam puniri & transigi possit, quo minus videlicet Senatus leviculis ejusce jurgiis turbaretur, super qua re post duos demum annos, tabulæ specialium pœnarum, decreto Senatus illis præfixæ privatim sunt.

1473. Anno domini MCCCCLXXIII. consulibus *Bartholomæo Welsero* VIII. & *Ulrycho Schwartzio* III. dum toto Januario supra modum hic vinxisset, instituit *Ludwichus* Bojariæ dux, inter rempublicam *Augstburgensem*, & *Jacobum* ab *Arga* hostem ejusdem publicam conventionem, ad festum *purificationis divæ virginis, Ingelstadii*, quo *Lucas Herwarthus, Georgius Strausso*, & Magister *Valentinus* syndicus ablegati, adeo nihil operæ precii effecerunt, ut dictus *Argensis* confestim XX. Februarii, non procul *Biberbacho*, decem aurigas, & equis & plaustris ferocissime spoliarit, in despectum patriæ, cum interea dom nostræ, toto carnispriviitempore, tum inter patritios, tum plebejos, infinitæ quasi nuptiæ fierent. Postquam autem *Friderychus* imperator, comitia apud urbem hanc celebranda, Germaniæ proceribus indixisset, universæ & singulæ domus hic a duobus Senatoribus, *Hanso* videlicet *Langio*, & *Gergo Sulzero*, Aprilis XXIII. die, ad instruenda advenis diversoria, exploratæ & descriptæ sunt, reportaque parata stabula, id quod præcipuo querebatur, pro sex millibus equorum tunc fuere. Quo die etiam CLX. venalis vini plaustra in foro vinario numerata hic sunt. Inde sub seram pluviosissimamque XXV. ejusdem mensis vesperam, dominica videlicet prima post pascha, jam dictus imperator cum filio suo *Maximiliano*, imberbi principe, *Augstburgum* sub *serico umbraculo*, populus *portatile* cælum vocabat, primum tanquam Augustus ingressus, *Turcici* Cæsaris fratrem *Celapinum*, diu jam in *Austria* exulantem, secum cum non exiguo comitatu adduxit, inque episcopi palatio hospitium accepit. Cui, Canonicorum collegium 60. majores modios avenæ pro munere mox dedit, Senatus vero urbanus, præterquam quod deauratum CXXXV. aureorum valore Scyphum, & in eo mille signatos aureos, cum aliquot doliis vini, licet is natura abstemius esset, piscibusque multis, avenaque in xenium obtulisset, filium etiam *Maximilianum* simili præcii & capacitatis poculo donavit, simulac subdiale illud *Pergulum*, quod ab episcopi aula, per ejusdem granarium ac *Marjani* templi tecta, ad adytum usque sacrum, etiamnum in sublimi porrigitur, in illius gratiam de novo, ædilibus *Petro Herwarthо* & *Ulrycho Walthero* fieri fecit. Ad cujus lapidea sustentacula, cum Senatus urbis insignia pro more adpingi juberet, Episcopus acriter restitit, ne scilicet in præjudicium contra suam potestatem ea facerent. Unde tandem Cæsaris sententia imperialis Aquila episcopi armis, deleta pinea est addita. Inde XX. die Maji, S. P. Q. noster omnis, eidem imperatori in ambone curiæ urbanæ stanti, juramentum obsequii fidelitatisque, ceu merq suo domino in *Berlejo* foro, hora IIII. a meridie præstiterunt, *Hugone Werdembergense* comite concepta verba ter prælegente, repromisitque vicissim ipsus Imperator nostris, omnem gratiam & protectionem. Quin item privilegia vetera pulchre adaugens, cum Senatu transegit, ut in posterum annuatim CCCC. auri florenos pro eo tributo numeraret, quod vulgo *regni Stuiram* nominant, quamque Romani Cæsares de urbe hac quottannis recipiunt, ea hactenus DCCC. libræ obolorum fuerat. Inde penultima Maji, quæ *S. Triadi* sacra erat, ductæ Imperatoris voluntate, Patritiæ choreæ in publico theatro, a I. pomeridiana ad VI. usque horam sunt: quibus ipsemet Imp. cum filio & aliquot principibus, tres quasi horas summa comitate adsidere non est dedignatus. Cæterum hisce comitiis propter innumeras ordinum imperii lites, jussit Imperator *Adolfum* archiepiscopum *Moguntinum*, quem

Ludwicho Boj. duci auxilia mittuntur.

Annonæ vilitas.

Census.

Privilegium a Senatu Trib. pl. concessum.

Lites cum Jacobo ab Arga.

Fridericus Imp. habet comitia.

Donum Imperatori factum

Pergulī refectio.

Juramentum obsequii Imperatori præstant Augstburgenses.

Adolfus Elect. comitiorum præses.

publice

publice in *foro vinario* imperiali corona & habitu ornatus II. die Junii & Electoratus dignitate, & feudis solenni ritu jam investierat, *sacro tribunali*, *Cameræ judicium* nostri vocabant, in publica chorearum domo præsidere, ac assidentibus, præter selectos aliquot principes, septem legum consultissimis doctoribus, jus omni petenti, orphano & oppresso, dicere. Et ecce tibi VI. Junii, quo pentecosten eo anno colebant, e cælo tactum crepusculo, ac cum plurimis dyplomatibus libellisque sacrum Cæsaris *scrinium*, quod alias *Cancellariam* appellant, multorum damno exustum hic est. Post quæ, dilapsis jam principibus abiit & memoratus Augustus, XIIII. dicti mensis die, cum unico suo filio *Ulmam*, & illinc *Straßburgum* petens, non potuit a Repub. ea, præ inveterata urbis suæ libertate sacramentum, jurandum, obtinere. Inde *Carolum Burgundiæ* bellicosissimum ducem, *Treviris* pomposissime convenit. Quo tempore etiam imperiales civitates XXIIII. ejusdem mensis, *Franckfurti* convenientes, super petitione ea imperatoris, quam apud nos paulo antea ab ipsis contenderat, satis anxie consultarunt. Ac quando nihil concludere potuissent, alium conventum sibi *Eßlingam*, pro manu tenenda libertate constituerunt. Ad quem *Lucas Herwarthus*, sicuti ad priorem *Jacobus Greggus*, Senatus nostri nomine deputatus fuit. Extitit autem tota præsentis anni tam veris quam æstatis, adeo fervida atque præcox constitutio, ut non solum matura cerasa, in ipso *S. Urbani* festo hic publico foro prosterint, & vicinorum pagorum agricolæ suas segetes, circiter *S. Ulrychi* celebritatem metere occeperint, sed etiam multæ sylvæ ex tanto calore inflammatæ fuerint, inter quas ea *Harcinii nemoris* pars, quæ *Behemica* dicitur, in XIIII. usque septimanam arserit fumaveritque. Et quanquam frumenti vinique ubertatem, hominibus nostris serenitas illa cæli affatim attulerit, *major* enim *modius tritici* XL. grossis, *Olyræ* XXII. *avenæ* XVIII. grossis, *Butyri libra* VI. nummis, ac *Vini mensura* III. nummulis apud nos prostabant, jumentis tamen propter pascuorum ariditatem non parum nocuit, quin & tam fœni quam Raporum brassicæque capitatæ magnam penuriam caritatemque invexit, centum enim oleris capita uno aureolo, & biga duobus aureolis, per Autumnum vendita sunt. Fuerunt que tunc CXX. Caupones sive Oenopolæ in urbe *Augstburgensi*, id quod prioribus sæculis haud unquam contigisse annales testantur. Porro *Fridericus* imperator nova comitia acturus, principes Germaniæ iterum ad *divi Martini* festum, *Augstburgi* convenire voluit, quæ dum adornantur *Jacobus Argensis* circiter Brumam, *Hainrychum Langenmantellum* civem, hostiliter prope *Zeidelbachum* adortus est, ac ultra *Behemicos* saltus captivum, confosso illius satellite, *Gergo* a *Werdhaima*, non sine ludibrio civitatis nostræ abripuit.

Anno incarnati verbi MCCCCLXXIIII. Consules *Augstburgi* sub Januarii initia creati sunt, *Josus Onsorgius II.* & *Hansus Vitellus III.* Venitque huc XXVI. Februarii die, in ipso *hutiroso* sabbato, *Christiernus Daniæ*, *Svetiæ* & *Norwegiæ* rex, centum equitibus stipatus, cui Senatus, mandato Cæsaris Augusti, *Werdam* usque occurrit, & ad nos honoratissime deducto, tanquam rarissimo hospiti, argenteum craterem LXX. aureorum pondere, duos cados *Athesini* vini, & quatuor orculas piscibus delicatissimis plenas donavit, patritii vero postero die, bellissimas in illius gratiam choreas duxerunt. Rex vero post triduum abiens, Romam & Apostolorum limina devotionis causa invisit, paucis post diebus, rediit huc ipsemet imperator, quinto die nimirum Aprilis, quem Senatus XX. majoribus modiis avenæ, sex tinnis *Neccarei*, quatuor metretis *Athesini* vini, octo saginatis bobus, & quinque situlis piscium excepit. Is statim comitia iterum curiosissime agitans, die XIIII. Maji, sacro diademate, & aureo paludamento amictus, omnique imperatoriæ majestatis ornatu præsente, ipsis quoque Electoribus principibus, una cum *Marco Aquilejense* patriarcha, *Sixti IIII.* pontificis maximi, qui Romanam urbem ex lutea iterum lateritiam fecit, & inter cæteros nefandæ luxuriei sumptus, ventris onus argenteis vasibus excipi curavit, denique *Tyreste* amicæ calceolos margaritis ornari jussit, legato Cardinale astantibus, in exedra ad instar triumphalis spectaculi apud *forum vinarium* adparata sedens, sexennalem pacem Germaniæ quam securissimam, promulgari solennibus ceremoniis jussit. Ac deinde XXVII. dicti mensis die, post ordinarios juris processus, *Albrechtus Marchio Brandeburgensis* autoritate imperatoris, cum sceptro pro tribunali, in episcopi palatio considens, *Fridericum Rheni* Palatinum, quod electoratus ditionem *Haidelbergæ* non dum feudi accepto beneficio occuparet, ac in *Ambergenses* cives injurioße animadvertisset, ac prædones contumaciter foveret, consueto ritu extorrem, prænominati imperatoris accusatione, publice iterum atque iterum pronunciavit. Quam rem tamen memoratus *Palatinus* superbe admodum contempsit. Accidit autem XXX. ejusdem Maji luce, dum idem imperator *Sixto Frysingensium* antistiti, feuda in publico foro de more conferret, ut etiam *Burianus* a *Gutenstaino*, *Ladislai III. Poloni*, *Behemorum* regis legatus, reliquis Electoribus tum jure tum loco suo astiterit, quem antedictus pontificius legatus imperii consuetudinibus præscribere non dubitans, penitus ab actu eo summovendum acerrime contenderit, eo quod *Behemia* a Romanæ

Conventus civitatum imperialium.

Ingens æstus.

Fridericus Imp. comitia indicit.

Bullerianus Thes. Palat. exterris pronunciatur.

sedis

sedis unione, excluſi forent, & pro hæreticis haberentur. Interea rediit IIII. Junii huc *Daniæ* rex Roma, cui ipſusmet imperator, omnesque alii proceres, honorifice obviam iverunt, & manſit apud nos quatuor ferme ſeptimanis. In cujus gratiam mox Patritii, VII. ejusdem menſis die, Imperatoris juſſu, bellisſimas choreas magna cum gravitate ornatuque, in ſolito theatro, quatuor ferme horis jam nominato rege jucundisſime inſpectante, duxerunt. Poſt quæ tempora *Carolus Burgundiæ* regulus, ex archiſtaminum *Colonienſium*, *Dietheri Eiſenburgenſis* videlicet & *Adolffi Nuſſovienſis*, ſchyſmate anſam nactus, vicinis Germanis bellum intentare, jam jamque *Noveſio Nuſſiæve* imperiali oppido, obſidionem minitari audebat. Quare habitis maturioribus conſultationibus, totius imperii auxilia contra ipſum decreta fuerunt. Placuit tamen cunctabundo noſtro imperatori, ut jam dictus *Danus*, quod ſocius imperii eſſet, ad *Burgundum*, priusquam ad arma deventum foret, tanquam pater patratus pro impetranda pace mitteretur. Irruerunt autem tunc forte XXIX. Junii ſerena luce, violentiſſimæ & inauditæ ventorum procellæ, quibus non modo proceriores omnes fere extra mœnia arbores horreaque, ſed & ipſum patibulum, ex columnis ſuſſultum, cum adpenſis furibus, everſa, denique in civitate ipſa, tum tecta turrium, ædium apices, altioraque infumibula dejecta ſunt, tum ipſum adeo *Ulrychianum* templum, ſuperiore anno vix abſolutum, multorum nece concidit, uti ſupra in *Johannis* epiſcopi actis retulimus. Ubi vero *Danus*, poſt duos menſes rediiſſet, ac nihil apud *Belgas* transegiſſet, facta totius Germanici regni expeditio eſt, ad quam ſoli Reipublicæ noſtræ M. pedites, & C. Caſtrenſes quadrigæ, ad XXX. diem Novembris, Cæſari ut præſto eſſent *Francfurti*, in principum conſilio imperata ſunt. Sed & magna illa & extrema ordinum imperii exactio, ante triennium adverſus infideles *Regensburgi* decreta, hiſce comitiis hic demum plene ratificata, & ſingulis civitatibus irremiſſibiliter indicta eſt. Poſt iſta *Friderychus* imperator XXIIII. Septembris abitum hinc quoque parans, cum hoſpitibus, piſtoribus, laniis, aliorumque artificiorum magiſtris, tum ipſemet, tum aulici ſui, ultra ſex mille & ſeptingentos aureolos deberent, & neque per ſeſe ſolvendo eſſent, neque tam minor quam major reipublicæ noſtræ Senatus, ante biduum per *Hugonem* comitem a *Werdenberga*, *Hainrychumque* marchſchalcum a *Bappenhayma*, imperatoris nomine ſedulo requiſiti, tantam pecuniam mutuum dare vellent, partim inconditis populi clamoribus, eo die, admodum ſeditioſe, retardatus eſt, partim aulicorum equi & arma, *Clauſo* ab *Aſcha* fabro ferrario inceptore, per injectionem manus impedita ſunt. Facta tamen undecunque verſura, ad quam Senatus noſter MD. aureolos mutuo dedit, *Colonienſium* vero legati, ut adventum maturaret, pro quatuor millibus aureorum fide juſſerunt, creditoribus utcunque ſatisfactum, ac ipſus imperator haud ſine indignatione, propoſitum ad *Rheni* partes iter arripuit. *Maximilianus* vero princeps elegantiſſimus, filius ipſius, vix ſexaginta equitibus decoratus, *Dillingæ* apud epiſcopum noſtrum per hyemem hæſit. Porro propter jam recitatam injuriam, Senatus noſter poſt quinque demum annos, abſolutionem numeratis mille aureolis in aula Cæſaris impetravit, tum lento paſſu ad vindictam divi procedunt. Præſente anno, utut univerſæ annonæ ſumma vilitas eſſet, novum vectigal tamen X. Novembris, vino per Senatum hic, conſentientibus Tribuum duodecemviris, impoſitum eſt, quod ut commodius fieret, commune iſtud dimenſum, quo poculenta vulgo divenduntur in arctum apud caupones, contractum eſt, ita ut dum hactenus LXXII. tales menſuras Cadus continuiſſet, in poſterum LXXVI. haberet; ac deinceps non amplius decem, ſed quindecim menſurarum precium, de quolibet cado vini, in tributum fiſco perſolveretur.

Rex Daniæ rediit.

Bellum inter Friderum Imp. & Carolum Burgundiæ.

Maximilianus manſit Dillingæ.

Novum vini vectigal.

Ventorum violentia.

Anno Chriſti MCCCCLXXV. Conſulibus *Bartholomæo Welſero IX.* & *Ulrycho Schwartzio IIII.* miſſi ſunt *Augſtburgo* noſtro *Coloniam Ubiorum* XX. Januarii ad Imperatorem, bellum denuo contra *Belgas* parantem, CCL. armati pedites, & XXX. equites, veſtimentis tribus Reipub. coloribus albo ſcilicet & rubro per longum viridi ſecto, variegatis induti, una cum XXIIII. bellicis quadrigis. Quorum ductores, *Wilhelmus Hangenor* patritius, *Hänſusque Wäſſermüllerus* Inſtitorum Tribunus erant. Inde VII. Martii pernoctavit hic, *Dorothea*, *Daniæ* regina, quæ itidem Romana idola ob religionem inviſerat. Viceſimo dein Aprilis, *Coloniam Ubiorum*, ad ſupplementum copiarum CCC. pedites, majore ex parte ferentarii, XXVIII. equites, & XXIIII. quadrigæ, Senatus ſtipendio iterum hinc militatum abiere. Quorum capitaneus *Hanſus Vitellius* vir conſularis, & *Chunradus Eiſenhoferus* erant. Fuerunt autem jam dicti milites omnes, æque ac priores, civitatis coloribus decore veſtiti, ſolutusque præter alimenta in ſingulas ſeptimanas, equiti integer, aut ad ſummum duo, & pediti dimidius aureolus pro ſtipendio hac ætate eſt. Habuit autem per hoc bellum imperator noſter in exercitu ſuo XL. millia promptiſſimorum peditum, & ſeptem millia ſelectiſſimorum equitum, quibus poſt paucos menſes juxta nominis ſui ethymum, non modo citra ſanguinem *Germaniæ* pacem dedit, ſed & *Mariam* unicam eamque veruſtiſſimam, hoſtis natam, *Maximiliano* filio in futuram ſponſam obtinuiſſe narrabatur, quare & noſtri bellatores bona venia dimiſſi, deſideratis tantum modo

Auxilia Imperatori contra Carol. Burg. miſſa.

Frider. Imp. diſceſſus.

A.1475.

Auxilia Coloniam Imperatori miſſa.

Bellum componitur.

modo ſex ſociis, domum rediere. Cumque patriæ appropinquaſſent, XXV. Julii inſtructo agmine, nam huc usque palantes ierant, a *Werdachæ* pontis porta, per mediam urbem usque ad *divi Ulrychi* aream, cum equitum alis, erectis ſignis, junctisque impedimentis procedentes, cunctorum applauſu læte excepti ſunt, niſi quod ſtipendiarius reipub. equeſter, qui commeatui præfectus fuerat, *Fachenbockius* vocatus, ex hoc ipſo procinctu captus, & poſt pauculos dies ob peculatum, ſecuri percuſſus ſit. Totam hancce profectionem, octodecim millibus aureorum circiter noſtris conſtitiſſe in annales nonnullos relatum eſt. Cæterum in hac militia *Augſtburgenſis* respublica hancce præ cæteris conſecuta fuit gloriam, quod copiarum ſuarum ductori ſupremo, *Stephanoque Hangenori*, equeſtre illud vexillum, quod vel a *celeri curſu*, vel ab *adoriendis hoſtium locis* nomen habet, *Albrechtus Brandenburgenſis* Marchio, totius exercitus dux, ferendum tradiderit. Conjecerat interea *Ludwichus Vetterus* ruſticum quendam, ab *Ortelfinga*, cui *Gergo Krattzero* nomen, in vincula, ac invito Senatu menſe Aprili ad publicum judicium huc pertractum, pulſata claſſicaria campana, capitis tanquam nocentiſſimum graſſatorem, qui vim armatam colonis ſuis intuliſſet accuſavit. Verum dum id nulla probatione evincere poſſet, mox actor & reus ſimul in carcerem detruſi ſunt. Cumque poſt octo dies definitiva ſententia de intentato crimine a prætore foret proferenda, per ſollicitam agnatorum *Vetteri* ſedulitatem, *Hugo Werdenbergenſis* comes, epiſcopi noſtratis frater, negocium id transactione compoſuit; dataque in recompenſationem ignominiæ doloriſque ruſtico pecunia, *Vetterus* quidem liberatus eſt, ſed præ pudore cum omni familia *Werdam* migravit. Per eam tempeſtatem, XVI. nimirum Junii die, indicta promiſcue, Senatus populique *Augſtburgenſis* autoritate, civibus, e podio curiæ, ad ſonitum claſſici ſeptimanalis penſio, ea ratione eſt, ut ſingulis dominicis diebus, ſinguli cives fiſco adpenderent, ut ſequitur. Mendici, quorum CVII. erant, quatuor nummulos, Mercenarii, quorum CLI. erant, ſex nummulos, qui vero dimidiato aureolo & infra cenſebantur, quorum CCCCXX. erant, quatuordecim nummulos. Quia dimidio ad integrum aureolum cenſebantur, numero DXXXII. ſedecim nummulos. Qui ab uno ad tres aureolos cenſebantur, quorum CCLXVI. viginti duos nummulos. Qui a tribus aureolis ad ſex in decem cenſebantur aureolos, quorum LIX. erant, quadraginta quinque nummulos. Qui ad quindecim, quorum XLVIII. libram *Monachienſem*, id eſt, ſexaginta nummulos. Qui ad viginti, quorum XXVI. octuaginta nummulos. Qui ad viginti quinque, quorum XVI. nonaginta ſex. Qui inde ad triginta, quorum XV. erant, duas libras *Monachienſes*. Qui ad quadraginta, quorum XIII. decem & octo groſſos, id eſt, centum quadraginta quatuor nummulos. Qui ad quinquaginta, quorum XIIII. tres libras *Monachicas*. Qui ad ſexaginta aureolos cenſebantur, quorum erant IIII. unum aureolum. Qui denique ad ſeptuaginta aureolos cenſebantur, quorum III. item qui ad octuaginta, quorum VII. item ad nonaginta, quorum II. & demum, qui centum aureolis cenſebantur, quorum IIII. ſinguli quatuor, *Monachienſes* libellas, quæ ſimul unam magnam nummorum libram, conſtituunt. Duravitque exactio iſta, quam cuncti *Schwartzio*, tyrannidem meditanti acceptam ferebant, quadraginta & octo hebdomadas vel paulo minus. Et ex his jam facili computu colligi poteſt, quantum argenti qualibet dominica, a Quæſtoribus Urbanis, quorum bini a Senatu per ſedecim urbis loca ad id deſtinata præſidebant, collectum extraordinarie ſit. Item & quod cives hoc ſæculo hic annuum illum *cenſum*, quem *Stuiram* vocitamus, perſolverint, quantamque ſummam & illa contulerit fiſco, quæ ſi ad ſequentia tempora comparaveris, haud difficulter naſo ſuſpendes, & pro nihilo æſtimabis. Tandem quando *Georgius Bojariæ* ſuperbus dux, cum *Haidwigæ Caſymiri III. Polonorum* regis filia, nuptias magnificas, præſente *Friderycho* Imperatore, aliisque quam plurimis principibus, *Landshutæ* XIIII. Novembris celebraret, miſit illuc Senatus noſter ex ſuo ordine honeſtam legationem, quæ argenteum calicem, decem & octo beſſes ponderantem, & in eo centum ſignatos aureos ſponſo ac ſponſæ obtulit. Cæterum hoc ipſo anno, clatrati illi cancelli, quibus nocturni graſſatores, ceu beſtiæ in cavea, occluſi mane, ſpectantur, in *forum piſcarium*, prope *ſcalas petrinas*, primum magiſtratus juſſu conſtructi ſunt, hodieque vulgariter *fatuorum domuncula* vocitantur.

Hangenor vexillifer.

Krattzerus abſolutus.

Georgio Bej. Duci donum mittunt.

Fatuorum domuncula in forum piſcarium transpoſita.

Cenſus.

Anno ſalutis humanæ MCCCCLXXVI. A. 1476. cæpit *Ulrychus Schwartzius* aſſumpto in collegam *Joſo Onſorgio*, conſulatum apud *Augſtburgenſes*, tanquam perpetuam dictaturam, quam vaferrime continuare, tam nexos enim ſibi plebis Tribunos reddiderat, ut in omnes ſententias ipſius, contra patritios pedibus facile ſemper ierint. Porro poſtquam *Helvetiorum* fœdus ſubinde a *Carolo Burgundo* iniquioribus annis exagitatum, ſuppetias a vicinis *Elſatiæ* & *Sueviæ* civitatibus imploraſſet, miſſi hinc quadraginta laſtati equites, ductu *Ludwichi* comitis *Oetingenſis* ad illos ſunt. Quorum opera, commiſſis *Elicurti* atque ad *Grauſonem* prœliis, ſuperbus ille dux exutus caſtris, ditiſſimam prædam noſtris reliquit. Et cum iidem *Helvetii* haud immerito dictum ducem prorſus delere conſtituiſſent, etiam imperialium civitatum auxilia amplius expetere non erubuere, in cujus rei gratiam

Socii Helvetiorum adverſus Carol. Burgund.

gratiam hæ, cumprimis *Augſtburgum* noſtrum, *Straſsburgum*, *Noriberga* & *Ulma*, ſub menſis Martii initia *Ulmam* convenerunt. At ecce in media deliberatione, immo aſſenſione, inhibitum illis, vi initæ proxime ſuperiore anno concordiæ, ab Imperatore, affinitatis contractæ cauſa, eſt, ne ulla præſidia *Schweitzeris* mitterent. Quo edicto ſe apud illos excuſantes, nullos quidem milites aut belli inſtrumenta expedierunt, ſed A ſi pecunia indigerent, eam ſe accommodato daturos promiſerunt. *Straſsburgenſes* tamen, *Baſilejenſesque* æque ac *Sigmundus Auſtriæ* princeps, ob veterem confœderationem, ſplendido illos equitatu juvare non ſunt veriti. Cujus adminiculo ducem hactenus invictum, magna ſtrage apud *Nancejum Lutheringiæ*, poſterioris anni Januarii VI. die devicerunt, tandemque omnino ceciderunt. Hoc anno item donavit *Friderychus* Imperator Senatum noſtrum privilegio, *Viennæ* Auſtriæ, menſe Majo exarato, ne cuiquam liceat, in cauſſa confeſſi debiti, aut ubi ſumma controverſa decem au- B reos non excedit, a prætoris ſui tribunali adpellare. Cæterum IIII. die Junii invitaverunt Patritii noſtri in contubernium ſuum hinc *Chriſtophorum* & *Wolffgangum Bojariæ* vicinos duces: qui cum nobilibus ſuis *Umbrisque* aliquot benevole comparentes, & laute tractati, & ſimul immunes a cœna ea cum hilaritate dimiſſi ſunt. Fuerunt autem in univerſum XIII. menſæ convivantium, ac facto computu, contulit quilibet noſtratium VI. tantum groſſos ad ſymbolum. Demum habiti hic Julio menſe, *Bombardarii* ludi, in *roſarum inſula*, ſimilibus plane & expenſis & modis ſunt, addita C & ſortilegia olla, qualibus ante ſex annos quoque, peregrinis gratificari Senatus cupiit.

1477. Anno domini MCCCCLXXVII. obtinuit iterum *Schwartzius* confidentiſſime apud complices ſuos, ut ſibi conſulatus continuaretur *Augſtburgi*, eſtque illi collega non admodum compar datus *Bartholomæus Welſerus*, qui jam decimo magiſtratum eum interpolatis vicibus gerebat. Sub quibus conſeſtim XIII. Januarii, aſtuta conſulis *Schwartzii* rogatione, ſuperadditi ſunt tredecim ſecretioribus conſiliariis ſeptem plebei, ac minori Senatui itidem alii ſeptem ex vulgi tribubus. Quorum poſtremi qui- D dem, inde adeo usque ad *Caroli* V. Imperatoris reformationem, perdurarunt, priores vero mox ſequenti anno, cum autore rejecti ſunt. Poſtea cum ſub principium Quadrageſimalis jejunii, *Ulrychiani* plebani ſocius, qui ab *animoſitate Friſchhanſi* nomen traxerat, cum innubi puella, poſt privatam ſibi factam peccatorum confeſſionem, non tam impudenter quam ſacrilege fornicatus fuiſſet, mox puella quod patre orba foret, vim eam agnatis conqueſta eſt. Agnati itaque facinus id præſulis vicario expian-

Privilegium de non appellando.

Chriſt. & Wolffg. Boj. duces huc venerunt.

Conſiliariorum numerus ampliatur.

Clericus ſtuprat virginem.

dum detulerunt, qui, ut ſunt homines illi præfracti dominationum contemptores, Laicorum accuſationem non curavit. Quare Senatus civilis ad perpetrati ſceleris vindictam expetitus, quando cælebs ille ſacrificulus ſub ſuam jurisdictionem non comprehenderetur, & tamen flagitium id multum apud civitatem ſuam haberi, ex officio nollet, juſſit VI. Martii dictum plebanum per ſuos lictores capi, ac catenis in publico foro currui decuſſatim omnium ſannis vinciri, *Dillingamque* ad Johannem epiſcopum, *Petro Herwarto* & *Georgio Sultzero* Senatoribus præmiſſis, transvehi. Verum bonus ac mitis ille paſtor delictum leviculum & tanta ignominia indignum judicans, brevi nebulonem eum libere huc remiſit, & deſuper univerſam communitatem, propter tactum Chriſtum ſuum, execrabiliter excommunicavit, quam injuriam cives nihili fecerunt, & ut merebatur viriliter exibilarunt. Medio dein Martio, ceptum primo S. C. *Augſtburgo* noſtro eſt, ligna ad culi- *Klaffterii origo.*
næ fornacumque uſum ſuccisa, ad *Orgiæ menſuram*, quam vulgares *a paſſis manibus Klaffterem* vocant, conſtitutis ad id juratis dimenſoribus, in foro cœmi ac metiri. Pertracti inde XIX. Aprilis ad *Berlejam* aream, *Johannes* & *Leonhardus Vitellii* fratres, capitis ſupplicium, ſatis præcipitanter, ſubiere, eo quod elatioribus animis, aut etiam liberiore lingua, in conſulem *Schwartzium* uſi fuiſſent, quod factum is perjurium totiusque Senatorii ordinis ignominiam interpretatus, pernicisſime illos pro ſua potentia e medio tolli curavit, utut *Johannes* antea tertium conſul, ac jam jam ab Imperatore in Aulicos ſuos ad quinquennium receptus, ambo vero claris parentibus, in quorum monumentum ad prædicatores illati poſt fata honorabiliter a cognatis ſunt, orti apud nos extitiſſent, *Leonhartus* vero jam jam ad deſtinatum finem ducendus ipſum *Schwartzium* in ambone curiæ ſtantem aperte & clara voce flavum furem appellavit, eidemque furcæ pœnam ad futurum annum prædixit. Erat autem illis Germanus frater, qui inter ſacratos Teutonici cultus milites, *præfecturam*, vulgo *provincialem commendatorem* nuncupant, in *Auſtria* gerebat. Is, quam- *Duo Vitelli capitis ſupplicium ſubeunt.*
primum fratres XII. dicti menſis die, in carcerem, quo loco *Schwartzius* ſatis ſqualidum ergaſtulum ex ſuo ingenio conſtrui fecerat, quod etiamnum denominationem ab ipſo habet, ducti fuiſſent, ab amicis de imminente periculo monitus, extemplo ab Imperatore reſcriptum, ſub meliore forma, & ad Senatum & ad omnes plebis Tribunos, in cauſa illorum impetravit. Quod licet *poſt feſtum*, ut dici conſuevit, nempe decimo die poſt eorundem necem, allatum fuerit, memoratus tamen *Vitelliorum* frater, juſto dolore correptus, a vindicta non deſtitit, intentaque contra rempubl. noſtram

lite, in maximas curas expensasque illum quinquennio fere præcipitavit. Nam vix
A.1482. tandem XXI. die Aprilis, anno M CCCC LXXXII. tota hæc civitas *Viennæ Pannorum* per *Friderychum* imperatorem, augustali dyplomate a cædis ejus culpa plene absolvi potuit. Sævitiam hanc *Andreas Frickingerus, Leonardi Vitellii* socer, vir Consularis, extimescens, iterum ad asylum *Ulrychianum* confugit, in quo præ mœstitia sequente Majo mortem obiit. *Supplicia.* Cujus mensis, alii *Martium* ponunt, XVII. die, capite quoque truncatus ob rapinas proditasque nostrorum merces, *Gergus Kurtzius* laniorum Tribunus, qui nobilem a *Knöringa* e *Steffanino* gynecæo uxorem habebat, cum fratre suo *Simonulo* est, simul ac *Georgius Burgkhardus Hansique Grissus* & *Biderus* socii, contribulesque ipsius, una cum equorum custode *Metzelero*, tanquam prædatores suspendio vitam publice finierunt. *Hamman* vero *Kurtzius*, dicti Tribuni cognatus, gladio se contra publicos ministros tueri conatus, ne scilicet caperetur, inter colluctandum ab *Eyssenhofero* interfectus est. At cum crimen notorium foret, ipsique complices idem fassi essent, exangue ejus cadaver ad furcam etiam actum est. *Donum Maximiliano missum.* Post illa adpulit XXII. Junii *Maximilianus* imperatoris filius, nitidissimo equitatu *Rhaynam*, cui Senatus noster argenteum Scyphum, valoris octuaginta octo aureolorum, & C. signatos aureos dono obviam misit, ac præter ultroneam patritiorum nonnullorum promptitudinem undecim armatos equites illius comitatui honoris causa adjunxit, quem illi in *Flandriam* usque, ad novas ipsius, cum *Maria Caroli Burgundiæ* ducis, nuper admodum ab *Helvetiis* ad *Nansæum Lutheringiæ* cæsi, filia nuptias, reipub. expensis dimidium annum secuti bellissime sunt. *Quidam ex patritiorum ordine moventur.* Porro in ipso festo *archangeli Michaëlis, Luca Welsero, Sigmundo Remo, Luca Herwartho*, & *Georgio Sultzero*, herorum sodalitii præsidibus, vulgus *Stubenmaistros* appellat, viginti virorum decreto statutum est hic, ut eorum insignia ex publico albo abraderentur, quicunque vel intra vel extra civitatem nostram habitantes, consuetum censum singulis annis Cauponi ipsorum non numerarent, adhæc nunquam amplius nisi omnium Patritiorum consensu in consortium reciperentur. *Spectacula eduntur.* Tandem VI. Novembris, venit *Augustburgum Eberhardus Wirtembergensis* comes, *Barbatus* dictus, qui ducta *Barbara Mantuani* Marchionis nata, post XVII. annos a
A.1495. Cæsare *Maximiliano* primus provinciæ suæ dux *Wormatiæ*, in curiatis comitiis, est factus, in cujus gratiam Martia hastiludia, in *foro vinario* sunt exhibita, in quibus, præter ipsius principis aliorumque comitum concursus, convolarunt & acutis hastis sex nobiles, scilicet duo a *Fellberga*, *Reissius* quispiam, *Dachenhauserus, Spötus* & *Schenckius*, cum totidem nostris civibus, nempe *Eitelhanso Langenmantello, Hartmanno Langenmantello, Georgio Hofmayro, Marco Walthero, Luca Ravensburgero*, & *Ludovico Meitingo:* ac obtinuere eo ludo *Michael Reissius* primam, & *Georgius Hofmairus* secundam palmam, quilibet aureum annulum, habita præterea a civibus patritiisque, non levi Senatus sumptu, omnis generis jucunda A spectacula fuere, nec non festivissimæ in consueto theatro choreæ ductæ sunt.

Sub initia anni M CCCC LXXVIII. ini- A.1478.
vit *Augstburgi* consulatum *Ulrychus Schwartzius* VII. cumque jam tres continuos annos, non solum magistratum eum summum, sed & alias functiones, potissimum autem Sancti Spiritus hospitalis procurationem, nulla data ratione toto sexennio, ad lubitum & plusquam tyrannice gessisset, denique præter cottidianas fraudes, duriora adhuc tum contra patritios, tum contra reipublicæ libertatem moliretur, satis veteratorie etiam effecit, ut *Onsorgus*, quod imB prudentior, & ad suum propositum idoneus præ cæteris videretur, ex composito sibi collega IIII. datus sit. Conquassavit forte *Terræ motus.* tunc ultima Februarii, hora IIII. antemeridiana, insolitus terræ motus, totam hanc civitatem, non sine portento subsequentis mutationis. Etenim quando atri illius *Schwartzius Consulatibus perit.* consulis jugum, optimatibus, quorum insignis osor erat, aliisque integrioribus civibus, qui ad malas ejus artes non poterant connivere, omnino intolerabile esset. Agitatis diu multumque, & inter sese & apud Imperatorem, secretioribus deliberationibus, curatum demum est, ut XI. Aprilis, C ipsus *Georgius Otto* Urbanus prætor, ad frequentem senatorum consessum accedens, bonisque bene sperare jussis, illum præsente collega, sed harum rerum ignaro, e sella sua raptum, ad inexpectatum carcerem deduceret, ac statim eodem instanti, quatuor præcipuos illius conjuratos, nempe *Josum Taglangium* pistorum, *Marcum Neymüllerum* fabrorum lignariorum, *Hansum Hackerum* Doliatorum, & *Balthasarem Glatzium* cerevisiæ coctorum Tribunos, quoque in vincula, nonnullis aliis trepidantibus, conjiceret. Unde protinus a superstite Senatorum ordine, totius administrationis onus, *Georgio Strausso*, viro consuD lari, & de republica optime merito, tanquam interregi demandatum, non parva sollicitudine est. Qui e vestigio S.C. captivitatem illam promiscuæ plebi per præconem intimavit, civesque solerter provideque a seditione præmonuit. Adhæc cunctis reorum tum cognatis tum adfinibus, ne vel rebellarent, vel foras elaberentur, jure jurando ac Vadimoniis constrictis, sine mora, ipsum *Schwartzium* quæstionibus torturæque admoveri jussit. Qui innumeros peculatus, miros stellionatus, sceleraque nefaria fassus, XVIII. jam dicti

dicti menſis luce, ſplendidis quibus indies molliter utebatur veſtibus, lata pro jure capitali ſententia, plauſtro hoſpitalario, ad renovatum patibulum vectus, miſeram laqueo exhalavit animam. Ne autem civitas ordinario diutius careret Magiſtratu, abdicavit *Strauſſius* officium, dictique de novo Tribulium votis, conſules in ipſo *S. Georgii* feſto ſunt, *Johannes Langenmantellus*, ejus patritiorum familiæ, quæ *Trigonum album* in *rubris inſignibus* geſtat, & jam commemoratus *Strauſſius* VIII. Qui cum ſimul amplius ex debito ardue ſuper incumbente negocio in Senatu ſubinde conſultant, miſere, ne dicam turpiter, *Onſorgius* alter priorum conſulum, XXIX. ejusdem menſis die, inter mœnia & carmelitarum cœnobium extinctus, miſerabiliter humi jacens repertus, eſt etiam. Plærique præ deſperabundo mœrore illum ſubito, aliqui ſumpto veneno corruiſſe putabant, alii tamen quia vel conſcius, vel conſentabant, alii tamen quia vel conſcius, vel conſentiens facti alicujus inhoneſtioris fuiſſet, ob parentelæ claritatem clam ab adparitore, S. C. ſublatum dicebant. Nam conſtat ipſum eo die, & delicta ſua ſacerdoti confeſſum eſſe, & ſacra ſynaxi in eodem monaſterio, vix per horam ante mortem communicaſſe. Poſt quæ, altera die Maji, ſuſpenſus & *Taglangius* Tribunus, qui & vinario vectigali & ædilitati urbis præfuerat, ad ſocium pro culpa merita, una cum *Jergo Kurtzio*, eſt. Reliqui vero ſupramemorati tres Tribuni vita donati infames manſerunt. Exauctorati item ob colluſiones cum *Schwartzio* habitas, tum Senatorum tum judicum numero ſunt *Weyerus* textor, *Mangmaiſterus* mercator, *Biſſingerus* ſarctor, *Schwigklinus* pomarius, *Zeſchingius* Cereuiſiarius, *Gutus* lanio, *Mielichius* & *Kreyzerus* fabri ferrarii, *Götzius* textor, *Wagnerus* pileorum conſarcinator, & *Martinus Mayrus*, *Wilhelmus* etiam *Hangenor* patritius, quod quinquaginta aureolos a *Jacob Schwadingero*, ipſi *Schwartzio*, ut ſtipendium ſibi prorogaretur, quod tamen non obtinuit, offerendos recepiſſet, infamia notatus eſt, *Hertzlino* ſutorum tribuno, *Bartholomæo Schneidero*, & *Schmidlino* Senatoribus clam elapſis. Porro de tota iſta famoſa actione, editi fuere tunc qui hodieque extant, vulgares rythmi admodum mordaces, in quibus per alluſiones quorundam nominum, ſub generoſorum præſtantiumque avium nominibus, omnes ævi hujus honeſti ac commodi cives ſuis evehuntur laudibus, ac ſub impuriorum raptaciumque volucrum adpellatione nequam nocuique jure carpuntur Senatores. Paulo poſt has turbas homo quidam ignobilis, qui a *caſtrandis ſcrophis Nunnemacherus* dicebatur, univerſam civitatem noſtram, quod damnatorum prædictorum ultorem agere præſumeret, in *Weſtphalicum* judicium Menſe Jun. vocavit, verum Senatus pro immunitatum ſuarum aſſertione, impactam dicam ſtrenue repudiavit. Hoc pacto autem tunc temporis, poſtquam taciti illius judicii auctoritas in abuſum veniſſet, non ſolum privati tabelliones, quando propalam non dabatur, clam peremptorie citabantur. Infigebatur carta, qua quis ad judicium ab actore nominatim invitabatur, ad vicinam domicilio civitative Rei ſtatuam, aut eum truncum, qui gazophylacii inſtar, propter ruralia ſimulachra collocatus erat, & ſtatim lator, inclamato vel vigile vel proxime prætereunte, tres aſſulas ex propinquiore arbore aut poſtibus antemuralium ſepium abſcindebat, easque ſecum tanquam ſolum ſolennes teſtes auferebat. Sed ad noſtra redeo. Poſtulavit per eam tempeſtatem *Ludwichus Bojariæ* dux a republica *Augſtburgenſe* auxilium adverſus *Turcarum* irruptiones, qui per *Macedoniam* & *Græciam* in *forum* usque *Julii venetis* multa negocia armis faciebant, cui Senatus centum bombardarios pedites, duos equitum decuriones & unam Caſtrenſem quadrigam in ſubſidium VII. Auguſti miſit. Qui *Kytzbyhelem* usque progreſſi nullum hoſtem experti usquam ſunt, & quarta ſeptimana ſalvi huc redierunt. Inde Novembris XXII. die, quæ erat Dominica, *Petro Herwartho*, *Georgio Sultzero*, *Luca Welſero* & *Hildboldo Ridlero* præſidibus, talis inter Patritios, illorumque XX. viros, conſtitutio primum hic eſt facta: Ut ſi quis forte ex ipſorum numero honeſtam uxorem e plebeis duxiſſet, cui ſcilicet antea choreas patritiorum accedere non licuiſſet, ea protinus, peractis rite ſponſalitiis, invitaretur, dictasque ſaltatiunculas ad inſtar ingenuarum matronarum frequentare poſſet: ſimiliter permiſſum quoque eſt, ut plebei quamprimum aliquam ex patritiorum familia, majorum conſenſu, matrimonio ſibi junxiſſent, mox Conſortii illorum participes forent, ac ſi peterent, ad illud novo ſane more inſcriberentur. Tandem Decembri menſe *Marcus Hofmairus* e prætorio, ubi pro tribunali litigabat, in nervum conjectus, non modo falſorum Xylinorum, ſed & ruptarum cautionis tabularum reus eſt factus. Atque idcirco Senatus decreto, omni honore privatus, ipſiusque adeo arma ex patritiorum albo erasa fuerunt. Hocce anno *olyræ modius major*, ſex ſolidis in *foro frumentario Augſtburgi* veniit.

Anno ſalutis MCCCCLXXIX. VII. Januarii facti de more per initia Januarii Conſules *Augſtburgi* ſunt *Petrus Herwarthus* patritius, & *Georgius Sultzerus* ex mercatorum tribu. Quorum rogatione, dum pro dignitate conſulari, mittendisque legationibus, patritiorum numerus hic defeciſſet, multi enim *Schwartzium* fugitantes alio migrarant, nonnullorum vero familiæ, ut ſunt humana omnia caduca, penitus in fata conceſſerant, ſtatuit Senatus nomenclaturam eorundem adaugere, ac quatuor ſeniores con-

Prioribus abrogatis novi creantur conſules.

Vid. Tab. IV. Fig. 2.

Onſorgius extinctus reperitur.

Pœne varie.

Nunnemacherus Augſtburgenſes in Weſtphalicum judicium vocat.

in margine videre eſt vox: Straſpon.

Ludwicho Boj. Duci auxilia mittuntur.

Conſtitutio de maritandis ordinibus.

Hofmairus ordine patritio motus.

A.1479.

Rogatio de legendis patritiis.

contubernii ipsorum familias invectas eligens, ut puta *Remos*, *Nördlingeros*, *Sultzeros* & *Ridleros* patritiorum ordine honestare, natalibusque veluti restituere voluit. At illi a plebis tribubus divelli noluerunt, actisque verecunde gratiis a Senatu in suo statu dimissi sunt, nec patritia dignitas tunc ampliari potuit. Interea in Carnisprivii die Martis, quæ erat XXIII. Februarii, agitaverunt patritii cum conscriptis sociis, uxoribusque suis, tum Choreas, tum convivium quam lætissime in Zeta ipsorum. Cumque ibi LXXIIII. conjugum convictorum paria fuissent, quodlibet illorum VI. tantum *grossos*, hodie 14. *cruciferis* valerent, insumpsit: Id quod frugalitatis & annonæ vilitatis ergo commemorasse libuit, cum grossus VIII. saltem nummulis tunc temporis valuerit. Dein XII. Junii die, factum Senatus decretum est, ne posthac ulli vel Tribuni vel eorundem Tribules, in causis criminalibus suorum contribulium dijudicandis, Senatu excederent, quemadmodum hactenus consueverant, nisi agnati sint. Fuit autem anni hujus æstas longe siccissima ferventissimaque, nisi quod a quarto in octavum Julii diem continentes pluviæ, grandoque insolita frigus apud nos excitarint. Cæterum *Mathyas Corvinus Ungriæ* rex, ob subtractam sacram coronam, regnique sui peculiarem thesaurum, quæ *Bernhardus Strigonienſis* archiepiscopus, nescio quo zelo ductus, ad imperatorem *Fridrychum* in Austriam pertulerat, *Germaniæ* fines infesto exercitu invadere, ornamentaque sua clynodia prædicta repetere, dira irruptione ea tempora suo modo perrexit. Unde imperator in augustiis constitutus, undiquaque auxilia imploravit. Missi itaque Senatus nostri stipendio, quinquaginta bombardarii pedites illi in subsidium sunt. Qui omnes non procul *Vienna*, ab *Ungris* intercepti, haud unquam domum redire potuerunt. Per istam etiam tempestatem citaverat per modum compromissionis *Hansus Heggentalerus* hinc *Noribergam*, decem & sex suorum contribulium, nempe ex doliatorum classe, ut illic coram sex *Westphalici* judicii sequestribus, secum de controversia, quam cum illis habebat, legitime convenirent. Quam rem Senatus uterque, quod contra municipale juramentum, contraque privilegia nostra pugnaret, valde indigne passus est. Sub Autumnum dein, tanta piscium, & cum primis grandiusculorum *Barborum* multitudo agminatim in civitatem nostram, adversus *Lechi* fluenta inopinato notavit, ut sub sola *Minoritarum* æde, propinquaque *laniorum officina*, centum aureolorum precio capti a quibuslibet accedentibus sint, conspecta enim tanta natantium copia, mox influentes rivuli occlusi sunt, aquæque interceptæ, quare cum alvei aridi essent redditi, vel a pueris deprehendi pisces illi manibus potuere, id quod ab hominum memoria nunquam hic simili captura factum, fuisse cuncti fatebantur præsentes. Tandem IX. Decembris cautum in Senatu lege est, ut neque celebs, neque viduus uspiam Tribunus apud nos fieret, aut in Senatum legeretur.

Dies festives. *SCium.* *Frid. Imp. auxilia missa.* *Heggentalerus frustra citat cives.* *Piscium affluentia.* *SCium de cœlibe vi duove non creando Trib. pl. vel Senat*

Anno Christi MCCCCLXXX. Consules creati hic sunt *Johannes Langenmantellus* II. & *Niclaus Schallerus*, textorum contribulis, sub quibus, quod lapsus annus solito ferventior, fluviolos apud nos exiecasset, corrivati simul Senatus jussu, paulo supra *Hausstettensem* portam, e vivorum fontium scaturiginibus amnes sunt, ut pro perenniore molendinorum usu, in civitatem nostram peradjacentia prata, ipsasque urbis fossas mœniaque, proprio rivulo deducerentur, qui etiamnum pro fontium usu, & quod ex jam dictis fontibus confluant, *fontanus Lechus* nuncupantur. Succisæ præterea, per totum urbis fossarum ambitum, cunctæ arbores forinsecus, Senatus jussu, ad aliquot passuum spacia sunt, absolutisque in profesto *divæ Magdalenæ*, munitionibus illis, quibus mœnia civitatis ab *Aviaria* porta usque ad *Minoritarum* claustrum, pro vigiliarum usu tegulis intectæ fuerunt: Purgatæ etiam urbanorum ædilium cura hic sunt fossæ a *Rubra* porta usque ad *Fornicatam*, & inde ab *Aviaria* porta cis *Jacobinum* suburbium, usque ad *Speculam provinciæ*, a ruderibus cœno & alga, quibus oppletæ scatebant: constititque purgatio illa CCC. aureolis.

1480. *Lechi fontani origo.* *Munimenta reparantur.*

Anno domini MCCCCLXXXI. consulibus *Petro Herwartho* II. & *Georgio Sultzero* itidem II. aliud nihil memorabile tam in Republica, quam inter privatos cives *Augustburgi* nostro gestum, annales habent, nisi quod muri super eas fossas, quæ ad *Aviariam* & *Oblateriam* portas, immunitæ adpertæque hactenus hic fuerant, per transversum ducti sint. Et quod minuta illa culmorum straminisque cum falce fœnaria concisio, qua passim nunc palearum vice jumenta in farragine pascuntur, *Fridbergense* quopiam monstrante, in usum primo hic venerit. Cum hactenus frumenti stramina latioribus securiculis super trunco, in eundem finem, sed difficiliore tardioreque, adde & grassiore modo, a nostris concisa fuissent. Accidit autem præter ista, ut sub finem Septembris hoc ipso anno, *Petrus Gœsswinus*, vetus ac proclamatus hostis noster, postquam aliquot incendia in propinquo feciſſet, mortuus ante *Steffaninam* portam in sacco inventus sit, quo illum quispiam noctu ob promissos publice a Senatu interfectori DC. aureolos clam tulerat. Nonnulli tamen annales id post quinque annos factum volunt.

1481. *Mœnia claudunt.* *Falcium origo.* *Gœsswinus interit.*

Anno redemptionis humanæ MCCCC LXXXII. dicti de more apud *Augustburgum* nostrum Januario mense sunt consules *Johannes Langenmantellus* III. & *Nicolaus Schallerus* II. luseruntque hastis VI. die Februarii

1482. *Ludi equestres.*

rii, equeſtris in ſacra area, *Chriſtophorus* & *Wolffgangus* fratres Bojariæ duces, ac duo nobiles illorum aulici, cum quatuor noſtratibus civibus, *Gergo* ſcilicet *Langenmantello*, *Marco Ridlero*, *Antonio Herwarthо*, & *Marco Walthero*, idque tam ſocialia lege, æqualique fortitudine, ut nulla *victoriæ palma*, quæ *a gratiarum actione* adpellationem Germanice habet, a Brabeutis ulli poterit merito præ cæteris aſſignari. Cæterum

Frid. Imp. confirmat & condit privilegia. VIII. Maji, expiata multa jam auro *Vitellorum* cæde, donavit imperator *Fridrychus Viennæ Auſtriæ* Senatum noſtrum celeberrimo privilegio, contra impetratas a quibusdam libertatis literas, quibus a publico cenſu, vinario, vectigali & vigiliis, immunes hic eſſe contendebant. Quin mox idem imperator XVI. ejusdem menſis die, etiam alia civitati noſtræ antiqua renovavit privilegia. Atque inter ea, hanc præcipue immunitatem illi iterum confirmavit, quæ non contemnenda pœna cavetur, ne quis vel univerſam communitatem, vel unum aliquem civium, illorumve adſcriptitios aut colonos ad alienum forum, utputa *Rottwylam*, ad *Weſtphalicum* aut quodcumque provinciale judicium, citare, ſeu litigando contra illos procedere præſumat. Sed ſi quid actionis alicui adverſus illos competeret, coram

Georgius præfectus. præfecto civitatis ipſorum conveniat. Eſtque mox ejusdem imperatoris ratificatione, poſt demortuum *Hainrychum Bappenhaymenſem*, provinciolæ & civitatis noſtræ *major advocatus*, quem recte urbis *præfectum* dicimus, annis plus minus XX. factus, *Georgius Marchſchalcus*, ex eadem proſapia, vir ſtrenuus & militari baltheo donatus. Quo

Frumenti penuria. tempore etiam tanta frumenti penuria per ſuperiorem *Sueviam* ad *Danubii Rhenique* fluenta laboratum eſt, ut indies quam plurimi, octuaginta plus minus, carri cum panibus hinc *Ehingam* usque a piſtoribus aliisque aurigis avecti ſint. Valuitque *magnus modius Olyræ* tunc apud nos, tribus aureolis, quæ cariſtia ultra duos menſes in meſſem usque duravit. Quæ cum beneficio Dei abundaret, remiſit frumenti precium, occepitque *olyræ* idem *modius*, tribus tantum unius aureoli quadrantibus, nec non *cadus vini* uno aureolo tunc divendi. Quando

Frider. Imp. auxilia miſſa. autem *Matthyas Ungriæ* rex, quas cum *Auſtriacis* ſuperiore anno pepigerat, tum inducias tum concordiæ pacta, abrumpere auderet, miſſi denuo Imperatori hinc ſunt in ſubſidium LXX. loricati equites, totidemque bombardarii equites, non exiguo reipublicæ ſumptu. Poſt quæ publico lo-

Rœchlinus ſecuri percutitur. co ſecuri percuſſus eſt *Michael Röchlinus*, lanius, eo quod *Hartmanno Kluzio*, zytopolæ, in proprio ſuo ad mœnia horto, nihil tale vel merito vel expectanti, armata vi metuque concuſſionis centum aureos extorſiſſet. Quo anno Senatus noſter, præter alios, quos annuatim exteris pendebat cenſus, etiam a *Brixinenſibus* Canonicis, haud parvam auri ſummam redhibitione redemit. Prohibuit item XX. die Decembris, per ſingulas plebis tribus, ne quiſpiam alius eo die, quo conſules creantur, vel commeſſandi vel lavandi cauſa, uti haſtenus mos inoleverat, tribunitias tabernas intraret, præter ſolum Tribunum cum ſuis XII. viris.

Anno Chriſti MCCCCLXXXIII. cum A. 1483. *Petrus Herwarthus* & *Georgius Sulizerus*, uterque III. *Augſtburgi* conſulatum gerent, metuens ingrata, quæ *Cruciano* monaſterio præpoſita erat vulpecula, ne templi ſui turris corrueret, noluit amplius in ea veterem campanam civibus ac vicinis, ad

Novum Horologium. deſignandum horas, concedere, neque etiam aliam ipſorum expenſis ſuſam in campanile ſuum admittere. Quare Senatus juſſu, ſuperpoſitum propinquæ civitatis portæ ibidem culmini, novum tintinnabulum eſt, quod ſexies centenas & quinquaginta libras æris ponderans, tempora diei noctisque numerorum percuſſionibus αὐτομάτως diſtinguit. Circa quæ tempora

Papæ edictum de non edendis ovis, lacte &c. Quadrageſimali tempore. allata primum huc e Roma pontificia bulla eſt, qua ovis, lacte, caſeo & butyro, laicis per quadrageſimale tempus, quo jam antea carnibus veſci piaculum erat, interdicebatur. Quod edictum tamen beatiſſimus pater *Xyſtus* IIII. pro ſua lenitate, cave dolum exiſtimes, ita mitigarat, ut ſi qui his cibariis carere non poſſent, privatim in eam rem paratas cartulas emerent, quibus freti, ſine peccato illis veſcerentur in poſterum. Eam nundinationem Senatus noſter valde ægre tulit. Verum cum os in cœlum ponere non auderet, & tamen difficulter ſuos cives tanta pecunia emungi pateretur, facto decreto, quadringentis aureis nummis, tricoronatum cum induperatorem, haud aliter atque Plutum olim ſacrificio cruento,

Lis de porcis. placavit, ut is prædictorum ciborum delectum iterum ſuſtulerit, carnibus tantum interdictis. Quod tamen præ doctrinis dæmoniorum non diu duravit. Poſt iſta & præceptor *Antonianus* apud *Memmingam* negotia reipubl. *Augſtburgenſi* facere quoque non erubuit, propter porcellos *Vejovi* ſuo dicatos, quos Senatus per urbem noſtram indiſcrete transcurſitare prohibuerat. Ne autem monacho illi impius haberetur, transactione capituli *Mariani* conceſſit, ut XII. numero, nec plures, & eos in aures nolasve geſtantes, publice ad nos deinceps porcos alere queat. Porro, quando vetus

Arbitri Augſtburgenſes inter & Argenſes. *Argenſium* contra Rempubl. hanc odium, nondum extinctum eſſet, condixit *Georgius* dives ille *Bojariæ* dux in cauſa ea, utrisque partibus, pacificatoriam ad feſtum *Apoſtolorum Simonis* & *Judæ* diem *Landshutam*, quam Senatus noſter propter infinitas hominum illorum & anomalas exceptiones replicasque, quibus negotium in plures jam annos diſtulerant, omnino recuſavit. Quapropter *Jacobellus Argenſis* ſibi diffidens, *Noribergenſem* Senatum ſerius ſupplicatio-

nibus

nibus tandem expugnavit, ut is partes suas amice interponeret, negociumque plane transigere Decembri mense conniteretur, quod & factum est. Visi autem hoc anno apud nos sunt acriter inter sese justis agminibus prœliari per aera cornices & monedulæ.

A.1484. Anno bisextili MCCCCLXXXIIII. *Sigismundo Gossenbroto* patritio, & *Nicolao Schallero* III. consulibus, adduxit XIX. Februarii *Albrechtus Saxonum* dux, *Kathari-* A *nam* filiam suam *Augstburgum* comitatu milse equitum, atque ibidem honorifice exceptus, aliquos dies choreis & hastiludiis cum patritia gente triumphans. Inde eam *Oenipontem* ad nuptias *Sigmundo Austriæ* duci, cujus prior uxor *Elionora Scota*, paulo antea vita defuncta fuerat, quam pompositime conduxit. Interea concessit imperator *Fridrychus* Reipubl. nostræ civibus novum privilegium, *Grœtzii* apud *Styros*, XXVII. die Aprilis exaratum, ut nimirum nepotes loco demortuorum parentum competentes hæreditates adire possent. Hactenus enim B apud nos, uti plerumque tota *Germania*, nepotes ab avorum avunculorumque & patruorum relictis bonis, si majores defuerint, excluси contra legem naturæ fuerant. Paschalibus dein feriis, factus est ingens vulgi nostri excursus, ad fanaticum quendam hominem *Breiningum* nomine, qui in proximo post S. *Radegundæ* delubrum luco, arbori per sesqui mensem insidens, novam heremitarum vitam meditari videbatur, ac magni erga Deum meriti gratia, accedentes per rimam arboris suæ, pro numero delictorum devote reptare jubebat. Verum ut simulata hypocrisis ea inconsultius, ne dicam contra mandatum Dei, cepta erat, ita ovi subventanei instar turpiter evanuit. Mox post ista *Lechus* tanta inundatione Majo mense intumuit, ut non solum hortis civium, dealbatoriis pratis, ac piscinis in fossa extra civitatem damna dederit, verum etiam totum *Jacobæum* suburbium, lacum effecerit, in quo repletis unda cunctis cellariis, unaquæque domus, insula sit visa, navigatumque hinc inde per plateas, caudicariis naviculis & lembis fuerit. Suntque subsequente æstate XXIIII. *subacida cerasa*, *Weixlas* vocant, uno nummulo hic vendita, tam crebris pluviis florescentes arborum fructus deperierant. Porro instantibus *Nördlingensium* nundinis, mota sub medium Juni- D um per *Joannem* episcopum, cui Marchionatus *Burgavienſis* oppigneratus erat, Senatui nostro controversia est, de præstando ab *Hettenbacho* hinc ad pontem usque *Danubianam Werdæ* salvo conductu. Quam tamen *Georgius Otto* prætor, nomine præfecti provinciæ & civitatis *Augstburgensis* facile depulit, ac publica itinera, nostris equitibus lustrando, secura mercatoribus aurigisque reddidit, ac episcopum a præsumpta jurisdictione absterruit. Cæterum cum ob denegatam civium filiis chori cathedralis societatem, ingens pariter ac periculosa simultas, hic Canonicos inter & cives ingruisset, ipsusque adeo episcopus, & omnes ferme mystæ, cum toto consistorio, populi furorem *Dillingam* declinassent, corrogaverunt illi tandem a decem & octo principibus suffragatores intercessoresque. Qui missis illico cum canonicorum nostrorum deputatis aliquot, legatis suis in urbem nostram, *Philippi* Palatini Electoris procancellario verba coram Senatu, sub finem Novembris faciente, tum decreti Canonicorum gravissimas causas reddidere, tum suorum principum nomine dictum nostrum Senatum eo persuasere, ut nolens volens, constitutioni dictæ, utut injusta, se amplius non refragaturum responderit, quo facto mystæ ad templum suum sequente angaria, secure redierunt.

Anno salutis MCCCCLXXXV. creati A.1485. juxta veterem consuetudinem Januario mense consules *Augstburgi* sunt *Johannes Langenmantellus* IIII. & *Georgius Sultzerus* itidem IIII. acciditque XVI. die Martii, sub tertiam in prandio horam totalis eclypsatio solis, quæ tam horrendas tenebras per dimidiæ horæ spatium nostro in horizonte induxit, ut stellæ cœli apparuerint, aves dementatæ ex aere deciderint, gregesque balantes & armenta dirum boantia, ex pascuis ad stabula præsepiaque sua recurrere inexpectato occeperint. Quod ostentum præter alia infortunia, etiam casus *Austriæ*, quo *Viennenses* se II. Juuii, in ipso idololatrico corporis Christi festo, *Mathyæ Ungriæ* regi dediderant, subsecutus est. Quin & nocturni Lemures, quos furialem exercitum vulgo in alpibus vocant, per arvorum quadruvia non procul civitate nostra cruentis spectris, diros terrores credulis homuncionibus incusserunt, tunc temporis. Venundata item uno nummo VIII. pyra in foro publice sunt, *Neckarenſis* quoque vini mensura duobus nummis hic apud Oenopolas prostabat. Porro dum per eandem tempestatem *Christophorus Bojariæ* dux, apud nos tanquam apud bonos vicinos confidenter, ne dicam ocioſe degit, en *clientes* sui *nobiles*, *vasallos* semilatini adpellant, obedientiam de improviso illi renunciant. Quorum ope statim *Albrechtus* agnatus dux, patrimonii ipsius metropolim *Landsbergam* ex composito occupavit. Quamobrem humanissimus princeps, adamatum *Augstburgum* cum dolore relinquens, *Freisingam* abiit, ac talionem qualemcunque, interfectis in itinere *Nicolao Abensbergio* milite aurato, ac nobilibus *Fritzio Bognero*, ac *Rechbeckio*, hosti reddere conatus est. In ista *Bojariorum* seditione mandabat imperator, utut socer *Albrechti* ducis, per literas reipublicæ nostræ, ut *Christophoro* & *Wolffgango*, *Bojaricis* princi-

pibus

Simultas inter Canonicos & cives componitur.

Spectacula edunntur.

Privilegium de nepotibus avorum hæredibus.

Breiningus eremita.

Inundationes.

Johannes Episcop. civibus salvum conductum denegat.

Eclypsis Solis.

Bojarum adversus Christophorum seditio.

pibus, eorundemque auxiliatoribus, liberum aditum ac receſſum, quod dici ſolet, concederent, id quod Senatus, ne præfatum *Albrechtum* amplius offenderent, difficulter ac tarde admodum præſtitit. Interea *Friderychus* ipſe imperator, *Lynceæ* aliquantiſper, ab Ungaro rege, patria pulſus, commoratus, publico telonio juxta *Danubianam* portam, aureis literis inſcribi juſſit, quod etiamnum illic extat, *Rerum irreparabilium ſummum remedium eſſe oblivionem.* Ac paulo poſt imperii oppida civitatesque invisens, XVI. Octobris die, *Augſtburgum* venit, ubi quadriduo hærens, Reipublicæ privilegium, conceſſit, ut facinoroſos, ſuſpectos & famoſos quoscunque, & cumprimis nocentes homines, non modo vi coercere, ſed etiam in vincula undecunque abripere, & quæſtionibus ſubjicere queat. Conceſſit & idem imperator, eidem noſtræ Reipublicæ quoque, libertatem recipiendi alendique qualescunque proſcriptos, etiam homicidas & repetita cenſura extorres factos cives. Privilegii diploma, brevi poſt *Noribergæ* V. Novembris confectum, & datum eſt. Quo anno feſtigio tecti *Marianæ* portæ, turricula una cum horario tintinnabulo, Senatus ſumptu impoſita hic primum de novo fuit. Inundationes præterea maximæ, per *Jacobæum* ſuburbium, & in dealbatoriis pratis, in feſto S. *Ulrychi*, & ſub initia Septembris, hic damna civibus haud minora ſuperioris anni dederunt. Cæterum dum hoc ipſo anno *Georgius* dux *Bojariæ*, *Nördlingam* armis inſolentius adgrederetur, curavit & Senatus noſter civitatem ſuam debitis excubiis non ab re muniri. Et dum ita hoſpitalis majoris ſacellum certo præſidio quoque obfirmaſſet, accidit ut prætereuntibus forte *Bojaricorum* equitum aliquot turmis, ut Capitaneus dicti præſidii ſtationem ſuam clam reliquerit, turpiterque ſe domum receperit: Unde poſtmodum Senatu ejectus, erat enim Pellionum tribunus, atque omnium armorum uſus illi publice prohibitus fuit.

A. 1486. Anno domini MCCCCLXXXVI. inierunt ſtato die Januarii conſulatum *Augſtburgi*, *Sigmundus Goſſenbrotus* II. & *Niclaus Schallerus* IIII. Acceperque mox IX. ſequentis menſis die in poſſeſſionem *Georgius* dux *Bojariæ Burgavienſem* Marchionatum, civitati noſtræ tum terminis contiguum, tum cottidiano uſu neceſſarium, quem a *Johanne* epiſcopo noſtro XXXII. aureorum millibus, *Sigmundi Auſtrii* voluntate redemerat. Eſt & XVI. ejusdem Februarii die *Maximilianus Auſtriæ* primus Archidux, nam hactenus in nullis literis nomen id extat, procurante & præſente patre imperatore, unanimi electorum principum conſenſu, rex atque Cæſar Romanorum *Francfurti* dictus, ac paulo poſt X. Aprilis, a *Colonienſe* archiepiſcopo *Aquisgrani* fauſto omine inunctus, allatoque ex archivis *Norimbergenſium Caroli Magni* diademate coronatus eſt. Cum interea ſex *Bojariæ duces*, inter quos *Otto*, *Georgius* & *Albrechtus* valde ſcrupuloſe, ultra CCL. *Germanicos* eos equites, quibus jam ſalvis commeatus a Senatu Urbano hic erat conceſſus, etiam C. *Ungricos Velites* XVIII. Martii quoque voluerunt adſcribi, in urbem hanc conveniſſent; ac omnem lapidem moviſſent, ut frater agnatusque ipſorum *Johannes*, epiſcopus *Auguſtenſis* crearetur, ſed fruſtra, ſicuti inferius ſuo dicetur loco. Ipſius vero *Friderychus* Auguſtus, quod imperii proceres, proximis comitiis, trigeſies quater mille milites contra *Ungros*, ſuis ſtipendiis ultro miſſuros decreviſſent; Reipublicæ noſtræ e *Colonia Ubiorum* Kalendis Maji mandatum dedit, ut pro ſuarum expenſarum rata portione, nam nummos non bellatores querebat, quinquies mille & ducentos aureolos, *Noribergam* ad III. diem Junii, apud ſuos Quæſtores deponeret. Inde adeo adventante Autumno, cum patritii & habitiores cives, omnis generis aucupiis ſuo more indies indulgerent, conati ſunt *Wolffgangi Bojarii* ducis ſatellites quidam, *Eitelhanſi Langenmantelli*, & *Wilhelmi Rebhuni* famulis aviarias areas in *roſarum inſula* & *Pfershaimenſi* territorio, non tam ſerio impedire, quam omnino vi prohibere. Qua tempeſtate obtinuit Senatus Imperatoriam inhibitionem, contra Epiſcopi exactiones, quibus civium noſtrorum, ipſiusque adeo S. *Spiritus hoſpitalis* colonos, per provinciam ſuam illicite conabatur premere. Veniitque magnus modius ſiliginis XXI. groſſis in foro, & quod rariſſimum dictu, parvus modius ceparum, magno modio hordei aut orgyæ uni fiſſi pro foco ligni, æquali precio apud nos, videlicet XVIII. groſſis, in venditionem deveniebat, cadus adhæc horni *Neccarei* vini, duobus aureolis proſtitit, aureolus vero XXVI. groſſis & quatuor nummulis valuit.

Eodem hocce anno quando poſt obitum *Johannis* II. præſulis, univerſo majorum Canonicorum ordini ad XX. diem Martii, alterius epiſcopi electio jam incumberet, confluxere ad eandem quoque magno apparatu, ſex *Rheni*, Palatini, *Bojariæque* duces *Augſtburgum*. Qui dum plenis votis *Johannem* fratrem & agnatum ſuum jamjam ædis *Marianæ* hic præpoſitum, epiſcopum futurum non quidem ſperant, ſed omnino ſibi perſuadent, factum novi Cæſaris *Maximiliani* & *Friderychi* Imperatoris interceſſionibus eſt, ut *Friderychus* II. comes *Hochenzolrenſis*, ſummi apud *Argentinam* collegii Decurio, ac nullus in *Augustanorum* Myſtarum albo, in quinquageſimum ſeptimum epiſcopum, contra jam dictum candidatum eo die aſſumptus ſit. Qui brevi mitra redimitus, diœceſim hanc undeviginti annis indignantibus *Bojis* gubernans,

Duo privilegia.

Inundationes.

Urbs præſidio firmatur.

Burgavienſis Marchionatus redemtio.

Maximilianus Cæſar creatur.

VI. Boj. duces Augſtburgum conveniunt.

Friderico Imp. adverſus Ungros opem ferunt Augſtburgenſes.

Fridericus II. Epiſcop. LVII.

bernans, non modo quæ avunculus præcessor suus in eadem oppigneraverat, liberaliter recuperavit, sed & avitæ prosapiæ arces & fundos, præsertim *Burladingam* & *Hechingam*, pro virili sua excoluit restauravitque. Et cum esset heluo frugaliter splendidus, ac in rem suam attentissimus, tantum non ex parvo dissidio, quod propter insolitas, ac justo sordidiores erga civium subditos & colonos, ut de suis taceam, exactiones, ortum fuerat, inexitiale bellum sesemet implicasset, ni *Hugonis Montfortii* comitis, quem a diverbio suo *Guggerum* vocabant, quemque imperator primum *Ratenfelsii* comitem quoque crearat, providentia caviset. Quare cum Reipubl. nostræ incommodare alia re amplius non posset, consistoriali statuto irrevocabiliter iterum inhibuit (nam antea ea lex sub præcessore suo lata quoque fuerat, Canonicique ipsi eam trecentis plus minus annis durasse ad novum Cæsarem *Maximilianum* in causa Doctoris *Bernhardi Artztii* adversus Rempubl. *Augstburgensem* anno Domini 1486. scribere non erubuerant,) ne qui civium, illorumve filii in cathedralis sui templi symmistarum, quos hercle per antiphrasin Canonicos adpellant, numerum unquam reciperentur. Porro idem episcopus uberioris quæstus causa, duas laterarias fornaces, lutraque seu balneum *Weringæ*, primum anno MCCCCXC. fieri fecit, quibus homines scabiosi thermarum instar per Ver & Autumnum lavare, hodieque consueverunt. Contra præscriptum item *Georgium Bojariæ* opulentissimum regulum *Burgavienſem* Marchionatum de novo apud *Maximilianum* Cæsarem episcopatui suo pignori comparavit. Incolæ enim facta a singulis per totum territorium focis collectione LII. aureolorum millibus, se a *Bojis* anno MCCCC XCII. ultro redemerant. Quo anno etiam dictus episcopus novum granarium a tergo *Lampertini* fani, juxta palatium suum extrui hic curaverat. Adhæc instituit, ut una cum eleemosinaria stipe singulis septimanis feria sexta in omne ævum, in sacello S. *Gertrudis*, quod est prope adytum majus summi templi, a triginta scholaribus responsorium id, quod incipit, *Tenebræ factæ sunt*, pro salute sua cantaretur, quæ cautio postmodum per totam civitatem scholaribus mendicandi ansam præbuit. Anno præterea MCCCCXCVIII. profectus *Feldkyrcham*, una cum *Hugone Landebergio*, *Constantiensium* proceriſſimo episcopo, pacificatoris vicem inter Cæsarem *Maximilianum*, & tumultuantes in *Alpina Rhetia Engadinos* gerere tentavit. Ac dein commissarius arbiter inter dictum Cæsarem & *Hainrychum Hewensem*, Curiæ episcopum a *Ludwicho Maria*, *Mediolanensium* duce transactore, constitutus fuit. Denique ad componendam controversiam, quam *Frydrychus* Marchio *Brandeburgensis* cum *Reipubl. Norimbergensium*, propter restauratam urbis eorundem arcem habuerat, a Cæsare *Maximiliano* solenniter missus fuit. Ac tandem sub annum salutis MDC. Martii octava die, morte naturali extra civitatem suam raptus est. Sub præsulis hujus primitiis, *Johannes Bojarus*, præpositus & competitor, pudore frustratæ spei, hinc ad suos profectus, cum unico famulo tanquam Theseo, peregrinationem ad terram sanctam, devotionis causa suscepit, ac brevi *Hierosolymis*, in die beati *Francisci*, cujus festivitatem *Sixtus* IIII. papa paulo antea instituerat primo, obiit, sepultus in monte Sion. Et inde dicto citius, *Joannes Baptista Sabellus* Cardinalis & civis Romanus succedens præposituram summæ ædis *Augustanæ*, a Papa *Innocentio* VIII. obtinuit, eamque post undecim annos per resignationem, *Bernhardino* de *Sabellis*, nepoti cuidam suo contulit, qui itidem absens, quadriennio eadem Romanistico more potitus est. Altero dein antistitis nostri anno, quo is prædicandi Evangelii munus, hactenus negligenter administratum, & quasi sopitum, in templo suo resuscitare, ac novo stipendio in usum revocare satagebat, vocatus huc *Johannes Geilerus Kayserſbergenſis*, Theologiæ doctor, & primus ordinarius ecclesiastes apud *Argentinam*, multos menses in templo *Mariano*, liberrime in vitia, tam cleri quam laicorum detonando concionatus est. Quin & eodem anno transmissum ab *Innocentio* VIII. papa, ignaviſſimo gulosissimoque, (qui omnibus blandus, nulli benignus, primus spurios suos honoribus & divitiis citra ruborem palam evexit. Ac *Johanni Danorum* regi concesſit, ut in *Nortwegia* calicem sine vino sacrificare sacerdotes possent,) apostolicum breve in urbem hanc est, quo is neque per nomen Dei, neque per passionem aut artus Christi jurandum omnibus hominibus vetuit, id quod Senatus jussu confestim, in cunctis tribuum tabernis obsequentissime promulgatum est, præsertim quia pejerandi ille abusus, passim ceu idiotismus *Suevicus*, apud nos invaluisset. Porro sequente anno, absolutum Julio mense, ejus campanariæ turris ad *divam Virginem* tectum est, quæ meridiem spectat, in qua globus cum nodosa cruce, cui gallus superincumbat, CCCXC. libras habet, contineretque deprehensus est, majores frumenti modios duos, constitutque horum omnium deaurandi precium, centum & undeviginti ducalibus aureis. Perfectum item anno MCCCCXCI. & Cortina, seu velum illud lineum picturatum-

Lites inter Episcopum & cives.

A.1486.

Burgavienſis Marchionatus Episcopo rursus oppignerantur.

A.1490.

A.1492.

A.1498. *Fridericus Episcop. multos principes reconciliat.*

A.1600. *Johannes mag. ed. Præpositus.*

Johannes Baptiſta Sabellus ejus ſucceſſor.

A.1487. *Johannes Geilerus Augſtburg. eccl. ſiaſtes.*

Breve apoſtolicum de jurejurando.

A.1489. *Turris ad D. V. perficitur.*

A.1491.

que

que est, quod à *fame* nomen habet, quo in meridiano templo quadragesimali tempore, penetrale sacerdotem a reliqua statione populi discriminari solet, constatque per totum LXVIII. *Rhenensibus* aureolis. Est præterea *Xympertus*, venerandus & antiquissimus ille *Augustanæ* ecclesiæ pastor, auspicio & præsentia Cæsaris *Maximiliani*, de tumba sua, quæ cum saxea esset, haberetque insculptas D. M. literas, putarunt indocti homines, alicujus divi monumentum id fuisse, donec *Chunradus Peutingerus* civis, legum doctor, & antiquarius diligentissimus, demonstrato errore, occasionem dederit, ut lapis ille è templo sublatus sit, ultimo die Novembris ejusdem anni, sub *Johanne* de *Gültlinga*, quadragesimo secundo ad *divum Ulrychum*, monachorum per XIIII. annos patre, postliminio hic effosus. Ac deinde insequentis anni paschalibus feriis, haudquaque trivialibus ritibus, præsente Cæsare, æreo sarcophago iterum recondi-
A.1492. tus, sanctus primum vocari, & festo die coli, supranominati papæ permissu ac *Fridrychi* episcopi confirmatione cœpit. Quo anno etiam cum in octava *Epiphaniarum* drama fugæ virginis puerperæ in *Ægyptum* apud superiorem ædem hic pro more ageretur, serio sese duæ mulierculæ cultellis ad sanguinis usque effusionem, inter spectandum vulnerarunt, propter quod facinus templum profanatum, & continuo relegrandum a suffraganeo fuit. Post ista anno MCCCC XCIIII. curarunt *Moritiani* mystæ apud nos, templum suum novo tecto cooperiri, ac
A.1494. campanariam turrim peribolo ornari XVI. quæ pedibus altiorem, cum deaurata in apice cruce, fieri, ubi globus subjectus, XIIII. modios frumenti modios continere potest. Quo anno etiam in S. *Annæ* cœnobio, templum reparatum, novoque item tecto civium eleemosynis, absolutum est. Simul ac monasterium *Thierhauptense*, sub *Ernesto Castelio*, seculari sacerdote, (a quo hominum genere diu jam, absentibus monachis, administratum fuerat) per *Johannem Nullatenensem*, hoc est, *Adrimetenum* episcopum, *Augustanum* videlicet suffraganeum, reformatum est, *Johannemque Hartliebium*, vigesimum octavum abbatem, sub *Benedictina* norma, de novo habere meruit. Qui tamen non multo tempore post, officio resignans, quatuor immediate sibi succedentes abbates, ad sexaginta ferme annorum curricula, ex conventualibus S. *Ulrychi Augustani* monachis lectos, variisque bellorum cladibus expositos, post se reliquit. Porro anno domini
A.1495. MCCCCXCV. fundavit *Georgius Weslermairus* civis, antiphonam, *Salve regina*, singulis per annum sabbatis, in sacello *Leonhardino* ad Judæorum vicum decantari. Quo anno & argenteum S. *Narcissi* simulachrum præ æde summa DC. aureis fabrica-

Xympertus sanctus appellatur.

Johannes V. Ulrichianus abbas XLII.

II. mulieres cultellis sese vulnerant.

Moritiani & Annei templorum refectio.

Thierhauptensis monasterii reformatio.

tum primo hic est, cœpitque etiam *Augsburgi* nostrum magnum illud polyandrium, quod *Dei ager* in Arctoa civitatis plaga dicitur, ac civium expensis extructum est, inaugurari primo, in quod *Hansus Hainhoferus*, cognomento *Blodererus*, pannorum rasor XVIII. Februarii, primus mortalium illatus ac christiano ejus ætatis ritu conditus fuit. Sacellum vero in medio cæmiterii illius novi, Aprili mense, biennio post absolutum, & salvatori mundi dedicatum existit. Quo tempore *Anna* a *Werdenstaino* ad
A.1497. S. *Steffanum* hic abbatissa, nono administrationis anno, propter prodigalitatem exauctorata primo, & dein ob perversiores mores, toto eo gynecæo ejecta est. Cui *Ursula Berenstettensis*, omnium votis XX. annis, non inutiliter successit. Anno autem hunc
A.1496. præcedente, *Chunradus Mörlinus* civis *Augustburgensis*, e priore abbas quadragesimus tertius ad S. *Ulrychum*, in patria designatus est, ac tanta laude quatuordecim annis monasterium suum rexit, ut *Maximiliani* Cæsaris consiliarius sit factus. Et quan-
A.1506. quam præclara in Cæsare suo privilegia impetravit, ac campanarias turres, arcium instar, ad templi sui latera utrinque decimo & sequente administrationis suæ annis, construere occeperit, quarum tamen nulla adhuc absoluta est, permagna tamen alieni æris debita, conventui suo moriens reliquit. Præhabito anno, *Laurentius*, *Feelmannus*
A.1496. itidem civis *Augustburgensis*, vicesimus S. *Georgii* ibidem præpositus, templum cum choro monasterii sui, ex fundamento augustius fieri curavit, ac demum XXV. villicationis
A.1498. suæ anno, & dignitate & officio cessit, privatusque deinceps in otio vixit. Quando autem sub Septembrem anni dominici MCCCCXCVIII. *Moritianus* quidam sacrificulus *Lemlinus* vocatus, ab *Hanso Kuntzelmanno* patritio, prope S. *Wolfgangum* ad *Werdachæ* flumen, extra civitatis pomeria, propter beneficii *Wiegspachensis* contentionem, & quod dictus *Lemlinus Kuntzelmannum* hunc excommunicationis vinculo innotasset, gladio perfoderetur, toto triduo per omnia delubra interdictum cunctis & sacris & sacramentis fuit, ex qua superstitione tantum non plebis seditio facta fuit, & *Kuntzelmannus* ægre per ipsum modo cæsarem in integrum restitui potuit. Cæterum jam nominatus *Kuntzelmannus* beneficii illius legitimus collator erat, sed a fratre minore natu, Decano *Moritiano*, præventus suo jure cedere noluit, ac in tantam cum istis pfaffis contentionem devenit, ut *Lemlinus* ipsum excommunicaverit: ex quo vinculo excommunicationis cum faciliorem evadendi viam *Kuntzelmannus* non videret, cædem hanc perpetravit iracundius. Post quæ clausthum S. *Ursulæ*, ad *Lechi* intra urbem ripas, abolitis spontaneæ immo simulatæ, paupertatis, professoribus, qui jam plus

Novum cæmiterium.

Anna & Ursula Stephaniane abbatissæ.

Conradus II. Ulrichianus abbas XLIII.

Laurentius Georgianus præpositus XX.

Lemlini Moritiani sacerdotis cædes.

S. Ursulæ cœnobium virginibus assignatur.

plus minus ſæculo illic habitarant, velatis de *Dominici* ſecta Nonnis aſſignatum ab epi-
A.1500. ſcopo eſt. Inde ſub jubilæum triceſimum a Chriſti Jeſu nativitate, *Alexandro* VI. papa indoctiſſimo, epicureoque libidinoſiſſimo, (qui *Gemem* ſeu *Zyzymum*, *Bajazetis* II. *Turcarum* decimi imperatoris fratrem, ad ſe fugientem, uno die vivum & mortuum
A.1494 ingenti pecuniarum ſumma anno MCCCC XCIIII. *Gallis* turpiſſime vendidit) ad *Petri cymbam*, Romæ ſedente, ſcripſit *Wolffgangus Aitingerus* ſacerdos civitatis *Auguſtanæ* Commentarium in Methodii prophetiam, in quo non ſolum Cleri in ſacris negligentiam, ſed & vitæ inhoneſtatem acriter reprehendit, ſimulac Antichriſtum non in materiali, ſed in myſtica *Babylone*, quæ eſt *Roma*, naſciturum, regnaturumque aſſeruit. *Ulrichiani chori exſtructio.* Extrui item cœpit novus ad S. *Ulrychum* chorus, in cujus fundamentum Cæſar *Maximilianus* in die S. *Margaritæ* primum lapidem propriis manibus, cooperantibus epiſcopo & abbate, non vili pendendo munere poſuit. *Vitus Crucianus præpoſitus XVIII.* Diruit item *Vitus Faclerus*, decimus octavus ad S. *Crucem Auguſtæ* præpoſitus, qui cœnobio illi undetriginta annis, ſummo emolumento præfuit, vetuſtum ſuum fanum, idque tandem amplius iterum extrui fategit. Quin & campanile ibidem, multo quam antea fuerit altius, fuſo etiam
A. 1515. anno domini 1515. poſtea novo LII. centenariorum pondere tintinnabulo, non tam propriis ſumptibus, quam civium collatione, qui illi ad fabricam eam parochiales decimas, per multos annos conceſſerant libere, fieri fecit. Quibus omnibus intra quinquennium abſolutis cuprea tecta quam ſplendidiſſime quoque ſuperaddi curavit.
A. 1501. Anno dein MDI. factus eſt *Wolfgangus* de *Wolfgangus Templ. Cathed. Decanus.* *Zilnharto* curiali practica Decanus *Mariani* templi hic, non totos novem annos. Reſignavit item *Jacobus Legerlinus* abbatiam, cui præerat, *Anhauſanam*, præſuli noſtro *Fridrycho*, qui eam ſtatim non ſine Simoniacæ labis ſuſpicione *Johanni Weidenkranzio* contulit. *Matthæus Langius maj. ed. præpoſitus.* Quo anno etiam inveſtivit, ſabbato palmarum, *Raymundus Peraudi*, Cardinalis, tituli S. *Mariæ* novæ, & legatus papæ (qui anni jubilæi mercatum, ad integri anni ſpacium, poſita bene munita in *Marianum* templum cum Pontificialium clavium vexillis cyſta, hic etiam mirabilibus perſuaſionibus inſtituit, Cyſtam tamen eam evoluto anno *Johannes Jacobus Landoenſis*, alii *Eitelfritzum*, comitem *Zolrenſem* ponunt, una cum collecto ære abſtulit, Cæſarique non ſine plebis noſtræ ſollicitudine præſentavit) juvantibus *Georgio Bojariæ* & *Albrechto Saxoniæ* ducibus, *Mathæum Langium* Patritium & civem *Auguſtburgenſem*, Cæſarisque latinum Amanuenſem, præpoſitura ſummi templi apud nos, quam is Romæ a Cardinale de Sabellis, præceſſore ſuo, quinque millibus & ſexcentis plus minus aureis, dormitante Petro, ac diſpenſante Symone comparaverat. Contra nitentibus antequam acerrime Canonicis, & rem ad curiam Romanam deferentibus, occupavit tamen idem *Langius*, poſt biennium in ipſo *aſcenſionis dominicæ* feſto, totam eam dignitatem, poſſeſſionemque mere, & factus inſuper Cæſaris ſui per *Italiam* locum tenens generalis, mox etiam *Goricienſem* epiſcopatum ſolertia ſua adeptus eſt. Circiter hanc ætatem, quando jam ab antiquo *Campodunenſibus* antiſtitibus, per monaſterium ſuum, omni epiſcopali tum ornatu tum officio fungi licuiſſet, curavit inſuper *Johannes* A a *Riethaima* quinquageſimus ſecundus ejus loci abbas, & ſeſe & cœnobium ſuum, ab omni aliorum ſpiritali jurisdictione, omnino eximi, ac immediate ſub Apoſtolicæ ſedis tutelam recipi. Cæterum anno Chriſti MDIII. reſtaurari hic ſub *Waltheria* prioriſſa, totum quaſi cœnobium S. *Katharinæ* cœpit, id cum quarto anno perfectum foret, electa a nonnis alia prioriſſa ex *Welſeria* familia eſt. *S. Katharinæ cœnobii reſtauratio.* Inde menſe Aprili, nova pœnitentium ſecta, albis inductorum, pedes ac caput nudorum, & præter panem leguminaque nihil commedentium, ex *Italia* B huc primum devenit, quæ cum etiam nullam pecuniam vel haberet, vel reciperet, vix illos ſequaces apud nos reperiens, momento quaſi diſperuit. Non multo poſt hæc tamen cruciformes maculæ, lividi ac fuſci coloris, mira aeris impreſſione de improviſo paſſim, etiam clauſis arcis, in lineis veſtimentis, Majo menſe, adparentes, neminem non mortalium apud nos, ſicuti & per reliquam *Germaniam*, permagno terrore affecerunt, adeo ut communi cleri & Senatus civilis conſilio, quando alium veræ C pœnitentiæ fructum neſcirent, devotæ ſupplicationes ad ſanctos, cum ſolenni proceſſione, a magnæ matris templo ad *divi Ulrychi* monaſterium ſint factæ, quibus non modo *Maria Blauca Galeatii Mediolanenſium* ducis a ſuis interfecti, filia, *Maximiliani* Cæſaris poſterior uxor, præſens cum ſuis pediſſequis, totoque gynecæo, pullata interfuit, ſed & plerique civium nudatis capitibus & pedibus, ardentes cereos geſtarunt. Sed tranſeat oratio ad civium annales. *Supplicationes de cruciformibus maculis.*

D Anno itaque ſervatoris M CCCC A.1487.
LXXXVII. dum *Albrechtus Monachienſis* dux, ſecundo die Januarii, nuptias, invito ſocero, ſed producente magnifica dote *Sigmundo Auſtriaco*, cum *Kuniguida* imperatoris *Fridrychi* filia; *Monachii* quam ſplendidiſſime celebraret, ablegati *Auguſtburgo* viri conſulares ſunt, qui & matrimonio verbis congratularentur, & pro dono inauratum ſcyphum, valoris CXXX. aureorum cum adnumerata pecunia offerrent. Verum princeps ille, omnia tunc temporis reſpuit, idque propter fratris *Chriſtophori* cauſam, qui ante biennium *Nicolaum Abensbergenſem* baronem, noſtris commilitantibus ju- *Albrechto Monach. munera mittuntur.*

gula-

ſicuti poſtero accidit anno, exortum fuiſſet. Habitus item *Eſslingæ* percelebris procerum *Sveviæ* conventus eſt, in quo fœdus lapſa hyeme initum, per noſtros aliarumque civitatum delegatos, XXII. Maji tabulis primo conſignatum arctiusque confirmatum eſt. Secundo dein Junii die, in ipſis pentecoſtes feriis, venit *Maximilianus* Cæſar in civitatem noſtram, comitantibus illum, quos jam in gratiam reduxerat, *Alberchto*, *Chriſtoffero* & *Wolffgango Bojariæ* principibus, exceptusque a conſulibus pro more ante *Hausſtettenſem* portam, per primarios ſenatores ſub ſerico umbraculo, eques in deſignatum hoſpitium non ſine tripudio deductus, & magnifice donatus eſt. Tandem cum jam ambitus mœniorum *Jacobæi* ſuburbii, imbrice per totum eſſet intectus, catarractes etiam ſeu præcipitatoria crates, ad portam eam, menſe Octobri, fabricata hic primo eſt, ac ſingulari dejectione iterum atque iterum ad caſum comprobata. Quandoquidem vero plurimi civitatem iſtam ſatis confuſance inhabitarent, qui neque jus municipale habebant, neque ad certas claſſes inſcripti erant, ſtatuit prudentiſſimus Senatus, ut, ſiquidem illi vel alii, apud nos diutius degere velint, vel patritiorum ſodalitati nomina darent, vel quamlibet tribum emerent, quo ſcilicet compertus inter cives ordo ſemper haberi poſſit. Et quia *Mariani* myſtæ de novo adverſus civitatem, actionem eam, quam *Petrus* Cardinalis dudum deſeruerat, apud pontificem Romæ impudentiſſime inſtituerent, etiam Senatus urbanus, ne quid detrimenti reſpub. caperet, malo nodo, malum cuneum queritans, ſummam imperatoris protectionem imploravit. Qui iniquitate rei motus, Dominicano illi capitulo, XXIII. Novembris, *Lyncea* graviſſime reſcripſit, diſtricte mandando, ut a captis deſiſteret, aut ſiquidem omnino quiescere non poſſet, coram ſe cives jure convenirent, quando cuncta illorum poſtulata, ad Reipub. adminiſtrationem, quæ mere & mixte ſub imperio dependet, & non ad Eccleſiaſtica officia ſpectarent. Quod dyploma tamen, præ ex lege Pfafforum contumacia ſupercilioſe contemptum diu eſt. Circiter hanc tempeſtatem, cum & contra *Venetos*, & contra *Belgas Germanici* pedites, novo *Maximiliani* Cæſaris auſpicio, fortiſſima ſtratagemata lanceis longioribus ederent, cæperunt paſſim ab eo armorum genere *Lantzknechtii*, quaſi dicas Δορύφοροι, *Lanceariique*, cognominari. Hactenus enim aut a *preliando Streitsleuthi*, aut ab *ingurgitando Schlemmeri* nobiſcum fuerunt vocati.

A. 1490. Anno domini MCCCCXC. quamprimum a feſto *Magorum*, quos *tres reges* vulgo appellant, *Sigismundus Goſſenbrotus IIII.* & *Hildboldus Ridlerus II.* conſulatum *Augſtburgi* noſtri ſuſcepiſſent, ventilari hic præſentibus Imperatoris nomine *Wilhelmo Aichſtettenſe* epiſcopo, & *Eberhardo Barbato Wiirtembergenſe* comite, litium cauſæ cæperunt, quarum unam *Georgius Bragodurenſis*, *Roggenburgenſem* vulgus vocat, primus infulatus abbas, quod genus monachorum præcipuus decretorum pontificiorum interpres, *aſinos cornutos*, nominat, propter direptum ſuum monaſterium, alteram *Wolffius Oetingenſis* comes, ob occupatas, *Wallerſtainenſem*, & *Alerhaimenſem* arces, adverſus *Georgium Bojariæ* ducem (qui quod hypothecarius Marchionatus *Burgovienſis* foret, ſalvum conductum tunc etiam in hanc urbem *Ulmæ* & *Memmingæ*, poſcentibus arrogantiſſime, & ſua quadam vi concedebat) agitabant. Duravitque actio ea fervidiſſime, usque ad *purificationis Mariæ* feſtum, nec ob turbam Legulejorum, quorum triginta adfuiſſe commemorantur, finiri potuit. Cum tamen tres alii epiſcopi, & *Uladislai Behemiæ* regis orator, tanquam interceſſores, præſentes quoque partibus adſtarent, *Joachimus* item, alius *Oetingenſis* comes inſerea, præmemoratas arces vaſrefacto iterum, pendente intercepiſſet. Porro quando Canonici noſtri non modo ſtatutum illud ſuum contra civium filios contumacius manu tenere pergerent, verum etiam compromiſſionem in manus papæ faciendam, earum actionum, quas jam olim in præjudicium Reipub. noſtræ meditati fuerant, injuſtiſſime urgerent, miſſi ab univerſo Senatu noſtro, ad frequens illorum Conſiſtorium XII. die Februarii ſunt, ambo conſules cum ſex Senatoribus præcipuis, una & cum Urbano prætore, *Georgio Ottone*, qui præloquente *Goſſenbroto*, bene prolixa oratione illis, tum ingratitudinem erga majorum noſtrorum beneficia in faciem exprobrarunt, tum contra Apoſtolicum breve, injurioſamque reconventionem, diſerta proteſtatione, requiſitis ad hoc ſpecialiter duobus imperialibus notariis, exceperunt. Ad quæ, *Ulricus Rechbergius*, Decanus nihil aliud paucis verbis reſpondit, quam ſe ſuosque collegas omnium actorum facile poſſe apud quoscunque principes & honeſtos viros rationem reddere. Martio dein menſe conſtructum ex pecuniariis mulctis humile illud promurale eſt, quod ab *Aviaria* porta, usque ad *S. Spiritus* hoſpitale, foſſam extra civitatem munit. Inde ultimo Aprilis venit *Maximilianus* Cæſar unius diei curriculo huc e *Monachio*, eratque is ſecundus ipſius apud nos, ex quo rex deſignatus fuerat, adventus. In cujus gratiam ſequenti die, quæ tamen & ſabbatum, & *Apoſtolorum Philippi Jacobique* feſtum erat, ſolennes ſaltationes in publica chorearum domo a prandio ſunt ductæ. Poſtea mox *Ulmam* petens, nobili illi *Svevorum* conſœderationi, nomen ſuum dedit, eamque tertio die Maji ratam de novo habuit, ſacroque dyplomate ſtabilivit. Cæterum cum livor in tantum apud flamines noſtros egiſſet radices,

Sveviæ procerum conventus Eſslingæ.

Maximilianus Augſtburgum venit.

Lex de nominibus civium albo dandis.

Lites cum Marianis.

Lantzknechtiorum origo.

Actiones contra Georgium Boj. ducem.

Litigium inter Canonicos & cives.

Maximilianus rursus Augſtburgum venit.

Epiſcopus civium colonos vi ſibi ſubjicere ſtudet.

dices, ut nullis induciis, ne dicam paci foret locus, ipsusque *Friderychus* episcopus, colonos nostrorum civium in pagis suis, qui ad regiam viam siti sunt, præcipue vero *Erringæ*, *Menchingæ*, *Bobingæ*, & *Weringæ*, ad annum censum, aliasque servitutis exactiones, haud aliter atque suos adscriptitios, contra vetustas consuetudines, cogere iterum attentaret, illi autem haud immerito pro virili strenueque reniterentur. Jussit tandem mitratus pastor MCCC. emissarios *Menchingam* Julio mense adoriri, si vel armata manu, rusticos ad obsequium perducere possent. Verum illi de irruptione ea certiores facti, tum celerrime a nostris opem petiere, tum se una cum *Eyssenhofero*, aliisque sex stipendiariis nostris equitibus, in cæmiterium tanquam firmiam arcem recepere. Ex quo pro focis & aris dimicantes, tantisper obsidentes destinuerunt hostes, dum XIIII. die ejusdem mensis, absque mora hinc duo millia peditum, alii tria millia fuisse scribunt, ac centum expediti equites, cum *Qitone* subpræfecto civitatis, ad subveniendum miseris missi sunt. Qui ubi *Inningam* usque pervenissent, allatus rumor est, turbas eas sedatas esse. Nam *Eglolffus a Riethayma* cum *Kauffbeyrhensium* consule *Spleyssio*, qui forte ut vicinos decet, partes suas, a nemine evocati, interposuerant, nostris obviam ierat, fidejussitque colonorum rem in tutum collocandum esse. Quare nostri receptui cavantes, domum eodem vespere palantes properarunt, ac facile decepti sunt. Quamprimum enim rustici arbitrum jam dictorum persuasione, arma deposuissent, statim altero die pontificii cæmiterium id occuparunt, muros dissecerunt, & primipilos rebellantium, in nervum conjecerunt, nec ullis pactis steterunt. Quam injustitiam dum Senatus noster merito vindicare, & impetrata XX. Julii *Lynceæ* ab imperatore scripta, ad episcopum inhibitione, jure vim vi repellere conatur, novi fœderis principum solertia, & cum primis *Hugonis Montfortii*, imperatorii commissarii, exhortatione in sequestrariam totius ejus belli compositionem, benigne consentiens, non levi levatus onere est. Quia vero cives nostri ad ocia consueti, instruendarum acierum ut rudes & inexercitati essent, nec armiductorem gnarum haberent, prout fors tulerat, bini & bini, schola rium instar, longa & inepta serie hinc ad pugnam processerunt, adeoque peregrinis & nostris quoque pragmaticis risui fuere. Quapropter sicuti belli tempore, ea, quæ pacis sunt cogitarant, ita jam nacti tranquillitatem, quæ bello in posterum necessaria forent, disquirere cæperunt. Conductus itaque Senatus decreto, certo stipendio *Gergus Krepsus* est, bellator exercitatissimus, ut deinceps perpetuo ad manum haberetur, qui in ejusmodi procinctibus, plebis capitaneus, promptusque expeditionum & ordinum dux semper foret. Id quod in hanc usque diem, nullo in usu apud nos, nisi quando bellum gerebatur adpertum extitisse historiæ testantur. Ne autem absque cæde humana, aut incruentus belli hujus exitus esset, en domum redeundo, unus ex nostris militibus, nempe *Wilhelmus Artzius* vir obesissimus & opulentus, sub ipsa *Rubra* porta, præ æstu armorumque pondere, apoplexia tactus, intra horam interiit. Post hæc Canonici se minus securos *Augstburgi* futuros suspicantes, salvum conductum XIIII. die Septembris, *Ulmæ* in publico *Sveviæ Ligæ* conventu, a Repub. nostra sibi dari postularunt. Ad quæ *Ridlerus*, consul, una cum *Luca Welsero* legatus noster, se nihil tali de re in mandatis habere, multoque minus aliud promittere posse respondit. Missi igitur huc ejus rei causa *Ulrychus a Westerstetta* auratus miles, ac *Egonius Dinckelsbyhelensis* consul sunt. Quibus XXI. jam dicti mensis die, in frequenti Senatu responsum est, non esse in civium potestate, ut sacratis illis viris contra quoscunque securitatem, in tantis illorum proterviis, præstare queant. Sin vero sententia hæc insufficiens aut durior ipsis videatur, Senatum se communis confœderationis judicio summissurum. Renovarunt forte circiter hanc tempestatem patritiorum *stubæ*, quam vocant, *magistri*, ac ipsorum selecti socii, veteres, suas constitutiones, inter quas ista haud postrema erat: ut si qui ex plebe per connubia ad sodalitium ipsorum recepti conjugibus orbarentur, ac dein, ad secunda cum aliis, quæ de dicti consortii familia non essent; vota transirent, æque in posterum sicuti ab initio, neque nova illa uxor, neque liberi inde nati ullum jus amplius se in eo habere præsumant. Supererat hocce anno adhuc in civitate hac nostra Sycambrorum tacitæ legis conscius, quem vulgo liberum *Westphalici* judicii assessorem vocant, *Georgius* scilicet *Mangoldus* sutorum tribunus.

Canonici ubi Augstburgenses salvum conductum postulant.

Menchingensibus auxilia mittuntur.

Bellum componitur.

Patritii statuta sua renovant.

Gergus Krepsus ordinum militarium dux creatur.

Anno Christi MCCCCXCI. sunt consueto Januarii die consules hic rite creati *Johannes Langenmantellus VII.* & *Ludwichus Hoserus III.* Sub quibus judicii civici ordo muratus est hac conditione, ut antiquus de plebe consul, non amplius supremus judex esset, uti hactenus moris fuerat, sed in Senatu maneret, ac dein semper duo patritii, duo ex mercatorum, unus ex Textorum classibus, & desuper septem ex reliquis XV. tribubus, quotannis sorte eligerentur, qui prætorio & Burggravio assiderent, constitutis octo nummulis mature accedentibus, in premium recipiendis, tardantibus vero totidem in pœnam solvendis. Venitque Cæsar *Maximilianus* levi vehiculo denuo *Augstburgum* 19. Februarii, ac tribus septimanis hic mansit. Ab initio anni hujus usque in Martium mensem acerrima hyems per totam hanc regionem, tam continenter

A.1491.

Judicii civici ordo mutatur.

Acerrimus hyems.

Sævit.

sæviit, ut & altissimæ, frequentissimæque nives itinera peregrinantibus impedierint, & miseri homunciones dira fame vicatim laborarint. Fama autem certa erat, in quibusdam sterilioris *Alogojæ* locis, mortales atram sedasse famem; pane ex fœni aridis floribus, viciæque farina confecto. Quapropter cum innumera mendicorum turba præ inedia ex vicino agro, in civitatem nostram indies confluëret, curavit pientissimus Senatus, ut a XXV. Januarii usque in XXIIII. Aprilis, ter singulis septimanis, diebus nimirum Lunæ, Mercurii & Saturni, cuilibet profectioris ætatis egeno, nummus in salis horreo erogaretur. Cujus eleemosynæ summa, computata unoquoque die ad XIIII. libras nummorum est, quarum quævis XXX. grossis, grossus autem octo nummis constabat, hac tempestate. Hocce exemplo & mystarum majus collegium provocatum, itidem stipem qualibet hebdomade, feriis scilicet III. & V. a primo Februarii die ad V. Aprilis, singulis pauperibus singulos panes nummum valentes, apud summam ædem distribui curavit. Soluto autem frigore, ejecti urbe alienigenæ pauperes sunt, ac ne otiosi inter inquilinos validique, tanquam fuci in apum alveariis, frustra amplius alerentur, sed ad laborem adigerentur, constitutum a magistratu est, ut civibus illis, qui communi beneficentia frui cuperent, mendicitatis vota signumve vestibus assueretur. Qui mos ab illa inde ætate, ad nostram usque ætatem manavit *Augustburgi*. Porro in tantum toto hoc vere annonæ caristia invaluit, ut, Aprili, Majo & Junio mensibus, *olyræ* magnus modius quatuor aureolis, *hordei*, tribus & paulo plus, avenæ XLII. grossis, alias habetur major *tritici* modius XVI. libris obolorum, *olyræ* XIIII. *hordei* IX. *avenæ* V. *viciæ* IIII. libris oboläribus divenditus esse, minor præterea modius milii XX. & pisorum XVIII. grossis apud nos publico foro divendita sint. Quare ne quid asperius civibus accideret, fategit denuo sapientissimus Senatus, ut omnis generis frumentorum satietas adesset, idque tenuioribus dimensu quodam, tolerabili precio, contribui posset. Pistoribus vero certa pondera præscripta sunt, ad quæ pisti panis precium æstimaretur. Et licet modus ille dudum ætatem, nempe ante centenos octuaginta unum annos, in usu quoque hic fuerit, quod tamen diu intermissus fuisset, pistoribus admodum molestus est visus. Senatus vero id nihil curans, quando institutum frugi & ex re pauperum esse animadverteret, perseveravit in proposito, & inde adeo dictus ponderandi venales panes mos, ab hoc tempore, ad nostrum usque derivatus est ævum. Porro inter hæc incommoda ingentes insuper motus, inter textores & negociatores quosdam, a III. die Februarii oborti sunt, ob linamenta telasque extraneas, præcipue eas, quæ e *Borussia* advehebantur, tanta discordia tamque vehementi æmulatione, ut supplicibus eorundem libellis Senatus ad nauseam usque, dimidio ferme anno molestiis adfectus, eos vix attentissima cura consopire potuerit, donec ad extremum *Mathæus Sunderus* textor, tumultuantium fax, quod & Senatui & universæ tribui suæ obstinatius, ex mera invidia obgannire non desisteret, vicesimo tertio Augusti capite sit plexus. Interim XVII. Februarii die, adpulit quartum huc *Maximilianus* Cæsar, comitatu DCC. equitum, mansitque hic tres septimanas. In quibus varia de redimendo Marckgravionatu *Burggrævienſe* tractata sunt, deditque ejus rei gratia Senatus noster *Friderycho* imperatori sex, & *Maximiliano* Cæsari quatuor aureorum millia mutuum, quæ postea tarde nec integre, ut in aulis solet, reddita fuere. Inde ipsus Cæsar hinc *Norimbergam* ad comitia abiit. Sequente dein autumno septa est parvo antemurali, ea civitatis nostræ fossa, quæ a *Fullonaria* portula usque ad *oblaterium*, inter *Jacobæum* suburbium & ipsam urbem protenditur. Decembre autem mense, tam dura penuria reique frumentariæ caritas iterum apud nos invaluit, nam sub finem Augusti triticum quinque cum semisse libris nummum venierat hic, ut magnus modius *olyræ* IX. numinum libris, *butyri* vulgaris libra XII. numinis, bilibralis mensura *vini Athesini* XVIII. nummis, *Elsatici* XIIII. & *Neccarei* XII. *Orgya* adhæc fagini ligni uno aureo divendita sint.

Anno redempti orbis MCCCCXCII. A. 1492. consulibus *Sigmundo Gossenbroto V.* & *Hildeboldo Ridlero III.* celebrarunt *Augustburgi* nostro primores & capitanei *Suevicæ Ligæ*, XXV. Januarii die conventum, propter occupatum, deditione *Fuchsstaineri*, ante aliquot annos, ab *Albrechto Bojariæ* duce *Regensburgum*, cum principibus *Bojaricis*, quia vero nihil eorum, quæ ad pacem facerent, obtineri poterat, statim ultima hujus mensis die, profectus hinc *Turckheimum*, cum noningentis manipularibus est, *Wolffgangus Bojariæ* dux, ac fratri *Albrechto* arma inferens, totam *Lechi* ripam depopulatus est. *Haldebergamque*, quæ arx *Rhelingeri* cujusdam *Landsbergæ* tum habitantis erat, cepit ac diripuit, eo quod prædictus *Albrechtus Regensburgenses*, jam ab ipso Imperatore proscriptos, pertinaciter defendere pergeret. Ea irruptione Senatus noster, cum aliud humanitatis officium exhibere non posset, vetuit, ut nihil prædæ illinc ad nos perferretur, vel foris a nostris coëmeretur. Cum autem irruptio ista intempestivior videretur, inhibita est sub Martii initium a confœderatis *Suevicis*, indictaque alia ejus rei causa die *Aurachium*, quo *Ludwichus Hoserus* & *Georgius Kunizelmannus* civitatis nostræ legati fuerunt. Cæterum cum illis ipsis diebus, nempe altera post cinerum

Fames.

Annonæ caritas.

Pistoribus panem ad certum pondus dimensum vendere injungitur.

A. 1309.

Discordia inter textores & mercatores.

A

B

C

D

Imperator & alienum apud Augustburgenses confiat.

Annonæ caritas.

Suevicorum proceres conveniunt.

Haldebergæ expugnatio.

Christophori o Boj. opem ferunt Augustburgenses.

cinerum festivitatem, ea pecuniæ summa, qua *Burgavienſis* Marchionatus a *Bojis*, ut ſupra in *Fridrycho* epiſcopo diximus, redempta eſt, hac transportaretur, Senatus noſter eam per ſuum territorium civitatemque usque ad *Lechi* pontem XC. equitibus deduxit, ſimulque *Chriſtophoro*, *Bojariæ* duci, quod confœderatus foret, XII. bombardarios pedites, *Schongaviam* in præſidium miſit. Et ſtatim XXVII. Martii die, A imperialis cenſura *Lyncæa* huc transmiſſa, adverſus *Albrechtum Monachienſem*, ipſius Imperatoris generum, valvis curiæ civium hic publice adfixa, *Maximiliano* Cæſari anſam præbuit, ut is in toto eo ſeptiduo, quod *Palmarum* feſtum præcedit, cum *Georgii* & *Albrechti Bojariorum* ducum, nec non cum *Fridrychi* Electoris *Rhenani* palatii conſiliariis, ſummam & diligentiam & operam adhibuerit, ne res in adpertum erumperet bellum. Verum renuente Imperatore calcarque addentibus civitatibus, omnes conatus incaſſum extiterunt. Unde exemplo ingens confœderatorum *Suevię* exB ercitus, in conſpectu urbis noſtræ colligi cæpit, primusque omnium *Eberhardus Wirtembergenſis* comes, caſtra ſua, in quibus MD. equites habebat, quarto Maji cis *Werdacham* ad *Oberhanſam* fixit. Eum *Ulmenſes* pone ſecuti, præter debitum armatorum numerum, nempe LXVII. equites, & quadringentos pedites, maximum præ cunctis currule tormentum, ſeptuagies centenas libras ponderans, nomen *Kätterlinæ* ab *Ulma* gerebat, adduxerunt. Poſt quos & cæteræ ſingulorum ſtatuum & urbium copiæ, alacriter ſucceſſiveque convolarunt. C At quamprimum *Fridrychus* Marchio *Brandeburgius*, ſupremus ab imperatore dux exercitus pronunciatus, cum ſuis turmis quoque tanquam colophon adceſſiſſet, coadunatis omnibus X. Maji hinc, juxta mœnia tranſeundo, in patentes *Lechi* campos animoſiſſime ventum eſt. Ubi facta luſtratione XX. mille pedites, inter quos CC. Volones propriis ſtipendiis militabant ultro, bis mille, ſexcenti equites, mille quadraginta caſtrenſes quadrigæ, & quinquaginta ænea tormenta rotis innixa, recenſita fuerunt. Qui ſimul intrepide, bonisque avibus *Bojariam* adorſi, non longius in hoſtilem terram, quam *Kaufringam*, & paulo ultra *Lechi* pontem, ibidem progreſſi ſunt. D E veſtigio enim Cæſaris *Maximiliani* interceſſione, pax impetrata eſt, & *Regensburgum* liberarum civitatum ſocietati reſtitutum. Quin item incenſis caſtris XXV. Maji ipſi Cæſari, ovantis inſtar adequitanti, inſtructa ad prelium acie, alis equitum adnexis, exploſisque cunctis bombardis, cum omnium congratulatione obviam itum, ac militibus dimiſſio denunciata fuit. Ad hanc expeditionem miſit Respub. *Auguſtburgenſis*, *Johanne Langenmantello* Capitaneo, & *Wilhelmo a Bappenbaima* equitum magiſtro, ducentos quinquaginta pedites, XL. equites & XXXVI. militaria plauſtra. Geſſitque magiſtratus hic toto eo tempore, haud parum ſollicite, urbis curam, nam indies ad quatuor principaliores portas, quæ ſolæ reliquis firmiter obſeratis, patebant, bini Senatores, & octoni Tribules, cum totidem conductitiis militibus, armati excubias agebant, ac neque indigenarum quenquam ſine legittima cauſa emittebant, neque advenas niſi facta cautione admittebant, per ſingulas præterea plebis Tribuum tabernas, interdiu noctuque XL. armati viri per vices in ſtatione erant. Poſtquam itaque receptui penitus foret cantatum, abiit hinc antepenultima dicti menſis die, *Fridrychus Brandeburgius*, marchio, una cum *Bambergenſe* epiſcopo, cum CCC. ſelectis equitibus *Regensburgum*, ac urbem eam ex conducto recipiens, cives *Eitelfrytzio Zollerenſi* comiti, imperatoris loco, homagium, quod vocant, II. Junii jurejurando præſtare juſſit. Qui comes inde illic ſedem firmans, primus imperii capitaneus, ceu præfectus *Regenſburgi* manſit. Et ne fides illorum, quam humili animo dederant, titubare poſſet, deſtinati quoque ab ipſo imperatore, bini conſulares viri, e Rebuspublicis, *Auguſtburgenſium*, *Norimbergenſium* & *Ulmenſium* ſunt, qui inter antiquos & recentiores ſenatores, i. e. eos, qui ante defectionem, & qui poſt eam in Senatu ibi fuiſſent, concordiam facerent, inque reformanda urbis ejus ulteriore gubernatione, arbitratores eſſent. Per hanc tempeſtatem conſtitutus eſt a Cæſare, *Joannes Jacobus a Landoa*, provincialis *Burgoviæ* præfectus, qui, ubi apud nos miniſter ejus, *Thomas Kaudererus*, ob rapinas, & quod perduellis foret, capitis pœnam luiſſet, ſtatim duos cives, *Gergium* ſcilicet *Diemerum*, & *Chriſtophorum Stapfium* tinctorem, nobis intercepit, talionemque minitans in decimam usque ſeptimanam, illos in carcere *Gyntzburgi* detinuit, quos tamen Senatus noſter neque ipſe redimere, neque ut amici illorum id facerent, admittere voluit. Verum juſtitiam apud Cæſarem, mediantibus *Sueviæ* confœderatis, inclamans, libere illos reſtitui tandem, citra diſpendium obtiniit. Dictus vero *Landoenſis*, vir militaris ac vehemens, univerſa per eam provinciam ad unguem reparare ſemper pro dominii ſui uſu contendebat, ac proin Reipub. noſtræ admodum iniquus vicinus eſſe perrexit. Propter quam rem, & præſertim ne diutius contra privilegia noſtra receptasque conſuetudines, neque item contra cives aut illorum colonos, ad lubitum, ſicuti cœperat, ſevire poſſet, ſtatuit uterque Senatus, alia ratione ſibi proſpicere, ac conſentiente ipſo Cæſare, novum fœdus cum antiſtite ſuo, Canonico collegio, *Ulmenſibus*, *Memmingenſibus* & *Werdenſibus*, ſimilia paſſis ineundo, innovatoris hujus tyrannidi obicem poſuit.

Imperialis cenſura, adverſus Albrechtum Monach.

Sueviæ confœderatorum exercitus confluxus.

Bellum componitur.

Regensburgenſes ad officium reducuntur.

Crebras excubias agunt Auguſtburgenſes.

Intercepti cives Landoenſis reſtituit.

Auguſtburgenſium adverſus Landoenſem fœdus.

Maximiliano equites mittuntur.

Dein XXV. die Augusti, misit Senatus noster in gratiam sæpe nominati *Maximiliani* Cæsaris, (cui postea sub initia Decembris, *Ludwichus Franciæ* rex, repudiata *Johanna* conjuge, *Caroli Gibberi* regis sorore, sponsam *Annam Britanniæ* ducissam, vi præripuit) *Wilhelmum Bappenhaimensem*, cum XXIIII. equitibus *Strasburgum*, qui post tres menses cum honore domum redierunt. Hocce anno *minor modius*, quem *Metzum* vocamus, cepis refertus, tanto precio hic venundatus est, quanto Olyræ novem ejusdem mensuræ modii venierunt. Hocce item anno cecidit cum ingenti fragore tonitruum, 7. die Novemb. ter centum librarum triangularis lapis ex aëre *Ensishaimæ* in *Alsatia*.

A.1493. Anno salutis M CCCC XCIII. electi altera post *Epiphanias domini* consules *Augustburgi* sunt *Johannes Langenmantellus VIII.* & *Ludwichus Hoserus IIII.* Sub quibus *Albrechtus Bojariæ* dux, quando diu concepiam vindictam aliter in rempublicam nostram exercere nequiret, *Georgii* agnati exemplum, de quo sexto abhinc anno relatum est, æmulatus adscriptitios homines, oppidulorumque suorum cives, qui hic forte propter connubia municipes jam erant facti, citatoriis tabulis, *Hanso Dietelio* latore, hinc avocavit, sibique illos reddi a Senatu diris comminationibus postulavit. Quapropter transactione facta, tota communitas auro sibi & iis, quorum intererat, eo in negocio facile ocium comparavit. Lex tamen ob rem eam, utriusque Senatus comprobatione lata iterum est: Ne quisquam adscriptitius, aut extero alicui mancipatus, vel in civem, vel in opificiorum contribulem, ullo unquam tempore in posterum hic assumeretur. Post quæ acta & *Johannes Jacobus a Landoa, Burgaviæ* præfectus, haud dissimili ratione Rempub. nostram, vel in arctum cogere, vel certe pactionibus expilare quoque aggressus est. Quod ubi Senatui injuriosum, adeoque intolerabile videretur, conscriptis proceribus, quibus cum speciale super tali casu fœdus fecerat, nempe *Fridrycho* episcopo *Marianis* mystis, prælatis, & nobilitate dictum Marchionatum inhabitantibus, præterea etiam *Ulmensibus* & aliis oppidis, cum *Landoense* isto, cui *Waltherus* a stadio eques auratus a Cæsare *Maximiliano* collega additus erat, conventum XVIII. die Julii hic celebravit. In quo de ultima liberorum demortuorum servitute, de Senatus in civium suorum colonos jurisdictione, & de civium aucupandi, minorumque venationum potestate, diserte ipsomet Cæsare per literas acta adprobante, conclusum, atque etiam de conductu, equitumque nostrorum comitiva per Marchionatum illum, diu disputatum, sed & causa *Martini Stumpfii*, qui nostros cives, in eo districtu, ceperat, ac *Hyrblingenses* agricolas in jus *Westphalicum* rapuerat, composita est.

Albrechtus Boj. cives suos sibi reddi postulat.

Augstburgensium sociorum convenus.

Dum vero ista apud nos summa animorum contentione geruntur, en *Fridrychus* imperator post amputatum sibi, ante aliquot menses, *Johannis Göppingensis* Chyrurgi manu gangrenosum crus XIX. die Augusti, *Lynceæ* diem suum fere octuogenarius ex diarrhæa obiit: cum sesqui tantum anno minus quam *Octavianus Augustus Romæ* imperasset, sepultus *Viennæ Pannonum*, in *S. Stephani protomartyris* templo, quod ipse ante annos plus minus tredecim Episcopali dignitate primus ornari curavit. Ejus templi autem altissima & admirandi operis turris, jam olim circiter annum Christi MCCCLI. constructa fuit. Exequiis ergo parenti *Viennæ* peractis, ad quas hinc mense Decembri *Joannes Langenmantellus* consul, ac *Leonhardus Rehlingerus* legati funebres fuerant, confestim MAXIMILIANUS Cæsar jure succedens, summus Romani orbis monarcha factus est, imperiique habenas apud *Germanos* clarissime arripiens, tantum non aureum sæculum auspicari credebatur. Eodem tempore cum *Johanne a Riethaimia* abbas *Campidonensis*, ob ecclesiasticam immunitatem, inflatior redditus, in prophanos quoque sibi quæcunque luberent, licere putaret, vicinis molestias insolenter inferre, subditosque suos violenter tractare occepit. Quibus injuriis ad novum Imperatorem delatis, ne turbæ majores darentur, constituti sub finem Septembris inter abbatem eum, & suppressos pacificatorii sequestres sunt, in quorum catalogo *Augstburgensium* Senatorum duo, haud postremi Imperatoris voluntate extiterunt. Minitante dein ruinam, vasta illa *Paræcianæ* apud *Ulmani divæ Virginis* ædis (in qua quinquaginta duo dotata altaria, cum totidem sacrificulis præter pastorem ejusque mercenarios, fundata fuerunt) turre, convocati undique solertissimi architectones, ad minus XXVIII. illuc sunt, quorum tamen nullus mansuri ædificii spem poterat facere, quoad adventante antepenultima Octobris die, *Burghardo Engelbergio* Reipub. nostræ latomo & cive, veteri fundamento novæ & subterraneæ pilæ substructæ, firmiorque basis, circum circa adjecta, & tota eas moles stabilius conlocata sit. In cujus constructionis recompensationem, jam nominatus noster artifex, quadringentis aureolis donatus domum rediit, ac donec supervixit L. aureolos annuatim a Senatu *Ulmense* pro honorario accepit. Non prætercundum silentio hoc loci est, per eam tempestatem, non plures quingentis pauperibus, in hospitali *S. Spiritus* apud nos extitisse.

Fridrici Imp. obitus.

A.1480.

A.1351.

Maximilianus Imperator.

Augstburgenses arbitri in Campidonensis abbatis lite.

Engelbergius Ulmæ labentem ædem firmat.

Anno domini M.CCCC XCIIII. Consulibus *Sigmundo Gossenbroto VI.* & *Hildboldo Ridlero IIII.* oppignoravit III. die Martii *Wolffgangus Bojaricus* princeps Senatui *Augstburgensi*, pro septem millibus aureorum nummorum, comitatum *Schwabeccensem*,

A.1494

Schwabeccensis comitatus Augstburgensibus oppignoratur.

sem, una cum præfecturis, *Widergeltingense*, *Irschingense* & *Sybenaichense*, tali conditione, ut *summa*, quam vocant, *capitalem*, intra sexennium non redimeretur, id quod vix post XXXVII. annos factum tandem est. Interea non potuit non cives nostros domi maxima sollicitudo angere, dum cunctas ædes adornare juberentur, pro novis *Maximiliani* Cæsaris, cum *Maria Blanca Mediolanense* nuptiis. Quæ ut fama volabat, IX. Martii hic factæ fuissent, ni adversa valetudo sponsum *Viennæ* suæ detinuisset. A qua dein liberatus, easdem *Insbruggæ* splendidissima magnificentia integro mense celebravit, eo quod *Sigismundus Austriæ* archi-dux cognatus, illum omnium suarum provinciarum hæredem instituisset. Ad eas nuptias Senatus noster, missa honorifica legatione, deauratum argenteum craterem XVI. besses ponderantem, inque eo DL. signatos aureos dono obtulit. Non multum ab eo tempore coempti sunt a Repub. nostra, quatuor horti in eo urbis loco, qui a vetere castro *Burgschlagium* dictus, speculæ provinciæ contiguus est. Hi in unam aream, erutis arboribus & plantis pro communi sepultura plebium adæquati, macerieque circumamicti *Dei ager* hodie appellantur. Factæ sunt item inter patritios & *Zethæ*, ipsorum assecias, inscio Senatu, constitutiones aliquot, in quibus ista potissima extitit, ut quisquis posthac in societatem herorum recipiendus foret, juramenti vice promittat, se in quibuscunque vel statutis vel controversiis, apud ipsos habitis actisque, semper a majore parte votorum staturum, eaque pro posse manutenturum. Quia vero paulo pridem *Hansus Bamgartnerus* senior, spretis nostratibus civibus, *Sebaldo Bamgartnero* suo cognato viduæ *Wolfiæ* satis opulentam filiam hinc *Norimbergam* nuptui tradidisset, correptus die quadam vestitu, quo forte e *D. Annæ* templo domum redibat, in propinqui fontis labrum magno ludibrio a patritiorum nepotibus eorundemque contubernalibus aliquot projectus fuit: Senatus tamen facinus illud improbans, autores menstruo carcere ultus est. Constructi præterea hoc anno extrinsecus, pone fossas civitatis, ab *oblateria*, prætermeando *Stephaninam* & *piscatoriam* portulas, usque ad *Werdachæ* pontis portam, humiles illi muri de novo sunt, quibus & hominibus & bestiis consultum est, ne in eas præcipitentur.

Maximiliano dona nuptialia mittuntur.

Novum cemiterium.

Patritiorum constitutiones.

Muri extra urbem ad fossam abricantur.

A.1495. Anno Christi MCCCCXCV. lecti sub *Epiphaniarum* festivitatem consules *Augstburgi* sunt *Johannes Langenmantellus IX.* & *Ludwichus Hoserus V.* Sub quibus obscenissimum quoddam pustularum genus, indigenas per civitatem nostram contagione invadere primum cæpit. Quod cum tam physicis, quam chyrurgis nostris initio foret ignotum, & per consequens immedicabile malum, adeoque tam subito & numerose apud populares invalesceret, separari his infectos Senatus ab aliis ægrotis, ad pestiferæ luis hospitale illud præcepit, quod non multo ante idem Senatus a *Casparo Stuntzio*, equite Hierosolymitano, non procul *rubra* turre, in usum tenuiorum civium tempore Epidemiæ rite comparaverat. Porro *pustulas* & *scabiem* eam hodie *morbum gallicum* vocamus, qui superiore anno, dum *Ludwichus XV. Gallorum* rex, *Neapolim* contra *Ferdinandum II.* regem ibidem debellaret, in castris ab *Elephantici Hyspani* cum menstruosa meretrice concubitu ortum sumpsit. Licet alii sonticum eum morbum per contagionem in castra ea per *Hyspanicum* militem ex nova terra allatum fuisse doceant. Sed utut sit, certe per Veneris actum in dictum exercitum, & ab eo in universam *Europam* sparsus ita est, ut ab eo inde tempore in hæc usque tempora nostra mortales maligniſſimis ulceribus, maximisque doloribus sævissime excruciare, justo Dei judicio non cesset. Quamobrem brevi post, proprium nosocomeium hic, cum conductis ad id morbi genus privatis medicis prope jam dictam *rubram* turrim, a reipublicæ magistratu piisime excitatum est, & in hodiernum usque diem magnis sumptibus fovetur. Sunt autem primo hoc anno CXXV. homines eo morbo correpti, in publicam eam clynicen, non parva omnium commiseratione hic recepti. Celebravit hoc anno Cæsar noster comitia *Wormatiæ*, atque *Sigmundus Gossenbrotus*, vir consularis hinc legatus fuit, in quibus *Eberhardus Barbatus* ex comite, primus dux *Wurtembergiæ*, mense Octobri, creatus est. Qua tempestate & *Georgius Vetterus*, quando *Ulma*, *Werda* alii habent, forte huc cum tota familia migrasset, per Senatum patritiorum albo ascriptus, non sine novitate procerumque consortii illius indignatione est. Sub finem dein Septembris, *Lechi* pars novo alveo, designatis aratro ripis, a *S. Servatii* & *S. Nicolai*, fanis, ad *Fornicatam* portam, reluctante *Joanne* ad *S. Ulrychum* abbate derivari est occepta, nonnulli *Lechi* hanc adductionem superiore anno auspicatam docent, per quam mercium sarcinæ, doliaque ad urbem usque ratibus devehi commodius possint. Estque lapideo ponte sub jugum missa, & triduo ante natalem Domini, secundo flumine ad intra mœnia, non tam utiliter quam necessario admissa.

Morbi gallici origo.

Hospitale ob morbum Gallicum fabricatur.

Comitia Wormatiæ.

Vetterus Ulm. fit patritius Augstburgi.

Novus Lechi alveus.

Anno Domini MCCCCXCVI. Consules *Augstburgi* antiquo modo pronunciati sunt *Sigmundus Gossenbrotus VII.* & *Hildbolfus Ridlerus V.* cumque *Maximilianus* Cæsar, semel per nuntium, atque iterum per literas, pro *Philippo Adlero* mercatore & aulico suo apud patritios nostros intercessisset, ut is plebeja tribu exemptus, in illorum præeminentiam cum uxore & liberis cooptaretur, non parvo Senatus cum patri-

A.1496.

Adlerus plebejus ad patritios transiturus repulsam fert.

tiis, & horum inter ſeſemet diſſidio repulſam tulit, quod ne crimen interpretaretur, honeſtam ex ſuo ordine legationem, cui & Senatores duo juncti erant, ad ipſum Cæſarem miſerunt. Qui coram juſtis excuſationibus, totius ejus facti talem reddidere rationem, ut principi clementiſſimo non modo ſatis ſit factum, ſed & is pro ſua magnanimitate, illos ad manutenendas antiquas ſuas conſuetudines, ingenuitatisque ab attavis deductam autoritatem, generoſe adhortatus ſit. Inde a *Werdachæ* pontis porta, usque ad *Geggingenſem*, parvi muri quatuor pedes alti, extra civitatem ad foſſas primum extructi hic quoque ſunt. Poſt quæ Cæſar Majo menſe cum plurimis principibus ſplendidum conventum hic primo agitavit. Sub quem S. P. Q. *Auguſtburgenſis* ſolitum fidelitatis ſacramentum, illi publico foro juravit, & ex hinc civitatem hanc, præcipua clementia ſemper benevole proſequi, nunquam deſtitit, ipſaque viciſſim illi ſumma obedientia, quam addictiſſima extitit. Interea pervenit huc quoque citer finem Maji, *Philippus* archidux *Auſtriæ*, unicus Cæſaris filius primo, cui poſtquam Senatus magnifica obtuliſſet donaria, patritii etiam haſtiludia & choreas ſuo more exhibuere. Unde viciſſim & is in profeſto *Johannis Baptiſtæ*, rogum XCV. pedes altum, in ſacra area ex arborum frondibus ſarmentisque conſtrui juſſit, ad quem omnibus matronis & puellis, veſperi quam ornatiſſime congregatis, feſtivam ſaltationem cum *Urſula Neitharda*, tanquam omnium formoſiſſima virgine occepit, quæ ardentem ceream facem manu geſtans, pyram principis admonitione accendit, & ſtatim clangentibus cunctis & æneatoribus & tibicinibus, interſonantibus tympanis æreis, ter circum ſolſtitialem eum ignem ſaltatum innumera ſubſequente caterva eſt. Prædictus autem archidux agmen CCCC. *Burgundiacorum* equitum adduxerat ſecum, quos quia diſſimili noſtro cultioreque amicirentur veſtitu, confeſtim cives, ut ſunt *Germani* aliarum nationum Simiæ, imitantes, inter cætera potiſſimum latius illud & aduncum, ſpinumve calceamentorum genus, quo hodieque abolitis acutis calceorum roſtris utimur, in uſum tunc primo receperunt, ſed & ſandalia ſive crepidæ tunc primulum in Calopodiorum locum ſuccedere apud nos occeperunt. Inde abeunte patre Cæſare ad *Alpinas* provincias, filius *Philippus*, (qui paulo poſt connubio *Johannæ* filiæ *Ferdinandi Arragonum* & *Elizabethæ Caſtiliæ* catholicorum regum, *Hyſpanias* inexpectato adeptus fuit) *Lindaviam* ad Comitia profectus eſt. Quo & *Chunradus Peutingerus* jureconſultus & archigrammateus, legatus Reipub. hujus nomine fuerat. In illis comitiis conjuratæ nia *Germanici* imperii onera, quibus ſeſemet exemerant, commonefactæ ſerio ſunt. Ac pro judicio Cameræ imperialis diſerta ſtatuta ordinata, & legitimus præſes, *Jacobus* Marchio *Badenſis* conſtitutus eſt. Nam *Maximilianus* piisſimus Cæſar, ad conſervandam patriæ pacem, Tribunal id, anno abhinc ſecundo, principum *Germaniæ* aſſenſu, *Wormatiæ* ad certum locum, utputa *Franckfurtum*, inſtituerat primo, ne ſcilicet litigantes aulam ſequi amplius oporteret. Inde per menſem Octobrem, tanta nivium copia cecidit, ut plærisque in locis vindemiam impedierit. Quo menſe *Joſephus Grünbeckius Burckhuſenſis* primus medicorum librum de cauſis, origine & cura *morbi Gallici*, quem *Scorram* ipſe vocat, *Auguſtburgi* noſtro conſcripſit, eumque *Bernhardo a Waldkirchio* Canonico *Mariano* hic dedicavit.

Muri extra urbem ad foſſam exſtruuntur.

Imperatoris cum multis principibus conventus Auguſtburgi.

Spectacula edunt.

Nova veſtimentorum genera.

Comitia Lindaviæ.

Anno redemptionis humanæ MCCCC XCVII. conſulatum hic inierunt *Johannes Langenmantellus*, jam militari baltheo cinctus X. & *Ludwichus Hoſerus VI.* Sub quibus *univerſalis pecuniarum exactio*, vulgo *communem nummum* vocabant, Cæſaris petitione civitatibus imperata eſt, qua hic publicata, de quibuslibet M. aureolis unus, de paucioribus dimidius aureolus, viritim numerabatur. Capite cenſi vero & ſinguli famulantes, novem nummulos haud ſine fremitu contribuebant, cum tamen alias annona facilis eſſet, major enim modius olyræ ſex, hordei quinque, avenæ tribus libris nummi minoribus, butyri item libra octo, & vini menſura ſex nummulis venibant. Porro celebrante hic X. die Octobris nuptias *Georgio Thurzone Craccovienſe, Ladislai VI. Ungrorum* regis *quæſtore, Cameræ comitem* illi appellant, cum *Anna* filia *Ulrychi Fuggeri*, invaluit primum mos ille, quo novæ nuptæ, quæ hactenus etiam virgines, longa palla corpus velatæ, & caput plurimarum plicaturarum bicorni peplo, ſive flammeolo, redimitæ ad feſtum id fuerant, retortis capillorum tricis, adpertoque cum herbaceo ſerto vertice, adeoque arctiore, atque caudata tunica ſolum cinctæ, ad templa apud nos deduci occeperint. Hocce item anno, poſtquam tres *Fuggeri* fratres, textorum contribules, felicisſimos undique mercaturarum ſucceſſus habere inciperent, etiam apud *Alexandrum VI.* pontificem maximum, *Pauli Koleri Moritiani* Canonici & Papæ domeſtici, beneficia eccleſiaſtica mille ducalibus aureis comparaſſent, ac inde ea pro lubitu magno fœnore revendentes, cornua ſumere ceperunt apud nos. Quo tempore etiam mœnia civitatis noſtræ a *Jacobæa* porta usque ad *Ruffam* turrim, altiora fieri, Senatus haud imprudenter fecit. Tandem excitatum doloſe XXII. nocte Novembris incendium in domo *Sixti Pfefferlini* piſcatoris, tunc forte abſentis, ante *Sträffingeriam* portam tanta celeritate eſt, ut non modo tota ea domus

A.1494

A.1497.

Vectigal univerſale imperatur.

Novus ſponſarum veſtitus.

Fuggeri beneficia eccleſiaſtica a clero emunt.

Incendium.

cum

cum omni ſuppellectile funditus abſumpta flammis ſit, verum inſuper, quatuor liberis parvulis miſerabiliter combuſtis, vix uxor ipſius nuda cum unica ancilla evadere ignis periculum potuerit.

A.1498. Anno incarnati verbi MCCCCXCVIII. conſules creati apud *Augſtburgum* noſtrum ſunt *Sigmundus Goſſenbrotus* VIII. & *Hildboldus Ridlerus* VI. Sub quibus II. Martii, intempeſta nocte terribili fulmine tacta eſt provinciæ ſpecula, cujus flammas, quod ſimul inſueti nivium nymbi, ventorumque gelidiſſimi turbines, ſupra modum ſævirent, tota civitas reſtinguere nullatenus potuit, donec tota ea turris funditus conflagrarit. Habito item *Ulmæ* conventu celebri, factus eſt *Johannes Langenmantellus* vir conſularis, & Reipubl. noſtræ illuc legatus, totius *Sueviæ* confœderationis capitaneus, non ſine patriæ gloria. Non multo autem poſt, iſta, diſſolutis *Fryburgenſibus* in *Breiſgowiæ* comitiis, agitavit & *Maximilianus* Cæſar ſecundum imperii comitia apud nos frequentiſſima, in quibus militaria ſubſidia illi adverſus *Alpinorum, Rhetorum, Engadienſiumque* ruſticorum tumultus, quibus *Tirolenſium* vicinorum limites, incuria *Hainrychi Hawenſis* baronis tunc *Curienſis* epiſcopi invaſerant, decreta ſunt, quæ tamen is ſtatim in *Schweitzeros*, his ex fœdere opitulantes, nullo ſane emolumento vertit. Cæterum menſe Septembri interfecit vetus ob odium *Hanſus. Küntzelmannus* ſacrificiulum quendam *Lemlinum* nomine, idque extra urbem, ad ædiculam S. *Wolffgangi*, prout ſupra in hiſtoria de *Friderico* Epiſcopo habetur.

Provinciæ ſpecula de cælo tacta.

Comitia Augſtburgi.

A.1499. Anno domini MCCCCXCIX. electi ſunt veteri conſuetudine hic conſules *Joannes Langenmantellus* XI. ac *Ludwichus Hoſerus* VII. ac extemplo cum infelix illud ingrueret bellum, quod *Maximilianus* Cæſar auxilio *Sueviæ Ligæ*, adverſus *Helvetios* geſſit, miſſi hinc menſe Aprili a republ. ſunt, legato conſule *Langenmantello*, Capitaneo *Georgio Thamero, Mychaelque Freſſemayro* ſignifero, CCCC. armati pedites & *Wilhelmo* Marchſchalco ductore LXXII. galeati equites. Ex quibus nonnulli initio ad caput *lacus Acromi*, *Bodenſem* vulgus indigitat, *Hardæ* ad foſſam, & poſtea alii in *Schwaderlocho* prope finem dicti lacus occubuere. Inde XXV. Junii iterum hinc CX. pedites, capitaneo *Georgio Krepſo* pellione, amandati ſunt *Conſtantiam* haud meliore fortuna. Tandem autem dimiſſo exercitu toto, ſuperſtites ex noſtris XVII. Septembris domum rediere, fecitque Senatus noſter expenſas per id bellum XII. millium aureolorum. Qua tempeſtate ſub medium Quadrageſimæ, cum ſutor quidam, cui *Zerreri* nomen erat, *Johanni Brunnero* ſcribæ gulam ſmilio, in ipſius domo hic præcidiſſet, eſt & ipſe cultello inter coſtales muſculos trajectus, & ſedens mortuus juxta jacentem ſcribam repertus, quare ad capitalis ſupplicii collem, ut ſiccarius per carnificem ſepultus fuit.

Auxilia imperatori mittuntur.

Cædes.

Paulo poſt cuſi apud nos, *Georgio Myllero* monetale, ſunt novi oboli ac nummuli, quorum ſeptem *Monachienſes* ſolidi, hoc eſt, CCX. nummuli *Rhenenſem* aureum valebant; *Ungricus* autem aureus LXXXII. cruciferos, cruciferus VII. obolis conſtabat. Interea creſcentibus inter cives negociationibus, etiam novi rumores undiquaque epiſtolis adferri cæperunt. Et inter cætera perſcriptum huc hiſce diebus e *Belgio* mercatoribus primo eſt, quo pacto *Emanuelis Portugalliæ* regis auſpiciis, tres prætoriæ naves, *Vaſcogama* ductore, ad explorandum Auſtrinum pelagus, ante biennium dimiſſæ, totam *Affricam* circumnavigarint, præteritoque ſinu *Perſico*, *Calecuthium* adpulerint, ac firmata tandem cum rege ibidem amicitia, triremem unam tempeſtatibus amiſerint, reliquas vero duas aromatibus, aliisque quam plurimis extremæ *Indicæ* divitiis oneratas, ſalvas IX. Julii præſentis anni *Ulyſipponem* iterum reduxerint. Ex Italia item fama huc perlata eſt, *Chriſtophorum Columbum Genuenſem*, ante ſeptem annos *Ferdinandi Hyſpaniæ* regis conceſſione, *Atlanticum* mare perluſtraſſe, ac ultra *Fortunatas*, *Canarias* nunc vocatas inſulas, *Europæis* hactenus incognitam inſulam, quam *Hyſpaniolam* nominari curavit, reperiſſe. Similiter & A.1498. brevi poſt hunc *Americum Veſputium*, ejusdem *Catholici* regis mandato, denuo occidentalem Oceanum, menſibus plus minus XVIII. e remigrando, terram firmam, ceu quartam habitabilis orbis partem, inveniſſe & a ſe *Americam* denominatam, tum chriſtiana religione imbuendam curaſſe, tum in noſtrorum hominum cognitionem, variis & novis mercimoniis primum retuliſſe. Quæ omnia ut rata miraque auditu curioſulis erant, ita non potuere non jucunda acceptiſſimaque avaris, & his, qui monopolia diu noctuque meditabantur, eſſe. Nam ex eo tempore mox ingentes opes corraſæ, civitasque hæc noſtra, omnes alias *Germaniæ* urbes, polypragmoſine & maximis contractibus, ut luxum & uſuras præteream, antecellere diu viſa eſt. Fuit autem apud nos ad hanc usque ætatem mos, ut in feſto S. *Galli* e podio curiæ recitarentur nomina ſcortorum, quibus cum receptatoribus civitate interdicebatur, quod cum injuriosum multis videretur, plurimaque ſcandala ſecum traheret, ſtatuit Senatus, ut omiſſa dehinc annali ea proclamatione, miſellæ illæ mulierculæ cum adjutricibus, quotiescunque deprehenſæ fuerint, clam ejicerentur. Demum Septembri menſe habitus eſt conventus confœderatorum *Sueviæ* apud *Eſslingam*, ad quem conſul *Langenmantellus* & *Chunradus Peutingerus*, legum doctor, urbis noſtræ legati fuerunt. Et quanquam interventa *Ludwichi Mariæ Sforziæ, Mediolanenſium* ducis, *Philippique Rhenani*

Novi nummuli cuſi.

Vaſcogama auſtrinum pelagus explorat. A.1497.

Columbus Hiſpaniolam reperit.

Americus Veſputius Americam invenit.

Scortorum recenſio abrogatur.

Sueviæ confœderatorum conventus Eſslingæ.

palatii Electoris principis, bellum *Helveticum* XII. die Septembris *Basileæ* apud *Rauracos* jam foret compositum, fategit tamen Cæsar atque obtinuit, postquam anni *Suevici* fœderis expirarent, ut idem ista dicta novis conditionibus prorogatum sit.

Novo Christianæ æræ Seculo, anno videA. 1500. licet MD. cœperunt sub ipsum *stellæ* festum, consulatu hic fungi *Sigmundus Gossenbrotus*, IX. & *Hildboldus Ridlerus* VII. Ac rediit penultima Januarii doctor *Chunradus Peutingerus Esslinga*, ubi reipubl. nostræ legati collega fuerat, ac novorum *Suevicæ* unionis pactorum initorum scripta decreta secum afferens, secreto ea typis imprimi hic curavit. Cujus libelli tamen copia nemini nisi summis magistratibus sociorum facta fuit. *Comitia Augstburgi.* Quo tempore curiata comitia a Cæsare *Maximiliano*, in civitatem nostram indicta fuere. Verum tardantibus principibus, ipsoquemet Cæsare, secundo Martii demum adventante, ac in foro vinario ad *Philippum Adlerum* divertente, Electores quidam vix XXV. ejusdem mensis die huc adpulerunt, quapropter in finem usque Augusti comitia hæc duraverunt. Porro *Maria Blanca Imp. uxor Augstburgum venit.* VII. Aprilis, die nimirum Mercurii ante festum *Palmarum* venit sub vesperam huc quoque *Maria Blanca* Cæsaris altera conjux, cui præter principum honorificentem occursum, totius civitatis hujus clerus, omnesque monachorum ordines in sacris vestibus, & cum sanctorum reliquiis usque *Werdachæ* pontis portam, obviam ierunt, eamque ad designatum illi hospitium, nempe *Marianam* præposituram deduxerunt. Altero ab hoc die post audita apud summam ædem sacra, primus Cæsaris ac principum consessus pro futuris deliberationibus in civium curia solenniter est habitus. In hisce comitiis *Joachimus Brandenburgicus* Marchio, Septemviratus dignitatem, suarumque aliarum provinciarum jus, cum magno triumpho in beneficium a Cæsare paludatus XIII. die Augusti *publice* accepit. Cæsar etiam cursum judicii sacræ Cameræ iterum resuscitavit, ac decentissimis tum constitutionibus tum stipendiis, edicta universali pace reformavit. *Decretum de Teutonicorum præfecto.* Decretum item in frequenti imperii ordinum Senatu est, ut sacræ *Teutonicorum* militiæ præfectus, quem vulgo *Magnum* sive *altum Borussiæ magistrum* vocant, cujus magistratum illis diebus *Fridrychus Mysnensis Saxoniæ* dux gerebat, non amplius *Poloniæ* regi, sicuti ante XXXV. annos, *Ludwichus* de *Erlingshausa* a *Casimiro* II. *Poloniarum* rege devictus, inconsideranter fecerat, sed tantum Cæsari Romanorum fidem homagiumque præstaret. *Constitutio de nepotibus avorum hæreditibus.* Estque inter alia statuta totius imperii consilio decretum, ut nepotes nomine filiorum ad avorum aviarumque hæreditates admitterentur, quod hactenus non in omnibus *Germaniæ* locis observatum fuerat. Erantque in hoc conventu nomine cunctarum *Suevicæ* confœderationis civitatum legati *Johannes Langenmantellus* miles, & consul *Gossenbrotus Augstburgenses*, cum *Matthæo Neithardo Ulmense*. Intermedio tempore relaxandi animi curarumque gratia, hastiludiis athletica virilitate, nec non balistariis ludis, quibus sub finem Junii *Leonhardus Pfisterus* Arithmeticæ professor, bravium quatuor rubri holoserici villosi ulnarum sagittandi certitudine promeruit, vel ipsomet Cæsare spectante & colludente, indultum subinde fuit. Cumprimis vero ductæ Kalendis Martii a patritiis, & sequente die, profesto scilicet *Bachanaliorum* a Mercatoribus, ditiorumque opificum nurubus & filiabus, in gratiam Cæsaris & *Georgii Bojariæ* ducis, choreæ in publico theatro fuerunt, ut nimirum de Ingenuarum plebejarumque puellarum formis, moribus, ac cultu judicium facere posthac possent. *Ludi eduntur.* At præter ista ex edicto concessa iterum Cæsari universalis provinciarum exactio per totum regnum *Germanicum* est, qua divites de singulis quadringentis aureolis, unum aureolum, singuli item servientes, ac capite censi unum cruciferum contribuerent. *Imperatori tributum universale penditur.* Quam summam Senatus hic aliaque nonnulla oppida, pro sua in Cæsarem devotione, ad minimum quadrantem collegerunt, reddideruntque, sed principum fere nullus exemplum id amplius imitari voluit. Porro dum Kalendis Augusti *Galeatium creditores retinent.* *Galeatius* Cardinalis, Rom. Pont. legatus, hinc quoque, ut & alii principes, abitum parasset, nec tamen opificibus, quibus ultra DC. aureos alieni æris debebat, solvendo esset, eorundem instantia per urbanum prætorem, valida manu retardatus, cuncta mobilia, propriæque Cameræ rhedam cum suppellectile, Consuli *Gossenbroto* impignoravit, pauperculisque admodum ægre satisfecit. *Fori translatio in Berlei aream.* Repurgata autem in his comitiis decori gratia, *Berlei* fori area, ac translata decimo die Aprilis, venalium rerum loca illinc sunt, ita ut in civitate nostra deinceps pomarii bellaria & fructus in Judæorum vico, rustici lacticinia & caseolos, apud S. *Martinii* ædem proponerent. Qui haleces salsos aridosque quoscunque pisces vendebant, a foro piscario, in quo vivos saltem pisciculos vendere licebat, ad latus curiæ, prope vinculorum monticulum rejecti sunt; qui viscera & intestina animalium vendebant, a pistoria taberna pulsi sunt. Et qui omnis generis veteramentorum scrutiniorumque merces exercebant, ex Judæorum vico in suarium forum acti sunt. Quin & urbanus Senatus in patritiorum taberna hoc tempore semper est habitus, prætoriaque judicia in mercatorum taberna, fueruntque a Senatu nostro ad comitiorum consultationes deputati: *Joannes Langenmantellus* miles auratus, & vir consularis, & *Sigmundus Gossenbrotus* consul. *Italus a cervo cornibus confoditur.* Contigit præterea in his comitiis, ut *Italicus* quidam pictor

pictor in civitatis foſſam infra *Göggingenſem* portam incautius cervum ac cervam, quæ Cæſaris juſſu ibidem alebantur, depicturus ſeſe dimiſerit, ac ſtatim a cervo olfactus miſere cornibus confoſſus ſit. Dein paulo poſt *Ludwichus Hoſerus*, conſularis vir, *Noribergam* ad transactionem inter marchionem vicinum & Rempublicam eam ſub autumnum deſtinatus erat. Cæterum vide ſic fortunæ inconſtantiam Majo menſe, dum in numera quaſi hominum multitudo, apud nos degeret, tanta annonæ vilitas fuit, ut *bovinæ carnis* libra crucifero, *Vaccinæ* & *Vitulinæ* libra V. obolis, *ſaginatus caper* XII. cruciferis, *Gallina* IIII. *pullus gallinæ* II. cruciferis, *tria gallinacia ova* unico nummo, magnus modius *tritici* XII. ſolidis, *olyræ* VIII. & *avenæ*, *hordeique* V. ſolidis, *butyri* libra VIII. nummis, & *vini* conſueta menſura IX. nummis, ac *Fardelis dealbati Goſſipii* LXV. aureolis vendita ſint. Mox ſequente hyeme, nemine peregrino fere amplius præſente, e contra tam ingens annonæ caritas invaluit, ut frumenti modius ad XXIIII. ſolidorum precium, non ſine populi lachrymis in ſequentem usque annum, hic aſcenderit. Bruchi autem & papilionum examina, tota æſtate apud nos tanta copia increbuerant, ut non levem calamitatem oleribus & arborum fructibus, quibus magna pars hominum victitare ſolet, attulerint. Sed & cruciformes maculæ mira aëris impreſſione in lineis pannis muliercularumque peplis apparuerunt apud nos. Quo anno *Ludwichus Sfortia Mediolanenſium* dux, Cæſaris noſtri ſocer, ab *Helvetiis* ſibi permagno militantibus, *Gallorum* regi proditus, & in perpetuam captivitatem divenditus, in patria ſua, maximo *Germaniæ* fidei ſcandalo eſt. Sub hoc ſæculam cœpit vernaculus *Sueviæ* hujus ſermo, apud *Augſtburgum* a ſimplicium vocalium tum prolatione tum ſcriptione ad *Bojaricas Auſtriacasque* dyphtongos declinare primulum, & inde paulatim magis ac magis ad exterorum ſonos accedere, adeo ut noſtra hac ætate, jam ſub *Ferdinando* Cæſare, plane alio idiomate cives hic loquantur, quam majores ſoliti fuerint. Nam cum hi olim populariter tum literis tum voce, tam in nominibus quam in verbis i. & u. rotundo expreſſerint ore, hodie omnes diductiore rictu, ei, & au, pronunciant, ſcribuntque.

Annonæ vilitas.

Inſectorum copia.

Vocalium pronunciatio mutatur.

A. 1501. Anno Domini MDI. conſulibus *Johanne Langenmantello* XIII. & *Ludwicho Hoſero* VIII. cum diu jam gravis tumultus inter textores propter longiores telas aleretur, contigit, ut illi novum ſibi tribunum *Hanſum Rienlinum*, qui antea neque in judicum, neque ſenatorum numero fuerat, contra *Hanſum Pimmelium* perverſo ordine elegerit, præter hoc ſtatim etiam auctus *Augſtburgi* noſtro aſſeſſorum civici judicii numerus eſt. Etenim quando hactenus prætori Burggrafioque ſolum duodecim juncti cives ad cognoſcendas cauſas fuiſſent, de quibus non raro aliqui ægroti, aliqui peregre abeſſent, ita ut nunquam debitus Tribunalis aſſeſſorum numerus, completus haberetur, ſtatuit uterque Senatus, ut poſthac ſemper, ſupremus judex, hoc eſt, qui primum ſententiam dicit, ex patribus foret, cui ex reliquis omnibus plebis tribubus, ſinguli, coaſſumerentur, eſſentque perpetuo XVIII. aſſeſſores, ne ſcilicet unquam defectus judicum in illo ordine acciderent. Inde ſub initium Quadrageſimæ, ablegati a Senatu, *Haidelbergam Antonius Lachus*, Senator, & Doctor *Peutingerus* archigrammatæus, ſunt, ad exequias conjugis Electoris Palatini, *Margaritæ*, quæ ſoror *Georgii* ducis *Bojariæ* fuerat. Habitus poſtea dominico die *Lætare* ſacrificulis dicto, conſœderatorum *Sueviæ* conventus in urbe hac eſt, præſentibus *Maximiliano* Cæſare, *Albrechto Bojariæ*, & *Ulrycho* juvene *Wurtembergenſi* ducibus. Dein cum ultima pentecoſtes feria, duo pelliones, *Georgii Höchſtetteri* filium civem, petulanter ac ſæviſſime noctu vulneraſſent, ac confeſtim urgente conſcientia, ad *Ulrychianum* aſylum ſe recepiſſent, extemplo etiam dicti *Höchſtetteri* ſumptibus, arctiſſima ibidem cuſtodia nebulones illi ſepti fuerunt, donec allato *Insbruggæ* Cæſareano reſcripto, certis conditionibus, variisque vulgi rumoribus, ex aſylo in civium carcerem conjecti, poſt facti confeſſionem pro merito mulctati ſint. His ſic domi geſtis, confirmavit *Noribergæ* XI. Junii de novo, Cæſar *Maximilianus* proprio diplomate Reipubl. noſtræ privilegium, quo ab antiquo cavetur, ne quis vel cives, vel horum ſubditos incolasque, ad qualiacunque extera judicia citare, aut contra temere citatos lites exequi jure debeat. Verum ſi quis omnino litigare cum illis velit, ut eos coram provinciæ ſuæ præfecto conveniat, ſub pœna 40. puri putus beſſium. Interea curaverat Senatus hic, viſceratoribus tabernaculum ad latus *Petrini* delubri, prope ſuillum macellum erigi. Verum Canonici id non ferentes, optimatum adſtipulatione obtinuere, ut abrogaretur. Quia vero infelix annonæ difficultas, ſuperiore anno orta, graviſſime adhuc apud nos, ac tota *Sueviæ* vigeret, ac major modius tritici XXV. *ſecalis* ſeu *Olyræ* XXI. *avenæ* X. ſolidis *Monachienſibus*, *ſimilagineus panis*, tres tantum uncias ponderans, uno nummo *ſecundarius* aut *craſſioris farinæ panis* ſequilibram ponderans, IIII. nummis, & *excocti butyri* libra XI. nummis proſtarent. Curavit prudentiſſimus Senatus, ut undecunque frumenta, cumprimis vero Julio menſe e *Regensburgo*, *Paſſaviaque Georgio Weſtermairo* proxoneta, ſuis expenſis huc perferrentur. Accidit autem præterea & hoc mali, quod X. die Auguſti ob diutinos (quidam ſcribunt 4. continuarum dierum & noctium) largiſſimosque imbres, *Lechus*, *Werdacha*, *Sinckelis*, *Schmut-*

Reinlinus textorum tribunus.

Judicii civici adſeſſorum numerus ampliatur.

Cleri conventus.

Grassatores ex Ulrichiano aſylo trahuntur.

Diploma de Augſtburgenſibus ad exterorum judicium non citandis.

Annonæ difficultas.

Inundationes.

Schmutterus, & alii vicini fluvii, ut de *Danubio*, *Rheno* & *Oeno* taceam, ita inundarint, ut cataclysini instar, tum in pratis, ædificiisque, tum in agris frugibusque damna non levia accolis intulerint. Qua de causa cum fordidiusculi nonnulli, majori victualium precio inhiare pergerent, interposuit tandem Senatus ex officio, auctoritatem suam, ac dimisso cuilibet pro familiæ alimoniæ in annum dimenso, quicquid frumentorum reliqui, in acervis, granariisque supprimebant, simul ac semel Octobri mense, XVIII. solidos pro magno modio solvendo coemit, atque deinceps similem mensuram tenuioribus pro XIIII. solidis iterum divendidit, tali conditione tamen, ut civi duos solummodo minores modios, ne videlicet fraus fieret, qualibet septimana impertiretur. Atque ita frugali instituto consultissime demum toti urbi provisum, facilioreque mercatu cuncta, quæ ad victum attinent, in forum brevi reducta Dei gratia sunt. Inde primo Decembris post diutinam de staminum lini & longitudine & coëmptione disputationem, inhibitum tribui textorum a Senatu est, ne deinceps juxta contribulium ipsorum numerata vota, sed ad Senatus consulta, artificii sui negociationes publicas compararent. Post quæ textor quidam, cui malo *Röslino* nomen erat, ob fœneratorios contractus, impudentiusque lucrandi studium, in vincula conjectus octoque millium laterum mulcta, cum ea, quæ prætori debetur pecunia, damnatus fuit. Quod exemplum cum rarius posthac in usum apud nos venerit, haud injuria quis cum poëta dicere posset: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.* Constrúi præterea hocce anno Senatus jussu cœperunt Fusoria officina, pro majoribus bellicis tormentis, ex ære conflandis, simul ac magnum illud civitatis armamentarium, quod non procul antiquato Judæorum cœmiterio e regione horrei a *Cattis* denominati situm est.

Senatus annonæ caritatem imminuit.

Rœslinus fœnerationis pendet pœnas.

Armamentarii exstructio.

A. 1502. Anno salutis MDII. dum *Augstburgi* in ipsis Kalendis Januarii per singulas plebis classes novi dicerentur Tribuni, elegerunt fabri lignarii sibi in tribunum *Marcum Neumyllerum*, qui tamen, quod ante viginti quatuor annos cum *Schwartzio* in vincula pertractus infamiam non levem subiisset, post multa suorum allegata, si non ultro cessisset, meritam a Senatu passus fuisset repulsam. Inde post *Epiphaniarum* diem consules adsuetis suffragiis facti sunt *Hieronymus Welserus* patritius, & quem superioribus mensibus mercatores, contribules sui, Tribunatus officio amoverant, *Hildboldus Ridlerus* octavus, sub quibus XIX. Januarii *Marianorum* Canonicorum ministri, nescio quam ob causam, *Martinum Bayrum*, *Gerstlhova* captivum *Zusamegckam* abripuerunt. Quod factum statim *Wilhelmus Marchschalckus* supremus urbis nostræ, post fratrem, capitaneus, in præjudicium præfecturæ suæ esse perpetratum, asseverans, noluit rusticum eum restitui. Verum cum sacrificali suo more *Marchschalcki* jura nihili facerent, statim is XXV. die ejusdem mensis, præcipuum illorum administrum, *Riedellium* nomine, repressaliorum jure hic intercepit vicissim, atque ita accedente etiam Cæsaris mandato, *Gerstlhofam* in imperialis civitatis nostræ præfecturæ ditione retinuit, salvo *Bayro*. Postea conduxit Senatus urbanus certo salario, *Nicolaum Oberackerum Constantiensem*, qui ut erat artifex ingeniosus, triginta quinque curules bombardas, in nova ad id parata officina, ex ære quam nitidissime primo conflavit, inter qua erat Quartanarium tormentum unum, quod globum ferreum LXV. librarum ejaculabatur, & duo minora, quorum quodlibet globum ferri XXVI. librarum itidem explodere poterat, duo item colubri, decem & octo pedes, & quatuor XII. pedes longi. Unum adhæc pergrande mortarium (quod tormenti genus, nuper admodum *Maximilianus* Cæsar, apud *Buscoducenses* in *Brabantia*, ad evertendum altissimas arces primum excogitaverat) quo pila lapidea CXC. librarum emitti in aera potuit, & præterea aliquot terrifici Falcones. Et quanquam dura adhuc annonæ caristia hic fixa maneret, nam mense Majo, cujus XVI. die profundissima nix apud nos cecidit cælo, *tritici* major modius V. & *secalis* IIII. aureolis, *avenæ* XXXV. grossis, *altilis gallina* IX. cruciferis, *pullus gallinæ* XII. nummis, *vini Elsatici* mensura VIII. *Neccarensis* VI. nummis constabant, abeunte tamen a Senatu tenuioribus civibus prospectum est, præcipue vero domui illi, in qua *Gallico* morbo jam mirum in modum grassante, laborantibus, remedia apud nos adhibentur. Fuitque hospitalis ejus primus curator, a magistratu constitutus *Andreas Menneser*, lutorum tribunus. Inde ultima Junii Senatus consultum apud nos est factum, ut singulis mensibus, singuli Senatores præter consules & ædiles, torturæ quæstionibus in publico carcere citra omnem tergiversationem eo ordine adsint, quo in Senatu considere solent. Suntque hoc ipso anno octo fornicata ergastula in publicum carcerem sub curia, de novo pro captivis ædificata. Cum vero Cæsar tunc temporis conventum *Suevici* fœderis hic agitaret, atque alias jucunde etiam degeret, interque alia negotia XX. Julii *Georgio Gossenbroto*, quæstori suæ aulæ extraordinario, exequias apud *Carmelitas* præsens agere non dignaretur, exhibitæ illius majestati interdiu venustissimæ choreæ in publico theatro, a patritiis suo more sunt. Quibus adornandis dum improvida operæ cujusdam oscitantia, *Philippi Nassovienſis* comitis strigosa mula, securi ex alto decidente, fortuito læderetur, coactus fuit Senatus, specioso equo, quem sexaginta aureis compararat, iracundiam austeri illius comitis placare. Interea

Neumyllerus Tribunatum repudiat.

Bayrum captivum abducunt Mariani.

Tormenta fundantur.

Annona caritas.

Menneser hospitalis Gallici nurbi curator I.

Suevici fœderis conventus Augstburgi.

divus

divus *Maximilianus*, quo imperialis cameræ collabenti judicio succurreret, publice hic mense Septembri, in episcopi palatio, Tribunali ejusdem personaliter præsidere dignatus est, ac assidentibus suæ majestati, præter selectos *Germaniæ* aliquot principes episcoposque, & conscriptos quosdam Jurisprudentiæ doctores, etiam *Philippi* filii sui, *Hyspaniarum*, jam regis *Venetæque* Reipubl. legatis, unam atque alteram causam auscultavit, & sic præfato sacræ Cameræ judicio, maximam autoritatem addidit, notamque habere voluit, *Conrado Peutingero* pro tempore fiscali perorante. Estque dein summi tribunalis ejus sedes hinc *Regensburgum* translata. Concessit tunc primo quoque ex benevolentia, Senatus urbanus præsuli *Fridrycho*, ut de publico civitatis latice, salientem fonticulum per tubulos, in hortum, atriumque suum deducere posset.

Naves e Calechutio aromatibus onustæ redeunt.

Porro mense Octobri allatum literis huc denuo mercatoribus nostris ex inferiore *Germania* est, XXIII. oneraria navigia e *Calechutio*, propinquisque regnis, *Lyssibonam*, cum omnis generis aromatibus, oppiparisque speciebus pervenisse, ac per ea *Antorpiense* emporium, quod nostri hactenus propter *Anglicos Gallicosque* pannos tantummodo frequentarant, non parvo *Venetorum* detrimento crescere, inclarescereque plurimum cœpit.

Clausus anachoreta moritur.

Hoc item anno mortuus est frater *Clausus*, decantatissimus ille *Helvetiorum* anachoreta, qui non procul pago *Saxla*, super *Unterwaldam*, ad vigesimum usque annum, citra naturale nutrimentum in heremo jam vixerat, & ob singularem pietatem, pœnitentiæque exemplum, a plurimis peregrinis, etiam a nostratibus aliquot civibus sæpe visitatus, ac pro sancto adhuc vivus habitus fuerat.

A. 1503. Anno Christi Servatoris MDIII. consularem dignitatem apud nos susceperunt *Johannes Langenmantellius* XIII. & *Ludwichus Hoserus* IX.

Æstas fervens.

Quo anno quum hyems rigidissima, geluque in VIII Martii diem usque hic extitisset, & postea ab initio Maji in medium Junium nunquam pluisset, secutus ingens per æstatem fervor hic est.

Maculæ cruciformes videntur.

Cœperuntque cruciculæ & omnis generis instrumentorum passionis Christi imagunculæ & vestigia, in albis linteis vestibusque, nec non similagineis panibus sub Maji finem livido colore, & iterum quinto Junii die rubicundæ & omnino sanguineæ, inæquali tamen magnitudine, non solum *Augstburgi* nostro, sed & tota ferme *Germania*, non tam stupenda impressione aeris, quam diro ostento adpatere.

Bacchantes lasciviæ pœnas dant.

Et dum forte præsentis anni *Bachanalibus*, *Carnisprivium* pontificii vocant, civium quidam pro more mutatis vestibus per plateas vagarentur, capreolamque fasciis ligatam in pulvino circumgestantes, a personato super lanam lino induto, sacerdote apud publicorum fontium labra baptizassent, ac levitate scurrili religioni insultassent. Contigit postea in auricularibus Quadragesimæ confessiunculis, ut nullus sacerdotum illos ab eo piaculo absolvere voluerit, donec cathedralis capituli concilio crimen publice fassi a sæculari magistratu triduana captivitate singuli illorum punirentur. Quo facto, altera tandem post pascha septimana ad comunionem eucharistiæ, non parva ignominia stulti admissi fuere. Inde exhibuit consul *Langenmantellus* Calend. Junii Reginæ *Mariæ Maximiliani* Cæsaris conjugi amœnissimam venationem a campis *Meringensibus*; non procul hinc sitis, captique duo magni cervi sunt.

Corona florea Imperatrici offertur.

Cæterum summi apud nos templi æditui, permagnam coronam ex omnis coloris generisque florum sertis nectere hactenus soliti erant, quam cum tibiis & tympano, comitante tota vigilum gregalium cohorte, uni alicui ex *Marianis* canonicis feria secunda pentecostes (quo die & colonii hodie suis dominis molles caseos non dissimili ritu equitando ad urbem nostram deferunt) offerebant antiquissimo usu, eam coronam hocce anno illi, præteritis suis mystis, *Mariæ Blancæ* Cæsaris nostri conjugi, in ædes præpositi majoris, ubi tum hospitium habebat, solitis ceremoniis detulerunt. Quæ ipsos X. aureolis clementissime remunerata est, ac nonnullam pecuniam ejus rei gratia in plebem accurrentem per fenestras quoque spargi jussit.

Leonhardus Pfefferlinus Senatu movetur.

Post quæ ubi jam atrox *agricolarum rebellio*, quam *Sotulariam ligam* vocabant, in agro *Bruchsellano Spyrensis* Diœcesis, *Maximiliani* Cæsaris mandato, a vicinis principibus, haud incruenter, extincta fuisset, interdictum XXII. Julii, *Leonhardo Pfefferlino*, piscatorum tribuno, & Senatoria & judiciali dignitate hic est, quod is in vendendo prædio quopiam duorum aureorum censum fraudulenter retinuerit, ac ea de re admonitus Magistratui sceleste obloquutus fuerit.

Philippus Hisp. rex venit Augstburgum.

Inde V. Septembris adpulit huc splendidissimo, & eo majori ex parte *Belgico* comitatu, *Philippus Hyspaniarum* princeps, Cæsaris unicus filius, quem Senatus noster præter officiosissimam salutationem, deaurata patera C. aureorum valore donavit, ac post triduum abeuntem obsequentissime deduxit.

Pannorum plumbeo sigillo signaturæ origo.

Ne quid autem doli sub civitatis suæ nomine in foro textorio committeretur, statuit Senatus, ut posthac Xylina cineritio colore obiter infecta, aut murice imbuta, linei item panni, tam rubro quam nigro colore tincti, post justam inspectionem, plumbeo sigillo signarentur. Cujus negocii primum examen VI. Octobris apud nos primo est habitum.

Sclopetæ longioribus telis.

Quo mense a fidedignis huc datæ sunt literæ, *Lusitanos* tricesies quinquies centenas libras aromatum ex *Calecutio Ulissipponam* attulisse, quo inde *Antorpium* transmittenda sint. Quarta dein Decembris Senatu consulto libere cunctis textoribus apud nos permissum est, *longiores telas*, quas vulgariter *Wepfas* appellant, tam pro

pro dealbatoriis fulloniis, quam pro tinc-
turis, ad lubitum dummodo dextre texe-
Rudbrechti Rb. Pal. & Albrechti B. d. conventus Augſtburgi. re. Sexta vero ejusdem menſis die, quæ *divo Nicolao* dicatur, per Cæſarem *arbitrarius conventus*, Laudum Legulei noſtri *placabilem diem* vocant, *Rudbrechto Rheni* Palatino, & *Albrechto Bojariæ* duci in urbem hanc edictus eſt. Quo principes illi de *Ingelſtadio* deque theſauro *Burckhanſienſe*, quem *Georgius Bojus* ditiſſimus, jamjam demortuus reliquerat, ardentiſſime præſentibus multis aliis principibus & epiſcopis, usque in anni ſequentis paſchalia feſta diſceptarunt. Porro ſub hunc conventum *lepus* XVII. cruciferis, *turdus pilaris* IIII. *anas fera* VIII. cruciferis, major modius *tritici* duobus aureolis, *olyræ* XI. ſolidis *Monachienſibus*, & *avenæ* XVI. groſſis vendita hic ſunt. Eſtque eodem hoc anno peculiaris turris, pro conſervando Pyrino pulvere, Senatus juſſu ad mœnia a tergo *Stephanini* templi apud nos excitata primum. Cæperunt item tunc temporis multi civium, omiſſis calamiſtris, longiores capitis crines præſcindere, adeo ut cincinni, qui hactenus per humores diffluentes totis incubiſſent, ſcapulis, vix jam colli vertebras integerent. Cumque epiſcopi illa perpetuo dominandi libido, usque adeo nihil adverſus civitatem noſtram, intentatum relinqueret, ut etiam imperialis præfecti jura invadere non formidaret. Accerſitus a conſulibus *Georgius Otto* prætor urbanus, in Senatum eſt, ac juſſus de ſua jurisdictione, quam in palatio epiſcopi ter uno quoque anno, uſurparet, clare & certe diſſerere, talem informationem Senatui intrepidus dedit, Virgam eam ſeu ſceptrum, quod *officialis pontificii miniſter*, *pedellum* illi vocant, in peculiaribus Dicarum diebus, quibus in palatio pro Tribunali ſederet, ſibi in manus traderet, nequaquam præ ſe ferre ullam epiſcopi in ſuum officium ſuperioritatem vel poteſtatem, aut quaſi illud tunc ab epiſcopo precario acciperet. Sed cum imperatorius ſubpræfectus, omnibus dicendi juris cauſa, eo loci antiquo more, ſtatisque temporibus conſidere ſoleat, vigulæ ejus traditionem teſtari, ſe illis diebus etiam ſuperclerum Epiſcopique familiam, præſentem, ſi anſa detur, judicialiter ſententiam ferre poſſe. Porro in harum dierum judiciis Prætor de ſumma, quæ tres aureolos non excedit, ſolus pronunciare poteſt: de majoribus debitis, primarius judex cum aſſeſſoribus civibus ſententiam pro more ferre ſolet. Quorum omnium executio intra triduum dein inconſtanter fieri debet: ſufficitque auctori ſemel tantum, & non, ut in aliis actionibus moris eſt, ter rem citaſſe.

Pyrii pulveris turris excitatur.

Prætor officii ſui rationem reddit.

A.1504. Sub initia anni a nato Jeſu MDIIII. conſules *Augſtburgi* creati ſunt *Hieronymus Welſerus* II. & *Hildboldus Ridlerus* IX. Quo tempore jam dudum & Cæſar, qui XXIIII. Januarii cum *Bojaricis* principibus huc redierat, de herciſcunda *Boja* familia ardue conſultabat adhuc. Sed quandoquidem olim apud Romanos, rerum dominos, duobus inſtantibus menſibus *Ludi Agonales*, *Carmentalesque*, *feſta Compitalia*, *Februa*, *Lupercalia*, *Quirinalia*, *Equiriaque*, dies geniales, ſtultorum feriæ, & Bachanalia, ſumma peracta fuerunt licentia, inveterata quadam manuductione, quaſi juſta præſcriptione, nemo non iisdem diebus, non tam in *Italia*, quam tota *Europa*, etiam inter Chriſtianos, adhuc inſanire ſibi licitum putat. Ludicris igitur multis hic quoque peractis, haſtiludia quoque feria, ac patritiæ choreæ quam ornatiſſime hoſpitibus de more exhibitæ ſunt, quibus ipſusmet etiam *Maximilianus* Cæſar humaniſſimus intereſſe non indignum duxit. Quin idem quoque Cæſar & *Julianam* doctoris *Chunradi Peutingeri* quadrimam filiam, ſe reipublicæ nomine, latina acclamatione ſalutantem, clementiſſime audire, nequaquem eodem recuſavit tempore. Quando autem ſupra dictorum principum neutra pars, de ſuo propoſito cederet, ac potiſſimum Palatini jus in armis conſiſtere præſumerent, fixus iterum ad Kalendas Maji peremptorius terminus utriusque eſt, quo cum Palatini contumacius agerent, *Rudbrechtus* cum ſociis imperatoria cenſura notatus, & ſub divo in ſacra area eadem publico, Cameræ, cujus præſidem & Aſſeſſores Cæſar huc ad ſe pro tantæ controverſiæ deciſione vocarat, judicio, repetita, aggravatus eſt. Re itaque ad Martis aleam tendente, obtulerunt *Sueviæ* confœderati *Albrechto Bojo*, decies mille promptæ pecuniæ aureolos, ne futuro bello amplius implicati, ſuppetias illi ferre contra Palatinianos opus haberent, quod cum is non imprudenter renuiſſet, mox hinc cum adfine Cæſare, MD. equitum, & quinque millium peditum copiis abiens, funeſta ſane & hoſtibus & vicinis certamina ac turbas excitare occepit. *Bojarico* hoc bello, quod de mortuis *Rudbrechto* Palatino Electore, conjugeque ejus *Eliſabetha*, quæ filia fuerat ducis *Georgii Coloniæ Ubiorum*, ſequente demum anno in comitiis compoſitum eſt, militarunt, perpetim XL. equites, & CCCC. pedites, reipublicæ noſtræ ſtipendiis apud Cæſarem. Qui præter alia prælia, etiam ei prima acie interfuerunt conflictui, quo Cæſar *Bohemicum* exercitum, Palatino in auxilium cum jactantia adventantem, non procul *Regensburgo*, IIII. Septembris fortiſſime devicit, occiſis duobus millibus, captisque mille ſeptingentis. Ex hoc prælio multas Barbarorum manubias, cum quinque illorum vexillis, glorioſe noſtri domum retulerunt. Sub hiſce tumultibus liberati hic Cæſaris clementia VI. Julii duo fures a patibuli pœna ſunt, quorum uni nomen fuit *Hanſo Eyſeno*, qui aurigis ſymbola liberi tranſitus reipubl. nomine diſtribuerat, & viginti quatuor annis pecuniam pro ea florum lupi ſaltarii, hordeique coctu-

Rudbrechtus imperatoria cenſura notatur.

Bellum.

Auxilia Cæſari miſſa viribus redeunt.

Supplicia.

ra, qua piſtores ad conficiendum ſimilagineos panes loco fermenti utuntur, receperat, ex quibus miniſteriis D. aureolorum peculatum commiſerat, alter in dealbatorum officinis ſerviens, vix X. aureolos ſuffuratus fuerat. Brevi poſt iſta ſecuri percuſſi ſunt *Michael Lauſtrerus* & *Matheus Schilherus* cives, quod prædones & *Hanſi Caſpari Schenckii* complices perduelles fuiſſent. Duodecimo deinde Novembris, publicata e Curiæ mœniano hic perpetua pax inter *Maximilianum* Cæſarem, & *Hainrychum* VII. *Angliæ* regem quam ſolenniter eſt. Habito præterea *Tiguri* apud *Helvetios* jaculatorio ludo, profecti illuc Senatus noſtri & conceſſione & liberalitate XLVIII. enim aureolos illis pro viatico dederat, ſex ſagittarii ſunt, equibus *Joannes Hebicherus*, optimum brayium, nempe CX. aureos baliſta lucratus eſt, ac ſinguli alii præmiorum minorum vexilla lætabundi ſecum attulerunt. Et poſtquam *Maximilianus* Cæſar prædicti *Bojarici* belli tempore, *Vianam* ſive *Weiſſenhornam* cum toto *Kyrchbergenſe* comitatu, jure fiſcali, ac certa ſuperſtiti adhuc, ſed improli, *Philippo* ultimo ibidem comiti, numerando ad annos vitæ penſione occupaſſet, triennio poſt, eundem totum comitatum *Ulrycho*, *Georgio* & *Jacobo Fuggeris*, nummoſiſſimis *Augſtburgenſibus* mercatoribus, LXX. aureorum *Rhenenſium* millibus ad decennium oppigneravit. Quæ impigneratio dehinc ampliore ſorte continuata eſt, donec ad *Raymundum* & *Antonium*, *Georgii Fuggeri* filios devoluta, iisdem cum inſignibus & titulo totius ejus comitatus, hæreditarie quaſi circiter annum MDXXX. per *Carolum* V. imperatorem confirmata ſit.

VI. Augſtburgenſes ludo Arcubaliſtario Tiguri interſunt. I.

Kirchbergenſis comitatus ad Fuggeros venit.

A. 1530.

Anno ſalutis MDV. Kalendis Januarii obiit *Augſtburgi* noſtro, noctu *Ulrychus Waltherus*, civis, octuaginta ſex annos natus, relictis poſt ſe ſuperſtitibus tum uxore *Rigleria*, cum qua LX. annos in matrimonio vixerat, tum CXXXIII. liberis, nepotibus & pronepotibus vivis. Inde ſub *Epiphanias Domini* facti ſunt hic conſules *Johannes Langenmantellus* XIIII. & *Ludwicbus Hoſerus* X. Sub quibus *Insbruggæ* reverſi ſunt *Georgius Vetterus* ſenator, & *Chunradus Peutingerus* Archigrammataeus, qui legationem ad *Maximilianum* Cæſarem obierant, ſuper expetenda ſententia de latrocinio eo, quo Novembre proxime ſuperioris anni *Greta* & *Hiltefinga* focaria, adjumento puellæ tredecim, & pueri duodecim annorum, in proprium ſuum herum *Georgium a Weichſelraina* valetudinarium nobilem, in ſecunda domo *Crucianam* portam ingredientibus, ad lævam verſus mœnia habitantem, noctu dum cubitum ducerent, perpetrarat. Nam cum ſvetus legum municipalium codex, ſecundum cujus dictata criminales cauſæ hic dijudicantur, diſerte minorennes, qui ſcilicet XV. vitæ annum nondum attigerunt, a capitis ſupplicio excludat, noluit pientiſſimus Senatus vel ſanguinarius videri, vel juſto indulgentior. Impetrato igitur ab æquiſſimo imperatore reſcripto, quod nimirum ſat annorum ad luendam debitam pœnam habeant, qui in tantilla ætate tantum non parricidium lucri cauſa committere auſi fuerint, XVI. Januarii die, puer decollatus, ancilla vero trajecta per præcordia ſude, in capitalis ſupplicii colle, una cum puella conſorte viva terris defoſſa eſt. Accidit autem paucos ante dies, ut ſacrificulus quiſpiam hic pedibus & manibus inſtar mactandi vituli colligatis in inferiore ea officina, qua lanii boves excoriare ſolent, noctu ſuper præterfluentem ſuſpenſus ſit, quem cum gementem prætereuntes mane offendiſſent, miſericordia moti laqueis ſolverunt, liberumque dimiſerunt. Nemo tamen ab eo, quam ob cauſam, & a quo hominum ita fuerit tractatus, expiſcari potuit. Tam caute & actor & paſſus rem inhoneſtam neſcio qua religione ſilentio ſepeliere. Moriente autem XX. Februarii conſule *Langenmantello*, qui & aurata militia clarus, & *Suevici* fœderis capitaneus ſtrenuus, nec non per multos annos de noſtra republ. optime meritus fuerat, ſtatim XXVII. ejusdem menſis die, illi in officio, germanus frater *Georgius*, cum tamen antea nunquam ſenator fuiſſet, ab utroque Senatu ſufflectus eſt. Qui gratitudinis ergo, viduæ & liberis defuncti fratris, pagum & caſtellum *Iglingæ*, quatuor millibus aureorum ea tunc æſtimabantur, in liberum munus, apud *Albrechtum Bojariæ* ducem, a quo prius beneficium erant, impetravit, multo vulgo pro more ſuper ea re culpante. Cæterum novo vere præſentis anni, adjunxerunt armatæ regis *Portugalliæ* claſſi, mercatores aliquot *Augſtburgenſes*, *Noribergenſes*, *Florentini*, & *Genuenſes*, propriis expenſis tria navigia, quæ ſexagies ſexies mille aureis, quos ducatos vocant, in communem ſortem adornata, *Calecutium* peterent, aromataque & gemmas, cum aliis *fœlicis Arabiæ*, ditisque *Indiæ* mercibus aſportarent. Quo anno etiam frumentaria civitatis domus, poſt *Mauritianum* templum in Pfafforum vico, ædificari primo cepta eſt, & hodie armamentarium quoque exiſtit, & ab adjacente area dominorum atrium nuncupatur. Quarto dein Aprilis conſtitutus publice, ſuper ſemirotundam Curiæ civium eam ſcalam, quæ ſubter *Mœnianum* eſt, textor quidam *Molterus* dictus, ac per præconem ad inſtar ſacrilegi, e ſuggeſtu Senatus juſſu proclamatus eſt, quod videlicet Dominico die mediæ Quadrageſimæ cum uxore puerpera, cui vix eo tempore prædoctrinis dæmoniorum id licuerat, de vitulino capite comederit, hancque levem pœnam, propter plurimorum interceſſionem illi ex gratia, utut cætera probo viro obvenire, idem præco allegavit. Poſtquam vero *Wolffius Langenmantellus*, de duplici

Legati ad Maximilianum de minorennibus qualipœna affligendis.

Sacrificulus noctu ſuſpenſus liberatur.

Georgius Langenmantellus fratri defuncto ſuffectus.

Augſtburgenſes in Arabiam fœlicem negotiantur.

Domus frumentaria ædificatur.

Molteri ſedes.

℟. *Chunradus Schmuckerus*, & *Georgius Ridlerus*, *Petrum Schittenhelmum* textorem, Januario

Vid. Tab. 4. Fig. 5.

nuario menſe impræmeditato furore, noctu ad viridem puteum prope ſalis horreum contrucidaſſent, cædem eam poſt multam transactionem, præter eccleſiaſticas pœnitendi ceremonias, cognatis CLXXX. aureis, magiſtratui autem juxta antiquum ſtatutum triennali exilio expiarunt. Hocce anno factum apud nos a Senatu decretum eſt, ne prætor ejusque aſſeſſores, ullas litigantium partes, ullamve indiſcuſſam actionem de cætero ad ſe remitterent. Bene tamen in arduioribus cauſis conſilium apud ipſum quærere poſſent. Idem etiam Senatus noſter hocce ipſo anno ſeria lege ſancivit, tam pro vinarii fori proxenetis ſeu ſcribis, quam pro indebitæ pecuniæ exactoribus, ut poſteaquam ſemel ejus debiti ſummam a quocunque poſtulaverint, neque is intra 8. dies ſatisfecerit, illi citra ulteriorem vel citationem vel accuſationem pignora ab illo per prætorem, quocunque die & ad lubitum auferre, ac ſibi per auctionem ſatisfacere debeant. Et licet hoc anno itinera publica præ prædonibus, & præſertim præ *Diethgötzo* a *Berlachinga*, valde inſecura eſſent, ſatis tamen vilis apud nos annona extitit, proſtantibus nimirum magno modio *tritici* uno & dimidio aureolis, *olyræ* ſex ſolidis, *butyri* libra VI. nummis, & *vini* menſura conſueta V. nummis. Porro nobili jam nominato in ſuperioris anni bello *Bojarico* cum Palatinarum partium fuiſſet, forte induciarum tempore inter colloquendum cum hoſtibus ex noſtrorum caſtris dextra manus colubro diploſa fuit. Quapropter is poſtea toti *Suevorum* confœderationi hoſtilia nova denunciavit, ac rapinis concuſſionibusque damnum ſuum vindicans civitates diu multumque exagitavit, quoad tandem ab emiſſariis noſtrorum captus, hucque traductus, pluribus menſibus in cuſtodia detentus fuit, ex qua neſcio cujus culpa dilapſus ad extremum transactionem non iniquam obtinuit.

A. 1505. Porro poſt obitum *Fridrychi* III. epiſcopi electus hocce ipſo anno concordibus votis eſt, ultima die Martii, Aprilis alii volunt, in quinquageſimum octavum *Auguſtanæ* cathedræ præſulem, *Hainrychus* IIII. nobilis a *Liechteniawia*, utriusque juris Doctor, & præceſſoris ſui in ſpiritualibus, ut ajunt, Vicarius. Qui protinus *Dillingenſis* arcis ſtructuram abſolvi curavit, ac caſtra in *Kullenthala Zuſmarhauſaque* de novo erexit, operamque dedit, ut ſui myſtæ tandem in civitatem noſtram redierint. Extruxit item ad palatium ſuum hic, in Cæſaris, ut prætendebat, gratiam, anno ſalutis MDVIII. quadratam illam turriculam, e qua totius civitatis ſitus, oculis, utut ipſa *ἀκέφαλος* ſit, ſatis deſpicabiliter colluſtrari poteſt. Innumeram item lignorum congeriem ex *Algojæ* ſuæ ſummis ſylvarum jugis, per *Werdachæ* flumen, ad urbem noſtram derivari curavit, qua per orgiias divendita, non parvam pecuniam corraſit. Ad hæc primus anno Domini MDIX. inſtituit, ut S. *Dionyſii* primi *Auguſtani* epiſcopi feſtum, a poſteris ſemper vigeſima ſexta die Februarii, per omnem ſuam diœceſim quam ſolenniſſime concelebraretur. Fuit autem præſul hic in imperialibus illis comitiis *Treviris*, quibus anno Domini MDXII. menſe Majo ſumma reverentia, inconſutilis illa Chriſti Salvatoris tunica, qui ſub ſalvificam ipſius paſſionem, militibus *Pilati Hieroſolymis* in ſortem obvenerat, lepido ſane commento, reperta poſt tot ſæcula exiſtimata eſt, cum recutiti cujusdam Apellis dolo ſic fictam, regnique *Germanici* principibus de induſtria ab hypocritis obtruſam fuiſſe veſtem eam, poſtmodum revera compertum ſit. Cum autem anno Domini MDXV. Canonici ſui terminalem Pinei lapidem, in ſacri atrii area petulanter evertiſſent, idem epiſcopus diu, ſed fruſtraneo conatu, eundem a reipubl. noſtræ architectonibus erigi iterum permittere noluit. Extremo pontifex hic admodum frugi, quem tamen poſteros puſillanimem, & in tenendis eccleſiæ ſuæ immunitatibus, præcipue contra Senatum civilem, pigrum culpare non pudet: ſeptuaginta ſeptem annos natus, poſt XII. villicationis ſuæ annum, cooptato prius capituli ſui conſenſu coadjutore, *Dillingæ* in ipſo paſchæ feſto, quod XII. Aprilis agebatur, expiravit, & huc loculo perlatus eſt. De cujus obitu magiſter *Caſpar Haslachius* ante ſeptem annos *Baſilejæ* hæc verba, neſcio quo ductus ſpiritu prophetizavit: O ſacerdotes *Auguſtenſes*, orationibus veſtris pro hoc epiſcopo intercedite, ne ipſo prævia morte ſemoto, domus veſtra truncata & manca reddatur. Id quod mox poſt ejus mortem, oriente ſole juſtitiæ, accidit. Sub hoc epiſcopo muliercula civis, *Anna Lominitta* nomine, usque ad eo potentum ordinem religioſis præſtigiis faſcinavit, ut cum parum honeſte antea vixiſſet, bisque civitate ob productiones & adulteria ejecta fuiſſet, jam, ad pœnitentiam converſa, neque edere neque bibere propter ſacramentum, multominus egerere aut dormire, ſed piis meditationibus ſtupenda operari non tam ſuperſtitioſe apud rude vulgus, quam falſiſſime apud primores civitatis, etiam *Maximiliano* imperatore; & poſt illum Cardinale ſanctæ crucis, patriarcha *Hieroſolymitano* credentibus, illamque ut ſanctulam inviſentibus diu in beata exiſtimatione hic fuerit. Aſt deprehenſo tanden per *Kunigundim Bojariæ* duciſſam, imperatoris ſororem, dolo clam XX. Februarii anno ſalutis MDXIIII. ablegata eſt, ut ſolet in tam apertis ſtrophis fieri, & demum *Fryburgi Vocontiorum*, ubi coriario nupſerat, fraudum novarum & ſuppoſititii pueri pœnas ſubmerſione aquarum dedit. Quemadmodum & quatuor illi Dominicaſtri, qui *Bernæ* in *Helvetiis* ad inſtar *Minoritarum Franciſci*, novam ſalvatoris crucifixi

Decretum de prætore.

Lex de pignoribus vendendis.

Annonæ viliitas.

Hoſtilia inter Augſtburgenſes & Diethgæzum.

A. 1508.

Hainrichus IV. Epiſcop. LVIII.

A. 1509. *Epiſcopus comitiis Treviris intereſt.*

A. 1512.

A. 1515.

Epiſcopi obitus.

Lominitta ſanctæ falſo habetur.

A. 1514. *IV. Dominicani comburuntur.*

fixi ſimiam ex ſarctore quodam, cui nomen *Hanſo Utzero Zurizachenſi* erat, magia efficere, atque ea impoſtura variisque viſionibus *Mariam* intemeratiſſimam virginem in originali peccato conceptam eſſe, pro gloria ordinis ſui comprobare ſtudebant, commeritis flammis anno MDIX. ultima Maji, A. 1509. ſictore loripede, qui diu poſtea in urbe noſtra evellendis dentibus excellentiſſimus opifex fuit, combuſti quoque ſunt. Porro A anno Domini MDX. *Chriſtophorus* a *Stadio* A. 1510. *Chriſtophorus Timpl. Cathed. Decanus.* Decanus cathedralis eccleſiæ hic effectus, intra ſeptennium epiſcopus creatus eſt quoque. Ceterum priore illo anno *Johannes Schrotus*, civis piſtoris filius, quadrageſimus quartus ad *S. Ulrychum* abbas hic per conſpirationem electus eſt, qui poſtquam Cœnobiolum pro congregatione minore monialium juxta ſuum monaſterium erexiſſet, deinceps luxu diffluere cæpit, ac XVII. annis toto reclamante conventu pontificiis bullis, *Mathæique Saltzburgenſis* archiflaminis, patrocinio cum damno præfuit. Ex quo tandem omnibus fere oppigneratis, B abbatiam epiſcopali vicario reſignavit, & ruralis eccleſiæ paſtor eſt factus. Educavit tamen pater hic in ſuo ſodalitio monachum *Leonhardum Wyrſtlinum* nomine, qui centum latinas ſcripturas characteribus notanter differentes, pulcherrime exarare, & ſimul ſingulis illis proprias appellationes diſtincte imponere norat, cujus ſcriptionis ſeu picturæ authographus adhuc in bibliotheca *Ulrychiana* extat. Aluit item pro monachis ſuis bonarum literarum & præcipue *Græcæ* linguæ lectorem *Ottmarum Luſcinium Argentoratenſem*: quo tempore etiam *Joannes Tritemius* abbas *Peapolitanus* doctiſſimus ſequentium de *B. Anna* Servatoris Chriſti avia in gratiam provincialis *Carmelitarum* miniſtri hic tunc reſidentis compoſuit, cantandamque huc transmiſit. Cæterum ſub anno noſtro Epiſcopo, *Mathæus* præterea *Langius* ſummæ ædis apud nos præpoſitus, anno ſalutis MDXI. menſe Martio Romæ a *Julio II.* pontifice maximo, (qui cum bellator & truculentus & fallax foret, reſervatum tamen in pectore quam veteratorie, ne ſcilicet quid amplius ſanctitati deeſſet, excogitavit primus, ac ſequente jam dictum anno, ſub Majum in urbe ad *Lateranum* pro reformatione ſtatus eccleſiaſtici concilium haberi juſſit; in quo ab D epicureis aſſeſſoribus deciſum primò, turpiſſima apoſtolorum & Chriſtianorum patrum injuria eſt, animam intellectivam hominis immortalem eſſe.) Cardinalatus faſtigium titulo *S. Angeli* in foro piſcium, Cæſaris reſpectu conſecutus eſt. Quin & A. 1519. idem *Langius* poſt octo annos Metropolita *Salitzburgi*, quadrageſimo ſeptimo loco, ab *Arnone* primo *Juvavienſe* archiepiſcopo effectus eſt, ac ſtatim pro ſua induſtria, ut utramque demereretur eccleſiam, & canonicis ſuis ubique acceptior fieret, *Auguſtano* cathedrali collegio quidem eligendi ſibi majoris præpoſiti poteſtatem, quocunque menſe liberam a papa impetravit, in futura ſecula, eandemque dignitatem. Decurioni ibidem *Marckwardo de Klingenſtaino*, quem tamen omnes ſimpliciter vocant a *Staino*, anno Meſchiæ. MDXXI. certo contractu conceſſit. Ac novo inſigni ornandam apud A. 1521. Cæſarem obtinuit. Myſtas vero *Saltzburgenſis* metropoleos, ab habitu canonicorum *S. Auguſtini*, quo jam CCCC. amplius annis admodum monaſtice uſi fuerant, pontificia indulgentia abſolvit. Anno autem domini MDXI. datus hinc *Thierſauptenſi* cœnobio abbas eſt, *Petrus Wagnerus*, monachus *S. Ulrychi*. Ac ſequente anno excitarunt *Fuggeri* in poſtica *Carmelitarum* templi parte, ſpecioſiſſimam ædiculam, quam & nablo reſonantiſſimo ornantes, ſibi & ſuis in ſepulturam non vili ſumptu elegerunt. Anno adhuc Chriſti A. 1514. MDXIIII. electus reſignante præceſſore *Wolffgangus Müllerus Bobingenſis*, in præpoſitum apud *S. Georgium* eſt hic, qui comparata *Guggenburgenſe* arce, viginti duos annos Oeconomice monaſterio ſuo præfuit. *Jacobus* præterea *Wegelinus Nördlingenſis*, ad *S. Crucem* apud nos menſe Martio, anno MDXVII. factus præpoſitus quadriennio A. 1517. ſolo dignitate ea potitus eſt. Quo anno & *Anna* ab *Ochſenſtaino*, ingenuis ad *S. Stephanum* puellis hic, quinquennio etiam præfecta fuit. Et dominicaſtri phariſæi, impetratis a papa Jubilæi indulgentiis, (cujus pro mercatus frater *Ruſkolbius* per ſuperiorem *Germaniam*, ſive *Dettzelius* eodem tempore pro novo *Moguntinenſe* Cardinale per C *Saxoniam*, proxeneta ſeu Quæſtor erat) novum templum clauſtro apud nos ſuo, amplius reædificarunt, *divæque Magdalenæ* dedicarunt, quanquam opulentiorum nonnullorum civium privatæ oblationes ad templi ejus ſtructuram non parum invenerint, id quod inſcriptiones ad portas illius etiamnum extantes, evidenter teſtantur. Sed ne diutius te, lector, lateat, quandoquidem toties jam pontificalia tracto, quibus finibus terminisque *Auguſtanorum* epiſcoporum principatus circumſcribatur, & quot ſacerdotum collegia cœnobiaque ditiora, nam mendicantium extra civitatem noſtram aras quis enumerabit, eorundem juriſdictioni mere ſubjaceant. En habet *Auguſtana*, *Moguntinæ* provinciæ haud poſtrema diœceſis, ab ortu *Freyſingenſem* ab occaſu *Germaniæ* totius latiſſimum *Conſtantienſem*, a meridie *Brixinenſem*, a ſeptentrione *Aureatenſem*, & exemptum *Bambergenſem* inſignes epiſcopatus. Suntque ſub memorati noſtri præſulis Spiritali tum curatione tum confirmatione, præter *Campidonenſem* antiſtitem, qui immediate nunc Apoſtolicam ſedem agnoſcit, XVIII. monachorum majori ex parte mitrati patres, quos *Syriaca* lingua abbates appellant, nempe *S. Ulrychi*

Marckwardus maj. ed. præpoſitus.

Wyrſtlinus Latinæ ſcripturæ characterum callentiſſimus.

Langius maj. ed. præpoſitus.

Totius Auguſtani epiſcopatus ambitus.

Abbates

in civitate noſtra, *Faucenſis*, *Urſbergenſis*, *Uttenbeyrrhenſis*, *Urſenenſis*, *Vultenbachenſis*, *Thierhauptenſis*, *Benedictbeyrhanus*, *Weſſensbrunnenſis*, *Andechſenſis*, *Kayſshaimenſis*, *Werdenſis*, *Töttingenſis*, *Närishaimenſis*, *Anhauſanus*, *Lorchenſis*, *Elchingenſis* & *Echenbrunnenſis*. Octo item Veſtalium virginum præfectæ, quas ſuo more abbatiſſas nominant, videlicet *S. Stephani Auguſtæ*, *Ettelſtettenſis*, quarum ambarum contubernales omnes ingenuæ debent eſſe, & habitibus extra templa ſua nihil a ſæcularibus differunt, poſſuntque pio voto matrimonia contrahere) ſuperioris *Schönefeldi*, *Neuburgenſis*, *Hohenwartenſis*, *Kubachenſis*, *Lietzhaimenſis*, & quæ eſt in *Holtz*. Novem præterea certis degendi regulis aſtrictorum ſacrificum præpoſiti, ſcilicet *S. Crucis*, & *S. Georgii* in urbe hac, *Wettenhauſanus*, *Dieſſenſis*, *Pollingenſis*, *Bernriedenſis*, *Herbartingenſis*, *Rotenſis*, & *S. Nicolai Memmingæ* extra muros. Unicus adhæc prior in *Weihenberga*. Simul ac ſeptem popularium myſtarum primarii, quos in collegiatis ipſorum eccleſiis ſimiliter præpoſitos vocant, utputa *S. Mauritii Auguſtenſis*, *Beatæ virginis Feuchtwangæ*, *S. Viti Ellwangæ*, *S. Petri Auguſtæ*, *S. Ulrychi in Heubachio*, *S. Grünebachi*, & ſacelli *S. Gertrudis* in æde majore hic. Habet porro cathedralis *Auguſtana* diœceſis, præter ſummi templi archidiaconatum, urbisque quæ in ſex parochias diviſa eſt, nempe *Ulrychianam*, *Mauritianam*, *Johanninam*, quæ propter cathedrale templum *Mariana* quoque dicitur maximaque eſt, *Crucianam*, *Georgianam*, ac *Stephaninam*, quæ ab antiquo *S. Galli* erat, & ſuburbanarum eccleſiarum capitulum, per totum diœcæſis diſtrictum, quadraginta unum, quod ajunt, Decanatus ſeu ruralia capitula, quorum talis eſt nomenclatura, I) *Seggum*, ſub quo *Tuſſenſe* oppidulum; II) *Weitachenſe*, ſub quo *Campidona* oppidum, III) *Memmingenſe*, IIII) *Kauffbeyrhenſe*, V) *Schongavienſe*, VI) *Weringenſe*, VII) *Mindelhaimenſe*, VIII) *Ambergenſe*, IX) *Epishauſanum*, X) *Hornſtettenſe*, ſub quo *Babenhauſa* oppidulum, XI) *Valhaymenſe*, ſub quo *Weiſſenhorna* oppidulum, XII) *Leiphaimenſe*, ſub quo *Burgavia* & *Güntzburgum* oppida, XIII) *Thainhauſanum*, XIIII) *Biberenſe* ſive *Zuſmerhauſum*, XV) *Langenmawienſe*, XVI) *Oberdorffenſe*, XVII) *Bernſtattenſe*, ſub quo *Albegga* vetuſtiſſimum oppidulum, XVIII) *Dillingenſe*, ſub quo *Gundelfinga* oppidulum, XIX) *Höchſtettenſe*, XX) *Langingenſe*, XXI) *Forwenſe*, XXII) *Giengenſe*, XXIII) *Töttingenſe*, ſub quo *Haidenhaima* oppidulum, XXIIII) *Lautrinnenſe*, XXV) *Lorchenſe*, quod etiam *Gmyndenſe*, XXVI) *Aulenſe*, ſub quo *Bopfinga*, *Ellwangiaque* oppidula, XXVII) *Auffkyrchenſe*, XXVIII) *Dinckelſpychelanſe*, XXIX) *Utzmanningenſe*, ſub quo *Oettinga* oppidum, XXX) *Nördlingenſe*, in qua civitate, cum emporium totius quaſi ſuperioris *Germaniæ* celebratiſſimum ſit, ſacrificulus alebatur, qui deſidioſis poſtremam omnium per diem *Liturgiam*, ſub ipſum meridiem faciebat, eam vulgo ſatis ridicule *ſomniculoſam miſſam* vocitabant, XXXI) *Werdenſe*, XXXII) *Wellenhaimenſe*, XXXIII) *Rhainenſe*, ſub quo *Neuburgum*, *Danubii* oppidum, XXXIIII) *Hertzhauſanum* ſive *Schrobenhauſanum*, XXXV) *Hohenwartenſe*, XXXVI) *Tottenriedenſe*, ſub quo *Fridberga* oppidulum, XXXVII) *Tintzelbachenſe*, XXXVIII) *Scheuringenſe*, XXXIX) *Hohendorffenſe*, XL) *Oetlingenſe*, ſub quo *Weibhaima* oppidum, XLI) *Stoffenſe*, ſub quo *Landsberga*. Ex quibus omnibus eccleſiis, poteſt epiſcopus *Auguſtanus*, plus minus M. parochias pro ſuo arbitrio & commodo in beneficia conferre. Sed nec hoc annotaſſe præter rem fuerit, quod ſcilicet idem epiſcopus noſter, pontificibus Romanis, juxta librum taxationum curiæ Romanæ, quottannis pro *Annata*, quam vocant, octingentis aureos pendat. Et cum princeps imperii apud inclitam *Germaniam* ſit, in publicis imperii expeditionibus belliſque, quadraginta duos equites, & ducentos pedites, ſuis ſtipendiis alere communi decreto conſuevit. Quatuor etiam ex militari nobilitatisque ordine, miniſteriales, tum hæreditario jure addictos, tum feudorum ratione, ad debita officia præter ordinarios aulicos, jugiter ac decore paratos habet, nempe magiſtrum equitum ſeu Marchſchalcum a *Donnersberga*, Dapiferum a *Kyllenthala*, Pincernam, quem ab *infundendo Schenckum* vocant, a *Blanckenberga*, dein ab *Erringa*, tandemque a *Waala*, & Camerarium a *Wellemburgo*. Quibus familiis tamen fato ſuo demortuis, ſuccеſſerunt noſtro tempore, ſub *Ferdinando* imperatore, *Baumgartneri*, *Stadii*, *Weldenſes*, & *Hocheneggeri* pro more.

Abbatiſſæ. *Præpoſiti.* *Decani.* *Aulici.*

Verum ad inſtitutum ordinem civilium negociorum redeo. Electi juxta receptam conſuetudinem in civitate *Auguſtburgenſe* anno ſalutis MDVI. conſules ſunt *Hieronymus Welſerus III.* & *Hildboldus Ridlerus X.* Qua tempeſtate hæſit hic tantum non tres menſes *Georgius Tridentinus* epiſcopus, qui commiſſarius arbiter a Cæſare conſtitutus, conciliationem inter *Friderychum* Palatinum, & *Albrechtum Bojum*, de reliquiis quibusdam ſuperioris belli, quæ in comitiis lapſo anno apud *Coloniam Ubiorum* tranſigi plene non poterant, magna cura, ſed parvo effectu tentavit. Numerabantur autem præſuli illi, a prænominatis principibus ſimul, in ſingulas ſeptimanas CLX. aureoli, pro expenſis. Interea XIII. Januarii factum Senatus conſultum eſt apud nos, de locandis teloniis, aliisque officiis, ex quorum proventibus certa pecuniæ ſumma in ærarium inferri ſolet. Similiter & VII. Februarii lex lata in Senatu eſt, quo pacto conſules eos, qui ſtipulata manu, vel ipſis vel prætori, aliquid promiſiſſent, nec promiſſis ſtetiſſent, urbe ejicere, nec prius quam fide incul-

A.1506. *Tridentinus Epiſc. arbiter inter Fridericum & Albrechtum.* *SCtum de locandis teloniis.* *Lex adverſus promiſſis non ſtantes.*

Privilegium de non appellando.

inculpate liberata, admittere debeant, ſub pœna perjurii. Interea donavit *Maximilianus* Cæſar Reipub. noſtræ privilegium, cujus diploma Kalendis Aprilibus apud *Neuſtattum Auſtriæ* ſub pœna decem auri puri puti marcarum transgreſſoribus conſcriptum eſt, ut nemo tam a prætoris quam a Senatus ulla vel definitiva ſententia vel arbitraria actione quacunque de re, cujus ſumma in prima inſtantia 40. aureos non excedat, aut etiam in majori ſumma confeſſi nec negati, debiti, ſimiliter & ab actionibus læſionum per qualiacunque vulnera puncturas, jactus, concuſſionesque, corpori vel membris inflictarum provocare poſſit. Et ſi in majoris ſummæ cauſa quispiam hinc appellatione uti voluerit, ut prius præter juramentum calumniæ *Rhenanum* aureum judicio ſolvat. Porro X. Aprilis, conceſſit *Maximilianus* Cæſar apud *Greizium*, Senatui noſtro privilegium, contra eos cives, qui ad vitanda communia civitatis onera, aulici aut Cæſaris conſiliarii bullati erant facti. Cumque paulo poſt *Ulrychus* & *Wolfius a Knöringa, annuum cenſum,* quem *Stuiram* indigitamus, a colonis *Gablingæ* propria vi exegiſſent, adeoque refragantibus per præfectum ſuum, equos in pignus abduxiſſent, miſſi ſunt propere penultima Aprilis a Senatu noſtro XL. equites, & C. pedites cum armis ad eundem pagum, una cum Canonicorum, quorum etiam intererat, manipularibus, qui ruſticorum ſuorum immunitatem vindicantes, tum equos illis reſtituerunt, tum prædictis nobilibus, ne tale quidpiam poſthac molirentur, graviter & adperte, denunciarunt. Rediere autem XXII. Maji, *Lyſibonam*, plena opum tria ea navigia, quæ ſuperiore anno *Calechutium* eremigraverant. Verum ea *Emanuel Luſitaniæ* rex prædictus, quod ſuo auſpicio cuncta perfeciſſent, recepta quarta omnium allatarum ſpecierum parte, & deſuper viceſima, poſt tres primum annos *Antorpium* abire permiſit. Ubi mercibus diſtractis, noſtri negociatores de ſingulorum centenorum aureorum ſorte, centum ſeptuaginta quinque aureorum uſuram, ultra omnes ſumptus luculentiſſime fecerunt. Contulerant vero ſimul initio ad mercatum eum *Welſeri* & *Foelini*, XX. millia, *Goſſenbroti III. Fuggeri IIII.* & *Höchſtetteri* itidem IIII. millia ducalium aureorum, atque hinc tantarum divitiarum affluentia ortum, *Augſtburgi* ſumpſit. Porro hoc anno viſus noctu hic per menſem Auguſtum cometa eſt, inter occaſum & ſeptentrionem ſub *Leonis* conſtellatione. Inde XXIII. ejus menſis conceſſit *Maximilianus* Cæſar patriciis noſtris, (quorum albo Senatus *Quirinum Dietenheimerum*, repudiatis aliis tribubus, contra veterem, ſodalitii illius, morem mere nunc primum adſcripſerat) libertatem tres cervos in propinquis cis Lechum nemoribus, non venatione, aut ſclopetis, ſed arcubus catapultisve dejiciendi, ne ſcilicet feræ illæ vehementius terrerentur, ac *forreſta*, quam vocant, effugarentur. Quibus captis, ſtatim illi invitarunt omnes præſentes principes, abſentiumque conſiliarios, ac tres primarios Canonicos hic, cumque univerſis parentelæ ſuæ uxoribus nubilibusque filiabus, cænam magnificentiſſime paratam agitarunt, in qua XXXII. menſæ convivatoribus fuere cinctæ. Et ea hilariter finita, ſolennes choreas quoque in multam usque noctem conſueto theatro duxerunt. Facto demum computo, numerarunt noſtratium ſingulæ perſonæ XVI. cruciferos, hoſpitisque gratis exceptis fuerunt. Poſt iſta vocati ſunt cives noſtri ad jaculatorios ludos, quos *Franckfurtenſes* ſub Autumnales apud ipſos nundinas, ad *Mænum*, toti quaſi *Germaniæ* dederunt. Profecti itaque eo præter ſolitos mercatores, ſex alacres animo ſocii hinc ſunt, qui a Senatu noſtro LX. aureolorum viatico donati, haud in poſtremis fuere. Nam *Lucas Fiſcherus* figulus, primum bravium CV. aureorum, arcubaliſta, & *Jacobus Delhuius* Cyſtellarius ſecundum XC. aureorum tormento manuali ſolertiſſime adepti ſunt. Quo toto anno tanta murium multitudo, apud nos, & in urbe ipſa & in agros ſcatebat, quantum nemo antea extitiſſe hic, vel recordaretur, vel audierit.

Augſtburgenſes concelebrant Francfurti ludum arcubaliſtarium.

Privilegium de Imp. aulicis communibus oneribus non eximendis.

Gablingenſium immunitates defenduntur.

Naves Calecutio onuſtæ redeunt.

Cometa.

Epulum datur.

Anno domini MDVII. conſules in urbe hac dicti ſunt *Georgius Langenmantellus II.* & *Ludwichus Hoſerus XI.* ſtatimque celebrarunt hic *Sueviæ* confœderati conventum, Quo XVIII. Januarii pro *Fridrycho Brandenburgenſe* Marckgrafio, contra rempub. *Noribergenſem* finaliter pronunciatum eſt, ut foſſas, quas ad inſtar provincialium terminorum egeſſerat, ante portas ſuas removeret. Fuitque tum regulus quidam *Affricanus* in civitate iſta, rex *Feſſæ* dictus, qui apud Cæſarem noſtrum *Hyſpanorum* munere exulabat, homo ut facie fuſcus, ita moribus ater & inſolens. Cæterum mortuo apud nos XIIII. Februarii die *Georgio Ebemio*, cœperunt primo apud nos filii ipſius, non ut hactenus moris erat, obvolutis *utrata faſcia cucullove* (*Lyripipium* barbaro latini appellant) ore ac collo, ſed circumfutis ſolum nigro panno pileis, more nobilium patrem ad funus lugere. Qui ritus inde adeo in conſuetudinem apud patritios abiit, invaleſcereque magis ac magis usque ad longorum palliorum uſum cepit. Sub initia dein menſis Martii, emendatæ a Senatu *Augſtburgenſe* inveteratæ quædam prætorii ſui judicii conſuetudines ſunt, ad ſcriptas imperatorum leges, cum primis vero correctæ ſunt juramentorum, tum litigantium partium, tum ipſorum cauſidicorum, procuratorumve, notariorum & accenſorum, formulæ. Idque mox VII. die prædicti menſis Senatus per ſcribam civitatis Doctorem *Peutingerum* junctis illi ſex Senatoribus

A. 1507.

Sueviæ confœderatorum, conventus Augſtburgi.

Novus ritus lugubris.

Legum correctio.

bus toti judicum ordini in ipſorum curiæ triclinio ſolenniter intimare juſſit. Cum autem hyems Auſtrina & admodum tepida fuiſſet, valde precox etiam anni hujus conſtitutio ſubſecuta eſt, morbidaque. Qua tempeſtate & Cardinalis *Langius* (cui hocce etiam anno *Johannes Stamlerus* civis & parochus *Kiſſingenſis*, dialogum de *diverſarum gentium ſectis, mundique religionibus* dedicavit, quem *Erhardus Ratholdus* ante annoA plus minus XX. *Venetiis* ſua calcographia clarus, apud nos ſequente anno impreſſum publicavit) arcem *Wellenburgenſem* ab *Antonio Laugingero* cive noſtrate quinque millibus ac ducentis *Rhenenſibus* aureis comparavit, atque facultatem apud Cæſarem ſuum obtinuit, ut non modo eam multis jam ſæculis dirutam reædificarit, verum etiam nobilitatis titulum ab eadem in agnatos ſuos perpetua præeminentia continuarit. Inde XXIII. Octobris miſſi ſunt, ductoribus conſule *Langenmantello* & *Wilhelmo Marchſchalcko*, a Senatu noſtro, juxta *Conſtantienſiam* comitiorum, ad quæ *Ulrychus Artztius* B civitatis noſtræ legatus menſe Julio fuerat, decretum XXVI. ſelectiſſimi equites, & L. animoſiſſimi pedites, una cum VIII. Clyttellariis commeatum geſtantibus equis, ad comitivam eam, quam *Maximilianus* Cæſar pro adipiſcenda imperiali corona, *Romam* ſtrenue adornabat. In cujus rei gratiam *Bernhardus* tituli *S. Crucis* in *Jeruſalem* Cardinalis a Papa *Julio* legatus, 21. die Decembris in ipſo ſcilicet *Thomæ* feſto huc venit, & mox in natalitii Chriſti feſtivitate *ſummum officium*, quod ſic vocant, in cathedrali templo ſolenniter apud nos peregit.

A. 1508. Anno Chriſtiano M D VIII. conſulatum C Augſtburgi inierunt *Hieronymus Welſeriis IIII.* & *Ulrychus Artztius* ex mercatorum ſocietate. Sub quibus conſtitutio in Senatu XXIIII. die Martii eſt facta, ut quicunque civium ab altero quopiam, advena ſeu peregrino, *poteſtate* accepta, *mandatarium* Rabbulæ forenſes adpellant, contra alium jure hic egerit, adverſæ parti ſi damnum acceperit, aut litem evicerit, ſatisfacere etiam non requiſito ſuo principali teneatur. Hoc anno dum *Germanici* regni deſtinatæ copiæ, cum Cæſarianis *Tridenti* jungerentur, inque juſti exercitus numerum excreſcerent, noluit *Julius* ſuſpicioſus papa, præcipue *Venetis* inhortantibus, tanta turba D *Italiam* ulterius turbari. Quin miſſa extemplo XIIII. Februarii die ex Urbe plumbata bulla, *Maximiliano* Cæſari plenam poteſtatem fecit, ut ſe Romanorum electum Imperatorem deinceps & ſcribere & nominare ipſo facto deberet. Ibi quamprimum Pontificius ille conſenſus militibus etiam ac populo promulgatus fuiſſet: ſtatim *Ulricus Gaſſerus Lindoënſis* patriæ ſuæ turmæ, XXIIII. nimirum peditum, (quos Cæſar quod ſinguli Reip. *Lindoënſis* coloribus, nempe albo & viridi, ex æquo diviſis veſtibus ornati forent, mox in corporis ſui cuſtodiam proſtipatoribus acquiſivit) ductor, ac totius *Germanici* exercitus *rerum capitalium præfectus*, vulgo *Scultetum* vocant, claviumque portarum civitatis ejus cuſtos, pater meus cariſſimus, Argilla ad valvas portæ ejus, quæ in *Italiam* ducit, *Germanicum* rythmum addito nomine ſcripſit in hanc ſententiam:

Si Tridentum pro Roma eſt electum,
Eſt & iter meum Romam confectum.

Quod factum multi proterviam, plerique famoſum interpretati ſunt. Ipſe vero jam jam Imperator declaratus, poſt paucas horas illac obequitans nullo naſo, ſed cum riſu legit, ac poſt 4. annos, quando ejusdem Imperatoris domeſticus chirurgus, jam dictus *Gaſſerus* multorum prædicatione fuiſſet factus, mox primo intuitu virum agnovit, & facetiam eam benigne recolens, ipſum ſibi non ſolum, quod Chirurgus expertus, ſed & miles integer foret, ſemper commendatiſſimum futurum clementiſſime repromiſit. Interea obiit ibidem equitum noſtrorum magiſter ſupradictus Marchſchalcus a *Bappenhaima*, cum alioquin facta miſſione, reliqui omnes ex noſtris incolumes domum redierint. Datus autem non diu poſt Senatus poſtulatione *Adamus à Freindsberga* auratus miles, civitati ac provinciæ noſtræ præfectus, ceu tutor, ab Imperatore novo eſt, qui officio eo decennio fere ſtrenue functus eſt. Eodem hocce anno menſe Julio, conſtrui ex ſectis lapidibus, omnium primus fons hic, in vinario foro duodecim angulis & quatuor *epiſtomiis*, vulgus *arundines* vocat, *Burghardo Engelbergio* architecto occepit, cum aliorum fontium labra hactenus lignea fuiſſent, conſtititque tota ea fabrica CCC. aureis. Poſt quæ reſtaurato ad lubitum propinquo *Wellenburgenſe* caſtro, curavit antedictus *Langius* Cardinalis, ut cunctis apud nos templis cartæ affigerentur, quibus omnis generis aucupio per totum arcis ejus diſtrictum, civibus noſtris inſueta autoritate interdicebat. Dein XI. Septembris, transegit Senatus noſter penitus cum noſtrate epiſcopo, ſuper ſepulturis & inferiis, in *agro Dei* habendis pactumque expreſſe eſt, ut omnium in cæmiterio eo ſepultorum juſta, in *Mariana* parochia peragerentur, Sacrificuli autem dictæ ædis nulla in poſterum monumenta pecunia apud ſe venderent, usque adeo ſemper, ubi cadaver eſt, etiam corvi crocitant. Tandem III. Octobris jaculatum ſatis apud nos paleſtris, privatis tamen braviis, nempe propoſitis utrobique XX. aureis, tam ſcorpionibus, quam manualibus bombardis eſt. Quorum hoc *Hugo* comes a *Montforte, Brigantinus* dictus, illud *Bartholomæus Remus* civis, ſagaciter promeruerunt, fuitque ſequens hyems aſperrima.

Anno redemptionis humanæ M D IX. A. 1509. facti

Langius Wellenburgam emit.

Imperatori Romam proficiſcenti comites mittuntur.

Bernhardus Card. Augſtburgum adit.

Conſtitutio de mandatariis.

Maximilianus Tridenti Imperator ſalutatur.

Ulrici Gaſſeri jocus de hac re.

Adamus Freindsberga præfectus.

Fons ex ſectis lapidibus conſtruitur.

Pactum inter Senatum & Epiſcopum de ſepulturis.

facti sunt debito modo & tempore consules *Augstburgi*, *Georgius Langenmantellus III.* & *Ludwichus Hoserus XII.* Et statim 12. Febr. die *Gregorio Neithardo* Archipresbytero, & *Alberto a Rechberga* Canonicis, atque *Ulrico Rhelingero* Senatore, *Conrado Peutingero* Jureconsulto, civitatisque archigrammatæo, nec non *Georgio Ottone* subpræfecto nostro sequestribus, in concordiam per publicum instrumentum, quatuorumviri ac tota paganorum *Gerstbovæ* communitas, redacti cum balneatore suo, de salario, & tempore, modoque lavandi, aliisque rusticis controversiis tandem sunt, ac non multo post dein, cœpit annonæ caritas nonnihil invalescere, præsertim vero die Veneris ante *Palmarum* festivitatem, hoc est, mensis Martii, tricesima die, veniit hic, publico foro libra excocti butyri XIIII. nummis. Quæ infælicitas tamen, meliore adspirante aura, non diu duravit. Unde tota respublica ad lætitias conversa, utut *Venetum* bellum, inconstantissima papæ & *Gallorum* regis cum imperatore nostro confœderatione, impense arderet, Balistarios ludos universæ *Germaniæ* vicinisque regnis, in *rosarum* insula extra civitatem amplissime dedit. Eos scorpionarii propriis suis manubalistis, Dominica, quæ festum *divi Ulrychi* nostri VIII. Julii sequebatur, certis legibus lætissime auspicati sunt. Eumque illorum DXLIIII. forent, inter quos & *Wilhelmus Bojariæ* dux, multique generosi comites baronesque etiam connumerabantur, de propositis triginta quinque braviis, singuli quadragesies bis, ad scopum CXXV. pasibus distantem, tela emittendo, quatuordecim dies, ingeniose pariter ac jucunde certarunt. Obtinuitque tandem XI. exquisitissimis jactibus præcipuum bravium centum & decem aureorum *Johannes Mylerus* de *Freissinga*. Et qui longissime ex omnibus huc venerat, *Parisiensis* erat, nomine *Johannis Hebeberi*. Vicesimo quinto dein ejusdem mensis die, qui majori Jacobo, Christi apostolo dicatur, occeperunt & Bombardarii manualibus suis colubrinis, de totidem aliis braviis, tres totas septimanas conjunctissime contendere, erantque ipsorum CMXVI. e quibus *Jacobus Telhutus* civis, ac *Hainrychus Merckerus*, *Götzis* a patris patria agnominatus, *Lindavienses*, XVIII. liberis jaculationibus, iam sæpius nemo Æthiopem, sic scopi medium centrum a nigro colore vocantes, attigerat, duo primaria bravia lucrati sunt. Quæ licet ex æquo inter se amanter ita divisissent, ut cuilibet centum & quinque aurei obvenerint, pro gloria tamen primoque vexillo, vicente, *Telhuto* denuo certarunt. Qui autem remotissimo loco inter hos advenerat, e *Buda Ungriæ* metropoli erat, *Ulrychi Aschawerus* vocatus. In his ludicris etiam, gladiatoria, aliaque gymnica spectacula, nempe luctandi, saltandi, currendi, impellendi brachio saxum, feriendi globo pyramides, & his similia, ut interim mendacium majus dicendi promeritum sileam, non sine speciali victoris munere exhibita sunt. Quin item pro majore amicitia contrahenda, posteaquam Senatus indies Cereris & Bachi muneribus, hospites ad merendam honoraret, singulæ desuper plebis Tribus, suorum artificiorum peregrinos magistros lautis quoque excepere invicem conviviis. Ac ne quid jocosi deesset, collectæ undiquaque in Fortunæ urnam, innumeræ pene schedulæ sunt, pro quarum qualibet VIII. nummuli numerabantur. Ex qua pecuniæ summa, viginti & unum fortuita bravia studiose adparata fuere. Quarum primum nempe L. aureos, dum citra omnem dolum adperte cunctorum nomina, ex datis schedulis recitarentur, Canonicus quispiam *Moguntinensis*, ingenti æneatorum clangore nactus est. His bona pace finitis, repurgata patibuli area est, & repertæ in ea CXLVI. calvariæ sunt, quas cum suis cadaveribus parochus *Oberhausanus*, episcopi officialis consensu, apud se sepeliri, nisi acceptis prius expiationis gratia XV. aureolis, noluit permittere. Porro eodem hoc anno, nongentis aureolis redempta, & mox funditus sublata hic ea domus est, quæ media inter *Eggenbergeri* altissimas ædes, & lignariorum fabrorum tabernam sita, totum *porcinum forum*, vulgo *Ferchermarckt* vocatum) deformiter impediebat. Ad cujus rei promotionem DC. aureoli ex ærario publico adpensi sunt, reliquos CCC. vicini ultro contribuerunt. Exustæ præterea VIII. Septembris, nocte, quatuor fabrorum ferrariorum domunculæ, inter prædicatorum cœnobium & forum vinarium sunt. Mense item Novembri lapideum labrum pro fonte in foro piscario inter Senatoriam domum ac *Petrinum* delubrum exædificatum hic primo est. Et cum grassator quispiam, ob illatam aliis vim, a publicis famulis comprehendendus, in *Crucianum* confugisset templum, illico custodibus diu noctuque præpeditus, post triduum urgente fame in Cœnobium ipsum delapsus est, in quo violentius a Prætore perquisitus, iterum in sacellum quoddam devenit, ac denuo arctius obsessus, vix agnatorum vadimonio, a Senatu vitæ immunitatem deprecatus, in publicum carcerem sponte abiit. Unde tandem proscriptus, terram hanc ultra *Rhenum* abjurare coactus cum socio est. Quo mense magnus modius *Olyræ* uno aureolo, *avenæ* XIIII. grossis, ac *vini Neccarei* mensura VI. nummulis veniere. Post quæ mense Decembri, sumptu parochialis, ad *S. Johannem consortii*, quod vulgo *Zecham* adpellant, exæquatum ad libellam, *Marianum* cæmiterium est, devecta superflua humo, in *Werdacham*, quod sacrata foret.

Gerstbovianorum controversiæ tolluntur.

Ludi eduntur.

Patibuli area repurgatur.

Fori porcini area ampliatur.

Incendium.

Grassator punitur.

Anno Domini MDX. secundo die Januarii, posita primum in magnum illud curiæ A. 1510

vaporarium, in quo prætor judicia civilia exercere solet, ferrea fornax est, quadragesies centenas libras ponderans, quæ *Basilea* huc devecta in toto centum aureos constitit. Altera inde post *Magos*, creati apud nos, consules sunt *Hieronymus Welserus V.* & *Ulrychus Artztius II.* Qui XVIII. Februarii ex rescripto Imperatoris *Annam Lominitam*, propter hypocriticam impostruram, de qua plura in episcopo hujus ævi leges, civitate proscripserunt. Ipsius vero *Maximilianus* imperator confestim triduo post, huc veniens, ac apud *Philippum Adlerum* in foro vinario divertens, comitia cum triginta præsentibus principibus, totos tres menses *Augustburgi* nostro celebravit, in quibus auxilia adversus *Venetos Turcasque* imploravit, *Gallicusque* Orator regis sui nomine idem quoque, ut scilicet in utrumque hostem arma *Germani* sumerent, summis Rhetoricæ artificiis omnino persuadere conatus fuit. Verum cum nihil ferme horum obtinent ambo, feriæque consultationes in ludos abirent, non veritus est posthac *Ludwichus Galliæ* rex, qui jam una cum *Julio* Max. pontif. ipsi *Maximiliano* Augusto confœderatus erat, eundem nostrum imperatorem, *Augustburgensem* consulem convitio vocare. Cæterum hisce illis comitiis post frequentissimas choreas, nullum equestrium exercitiorum genus omissum est. Ipsusmetque adeo Imperator, cum *Friderycho Saxonum* duce Electore, cataphractis, auro vellere torquatus, & chlamyde preciosissimis gemmis margaritisque ornatus, crassioribus longuriis concurrere non detrectavit. Id quod in foro Vinario XV. die Martii, pari fortitudine & fortuna, omnium spectatorum adplausu publice factum fuit. Ubi statim quoque post hos, eadem arena, equis & acutioribus hastis concurrerunt, *Casimirus Brandeburgi* Marchio, & *Hainrychus* junior *Brunswicensis* dux, qui ambo tamen equis perstrenue excussi sunt. Sub hac Dieta vendidere piscatores nostri, in maxima omnis generis piscium abundantia, bilibralem mensuram *cobilidum barbatularum* X. batziis, & *phoxinorum* similem mensuram V. batxiis, hos vulgo *pfrillos*, illos *grundulas* adpellamus hic. Cum vero post hæc tempora, quæ valde per autumnum insalubria erant, *Hansius Schrimpfius* lanifex; *Gergum Riethausium*, clandestinum Senatus delatorem, quadruplatoremve, plebs *Rodlerum* vocat, occidisset, ad asylum *Fridbergense* se conferens, dijudicari hic a prætore urbano causam homicidii ejus per honestos nuncios petiit. Quod ubi nulla fronte denegari posset, dies illi dicta peremptorie est, in qua is salvo conductu munitus, LX. productis testibus, se ad repellendam vim vi compulsum fuisse probavit. Quare innocens pronunciatus citra omne inconimodum in patria mansit. Inde penultima Novembris statutum a Senatu est, ne ullæ lites amplius hic coram prætore, scripto sive per literas agerentur, nisi summam XL. aureorum superarent, res controversæ aut infamiam concernerent. Adhæc ut injuriarum calumniarumque actiones a prætorio tribunali, ad Censores & hoc deputandos remitterentur, denique accensis judiciisque ministris, pro citatione duo tantum nummi, ac pro accusatione seu causa dicunda, quatuor nummi numerari debeant. Suntque decreta ista prætori ipsiusque assessoribus Senatus nomine per *Wolfgangum Pfisterum* Senatorem, ac Doctorem *Peutingerum* archi-grammatæum solenniter insinuata. Quo mense etiam primum apud nos de gestis *Ismahelis Sophi*, qui ex bubulco Christianus factus in regem *Persarum* evaserat, sermo fieri ex epistolis mercatorum cœpit.

Comitia Augustburgi.

Ludi equestres.

Schrimpfius cede absolvitur.

Constitutiones de prætore.

Anno salutis MDXI. consulibus *Georgio Langenmantello IIII.* & *Ludwicho Hosero XIII.* lata lex XIII. Januarii a Senatu est contra damnosos & usurarios contractus, illegitimasque oppignorationes. Postea cum hyems nivosa & algidissima foret, deduxit XIIII. Februarii, *Wilhelmus Bojariæ* princeps, in Rhedis deauratis trecentisque equitibus rubris paludamentis vestitis, per *Augustburgensem* civitatem *Sabinam* & *Sabillam* sorores suas, hanc *Ludwicho Rheni* Palatino *Haidelbergam*, illam *Ulrycho Wirtembergio* duci *Stutgardiam* ad nuptias. Vicesimo quarto dein Maji, nonnulli Annales Martium ponunt, factus est circiter horam III. pomeridianam terræ motus apud nos. Qua tempestate vigente adhuc inter Imperatorem & Venetos bello, Senatus consultum prætori & judicio præscriptum est, quo modo controversarum hæreditatum *Apographæ* seu *Inventarii* sint conscribendi, & quatenus earundem bona, per mandatum judicis *impediri*, seu ut vulgo loquuntur, *arrestari* queant debeantque. Dein altera post festivitatem *D. Bartholomæi* die composita ad plenum in urbe nostra per *Fridericum Sturmfederum Bluementalensem* commendatorem, & per *Ernestum a Welda* militem auratum Cæsareos arbitratores acris ea contentio est, quam cathedrale collegium hic contra urbis præfectum super foro Judiciario mulctis, fabro ferrario, molitore, balneatore, pecoris custode, & publica taberna diutissime apud *Gerstbovam* habuerunt. Septembri mense postea habiti sunt *Monachii* arcubalistarii ludi, ad quos cum CIIII. sagittarii e vicinia invitati confluxissent, lucratus primum bravium est *Wilhelmus Renius*, civis nostera, ægre admodum id ferentibus *Bojis*. Cæterum cum forte textorum tribunus *Finckius* hospitalis hic *S. Spiritus* procurator, una cum scriba ibidem propter peculatus crimen in carcerem conjectus hoc anno fuisset, perfacile consulis *Heseri*, qui tunc supremus domus ejus tutor erat, patrocinio liber evasit.

A. 1511. *Lex de illegitimis contractibus.* *Wilhelmus Augustburgum permeat.* *SCtum de modo inventariorum conscribendorum.* *Lis inter cathedrale collegium & urbis præfectum componitur.* *Ludi Arcubalistarii Monachii.*

Anno

A. 1512. Anno Christi MDXII. consules *Augstburgi* creati sunt *Hieronymus Welserus VI.* & *Ulrychus Artztius III.* Quo licet hyems placidissima, & præter vinum tota annona facilis forent, in festo tamen *purificationis Mariæ*, numerati in halophylaceo, ubi Ædiles eleemosinariam stipem erogabant, MCDLX. mendici hic sunt. Ac postea Imperator, qui jam per *Illyriam* & *forum Julii Venetis* multa tum oppida tum castella eripuerat, Senatui nostro privilegium Kalendis Aprilibus apud *Neustattum Styriæ* suæ concessit, ut nulli amplius liceret, tam a prætoris quam Consulum sententia, hinc ad sacram Cameram provocare, in causa, quæ quadraginta aureorum summam non excederet, secus in majore. Interea commisso apud *Ravennam*, in ipso Paschatis festo, acerrimo prælio, vicit *Ludwichus Galliæ* rex *Julium* Romanum papam (qui accepto cladis ejus nuncio breviarium, quod forte oraturus in manibus habebat, in ardentem focum furibunde, nec sine blasphemiis, conjecit) desideratis nonnullis ex nostris civibus *Gallo* militantibus. Tria post hæc incendiorum pericula, cives non parum multos, apud nos valde exterruere, quorum primum X. Augusti duas domos, prope *Rubram* portam, alterum XVIII. Septembris aliquot ædes intempesta nocte in fabrorum vico, tertium XXIIII. ejusdem mensis, antelucano tempore tres domos, non procul piscatoria portula exussit. Cumque lapsa æstate Imperator *Maximilianus Treveris*, ubi inconsutilis Christi tunica, lepido sane commento reperta tum primo ferebatur, & dein *Coloniæ* comitia celebrasset, missus Reip. nostræ nomine illuc *Georgius Langenmantellus* fuit, qui & decreta illorum, post aliquot principes suo sigillo quoque ratificare jussus fuit. Deinde Kalendis Octobribus cepit *Maximilianus* Imperator in urbe hac frequentissimum eum *Sueviæ* confœderatis conventum agitare. Ac post varias multorum dissertationes tandem sua auctoritate obtinuit, ut dicta *Liga* sanctius in plures annos redintegraretur. Et proin confestim communi illius expeditione *Kræja* arx aërea, antiquum & inexpugnabile Romanorum munimentum, jam vero prædonum specula, ob læsos nuper admodum præter alios multos *Cuntzii a Rosa*, Scurræ aulici & Cæsaris facetissimi geloto-pæi, agnatos armis obsessa, & elapsis nobilibus *Fridingensibus* tertio die, quæ *divo Martino* dicabatur, expugnata, dirutaque in finibus *Hegoviæ* est. Ad quem procinctum Respub. nostra CC. milites ac centies vigesies centenas libras Pyrini pulveris antepenultima Octobris dimisit. Tandem XXIX. Novembris determinatum a Senatu, & in publico chorearum theatro tinctoribus & textoribus indictum est, ut exteros qualescunque sive lineos, sive xylinos pannos, nemo hic ullo colore tingeret, propter-

Privilegium de non appellando.

Julii Papæ clades.

Incendia.

Comitia Treviris & Coloniæ.

Imperatoris & Sueviæ confœderatorum conventus Augstburgi.

Kræja expugnatio.

quam rem diu inter duo prænominata artificia altercatio viguerat.

Anno incarnati verbi MDXIII. postquam quælibet tribus *Augstburgi* in jam jam præteriti anni natalitiis feriis, Tribunum Duodecemvirosque elegisset, sibi crearunt etiam iidem sub *Epiphanias Domini* Consules *Georgium Langenmantellum V.* & *Ludwichum Hoserum XIIII.* Sub quibus sartorum novus Tribunus, cui nomen *Martino Huttero* X. Martii patibulo furum suspensus est, quod vel solam artificii sui societatem, tantillo tempore, plus quam CCCC. aureolis expilasset, quamquam jam scalas ad supplicium ascensurus id revocarit. Inde XVIII. ejusdem mensis die, denuo urbem suam ingressus Imperator noster est, manensque hic ultra dimidium Maji, in ipsa *ascensionis Domini* festivitate, fœdus cum oratore *Hainrychi VIII. Franciæ* & *Angliæ* regis, palam in ecclesia majore percussit, concessitque Senatui nostro prærogativam, ut libere civium suorum colonos agricolasque inobedientes ex ipso *Burgaviæ* Marchionatu, cujus ipse merus & mixtus dominus erat) huc captivos pertrahere, & carcere ad parendum sibi compellere queat. Porro altissima nix XXVIII. die Aprilis ex improviso decidens damnum ingens, & florescentibus arboribus & futuris fructibus apud nos dedit. Sed & post talia, Vulcanus ardens per fabrorum ferrariorum plateam, mense Septembri inclementissime iterum officinas exusit. Cæterum quando ob *Venetum Geldricumque* bella magnus arboreæ lanæ hic defectus esset, accidit, ut plurimi textores naufragia, in arida, fecerint, militatumque præ desperatione abierint, cum tamen xylini panni valde caro pretio venundati sunt, & reliqua annona satis facilis fuerit. Quo anno & Senatus proprio decreto cavit, ut nulla, latæ in foro suo tam interlocutoriæ, quam definitivæ sententiæ, copia per literas cuique, concederetur, nisi quæ consuetudo judicii sigillo, prius communita sit.

A. 1513.

Hutterus patibulo perit.

Privilegium de colonis ad judicium rapiendis.

Incendium.

Textores stipendia faciunt.

Decretum de ferendis sententiis.

Anno redemptoris nostri MDXIIII. facti sunt novi consules *Augstburgi Georgius Vetterus* patritius, qui ante duodeviginti annos *Werda* primum huc migraverat, ac Senatus jussione in patritiatus honorem postliminio restitutus fuerat, & *Hieronymus in Hofo*, mercatorum contribulis, sub quibus & dura & diutina hiems apud nos fuit, ac *Georgius Otto*, postquam jam prætoris subpræfective civitatis officio, quinquaginta septem annis apud nos, integerrime functus fuisset, decrepita vita tandem mense Martio placide etiam defunctus est. Quanquam nonnulli anno MDX. mortuum ac ipsum non tot annis solum & continue prætorem hic quoque extitisse, sed homonymum filium, uno eodemque sigillo usum, illi jam dudum succesisse, velint. Cui mox Imperatoris confirmatione, Senatus *Stephanum*

A. 1514.

Ottonis prætoris obitus.

Bestlerus ejus successor.

num Beſſlerum ſuffici curavit. Cujus adjudicatione Julio menſe *Ubzius Borerus* decrepitus duos & ſeptuaginta annos natus, capite plexus eſt; quod in tanta ſenectute plus minus quatuordecim puellas ſeptennales, etiam in locis ſacratis conſtupraſſet. Poſtea *Maximiliani* Imperatoris mandato pertractus huc *Aichſtetta* ac publice combuſtus eſt *Niclaus Schneiderius, Monhaimenſis*, propter plagium & incendia. Et *Hermannus Hergottus* adminiſter ipſius, prædoque ſecuri percuſſus hic eſt, eo, quod de ipſorum tum capturæ tum ſupplicii loco, epiſcopus *Aichſtettenſis* & Marchio *Onoltzbachenſis* acriter contenderent. Hoc item anno *Antonius Stoltzius*, quod non ſolum colonis noſtrorum civium hoſtilia minitatus eſſet, ſed & violentas manus quibusdam injeciſſet, ex *Oſtendorffio* huc quoque vinctus abductus, prætoris ſententia damnatus, & dum impatientiſsime lictori repugnat, humi jacendo poſt aliquot ictus decollatus eſt. Quando autem eo tempore exitioſa *perditorum ruſticorum conjuratio*, quam *pauperem Cuntzium* vocabant, in *Wirtenbergenſi* ducatu, haud aliter atque in *Ungria* a *Cruciferis*, fieret, non parum in civitate noſtra trepidatum eſt, invaluitque ea propter hic vini precium. Non leve etiam diſſidium apud nos, Senatum inter & patritios exortum fuit, partim cauſa recipiendorum ad contubernii horum ſocietatem, *Georgii Regelli*, & *Andreæ Wolffii*, partim ob nova quædam ſtatuta, quæ patritii inter ſeſe pro retinendis priſtino jure & excellentia condiderant. Senatus vero ea in præjudicium Reip. facta culpabat, quod negocium vix poſt biennium etiam Imperatore mandata interponente, ad patritiorum voluntatem componi potuit. Inde tamen in grati obſequii ergal Imperatorem (qui plærumque poſt multam veſperam e rure ab aucupiis Falconum, venationibusque cervorum redire in urbem ſolebat) ſignificationem conſtructa, ædilibus *Georgio Langenmantello* & *Ludwicho Hoſero*, ex novo paulo ſuper *Klenckeriam* portulam (quæ ſic vocatur, quod vel ante hanc ætatem pulſato tintinnabulo, homines ea noctu intromiſi ſint, vel quod fontes ad ſuſpendia etiamnum per eam ducantur) privata ea porta eſt, per quam occluſis reliquis, advenæ miris involucris, & tanquam decipula, noctu in urbem precio admittuntur. Decembris deinde XIIII. Senatus conſulto cautum eſt, ne unquam *Berlejæ* turris oſtium, in poſterum reſeraretur, niſi per majoris conſilii ſenatorem aliquem, cui propterea angulare inſtitorum tabernaculum, ſub eadem turre, e regione *Zethæ Dominorum* ſita, in ſalarium aſſignatum ſemper eſt. Conſtitutum & hoc anno Senatus conſulto eſt, ut ſi quis civium noſtrorum peregrini alicujus cauſas, in judiciario foro hic acturus ſit, is vicariam eam poteſtatem ab ipſomet principali actore coram prætore vel Burgravio accipere & confirmari curet, ſub pœna 10. aureorum.

Borerus ob ſtupra capite plectitur.

III. ultimo ſupplicio afficiuntur.

Metus de ruſticorum conjuratione.

Diſſidium inter Senatum & patritios.

Nova porta exſtruitur.

Duo Sta.

Anno Domini MDXV. conſulibus *Georgio Langenmantello V.* qui jam quoque *Sueviæ Ligæ* capitaneus erat factus, & *Ulrycho Artztio IIII.* commoratus aliquandiu apud veterem ſuum hoſpitem, *Adlerum*, *Maximilianus* imperator *Augſtburgi* noſtri eſt, atque permagna cura ſumptibusque infinitis, pulcherrima & elaboratiſſima tam pro hominibus quam pro equis arma, nec non præcioſiſſima ſuperbiſſimaque ornamenta, quæ vulgus *Clinodia* appellat, conquiſivit, auro item & nummis apud Judæos ſuos (ſic enim negociatores menſulariosque noſtros abſens vocare ſolebat) locupletiſſime ſe, nec tamen gratuito inſtruxit, ad magnificentiſsimum eum conventum, quo Julio menſe ſe *Viennæ Auſtriæ* acceſſuri erant, *Uladislaus VI. Ungriæ*, *Sigismundus* frater hujus *Poloniæ*, ac *Ludwichus Uladislai* filius *Behomiæ* reges. Ubi poſt clariſsima feſta, regalesque pompas, facta futurarum cum nepotibus ſuis nuptiarum ſtipulatione, mutuum fœdus cum tribus dictis regibus ſolenniter idem imperator contradixit. Interea III. Aprilis prohibitum arduo decreto a Senatu noſtro eſt, ne quis probam monetam ſignatumque aurum, cambio colligeret, atque alio extra uſum cotidianum averet. Circiter quam tempeſtatem, non tam claruit, quam contemptus fuit doctiſsimus Philoſophus, virque ſingularis, *Joannes Maderus*, ſive *Fæniſeca*, qui præter edita in perſpectivam *Petri Jacobi*, in Quadratum ſapientiæ, ac quatuor circulos Bybliæ commentaria, librum quoque compoſuit, cui titulum fecit, *De perdita Philoſophorum*, non niſi conſumatis ſcripta, quorum tamen poſterior hic non amplius extat. Dein apud nos etiam ſuffultum iterum muratis pylis, ruinoſum & ſublime illud pergulum eſt, per quod ab epiſcopali palatio per aliquot Canonicorum tecta, ipſiusque ſummi templi teſtudinem ad ipſum usque primarium aditum tranſitur. Quod cum Reip. expenſis fieret, voluit Senatus & urbis inſignia adpingere. Verum myſtæ tanto fervore reſtiterunt, ut tandem Imperator Aquilam ſuam cum epiſcopi armis, ad pylas eas delineari juſſerit, ſicuti & ante XLII. annos quoque factum fuerat. Atque hinc vetere revirescente livore, poſtquam *paræciani Magiſtri*, vulgus *Zechæ curatores* vocat, altaria ſua in ſummo templo ſericeis velis, civitatis noſtræ coloribus, nempe albo, viridi, & rubro, varie diſtinctis exornaſſent, ac amariolum pro ſacris induſiis calicibusque itidem civitatis noſtræ pinu depictum in id locaſſent, conſpirarunt iidem *Mariani* myſtæ inter ſeſe, ut ea tollerentur quoque, aut certe ſaxeus ille terminus, qui civitatis pinus nomine in ſacra area ceu ficus in oculis ſupereſt, everteretur. Cumque illud facinus Decanus a Stadio ſolerter præcaviſſet, hoc tamen averti tere

Imperatoris & trium Regum conventus Viennæ.

Decretum de pecunia non avehenda.

Maderus inſignis Philoſophus.

Pergulum quoddam ſuffulcitur.

Termini a Marianis diruti reſtitio.

A. 1515.

tere non posset, facta est paulo post clandestina sors, qua ex omni Canonicorum numero, tres imperterriti Sampsones, ne dicam Pyrgopolinices, electi sunt, Doctores videlicet utriusque juris *Vitus Melerus*, *Weidelius*, & *Neithardus*, qui pro sua fortitudine columnam eam, non adperto quidem Marte sed concubia nocte aggressi, in despectum civium expugnarunt, ac semotis arbitris demoliti sunt. Quin item, ut heroica pectora decet, eandem dein præsulis auxilio, sex totos menses restitui manibus pedibusque prohibuerunt. Sed vicit tandem patientia, estque terminus ille cum nuce pinea A restitutus, ac eodem loci, sicuti hodieque veteribus adjacentibus fragmentis in propatulo cernere est, ab urbano Senatu, rumpantur, vel Ilia Codro, iterum collocatus.

Contentio inter Senatum & patritios recrudescit.

Julio dein mense recruduit contentio illa, quæ propter *Georgios Regellium Colerumque*, ac *Andream Wolfium*, ad majus patritiorum sodalitium, cujus uxorio jure capaces erant, recipiendos, Senatum inter & patritios Consulis *Hoseri* atque Doctoris *Joannis Rhelingeri* Syndici instigatione admodum odiose apud nos diu duraverat. Cujus rei causa Senatus sub initia Sextilis mensis decretum contra novas quasdam patritiorum pro sodalitio ipsorum constitutiones superiore mense fecerat. Adversus quod *Stubæ* patritiorum *Magistri* allectis ad ordinarios suos XX. Viros, acto aliis e sua sodalitate viris XIII. Septembr. currente hocce anno apologiam longam opposuerunt, ad quam Senatus sequente Octobri se primo decreto staturum respondit. Cumque res ad Imperatorem etiam delata demum foret, misit is IX. Octob. anni sequentis *Wilhelmum a Wolckenstaino* baronem, *Wolffgangum Gergerum* nobilem, simul ac *Balthasarem Merckelinum* præpositum *Waldkirchensem* cum literis, tam ad ipsos patritios, quam ad Senatum nostrum, ac pacem silentiumque ad judicam usque determinationem utrisque mandavit. Licet aliquando pro novis illis candidatis intercedere erga patritios antea non dedignatus fuerit. Quando autem tunc temporis pro antiquæ libertatis more, superioris *Germaniæ* pedites, inter quos non parum multi ex nostratibus civibus forte erant, *Francisco* novo *Gallorum* regi apud *Insubriam* auxilio venerant, accidit, ut *Helvetii*, *Maximiliano Sfortiæ Insubrium* duci merentes, maxima clade XIII. die Septembris, non longe a *Mediolano* succubuerint, ipseque dux tota patria exutus sit. Sub hujus belli procinctu *Maximilianus* Cæsar dixisse fertur satis argute, *sive vincam, sive vincar, haud magnopere juro.* Mensis jam dicti dein XV. die facta hic inter rempublicam & episcopum transactio est, in controversia molarum ferrinæ & frumentariæ, quæ ad *Hettebachum* & *Oberhausæ* sunt, per *Georgium Seuboldum*, *Aichstettensis* præsulis cancellarium, & *Joannem Ungelterum*, consulem *Eslingensem*, a *Suevica liga* delegatos arbitratores, præsidente *Adamo* a *Fraindsberga* civitatis nostræ advocato.

Helvetiorum clades.

Pactum inter rempubl. & Episcopum de quibusdam molis.

Porro hoc anno omnes fontes, torrentes, rivi, flumina, stagna ac lacus, per totam *Germaniam*, in tantum inundarunt, ut non solum alveos ripas & pontes multis pedibus exuperarint, sed & adjacentium oppidorum muros non sine damno transcenderint, fuitque inter alias, etiam nostra hæc civitas, XVII. Julii præ *Werdachæ* & *Lechi* subita inundatione, insula ferme facta. Sumptibus præterea *Jacobi Fuggeri* & Sociorum, habitæ hinc inde in scholis universalibus, præsertim *Bononiæ* in *Italia*, *Parisiis* in *Gallia*, *Viennæ Pannoruni*, per *Johannem Majoris Eccium*, Theologiæ doctorem *Ingolstadiensem*, super licitis usuris monopoliorumque contractibus disputationes acutissimæ sunt: Quas licet Papa *Leo* authenticas reddere noluerit, ipsarum tamen occasione Patritii nostri, citra negociationes non parum etiam ditari ceperunt, utpote, pecuniam suam ad vicesimarum fœnus mutuum illis acervatim dando. Absoluta item eo tempore tandem provinciæ specula, impositus summo cacumini inauratus B globus est, qui XVIII. *minores modios* seu *Metzos* olyræ capit.

Inundationes.

Eccius de licitis usuris disputat.

Anno salutis hominum MDXVI. dicti A. 1516.
apud nos consules sunt *Georgius Vetterus* II. & *Hieronymus* in *Hofo* II. Sub quibus expostulatum statim per legatos Reipubl. nostræ fuit, tum cum præside *Fridbergense*, tum cum ipsomet *Wilhelmo Monachiense* duce propter vexillum *Bojaricis* armis depictum, ædiculæ cis *Lechi* pontem, sub finem lapsi anni infixum. Verum cum ambo se insciis id factum faterentur, nec tamen tollerent, curavit Senatus, id eodem, quo erectum fuerat, pacto, clam noctu dejici. Cæterum C XIIII. Februarii die, Senatus in novo eo *triclinio*, quod *superiorem consilii Zetham* vocant, quodque ortum solis spectat; cujus *Hofensis* consul proxime jam lapso anno propter majorem tranquillitatem & autor & ædilis fuerat, haberi primum hic a consulibus cœpit. In quo dein XX. die Februarii decretum a Senatu est, ne quis amplius pro cive habeatur, etiamsi publicum censum annuatim pendat, qui hic apud nos residere aut habitare non pergat. Cum autem S. *Katharinæ* templum apud nos restauretur hoc anno, concertatio non levis inter D priorissam, seniores que ejus cœnobii sorrorculas, ac inter constitutos a Senatu ædiles, Consulem nimirum *Hosensem*, ac *Martinum Angelbergerum* textorum tribuum excitata fuit: num superior ædis ejus pars lateritia testudine, an ligneis laquearibus concludenda, & utra fabrica salubrior honoriorque futura esset. Pro ejus itaque rei certiore decisione processerunt cunctæ illæ moniales simul intempesta *ascensionis Christi* nocte horam circa secundam ex claustro

Senatus in superiori consilii Zetha haberi incipit.

Lis inter ædiles & virgines S. Katharinæ componitur.

ſtro ſuo ad prædicatorum templum, ut experiretur, num Echo ſubtus concamerato choro exilibus mulierc ularum vocibus incommodi quicquam afferret. Cantata ergo prima quam vocat *hora* mox iterum ſe domum vulgo accurrente ac novitatem inſolitam mirante receperunt, ubi extemplo devotas illas in refectorio ſuo ordine geniculantes reatumque confitentes D. *Johannes Fabri* prior Dominicaſtrorum ac confeſſor earundem, quam in vota ſua deliquiſſent, pro more expiavit. Poſt quæ toto anno hoc, nihil aliud memorabile *Augſtburgi* accidit, niſi quod dum in *Sudetis* montibus *Alexander* comes *Leiſnitzius* & *Stephanus Schlicco*, collapſum puteum ad thermas *Caroli* IIII. Imperatoris inſtaurari juſſiſſent, foſſoresque prædivitem argento venam, in egerenda terra præter ſpem inveniſſent, non pauci noſtrorum civium, ut ſunt ad rem faciendam paratiſſimi ſagacesque, locum eum propere diteſcendi cauſa adierint, ac fodinis probe exploratis, non ſine futuro emolumento, ſumptus ad metallicum ibidem opus abſolvendum, conferre quoque cœperint. Locus is *vallis Joachimica* dicitur, ac propter opum inexhauſtam ſcaturiginem (nam ab eo argentei illi unciales nummi, qui initio *Rhenenſem* aureolum precio æquabant, *Joachimici Vallenſes* ſive *Thaleri* nomen, quod illic primo cuſi fuerint, acquiſiverunt) brevi ex heremo & ſylva ſteriliſſima, ſic excultus, vicis, ædibus, & hominum manſionibus eſt, ut maximam quamque civitatem ſpacio hodie ſuperet.

Argenti vena in valle Joachimica invenitur.

A. 1517. Anno Chriſti MDXVII. creati ſunt *Augſtburgi* noſtro, hyeme ſæviſſime vigente, conſules *Georgius Langenmantellus* VII. & *Ulrychus Artzius* V. Quorum rogatione mutata eſt ſumma pecuniariæ ejus mulctæ, quam protervius vel pugno vel ferro agentes, Prætori & Fiſco luebant, hac lege, ut cum hactenus ſeptem aureoli pro temere evaginato enſe, ac tres cum dimidio pro inflicta alapa, perſoluti in pœnam fuiſſent, ut in poſterum iam quatuor tantum aureoli pro priore, & duo pro altero delicto, dummodo nullum vulnus inflictum eſſet, deinceps cenſoribus darentur, novumque illud ſtatutum Imperator poſtea ratum habuit, eo quod plures artificum famuli, potius civitate cedere, quam tanto ære plecti maluerint, propter quam rem non raro contigerat, & officinas languere & ingenioſas operas hic deeſſe. Porro cum hoc anno *Lechi* ripa, in noſtra parte, aggeribus, firmisque arcis, Senatus juſſu muniretur, erupit intempeſtu, quæ XVII. Julii diem ſequitur, nocte, *Georgius* comes *Holffenſtainus* præfectus *Bridbergenſis*, cum aliquot agricolis fabriſque, & non ſolum operariorum noſtrorum inſtrumenta atmaque in profluentem abjecit, ſed & totam civium ſtructuram dejecto prius, nec noſtratibus impediri poſſet, *Lechauſano* ponte, funditus diruit. Quod ubi e veſtigio legati Reipubl. noſtræ, conſul *Langenmantellus* & *Hieronymus* in *Hofo*, *Monachii Bojarico* principi in faciem exprobraſſent, ac ultro citroque ſatis dura verba commutaſſent, ac ſemel iterumque eo commigraſſent, tandem impetrato ab Imperatore commiſſario, conſulibus noſtris, cum Doctore *Peutingero* extremum *Monachium* miſſis, Decembri menſe, eo negocium perductum eſt, ut inſpecta per omnium *Lecho* adjacentium oppidorum, ipſorumque adeo *Ulmenſium* architectis, utpote quibus cum *Danubio* ſemper luctandum ſit, utraque ripa, noſtris conceſſum ſit, dictum fluvium extra terminos ſuos effluentem, moderate coercere. Et quia annona in foro tunc quoque cara hic foret, magnus enim modius olyræ XXI. ſolidis venibat, habuit Senatus noſter, undecies mille & ſexaginta quatuor majores modios omnis generis frumenti repoſitos, quibus pauperculis muncipibus opem famis tempore potuit ferre. Cumque *Wilhelmus Remus* Sextili menſe CCC. majorum modiorum Olyræ panes egenis gratis elargiendos pinſitari ſatageret, nusquam id hic præ piſtorum malitia obtinere potuit. Quare ſupplicando apud Senatum evicit, ut tandem ſuis ſumptibus panes illi in majore hoſpitali conficeretur: & cum ſimilem dein Eleemoſynam Senatus noſter quoque faceret, deprehenſum eſt piſtores ſimilis ponderis ac magnitudinis panes quinque nummulis cariùs publice divendere quam juſtum eſſet. Ob quam rem poſtea Decembri menſe *Hanſius Viſcherus* horum tribunus tanta jurgia in Senatu adverſus cereales ædiles ſuſcitavit, tantaque protervia iisdem oblocutus eſt, ut ſequente Senatus die culpam deprecando tantum non palinodiam canere a conſulibus compulſus ſit. Quo anno etiam *Bartholomæus Remus* negociationis ſocietatem cum *Ambroſio Hochſtettero* jure herciſcere cœpit, ac cum ante unum de viginti annos, octingentis quinquaginta ſolummodo aureolos, in ſortem depoſuiſſet, jam præter annuas uſuras, partem de ſumma XXXVI. millium aureorum dimidiam recepit. Ex hoc exemplo jam reliquarum ſocietatum divitias comparandi modum conjice lector. Eodem præterea anno *Zelymus Turcarum* decimus Cæſar, captis *Syriæ* & *Ægypto*, *Tomumbejum* II. *Ægyptiorum* Sultanum ultimum, idibus Aprilibus, apud *Memphim*, *Alkeyram* hodie indigitant, ſtrangulari præcepit, atque ita ſuperbiſſimum *Mamaluchorum* tum regnum tum nomen ſubita extinxit.

Multa de inflicta alapa vel evaginato enſe minuuntur.

Lis de Lechi ripa munienda componitur.

Annona caritas.

Remus panes egenis elargitur.

Piſtorum tumultus.

Ægyptiaci regni interitus.

Paucis dein evolutis diebus *Chriſtophorus* a *Stadio* utriusque juris doctor, capituli majoris Decanus, ac decrepiti præceſſoris ſui coadjutor, cathedræ XIIII. Maji hic impoſitus, Epiſcopatum *Auguſtanum* plene ſuſcepit, ac XXVI. annis prudentiſſime tenuit. Princeps hic ſtatim poſt alterum villicationis ſuæ annum, *Werdæ Franciſcum S. Crucis* abba-

Chriſtophorus Epiſcop. LIX.

abbatem ob Sodomiæ crimen exauctoravit, perpetuisque carceribus propter characterem indelebilem, adjudicavit. Pullulantibus vero per *Germaniam Desyderio Erasmo Rotherodamo* & *Johanne Reuchlino Phortzense*, potissimis autoribus, humaniorum litterarum studiis, adeoque puriore Theologia, *Johannem Oecolampadium Weinsbergensem*, & post illum *Urbanum Regium Argonensem*, sacræ scripturæ doctores, aliquandiu a concionibus hic habuit. Quorum hic poeta & Orator laureatus erat, & mox relicto papatu uxorem *Augstburgi* ducens, Reipubl. Salario Evangelium ad *divam Annam* diu docuit, ac dein vix e faucibus sacramentariorum ereptus, *Francisco* duci *Luneburgensi* operam suam addixit, apudque illum in sinceriore doctrina permanens tandem *Zellæ* pie obiit. Ille vero trium linguarum peritissimus, monachus *Brigittinus* apud *Altemunsterum Bojariæ* desperatissimum bellatorem, *Franciscum Sickingerum* primo, & deinde *Basilejam* venit, ubi *Zwinglianismum* ad mortem usque propugnavit. *Johannem* item *Vogelinum Hailbrunnensem* virum doctum, literario suo ad *Marianum* templum ludo, aliquantisper præfecit, qui postea *Viennæ Pannonum* Mathematicas disciplinas *Euclidemque* publico gymnasio docuit. Cæterum idem episcopus noster *Zusamhausanum* Xenodochium, ex episcopatus proventibus fundavit, ac S. *Ursulæ* cœnobium hic ad *Lycum* primus patrimoniolo de sua mensa dotavit, cum prius Nonnullæ illæ sola mendicitate vixissent. Habita item anno MDXX. *Dillingæ* centum sexaginta plebanorum synodo, novis hæresibus obviare studens, matrimonia ac *Lutheri* libros sacerdotibus prohibuit. Cumprimis vero de exigenda a Clero propter concubinas, spuriosque illorum pecunia, exquisitas rationes, ne dicam meretricium quæstum iniit. Adhæc haud postremus ex imperii ordinibus delectis illis fuit, qui in comitiis *Wormatiensibus* anno MDXXI. die XXIIII. Aprilis, cum *Lutherο* de revocandis erroribus egerunt. Denique oratorem suum consiliariosque ad eum conventum misit, quem Archidux *Austriæ Ferdinandus* cum *Campegio* papali legato & Cardinale *Langio Salzburgense* archiflamine, ducibus *Bojariæ Wilhelmo* ac *Ludwicho* episcopi item, *Ratisbonense*, *Freisingense*, *Bambergense*, *Aichstettense*, *Tridentino*, *Brixinenseque* pro retinenda antiqua sua religione æstate anni MDXXIV. secreto fœdere *Regensburgi* agitavit. Seditionem præterea rusticorum plus quam Epidemicam, quæ anno MDXXV. contra ecclesiasticos proceres, causa tuendi christianum dogma & profligandi servitutem exorta temere per totam quidem Germaniam fuerat, ægre admodum, sed valde provide pertulit. Anno dein MDXXX. Idibus Augusti inter septenos pontificios unus, non modo ut diœcesanus loci, sed & ut doctus constansque vir, delectus fuit, qui cum totidem Evangelicis, concordiæ rationes inire, ab Imperatore *Carolo* V. in comitiis jussi sunt, postquam princeps Elector *Johannes Saxoniæ* dux, cum suis asseclis, fidei disertissimam confessionem intrepide jam toti imperio obtulisset. Postea etiam magnanimiter *Wigando Bambergensi* exempto præsuli, adstitit, contra *Georgium Brandeburgensem* Marckgravium, in *Sueviæ Ligæ* illa solenni dieta, quæ anno MDXXXI. mense Julio *Nördlingæ* celebrata fuit. Sed & idem episcopus, propter mutatam religionem negatamque sacrificulis ulteriorem immunitatem, civitate *Augustana* cum omni clero, monachisque sub annum salutis MDXXXVII. non citrà acerbissimam in rempublicam eam editam invectivam cessit. Sæpissime tamen interea gravissimarum disceptationum, non indiligens conciliator, pacificatorque medians, inter Imperatorem *Carolum*, Cæsaremque *Ferdinandum*, ac *protestantes*, quos vocant, fuit. Præcipue vero anno MDXL. in conventu *Hagnoviense*, & sequente anno in comitiis *Ratisbonensibus*, dum nemo non atrocia in *Lutheranos* caderet consilia; sequestrem se inculpabilem exhibuit. Ultimo, dum secunda vice apud *Norihergam* in comitiis, una cum *Friderycho* Palatino, *imperatorium* ageret *legatum*, vulgus *commissarium* vocat, apoplexia, mense Majo, anno Domini MDXLIII. obiit. Sub humanissimi hujus antistitis primordiis, quamprimum sibi in Decanatu canonico hic *Chunradus* ab *Hurnhaima* successisset, statim eodem anno obiit, ac eandem dignitatem *Marckwarto* a *Klingenstaino* tribus annis reliquit. Et ecce pervenere *Augstburgum* ex *India* duo *Dominicastri* & duo *Franciscani* cucullati, animo & facie nigri; qui postquam explorandæ *Europæ* causa, Apostolorum limina Romæ invisissent, etiam hic in summa æde coram ipso imperatore *Maximiliano Chaldaicis* Ceremoniis & lingua, liturgiam celebrarunt, atque ita salvum conductum ad institutum suum impetrarunt. Cumque eodem anno *Jacobus Fuggerus* civis *Augstburgensis*, apud *Leonem* X. papam Romanum, jus patronatus *Moriciani* collegii in patria, non parvo auro, quod tamen in urbe ipsa sui non parva utilitate signabant, obtinuisset, statim ipse Episcopus, Canonicique prædicti templi reclamare, & a Senatu urbano auxilium contra *Fuggeros* implorare non dubitarunt, nihil tamen effecerunt. Inde, *Matthias Gutterniannus*, tricesimus primus *Narisbaimensis* abbas, Insulæ diadema monasterio suo & sequentibus in eo abbatibus primum intulit. Anno adhæc Domini MDXXI. *Philippus* a *Recbberga* majoris templi apud nos Decanatum nactus, tantum non XXXIIII. integris annis summa severitate administravit. Quo anno & *Christophorus* Gai-

Johannes Oecolampadius & Urbanus Regius concionatores Augstb.

Johannes Vœgelinus scholæ Marianæ præfect.

A. 1520.

Christophorus comitiis Wormatiensibus interest.

A. 1521. *Conventus Regensburgi.*

A. 1524.

A. 1525.

A. 1530.

A. 1531. *Episcopus Augstburgo cedit.*

A. 1537.

A. 1540.

A. 1541.

A. 1543. *Conradus & Marckwartus Templ. Cathed. Decani.*

IV. Mexicani India Augstburgum veniunt.

A. 1518. *Fuggeri jus patronatus Moriciani sibi adquirunt.*

A. 1528. *Philippus Templ. Cathed. Decanus.*

Christo-

phorus Crucianus præpositus XX.

Gailius, Dillingensis, vicesimus præpositus ad S. *Crucem* hic factus, viginti uno annis eidem monasterio præfuit, ac postea in patria sua exul obiit. Quin & *Johannes Cholerus*, civis & utriusque juris doctor, Romana praxi cathedralis *Curiensis* ecclesiæ apud superiorem *Rhetiam* præpositus eodem tempore factus, post decem & sex annos eandem dignitatem, *Lucio Ithero* Canonico ibidem custodi, & tandem episcopo, receptis sexingentis coronatis, resignavit, ac domi nostræ, cum alii sacrificuli civitati cederent, *Magdalenam Schwartziam* uxorem duxit. A

A. 1523. *Agnes & Anna Stephaninæ abbatissæ.*

Anno vero MDXXIII. *Anna Freibergensis*, *Agneti* a *Gyltlinga*, quæ unico saltem anno præfuit, succedens, *Stephanini* apud nos gynecæi abbatissa triginta annos est facta, ac præfecturam, quæ est in *Bazenhofa* sua a nobili quodam *Knöringense* mere cœnobio comparavit. Sub qua *Catharina Fridingensis*, relicto consortio eo, *Paulo Constantino Phrygioni*, theologiæ doctori nupsit, qui & *Basileæ* & *Tubingæ* facultatem suam probe professus est. Circiter quam tempestatem conscripsit *Matthæus Marchschalcus* a *Bybervacho*, canonicus *Marianus* & utriusque juris doctor, succinctam historiam latinam de *antiquitate* & *initio civitatis Episcopatusque Augustanorum*, ex qua nonnulla, præsertim, quæ ad Clerum pertinent, ad annales hosce transumpsi, ac propriam domum pro ordinario summæ ædis Concionatore prope S. *Ægydium* fundavit. Cœpit & Doctor *Johannes Speiserus* parochus & Ecclesiastes ad S. *Mauritium* (in quo collegio post *Bernhardum Artztium*, *Wolffgangus Andreas Remus*, jurium Doctor, & Canonicus *Marianus*, præpositus circiter annum Christi MDXXV. est factus.) Verbum Dei sincerius prædicare, tanto plebis tum concursu, tum fructu, ut publica scorta ad ejus conciones conversa, relicto prostibulo, quod ad mœnia *Göggingensis* portæ situm erat, partim honeste nupserint, partim alio præ pudore dilapsa sint. Verum momentaneus ille mercenarius, malo Spiritu retractus, ad traditionum humanarum vomitum rediit, ac ad extremum omnino infide desperasse furioso fine fertur. Anno dein MDXXVIII. creatus est *Johannes Künlinus* civis, quadragesimus quintus abbas S. *Ulrychi*, ac cum urbe ista cum suis migrasset, arcem *Wittelsbachensem* de novo pro refugio instauravit, undecimoque præfecturæ suæ anno moriens, *Simonem Gollium* itidem civem nostratem, exilii successorem novem annis reliquit. Interea *Christophorus Madrucius*, ecclesiæ *Augustanæ* Canonicus, *Tridenti* & *Bryxinæ* episcopus, adeoque & Cardinalis Romanus est factus. Sublatoque anno Christi MDXXXV. apud *Chiemseam* crassissimo præsule *Ægidio Remo* cive Augustburgense, successit brevi in eodem episcopatu *Hieronymus Meittingus* similiter civis noster. Anno autem MDXXXVI. efficitur *Joannes Staberus* vicesimo secundo loco præpositus ad S. *Georgium Augustensem*, qui altero mox anno cum canonicis suis *Guggenbergam* concedens, quinto demum villicationis suæ anno, vitam cum morte commutavit, habuitque *Eberhardum Willfingium* successorem septem tantum mensibus. Post quem *Georgius Wirsingus*, civis *Augustburgensis* homo prodigalis, vicesimus quartus *Georgianus* præpositus lectus, vita extra civitatem quinto administrationis anno defunctus est, & ab ejus morte Canonici sui *Pollingæ* in *Bojaria* apud sui instituti monachos, usque ad *Carolinam* restitutionem sine capite exularunt.

Johannes Georgianus præpositus XXII.

Eberhardus XXIII. & Georgius XXIV. Georgiani præpositi.

Anno Domini MDXVIII. consulibus *Georgio Vettero* III. & *Hieronymo* in *Hofo* III. confirmatus est per imperatorem *Maximilianum*, Senatus nostri adoptione *Wilhelmus* Baro a *Waldburgo*, imperii dapifer, provinciæ civitatisque *Augustburgensis* supremus advocatus seu præfectus. Et instantibus mox Carnisprinii lætitiis, cum pro more soli patritii subinde in publico theatro choreas ductitarent, accessit illas quoque XI. Februarii *Maximilianus* Imperator princeps festivissimus, ac nescio quo instinctu ductus, jussit ut omnes matronæ ac virgines præsentes eo ipso vestitu ac ordine, quo frequentissimæ aderant, binæ atque binæ sine viris saltatiunculam circumducerent; quod ubi obedienter fieret, majoresque ac primariæ per gyrum ad imperatoris cathedram rediissent, statim solenni actu per Cardinalem *Langium* sinuosa flammea calyptrasve, quibus alias lugentes mulierculæ tegi solent, ingenuæ vero matronæ inter saltandum, iisdem velatæ, hactenus honestatis gratia filiabus & neptibus assidebant, palam abrogari, nec amplius ad ejusmodi hilaria spectacula gestari, cum pro majestate sua mandare posset, blande & amice pro sua clementia non indecore petiit, cui illæ, habita extempore trium præsentium consulum deliberatione, itidem pro sua gravitate Doctorem *Peutingerum* gratanter respondere jusserunt, se facile ad talia vota consentire, atque ad capitis ea ornamenta deponenda ipsius autoritate posthac paratas fore. Id quod proxima Cunæ die solis peplis amictæ haud sine plebejorum admiratione præstiterunt. Impetrarunt & hac occasione mox etiam ipsi patritii immunitatem ab eodem Augusto Cæsare, ne quem aulicorum ipsius, quod genus hominum ut plerumque ex novis hominibus constat, ita & impudens est, & nihil non sibi confidenter arrogare audet, qui hic forte domicilium habebant, in contubernii sui societatem, contra antiquum statutorum suorum ordinem, receptare cogerentur, nedum illos, qui civitatem apud nos non haberent. Haud dissimile privilegium item idem Imperator Senatui *Augustburgensi* dedit; nonnulli

A. 1518. *Wilhelmus præfectus.*

Sinuosa flammea & choreis proscribuntur.

Johannes Speiserus efficaces conciones habet.

Matthei Biberbacchensis gesta.

Johannes VII. Ulrichianus abbas XLV.

Privilegium de aulicis a patritiorum societate excludendis.

Privilegium de annuo

censu ab aulicis exigendo. A. 1511.

nullis id anno gratiæ MDXI. Reipubl. nostræ conceſſum ferunt, ut ſcilicet a ſingulis ſuis tum conſiliariis tum quibuscunque aliis miniſtris, æque ac ab illis civibus, qui juri municipali renunciarunt, ſi aliquandiu apud ſe habitare voluerint, non ſolum conſueta vectigalia aliaque civilia onera, ſed & annuum cenſum exigere recipereque queat, renitentes vero & aulæ immunitatem prætendentes, omni conſortio, publicis choreis & quibuscunque ludis excludere aut etiam omnino urbe ejicere, antiquasque conſuetudines ſuas inconvulſas manutenere liberè poſſit. Cum primis vero imperator eodem dyplomate ſenatui noſtro conceſſit, ut a ſingulis centenis aureis illorum bonorum, qui civitatem mutantes hic non vendiderint, quod tamen ſolis noſtris civibus facere debent, tres aureolos quotannis pro publico cenſu poſcere jure queat. Poſtea

Comitia Augſtburgi.

cœpit ſæpe nominatus imperator comitia ſplendidiſſima, Julio menſe præſentibus ſex Electoribus principibus, hic celebrare, in quibus decimæ ſacerdotibus *Germanicis* imponendæ, & aliæ popularium per indulgentias futuræ exactiones *Thomæ de Vio Cajetano, Lib. III.* X. (qui brevi poſt e ſcripturis ſacris Antichriſtus vere evictus, & toti mundo clariſſime revelatus eſt) pontificis Romani purpurato, tituli S. *Sixti* denegatæ ſunt. Ac

Ulrichus Wirtenbergenſis proſcribitur.

Ulrychus Wirtembergenſis dux, cui jam dudum *Dietrychus Spatus*, & *Georgius Stoufferus*, *Sabinam Bojaricam* conjugem, fratrum ejus juſſu abduxerant, propter interfectum a ſe *Johannem Huttenum*, aliaque enormia ac contumacia facta, poſt tentatum ſerio *Blaubeyrrhæ* per Cardinalem *Langium* tranſactionem, debitoſque juris proceſſus, imperatore ipſo, *Kalendis*, alii legunt *Idibus*, Octobris, publice in ſuperiore Senaculi civium triclinio, ſententiam ferente, ſummam cenſuram ſubiit, ac Heroldo imperatoris ex Curiæ ambone conclamante omnino proſcriptus eſt. Interea

Albrechtus archiepiſcopus creatur.

tamen Kalendis Auguſti *Albrechtus Brandenburgius, Moguntiæ & Magdeburgi* archiepiſcopus (qui paulo antea *Chriſtophorum* ducem *Brunſvicenſem*, aſtantibus pluribus præſulibus, in *Bremenſem* archiepiſcopum in templo *Mariano* hic conſecrarat) Romaniæ eccleſiæ Cardinalis, titulo S. *Chryſogoni*, a prædicto papæ legato, ſæpe nominatoque *Langio* Cardinale, non ſine myſterio maximisque ceremoniis creatus fuit. Similiter

Caſimirus nuptias facit.

& *Caſimirus* Marchio *Brandeburgenſis*, nuptias cum *Anna Bojariæ* ducissa clariſſimas quoque in feſto *divi Bartholomæi* fecit. Deinde V. Septembris die dedit ipſius imperator principibus in inſula *roſarum* extra urbem hanc luculentiſſimos baliſtarios ludos.

Lutherus Cajetanum Augſtburgi convenit.

Demum ſub initia Octobris ſiſtitur *Cajetano* Cardinali hic, *Martinus Lutherus Islebienſis*, *Auguſtinus* Heremita *Wittembergenſis*, ſub imperiali cautione. Nam *Friderychus Saxoniæ* ſapientiſſimus Elector interceſſerat, ne Romam, uti citatus erat, ire cogeretur, ob taxatum indulgentiarum papalium tum promercatum tum abuſum. Quæ res Romanis nova & plane paradoxa doctrina videbatur. Uſus autem monachus ille veritatis imperterritus buccinator, hoſpitio *Carmelitarum* ad *divam Annam* præcipua *Matthæi*, alii *Chriſtophori, Langeumantelii* humanitate ac cura fuit. Cumque revocare diſputationes ſuas ſcriptaque nuper edita nollet, relicta proteſtatione appellationis, indignante legato clam abiit, & ad ſuos reverſus ceptam religionis telam, qua Evangelio Chriſti conſentanea, & ſedi Romanæ adverſa intrepide adſtruebat, divino inſpirante numine, dexterrime & cum plurimorum ſalute abſolvere ſategit. Quo anno, ſuſcitato novo aggere, mœnia ante Judæorum cœmiterium, vallo fortius munita hic ſunt. Et eſt Senatus conſulto lex lata, ut

Lex de ſolvendo auro ſignato.

ſemper deinceps, tam in publico pendendo cenſu, quam vinariis vectigalibus reddendis, quæcunque pecuniæ ſumma aureoli *Rhenenſis* valorem, attingat, non amplius argenteis numiſmatibus, ſed auro ſignato perſolvatur, quæ res non modicum fœnus fiſco hodie affert. Item eodem hocce anno cœperunt primo invaleſcere latiores pilei, *grandiaque capitis tegumenta, hyreta* vulgo vocantur, apud nos, ſurque ruſticus quiſpiam *Binzgoicus* hic, non procul *Saltzburgio* in rupibus educatus, qui aſpectante Imperatore, multisque aliis præſentibus, haud aliter crudas carnes devorabat, ac ſi vel toſtæ vel elixæ fuiſſent, idque bono ad-

Latiorum pilcorum origo.

Supplicia.

peritu. Demum XX. Decembris, capite plexus Imperatoris edicto hic eſt, *Bernhardus* ab *Holzinga* nobilis & prædo. Poſtquam vero *Lucas Welſerus* patritius capitali illi judicio intereſſe noluerat, decem millium coctorum laterum mulcta contumaciæ a Senatu damnatus eſt. *Porro* quando improbior moneta ſupra modum apud nos invaluiſſet, non parum multi ob dolum eum pœnas hic luerunt, cum primis *Binſtiefferus* quiſpiam, quod magnam copiam falſorum cruciferorum urbi intuliſſet, vix plurimorum interceſſione a commerita mortis pœna liberatus in perpetuum proſcriptus fuit.

Anno Chriſti MDXIX. dicti ſunt *Auguſtburgi* conſules *Georgius Langeumantellus* VIII. & *Ulrychus Artzius* VI. Statumque XII. Januarii die denuo aſſeſſorum civilis judicii numerus immutatus, & adauctus eſt, ita ut poſthac perpetuo viginti & unus ſint, videlicet duo patritii, duo mercatores, & ex reliquis ſedecim plebis tribubus ſinguli, per annum tribunali prætoris jungerentur, quibus Senatus quolibet anni quadrante, primarium judicem ex ſuo albo addendum curaret. Sanctumque eſt tunc etiam, ne ulla ſententia niſi ad minus 12. Judicibus aſſidentibus ferretur, irrogata ab ſentibus 8. nummorum mulcta. Et eccle-

A. 1519. Civilis judicii aſſeſſorum numerus augetur.

Maximiliani mors.

dum ista apud nos adornantur, eadem ipsa nocte obiit *Welsæ*, post lentam febrem, alvi profluvio, in quod ex sumto parum opportune pharmaco inciderat, *Maximilianus* Imperator, qui inde per *Viennam Austriæ*, querno loculo, quem multis jam annis secum circumferri curabat, vectus, apud *Novam civitatem Styriæ*, in *Georgiano* sacello arcis, in qua post prima incunabula educatus, literisque institutus fuerat honorificentissime ad matrem suam *Leonoram* sepultus est. Optimus hic princeps, cum ob innatam probitatem summo semper candore, res quascunque etiam propria negocia agitaverit, sæpissime tamen ab aliis fraudulenter circumventus fuit. Et cum non multo tempore ante mortem suam, a Pontif. Max. *Leone*, fallaciis quoque delusus fuisset, serio in hæc verba prorupit: *Jam demum vere ausim asserere, nullum papam Romanum per omnem meam vitam pacta mihi aut fidem servasse.* A cujus morte cum subito *Ulrychus Wirtembergius* dux, superiore anno hic proscriptus, *Reuthlingam* imperiale oppidum vi cepisset, totius *Sueuici* fœderis arma in se provocavit, quibus *Wilhelmo Bojarico* duce adhuc, & *Georgio Waldburgense* Barone ductoribus, universa ejus patria, frustra *Schweitzeris* opem ferentibus, bis pulsus est. Post quas expeditiones cum respublica nostra haud minimas ex debito quoque fecisset expensas, habuerunt dicti confœderati in urbe hac conventum, anxieque consultarunt, quidnam de capta provincia agendum esset. Ne autem *Germania* diutius justo destitueretur rectore, electus suimma spe, sed imparibus votis, a Septemviris Romani imperii *Francofurti* XXVIII. Junii die, Cæsar est, *Fridrycho Saxone* onus id recusante, nepos divi Maximiliani ex *Philippo* filio, CAROLUS V. *Hyspaniarum* & *Siciliæ* rex, utut *Leo* X. papa manibus pedibus refragatus sit, *Franciscusque* Rex *Galliæ* multa pecunia Electores quosdam tentaverit. Quarta dein Septembris die, visus sero vespere hic est igneus globus, qui flammeam caudam trahebat, supra civitatem nostram per æthera ab ortu in occasum labi. Quo anno dedicaverunt hic *Ulrychus Georgius*, & *Jacobus Fuggeri*, germani fratres, centum & sex, in meditullio quasi *Jacobini* suburbii, ex maximis, quibus affluebant, opibus, de novo constructas ædes, frugi sed pauperie laborantibus municipibus, quæ instar privati oppiduli, etiamnum nomen a fundatoribus apud nos trahunt, ubi & pro exteris utriusque sexus, triginta duobus gallico morbo laborantibus hominibus ξυλοκοιτίον ligni *Guajacani* curatione, ab iisdem *Fuggeris* fundatum est. Adhæc exulceratum de novo Senatus jussu est, munimentum seu propugnaculum illud, quod ibidem *Werdachæ* pontis portam, & *Georgianum* tantum, plebs *pistorium furnum* adpellat, cœpitque una & magnum Reipubl. gra-

Bellum cum Ulrichо Wirtembergio.

Carolus V. Imperator

Fuggeri eadem & hospitale ab Jacobo suburbio condant.

Senatus quoque multa exstruit.

narium, inter *Crucianam* & eam, qua noctu homines precio intromittuntur, portas, super antiquam civitatis fossam ædificari. Et cum tunc temporis *Austriaci* legati ex *Oemponte*, propter Marchionatus *Burgavienses* jurisdictionem, cum Senatu hic multa agerent, indicati illis, per *Wilhelmum* Dapiferum, civitatis nostræ provincialem præfectum, Kalendis Augusti & fines & termini a nostris sunt, intra quos ab antiquis temporibus cives libere tum aucupiis, tum venatiunculis incumbere potuissent, & ex consueto etiamnum solerent. Factus autem hocce anno ad nuperum illud formosum idolum, quod *Regensburgi* in locum synagogæ jamjam ejectorum verporum collocatum erat, tantus ex tota q. Germania miraculorum ergo concursus est, ut vel ex sola *Augustburgense* civitate omnis generis ac ætatis plus quam quingenti, nonnulli octingentos annotarunt, homunciones si non lymphatice, certe superstitiosissime illuc avolarint.

Austriaci legati veniunt Augustburgum.

Magnus ad idolum Regensburgi confluxus hominum.

Anno salutis MDXX. consulibus *Georgio Vettero* IIII. & *Hieronymo* in *Hofo* IIII. suspensus *Augustburgi* nostri XXI. die Aprilis *Georgius Matrus*, cognomento *Ulmerus*, Leguminariorum Tribunus, ob insignem peculatum est. Similiter & *Ulrycho Hubero* sartorum tribuno, rerum *Ulmeri* ex parte conscio, Senatu, omnique honesta functione, interdictum est. Quo anno novus Cæsar, postquam jam *Sueviæ* confœderationis proceres Martio mense illi ducatum *Wirtembergensem* talibus conditionibus contribuissent, ut & se ab adversarus securos faceret, & intra quinquennium CC. aureorum millia sumptuum numeraret, misso ex *Hyspania* diplomate, Senatum *Augustburgensem* ad debita obsequia, pacisque studia hortatus est, dum in *Germaniam* veniat, confirmavitque eidem *capitalis judicii* privilegium, quod vulgo *cruoris pœnam* vocamus. Pro qua gratia confestim inde sub finem Junii mensis in *Brabantiam* hinc missi sunt *Georgius Langenmantellus* antiquus consul, & *Cunradus Peutingerus* JCtus Doctor, qui principem eum cum debita congratulatione exciperent, omneque Reip. nostræ obsequium eidem deferrent. Post quæ apud nos Senatus jussu officina fusoria pro æneis tormentis, juxta Cattorum horreum ex novo restaurata ampliataque est, ac duo privati furni pro pinsendo publico pane in ea domo extructi sunt, quæ armamentario jungitur post *Mauritianum* templum, in vico pfafforum. Interea temporis *Hansus Mettingus* ab *Itelfritzio Zollrense* comite in sacra area per faciem vulneratus, ac utraque gena perfossus fuit, eo quod *Mettingus* comiti ante paucos dies in Herorum contubernio inter compotandum tetre obloquutus fuisset. Dein ultima Junii subscripsit tandem macellariorum tribus decreto illi Senatus, quo concessum erat relictis contribulium illorum viduis, ut cum servillo uno arti-

A. 1520.

Supplicium.

Huberus Senatu movetur.

Capitalis judicii privilegium confirmat Imperator.

Meitingi cædes.

Decretum de macellariorum viduis.

artificium id exercere mactatasque carnes publice vendere, dum tamen filius superstes esset; possent: quod in hunc usque diem nulli licitum fuerat. Demum XXII. die Octobris inunctus & coronatus *Carolus* in Romanorum Cæsarem est *Aquisgrani*, a tribus simul Electoribus archiepiscopis debitis ritibus. Per quam tempestatem, ceptum primo a nonnullis civibus, præter antiquum morem, ad novi Cæsaris imitationem, capita tonderi, invaluitque ea consuetudo, etiam apud nos tunc primum, ut honestiores patritii senatoresque barbas promissiores nutrire inciperent, cum hactenus commune præjudicium extitisset, eum, qui miles non esset, ac barbam gestaret, mali alicujus vel conscium vel autorem esse.

Caput tondere & barbam promittere Augstburgenses incipiunt.

A. 1521. Anno Domini MDXXI. consules post *Epiphaniarum* festum *Augstburgi* nostro pronunciati sunt, *Georgius Langenmantellus* IX. & *Ulrychus Artzius* VII. *Langenmantello* autem brevi demortuo, statim *Ulrychus Rehlingerus* patritius, solenni more per electionem substitutus est. Sub quibus venit huc primum XVIII. die Martii. *Ferdinandus* infans *Hyspaniæ*, novi Cæsaris Germanus frater, cui major pars Senatus cum suis equitibus ad *Werdachæ* pontem ductantibus *Rudolpho Emsero*, & *Michaele Freyssmajero* duo lectissimorum peditum signa obviam processit, reverenterque adventui congratulatus est, ac inde ad ædes *Mariani* præpositi hospitium scilicet suum conduxit, ubi sub vesperam per consules nostros duobus amplissimis argenteis deauratisque pateris 324. aureorum valoris una cum consuetis vini, piscium & avenæ muneribus honorifice donatus, postridie ad possidendum avitum archiducatum, celebrandasque *Lynceæ* cum *Anna Ungara* nuptias, haud fausto omine abiit, nam in *Austria* sua rebellionem sensit, & *Turca Albam Græcam* debellavit. Cæterum XX. die Martii, confirmavit *Carolus* Cæsar *Wormatiæ*, in ipsius primis curiatis comitiis, cuncta reipubl. nostræ & recta statuta & antiqua privilegia, cum primis vero speciales eas immunitates, quas Imperatores *Rudolfus*, *Ludwichus* IIII. *Fridrychus* III. & *Maximilianus*, prædecessores ac progenitores sui *Augstburgensi* civitati indulgentissime concesserant, ratas habuit. Ac eidem desuper tanquam auctario ex gratia potestatem fecit, ut cives, qui indignanter juri municipali renunciarint, ac cum despectione hinc migraverint, a Senatum in aliena judicia vocare præsumpserint, ubicunque locorum reperti fuerint, præpedire, comprehendere, aut ut cæteros nocentes domum captivos abducere possit. Nec multo post idem *Carolus* primus Cæsarum Reipubl. nostræ regale inunus, signandi videlicet auri & argenti, pro imperii consueto valore, XXI. die Maji in iisdem comitiis, quam clementissime dedit, procurante ea omnia doctore *Peutingero*, ad comitia eadem legato, qui unus tunc ex deputatis ab imperii Senatu fuit, ad persuadendum *Luthero* palinodiam, salvo conductu, quam Cæsar unice urgebat, ibidem, cui tamen domum redeunti, Senatus vix sex cantharos exquisiti vini gratitudinis ergo offerri curavit. Cæterum posterius privilegium, præsul noster *Christophorus*, tanquam in præjudicium contra se impetratum, diu impugnare non est veritus. Dein sub medium Julium cepit apud nos pestis ingruere, quæ fataliter invalescens usque ad sequentis anni Martium, quatuor hominum millia extinxit, utut totidem ferme hinc salubritatis causa alio confugissent. In hac Epidemica strage, factum est Senatus consultum, de abrogandis caputiis, quibus demortuos suos lugentes faciem obnubilabant, & semper obviantibus plus terroris, quam sibi aut amicis solatii adferebant. Constructum item tunc quoque amplum illud Nosocomium, pro lue pestifera primo est, quod extra civitatem nostram, in Arctoa mundi parte, propter *Lechi* & *Werdachæ* confluentiam aptissime collocatur. Fuit autem totus hic annus, in omni genere fructuum tam fertilis, ut major modius *tritici* VIII. solidis, & *olyræ* VII. solidis *Augstburgi* nostro venditi in foro sint.

Ferdinandus Augstburgum intrat.

Peſtis.

Hospitalis pestilentialis origo.

Annonæ vilitas.

Anno salutis MDXXII. consules apud nos dicti sunt; *Georgius Vetterus*, & *Hieronymus* in *Hoso* uterque V. Sub quibus cum *Wilhelmus Bojariæ* dux *Mariæ Jacobæ Badensi*, sponsæ suæ illustrissimæ, quæ hic pernoctarat, e *Fridberga* mense ultra *Lechum* ad muratam ædiculam, quæ cis fluvii ejus pontem nostra est, ornatissimo comitatu obviam adequitasset, illicque eam equo descendens amantissimis verbis tanquam in proprio natali solo excepisset, statim eodem & momento & vestigio, *Martinus Haidenus*, Cæsareus Notarius, Senatus nostri nomine, cui & a Secretis erat, orationi illi salutationique quantum ad præsentis loci jus attinet, adhibitis testibus decenter refragatus, & *Augstburgenses* ibidem nullam *Bojariorum* jurisdictionem agnoscere palam protestatus est. Quæ res principem suosque omnes pessime habuit, adeo ut paulo post is in eadem ripa aliquot moles a Republ. nostra fluctibus oppositas, aliasque structuras nostrorum dirui curaverit. Quo anno XXVII. Martii, habita est prima consultatio multis reclamantibus in Senatu nostro de publicæ Eleemosynæ gazophilacio, ejusque æqua administratione: & sunt tandem XXIII. Aprilis a dicto Senatu per trinas civitatis parochias *pauperum diaconi* ordinati, quos vulgo *loculi Dominos* vocant, ad S. *Jacobum Bernhardus Relingerus* cum *Georgio Wieland*, ad S. *Ulricum Zimbrechtus Hoserus* cum *Ulrico Küssingero*, denique ad S. *Stephanum Marcus Ehenius* cum *Georgio Millero*. Qui factis ad negotium illud XII. optimis statutis, habitaque pauperum tam

A. 1522.

Boj. duci actus territoriales interdicunt Augstburgenses.

Publicæ eleemosynæ gazophilacii origo.

Comitia Wormatiæ.

Privilegium cudendæ monetæ.

inquilinorum quam advenarum inquisitione, statim Senatus autoritate edixerunt, ne temere cuiquam hic per publicas plateas, ante templa vel hostiatim mendicare liceat, ejusque rei causa, tum delatores aliquos subornarunt, tum mendicitatis signaculum egenos nostros reassumere jusserunt. Omnium autem primus *Paulus Kaufringerus Moritianus* sacerdos ad pium hoc opus 800. aureolos civibus in exemplum de suo moriens legavit hoc ipso anno. Reposita A postmodum ex sacra area in ipsum palatium episcopi monetaria officina est, fecitque Senatus sibi propriam paulo supra *Minoritas* fieri. Veniitque major modius olyræ in foro tunc sex solidis. Deinde postquam *Franciscus Cheregattus*, *Adriani* VI. papæ *Batavi* inertis ingenii & sophistæ depravati judicii, pædagogi quondam *Caroli* Cæsaris, purpuratus, legatus, religionis negocium magnificis promisis, *Noribergæ* in comitiis, ad quæ Reipubl. nostræ legatus erat *Chunradus Herwarthus*, tractaret, ac inter cætera Romanam sedem a vertice ad calcem B deformatam, & omnino reformandam esse per tapinosim, imperitis, ut putabat, *Germanis* fassus fuisset, oblata illi ab imperii principibus G. inclitæ ejus nationis gravamina sunt, quæ si a pontifice emendarentur, facile apud se reliquos errores tolli quoque posse, iidem affirmarunt. Quod cambium cum purpuratus ille non acceptaret, sed potius variis technis veritatem supplantare conaretur, occasionem involuntarie καὶ ἀπροσδοκήτως præstitit, ut securitas & pax universæ religioni, usque ad Christianum liberum & in *Germania* celebrandum concilium, tum a Cæsaris legato, tum imperii statibus sint decreta, ex qua re mox plurimis in locis Evangelio Christi portæ adpertæ sunt, cum primis vero id liberius tunc temporis, C per nostram hanc civitatem, suggesta in templis conscendere occepit, plurimumque lucis Christianæ libertati, quæ hactenus humanis traditionibus captivata fuerat, attulit, licet scandalo pro more non caruerit. Quo anno dum *Caroli* Cæsaris nostri copiæ, & *Mediolanum* & *Genuam Gallis* eriperent occuparentque, plurimi nostratium civium inter eas, sub *Georgio a Fraindsberga Rudolphoque Helo* militarunt. Ac *Turcæ* interim *Rhodum* insulam, post longam oppugnationem deditione turpi occuparunt, *Philippo Lalidamo* sive *Villada Gallo* militiæ *Johannitarum* supremo præfecto.

A. 1523. Anno Christi MDXXIII. consulibus *Ulrycho Rehlingero* II. & *Ulrycho Artztio* VIII. transiit hac XXII. die Martii, quæ erat dominica Judica, archidux *Austriæ Ferdinandus*, cum conjuge sua *Hanna Hungriæ* regina, in ducatum *Wirtembergensem*, quibus Senatus noster hospitalia dona pro more obtulit. Postquam vero *Francici* centauri, inprimis *Hansus Thomas Absbergensis*, mercatores quoslibet subinde diriperent, aut interceptis multum argenti extorquerent, facta est XXI. die Maji, urgentibus civitatibus nostris a *Sueviæ* confœderatis, *Georgio Barone Waldburgense* exercitus supremo duce, non spernenda in *Franconiam* expeditio. Qua brevi arces plus minus XXVI. prædonum latibula, solo fortissime æquatæ, ac haud injuria exustæ fuerunt. In quod bellum Respubl. *Augstburgensis* tum tormentis tum militibus auxilia, *Caspare Riegero Longo* cognominato capitaneo, promptissime contulit. Die dein XIIII. mensis Julii affixum civilis curiæ valuis Cæsareum mandatum hic est, contra monopoliorum usurarios contractus. Suntque eodem diplomate negociatorum nostrorum societates quædam, eandem ob rem *Noribergam* ad sacræ Cameræ Tribunal, nominatim evocatæ: Verum loquente auro nulla vel oratio valet, vel lex efficax est. Quia vero superiore anno in comitiis *Noribergensibus*, quædam promulgata decreta fuerunt, quæ imperialibus civitatibus detrimentosa putabantur, miserunt eædem civitates communem legationem ad *Carolum* Cæsarem in *Hyspaniam*, cujus socii collegæque Reipubl. nostræ nomine fuerunt *Symon Seitzius* Senator, & *Francius Rötzlerus* Judicii proscriba, eam licet Augusto mense Cæsar, *Valloleti* satis clementer dimiserit, conquestus tamen de *Augstburgensium*, *Strasburgensium* & *Noribergensium Lutheranismo* est, id quod non omnino ab re fuit, nam plurimæ & illæ odiosissimæ, de ea doctrina contentiones & molestiæ, ut taceam de libellis famosis, cantionibusque ignominiosis, quæ tamen Senatus XV. Febr. per prætorem e podio Curiæ severissime prohibuerat, indies apud nos oriebantur, non tam in rudi vulgo, quam inter eos, qui docti prudentesque habebantur, Canonicum videlicet, clerum, & Senatorios viros, mercatoresque, præsertim quando per eam tempestatem *Jacobus Griesbeytelus Landoënsis*, primus sacerdotum, repudiato papistici cœlibatus voto, legitimam uxorem, quæ pro nativo æneo utebatur nasu, in dominio *Augstburgi* nostro ducere ausus fuerit. Nam & protinus eas ob nuptias cives nonnulli, quod sponsum ad *Minoritarum* ædem, parochialis namque nulla dabatur, tum adfinitatis tum honestatis gratia concomitati essent, Senatus jussu partim in vincula rapti, partim pecunia mulctati fuere. E quorum numero *Christophorus Ehemius*, *Antonius Rudolffus*, D& *Marcus Pfisterus*, quilibet X. aureos in pœnam solvit. Et quanquam Satan mirum in modum ringeretur & fureret, nihilosecius tamen verbum Domini magis atque magis inclarescebat, crevitque fidelium numerus indies, verum haud absque piorum ærumnis persecutionibusque. Quapropter *Lutherus* ad fratres & electa Christi membra, ecclesiæ nostræ, consolatoriam epistolam, *Wittembergæ* VI. Decembris die scriptam,

typis

Francos expeditio.

Cæsareum mandatum de monopoliis affigitur.

Cheregati in comitiis Noribergensibus gesta.

Legati ad Imperatorem mittuntur.

Griesbeitelus primus sacerdotum uxorem ducit.

Augstburgenses interfunt Italicæ expeditioni.

Rhodi expugnatio.

Ferdinandus cum conjuge Augstburgum transit.

Sueviæ confœderatorum adversus

Lutherus ad Augstburgenses dat literas.

typis evulgavit chalcographicis, qua illos ad tolerandam crucem ſtrenue animavit, cohortatusque ad conſtantiam perſancte eſt. *Munimenta exſtruuntur.* Porro hoc ipſo anno, cœperunt civitatis noſtræ foſſæ a Judæorum cæmiterio usque ad *Roſenawiæ* portam, ductis muris intrinſecus communiri fortius, eſtque dictum verporum polyandrium intra mœnia confertim terra ad propugnaculi formam repletum quoque.

A. 1524. Anno Domini MDXXIIII. creati ſub *Epiphaniarum* feſtum & *Georgius Vetterus* & *Hieronymus* in *Hoſo*, ſextum Conſules *Augſburgi* noſtri ſunt. *Comitia Noribergæ.* Quo anno ſtatim *Chunradus Herwarthus* hinc iterum ad comitia *Noribergam* miſſus eſt. *Opiliones motus pariunt.* Magni etiam motus extitere per *inferiorem Pannoniam*, ob varios nummos, quos a *prauitate Opiliones* vulgo adpellabant. Quorum autores *Thurzo* regius quæſtor, & adfines ipſius *Fuggeri* noſtrates, (qui immenſas opes jam ex aurifodinis, *Neoſolii* ad *Carpathum* montem compararant) *Ludwicho II. Ungriæ* & *Bohemiæ* regi, plus minus LX. millia *Ungricorum* aureorum, præter largitiones alias, poſt plurimas tranſactiones, ſequente anno in mulctam numerarunt, deterioremque ſuam monetam permutando recolligere ac meliorem cudere juſſi ſunt. Apud nos vero, magnificum illud prandium, Senatus conſulto abrogatum eſt, quo Conſules & Senatores ſingulis annis miſſis hinc inde etiam ferculis ſub quadrageſimæ tempus convivari ſimul conſueverant. *Ritus quidam papales abrogantur.* Adhæc, non parum multi cives, Chriſtiana libertate freti, contra papiſticam doctrinam per quadragenarium jejunium carnibus & ovis veſci auſi fuere. Ac dominica altera poſt paſcha, dum *Minoritarum* quispiam in ſuo templo, mane aquam & ſalem, pro more conſecrare occiperet, adſtans ex compoſito *Bartholomæus Nuſsfelderus*, arte Vitriarius, librum conjurationis illi e manibus eripiens, in labrum præſens dejecit. Qui quod membraneus eſſet, & liquore non diſſolveretur, ſtatim exſibilato monacho, ab eodem *Nuſsfeldero* concerptus manibus eſt. Atque ita ab eo tempore ceſſavit non modo apud *nudipedes*, ſed & apud *Carmelitarum* cœnobium aquæ, quam benedictam vocarunt, exorciſmus. *Nuſsfelderus* autem in vincula conjectus, poſt diutiſſimam captivitatem perpetuo exulare Senatus decreto compulſus eſt. *Simulacra luto conſpurcantur.* Paucis poſt iſta diebus etiam omnia ſimulachra per totum cæmiterium *Marianæ* parochiæ nocte quadam luto ac cœno turpiſſime conſpurcata fuerunt: cujus facinoris cum duo alienigeni ſervi, ſutor ſcilicet & ſartor autores extitiſſent, ac ſummo mane ſequentis diei fuga ſibi conſuluiſſent, magiſtris tum ipſorum nonnullisque aliis civibus haud parva pericula ob ſiniſtram ſuſpicionem creaverunt. *Tumultus ob Schillingum.* Poſtea vero VI. die Auguſti orta hic maxima ſeditio tali occaſione eſt. Senatus forte fratrem *Johannem Schillingum*, *Minoritarum* lectorem (qui ſic ſatis proterve, ne dicam, ſedicioſe etiam pontificios abuſus taxando, Evangelium *Lucæ* concionari in monaſterii templo plebi occeperat, jamjamque in tertii capitis explicationem usque proceſſerat) dato viatico XX. aureolorum, provincialis monachorum illorum miniſtri juſſu clam dimiſerat. Quod ubi populus reſciA vit, non parvo numero, duo millia fuiſſe ajunt, curiam pro ipſo rogaturus acceſſit. Cumque conſul *Hoſenſis*, ſatis duriter eos in vanum laborare ſine Senatus juſſione dixiſſet, reſponſum a turba accepit, quando etiam pro latrone licitum bonis ſit intercedere, ſe nunc honeſtæ rei gratia præſto eſſe, nec diſceſſurum, donec Senatus aliud referat. Senatu itaque in ſuperiore & novo triclinio conſedente, magnus per totam civitatem rumor, ut fit, protinus ſpargitur, ſupplicationes pro fratre *Schillingo*, non expellendo, nam non omnibus conſtabat omnino jam ablegatum eſſe, fieri, ubi inB numeri amatores verbi Dei magno zelo concurrentes, XII. ex ſeſe viros deputarunt, qui, conceſſo ſibi a patribus *Chriſtophoro Herwartho* tanquam cauſidico, quam fieri potuit, obnixe pariter ac humiliter Senatum interpellarent, ne *ſuggeſtum*, vulgus *Cancellas* vocat, apud *nudipedes* eccleſiaſtico deſtitui pateretur, ſed vel eo ipſo nomine *Schillingum* reſtitueret, ut & ſemet ipſum & ſuos auditores ab imputato hæreſeos crimine palam purgare poſſet. Quibus Senatus poſt longam deliberationem reſpondit, ſibi jam id curæ eſſe, ut ne locus ille vacaret, doctorem urbanum monachoC longe dilectiorem, nec turbulentum eo deſtinaſſe. De reditu autem monachi ſe omnino impotem eſſe. Quibus auditis plebs confertim accurrere, magis inſanire, monachumque inſtanter petere, quin iterum ut nullus ab altero diſcederet, donec Monachus adeſſet, vociferari ſatis impudenter cœpit. Hic Senatus terreri, & in anguſtias redactus, tres totas horas occluſo conclavi non ſine variis & iis tetricis diſputationibus ſedit. Erant enim in albo ipſorum Nicodemi, qui jam aperte fidem ſuam profiteri cogebantur. Plebs vero iram eam ſiniſtre interpretata, iterum clamare cœpit, patres ſe inædia defatigare velle, erat enim meridies, & facta nova ſeceſſione, plærique dimidiam præſentis turbæ partem ad *Dominicaſtros Ulrychianosque* monachos pranſum dimittendam cenſuerunt, & ea ocius reverſa, reliquam medietatem ad *Crucianos* aliosque Canonicos ſimiliter ſe recipere debere voluerunt, hac tamen conditione, ne quis interim quacunque de cauſa, etiam ne projiciendi lotii gratia ſe a ſtatipne ſubtraheret, ſaniores tamen contra aſſerebant, hanc rationem non eſſe piam, nec boni exempli rem, quare ſe ſuadere, ut Senatus decretum expectaretur. Tumultuantibus

itaque inter ſeſe in eum modum plebibus, totum forum utriusque ſexus populo repletum eſt. Ac tandem poſt primam horam pomeridianam Senatus prodiens; promiſit monachum revocandum, & proximo Martis die iterum pro more concionaturum fore. Quo reſponſo multi contenti erant, gaudebantque, nonnulli vero murmurantes iterum clamabant, ut Senatus curaret, ne ſe falleret, alioquin eodem die ſe attentiores adfuturos. Eam vocem prudentiores iterum improbabant, ac præſentis facti ἀμνηστίαν orabant; quam cum Senatus multitudine præoccupatus, denuo facile pollicerentur, omnes domum redierunt. Inde monachus non uno itinere, nec uno nuncio diligenter quæſitus eſt, dum tamen interea conſules anxii, ad futurum Martis diem, capitaneos, conductos milites, ac ſingulorum tribuum decemviros, Senatui in præſidium adeſſe juſſerunt; illosque partim in ipſam curiam, partim in patritiorum, laniorum, piſtorumque tabernas, quod in propinquo hæ forent, occulte cum armis diſpoſuere. Aſſulgente dein conſtituto die, qui erat IX. Auguſti, cum monachus nondum adeſſet, curatum fuit, ut Doctor urbanus hora VIII. antemeridiana, in nudipedum æde, ſermonem, prout conſuetudo obtinebat, ad populum faceret. Verum cum vix aſcendiſſet in ſuggeſtum, evangeliique textum prælegere inchoaſſet, ſublato de ignis periculo clamore, protinus exploſus eſt. Senatus tamen interea debito tempore conſedit, ac publica negocia non ſine pavore tractare cæpit. Nemine autem quicquam movente, hora prandii ad ſua ſe recipit, Tribunis plebis cum XII. viris ad cauponas ſuas divertentibus, ac Senatus expenſis laute commeſſantibus. Quia vero etiam poſt meridiem monachus nondum veniſſet, conſules attoniti, & adhuc indomiti vulgi minarum memores, juſſerunt magnum conſilium ad curiam congregari. Diſpoſitisque, ut antea, ſtationibus, mandarunt, etiam armorum magiſtris, ut ad certam teſſeram currulia aliquot tormenta, ex majore, quod extra *Crucianam* portam eſt, armamentario, in atrium dominorum a tergo *Moriciani* templi, ſi neceſſitas poſtularet, diveherentur. Id dum poſt horam populo nondum excitato imperant, accidit divino potius nutu quam nuncio rum errore, ut bombardæ denegatæ petentibus aurigis ſint. Nam ut res ea citra dolum minus recte fuerat expedita, ita perperam quoque ad Senatum eſt perlata; ſuſcitataque inconſtante fama, textores armamentarium occupaſſe, non potuit non totus Senatorum ordo metu futurorum malorum ſupra modum percelli, cum hoc & enormis in populo rumor per vicos increbreſcebat, jam epiſcopum magno equitatu in *arenarum* monte viſum eſſe, jam ducem *Bojaricum* cum exercitu adventare, jam denique *Georgium Fronsbergium*, *Germanicorum* armiductorum facile principem, cum ſubitaneis copiis, ad occupandam civitatem irruere. In tantis ergo turbis, cum & fides infida & conſilia inconſulta, omnia inſuper Senatum inter ac plebem ſuſpecta dubiaque forent, convaſarunt canonici reliquique cuncti ſacrifices, una & opulentiores nonnulli cives præcioſiſſima quæque. Et ea domi, qua poterant vel terra vel ſterquiliniis, abſcondebant, aut foras raptim in *Antonii Fuggeri* arcem *Geggingam* devehebant. Conſternatis interim ſic patribus, tandem *Chriſtophorus Herwarthus* animum reſumens, petiit Senatum, ut adjunctis ſibi *Anshelmo* textorum Tribuno, & capitaneo *Bleygo*, armamentarium accedere liceat. Quo conceſſo, ubi is toto itinere omnia pacata, neminem armatum, ac ipſum armamentarium liberum offenderet, tantumque ob nullum prolatæ teſſaræ cuſtodibus teſtimonium bombardas detentas fuiſſe comperiret, nullo negocio illas ſecum adduxit, & recitata hiſtoria Senatum bene ſperare juſſit. Aſt quamprimum populus currulia tormenta in urbem transvehi vidit, mirari primo & accurrere, poſtea vociferari inſidias, inque ſeditionem prorſus converti cœpit, præcipue autem cum conſules cum ſuis armatos eſſe animadverteret, ſtatim & ipſe ad arma per totam urbem ferociter conclamavit, nec ulla amplius concordiæ mentio præ tumultuantibus fieri in circo potuit, tam omnia ad duriſſimum conflictum, mutuasque cædes ſpectabant. Et ecce in iſta ipſa triſtiſſima Reipub. facie, IX. nimirum die menſis Auguſti, Monachus tanquam fauſtum ſydus emicans, in habitu plebejo adpulit, curiamque mirabundus aſcendit, quem *Schöpperlinus* textor illi antea familiariſſimus non procul *Aichſtetta* repererat, & admodum difficulter, ut ſecum *Augſtburgum* rediret, perſuadere potuerat. Cujus adventu tota civitas exhilarata, ingentique & eo præſentiſſimo periculo & clade liberata eſt. Plebe enim iram relaxante, pax utrinque data, & gratiæ a Conſule *Vettero* his, qui a partibus Magiſtratus ſteterunt, actæ ſunt, univerſaque multitudo ſub ipſum ſolis occaſum ſecure domum dimiſſa eſt, nihilque inſolentius poſtea ſubſecutum, quam quod poſteaquam prætor perendie, per præconem cum buccina in compitis proclamarit, ut deinceps cives a conſpirationibus quibuscunque & ſuſpectis conventiculis abſtinerent, nec Senatui obloquerentur. *Hanſus Spaiſerus* & *Hanſus Raggius* textores, proterviæ cauſa ante curiam XV. die Septembris, in *Berlejo* foro, abſque campanæ conſuetæ ſono, capite plexi, & poſt aliquot dies *Paulus Kyſſingerus* virgis quoque cæſus ſit, proſcriptis nonnullis aliis, qui nimirum jam ultro male conſcii aufugerant. Priusquam tamen hæc fierent, acceperant conſules nova obſequii jura-

Schillingum ab exilio revocare promittit Senatus.

Cuſtodes in ædibus clam diſponit Senatus.

Varii falſi rumores ſpargun-tur.

Novus tumultus.

Schillingii inexpectatus adventus pacem reſtituit.

Rebelles pœnam luunt.

jurāmenta, tributim a plebe, ac ob majorem ſecuritatem, CCC. milites, nonnulli DC. ponunt ſtipendio in ſingulas ſeptimanas 10. baciorum ex plebis tribubus, conſcripſerant; quibus nocturnæ vigiliæ cum ſolitis civium cohortibus in medium usque Octobrem apud nos actæ ſunt. Ipſius vero *Schillingi* vix ad cucullum cordamque nodoſam, quæ abiens poſuerat, perſuaſus, IIII. Idus Auguſti, loco & hora ſolitis, enarrationem Evangeliſtæ ſui continuare publice perrexit, idque in IIII. usque Nonarum Novembrium diem, quo cœnæ dominicæ actum plene cum eccleſia ſua peregit, auditoribusque valedicens, ſolum ultro vertit, ſucceſſitque in locum ejus Magiſter *Michael Cellarius*, qui non multo poſt *Zwinglianismum*, quam ſectam *Andreas Bodenſtainius Carolōſtadius* ante triennium odio *Lutheri Wittembergæ* orſus fuerat, aſſererehic quoque ſupercilioſe ex profeſſo cœpit. Porro hocce anno quatuor etiam domus, nocte quadam æſtatis ad *Werdachæ* pontis portum exuſtæ, magno inhabitantium detrimento ſunt.

Schillingus ſua ſponte Auguſtburgo diſcedit.

Cellarius Schillingi ſucceſſor.

A. 1525. Anno a nativitate filii Dei MDXXV. Conſulibus *Ulrycho Rehlingero III.* & *Ulrycho Artzātio IX.* publicata ultima die menſis Januarii ſunt, urbani Senatus decreta, contra uſurarios contractus, qui jam valde apud nos invaluerant. Item de protervis audacioribusque tum dictis, tum factis, cumprimis contra eos, qui in diſſenſionibus primi gladios e vagina eduxiſſent. Denique renovatæ tunc quoque ſunt conſtitutiones Senatus noſtri de ſcribæ prætorii judicii officio, juramentoque de certo judicum numero, eorundemque negligentiæ pœna. Item de accenſorum ſalario, & ut nulla de re, quæ minus 10. aureolis æſtimaretur, ſcriptis agatur. Interea, *Franciſcus Galliæ* rex, poſt multum cum *Carolo* Cæſare propter ducatum *Mediolanenſem*, *Neopolitanumque* regnum digladiationem, *Papiam* apud *Inſubres* diu arcteque obſidere auſus fuit, ac prælium ibidem in *Vilariā* cum *Germanis* & *Hyſpanis* committens, XXIIII. die Februarii glorioſe devictus, & eques a *Nicolao* comite *Salmis* captus, inque *Hyſpaniam* ad Cæſarem abductus eſt. In quo bello licet multi pedites ex *Auguſtburgo Georgii Fronsbergi* claſſicum ſecuti a parte Cæſarianorum fortiter ſtetiſſent, *Georgius* tamen *Langenmantellus*, ejus parentelæ patritius noſter, quæ *Trigono* in armis gaudet, *Gallicarum* partium aliquot ſignorum capitaneus, & fratris ducis *Lutheringiæ* locumtenens, fuit, inque prima acie fortiter, non ſine *Fronsbergii* ſarcasmo occubuit. Quando vero propter planetarum ſuperioris anni viginti conjunctiones, nemo non Aſtrologorum inaudita diluvia prædixiſſet, ſubito *Baltringenſibus* agricolis in *Rieſſa*, ad inſtar *Hegowienſium*, rebellandi initium facientibus, exardere per *Sueviam* noſtram, atque vicinam *Germaniam* terrificum iſtud ruſticorum bellum cepit, quod vindicandæ libertatis ergo, intra paucos menſes complura monachorum cœnobia, nobiliumque arces evertit, ac tandem *Sueviæ* fœdere, cujus copiarum ſupremus dux denuo *Georgius Truchſeſſius* Baro *Waldburgenſis*, ſub initia Aprilis arma in illos movere cœpit, fortiſſime impugnante ad minimum perduellionum iſtorum centum millia hinc inde, una æſtate, ſuſtulit. Ortum autem ſeditio iſta, poſt *Thomæ Muntzeri Thuringi* furioſiſſimum adverſus omnes magiſtratus claſſicum, ex XII. illis articulis habuit, quos *Chriſtophorus Schapplerus Sangallenſis* hyeme præterita, pro excutiendo ſervitutis jugo adſcriptitiis præſcripſiſſe *Memmingæ* fertur, ubi is tunc concionatorem agebat, contra quos *Lutherus* non ſolum acre ſcriptum edidit, ſed & principes ad extinguendos ſeditioſos, ſi non crudeliter, certe tamen ſerio extimulavit. Porro in inteſtinis his tumultibus, Senatus *Auguſtburgenſis* non parva ſollicitudine ingentes ſumptus foris ubique contra ruſticos ex fœdere fecit, domi autem ſemper tum civitatis ſuæ portas, interdiu aliquot Senatorum præſentia, accuratius cuſtodiri, tum noctu mercenarium militem una cum civibus per mœnia excubias accuratiſſimo ſtudio agere curavit. Ac ſolerti ea providentia, non modo totum Reipublicæ ſuæ cœtum tranquilliorem reddidit, verum ipſum quoque clerum per eam tempeſtatem, præter naturam ſuam, in civilem Magiſtratum apud nos tum officioſum tum propenſiorem factum in tuto conſervavit. Unde is poſt edomitas agricolas octingentorum magnorum modiorum, omnis generis frumenti cumulo donare eundem Senatum voluit; Verum tamen is ſacratum illud donarium generoſo pectore recuſavit. Poſt quæ acta conventus imperii *Caroli* Cæſaris autoramento, per *Ferdinandum* archiducem *Auſtriæ* in civitatem hanc noſtram ad menſem Octobrem indictus fuit, qui tamen propter nondum plene extinctos plebis motus, principumque privata negocia, immo propter pontificiorum, qui imminentem ſibi reformationem anxie reformidabant, ſingularem aſtutiam, impeditus evanuit. Cum jam ad ea comitia Senatus noſtri nomine deputati fuiſſent, *Georgius Vetterus*, *Antonius Binimelius* & Doctor *Chunradus Peutingerus*. Combuſtæ item hocce anno prope *Steffanium* fanum, aliquot domunculæ ſunt. Et quanquam Evangelica religio, quam *Lutheraniſmum* a reformatione vocant, tum Cæſareis mandatis, tum papiſtarum minis, undiqueque prohiberetur pro viribus, inceperunt tamen hic *Urbanus Rhegius*, & *Johannes Froſchus*, Theologiæ doctores, (quorum hic omnium primus, utut Cucullatus, *Carmelita*, Evangelium ſincere prædicare *Auguſtburgi* ante triennium cœperat) Euchariſtiæ ſacra-

Thomas Munizerus ruſticorum belli autor.

Senatus Auguſtburgenſis cura in hiis tumultibus.

Franciſcus Gall. Rex vincitur.

Comitia Auguſtburgum indicta non habentur.

Langenmantellus Auguſtb. in hoc bello occumbit.

Vid. Tab. V. Fig. 2.

Ruſticorum belli initium.

S. Cœna ſub utraque ſpecie diſtribuitur.

sacramentum, abrogato abominabili missæ sacrificio apud Carmelitarum delubrum XXV. Decembris, in ipso natali die salvatoris Christi, sub utraque, quod dicitur, specie, juxta Christi institutum, in sacra communione populo, citra auricularis confessionis præparamenta publice distribuere.

A. 1526. Anno incarnati verbi MDXXVI. consules antiqua consuetudine *Augstburgi* sunt facti *Georgius Vetterus* & *Hieronymus* in *Hofo* utergue septimum. Sub quibus *Alexander Besslerus* post patrem, qui ambo multa de suo jure nullo successorum commodo, civibus concesserunt; urbis prætor hic a Senatu lectus, & per provinciæ nostræ præfectum, *Wilhelmum* Baronem a *Waldburgo* Senatus expensis, confirmatus fuit. Estque 30. Januarii in Senatu decretum, ne quisquam ulla bonorum suorum, quæ in publicæ stuiræ civitatis nostræ rationali incorporata sint, citra Senatus licentiam vel sacerdotibus vel exteris quibuscunque oppignorare aut ascribere præsumat, haud aliter atque XXII. die Februarii in Senatu serio decretum, ne quisquam civium incolarumque, ulli peregrino aut advenæ, apud nos ædes aliamque qualemcunque habitationem sive hospitium, citra Consulum permissionem, concederet locaretque, sub pœna amissionis juris municipalis. Non procul hac tempestate II. Aprilis celebravit *Carolus* Cæsar noster apud *Hispalim Granatæ* cum *Isabella Emanuelis Portugalliæ* regis filia nuptias quam splendidissimas. Ac deinde Majo mense magna illa disputatio inter *Pontificios* & *Tigurinos* Theologos *Badæ* apud *Helvetios* de nova ac vetere religione contentiosissime est habita. Quin & *Chunradus Herwarthus* legatum Reip. nostræ in comitiis *Spyrensibus* mense Julio Augustoque egit, ubi *Johannes* Elector *Saxoniæ* cum ipso de fœdere tuendi Evangelii gratia tractare primo cœpit. Et inde unanimi omnium imperii ordinum consensu decretum ibidem fuit, ut nemo alterum per *Germaniam* religionis causa vel molestaret, vel hostiliter invaderet; promissumque ejus rei gratia a Cæsare est, liberum & Christianum concilium in *Germania* celebrandum. Venitque hoc anno apud nos in publico foro mensibus Junio & Julio *olyræ* major modius V. solidis; ac *optimi vini* mensura *vulgaris* IX. nummis. Cæterum quando e specula *Berleyæ* turris, quæ ad *divum Petrum* in umbilico civitatis nostræ sita est, non satis perspicue mœnia in circumferentia, ipsarumque portarum aditus, collustrari vigilibus possent, curavit prudentissimus Senatus eam aliquot contignationibus altius extrui. Quare ultima nuper die sui partem moles ea diruta, ac de novo firmius restaurata, sublimi item pariholo, aptioreque pro nocturnis & diurnis excubiis, tam hyeme quam æstate, habitatiuncula communita, & apice pro tintinnabulis, quorum uno Senatus convocatur, altera horæ secundario significantur, ornata. Denique Octobri insequentis anni mense, prorsum absoluta, caput inter nubila condit. Hocce præterea anno, qui ista in urbe totus febrilis erat, *Moritianus* quidam mysta, dum scortationi & aliis nequitiis impudenter multumque indulsisset, fortuito nocte quadam in profano habitu, manus vigilum incurrens, ad publicum carcerem deductus est, quem Senatus postero die, quod unctus foret, *Dillingam* episcopo misit, sed quæ est horum dominorum clementia, brevi ob tam juvenile & leve vitium liberatus impune est.

Besslerus prætor.

Decreta de bonis & habitationibus exteris, insciis Consulibus, non concedendis.

Moritianus quidam scortator.

Anno Christiano MDXXVII. Consulibus *Augstburgi* nostri *Ulrycho Rhelingero IIII.* & *Ulrycho Artzzio X.* cum supra *Klenckeriam* portulam, quæ & *Rosenaweria* dicitur, fundamenta fossarum civitatis reficerentur, corruerunt paulo post meridiem IIII. die Februarii a jam nominata porta, usque ad eam, qua noctu homines intromittuntur, & mœnia & ipsa quoque pomeria, obrueruntque tredecim mercenarios, quorum liberis & uxoribus pro recompensando orbitatis damno, Senatus alimentis per dies vitæ ipsorum honeste prospexit. Quo mense tanta serenitas apud nos fuit, ut non solum interdiu sol clarissimus luxerit, sed & luna noctu semper splendida visa sit. Volabatque fama per totam nostram civitatem, mulierem quandam prægnantem, in suburbio *Jacobæo* fœtum in utero plorantem non semel audivisse. Cæterum occiso ab inhumanissimis *Turcis*, superioris anni Augusto, in pago *Mohatzio* prope *Teutoburgium*, seu, ut jam dicunt, *quinque Ecclesias*, *Ludwicho II. Ungriæ* & *Bohemiæ* juvene & imperito rege, electus ex multis competitoribus a *Bojohemis*, ac XXIIII. Februarii die, *Pragæ* per episcopos *Olomucensem Uratislaviensemque*, quod Metropolitano carerent, rex coronatus est, *Ferdinandus Austriæ* archidux, cum *Anna* conthorali sua. Post quæ VI. die Maji expugnata *S. Spiritus* porta, capitur *Roma* ductu *Caroli Burboniæ* ducis, nam *Georgius Fronsbergus*, qui profectionem eam instituerat, jam paralyticus *Ferrariæ* erat factus, ex improviso, ac ab exiguo *Caroli V.* Cæsaris exercitu, qui ex *Germanico Hyspanoque* milite, sive, ut pontificii ex mole *Adriani*, quæ jam castrum *Santangeli* dicitur, vociferabantur, *Lutheranis* & *Marranis* constabat, in quintum decimum usque diem crudeliter diripitur, nulla habita sacrorum ratione, vix tandem *Clemente VII.* papa per omnia sanguinario sese dedente, in qua expugnatione civium nostrorum, *Caspare Riegero* capitaneo, non pauci etiam interfuerunt. Interea *Wilhelmus Bojarus* Dux, postquam suis ne *Augstburgum* commearent, ad audiendum verbum Dei, percipiendaque Christi sacramenta serio prohibuisset, *Wolffum Dietrychium*

A. 1527. *Mœnium pars corruit.*

Ferdinandus Bojohemorum Rex.

Rome expugnatio.

Bojus ab invadenda Lederensi arce desistit.

Disputatio inter Pontificios & Tigurinos Badæ. Comitia Spyræ.

Berleya turris altior exstruitur.

chium

chium Knöringensem Schwabeccæ præsidem, quinquaginta equitibus, & CL. ferentariis peditibus, hostiliter *Lederensem* arcem, propter hospitio exceptum, ab *Ulrycho Rehlingero* consule, Magistrum *Michaelem Cellarium* ecclesiasten apud *Minoritas* hic, invadere jussit. Verum cum is clanculo elapsus non inveniretur pacate discessum est.

Ferdinandus Ungriæ rex.

Inde *Ferdinandus Bohemiæ* rex, debitum sibi hæreditario uxorioque jure *Ungricum*, utut lacerum regnum, exercitu non contemnendo, nostratibus civibus non parum multis militantibus, contra *Johannem Scepusiensem comitem*, *Waivodam* dictum, occupavit quoque. Ac mense Octobri apud *Albam regalem* a *Strigoviense* archiepiscopo, regni illius sacro diademate redimitus celeberrime fuit.

CV. Anabaptistæ in vincula conjiciuntur.

Quia autem *Anabaptistarum* secta, quam *Nicolaus Storchius Cygneus*, ante quadriennium non tam fanatice quam impiissime apud *Thuringos* primus disseminarat, hic quoque in *angulis hortisque*, a quibus fratres illi cognominationem apud nos acceperunt, *Jacobi Kirschneri Waldhuetensis*, & *Hansi Denekii* prædicationibus, præcipua vero *Andreæ Widholzii* leguminariorum, ac *Lucæ Hafneri* lignariorum fabrorum, tribunorum hospitalitate favoreque, spargeretur, XII. die Aprilis, quæ erat paschatis festum, centum & quinque utriusque sexus, tum ex civibus tum ex peregrinis hominibus, in ædibus *Christoferi Murmani* statuarii ad *Lechi* posteriorem rivum habitantis, subito simul, Senatus Urbani jussu, capti & in vincula non sine ipsorummet exultatione conjecti fuerunt. Quorum hi, qui civitatem abjurare non renuebant, numero plus minus quadraginta perendie dimissi sunt. Inter quos *Ludwichus Hetzzerus* haud postremus extitit, qui tardante *Luthero*, cui Bibliorum veram & exquisitissimam in nostram linguam translationem debemus, primus prophetas omnes ex *Hebraico* idiomate in *Germanicum* non male transtulit, utut de divinitate Christi male senserit, ac contra eandem librum composuerit, quem tamen *Tigurini* suppresserunt. Attamen quod præter corporalia bona uxores quoque communes habuerit, *Constantiæ* paulo post securi percussus est.

Hetzzerus Anabaptista.

Supplicia in Anabaptistas.

Cæterum cum reliquis obstinatioribus captivis Magistratus plurima sæpe attentavit, atque etiam quatuor primarios urbis nostræ concionatores, *Urbanum Regium*, *Stephanum Agricolam*, & *Joannem Ranam* doctores, ac *M. Michaelem Cellarium*, cum ipsis pias disputationes habere jussit. Qui postquam in publico judiciorum triclinio disertis argumentis illos erroris in faciem evicissent, ac miseros in veram Christianæ religionis viam sacrarum scripturarum testimoniis reducere accuratissime diu laborassent, plane nihil apud induratos efficere potuerunt. Quapropter ad graviores pœnas arctius reservati, nonnulli tandem virgis cæsi, aliquot candenti ferro in genis notati sunt, ac *Johannes Lupoldus* civis & sartor, antistes ipsorum, capite pœnas luit. Coriphæi denique præcipui illorum, *Johannis* nimirum *Hutzi* de *Haino Franconis*, cum ante latam sententiam in carcere sua culpa obiisset, exangue cadaver publicæ justitiæ, modo VII. die Decembris prope patibulum combustum est, compulsata classica campana. Cæterum hoc anno suscitata tam infamis criminatio inter publici ad *S. Spiritum* hospitalis Magistrum ac scribam ibidem fuit, ut hic in carcerem abductus, licet duorum millium aureorum peculatu insimularetur, consulis *Hosensis*, qui tunc supremus pauperum tutor erat, patrocinio difficillime post mensem liber evaserit. Terra item XVI. Novembr. apud nos paulo ante meridiem mota est.

S. Spiritus hospitalis magister repetundarum accusatur.

Anno Domini MDXXVIII. facti sunt *Augustburgi* nostro *Georgius Vetterus*, & *Hieronymus* in *Hoso*, uterque VIII. consules. A. 1528.

Quo tempore *Caspar Huberinus* concionator urbis hujus Evangelicus, piorum quorundam civium expensis, ad *Bernensem* disputationem, mense Januario ablegatus fuit. Quam *Ulrychus Zwinglius Thurtalensis*, & *Oecolampadius* contra papistas, propter, missæ sacrificium, sanctorum invocationem, eorundemque & reliquias & simulachra, præcipue vero contra realem corporis sanguinisque Christi in sacramento Eucharistiæ præsentiam, apud *Helvetios* habuerunt, invitatis *Lausanense*, *Basilejense* & *Constantiense* episcopis, eorumque Theologis. Deinde sub medium Aprilem abductus per *Dietboldum a Staino*, *Suevici fœderis* centurione, *Itelhansus Langenmantellus*, patritius de *Trigono Leutershofa* est, quo superiore anno post vincula a Senatu propter *Anabaptismum* proscriptus fuerat, ac primo *Bobingam*, & inde *Weissenhornam* cum simulo pertractus, ubi cum præ podagra genibus inniti non posset, in sellam ligatum, sedendo caput truncatus est. Quia autem adhuc multi cives hic sectæ illi clam adhærerent, & aliquot complices eorundem vincti adhuc detinerentur, palinodiam tandem post longissimas captivitates *Jacobus Dachserus* presbyter, ac *Sigmundus Salmingerus* monachus cantarunt, atque ita expulsis aliis, hi resipiscentes inter cives, posthac diu apud nos vixerunt, hic musicam docendo, ille in verbi ministros usque ad tempora interimistica adscriptus. Hocce item anno transiit I. Maji die, quam superbissime per civitatem nostram, non sine Senatus sollicitudine, *Hainrychus Brunswicensis* dux junior nongentis selectissimis, & magna ex parte cataphractis equitibus stipatus, ut Cæsaris nomine *Venetis* bellum inferret, nisusque *Marquardi Pfittaci* ab *Amisio* pedestri commilitio *Laudam Pompejam* expugnaret, qui tamen post quartum mensem in *Germaniam*

Huberinus ad Bernensem disputationem ablegatur.

Langenmantellus ob Anabaptismum securi percutitur. Vid. Tab. IV. Fig. a.

Dachserus & Salmingerus Anabaptistæ resipiscunt.

Hainrichus Brunswicensis dux Augustburgum transit.

Tres halones solis uno tempore.

niam paucis comitatus miſere rediit. Cæterum XVI. dicti Maji luce, adparuere hic ſub ipſum Meridiem, tres Halones, aut ſi mavis Irides ſimul, ſudo cælo, quorum lucidior tricolorato circulo, clarum circumdabat ſolem, integre ſecundus candeſcens eundem per medium ſecabat, tertius vero utrumque decuſſatim, non ſine omnium admiratione illuſtri tranſibat ſplendore.

Grando.

Subſecutusque penultima Junii immaniſſimus grando cum ventis eſt, qui non tantum per duo milliaria circumcirca, maximum damnum frumentis arboribusque dedit, ſed etiam per ſolam civitatem noſtram aliquot millium, multi ſex ajunt, aureorum precio, vitreos orbes feneſtras conquaſſando perfregit.

Suevia confœderatorum conventus.

Novembri dein menſe celebrarunt *Sueviæ* confœderati conventum, non infrequentem in urbe hac, quo multa contra ſacerdotum uſucapiones conſuetasque collectas decreta fuerunt.

Supplicia.

Demum XVII. ejusdem menſis die decollatus, & in quatuor partes diſſectus prætorio judicio eſt *Michaël Scharpfenſtainus Myſſnenſis*, ex pigro eo *famulorum* numero, qui a *confodiendis araneis* adpellationem ſortiuntur, quod acceptis a *Barbara Mendeleria Dillishauſenſe* ancilla XII. aureolis, *Bartholum Marckquartum* fabrum ferarium ſeu ſclopetificem, noctu domo ſua eductum, tanquam artificio ipſius uſurus, in ſacra area, a tergo, ut ſiccarii ſolent, lætaliter vulneraſſet, ac pro occiſo reliquiſſet, propter quod latrocinium & ancilla ea eodem quoque die viva defoſſa eſt, ſaber vero chirurgorum arte convaluit. Sub cujus diei veſperum corruit etiam tertium, novus murus in civitatis foſſa ſub *Klenckeria* porta.

VIII. Oberhauſani proſcribuntur ob eadem.

Et biduo poſt eam ruinam, octo *Oberhauſani* coloni in *Berlejo* circo ſub divo ter præconis voce nominatim, ut lex habet, vocati citatique conſulum & Senatus, prætorisque & judicii lata ſententia, in extremam & eam iteratam cenſuram proclamati ac extorres facti ſunt, propter homicidium ab ipſis prope *Oberhauſam*, in via regia, quæ immediate ad urbis noſtræ præfecturam ſpectat, conjunctim indifferenterque perpertratum. Occiderant enim indifferenter *Reinboldum Haimum* pellionem *Norlingenſem*.

Lignorum caritas.

Fuit item pluvioſiſſima hac hyeme, ob publicorum itinerum profundum lutum, tanta lignorum in civitate noſtra inopia caritasque, ut faginei ligni orgija XXXII. Bohemicis venierit groſſis. Et ni Senatus pauperibus civibus octies mille orgijas per quadrantes viritim divendiſſet, quadrantem XII. cruciferis computando, certe ingens malum ingruiſſet miſeris.

Leg. divendidiſſet.

Præceptores privati conducuntur.

Poſtquam autem hactenus per urbem *Augſtburgenſem* latinæ ſcholæ tantum apud cathedralem eccleſiam, *Moritianum* collegium & ad *S. S. S. Ulrychi, Crucis, Georgiique* cœnobia exciſſent, ex quibus tamen vix pauci ad aliam quam miſſarii ſacerdotii gradum emerſiſſent, ceperunt circiter hanc tempeſtatem opulentiores cives liberis ſuis privatos præceptores conducere, inter quos *Johannes Primicianus*, poëta laureatus & civis, primus extitit, qui de multis per multos ſane annos optime meritus eſt.

Welſeri Venezuolam occupant.

Hocce præterea anno armarunt *Bartholomæus Welſerus* patritius noſtras, ejusque fratres ac ſocii non parvam in *Hyſpania* claſſem; qua per *Occidentalem* Oceanum verſus *Indiam*, ad novas terras navigantes brevi per amplam & divitem regionem *Venezuolam* nomine, duce *Ambroſio Dalffingero Ulmenſe*, in confiniis *Peruviæ* occuparunt. Eam initis non multo poſt cum *Carolo V.* Cæſare pactis, annis plus minus XXVI. maximis ſumptibus poſſederunt, ac pro ſuo commodo gubernarunt per ſuos, donec orta inter *Iſabellæ* Reginæ, *Hyſpanicæ* publicanos & dictorum *Welſerorum*, *Georgium Spirenſem* regionis adminiſtratorem, initio de vectigalibus & decimis, inde de terminis contentione, tandem totius ditionis mera poſſeſſio in controverſiam venerit. Qua perdiu in regis *Hyſpaniarum* aula agitata, ad extremum totum illud ampliſſimum regnum, ſummo jure, per favorabilem judicem noſtris ademptum fuit.

A. 1529.

Anno ſalutis MDXXIX. *Ulrycho Rehlingero V.* & *Antonio Bimmelio*, textorum contribule, conſulibus, cœpit dira annonæ cariſtia *Augſtburgi* adeo invaleſcere, ut *olyræ* major modius initio tribus, mox quatuor, & tandem quinque aureolis, *avenæ* duobus cum dimidio aureolis, *butyri liquati* libra civilis XIII. & *vini Neccarenſis* menſura uſualis VIII. nummulis, *faginei ligni* orgya viginti uno batziis hic venierint.

Annonæ caritas per VII. annos.

Duravitque infelix illa rerum tenuitas, & præcipue frumentorum inopia, per totam ſuperiorem *Germaniam Helveticasque* & *Rheticas Alpes*, ubi nonnulli hoc anno fame periere, annos continuos ſeptem.

Senatus pauperibus panibus ſuccurrit.

Quare pientiſſimus Senatus pauperum cura tactus, fiſci expenſis panes confici juſſit, quorum quilibet, populariter *laibum* indigitamus, probe pinſus, XXXII. ponderaret uncias, ac certo dimenſo minus locupletibus civibus octo divenderetur nummulis, cum piſtores ſex unciis leviorem eodem precio publice venderent. Eſtque in acta relatum, rempub. ejus rei gratia, triceſies ſexies mille majores modios frumenti, quorum quatuor millia ex *Moravia Auſtrieque* finibus advecta fuere, dicto temporis curriculo inſumpſiſſe.

Comitia Spiræ.

Cum autem ad Martium menſem rex *Ferdinandus* loco fratris Cæſaris imperii comitia iterum *Spyræ* auſpicaretur, miſſi illuc Senatus noſtri nomine ſunt *Mattheus Langenmantellus*, Senator, & Magiſter *Johannes Haggus* Syndicus, in quibus poſt alia, quæ bonum patriæ concernebant, de tollendis *Anabaptiſtis* ſeveriſſimum *decretum*, vulgo *receſſum* vocant, eſt factum, & ubi retractato *Spyrenſe* ante triennium ea de re facto decreto, de *Lutheranorum* religione haud mitius quoque

A. 1526.

cude-

cuderetur, interpposuit *Johannes* dux *Saxoniæ* imperii Elector, *Philippusque Hessorum* Landgravius, cum aliquot principibus ac liberis civitatibus *protestationem*, quæ dein commune nomen cunctis eis dedit, quotquot papistica, quæ *catholica* vocari nolunt, non probarunt Consilia & vota, ut nimirum *protestantes* dicerentur, quando *Lutheranos* nominare pigeret. In hisce comitiis sanctum *Caroli* Imper. autoritate in imperiali consilio 23. Aprilis est, ac legis instar per totam *Germaniam* promulgatum, ut fratrum ac sororum liberi neppotesque vice demortuorum parentum ad avorum & patrum hæreditatem capessendam jure ac merito admitti debeant, cum id hactenus in multis locis admodum injuste non fuerit receptum. Post ista domi nostræ omnia ferme venalium rerum fora, pro civitatis ornatu ab antiquis vicis, in eos Senatus decreto sunt translati, in quibus etiamnum nostro ævo, rusticorum & opificum frequentia habentur. Estque *fori metatoribus*, vulgo *locorum Magistros* vocant, injunctum, ut serio constitutionem eam per urbem manu tenerent, ac curarent. Quin & propter plebis in ceremoniarum observationibus dissidia ejusdem Senatus consulto certus quoque Feriarum numerus, quibus inertes non tam sanctos venerantur quam ventri inserviunt, incolis est præscriptus, abrogatis videlicet Vejoyium & minorum Divorum festis. Adhæc platea ea propter *S. Georgii* monasterium, quæ a novis domunculis *dominorum ædes* adpellantur, recens per urbanos ædiles extructa est. Decretum præterea 16. die in frequenti Senatu hic est, ne ullæ tabulæ super emptionibus venditionibusque fixorum in civitate nostra bonorum aut etiam de licitis censibus uspiam quam in Reip. cancellaria conferent, aut alibi exaratæ, neque a subpræfecto urbis vel a Burgravio sigillis munirentur. Statutum tunc quoque fuit factum, ut ii, qui accepta ab aliis potestate in foro quocunque de causa contenderent, partibus tanquam veri debitores in toto negocio obstringerentur. Cæterum mense Augusto contigit, ut *Raymundus Fuggerus* captivum quendam ex *Mathiæ Ebemis* concivis custodia, quam apud *Langomeysnachium* suo jure habebat, vi armata eripuerit, ac in arcem suam *Michhausum*, quam paulo antea a *Wolffo Freibergense* sex millibus aureorum emerat, abducere contra vetera jura non sit veritus. Unde re ad Senatum huc delata, missus est idem *Freibergensis*, Reip. nostræ tunc temporis equester stipendiarius, cum aliquot turmis militum, ut *Fuggerum* Senatui proluenda proterviæ injuria sistere adigeret. Quod & propere factum ipsusque *Fuggerus* ad *Geggingenses* portæ turrim una nocte condemnatus, ac desuper pro tanta laterum summa, quanta decem fornacibus semel excoqui solet, mulctatus;

Lex de nepotibus avorum hæredibus.

Fororum transpositio.

SCtum de feriarum numero.

Dominorum ædium platea extruitur. Constitutio de tabulis emptionum ac venditionum.

Statutum de mandatariis.

Raimund. Fuggerus ob captivum quendam abductum punitur.

civiliter est. Non multo autem post ista evocavit *Johannes Zepusiensis Sybenbyrgensium* Waivoda contra *Ferdinandum* Regem, *Soleimannum Isaccum Turcarum XII.* Imperatorem in *Ungriam*. Qui cum jam antea christianis multa per *Europam* ademisset, facile ad eum procinctum impelli potuit. Sub autumnum igitur innumero exercitu *Austriam* irrupit, ac *Viennam* primariam provinciæ ejus urbem, Idibus Septembris undiquaque dirissime obsedit, perviginti quatuor dies sæpius numero infestissime oppugnavit, & actis cuniculis fere subvertisset, cepissetque, ni *Germani* præsidiarii, quorum præcipuus duxerat *Philippus Rheni* palatinus, tanta fortitudine eam defendissent, ut *Turca* conculcata prius, tota ad *Anasum* usque provincia, multisque hominum millibus partim trucidatis, partim *Zegeinerorum* proditione in servitutem abductis, mense Octobri infecta re discedere coactus sit, *Hanso* tamen supramemorato Waivoda, apud *Budam* rege constituto. Ad bellum hoc respublica nostra, subito vel inter primos duo peditum signa, cum debito equestri auxilio armiductore *Wolffo a Freiberga*, transmisit quoque. Interea, *Urbano Regio* adversa valetudine impedito, *Stephanus Agricola*, vulgariter *Kastenbaurus* dictus, sacræ paginæ ad *divam Annam* (quod cœnobium urbanus Senatus jam pridem a nostræ dominæ fratribus in solidum redemerat) Doctor, Senatus liberalibus impensis, ad *Mardiburgensem* synodum mense Septembri missus est. In qua *Philippus Hessorum* princeps, potissimorum *Germaniæ* Theologorum mutua collatione, *Lutherum* & *Zwinglium* in Evangelica doctrina conciliare magno studio tentavit, verum in sacramenti Eucharistiæ articulo nihil præsatana efficere potuit. Dein prima die Octobris, circiter horam nonam antemeridianam, apparuit hic in summo & eo sudo cœlo clara Iris, & non procul a splendidissimo sole alius sol, qui longum radium versus occasum vibrabat. Quo tempore dum continuas totius quasi æstatis pluvias, autumnus solito frigidior sequeretur, non modo Cereri Lyæoque damna passim illata sunt, sed & præcium illorum apud nos in tantum invaluit, ut eodem mense metreta *Neccarei vini* XXXV. solidis, & major *Olyræ* modius quatuor, *avenæ* duobus cum dimidio, aureolis, *rapparum* modiolus VI. cruciferis, in foro venierint. Quin item ob dictas anni constitutiones, incognitum hactenus Epidemiæ genus, ab Oceano *Britanico*, totam quasi *Germaniam*, pestifero sudore, quem *Anglicum* vulgo adpellabant, invasit. Quo *Augustburgi* nostro intra XIIII. dies, ex tribus infectorum millibus, plus minus sexcenti mortales, Novembri mense perierunt, id quod nonnulli Medicis imputandum putant. Qui cum febris ea ephemera pestifera, ac intra XXIIII. horas per sudo-

Soleimannus Isaacus Turc. Imp. Austriam invadit.

Adversus quem auxilia mittuntur.

Agricola Synodo Mardiburgensi interest.

Parelius.

Annonæ caritas.

Anglici morbi origo.

rem

rem creticum terminanda esset, miseros ægrotos toto eo temporis spacio ad sudandum infinitis culcitris & stragulis arctissime coegerunt, pudendoque errore suffocarunt. Dein V. die Decembris, qui erat dominicus, promulgatum publice per prætorem Senatus nostri mandatum est, quo is impios nominis & passionis Dei in jurando abusus blasphemiasque severissime inhibuit. Eodem præterea hoc anno, in jus coram prætore vocatus fuit, *Ambrosius Höchstetterus* mercator amplissimus propter quadringentorum millium aureorum, quanquam revera plura debuerit, alienum æs. Ac cum etiam *Fuggeris*, pro parte fidejubentibus solvendo neutiquam esset, nec ullum, quod tam solertissime tum veteratorie quæsierat, refugium pateret, tandem post biennium, Episcopi nostri, in hoc nimirum negocio imperatorii commissarii, adjudicatione interlocutoriaque sententia, municipali urbis nostræ juri, mere citra omnem exceptionem subjectus est. Unde una cum sumptuosissimo prodigoque filio, *Ambrosio*, & *Josepho* ex fratre *Johanne* nepote, in carcerem Septembri mense conjectus est, in quo post quinque annos misere expiravit, habuitque centum ac triginta duos creditores, quos ad unum omnes usura pariter sorteque defraudavit.

Hœchstetterus obaeratus.

A. 1530. Anno redemptionis nostræ MDXXX. Consulatum post *Epiphaniarum* festivitatem *Augustburgi* inierunt novum *Georgius Vetterus* & *Hieronymus* in *Hofo*. Venerat superiore anno ex *Hyspaniis* suis in *Italiam* Cæsar *Carolus*. Ac præsente anno hoc *Bononiæ* XX. die Februarii a *Wilhelmo Encavordio Brabantino* Cardinale, sedis Apostolicæ legato, rex *Longobardorum* ferrea corona coronatus est. Et post quadriduum in ipso suo natali, quo nimirum ante triginta annos *Gundavi* apud *Belgas* natus fuerat, in templo *S. Petronii* itidem *Bononiæ*, a *Clemente VII.* papa, inito prius sanctissimo fœdere, quod tamen spurius ille *Florentinus* turpiter rupit, splendidissima maximaque pompa, vix tamen uno aut altero *Germanicorum* principum præsente, *Italicis* officio illorum fungentibus, aureo diademate redimitus, & Augustus Romanorum Imperator non vulgari triumpho consecratus est. Qui inde *Germaniam* petiturus *Fryderichum Mantuanum* Marchionem, ducali dignitate in transitu ornavit, ac comitia a toto orbe ob religionis concordiam exoptatissima, ad VIII. diem Aprilis *Augustburgum* convocari præcepit. Cumque superatis *Tridentini Alpibus*, jam *Oenipontis* ad fratrem *Ferdinandum* divertisset, missi hinc Majo mense sunt *Bartholomæus Welserus* & *Wolffus Langenmantellus* patritii, ad congratulandum adventui ipsumque huc invitandum. Fuerunt vero interea tempus, non modo tota nostra civitas, ad paranda pro indicto convivia hospicia, cunctaque occupata,

Carolus Longobardorum rex & Imperator Rom. salutatur.

Comitia Augustburgum indicuntur.

sed & Senatus propter diversos rumores, callidasque multorum strophas non parum sollicitus. Adeo ut pro nocturnis diurnisque vigiliis duo peditum signa conscripserit, curaritque, ut indies ad quamlibet portam civitatis, præter consuetos custodes, duo patritii, duo ex mercatorum classe, & unus ex duodecemviris tribuum plebis, excubias de die securitatis causa agerent. Quin & compita omnia ferreis cathenis repagulisque fortissime munivit. Quæ tamen, misso huc magistro equitum *Caspare Kinlino*, deliberationeque ab assessoribus sacræ Cameræ, qui jam etiam ad nos e *Spira* concesserant, facta, Imperator, quam primum huc venit, e plateis tolli, aut clavis saltem impediri jussit, dimissisque Reipub. conductitiis militibus, ipse in sui custodiam extraordinariam mille alios assumpsit, quibus tum Senatus noster ex parte stipendia solvere jussus est. Inde sub vesperam XV. Junii magno aulicorum & præcipue, cruciferorum *Hyspanorum* comitatu, una cum rege *Ferdinando* fratre & pontificio legato *Laurentio Campegio*, Cardinale, qui hisce comitiis omnes religionis actiones Davi instar semper interturbavit, civitatem nostram ingressus est. Et extra muros *Rubræ* portæ, a civibus instructissimo exercitulo, ex duobus millibus armatorum pedestrium, & centum quinquaginta equestrium civium constante, omnique bellico adparatu, blandissima etiam oratione, post principum salutationes, exceptus, & intra civitatem usque ad *Leonhardinum* fanum decenter umbraculo, quod tribus urbis coloribus ex Damasceno serico consutum erat, deductus est, ubi ipsum Episcopus noster mitratus cum sacra ipsius cohorte sub suam urbem bellam suscipiens cantare cœpit paschale illud canticum: *Adveniſti deſiderabilis &c.* inque *Marianum* templum ad benedictionem perducentes, *Te Deum laudamus* symphoniacæ iterum psallierunt, postmodum ab urbano Senatu in Episcopi palatio, ubi hospitium acceperat, tribus deauratis argenteis scyphis 300. aureorum valoris, duobusque millibus Reipub. signaturæ aureis nummis, sex orculis delicatissimorum piscium, tribus metretis rubri, ac triginta duobus cantharis vulgaris vini honorifice, quoque donatus fuit. Sequente mox die, amburbale corporis Christi festum, recusantibus Evangelicis principibus obsequium, ac *Alberto Moguntino* Cardinale hostiam gestante, *Ferdinando* rege & *Joachimo Brandeburgense* Electore, eundem tanquam sponsam deducentibus cæremoniose peregit. Ac biduo post, ubi & Canonicorum *Augustanorum* collegium sua quoque illi obtulisset xenia, etiam Senatus civilis *Ferdinando Ungriæ* & *Bohemiæ* regi in ædes Decani majoris duos argenteos inauratosque scyphos magnos, quatuor orculas cum tructis, metretam unam rubri, ac 32. cantharos

Imperator Augustum ingreditur.

albi

albi vini in hoſpitale munus obtulit, & confeſtim Imperator, utriusque partis nempe tam papiſtarium quam Lutheranorum, concionatores per totam urbem deſiſtere a prædicationibus edixit. Quare civitatis noſtræ Eccleſiaſtæ a Senatu dimiſſi, partim alio vocati, partim fuga elapſi ſunt, & Magiſter *Johannes Schneidius*, qui ad *S. Crucis* auditorium verbi miniſter fuerat, in Cæſaris vincula abreptus, brevi cuſtodis auxilio liberatus clam eſt. Erat autem annus hic, & præſertim æſtas, ſatis ferveus, nec tamen perinde facilis in foro annona; nam major modius *tritici* quatuor cum dimidio aureolis, *olyræ* quatuor aureolis, *hordei* & *avenæ* undeviginti batziis, *bovinæ* carnis libra quinque nummulis, *vaccinæ* crucifero, *arietis* ſeu quarta pars *vituli* duodecim batziis, *ovis* tantumdem ſex batziis, libra *butyri elixati* quatuordecim nummulis, *ovum gallinæ* recens duobus cruciferis, *pullus Gallinaceus* duodecim cruciferis, *vini* menſura communis quatuor cruciferis, plauſtrum *ſani* duobus & *ſtraminis* ſeſqui aureolo, orgiia denique *faginei ligni* viginti duobus batziis tunc temporis hic venibant. E quibus reliqua omnia poſterioribus annis facile a tanta deducta ſunt æſtimatione, ſolius ligni precium in noſtra usque tempora nunquam imminui potuit. Cæterum XX. die dicti menſis poſt conſuetas ceremonias Imperator cum omnium imperii ordinum ſtatibus comitivaque, præferente *Johanne Saxonum* Electore evaginatum enſem, a *Mariano* templo ad civium curiam ante prandium proceſſit, ibidemque articulos deliberandos, per *Fridrychum Rheni* palatinum pro decoro propoſuit. Inde in vigilia *nativitatis Baptiſtæ*, rogus inſuetæ altitudinis in ſacra area, cum tympanis, taratantaris, & magno tripudio exuſtus ſero veſpere eſt. Poſtea inter alia ardua cœptorum comitiorum tum conſilia tum acta, obtulere XXV. Julii in epiſcopali palatio *Johannes Saxo* Elector, cum filio *Joanne Fridrycho*, *Georgius Brandeburgenſis* Marchio, *Erneſtus Lunæburgenſis* dux, cum fratre *Franciſco*, *Philippus Heſſorum* Landgravius, *Wolffgangus Anhaldenſis* princeps, & *Albrechtus Mansfeldenſis* comes, ac rerum publicarum *Nurnbergenſis*, *Reutlingenſisque* deputati, *Carolo* Imperatori totiusque *Germaniæ* Senatui, *fidei ſuæ Confeſſionem*, tam diſerte *Latine* & *Germanice*, per *Philippum Melanchtonem Brettanum*, *Lutheri* apud *Corburgum* manentis ratificatione, ſcriptam, ut univerſi pontificii doctores, undiquaque adid evocati, quorum *Johannes Majoris Eccius*, & *Johannes Fabri*, *Leutkyrchenſis*, *Suevi*, ut confidentiſſimi, ita quoque perfrictæ frontis choragi erant, neque ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, neque primitivæ eccleſiæ ſtatutis, multo minus argutiſſimis ipſorum ſophiſmatibus, eam diu multumque ventilatam & diſputatam, præſertim poſteaquam *Apologia* acceſſiſſet, confutare aut everterе potuerint. Continet autem *Confeſſio* ea, quam omnes ubique *Auguſtanam* hodieque adpellitant, veram totius Chriſtianiſmi ſummam, certiſſima nimirum dogmata ex ſacris bibliis deprompta, de Deo uno ac trino, de juſtificatione lapſi hominis, de lege & Evangelio, de Sacramentis a Chriſto inſtitutis, de vera Eccleſia ejusque poteſtate, de Sanctis, de bonis operibus, de patrum traditionibus, deque aliis rebus ad ſalutem credentium neceſſariis. Ejusdem Junii dein XXVII. die, hora X. ante meridiem, præſtiterunt S. P. Q. *Auguſtburgenſis* in *Bereleja* area ſtantes, Imperatori ſuo *Carolo*, in mœniano Curiæ ſtanti, erectis tribus in cœlum digitis, debitum obedientiæ juramentum, *Caſpare Sturmio*, *Germania* nuncupato, fœciale concepta verba prælegente, promiſitque eisdem & ipſe Imperator, ſtans in Ambone curiæ cum tribus Electoribus *Alexandro Schwaiſſio* vice cancellario interprete omnem clementiam & jurium municipalium conſervationem. Cum vero non omnes *Germaniæ* civitates, quæ tamen Evangelium ſe amplecti profitebantur, idem quod *Saxo* & ſocii de Cœna Domini ſentirent, ſpeciale ſcriptum doctrinæ ſuæ a *Wolffgango Fabritio* capitone *Hagenojo*, & *Martino Bitzero Schlettſtadienſe* compoſitum, *Straſsburgenſes*, *Conſtantienſes*, *Lindaviani*, & *Memmingenſes* Imperatori quoque tradunt. Simul ac *Zwinglius* ſuorum dogmatum elenchum eidem Imperatori huc *Tiguro* transmiſit. Quibus ſcriptis *Carolus* Imperator non modo exacerbatus, ſed etiam toti negocio infenſior iniquiorque eſt reditus. Interim menſe Julio *Georgius* & *Bervinus Pommeraniæ* duces fratres, ſolenni more de feudis, ſedente *Carolo* ſub majeſtatis imperatoriæ habitu, qui trecentis aureorum millibus æſtimabatur, in foro vinario inveſtiuntur. Item & *Waltherus Cronburgenſis*, contra *Albrechtum Brandeburgium* ſeniorem, qui ducta ante triennium *Dorothea Fridrychi Daniæ* regis filia, ordinis titulum repudiavit, & a *Sigismundo Poloniæ* rege cui ſe cum tota terra in tutelam dedideraat dux *Boruſſiæ* factus erat, jam *grandis Theutonicæ divæ virginis militiæ*, Magiſter, ac reſciſſis *Albrechti* actis, dominus *Boruſſiæ* publice creatus eſt. Idibus dein Auguſti menſis, ſelecti imperatoris juſſu, ex omnibus *Germanici* Senatus ordinibus, XIIII. viri ſunt, qui religionis controverſiam diligenter diſcuterent, & quantum ejus fieri poſſet, ad unionem reducerent. Ex quibus pontificii erant *Chriſtoferus* epiſcopus *Auguſtanus*, *Hainrychus Brunſwicenſis* dux, *Junior* dictus, *Colonienſis* archiepiſcopi Cancellarius, *Hieronymus Vehus Badenſis* Marchionis Cancellarius, politici *Schum* aduc *Wimpina*, ſupra nominatus *Eccius* & *Joannes Cochleus* theologi. Ex Proteſtantibus vero erant *Georgius* Marckgravius *Brandeburgenſis*,

Conciones prohibentur.

Annonæ caritas.

Auguſtburgenſes Imperatori jusjurandi obedientiæ dant.

Fabritius dogmata ſua exhibet.

Articulorum in comitiis propoſitio.

Confeſſio Auguſtana Carolo V exhibetur.

it. Zwinglius.

Imperator aliquibus principibus feuda confert.

XIV. viri ad diſcutiendas religionis controverſias eliguntur.

genſis, Joannes Fridericus dux *Saxoniæ, Pontanus Saxonicus* & *Hellerus Brandeburgenſis* Cancellarii, politici, *Philippus Melanchton, Erhardus Schnepfius, Joannesque Brentius* theologi. Ibi cum *Eccio* proloquente, illi ſe cuncta tentandi gratia, nihil aſſertive tractaturos proteſtarentur, poſt multam diſputationem nihil concludi potuit. Quapropter delectorum horum numerus circumciſus, & ad ſex tantum viros contractus fuit, & quibus tamen æque nihil atque prius transactum eſt, quod pontificii Lutheranis nihil concedere, multo minus diluere poſſent, ac ſemper omnia conditionaliter ac plane captioſe agerent. Longe maxima feſtivitate inde *Ferdinandus Ungariæ & Bohemiæ* rex, præſentibus *Anna* conjuge, & *Maria* ſorore vidua, reginis, extra urbem *Augſtburgenſem*, prope *Wellenburgum* ad ædiculam S. *Rhadtæ*, ſub divo, in patentibus campis, a fratre imperatore, Archiducatum *Auſtriæ*, ſimul ac ducatum *Wirtembergenſem*, in proprio territorio, utputa *Burgavienſis* Marchionatu, equo inſidens, juxta domus ejus nuperam prærogativam, in beneficium V. die Septembris accepit. Quo loco omnis generis militaria exercitia, equeſtres ludi, & præliorum imagines, ornatiſſimo triumpho ſed non ſine cædibus, (nonnulli enim homines caſu, alii bombardis, quæ fulminum inſtar creberrime explodebantur, periere, usque adeo principum joci non carent plebeculo exitio, celebrata tum fuere. Tandem ſub finem Septembris, alia in fidei negocio pertentata compoſitio cum Lutheranis, per *Georgium Trugſeſſum* baronem *Waldburgenſem*, & antea nominatum *Badenſem* cancellarium de novo eſt. Quæ cum & ipſa ſophiſtica, & privatim incepta foret, ſimiliter fruſtranea extitit. Unde ad extremum, elapſo jam pridem, ob ſuſpicioſas, papiſtarum conſuſurrationes, *Heſſorum* Landgravio, *Saxonicoque* Electore cum venia domum profecto, comitiorum receſſus ſive decretum, ut conſuetudo obtinet, in curia civium, publico omnium conſeſſu XIX. Octobris recitatus eſt. *Joachimo Brandeburgenſe* doctore, atroci epiphonemate concludente, *ſuntque eo potiſſimum illi, qui aliter quam Romana eccleſia ſentirent, & crederent, damnati.* Quare reipubl. noſtræ deputati *Hofenſis* conſul & *Chunradus Peutingerus* legum doctor, Archigrammateusque, una cum *Ulmenſium, Franckfortenſium*, & *Suevohallenſium* nunciis, id declinare ſtudentes, concilium urgere cœperunt, & quia *Saxonicæ* confeſſioni non ſubſcripſiſſent, deliberandi ſpatium petiere. Quo conceſſo, coactum a conſulibus noſtris 25. Octobr. utriusque Senatus concilium frequentiſſimum eſt, ac majoribus votis conſtanter definitum, cives imperatori in aliis omnibus rebus obſequium præſtituros, neminemque offenſuros: in religionis autem decreto pro conſcientia non acquieturos eſſe. Propter hanc noſtrorum prudentiam accidit, cum hactenus poſt ſelectos aliquot ex Electoribus aliisque principibus & comitibus imperii, liberarum imperialiumque civitatum nomine, ea urbs, in qua comitia celebrabantur, ſigillo ſuo receſſus quoque obſignaverit, tunc non pro veteri more *Augſtburgenſis* noſtræ civitatis, ſed *Danawerdæ* oppidi ſigillum decretis his adpenſum ſit. Porro *Saxoniæ* Electoris filius, cum ſequacibus contra decreta ea de more proteſtatus eſt. Atque dein Senatus *Augſtburgenſis* poſt unam & alteram interpellationes comminationesque in palatium citatus per tredecim primarios ſelectioresque Senatores coram ipſo Imperatore & rege admodum prolixa arguteque excuſatione ſe demum decretum de religione nullatenus acceptare poſſe, *Joanne Rhelingero* Legum Doctore, & Syndico recitante conteſtatus eſt. Quam rem licet Imperator valde ægre ferret, nihiloſecius tamen ſequenti mox luce donavit in ipſa hac urbe *Carolus* Auguſtus, *Raymundum* & *Antonium Fuggeros*, fratres germanos, cives *Augſtburgenſes*, hæreditaria comitum *Kyrchbergæ* & *Weiſſenhorni* dignitate & titulo, cum privilegio ſignandi auri & argenti. Et ſic finitis comitiis principes omnes cum civitatum legatis ſe domum receperunt; ipſeque etiam imperator cum rege *Ferdinando* XXIIII. ejusdem menſis die, hinc ad *inferiorem Germaniam* ſuam abiit, *Anna* vero & *Maria* reginæ *Insbruggum* profectæ ſunt. Quo die *Italus* quidam exſtipatoribus Imperatoris ſummo mane ante civium curiam ob datas in palatio turbas mandato Imperatoris capite plexus, toto eo die ibidem inſepultus præteuntibus ſpectaculo fuit. Quia vero paulo poſt ſæpenominatus *Saxoniæ* Elector *Coloniam Ubiorum* ad electionem Romani regis, cæque alii Electores principes citarentur, ſimul ac cruenti ejus decreti, quod *Augſburgi* nuper factum, & pronunciatum fuerat, nulla videretur ſperanda relaxatio, dimiſſis illico huc illuc literis, proteſtantes omnes hortatur oratque, ut ad XXII. diem Decembris *Schmalkaldiæ* in confiniis *Thoringiæ* & *Heſſiæ* ſe conveniant. Ubi locorum inter illos fœdus, non quidem quenquam offendendi, ſed ſui defendendi cauſa, ſancte initum primo eſt. Id quod exin totos decem & ſeptem annos a loco, ubi ictum & ſancitum initio fuit, nomen retinuit, ut ſcilicet *confœderatio Schmalkaldica* ſemper diceretur. Hoc præterea anno *Caroli* V. Imperatoris noſtri auſpicio *Hyſpanienſes* nautæ, denuo apud Occidentem inoogni-tas terras ſupra *Americam, Magellano* ductore invenerunt, armisque occupantes fidem Chriſtianam docere cœperunt. In quibus regnum *Peru* tantis auri, argenti, gemmarumque copiis refertum erat, ut incredibile dictu ſit. Periclitata item urbs *Romana* præ *Tyberis* inundatione ac ſubſequentibus terræ motibus miſere eſt.

Ferdinandus Archiducatum Auſtriæ in beneficium accipit.

Dissentientium compoſitio fruſtra tentatur.

Comitiis colophon imponitur.

Kirchbergæ & Weiſſenhorni comitatus Fuggeris donatus.

Proteſtantium conventus Schmalkaldiæ.

Magellanus incognitas terras aperit.

Anno

A. 1531. Anno Domini MDXXXI. dictus V. die
Ferdinandus Cæsar creatur. Januarii, apud *Coloniam Agrippeñsem*, Romanorum Cæsar, *Ferdinandus Ungriæ & Bohemiæ* rex, Imperatoris *Caroli* voluntate, sed non sine *Johannis Saxoniæ* Electoris confœderatorumque, ac *Wilhelmi Bojariæ* ducis, contradictione. Et mox etiam XI. ejusdem mensis die *Aquisgrani* per *Hermannum Coloniensem* Archiepiscopum, Electoremque, sacrosancto *Caroli Magni* diademate inauguratus est. Sub quod tempus *Augustburgo* nostro Consules quoque pronuntiati sunt *Ulrychus Rehlingerus* VI. & *Antonius Binmelius* II. Hoc autem XIII. præsentis A mensis die, de improviso morte subitanea decedente *Magnus Seitzius*, textorum tribunus, decimo die post ordinarie suffici meruit. Qui consules ultima ejusdem mensis die, honestam legationem ad congratulandum novo Cæsari *Werdam*, ubi in *Austriam* suam rediturus pernoctabat, obviam miserunt. Ac dein statim pro sua pietate *Cellarium* e *Memminga*, ubi nono die
Verbi ministros constituunt Augstburgenses. lapsi Januarii *Hansius Vogelmannus* Episcopi paulo ante Burgravius hic ob seditiosas in nos sermones capite plexus fuit, revocantes, iterum ad *Minoritas*, concionari jusserunt. B Cum quo dum *Johannes Froschius*, & *Stephanus Agricola* ad *divam Annam* doctores, paulo antea e *Nurmberga* denuo quoque vocati, in Eucharistiæ negocio nollent consentire missi, mox sua sponte facti sunt. Et vocatis *Strassburgo* aliis verbi ministris, constituit Senatus *Wolffgangum Musculum Dusanum*, hominem αὐτοδίδακτον, ad S. *Crucem*, Magistrum *Bonifacium Wolffhardum Francum* ad S. *Mauritium*, Doctorem *Sebastianum Mayrum* ad S. *Georgium* & *Theobaldum Nigri* ad S. *Ulrychum* parochos, in urbe
Novi ritus. sua. Qui ut nihil novi intentatum relinquerent, acceperunt hic non amplius cœnam domini singulis Septimanis, aut super lapideis altaribus, cum antiquis calicibus, sed vix de mense in mensem, ac supra ligneis mensis, vulgaribusque poculis celebrare. Similiter & infantes non veteri more fasciis evolutos vel nudulos, unda baptismatis citra omnem exorcismum, perfundebant, vel immergebant. Verum una aut altera guttula solum in faciem aspergebant, idque non cottidie, sed tantummodo diebus dominicis, ne scilicet aliquid a *Luthero* acceD pisse viderentur, peragere inceperunt hic.
Annonæ caritas. Quo anno *triticum* sex, *olyra* quinque, *hordeum* quatuor, & *avena* tribus aureolis hic valebant, duravitque caristia ea, usque in Octobrem mensem, quo divino beneficio Cererис precium tertia parte per forum nostrum decrevit. Et cum jam *Wolffus Dietrychus* a *Knöringa* comitatum *Swabeccensem*,
Swabeccensem comitatum redimit Knœringensis. post tricesimum sextum oppignorationis annum, e manibus Reipubl. nostræ, apud *Wilhelmum Bojariæ* ducem redemisset, donata illi Senatus jussu sunt tanquam auctarium, cassides, retia, funes, & alia, quæ ad venationes parata habuerat instrumenta, utensiljaque, quo scilicet minus malus vicinus foret. Verum omnia frustra, nam multo severius dein & aucupia & venatiunculas, per districtum eum, quam præcessores ulli consueverant, civibus nostris tum impedivit, tum prohibuit. Quia autem publicum *Pontium resectio.* patibulum apud nos, transversis laquearibus, muroque esset reficiendum, injunctum id serio Senatus mandato cunctis fabris lignariis ac cementariis, Majo Mense est, ne scilicet uni vel alteri vitio a reliquis verti posset. Ibi cum omnibus absolutis, sola adhuc janua restaret, petierunt fabri lignarii, misso proprio in urbem nuncio, ut arcularii ad se venirent, atque eam pararent. Quibus hi responsum dederunt, se paratos ad id esse, dummodo illi in posterum tota hac urbe, se nullam januam facturos signatis tabulis contestarentur. Verum illi ceptum opus potius perficere, quam eam conditionem subire maluerunt. Porro per totum *Cometa.* præsentis anni Augustum ferme, in medium usque Septembrem, prægrandis & crinita stella, vesperi prope Arcturum, sub signis, *cancro*, *Leone*, & *libra*, insueto adparuit ostento. Et brevi post quinque anti- *Bellum inter Helvetios componere frustra tentant Augstburgenses.* quiores *Helvetiorum* pagi, *Lucerna*, *Urania*, *Schwytzia*, *Unterwalda*, & *Zygium*, veteris debellationis memores, ac Zelo in pontificiam religionem ducti, *Tigurinis*, quibus *Bervates* haud strenuo auxilio assistebant, atrox intulerunt bellum. Quod licet neque *Galliæ* rex *Franciscus*, neque imperiales propinquæ civitates, per legatos suos avertere ac componere potuerint. Missi tamen seorsim a Senatu nostro, *Hieronymus* in *Hoso*, & *Bartholomæus Welserus* ad ambas partes sunt, ut illis in memoriam revocarent, quo pacto ante octuaginta quatuor annos, ab ipsis tunc etiam extreme dissidentibus, Reipubl. nostræ consul, honorarius arbiter ad faciendam pacem expetitus fuerit. Ac nunc jam ejus rei studio, se quoque ad illos ex eadem civitate ablegatos, pro virili & æquitate concordiam facturos esse, si admittant. Verum cum castris prohibiti, non ultra *Winterthurum* procedere potuerint, fuit & hoc consilium incassum. Facto enim tertio prœlio, tandem XI. die Octobris, quinque pagiani armis superiores ad capellam evaserunt, occisusque cum suis *Zwinglius* est. Cæterum quando ad Scholasticæ *Schola ad S. Annam fundatur.* theologiæ studium, nemo civium amplius adspiraret, stipendiumque illud annuum diu vacasset, quod in ejus facultatis gratiam, *Ulrychus Langenmantellus* ad *ancipisi* *Vid. Tab. IV. Fig. V. XX.* *R. Moritianus* mysta, ante annos plus minus XVII. pro quinque pauperibus studiosis, qui tum cives, tum legitimi essent, ac jam primam artium lauream, *Baccalaureos* in gymnasiis vocant, promeruissent, legarat, mutata in melius fundatione, adperuit ex ea pecunia Senatus noster de docta posteritate sollicitus, publicum litterarium ad S. *Annam*,

nam, ludum, *Gerhardo Geldenhaurio Noviomago, Batavo*, primo bonarum artium doctore ibidem. Quo anno & Judæorum cæmiterium, conguſtitio monticulo, firmius ad Septentrionalia mœnia, per ædiles urbis vallatum hic eſt.

A. 1532. Anno ſalutis MDXXXII. Conſulibus *Georgio Vetterō X.* & *Hieronymo* in *Hoſo* ſimiliter X. habitus Januario menſe *Augſtburgi* eſt *Suevicæ* confœderationis conventus. Et cœpit paulo poſt excelſa ea civitatis turris, quam in *Burgſchlagio* jam centum & duos annos ſpeculam provinciæ vocarant vulgo, humiliari & reliquæ murorum altitudini S. C. æquari, inque valli formam parumper extante tecto mutari. Eſtque *Berlinus Obſerus* balneator, propter Sodomiticam impuritatem menſe Majo, vivus exuſtus, productoribus ſuis capite plexis, complicibus vero elapſis, *Sigmundus* in *Italia* exularis abiit, ac *Marcus* domi veneno periit. Editus menſe Martio hic *Zwinglianorum* opera, *Pauli Ritii* medici *Italici, Judæique* tincti libellus eſt, *ſtatera prudentum* intitulatus, qui cum ſe *Moſen* & *Paulum* concordaturum promiſerit, plane ſcandaloſus, in politicas leges eſt repertus, proin & a Cæſare & Senatu noſtro damnatus prohibitusque ſtatim fuit. Cæterum cum *Chriſtophorus a Stetta* ſplendidiſſimas 22. Aprilis die cum *Magdalena Rhelingera* nuptias hic celebraſſet, ac penitus a nullo invitatorum donum, uti mos erat, acceptare dignatus fuiſſet, occaſionem magiſtratui noſtro dedit, ut Senatus decreto in poſterum ſit cautum, ne quisquam civium præter parentes & fratres ſponſo vel ſponſæ ullum munus ad nuptias apud nos offerat. Durante autem adhuc annonæ caritate, veniit Junio menſe in foro noſtro, major modius *tritici* quatuor aureolis, & *Olyræ* XXVI. ſolidis, Dei tamen miſeratione iterum proximo Octobri, melior adſpiravit ſors, *triticum* enim XXIIII. ſolidis, *olyra* XXII. avena IX. vini *Neccarenſis* conſueta menſura octo nummulis, & butyri liquati libra novem nummulis publice proſtabant. Interea XVII. Junii nocte libellus famoſus ad ſcalam *Berlachejam* a duobus piſtoribus fortuito repertus eſt, in quo Senatus acerbiſſime carpebatur, & ni citiſſime papiſticos cultus funditus ſuſtulerit, bellum civile a duobus millibus conjuratorum indigenarum inſtare monebantur, pro cujus autore indagando prætor, *Beſtlerus*, publica per totam civitatem proclamatione, mille aureos propoſuit, ſed Hylam inclamavit. Nam licet haud poſtremus ex *Marianorum* ſacrificulorum numero ob minime vanas ſuſpiciones, qui illum dictaverit, a Senatu noſtro captus, inque tertiam Septimanam usque in cuſtodia iraſcente Epiſcopo fuerit detentus, immunis tamen, neſcio qua juſtitia, evaſit. Poſt iſta cum & *Schwinfurti* & *Noribergæ*, per *Albrechtum Moguntinum* Cardinalem & *Fridrychum Rheni* Palatinum Electores principes, tum inter Imperatorem *Carolum* & *Proteſtantes*, quos vocant, de mitigando *Augſtburgenſium* comitiorum decreto, tum de Cæſaris titulo interregem *Ferdinandum* & *Saxoniæ* Electorem, inam *Bojarus* jam a priore ſententia receſſerat, longa tentaretur reconciliatio, irruit iterum *Soleymannus Turcarum* imperator quam truculentiſſimis copiis in *Pannonias*. Ibi noſter imperator in *Germaniam* reverſus, comitia Majo menſe *Regensburgi* agitare cœperat, ad quæ *Augſtburgenſis* Reipubl. A legati erant *Matthæus Langenmantellus* patritius & Senator, *Wolfſusque Vogtus* ſyndicus. Quo autem commodius toti Germaniæ pacem daret, *Carolus* Auguſtus noſter, ſancivit, ne cuiquam religionis cauſa ulla moleſtia, usque ad liberi & Chriſtiani in *Germania* celebrandi concilii tempus, crearetur. Quapropter dum omnis *Auſtria* tunc in ſummo verſaretur diſcrimine, decreta ab imperii Senatu auxilia regi *Ferdinando* ſunt, hic tamen ut cuncti ordines non pecuniam, ſed militem ad hanc expeditionem ſubminiſtrarent. Quo luculenter præſtito, recenſuit *Fridrychus Rheni* Palatinus, ſupremus imperii copiarum armiductor, octuaginta millia germanicorum peditum, ac viginti quatuor millia gravioris armaturæ ejusdem nationis equitum in *Auſtria*. Miſſi autem ſub Auguſti menſis initia a Senatu noſtro in ſubitaneum ultroneumque præſidium *Viennam* fuere tria peditum ſigna, ductoribus ſeu Tribunis *Hanſo Bleygo*, & *Hieremia Ehemio* civibus, ac *Bernhardo Schludio Lindavienſi*. Quibus poſtea ad explendas imperii ordinarias copias, pro debita *Augſtburgenſis* Reipubl. portione L. galeati equites, *Eglolpho a Knöringa* præfecto, & CCC. armati pedites *Sebaſtiano Schertlino Schorndorffienſi*, capitaneo, additi fuerunt. Poſitis itaque caſtris omnibus ad *Viennam*, imperator *Carolus* V. intrepide hoſtem expectavit. Qui quanquam antea *Lyncæam* usque provincias *Oſtriacas* longe lateque excurſionibus ac ruinis vaſtaſſet, & immaniſſime *Ghineſium*, vulgo *Gyntzium* noſtri vocant, univerſo ſuo exercitu, qui ter centena militum millia continebat, in confiniis *Ungriæ* & *Styriæ* tredecies fruſtra oppugnaſſet, tandem nulla re memorabili perfecta cum detrimento diſcedere ſub hyemis initia compulſus fuit. Cujus palantum, plus minus duodeviginti millium turmam, *Schertlinus* noſter jam palatini comitis *Fridrychi* ſupremus locumtenens, non valde numeroſa militum manu in campo lapidoſo *Auſtriæ Schwartzaha* dicto 19. Septembr. ſtrenue inſecutus, tum glorioſe vicit, tum vix elabente ſignifero contrucidavit. Eaque victoria magnum ſibi nomen, & aurati cinguli militare decus, ac Reipubl. noſtræ multam promeruit gratiam. Viſus vero eo Autumno, menſibus Septem-

Pannonias irruit.

Comitia Regensburgi.

Auxilia Germ. Imp. principes mittunt.

Augſtburgenſes Imperatori opem ferunt.

Schertlinus 18000 Turcas cædit.

Cometa.

Suevica confœderatorum conventus.

Sodomitæ dant pœnas.

Ritius edit Stateram Prudentum.

Conſtitutio de munexibus nuptialibus.

Annonæ vilitas.

In autorem libelli cujusdam famoſi inquiritur.

Soliman. nus Turc. Imp. in

Septembri & Octobri ante solis ortum cometa albus intra tropicos sub *Virginis* & *Libræ* signis fuit. Cæterum mortuo apud nos Octobri mense *Georgio* ab *Argona*, ultimo hujus parentelæ viro, cœpit Senatus primum in suam tutelam hospitale *Antoninum*, ejusque redituum curam accipere & mere administrare. Sequentis dein Novembris XXI. die capite plexus *Lucas Baderus* tinctor est, quod urbis sigillum, quo panni tincti signari solent, furtiva celatura emulatus fuisset, atque eo dolo innumera Xylina circumcidisset. Cujus fraudis cum & *Brosius Stapfius* vir decrepitus & tinctor nominatissimus reus quoque foret, vix ardua plurimorum intercessione donatus quidem vita, sed magna pecunia mulctatus, & infamis redditus, in propriam domum tanquam perpetuum carcerem condemnatus fuit. Angularis præterea e regione civium putei domus, in cujus superiore parte mercatores tabernam suam, in ima sutores jam dudum ætatem emporium habebant, Senatus jussu eodem mense, per ædiles urbanos destructa est, utut tota calceatorum tribus vehementer resisteret. Estque in locum ejus sequente anno pulcherrima domus extructa pro Reip. Scriniorū magistro seu *archigrammateo*, quam *Cancellariam* nunc indigitant. Quanquam & publicus nummularius inferius cambia quoque in ea hodie exerceat.

Supplicia.

Cancellaria exstruitur.

A. 1533. Anno Christiano MDXXXIII. Consules *Augstburgi* de more dicti sunt *Ulrychus Rehlingerus* VII. & *Magnus Seitzius* II. Sub quibus summo mane XXI. Februarii insueta & horridissima, tum fulgetris, tonitruisque, tum etiam grandine tempestas per civitatem hanc extitit. Propter quam sabbato immediate sequenti, major modius *Olyræ* XXXVI. solidis, *tritici* XLV. solidis in foro constiterunt. Præterea facta est Majo mense permagna aquarum apud nos inundatio quoque. Et licet æstate anni hujus *Neccarei vini* mensura IX. nummulis, ac libra *bovinæ* carnis V. nummulis venierint, ac sub finem Augusti precium *frumenti*, ultra quatuor aureolorum summam non ascenderit. Senatus tamen propter minus opulentos cives, panes adhuc pinsitari curavit, quorum quemlibet duobus cruciferis, hoc est, VII. nummulis, tanto pondere, quantitateque vendebat, quanto pistores per urbem quatuor cruciferis dabant. Quo anno domi nostræ extra publicum macellum, in platea versus *Berlejam* aream, pro laniorum mensis tabernacula, & extra *Petrinum* delubrum, atque turris *Berlejæ* ambitum, pro institoribus, nugivendisque, sellæ aliquot cupro intectæ, Senatus deliberatione, reclamantibus sane veteri more sacrificulis ibidem, absoluta sunt, quanquam ante biennium structuræ hæ construi occepe-rint. Cum vero ecclesiasticarum ceremoniarum abusus, passim per *Germaniam* ut idolatrici, aut caderent, aut emendarentur, jussit & apud nos *Marcus Ehemius*, parochiæ *Moritianæ* curator, ut ad festum *ascensionis Christi in cœlos*, quod ad XXII. diem Maji, majore ob spectaculum cachinno, quam pia devotione celebrandum erat, non solum simulachrum, ad id jam olim paratum, tolli, verum etiam testudinem templi occludi. *Antonius* autem *Fuggerus*, quod jus patronatus templi ejus haberet, comperto *Ehemii* consilio, vicissim novum idolum, quanta potuit festinatione per statuarium fieri fecit, ac reserato lacunarium foramine, id consueta dramatis hora, per ædituos e pavimento templi, ad summum tectum funibus sursum trahi, cum organis & sacerdotum symphonia curavit. Id quam primum jam dictus *Ehemius* a spectatoribus resciviisset, statim missis servulis, cum *Stofelio Sorgo*, directe illud ab ipso actu deorsum præcipitandum imperavit. Quod dum in medias turbas impetuose dejiceretur, nec tamen quemquam hominum damno afficeret, mirum quantus ex improviso terriculamento risus, frementibus pontificiis, ipsoque *Fuggero* actutum cum suis e templo fugiente, abortus sit; inde ne seditio tumultusve per leves & novarum rerum cupidos homunciones hic excitaretur, statuta quædam & laudabiles ordinationes, ab urbano Senatu, tum ex novo facta, tum ex veteribus repetita sunt, quibus firma inter dissidentes fidei causa cives, pax retenta utcunque est. Quo tempore novi urbis ecclesiastæ hic, etiam Catechismum vulgari lingua, tanquam simplicem Christianæ religionis institutionem ediderunt: Quem quod mere *Zwinglianus* fuerit, *Haidelbergenses Calviniste* post XXXIII. annos iterum typis apud se excudi curarunt, populoque *Augstburgensi* dedicarunt. Sub medium dein Junium, cœpit denuo longus cometa adparere, fulsitque vesperi in medium Augustum. Tandem mense Novembri, agitatus hic frequentissimus & quidem extremus *Sueviæ* confœderationis conventus est. In quo Episcopus nostras, *Wolffius* comes *Montfortius* & *Marquardus* a *Staino* præpositus *Augustanus*, imperatorii commissarii fuerunt. Et *Christopherus Ulrychi* extorris *Wirtembergensis* ducis filius, patriam multis precatoribus stipatus repetiit, *Hansusque* a *Rosenberga*, publicus omnium confœderatorum hostis, propter occupatam *Bocksbergensem* arcem, cum eisdem transigere non potuit. Quare dum *Ferdinandi* regis Oratores & *Sueviæ* antistites, expirantem ligam, in plures annos firmius nectendam, nostris valde consulunt. E contra *Francisci Galliarum* regis legatus, *Wilhelmus Bellajus* de *Laugæo*, protestantibus & *Bojaris*, tanto artificio dissuasit, utea omnino, in festo *purificationis Mariæ* anni sequentis, dissoluta ac rupta sit, postea quam jam annis plus minus XLVI. subinde restaurata durasset. Quando tamen clancularie pfafforum technæ, nihil non adversus veram Christi religionem meditarentur, paulo antea respublica nostra cum *Nürnbergensibus* ac

Gigante Fuggero abolei.

Catechismus editur.

Cometa.

Suevia confœderatorum conventus Augstburgi.

Suevica liga dissolvitur.

Fœdus Augstburgensium cum Nürnbergensibus

Institorum tabernacula fabricantur.

Ehemius vitus quosdam papales refragatur.

bergenſibus & Ulmenſibus. ac *Ulmenſibus*, privatum fœdus, ad Evangelicam veritatem aſſerendam, certis concluſionibus, & ſignatis tabulis ſanctiſſime inierat. Hoc anno *Fuggeri* noſtrates *Oberdorfium* a *Wolffo Marſchalco* XXI. millibus aureorum emerunt, cum tamen vix trecentos aureos redituum habere diceretur.

Fuggeri Oberdorfium emunt.

A. 1534. Anno Servatoris noſtri MDXXXIIII. *Wolffius Rehlingerus* patritius, in novum conſulem VII. Jan. evectus, *Hieronymum* in *Hoſo*, qui munus id nunc undecimum gerebat, collegam habuit. Sub quibus dum ob ingentiſſimum frigus, & molendina cuncta *Augſtburgi* gelu conſtitiſſent, & infelix annonæ cariſtia famesque etiamnum vigerent, vendita apud nos iterum & frumenta & legumina haud viliore precio, quam initio præteriti anni ſunt. Libra adhæc *butyri liquati* XIIII. nummulis, & *bovinæ carnis* libra V. nummulis proſtabat, idque in magno defectu. Quem tamen Magiſtratus propter inopes levare pro viribus ſtuduit, ac propriis impenſis boves eviſcerari, & in plebis commodum mactari curans, libram carnis quatuor nummulis diſtrahi præcepit.

Senatus munificentia pauperibus ſuccurrit.

Trutinam inſtituit Senatus.

Quin item idem Senatus popularem trutinam tunc quoque (alii ante biennium conſtructum volunt, conſtitiſſeque duo millia aureorum aſſueverant, *Sixto Saurio* penſore conducto) frugalitatis cauſa inſtituit, qua molitores farinam erga frumenti pondus civibus adpenderent. Verum quia res inaudita nobiſcum erat, facile utrinque neglecta eſt, brevique ſublata, remanente apud molitores, quam jam dudum præſcripſerant de furacitate fide. Interea vero tota plebs hic ex animo ad fidei veræ unitatem anhelabat.

Senatus circa religionem cura.

Quare conſules utriusque Senatus ordines convocarunt, habitaque ardua conſultatione unanimiter XII. Martii decretum fecerunt, ut per totam civitatem hanc una ſincera & concors religio habeatur. Quod ut commodius obtineri poſſet, ſummo Canonicorum collegio, vel familiare cum theologis noſtris colloquium, vel exhibitis X. ad id jam compoſitis thematibus adperta diſputatio a civibus XVI. Martii propoſita fuere.

XXIII. Aprilis.

Capitulari autem Senatu cuncta obſtinatius iterum atque iterum renuente, magiſtratus iterum *Rehlingeri* conſulis inſtigatione, magnum Senatum XXII. Julii coëgit, ac in eo idololatriam penitus abolendam & Evangelii doctores evocandos firmiſſime concluſit. Miſſis itaque ex utroque ſui numero ſex ſenatoribus, ſilentium univerſis papiſticis concionatoribus impoſuit, ac ſæpedictis Canonicis imperando denunciavit, ut & minora ſacella per totam urbem occluderentur, & miſſa per reliqua templa, præter ea quæ immediate ad epiſcopum ſpectarent, abrogaretur, donec ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, ea Chriſtianis admittenda comprobaretur. Quæres, altera die Auguſti per prætorem publice proclamata ac per omnes tribus intimata cum ſeria interminatione eſt, ne quis vel dicto vel facto contraveniat, ſed priusquam ad effectum deduceretur, mox ſacerdotes illi ſacros theſauros, aureos calices, ac deaſtrorum ſuorum argenteas imagines, una cum deſiderabilibus omnibus *Dillingam* avexerunt, & quo poterant. Ipſusque conſul *Hoſenſis* hinc *Noribergam* ad ſuos, relicta peſſima de ſe ſuſpicione, conceſſit. Interea tamen Senatus nihiloſecius, uti ſtatuerat, in omnia urbis noſtræ templa, etiam in occluſarum monialium fana, interdicta miſſa, Eccleſiaſtas ad prædicandum Chriſti Evangelium conſtituit. Quam ob rem quod vivere hinc mendicando non amplius poſſent, Dominicaſtri, relicto ſuo clauſtro vacuo, locum mutarunt, unde Senatus id, quod alias jam ejus curator foret, ad ſuas recepit manus.

Plures verbi divini miniſtri conducuntur.

Ulrychus Wirtembergenſis ducatum recipit.

Qua tempeſtate reductus armata manu, *Ulrychus Wirtembergenſis* dux in patriæ poſſeſſionem, per *Philippum Heſſiæ* Landgravium fuit: qui *Philippum Rheni* Palatinum, regis *Ferdinandi* ſupremum legatum, & provinciæ ejus gubernatorem, non ſine totius *Sueviæ* Pfafforum monachorumque conſternatione, ad *Lauffam* Majo menſe prelio devicit atque cœpit. Propter quem tumultum prudentiſſimus Senatus noſter, conſcriptis ſexcentis peditibus, & centum equitibus, urbem noſtram contra ſubitos inſultus communivit.

Novum cœmiterium conditur.

Quando autem pro ſepulturis mortuorum civitas hic ampliore egeret loco, nec tantæ multitudini antiqua conditoria ſufficerent, curavit denuo urbanus Senatus, ut coëmptis menſe Febr. paulo ſupra *rubram* portam, agris aliquot, novum & peramplum cœmiterium illic ſuo ſumptu pararetur, quod vulgo a ſitu *ſuperiorem Dei agrum* vocant. Non multo poſt iſta, juſſit idem Senatus pro reip. commodo, Planatoriam eam prope *divæ Annæ* officinam ædificari, in qua linei pannii levigantur complicanturque.

Planatoria officina exſtruitur.

Inundationes.

Eodem item anno *Werdachæ* ad S. *Wolffgang.* ſimul ac *Lechus* ad S. *Sebaſt.* extra civitatem noſtram ſupra modum exundarunt, & ad mœnia usque reſtagnarunt, haud aliter atque Romæ Tyberis. Fiſtulaque *Crdcoviæ* cataclyſmis damna dedere.

Lis inter Neuburgenſem ducem & Kaisbaimenſem abbatem componitur.

Tandem Nov. menſe, (cujus XXIII. & XXIIII. diebus continuus & fortiſſimus ventus plurima tecta, infumibulaque per urbem hanc & foris ſepes & tabulata, cum procerioribus arboribus dejecit) diutina ea lis, qua *Otto Halnrychus Rhenenſis* Palatinus, dux *Neuburgenſis* dictus, cum *Chunrado Reutero* viceſimo quinto *Kayshaimenſe* abbate diu jam contenderat, in civitate hac noſtra per arbitratores ſive compromiſſarios compoſita eſt, tali pacto, ut abbas dictum principem monaſterii ſui, quod ipſe primus muro, turribus, & foſſa, contra Centaurorum frequentiſſime ibidem confluentium violentiores incurſus communierat, protectorem ac advocatum agnoſceret ſuſciperetque. Hoccé præterea anno pacti certa conditione *Fuggeri* & *Joh. Baumgartnerus* cum Senatu noſtro de annali cenſu ſunt, ut in poſterum octingentos aureos ſingulis annis quæſtoribus contribuerent, nec ullum ejus rei cauſa juramentum amplius præſtarent. Anno

A. 1535. *Reconciliatorum triumviratus origo.*

Anno Domini MDXXXV. conſulibus *Ulrycho Rehlingero* VIII. & *Magno Seitzio* III. conſtituti hic Januarii menſis XIII. die a Senatu, primi Triumviri ſunt, *Ulrychus Sultzerus*, *Clemens Kyckſingerus*, & *Caſpar Mayrus*, qui de certis & confeſſis tam debitis quam contractibus litigantium, vel ſtricte pronunciarent, vel citra appellationis confugium tranſigerent, ne ſcilicet prætoris tribunal aut Senatus ipſe cognoſcendis cauſis, ab altercantibus in infinitum gravarentur, vocabanturque *reconciliatores*, ac ſingulis menſibus novi ſibi ex Senatorum numero ſuccedebant. Mox cum in feſto S. *Georgii*, quinque miniſteriales Epiſcopi ad S. *Leonhardi* fanum extra *Göggingenſem* portam ruſticum quendam ac *Bernhardi Rhelingeri* famulum forte prætervectum protervissime pulſaſſent, ſtatim ab equeſtribus Reipubl. tres illorum deprehenſi, & huc pertracti, triduum propter protervіam eam in publicis vinculis detenti fuerunt. Poſt quæ cum menſe Majo, *Gregorius Löfflerus Oenipontanus* undecim magna tormenta, quæ imperatori *Carolo* noſtro ex ære fuderat, probata reddere exploſionibus in *roſarum* inſula apud nos accingeretur, accidit in tertia illorum infarctione, ut pyrius pulvis neſcio quo fomite ignem conceperit, ac ruptis vaſculis tres in momento viros interfecerit, & adſtantium plus minus viginti duos alios partim membris mutilaverit, partim non leviter ambuſſerit. Sub ea tempeſtate *Ulrychus Honoldus* propter inceſtum, quo germanam ſororem impræg naverat, maxima propinquorum & amicorum interceſſione, ad perpetuos carceres hic codemnatus eſt, in quibus plus minus XXXX. annis indignanter vixit. Interea temporis Imperator *Carolus* ex *Hyſpaniis* in *Africam* cum exercitu trajecit, ſequentibus e *Ligurum* portis *Germanorum* quoque copiis, in quibus ex noſtratibus civibus non parum multi fuere, quorum unus & alter quadratum aureum ſymbolum victoriæ ejus ſignum a collo geſtandum attulere quoque. Eo bello imperator noſter, *Arradianum Barbaroſſam Turcicum* pyratam perfacile toto mari effugavit, *Tunetemque* ex veteris carthaginis ruina natam urbem, cum arce *Goleta* fortiſſime occupavit, denique loci ejus ejectum regem *Molei Aſſen*, ſive *Alzachenum, Machometanum* ſub tributo reſtituit. Decimo quarto dein Junii obliterati per civitatem *Augſtburgenſem* incolæ illi ſunt, qui relatis tantum in ærarium pro annuo cenſu XXXVI. cruciferis domicilium atque fori jus in ea habebant, ac *Pfalburgeri* dicebantur. Conſtitutumque utriusque Senatus adprobatione eſt, ut nemo in poſterum hic habitaret, quam qui civis eſſet, & communem per omnia cum civibus ſortem ſubire vellet. Quia vero *Wolffius Rehlingerus* & *Zymbrechtus Hoſerus* ſuperiore anno primi ſcholarchæ apud nos facti, ſentirent ſe provinciæ illi non ſatis præeſſe poſſe, cooptarunt ex Senatusconſulto collegas, *Bonifacium Wolfhardum* theologum, *Chunradum Helum* jurisperitum, & *Geryonem Saylerum* medicum. Qui mox facta novæ ſcholæ inſpectione, *Annenſem* ludum in certas claſſes præter elementarios pueros, haud inſcite diſtinxerunt. Ac primæ *Wolffgangum Anæmecium*, ſecundæ *Arſacium Seehoſerum*, & tertiæ *Steffanum Vigilium*, auctis e Reipubl. fiſco ſalariis, præfecerunt, qui ut erant viri non indocti, docendi munus, tertia die poſt pentecoſten, græce & latine plauſibiliter auſpicati ſunt. Viceſimo quinto dein Junii menſis die, *Münſterium Weſtphaliæ* civitas, totius imperii auxilio, ad quod reſpublica noſtra ultra quintum menſem non parum pecuniæ contribuit, poſt decimum ſextum obſidionis menſem, capta demum cum *Johanne Leidenſe Hollando* eſt. Quem *Anabaptiſtæ Bernhardi Rothmanni*, & *Krechtingi* aurificis prophetarum, *Knipperdolingique*, qui ex conſule urbis ejus carnifex jam factus fuit, phanaticis viſionibus in regem ſibi, cum antea ſarctor fuiſſet, elegerant, atque in dicta civitate novum *Hieruſalem*, & expiatorum ſuo lavacro templum conſtituentes, non ſolum collatis omnibus rebus in medium ſpirituale vitam ſe reſtauraturos, verum conceſſa ad lubitum polygamia, toto terrarum orbe ſe impios ſubmoturos, ut impure ita vane jactarunt. Dein quando æque hic in noſtris eccleſiis, atque tota Germania, de re ſacramentaria ingens ſcandalum ſubortum foret, venit Julio menſe *Straſsburgo* huc *Martinus Bucerus*, ac diu in parochiano S. *Johannis* templo concionatus, anſam Senatui præbuit, ut ille, miſſis Kalendis Julii, una cum omnium concionatorum noſtrorum literis, *Geryone Saylero* medicinarum doctore, & *Caſpare Huberino* Eccleſiaſte *Wittebergam*, *Luthero* ſpem concordiæ in religionis ſchyſmate fecerit, atque *Urbanum Rhegium* ad miniſterium verbi ab eo repetierit. Qui cum a *Luneburgenſe* principe, cui poſtquam hic ante quinquennium in comitiis miſſus factus fuerat, ſacris concionibus inſerviebat, avelli non poſſet, M. *Johannes Forſterus* civis noſtras, tunc tamen *Wittebergenſis* Eccleſiæ diaconus, ſicuti & poſt tres annos hinc dimiſſus, tum *Tubingenſis*, tum *Wittebergenſis* academiarum hebreæ linguæ profeſſor, huc Auguſto menſe miſſus eſt. Propter quam cauſam mox ipſe *Lutherus* congratulatorias literas ad eundem ſenatum noſtrum vigeſimo die Julii dedit, quæ in editis ipſius operibus extant. Quo tempore peſtis per civitatem noſtram glyſcere cœpit, & inde a die S. *Margaritæ* usque ad ſequentis anni *purificationis Mariæ* feſtum MCCC. circiter mortales vi ſua rapuit. Cæterum deſinente ex gratia Dei annonæ diuturna pergravique cariſtia, latæ a Senatu noſtro ſumptuariæ leges de frumentorum precio ſunt. Ceſſatumque

V. miniſteriales Epiſcopi protervіæ pendent pœnas.

Pulvis pyrius inſignem in adſtantes edit ſtragem.

Honoldus ob inceſtum punitur.

Caroli in Africa expeditio.

Pfalburgeri antiquantur.

Senatus circa Annenſem ſcholam cura.

Munſterii expugnatio.

Bucerus Augſtburgi commoratur.

Forſterus verbi divini miniſter fit Augſtburgi.

Peſtis.

XIIII. Auguſti die ab eo inſtituto eſt, quo ultra ſex annos privatis Fiſci ſumptibus, panes pinſitati, & pauperculis multo vilius quam apud piſtores venditi fuerant. Cui negotio conſul *Hofenſis*, nulla in hanc usque diem data ratione præfectus, cum etiam annis plurimis rempublicam maxima adminiſtraſſet potentia, nam à *Schwartzii* tempore, nemo hic imperioſior ipſo fuerat, exauctoratus officio eſt, ac ſub finem anni hujus, mercatoribus, quorum contribulis erat, a Senatu injunctum, ne illum amplius vel tribunum vel Senatorem deligerent, vulgo tamen putabatur miſſionem ultro impetraſſe. Interea tempus, quando & ſacræ Cameræ judices *Spyræ*, ab actionibus religionis, contra datam ab imperatore pacem, regisque *Ferdinandi* inhibitionem, non deſiſterent, haud injuria proteſtantes, eosdem tanquam ſuſpectos, quantis potuere, recuſarunt exceptionibus, ac deſignatis ſolenni more arbitris, petierunt, ut cauſſæ eæ inter illos & ſeſe legitime excuterentur. Eamque ad rem præter quosdam principes etiam Senatum *Augſtburgenſem* propoſuere. At cum rationibus nihil erga illos efficere poſſent, fœderis ſaltem ſui augmentatione jugum id per vim excuſſerunt. Quo anno *Hieremias Ehemius Joachimum Herwarthum* in heroum contubernio, leuiſſima de cauſa enſe confodit, patriaque fugit. Et *Hanſus Thomas* a *Roſenberga*, *Francicus* prædo, non parum multos *Sueviæ* cives intercepit, multaque pecunia emunxit, inter quos *Lucas Langius* patritius noſtras, e *Cellenſi* balneo domum pergens, cum filio ſexennali captus fuit, quem patre mortuo, cognati vix, poſt tertium captivitatis annum, ſex millibus aureorum redimere potuerint.

Hofenſis cum ignominia miſſus ſit.

Cameræ Spirenſis inſolentia.

Roſenbergenſis prædo.

A. 1536. Circiter principium anni MDXXXVI. facti ſunt *Augſtburgi* conſules, *Wolffius Rehlingerus* II. & (*) *Johannes Haintzelius* ex mercatorum albo. Fecerunt autem Januario men.e per ſingulas plebis tribus in Tribunorum ſuorum electione vota viri numerati, ut ſequitur: Apud mercatores 75. textores 1451. inſtitores 335. piſtores 142. lanios 120. Zytopolas 135. fabros febrarios 341. pelliones 107. ſartores 160. ſutores 90. fabros lignarios 203. piſcatores 82. leguminarios 110. lanifices 62. doliatores 61. coriarios 94. ſalinatores 235. Eſtque *Hanſus Baumgartnerus* tum a Senatus tum a judicii oneribus a Senatu hic immunis libere, ſed non ſine patritiorum murmure redditus. Sub quibus & vini & frumenti inopinata vilitas, poſt decennalem annonæ caritatem, tandem benignitate Dei conſecuta eſt. Et cum Clerus omnis multa reipubl. confidenter minitaretur, nimiumque ferociret, factum ex conſulum, præcipue *Wolfi Rhelingeri* ſententia eſt, ut e minore Senatu quatuor viri deputarentur, qui *ſilentiarii* ac *arcani conſiliarii* dicti, religionis & belli, ab hisque dependentia negocia, cum ſolis conſulibus tractarent. Quorum nomina ſunt: *Ulrychus Rehlingerus*, *Johannes Welſerus*, *Magnus Seitzius* & *Zymbrechius Hoſerus*. Horum itaque procuratione, etiam civitas noſtra, cum pluribus aliis tum principibus tum civitatibus, nomen *Schmalkaldico* fœderi Majo menſe primum dedit, licet tabulæ demum penultima Septembris confectæ ſint. Hæc autem nomina ſunt dicti fœderis ſociorum: *Joannes Fridrychus Saxoniæ* dux, Elector imperii, *Joannes Erneſtus* dux *Saxoniæ* frater, *Erneſtus* & *Franciſcus* duces *Luneburgici*, *Ulrychus* dux *Wirtembergenſis*, *Philippus Heſſiæ* Landtgravius, *Bervinus* & *Philippus Bomeraniæ* duces, *Wolfius*, *Hanſus*, *Georgius* & *Joachimus Anhaldici* principes, *Gebhardus* & *Albrechtus Manſfeldenſes* comites, civitates *Straſsburgum*, *Conſtantia*, *Ulma*, *Lindavia*, *Eſslinga*, *Reuthlinga*, *Memminga*, *Campidona*, *Bibrachium*, *Iſna*, *Magdeburgum*, *Brema*, *Brunſwicus*, *Goſslaria*, *Göttinga*, *Hamburgum*, *Lubecca*, *Minda*, *Augſtburgum*, *Franckfurtum*, *Hanobria*. Quibus tamen poſtea plures tum principes tum civitates comitesque acceſſerunt Evangelii gratia. Quum autem jam ſuperioris noſtræ *Germaniæ* Theologos, diuturnæ & peſſimæ ejus, quæ in baptyſmi Euchariſtiæque aſſertione vigebat, contentionis vel tederet, vel pigeret, profecti ſunt *Buceri* ductu, qui menſe Aprili dirum in modum Senatum apud nos contra Canonicos idolaque concitarat, præcipui ex illis *Eiſenachum*, quo conventus erat indictus, & inde *Wittebergam* ad *Lutherum*, valetudinarium pro ineunda concordia. Quibus ex urbe noſtra pacis ſtudio ac Senatus ſumptu *Bonifacius* & *Muſculus* concionatores Majo menſe quoque acceſſerunt, & tantum non palinodiam, *Melanchtonem* formulam præſcribente, cecinerunt, quam tamen domum reverſi diſſimularunt. Et quoniam Senatus perpetuam adhuc ſcholas humaniorum literarum fovendi navaret operam, curavit etiam *Xyſtum Byrckium*, ſive, quo magis gaudebat nomine, *Betulejum*, in patriam *Baſileja* revocari. Qui licet gravatim huc conceſſerit, tamen cum provinciam erudiendæ pubis hoc tandem anno ſubiiſſet, ſcholam ad *Annam*, præter publicas Trivii lectiones, diſputandi declamandique exercitiis, & Scenicis actionibus ita illuſtravit, ut non ſolum auditorum numerus, ſed & diſcipulorum eruditio, quo ad eam moderatus eſt, plurimum increverit. Celebrabant tunc forte Proteſtantes *Franckfurti* conventum, ac præter alia ſuæ confœderationi non inutilia decreverunt legationem ad Imperatorem in Italiam, firmandæ publicæ tranquillitatis & pacis gratia mittere, cumprimis vero ab eo contendere, ut Cameræ judicium in religionis cauſa cohiberetur. In ea legatione *Claudius Pius Peutingerus* juris utriusque doctor civis noſtras

Ordinis plebeji membrorum numerus.

Baumgartnerus a magiſtratu gerendo immunis.

IV. Silentiarii conſiliarii conſtituuntur.

Schmalkaldicorum confœderatorum nomina.

Theologi ad conventum Eiſenach. & Witteb. mittuntur.

Betulejus optime de Annenſi ſchola meritus.

Proteſtantium conventus Franckfurti.

(*) Quod *Hieronymus Hofenſis* diſceſſiſſet, inſalutato Senatu.

ſtras, haud poſtremus erat. In hocce conventu etiam multa, de recipiendo in fœdus *Hainrycho VIII. Angliæ* rege, agitata fuere, qui antea fidei defenſoris nomen a papa acceperat, ac poſtea cum *Katharina Hyſpana* divortium fecerat, jam jamque tertiam, altera decollata, ſuperduxerat uxorem. *Conſentio cum monialibus ad S. Katharinam.* Quo tempore etiam Senatus multas cum monialibus ad *S. Katharinam* deliberationes hic habuit, ut renunciatis hominum traditionibus Evangelium Chriſti acceptarent. Verum obſtinatæ illæ mulierculæ, dominicaſtrorum perſuaſione, non modo id recuſaverunt, ſed & inſuper clam Senatui, contra vetera jura, ſeſe in Romani regis *Ferdinandi* tutelam dedere, meditari auſæ fuerunt, quod inceptum tamen maturiore conſilio impeditum, conſultori non bono fuit. Junio dein menſe, XIIII. die, facta apud nos ſilentiariorum ſuggeſtione nova conſtitutio a Senatu eſt de recipiendo civium majore cenſu, de acquirendo jure municipali, deque ſimilibus rebus. *Bellum inter Carolum Imp. & Franciſcum Gall. regem.* Quo menſe etiam, tranſiit hac lectiſſimo equitatu *Philippus Rhenenſis* palatinus, inque *Italiam* ad Imperatorem *Carolum* abiit, qui tunc, eo quod *Franciſcus Galliarum* rex (qui quoad vixit, ſemper imperatori noſtro, utut ſororio, ſe poſt plurimas tractationes & transactiones oppoſuit) poſt obitum *Franciſci Sfortiæ*, improlis *Mediolanenſium* ducis, totam *Inſubriam* invadere pararet, inſtructiſſimo exercitu per *Liguriam* alpesque, *Grajas*, ſive *Pœninas*, in provinciam usque *Maſſiliam* irrupit. Verum hoſte ad *Avinionem* reſidente, Imperator omnium rerum inopia circumventus, multa hominum millia, partim inædia, partim contagione amiſit. Ac re infecta ſub autumnum Genuam rediens, in *Hyſpaniam* ſuam ſolvit. Militarunt hoc in bello ipſi imperatori permulti noſtrorum civium ſub *Sebaſtiano Schertlino*, *Georgio Pfiſtero*, *Bernhardoque Schludino* capitaneis, ex quibus tamen nonnulli deſiderati ſunt. *Lis inter Georgium a Stetta & Forſterum.* Mota hujus anni æſtate lis, non levis hic eſt, inter *Georgium a Stetta*, (qui una cum *Ambroſio Jungio* medicinæ doctore, & *Marco Ehemio*, novus Evangelicarum Eccleſiarum præpoſitus a Senatu erat lectus) & Magiſtrum *Joannem Forſterum* concionatorem ſinceriſſimum, cum quo ſubinde in doctrina *Cellarius* & *Bonifacius* diſſidebant, propterea, quod ille librum quendam *Germanicum* CCC. propoſitionum apud nos imprimi curavit, qui *Schwenckfeldii* errores continebat. Ea lis ἀμνηςία potius quam vera deciſione per fratres terminata tandem pro more eſt. *Fuggerus Werdenſem advocatiam & caſtrum Gleth emunt.* Quo anno etiam redemit *Antonius Fuggerus a Werdenſe* Senatu imperii advocatiam in eodem oppido, ſex millibus & ſexcentis aureis ea lege, ut deficiente dicti *Fuggeri* hæredum linea præfata advocatia mere iterum ad eundem Senatum, citra damnum redeat. Quin item idem *Fuggerus* ab *Utzio* Burggravio caſtrum *Gleth* cum pago ſedecim millibus & quadringentis aureis in ſolidum emit.

Anno ſalutis MDXXXVII. cum jam *Ulricus Rhelingerus* ob corporis imbecillitatem munus deprecatus eſſet, lecti ſunt conſules *Augſtburgi* die Lunæ poſt *Epiphanias*, qui erat octavus Januarii, *Joannes Welſerus* patritius ex novo, & *Magnus Seitzius IIII.* Quorum rogatione ſtatim XVIII. die ejusdem menſis ordines utriusque Senatus coacti, firmiter decreverunt, ut dum epiſcopus, ac totum ipſius eccleſiæ collegium, inveteratam ſuam doctrinam de religione, ex Bibliis ſacris adſtruere non valerent, ſublata per totam hanc civitatem idolomania, verbi divini puritas, incontaminate plantaretur, foverēturque. *Decretum de abrogandis papiſticis ceremoniis.* Cujus rei gratia deputati ex cuncto Senatorum numero ſex ſunt, qui Canonico capitulo, & per conſequens univerſo clero inſinuarent, ſe miſſam tanquam abominationem abrogaturos, imagines cum altaribus e templis everſuros, & cunctas papiſticas ceremonias, quod Antichriſticæ ſint, ſummoturos undique eſſe. Ac tali ſententia usque ad liberum chriſtianum, & in *Germania* celebrandum concilium ſtaturos. Quod ſi vero hæc duriora videantur, aut tolerare ipſi nolint, nec etiam cives fieri, ſervata antiqua immunitate, velint, alio migrant intra octiduum. Extemplo igitur tam maximi, quam medioximi, minimique presbyteri, monachi, & moniales, pauciſſimis, qui præſcriptis auſcultarent, remanentibus, civitate XVIII. Januarii die ceſſerunt. *Clerus pontificius Augſtburgo migrat.* Ac diverterunt Canonici *Mariani*, numero XL. nobiles, cum epiſcopali conſiſtorio. Præpoſitus item *S. Crucis* cum ſuis conventualibus, *Sanctæque Urſulæ* moniales *Dillingam*. Abbas *S. Ulrychi* cum ſuis cucullatis, uno excepto, *Wittelsbachium*, Præpoſitus *S. Georgii* cum ſuis myſtis, *Guggenbergam*, *S. Moritii* ſacerdotes, præter *Colerum*, *Gütherum*, & *Wincklerum*, *Landsbergam*, & *S. Stephani* abbatiſſa cum ſuis virgunculis *Höchſtettam*. Quare promulgato XXI. ſæpe dicti menſis die, ex curiæ Mæniano S. P. Q. noſtri, ſupra memorato decreto, mox etiam ſelectus Senatus de actis his & imperatorem, per celeres equos in *Hyſpaniam*, *Ludwico Spinnero* Reipub. ſecretario, & Cæſarem, *Ulrycho Welſero* & *Hanſo Zangmaiſtero* legatis, *Viennam*, ducesque adeo *Bojariæ* per *Georgium Herwarthum*, & *Stephanum Eyſelinum*, certiores reddidit, aditoque inſuper luculento de toto eo negocio ſcripto, factum ſuum coram univerſo mundo confiteri, & evulgare, neutiquam erubuit. *Legati de ea re ad Imperatorem miſſi.* Quamquam interea contra id, non ſolum uncta cohors, illorumque aſſeclæ mira ſcripſerint, ſed & patritiorum nonnulli opulentiorumque civium ac mercatorum, plures quam triginta, interpoſita proteſtatione, varia machinati ſedulo ſint, & deſerta

A. 1537.

civitate, impetratisque ab imperatore privatis ad hanc rem emunitatibus, clam multa apud extraneos agitarint. Porro purgatis & expiatis, mox post Pfafforum discessum, primariis templis, dejectisque ac perfractis per omnia sacella & cæmiteria, non sine antiquitatis & publicorum epitaphiorum injuria, statuis imaginibusque Evangelici concionatores ex porticibus & sacellis, ubi hactenus sermones ad plebem fecerant, in illa destinati sunt, nempe *Musculus* in *Marianum*, quod & summum, *Bonifacius* (qui jam forte *Caspar Schwenckfeldius Sylesita*, homo prorsum phanaticus, singulari Sathanæ consilio, *Augustburgum* quoque superiore anno venisset, & apud ipsum hospitio exceptus fuisset, non admodum sincere de externo verbo & sacramentis docebat) ad *Moritianum*, Doctor *Mairus* ad *Georgianum*, *Forsterus* ad *Crucianum*, *Johannes Hainrychus Heldus a Tieffennoa* ad *Ulrychianum*, *Johannes Ehingerus* ad *Stephaninum*, apud *Annæ* enim *Minorum* & S. *Spiritus* in hospitali ecclesias antiqui permanebant ministri. Quorum omnium exhortationibus Senatus permotus, decretum IX. die Junii fecit, quod tamen XXII. Julii primum e Curiæ mæniano per præconem proclamatum extitit, ut præter dominicos dies, nativitatis, circumcisionis, & ascensionis in cœlum Christi, salutationisque angelicæ festa, cunctæ aliæ per anni circulum feriæ sublatæ hic fuerint. Cœperuntque eodem mense apud nos, *Buceri*, ad præsens negocium iterum specialiter *Strasburgo* huc vocati, institutione, alternis vicibus, ter unaquaque septimana, nempe diebus Lunæ, Mercurii & Veneris, summo mane sacros libros in *Moritiano* templo latine docere, *Forsterus psalterium Davidicum*, *Cellarius Evangelium Matthæi*, *Bonifacius genesim Moseos*, & *Musculus epistolas Pauli*. Verum cum profitendi ille modus vulgo non arrideret, brevi non parvo scandalo ad scholas rejectus fuit. Ubi tanquam in triviali loco pulveribusque non potuit diu durare. Præterea tamen sunt Senatus præcepto, in *Mariano*, *Ulrychiano* & *Minoritano* templis, succinctæ germanicæ adhortationes ac matutinæ preces, pro plebe & operariis, cottidie fiendæ, XVI. Junii inceptæ quoque haud aliter atque ad singula sabbata, apud omnes parochiales ecclesias vesperi solitum est. Inde cum multi apud nos ob iconomachiam & verba nonnulla sermonum *Buceri* offensi fuissent, curavit is statim XVII. die Junii, per omnia templa promulgari, sese in crastinum apud *Marianam* eadem hora solita, de dictis ac factis illis, publice rationem redditurum esse. Qua tempestate conscriptus mandato Senatus, certus *agendorum* liber pro nostris ecclesiis primo est. Interdictumque sub pœna C. aureorum, ne de cetero, inter privatos parietes sponsis aliquis cum sponsa ritu nuptiali benediceretur. Permissum item est, ægrotos ac moribundos Eucharistiæ sacramento domi communiendos, quo beneficio mortales aliquot jam annis per hanc civitatem caruerant. Interea penultimo die Julii intercepit *Schertlinus*, qui jam *Burtenbachensem* arcem cum toto territorio compararat, *Hansum Adamum a Staino* auratum equitem, ac detractis illi in signum deditionis levo calcare, dextra chyrotheca, & ense, hominem adegit, pro arbitratu suo mox finiturum repromittere. Ex qua re non leves turbæ, etiam reipublicæ nostræ exortæ sunt, tum quod *Schertlinus* civitatis nostræ capitaneus foret, tum quod nostrorum equitum nonnulli cum facto eo fuissent. Quæ omnia tamen duce *Wirtembergense* & *Hessorum* Landtgravio, transactoribus, *Esslingæ* sequente Decembre composita sunt. Augusto dein mense convocavit *Zymbrechtus Hoserus*, Senatu jubente, cunctos per urbem *Augustburgensem* privatos pædagogos, & etiam teutonicos ludimagistros, illisque edixit, ut deinceps nihil sua voluntate inceptarent, sed scholarcharum tum visitationi tum imperio subesse pergerent; ad hæc inhibuit, ne quis alius novam scholam citra illorum adprobationem adperiret. Delegata item eodem hoc anno *Xysto Betulejo* est provincia, ut selectis ex omnium monachorum plateis utilioribus & antiquis codicibus, novam bibliothecam instauraret, ad cujus uberius incrementum decreti a Senatu ad singulas *Francfurtenses* nundinas quinquaginta aureoli, pro coëmendis novis libris fuere etiam. Estque *Johannes Hainrychus Heldus* primus bibliothecarius ac librorum custos hic constitutus. Eratque bibliothecæ ejus locus, initio apud prædicatores, illis vero reversis ad *Minores*, donec tandem sequenti ævo septiceps domicilium ad *Annam* nacta sit. Sub eandem tempestatem etiam constitutus huc Senatus optione urbanus prætor per provinciæ præfectum est *Ludwichus Spinnerus*. Væneruntque publico foro major *olyræ* modius octo solidis, mensura vulgata *vini* VII. nummulis, libra *bovinæ carnis* V. nummulis, & *depurati butyri* vaccini libra XIII. nummulis. Porro altera lapsi proxime Februarii die affixæ *Mariani*, *Moritiani* & *Franciscani* templorum valuis, germanice latineque exaratæ schedulæ sunt. Quibus *Joannes* quispiam *Eckhardus*, *Rhainensis* concionator, se ad futurum S. *Georgii* festum, publica disputatione, modo sibi salvo conductu a consulibus caveretur, evicturum profitebatur, injuste cum sacrificulis hic esse actum. Cumprimis vero idem *Eckhardus* iisdem cartulis *Michaëlem Cellarium* tanquam primarium Ecclesiasten hic culpabat, quod ante quinquennium privata epistola ipsum ad colloquendum de sacramentis & Missæ sacrificio provocaverit, sed nullo

In desertis templis pastores constituuntur.

Dissidia cum Schertlino componuntur.

Constitutio de diebus festis.

Pædagogi scholarcharum imperio subjecti.

Biblia latinis verbis explanantur.

Bibliotheca instauratur.

Novi ritus conduntur.

Ludwichus Spinnerus prætor.

Eckhardus Augustburgum, ut promiserat, non venit.

nullo responso dignus habitus contemptusque fuerit. Sed cunctis avide expectantibus eum diem, fidelis ille, ut videri voluit, monitor nusquam unquam adparuit.

Protestantium conventus Schmelkaldiæ.

Quo mense cum & protestantes confœderati, conventum politicorum hominum, simul ac synodum theologorum suorum *Schmalkaldiæ* agitarent, ob indictum a *Paulo III.* Romano papa, (qui ex magia, lenociniis & parricidio ad triplicem regni mundi coronam ascendens, *Italiam* inaudita tyrannide pressit, *Angliam* miris artibus exagitavit, ac veritatem *Germaniæ* suis conciliabulis eripere conatus fuit. Denique præter filias & neptes, quadraginta quinque meretricularum millia in tabulis habuit, ex quarum quæstu Romæ singulis mensibus censum exegit, & jam moriturus ad adstantes dixit: *nunc experiar, num fabula de Christo vera sit*) *Mantuanum* concilium exprobravit haud parva contumelia *Mathyas Heldus*, imperatoris *Caroli* orator, *Joachimo Langenmantello*, & *Marco Müllero*, urbis nostræ legatis, qui XXV. Januarii hinc ad confœderatos abierunt, ac XIIII. Martii redierunt, mutatam apud nos religionem, non expectato Imperatoris responso. Quin & idem *Heldus* vehementi comminatione insuper ursit, ut a fœdere eo respublica segregaretur, vel quocunque modo alienaretur. Nam data Protestantibus *Noribergæ* ante quinque annos pace, eam uti frui non posse, quod nimirum tunc temporis Electori *Saxonico*, nullis pactis fuisset juncta. Quod tamen socii turpe & indignum judicantes, nequaquam concedere voluerunt, imo potius communi calculo, singuli cum principes tum civitatum deputati, concionatoresque eorundem, iterum *Augustanam Confessionem* cum ipsius explicatione comprobarunt. Atque præcipuo studio illis articulis clare assensi sunt, quos *Lutherus* tanquam fidei christianæ symbolum, totiusque indubitatæ religionis κριτήριον, *Schmalkaldicos articulos* vocant, quibus hactenus ne portæ quidem inferorum prævaluere, ibidem de novo conscripserat, ac suorum nomine ad pontificium concilium mittendos ordinarat. Quo die etiam theologi illic congregati, privato libello papæ primatum & episcoporum iuridicam potestatem per verbum Dei unanimiter exsibilarunt. His omnibus *Bonifacius Wolffhardus* ecclesiæ nostræ nomine interfuit quoque, & manu propria XXIII. die Februarii subscripsit. Post ista translatæ invitæ apud nos Nonnæ, quæ ad S. *Nicolaum* extra fornicatam portam habitarunt, ad S. *Catharinam* in urbem sunt: verum quod hæ cum illis convenire nequibant, paulo post traductæ sunt, ad nuper deserum S. *Ursulæ* cœnobium, ac dein illis liberioris vitæ licentia, illisque apud nos fanum ipsarum cum habitatione Senatus jussu funditus destructum est. Mulierculas

Articuli Schmalckaldici componuntur.

Monialium ad S. Nicol. transpositio.

istas ob mutatam religionem monachorum instinctu defectionem a Senatus nostri tutela ad *Boji* ducis patrocinium meditatas fuisse fama erat. Ne autem magistratus *Augustburgensis*, tantum ecclesiastica & literaria tractare, politicaque domi negligere culpari posset, constituit, ut deinceps quottannis, tres ex minore & duo ex majore Senatu pari potestate eligerentur consiliarii, qui morum censuram facerent, & cumprimis in jurgantes, calumniatores & dejeratores animadverterent, fueruntque primi in eo officio hic *Wilhelmus Rehlingerus*, *Ulrychus Hegckelius*, *Gastulus Weissius*, *Antonius Rudolffus*, & *Marcus Stenglius*. Sed & pro causis matrimonialibus proprium etiam consistorium VI. die Decembris primo instituit, cujus tam præses quam octo assessores ex prætorio civium judicio in singulos anni quadrantes, novi desumerentur, quibus semper vel *Claudius Pius Peutingerus*, vel *Lucas Ulstettus*, legum doctores, adessent, tanquam Oedipi. Hi singulis Lunæ diebus, prædictas causas audiebant, examinabant, & usque ad divortium, quod ad Senatum referendum erat, si reconciliationi nullus daretur locus, definiebant. Denique quando quatuor tantum *servi*, quos olim *urbis bubos*, nunc *Schergos* vocamus, consulibus civitatis nomine servissent, duo alii his propter negociorum multitudinem additi primo sunt, ut videlicet cuilibet consulum posthac tres ministrarent rejpub. causa viatores adparitoresve. Quo anno etiam, Senatus *Augustburgensis Ferdinando* Regi Aprili mense, unum signum armatorum peditum, ad 60. cados pyrei pulveris propriis impensis, quæ in totum ad 20. aureorum millium summam taxabantur, militatum miserat in *Ungriam*, ex quibus tamen, multi nostrorum civium inter *Germanos Bohemosque* eos apud *Æsecum* contrucidati sunt, amisso ingenti æneorum tormentorum thesauro, quos *Katziaverus Ungarus*, alii *Croatensem* faciunt, *Turcis*, mense Novembri turpissime prodiderat.

Censores creantur.

Consistorium constituitur.

VI. adparitores constituuntur.

Ferdinando auxilia adversus Turcas mittuntur.

Anno Domini MDXXXVIII. electi hic statuto tempore, videlicet VIII. die Januarii, novi consules sunt, *Georgius Herwarthus* patritius, & *Zombrechtus Huserus* salinatorum tribunus. Qui cum antiquorum illustriumque civium, ex quibus hactenus alter consulum creari legationum reipub. primarii deputari, ac superiora Senatorum subsellia explori usus & consuetudo obtinuerat, octo saltem superstites essent familiæ, nempe *Herwarthorum*, *Welserorum*, *Rehlingerorum*, utrorumque *Langenmantellorum*, *Ravensburgerorum*, *Illsungerorum*, & *Hofmayrorum*: statim VI. die Februarii de augendo patritiorum numero, in unione Senatu consultationes habere coeperunt, obtinueruntque majoribus vestris hic de re populus, cujus vices magnus Senatus gerit,

A. 1538.

Novus patritiatus lege in Senatu decernitur.

gerit, rogaretur. Convocato igitur ad crastinam auroram eo consilio, placuit universo ordini, ut pro honore reipublicæ ex præstantioribus prosapiis aliquot deligerentur, qui senioribus patritiis juncti eadem dignitatis prærogativa porro apud nos fungerentur gauderentque. Estque decretum id majori patritiorum sodalitio, hoc est, illis, qui ex plebe patritiis per connubia erant vel agnati, vel adfines, promulgatum, ut nimirum quicunque intra unius mensis spacium, parentelæ suæ, cum jam dicto sodalitio, seriem, quinquaginta annis vetustiorem ostendere posset, aut nuper illis additus per imperatores natalibus jam jam restitutus esset, ac repudiatis minorum ponderum, ulnæ, mensuræ, duodenarii numeri, & obolaris venditionis usitationibus, institoriisque apothecis, propriis reditibus, aut justis negociationibus, se vitam acturum non ignobilem promitteret, in patritiorum censum inscriberetur. Quibus etiam quotquot *Strasburgo, Noriberga* & *Ulma* ex simili clara ingenuaque stirpe, huc migrarent, in posterum adnumerarentur. Quam sententiam ambitiosiores quidam mercatores, ditioresque opifices, variis consiliis interturbare conati sunt. Præsertim vero *Jacobus Herbratus*, pellifex, homo versutus, omniumque negociis se ingerens, dum ingenuis ex voto associari non posset, privatum consortium ad æmulationem patritiorum, partim ex mercatorum tribu, cujus jam compos erat factus, partim ex patritiorum adfinibus colligere cœpit, ac nova ea nobilitate, tum Senatum ipsum, tum patritiam gentem mire divexare non erubuit, nec tamen ad finem, quod assidue meditabatur, perducere potuit. Quin & dum præter horum contentiones diversi rumores in plebe quoque indies suscitarentur, nemoque non vel patritiis obloqui, vel contra Senatum musitare auderet, multi ob proterviam eam pecunia, nonnulli vinculis mulctati fuerunt, ipsusque adeo *Ulrychus Hochenawerus*, tornator, doliatorum tribunus, sequente anno Senatu ejectus idem ob crimen fuit. Interea adparuit a XVIII. Januarii usque ad XXX. ejusdem mensis noctem apud nos luridus cometa, sub signo *piscium*, in septentrionali cœli parte, cœperuntque iterum status, quos vocant, Protestantium, Martio mense, *Brunswici* frequentissimum conventum agitare. In quo *Schmalkaldicum* fœdus evangelii gratia & auxerunt denuo, & in sex annos firmissime prorogarunt, præsente sociumque se futurum promittente *Christiano Denemarchiæ & Norwegiæ* rege. Ad eum conventum *Joachimus Langenmantellus*, patritius de *trigono*, & *Chunradi Hælis* legum doctor, reipublicæ *Augustburgensis* nomine splendido comitatu missi fuere. Porro quando [illegible] apud Germaniam, propter ejectum papatum ad seditionem spectarent, voluit & Senatus noster civitatem suam munitiorem reddere, curavitque ante omnia, ut sublimiorum turrium ardua tecta, prealtique apices, per totum mœniorum ambitum dejicerentur, præsertim ad *Geggingensem* & *Rubram* portas, ipsamque provinciæ speculam, inter quam etiam & *salvatoris* cæmiterium, fortissimum propugnaculum, terra, montis instar congesta, condi cœpit. Deinde item statuit Senatus, ut sex minores civitatis portæ, festis diebus, non nisi peractis sacris concionibus reserarentur, cum interdicto, ne quis eo tempore per civitatem, aut ante portas otiosus vagaretur. Præterea *S. Martini* delubrum, quod ante quadringentos sexaginta octo annos ædificatum fuerat, pro dilatando olitorio lacticiniorumque foro, mense Junio destructum est. Simul ac sacellum, olim a civibus in *Hofo* porticui *Ulrychiano* additum, & inferiore crypta ossibus exhumatis mortuorum deserviens, pro reconditorio pyrii pulveris adparari cœpit suprema sui parte. Cum tamen hodie diaconi pauperum, in medio ædiculæ ejus cavedio, eleemosynas parochiæ distribuere soleant, & infimum cellare avectis ossibus pro conservando butyro serviat nunc. *Sancti spiritus* adhæc fanum, supra hospitale magnum extra *Rubram* portam, cum junctis duobus aliis lararis dirutum est. Quin & mendicantium Nonnarum mansio apud *Harbruggam*, defunctis sororculorum omnibus, in *Expositorium puerorum orphanotrophium*, haud impie commutatum hic est. Inde idem quoque Senatus fieri fecit carcerem, obæratorum eaque ergastula, quæ prope *nudipedum* ædem, ad *Streffingeriam* portam, exeuntibus ad sinistram extant, ut in illis hi, qui ad ducentos aut plures aureolos confessi debiti in alieno ære essent, sumptu quatuor tantum nummulorum in singulos dies asservarentur, donec creditoribus satisfieret: si qui autem minus debebant, ac intra 14. dies solvendo esse non poterant, prætoris sententia urbe ejiciebantur, usque dum minimum quadrantem persolverent. Atque harum constitutionum autor consul Seitzius superiore anno in Senatu fuisse culpabatur vulgo. Præcipua vero cura salientis aquæ fontes, æstate anni hujus construere ædiles jussit, qui ante *Marianam* portam & apud *S. Stephanum* habentur, derivato latice per tubulos e larice confectos, ex ea turri, quam paulo pridem, in promontorio murali, *supra cornu* dicto, pro undarum machinis fabricarant. Sub his gestis non addubitavit etiam *Joachimus Gadoldus*, monachus *Ulrychianus*, qui recedentibus abbate & fratribus suis, remanserat hic, & ducta uxore jam civis factus fuerat, *Spinnerum* urbis prætorem, XV. die Julii *Hausstettensem* secum assumere, & colonos cunctosque ibidem

Patriciatus candidatorum requisita.

Quorundam malevolorum adversus hoc institutum molimina.

Cometa.

Protestantium conventus Brunswici.

Vid. Tab. IV. Fig. 2.

Munimentis urbs firmatur.

Ædes S. Martini destruitur.

Sacellum Ulrichianum reconditorium pyrii pulveris.

S. Spiritus templum diruitur.

Orphanotrophium.

Obæratorum carcer exstruitur.

Salientis aquæ fontes construuntur.

Hausstettenses Gaboldo & Boj. duci juramentum obedientiæ dant.

ibidem agricolas, ad præstandum sibi juramentum, non valde invitos adigere, ac eo pacto omne jus illic ad se, tanquam unicum & merum dominum rapere. Verum paucis elapsis diebus, missi vicissim a *Wilhelmo Bojariæ* duce sunt *Wolffius Dietrychus, Knöringensis*, apud *Fridbergam* præses, & *Völckhardus Freibergensis*, apud *Landsbergam* præses, cum turmis aliquot equitum, qui dominico die proximo sequente, A quum omnes securi novam in templo audirent concionem, rusticos ex improviso oppressserunt, ac datum *Gaboldo* juramentum retractare, *Johannique* abbati suo, tunc *Wittelsbachi* degenti, veterem obedientiam omnino in contemptum Senatus nostri, prioris facti haud inscii, renovare coëgerunt. Quo anno fuit insolitiis ille papæ *Pauli*, Imperatoris *Caroli*, & *Gallorum* regis *Francisci* conventus Majo mense, *Niceæ, Sabaudiæ* ducis maritimo oppido. Quin item præ autumnalibus pluviis, hyemalisque auræ humidiore tepiditate, universa itinera quasi in via apud provincias vicinas B reddita, gravem tum lignorum tum vini caristiam induxerunt. *Antonius* item *Fuggerus* a *Rechbergensibus* ingenuis, oppidum & arcem *Babenhausanam*, cum attinente ditione, emptione comparavit. Quæ omnia apud *Wirtenbergensem* ducem non modico auro a feudali beneficio libera effecit, sibique in monumentum legit. Missi præterea hoc anno a rege *Ferdinando* huc fuere *Eberhardus* nobilis a *Freiberga*, ac *Johannes Voitus*, legum doctor, expostulationem de salvo conductu civium nostrorum hinc *Ulmam* usque per *Burgoënsem Marchiam* cum Senatu præter omnem exC spectationem facere, quibus responsum est, id non salvi alicujus conductus jure, sed veteri more per nostros equites, sicuti & per omnes regiones fieri. Porro cum per hanc tempestatem *Hansus Baderus* sartor puellam 12. annorum iracundia percitus e tribunitia pistorum domo per fenestram noctu in plateam dejecisset, miseraque post alteram hebdomadam ex casu eo mortua fuisset, sartor in vincula conjectus, ubi cum puellæ agnatis, orba enim erat, pecunia convenisset, ex gratia per carnificem ante cippum dextra manu mutilatus fuit. Tandem post longam inter patritios, illorumque cognatos & socios altercationem, D habita exquisitissima genealogiarum perscrutatione, evolutisque omnium monumentis, & tantum non effossis majorum sepulchris, repræsentatæ XVII. die Octobris senatui sunt, undequadraginta indigenarum civium familiæ, & ex eisdem candidatorum nomina, qui juxta jam antea præscriptas leges patriciatus splendore condecorari cupiebant. Quare Senatus cuncta diligentissime pensitans, XVIII. demum Decembris, easdem nominatim tali conditione, sua autoritate adprobavit, ut tamen nova ipsorum multitudine, tribuum plebisque numero in nullo Senatorum ordine quicquam derogaretur aut præscriberetur. Super qua re tabulæ solenniter & in perpetuam actorum memoriam conscriptæ atque consignatæ, ad plebejum consulem tanquam fideles manus depositæ sunt. Hæ itaque novorum illorum hominum, recentiorumque patritiorum *Augustburgi* creatorum, nomenclaturæ existant: REMI, RUDOLPHI, ENDORFFERI, WALTHERI, SCHMUCKERI, SULTZERI, PEISTERI, BREISSCHUCHII, IN HOFO, ARTZTII, LAUGINGERI, MEITINGI, PEVTINGERI, HONOLDI, ULSTETTII, EHEMII, BAUMGARTNERI, HORNLINI, FUGGERI, SCHOENERI, A STETTA, VITELLII, FUNCKII, HAINZELII, EGGENBERGERI, FOELINI, NEITHARDI, ROTHI, STAMLERI, REMBOLDI, HALLERI, HÆLI, JUNGII, DETTIGROFERI, REGELLII, REIHINGI, SÆTTELINI, MAYRI, VOGELII. Ex quorum tamen agnatis nonnulli, ex incuria ut *Adleri*, prosapiæ dignitatem negligentes, alii propter vilioris mercaturæ lucrum, ut quidam *Sulzeri, Meitingique*, item *Mielichii* & *Schellenbergeri*, cum plebe mercatoribusque in tribuum classibus manserunt.

Conventus Niceæ.

Babenhausam emunt Fuggeri.

Baderus dextra mutilatur.

Patritiatus candidati confirmantur a Senatu.

Novorum patritiorum nomenclatura. Vide Tab. IV, V, VI.

Anno Christi servatoris MDXXXIX. A. 1539. creati consules *Augustburgi* sunt *Wolffius Rehlingerus III.* qui munus ante duos annos corpusculi incolumitate quidem per juramentum deprecatus, nunc vero iterum nescio qua fronte ambierat, & *Magnus Seitzius V.* Sub quibus a Senatu pro communi textorum bono, omnibus aliis civibus, qui de horum tribu non essent, prohibitum lege data, & præconis voce proclamatum est, ne filamenta sive stamina, ad conficendas telas intextas & iterum vendendas coëmerent. Fuerat forte superiori tempore, urbis subpræfectus, *Ludwichus Spinnerus*, in *Hyspaniam* ad *Carolum* Augustum, (qui Decembri mense postea hoc ipso anno, triginta solummodo dispositis equis comitatus, per medias *Gallias, Parisiorum, que Lutetiam*, ubi & academiæ illius privilegia luculentissime confirmavit, id quod a multis retro annis, a nullo *Germanorum* imperatore fuit factum, e suis regnis confidentissime profectus est) reipublicæ causa missus. Is quo facilius, quæ petebat, impetraret, multum auri signati, quidam trecenta millia annotarunt, mutuum dandum imperatori promisisse delatus hic est. Quare ob prodigam eam jactantiam præsente anno a Senatu coram interpellatus, dum objecta omnino diluere non posset, vix *Hansi Welseri*, qui ipsum ita subornasse creditus est, patrocinio perstare officio potuit. Sub qua tempestate abiere VIII. Februarii civitatis nostræ legati, *Joachimus Langen-*

Lex innatilitatem textorum.

Spinnerus ob prodigam jactantiam impunitas agit dimittitur.

Protestantium conventus Francfurti Mauni.

Langenmantellus patritius, ac *Hælus* Leguleius, *Francfurtum Mœni* ad confœderatos, redieruntque Kalendis Maji adportantes, XV. mensium inducias ab imperatore nostris concessas esse. Cum autem initio statim hujus anni, *David Dettikoferus Lindavienſis*, vi præhabitæ actionis, ad patritiorum album omnino cum uxore, quæ *Manlichia* ex mercatorum tribu erat, & liberis recipi contenderet, licet ingenua vetustaque familia natus, & jam Senatus jussu hic patritia præeminentia uteretur, ac eo titulo in Senatorum ordinem, officiaque admissus foret, plane repulsam passus est. Quare rem ad Senatum per supplicem libellum detulit, opemque publicam imploravit. Ad quæ ubi patritiorum stubæ magistri, una cum XX. viris suis per *Antonium Fuggerum*, *Antonium Rudolphum*, *Marcum Pfisterum*, & *Marcum Ehemium* deputatos suos, obstinate iterum quæ antea respondissent, tumultus non levis inter ipsosmet patritios, eorumque tum liberos tum generos, quoties *Dettikoferus* Zetham herorum accederet, excitatus fuit. Iccirco post longam contentionem delecti XXVII. Februarii, *Wolfius Rehlingerus*, novator & turbator egregius, *Georgius Herwarthus*, *Zymbrechtus Hoferus* consules, item *Ulrychus Heckelius*, *Josius Fenenbergius* & *Hansus Langenmaisterus* tribuni plebis, e Senatu sunt, qui ad litis hujus diremptionem, principio media quædam, a Senatu non improbata proposuerunt patritiis. Ac dein examinata viritim cunctorum patritiorum eorundemque sodalium voluntate, repererunt LXXXIIII. viros, qui Senatus consultum super præsente negocio amplexati, & e contra XLII. qui manibus pedibusque id aversati sunt. Quod schysma ubi pacificatores illi denuo ad Senatum retulissent, ægre is inobedientiam eam tulit. Ac statim XII. Martii, universo sodalitio graviter præcepit, ut non solum ipsum *Dettikoferum*, sed & una *Ambrosium Jungium*, medicinæ doctorem, qui in eadem navi vehebatur, cum uxoribus & liberis in suum album tali acceptarent lege, ut nisi liberi horum connubia cum patritiis, eorundemve consortibus olim contracturi sint, non amplius illorum jure honoreque gauderent. Cujus sententiæ *Georgius Regellius*, qui diu antea ob hoc rixas moverat, ex parte sui quoque capax fuit factus, contra quam Senatus jussionem patritii deliberandi cum suis spatium petiere, quod ipsis prorsus denegatum fuit. Quin præterea sequente die, per *Magnum Seitzium* consulem, iisdem ne ulterius conventus haberent, interdictum fuit. Hujus facti deiii Senatus plebis tribubus cautionem, per longum dyploma XV. die Martii exaratum, ne scilicet quidquam populo *Augustburgensi* tali novitate præscriberetur, præstare compulsus fuit.

Dettikoferus in patritios recipi contendit.

Lis de ea re inter Senatum & patritios orta est.

Porro obmurmurantibus subinde quibusdam patritiis horumque asseclis, ac sibi ista actione injuriam factam querulantibus, tandem XXI. Martii, silentium & pax illis a Senatu serio imperata fuerunt. Quæ invidia tamen vix demum, cedente *Dettikofero*, *Memmingam*, apud nos evanuit. Sunt autem circiter hos tumultus *Leonartius Christophorus Rhelingerus*, *Antonius Hainzelius*, & *Christophorus Pissingerus*, quod Senatui præ cæteris oblocuti sint, in vincula conjecti, ex quibus tamen datis obsidibus intra octiduum emerserunt. Posterior horum dixisse fertur, se optare, ut tota sacra area una patina esset, in qua urbis hujus concionatorum concisa corpora vice porcinæ carnis caponumque interspersis ad instar amygdalarum tribunorum plebis capitibus aromatico eo jure, quod coqui *Gelatinam* vocant, consisterent. Exustæ interea mense Februario angulares *Flickeri* ahenarii inter corvinum balneum & hospitalariam molam, ædes noctu magno vicinorum terrore sunt. Cæterum propugnaculum prope destructam provinciæ speculæ turrim, post pascha absolutum, & ad umbilicum deductum est. Visusque nonnullis ab ultima die Aprilis usque in XVII. Maji cometa sub signo *Leonis* est. Quo tempore venivit hic in foro major frumenti modius sex aureolis. Inde XVII. die Junii mulctata LX. aureis a Senatu est *Helena Adleria*, *Lucæ Meitingi* uxor, quod *Sibyllæ* filiæ, quæ *Bartholomæo Schrenckio Monachiensi* nupta erat, infantem apud se hic natum, contempta nostra ecclesia, *Lechauseæ* papistico more baptismati admoveri fecisset. Vicesimo primo dein ejusdem mensis die, propter crebriores alienigenarum accessus, vulgique famulantis frequentissimas nuptias, haud ab re in Senatu nostro decretum est, ut aliquantisper civitas seu jus municipale, nemini amplius vel donaretur, vel venderetur. Cum vero formandæ omnino religionis causa, etiam *Ambrosius Blaurerus*, *Chunradi Stierlini*, ecclesiæ nostratis plebei præpositi sollicitatione *Constantia* vocatus, huc XXIII. Junii venisset, ac ad *Moritii* ædem vehementer & precario quidem concionatus esset. Ac non solum vestium & mundi muliebris luxum abolere apud matronas incepisset, sed & insuper ecclesiasticam censuram, quam bannum indigitant, omnibus modis apud Senatum urgere pergeret, ex insperato illum consul *Rehlingerus* mense Decembri abire jussit, *Bonifacioque* tetre nec omnino immerito obloquens, *Musculum*, si præ plebe potuisset, non ingrate pepulisset. Licet interea Senatus quatuor pauperculis studiosis, juxta *Langenmantelli* fundationem, stipendia denuo decreverit, duo item ærania in publicis templis pro colligenda pauperiorum, & advenarum scholarium stipe,

Tres patritii in vincula conjiciuntur.

Incendium.

Cometa.

Adleria baptismatis papistici pœnam pendet.

Decretum de civitatis jure nemini concedendo.

Blaurerus acerrime concionatur.

prædicti

prædicti *Blaureri* hortatione erecta apud nos fuerint. Missi autem primi tyrones hinc Aprili mense *Tubingam* sunt. Postea XI. die Julii, exustæ sunt quatuor ædes in templario vico *S. Ulrychi*, Augusti vero mensis XIII. die, *Lechus* cum *Werdacha*, adeo undique intumuerunt, ut ille non solum extra civitatem nostram, cuncta dealbatorum prata inundaverit, sed etiam per *Jacobæum* suburbium, hypocausta, textrinas, cellaria, inferioraque domorum omnium cavedia, diluvii instar aquis compleverit. Inde XXIIII. dicti mensis die, tacta bruto fulmine sub medium noctis, conductitii cujusdam equitis domuncula, propter balnearia illa publica, quæ a *cæcis* cognomen habent, tanto fragore est, ut tota civitate experrecta, nemo non suas ædes ictas fuisse putarit. Demum quando in vernaculis puerorum scholis, masculi ac puellæ promiscue docerentur, unumque & eundem ludum simul visitarent, jussit prudentissimus Senatus scholarchas, vitandorum offendiculorum ratione, illos segregare, ac quemlibet sexum puerulorum separatim propriis pædagogis committere. Estque hoc anno in civitate ista, exquisiti seminis lini major modius octo aureolis divenditus. Adhæc *Bartholomeus Welserus* patritius, quod insalutato Senatu ex urbis fossato aquam subtus *Jacobæa* porta subterraneis tubalis in hortum suum, in eodem suburbio derivasset, tot lateribus mulctatus fuit, quot uno fornace simul excoquuntur, architecto eo, qui *Lyco* præest, haud impune etiam abeunte, quod scilicet inscii ædilibus opus id feciſſet.

Inundationes.

Domus fulmine tangitur.

Pueri & puellæ discentes segregantur.

Welserus ob derivatam aquam punitur.

A.1540. Per initia anni MDXL. inierunt hic consulatum *Georgius Herwarthus* & *Zymbrechtus Hoserus* uterque secundum. Estque rusticaria urbani hospitalis villa diruta, quæ extra *rubram* portam, prope *S. Spiritus* delubrum extructa erat, omnisque ejus usus cum œconomo, familia, armentis & gregibus, ad *S. Margaritæ* cœnobium, Nonnis ibidem certa pensione redemptis, translatus non incommode est. Quando autem vinarii vectigalis veteres rationum libri tanquam amplius inutiles, apud propriam domum negligentius asservarentur, forte aliquot ex illis, qui domui illi præest mense Januario institoribus ad cartulas pro divenditis mercibus faciendas vendidit, quæ res ut primum Senatui innotesceret, non toleranda visa fuit. Quare is universos tales libros sub præstiti juramenti religione recolligi, ac ad instar publici census librorum cautius custodiri deinceps præcepit, ne vulgus exactionum impatiens tantos Reip. reditus rescisceret. Dejecta item in Judæorum vico, campanaria *Leonhardini* fani turricula est. In cujus locum *Bartholomæus Welserus*, Senatu concedente, *subdialem contiguationem*, quam vulgariter *Altanam Italico* idiomate vocamus, non sine operarum detrimento construxit. Adhæc mercatorum tribus ædes *Hanſi Bombgartneri* ad Judæorum clivum quater mille quingentis aureis sibi in propriam tabernam comparavit, ad cujus persolutionem Senatus illis quatuor millia aureorum tali beneficio dedit, ut singulis sequentibus annis ducentos redderent, donec tota summa foret plene redempta. Quando vero ad Kalendas Martias principum & civitatum Protestantium legati, iterum *Schmalkaldiæ* cum theologis suis conventum, super conciliatione doctrinæ cum adversariis agitarent, missi illuc reipublicæ nostræ nomine sunt *Joachimus Langenmantellus*, & *Marcus Mullerus* Senatores. Et domi nostræ a Senatu omnibus ecclesiæ ministris ad præcavendum seditiosa conventicula, serio interdictum, ne vel ipsi foris amplius convivarentur, vel ad ædes suas hospites invitarent. Nam inter sese simultates & dissidia in dogmatibus Christianis alebant. Penultima item hujus mensis die, mercatoribus a Senatu mandatum fuit, ut quod diu jam satis fastuose denegaverant, *Casparem Pflaumum Ulmensem*, & *N Sizingerum Noribergensem*, qui non multo pridem civitatem apud nos connubiis adepti fuerant, in tribus suæ consortium acceptarent. Aprilis vero sequentis VII. die, universale & maximum solis diliquium, circiter horam septimam antemeridianam, tantis tenebris accidit, ut ignaris rerum nox atra ingruere prorsus existimaretur. Quo mense Senatus consultum apud nos quoque est factum, ne quis civium Judæis vel ædes vel prædia usquam locaret, simul ac ne ullus unquam Judæus in civitatem hanc absque conductore intromitteretur, qui illum in singulas horas salario unius cruciferi semper comitaretur, ea conditione tamen, ne sine speciali prætoris permissione hic pernoctaret. Porro eodem hocce anno, impetravit *Johannes Baumgartnerus*, civis & patritius nostras, ab imperatore *Carolo*, qui tum severissime in *Gandavensium* suorum rebellionem apud *Flandriam*, Aprili mense, animadvertebat, Baronis libertatem cum titulo *altæ Schwangæ*, quam ditionem paulo antea is emptione sibi comparaverat, & filii postea propter æs alienum jure amiserunt. Inde XXV. Junii, celebrari cœpit & *Haganoæ* conventus, cum rege *Ferdinando*, Protestantibusque, interventu *Fridrychi* Palatini *Rhenensis*, & *Joachimi Brandenburgensis* Marchionis, Electorum imperii principum, ubi cum bonorum ecclesiasticorum causſa, nihil in religione potuisset transigi, ratificatum denuo fuit *Augstburgensium* comitiorum decretum. Ad hunc conventum Senatus nostri nomine missi fuerunt *Matthæus Langenmantellus*, patritius de *Trigono*, & *Chunradus Hælus* legis peritus. In quo congressu innotescere primum cœpit publice, *Philippum*

Hospitalis villa diruitur.

Reipubl. rationum libri cautius custodiuntur.

Leonhardini templi turris dejicitur.

Mercatores Bombgartneri ædes emunt.

Protestantium conventus Schmalkaldiæ.

Conventicula E. M. interdicuntur.

Eclipsis solis.

SCium adversus Judæos.

Johannes Baumgartnerus fit Baro.

Ferdinandi cum Protestantibus conventus Haganoæ.

Vid. Tab. IV. Fig. 2.

pum Heſſiæ Landtgravium digamum eſſe, & *Agneti Saxonicæ* conjugi priori aliam nobilem a *Sala*, non exiguo Evangelii ſcandalo ſuperinduxiſſe, non ut concubinam, ſed legitimam uxorem, atque ita ſimul duas uxores habere. Junii hujus XII. die juratus Reip. cementorum & calcis dimenſor in vincula propter ſuſpicionem fraudulentiæ conjectus, longa ex ſeſe literam deſperatione fecit. Poſt iſta inceptum Novembri menſe *Wormatiæ* colloquium eſt, (quod *Joannes* Electus *Lundenſis* in *Dania* archiepiſcopus, & poſtulatus *Conſtantienſis* præſul, imperatoris legatus, proteſtantibus *Franckfurti*, ſuperiore anno promiſerat habendum) de religione, rerumque in ea inter pontificios & *Lutheranos* controverſarum conciliatione, cui *Nicolaus Granvellanus Veſontinus*, ſcrinii magiſter, animaque imperatoris habitus, præſedit. Quo poſteaquam & *Wolffgangus Muſculus*, eccleſiæ noſtræ miniſter, una cum *Joachimo Langenmantello*, *Jacoboque Herbroto* tribuno plebis a Senatu eſſet amandatus, unus ex notariis, qui dicta & facta calamo exciperent fideli, a proteſtantibus fuit lectus. Verum cum pontificii de victoria in media actione deſperarent, curarunt ſedulo, ut ea tandem per imperatorem interrumperetur, ac *Regensburgum* ad ſequentem annum transferretur. Quia autem toto fere biennio jam plurimi incendiarii (quos *Hainrychum*, juniorem, *Brunſwicenſem* ducem, papæ ſubornatione, Lutheranis immiſiſſe fama multorumque ſontium interitus dictitabant) per *Germaniam* non parvo graſſarentur damno, novæ conſtitutiones pro nocturnis excubiis, a ſolis civibus agendis magna & neceſſaria ſollicitudine ſunt factæ. Qua æſtate autumnoque talis & tantus cœli æſtus, tamque diuturna aëris ſiccitas, paſſim viguere, ut noſtris hominibus tantum non intolerabiles viderentur, aquarum enim penuria plerisque locis laboratum aridiſſime eſt, ſuntque hinc inde in jugis alpium, vepres, calore ſolis inflammatæ, unde etiam omnes tam arborum quam agrorum fructus præcoces, ipſæque adeo parietibus per urbem hanc adplantatæ vites, maturas uvas Julio menſe, præter conſuetum, (nam alias vix Octobri matureſcunt, ac paulo labruſcis mitiores producuntur) apud nos protulerint. Quin & Kalendis Auguſti muſtum in vinario foro dulciſſimum proſtitit. Et ſunt tunc temporis forte hic divendita communi foro major modius *olyræ* XX. ſolidis, libra *excocti butyri* IIII. cruciferis, *horni vini* menſura V. nummulis, & orgija *faginei ligni* duobus aureolis, *pineique* XIX. batziis. Cœperuntque orbiculata & minora capitis tegumenta lanea, hyſpanico more hic paſſim in uſum novum recipi. Ne autem mortales in ea felicitate ſecurius degerent; Ecce, Deus cives noſtros, præter verbi ſui oracula, monſtro etiam ad pœnitentiam cohortatus clementer eſt. Etenim *Petri Ackermanni*, ad prædicatorum monticulum habitantis, leguminarii uxor, abortum intolerabilibus doloribus paſſa, tandem Caſtorem ſeu Fibrum mortuum, palmi longitudine, ſub æſtatem enixa eſt. Adhæc conflagravit fun- *Incendium.*
ditus XIX. nocte Octobris *Gergi Eckhardi* angularis domus, ad radicem *Berlei* clivi.

Anno ſalutis MDXLI. facti conſules A. 1541
apud *Augſtburgum* ſunt *Wolfius Rhelingerus IIII.* & *Magnus Seitzius VI.* Sub quibus *Comitia Regensburgi.*
Januarii viceſimo ſeptimo, hinc ad *Regensburgenſia* comitia, reipub. hujus nomine, una cum conſule *Rhelingero*, miſſi non parvo comitatu ſunt; *Zymbrechtus Hoſerus* V. & *Chunradus Hælus* Legulejus. Qui poſtquam maximis impenſis illic plus minus ſeptem menſes hæſiſſent, multa inter *Joannem* abbatem *Ulrychianum* & *Gadoldum*, monaſterii ejus apud nos occupatorem, pro tempore tranſegerunt. Cumprimis vero inſtitutum id ab Abbate ratificari obtinuerunt, quo *Gadoldus* octo ſcholaſticos pauperes apud ſe ad literarum ſtudia alendos Senatui antea promiſerat; Verum omnia ea non ultra ſeptennium rata manſerunt. Cæterum deputati prænominati impetra- *Privilegium contra nova telonia.*
runt in dictis comitiis ab Imperatore *Carolo*, XXI. die Julii privilegia, contra nova telonia, aliasque ſimiles exactiones, annonam, & ea, quæ cottidianum civium uſum pertinent, aggravantes. Item ut a nulla *Privilegium de non appellando.*
vel interlocutoria vel definitiva, tam in Senatu quam coram prætore hic lata ſententia provocaretur, dum tamen ſumma capitalis controverſia CCCC. aureos non excederet. Porro in hiſce comitiis inter alia decreta, etiam hoc ab imperatore, proteſtantibus, quos vocant, pro temporis uſu conceſſum fuit, ut cuncti quæ vellent, de divinis rebus placitisque impune ſentirent, usque ad liberi & univerſalis concilii, quod intra biennium fieret, determinationem. Quia vero *Hanſus Schönerus* patritius, & ci- *Hanſus Schœnerus exul.*
vicæ fabricæ præfectus ob majorum ſuorum in cæmiterio *Moritiano* ſepulturas, adverſus Senatum noſtrum litem, & contra *Georgium Wielandum* injurioſa intentaverat, neſcio quid veritus, urbe ſub veris initia ceſſit, atque in cauſæ ſuæ defenſionem germanicum libellum typis evulgavit. Qua ex re factum eſt, ut cum uxore, liberis & genero *Damiano Bohemo* medico doctore, annis plus minus XXV. in exilio manſerit, ac tandem orbus & delyrus redditus, ex gratia domi apud ſororem Nonnam ſatis miſere obierit. Interea facto cum *Franciſcanorum* provinciali miniſtro, totiusque conventus ſuperſtitibus fratribus contracto, eliminati omnino hinc monachi illi ſunt. Cœpitque cœnobium illorum de- *Ex Franciſcanorum cœnobio fit gerontocomejon.*
ſtrui, ac Senatus ſcito pro publico geronto-
comejo, quod hactenus ſatis anguſto ſpacio
ad

Colloquium inter Pontificios & Lutheranos Wormatiæ.

Conſtitutio de excubiis nocturnis a civibus agendis.

Ingens æſtus.

Ackermanni uxor fibrum enixa eſt.

ad *divum Jacobum* extiterat, inque alimentariorum seu præbendariorū hospitium, certa pecuniola, utriusque sexus senibus emeritisque comparandum, haud parva opera instaurari, id quod sequente anno pulchre absolutum est, constititque tota ea fabrica tredecies mille aureolos. Porro Martio mense venit hic *minor modius*, quem *Metzum* indigitant, pisorum 16. batziis cœparumque 15. batziis. Et cum superiore anno *Johannes Honoldus*, homo cœlebs, & patritius ducentenos annuos aureos in perpetuum stipendium, de suo legasset, ut in ecclesia *Augstburgensi* concionator aleretur, qui eam semper religionem doceret, quæ tunc *Noribergæ*, juxta Electoris *Saxoniæ* confessionē florebat: Fundatio autem ista cum quorundam livore locum hic non posset habere, commutarunt *Chunradus Rehlingerus* & *Georg.* a *Stetta*, testamenti ejus executores, dictam pecuniæ summam in quatuor pauperum studiosorum stipendia, qui tamen synceriori religioni se manciparent, missique statim hoc vere quatuor bonæ spei scholares hinc *Basilejam* sunt, inter quos *Victorinus Strigelius*, *Kaufbeyrhanus* (qui post multos annos sacras literas *Jhenæ* satis philosophice, imo sophistice tractavit) unus fuit. Hi vero propter gliscentem pestem, & *Symonis Grynæi Veringensis Suevi* academiæ ejus columnæ obitum, mox illinc revocati & *Wittebergam* ablegati sunt. Sub medium dein Julii venundatus in foro frumentario major modius farris XXIIII. veteris olyræ XXVI. solidis est, qui tamen statim per initia Augusti X. tantum solidis valuit. Quo mense præterea a Senatu contra immodicam vulgi gulam, prodigamque levitatem, lex sancita est, ne quis hospes ultra unius symposii symbolum, caupoque ultra duas vini mensuras, ulli civium in diem, quod dicitur, daret, crederetque. Similiter & ne quis alteri pecuniam inter ludendum mutuo daret. Quod si vero decreto huic quisquam contraierit, neque Senatum neque prætorem, ut satisfiat illi pro eo debito, justitiam administraturos esse. Cæterum cum *Hieronymus Fuggerus* triennio ab hinc mortuus, præter alia in pios usus legata, quadraginta millia aureorum, pro fundando in urbem hanc alienigenarum & præcipue suorum pauperum hospitale destinasset, senatus autem locum intra mœnia pernegasset, emta hoc ipso anno ab hæredibus ipsius, a *Margarita Wernavienſe* vidua decem & octo millibus aureorum, *Waltenhausa*, ac in prochodochium quadraginta hominum, exædificatum erectumque haud illiberaliter est. Post ista cum non procul *Buda* exercitus regis *Ferdinandi* cum inæstimabilis precii tormentis æneis, *Wilhelmi Rogendorffii* ductu, misere esset pessundatus, subitaneum præsidium, cui *Fridrychus* comes *Furstenbergius* imperii nomine præerat, dicto regi ex *Germania* contra *Turcas* in *Ungriam* decretum est. Unde & civitas nostra statim lectissimorum peditum signum illuc, *Hanso Bleygo* ductore transmisit. Sed, proh dolor! frustra, & post festum. Nam *Soleimannus Turcarum* Cæsar sub initia Septembris *Budam*, regni ejus metropolim, jam omnino occuparat, contraque datam fidem, non modo deditos cives in ea contrucidarat, sed & *Isabellam* Poloniam reginam cum *Stephano* posthumo Waivodæ filio in *Mœsiam* relegarat. Ecce autem dum urbem eam hostis triumphans ingrederetur, cruci adfixerant *Turcis* commilitantes *Judæi* selem, eamque in despectum & contumeliam Christianorum per plateas publice circumtulerunt. Eodem Autumno mense videlicet Octobri eduxit & imperator *Carolus* V. noster classem infaustis syderibus *Argieram*, *Affricæ* maritimam urbem, propter quas calamitates publicus luctus *Augstburgi* nostro a Senatu civibus indictus fuit, interdictumque choreis, nocturnis cautionibus, musicæque & tinnientium vehiculorum usu.

Honoldi legatum.

Lex de prodigis & luxuribus.

Fuggeri legatum ad hospitale fundandum.

Auxilia Ferdinando adversus Turcas mittuntur.

Budam Turcæ capitur.

Anno gratiæ MDXLII. consules *Augstburgi* mox a festo *Stellæ Georgius Herwarthus* & *Zymbrechtus Hoserus* uterque III. lecti sunt. Nec multo post ædilium rogatione, Senatus tum mœnia firmiora, tum fossas profundiores, nec non vallata pomeria, belli metu fieri de novo jussit, quæ structuræ statim ab occidentalis civitatis latere, a nocturna portula, quæ præcipue tunc fortiore propugnaculo & subterraneis munimentis munita primo est, usque ad *Geggingensem* portam, insano sumptu occepta est. Sed & *Leonhardinum* extra civitatem delubrum, cum duabus præaltis turribus, (quæ supra fundamenta perforatæ, rimisque illis pyrio pulvere ac siccis sarmentis expletis accensæ, celeberrimo impetu dejectæ fuerunt) cœmiterio muris septo, sacrificuli ædituique contiguis ædibus securitatis ergo destructum soloque æquatum ita est, ut hodie vix ubi sita fuerint, medio versus *Geggingam* itinere, in agro monstrari locus queat, contra quod factum episcopus *Christophorus* per Quæstorem Burggraviumque suum coram Senatu disertam protestationem interposuit. Et quia Imperator *Carolus*, pro recuperanda e *Turcarum* manibus *Pesta*, *Spyram*, mense Februario, comitia judixerat, quibus fratrem *Ferdinandum* præsidere jusserat, missi illuc reipublicæ nostræ nomine sunt *Matthæus Langenmantellus*, *Leonhardusque Sultzerus*. In his comitiis XL. millia peditum & VIII. millia equitum ad triennii spatium *Ferdinando* regi contra *Turcas* decreta fuerunt. Simul ac imperatum statibus, pro communi ea expeditione, pecunias viritim colligere, quas tamen Senatus noster, ne pauperculorum imprecationibus famulantiumque detrectationibus, vehementius exagitaretur, non exegit, sed potius CCCXXV. armatos pedites,

Augstburgum firmius munitur.

Comitia Spiræ.

Auxilia Ferdinando mittuntur.

dites, *Hieremia Ehemio* duce, ac LXII. equites, *Johanne Sigmundo* a *Pleninga* magistro, publici fisci expensis militatum in Austriam ablegavit. Inde penultima Maji propugnaculum montis instar ad *Eseri* angulum excitari, apud nos cœpit. Junii autem XIII. die terræ motus validissimus totam *Thusciam* diris modis concutiit, ac *Scarpariam*, oppidum non procul *Florentina* situm tantū non funditus evertit. In eo forte tunc aliquot cives nostrates, inter quos *Gergus Sturmius monachus* dictus, famosus, distillator & pharmacopejus erat, pernoctarant, difficulterque vitæ periculum evaserunt. Cæterum A respublica nostra, *Johanni Friderycho Saxoni*, & *Philippo Hessorum* Landtgravio, ex fœdere quoque non exiguis stipendiis, *Matthæo Langennantello* castrense consiliario præsente, adfuit, dum illi *Wolffenbeutellum* arcem inexplebilem, ob læsos a duce *Haimycho Brunswicenses*, *Goslarienses*, *Brunswicensesque* socios cives, Augusto mense expugnant & capiunt. Dumque interea *Antorpium* in *Brabantia*, *Martini* a *Rosshaima Gallica* fraude, tantum non Junio mense occuparetur, præter aliorū incolarum depugnationes, etiam nostrorum mercatorum (qui illic tanquam B in celeberrimo, semper Mercuriales stationes, castraque fœneratoria habent) incredibilis virtus, in retinenda ea urbe, profligandoque inexpectato eo hoste enituit. Quandoquidem autem juxta *Spyrense* decretum, nonnulli ordines imperii vel nullum militem, vel non pleno numero, vel etiam absque pecunia instrumentisque bellicis misissent coactus est *Ferdinandus* rex *Vienna* sua, & ab exercitu, (cui *Joachimus* II. *Brandeburgensis* Elector, summus præfectus summis expensis erat, ac in insula *Danubii*, C a *Lupo* vocata, e regione *Viennensis* urbis diu tempus desidia terebat) discedere, ac novum conventum *Noribergæ* agitare, quo hinc *Johannes Welserus* & *Jacobus Herbratus* mense Augusto deputati fuere. Altera dehinc Octobris, alterum item propugnaculum cum vallo murato, fossaque aquosa domi nostræ, inter *Jacobæam* & *Aviariam* portas, in prospectu *Bacchorum* agri fieri cœpit. Factum denique consulis *Herwarthi* sollicitatione, in die S. *Galli*, per majorem Senatum, de eruncandis, quæ mœniis propriis imminerent arbustis & arboribus D decretum est, quod XXII. ejusdem mensis die, per præconem tanta vehementia publicatum etiam est, ut intra quatriduum omnes arbores ad multorum pedum spatia, extra totam civitatem, frendentibus non parum multis, excisæ radicitus sint. Atque in continenti fossæ a mercenariis fossoribus, quos vulgo *Frysios* & *Hessos* nuncupabant, terra indefesso opere confertim egesta, ampliatæ plurimum tunc quoque fuerunt. Ad quam operam notorii adulteri, quorum pœna prius cineritia vestis erat, damnati serio etiam tunc temporis erant.

Novum propugnaculum exstruitur.

Terræ motus per Thusciam.

Guelpherbyti expugnatio.

Antorpium Galli occupant.

Comitia Noribergæ.

Propugnaculum excitatur.

Decretum de arboribus juxta mœnia evadicandis.

Urbis fossæ ampliantur.

Anno Domini MDXLIII. consulibus *Johanne Welsero* II. & *Magno Seitzio* VII. cœperunt comitia mense Januario *Noribergæ* celebrari, in quibus *Augustburgensis* Senatus nomine, *Georgius a Stetta* & *Sebastianus Spitzius*, una cum *Claudio Pio Peutingero* jureconsulto legati fuere, ubi etiam quod religioni nostræ non satis caveretur, *Contarenusque* Cardinalis, *Pauli* III. Romanensium pontificis legatus, plane nullam synodum, ne Nationalem quidem, admitteret, nihil quasi determinari potuit. Et cum *Carolus* Imperator ad comitia ista *Nicolaum Granvellanum Bisantinum* quoque ex Hispaniis ablegasset, obviam illi Senatus nostri nomine *Joannes Jacobus Fuggerus*, *Georgius Wielandus* & *Jacobus Herbrotus* XVIII. Januarii missi, ipsum huc ad dicti *Fuggeri* in foro Vinario ædes decenti equitatu perduxerunt: ubi XXI. ejusdem mensis die statim una cum tribus filiis, quorum Senior Episcopus *Atrebatensis* erat, quatuor deauratis argenteis scyphis, qui quadringentis octoginta sex aureolis æstimabantur, septuagenta ductus cantharis vini, & quatuor oculis piscium honorificentissime ab eodem Senatu exceptus donatusque fuit, additis mille trecentis aureis nummis, quos tamen ille plane noluit acceptare. Proin post triduum abiens apud omnes tabernarios cum suis immunis est habitus. Domi vero nostræ Senatus consulto sex illi silentiarii X. Februarii abrogati sunt, quos ante septennium *Wolfius Rehlingerus* pro nutu constitui obtinuerat. Estque rursum maximarum & secretiorum rerum cura, ut ab antiquo moris fuerat, tredecim primoribus senatoribus melius restituta. Quo mense etiam eversa Senatus jussu duo apud leprosos sacella, extra civitatis nostræ pomeria sunt, S. *Servatii* nimirum ab ortu, & S. *Wolffgangi* ad occasum. Sexto dein Idus Martii auctus propter publicas studiosorum omnis generis examinationes, scholarcharum numerus a Senatu est, additique primis Superintendentibus *Zymbrechto* videlicet *Hosero*, & *Johanni Jacobo Fuggero*, *Christophorus Rehlingerus*, *Christophorus Wirsingus* senatores, *Bonifacius Wolffhardus* & *Wolffgangus Musculus*, theologi, *Augustinus Mylerus* jureconsultus, & *Laurentius Reschius* medicus. Qui sequente dein Junio Senatus autoritate, scholis certa statuta, & præceptoribus didacta constituerunt primo. Erantque tunc in urbe hac, præter Latinos præceptores, viginti quatuor teutonici ludimagistri, & novem puellarum scholæ. Et quia Cæsari *Ferdinando* respublica nostra XXXII. millia & CCC. aureos paulo pridem mutuo dederat, ipsusque plus æris alieni opus haberet, tractatum cum ipsius consiliariis ac proxonetis de Hypotheca est. Ibi cum de redimendo sibique impigerando *Burgavienſe* Marchionatu, mentio incidisset, mox præsul noster in possessione ejus existens,

A. 1543

Comitia Noribergæ.

Granvellanum liberaliter accipiunt Augustburgenses.

Silentiarii abrogantur.

Scholarcharum numerus.

Burgavienſis marchionatus usucapio Episcopo prorogatur.

existens, præmonitus, totum illud negocium cum suo Capitulo antevertit, auctione que LXX. millium aureorum, de focis incolarum offerens, dictæ ditionis usucapionem, ad quindecim annos de novo prorogando, retinuit. Tantum potest juncta avaritiæ invidia. Veruntamen cum ex exacta illa Pfafforum per *Burgavienſe* territorium exactione, Senatus noſter ſibi ſatisfieri a Cæſare petiit, mota illi a Senatu *Oenipontano*, vulgus *Regimentum* vocat, contentio de finibus, miſſique illinc procuratores A ſive commiſſarii ſunt, qui limitaneos terminos usque adeo, non quidem præciſe, ſed juſto illiberalius, verſus urbem noſtram denotare non dubitarunt, ut neceſſum noſtris fuerit, provinciæ ſuæ præfectum *Wilhelmum* dapiferum *Waldburgenſem* evocare. Is contra *Auſtriacas* Harpyas de injuria proteſtatus, ad *Caroli* imperatoris majeſtatem provocavit. Totius autem litis hujus cardo in hoc verſabatur. *Auſtrii* certabant, ab *Hettebachi* ripis directe, in medias *Werdachæ* fluvii undas, *Burgavienſem* jurisdictio- B nem protendi. Dapifer vero aſſerebat præfecturam ſuam, quam ab imperio in beneficium conſenſu *Auguſtburgenſis* Senatus accepiſſet, a prædicto Marchionatu, terminali eo ſaxo, quod integrum adhuc ultra patibulum noſtrum, ſatis edito loco immotum ſtaret, & ab eo per ſemitam illam, quam plebs a *duritie Hertwegam* adpellat, retro *Lanckwaidam* in *Lechi* demum fluenta protraheretur, manifeſto ſegregari. Sed cum nihil tunc definiri poſſet, ſuſpenſum negocium in viginti amplius annos utrinque eſt. Interea tempus auſi fuere mercatores, *Herbrati* impulſu, propriis generis, noviſque C adfinibus, tribus ſuæ ſocietatem denegare, idque tanta gravitate, verius dixerim, obſtinatia, ut Senatus iniquitatem eam poſt unum aut alterum annum difficillime emendare potuerit. Cæterum altera Maji cœpit Verruca, ſive novum vallum, prope *Rubram* turrim, inter civitatis ſeptentrionalem plagam & æſtivum ortum extrui. Quin & per ea tempora novus tranſitus, cum ponticulo, per mœnia foſſamque civitatis eſt primum factus, quo hodie juxta *fulloniam* a murali divo, ſubtus inferiorem Aquariam D turrim, ad *oblateriam* portam levorſum, vel ad *Streſſingeriam* portam dextrorſum, compendioſo calle itur, ſimiliter & ſaliens aqua *Jacobæo* ſuburbio, aliquot locis per fiſtulas in ſuppoſita maria ſuppeditata primum eſt, cum tamen eadem tempeſtate corrigendi ex vectigali auri gratia, conſueta potionum menſura, ad unciæ ferme quantitatem diminuta a magiſtratu ſit. Interea *Soleymannus Turcarum* imperator, arcem *Strigonienſem*, *Italicis* præſidiariis prodentibus XI. die Auguſti vi cœpit, opimamque prædam obtinuit, ac paulo poſt etiam *Albam regalem Hungriæ* coronam occupavit, utut hinc ex aliis imperialibus *Germaniæ* civitatibus, non contemnenda ſubſidia *Ferdinando* regi prompte ſuerint miſſa. Poſtremo mulctatus poſt diutinam incarcerationem *Balthaſar Hundertpfundus Monachienſis*, comitum a *Kingſtaino* (quibus ſuprema per *ſuperiorem Germaniam* monetalium inſpectio, ab imperio demandata eſt) monetarius hic millenis ducentenis aureolis a ſenatu, & a prætore centum aureolis IIII. die Decembris eſt, quod coacta per cambium probiore pecunia, atque ea conflata viliorem ſignaverit. Quod facinus cum & *Hieronymus Wirſingus* imitatus quoque permutatione numinorum fuiſſet, itidem poſt vincula DC. aureolorum pœnam ſequente die luit. Haud aliter etiam *Hieronymus* ac *Alexander*, *Kraffteri* fratres, quilibet in ſolidum propter idem crimen centenis aureolis, ſed citra captivitatem condemnati ſunt. Non multo autem poſt iſta, cum *Wolffius Rehlingerus*, ſe multis de cauſis tam Senatui quam populo inviſum reſtitum animadvertit, XX. Decembris die, miſſionem a conſulari officio petiit, & cum id tam leviter impetraſſet, confeſtim toti municipali juri renunciavit, *Straſsburgumque* migrans, initio optimatibus ſatis acceptus, at tempore interimiſtico valde a plebe exagitatus, & *Suevicus Judas* famoſa cautione ibidem nuncupatus fuit. Quare in patriam rediens putavit a *Caroli* nuper inſtituto ſenatu ſe nullo habito antea præſtiti juramenti reſpectu iterum in civem receptum iri, ſed falſus ſpe ſua eſt.

Currente hocce MDXLIII. anno creatus A. 1543.
Dillingæ X. Maji, quæ erat di. s Jovis ante feſtum pentecoſtes, *Otto*, baro *Waldburgenſis* ſexageſimus a *Zoſymo* primo epiſcopo, *Auguſtanæ* cathedræ pontifex eſt, is altero anno XIX. die Decembris, a *Paulo* III. papa A. 1544.
epicuræo, cui a cubiculis fuerat, cardinalis Romanus, titulo S. *Balbinæ* pronuntiatus quoque eſt, transmiſſo ad comitia *Wormatientia*, ubi tum forte cum *Friderycho Eyrſtembergenſe* comite, imperatoris legatum, ſequente anno agebat, roſeo cum magna ſolennitate galero. Ac poſtea ſub fatale illud A. 1545.
& plus quam Catilinarium *Germaniæ* bellum, quod vulgariter *Schmalkaldienſe* dicitur, anno MDXLVI. non ſolum ab *Auguſt-* A. 1546.
burgenſe milite, *Schertlini* ductu, menſe Julio *Fueſſa*, cum ea, quæ ad civitatem noſtram eſt, ditione, verum etiam *Dillingenſe* oppido, arce & agro deſuper exuitur. Brevi tamen poſt per invictam imperatoris manum, in integrum reſtitutus, univerſum clerum priſtinæ ſedi libertatique, non absque ingenti, a republ. extorta pecunia reddidit. Et cum civitatem noſtram ingreſſus eſſet, reſanctificatis ſub finem Julii anno ſequente templis ſuis, ante omnia feſtivitatem S. *Aſ-* A. 1547.
ſræ, VII. Auguſti die apud *Ulrychianum* monaſterium ipſemet infantili, ſed acerbo, ad populum ex ſcheda habito ſermone agitavit, & poſtmodum Canonici ſui in profeſto S. *Hilariæ*, primas veſpertinas preces, in

Lis cum Oenipontanis de finibus.

Mercatores aliis ſocietatem denegant.

Novum vallum & porta conditur.

Strigonium & Albam regalem capiunt Turcæ.

IV. viliores monetæ ſignaturæ pœnas pendent.

Wolffius Rehlingerus municipali juri renunciat.

Otto Epiſcop. LX.

Otthonis Epiſc. reformatio circa eccleſiaſtica Auguſtburgi.

cathe-

cathedrali æde cum hilaritate & jubilo decantarunt, craſtinaque luce iterum cardinalis ipſe officium ſummum, quod vocant, inſueta pompa ibidem celebrare quoque reincepit. Inde invidioſiſſima pariter ac inſidioſiſſima, cives inter & ipſum, de reformanda totius populi *Augſtburgenſis* religione, deque juribus parochialibus per noſtram civitatem contentio orta eſt, quæ diutiſſime viguit, ac ne hodie quidem finita eſt. In ea lite, licet ſenatus per omnia victus, cauſas matrimoniales officialis conſiſtorio dijudicandas tunc ceſſerit, ſacramentorum tamen uſum, cum Evangelii miniſterio, apud ſuas eccleſias purum aliquandiu hic retinuit. Haud quaquam vero hoc loci prætereundum ſilentio duximus, quod imperator *Carolus* anno MDXLVIII. Martii viceſima nona die, quæ erat *cœnæ Dominicæ* ſacra, in fano S. *Katharinæ*, hora nonarum, tredecim pauperculis ſenibus, pedes ad exemplum Chriſti laverit, ſingulis dein laute refectis, & lineum induſium & laneam tunicam cum aureo coronato donarit. *Hyſpani* denique ipſius eodem veſpere ad expianda ſua flagitia, ſeminudos ſeſe horrenda ſuperſtitione flagellarint per plateas. Quin & hoc ſciendum, quod cedente ſacerdotio *Hermanno a Weda, Adolphus Schawenburgius*, novus *Coloniæ Agrippinæ* Elector, in *Mariana* æde hic, præſentibus Romanorum imperatore & Cæſare, maxima ſolennitate archiepiſcopus conſecratus, octavo ejusdem anni die Aprilis ſit. Sed & illud admiratione non parva dignum eſt, quod idem imperator XIIII. Junii, in ejusdem anni comitiis, pontificum ordini aliisque omnibus ſacerdotibus conſcriptam reformationis formulam, quam plerique *Interim* vocant, in qua non ſolum de cleri honeſtate ac diſciplina, ſed & de eccleſiæ officiis, ſacramentis, ceremoniis, monaſteriis, beneficiis, & ſynodis tractat, exhibere quoque auſus fuerit, papa non requiſito, quam tamen illi pro ſua libertate illico repudiarunt. Non ſonge poſt iſta, adegit noſter Cardinalis *Otto*, ſæculari brachio fretus, cunctos per ſuam diœceſim rurales parochos, qui evangelium profeſſi fuerant, ut vel chriſtianum dogma, horribilibus & plane atheis juramentis, ac chirographis revocarent, vel cum miſeris uxoribus liberisque legitimis ſolum verterent, id quod plærisque aliis ventri conſulentibus tantummodo a XII. paſtoribus factitatum eſſe perhibetur. Cæterum inter ſacras iſtas hiſtorias, hec ſequens etiam negligenda fuerit. Quod dum anno Chriſti MDL. in ipſis *aſſumptionis divæ virginis*, tum profeſto tum feſto, *Philippi* unici imperatoris *Caroli* filii, principis *Hyſpaniarum*, proterviſſimum ſatellitium, inſtigantibus *Marianis* & *cruciferis*, adeoque & abbatis ædituo, ſubſellia & menſam cœnæ Dominicæ deſervientem, in *Ulrychianæ* parochiæ vulgari auditorio, iterum atque iterum, nemine civium, incredibile dictu, excepto urbis ſub-præfecto, *Bruno*, qui ex officio ad eum tumultum acceſſerat, vel prohibente, vel vim vi repellente, evertere, nec incruente diſſipare auderet, haud infimus ex illorum numero, jamjam amarulenter Evangelicos ſubſannans, manus violentas, verentibus ſociis, ſuggeſtui admovens, perniciſſime apoplexia tactus, præſente Numinis vindicta ſit, ac poſt biduum perditam ſine ratione animam egerit. Quibus exemplis tamen impia cohors non ſaturata, proxime inſequenti anno ad XXVI. menſis Auguſti diem, Prædicatores Evangelii Chriſti, primoribus urbis, ſi non conſciis, ſaltem non invictis, *Antonii Attrebatenſis* antiſtitis, jam patris *Grannellani* functionem adminiſtrantis adjudicatione doctore *Georgio Sigmundo Seldio*, aurifabri civis filio, & imperatoris vice-cancellario pronunciante, hinc tota *Germania* proſcribere, quod ſcilicet ipſum INTERIM haud magni facerent obſervarentque, proh pudor! non horruit. Quapropter tum ſcholas civium deſolari, tum chriſtianas noſtrorum congregationes prope diſſipari, & vacuas fieri contigit. Et ni *Jacobus Hainrychmannus* præſulis vicarius, cum ſuffraganeo novo, *Melchiore* petentibus Adiaphoriſticis concionatoribus chryſina ad baptiſmum, præſumptuoſe denegaſſet, actum de recta ſacramentorum adminiſtratione quoque fuiſſet, donec evangelici ſolis jubar, craſſiſſimas has papiſticæ nequitiæ idolatricæque ſuperſtitionis nebulas, ſplendidiſſime iterum perrumperet, & ſub initia Aprilis anno Dominico MDLII. non modo peſtilens illud *Interim* exploderet, ſed & veram chriſtianæ religionis fidem, ad conſenſum *Auguſtanæ confeſſionis*, quæ ante viginti duos annos imperatori *Carolo* hic oblata clare eſt, perturbatæ plebeculæ reſtituit. Ipſus tamen Cardinalis noſter interea temporis, archiepiſcopatum *Saltzburgenſem*, Cardinale *Tridentino Madrutio* corrivale, ſummo niſu ambivit, at repulſam paſſus, nihilominus propoſitum urgens, tum totius epiſcopatus ſui ſacrificulos religionemque edito ad id valde pontificali libello, reformavit, tum *Ellwangenſem* præpoſituram opulentiſſimam, ſexto loco, contra *Wolffgangum ordinis Teutonicorum* adminiſtratorem, reclamante etiam *Chriſtophoro Wirtembergico* duce, invaſit, tum denique quando libera comitiorum anno MDLV. ſuffragia hic curialibus praxibus infringere non poſſet, occaſione inter pontificii, Romam ſub finem Martii avolavit, ac electo, & intra viceſimum primum diem confecto *Marcello* II. papa, non parvo emolumento archiepiſcopum *Theatinum*, *Joannem Petrum Caraffam*, indito *Pauli* IIII. nomine, ad ſolium *Barionæ* quod imperatori faveret, ſublimari curavit. Et cum nusquam non, nihil non, ad impediendum Lutheraniſmi curſum, moliretur, novam cum primis ſcholam, ad

Diem Cœnæ Domini ſacrum Carolus Augſtburgi agitat. A. 1548.

Liberatur.

Paſtores rurales ad revocanda ſua dogmata cogutur.

A. 1550. *Philippi ſatellitum furor adverſus Evangelicos.*

Eccleſ. Miniſtri proſcribuntur. A. 1551.

A. 1552.

Otto Saltzburgenſem epiſcopatum ambit &c.

A. 1555.

Scholam Dillingæ fundat.

ſtabi-

ſtabiliendum Antichriſti regnum, *Dillingæ* ſuæ fundavit, cui, vocatis ex *Lovanienſe* & *Ingelſtadiana* academiis profeſſoribus primum initium fecit, ac dein, *Petrum* a *Soto*, dominicaſtrum *Hyſpanicum*, ſophiſtamque verſutiſſimum præfecit, ac poſtea eo *Valentinum Pacæum*, dein *Fryderychum Staphilum*, apoſtatas turpiſſimos (hic namque in *Boruſſia*, ille *Lipſiæ*, poſtquam *Wittebergæ* diſceſſiſſent, multis annis veritatem publice docuerant) ipſorum damno evocavit, tandemque *Lojolanicæ* ſectæ aſſertoribus commendavit. Qui cum non ſatis ample cathedralis capituli parſimonia alerentur, gymnaſium illud poſt aliquot annos frigere occepit. Inde bonus paſtor Verpis domicilium *Oberhauſæ*, cum libero qualiscunque uſuræ exercitio conceſſit, ac tale contra omnem æquitatem, privilegium eisdem dedit, ut quicquid rerum ſuarum cives apud illos, ſive fortuito deperditarum, ſive furto ablatarum, reperierint, nequaquam reſtituere, multo minus a quo eas acceperint, indicare, ſed ad lubitum cuicunque vendere poſſint debeantque. Quanquam cuncta jura, officia, feuda, molendinum, ſtateram & quoscunque alios reditus, in civitate hac epiſcopatui attinentia, in *Marianum* myſtarum ſuorum collegium in tempore obſtitiſſet, ſe venditurum reipublicæ noſtræ ſpeciali clementia aliquando indixerit. Cujus contractus complendi cauſa, mox *Claudius Pius Peutingerus* ſyndicus, ipſo cardinale petente, Romam tunc fuit miſſus. Cæterum Roma Anno MDLVI. *Augſtburgum* Majo reverſus, XXV. ejusdem menſis die, Duumviros noſtros cum Senatoribus, conſulibus, ac ſupremo vigentis militiæ imperatore, in aula ſua blando accepit prandio: Ac dein publico ſcripto, populari lingua edito, ſub Maji finem ſeſe prolixe apud omnes purgavit ab ea fama, qua plerique ipſum occulta & *Germaniæ* pernicioſa conſilia cum Romano pontifice tractaſſe retulerant. Verum cum indies magis atque magis alieni æris ponderе quaſi opprimeretur, totius diœceſeos adminiſtrationem anno MDLVII. Canonicorum ſuorum capitulo, reſervatis ſibi certis ex ordinariis reditibus, ſumptibus, eo pacto conceſſit, ut creditoribus uſurariisque ſatisfieret, & epiſcopatus ad priorem ſtatum liber evaderet. Interea *Ferdinandus* imperator, anno Domini MDLIX. *Burgavienſem* Marchionatum ab ipſo redemit, illumque iterum poſt ſexaginta ſeptem oppignorationis annos (per quos, non parum multa in civium noſtrorum, eorundemque colonorum præjudicium, Clerus Canonicus fraudulentibus præſcriptionibus, hinc inde per diſtrictum eum ad ſuam commoditatem inſtituit) domui *Auſtriacæ* mere reſtituit, *Joanne Philippo Schadio Mittelbyberachenſe*, primo provinciale præfecto, ibidem conſtituto. Eo ipſo anno curavit

Judeis multa privilegia Oberhauſæ dat.

A ſiniſtris rumoribus ſe purgat.

A. 1556.

Totam diœceſin Canonicis concedit.

A. 1557.

Burgavienſis Marchionatus redemtio.

A. 1559.

Liber de S. Cena &

ipſe Cardinalis noſter *Dillingæ* ſuæ librum latinum imprimi, de adminiſtratione Sacramenti Euchariſtiæ, & de celebratione Miſſæ ex Canonibus & probatis Eccleſiæ autoribus compoſitum tanta accuratione, ut etiam quid agendum ſit, ſi quis in ſumptione panis vel vomat, vel per anum egerat, præſcribere dignum duxerit. Poſtquam autem ſceleſtiſſimus ille hypocrita, nebuloque obſtinatiſſimus *Paulus* IIII. papa, (cujus non modo acta a patribus reſciſſa, ſed & ſtatuæ imagineſque juſſu populi, per carnificem truncatæ & confractæ poſt obitum ſunt Romæ) ad orcum quarto pontificatus ſui anno jam deſcendiſſet, protinus ad electionem alterius pontificis, ingenti ſpe denuo in urbem abiit, ac pronunciato poſt longam deliberationem *Pio* IIII. pontifice, homine comiter malitioſo, aliquot annis ibidem ſuo more hæſit. Dein ſalutis MDLXIII. anno, a novo Cæſare *Maximiliano* II. evocatus, majores natu ipſius filios, *Rudolphum* videlicet & *Erneſtum* archiduces *Auſtriæ*, *Pulſani* in alpibus menſe Decembri, ſubexpirans jam *Tridentinum* impiiſſimum conciliabulum, in commendam accepit, ac per *Inſubres*, *Liguresque* terra, & inde per mare, in *Hyſpaniam* ad fratruelem eundemque avunculum conduxit. Rediensque ſequentis anni Majo, in *Auſtriam* deſcendit, & tum ipſi Cæſari parenti tum moribundo avo imperatori, de re bene geſta lætum attulit nuncium. Inde hac tranſiens, luſtrato ſuorum equitatu, *Dillingam* de novo conceſſit, ubi turrem ſacram tantis Sanctorum ſuorum officulis, tot eorundem imagunculis, ac aliis infinitis reliquiis refertum, ter maximis indulgentiis, ſumptuque non levi, in arce conſtrui curaverat, quantis ante ipſum nullus *Auguſtenſium* præſulum, vel illic, vel in cathedrali templo hic, gaviſus fuiſſe legitur, ac tandem cum per doctorem *Georgium Seldium*, commiſſarium imperatorium, compromiſſa transactio inter ipſum ac Rempubl. *Augſtburgenſem*, (cujus cives contra antiquum uſum in conferendis beneficiis, valde duriter tunc quoque premebat) de controverſis jam diu articulis expediri non poſſet, rejecta totius negocii cauſſa ad ſacræ cameræ tribunal, ſub autumnum prænominati anni, hac conditione eſt, ut ſuper cunctis inter decem & octo menſes definitiva feratur ſententia, nempe ad Kalendas Græcas. Demum anno MDLXV. ultima Martii cunctis farinæ ſuæ templis, apud nos, bene longam cartam affigi fecit, in qua univerſas papiſticas ceremonias abuſusque jam diu abolitos, reſtitui obſervarique mandabat, quod in hunc usque diem plurimis non fuit factum annis retro. Atque huc veniens menſe Auguſto, aliquot ſeptimanis in cauſa propria multa cum Canonicis ſuis & deliberavit & egit. Inde Decembri menſe, cum doloſiſimus pontificum, *Pius*

Miſſa editur.

Otto electioni Papæ interceſſit.

A. 1559.

A. 1563.

In Hiſpaniam tranſit.

A. 1564.

Dillingam redit.

A. 1565.

Chartas de reſtituendis pontificiis ceremoniis affigit.

Ad eligendum P. M. Romam decedit.

supra memoratus, ex improviso esset extinctus, denuo ad electionem novi Antichristi, *Romam* per celeres avolavit equos, ubi postquam pro more *Pius* V. antea Dominicaster superstitiosissimus, & hæreticæ pravitatis summus inquisitor, pontifex fuisset creatus, mense Februario sequentis anni huc ad comitia rediit. Celebrato dein

A. 1566. *Diœceseos conventum agit.*

totius diœcesis suæ prælatorum & parochorum frequentissimo conventu post acre religionis examen Synodalica tandem decreta, super collabente ecclesiastica tum dignitate, tum disciplina, *Dillingæ* suo modo promulgavit, typisque ibidem excudi sollicite curavit, mense Junio anni MDLXVII. Inde

A. 1567. *Gregorii III. Papæ gesta.*

mense Majo anni sequentis iterum *Romam* profectus est, ac posteaquam anno Domini MDLXXII. mensis Maji XIII. die, qui decimus octavus a morte supra dicti *Pii* V. pontificis erat *Gregorius* XIII. *Bononiensis Romæ* Papa fuisset creatus, isque pro stabilienda apostolicæ sedis autoritate mox

A. 1572.

VIII. Junii apud S. *Marcum* bullam cum plenariis & gratis concedendis anni Jubilæi indulgentiis pro his, qui vel sacram ipsius eum catholico rege *Venetisque* contra infideles & hæreticos initam ligam juvare, vel ad restaurandas idololatrias *Hispanicam* inquisitionem, quam *Sanctam* vocare audet, promovere vellent, in universum suum orbem sparsisset, confestim ejus bullæ transsumptum *Otto* Cardinalis noster in urbe alma ut præneſtinus episcopus adhuc hærens sine cunctatione *Augustburgum* cathedrali capitulo transmisit, atque *Dillingæ* suæ mense Julio imprimendum, ac per totam ipsius diœcesin cum serio obediendi mandato publicandum curavit: Extreme cum novam *Nazarenorum* sectam secum in *Germaniam* ducturus iter adornaret, subsequentis anni II. Aprilis *Romæ* XXX. pontificatus sui anno undique obæratus obiit.

Bernhardus Crucianus præpositus XXI.

Sub hoc antistite *Bernhardus Werlinus Gundelfingensis*, vicesimus primus ad S. *Crucem*, præpositus, anno Domini MDXLV. creatus,

A. 1545.

communem cum reliquo clero sortem tulit, ac tandem domum rediens ædificia nonnulla monasterio suo addidit, *Aichstettamque* pagum non procul hinc distantem, ab *Erasmi Herwarti* hæredibus cum omnibus continentiis 18. aureorum millibus comparavit. Hunc cœnobitæ sui tam diu, quod se parcius ac sordide in mensa tractaret, incusare non cessarunt, donec circiter an-

A. 1566.

num salutis MDLXVI. illos lautius & potissimum Veneris diebus, piscibus cibare cœperit, ea tamen conditione, ut in posterum singulis noctibus ad cantandas matutinas preces surgant, id quod multis jam annis raro factitarant monachi illi, cui

Georgius Crucianus præpositus XXII.

mense Decembri anno MDLXVII. mortuo, successit *Georgius Faiglinus Bavarus*,

A. 1567.

qui caveam eam prius propter religionem reliquerat, & aliquantisper *Jenæ* sacris literis operam dederat. Verum consulente ventre ad vomitum rediit, ac dicti anni Decembre, a fratribus suis præposituræ dignitatem nactus, non parvo ære ab episcopo Cardinale confirmationem obtinuit, præfuitque quinque annis large. *Jacobus* item *Widenmannus Menchingensis*, ad S. *Georgium* præpositus, anno MDXL VII. in *Guggenberga* eligitur, nec diu exulans, cum cœnobio suo esset restitutus, præcessorum more in diem quatuordecim annis vixit. A cujus morte *Petrus Canisius Belga*, novæ *Lojolanorum* sectæ (societatis *Jesu* nomen, ut arrogantissime, ita vanissime *Pauli* III. Papæ confirmatione sibi ascisentis) propagator astutissimus, sophista impudentissimus, ac jamjam concionator in summa æde, nihil intentatum apud *Ottonem* Cardinalem, & ipsum met papam reliquit, ut in eo loco discipulis suis præclaram possessionem, mollissimumque nidulum acquireret. Verum toto *Mariano* capitulo, ut vero fundatore resistente, repulsam tandem passus, novus pharisæus, ac veteri more Saducæus, ex tribus tantum superstitibus dicti cœnobii Canonicis, in vicesimum sextum præpositum electus est, *Martinus Mairbeccius Pfaffenhausensis*. Adhæc anno MDXLVIII. *Jacobus Köpplinius Lengenfeldensis*, quadragesimus septimus abbas ad S. *Ulrychum*, *Wittelbachii* effectus est, qui brevi cum suis antiquum monasterium repetens, satis pro autoritate se erga cives gerens, novam campanam in despectum religionis, per *Melchiorem* suffraganeum, qui illi Achatis instar erat, baptizari, ac *Mariam Jacoben* cognominari fecit. Ac anno salutis MD LXVII. splendidius sibi domicilium in ipso veteris abbatiæ loco, nec non & aliud in orientali ejusdem monasterii latere anno MDLXXIV. extrui curavit. Quemadmodum & suam domum in civitate juxta arcam *Ulrychianam*, jam quoque ædificarat. Quin item campanile ædis suæ hactenus vilibus asseribus opertum anno Domini MDLXXII. mense Septembri larigneis scandulis rubro colore tinctis contegi, ac duobus staneis globis, totidem superimpositis vexillis ornari fecit: obiitque villicationis suæ - - - - - anno. Porro obeunte tandem Junio mense anni MDL. *Johanne Laymanno*, *Augustopolitano* episcopo admodum sene, qui duorum civitatis nostræ præsulum suffraganeus multis annis fuerat, successit in officio eo hic *Melchior Dornvogelius* sacræ paginæ Doctor titulo *Adrimitani* Episcopi non illiteratus.

Martinus Georgianus præpositus XXVI. A. 1548.

Jacobus Georgianus præpositus XXV. A. 1547.

Jacobus Ulrichianus abbas XLVII.

A. 1567.

A. 1574.

A. 1572.

A. 1550.

Melchior Dornvogelius Episcopi suffraganeus.

Post-

Dorothea & Euphrosina Stephaninæ abbatissæ.

Posthæc *Dorothæa* a *Fridinga Hegovienſis*, anno Domini MDLIII. de more ad S. *Stephanum* abbatissa domi lecta, post octavum annum, *Euphrosinæ Kreutenſi Bojariæ* succedendi locum dedit. Quæ licet murum, A. 1553. A. 1561. qui gynecæum id circumdat, duplo altiorem fieri curarit, non potuit tamen prohibere, quin ex cœnobitis ſuis quinque virgines honeſta contraxerint matrimonia.

Christophorus & Wolffgangus sempl. Cathed. decani.

Circiter hæc tempora *Chriſtophorus* a *Freiberga*, per reſignationem anteceſſoris, Decanus magnus Mariani chori hic eſt factus, quem magiſtratum ſatis religioſe XVIII. annis tenuit, ac poſt obitum Cardinalis *Ottonis* præpoſitus *Ellwangienſis* electus *Wolffgangum Andream Remum* ſeniorem inter *Marianos* Canonicos, ac præpoſitum *Moritianum* ſucceſſorem habuit. Mortuo demum anno Domini MDLIX. menſe Januario *Marquardo* a *Staino*, cathedralis apud nos eccleſiæ præpoſito, quam dignitatem is & *Moguntiaci* & *Bambergæ* quoque Romaniſtica praxi obtinuerat, cum epiſcopus Cardinalis, ac Canonicum Collegium de ſucceſſore contenderent, nactus tandem *Marquardus* a *Berga*, utriusque juris Doctor, præpoſituram ſummæ ædis hic eſt, contra *Ludwicum Graveneggerum*, qui poſtquam & *Bambergæ* decantatus Canonicorum etiam, & dein præpoſituræ cathedralis dignitatem obtinuiſſet, *Augustæ* 17. annis præfuit. Ex cathedralis autem collegii *Auguſtani* ſymmiſtis, ſub *Ottone* noſtro *Martinus Hercules*, *Rhöttingus*, epiſcopus *Laventinus*, *Martinus Schaumbergius Aichſtettæ*, & *Vitus Franbergius Ratisbonæ*, ubi & *Welſeri* noſtrates diu jam majorem præpoſituram reſignationibus tenuerunt, præſules ſunt facti, ſicut & *Joannis Rhelingeri* filii & nepotes eam præpoſituram, quæ apud S. *Petrum* hic eſt per manus ſibi invicem etiam hodie tradunt. Sed & prædicatorii inſtituti moniales, a *Wolffgango Rheni* palatino *Medlinga* certis pactis ejectæ, cum neque *Ulmæ* neque alibi reciperentur, dicti Cardinalis noſtri diſpenſatione, huc ad divæ *Katharinæ* cœnobitas, cum omni ſuppellectile, A. 1564. in ipſa anni MDLXIIII. rigidiſſima bruma, transmigrarunt. Poſtquam jam *Caniſius Lojolanarum* provincialis ſub *Suſannæ Ehingeriæ Ulmenſis* prioratu pro ſua hypocriſi Nonnas in eodem alveario præcedente anno arctius includendas ſategiſſet, nec leves motus inter ſororculas eas excitaſſet, ob quos aliquot ex ipſarum numero, inter quas *Renneria* nobilis quædam erat Septembri menſe illud parum honeſte deſeruerunt.

Auguſtani exterarum Eccleſiarum Epiſcopi.

Prædicatoriæ ad S. Katharinæ moniales transmigrant.

A. 1559. *Marquardi a Staino & a Berga maj. ad. præpoſiti.*

A. 1573. *Antonius Crucianus præpoſitus XXIII.*

Cæterum anno ſalutis MDLXXIII. ſeptimo Januarii electus tandem 23. præpoſitus ad S. *Crucem* hic eſt *Antonius Beirerus Ichtershauſenſis*, cum diu *Lojulani* ſuo more vacantem eum locum ſibi in Romana curia vindicare iterum attentaſſent, unde jam recenſitus præpoſitus pro ſui confirmatione poſt Cardinalis noſtratis obitum au-

reos numerare coactus fuit tum papalibus commiſſariis, tum novo Epiſcopo. Eſt autem præter talia, etiam ſub hoc epiſcopo, in cathedrali templo hic, per *Ferdinandum* Romanorū, *Ungriæ* & *Bohemiæ* regem, XXVIII. die Maji anno MDLV. funebribus exequiis, *Johannæ Legionis* & *Caſtiliæ* reginæ, matri nimirum ſuæ magnifice parentatum. Sicuti & idem ipſe *Ferdinandus* jam imperator ſalutatus, fratri divo Auguſto *Carolo*, anno MDLIX. XXV. Februarii celeberrima ac A. 1559. plane gentili pompa, in eodem templo quoque inferias attulit. In cujus rei perpetuam memoriam ſingulorum ipſius *Caroli* regnorum ſericia vexilla, una cum bicipite Aquila in parietibus ſupremi adyti fixa adhuc manent.

Joan. Reg. & Caroli Imp. exequiæ celebrantur Auguſtburgi.

A. 1555.

Anno ab incarnatione Dei MDXLIIII. ſuſceperunt conſulatum *Augſtburgi Georgius Herwarthus* IIII. & *Zymbrechtus Hoſerus* IIII. Sub quibus Januarii XXIIII. tam horrenda caliginoſaque totius ſolis Eclypſis horam circiter nonam antemeridianam accidit, ut alites ſubitaneis præpediti tenebris ex æthere decidirint, ignarumque vulgus intempeſtam noctem terrifice ingruiſſe putarit. Viſa quoque hoc ipſo anno, tria integra Lunæ deliquia, menſibus, Januario, Julio & Decembri, permaxima admiratione noctu ſunt. Id quod in unum & eundem annum, a temporibus *Caroli Magni* Imperatoris, nunquam incidiſſe *Aſtronomi* perhibent. Quia vero Evangelicæ libertatis prætextu, nemo non apud nos, quod luberet licitum cenſeret, politica quædam ſtatuta, in cauſis matrimonialibus, cumprimis vero de prohibitis quibusdam conſanguinitatis adfinitatisque gradibus, a Senatu ſunt edita. Nam paulo antea hic *Andreas Remus* junior, prioris conjugis, *Veronicæ Rheligeriæ*, ex ſorore neptem *Reginam Ehemiam*, & *Thomas Hugo Alexandri Schwartzii*, duas filias, ſucceſſive ſibi matrimonio junxerant. Atque *Gotthardus Stammlerus* aurifaber, demortuæ uxoris germanam ſororem, cum tamen ex priore ſuperſtites liberos haberet, ſecundis nuptiis quoque duxerat. Quod tamen poſt paucos annos in *Sigismundo Auguſto Poloniæ* rege, qui ſimiliter duas *Ferdinandi* Romanorum regis filias, *Elizabetham* & *Katharinam*, conthorales habuit, ac in *Carolo* archiduce *Auſtriæ*, qui N. *Bojaram Annæ* ſororis filiam, in matrimonium accepit, reprehenſione caruit, quia ſcilicet ſummus pontifex diſpenſationem interpoſuiſſet. Porro cum *Otto Hainrychus Rheni* palatinus (qui poſt miram prodigalitatem, varias fortunæ jactationes, & grave exilium, imperii tandem Electoratum nactus eſt) innumeram pecuniam mutuo undique maxima usura accepiſſet, nec jam haberet, unde ſolvendo eſſet, facta eſt ejus rei cauſa, menſe Februario, creditorum, quorum non pauci cives hic erant, ad ſeptingentos equites *Neuburgi Danubiani*, quæ ſedes illius erat, con-

A. 1544. *Eclipſis Solis.*

Tres Lunæ eclipſes.

Statuta matrimonialia condiuntur.

Augſtburgenſes tormenta ab Ottone Hainr. Rh. Pal. emunt.

gregatio. Ubi cum certi nihil de satisfiendo potuisset decerni, obtinuit tamen Senatus noster emptione, maxima & elegantissima panopliæ ipsius tormenta, ac ea huc ad suum armamentarium devehi curavit. Eodem mense missi sunt *Spyram* Reipubl. nostræ nomine *Marcus Pfisterus* & *Sebastianus Seitzius*, ad ea comitia, quæ imperator *Carolus* cum *Ferdinando* rege fratre, simulque cum sex aliis Electoribus præsentibus, quod raro antea contigerat, ac totius *Germaniæ* principibus frequentissima agitavit. In quibus *Joannes Fridrychus*, *Saxoniæ* Elector, data utrinque actorum venia, imperatoris transactione, magnificisque promissis, *Ferdinandum* demum pro Romanorum rege Cæsareque mense Majo agnovit. Interea postridie paschæ, XIIII. nimirum Aprilis die, vicerunt *Galli* imperatorios ad *Carignanum Pedemontii* oppidum, quo prælio *Alphonsi* Marchionis *Vasti* socordia, ne dicam proditione, optimi quique *Germanorum* militum desiderati fuere, inter quos ex nostratibus *Hansus Berus* capitaneus, *Paulus Hermannus* signifer, cum nonnullis aliis civibus connumerabantur. Cæterum XXVIII. & sequente diebus Junii, insolitum frigus apud nos incidit, quod tum fortissimi venti tum ingens grando secuti sunt. Qua æstate Funambulus quispiam, post multa ludicra, protenso hic ab ampla *Berlachejæ* turris fenestra, juxta classicariam campanam, usque ad sartorum cauponam, versus Austrum fune, præcipitem se, ac si volaret, per aërem in terram demisit. Circiter quam tempestatem eminentiora subsellia pro auditoribus concionum ad parietes in *Moritiano* templo constructa hic primo fuere. Indultum præterea a Senatu Zytopolis nostris est, ut præter usualem cerevisiam, etiam eam coquerent, quæ quinque nummis valet: quod tamen initio aliquibus male cessit. Deinde mandatum hic ferio e Senatu est, IIII. die Augusti mercatoribus, ut ad instar reliquarum plebis tribuum, adfines & generos suorum, de quibus diu jam infinitis libellis replicationibusque apud Senatum controversum fuerat, simul ac alios quoscunque honeste negociantes, & id petentes (non tamen opifices, nisi qui forte patritii connubio accessissent,) in contribulium suorum album æquo precio mere reciperent. Atque eo pacto societati mercatorum ascripti tunc primum fuere, *Jacobus Krafterus*, *Simon Manlichius*, *Ulrychus Sitzingerus*, *Lorentzius Bauhoferus*, *Caspar Pflaumus*, & alii nonnulli. Sunt etiam circa hoc tempus, Cæsareo rescripto, *Ambrosius* & *Josephus Höchstetteri* ex vinculis, quæ XV. jam annis ob æs alienum pertulerant, cum cautione tandem dimissi hic. Post ista, ubi novi propugnaculi monticulus, jam antea XXI. Aprilis propter *Geggingensem* portam fundari cepisset, absolutus etiam novus pons, supra novam fossam ibidem mense Octobri est. Denique cum imperator noster, impetrato superioribus comitiis imperii auxilio, propter quæ & religioni Evangelicæ pacem, & eam tantum, ut infra patebit, temporariam dederat, continenter adhuc in *Belgio* contra *Gallum* belligeraretur, *Wilhelmum Clivensem Juliacensemque* ducem, vindicata *Geldria* ad officium reduxisset, *Lucelburgumque* armis recuperasset, militarunt illi civitatis nostræ nomine *Schertlinus* & *Negelinus* cum debito signorum peditumque numero. Suntque ab eadem republica nostra, sicuti & antea sæpius, non modicæ expensæ *Viennensibus* in *Austriam* collatæ, quando illi contra *Turcas*, nova prope *Stubarum* portam propugnacula extruere meditabantur. Porro XVI. die Decembris invitarunt, nescio quo genio agitati, fabrorum lignariorum tribunus ipsiusque XII. viri, reliquarum omnium civitatis nostræ tribuum tribunos, ad tabernam ipsorum ad prandium: Ibi cum hilariores mero essent facti, facile sermo de dando epulo per vices, quod vulgo a *Sertis* denominatur, inter quosdam incidit. Verum cum id seditionis suspicionem alere videretur, prudentiorum dehortatione impeditum recte fuit.

Anno redemptoris Jesu MDXLV. consulibus *Johanne Welsero* III. & qui ex pellionum tribu ad mercatorum classem ascenderat, atque etiam a *Carolo* imperatore nobilitatis insignia jam consecutus fuerat, *Jacobo Herbroto*, addidit statim Senatus certis quibusdam pactis, sex pauperes studiosos cum præceptore, canis illis fratribus, qui ob assiduas ad sepulchra *Argonensium* preculas, in *Antoniano* hospitali cognomen a *sellulis* traxerant. Verum institutum id novem tantum annos duravit. Occepit & *Andreas Schultzius* advena, aurea fila ad eum modum apud nos nere, quo *Venetiis* fieri, & inde ad exteros unciatim deferri consueverunt, factaque negociatoribus pariter ac institoribus ingentis lucri spe, *Mediolano* non levi sumptu operas Bractearioque adduxit. Ast intra triennium tum sesemet tum alios, in magna debita, frustrato & tamen haud inexpectato fine præcipitavit. *Augustburgum* enim nostrum, non aurum, sed Canatim, linum & lanam, vel etiam cotonem, fuso colóque tractare didicit, eoque artificio suorum quam plurimos abunde nutrit. Sed conatus iste non primum versatilis ejus ingenii specimen fuit, nam antea *Gattorum* quoque regnum, quorum sanguine se progenitum asserebat, vaferrime affectarat, filiosque *Amalum*, *Walamyrum* & *Hermanaricum* vocari jusserat ejus instituti gratia. Et cum etiam ista spe, perruptis *Brandeburgensis* Electoris vinculis, decidisset, postea variis metallicorum machinis, Chymistarumque destillationibus, aureos montes somnians, quam plurimis imposuit. Contigit autem sub initia

Comitia Spiræ.

Galli Imp exercitum prosternunt.

Funambulus.

Eminentiora subsellia in Moritiana ade fabricantur.

Mercatorum albo quidam adscribuntur.

Auxilia Imperatori mittuntur.

Epulum inter Tribunos.

A. 1545.

Schultzius acu pingere callet.

Clericos promissi

matrimonii ab ancilla postulatur.

tia præsentis anni, ut ancillæ quædam Diaconum ad *Nudipedes* de promisso, & actu jam sæpius confirmato matrimonio apud urbis ad tales causas deputatos judices convenerit. Verum is vehementer inficiando tandem una cum parocho suo *M. Michaële Cellario* adstante rem ad ejus tanquam veri episcopi arbitramentum forumque remittendum esse contendit, qui ubi se non obtenturum sentiret, in ipsa actione Curia se subducens, clam inexpectato urbe excessit, nec unquam rediit. Cæterum, quum Piscatores nostri pisces suos cancrosque, in fossa ad *Streffingeriam* portam hactenus perterebratis lintribus, ac vimineis vassis, ad vendendum conservassent, cœpta sunt illis mense Februario, reipublicæ sumptu, nova ea Vinaria, quæ etiam num in ea fossa extant, primum fabricari & certo locari ære. Nec multo post, perforato antiquo civitatis muro, curarunt Ædiles nostri, pro compendiosiore ex urbe ad forum Equinum itinere, etiam novum fossæ ejusdem transitum ligneo ponticulo conjungi. Adhæc eodem hocce Vere cepit, vallum cum verruca ad *Rubram* portam munitissimo opere, supra magnum hospitale civitatis, prope superiorem aquarum turrim, extrui. Et quia in comitiis *Wormatiensibus*, quo Reip. nostræ nomine *Marcus Pfisterus*, & *Sebastianus Seitzius*, cum doctore *Claudio Pio Peutingero*, amandati erant, negocium Evangelii apud Imperatorem pro more frigidius tractaretur, cunctaque in futurum *Regensburgi* vel colloquium vel conventum, si non insidiose certe contemptim rejicerentur, facile papisticas monstrum alere, nostris conjicere licebat, præsertim quando Romanensis Cardinalis *Alexander Farnesius*, pontificis maximi, patrui scilicet sui legatus, postquam aliquandiu *Dillingæ* commoratus, & declinato *Wirtembergense* ducatu, indirectis itineribus *Carolum* Imperatorem adiisset, non clam truculenta contra Lutheranos effutiisset consilia, bellumque magis quam pacem subinde jactitasset. Senatus igitur noster, malo nodo malum cuneum quærens, curavit universos cives per suas tribus, una cum patritiis, omnibus armis lustrari, habitoque extra civitatem in agris, qui prope patibulum, unde expeditio ea etiamnum denominatur, *Eybrachæ* vocantur, XII. die Augusti mensis, tam pauperum quam divitum acri delectu, cum cuncti pulchro agmine sub propriis vexillis procederent, Textoresque primos ordines ex antiqua præscriptione ductitarent, recensiti ter mille quingenti & nonaginta sex pedites, nec non quadringenti septuaginta equites, quorum præcipuum vexillum, capitale dictum, *Georgius Fuggeri*, reliqua duo minora, quæ a *celeri cursu* denominantur, *Jacobus Adlerus*, & *Jacobus Herbratus* junior vehebat, cum aliquot cataphractis fuerunt. Quos quam splendidissime ornatos armatosque *Schertlinus* cum adiministris capitaneis, conductitiisque Tribunis militum prœlii aciem instruere, alas ferentariorum adnectere, & in adversos cuneos impetum facere, phalangas flexim convertere, denique totum exercitum in cochleam concurrere, militari exercitio docuit, in quo ludo frater ferarum quispiam sclopeto manuali periit. Ne autem providentissimus Senatus, bellicas solum res cogitasse existimari queat, en, jussit & *Bernhardinum Ochinum Senensem*, (qui initio *Franciscanus* superstitiosissimus, dein auricularis Romani pontificis confessor, & tandem declamator facundissimus fuerat, jamque ob Evangelicam libertatem tota *Italia* ejectus, hic hærebat, atque ad extremum, hinc Imperatorem fugiens, exuiibus conterraneis *Tiguri* diu concionatus, & in *Arrianam* hæresin delapsus ad *Polonos* ausugit) apud *divæ Annæ* templum *Paulinas* epistolas, *Italice* propter delicatas quorundam negociatorum aures enarrare. Atque inde tum literis, tum studiorum proventui animum quoque adplicans, coëmi curavit *Venetiis*, *Philippo Walthero* proxoneta, DCCC. ducatalibus aureis, ab *Antonio Eparcho* episcopo *Corcyrense*, vetustissimorum autorum, ac in eum usque diem, non editorum *Græcorum* librorum, non contemnendum thesaurum (nonnulli emptionem hanc superiore anno factam volunt) quem singulari tablino ea tempestate, xysto *Betulejo* curante, in suam bibliothecam ita quidem collocavit, ac pro dignitate conservavit, ut tamen nusquam non doctis viris communem esse candidissime voluerit. Cumque eidem Senatui placuisset, quinque tantum scholarchas Duumviris scholasticis jungi, essentque in eum numerum, loco demortuorum, *Christophorus Seldius*, jure consultus, & *Zymprechtus Hoserus* junior assumpti, constituerunt, ut singulo semestri tempore ex ipsis præses, tanquam Decanus, eligeretur, ad quem subinde scholastica negocia referrentur, ne scilicet indies singuli tricis illorum divexarentur. Et inde jussu horum, iterum, uti ante sex annos, segregati propter scandala ex promiscuis scholis ad privatos magistros pueri ac puellæ sunt. Eodem hoc anno, commilitantibus non vulgari sumptu nostris, (nam in singulos menses quinque millia aureolorum ex fœderis pacto ad bella pendebant) *Saxoni* & Landtgravio, forte *Hainrychus Brunsvicensis* irrequietissimus dux, cum filio *Carolo Victore*, ad *Stainbrüggam* Octobri mense, *Mauricii Saxonis Mysnensium* Marchionis consilio captus fuit, cœpitque, ut multi dictitabant, consulis *Herbrathi* astutia, ordinarius *civium census*, quem *Stuiram* indigitamus, ad tres annos apud nos conduplicari. Cæterum de hiscentibus arenosis fundamentis, nova hic mœnia, inter

Vinaria piscatoria fabricantur.

Munimenta exstruuntur.

Comitia Wormatia.

Augstburgensium copiarum lustratio.

Bernh. Och. Italicas concionesbabet.

Bibliotheca vetustissimorum librorum emitur.

Cura circa scholas.

Hainrichi Brunsw. ducis clades.

Geggingenſem portam, *Æſerique* montoſum propugnaculum turpi ruina concide-
VI. munimentorum curatores eliguntur. runt. Quapropter ne ſimile quid poſthac denuo accideret, delecti a Senatu XII. Decembris ſex cives, extra Senatorium numerum, ſunt, quibus cum ſemper de publicis murorum, vallorum, & propugnaculorum ſtructuris, ordinarii ædiles conſultarent, & fuere hi primi, quos, ut dixi, Senatus annumerari ædilibus conſtituerat, *Antonius Welſerus*, *Jacobus Rehlingerus*, & *Antonius Fuggerus* patritii, cum *Ulrycho Dieffſtettero*, *Marco Schwabo*, *Matthæoque Pfantzelto* mercatoribus. Sub finem dein hujus anni, interdixit Senatus cunctis apud nos plebis tribubus, ne in tabernis ipſorum, ſicuti hactenus conſueverat, convivia per eos dies agitarent, quibus tribunos deligerent. Et ne tunc etiam, cuicunque contribuli præſenti, plus quam quatuor cruciferos elargirentur: Idque ea de cauſſa, quod anno ſuperiore Arcularii fabrique lignarii ſuis ſex cruciferos electionis die præſtare cœpiſſent, quæ auctio poſtmodum, aliis in detrimentum verſa fuiſſet. Porro cum verpi ſubinde plebem uſuris damnoſe circumvenirent, & inde Senatui contra privilegia apud alienos judices moleſtiſſime facerent negocia: inhibuit prudentiſſimus Senatus XV. Junii, ſub pœna amiſſionis juris municipalis cunctis ſuis tum civibus tum inquilinis, ne quis a Judæis qualicunque vel chirographo vel obligatione aut etiam fidejuſſione pecuniam unquam mutuo acciperet. Indultum præterea hoc ipſo anno a Senatu prætori, ejusque aſſeſſoribus primum eſt, ut in examinandis teſtibus 8. nummuli pro quolibet poſthac acciperentur ab altercantibus: Id quod in hanc ætatem usque ſemper gratis fuerat actum. Juſſi item iidem prætorii judices per eundem noſtrum Senatum ſunt ſingulis Mercurii diebus convenire ad ſolitum locum deliberandarumque actionum propalandas ſententias certa relatione definire, ac pro eo labore idem quod in aliis juris dicundi diebus confuetum eſt, ſalarium accipere.

Decretum adverſus tribuum conventus, cum Trib. eligerentur.

Conſtitutio de acre alieno apud Judæos non contrahendo.

Statuta pro prætore.

Anno ſalutis humano generi per Chri-
A. 1546. ſtum partæ, MDXLVI. lecti de more VII. Idus Januarii *Augſtburgi* noſtri ſunt conſules *Georgius Herrwarthus* & *Zymprechtus Hoſerus*, uterque V. Et ſtatim hinc able-
Proteſtantium conventus Francfurti ad Mœnum. Vid. Tab. IV. Fig. 2. gati reipub. nomine ſunt *Joachimus Langenmantellus* de *trigono*, & *Chunradus Helus* legum doctor, *Francfurtum* ad *Mœnum*, ubi primores proteſtantium coitionem adornarant, deliberabantque tum de prorogandis inter ſeſe pactis, tum de recuſando *Tridentino* conciliabulo. Cum autem ſub exitum ejusdem menſis *Fridrychus* Palatinus
Frid. Rh. Pal. & Philippi Heſſor. Landtg. conventus. *Rheni*, Elector, ac *Philippus Heſſorum* Landtgravius, privatum inter ſe eadem de re conventum quoque agitarent, miſſus ad illos a Senatu noſtro eſt, *Sebaſtianus Schertlinus* eques auratus cordatiſſimus, ut arcane ipſos doceret, quam multis ex locis de imperatoris & papæ bellico apparatu, adverſariorumque occultis practicis, contra Lutheranos certior ſit factus; & proinde maturo conſilio omnino opus eſſe. Qua tempeſtate dejectis jam altioribus turribus cœperunt urbis noſtræ propugnacula ſpiſſiore ceſpite vallari, & foſſæ profundius effodi, quin & pomeria pontesque juxta *S. Spiritus* hoſpitalis, ac *Verdachæ* pontis portas firmius communita quoque ſunt. Compendioſa item ſemita inter *Gilgianum* lararium, & domum eam, quæ tunc nomen ab *Utriculo* habebat, perantiqua civitatis mœnia & foſſam Senatus juſſu facta hocce anno primo eſt. Interea XXVII. dicti Januarii die, inceptum eſt *Regensburgi* dudum promiſſum inter pontificios & Evangelicos colloquium, cui *Moritius Aichſtettenſis* epiſcopus, ac *Fridrychus* comes *Furſtenbergius*, ab Imperatore *Carolo* præſides erant dati. Quibus tamen dein XV. Februarii *Julius Pflugus*, *Naumburgenſis* præſulatus cum *Nicolao Amsdorffio*, viro pientiſſimo & ſincero, corrivalis, eſt additus. Cumque acutiſſime, &, ut ſolet, acerrime utrinque vigeret diſputatio, mox tam arctum ſilentium noſtris mandatum fuit, ut ne ſuis quidem principibus, ante finem colloquii quicquam ſignificarent. Quare *Joannes Fridrychus*, *Saxoniæ* Elector, dolum ſubeſſe perpendens, noluit ſuos diutius illic manere, unde aliis theologis ſimiliter diſcedentibus, facile omnis ea actio, Imperatore ægre ferente, initia Comitiis inſtitutis fecit. At ecce, tibi in ipſa tantarum rerum machinatione ſanctus vir Dei *Martinus Lutherus*, poſt plurimos pro eccleſia Chriſti exantlatos labores, dum diſſidia *Mansfeldenſium* comitum pie componit, XVIII. die Februarii, in patria ſua *Islebio* futuris malis ereptus eſt. O currus & auriga Iſrahel, quo ad meliora ſublato, quæ non hæreſes corruptelæque apud nos in fide repullularunt. Porro domi noſtræ VI. Martii die, confirmatum a Senatu decretum illud denuo eſt, quo ante ſeptem annos cautum fuit, ne advenis exterisque quibuscunque ullo alio pacto, quam intercedente cum civium liberis honeſto matrimonio, quorum tamen hoc anno vix unum atque alterum in patriotiorum ſodalitio contractum fuit, civitas poſthac apud nos concederetur. Quo menſe Senatus quoque noſter, *Jano Cornario Zwicavienſi* medico, ob inſcriptam ſibi ſuperiore anno, omnium qui extant *Hypocratis* Coi librorum latinam translationem, centum ſolares coronatos dono dari curavit, *Claudio Pio Peutingero* ſyndico inſtante. Ad comitia itaque *Regensburgi* celebranda, jam præter ipſummet Imperatorem & *Ferdinandum* Cæſarem, alii quoque principes & imperii tam eccleſiaſtici quam politici ſtatus, pleni firmandæ pacis ſpe ſedulo confluxerant,

Munimenta firmiora conſtruuntur.

Colloquium inter Pontificios & Evangelicos Regensburgi.

Lutheri obitus.

Hippocratis in Lat. linguam translatio.

Comitia Regensburgi.

fluxerant, inter quos haud immerito & urbis noſtræ legati; *Matthæus Langenmantellus* patritius de *trigono*, *Sebaſtianus Seitzius*, & *Nicolaus Mairius* jureconſultus erant. Verum ubi nihil aliud plerique, ex compoſito molirentur, quam ut *Tridentino* jam denuo pontificaliter inchoato concilio omnes ſubſcriberent, nullo labore deprehendi potuit, quam cruenta conſilia papiſtæ jam diu adverſum noſtros parturierint; & nunc demum ad actum producere impie meditarentur. Imperatorem enim vel eo argumento ad ſanguinis effuſionem impellebant, quod *Gallus* pacem cum ipſo coleret, & *Turca* inducias in hunc annum permagno dediſſet. Quando itaque cuncta per *Germaniam* turbarentur, bellumque adperte gliſcere inter comitiorum acta occiperet, neque ullus poſt plurimas proteſtantium tum declarationes tum excuſationes interceſſoribus locus amplius foret, conſeſtim *Carolus* Imperator XI. die Junii, ejus rei gratia duces, tribunos & centuriones ſuos tota *Germania* evocat, militem conſcribere delectusque habere juſſit. Hic igitur & noſtros quoque dira neceſsitas coëgit, attentius convenire accuratiſſime de ſingulis conſultare, ac defenſionis arma quam ſtrenue parare. Quod quamprimum Imperator pro ſua ſagacitate reſciviſſet, *Moritium Saxonem*, *Albrechtum* & *Hanſium* Marckgravios *Brandenburgenſes* a noſtris magnis pollicitationibus abalienavit, prætendendo, non quidem religionis cauſam peti, ſed propter inobedientes quosdam ſe jus ac pacem patriæ armis aſſerturum eſſe. Datis etiam XVII. Junii ad Senatum *Auguſtburgenſem Lazero Schwendio* latore, literis, æque illi ac aliis potioribus civitatibus ſcribit, ſe eos, qui religionis prætextu patriam hactenus perturbaſſent, ad officium reducturum *Germaniamque* in libertatem reſtituturum. Idcirco eundem hortari, ut relictis aliis ſibi non deeſſe velit, id quod multam gratiam allaturum ſit. Eandem ſententiam eo ipſo quoque die *Granwellus* & Doctor *Joannes Navius* procancellarius, legatis noſtræ Reipub. ſimili Rhetorica *Regensburgi* perſuadere conati fuere. Verum quando alia in factis eſſent, juſſit Senatus noſter confeſtim *Schertlinum* XVI. ſigna peditum, quæ prima luſtratione quinquies mille & ducentos fere milites continebant, celerrime expedire. Superiorisque *Germaniæ Schmalkaldici* fœderis ſocii, ad quos paulo ante nominatus *Mathæus Langenmantellus* urbis noſtræ legatus nunc venerat, *Ulmæ* congregati, quantum omnino potuere exercitum XXI. Junii, conſcripſerunt quoque. Ex cujus ordinibus *Schertlino* civitatum copias & *Johanni* ab *Haidecca Wirtembergicum* militem jurejurando ſubdunt. Interea ipſe Cæſar *Ferdinandus*, iisdem ſub comitiis nuptias admodum ſplendidas, filiabus ſuis, *Annæ* cum *Alberto Bojaro*, & *Mariæ* cum *Wilhelmo Juliacenſe Regensburgi* fecit. Dum itaque iſta ſic foris geruntur, coëgerunt domi conſules noſtri VII. die Julii Magnum, quem vocant, Senatum, expoſitisque imminentium rerum ſtatu periculisque, per omnium ferme vota, ſuccenturiantibus tribunis plebis obtinuerunt, ab Evangelii confeſſione nequaquam decedendum eſſe, ſed ſacro cum Electore *Saxone* & Landtgravio inito fœderi pro viribus ſtandum. Ac e veſtigio petiit Senatus noſter a *Nurnbergenſibus*, qui *Schmalkaldico* fœderi non erant addicti, vi privatæ ejus fœderis, quod ante tredecim annos cum ipſis religionis cauſa percuſſerat auxilium. Verum illi pro ſua ſapientia, bellum hoc non ad religionem pertinere reſpondentes, nihil opis impertiti ſunt. Sequente mox die, videlicet VIII. Julii, miſerunt Canonici Cathedrales, e *Dillinga* *Jacobum Tybingerum* proſcribam ipſorum huc, ut illos apud Senatum magnifice excuſaret, ſuper his, quæ forte Cardinalis *Otto* (quem Imperator annonæ commeatuique per ſuum exercitum præfecerat) ipſis inſciis, in Rempublicam *Auguſtburgenſem* deliquiſſet, quæ verba ut erant ad præſentia tempora efficta, Senatus ſuſque deque acceptavit. Et nihilo ſecius ut conſtitutum erat, *Schertlinus* noſter X. Julii, qui erat dies Saturni, profectus ex urbe hac fero vespere, cum XII. peditum ſignis, L. equitibus & XVI. currulibus tormentis, *Fueſſam* epiſcopi noſtri oppidulum haud difficulter occupavit, & actutum hoſtium delectum *Reuthæ* diſturbans, *Ehrenbergenſem* arcem, quæ *Ferdinandi* Cæſaris eſt, in aditu alpium, *cluſa* vulgariter appellata, audaciſſimo ſtratagemate intercepit etiam. Erant autem in hocce procinctu *Pleningerus* equitum Magiſter, & *Hainrychus a Rhoto* eques auratus vexillifer, domi vero noſtræ *Bernhardus Kalbenſis* cum tribus peditum ſignis ſupremus *Schertlini* locum tenens manebat. Inde poſtquam idem *Schertlinus* proſpere, nec ſine templorum manubiis domum rediiſſet, de novo hinc cum octo lectiſſimis militum ſignis, octoque majoribus bombardis abiens, *Dillingam* cepit, quod oppidum tamen cum adjacente epiſcopi agro, *Wirtembergenſes* poſtea, admodum injurioſe ad ſe vi receperunt, dictitantes, provincias acquiſitas, non civitatibus, ſed principibus eſſe permittendas. Quam ob rem *Schertlinus* cum reip. noſtræ copiis *Werdam* *Danubiorum* petiit, ubi *Johannes Fridericus Saxo*, & *Haſſiæ* Landtgravius, fœderatorum capita, innumerabili quaſi milite, (quidam omnium ſummam, peditum millia circiter quadraginta, equitum circiter quinque, ac centum tormenta bellica fuiſſe ſcribunt) in patentibus campis, caſtra jam exquiſitiſſime fixerant. Quo item & Senatus noſter ſuis expenſis, plauſtra pyrii pulveriis XX. globorum tormentariorum

Vid. Tab. IV. Fig. 2.

Bellum adverſus Proteſtantes decernitur.

Belli prætextus.

Auguſtburgenſes ſociis opem ferunt.

Norinbergenſes auxilia denegant.

Dillingenſes excuſationem fingunt.

Auguſtburgenſes aliqua bonorum oppida capiunt.

Confœderatorum copiæ congregantur.

XXX.

XXX. & longiorum haſtarum VII. ultro miſit. Quin & plurimi noſtrorum civium, admirationis, videndique tanti adparatus cauſa eo accedentes, omnes ad *Schertlini* formam, dimidiatis ſeu ſemipræciſis barbis redierunt. Quia vero paulo prius opulentiſſimi quique, & ex patritiis, qui pacem Imperatoris gratia venerabantur, nempe *Welſerorum*, *Rehlingerorum* & *Herwarthorum* aliquot, *Langenmantelli* cum ambidexto ℜ, *Fuggeri* ac *Bamgartneri* omnes, hinc in tuta ſe recepiſſent loca, ac belli diſcrimina extra patriam ocioſi ſpectare cogitarent, (quanquam nonnulli id bona Senatus venia fecerint) ſuſcitatus non omnino vanus rumor fuit, illos hoſti plurimam pecuniam ad præſentem expeditionem mutuo dare. Ea propter commiſſarii militares, qui ſtationem ſuam *Ulmæ* habebant, Senatum noſtrum ſerio per literas monent, ne id inultum ſit, aut amplius etiam contingat. Ad quæ is reſpondit, ſe non exiſtimare id a civibus ſuis nunc quidem fieri, ſed forte antehac tempus ab iis pro more fuiſſe factum, qui jam abſint, daturum tamen ſe operam, ut deinceps non admittatur. Cumque exin Magiſtratus diligenter hic præcavere id ſtuderet, *Sebaſtianus* nihilominus *Neithardus*, civis & Senator *Maximiliano* comiti *Beurenſi* centum millia coronatorum aureorum mutuo non levi fœnore dedit, qua pecunia comes is *Belgicum* equitatum ex inferiori *Germania* adverſo *Rheno*, ad noſtras usque terras, dormitante, ſi non corrupto apud *Franckfurtum Reiffenbergio*, in deſpectum *Schmalkaldicorum* omnium intrepide deduxit, eisdemque viribus Imperatori *Carolo* animum ad victoriam addidit, adeo præſtita ſervabantur juramenta. Cæterum *Schertlini* juſſu, cui jam ut dictatori parendum erat, ob proditores perfugasque, poſt ſalientis fontis in foro piſcario labrum, patibulum hic erectum eſt. Adhæc præparata fuerunt inter *Geggingenſem* & *nocturnam* portas, dirutis hortorum *Johannis Baumgartneri* & viduæ *Thorſinæ* muris, tum lata ad concurrendum in tumultibus area, tum acclivus e trabibus pons, in eum eventum, ſi forte propter oppugnationes ad mœnia aſcendendum eſſet. Habitæ denique per idonea urbis loca ſunt, mixtis mercenario militi armatis civibus, tam interdiu quam nocte, excubiæ ſolertiſſimæ. Extiteruntque omnia valla & propugnacula ſuis tormentis nunquam non copioſe inſtructa. Quin etiam miſſis hinc verbi miniſtris, per vicinum epiſcopi noſtri & *Burgavienſis* Marchionatus diſtrictum, tam pagis quam cœnobiis, Evangelium ad normam *Auguſtanæ confeſſionis* prædicari ceptum eſt. Conſtitutum item a politico noſtro Magiſtratu fuit, ut dum ſine divino auxilio nihil perfici queat, theologi plebem ad ardentiores precationes indies hortarentur, in cujus rei ſignificationem, pulſatum per omnia templa poſt matutinas conciones novo more eſt, ut nimirum etiam abſentes, audito ſono eo, cum eccleſia pro victoria noſtrorum orarent. Qui mos in hodiernum usque diem durat, ut ſcilicet eo momento, quo oratio dominica poſt publicos ſermones tacite dicitur, campana eadem iterum pulſetur, per quam antea populus ad ſacra convocari ſolebat. Cum autem primo principio noſtri *Carolum Gandavenſem*, (ſic enim Imperatorem jam multi nominare audebant) non valde paratum *Ingolſtadii*, loco natura foſſis & aggeribus munitiſſimo, adorirentur, perfacile ductu *Schertlini* (qui poſtmodum jam *Pantaleonis Ebneri* ſiccarii *Brigantini* inſidias, difficulter in proprio tentorio, evaſerat) vinci potuiſſet, ſi non Landtgravius per *Wilhelmum a Schachtena* fortiſſimum eum conatum neſcio qua ratione improbius impediiſſet. Tandem vero poſtquam ſupramemoratus *Beuranus*, cum Imperatori ſuo novas junxiſſet copias, quarum ſumma jam ex omnibus *Germanis*, *Hyſpanis*, Veteranis, undique ex *Pannoniis*, *Neapoli* & *Inſubria* evocatis, *Belgis*, *Italicisque*, nam & Papa *Paulus*, præter Cruciatam adverſus Lutheranos promulgatam, pro virili militaria auxilia miſerat etiam, collecta erat, equitum circiter millia IX. & peditum XLIX. Et noſtri inconſideranter ambages per *Aichſtettenſem* diœceſim relicta *Danubii* commoditate facerent, cepit per deditionem Imperator, præſidiis noſtrorum ejectis, XX. die Septembris, *Neuburgum*, oppidum egregie communitum, ac non levi errore a fœderatis deſertum. Et inde XII. die Octobris, noſtris ſubinde cedentibus, etiam *Werdam* ad *Danubium*, *Laugingamque*, non ſine *Auguſtburgenſis* civitatis trepidatione occupavit. Quare cum fama, vero non abſimilis, allata eſſet, ipſum *Carolum* recta huc, motis caſtris properare, ac jam conflictibus aliquot apud *Bocksbergam*, *Georgii a Stetta* arcem, reliquamque viciniam, velitariter quidem ſed infeliciter dimicatum fuiſſet, Senatus inter ſacrum & ſaxum conſtitutus, milites ſuos ad urbem revocavit, & propinquos pontes interrumpi, *Lechoque* disjici curavit. Id quod *Wilhelmus Bojariæ* dux, qui hactenus neutri parti ſtuduiſſe videri voluerat, moleſtiſſime ſane tulit. Interea itaque dum plæraque apud nos dubie, aut, ſi mavis, diffidenter, tam in populo quam Senatu tractarentur, exuſta XIIII. die Octobris anterior fuſoriæ officinæ urbis pars, e regione *Cattorum* horrei, non ſine operarum incuria, earundemque extrema pernicie, malo omine eſt. Et quanquam in iſto metu *Schertlinus* Senatus vocatione propere *Nördlinga* huc per medias hoſtium ſtationes jamjam *Laugingam* obſidentes, circiter feſtum *Martini*, miranda tum fortuna tum audacia centum ſolummodo

V. patritiorum familiæ patriam belli metu deſerunt.

Neithardus Beurenſi comiti pecuniam dat mutuo.

Autore Schertlino varia fiunt.

Campanæ ad precandum pulſantur.

A

B

C

D

Schachtenenſis impedit, quo minus Imperator vincatur.

Imperator amiſſa recuperat.

Fama de oppugnando Auguſtburgo.

Nutantes Auguſtburgenſes Schertlinus confirmat.

modo ſclopetariorum, & 70. equitum comitatu reverſus, noſtrorum animos larga confœderatorum principum promiſſione confirmaret, pleraque tamen apud nos dubie geri occeperunt. Ab eo enim tempore retrocedentibus omnino, propter inteſtinos, a *Moritio Miſnenſe*, ſuſcitatos motus, *Saxone* & Landtgravio, & ſi nunquam juſta acie, ſed minutis tantum præliis certatum in hanc usque diem fuerit, victoria ad *Caroli* latus inclinare, animique fœderatorum frangi cœperunt; atque eo modo civium noſtrorum imperterrita hactenus virtus, ſi non in deſperationem, ſaltem in non diſſimulandum metum, irato numine, verſa fuit penitus. Interceptis autem ab hoſte nummariis aliquot reipub. noſtræ arcis, inſolitus Cenſus hic exigi cœpit, ut nimirum illi, qui locatas habitabant ædes, de pecuniæ ejus, quâ hoſpitia conduxerant, ſumma annuali, quinquageſimas in ærarium referrent. Porro ſub inauſpicatum hocce bellum, quum nihil non hoſtiliter, utrinque gereretur, Imperatoriique & Hyſpani pro ſua audacia, tum arma initio hic ſibi, tum quæcunque alia adornare non ceſſarent, imo cuncta quaſi explorarent, intercepti XXVI. Octobris a noſtris octo *Itali* ſunt, & ſtatim carnificis manu in *Werdacha* eadem nocte ſubmerſi, uſque in meridie ſequentis diei, ad gentis terrorem littori expoſiti jacuerunt, quæ res hominum iſtorum animos; jam antea vindictæ cupidiſſimos, ita exaſperavit, ut, quacunque uspiam occaſione potuerint, talionem reddiderint.

Cenſus exigitur.

VIII. captivum beſtiarum ſupplicium.

A. 1547. Proximo inſequente Domini MDXLVII. anno, creati ſecundum conſuetudinem conſules *Augſtburgi* noſtro ſunt, *Johannes Welſerus IIII.* & *Jacobus Herbrothus II.* Qui poſtea quam *Nordlingenſes* primo, & mox dein *Ulmenſes*, ſociis inconſultis, principia reconciliationis cum imperatore feciſſent, ac, dedito *Wirtembergenſe* ducatu, *Antonius Fuggerus*, quem patriæ interitus, utut hactenus potiſſimos belli nervos Imperatori uſura ſuppeditaverit, vehementer angebat; idem inſtantiſſime per literas apud Senatum noſtrum urſiſſet; & jam coram etiam, noctu clam admiſſus, *Schertlino* manibus pedibusque reluctante, ſecretioribus conſiliariis perſuaſiſſet, ſtatim tam minorem quam majorem Senatum apud nos XIIII. die Jan. ſimul & ſemel coëgerunt, frequentiſſimosque eſſe in Curia perſancte curarunt. Ubi poſt multam præteritæ temeritatis, inſtantiumque æruminarum diſcertationem, concluſum firmiter ac mutata priore ſententia, determinatum fuit, cumprimis quod ærarium exhauſtum, aliorumque defectiones, comperiſſent, non amplius ſtimulo recalcitrandum, ſed Imperatoris oblatam clementiam obviis ulnis amplexandam, ac male actorum veniam humillime impetrandam ſine mora eſſe. Jam hominatus enim *Fuggerus*, Imperatoris aulam indefatigabiliter ſequendo, expiationis abſolutionisque formam, vix maxima interceſſione, in quinque capitula contraxerat, ut ſequitur: I) ut univerſa *Augſtburgenſis* civitas, ſe plane ad arbitrium Imperatoris citra omnem exceptionem dedat; II) ut omnia fœdera tam cum *Saxone* Landtgravioque, quam cum quibuscunque aliis, reſcindantur & irrita ſint, nec ullum unquam in perpetua ſæcula fœdus a noſtris fiat, in quo non & *Carolus* Imperator & provinciæ *Auſtriacæ* excipiantur, III) ut Senatus ſuos milites omnes cum capitaneis & ductoribus exauctoratos dimittat, ac præſidia, quæ Imperator urbi ipſorum impoſiturus ſit, obedienter recipiant cives, IIII) ut juſtitiæ & judicio, quæ jam meditaretur Imperator, per omnia pareant, atque in eadem, præſertim imperii ſacram Cameram, debitos ſumptus ſubminiſtrarent, V) ut Cæſari *Ferdinando*, Cardinalique *Auguſtenſi*, pro offenſis, ſive per placidas transactiones, ſive pro ſtricto jure inconſtanter ſatisfaciant. Et eſt ab his pacificationibus *Schertlinus* omnino excluſus. Inhibitum etiam ſerio eſt, ne vel hic vel alibi Imperatoris Cæſarisque hoſtes a quopiam reciperentur, aut uspiam a noſtris foverentur. Quibus devote acceptatis, miſſi ſunt hinc S. P. Q. *Augſtburgenſis* nomine, *Marcus Pfiſterus*, *Joannes Fœlinus* ſenior, *Chunradus Mairus*, patritii, & *Sebaſtianus Seitzius*, *Georgiusque Hoſferus* plebei, ex Senatorum ordine, una cum *Claudio Pio Peutingero*, leguin doctore, & urbis ſyndico, qui XXIX. Januarii *Ulmæ*, in ædibus *Ulrici Ehingeri*, ubi Imperator hoſpitium habebat, ad pedes Imperatoris ſuppliciter provoluti, culpam humillime deprecati ſunt; ac, Doctore *Joanne Navio* vicecancellario, qui tertia abhinc ſeptimana *Ginzburgi* miſerabilem mortem deſperabunde oppetiit, Imperatoris nomine reſpondente, in gratiam redierunt. Mulctata tamen respublica centum quinquaginta millibus aureorum, XII. magnis ac probe inſtructis tormentis, & præſidio militum decem ſignis eſt. Quæ miſſis jam factis noſtris militibus *Schertlinoque*, XVI. Februarii, *Bernhardus a Schaumberga* huc adduxit, & portarum claves non ſine vulgi murmure ad ſe recepit. Urbemque diſpoſitis per eam die & noctu præſidiis, in adventum Imperatoris cuſtodiendo, acerbe admodum (utut non vilibus donis, una cum ſcorto ſub, a quo totus pendere videbatur, per Senatum delibatus foret) & ipſemet & milites ſui, cives noſtros tractarunt. Is *Schaumbergius* poſtea, cum capto ab Imperatore & Cæſare, ad XXIIII. diem Aprilis, (qua luce æque ac præcedente Solis aſpectus valde triſtis, & veluti ſanguine circumdatus, per integram horam matutino, non absque oſtento extitit, & etiam apud nos a plærisque viſus fuit) apud *Mylbergam*, in *Lochano* ſaltu, *Johanne Fri-*

Fuggerus pacem ſuadet.

Pax decernitur.

Pacis conditiones.

Auguſtburgenſium cum Imperatore reconciliatio.

Schaumbergius præſidium Augſtburgum deducit.

Tormenta de parta victoria explodunt.

Fridrycho Saxone, lætissima victoriæ signa, crebrioribus bombardarum majorum explosionibus, de cunctis civitatis hujus propugnaculis altioribus XXX. ejusdem mensis die ederet, subsidente in medio actu, valli ejus, quod est prope rubeam portam, sabulo, non parum periclitatus ruina fuit, ac, oppressorum calamitatibus non temere insultandum esse discere potuit. Julii dein XXIII. die cum vix quatriduo antea summi infimique sacrificuli, ut supra in *Ottone* episcopo relatum est, adpulissent, suasque, & ædes & palestras, jam adornarent, intravit & urbem nostram imo jam suam, *Carolus* Imperator cum splendidissimo triumpho, stipatus variarum nationum equitatu, adeoque integro agmine peditum, (cujus dux, comes, *Hiltbrandus, Madrutzii* erat, quodque exauctorata altero mox die *Schaumburgii* legione, dein apud nos hybernavit) adducens una secum ex fratre, nepotem *Maximilianum Austriæ* archiducem, quem superiore æstate militari gladio primum accinxerat, totoque bello in castris habuerat. Ac altero post hunc anno generum sibi ex *Maria* filia ascivit. Huic Senatus noster argenteum malluvium cum appropriato guturnio artificiosissime elaborato, pondo CC. aureolorum, quatuor item orculas cum truttis & thymastis, unam lagenam *Illyrici*, ac 321 cantharos *Neccarensis* vini post triduum dono dedit. Cæterum adventanti imperatori immediate post *Ottonis* Episcopi nostri catervam Senatus & totius Reipub. nomine ambo Consules & octo præcipue Senatores cum ipsorum famulis usque ad *S. Joannis* in querceto fanum pullati obviam facti coram ipso in genua iterum provoluti sunt, ac dein reverentissime ipsum, in hospitium suum, ad domum videlicet *Fuggerorum* in foro vinario prosecuti sunt, ubi confestim ejus majestati duo plaustra *Rhenani* vini, tres metretas rubri vini, octo orculas cum delicatissimis piscibus, ac quatuor plaustra avenæ, solito more, in xenium magna reverentia obtulere. Post quæ XIX. Augusti die, relicto *Donawerdæ* sub *Hyspanorum* custodia dedito Landtgravio, captivus *Saxoniæ* Elector, *Joh. Fridrychus* CCCC. *Hyspanicis* ferentariis cinctus, raro spectaculo adductus plaustro propter corporis molem fuit. Cæsar vero *Ferdinandus*, superatis tandem *Bohemicis* motibus, *Pragaque* prorsus sub jugum missa XX. Octobris die, huc etiam non parvo comitatu venit. Cui Senatus Urbanus ut Romano primum nos accedenti Regi duos deauratos argenti scyphos, quorum unus quingentos ducales, alter totidem *Rhenenses* pinceæ signatura aureos continebat, duo plaustra exquisiti vini, duas lagenas *Illyrici*, quod vulgo *Rafolium* vocant, sex orculas piscium, & tria plaustra, quorum quodlibet 13. saccos avenæ vehebat, proxima sequente die honorate donavit. Postmodum XIII. Novembris, soror Augustorum *Maria* ex *Flandria*, & dein eorundem ex *Elizabetha* seu *Isabella Daniæ* regina, neptis, *Christierna*, e *Lutheringia*, cum suis gynecæis advolarunt. Interea dum victor victoria sua uti frui apud nos pergit, exorta inter milites seditione propter non soluta trium mensium stipendia, XXIIII. die Augusti quatuor peditum signa, maximo sclopetariorum, quos vocant, numero, Imperatoris palatium, pecuniam suo idiomate vociferando, impetuose ac subito adorsi sunt. Quibus mox pro more placatis, cum ad mansiones suas in suburbia palantes reversi fuissent, facta est acris de autoribus conspirationis inquisitio, & in vincula nonnullis abreptis, præcipuorum quatuor, interque eos vexillifer, perendie publica furca prope civium curiam vitam finierunt, elapso primipilo, quem tamen Imperator infamem pronunciari præconis voce, ac toto orbe proscribi jussit. Inde Kalendis Septembribus comitia, quæ *Ulmam* indicta, sed propter pestis sævitiam, illinc ad hanc urbem translata sunt, principium occepere. Ea ob multitudinem negociorum animorumque distractiones, solito longius durarunt, summaque in quosvis animadversione postmodum nobiscum celebrata fuere. Sub quibus cum diversæ quoque actiones, a quamplurimis in rempublicam nostram, ob superioris anni infelix bellum intentaretur, tandem per multas intercessiones largitionesque finitæ hæ sunt. Et ad extremum Cæsari *Ferdinando* centum millia aureorum, *Wilhelmo Bojariæ* duci, præter antiqui debiti remissionem, quadraginta plus minus millia, ac episcopo Cardinali nostro, nonaginta tria aureorum millia, in promptu omnimodæ reconciliationis gratia, persoluta fuerunt. Sicque in totum bellum istud duodecies, non desunt, qui ultra trigesies ausint dicere, centena millia aureorum, numerati æris, e fisco civitatis nostræ impensa sunt, ac præterea alieni æris magnum debitum eidem accrevit; Sed & *Johannes Baumgartnerus* civis, propter privatas quasdam injurias, nescio quantum etiam pecuniæ, sibi quoque dandum satis impudenter postulavit. Mandarat jam Imperator in terrorem rebellium, ut in media *Berlei* fori area, juxta macellum, Catasta ad instar sublimis pontis, pro carnificina erigeretur, in qua sub hoc tempus nobilem quendam *Leiningensem*, capite plecti, quod raptor esset, duosque ejus famulos patibulo prope curiam iterum erecto suspendi fecit. Quin & III. Novembris *Torgensis* quispiam, *Joannis Fridrychi Saxonis*, ducentorum cuniculorum, Castrensiumque vallorum quondam præfectus, eodem loco rotæ supplicium vivus tulit, amputata prius

Imperator Augstburgum triumphans intrat.

Militum adversus Imperatorem seditio.

Comitia Augstburgi.

Imperatorem subnisse & liberaliter accipiunt Augstburg.

Multas pendent Augstburgenses.

Sax. Elect. captivus Augstburgum ducitur.

Ferdinandus Augstburgum venit.

Rebelles, aliqui ultimo supplicio afficiuntur.

A.1548.

prius eidem ante textorum tabernam dextra, eo quod post deditam *Wittebergam* secretarium quendam imperatoris manuali tormento occiderit, & mortuum insuper spoliarit. Est & paulo post, nobilis quidam *Venetus* e *Stellarum* familia, in eodem tabernaculo strangulatus, & in quatuor partes dissectus, quod sub *Alphonsi Toletani Albani* ducis (qui supremus armiductor Imperatoris, jam a Senatu *Augstburgense*, diversatum formarum argentis vasibus ad summam 1700. aureolorum, nec non æneis magnis tormentis cum omni apparatu ad pretium 1100. aureorum sic satis magnifice donatus conciliatusque, erat) sigillo, adulterinas literas confeciſſet, quarum autoritate per *Saxoniam* & *Thuringiam*, multam pecuniam a jam deditis expiatisque privatim extorserat. Atque hoc modo annus iste multa mœstitia *Augstburgo* nostro civibus absumptus est. Nihilo secius tamen Evangelica doctrina utcunque adhuc in quibusdam ecclesiis sonabat, licet post intromissam unctam cum suis idolis cohortem, & *Musculus* & *Hallerus Helvetius* abierint.

Adproperante autem anno Domini MDXLVIII. electionis stato tempore, seniores duo consules, honestam missionem *Augstburgi* nostri petierunt, *Hosero*, qui ferme octuagenarius erat, senium incusante, *Herwartho*, alia corporis incommoda jurisjurandi religione prætendente. Quam cum ab illis, quorum officii causſa intererat, impetrassent, dilata novi magistratus ad aliquot dies electione, consules demum novi apud nos de more creati sunt *Marcus Ulstettus* patritius, & *Georgius Oesterreicherus* plebejus, qui ex textorum tribu ad mercatores nuper ascenderat. Fuit ea tempestate non levi incolarum pressura, tanta variorum hominum frequentia hic, quantam vix aliquis civitatem nostram capere, aut sustinere potuisse crediderit. Nam præter ipsosmet *Carolum* Imp. & *Ferdinandum* Cæsarem, cum ingenti aulicorum turba, præsto etiam erant, non solum sex *Germaniæ* Electores, cum plærisque aliis tam sacratis quam prosaniis principibus, civitatumque deputatis, verum insuper omnium per *Europam* regum, exceptis *Sueco* & *Navarro*, legati, una cum *Pauli III.* pontificis Romani, *Venetæ* reipublicæ, nec non *Johannis Basilii Ruthenorum Moscobitarumque* Magni Ducis, oratoribus ac nunciis, sed & *Molai Lazeri*, sive *Assen*, *Tunissæ* in *Affrica* rex, jam a proprio filio *Ameth Amidave*, sicuti ipse antea decem & octo fratribus fecerat, excæcatus, cum fuscis suæ sectæ hominibus non paucis hic quoque degebat. Ipseque *Carolus* Imp. quod ob mutationem, quam animo volvebat, nemini fideret, longe majoribus viribus dissimulanter tam intra quam extra urbem instrictus fuit, quam ulli civium aut etiam hospitium facile tunc constiterit. Interea per *Lazarum Schwendium* vinctus huc *Weissenburgo Rhenense*, pertractus, *Sebastianus Vogelsbergerus* vir militaris fuit, ac confestim perduellionis damnatus, VII. die Febr. cum centurionibus *Jacobo Mantello* & *Wolffo Thoma* sociis, *Birviesca Hyspano* & *Nicolao Zinnero Germano*, aulicis prætoribus, *Alkaldos* vocabant, sententiam capitalem ferentibus publice in pegmate juxta macellum apud *Berlejam* aream, extructo, securi percussus est, confiscatis omnibus illorum bonis. Qua de re cum *Schwendio* infamia suboriretur, ipsomet *Vogelsbergero*, jamjam nudatam cervicem carnifici exhibituro, crimante, dictus *Schwendius* ad eandem per impressum libellum, vix tandem, die *Johannis Baptistæ* respondit. Postea XXIIII. Febr. die, qui ob natalitium gaudium *Carolo* Augusto semper festus & faustus esse solebat, *Moritius Saxo* septemviratus imperii Romani præeminentiam, ac reliquorum *Saxoniæ* principatuum feuda, publice in foro vinario, spectante captivo Electore *Johanne Friderycho*, agnato suo benemerito, a jam dicto *Carolo*, in beneficium permagna pompa, & tantum non ovans accepit. Ultima dein dicti mensis die, jussi sunt novi consules, totusque Senatorum ordo, sacramentum fidelitatis, *Fridrycho* comiti a *Furstenberga*, & Doctori *Johanni Marquardo Pfortzensi*, Imperatoris hac in re vicem gerentibus, in ipsa civium curia dare. Quæ novitas ut male conscii siniſtram suspicionem ingeminavit, ita non parum multis aliis pusillanimitatem quandam incussit. Præsertim cum circiter eandem tempestatem novus prætor, sive urbis subpræfectus, *Hansus Antonius Brunus Dettwangiensis*, ab Imperatore eodem, sub quo diu in *Hyspania*, *Italia*, & jam *Germania* militarat, proprio motu huc quoque constitutus esset. Porro quales ceremoniæ posterioribus Quadragesimæ sequentibus diebus, a peregrinis apud papistica templa peractæ sint, superius in *Ottone* præsule narravimus. Mense vero Aprili junctum Senatus expensis, sphæristerium, phrontisterio apud *Annam* est, idque potissimum, post *Hyspanos* & nonnullos aulicos, in gratiam *Antonii Attrebatensis* episcopi. Qui cum in proximo hospitium haberet, jamque *Granvellæ* patris quasi defunctor præpotens esset, inspiciendis istis ludis animum commodius recreare, curarumque fastidia facilius lenire ibidem posset. Verum dum proscenium id, jam ferme ad umbilicum foret deductum, subito corruit, ac tres mortales oppresit. Confestim tamen validiore fundamento suffultum, satis firmum postea pro pylæ ludo in multos annos fuit. Licet autem Senatus hic se & suos satis superiore anno expiatos, a superioris bellicu pa existimaret, novam tamen litem mercatoribus nostris *Christophorus Madrutzius*, episcopus,

Schwendius quosdam ad supplicium rapit.

Moritius legitur. Elector.

Augstburgenses fidelitatis jurejurandum dant.

Brunus prætor.

Sphæristerium fabricatur.

Lis inter mercatores & Tridentinum episcopum componitur.

A. 1548. *Duo consules missionem petunt.*

Ingens advenarum frequentia Augstburgi.

ſcopus, & Cardinalis, *Tridentinus*, intentare eandem ob rem non erubuit, quòd ſcilicet Cardinali noſtro fraternitate ſacra privatim junctus foret, ac poſt multam actionem, XXVIII. Aprilis die, decem aureorum millia, tandem ab illis reconciliationis cauſa, & ut per ſuas terras ſecurè negociari poſſent, extorſit. Porro quando cuncta circum circa apud nos loca & villæ exauctoratis & vagantibus militibus repleta aggravataque eſſent, mandatum XVIII. Maji die communi conſilio tum ab ipſo Cardinale *Ottone*, tum a Senatu noſtro *Ulmenſeque*, per omnia ipſorum territoria præfectis, & horum adminiſtris diſtrictè eſt, ut quanta poſſent cura mutuis auxiliis ac etiam armis, ſi opus ſit, colonos ac populares ſuos ab injuria ac vi talium prædatorum defenderent. Cujus rei gratia & ipſe Imperator jam quoque vagabundos homines, & quibus nullum negocium hic eſſet, urbe ejici, aut ad palum juxta frumentariam tabernam erectam vapulare ſevere juſſerat. *Tributum vinarium augetur.* Quia verò ærarium Civitatis noſtræ inops, & plane expilatum eſſet, neque ordinaria vectigalia, contractis debitis perſolvendis, aut etiam cottidianis expenſis reipublicæ ſufficerent, factum ultima Maji decretum in Senatu eſt, apud nos, ut vinarium tributum dimidia ſui parte inter cives, ad ſex annorum curricula adaugeretur. Id quod Imperator ratum habuit. Ejusmodi autem, ne neſcias lector, vinariæ penſionis ratio *Augſtburgi* hactenus fuerat, ut quotiescunque quatuor aureolorum communis monetæ pretio virum quis emiſſet, auri valoris aureum nummum unum, Quæſtoribus, ad eam pecuniam recipiendam conſtitutis numeraverit. In poſterum pro ſingulis quatuor aureolis pro vino, nam cereviſia & medo viliora vectigalia ſolvunt, expoſitis, unus cum dimidio auri valoris perſolvendus nummus aureus venit, quæ pecunia pene media pars totius ſummæ empti vini eſt, & permaximum emolumentum fiſco indies per tantam potandi luxuriam licentiamque adfert. *Bononienſe concilium decernitur.* Et cum *Carolus* Imperator comitiis his, (ad quæ civitatis noſtræ nomine deputati erant, *Marcus Pfiſterus*, *Sebaſtianus Seitzius* Senatores, & *Lucas Ulſtettius* legum Doctor, & Syndicus) totus in id incumberet, ut religionis diſcordiam e *Germanica* natione tolleret, non viſa humanæ ſapientiæ alia compendior via fuit, quam ſi concilium e *Bononia Tridentum* revocaretur, atque omnes imperii ſtatus ſe illi ſubmitterent. *Interim euditur.* Ea ſententia poſtquam diu multumque ventilata, ac majore ex parte a præſentibus recepta fuiſſet, aliquanto autem longiorem moram donec ad actum deduci poſſet, requirere videretur, placuit, ut ex omni numero pauci aliquot idonei deligerentur, qui formulam quampiam doctrinæ comminiſcerentur, qua & privatis hominibus & publicæ paci, interim dum optatus concilio concederetur finis, conſuli poſſet. Datum itaque ſuit negocium *Julio Pflugio Naumburgenſi* præſuli, & *Michaëli* ſuffraganeo *Moguntinenſi*, qui archiepiſcopi *Sidonienſis* titulum uſurpabat, papiſtis, & *Johanni Agricolæ Islebienſi* ſemilutherano, nam *Antinomorum* hæreſin, *Wittebergæ* antea condiderat, qui ſedulo ac arcane inter ſe conferentes, ſcriptaque crebro ſub incudem revocantes, talem tandem de Eccleſiaſticæ doctrinæ ceremoniarumque emendatione librum conſcripſerunt, quo tum Evangelicis tum pontificiis in controverſis dogmatibus ſatisfieri poſſe exiſtimaverunt. Ad ejus libri ſtructuram vel etiam comprobationem *Bucerus Straſsburgo* per *Joachimum Brandeburgenſem* Electorem, qui ſemper in religione ambidexter poſtea manſit, vocatus quoque huc fuit, ſed, olfacto fuco, is ſtrenue operam ſuam denegans, paulo poſt in *Angliam* ſeceſſit. Liber autem ille quamprimum Imperatori exhibitus, ac per eum hinc extemplo Romam papæ transmiſſus fuiſſet, ita *Hyſpanicorum* Theologorum, noſtrorumque antiſtitum, præſertim trium ſacrorum Electorum cenſura domi emandatus & mutatus fuit, ut præter articulos, de ſacerdotum conjugio admittendo, & de integra cœna domini laicis exhibenda, omnino papiſmum & redoleat & ſtabiliat. Quem Imperator omnibus ſtatibus in publico imperii conſeſſu Maji XV. die in palatio ſuo propoſuit, & callidiſſima celeritate omnino inſinuavit. Contendentibus autem proteſtantium quibusdam, captivoque *Saxone*, penitus recuſante, eundem ultima Julii, quando comitiorum decreta (inter quæ & *Spyrenſi* civitati, ſacræ Cameræ tribunal de novo confirmatum & perpetuo aſſignatum eſt) armata manu promulgaret, denuo obtrudere præcibus ac comminationibus ſategit, non ſine bonorum perturbatione. Interea temporis transegit *Granvellanus*, Imperatoris intimiſſimus conſiliarius, multis perſuaſionibus & minis, cum conſulibus noſtris, ut religionis formulam ab Imperatore conſtitutam, acceptarent, ibi cum illi Senatus nomine deprecari id occiperent, juſſi ab eodem ſunt, diſerte reſpondere, num eam acceptare velint an non, nam Imperatorem nullam admiſſurum eſſe vel diſputationem vel dilationem. Quapropter uterque reipub. noſtræ Senatus XXVI. Julii die ſerio convocatus, anxie de eo negocio deliberavit, & tandem aſſenſit, prævalente iniquitate, dum Imperator tunc per totam civitatem noſtram militum ſuorum ſtationes diſpoſuiſſet. Mox dein XXVIII. ejusdem menſis die, perſuaſi in Senatu eccleſiarum Evangelicarum miniſtri, excepto *Johanne Parſimonio* cive, qui exactis 16. circiter annis ex aulico Ducis *Wirtembergenſis* concionatore Abbas *Hirſaugienſis* eſt factus, apud nos ſunt, ut deinceps tam pro con-

Ejus conditores.

Ei ſubſcribunt Augſtburgenſes.

Choralis tunica apud Lutheranos Augſtburgenſes frigo.

concionibus quamaliis Agendis, linea vesti, *Choralem zunam* vulgus vocat, in gratiam imperatoris, tanquam re adiaphora utrinque, qua postmodum V. die sequentis Augusti mensis uti primo cœperunt. *Libri Interim adversarii.* Librum hunc, sive eam imperatoris declarationem, vulgus INTERIM vocavit, & minis etymologiis, expositionibus, convitiis, picturisque, septem eas literas, vocabulumve *Interim*, passim latina & Germanica lingua exagitavit. Cumque nemo contra ipsum mutire initio adperte auderet, resumpto tandem animo *Caspar Adlerus Augstburgensis* Evangelicus Doctor *Salfeldiæ* in *Thuringia* primo, & post eum pontificiæ partis episcopus quidam in *Gallia*, ac inde Dominicanorum generalis Romæ, eundem ut Chymæram pestilentissimam scriptis damnarunt. Atque hoc modo vides lis, lector, duo contrarii in christiana professione libri, ex eadem hac nostra civitate, tanquam ex uno subjecto, intra duodeviginti annos diversis & autoritate & acclamatione prodierunt, *Confessio* videlicet *Augustana*, & hoc ipsum *Interim*. *Lites inter Episcopum & cives componuntur.* Quia vero post reductionem cleri, aliorumque religiosorum, multa in hunc usque diem nempe Kalendas Augusti, a Dnn. *Granvellano* & *Haso*, inter episcopum ejusque cathedrale collegium, & civitatem *Augstburgensem*, ultro citroque cum utriusque partis acerrimis contentionibus asseverationibusque, diu jam acta atque facta forent, annuerunt tandem nostri prænominatorum arbitratorum transactioni, ut scilicet pfaffi, in civitatem intromissi, deinceps suis consuetudinibus, ceremoniis, & immunitatibus uti fruique libere possent, salvis omnino civium ac reipubl. antiquis privilegiis juribusque receptis. *Publice Augustb. personæ convocantur ab Imperatore.* Et inde statim postquam imperii ordines hinc tantum non ambigui discessissent, jussit imperator III. die mensis Augusti clausis omnibus portis, dispositisque iterum armatorum militum stationibus, in suum palatium, utrumque *Augstburgensis* civitatis Senatum, judices, officiales, & quoscunque etiam publicos ministros, simul ac ex patritiis plurimos, convocari peremptorie. Quibus haud absque pallore sollicitudineque summo mane adstantibus, & nescio, quid exspectantibus, postquam per *Georgium Sigismundum Seldium* procancellarium, suam suorumque clementiam ac studium erga ipsos deprædicasset, rempublicam non paucis nunc annis hic turbulenter seditioseque administratam severe exprobravit, ejusque rei culpam rejecit in tribunos & opifices, qui de media & imperita plebe, semper ad gubernacula rerum, & ad summos magistratus favore multitudinis allecti fuerint. *Reipublicæ formæ mutatio.* Quam ob causam, se, utpote qui civitati huic bene consultum cupiat, ex plenitudine imperialis potestatis ipsos omnes, non quidem, ut meriti essent, ignominiæ, sed utilitatis causa, laxatis sacramentis exauthorare, & jam jam novam reipubl. gerendæ formam, rectius constituere velle. Moxque nomina eorum, quos tum in Senatum urbanum, tum in judicium prætorium allegebat, de scripto recitari jussit. Quæ sic se habent. *Consilium arcanum.* *Leo Ravensburgerus*, *Marcus Ulstettus*, (quibus tanquam Dictatoribus civitatis & curam & sigillum omnino commendavit) *Chunradus Rehlingerus* senior, *Bartholomæus Welserus*, *Wolfgangus Langenmantellus* cum ambidextro ℞ *Vid. Tab. IV. Fig. 5.* *Johannes Baumgartnerus*, *Antonius Fuggerus*, (quos tanquam Ephoros, arcanorum consiliorum participes esse voluit) *Antonius Welserus*, *Johannes Jacobus Fuggerus*, *Joachimus Langenmantellus* cum *isoscele trigono*, *David Baumgartnerus*, *Leonhardus Christophorus Rehlingerus*, *Jacobus Remboldus* (quibus *Antiani* civium magistratu, sive consulatus functionem per vices demandavit) *Melchior Illsyngus*, *Hainrychus Rehlingerus*, *Christophorus Pfitzerus*, *Simon* in *Hofo*, *Antonius Rudolphus*, *Marcus Pfisterus*, *Chunradus Mayrus*, *Leonhardus* in *Hofo*, *Bernhardus Rehlingerus*, *Georgius Fuggerus*, *Johannes Paulus Herwarthus*, *Christophorus Rehlingerus*, *Christophorus Peutingerus*, *Joannes Fœlinus* junior, *Christophorus Baumgartnerus*, *Christophorus Welserus*, *Chrysostomus Peutingerus*, *Dominicus Honoldus*, *Leonhardus Sulizerus*, *Matthæus Schellenbergius*, *Sebastianus Seuzius*, (quos omnes, quod essent patritii, præter tres posteriores, illorum agnatos adfinesque, Senatores esse reipublicæ jussit;) *Petrus Sidelerus* textor, *Marcus Stenglius* institor, *Georgius Lucius* lanio, *Jacobus Schönawerus* Cystellarius, *Matthæus Frauenbreisius* armorum faber, *Ulrychus Hieberus* pellio, *Hansus Reyschius* textor (quos ex toto opificum numero senatoribus quoque addidit.) Atque inter hos e vestigio præcipua totius civitatis officia muniaque hoc ordine distribuit, ut nimirum essent; *Antonius Welserus*, *Melchior Illsyngus*, & *Hainrychus Rehlingerus*, Ædiles, & expensarum præfecti, *Chunradus Rehlingerus* senior, *Wolffus Langenmantellus* & *Christophorus Pfisterus*, publicæ pecuniæ receptores, *Antonius Rudolffus*, *Simon* in *Hofo*, *Marcus Pfisterus* & *Ulrychus Hieberus*, annui tributi Quæstores, *Bernhardus Rhelingerus*, *Leonhardus* in *Hofo*, *Christophorus Peutingerus*, & *Petrus Sydelerus* vinarii vectigalis magistri, *Christophorus Rhelingerus*, primarius judex, *Antonius Rudolffus* præterea & *Sebastianus Seitzius*, armamentarii forum panopliæque custodes, *Chunradus Mairus* & *Christophorus Baumgartnerus*, hospitalium tam pauperum ad *Spiritum* S. quam *Gallica lue* aut peste infectorum curatores, *Leonhardus Christophorus Rehlingerus*, & *Christophorus Peutingerus* supremi pupillorum viduarumque tutores etiam, *Joachimus Langenmantellus*, item *Christophorus Welserus*, *Dominicus Honoldus* & *Marcus Stenglius*

Consules. *Vid. Tab. IV. Fig. 2.* *Senatores patritii.* *Plebeji.* *Ædiles.* *Quæstores.* *Hospitaliorum curatores.* *Tutores.* *Censores, alii.*

Stenglius censores, seu mulctis præpositi, *Johannes Paulus Herwarthus* & *Joannes Fœlinus* junior, annonæ & fabricæ materiei præsides. Post istos dein lecta sunt & civilis judicii assessorum nomina, videlicet ex patritiis *Chunradus Rhelingerus* junior, *nobilis* cognominatus, *Hieronymius Remus*, *Johannes Rehlingerus*, *Marcus Walthérus*, *Georgius Pfisterus*, *Johannes Hainrychus Herwarthus*, *Antonius Haintzelius*, *Lucas Remus*, *Georgius* a *Stetia* junior, *Raphaël Sättelinus*, eorumque adfines & contubernales, *Christophorus Manlichius* & *Hieronymus Freerus*, ex plebeis vero, *Joachimus Thenyschius*, *Leonhardus Kielsmusius*, *Marcus Elsesserus*, & *Wolffus Spæthius*. Hos sic enumeratos imperator, nullo interlocutorio deliberationeve admissis, in continente tanquam merus & mixtus, urbis hujus, dominus jurejurando devincit, & ut ipsis commissam rempublicam ament, sibi obsequentiam præstent, & ante omnia decreto religionis, puta ipsi *Interim*, pareant, graviter monet. Dein abrogatis plebis tribubus, ipsorumque tribunis, qui medius fidius columnæ civitatis sibi videbantur, omnia illorum conventicula capitis pœna prohibet, atque tabulas cunctas, rationaliaque, quibus tribuum vel jura vel privilegia continentur, novo magistratui exhiberi mandat, præcipue vero inhibet, ne quisquam illorum, qui publicam pecuniam hactenus, quacunque functione vel arte tractassent, solum verteret, priusquam plenam de ea rationem reddidisset. Denique hancce reipublicæ formam per solita urbis compita, per *Brunum* civitatis præfectum, cum æneatore pronunciari præconis voce jubet, simulac, ne quis eam verbo aut facto impugnet, extremo vitæ & bonorum periculo denunciat. Et quanquam in hac nova sed diu jam a quibusdam præmeditata, contra eam, quæ ante centum annos & octuaginta tumultuarie facta fuerat, Reipubl. *Augustburgensis* constitutione, Tribunitia potestas cum tota plebis democratia, prorsus in ordinem redacta fuerit, & antiquus honor, ad instar selectæ aristocratiæ, ita ad solos patritios redierit. Nihil tamen prioribus civitatis emunitatibus derogatum, aut pristinæ incolarum libertati, adeoque laudabilibus consuetudinibus ademptum videtur, adeo, ut cum vulgi coitiones contuberniaque per civitatem hanc, Imperator *Carolus* pro sua majestate serio quidem prohibuerit, patritiorum tamen consortio, plane nihil præscripsit, nisi quod illos nulla habita nobilitatis aut prosapiæ ratione, vel etiam consanguineitatis seu adfinitatis differentia, pro ætate tantum ac cujusque senio, in Senatu post Duumviros sedere, ad vitandas contentiones prudenter voluerit. Sic & mercatores sodalitii tabernam sibi mere comparare, cum hactenus non propriam, sed conductitiam locatamve habuissent ad Judæorum olivum, securitatis causa, juxta herorum stubam jussit, cui jussioni illi obsecundantes, mox angulare eam domum, quæ ad calceorum vinculum, jam aliæ Stubæ, contigua a tergo, ponte adulterorum insignis est, plus minus sex millibus aureolis coëmerunt. Porro civilium munerum administratores, solent plærumque in singulos annos, a Senatu permutari, consulesque bini quarto quovis mense officio invicem cedunt, & aliquando per justas occasiones omnino magistratu se abdicant, solos civitatis curatores, tanquam perpetuos dictatores, nunquam gubernaculis amovere, citra imperatoris consensum civibus licet. Ab hoc tempore restitutæ imperatoris jussu Episcopo Cardinali nostro, omnium templorum civitatis nostræ, præter *Minoritarum* & *Annæ* claves sunt. Et nox VII. die Augusti, diro banno proscriptus, ex torrisque imperatoris mandato per totam nostram urbem a prætore proclamatus est, *Sebastianus Schertlinus* miles auratus. Ac dein VII. & VIII. Augusti diebus, præstiterunt universi cives, novo magistratui, principue *Ravenspurgero* & *Ulstetto*, Duumviris, hic obedientiæ sacramentum, patritii & ipsorum consortes in suo contubernio, plebs in publica curia urbis, aliisque consuetis locis, præsentibus duo a *Liera*, *Haso* & *Seldio*, imperatoriis commissariis. Duodecimo vero Augusti die, postquam Senatus noster admodum difficulter ab imperatore impetrasset, ne concionatores apud nos, qui jamjam linea illa veste, quam *Chorrunicam* adpellant, in templis uti cœperant, episcopi jurisdictioni subjicerentur, vocati iidem valde mane ad Duumviros, & secretiores consiliarios civitatis sunt. Quibus illi assidentibus *Haso* & *Seldio*, satis inbunde injunxerunt, ne ipsi INTERIM in publicis sermonibus contradicerent, aut saltem neminem ex pontificiis nominatim taxarent, denique ut soli hi ex ipsis cœnam Domini administrarent, qui antea uncti & rasi fuissent. Quibus in hunc modum non sine admiratione gestis, cum sæpenominatus imperator, jam tredecim perpetuos menses apud nos hæsisset, tandem XIII. die Augusti, totus hinc in *Belgium* suum abiit, relictis tantum duobus peditum signis, quibus *Sigismundus* a *Landeberga* præerat. Ibi postea Senatus XXIII. die Augusti, in *Cattorum* horreo, inspectoribus *Antonio Rudolffo*, & *Sebastiano Seitzio* lustravit, suisque stipendiis alere cœpit. Cum vero *Jacobus Herbratus* abrogatus consul, dato jam antea XVIII. Junii jurejurando, nuper admodum quoque imperatori vadimonium XXV. alii LX. millium aureorum præstitisset, se urbe non excessurum, donec de factis suis deque publica pecunia rationem dedisset, cœperunt civitatis curatores arcanique consiliarii, cum ipso de arduis negociis pertractare & repetundarum rationem repetere. Quarum summam utut per magnam,

Civilis judicii adsessores.

Tribus abrogantur, alia.

Præco novam Reipformam significat.

Antiqua privilegia conservantur.

Schertlinus proscriptus.

Cives jurejurando obedientiæ sacramentum præstant.

Gesta circa concionatores.

Imperator in Belgium decedit.

Herbratus expensarum rationem reddit.

magnam, majorem tamen pro parte, poſt longas cunctationes & tergiverſationes, ut erat verſipellis, titulo ſecretiorum largitionum, quas ſcilicet in principes utriusque partis viros, jam neutiquam propalandos, ſuperiore bello profudiſſet, demum eluſit. *Noribergam legati de ſtatutis mittuntur.* Ne quid autem in hiſce innovationibus imprudenter fieret, ablegati XIX. Auguſti a novo magiſtratu hinc ſunt *Noribergam*, ubi jam dudum ætatem plebium Tribus abrogatæ fuerunt, *Hainrychus Rehlingerus* & *Marcus Pfiſterus*, pro captando conſilio, qua ratione, quibusve ſtatutis opifices, manuariumque artificiorum ſodalitia a Senatu, il- A lic gubernarentur. *De piſtoribus & furicolis ſtatuta.* Inde die XXIIII. Auguſti, interdictum piſtoribus apud nos eſt, ne amplius panes cum ovis factas, *Spyras* vulgo vocant, pinſerent. Mandatumque etiam ruſticis eſt, ut poſthac menſuram vaccinii lactis duobus nummulis tantum venderent hic, facta per præconem ex curiæ ambone ſolenni proclamatione. Viceſimo quinto autem ejusdem menſis die, incepit prætor urbanus, primum cum novis aſſeſſoribus judicium loco conſueto agitare. *Tribuum bona confiſcantur.* Poſtea XXVII. dicti menſis die, B occeperunt memorati civitatis curatores cum ſilentiariis, omnium etiam tribuum paratam pecuniam domos publicas, & alia quæcunque, tam mobilia, quam fixa bona confiſcare, prout antea ſancitum fuerat. Ac ſubducto de ſingulis calculo, divenditisque illorum utenſilibus; ſuppellectile, annona & tabernis, præter textoriam domum & macellum, ad LX. quaſi millia aureolorum in ærarium retulerunt. *Conſtitutio de S. Cœnæ uſu.* Porro octobris XIIII. die, denunciatum per omnia auditoria noſtra a concionatoribus ex præſcripto Duumvirorum eſt, ut hi, qui de cæ- C tero euchariſtiam ſumpturi eſſent, ſeſe parochis prius, vice auricularis confeſſionis examinandos oſtenderent, cum hactenus hic citra omnem abſolutionis petitionem, nemo non ea communicaverit. Miſſi præterea Novembri menſe a Senatu *Dillingam* ſunt *Leonhardus Chriſtophorus Rehlingerus* conſul, & Doctor *Sebaſtianus Bemmerlinus Bavarus*, novus civitatis noſtræ in *Georgi Læti* locum delectus archi-grammatæus, ad *Ottonem* Cardinalem in cauſſa chryſmatis, de quo negocio ſupra in epiſcopi annalibus. *Miſſa apud Evangelicos celebratur.* dictum eſt. Dein dominica prima *adventus* D *Domini*, quæ erat II. dies Decembris; intimavit *Heldus* apud *Annam*, ex ſcidula ab adparitore ſibi in ſuggeſtum delata, Senatum civilem, vi imperialis formulæ, curaturum, ut deinceps in omnibus Evangelicis eccleſiis, ſingulis dominicis diebus miſſaretur, id quod a conductitiis quibusdum hypocritis, caſula & alba indutis, accenſisque cæreis, nona die dicti menſis non ſine ludibrio & deteſtatione adſtantium fieri de novo cœpit. Quam irriſionem tamen Senatus, ſequentibus diebus, tanquam ſcandaloſam ſevera inhibitione, ſuorumque ſatellitum præſentia præcavit. Tandem XIIII. Decembris die, dante occaſionem *Jacobo Kyrchmayro*, qui *Georgii Ratholdi* relictam filiam, contra matris *Artztiæ* voluntatem ſurreptitie quaſi in uxorem acceperat, refixa a patritiis hic vetus ea lex eſt, qua Stubaherorum eorundemque ſodalitio excluditur, quicunque natam aliquam ex ipſorum familia, citra majorum aut tutorum conſenſum duxerit. *Lex de excludendis a patritio rum ſodalitio regovata.* Cæterum in iſta rerum permutatione, nemine non collum *Carolo* Auguſto per ſuperiorem *Germaniam* ſubmittente, ſoli *Conſtantienſes* nondum erant reconciliati. *Conſtantienſes ad officium redeunt.* Quam ob rem ex improviſo pene ab *Hyſpanis* expugnati eo fuiſſent die, quo legatus conſulque ipſorum *Thomas Blaurerus*, hinc abire ſalvo conductu permiſſus erat. Unde extremo omnino proſcripti, cum nullam aliam ſalutis viam viderent, per deſperationem ſe *Auſtriacæ* domui Idibus Octobris in perpetuum dedentes, ab imperio avulſi ſunt, perſiſtentibus adhuc in eadem pertinacia *Magdeburgenſibus* ad *Albim*, *Bremenſibusque* ad *Viſurgim*, belli quondam ſociis.

Anno dein verbi incarnati MDXLIX. A. 1549. confirmatus V. Januarii die, accepto ſolito *Lierani Imp. legati geſta.* juramento, iterum per dominum *Lieranum* Imperatoris legatum, omnis magiſtratus *Augſtburgi* eſt, ſimul ac conſtitutum, ut eadem renovatio in poſterum quotannis, non, ut antea, ad feſtum *trium Magorum*, ſed ad III. diem menſis Auguſti fieret. Et ſunt ſequente mox die dimiſſi quoque ab eodem *Lierano*, præſidiarii illi, quos Imperator ſuperiore anno, ne ſe abſente in tantis mutationibus tumultus in populo oriretur, hic reliquerat. Octavo item Januarii die, ſublatum dicti *Lierani* conceſſione eſt patibulum cum carnificis pegmate e *Berleja* area. *Magnus ſenatus legitur.* Poſtmodum XXIIII. ejusdem menſis die, conſcripti ex Imperatoris mandato CCC. cives, pro eo apud nos ſenatu ſunt, quem magnum conſilium vocant, quinque univerſi populi *Augſtburgenſis* vices explet. Eſtque id tali ordine factum, ut ſcilicet ex patritiis XLIIII. ex majore eorundem ſocietate; XXXVI. ex mercatoribus LXXX. & ex tota plebe CXL. opifices, aſſumpti ſint. Hos ſemel in anno ad curiam convocari uſus tranquilliore tempore fert, quando nimirum circiter initia Auguſti menſis, minor Senatus iterum confirmari, aut ſi quis ex eo deſideratus fuerit, ſuppleri debet. *Statuta circa mercatores.* Eſt etiam hoc ipſo tempore mercatoribus noſtris a *Lierano* mandatum, ut abrogatis XX. viris, deinceps XII. viros tantum, ſenatus approbatione, per tabernæ ipſorum negociis perficiundis eligerent, ea lege, ne quid novitatis, ut hactenus ſæpius factitatum fuit, ſuſcitarent, nec ulla inter ſeſe conventicula haberent. *Vini & cereviſiæ veſtigal confirmatur.* Quia vero reſpublica plurimo ære alieno adhuc premebatur, obtiniuit ſelectus Senatus apud jamjam creatum magnum Senatum, ut plebiſcito etiam con-

confirmaretur vectigal illud, quod superiore anno ad sexennium & vino & cerevisiæ impositum fuerat. Quo tempore *Rhenensis* aurei valor, jam ad septuaginta tres *Athesinos* cruciferos ascenderat. Cæterum Fe-
Philippus Augustburgum venit. bruario mense missi hinc *Oenipontem* sunt *Antonius Welserus* consul, & *Georgius Fuggerus* senator, ut *Philippum Hyspaniarum* principem, *Caroli* V. imperatoris unicum ex *Isabella Portugalliense* filium, (qui in tantis successibus patris ad visendam triumphatam Germaniam, per *mare Mediterraneum* in *Liguriam*, & ex ea per *Insubriam*, in comitatum *Teriolensem* advenerat) Senatus nomine exciperent, & huc pro more invitarent. Cui XXI. ejus mensis die, per *Monachium*, huc venienti, ac in patris palatio divertenti, statim *Joachimus Langenmantellius*, & *David Bauingartnerus* ordinarii consules, totius reipublicæ nomine, archigrammateo *Bemmerlino* verba faciente, duo deaurata argentea pocula, quorum unum quingentos ducales, alterum totidem *Rhenanos* aureos in se continebat, adhæc duo plaustra vini *Neccarei*, tria plaustra avenæ, duas lagenas *Marvisii* vini, ac sex orcas piscium in Xenium quam reverenter obtulere. Post triduum autem, audita in cathedrali æde missa, idem princeps apud Cardinalem nostrum, pontificaliter in ipsius palatio prandus quoque est. Ac sequente luce, quæ XXV. Februarii erat, hinc solvens ad parentem in *Flandriam* abiit. Post ista quando jam cuncta propter diutina comitia in foro apud nos justo cariora forent reddita, præscripsit Senatus II. Martii die, & piscatoribus & pistoribus venalium apud ipsos rerum tum certa precia, tum æqua pondera, jussique cum primis pistores sunt, cottidie recentes panes præcipueque similagineos pinsitare. Eodem porro Martio factum a deputatis Senatus privatum lustrum, est, inter patritios eorundemque contubernales, similiter & in mercatorum tribu, ut scilicet quisque viritim profiteretur, quottus & quo modo, si opus ita contigerit, sua sponte in armis paratus, pedesne an eques esse possit aut velit. Atque inde confestim novi per singulos urbis quadrantes capitanei, & horum locumtenentes, nec non quarumcunque platearum centuriones delecti sunt, cum speciali instructione, quid faciendum sit, si per publicam campanam tam interdiu quam noctu classicum caneretur. Quo mense cum procerum nonnulli apud nos, opum suarum rationem, quando publicum censum quottannis de illis sub juramento urbanis quæstoribus numerant, neque exacte reddere, neque certo habere possent, factum a Senatu decretum est, ut in posterum semper DC. aureos pro annuo censu pendant, quicunque a juramenti ejus religione liberi esse voluerint, quorum tamen tunc temporis non ultra octo reperti hic fuerunt. Est & hoc vere Reipubl. nostræ stipendiariis equitibus auctarium ad convivium, quod sub quadragesimam quotannis agitant, a Senatu additum, ut scilicet in posterum XVIII. aureolos e fisco accipiant, cum hactenus 10. tantum illis annumerati fuissent. Ne autem opifices mechanici, eorumque ministri ac famuli, sublatis penitus & Tribunis & cujuscunque classis Duodecimviris, omnino certa carerent disciplina, constituti VIII. Aprilis a Senatu per singula artificia idonei quidam & illorum gnari homines sunt, qui receptas illorum consuetudines rite manuteneren, & juxta Senatus tam præsentem quam futuram ordinationem, & numerum operarum & alia quæcunque statuta per civitatem *Augustburgensem* semper illis præscriberent. Hi dum tribunorum plebis nomen sordent, hodie *Antaimbulones* seu *artificiorum duces* jam nuncupantur. Tandem III. Augusti, recensito prout ab Imperatore constitutum erat Magistratu, *Ulstettius* vir integer & pius, Duumviratu se valde difficulter, & non alia ratione, quam ut vice *Chunradi Rehlingeri* senioris, silentiarius posthac esset, eximere potuit. In cujus locum statim Imperator, misso huc *Bruxellis* sæpe memorato *Lierano*, sua autoritate *Hainrychum Rehlingerum*, virum prudentem & literatum, *Ravensburgero* seni non iniquo collegam addidit, manentibus reliquis cunctis consulibus Senatoribusque in illis officiis, in quæ præterito anno collocati fuerant. Cæterum quia in religionis negocio nostris concionatoribus neque cum præscripta ab Imperatore fidei formula, neque cum vulgi murmure conveniret, facta denuo iiltima Sept. die per Senatum secretiorem transactio cum illis est, si forte res apud nos in ecclesiis, per usum ceremoniarum modumque missæ, qualiter illa *Noribergæ* Lutherano more celebrantur, ad concordiam deduci posset. Quod propositum dum non recusarent, ablegati in *Flandriam* hinc ad Imperatorem sunt *Leonhardus Christophorus Rehlingerus*, & *Jacobus Remboldus*, una cum aliis Senatus commissionibus, tantæ molis erat Romanam restituere missam. Inde XVI. die Octobris, qui *divo Gallo* sacratus est, promulgatum e Curiæ ambone per præconem Senatus decretum est, quo esu carnium Veneris & Saturni aliisque jejuniorum diebus, præsertim in publicis diversoriis interdicebatur, XXVIII. Octobris, festo nimirum *Simonis* & *Judæ*, visi hic sunt tres soles, alba cruce & triplici iride in cœlo juncti ante meridiem. Eodem mense pepererunt intra triduum tres uterinæ sorores, quarum una *Ursula* vocata, Ephippiario nupta, in civitate nostra, aliæ duæ in propinquis pagis commorabantur, octo vivos infantes, qui omnes Christiano ritu baptisati fuere, & diu vixere. Hoc anno cum fabricæ & annonæ præfecti, juxta prioris

Artificiorum duces leguntur.

Rhelingerus in locum Ulstetti civitatis curator.

Constitutiones circa piscatores & pistores.

Ceremoniæ quædam a pontificiis ad evangelicos transferuntur.

Patritiorum, & mercatorum lustratio.

Decretum de ditioribus quantus census annuus ipsis pendendus.

Partûs.

III. fœminæ infantes VIII. pariunt.

Lignorum mercatura Senatui detrimento.

Sena-

Senatus emptionem, lignorum ſectorum plus minus, centum mille orgijas; ex *Agoicis* alpibus, & per *Lechi* vallem, ſecundo flumine ad civium uſum, a *Bylgrino* anabaptiſta civili (nam plurimas inter ſeſe ſectarii hi differentias ac nomenclaturas ſortiuntur) ita perſuaſi, huc non magno ſumptu ſe deducturos arbitrantur, vix dimidiam Sparorum partem, maximis laboribus, tantisque expenſis advehere potuerunt, ut quælibet orgija quatuor amplius aureolis conſtare deprehenſa ſit, tum quia *Lechi* accolæ hinc inde pro dato ſibi damno non parum pecuniæ poſtularint, tum quia *Wilhelmus Bojariæ* dux, qui antea ad opus id annuerat, inſolitum pro qualibet orgija telonium irrogaverit. Quapropter Senatus ab ea mercatura diu poſtmodum deſtitit.

Monetæ adulterinæ invectio.

Qua tempeſtate etiam *Hanſus Schallerus* textorum quondam Tribunus, cum *Sylveſtro Raydo*, homine ſeditioſo, ad duo ferme aureorum millia, novam & plebi incognitam monetam urbi noſtræ e *Saxonia* intulit, quamquam cruce ab una parte ſignata eſſet, nec tamen ultra quinque obolos valeret, ipſi pro *Atheſino* crucifero expoſuerunt. Quo dolo detecto, pecuniaria pœna centum aureolorum uterque mulctati, nummulique illi prorſus inhibiti fuerunt.

A. 1550. Anno ſalutis MDL. tertio die Januarii confirmatus poſt ſocerum, Senatus præſentatione. *Georgius Bruyus, Roſenthalerus* cognominatus, in prætorem ſeu ſubpræfectum *Augſtburgenſis* civitatis, a *Wilhelmo Waldburgenſe* barone, provinciæ noſtræ præfecto eſt.

Roſenbalerus prætor.

Edictum de ſacrificulis non exibilandis.

Viceſimo octavo dein Martii die edictum per civitatis quadruvia a novo prætore eſt, ne quis, cachinno, ſibilo, ſupploſione manuum, vel qualicunque pultatione pontificios ſacrificulos irrideret, dum viaticum ſacrum ipſorum præmiſſa lucerna & campanula ad ægros publica geſtarent via.

De adventus excipiendis.

Inde cum nova comitia iterum hic celebranda forent, proclamatum per eundem prætorem tota civitate XV. Aprilis vicatim cum æneatore eſt: Ne quis civium ad illa imparatus eſſet, multo minus ſe difficilem in recipiendis advenis, ſibi a metatoribus hoſpitiorum (quos quidem *Epidemiticos*, ipſimet vero ſeſe *hoſpitiorum mareſchallos*, at noſtrum vulgus procul dubio ab inſolentia *Furiarum* nomine indigitant) aſſignatis ullo pacto præbeat. Cumque de

Equorum ſtabula fabricantur.

Imp. Cæſaris, ac *Hyſpaniarum* principis numeroſiſſimo equitatu *Furieri* illi plura quam revera fuerint, jactitaſſent, curavit Senatus, ut præter priora omnia ſtabula etiam in *Jacobini* ſuburbii pratis hortisque, pro ſeſquimille equis nova fabricarentur, quorum tamen nullus uſus fuit poſtea.

Comitia Augſtburgi.

Ad iſta autem comitia deputati reipublicæ noſtræ nomine denuo ſunt, *Marcus Pfiſterus* & *Sebaſtianus Seitzius*, una cum juris utriusque doctore *Sebaſtiano Chriſtophoro Rehlingero* ſyndico. Et venit inter primos huc, in ipſo divi *Hul-drychi* feſto, Cæſar *Ferdinandus*, divertens ad ædes viduæ *Hanſi Herwarthi* in foro vinario. Sequente die addixit *Johannes Naſſovienſis* comes, quatuor lectiſſimorum peditum ſigna, pro imperatoris cuſtodia excubiisque. Poſt quæ advenit ſub ipſam noctem VIII. Julii ipſusmet Imperator, non parvo equitatu e *Flandria*, ducens in eo comitatu uno & eodem jugo ſervei, Germani milites ſuo idiomate *membrum* vocant, *Philippum* filium *Catholicum*, ducem *Albanium Hyſpanienſem*, ac *Muleboazonem* monoculum *Mahometiſtam Veleſii* regulum, a *Scyriffo Muleametho*, *Affrica* expulſum. Quos horis aliquot captivus *Saxo* cum ſuis ſtipatoribus carpento jam quoque præceſſerat, & antiquum hoſpitium in domo viduæ *Hanſi Stöcklini* itidem in foro vinario, juxta *Albani* ducis diverſorium, habuit ſicuti & Imperator in *Fuggerianis* ædibus ibidem.

Xenia.

Porro IX. Julii obtulit Senatus Imperatori in Xenium duo plauſtra albi, & duas metretas rubri vini, quatuor plauſtra avenæ, octoque orculas piſcium, Cæſari vero *Ferdinando* IIII. Julii donavit idem noſter Senatus duo plauſtra albi, duas metretas rubri vini, tria plauſtra avenæ, & VI. orculas cum piſcibus.

Imperatoris in comitiis propoſitiones.

Propoſuit itaque Imperator XXVI. die ejus menſis, poſt decantatam a Cardinale noſtro in ſuo dominicano miſſam, in civium curia ſtatibus deliberanda, ut omnes pontificio concilio ſe ſubmitterent, & ut interea temporis Lutherani librum a ſe ante biennium exhibitum, contra omnes ſectas manutenerent, item ut eccleſiaſtici bonis & jurisdictionibus paſſim reſtituerentur. Ac ut rebelles, inter quos *Schertlinus* noſter non poſtremus erat, mulctarentur, adverſus quem *Mauritius Saxoniæ* Elector abſens quidem excepit, ſed parum obtinuit. Dum autem talia diverſimode diſputantur, excitavit in ludibrium Evangelii ad *Ulrychianum* auditorium, *Hyſpaniæ* principis *Philippi* petulantiſſimum famulicium XIIII. & XV. Auguſti diebus, tantum non maximum motum, de quo ſuperius in epiſcopo *Ottone* quædam delibavimus; Id quod antea *Itali* pylæ magnæ luſu ad crucem, ubi *nuncius Apoſtolicus* dictus hoſpitabatur, & alii *Hyſpani* quoque ad S. *Jacobum*, ſub Evangelicis concionibus non levi tumultu factitarant. Interea civilis magiſtratus *Augſtburgi* noſtro, *Leone Ravensburgero*, & *Hainrycho Rehlingero* urbis curatoribus, IIII. die Auguſti denuo recenſitus, & citra Imperatorios commiſſarios adprobatus ea conditione eſt, ut *David Baumgartnerus*, in locum *Joh.* patris, & *Jacobus Remboldus* in locum *Wolffii Langenmantelli* inter ſecretiores conſiliarios connumerati ſint, ac horum vice *Chriſtopherus Peutingerus*, & *Chunradus Mayrus* conſules facti, quatuor ſuperioribus, nempe *Antonio Welſero, Joachimo Langenmantello, Leonhardo Chriſtophero Rehlingero*, & *Johanni Jacobo Fuggero* additi ſint collegæ.

Novus magiſtratus.

Duæ furcæ erigun-tur.

legæ. Cæterum in hiſce comitiis erexerunt imperatoriæ aulæ *prætores*, ſive *Alkaldi*, quod in foro piſcario prohiberentur, duas furcas, unam ante *Geggingenſem*, & alteram pone *Rubram* portas. Ad quas tamen nemo ſuorum actus fuit, licet XXV. Sept. tres, & X. Decembris quatuor *Hyſpani*, ob nefaria malefacta, ultra *Hettenbachum*, ad publicum civitatis noſtræ patibulum ſuſpenſi fuerint. Quorum cadavera ſemper poſt aliquot horas a carnifice ablaqueata, in deſpectum Evangelicorum, cum exequiali pompa a ſacrificulis & popularibus ipſorum, in civitatem ad catholicas ſepulturas iterum relata extiterunt. Cum vero inter alios paucos principes, plerique enim per legatos ſuos tantum comparebant, *Hainrychus Brunſwicenſis* dux, qui ſe quoad vixit, *juniorem* dici voluit, huc quoque veniſſet, curavit urbanus Senatus & illum conſueto Xenio donari. Verum is ſuperbo more illud non acceptare dignatus eſt, ſed iracunde auferri juſſit, addens ſic ſatis faſtuoſe ſe inimicum reipublicæ hujus irreconciliatum adhuc eſſe. Unde Senatus poſtea, *Bojaro* duce mediante, tranſactiones aliquot tum hic in urbe noſtra, tum *Monachii* pertentavit, ac auro pacem ab ipſo tandem obtinuit. Quandoquidem autem *Magdeburgenſes* & *Bremenſes* de religione a *Luthero* accepta, ne latum quidem pilum diſcedere volebant, adeoque rebelles adhuc habebantur, extrema illis Imperator hinc comminatus eſt. Quapropter poſt multam principum quorundam civitatumque Octobri menſe tranſactionem, nequaquam potuerunt in gratiam recipi. Et cum intollerabilia a ſe peti exiſtimarent, maluerunt Martis aleam experiri, quam talibus pactis extremam quaſi ſervitutem ſubire. *Mauritius Saxo* igitur & *Joachimus Brandeburgius*, Electores imperii cum nonnullis aliis, diutinum bellum, non ſine totius *Germaniæ* ſtipendiis, *Magdeburgenſi* reipublicæ intulerunt, urbemque eorum arcte obſidentes illis fortiſſime repugnantibus, ſeſeque *Albrechti Mansfeldenſis* comitis ductu defendentibus, ipſam non tam Imperatori obedientem reddere, quam ſibimet ipſis noxam efficere ſatagerunt. Hic enim præſulatus primatum filiis, ille vero Burggraviatus jus ſibi quærebant potiſſimum.

Augſburgenſium cum duce Bruniſw. reconciliatio.

Bellum cum Magdeburgenſibus & Bremenſibus.

Ludi equeſtres.

Interea XVI. die Octobris, commiſit *Philippus Hyſpaniarum* princeps, equeſtres ludos in foro vinario hic, qui non ſolum armorum deauratorum, equorumque generoſorum ſed & holoſericarum veſtium ſplendore magnificentiſſimi fuere. Ea tempeſtate forte muliercula quædam civis N. cum vidiſſet ſacrificulum, per plateam azymum panem loculo holoſerico incluſum, ardente lucerna, ad ægrotum quendam deferre, interrogavit palam cum riſu, quid hoc novæ rei eſſet, quod homini camiſiam ſuper tunicam incluto, clara luce lumen accenderetur. Propter quod dictum juſſu Senatus, qui

Fœmina petulantiæ pœnam pendet.

omnino ita catholicus haberi volebat, in vincula abrepta, & poſt plurimarum honeſtiſſimarum matronarum, ipſiusque adeo *Mariæ* viduæ reginæ imperatoris ſororis (quæ ut inquiſitionem *Hyſpanicam*, qua violentior aut etiam crudelior nulla unquam tyrannis extitit, *Belgio* amovere poſſet, per diſpoſitos equos intra tredecim dies e *Bruxellis* X. Sept. huc venerat) interceſſionem, tandem urbe relegata eſt. Porro præterita æſtate X. nimirum Julii nocte, tam furioſe, ne dicam turpiter, ſeſe *Hanſus Waltherus* ab *Hyrnhaima* miles auratus, qui certis pactis domicilium hic ad aream *Ulrychianam* ſibi conſtituerat, in ædibus vicini ſui *Jac. Meitingi*, fores effringendo fornacem & vitreas feneſtras expugnando, uxorem cum tota familia illi diffamando, ſe dederat, ut invocato vigilum & prætoris auxilio vi & armis coërcendus fuerit. Qui cum eo modo ad Septemviros urbis in curiam abduci juſſus foret, ubi ad Imperatoris palatium cum prætore perveniſſet, in illud ſubito, ſed contra datam fidem, tanquam in ſummum aſylum inſiliit. Quam ob cauſam a prætore ſtatim perfidiæ culpatus, viciſſim ſatis calumnioſe Senatum noſtrum recriminari cœpit. Quod negocium utut infame deteſtabileque, per *Joh. Jac. Fuggerum* ac *Davidem Baumgartnerum*, ſequeſtrarie, & compotatione, erga *Meitingos*, non longe poſt conſopitum extitit, apud Senatum vero, datis ad id ab Imperatore commiſſariis, non ita leviter tranſigi potuit. Contigit hoc etiam anno, ut *Sebaſt. Neithardus*, & *Hieron. Saylerus*, cives noſtrates, forte cum *Caſpare Dutzio Florentino*, *Antorffii* vaferrimum inierint monopolium, quo brevi tum cantiſſ. tum præter omnium opinionem, ultra quingentos centena millia ſolarium coronatorum per *Belgium* & totam fere *Germaniam* levi contraxerunt uſura. Quam ſummam mox *Hainrycho*, *Galliæ* regi, annuo fœnore XXVI. aut etiam XXX. coronatorum de ſingulis centenis collocarunt. Cum autem Imperator *Carolus* ſimiliter pecunia opus haberet, nec tamen Quæſtores ipſius ullam uſquam, promiſſa XII. in centum uſura, corrogare poſſent, cepit non immerito admiratio cunctos, quonam omne aurum diſparuiſſet, depoſitumque eſſet. Facta igitur diligentiſſima & acri inquiſitione, reſignatis etiam omnium mercatorum, perangaros, quos vocant, in *Gallias* & inde in *Belgium* pro more miſſitatis tabulis, deprehenſum in fine eſt, prænominatos Monopolas id detinere. Quare *Saylerus* & *Dutzius* una cum *Neithardi* negociationum procuratore, *Alexio*, *Grymelio*, in cuſtodiam *Antorffii* traditi, tablina & rationalia eorum reſerata, omneque ipſorum aurum confiſcatum ad exitum usque rei fuit. Intra meniſes tamen aliquot, præſtito vadimonio, plurimisque acceptis detrimentis liberati, inter ſeſe plus

Hyrnhaimenſis flagitia.

Quorundam monopolium pecuniarium detectum.

minus

minus XV. annis, conteſtata lite, non ſolum hic coram noſtro Senatu, ſed & *Bruxellis* & *Lutetiæ*, maximis expenſis jure contenderunt. Donec extremo odioſum hoc negocium per compromiſſionem, non ſine defuncti jam *Sebaſtiani*, & ſuperſtitis filii *Caroli Neithardorum* perjurii infamia, atque grandi pecuniarum mulcta transacta ſit. Porro Novembri menſe cum *Carolus* Imperator ab omnibus ſtatibus per maximum diutiſſimumque adverſus *Magdeburgenſes* ſubſidium poſtulaſſet, ac principum aliorumque ordinum legati non pauci ſuper tanta exactione deliberandum cenſerent, ſtatim *Augſtburgenſes* tanquam obedientiſſimi cum *Noribergenſibus* & *Ulmanis*, imperatam ſibi ſummam citra dilationem ſe numeraturos ſpoponderunt. Quo tempore factus eſt & a *Ferdinando* Cæſare, *Suevorum* principe, *Georgius Illſingus* patritius, *Augſtburgenſis* (qui in corrogandis pecuniis poſtmodum plurimam ſedulamque operam tum *Ferdinando* Imperatore jam facto, tum *Maximiliano* II. ſemper navavit) provincialis totius *Sueviæ* præfectus, quæ dignitas antea comitibus, baronibus, auratisque militibus ſolum conceſſa fuit. Decembris X. die rediit demum per angarios *Maximilianus Auſtriæ* archidux, ex *Hyſpania Augſtburgum* ad parentem ob non leves cauſas. Similiter item XIIII. ejusdem menſis die venit huc ex *Auſtria* archidux *Ferdinandus* frater ipſius. Poſtquam vero multis jam annis puella quædam, *Ulmerannula* dicta, apud *Eſslingam Sueviæ* oppidum Ventris perinaximum tumorem maximo quæſtu mirisque machinulis mentita fuiſſet, ac credulis undiquaque, etiam non parum multis, e civitate noſtra curioſulis, tam viris quam mulieribus ſe accedentibus, immo doctis aliquot medicis, Chirurgisque peritiſſimis, inter quos *Moritius Stromayrus*, & *Johannes Dannÿllerus*, *Kuizius* cognomine, junior noſtrates, haud poſtremi eſſe cupiebant, ſiquidem aqualiculus diſſecandus, & bellua ſive monſtrum, quod lambere ſe audiviſſe, pulſareque tactu percepiſſe, in eo aſſerebant, eximendum ni foret, ad quod opus poſterior hic ferreas chyrothecas ſibi præparaſſe ferebatur, non tam cum Senatus ejus urbis autoritate, quam *Mariæ* prænominatæ reginæ viſitatione turpiſſime impoſuiſſet. Hoc anno tandem facta Cæſaris *Ferdinandi* juſſu exquiſitiore indagine dolus detectus eſt, atque non ſolum *virgo* ea, ſic enim paſſim nominabatur, meretricula, ſed & mater ipſius, ſaga deprehenſæ ſunt, ac protinus diruta ipſarum domo, hæc igni, illa perpetuo carceri adjudicatæ fuerunt.

Imperatori auxilia ſpondent Augſtb.

Georg. Illſyngus Sueviæ præfectus.

Ulmerannulæ fraudes detectæ.

A. 1551. *Comitiorum finis.* Inde anno Chriſti MDLI. recitato publica curia Idibus Februarii comitiorum decreto, dimiſſus fuit imperii conventus, qui hactenus paulo plus ſex menſibus, non levi tum civium tum vicinorum pagorum preſſura *Augſtburgi* noſtro agitatus erat. Cumque *Carolus* Imperator poſt longam actionem, ſe *Philippum* filium, præfratre *Ferdinando* Cæſare & *Maximiliano* genero ſucceſſorem in imperio conſtituere jam poſſe diffideret, in beneficium illi Nonis Martii in Camera, quod dicitur, non valde magnifica inveſtitura contulit, Ducatus *Mediolanenſem*, *Geldrenſem*, *Brabantinum*, *Lucelburgenſem*, *Lymburgenſemque*, & comitatus *Flandriæ Burgundiæque*. Ac ſtatim triduo poſt abiit in *Auſtriam* ſuam *Ferdinandus* Cæſar cum filio *Carolo*. Dein VIII. Kalendas Junii in ipſo feſto *beati Urbani*, ſupra memoratus *Philippus Hyſpanus* hinc quoque diſcedens, per alpes *Italiam* & mare mediterraneum in patriam ſuam profectus eſt, quem & *Maximilianus* archidux, a patre regreſſus concomitatus ſplendide eſt, ut *Mariam* conjugem, jam duorum liberorum matrem in *Germaniam* educeret. Dein donavit *Carolus* Auguſtus pro liberalitate ſua civitatem *Augſtburgenſem* novo privilegio, ſuper libera cunctarum rerum undiquaque ad nos vectura, in cujus rei memoriam exaratum Kalendis Junii authenticum dyploma eſt hic. Poſtea XXVIII. ejusdem menſis die, ſanciit idem Imperator edicto regali apud nos, ut abolitis diverſorum numiſmatum inveteratis rationibus per totam *Germaniam* conſimilis & unius valoris moneta deinceps produceretur. Ex quo edicto poſtmodum argentei illi nummi, quos a valore *Rhenenſis* aurei aureatos vocari volebat, quique LXXII. cruciferis permutabantur, in uſum apud nos aliquot annis venerunt. Porro adpetente III. Nonarum Auguſti menſis die, denuo a Duumviris noſtris, uterque Reipubl. Senatus in curiam convocatus fuit, ordinatoque ad ſuperioris anni modum magiſtratu, nihil variatum fuit, niſi quod *Johannes Jacobus Fuggerus* in locum patrui ſui *Antonii* ad ſecreta conſilia aſſumptus, *Melchiorem Illſyngum* in conſulatu ſucceſſorem *Augſtburgi* noſtri habuerit. Triduo poſt iſta conceſſit Imperator recreandi animi gratia hinc *Monachium*, & cum dies XII. venationibus indulſiſſet, rediit. Cæterum dum foris interea Lutherani principes, ſibi ſuisque Theologis in accedendo *Tridentino* conciliabulo XXVI. die Auguſti concionatores noſtrarum eccleſiarum cum adminiſtris ſuis, & nonnullis ludimagiſtris, mane in hoſpitium *Attrebatenſis* epiſcopi, quod is in ædibus *Johannis Jacobi Fuggeri* tum habebat, accerſiti peremptorie fuerunt. Quo cum veniſſent, ignari quid fieret, jubentur ſeparatim conſiſtere, nec colloqui, poſt in Triclinium, ubi *Malvenda*, *Seldius* & *Haſus*, cum dicto pontifice conſederant, ſinguli ordine vocantur, ac *Seldo*, verba faciente quæſtiones de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti, de numero ſacramentorum Chriſtianorum, & de autoritate

Privilegium de cunctis reobus libere advehendis.

Edictum de moneta cudenda.

Magiſtratus electio.

Augſtb. Eccleſ. Min. convocantur.

autoritate formulæ religionis, quam Imperator ante tertium annum præscripserat, illis proponuntur. Ad quas dum quisque pro sese plane & simpliciter respondisset, admodum stomachose *Attrebatensis* illorum sermones excepit, & acri convitio rejecit. Sic itaque ab ipso dimissi jubentur foris expectare, & per satellitem deducti, suo quolibet loco, ne congredi possent, stare. Mox aliquot e præcipuo Reipubl. Senatu, quoque vocatis, simul omnes iterum introducuntur. *Proscribuntur.* Quibus demum *Seldius* post exprobrationem insciticæ, mandat Imperatoris nomine, ut non solum intra diem tertium ante solis occasum ex urbe ista cum uxoribus & liberis decedant, atque intra imperii fines, & quam late Imperatoris pateant regna, nullam posthac concionem habeant. Verum etiam ut neminem amicum vel propinquum conveniant, neque sui discessus causam ulli hominum dicant, vel huc perscribant, multo minus quid cum ipsis actum sit, exponant. Et ista omnia levatis, ut habet ceremonia, tribus digitis per jusjurandum, quantumvis inviti, polliceri coacti fuere. *Proscriptorum nomina.* Hæc autem sunt nomina proscriptorum illorum: *Johannes Hainrychus Heldus* parochus ad *Annam*, cum *Joanne Mersbergero* diacono, *Jacobus Dachserus* parochus *Ulrychianus*, *Leonhardus Rivulus*, (cognominatus *cum Vacca*, pastor ad *Minoritas* cum *Wolffgango Engelschalco* diacono, *Johannes Feinnerus* parochus ad crucem, *Joannes Meckhardus* parochus, *Georgianus* cum *Marco Nassio* diacono, *Johannes Fischmacherus* parochus ad S. *Spiritum*, & *Johannes Ehingerus*, *Gallici* nosocomæi ecclesiastes, qui omnes ferme ad *Helvetios* confugerunt. *Scholarum reformatio.* Sic itaque his expulsis, sunt etiam civium scholæ, ultimo ejusdem mensis die, per novos a Senatu constitutos scholarchas ad interrimisticam normam reformatæ, quam cum nonnulli vulgarium pædagogorum non acceptarent, itidem urbe ejecti sunt. Inter quos *Joannes Burzelius* eximius Arithmeticus, *Petrus Höschlinus*, *Wolffgangus Martius*, *Joannes Buschius*, simul ac *Regina Höchtia* nominatissimi fuerunt. Quapropter Senatus X. Decembris die, manentibus certas quasdam leges tum docendi pueros, tum percipiendi salaria tanquam edictum præscripsit. Unde haud parvus luctus exoriebatur, cum pii tali pacto & ecclesias & scholas suis doctoribus apud nos destituti satis cum offensione viderent. *Munimenta exstruuntur.* Sub hanc tempestatem, quando Ædiles urbani speculæ provinciæ turrim, quæ cœmiterio salvatoris adjacet, humiliorem reddidissent, atque eandem amplius propugnaculi instar ad usus bellicos refici studiosius curassent, contigit, ut reliquum ejus turris, subito unica nocte, a summo deorsum finderetur, ac reclinato ad vallum adjectum cacumine ruinam mœnius haud absque portento minata sit. Quare ab eo loco usque ad salubrem forticulum, qui est in fossa urbis, subter Judæorum vocatas sepulturas, sepositio capitali colle, magis versus *Sinckelidis* fluenta, fossæ ampliatæ, & ambo illi anguli, videlicet spelunca provinciæ ac Judæorum cœmiterium, in novos & gradatos aggeres muris sequente anno concluſi sunt. Demum Octobr. XXI. die, abiit hinc Imperator cum captivo *Saxone*, totaque sua aula *Oenipontis* hybernaturus. Cum interea *Hainrychus Hausius Argentinensis* sæpe nominatus, mandato ipsius, passim per Imperialia *Sueviæ* oppida, reipublicæ statum mutaret & novos senatores abrogatis Tribunis plebis (e quo negocio agnominationem postea habuit) uti ante triennium hic fuerat factum, pergeret, ac quantum omnino potuit, sinceriores concionatores ac ludimagistros in ordinem satis impie redigeret. *Argentinensis Sueviæ oppidorum statum mutat.* Quibus diebus subitaneum acerrimumque frigus, altissimæque nives apud nos præter exspectationem ingruerunt, ac in sequentem usque annum durarunt. Et quia Senatui nostro Imperator abiens ferio injunxisset, ut religionis præscripta formula, interim dum concilium finiretur, omnino per ecclesias civium observaretur, vix ille tota *Germania* Theologos reperire potuit qui eam profiteri adsererequeque voluerint. *Interimistici doctores per Augustburgum.* Donec tandem *Casparem Huberinum Bojarienſem*, præter omnium opinionem conduxerint, qui postquam postliminio huc venisset, (nam ante XVII. annos pure apud nos Evangelium annunciarat) non statim ob populi fremitum docere cœpit, sed ad profestum *natalis Domini* nempe XXIIII. Decemb. vesperam, initium apud *divam Annam*, primum novi dogmatis faciens, egregie demonstravit, se neque frigidum neque calidum esse. Adeo impudenter ipsum chrysma initio, dein adiaphora, & denique totum *Interim*, pro concionibus christianis inculcare ausus fuit. Advenerant cum ipso & duo alii mercenarii, quorum *Hieron. Hertelius* apud *Minores*, & *Thomas Widemannus* apud S. *Crucem* idem permagno Evangelii scandalo præstabant. Nam restitutis quibusdam simulachris, tum pontificio habitu in templis velabantur, tum aliquo modo missificantes, cœnam Domini sub utraque specie volentibus, quorum tamen rarior erat numerus, exhibere parati erant.

Anno salutis MDLII. ubi clandestina illa & diu præmeditata Germaniæ quorundam principum cum *Hainrycho* II. *Galliarum* rege, (qui datis & acceptis obsidibus, tali arte & Imperatoris *Caroli* majestatem imminuere posse, non omnino vane sperabat) conspiratio patescere jam nonnihil cepisset, essentque tempora apud nos admodum tranquilla, conscripsit ex improviso Senatus *Augustburgensis*, circiter Kalendas Martii tria peditum signa, capitaneis *Hanso Vogelo*, *Christophero Negelino* civibus, & *Hanso Ringglero Lindoënse*, quæ metu futurorum, tanquam firmum contra novos motus præsidium, in A. 1552. *Augustburgenses conscribunt milites.*

urbem

Turcica ſtuira exigiitur.

urbem ſuam collocavit. Cum urbani interea quæſtores, prout ſenatus ab Imperialis Cameræ fiſcali monitus die XVI. Februarii publico edicto tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus hic mandaverat, eo menſe communem illam contributionem a noſtris publice exigerent, quam imperii Senatus, ſuperioribus comitiis per totam Germaniam Cæſari *Ferdinando* promiſcue ab omnibus dandam decreverat. Ea hic apud nos exactiſſime, ad inſtar annui cenſus, niſi quod auro *Rhenenſe* non ſit facta, etiam a ſervulis & ancillis non parvo numero collecta, vulgariter *Turcica Stuyra* & *communis nummus* adpellata fuit. *Moritius* autem *Saxo* imperii Elector, *Albrechtus Brandeburgenſis* Marckgravius, qui Imperatori in *Schmalkaldico* bello antea devote militarant; *Johannes Albrechtus Meckalburgius* dux, & *Wilhelmus Heſſiæ* Landtgravius, conjurationis capita, ad captandam liberarum urbium plebisque benevolentiam, expeditionis, quam jam aperte moliebantur, tanquam inevitabiles cauſas, titulo vindicandæ antiquæ libertatis, evehendi iterum contra humanas traditiones Evangelii; ejiciendi interimiſtici jugi, ac liberandi *Johannis Friderychi Saxonis*, ac *Philippi* Landtgravii, edito ſcripto in vulgus ſpargunt. At priusquam fere rumori illi certa per *Sueviam* haberetur fides, en jam nominatorum principum exercitus, *Werdæ Danubianæ* caſtra figere cœpit. Ex quibus ſtatim miſſo huc ultima Martii menſis die, æneatore, inſtar Fœcialis, literas ad Senatum noſtrum dederunt, quibus illum miris perſuaſionibus in ſuas partes pertrahere conabantur. Is vero Imperatori addictus, dum anxie, quid factu opus, coacto utroque Senatorum ordine, deliberat, rem tantum ad univerſam plebem referre coactus fuit, tum quod jamjam copiæ hoſtium inexpectatæ, in Quercetu prope *Oberhauſam*, ſeſe oſtentarent, tum quod ejusdem tenoris literas idem æneator ſtudioſe in plateas quoque projeciſſet, quæ quid principes peterent, exponebant, nec inaccepta populo argumenta continebant. Congregatis itaque primo die Aprilis omnis ætatis civibus, ad nudipedum atrium, ad *Cattorum* horreum, & aliis duabus areis, adhortati *Ravensburgerus* & *Rehlingerus* Duumviri, una cum conſule *Langenmantello* & *Marco Ulſtetto* plebem ſunt, ut Imperatori præſtitam ſervaret fidem. Verum vulgo, qui ſe neque bellum cupere, neque obſidionem poſſe ferre clamabat, aliter viſum fuit. Quare impetratis induciis, deputati a Senatu ſunt, præfatus *Langenmantellus*, *Joannes Fœlinus* junior, *Ulrychus Hieberus*, ac *Claudius Pius Peutingerus* jureconſultus, quibus ſeſe ſponte ac veluti plebis nomine, *Jacobus Herbratus*, & *Georgius Oſterreicherus*, haudquaquam conſiliorum principum ignari, adjunxerant. Ii ſequente die cum hoſtibus colloqui & paciſci trans *Werdacham* in caſtris cœperunt, & licet a ſummo diluculo ad veſpertinum usque crepuſculum, nihil potuerint concludere. *Herbratus* tamen comitem a *Caſtello*, & Baronem ab *Haidecca* ſecum in urbem ſuamque domum, nemine conſulto, ſed fiſus induciis utrinque datis, pernoctatum adduxit. Mane toto die Solis, item & die Lunæ habitis iterum ultro citroque deliberationibus, condita tandem inter principes illos, apud quos & *Gallici* regis legatus, *Joan.* Epiſcopus *Bejonenſis* erat, civesque noſtros pacta, decem plauſibilibus articulis ſunt, eſtque *Augſtburgum* ſalvis antiquis privilegiis, ac fide Imperatori dudum data, pro qua re celanda *N. Arnoldus Otthainrici* jam reſtituendi Palatini ſecretarius, utut altera manu carens, mille aureos acceperat, citra ſanguinem IIII. die Aprilis deditum. Dimiſſis igitur ſub horam veſperarum dicti diei per *Geggingenſem* portam, cum rubris belli teſſaris, præſidiariis noſtris, mox poſt unam aut alteram horam per eam ipſam portam, principum pedites, ad quatuor ſigna, *Haidecenſis* ſupramemorati ductu, albis cruciculis & Gallicis liliis coruſci, ſic ſatis pacifice intraverunt. Niſi quod *Hanſi Waltheri* ab *Hyrnhaima* equitis aurati domum ac ſtabulum, quia Imperatori ſe militaturum receperat, invidioſi quidam malo exemplo diſpoliarint. Sequente die dederunt confeſtim urbis curatores conſules & totus Senatus literas ad Imperatorem *Oenipontis* adhuc hærentem, quibus illum certiorem factorum reddiderunt, petieruntque ſe excuſatos haberi, tum quod nulla, ſicuti per *Antonium Fuggerum*, & *Chunradum Mayrum* conſulem petierant, auxilia miſerint, tum quod ab imperio, utut Gallici regis nomine iſta gerantur, neque deſciverint, neque etiam ab antiquis privilegiis receſſerint. Interea quamprimum principibus confœderatis patefacta eſſet urbs, & jam *Moritius Saxo* in *Herbrathi*, Marchio *Albrechtus* in viduæ ædes, apud forum fœnarium divertiſſent, manente *Meckalburgio* duce in caſtris, quo indies manipulatim accedebant milites, abrogatus hic imperatorius Magiſtratus eſt, & lecti per omnes tribus Duodecemviri Tribunique plebis magno plauſu iterum ſunt. A quibus mox VI. Aprilis, de novo ad antiquum morem, civium magiſtri conſulesve *Antonius Rudolffus* patritius, quia *Marcus Ulſtettus* extreme recuſaſſet, & *Jacobus Herbrathus*, mercator, creati ſunt. Eſtque inter patritios plebeiosque amice definitum, quo modo in craſtinum Senatorum judiciique aſſeſſorum, nec non aliorum civitatis officiorum procuratio, ordo & numerus denuo ſint conſtituenda. Accidit autem eo ipſo die, dum ſerius conſueto urbis portæ ante prandium reſerarentur, ut & intra & extra *Geggingenſem* portam, haud aliter atque apud alias, innumera hominum turba itu & reditu ſeſe arcte truſerint, impatienterque preſſerint. Ibi

Moritius ſociique belli cauſas ſcripto oſtendunt.

Augſtburgenſium conſultationes, a cujus partibus ſtandum.

Inducie.

Augſtburgenſes Moritio ſe dedunt.

Litera ad Imperatorem de ea re.

Antiqua Reipublicæ forma revocata.

dum adperta porta equeſter quiſpiam, ad actum calcaribus cantherium pro faciendo in ponte ſpacio, importunius circumagitarit, fracto quodam pontis laterali repagulo, triginta plus minus homunciones, in foſſam præcipitati ſint, ex quibus unica ſolum muliercula ex caſu eo periit, nonnulli brachiorum & crurum oſſa fregerunt, majore parte illæſa permanente. Poſtea VIII. die ejus menſis, occluſa principum juſſu, cuncta papiſtarum apud nos templa fuere, ceſſatumque a ceremoniis illorum aliquandiu eſt. Nonis Aprilis ſupra memorati tres principes, in Senatum civium progreſſi, petierunt, ut articuli, quos propoſituri eſſent, majoris inter patritios & Tribus plebis neceſſitudinis ergo, ſub perjurii pœna, bonorumque ac corporis periculo ratificarentur, nempe cum *Carolus* Imperator contra auream bullam patriæ bellum intulerit, & captis duobus principibus, contra majorum conſuetudines, & veterem libertatem, in imperialibus civitatibus omnia mutarit, ac pro libitu conſtituerit, ut I) Evangelici concionatores urbi reſtituantur, II) cum prius patritii XII. tantum ſuffragia in Senatu habuerint, Tribus vero LV. ut poſthac patritiis, XV. & plebeis. XL. ſolummodo concederentur. Quarum propoſitionum priori cum nemo quaſi reluctaretur, ad poſteriorem e veſtigio patritii, facile a quo & in quem finem conſilium hoc procederet conjectantes, reſponderunt in Senatu, ſe ad jamjam inſtitutam Magiſtratus electionem ſervandam paratos eſſe, nec aliud ampliùs admiſſuros. Quam ob rem juſſi a Senatu ſunt, ipſemet conſul *Herbrathus, Hainrychus Rehlingerus, Joachimus Langenmantellus*, & *Georgius Oſterreicherus*, principibus jam ad hoſpitia ſua digreſſis, gratias pro benevolentia iſta agere, ſimul ac referre, quod Senatui ac plebi majori ex parte cum patritiis bene conveniat. Inde principes ſimilia ab *Ulmenſibus* per literas petierunt, nihilque impetrantes, copias hinc miſerunt, civitatemque ipſorum hoſtiliter oppugnare aggreſſi ſunt, quam vim illi repugnando viriliter pertulerunt. Quapropter XI. Aprilis ſæpe dictus *Herbrathus, Marcus Pfiſterus, Johannes Fœlinus* junior, & *Georgius Oſterreicherus*, ad perſuadendam deditionem, ampliſſimis mandatis illuc ablegati, male tum a Senatu tum a populo ibidem excepti, & pejus famelicique dimiſſi fuerunt. Manſitque ita *Ulma* in propoſito, ac ſuorum virtute iram principum, non absque adjacentis agri colonorumque ſuorum ingenti vaſtatione ſuperavit. Paulo poſt cum Marckgravius præter ſociorum expectationem, etiam *Noribergenſes* ad præſentem conſpirationem hortatu pertrahere nequiret, terrifice urbem illorum armis quoque adorſus eſt, ut illi belli pericula antea auro ſe redemiſſe crederent. Quare una cum aliis *Sueviæ* civitatum nunciis (qui tunc *Augſtburgi* noſtro ad principum imperatum omnes, etiam pontificiæ convenerant, aurique non vile pondus contribuere juſſæ fuerunt) miſſi hinc XIIII. Aprilis, *Dominicus Honoldus, Georgius Oſterreicherus*, & *Georgius Hopferus*, cum vetere ejecto tamen civitatis noſtræ archigrammatæo, *Georgio* læto, ad tranſigendum inter illos ſunt. Qui ultro citroque, accedentibus etiam *Moritii* & *Landigravii* pacificatoribus, ſæpius ut ſolet commeantes, tandem XIX. ejuſdem menſis die, *Marckgravium* illum cum civitate in gratiam, permagna ab ea numerata pecunia reduxerunt. Quapropter Marchio is cuilibet noſtrorum legatorum mille aureos dono dedit, eosque lætus domum redire juſſit, quod tamen plærique apud nos ſiniſtre illis interpretati ſunt. Dum talia perpetrantur, rediit XVII. Aprilis ex *Helvetia* huc vocatus *Johannes Meckardus*, & poſt illum alii concionatores ac ludimagiſtri quoque, quos Elector *Mauritius* ſua ſuorumque autoritate, a jurejurando, cui contra leges & per vim obſtricti fuerant, VII. die Junii, id quod Senatus quadriduo per Æneatorem in conſuetis triviis populo intimavit, abſolvit, ac Evangelium ſincere iterum hic docere juſſit. Id quod amotis interimiſticis prædicatoribus XII. Junii primum publice fieri magna utriusque ſexus voluptate cœpit. Fuſo interea temporis Imperatoris ad *Reutham* & *Fueſſam* exercitu, captæ ſunt XX. Aprilis per *Saxonicos* equites *Erenbergenſes* pylæ, *cluſam* vulgus vocant, non absque totius *Tyrolenſis* principatus & admiratione & conſternatione, immo diſturbato univerſo *Tridentino* conciliabulo. Ad literas vero, quas Senatum noſtrum Imperatori ſcripſiſſe ſupra diximus, is XXI. Aprilis die, *Oeniponte*, (ubi jam fratris *Ferdinandi* interceſſione, *Johannem Fridrychum Saxonem*, toto quinquennio captivum, in deſpectum *Moritii* dimiſerat, ac priſtina dignitate donarat, reſcripſit, ſe vim illatam condolere, hortari tamen, ut a fide ſibi præſtita non recedant, quod ubi ſerio factum expertus fuerit, ſe clementiſſimum illis ut hactenus futurum dominum. Ad quæ novus Senatus XIIII. Maji reſpondit, ſe in fide ſtaturum, & pacta pacis cum principibus inita, majeſtati ipſius non adverſaria eſſe, proinde ſupplicare, ut ſe & totam civium communitatem commendatam habeat, ac, quantum poſſit, bellum avertat. Inde iterum *Imperator*, XXI. Maji, e villaco *Carinthiæ*, quo jam a *Saxonibus* & *Heſſis*, per alpium juga, direpta *Oenipontis* ſua ſuorumque relicta ſupellectile, erat fugatus, Senatui noſtro per literas ſignificavit, ſe pacificationem cum hoſtibus admittere, quæ ſi recte cadat, bene omnia ſe habitura; Sin vero non, ſperare tamen ſe, urbem hanc priora promiſſa, non obſcure Senatus & religionis a ſe conſtitutorum

Pontificiorum templa clauſa.

Leges Augſtburgenſibus promulgantur.

Expulſi Eccl. Miniſtri Augſtburgum redeunt.

Erenbergenſis cluſæ expugnatio.

Imperatoris ad Augſtburgenſes de vic. verſ. literæ.

Ulmæ oppugnatio.

Noribergenſes cum Albrechto reconciliantur.

rum rationem innuens, ſibi ſervaturam.
Pax parat. Porro quando jam conjurati principes, etiam *Ottonis Hainrychi* Palatini provinciam ad *Danubium*, ab Imperatore poſſeſſam recuperaſſent, epiſcopumque noſtratem finibus ejeciſſent, immo totam ſuperiorem *Germaniam* armis divexarent, ac *Hainrychius Galliæ* rex, belli ſocius, maximis copiis X. die Aprilis, *Metim* fraudulenter occupaſſet, *Argentoratumque* fruſtra A pertentaſſet, interpellati honeſtis legationibus a *Ferdinando* Cæſare, atque reliquis Electoribus imperii Imperatoris hortatione, iidem principes, de reſtinguendo hoc incendio, ineundaque concordia ſunt. Unde *Moritius* dux *Lincium*, a ſociis digreſſus, de futuræ inter ipſos & *Carolum* Imperatorem pacis conditionibus, cum *Ferdinando* Cæſare conſultavit, ac conceſſit ad id belli ferias, a XXVI. Maji die, in VIII. Junii, ne ſcilicet periculum in mora foret.
Litigantium conventus Baſſavii. Convenere igitur juxta dictum ſub illud tempus *Baſſavium*, *Caroli* legati, & ſæpedictus *Moritius*, adfuere & *Ferdinandus* Cæ- B ſar, *Maximilianus Auſtriæ* archidux, *Albrechtus Bojariæ* dux; *Erneſtus Saltzburgenſis* metropolita, *Mauritius Aichſtettenſis* & *Wolffgangus Baſſavienſis* epiſcopi, cum quinque aliorum Electorum principum, *Brunſwicenſis*, *Clivenſis*, ac *Wirtembergici* ducum legatis. Ibi cum de depravato imperii ſtatu, de *Attrebatenſis* præſulis tyrannide, qua rapto a *Moguntinenſe* archiepiſcopo Reipub. *Germanicæ*, ſigillo, tantum non regnum per *Germaniam* occuparat, ac aliis intolerabilibus *Germaniæ* gravaminibus, propter quæ nimirum præſens bellum eſſet ſuſceptum, cuncti conſilia communicaſſent, ipſeque C *Ferdinandus*, pro ratificanda pace, per diſpoſitos equos V. Julii, ad Imperatorem in *Carinthiam* abiiſſet, ſimul ac *Moritius* ad confœderatos ſuos hinc inde jam *Aichſtettam*, jam *Mergethamiam*; jam item *Franckfurtum*, prout diſpartitis agminibus rem gerebant, celeriter circumvolaſſet.
Fit pax. Pax tandem ſecunda die Auguſti, *Auguſtanæ confeſſioni*, usque dum controverſæ, religionis articuli ſchyſmataque componerentur, data, & rejectis potioribus aliis articulis, ad proxime futura comitia, belli autores cum Imperatore reconciliati ſunt, excepto Marckgravio *Albrechto*, qui tractationem eam improbans, ſuum privatum negocium patro- D cinio *Gallico* fretus, diris modis agere perrexit, ac bellum horrendum aliquot annorum contra epiſcopos eorundemque adjutores, in ſui ipſius exitium, ad *Rhenum* & in *Franconia*, protraxit. In hoc *Baſſavienſe* conventu, ad quem reipub. noſtræ nomine, *Johannes Baptiſta Haintzelius* fuit miſſus, parva admodum civitatum ratio eſt habita a confœderatis. Cumprimis quando principes inſtanti earundem ſollicitatione, bis ab Imperatore petiiſſent, ut Senatus civitatum in ea poſſent forma permanere, quam ipſi paulo anteá reſtituiſſent. Is ſemper diſerte reſpondit, ſe vivo non paſſurum, ut quisque per imperiales civitates magiſtratum inſtituat aut mutet, quam ipſe ſolus. Dumque iſta ſic foris tractantur, denuo domi noſtræ Conſul *Herbrathius* XII. die Julii rogationem ſuo more, tanquam cramben bis coctam in Senatum tulit, ut ſcilicet reiteratis tribuum antiquis tabulis, ſemper in ſelectum Senatum præter duos conſules, XV. patritii & XL. ex plebe cooptarentur. Ad quam patritii habita matura, cum ſuis deliberatione, octavo poſt die reſponderunt, ſibi non videri ex reipub. commodo eſſe, ut dudum ſopita inter ipſos & plebem diſſidia refricarentur, neque ſe magnopere contendere, ut in ea gubernationis facie, quam *Carolus* Imperator ante quadriennium ex mera poteſtate hic inſtituerit, manere queant, ſibique falſo imputari, eandem ab ipſis unquam, apud Imperatorem, qualicunque vel ingenio vel indicatione fuiſſe petitam aut promotam. Quin ipſos, dum paulo ante principes urbem ex inſperato obſediſſent, prompte veterem Senatus ac judicii ordinem recepiſſe, neque nunc etiam quicquam amplius recuſare eorum, quæ in deditionis capitulationibus, ut vocant, promiſſum ac receptum ſit. Atque *Litteræ ad Imperatorem.* ita expirantibus *Herbrathi* conſiliis, Senatus noſter tertium literas ad Imperatorem XXVII. Julii dedit, quibus ſe *Baſſavienſis* tractationis decretum avide expectare, tranquillitatem patriæ unice optare, & prioribus promiſſis omnino ſtare ſignificabat. Interea tempus coëgerat dura ſane conqui- *Legatos ad Imperatorem mittunt Auguſt.* ſitione cunctabundus Imperator ſuo more maximas equitum peditumque copias, quas, cum *Oenipontem* rediiſſet, atque inde in *Bojariam* & *Sueviam* iter inſtituiſſet, ex alpibus per mediam hanc regionem ad *Rheni* partes contra *Gallum* præmiſit. Hic mox Senatus noſter *Hainrychum Rehlingerum*, ſerio reluctantem, *Jacobum Remboldum*, *Chriſtopherum Manlichium* & *Joachimum Iheniſchium*, V. Auguſti ad ipſum pro oranda venia amandavit. Interim X. jam dicti *Moritius Auguſtburgum permeat.* menſis die etiam *Moritius Saxonum* Elector cum 8. tantum celeribus equis in urbem noſtram venit, ac curſorie cum *Herbratho* pranſus, quanta potuit celeritate, hinc ad memoratum Imperatorem advolavit. No- *Imperatoris in Auguſtburgenſes clementia.* ſtri vero legati cum *Schwaci* Imperatorem primo reperiſſent, *Roſenheimæ* ipſum ab *Atrebatenſe* Epiſcopo expectare juſſi ſunt, ubi cum, XIIII. ejusdem menſis die ipſius majeſtatem conveniſſent, ac non modo reip. noſtræ nomine culpam præteritorum ſuppliciter deprecati eſſent, ſed & officia civium offerendo, ſe illius clementiæ, per omnia commendaſſent, placide accepti dimiſſique cum certis mandatis fuerunt. Quare *Iheniſchius* propere huc *Monachio* reverſus, altero die Imperatoris gratiam nunciavit conſulibus. Ii igitur XVI. Auguſti

Herbrathus iterata rogationis repulſam fert.

die,

die, magnum & præcipuum Senatum cogentes, non ſine gaudio conceſſam acceptarunt pacem, atque datis e veſtigio ad ſupramemoratos legatos ſuos literis, injunxerunt, ut Imperatorem, qui jam *Monachium* venerat, ad noſtram invitarent civitatem, ſimul ac transmiſſis capitulis pacis, quæ antea a principibus acceperant, rogarent, quantum fieri poſſet, cives a milite immunes redderet. Eo die miſſi etiam fuere a Senatu CCC. præſidiarii, quos hic ſecuritatis cauſa hactenus aluerat, ad *Moritium* Electorem, qui adverſus *Turcam* Cæſari *Ferdinando* militatum in *Ungriam* cum ſuo exercitu proficiſcebatur ex pacto. Et ecce ridiculum inter ſerias res factum. Poſtquam conſul *Herbrathus* ab Imperatoris partibus, quibus prius omnibus nervis reſtiterat, ſe totum ſtare plenis buccis jam profiteretur, haberetque XVIII. die Auguſti frequentem Senatum, prorepſit e ſubſellio quodam in medium cœnaculum, ubi Senatores ſedebant, parva feles, rubra ſericia faſcia per transverſos armos cincta, quod ſpectaculum cum nemo non quid ſibi vellet, intelligeret, falſe & egregie pellionem iſtum pudore affecit. Altero ſtatim die, adduxit *Johannes Naſſoviæ* comes, Imperatoris juſſu legionem peditum in urbem noſtram, qui repente præſulis vicario, reliquisque clericis denunciavit, ut delubra ſua ſecure reſerarent, ac cantando miſſificandoque inveteratos ritus reinciperent. Moxque ſequenti die, qui erat XX. ſextilis, venit Auguſtus & univerſa aula ejus huc, cum alioquin omnia plena extra civitatem eſſent, *Hyſpanicis*, *Italicis*, & *Bohemicis* militibus, diſpoſuiſſetque LV. magna tum currulia tum muralia tormenta, quæ *Oeniponte* advehi curarat, ac majore ex parte hinc iterum illuc demiſit, in agro propter *nocturniam* portulam, commoratusque aliquot dies hic. Tandem poſt plurima inita conſilia, XXV. die dicti menſis, mane eum, quem confœderati principes nuper adeo conſtituerant Senatum, cum Burgimagiſtris, & una omnes Tribus cum Duodecemviris iterum abrogat, ac priorem reipub. formam, Senatum, ac reliqua civitatis officia, quemadmodum ante quadriennium inſtituerat, per *Hugonem* comitem *Montfortenſem*, & *Hainrychum Haſium Lucillo-burgo* præſidentem, *Seldo* procancellario verbâ faciente, in curia civium de novo reſtituit confirmatque. Ac remotis *Flinnero*, qui non multo poſt parochus apud majorem ædem *Straſsburgi* eſt factus, *Dachſero* & *Trabero*, cæteris verbi miniſtris, ut juxta *Confeſſionis Auguſtanæ* formulam per noſtras eccleſias doceant & agant, admittit. Denique *Georgum Oſterreicherum*, *Ludwichum Neuhauſerum*, & alios rebelles, qui metu Imperatoris civitate exceſſerant. Item *Hanſum Memmingerum*, *Hanſum* & *Clauſum Heckelios*, *Bartlæum Axterum* & *Urbanum Cocchum*, quod odioſius de Imperatore & toto hoc bello locuti fuiſſent, urbe proſcripſit, extorresque perpetuo eſſe juſſit. Verum poſteriores quinque poſt aliquod tempus ex gratia in patriam redierunt. Viceſimo ſeptimo dein ejusdem menſis die, qui erat Sabbathum, juſſit Imperator textores in atrium *Minoritarum*, & reliquos Tribus plebis ad curiam, ſimul ac patritiorum ſocietatem in ipſorum contubernium convenire. Ibi ut pridie per *Seldum* illis ſeparatim indicatum eſt, præſentibus comite ſupra memorato & *Haſo*, Imperatorem propter male adminiſtratam Remp. & propter exhauſtum paucis his menſibus ærarium, Tribunos exauctoraſſe, & omnino velle, ut Magiſtratus & urbis curatio penes patritios maneat. Et proin omnes nunc erectis in cœlum tribus digitis dextræ, talia ſe inconvulſe & citra dolum ſervaturos, aſtantibus Duumviris *Leoni Ravensburgero* & *Hainrycho Rehlingero*, conſulibusque ordinariis, *Antonio* videlicet *Welſero*, *Joachimo Langenmantello*, *Leonhardo Chriſtophoro Rehlingero*, *Melchiori Illſyngo*, *Chriſtophoro Peutingero* & *Chunrado Mayro*, debere juramentum præſtare. Quod dum devote conceptis fieret verbis, nemo non mirabatur omnium ſanctorum obteſtationem in eo ommiſſam, cum tamen catholici vocati, eam ſemper jurejurando religioſiſſime addere conſueverint. Ac propter eandem poſtea civibus noſtris, non parva negocia apud *Oenipontem* in ſuſcipiendis feudis beneficiisque faceſſere non ſint cunctati. His in hunc modum peractis, protinus imperatum eſt, ut defuncti Tribuni domos, tabulas, libros, ac omnium rerum rationem, imperatoriis Senatoribus hic iterum redderent. Mercatores vero propter crebriora & ſuſpicioſa conventicula, ſuam poſthac tribum ad Senatus juſſionem gubernarent. Et ne quis iſti ordinationi reſiſteret, reliquit Imperator *Georgium Spaathum*, a *Sultzberga*, cum ſex peditum ſignis urbi in præſidium, e quibus duo illa vexilla, quæ *Ulrychus* comes a *Monteforti* ductabat, Senatus ſtipendio in pœnam ſuperioris deditionis militabant. Nocte ultimi diei Auguſti, bellus & amœnus ille hortus, qui in pomerio urbis, ab utraque foſſæ ripa, apud *Aviariam* portam *Herbrathi* fuerat, a militibus, ut putabatur, qui *Joſum* comitem *Zollrenſem* capitaneum agnoſcebant, direptus & exuſtus funditus eſt, non ſine civium pavore, quibus ſubinde jam, imperatorii æque ac antea *Moritiani* direptionem minitati fuerant. Porro hortus ille majore ex parte loco motus, menſe Aprili MDLV. anno Senatus juſſu in publicum compendium a propinqua porta ad propugnaculum usque, quod *Bachorum* agrorum proſpectat, pone foſſam extra urbem abiit. Poſt iſta diſceſſerunt Kalendis Septembribus hinc ſummo mane quatuor *Germanicorum* peditum *legiones*, *Regimenta* ipſi

Auxilia Moritio adverſus Turcas mittuntur.

Imperator Augſtburgum venit.

Prior reipl. forma reſtituitur.

Quidam rebelles proſcribuntur.

Plebeji a magiſtratu per jusjurandum ſe abdicant.

Mercatores aſſentiu regendi.

Præſidium reliquit Imp.

Herbrathi horti direptio.

A. 1555.

ipſi vocant, *Ulmam* verſus, & illinc in *Albrechtum Marckgravium*, crudeliter adhuc *Gallica* factione Imperatori rebellantem. *Imp. Metim adverſus Gallos proficiſcitur.* Quo die etiam idem Imperator *Carolus*, cum prius humaniſſimis verbis *Johanni Friderycho Saxoni* gratias pro obedientia egiſſet, multaque pollicitus, eundem aurea bulla reſtituiſſet, ac dum provinciis ereptis non poſſet, Electoris nati titulo condecoraſſet, ex urbe quoque iſta a prandio ardenti animo *Metenſem* ad urbem contra *Gallum* pugnaturus profectus eſt, ac inæſtimabiles tum adparatus tum ſumptus in expeditionem eam faciens, etiam ex Reip. noſtræ fiſco, ducentena aureorum millia, fidejubente Repub. *Anttorffenſe*, nec non multum pyrii pulveris ex publico armamentario mutuum accepit. Quæ omnia poſtea *Philippum Hyſpaniæ* regem integre reddidiſſe ferunt. Secunda Septembris, ſecuta Imperatoris veſtigia, *Hyſpanorum* & *Italorum* diripiendæ etiam inhiarent, clauſis portis, munitisque undiquaque aggeribus, propter mœnia tranſire fremebundi coacti fuerunt. *Annonæ caritas.* Fuit autem hoc tempore annona apud nos valde gravis, nam major modius, olyræ tribus aureolis, menſura vini ſimiliter & libra butyri XV. nummis, ac tria gallinæ ova crucifero venum iverunt. Cæterum III. Novembris reſignavit *David Baumgartnerus*, unus ex quinque arcanis conſiliariis ſatis faſtuoſe jus municipale ſuum apud nos. *Novi Eccl. Miniſtri.* Demum III. Decembris advenere *Witteberga* vocati, *Magiſter Petrus Ketzmannus*, *Magiſter Jacobus Rulichius*, & *Wilhelmus Hausmannus* theologi, quos Senatus in trium ejectorum concionatorum loca, vacantibus apud nos eccleſiis, præfecit. *Auditoria inſtauranturi.* Et cum præter *Carmelitarum Franciſcanorumque* fana, papiſtæ reliqua omnia per civitatem hanc templa occuparent, noſtrisque ad ſermocinandum nullum apud ſe locum concederent, inſtaurari hinc inde publica auditoria amplificatis delubrorum veſtibulis, pro Evangelii concionibus Senatus expenſa cœperunt.

A. 1553. Anno Domini MDLIII. factus per Imperatoris adprobationem Senatus petitione eſt, civitatis & provinciæ *Augſtburgenſis* præfectus, qui confeſtim quoque *Georgium Bruyam* antiquum prætorem in eodem officio confirmavit. *Superioribus antambulonibus VI. adduntur.* Et cum mechanicarum apud nos artium procuratio, non ſat expedite adminiſtrari, per priores a Senatu conſtitutos, quos *Antambulones*, vulgo vocari diximus, videretur, juſſit idem Senatus XVI. Januarii die, Textores primo & deinalios quoque opifices ad priores illos adhuc ſex alios honeſtos viros e ſuorum numero ſeligere, per quos pro cujuslibet artificii ſtatutis ac conſuetudinibus, cuncta perplexa, ſi quando acciderent, probius componi poſſent. *Suevie conventus.* Aprili deinde menſe agitatus Imperatoris juſſione conventus principum, prælatorum, quos vocant, comitum, & civitatum *Sueviæ* apud *Memmingam* eſt, ut novum fœdus adverſum publicæ pacis turbatores, & quoscunque alios graſſatores inter ſeſe facerent. Verum quia, dux *Wirtembergius* ordoque militaris & nobilium, & *Ulmenſes* privatos ob cauſas id penitus detrectarent, & in religione non omnibus conveniret, noluerunt pleræque civitates aſſenſum inſtituto illi præbere, fueruntque eo noſtræ reipub. nomine deputati, *Rhelingerus* Duumvir, *Marcus Pfiſterus* ſenior, & *Sebaſtianus Bemmerlinus* jure peritus ac archigrammatæus. *Magiſtratus electio.* Cum vero eodem hoc anno, quo tamen plusquam hoſtiliter *Albrechtus* Marckgravius per *Franconiam* & *Saxoniam*, præſertim autem contra *Nurmbergenſes* iterum ferro flammaque ſæviebat, nihil novi amplius, credo ut vires recolligere Reſp. poſſet, hic fieret, & *Ravensburgerus* alter civitatis curator, præ ſenio delirus, & plane veternoſus jam foret redditus, datus eſt imperatoria conceſſione vice ipſius *Hainrycho Rehlingero*, pluribus, præcipui Senatus votis, III. die Auguſti in Duumviratu collega *Chriſtopherus Peutingerus*, multarum rerum peritus & ſollicitus vir. Quo die additi etiam pro ſuffragiorum more, *Joachimo Langenmantello*, *Leonhardo Chriſtophoro Rhelingero*, *Melchiori Illſingo*, & *Chunrado Mayro* antiquis conſulibus, novi in eodem officio collegæ fuerunt, *Johannes Paulus Herwarthus* & *Marcus Pfiſterus*. Eſtque *Antonius Rudolffus* inter quinque ſilentiarios, loco *Davidis Baumgartneri*, qui ſic ſatis faſtuoſe juri municipali apud nos renunciabat, connumeratus. Cæterum facto *Betulejo* homine officioſiſſimo ante menſes plus minus viginti ex apoplexia paralytico, cum hactenus poſt *Georgium Langium Mansfeldenſem*, *Simon Schardius Saxo* ad *Annam* literario civium ludo præfuiſſet, cœpit VI. die Auguſti ibidem primum docere *Matthyas Schenckius* ſtipendio annuo CLXX. aureolorum præter didactri tertias, habitationemque, *Conſtantia* huc a Triumviris ſcholaſticis, *Johanne Jacobo Fuggero*, *Chriſtophoro Rhelingero*, & *Matthæo Welſero* accerſitus. *Schenckius Annenſi ſchole præfi.* Eſt item Septembri menſe propria campana cum nova turricula *Ulrychiano* auditorio ſuperimpoſita primum, quod abbas cœnobii ejus pulſum ſuum, uti hactenus uſus obtinuerat, paræcianique jus in maximam campanam non parvum habuerint, injurioſius noſtris denegaſſet. *Novatur ibi & cuipiam.* Viceſimo ſexto dicti Septembris die miſſa facta ſunt Imperatoris indulgentia, ſex ea *Landtzknechtorum* vexilla, quæ is lapſo anno abiens hic reliquerat. *Legis municipalis renovate.* Demum VIII. die Novembris, recognitæ & refixæ de novo S. C. antiquæ leges de nuptiarum ſponſalitiorumque ordine ac frugalitate ſunt, quas mox typis quoque pro majore notitia omnium invulgandas Senatus curavit. *Alta Schwanga fruſtra obſeſſa.* Cum interea *Otto* epiſcopus noſter *Baumgartneris*, *Altam Schwangam* ob

ob molendini cujusdam jurisdictionem, inexpectata militia obsidere, eodem mense conatus quidem fuerit, sed parum effecerit.

A.1554. *Calamitas.* Anno Christiano MDLIIII. acerrimum frigus a Januario in Februarium mensem usque *Augstburgi* nostri cuncta supra modum adflixit. Et dein XXI. Aprilis bruto fulmine *Berleja* turris vesperi tacta, ingruente vehemente nymbo est. Quinto autem Junii intempestiva pruina florentibus plantis, tenuioribusque frugibus nonnihil hic nocuit. Eam altero die nempe VII. ejusdem mensis, duabus a prandio horis immanis etiam grando apud nos secuta est. Porro prævalente iterum papatu per urbem nostram, translati XI. die Junii ex *Antoniano Gerontotrophio* studiosi adolescentes, qui eo pietatis causa, non ita pri-

A.1545. dem recepti fuerant, ad *divi Martini* scholam Senatus consulto sunt. Post quæ, recensito pro more IIII. Augusti mensis die magistratu, permanserunt in officiis iidem civitatis curatores, Silentiarii, atque consules apud nos, quos proximo præcedente anno lectos fuisse annotavimus. *Seitzii cædes.* Cumque reliqua omnia satis tranquilla per urbem hanc forent, occisus sero vespere XIIII. Octobris in *calceorum* viculo *Sebastianus Seitzius* Senator, & publici armamentarii præfectus a *Balthazare Fischero* tinctore, fortuito errore est, nam homicida ille non hunc *Seitzium*, sed alium quendam eodem viculo in levigatoria officina habitantem e medio tollere in animum induxerat. Quod quia non recte perpetrasset, nec autor cædis hujus haberetur, cuncta amicis secreto fassus, tertia demum nocte urgente conscientia, & pœnæ jam proclamatæ formidine, per mœnia clam non procul *Æseri* vallo elapsus est, ac diu hinc inde oberrans, extremo *Constantinopoleos* ob artificii sui industriam in aliquo precio aliquot annis fuisse perhibetur. Hujus homicidii conscius *Valentinus Albrechtius*, tinctoriæ artis *communis famulus*, vulgo *Rauschknechtum* vocant, in vincula abreptus, annis plus minus XVIII. misere in illis vitam transegit. *Ferdinandus venit Augstburgum.* Tandem XXIX. Decembris die, venit sub ipsum serotinum crepusculum ex *Pannoniis* suis huc *Ferdinandus* Cæsar, adducens secum *Carolum* filium, annos quatuordecim natum, qui quod antea nunquam *Augstburgi* fuerit, selectiore xenio ut archidux *Austriæ*, post patrem a Senatu exceptus fuit.

A.1555. *Comitia Augstburgi.* Anno a partu virginis MDLV. auspicatus apud nos est comitia *Ferdinandus* Cæsar, accepta ab Imperatore *Carolo*, *Ottone* Cardinale nostro, & Doctore *Fœlice Hornungo*, commissariis, plena agendi potestate, proposuitque V. Februarii die, in civium curia, solenni præfatione, qua e re totius imperii deliberanda censebat. Et quanquam nullus vel Electorum vel aliorum *Germaniæ* principum, præter *Albrechtum Bojarum*, *Christopherum Wirtembergium* & *Badensem* Marchionem, cum nonnullis propinquis antistibus, hic propria persona, sed solum per legatos suos comparuerit, ratificata tamen de novo *Bassavienſis* ante triennium inita tractatio, & religioni (propter cujus dissidium tam diuturna perturbatio & calamitas tota quasi *Europa* extitit) integra & inviolabilis pax libertasque concessa utrinque, utpote inter Lutheranos pontificiosque solos publico decreto est. Quam pacem nihilosecius seditiosi quidam ex papicolis, quod ecclesiasticis ipsorum abusibus derogare parum quiddam videretur, (cum revera nihil magis in hodiernum usque diem, illos in sua idolomania & autoritate stabiliat, quam ambidextra constitutio ista) inculpare non sunt veriti. Et papa ipse sequente anno, totum id imperii decretum omnino rescindere Romæ cogitavit. Erant autem ad Comitiorum horum consultationes a Senatu nostro deputati, *Chunradus Mayrus*, *Hieronymus* in *Hofo*, senior, *Johannes Baptista Haintzelius* (qui Majo mense hujus anni, cum *Matthia Schelo*, equestrium præfecto, hinc *Vinariam* ad *Johannis Fridrychi II. Saxoniæ* ducis, cum *Elisabetha Mauritii* Electoris vidua, nuptias, missus quoque Senatus nomine cum honorifico munere fuerat) Senatores, & *Sebastianus Christopherus Rhelingerus* jureconsultus, qui licet majore ex parte civitas nostra Evangelium sectaretur, in fidei tamen negocio, actorumque subscriptione, ac reliquarum civitatum societate parum decore privatis affectibus discreparunt. In his comitiis, quæ in octavum usque mensem durarunt, omnia quæ ad victum pertinent, excepto pane, valde cara fuere hic. Fuerat item ad comitia ista *Moronus* Cardinalis a *Marcello II.* summo pontifice amandatus, ut scilicet *Germaniam* etiam ad gremium Romanæ ecclesiæ, sicuti Cardinalis *Polus Angliam* suam paulo antea reduceret. Verum subito tragœdiæ ejus actore sublato, evanuit & consilium ipsius. Intra octavum enim diem rediit purpuratus ille unde venerat, quem & statim Cardinalis noster subsecutus est. Cæterum hisce comitiis composuit tandem Cæsar *Ferdinandus* Junio mense, diutinam illam acerrimamque controversiam, quæ inter veteris *Suevicæ* ligæ proceres civitatesque, & *Albrechtum Rosenbergensem*, *Franconiæ* nobilem viguerat, talibus pactis, ut scilicet reddita securitate, quadraginta duo aureorum millia huic in promptu numerarentur, simul ac *Bocksbergensis* avita arx restitueretur. Ad quam summam persolvendam respublica *Augstburgensis* nostra decies septies centenos aureos pro rata sui parte extemplo adpendit. Mos forte in urbe hac invaluerat isto tempore, ut vernaculi utriusque sexus ludi magistri bis in anno pueros & puellas pro cujusque oportunitate, recreandi animi gratia, rus

Pontificiorum adversus Bassaviensem pacem molimina.

Lites inter Rosenbergensem & Suevicam ligam componuntur.

Puerorum petulantiæ cohibetur.

educe-

educerent, *virgatum ire* inertes ajunt. Ibi cum invitatis etiam vicinis, paulo licentiosius multa & comessationibus & choreis admissa fuissent, convocarunt scholarchæ III. die Junii omnes ludimoderatores urbis hujus, ac vetita petulantia, modestiores lusus illis, ad puerilia ea festa præscripserunt. *Incendium.* Combustæ dein sequentis diei nocte sunt ædes senioris *Riederer*i prope mœnia *Streffingeriæ*, portæ, haud parvo 24. precio in- A habitantium hominum dispendio. *Diploma, quo aliqualis Reipl. mutatio permittitur.* Cum vero patritios nostros jam vel tæderet tot molestiarum, vel alioquin sic sibi plebem magis devincire posse spes invasisset, impetrarunt curatores civitatis & Senatus a *Carolo* Imperatore novum rescriptum, cujus dyploma XX. Junii *Bruxellis* exaratum & sigillo authentico roboratum est, ut priorem ipsius institutionem in administranda apud nos Republica, aliquo modo mutare, populariusque disponere posthac possent. *III. consules & I. Census magister creantur ex plebe.* Quo freti mox III. Augusti die, dum *Hainrychus Rehlingerus* & *Christophorus Peutingerus* duumviri, urbis munia tanquam dictatores reformarent, placuit, ut ex Consulibus, qui hactenus ex solis patritiis creati fuerant, tres dimitterentur, ac totidem e plebe, per suffragia Senatus lecti, prioribus in consulatu, hac conditione accederent, ut ex majore patritiorum consortio, quod honestis paratur nuptiis apud illorum filias, unus, alter ex mercatoribus, tertius ex opificibus esset, simul ac ut inter tres ædiles, quatuor publici census magistros, vinariique vectigalis collectores, unus quoque ex plebe in posterum assumeretur. Suntque tali pacto *Joachimo Langenmantello*, *Leonhardo Christophoro Rehlingero*, ac *Chunrado Mayro*, antiquis consulibus, *Matthæus Schellembergerus*, pharmacopola ex majori patritiorum societate, *Wolfius Ballerus* mercator, & *Ulrychus Hieberus* pellio connumerati, ac *Joachimus Ihenischius* ex mercatorum classe ædilibus, *Ulricusque Hieberus* consul Stuiræ magistris, adsociatus. Atque ita quatuor plebeis Senatorum ordini de novo allectis, jam XLV. viri in minore Senatu haberentur, cum prius XLI. tantum Senatores præcipui fuissent. Quia autem *Melbornus urbe expulsus.* *M. Georgius Melbornus Saxo*, ecclesiæ apud *nudipedes* hic diaconus, diu multumque adversus parochum ibidem suum, *Leonhardum Rivulum*, quem *Zwinglianissimi* insimulabat, de substantia cœnæ dominicæ contendisset, neque cum illo in ea communicare vellet, atque adeo cum reliquis omnibus verbi ministris, subinde contra novas quorundam theologorum corruptelas, certare non cessaret, officio tanquam pacis turbator Augusto hoc mense motus fuit. Is brevi *Ravensburgum* vocatus, mirum & acre scriptum, cui titulum *choreæ concionatorum Augstburgensium* fecerat, illinc ad eos transmisit. Substitutus autem in ejus locum *Johannes Ebingerus* ex *Neuburgo Danubiano* denuo ascitus mense Septembri extitit. Interea tamen ingruentibus omnis generis hæreticorum sectis, nempe *Schwenckfeldianis* (quibus non parum multi ex proceribus ditioribusque mercatoribus adhærebant) *Anabaptistis*, *Calvinistis* & similibus, insistante egregie episcopali cœtu, opposuerunt se illis concionatores Evangelici, apud nos fortissime, præmonitisque auditoribus suis, contra venena illorum certam Agendorum formam, quæ etiamnum in ecclesiis nostris usitata manet, typis in lucem XXVII. Septembris iterum ediderunt, quo vel ea ratione, Senatus cura, sinentium fanaticis illis, & in angulis clandestine docentibus seductoribus imponeretur. *Agenda conscribuntur.*

Anno incarnati verbi MDLVI. adparuit A. 1556. sub finem Februarii mensis luridus cometa, *Cometa.* qui a *libra* usque in *arietis* signum contra C *Zodiaci* successionem, adhæc, integrum Septentrionalis latitudinis hæmisphærium, in suprema aëris regione percurrens, usque ad XXI. Aprilis, malo omine apud nos fulsit. Ac cum varii tum bellicorum consiliorum, *Milites conscribuntur.* tum clandestinorum adparatuum rumores ubique spargerentur, plurimorumque regum cum Romano pontifice miræ fierent colluſiones, haud frustra Evangelici per *Germaniam* principes suo quoque invigilarunt commodo. Qua de re & Senatus *Augstburgensis* VIII. Maji metu subitarum impressionum, octo peditum signa, quæ ter mille & quingentos pedites continebant, *Schertlino* jam dudum e *Galliis* reduce, supremo militiæ duce, conscripsit, ac XVI. ejusdem mensis die, *Johanne Fœlino*, *Georgio Pfistero*, & *Marco Walthero* Senatoribus, delectum habentibus, recenseri, partem intra civitatem, partem extra civitatem in propinquioribus pagis curavit. Eaque exteris *Miles castra in rosarum insula locat.* valde mirantibus, extra urbem suam in *rosarum* insula, unde expeditio ista adhuc appellari solet, castra locare jussit, ea lege, ut singulis noctibus, certæ militum cohortes cum suis vexillis in urbe vigilias agerent, ut ne quid foris in disciplina militari omitteretur tamen. Contribuerunt autem majoris securitatis caussa, licet illibenter, Episcopus, Canonici, Abbas, præpositi, & magnum hospitale civitatis nostræ, militibus in singulas septimanas, centum orgijas ligni, ac plaustra aliquot stramenti, quarum omnium D rerum rationem statim selectis Senatus majori consilio apud nos 19. Maji in Curia reddidit. Et postquam XXI. die dicti Maji milites in loco castrorum, duumviris ac consulibus nostris fidelitatis juramentum præstitissent, octo currulia tormenta cum omni apparatu eo ex urbe transuecta sunt. Et mox 25. ejusdem mensis die *Otto* Cardinalis, nescio quo amore stimulatus Senatum urbanum, ipsumque adeo *Schertlinum* in palatio suo pontificali prandio, & biduo post reliquos capitaneos, signiferos, centurionesque belli istius excepit. Quem dein Senatus noster imitatus etiam 10. Junii

polemarchum præfatum cum VIII. ipsius capitaneis, signiferis, aliaque potiora officia gerentibus, militibus benevolentiæ gratia in herorum contubernium ad lautissimum convivium invitavit. Quia vero tumultuum fama majore ex parte refrigesceret, nullusque penitus hostis adpareret, imo civitas in fœdus novum recepta jam esset, duo signa horum militum XIII. Junii, reliqua sex XI. Julii missa fecit Senatus. Interea *Milites missi fiunt.*

Landsbergense fœdus percutitur. A *Ferdinandi* Cæsaris autoramento, *Saltzburgensis* archiepiscopus, *Ratisbonensis*, *Bassaviensis*, *Aichstettensis*, *Freysingensisque* episcopi, Cardinalis *Augustanus*, ac dux *Bojariæ*, novum fœdus sese mutuo, quacunque de caussa, contra omnem violentiam defendendi pepigerant. Cui mox Majo mense præsentis anni, recusantibus *Wirtembergico* duce & *Ulmensibus*, etiam Senatus noster, legatis *Christophero Peutingero*, altero Duumvirorum, & *Sebastiano Christophero Rehlingero* jureconsulto civitatis, apud *Landsbergam* (a quo oppido fœdus id nomen sortitur, quamquam & a majori parte denomi- B nationem accipiens *pfaffforum liga* vocetur) nomen quoque securitatis causa dedit, & licet vulgus, varia ut solet, & hic & alibi obloqueretur, *Noribergensium* tamen resp. episcopique *Bambergensis* atque *Wirtzburgicus* ad confœderationem eam sequente anno accesserunt quoque. Quando autem

A. 1557. *Gynitzburgerus capite plectitur.* *Hansius Gergus Gynitzburgerus* civis, sed nostro stipendio non militans, forte extimas castrorum excubias, quas a *scuto* denominant, protervius noctu perrupisset, & simul antea propter ductam *Rehlingeriam*, ad S. *Catharinam*, nonnam parum propitios proceres hic haberet, *Oberhausæ*, captus, ac jure C belli XXV. die Junii in iisdem castris, propter aliquot incestus & adulteria, capite plexus est. Porro exauctoratis omnino

Rursus miles conscribitur. prædictis militibus, jussit Senatus noster de novo *Nägelinum* & *Vogelum*, capitaneos suos, quadringentos & quinquaginta pedites conscribere, qui tam nocturnis quam diurnis excubiis reipublicæ inservirent, una cum ordinariis civibus, qui tamen itidem IX. die sequentis Novembris dimissionem

Magistratus electio. nacti sunt. Dein cum de more *Hainrychus Rehlingerus* & *Christophorus Peutingerus*, Duumviri III. die Augusti, consules ac totum Senatum apud nos iterum recognosci curant, assumptus est loco *Bartholomæi Welser*, diu jam valetudinarii, ad arcana consilia *Joachimus Langenmantellus*, ac loco demortui *Marci Ulstetti*, *Marcus Pfisterus*, substitutusque dicti *Langenmantelli* vice in consulatum fuit iterum *Melchior Illsyngas*, manentibus reliquis omnibus senatoribus, in ordine & officiis, ut superiore anno lecti fuerant. Inde XIII. ejus mensis die, dirui ædilium jussione cœpit sacellum, quod *decollationi Johannis Baptistæ* consecratum fuerat, in quo hactenus ad cæmiterium *S. Georgii*, suburbanis Evangelium annunciatum erat, atque confestim e fundamentis novum

Templum exstruitur. affabre extructum, proque auditorum usu ampliatum, ac omnino XXI. Novembris absolutum iterum est, reclamante monachorum ibidem præposito, qui nihilominus pro convocanda ad conciones plebe, pulsum suum volens nolens adhuc nostris concedit. Tandem Kalendis Septembribus docendi initium apud *Annæ* scholam hic fecit *Hieronymus Wolffius Ottingensis*, homo multifariam græce & latine doctissimus, quem e *Fuggerana* instructissima bibliotheca, ad reformandam scholam civilem scholarchæ Senatus adprobatione; CCC. aureorum annuo salario, lapso mense conduxerant, fueruntque tunc temporis in quatuor ejus ludi classibus, centum nonaginta octo tantum discipuli. Arridentibus autem sese invicem utriusque religionis apud nos professoribus, edidit tandem scripto, Novembri mense *Simon Scheibenhardus* civis Theologiæ scholasticæ Doctor, Canonicus & parochus *Moritianæ* ædis, non sine urbis nostræ Concionatorum diffamatione, fidei suæ elenchum, ad quem tanquam ad Lydium lapidem se cunctos protinus comparaturos putabat, verum nostrarum Ecclesiarum ministri, illum non solum privato responso recte confutarunt, sed etiam publicis sermonibus subinde, sese ab injuria vindicarunt. Cæterum hoc anno exædificatum ex privatis *Cuntzii Rehlingeri*, a *diversis animalculis domi suæ connutritis* cognomen habentis, ædibus, novum & capacissimum pro Reip. annona frugibusque asservandis, granarium, extra vetera urbis mœnia, inter *Marianam* portam, & *Stephaninum* templum est. Militavitque *Johannes Fuggerus* patritius nostras, suorum nomine equitibus plus minus quinquaginta, *Ferdinando* Archiduci *Austriæ*, dum is patris Cæsaris nomine *Zegesto* in *Ungria* contra *Turcas* succurrit. Hoc anno item construi primo ceperunt plurimæ ædes in diruto *Jobi Meitingi* horto, ad septentrionale latus *majoris Saxonum viculi*, *Caspare Hago* primam domum IIII. Julii ibidem fundante: quæ dein aliquot plateuncularum originem præstiterunt, ac *novi Saxonum viculi* apud nos hodie vocantur.

Wolffius Aunensis scholæ doctor.

Scheibenhardus Fidei Elenchum edit.

Granarium fabricatur.

Novorum Saxonum viculorum origo.

Anno a nativitate servatoris mundi A. 1557. MDLVII. indicta ad primum Ver a *Ferdinando* Cæsare, *Regensburgum Germaniæ* comitia sunt, ad quæ Senatus *Augustburgensis* nomine *Marcus Pfisterus* senior & *Johannes Baptista Haintzelius*, una cum duobus juris prudentibus, Syndicisque Reip. *Sebastiano* videlicet *Christophoro Rhelingero*, ac *Marco Zimmermanno* deputati fuerunt. In his prætor colloquium Theologicum promissum, plurima pecunia ipsi Cæsari ad recuperandam a *Turcis Ungriam* decreta est. Interea domi nostræ XIX. die Martii viginti delectorum apud patritios procerum consilio deliberatum ac determinatum est, ut vetus ipsorum compotoria taberna, in *Berleja* area destrueretur, ac communibus sodalitii expensis, elegantiore fundamentis

Comitia Regensburgi.

Patritiorum domus reficitur.

exusci-

exuſcitaretur, ſactoque luſtro, reperta ſodalitii dicti CCXLIIII. capita maſcula ſunt, quæ eo tempore ſolitam contributionem annuatim penderent. Cum vero *Otto Hainrychus Rhenani* palatii præfectus, jam Electoratus dignitatem, poſt patruum & varios fortunæ caſus conſecutus, propter colloquium, quod pro tentanda in religionis negocio, inter Lutheranos & papiſtas, concordia, *Wormatiam* ad futurum autumnum inſtitutum, proximis comitiis, diximus, ſuperioris *Germaniæ* ſynceriores theologos, numero XXXII. *Franckfurtum Mœni* congregati, & ad aſſerendam *Auguſtanæ Confeſſionis* doctrinam, ſymbola conferre curaſſet, profectus hinc etiam eo *Johannes Meckhardus, Annianæ* apud nos eccleſiæ parochus, Junio menſe cum *Georgio Stenglio* & manuenſe ſuo eſt. Et quia cottidianæ fraudes publico tributo in emendo & vendendo, ardente ſeu ſublimato vino per civitatem hanc fierent, juſſit Senatus novam cellam hoc anno ſub ſuperioris ſolis horreum, apud *divi Ulrychi* aream efodi, ac fornice decente adornari, in quam futuris ſæculis, quicquid ejusmodi ſtillaticii vini urbi inferretur, tam pro cauponum uſu, quam vini talis triobularibus propolis, ſemper adſervaretur, neque cuiquam civium, præter taxatum dimenſum inde perceptum, in domum ſuam reponere liceret. Recenſitis demum III. Auguſti a dictatoribus noſtris *Hainrycho Rehlingero* & *Chriſtophoro Peutingero*, Silentiariorum, conſulum, Senatorum, & Judicum urbis *Auguſtburgenſis* ordinibus, nihil in toto Magiſtratu aliisque officiis mutatum ab eo eſt, quod præcedente anno conſtitutum fuerat. Cæperuntque ſub idem ferme tempus, tubuli fontanæ aquæ, a ſuprema urbis hujus parte, per omnes quaſi ſemitas, non parva incolarum commoditate conduplicari. Decimo tertio autem Novembris conflagravit paulo ante medium noctis, integra *Hertlini* textoris domus, in eo a latere *Ulrychiani* templi vicu, qui vulgo *amplus* vocatur, idque Vernarum culpa, quæ *Martinianam noctem*, quam vocant, inconſideranter celebrarant. Cæterum hoc ipſo anno, duo mira hominum monſtra huc pervenerunt, & cuilibet cruciferum numerati monſtrata fuerunt viva. Primum erat vir profectæ ætatis, cui intra ventriculi & umbilici regionem, integra puella collotenus eo modo innata fuit, ac ſi caput intra ejus corpus abſcondiſſet, ea quanquam diſcriminatos ſeu voluntarios motus non haberet, ſed veluti concreta ſtruma aut ſextus digitus homini illi adhærebat, cottidie tamen mingere tantum ſolebat. Alterum mulier triginta annorum erat, quæ cum neque brachiis neque manibus a nativitate ſua prædita foret, attamen ſcribere, neve, cibum ac potum ori admovere, & ſeſemet veſtibus induere exuereque pedibus poterat, imo etiam ſcopa habitationem verrere menti adminiculo ſolebat. Nova item platea exſtructis aliquot ædibus, *Matthia Dilgero* XXII. Martii incipiente, in illis hortis apud nos reſtituta eſt, qui vulgariter *Cuſtoris piſcina* dicebantur, ac non procul mœnibus, ſub propugnaculo, quod *Bachorum* agro imminet, ſiti, *Pauli Hectoris Mairi* erant, dicique *Nova ſtructura* occepit. Adhæc abrogata ea pannaria domo, quæ perdiu jam ſub ſaltatorio theatro fuerat, ac contiguo macello propter loci anguſtiam addita, conſtructæ Senatus urbani juſſu piſtoribus ſunt novæ ad vendendos panes ſellæ ad occidentale ejusdem domus latus forinſecus ſunt.

Theologorum conventus Franckfurti.

Senatus cellam extruit.

Aquæ tubuli duplicantur.

Incendium.

Duo monſtra.

Nova ſtructuræ origo.

Novæ piſtorum tabernæ.

Anno Domini MDLVIII. toto Januario neque nix neque pluvia *Auguſtburgi* fuere. Eſtque tandem Chriſtus in publicam civium ſcholam ibidem iterum receptus, quando nimirum ſcholarchæ piorum conviciis provocati III. die Februarii pædagogis permiſerunt, ut denuo Evangelia dominicalia ſabbatinis diebus, græce & latine κατὰ λέξιν tantum, pueris exponere poſſent. Decennio enim & eo amplius, non ſolum novum teſtamentum, ſed & Chriſtiana catecheſis a ludis literariis hic exularunt. Eodem hoc menſe celebrata *Franckfurti* ad *Mœnum* ſacri imperii comitia ſunt, in quibus poſteaquam *Carolus* V. Auguſtus, qui ante biennium menſe Septembri cum duabus ſororibus e *Belgio* in *Hyſpanias* abierat, rerumque mundanarum pertæſus, immo curis, atra bilæ, & arthritide confectus, meditatione mortis pœnitentiam actorum in proprio ſibi parato clauſtro jam agebat, per authenticas literas, nec non ſolennes legatos, ſex præſentibus Electoribus principibus imperatorium munus cum gratiarum actione reſignaſſet, ſtatim XXIIII. ejus menſis die, arduiſſimas illi tum conſultationes, tum deliberationes ea de re habere cœperunt. Ac facta VIII. Martii die unanimi electione, FERDINANDUS frater dicti *Caroli*, jam antea Cæſar, novus Romanorum Imperator, renunciatus, ſolitisque ritibus, ſummo pontifice neque requiſito neque adprobante proclamatus eſt. Decimo nono dein die Julii, traducti publici apud nos libri a *Minoritarum* cœnobio, ubi diu jam negligenter aſſervati fuerant, denuo ad *prædicatorum* clauſtrum vicenis annuis aureolis ſunt, donec tandem proprium domicilium ad *Annam* nacti fuerint. Poſtea IIII. Auguſti Duumviris ſæpe nominatis *Rehlingero* & *Peutingero*, cum *Melchior Illſynchus* occaſione ſenilis oblivionis a conſulatu eſſet dimiſſus, *Johannes Baptiſta Haintzelius* in locum ejus fuit lectus, atque ita hi apud nos ordinarii per vices quatuor menſium conſules extitere, *Leonhardus Chriſtophorus Rehlingerus* cum *Matthæo Schellembergero*, *Chunradus Magrus* cum *Wulffo Ballero* & jam dictus *Haintzelius* cum *Ulrycho Hiebero*. Circiter XV. ejusdem menſis diem, cœpit nobiſcum cometa noctu ſub cauda *Urſæ majoris* apparere. Quo anno præter ea, ſicuti de altero ſequente, cœperunt primum

A. 1558. *Evangelia in Anniana ſchola rurſus explicantur.*

Comitia Franckfurti.

Ferdinandus Imperator.

Librorum a Minoritis ad prædicatores translatio.

Magiſtratus electio.

Cometa.

A. 1560. *Salientes*

aquæ civibus distribuuntur.

mum Senatus autoritate ſalientes aquæ per piceos canaliculos cuilibet petenti civi ad proprias ædes pro labris & balneis, tacita quadam exactione, apud nos diſtribui, ac certo dimenſum tanquam per clepſydram dividendi. Hoc item ipſo anno, executio fieri primo cœpit, teſtamenti illius, quo *Leonhardus* in *Hofo*, paulo pridem mortuus, præter alia pia legata, in elocandas pauperes virgines aliasque egenis diſtribuendas eleemoſynas, quatuor ſtudioſos non ſpernendo ſtipendio ſingulis annis ſacræ theologiæ mancipandos inſtituerat. Super qua re non longe poſt diſſidium inter *Antonium Rudolffum* & *Matthæum Welſerum* teſtamenti tum curatores ortum fuit. Hic enim cum pontificius eſſet, voluit omnes illos ſtipendiarios *Ingolſtadium* & ad ſuæ religionis academias ablegare. Illo vero contradicente, id nunquam fuiſſe teſtatoris mente, utpotè qui ſemper Evangelicæ veritati contra humanas & monachorum traditiones faverit, euictum tamen apud favorabiles arbitratores ferme fuiſſet, ut cum *Hofenſis* neutrius Theologiæ nomen, clare expreſſerit, Candidati partim ſcholaſticæ, partim Evangelicæ Theologiæ adhibiti eſſent, ni generi teſtatoris *Baptiſta Haintzelius* & *Andreas Welſerus* cum *Hieronymo* filio ejusdem *Hofenſis*, utut valetudinario poſt 17. annos primam intentionem jure obtinuiſſent ſervandam, tam ſunt ſemper filii mundi hujus quam filii lucis prudentiores. Demum promulgatis per præconem tota urbe noſtra XXVI. Nov. die, futuris comitiis hoſpitiisque pro neceſſitate advenarum inſtructis, venit *Ferdinandus* Imperator *Aichachio* huc, pullato comitatu, veſpere ultimi Decembris, qui dies ſabbatum erat. Eſtque extra urbem ad *Lechi* pontem ab urbis curatoribus conſulibusque pro more exceptus, ſubque ſericio umbraculo, quod duodecim ſenatores in vices geſtabant, per medium civitatis, usque ad *Leonhardini* obſoleti fani regionem honorificentiſſime deductus, ſtantibus in utroque platearum latere a *rubra* porta usque ad ſummam ædem, continuis armatorum civium manipulis. Inde majeſtatem ipſius univerſi cleri ſacris veſtibus induta cohors, ſub ſuum cœlum, ut vocant, accipiens, ad cathedrale *divæ virginis* templum comitata fuit, ubi facta benedictione ad *Antonii Fuggeri* ædes in forum vinarium rediit, ibidem per comitia commoraturus exploſis interea temporis a propugnaculo *Eſeri* uſque ad *rubeam* turrim omnibus majoribus tormentis.

Lis de legato Hofenſi, cui diſtribuendum.

Ferdinandus Augſtburgum venit.

A. 1559. *Xenium Imperatori datum.*

Mox Kalendis Januarii immediate ſequentis MDLIX. anni, obtulere a prandio Duumviri, conſules ordinarii, ac ædiles civitatis *Augſtburgenſis* Imperatori *Ferdinando* in Xenium hoſpitalitatis decem magna vaſa exquiſiti *Germanici* vini, duas lagenas *Illyrici* vini, LII. majores modios avenæ, octo orcas delicatiſſimorum piſcium, & tres argenteas probe deauratas, triginta quatuor beſſes ponderantes, pateras, cum MM ipſius imagine ab una parte, & altera civitatis noſtræ pinea noviter ſignatis aureis nummis. Inde V. die ejus menſis, præſtitum eſt publicè apud *Berlejum* circum, eidem Imperatori in mœniano curiæ civium ſtanti, *Seldio* procancellario verba proclamante a S. P. Q. *Augſtburgenſe*, conſuetum fidelitatis jusjurandum, magna frequentia religioneque. Ad quod is omnem gratiam antiquorumque privilegiorum & conſuetudinum conſervationem repromiſit. Cum tamen finitis comitiis ſtatim ipſius mandato *Burgavienſis* Marchiæ præfectus ipſius, multa civibus in venandi aucupandique præſcriptionibus violenter ademiſſe culpetur. Interea fundatum Senatu adprobante hic eſt non procul *rubra* porta, novum hoſpitale, pro duodecim valentibus ſenibus, quod *Chunradus Herbſtius* civis, initio in prædium ſuum *Harthauſam*, ſub cognatorum tutela pro ſex tantum pauperibus teſtamento inſtituerat. Poſtea XXV. Februarii die celebravit Imperator *Ferdinandus Carolo* V. fratri ſuo, qui XXI. Septembris die anni ſuperioris inter *divi Hieronymi* religioſos, apud cœnobium S. *Juſti* prope *Granatenſem Beticæ Hyſpaniæ* urbem, poſt tot clariſſimos triumphos, *Anachoretæ* inſtar, tabidani cum morte vitam ſatis obſcure commutaverat) exequias tum pompoſiſſimas, tum ad ſuperſtitionem usque ethnicas. Nam ut caſtrum doloris cum innumeris imaguculis cereisque in ſummo templo erectum, parietes cunctas nigris pannis toto eo templo obductas, & infinitas cum offertorio miſſas ibidem factas & repetitas ſilentio præteream, per civitatis plateas a diverſorio Imperatoris, usque ad jam nominatam *Marianam* ædem, publica via novis aſſeribus, ceu mitratorum antiſtitum abbatumque cætum, ſericia ſingulorum regnorum provinciarumque vexilla, plalerati item ac funebres cum eorundem inſignibus equi, nec non biceps Aquila, gladius, ſceptrum, globus, aurea corona, ſcutum atque paludamentum demortui principis, a ducibus, comitibus, Baronibus, & auratis equitibus decentiſſimo ordine, ante ipſum Imperatorem, petaſo ac pallio laneo atratum, pedesque cum ſuis conſiliariis, ac tota aula lugubriter incedentem, geſtata ac deducta pro more in cathedrale templum fuerunt, ubi vexilla ea in choro majore trophæi inſtar, hodieque ſuſpenſa cernuntur. Proceſſus ac pompæ hujus delineatio mox deinde *Dillingæ* pulcherrime typis excuſa fuit. His ita haud leviſumptu peractis, factaque ſoleniter III. die Martii tractandorum propoſitione, inchoata fuere hic comitia. Adquæ reipublicæ noſtræ nomine deputati erant, *Hieronymus* in *Hofo* ſenior, & *Johannes Baptiſta Haintzelius*, cum *Sebaſtiano Chriſtophoro Rehlingero* jurium doctore. XVI. ejusdem menſis die, fractus fuit ſupinus, aſſeri uti latrones ſolent, alligatus, a Senatoria domo

Fidelitatis jusjurandum præſtant Augſtb.

Hoſpitale conditur.

Caroli V. exequiæ celebrantur Augſtburgi.

A. 1558.

Comitia Augſtburgi.

Elſaſſerus ultimo ſupplicio afficitur.

per

per meditullium civitatis, ad *Marianam Werdachæque* pontis portas, ad capitalis ſupplicii tumulum, *Joachimus Elſaſſerus* civis, atque ex gratia decollatus lata ſententia eſt, quod uxorem veneno ſuſtulerit, ac *Heſſlino Grumbachenſi* aliisque prædonibus tum noſtros homines tum ipſorum merces prodiderit. Martii dein XXVI. die confirmavit Imperator *Ferdinandus* tabulis luculentiſſimis omnia prædeceſſorum ſuorum & maxime fratris *Caroli* V. privilegia, quibus illi civitatem hanc clementiſſ. condecorarunt. Cum primis vero eam immunitatem reiteravit conſtabilivitque, qua cavetur, ne quis hominum, & præcipue ex Judæis, qui apud nullum non tribunal *Chryſoſtomum* advocatum habent, vel Senatum vel quemcunque civem hinc ad alienum forum citare, aut extra civitatem in jus pertrahere debeat. Addendo ſpeciali gratia in favorem publicum, ut privilegio huic nihil derogetur, neque civitati noſtræ fraudi ſit, ſi privata aliqua perſona in pactis ſive obligationibus juri iſti vel neceſſitate adacta, vel malitia ſponte ceſſerit renunciaveritque. Quo tempore dum multi præſertim exteri, contra Evangelicam religionem multa machinarentur, excitarunt & hic XXIIII. Aprilis die, comitis a *Luna*, *Philippi Hyſpaniarum* regis legati, famuli quidam tumultum, in ſacello hoſpitalis S. *Spiritus*, ſub ipſa ſacra concione, idque tanta protervia, ut ni *Hauſsmannus* Eccleſiaſtes, auditorum monitu & auxilio ex ambone ſibi fuga conſuluiſſet, interfectus a nebulonibus iſtis fuiſſet. Qui quanquam prehenſi & in carcerem merito conjecti fuerint, impune tamen dimiſſi brevi ſunt. Poſtquam autem Imperator *Ferdinandus* XXVI. jam nominati menſis die, præſentes Electores & principes, abſentiumque nuncios, una cum comite de *Luna*, regis *Hyſpaniarum* & archiepiſcopo *Viennenſi* regis *Galliarum* legatis, regali convivio excepiſſet, qua potuit, grandiloquentia & arte, cunctos adhortatus obteſtatusque eſt, ut & aulicos ipſorum & reliquos ſubditos ab ebrietatis vitio, & enormi propinandi conſuetudine prohiberent. Quod tamen adeo fere nemo præſtitit, ut in proverbium abierit. Dein ultima Aprilis excepit ſimili prandio comes a *Luna*, ſui regis gratia, itidem cunctos *Germaniæ* principes, in ſuo ad Judæorum clivum hoſpitio. Circiter hoſce dies, *Sciatherium* ſolare in ſupremo chorearum theatri muro, verſus meridiem, pictum primo Imperatoris inſtinctu hic eſt. Inde Maji XVIII. decretum in ſenatu civili factum eſt, ut pauperes & capite cenſi, qui civitatem forte apud nos empturi eſſent, nullam tribum aut artificii alicujus jus comparent, ſed decem aureos fiſco numerent tantum, ac datis vadibus ſpondeant, ſe eleemoſinam, e publico, quem vocant, loculo, intra quinquennium non petituros eſſe, tantus erat tunc mendicantium & ocioperditorum apud nos numerus. Poſt iſta mos ille ſub Julium menſem initio apud nos introductus in nuptiis fuit, ut virgunculæ quæ invitatos, priusquam ſponſus ac ſponſa ad templa conducuntur, ſerulis redimunt, coronantque, una etiam in templa ſponſam præcedant, cum hactenus peracto illo ſuo munere, domi ſemper manendo ſponſæ reditum exſpectare conſueviſſent. Quando autem in hoc usque ævum, per communium horologiorum tintinnabula, paſſim per urbem hunc integrarum ſolum horarum numeri, malleorum ictibus, ſignati eſſent, juſſit *Ferdinandus* Imperator, ut etiam quadrantes earundem certis percuſſionibus intimarentur, unde Senatus confeſtim novam campanam ad inſtitutum illud fundi, ac ſupra veterem horologii in curia campanam proprio altioreque apice ſuſpendi fecit. Quæ dein XXV. Julii die, ſingularum horarum quartalia, ut dicunt, tam noctu, quam interdiu, novo modo ſonare αὐτοματῶς cœpit. Interea ſub veſperam IIII. die Auguſti, bruto fulmine tacta eſt in foro vinario *Urſulæ Ehingeri* viduæ domus: quod a ſummo tecto per aliquot contiguationes, perque menſam cœnantis *Seldii*, Imperatoris vice cancellarii, ibidem tunc diverſantis, usque in contiguas *Hieronymi Krafftheri* ædes, citra hominum inſignem læſionem perrupit. Simili fulmine poſt octo dies, itidem & ſub veſperam & citra damnum, campanaria S. *Moritii* turris, maximo fragore perculſa fuit. Tandem recitato in Curia præſente Imperatore XIX. die Auguſti, per *Chriſtophorum Matthiam*, *Moguntini* Electoris cancellarium receſſu, quem vocant, finita ſunt comitia, abieruntque XXI. jam dicti menſis die, ſtatim a prandio ipſe Imperator, & *Carolus* filius ejus, cum *Albrechto Bojariæ* duce *Monachium*: quos reliqui principes & ſtatuum legati ſecuti, domum conceſſerunt quoque. Dilata vero propter comitiorum negocia, electione, luſtratus demum XXIX. ejus menſis die a Duumviris, Magiſtratus civilis apud nos eſt, nihilque vel inter conſules vel reliquos ſenatores, a ſuperioris anni ordine contigit evariari. Deinde celebrata pro more IX. die Octobris hippodromia, obtinuit primum celeritatis bravium *Balthaſaris Trantſuni* baronis a *Schrofenſtaino*, ac imperatoris Marchſchalci equus. Ejusdem menſis dein XV. die petierunt verbi apud nos miniſtri per ſupplicem libellum, a Senatu urbano, ut *catechiſmum*, hoc eſt, *Chriſtianæ fidei elementa*, pueris & imperitæ plebeculæ publicis concionibus interpretari, ſucciſivis temporibus liceret, præſertim ejus rei cauſa, quod jam pontificii haud ſincerum ejusdem argumenti libellum, apud nos in vulgus ſparſiſſent. Impetrata itaque facultate pie inter eos convenit, ut deinceps ſemper, diebus Mercurii hora tertia pomeridiana, per omnia auditoria parochialia, adductis ex omnibus ſcholis tum puellis tum pueris, catechiſmus non ſolum ſimpliciter ac dilucide docen-

Antiqua privilegia confirmantur.

Tumultus adverſus Evangelicos excitatus.

Imperator ebrietatis oſor.

Decretum de pauperibus civitatem adeuntibus.

Mos circa nuptias.

Horæ quadrantes intimari incipiunt.

A.1560.

Fulmina.

Comitiorum finis.

Hippodromia.

Catechiſationis origo.

docendo, sed & diligenter examinando, repetendoque in usum reduceretur. Estque sancti hujus operis exordium XXV. ejusdem mensis die primo hic sumptum, utut Sectarii nostrates, multum obgannientes, curarint clam acre & famosum scriptum valvis *Annianæ* ædis XXVI. die Novembris, contra *Lutheri* catechismum adfigi: cum tali subscriptione epiphonemateque, *Avarorum, Ambitiosorum, Falsorumque Doctorum & Pastorum consensus* ac *fœdera, semper ecclesiæ Christi crucem & perditionem extitisse.*

Incendium Cæterum totus iste annus, plane infaustus A suo quodam modo nostris civibus extitit. Nam præter incendium, quo pecuaria seu rustica domus cœnobii *Ulrychiani*, una cum duabus vicinis domunculis, XIIII. Novembris media nocte, non procul templo eo conflagravit. Perpetrata quoque plus minus tredecim latrocinia ac parricidia, quibus desperati homines partim semetipsos sponte, partim alios violenter iracundeque jugularunt, intra muros civitatis hujus fuerunt. Demum XXIV. Decembris promulgavit Senatus noster publico mandato, ejus monetæ valorem, quam Imperator *Ferdinandus*, rejectis usitatis thaleris, una cum novis blaphardis, pro *Germaniæ* ulteriore usu, paulo pridem plurimis principibus reclamantibus, decreverat. Simul ac idem Senatus, omnem inter cives usuram hic præter quincuncem serio prohibuit. Porro eodem hocce anno percrebuit novum quoddam fornaculorum genus, & scientiæ cujusdam nomen, qua lignorum parsimonia, a *Zwickio Constantiense*, impetrato a Cæsare speciali privilegio, pecunia docebatur. C Verum ea apud nos hic a multis experta, non diu potuerunt stare. Non plus fere impendi in fornacum focorumque structuras, quam in ligna ipsa per annum insumenda erant. Est & nova officina pro vitre, aminibus conflandis, prope *Oberhausam* non procul urbe nostra, constructa a *Georgio Hamerero* cive & vitriario, quæ ibidem brevi evanuit. Quin item & frugalitatis leges nonnullæ cœnopolis & cauponibus a Senatu publica præconis voce præscriptæ ex Curiæ podio sunt.

Homicidia

Lex monetalis & usuraria.

Novum fornacium genus.

Officina vitriaria exstruitur.

A. 1560. D Anno salutis MDLX. curavit Senatus *Augstburgensis* mense Februario, pineorum lignorum acervos eos, quos ad *Lechi* rivum, qui a *ratibus* denominatur, innumeros habebat, in civium commoditatem dividi, orgijam videlicet 17. batziis. Dein cum præter alios *Germanos* soli nostrates mercatores, permagnam auri summam, ad septingenta ferme scutorum millia, hactenus *Gallorum* regibus, *Francisco* nimirum patri *Hainrycho* II. & *Francisco* II. filiis, mutuum dedissent, ac diu jam nihil de usura, quæ haud levis erat, nedum de sorte reciperent, missi hinc VIII. Aprilis in *Galliam*, regisque adeo aulam, creditorum eorum nomine sunt, *Hieronymus* in *Hofo* senior, *Andreas Welserus* & *Johannes Hartliebius*, cognomento *Walspornius*, qui assumpto secum causidico quodam *Valentianense Johanne Lubetio*, omnem diligentiam in eo negocio per aliquot menses & sedulo & sollicite quidem adhibuere, verum parum effecere, vacuique domum rediere. Inde cum hactenus annonæ præfecti, pistoribus nostris, duodecies mille majores modios frumenti, quemlibet XXIII. tantum solidis pro sublevanda caristia, vendidissent, nec tamen multum id conferret, curavit demum VIII. die Maji prudentissimus Senatus, in proprio atrii herorum pistrino, panes suo sumptu confici, quorum singuli tres & dimidiam civiles libras ponderantes, septem nummulis municipibus tenuioribus, usque in XXX. diem Octobris divenderentur. Publico autem foro tunc temporis, major modius tritici triginta octo, Olyræ triginta tribus, hordei viginti quatuor solidis, & avenæ eadem mensura, viginti quatuor batziis venierunt. Porro a vigilia paschatis lapsi anni in ejusdem solennitatis profestum præsentis anni, mactata *Augstburgi* nostri, tredecies mille boves publico macello fuerunt. B Decimo quinto Julii die, surripuerat ancilla quædam, *Anna Beurina* nomine, *Memmingensis*, quadrimum puerum filium *Marci Plattneri* in *Saxonum* viculo ante ædes oberrantem, ac e vestigio illum *Oberhausam* abducens, Verpo (qui fœnus episcopi concessione illic impudentissime exercebat) ad vendendum indicit. Ibi cum forte fortuna vicini duo, quibus puer notus erat, adessent, tum is a plagiariis in tempore liberatus, tum ancilla in nervum conjecta, ac XXIII. ejus mensis die virgis cœsa civitateque ejecta est. Quinto dein Augusti *Hainrycho Rehlingero* & *Christophoro Peutingero* dictatoribus, lustrati recepta consuetudine consulum & Senatorum ordines hic sunt, nihilque in illis mutatum fuit, præterquam quod loco defuncti *Langenmantelli*, *Hansius Fœlinus* ad Silentiarios lectus sit. Vicesimo septimo autem ejusdem mensis die, quando *Antonius Fuggerus* periculosissimo vesicæ decumberet morbo, ac præter nostrorum medicorum operam, etiam *Verona*, nam *Patavio* non poterat, medicum doctorem per magno evocasset, jussit pro redimenda sanitate sua singulis pauperibus, in publico civitatis hospitali, similiter & in tribus leprosorum nosocomeis, quatuor aureos nummos, in eleemosinam distribui. Mille item taleros egenis patribus familias & judicis, qui locatorum ædium census solvere ægre poterant. Denique mille aureolos mendicantibus quibuscunque per civitatem publica stipe erogari. Verum cum vitæ terminus nulli pecuniæ cederet, prævalente fato XIIII. Septembris diem suum is obiit, estque insueto civibus funere, utpote jam comes, *Babenhausam* suam deductus, cum prius non triviali ceremonia, apud *divum Mauritium* illi parentatum fuisset, singulisque miseris cujuscunque ætatis ac sexus, ad S. *Katha-*

Ligna venduntur.

Nomina a Gallis frustra exiguntur.

Cura circa annonæ caritatem.

A. 1559.

Beurina plagii pœnam luit.

Magistratus electio.

Fuggeri in pauperes liberalitas

Ejusdem obitus.

S. *Katharinam*, ſex cruciferi iterum eſſent dati, in qua ſtipe mendicantium capita quatuor millia ferunt numerata fuiſſe. Cæterum hoc menſe profecti *Studtgardiam* ad arcubaliſtarum ludum, cujus primum bravium centum ducales aurei erant, hinc ſunt *Jacobus Meitingus*, & *Marcus Langenmantellus*, cum quatuor aliis civibus, quorum cuilibet Senatus XX. aureolos pro viatico numeravit. Interea dum inopes *Anniani* ludi ſcholares, papiſticos imitati, ante paucos menſes, victum ſibi pſalmorum cantu, A oſtiatim quærere etiam incœpiſſent. Atque illos mox omnis generis etiam ruſtici & illiterati pueri quoque ſecuti eſſent, usque adeo pauperum illorum clamor & numerus, indies per omnia compita, plateasque invaluit, ut non modo plerisque tædioſa, ſed & beneficis moleſtiſſima, immo cunctis mali exempli res ſit viſa. Quapropter mandatum X. die Septembris per urbanum Senatum cunctis ludimoderatoribus eſt, operam dent, ut pauperculi illi, tantummodo diebus Veneris ac Solis, per ſeptimanam, ante meridiem, ab hora X. ad XII. & B veſpere ab hora IIII. in VI. cantando mendicarent, idque ſolum *Annianæ*, *Marianæ*, *Moritianæ*, & *Ulrychianæ* ſcholarum certis manipulis indultum ſit, quam juſſionem magnus Canonicorum decurio, ſupercilioſa quadam officii ſui præſumptione, impugnare quidem non erubuit, veruntamen nihil de jure obtinere potuit. Demum VIII. Novembris adobruit contra pacificæ libereque civitatis jus, *Schertlinus* miles auratus, ſeptem armatis equitibus ſtipatus, inermen & nihil tale expectantem, *Geryonem Sailerum* medicum doctorem, non procul ipſius ædibus, ad S. *Stephani* aream, ac quod aliter de bello, quod ipſe *Schertlinus* cum *Ludwicho* comite ab *Oetinga Biſſingæ*, propter ſuperioritatem & venandi jura, tunc gerebat, quam is vellet, locutus inter noſtros fuiſſet, eundem ferrea clava admodum inepte feriens gravius pulſaſſet, ſi non bonus ille vir equi curſu, quo in viſitando ægrotos cottidie per civitatem utebatur, iram hominis declinaſſet. Quod factum tandem ad imperialis cameræ judicium, delatum, utcunque transactione compoſitum fuit. D Inde XXVI. ejusdem menſis die, morti adjudicata prætoris ſententia eſt *Anna Kepleria*, quod bimulum infantem, cui inſervire debuerat, ex ulnis in terram projecerit, adactisque in pectuſculum ipſius calcibus penitus occiderit. Quia vero minorennis & nondum XIIII. annos nata eſſet, perpetuo carceri ac muris in magno hoſpitali ex gratia incluſa fuit. Tandem XXVIII. Decembris die, qui *innocentibus ab Herode Aſcalonita, Judæorum rege truculentiſſimo, metu Chriſti, trucidatis puerulis* ſacer habetur, viſum eſt cœlum mane ante ſolis ortum undique ardere, & totus aër ab omnibus mundi plagis, flammæ inſtar rutilare. Quod oſtentum licet ſoli *Berlejæ* ſpeculæ vigiles apud nos obſervarint, adparuit tamen inde ab *Helvetia* usque in *Saxoniam* plurimis mortalibus. Cæterum abrogatis uncialibus thaleris, item & argenteis illis, quos *Carolus* Imperator ante decennium didrachma auxerat, quorum hi XVIII. illi vero XVII. batziis conſtabant. Cœperunt currente hoc anno *Ferdinandi* Imperatoris decreto, argentei iſti nummi, qui pini fructu ſignati, LX. cruciferos, hoc eſt, monetarium aureolum pendent, apud nos primo cudi, idque non parvo vulgi murmure, mercatorumque verſura ſunt adhæc eodem hocce & ſequente anno quadraginta octo habitationes cum officinis pro fabris quibuscunque in vetera mœnia procumbentibus, in civitatis foſſam ſtructuris, a gerontocomejo apud *Minoritarum* templum, e regione equini fori, usque ad S. *Urſulæ* clauſtrum, ſenatus urbani conſilio, tali commoditate extructæ, ut neque noctu vigilibus, neque interdiu funariis tranſitum ſupra ſe impediant, quarum quælibet annuos aureolos XII. fiſco numerat. Deletæ præterea in ambitu templi apud D. *Annam* totius Bibliæ hiſtoriarum veteres picturæ ſunt, ac mox in earum loca, cives aliquot, epitaphia, generisque imagines propter ſepulturas ſuas poſuerunt. Divendita item amplius præſente anno, ſaliens aqua per ædiles, ea conditione civibus extitit, ut pro uno aquæ ductu, qui ægre duo epiſtomia in ſubjectum labrum exili fluore manantia replet, ducenti aurei exponerentur, in promptu, vel annali penſione X. aurei ærario inferrentur. Celebratis præterea per totum anni hujus circulum DCXIII. nuptiis publice in civitate C *Augſtburgenſe* CCC. ex illis ad ſolam textorum tribum pertinuerunt. Quin item quod peſſimum eſt, commiſſa uno hoc anno in urbe noſtra quinque latrocinia voluntariaque ſuſpendia ſunt. Eſtque Suarium forum a *Jacobino* ſuburbio extra *Aviarium* portam relegatum.

Anno Domini MDLXI. quando ſub maximum frigus, frequentesque ac profundas nives, itinera hinc inde a prædonibus obſeſſa, nihilque per totum hoc territorium tutum præ illis eſſet, ac ipſius provinciæ noſtræ præfectus *Eberhardus* nimirum *Freibergenſis*, negligentiorem ſe in coërcendis malis præberet: impetravit Senatus noſter menſe Martio ab Imperatore *Ferdinando*, ut eo exauctorato, *Johannem* a *Rehberga* torquatum equitem regiunculæ & civitati *Augſtburgenſi* præficeret. Eſtque dein XXVI. Aprilis inſignis ille deprædator, *Petrus Egerus Straſsburgenſis* extra mœnia hic in conſueto colle, cum tribus complicibus tandem capite plexus. Delineata Majo hujus anni menſe, ad quatuor *Berlejæ* turris latera, aſtronomica ſeu ſolaria horologia, non inſcite apud nos primum fuerunt, *Chriſtophoro Schiſslero* Zographo, & *Georgio Sergo* pictore. Porro XXIX. Julii die venerunt *Monachio* huc ſolatii gratia, a

Arcubaliſtarum ludi Stutgardiæ.

Lex quando & quibus pueris cantando mendicare ſit permiſſum.

Schertlinus Sailerum boſtiliter invadit.

Kepleria homicidii dat pœnas.

Cœlum ardet.

Nova moneta cuditur. A. 1550.

A. 1561. *Fabrorum officinæ in mœnibus exſtruuntur.*

Saliens aqua venditur.

A. 1561. *Johannes a Rehberga præfectus.*

Supplicia a latrinibus ſumta.

Sciatherica conduntur

VI. fœminæ principes

Augſburgum veniunt. Senatu noſtræ invitatæ, tredecim celeribus trigis, quas *Ungrice Gutſchas* vocant, quinque innuptæ Impetatoris *Ferdinandæ* filiæ, *Magdalena*, *Margareta*, *Barbara*, *Helena* & *Joanna* cum *Albrechto Bojariæ* duce, ejusque conjuge *Anna* ac matre *Jacobe*, diverteruntque in ædibus *Jo. Jacobi Fuggeri* manſeruntque hic quadriduo, non ſine omnis generis jucunditate, ſaltatiunculis, conviviisque. In cujus feſtivitatis celebritatem, fecit ſolus Senatus civilis MM. & D. aureolorum ſumptus. Sexto die Auguſti aſciverunt ſibi denuo pro veteri more *Hainricus Rehlingerus* & *Chriſtophorus Peutingerus* urbis noſtræ Duumviri, tum conſules, tum Senatores, allectique in ſilentiariorum numerum, vice *Marci Pfiſteri*, apoplexia mortui; *Conradus Mayer*, nec non vice *Antonii Rudolphi*, marasmo conſumpti, *Hieronymus* in *Hofo* ſenior ſunt: dumque ordinariis ſuffragiis *Marcus Ulſtettius* Patritius *Mayro* in conſulatu ſubſtitueretur, maluit obſtinatus ille juri municipali renunciare, *Menchingamque* migrare, quam eo officio fungi (is poſt ſeſqui alterum annum cum fratribus *Davide* & *Paulo*, conditoribus trecentorum aureorum millium fidem fefellit) *Cunradus* itaque *Fœlinus* patritius in locum ipſius conſul tandem lectus eſt: ſicuti & *Matthæo Schellembergio* pharmacopæo XXIIII. ſuperioris menſis die, in ipſo Senatu ſubitanea morte extincto, ex majore patritiorum ſodalitio ſuffectus eſt *Sixtus Eiſelinus* conſul, quod *Leonardus Sultzerus* ante ipſum rite electus, corporis valetudine mala ſeſe rite excuſaſſet: vice denique *Udalrici Hieberi*, qui ob ſurditatem & alias ſenectutis incommoditates miſſionem exorarat; *Hainricus Kronius* Cyſtellarius conſulatum ſuſcepit. Porro XX. die Octobris ab hora X. antemeridiana usque ad III. pomeridianam, tam vehementes Corus ac Zephyrus *Augſtburgi* continenter flarunt, ut mirum dictu ſit. Nam præterquam quod apices cum vexillis infumibula lateresque e ſummis plurimarum ædium tectis deturbarunt, hominesque per patentiores plateas gradientes, nec non quædam plauſtra fœni humi proſtraverunt, prægrandem & eum truncum, quo Coriarii e regione frumentariæ tabernæ, boum tergora ſub Dio expectare ex rure ſolent, vi loco ſubmoverunt, & aliquot pedum ſpacio, refracto ad oppoſitas domos turbine, in mediam plateam retro projecerunt. Poſtquam vero Senatus *Augſtburgenſis* paulo pridem maxima argenti ſumma, totam ripam fluentaque *Lechi*, noſtra ex parte ab *Albrechto Bojo* duce in Reipubl. bonum mere jam comparaſſet: ſtatim inſanis ſumptibus in *augia*, quam ſic ſupra *Rubram* portam vocant, in medium usque dicti fluvii alveum, fortiſſimis arcis profundiſſimisque fundamentis e quernis palis, reſtagnantia repagula, pro deducenda ad civitatem noſtram perpetua, aqua, *Valentino Schmidio Brigantino Sylvano* architectone fieri cautiſſime fecit. Et exinde curarunt ædiles XXII. die Octobris ſummo mane per mercenarias operas, ſtatuam eam, quæ prope telonii ſuperioris tabernam ad *Lechum*, ſcutum & arma principum *Bojariæ* oſtentabat, dirui funditus, ne inſigniorum occaſione diuturna vicinorum præſcriptio, eo loci aliquando revireſceret, ac *Boji* iterum aliquando limitaneum ditionis ſuæ terminum ibidem eſſe aſſererent. Quam demolitionem ubi *Onophrius Berwangerus* judex *Fridbergenſis*, nutu principis fieri neſciret, tantum non turbas eo die noſtris dediſſet. Curavit autem & hocce anno *Hanſus Stöcklinus*, primarius Eleemoſynarum apud nos curator, ut peregrinorum hoſpitali privatum etiam Noſocomejon adderetur, in quo egeni malignis & pravis ulceribus tumoribusque non tamen ſyphilide ortis, propter Deum curarentur, atque ita primo die Decembris amputatum in eo *Annæ Möllinæ* ex *Donhauſa* famulæ, (cui ambæ mammæ citra omnem abſceſſum in tantam molem excreverant, ut illas, alioquin ſana; amplius ſufferre neque ſtans neque ſedens poſſet) per *Hanſum Schallerum* tonſorem noſtratem ſiniſtrum uber, id excarnificatum XI. libras civiles ponderavit, ac conſolidatum iterum eſt: cumque idem tonſor etiam dextrum poſtea ſimili chirurgia tollere vellet, noluit puella idem periculum amplius ſubire, ſed hoc onere levata unimamma permanens, ſolitasque functiones ancillando ſubiens, reliquis vernis ſemper mammoſior apud nos eſt viſa. Cæterum eodem hoc anno ampliatum *Divi Ottmari* cum laguncula ſacellum, quod poſt reſtitutionem Monachorum ſacris concionibus ad *Crucianum* templum Evangelicis ſervierat, ac privata turricula campanulaque Reipublicæ expenſis ornatum eſt. Interea temporis ſparſus apud nos per autumnum *libellus famoſus* fuit, vulgo *Paſquillum* vocant, in quo non ſolum inſulſis cavillis, ſed etiam tetris calumniis, univerſi utriusque juris, æque ac Medicinæ Doctores, civitatis hujus, nominatim perſtringebantur, adſcriptis deſuper titulo doctorum fatuorum quorundam nominibus. Quæ res honeſtos illos viros non parum vehementer exagitavit, adeo, ut de vindicta nonnulli cogitarint. Quapropter providus Senatus habita accuratiore indagine ſuper ejus autore, poſt multos alios, qui eum circumgeſtarant, extremo a *Marco Pfiſtero* juniore, ad *Hanſum Honoldum* res devoluta eſt. Is licet ſe verbis plurimum purgarit, & plane ſe neſcire, quis ſibi ebrio libellum eum in ſinum nocte quadam repoſuerit, jure-

Magiſtratus electio.

Violenti venti.

Lechus munitur.

Bojarica ſtatua diruitur.

Noſocomejon fundatur.

Mollinæ mammæ amputatur.

Ottmari ſacelli refectio.

Libelli famoſi autor detectus.

jurejurando affirmaverit, pro autore tamen habitus non omnino impune abiit. Præter ista inhibitum a Senatu civile hoc anno est: Ne quis posthac apud nos de nuptiis suis vel invitatis non venientibus ad prandia, vel opificibus ministrisque suis fercula cocta & vinum domum missitaret; quemadmodum in hunc usque diem dimidio ferme expensarum sumptu, factitatum prodiga sane consuetudine fuit.

Constitutio circa nuptias.

A. 1562. *Landsbergensis fœderis prorogatio.* Anno gratiæ MDLXII. mense Januario celebrarunt confœderati nostri *Landtsberge*, ac pacta renovantes, fœdus id in septem futuros annos prorogarunt, præsentibus Reipubl. *Augstburgensis* legatis, *Hieronymo* in *Hofo* seniore, & *Sebastiano Christophoro Rhelingero* syndico. Ejusdem Jan. VIII. die jussit Senatus ob minime dubias suspiciones falsi, *Hanso Adamo Tochtermanno* hospitalis ad S. *Spiritum* magistro, omnes rationum libros, commentarios, tabulasque subito adimi, unde is conscientia adigente, propere ad *Ulrychianum* asylum se proripuit, ex quo tamen XIIII. dicti mensis die, per prætorem *Bruyum*, præeuntibus *Ballero* & *Rehlingero* consulibus, abbate loci frustra protestante eductus, ac in civitatis vincula conjectus fuit: deprehensoque tandem ingenti peculatu, cum publicum suspendium abunde meruisset, XII. die Martii præter repetundas, ac trium millium aureorum mulctam ad perpetuos carceres ex gratia damnatus fuit.

Tochtermannus repetundarum damnatus.

Homicidia. Februarii VII. nocte interemptus manuali sclopeto ac dispoliatus ad ipsa nostræ urbis mœnia extra *Eseri* vallum est *Georgius Suiterus* publicus tabellarius, *Venetias* pro more preciosarum mercium promptæque pecuniæ plus minus decies octies mille aureorum pondus secum cum duobus clytellariis equis vehens, latrone cum sociis protinus dilapso. Quin & inter urbem nostram paucos post dies trucidatus *Hansus Thannerus* sutor a servo suo est quoque, quem domi nihil tale quærens, in adulterio cum uxore propria ex improviso deprehenderat, homicida ipso cum mœcha, antequam facinus cuiquam hominum vicinisque innotescere potuisset, repentina fuga evadente. Martii dein XVI. die jacta sunt prima fundamenta pro publica civitatis Bibliotheca inter *Annianum* templum & mœnia loco Spheristerii, *Matthæo Welsero*, *Carolo Peutingero*, atque *Joachimo Jenischio* ædilibus: Estque sequentis anni Decembre ad umbilicum septicipite tecto non inelegante absolutum. Cæterum hoc ipso Martio ac Majo mensibus duo notabilia latrocinia hic apud nos perpetrata, non tamen sine publica vindicta sunt. Quia autem *Ulricus Fuggerus* homo generosus, & singularis melancholicus, rerumque suarum perpetuus procrastinator, ultra centena sexagena aureolorum millia, alieni æris usura maxima contraxisset, nec a creditoribus ipsoque adeo Senatu sæpius prænonitus, satisfacere hominibus quod facile posset, pergeret; VIII. Augusti die, partim magistratus partim fratrum autoritate, adhibitis custodibus captivus domi suæ est factus: constitutisque *Joan. Jacobo* fratre, qui ipsum propter non obscuras causas extremo prosequebatur odio, ac *Marco* fratruele curatoribus, cuncta ipsius tam fixa quam mobilia bona, exceptis libris, quos preciosissimi thesauri instar, vetustissimos, exquisitissimos, raros & optimos in omnibus fere linguis ac professionibus habebat, sub auctione tam hic quam alibi, in tantæ familiæ dedecus, distracta vili precio sunt. Et licet orphanus ille Imperialis Cameræ opem sæpius, sed per inidoneos procuratores frustra implorarit, in novum tamen mensem usque tum duriter tum detrimentose, præsertim a dicto suo fratre defatigatus fuit. Qui cum similiter tantum non animam etiam deberet, ejusque rei causa urbem declinare diceretur, apud *Albrechtum Bojariæ* principem ceu in asylo, multa nobilibus provinciæ ejus criminantibus, vaferrimis versuris uti, in ejusque aula hærere tuto cœpit: cum interim supra dictus frater *Ulricus* amiculorum quorundam solicitationibus, a novo Cæsare *Maximiliano* II. super toto eo negocio Commissarios arbitratoresque sibi designari impetraverit, *Albrechtum* videlicet Pincernam a *Stauffenberga*, & *Sebastianum Schertlinum* torquatum militem, qui quo facilius negocium hoc amice componerent, statim *Joachimum* Comitem a vetere *Ortemburgo*, sororium captivi, sibi adjungentes, tandem XXIIII. die Aprilis sequente anno per transactionem clientem suum libertati restituerunt, debitaque cuncta ipsius ut moris persolventes, varia desuper in totius causæ decisionem omnimodamque restitutionem sedulo attentarunt: verum præ hominis suspiciosa pertinacia, fratrumque calliditate, in quartum usque annum nihil amplius expedire potuerunt, nisi quod MCCC. annuis aureolis deinceps vivere compulsus sit, cui hactenus ultra XX. millia aureolorum in singulos annos vix sufficerant. Quanquam ultimo subducto omnium calculo liquido compertum sit, afflictum eum hominem, multos annos interea apud *Fridericum Rheni* Palatinum & Imperii Electorem *Haydelbergæ* quasi exulantem, plusquam septuaginta aureorum millia adhuc de jure acquisito habere quidem, sed illis libere, partim præ ipsiusmet culpa, partim præ hæredipetarum attentione, frui non datum esse. Sed ad publica redeo. Tanta per hanc tempestatem mendicantium multitudo *Augstburgi* erat, ut ea difficulter civium quantumvis largis eleemosynis ali potuerit. Nam præter exterorum & vagabundorum mendicorum maximum numerum, solorum civium circiter nongentæ animæ publicam stipem singulis septimanis a Diaconis petentium, in pauperum commentariis, sive regestis consignata habebantur. Quapropter jussu Senatus cuncti

De quæ re arbitros Cæsar constituit.

Bibliotheca publica fabricatur.

Latrocinia.

Ulr. Fuggeri bona sub hastam veniunt.

Pauperum ingens numerus.

cuncti illi exactius examinati, vitaque ipsorum acrius inspecta est: fueruntque a constitutis *Eleemosynæ præfectis*, vulgus *loculi dominos* appellat, sub finem Julii mensis, omnes validi homines, & patres familias illi, qui ultra duos liberos non habebant, exauctorati: indictum tamen illis pro faciliore alimonia tunc fuit, si operas suas Reipubl. fabricæ locare velint, illis inter ordinarios mercenarios locum fore, numerandosque dietim, ut usus habet, viro septem & mulieri sex cruciferos. Eo itaque pauperum Catalogo per lustrum hoc, in trinis urbis dimensionibus, apud *Stephaninam* videlicet L. apud *Jacobinam* totidem, & apud *Ulrychianam* LXI. miseri tantum expuncti fuere.

Leges opificibus promulgantur. Porro autem ne manualium artium opifices, tanquam incerto statutorum scopo jaculari apud nos videri possent: curavit providentissimus Senatus, cunctorum artificiorum priores, currentis hujus Julii XXVI. die, in Curiam evocari, ac singulis in suo genere eas leges insinuari, quas diu jam præstantium mechanicorum consilio, tum æquitatis tum inculpati ordinis gratia meditatus fuerat, atque rite servandas conscribi præceperat. Quia vero *Anabaptistarum* secta B *Anabaptistarum conversio.* hoc tempore, denuo inter plebes nostrates repullulasceret; quam plurimi ex illis in carcerem conjecti, & qui ad saniorem mentem redire nolebant, civitate ejecti sunt. E quorum albo *Hansus Jacobus* sartor, fanaticorum istorum hominum antiquus receptator & quasi antistes, una cum uxore iterum quoque concaptivus diu extitit, ac domi novem liberos habebat, quorum nullus dum sacro baptismatis admotus erat. Qui cum resipiscere videretur (adhibuit enim Senatus eorum convertendi causa C non solum Evangelicos nostros Ecclesiastes, verum etiam *Lojolanorum* cautiosissimos disputatores) post duas septimanas cum uxore, erroris abjuratione ac magna cautione ad propria redierunt: Liberi autem ipsorum, interim per catechistas nostros in fide Christiana rectius instituti, qui minimi natu erant, variolisque laborabant, Kalendis Augusti domi suæ, numero quatuor, juxta modum Ecclesiasticum per *M. Joan. Metspergerum* Diaconum *Annianum*, in nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt: reliqui natu majores, atque sani numero quinque D proxima sequente Dominica apud *D. Annam*, finita antemeridiana concione, per *M. Georgium Dinckelspülensem* parochum, astantibus e tribu ipsorum patrimis, unda regenerationis perfusi publice quoque fuere. *Magistratus electio.* Post ista percensita, juxta *Carolinam* constitutionem III. die Augusti apud nos Senatorum classe, nihil in toto magistratu ab ea ordinatione, quæ superiore anno constituta fuerat, immutatum est, quam quod *Georgius Pfisterus* loco *Joannis Fœlini* ex rupto anevrismate cruris demortui, inter *Decoctoreti.* silentiarios connumeratus sit. Quanquam autem in hanc usque ætatem, Mercatorum fides *Attica* non inferior apud *Germanos* habita sit: non parum multos tamen, qui pecuniam maximis usuris fœnerabantur, alieni æris pondere aggravatos, aut etiam alios prodigos decoctores turpissime *fidem fallere*, Itali *bancos rumpere* ajunt, ac creditores suos usura pariter forteque defraudare, idque *Ulrychiani Fridbergensisque* asylorum proprinquitate, aut etiam quinquennalium privilegio fretos non puduit. Ex quorum nomenclatura ut parvos nominem, *Bernhardus Meitingus*, *Hansus* & *Marquardus Rosenbergeri*, *Christophorus Kraffterus*, *Henslinus*, *Hieronymus* & *David Zangmaisteri*, *Hansus Weierus* & *Jacobi Herbrati* pater ac filius, multa millia talenta auri hic debebant: neque post plurimas transactiones, captivitates, exiliaque teruncium solverunt. Cæterum tumuli communium sepulturarum, qui inter parochialem S. *Joannis* ædem, & posteriorem cathedralis templi adytum, in tenebricosis vocatis foveis seu gradibus jacent, æquabiles ad libellam, atque ad transeundum planiores hocce etiam anno sunt redditi: submotoque protinus scrutario foro septimanales illæ nundinationes ab eo loco sacraque area, ubi in hunc usque diem plus seculo, diebus Jovis a prandio & Veneris ante prandium celebratæ fuerant, ad portam ac templum *Crucianum* Senatus jussione relegatæ sunt. Constructum dein Decembre mense hic *Zetha & secretus transitus fabricatur.* Reipubl. expensis hypocaustum sive Zetha in posticam partem fani S. *Catharinæ*, simul ac secretus transitus fuit, per quem advenans Regina Augusta ex ædibus *Fuggerianis*, per aliquot alias ædes, super plateas in sublimi, tanquam Meandro quopiam, ad sacra pro libitu commeare posset. Vicesimo *Maximilianus venit Augustburgum.* quarto igitur Decembris die venit huc vespere cum *Maria* conjuge, duobus filiis, tribusque filiabus, *Maximilianus Austrius*, qui XX. Septembris anni hujus luce ab *Antonio Muglutio* Archiepiscopo, *Pragæ* rex *Bohemorum* coronatus, atque sequentis Novembris die, cura & præsentia *Ferdinandi* parentis Cæsar *Romanorum* pro nunc, & immediate post nominatum jam patrem suum, citra omnem aliam vel electionem vel coronationem, in Imperio successor, *Franckfurti* rite electus, & inox dein in ipso festo S. *Andreæ apostoli* (in cujus vigilia haud aliter atque in tribus illis Jovis diebus, qui immediate festum natalitium *Emmanuelis* præcedunt, puellæ nostrates, dum noctu cubitum eunt, miris præstigiis, sortilegisque precatiunculis, pro futurorum maritorum adparitione, uti plus quam Ethnica superstitione consueverunt, ibidem in D. *Bartolomæi* templo, quod *Aquisgrani* pestis supra modum grassaretur, a tribus simul Electoribus Archiepiscopis, sacrosancto *Caroli Magni* diademate, solennibus ceremoniis redimitus, unctus, & inauguratus fuerat. Cui Duumviri nostri ac ordinarii Consules cum Senatu, patritiis, & non parvo aliorum

Tumuli & scrutarium forum a S. Joannis edeverentur.

præ-

præstantium civium numero, decenti equitatu, ultra *Werdachæ* fluenta publicique patibuli locum, obviam iverunt, reverenteque congratulatione exceperunt. Atque illinc ad dicti fluminis pontis portam ipsum comitantes, sub sericium & inauratum umbraculum receptum, quod reliqui consules, & octo Senatores pedites gestabant, usque ad *S. Elisabethæ* ædiculam, quæ est in Cæsarienſis abbatis domo ante *Marianam* portam deduxerunt. Ubi a Clero Pontificio in ipsorum usque templum similiter perductus, & demum inde ad *Fuggeranas* in foro *Vinario* ædes, citra umbraculum cum suis divertit. Sequenti die, natali nimirum Christi Domini, circiter pomeridianam horam tertiam, donavit Senatus noster jam dictum Cæsarem cum Regina conjuge, quatuor lagenis *Cretici* & *Illyrici* vini, quatuor plaustris *Rhenenſis* ac *Neccarei* vini, sex plaustris avenæ, quorum illa LXXXVII. metretas, hæc vero LXXX. majores modios ferebant, undecim orculis vivorum piscium, inter quos *Orfi* nonnulli omnino rubicundas squamas toto dorso natura, non sine Cæsaris admiratione & pertractatione habebant, tribus item amplis & inauratis argenteis pateris, in quarum una D. ducales aurei, cum ipsius *Maximiliani* imagine, in altera totidem *Rhenenſis* valoris aurei, cum civitatis nostræ pinu signati pro Cæsare ipso: in tertia vero illarum paterarum, quæ septem besses ponderabat, CCCC. aurei pro regina positi fuerant. Mox post hæc dona obtulit etiam Canonicorum majorum collegium eidem Cæsari in xenium duo plaustra vini, quatuor avenæ, & quatuor orcas cum piscibus. Altero dein die, qui πρωτομάρτυρι D. *Stephano* dicatur, attulit denuo Senatus noster *Rudolpho* & *Erneſto* Cæsarianis filiis, utpote archiducibus *Austriæ* duas lagenas vini *Illyrici*, *Rasolium* dicti, XXXII. cantharos communis vini, & 4. orculas cum vivis piscibus. Postero autem die, qui *Johanne Evangeliſtæ* & *Apoſtolo* sacer habetur, cum satis nivis ubique foret: circumduxit Cæsar ipse, sub horam vesperarum in deaurato vehiculo conthoralem & fratruelem sororem suam *Mariam*, sequentibus cum festiviſſimo comitatu, triginta quinque sculptis & picturatis vehiculis, totius regiæ aulæ nobilioribus proceribus & quibusdam *Fuggeris*: quorum singuli Cæsarianorum liberorum aliquem, aut potiſſimorum Reginæ assectarum matronarum unam, per totam urbem quam decentiſſime ornatiſſimeque circumvexerunt.

Xenia offeruntur.

Maria a Ferdinando per urbem circumvehitur.

A. 1563. *Maximiliani diſceſſus.* Anno a nativitate Christi MDLXIII. postquam Imperator *Ferdinandus* relicto *Francofurto*, hæreditarias suas per superiorem *Germaniam* provincias, nempe *Alsatiam Sundtgoviam, Brisgoviam, Hegoviam, & Algoviam*, non absque magna argenti exactione, extremum invisisset, & per *Oeni* fluminis primam vallem *Oeniponiem* valedicturus tandem deveniſſet: protinus *Maximilianum* filium novum Cæsarem hinc ad se vocavit, qui III. Februarii die cum XXV. celeribus trigis ad patrem abiens, iterum ab eo huc XXV. die ejusdem Februi ad conjugem liberosque rediit, ac rebus suis ad nutum expeditis, sexto die Martii cum universa aula *Werdam* profectus est, ut inde secundo die *Danubio* promptius *Viennam* rediret. Post ista XXI. dicti Martii die, qui Dominica A *Lætare* dicebatur, promulgatum *Augſtburgi* nostro e Curiæ mœniano Senatusconsultum est, sub pœna amissionis juris municipalis, si indigenæ, aut perpetui exilii si advenæ prævaricatores fuerint, ne scilicet intra minorennes aut capite censos, aut eos quorum dos L. aureolos non attingat, matrimonia contrahantur: idque eam ob rem factum est, quod tanta opificum singulorum multitudo, artificumque & nugivendorum frequentia per urbem nostram scateret, ut nonnulli vix pabulum acquirere, plerique se summa difficultate a mendicitate adserere potuerint: sunt que statim a B Senatu, *privati Censores sex* (a vulgo *nuptiarum sextumviri* vocantur) constituti, qui singulis mensibus acriter super hac constitutione inquirentes, eam non solum per fide jussores manu tenerent, sed etiam legitimi ortus testimonia, servitutisque adscriptitiorum cautiones reciperent: atque ita demum admissis interdicant, ne intra quinque annorum curriculum Eleemosynæ beneficium a Diaconis implorent. Quia vero etiam publicorum cauponum & Oenopolarum major, quam par foret, numerus, in cunctis vicis, apud nos haberetur, jussus a Senatu urbis subpræfectus, cuncta ea hospitia tabernasque XXVI. Martii die inspicere C excutereque, ac eorundem ulteriorem usum, remotis hedera & insigni omnino interdicere, si non ut minimum pro octo saltim equis stabula, & quatuor stratos lectos pro peregrinis, præter victum semper parata haberent. Contigit autem VII. Aprilis nocte, ut *Michaëlis Kacheloſii* sartoris, (qui post 4. annos ob debita civitate aufugit, usque adeo nulla calamitas sola est) uxor diu jam valetudinaria & a dæmonio dementata, sese per arctiſſimam feneſtram, angularis ejus domus in plateam præcipitaverit. Ad quem casum dum protinus & domestici & vicini adcurriſſent, jamjam animam D agens, elevatis in cœlum oculis manibusque pœnitere misera est visa. Quando autem tunc temporis miræ hinc inde insidiæ, proditiones, ac incendia percrebreſcerent: sategit vigilantiſ. Senatus noster CC. milites de novo, solitis vigilibus pro nocturnis excubiis, simul ac pro diurna urbis custodia superaddi. Novum dein cæmiterium mense Majo Senatus urbani impendio ac jussu, extra *Piscatoriam* portulam, in clivulo versus *Sinckelim* parari, muroque pro vulgo tumbis hic includi cœptum est: estque primus mortalium postea VI. Septembris die in id humatus *Hanſus Köllinus*, publicus

SCtum de contrahendis matrimoniis.

Cauponum numerus imminutus.

Mulier suicida.

Vigilum numerus ampliatus.

Novum cæmiterium.

tantæ ſedulitatis apparitor, ut *Burgimagiſter Köllin* ſubinde dictus ſit. Inde invaleſcente magis ac magis peſte, proclamatæ e mæniano Curiæ, ut habent Ceremoniæ, per præconem XIII. Junii, accuratiſſimæ Senatus conſtitutiones ſunt, quibus non modo pro Chriſtiana pietate exhortati ad vitæ emendationem cives fuere, omnibusque vanitatibus, luxibus & choreis interdictum: verum inſuper politico ordine tum ſanis ad vitandam contagionem, de habitationum, platearum, & fori ſcrutarii (in quo diebus conſuetis, veſtes tam laneæ quam pelliceæ linteamina, ſtragulæ, & qualiacunque lectiſternia, etiam aliunde ex infectis locis allata proſtabant) mundicie, tum ipſis ægrotis, potiſſime pauperibus, de ratione curationum & in omnes caſus auxiliaribus modis, abunde proviſum fuit. Interea *Suſanna Roſtmania*, textoris cujusdam prope *Klenckeriam* portulam ancilla, atrabilariis & uterinis affectibus ſæpiſſime laborans, cum forte XVIII. Junii ſubito iterum iisdem affligi, ac ita omnium membrorum concuſſione torqueri, ſpumare dentibusque frendere inciperet, ab aſtantibus mulierculis a Spiritu immundo arripi exiſtimata fuit. Quapropter advocatus tandem poſt Evangelicos aliquot concionatores, ipſumque adeo *Auguſtinianum* pœnitentiarium, *Doctor Simon Scheibenhardus* plebanus ad *D. Mauricium*, exorciſmo ſuo, conſecratis Cereis, ſale & aqua, poſtero die dæmonium ab ea ejeciſſe, edito vulgari de eo miraculo libello, creditus eſt. De qua puella plura poſt quinque annos leges. Dein XII. Julii cum ſe abſentem etiam peti animadverteret, *Johannes Jacobus Fuggerus*, qui decies centena millia aureorum alieni æris & ultra debebat (quanquam viciſſim eidem, reges *Hyſpaniæ Galliæque*, nec non Imperator noſter non minorem auri ſummam deberent) creditoribus ſuis in hac civitate per conſules ultro ſeptennium propoſuit, intra cujus ſpacium totam accommodato acceptam pecuniam, cum viceſimarum uſura, ſe redditurum promiſit. Id quod magna ex parte recipientibus ad ſeſe fratribus fratruelibusque debitum, ante condictum terminum noſtris, de alienis enim non curo, præſtitit. Facta autem ſecundo die Auguſti per *Hainricum Rehlingerum*, & *Chriſtopherum Peutingerum Augſtburgenſes* Duumviros, Conſularis & Senatorii ordinis luſtratione, nihil a proxime præteriti anni electione in illa mutatum extitit: excepto *Matthæo Welſero*, qui in locum defuncti *Jacobi Remboldi*, arcanis conſiliariis allectus eſt. Quia vero propter rem pecuniariam, exterorumque prohibitam monetam non leves in populo motus contentionesque apud nos quotidie exurgerent: inhibiti de novo Senatus lege XXIX. Auguſti die ſunt *Belgici* & *Saxonici* illi denarii, qui in contractibus decem cruciferis valebant, ac alii viliores pejoresque nummuli obolique quam plurimi: curavitque Senatus, ut civibus tenuioribus & cum primis textoribus publicus nummularius certa ſumma interdictam pecuniam citra illorum detrimentum meliore commutaret aliquantiſper: donec nempe mercatores verſuris abſtinere, & ſolis numiſmatibus ab Imperatore reformatis in foro noſtro uti conſueſcerent. Ultima menſis hujus die renuntiavit *Chunradus Fœlinus* in frequente Senatu jus civitatis, ocii- que gratia in avitam poſſeſſionem *Ungerhauſam* migravit non procul *Memminga*: eſtque vice ipſius *Otto Laugingerus* itidem patritius, conſulatum ſuſcipere multo labore a conſcriptis patribus tunc perſuaſus. Tertio die Octobris proclamatum e Curiæ ambone magiſtratus autoritate eſt, ne *Portugallienſis* aurei cum longa Cruce (quos conſtat in *Germania* cuſos fuiſſe, quosque paſſim nemo non hactenus, & paulo poſtea quoque iterum C. cruciferis permutabat) majoris quam LXIIII. argenteis cruciferis in emptionibus æſtimarentur reciperenturque: cœpitque ejusdem diei aurora vetus patritiorum taberna, in *Berlei* circi area deſtrui: quæ inde de novo ex fundamentis latius dilatatis operoſe pariter ac ſumptuoſe iterum conſtructa, poſt viginti demum menſes abſoluta eſt. Quinto vero ejusdem menſis die, cum peſtis, quæ ſuperiore menſe Majo hic ingruerat, usque adeo invaluiſſet, ut ea, unica hac hebdomade ultra LXX. mortales rapuerit, plurimique cives malum tam atrox alio fugitaſſent, facta eſt Senatorii ordinis ac forenſis judicii aſſeſſorum ſequeſtratio taliusmodi, ut ſemper dimidia eorundem pars uno, & altero medietas alio menſe, domi præſto eſſet, atque in publicis conſultationibus Duumviris, conſulibus ordinariis, ac ipſi prætori demore alternatim aſſiderent. Quod quo confidentius majoreque ſecuritate fieret, conduxit poſtridie Duumvir *Rhelingerus* Senatus nomine, in ſolius Senatus ejusque ſcribarum & privatorum miniſtrorum, eorundemque uxorum & liberorum tum præſervationem tum curationem, proprium medicum *Achillem Pyrminium Gaſſerum Lindavienſem*, ante XVII. annos civem hic connubio *Annæ Mariæ Ebemiæ* factum (quem jam tertia & dyſcola uxor ſcholaſtica *Byhleria* ſic ſatis turpiter deſeruerat) ultro illi in ſingulos menſes C. aureolorum oblato ſtipendio: Cui item & privatum pharmacopæjum *Georgium Sighardum*, *Chirurgumque Davidem Filgum*, munifice quoque conceſſit habere. Jam dudum enim antea pro reliquis civibus promiſcuoque vulgo, nec non pro publica ea domo, quam *Italica* phraſi *Lazarethum* vocant, trium phyſicorum & duorum chirurgorum, adhæc plurimorum utriusque ſexus infectis ſervientium conſolantiumque hominum obſtetricum, adde & pellinctorum operam prudenter liberaliterque redemerat: quin & polyandrium dicto jam hoſpitali contiguum

Senatus circa peſtem cura.

Roſtmanna a diabolo obſeſſa creditur.

Fuggeri æs alienum diſſolvitur.

Magiſtratus electio.

Leges contra adulterinam monetam.

Laugingerus Fœlini ſucceſſor.

Edictum de Portugallienſis aurei valore.

Patritiorum taberna reſectio.

Magiſtratus ob peſtem mutatio.

Gaſſerus medicus peſtilentiarius.

Lazarethum.

guum, solosque in eo pestilentia defunctos manens, idem Senatus noster pinguiore humo, altius adopleri quoque curaverat, eo, quod cadavera ob sabuli copiam, a multis retro annis nondum in ipso prorsus computruissent. Cæterum in memoratum *Lazarethum* tam advenæ quam indigenæ lue pestifera qualitercunque correpti, vel per se quomodocunque accedentes, vel sellulis per bajulos ad id conductos deportati, gratis receptantur, ac pro opportunitate donec sanescant aut commoriantur Reip. permagnis sumptibus curantur. Ne vero Evangelicarum Ecclesiarum ministri officio suo defuisse videri possent, instituerunt, ut cum hactenus in una saltem parochia per totam civitatem Dominica Eucharistia diebus Dominicis per vices peracta sit, deinceps singulis septimanis illa in duobus templis, firmandæ fidei ergo celebraretur: quin item majoris consolationis gratia, indicarunt plebi, sequencunque petentem omnibus diebus post matutinas Conciones, tum in *Anniano*, tum *Minoritarum* Ecclesiis, eodem Sacramento rite communicaturos.

Eccl. Ministrorum circa S. Cœnam cura.

Wirtzburgum despoliatur.

Quando autem per eandem tempestatem *Wilhelmi Grumbachii* & sociorum nobilium insidiis *Franconiæ* metropolin *Wirtzburgum* VIII. die Octobris in ipsis nundinis ex improviso & satis Centauriæ, despoliatum esset: valde etiam Resp. nostra turbari, ac quod *Frider.* loci ejus Episcopus *Landtsbergico* fœderi connexus, *Scherlinum* evocare, atque aliquot millium aureorum sumptus in conscribendo actutum milite facere jussit: verum bellum id, si non latrocinium dici meretur, dicto citius sopitum ad lubitum impressorum horum fuit, unde & apud nos conducti bellatores, non sine indignatione dimissi quoque subito fuerunt.

Circa myropolia quædam gesta.

Deinde sub finem Octobris mundavit Senatus noster Myropolia, quorum hoc tempore sex hic erant, *reformari*, id quod vulgo *visitare* dicunt, & ab hominum memoria apud nos vix factum legitur: fuitque labor is Consuli *Haintzelio*, *Wolfo Herwartho*, & *Bartholomæo Majo* Senatoribus injunctus, qui ad particularem eam officinarum inspectionem, *Adolphum Occonem II.* *Achillem* antea nominatum, *Lucam Stenglium*, & *Christophorum Heybergerum*, Medicinæ Doctores, una cum *Hieronymo Krayero* aromatario adscisentes, ejusdem Senatus autoritate illos tam singulorum pharmacorum justa *precia* (*Taxam* populariter vocant) præscribere, tum *compendium* medicamentorum usualium correctius, *Enchiridion dispensatorium* apoteckarii appellant, edere jusserunt. Estque ab eo inde tempore perpetuus quasi Superintendens Doctor *Adolphus Occo III.* salario CC. aureolorum constitutus: absque cujus approbatione, simpliciumque singula medicamenta ingredientium examine, nullum de cætero pharmacum amplius componi omninoque misceri debet: cum interea tamen paracelsicorum medicastrorum, & Chemicorum ars, veram Medicinæ & rationalem Methodum, *Antimonii* indifferenter usu; apud nos turbare multorum periculo pergeret. Novembris XIII. plexi ex gratia capite sunt *Fridericus* & *Lemarius Späthi* fratres cives, quod adulterinis clavivibus publicam vini cellam, cujus procuratio *Marco* patri ipsorum doleatori in fidem commissa erat, sæpius ac numero depeculati fuissent, aliaque furta etiam commisissent: fueruntque paulo antea, *Ursula* & *Magdalena Riegeriæ* sorores, vulgo *cantharifusores* agnominatæ, publice per carnificem in buccis ac frontibus cantharo notatæ atque urbe ejectæ sunt, quod ex *stanno* *Basenutoque* infinitos *Blaphardos* sudissent, eosque pro proba moneta exposuissent.

Supplicia.

Eodem mense habitus est *Suevicæ* nationis conventus *Ulmæ*, ad quem Reip. nostræ nomine ablegati fuerunt, *Joan. Baptista Tradelius* jurium doctor, ubi mutui auxilii causa, præter alia honesta constituta, de quibus impressus liber extat, adversus publicæ pacis perturbatores, magnæ tum equitum, tum peditum copiæ, tum certis militum tribunis & ducibus ab inclytæ ejus provinciæ principibus, præsulibus, comitibus, ac civitatum deputatis, decretæ in omnem eventum firmissime fuerunt: ad quem numerum Episcopus nostras XXI. equites ac X. pedites: civitas vero nostra XXV. equites, & CL. pedites armare, atque ducis *Wirtembergensis* aut Episcopi *Constantiensis*, utpote tunc *Suevici* circuli capitaneorum, classicum promptissime expedire tenentur.

Suevorum conventus Ulmæ.

Totus December præsentis anni valde tepidus apud nos fuit, niveque caruit, cujus X. nocte irrupit post primam vigiliam ferus aper per canalem, quo fontana aqua, per transversam fossam urbis, sub *Rubra* porta deducitur, perque ferreos in eo cancellos, in ipsam *Aquariam* a tergo hospitalis *S Spiritus* sitam turrim, ac excitatis perterritisque insoliti hospitis tum tumultu tum aspectu, machinæ præfecto, ipsiusque famulis, duas scalas viso laternæ splendore, frendens ac spumans transilivit, vixque tandem securi dejectus, non parvo molimine occidi potuit.

Aper urbem irrumpit.

Cæterum hocce anno iterum invetera mœnia, quæ ab antiqua ea turre, quæ quondam Orientalis porta urbis extiterat, nunc vero Reip. fabro tribus focis inservit, usque ad ergastula *nudipedum* portæ annexa, novem aliæ habitationes, fabrorumque ferrariorum officinæ constructæ pro pauperibus civibus sunt: extinctique eodem hoc anno apud nos sola peste octingenti & sexaginta octo mortales.

Fabrorum officinæ in muris ædificantur.

Anno reparatæ Salutis MDLXIIII. adsixum tandem V. Januarii die valvis Curiæ *Augstburgi* est, imperiale & summum illud mandatum, quo adversus *Grumbachi* & complicum contumacissimam violentiam tecti aquæ & ignis interdictionem continebat. Dein XVI. dicti mensis die promulgatum e Curiæ mœniano Senatus nostri decretum est,

A.1564. *Grumbachi proscriptio.*

Decretum de viduis nubentibus.

est, quo viduis ad secunda vel tertia vota transeuntibus serio præcipitur, ut cum prioris conjugii liberis, certo ante novas nuptias, postulatis ad id tutoribus, rem familiarem componant. Suntque hoc ipso & sequente mensibus, plures ad Crucem fures acti, publiceque virgis cæsi, quam intra totum ferme decennium ante sit factum. Fe-
Decretum de carnibus non edendis, bruarii postea XIII. die proclamatum etiam ex Curiæ mœniano per præconem Senatus aliud decretum est, quo prohibetur, ut nemo vel tabernarius vel publicus hospes in posterum ad pomeridianas computatiunculas, similiter & tota sequente quadragesima, carnes quascunque ad vescendum convivis apponeret: ita ut nullus civium per totum anni circulum, domi suæ diebus Veneris ac Saturni carnes ederet: id quod a deputatis *Suevici* circuli ordinibus, propter boum & reliquorum armentorum pecudumque defectum, paulo antea *Ulmæ* serio determinatum fuerat. Quando autem mul-
Lites de finibus componuntur. tis jam annis molestissima contentio de finibus, inter *Werdachæ Hettenbachique* amnes, & loca publici patibuli, Reip. nostræ cum *Burgavienſ.* limitani comitatus præfectis fuisset, atque jam præ aliis *Hansius Wernerus Raithnowienſ.* idem ob negocium multa contra nostrates insolentius auderet: transactio demum non iniqua, *Sigismundo* ab *Hornstaino Johannitarum* militum *Alschhausæ provinciale præfecto* (*terræ Commendatorem* ipsi indigitant) & *Georgio Spätho* a *Saltzburga* proxenetis arbitratoribusque, inter archiducem *Austriæ* & Civitatis *Augstburgenſis* Senatum de jurisdictione memoratorum locorum ad plenum est facta. In cujus rei æternam memoriam Imp. *Ferdinandus* diploma privilegii instar, suo chirographo & augustali sigillo munitum, *Viennæ Pannoniæ* XX. die Martii præsentis anni conscribi, Senatuique nostro reddi jussit, *Marco Zimmermanno* Jurium Doctore & Syndico solicitatore. Kalendis Aprilibus, in quas
Laniis majus carnis pretium permissum. sabbathum profestum Paschæ inciderat, indultum laniis, post plurimas illorum querelas supplicationesque apud nos est, ut civilem bovinæ carnis libram XIII. obolis in macello vendere possent: quo concesso factum est, ut sequente anno iidem lanii tantundem carnis etiam vitulinæ duobus cruciferis vendiderint. Ejusdem mensis
A falsis monetariis pœne sumuntur. XV. die, exustus prætoris judicio vivus extra civitatem est *Hansius Millerus, Obergesthausenſis,* quod sub imagine Imperatoris adulterinam pecuniam, non parvo pondere ac numero, ex Basemuto & Stanno, tali artificio conflaverit, ut a proba moneta difficulter dignosci a promiscua plebe potuerit: uxore maleficii hujus conscia, ignito ferro in fronte & ambabus buccis juxta ligneorum compedum sellam in angulo fori piscium notata. Interea creber vulgi stultorumque quorundam accursus XX. die Aprilis, *Mylhausam Bojariæ* e civitate nostra est
Rumor falsus de veneficio.

factus ob famam excitatam, in cantatorem quendam eo vespere omnium ex tota vicinia sagarum choream coacturum esse, quæ fama ut vana erat, ita curiosulos nostros homines cum ludibrio domum repedare in-
Decretum de oberatis. sumpta nonnulla apud cauponem pecunia compulit. Post hæc proclamatum per præconem, ut mos habet, ex Curiæ mœniano VII. Maji Senatus decreto est, ne quis hominum vel subdole hic abscondat, vel quocunque terrarum clam habeat pecunias, merces, thesauros, aut quæcunque alia deposita bonave eorum civium, qui asyla & qualiacunque subterfugia quærentes, fidem creditoribus jam fefellissent, sive in posterum fracturi essent, sub pœna famæ, bonorum & corporis. Et ecce nihilosecius tamen, vix tribus elapsis mensibus, excesserunt urbe hac *Lucas Remus*, & post ipsum *Christophorus Manlichius*, qui ad quatuor centena aureorum millia (vulgus *auri Thumas* vocant) tam suosmet quam alios in discrimen adduxerunt. Cæterum XXV. Julii obiit sub
Ferdinandi obitus. vesperam ex marasmo *Viennæ* suæ *Ferdinandus* Imperator ætatis suæ LXI. anno completo: ac plumbeo sarcophago, regum more exenteratus, inclusus, integrum annum ibidem in fano arcis, celebri tum sacrificulorum tum custodia inhumatus mansit, donec tandem IX. die Augusti sequentis anni inde *Pragam*, ab Homonymo filio deductus, in archiepiscopali templo arcis juxta *Annam* conjugem sepultus maximis exequiis sit: cui bonis avibus, uti ante biennium *Francofurti* ab Electoribus principibus designatus fuerat, immediate apud Germaniæ Romanorumque imperium successit MAXIMI-
Maximilianus II. Imperator. LIANUS II. Augustus filius, *Ungriæ & Bohemiæ* Rex. Tertio postea die mensis Quin-
Magistratus electi. tilis recensuerunt denuo ex more *Hainricus Rhelingerus* & *Christophorus Peutingerus* dictatores nostri, civitatis *Augstburgenſis* munia, approbatisque simul prioribus magistratibus, solum *Christophorum Rhelingerum*, primarii apud prætoris tribunal judicis officio, petentem discedere permiserunt: in cujus locum *Christophorus Rehlingerus* agnatus ipsius a Senatu statim lectus fuit, Vir in jure non indoctus. Quo mense in-
Magdeburg. Vita centuriæ Haintzelio & Gassero inscribuntur. scripserunt forte *Matthias Flacius Illyricus*, *Joan. Wigandus*, & *Matthæus Judex* theologi, octavam latinam Ecclesiasticæ historiæ centuriam, *Joanni Baptistæ Haintzelio* Consuli, & *Achilli P. Gassero* physico, *Augstburgenſibus* gratitudinis ergo: eo, quod hi hactenus, sicut & postea etiam non contemnendam stipem apud pios cives hic subinde collegissent, ac illam ad juvandas tum continuationes, tum editiones præclari ejus operis, bona fide ipsis quotannis fere transmisissent. Cæterum XXVI. currentis Septembris die, facta denuo ob pestis sævitiam Senatorum & Judicii assessorum divisio est, ut scilicet semper eorum dimidia pars uno mense, per vices Curatori ac prætori in suis locis adesset.

esset. Porro XXIX. die Novembris impositus est sinistro Campanali ad *D. Virginem*, cathedralis fabricæ sumptu, novus & deauratus ex ære globus (cum antiquus albo plumbo inductus fuisset) cum nodosa Cruce, & supervolante angelo tubicine. Demum Decembri mense, confirmavit luculentis tabulis novus Imp. noster *Viennæ* suæ omnia Reip. *Augstburgensis* jura, ac a prædecessoribus suis concessa privilegia, quam liberalissime, *Wolfio Ballero* consule, ac *Marco Zimmermanno* syndico, Senatus nostri nunciis solicitatoribusque. Inde a VII. dicti mensis die currentis hujus anni, usque in sequentis Februarii X. diem, ninxit apud nos viceties ter per vices, nulla vel pluvia, vel alio tepore nives interea colliquantibus: unde non solum altissima ubique nix, sed & inclementissimum frigus adeo continuata fuere, ut sex ultimis Decembris hujus diebus, non pauci homunciones inter peregrinandum, pedum ac manuum digitis algore mortificatis mutilati fuerint, & aliquot etiam in itineribus, non longe hinc omnino congelati obriguerint. Porro autem cum diutina ea lis, qua inter Cardinalem nostrum, ipsiusque Canonicum collegium, nec non Rempub. *Augstburgensem*, de plurimis jurisdictionibus controvertitur, per impetratos ab Imperatore novo Commissarios, *Georgium Sigismundum* scilicet *Seldum* Imp. Cancellarium, & *N. Guglerum Noribergensis* urbis advocatum, ac *N. Landschuttensem* Cancellarium post multas arduasque tractationes, nequaquam sequestrarie aut placide componi posset: tandem demum hocce anno, tota ad Imperialis Cameræ tribunal rejecta est: unde Senatus Civilis curavit gratitudinis ergo, ut præter alias expensas, *Seldius* plus minus DC. aureis nummis, *Guglerus* CCC. ac *Landtschuttensis*, qui totus a pfafforum parte steterat, sexaginta aureolis remunerarentur. Cæterum toto hocce anno in universum bis mille quingenti & quadraginta duo homines *Augstburgi* nostro mortales esse desierunt, inter quos XXV. supra nongentos ex pestilentia obiere, de quorum numero CCCXXXIII. in publica ejus luis domo naturæ satisfecerunt: suntque vice versa per civitatem hanc eodem hoc anno MDCCCLXXII. infantuli sacra unda abluti.

Antiqua privilegia confirmantur.

Ingens frigus.

Cæsarei inter Episcopum & cives arbitri.

Natorum & denatorum numerus.

A. 1565. *Ingens frigus.* Anno Christiano MDLXV. totus Januarius tam immanissimo frigore *Augstburgi* rigebat, ut pestis per initia ejus mensis desierit. Qua tempestate inhibitio vilioris *Belgarum*, *Saxonum*, *Helvetiorum*, *Strasburgensiumque* pecuniæ, quæ subinde meliori ac nostræ monetæ intermisceri solet, Senatus serio mandato denuo promulgata est. Dein Februarius mensis in his terris valde nivosus & algidus quoque extitit. Cæterum quando jam biennio amplius, cives nostri *Hansum Georgium Baumgartnerum* propter LXXX. tantum aureorum millium alieni æris summam, sibi satisfacere sæpissime ac frustra requisivisset; tandem ad Senatum hic querimonias detulerunt: qui illi ex officio tanquam municipi dicas iterum atque iterum scripsit, quas tum is, quod scilicet baro & absens esset, perfricta fronte minime curavit: quare cum Martio mense hujus anni huc ad consobrinarum *Fuggerarum* nuptias imprudens venisset, per judicis mandatum in proprias ædes, ad creditorum instantiam, quinque menses, adhibitis stipatoribus impeditus fuit: & quia nec isto modo æquabile quicquam illis proponeret; arctiore custodia in Senaculi civium superiorem quandam Zetham XXI. Augusti per subpræfectum urbis perductus est: ubi ut antea cunctas tractationes solvendique debita rationes, fretus paterno nescio quali testamento, obstinate contempsit, atque ita quinque perpetuis annis adhuc detentus ad extremum in civis cujusdam paupere domo misere e vita excessit: *Davide* fratre ipsius ob longe majora debita hinc inde nequiter exulante, & tandem mense Aprili anni MDLXVII. *Gottæ* inter extorres capite plexo. Interea XXI. die Martii, tres soles vesperi ac sequentis diei meridie duo halones, & alba crux circa solem hic visa fuint. Inde *Christophorus Wirtembergius* dux, numeratam nostrorum mercatorum pecuniam, plaustris domum *Francofurto* ex nundinis quadragesimalibus portandam, mense Aprili *Göppingæ* retardavit, ac satis violenter ausa recludens, prætextu adulterinorum thalerorum, omnia ad lubitum perscrutatus fuit. Quam ob causam Senatus noster, misso Consule *Haintzelio*, cum principe eo expostulavit, nostrisque sua salva iterum reddi obtinuit. Majus mensis totus pruinosus & asper nostro in Horizonte fuit. Sub cujus XXV. diem facta est fiduciaria transactio in civitate nostra, inter *Ferdinandum* archiducem *Austriæ*, & supra nominatum *Wirtembergensem* ducem, de tutelari jurisdictione cœnobii *Zwifaltachensis*, præsentibus aliquot abbatibus & compromissariis *Albrechto Bojariæ* duce, *Wolfgangoque Rheni* Palatino ultima. Ultima ejusdem mensis die, dum *Dominicæ ascensionis* dramata hora meridiei apud Pontificios agerentur, contigit, ut in *Stephanino* templo idolum, quod super lacunaria veluti in cœlum traheretur, ob funem ab adfixis ardentibus candelis inflammatum, ex alto in pavimentum non sine plebium ipsiusque abbatissæ terrore deciderit: haud aliter atque in *Mariana* æde eadem hora simulachrum Columbæ, *Spiritum Sanctum*, si Diis placet, repræsentans, ædituorum incuria de summa fornice ruens, frustulatim in solo collisum, non sine sacrificum iracundia fuit. Junio mense translatæ sunt scrutarii fori nugæ vilesque merces, quibus septimanalibus nundinis Lunæ diebus, non solum dimidium *Ulrichianæ* areæ spacium, verum etiam sinistram plateam descendendo in forum vinarium totum deformiter occupabant, ad angulum domus parochi scholamque *Ulrichianam*, &

Vilior moneta interdicitur.

Baumgartnerus ob æs alienum captivus.

Parelii, halones &c.

Wirtembergius dux Augstburgensibus retenta reddit.

Transactio de Zwifaltachense cœnobio.

Duo Pontificiorum idola pereunt.

Fori in Ulrichiana area mutatio.

eum vicum, qui a vesalibus *hædis* nomen habet, tali præscripto, ut sublatis ejusmodi fori scrutarii quisquiliis, tricis & impedimentis, una jam dictæ areæ medietas a lævo latere veris institoribus, gallinariis ac illis, qui ova & caseolos vendunt, altera quæ e regione a latere dextro est, fructibus arborum & olitoribus, libere antemeridiano tempore singulis Lunæ diebus deserviant.

Magistratus electio. Mensis Augusti VI. die *Hainrico Rhelingero* A *& Christophero Peutingero* Duumviris, pristinisque quinque silentiariis, iidem Consules & alii magistratus, qui hactenus Remp. *Augstburgi* nostro administrarant, suo modo

Melita ab obsidione liberatur. confirmati iterum ac declarati sunt. Sub Octobris mensem liberata tandem *Melita* insula & civitas, a crudelissimaque *Turcarum* obsidione, oppugnationeque est, *Ichano Valetta* militum *S. Joannis Baptistæ* supremo magistro: in quo bello *Matthæus Ulricus Schwartius* civis nostras & eques *Hierosolymitanus* non modo ultro militavit, sed & fortiter se gerens ex multis aliis exteris

Funebrium concionum origo. cum paucis *Germanis* superstes mansit. Vi- B cesimo quinto dein ejusdem mensis die, prima funebris concio, Senatu concedente, ab *Eckardo* parocho apud *D. Annæ* templum est habita, in funere *Thomæ Stabeli* civis, qui moriens id fieri petierat. Suntque postea alibi quoque similes aliquot hic inter Evangelicos, nescio quo Zelo certo tamen Ecclesiastarum præmiolo habitæ. Per hoc tempus

Lasius Illyrici antagonista. fuit hic *Christophorus Lasius* sophista Theologus, qui de libero arbitrio, & de tribus concurrentibus in hominis conversione causa seu synergia contra *Illyricum Germanice* ad Ecclesiam nostram librum vehementem scripserat: ad quem *Illyricus* pari qui- C dem Zelo respondens, libellum suum itidem Ecclesiæ nostræ dedicavit, sed minore applausu exceptus est. *Lasius* autem prædictus, quo majorem sibi autoritatem apud nos compararet, tentavit Maniacos quosdam a dæmoniis, precibus & verberibus sic satis superstitiose liberare, verum nihil sani eo ritu efficiens, Papistis idem postmodum stultius agendi luculentam ansam præbuit.

Anniana schola in VI. classes distincta. Fuit autem autumno isto *Anniana* schola, præter *Hieronymi Wolfii* solitas lectiones, Reip. liberalitate in sex puerorum classes, commodis locis, nec ineruditis præceptoribus distincta. Et quanquam totius hujus

Annonæ caritas. anni annona ubere provenisset, foretque D passim omnium Cerealium donorum affluentia: veniverunt tamen publico foro apud nos, Octobri & Novembre mensibus, Tritici major modius XXIIII. solidis, Olyræ XX. solidis, butyri libra civilis XX. nummis, Orgya ligni XXXVI. baciis, ac Necarici veteris vini metreta XLII. solidis. Cum interea nihilosecius tum *Neuburgenses*, tum *Monacenses* dux, provinciarum suarum subditos inauditis vectigalibus ad vivum quasi expilarent: atque tali pacto nostratibus quoque civibus, ex propriis in illorum terra sitis fundis, annuorum proventuum tertias satis insolenter imperarint: Qua tempestate & *Hieronymus Welserus*, homo mirabilis & patritius, qui præter alia enormia quæ admiserat facta, aliquando *Venetiis* ex alto loco fortuito præcipitatus, casu eo lixam occiderat, sibique tamen ambo crura fregerat, cum solvendo non esset, in *Ulrychianum* asylum initio, & postea illi non fidens, *Fridbergam* se recepit, ac tandem per- tentatis plurimis cœnobiis sub autumnum sequentis anni ad urbem nostram, in certum carcerem concludendus, desperabundus rediit: e quo post 14. menses, datis ipsius duobus generis legum doctoribus prædibus, liberatus quidem fuit, sed brevi demum, ab omnibus agnatis derelictus, pauperrime obiit. *Welserus oberatur.*

Ab initio anni redempti orbis MDLXVI. A. 1566.
missi hinc Senatus nomine *Monachium Rhe-* *Maximilianus II. Augstburgum introit.*
lingerus & *Ballerus* consules sunt, ut pro more ipsum Romanorum Imperatorem *Maximilianum II.* ad nos invitarent; qui brevi post XX. nimirum Januarii die illinc *Augstburgum* nostrum a meridie una cum *Maria* Augusta, tribusque filiabus reginulis Comitia agitaturus venit: eum civitatis Curatores Senatusque CCC. amplius civibus equitibus, ad *Lechi* pontem præstolantes, confestim obsequentissime exceperunt: atque dum honorifice in urbem introducere satagunt, vix potuerunt ordinarii nostri equestres, præ *Bojorum* nobilium præsumptuoso fastu primos ordines neque pro decoro, neque suo jure ad *Rubeam* usque portam obtinere, id quod tumultum ferme excitasset. Ab ea porta dein sub *Damasceno* serico acuque pulcherrime picto velo (quod semper post actus illos Imperii equitum magistro, ex *Bappenhaimense* familia, qui nimirum ipsis Cæsaribus nudatum ensem præfert, ex consuetudine cedit) ad *Marianum* usque templum non sine Canonicorum majorum protestatione, & ab eo rursus ad *Fuggeranas* ædes in foro vinario designatum sibi hospitium, illustri comitiva deductus est. Gestarunt autem velum id vacantes Consules, ædiles, & præcipui Senatores. Sequente die, post Canonicorum *Xenia.* munera, protinus Imperatori ut vero Augusto primum *Augstburgi* intranti, per Duumviros Reip. nomine, in xenium oblati sunt, tres capacissimi & elaborati operis, argentei ac probe inaurati crateres XXXVII. besses ponderantes, atque in iis MM. *Rhenenses* aurei, ab una parte ipsius *Maximiliani* facie, ab altera Cybeles pomo signati: octo urceoli cum delicatissimis variique generis piscibus: duæ lagenæ vini *Cretici Marvisiique*: duo plaustra vini *Necarici*: quatuor plaustra avenæ. Simili obsequio donavit idem noster Senatus ipsam Augustam deaurata patera, ac in ea CCCC. aureos nummos: sex urceolis selectorum piscium: duabus lagenis vini *Falerni* dicti: uno plaustro vini *Tuberani*, & duobus plaustris avenæ. Constitit autem donarium illud totum

in

in ſumma plus minus quatuor mille & quingentis aureolis. Deinde quando XVI. die Februarii quatuor noxii homines ob furta ſuſpendi hic deberentur, ſimiliter & poſt pauculas ſeptimanas tres alii fures ad idem ſupplicium condemnati quoque eſſent, transportati Imperatoris juſſu ad prætorias naves, inſolito judiciorum noſtrorum modo fuerunt. Quia autem Electores aliique Regni principes, juſto tardius ad Comitia accederent; cœperunt interea pro more Saturnaliorum Imperatoris aulici permagna lætitia propoſitisque præmiis XVIII. ejusdem menſis die, equeſtres ludos in foro vinario ad ſuſpenſum e triumphali arcu annulum exercere. Tandem XXIII. Martii die, qui totus apud nos nivoſus erat, peractis in ſumma æde receptis ſacrificiis, propoſuit *Maximilianus* Auguſtus in Curia urbana ſtatibus imperii, quæ pro communi patria deliberanda decernendaque ex uſu judicabat. Poſtmodum Aprilis XXIII. die inveſtitus ſplendidiſſima ſolennitate eſt in Imperii Marchſchalcum Electoremque, atque adeo in alios *Saxoniæ* principatus, ab Imperatore ſub Majeſtatis cultu publice ſedente, in foro vinario eſt, *Auguſtus Miſnenſis* dux: cum pridie *Daniel Moguntinus* ac *Joannes Trevirenſis* archiepiſcopi, ſimili actu ab eodem Imperatore, ſed in Camera, ut ajunt, & citra equeſtrem ſtrepitum, Electoratus prærogativa condecorati quoque fuiſſent. Haud aliter atque *Fridericus Rheni* Palatinus comes, in eandem præeminentiæ dignitatem, paucis diebus poſt etiam intra privatos parietes in auguſtali domicilio moleſtias hiſce comitiis intulerit. Maji item IX. die contulit idem Imperator noſter publico ſpectaculo, etiam *Georgio Hundto Wederawienſi*, Magiſtratus *Boruſſiæ*, *Theutonicorum Beatæ virginis* militum adminiſtrationem in beneficium, hora quaſi tertia a prandio: quo die jam ipſe Imperator viginti unum principes, in palatio ſuo convivio excipiebat lautiſſimo: nam quinis vicibus CXXV. fercula adpoſita illis fuerunt. Poſt quæ provocarunt XII. ejusdem menſis die, variis braviis propoſitis, *Auguſtus Saxoniæ* Elector, *Hannibalis Pæni* faciem indutus, una cum *N. Chano Feriolenſe* nobile, Imperatoris ſtabuli ſubpræfecto *Hectoris Trojani* perſonam ſuſtinente, illuſtres & generoſos quoscunque ad concurrendum cum ipſis ad penſilem annulum. Ad quem ludum non modo tota area ante Imp. diverſorium, ſeptis carceribusque amœniſſimis porta atque arcu pulcherrime adornata, ipſaque terra arena ſtrata fuit: verum inſuper adventantes antagoniſtæ, precioſiſſimis veſtimentis, diverſimodis larvis, jocoſisque formis, ſupra quam dici queat feſtiviter, ne dicam hiſtrionice exculti erant, rhedisque, vehiculis, navibus, & equis accedebant. Et ſunt in univerſum iſto ludo ab omnibus partibus, præter proprios ſumptus MDXXXVI. aureoli lucrefacti. Cæterum dicti menſis ultima die, circiter horam IX. antemeridianam, præſtitum Imperatori noſtro a S. P. Q. *Auguſtburgenſe* in publico *Berlejo* circo ſolitum fidelitatis juramentum, Doctore *Joanne Udalrico Zaſio Freiburgenſe* procancellario concepta verba proclamante: fueratque pridie ejus diei comitiorum receſſus in Curia prælectus. Sub hunc *Germanici* regni conventum, præclara illa apud *Argentoratum* utriusque linguæ ac liberalium artium trivialis ſchola, jam dudum a Senatu ibidem *Joannis Sturmii* adornatione aperta in publicam & univerſalem Academiam Imp. *Maximiliani II.* privilegiis evecta primum, *Wolfio Sigmundo Wormſero* prætore, *Joanne Camerero* Conſule legatis, ac *Ludovico Gremplo* jurisperito oratore. Præterea cum forte verpus quispiam (cui hominum generi, ſub magiſtri equitum Imperii ſalvo conductu, tunc non parvo ære hic eſſe licebat) ob inſigne maleficium in carcere apud *Nudipedum* portam detineretur, ac ſub ipſum meridiem die quopiam ab apparitore, cui a *geſtando baculo* vulgo nomen datur, dimenſo ſuo alendus eſſet, ex inſperato miſer is, janua incautius obſerata, foras exiliit, fugaque ſibi conſulere feſtinus cœpit, quem cum ῥαβδοφόρος ille vix curſu aſſequi, aſſecutum vero minus comprehendere; aut iterum ſolus in vincula abducere poſſet; gladio in viculo, qui inter ſtellæ clauſtrum & leopoldinum balneum eſt, perniciſſime confodit: ob quam rem poſtquam Marſchalco factum, id libere judicaſſet, in damnatorum ergaſtulum mox conjectus fuit, e quo admodum difficulter, Judæis omnibus acriter accuſantibus, capitis periculum tamen evaſit. Sequente dein Junii die III. abiit Imperator hinc cum conjuge filiabusque eques *Werdam*, & illinc navigio *Viennam* ſuam, manentibus apud nos deputatis aliquot, quibus negocium de re Pecuniaria reformanda commiſſum erat: nec non quæſtoribus, qui pactam adverſus imminentem *Turcam* pecuniam, ab Imperii ſtatibus exigerent. Ad quam collectionem e veſtigio, vel una *Auguſtburgenſis* civitas noſtra, e fiſco vicies bis mille aureolos, quaſi pro ſubitaneo auxilio Imperatori numeravit: ac non longe poſt tantundem etiam prompti æris, pro triennali continuando ſubſidio, eidem Imperatori contulit. Interea XXII. die Junii, tranſiit hac in *Ungriam Philibertus Badenſis* Marchio totus cataphractus, comitatu CL. armatorum equitum, cum tamen plures CCC. per aliam viam illuc præmiſerit jam quoque. Viceſimo nono Junii die in ipſis *D. Apoſtolorum* feriis oborta ſero veſpere, cum tamen ſatis ſerena dies fuiſſet, adeo horrida & nymbis tempeſtas eſt, ut ſimul infra dimidiæ horulæ ſpacium, tum proceriores ſuburbiorum arbores disjecerit, tum fulmine *S. Stephani* campanaria turre tacta, non parva damna civibus per univerſam urbem in vitreis feneſtris dederit. Adparuit poſtmodum XXVIII. die Julii ſol hic ab ortu

VII. noxii ad remum dati.

Ludi equeſtres.

Comitia Auguſtburgi.

IV. Electores creantur.

Hundius Teutonicorum militum magiſter.

Ludi equeſtres.

Obſequii juramentum dant Auguſtburgenſes.

Argentoratenſis Academia conditur.

Apparitor ob confeſſum Judeum captivus.

Imperatoris diſceſſus.

Auxilia Imperatori miſſa.

Tempeſtas.

Sol ſanguineus apparet.

ortu ſuo per tres ferme continuas horas, obſcurior ſolito, & tantum non ſanguineus, ſudo alioquin cœlo. Poſtquam vero æſtate præſentis anni bellum adverſus *Solimannum Turcarum* vetulum Cæſarem, (qui capto VII. die Septembris *Sageſto*, ſtatim a propriis generis ob crudelitatem in ſuis caſtris in *Ungria* ſtrangulatus fuit) ab Imp. noſtro *Maximiliano*, undique evocatis non contemnendis auxiliis, ac fixis *Rabæ* ad *Danubium* tentoriis ſuſceptum eſſet: cœperunt Papicolæ apud nos, ad imitationem Romanenſis Papæ *Pii V.* menſibus Julio, Auguſto & Septembre cum labaro & cruce extra civitatem rus ad propinqua fana pro exoranda Chriſtianis victoria non tam gentiliter, quam in deſpectum Evangelicorum concivium ſingulis ſeptimanis proceſſiones facere. Quas ceremonias a retroactis plus minus XLVIII. annis, *Augſtburgi* nemo ne ſomniavit quidem: hocce vero tempore, vigore mutuæ religionibus datæ pacis, ejusmodi cultus ſub titulo, novæ fraternitatis *Montis ſancti Lojolanorum* ſuggeſtione, apud nos invaleſcunt, atque propter noſtrorum erga Evangelium Chriſti ingratitudinem, iterum impias agunt radices. Porro V. die Auguſti, dum a Duumviris civitatis noſtræ, Senatus ac Reipub. munia pro more recenſentur: manſere in officio VI. conſules, ſilentiariis vero in demortui *Conradi Mayeri*, ac diutiſſime jam abſentis *Joan. Jac. Fuggeri*, eruſcatoris aſtutiſſimi loca adſcripti ſunt, *Marcus Fuggerus*, & *Joan. Paulus Herwartus*: cui e veſtigio ſucceſſit in ædilitate *Stephanus Endorferus* ſororius. Poſtea XI. die Sept. fieri etiam per noſtros concionatores, in *Annæ*, *Minorum*, & *Crucis* oratoriis, exhortationes publicæ ſupplicationesque contra *Turcas* cœperunt. Id quod Eccleſiarum noſtrarum præpoſiti, *Hainzelius* & *Eiſelinus* conſules, deinceps ad ſingulos Mercurii dies, mane poſt concionies, *Germanicam* ſc. *Litaniam* cantando, præcinentibus pueris aliquot, reſpondenteque omni populo faciendum curarunt. Fuit autem bellica ea, de qua jam mentio fiebat, expeditio ex noſtra parte initio ad *Jaurinum*, tota pompoſa & per univerſum exercitum ſatis delitioſa, nec parum fœlix: in fine vero neque a gloria, neque ulla ab utilitate commendabilis: niſi quod irruente peſte, *Turcarum* copiæ ingenti calamitate ſub hyemem diſperſæ propulſæque fuerint: ac *Zelimus II.* parenti ſuccedens Imperator *Conſtantinopoleos* factus, inducias noſtris ultro tunc conceſſerit: quas *Auſtrii* ac *Ungari* ſequentibus annis, non levi *tributo* (quod tamen noſtri *honorarium* magis honeſto titulo vocant) integræ pacis inſtar coluerunt. Quia vero Epiſcopus *Otto* noſter communis contributionis nomine per univerſam regionem ſuam cenſus valvis Novembre menſe affigi juſſit, ne quis civium ſuorum de quibuscunque bonis ſive fundis, ſub prænominati pontificis jurisdictione ſitis, præter ordinaria & debita conſueta, ullam exactionem aut novum cenſum ſolveret, ſive ab ipſius quæſtoribus ſibi cenſeri pateretur, idque vi decretorum Comitiorum. Demum VI. Decemb. appulit huc *Alphonſus Eſtenſis Ferrariæ* dux, ab affine *Albrechto* honorifice *Monachio* deductus, ac poſt quadriduum hinc *Insbruggam*, & illinc per alpes in patriam, conductitiis & ſtrigoſis equis rediit, qui tam ſuperbis turmis affini Imperatori, adverſus *Turcas*, lapſa æſtate, ex *Italia* in *Pannonias* in auxilium deſcenderat. Hoc-ce præterea anno datus vicino *Burgavienſi* monarchatui, præfectus a *Ferdinando Auſtriæ* archiduce, *Carolus Welſerus* civis, cujus ſororem *Philippinam* princeps jam multis annis loco uxoris habebat: quin & horum patrem *Frantzium Welſerum*, diu urbe noſtra ob diſſidium cum *Anna Adleria* conjuge exulantem, *Baronis* a *Zinnenburgo* titulo condecorari eodem hoc anno idem quoque *Ferdinandus* ſategit. Cæterum nonnulli ſeditioſi motus, *Antorfii* populoſiſſimo pariter ac celeberrimo *Brabantiæ* emporio fuerunt: quapropter parvulus ille fidelium grex, qui *Auguſtanæ Confeſſioni* aſſentiebatur, *Wilhelmi Auriacenſis* principis Marckgravii munere tunc illic fungentis, autoritate, XII. honeſtos viros ex ſeſe elegit, deputatosque nominavit, qui tanquam ſuperintendentes tum plebis furorem Iconomachorumque turbas præcaverent, tum evocatis aliunde Evangelicis Eccleſiaſtis curarent, ut omnia pio ordine & citra ſcandalum gererentur: ex quorum numero *Hieronymus Jeniſchius* civis & mercator *Augſtburgenſis* haud poſtremus erat: quia tamen *Hiſpanica* hæreſium inquiſitio violenter prævaleret, Chriſtianumque dogma Papiſtico cedere cogeretur: *Jeniſchius* is ſequente anno domum cum tota familia poſtliminio rediit. Ex hiſce initiis Satan poſtea in decimum usque annum non ſolum atrox bellum excitavit, totumque *Belgicum* miſerabiliter peſſundedit, ſed iniris etiam mutationibus & ſeculares & ſpirituales ſtatus non ſine noſtrorum hominum damno, deformavit potius quam reformavit. Porro ſub exitum hujus anni, habuerunt publici Eleemoſynæ diaconi, per trinam civitatis noſtræ partitionem, in ſuo rationario codice, utriusque ſexus omnisque ætatis paulo ſupra DCCC. pauperum civium annotata nomina, licet præter mendicantes ſcholares, innumera adhuc impudentium mendicorum turba ex peregrinis & incolis, in dies per omnes plateas dormitantibus *Rodleris*, vagari ſtipemque petere non ceſſet.

Anno a nato Jeſu Chriſto MDLXVII. Januarii XII. die ablegati a Senatu *Augſtburgenſe Ulmam* ſunt, ad conventum *Sueviæ* nationis, *Hieronymus* in *Hoſo* ſenior ſilentiarius & *Adamus Remus* Senator, una cum *Georgio Tradelo* jureconſulto, ad deliberandum executionis modum, contra præſcriptos *Grumbachianæ* factionis & fautores & conjuratos in *Thuringia*. Dein XXX. ejusdem

Pontificiorum, victoriæ exorandæ cauſa, pompa.

Alphonſus Eſtenſis Augſtburgum permeat.

Ferdinandus Welſerorum promotor.

Motus ob religionem Antorfii.

Magiſtratus electio.

Concionatorum adverſus Turcas exhortationes.

Expeditio adverſus Turcas parum proſpere cedit.

Epiſcopi de cenſu juſſa.

Pauperum multitudo.

A. 1567. *Sueviæ conventus Ulmæ.*

Legati ad Ferdinandum Oeniponten missi.

dem menſis die emiſſi Reipubl. noſtræ nomine *Insbruggam Johannes Paulus Herwarthus* ſilentiarius, & *Felix Remus* Senator, ad congratulandum adventui, omnemque benevolentiam denunciandam, *Ferdinando* archiduci *Auſtriæ:* qui tunc univerſum *Tyrolenſem* comitatum (cujus Senatui diu jam *Burgavia, Hegovia, Nigra ſylva, Brisgovia, Elſatia*, provincialis *Sueviæ* præfectura & comitatus *Feldkirchenſis* ceu hæreditariæ appendices parent) mere ac plene poſſidere, præſensque gubernare primum incepe-

Decretum adverſus textores.

rat. Februarii dein XV. die, factum eſt in Senatu hic novum decretum pro textoribus, & his, qui eorundem commerciis aſſociantur, contra inordinatos injuſtioresque ſtaminum linearum telarumque tum venditiones tum emptiones. Et cum hoc

Sueviæ conventus Nordlingæ.

ipſo menſe alius *Sueviæ* nationis conventus *Nordlingæ* propter vulgatæ monetæ rationem, & propter mechanicorum artificiorum, præſertim autem operarum abuſus, quos illi plane pro privilegiis haberi volunt, nec non propter nova telonia *Wolfgangi* Palatini Comitis, celebrandus foret, miſſi illuc urbis noſtræ legati ſunt, *Matthæus Welſerus* ſilentiarius, & *Joannes Schonſteterus* legulejus & ſyndicus. Inde Calendis Mar-

Prima funebris oratio ad S. Ulrich.

tiis habita eſt veſperarum hora prima apud S. *Ulrichi* auditorium funebris oratio per M. *Georgium Meckardum* diaconum ibidem, in exequiis *Marinæ Bartlamæi Scheurlini* uxoris. Enimvero autem cum ob peccata

Annonæ caritas.

noſtra annonæ caritas denuo apud nos invaleſceret, adeo ut VI. die Martii, qui Jovis ac frumentario mercatui peculiariter deſtinatur, major modius tritici XLII. ſolidis, ſecalis XXXVIII. hordei XXII. & avenæ XIIII. ſolidis publice venierint: noluerunt Zytopolæ triobolorem cereviſiam amplius coquere. Quare neceſſitate adigente, conceſſum illis primo hic eſt, ut probe coctæ cereviſiæ robolis menſuram uſitatam vendant. Sed & Senatus propter tenuioris fortunæ concives, permotus fuit curam adhibere, ut privatis ſuis clybanis panes propriis impenſis pinſeret. Id quod tanta benevolentia eſt factum, ut ſinguli illorum panes tribus nummis levius, ſub eodem tamen pondere divenderentur, quam a piſtoribus vulgo ſolerent. Cœperuntque panes illi magna attentione XIIII. Aprilis die, primum vicatim diſtribui, & ſunt ſingulis ſeptimanis XX. millia eorundem, abhinc in octavum

Comitia Regensburgi.

uſque menſem diſtributi. Cæterum quando Imperator comitia ad Aprilem menſem *Regensburgum* indixiſſet, legati illuc Reipubl. noſtræ nomine ſunt, Conſul *Haintzelius I. Matthæus Stamler* ſenator, ac *Tradelus* Syndicus: Adfixum autem dicti jam

Imperatorium mandatum adverſus Grumbachium.

menſis die XIIII. valvis Curiæ Imperatorium mandatum apud nos primo fuit, quo *Grumbachio* ejusque complicibus jam dudum proſcriptis, ac *Friderico* medio *Saxoniæ* duci, horum receptatori omnia auxilia opisque adminicula ſtrictiſſime prohibebantur: cum tamen pridie ante *Gotthani* deditam, & quarto die poſt de perduellionibus Imperii crudeliſſ. pœnas ſumptas, certis quorundam literis, & cumprimis *Davidis Baumgartneri* (qui neſcio qua vel ſpe vel deſperatione ſe *Grumbachio* aſſociarat) epiſtola ad captivum fratrem, paucis ante miſerabile ſuum fatum horis, manu propria exarata, huc jam perſcriptum eſſet. Poſtea XIX. ejusdem Aprilis die, luit

Hagkus peculatum veſte luit.

publica veſte peculatum *Ambroſius Hagkus*, quo quandiu ſcriptor ædilium fuiſſet, (ſeptennio fere) Rempubl. ultra ſeptem millibus aureorum diſpoliaverat. Is quod uxor ejus *Höchſtetteria* patritiorum cognata foret, non eſt pallio, quo veſtitus erat, in patibulo, ut cæteri fures, exutus, ſed ſequenti ſtatim die a veſpillonibus cœmiterio illatus. Eodem menſe fuit etiam aliud Impe-

Imp. mandatum de Philippi milite. non retardando.

ratoris decretum valvis Curiæ expoſitum heic, quo inhibebatur, ne quis hominum patruelis & affinis ſui, *Philippi Hiſpaniarum* Regis (Manliano Imperio non cedentis) milites in *Belgium* ad ducem *Albanum* undecunque proficiſcentes, ullo pacto retardare aut impedire auſit. Interea duras

Lites cum Ferdinando de venatione.

admodum & plane inexpectatas literas *Ferdinandus* Archidux *Insbruggæ* ad Senatum noſtrum dedit, propter liberiores civium noſtrorum venationes, nec non propter fraudes propolarum, qui omnis generis feras per *Burgavienſis Marchiæ* diſtrictum comparaſſe accuſabantur: cujus rei cauſa aliquot Cupedarii pecunia, reliqui carcere mulctati apud nos extiterunt. Cum

Tranſitus per Rhen. Palat. terram denegatur.

vero Senatus noſter menſe Majo pro ſua providentia duo millia magnorum modiorum frumenti ex *Auſtria* per adverſum *Danubium*, usque ad *Wolffii Rhenani* Palatini vicinam ditionem, nemine obſtante advehi, in tanta cariſtia curaſſet: recuſavit princeps is ulteriorem tranſitum: ni pro quolibet modo ſibi portorii loco numeraretur: quod ubi noſtris æquo gravius exiſtimaretur, commutato contractu, *Nürmbergenſis* Respubl. fruges eas ad ſe per aliud compendium transferri curavit. Decimo octavo

Senatus argenteæ utenſilia comparat.

die Junii pranſus quam familiariter viciniæ ergo *Augſtburgi* in Herorum contubernio publico, *Albrechtus Bojariorum* dux eſt: in cujus convivii gratiam Senatus novas patinas, ſcutellas, diſcos, ſalinaria, cochlearia, malluvia, vaſcula, pocula, trullas, crateres, cantharos, & reliqua ad principum menſas vaſa pertinentia, ex argento non parvo ſumptu tunc primum fieri fecerat: eo, quod dictus princeps antea hic ſimiliter epulis exceptus, argentea vaſa utenſiliave a *Fuggeris* accommodato accepta vidiſſet, ac tantæ civitati ignominioſum judicaſſet, vitioque omnino vertiſſet. Sed ecce nequitiam at-

Anus, rerum abſconditarum indicis, impoſtura detecta.

que etiam curioſitatem mortalium. Venerat ſub æſtatem iſtam *Augſtburgum* anus quædam, quæ ſe ex *Wolffſtainorum Franconiæ* baronum proſapia natam, ac deperdi-

tarum rerum abſconditarumque indicem eſſe jactabat: cumque protinus profeſſionis ejus ſpecimen vaſerrimum, in ſubtrahendis clanculo per ſubornatum ſervulum nocte quadam apud *Georgianum* ſuburbium amœniſſimis fabri cujusdam vicini acidis ceraſis, quæ tamen illi ſe roganti & opem petenti, ſtatim ſequenti die reſtitui pulchro figmento curavit, inſpecto *Berillo* edidiſſet: in tantum ſtultæ plebeculæ matronarumque quarundam concurſum ad ſe excitavit, A ut mirum ſit. Nonnullis enim dudum ſufforata, atque amiſſas pecunias in locis ſuſpectis per ignotos homines, dimidiarum precio, fallaciſſimis technis reddi curabat, nec non incredibilia facere ferebatur. Verum quando verſipellis ea præſtigia ſua neque diutius neque tuto ſe in tam ampla civitate exercere poſſe pro ſua malitia facile conjiceret: ad propinquum pagum *Leitershofam* conceſſit, ubi vera prædicendo, res amiſſas prodendo omnibusque imponendo aliquot menſium ſpatio ad X. aureolorum millia rem veteratorie feciſſet: tandem a B præfecto provinciali captiva *Burgaviam* eſt abducta, torturisque examinata, neque necromantia neque ulla malefica ſagarum arte, ſed meris mendaciis & vanis eluſionibus pollicitationibusque accedentium animos detinuiſſe, ac omnia dolo verſurisque verſutiſſimis peregiſſe deprehenſa, ad extremum ſequente anno, perſoluta dimidia defraudati æris parte, ultra *Rheni* fluenta in ævum proſcripta, cum ſubmerſionem meruiſſet, tantummodo eſt. Menſe Julio tentata iterum in urbe noſtra per legatos Archiepiſcopi *Juvanienſis* tranſactio eſt inter *Bojarum* & *Wirtembergenſem* duces, de hæreditate *Erneſti* Epiſcopi quondam *Baſſavienſis*, qui fuerat hujus avunculus, illius vero patruus. Quo tempore veniit hic in publico foro major modius tritici LII. ſolidis, & vini *Necarici* cadus XII. ſolidis. Cæterum ejusdem menſis XVI. die cœperunt primum in *Ulrychiani* auditorii (vulgus *concionum domum* vocant) campanili, uſuales horæ certis ſonorum numeris ſignificari, facta ad id Paræcianorum ſumptu privata machina. Finis item pulſui illi, quo indies hora meridiei populus ad orandum contra *Turcarum* latrocinia integrum jam annum admoneri ſolitus fuerat, XX. Julii die D in fanis Evangelicis impoſitus eſt. Facto dein IIII. die Auguſti, per urbis noſtræ curatores, *Rhelingerum* videlicet & *Peutingerum*, omnium Reipubl. ordinum ac muniorum luſtro, iidem Silentiarii, Conſules, Senatores, ædiles, quæſtores, & judices, in priſtinis officiis manſere, in quibus proxime ſuperiore anno præfecti fuerant. Forte autem ejusdem diei aurora, quidam ex *Moritianis* ſacerdotibus, in publica ſatuorum cavea, inter nocturnos graſſatores captus, non levi ſcandalo repertus eſt. Septimo autem præſentis menſis die, tam immitis atque grandis grando, inter V. & VI. pomeridianas horas ſubito apud nos ingruit, ut pugni magnitudine lapides congelati multis in locis tum tegulas tectorum, tum vitreas feneſtras cum arboribus calamitoſe colliſerit. Poſt iſta recitatum plebi XXI. die Septembris ex Curiæ ambone hic ſolenni more edictum illud eſt, quod *Suevicus, Bojaricus*, & *Franconicus* circuli, unanimi ſententia contra deteriorem & cum primis exoticam monetam ſub pœna corporis ſanxierat. XXVIII. die ejusdem menſis interdictum publica prætoris proclamatione, ſpermologis, agyrtis, erronibus & empiricis eſt, ne catarcticis deletoriisque, & cumprimis Antimonii chemicis medicamentis per civitatem hanc uterentur, aut eas plebi publice venderent. Octobris dein VI. die inchoatus apud nos eſt arcubaliſtarum ludus, quem Senatus in gratiam *Albrechti Bojariæ* confœderati ducis inſtituerat: ad eum itaque dux ille cum *Anna* conjuge, *Wilhelmo* & *Ferdinando* filiis, *Montfortenſe* & *Leonſtaino* comitibus, multisque aliis nobilibus acceſſit: quos omnes Senatus XI. dies in *Fuggeranis* ad forum vinarium ædibus, ſplendidiſſime cum aulicis ſuis aluit. Ac deſuper reliquam ſagittariorum turbam, nempe CCXCV. viros, indies merenda excipi, in ipſa eorundem extra portam *Geggingenſem* paleſtra pro more curavit. Erat autem certantibus ad unum ſcopum C. aureorum bravium propoſitum, quod cum *Jacobus Klauſus* ex *Ramsburgo* ruſticus *Wirtenibergicus*, *Georgius Springinklee Bopfingenſis* ac *Wolfus Angererus Baſſavienſis*, pari induſtria videlicet quilibet XV. certis jactibus adepti eſſent, partitis tamen benevole & æqualiter primis tribus, quæ illis mere C debebantur, lucris, pro gloria tamen & primo vexillo (nam omnis generis præmiorum LX. ſerica vexilla, ab ingenuis pueris triumphantium more coronatis & torquatis, e Curia in hortum jaculatorium perlata pulchro ordine, cum appenſa pecunia fuerunt) obtinendo, quilibet adhuc ſemel arcu ludens, ruſticus id obtinuit. Inde XVI. ejusdem menſis die, totus *Augſtburgenſis* Senatus una cum ipſismet urbis curatoribus in arce *Fridbergenſe* prandio ac cœna apud ſæpe nominatum ducem *Bavariæ* lautiſſime hilariterque convivarunt. Quando vero per idem tempus Senatus hic, ex communi Germaniæ nationum decreto, eorum artificio, quæ ipſimet inter ſeſe donata tanquam aliis mechanicis ingenioſiora appellare ſolent, *abuſus* aliquot, quos ipſi *emunitates* vocant, eorundem miniſtris inhibere fatageret, contigit, ut tantum non deſolatio aut vaſtitas quædam illorum ſociorum, præſertim inter ahenarios, cantharifuſores, enſifices ac ſimiles, apud urbem hanc ſit facta. Quam ob cauſam idem Senatus ſub *natalem Domini* ſequentem, priſtinas conſuetudines concedens, illos quaſi in integrum reſtituit, ſuoque more deinceps vivere permiſit. Ne autem quenquam ſuo defraudem

Edictum contra deteriorem monetam.

Lex contra ſpermologos.

Arcubaliſtarum ludi.

Artificibus immunitates amiſſæ reſtituuntur.

Illſyngus & Jungius Augſtburgenſes Imperatoris conſiliarii.

Tranſactio inter Boj. & Wirtenberg. tenata.

Novum horologium.

Moritianus ſacerdos graſſator nocturnus.

Grando.

dem honore, licet hic quoque annotare duos ex civibus noſtris inter *Maximiliani* Imp. conſiliarios fuiſſe lectos, *Johannem* nimirum *Achillum Illſyngum*, & *Timotheum Jungium* ambos legum doctores nobiliſtasque: qui licet non perpetuo aulam ſecuti ſint, legati tamen ab eodem Imp. ad *Germaniæ* aliosque principes, arduis in negociis ſubinde miſſi fuerunt: cum primis hic *Lubecæ* inter *Suecum* & *Danum* reges, biennio amplius ſeſe internecinis bellis proſcindentes: ille apud *Fridericum Palatinum* Electorem in *Gallico* tumultu, ſequeſtres egerunt. Et poſt iſta ambo ſimul Septembre proxime lapſo ſui Imperat. vices *Erfurdiæ* apud circulorum *Germaniæ* principes, ob ſumptus *Gottani* belli geſſerunt. Accidit præterea Decembre præſentis anni in urbe noſtra, ut *Matthæus Eberlinus* textor, nova ex ſpiſſiſſima cervina pelle diphtera indutus, cum N. ſartore, in compotatione quadam pomeridiana, depoſito pignore concertaverit, colobium id ſuum nullo enſe quantumvis acuto poſſe trajici: ibi mox ſartor, arrepto qui forte in menſa jacebat cultro, ſtultum eum hominem juxta conditum pungere tentans, omnino per corium illud perque præcordia ejus confodit, unaque punctione vel in ictu oculi, inter amicos combibones interfecit. Ob quod facinus, ſtatim legis cauſa civitatem ad tempus mutare, ac licet nullam ſimultatem antea cum occiſo aluerit, heredibus tamen ſecuritatis cauſa, quinquaginta aureolos perſolvere coactus fuit.

Eberlini cedes.

Tepida in frigidiſſimam biemen deſinit.

Poſtquam tribus lapſi anni proxime præcedentibus menſibus, hactenus apud nos nunquam præter paucas aliquot ſub Brumam horas, ninxiſſet: jam jamque ineunte
A. 1568. novo hocce MDLXVIII. a *Chriſti ſervatoris nativitate* anno, inſolita aëris ſerenitas, radiorumque Solis tepor, terras veris inſtar adaperirent, cœperunt agricolæ circa *Augſtburgenſem* urbem, propinquisque locis, quarto die Nonarum Jan. terram aratris proſcindere, agrosque pro futura ſemente ſatis præcoci labore colere & occare: id quod ab hominum memoria nuſquam in his regionibus tam mature factum legitur. Poſt quæ XIII. Februarii & ſequente, venti fortiſſimi ſine intermiſſione continue ab occaſu flarunt: ac his ſedatis inde tum eodem hoc menſe, tum Martio ſubſequente, profundiſſimæ nives ſæpius numero apud nos ceciderunt. Porro invitato Senatu noſtro ad ampliſſ. *Wilhelmi Bojarii* ducis cum *Renata Lutheringiæ* principe nuptias: abierunt hinc *Monachium* XXVII. die Februarii *Chriſtophorus Peutingerus* alter dumvirorum, & *Hieronymus* in *Hofo* ſilentiarius, offerentes ſponſo ac ſponſæ, Reip. noſtræ nomine argenteam & totaliter inauratam magni ponderis (quidam XVII. beſes tantum habuiſſe dicunt) trullam, redieruntque V. Martii domum. Congregatis dein *Treueri* principibus Electoribus una cum Imp. noſtri legatis: agitaverunt & reliqui *Germanici* regni cyclorum principes ſive proceres, ſuos conventus, propter inſtans in *Belgio* & alibi per *Germaniæ* fines bellum: atque eam ob rem *Chriſtophorus Wirtembergenſis* dux, ſupremus armiductor & præſes *Suevici* circuli, commilitones ac conſortes ſuos *Stutgardiam* quoque convocavit: quo conſeſtim a Senatu noſtro *Adamus Remus* Senator ablegatus fuit. Ac cum XIII. ejusdem menſis dies ſatis calida & ſerena foret, ſubito ſub veſperam dira tonitrua cum larga pluvia Irideque, inſueto Amodo viſa & audita apud nos ſunt. Maji XI. luce, venit huc *Otto* Cardinalis & Epiſcopus noſter Romam abiturus, quem politicus Senatus ſolito principibus offerri dono tantum excepit: ipſe vero altera luce apud *Chriſtophorum Freibergenſem* Decanum Cathedralem in prandio, & apud *Marcum Fuggerum* in cœna, pro ſua humanitate, non vocatus ultro convivari dignatus eſt. Inde XV. Maji, rotæ ſupplicio ad patibulum noſtrum advectus eſt, ignitis prius forcipibus, ad ædem *Petrinam*, in quadruviis apud *Eggenbergeri* ædes, extra *Marianam* portam, & prope *Georgianum* viculum vellicatus, *Michael Schwartzkopfius* de *Braitabrunna*, ob multa incendia, ac XX. perpetrata latrocinia: inter quæ prægnanti mulierculæ fœtum adhuc palpitantem ex utero ſecuit, abſciſſoque illi dextro brachiolo, veneficia cum eo nefaria exercuit: tam præfractus autem nebulo erat, ut Senatui in ipſis vinculis non parva negocia per aliquot ſeptimanas exhibuerit, dum nempe inter crudeliſſimas torturas, identidem faſſa negaret, multosque complices dubitanter ac falſo proderet. Cæterum noſtris peccatis id merentibus, omnino invaluit apud *Augſtburgum* noſtrum nova *Lojolanorum* ſecta, idque tanta hypocriſi, ut menſibus Junio ac quinque ſequentibus miras præſtigias *Wendelino Bietigkhaymenſe* potiſſimo curatore, cum duabus puellis perdiu jam hypochondriacis ex hyſtericis convulſionibus inſanoque amore laborantibus, in domo *Georgii Fuggeri*, uxore *Urſula* inſtante, horrendis exorciſmis perfricta fronte exercere neutiquam erubuerint: & quidem in initio intra privatos parietes paucis & his domeſticis ſaltem aſtantibus, dein idoneis aliis quoque admiſſis, tam diu factitarunt, donec ſibi probe edocti viderentur: tum actus illos in *Dominicaſtrorum* fanum bis, ad *Ulrychianum* templum quater, & demum in ipſum Epiſcopalis Eccleſiæ chorum etiam, tanquam illuſtriora proſcenia publice transferre pro ipſorum confidentia auſi fuerunt: cumque ſubinde hunc, modo alium cacodæmonem ejectum dicerent, nemo tamen vel minimo ſigno aliquem expulſum aut fugientem animadvertere ex aſtantibus potuit: ipſe tamen *Wendelinus* fabulam eam pro arbitrio & ad quancunque libere horam reiterare, non ſine

Wilhelmi cum Renata nuptiæ.

Ger. Imp. principum conventus Treviri.

Epiſcopus Augſtburgum ingreditur.

Schwartzkopfius ſcelerum pœnas pendet.

Pontificii duarum puellarum exercitia.

fraudis

fraudis ſuſpicione apud faſcinatos repetere non fuit neque Deum neque homines veritus: quoad tandem XVII. Auguſti, conſules noſtri, vulgi murmure permoti, medicis ſuis advectas eas puellas dijudicandas demandaſſet, revera ne & phyſico modo eſſent ejusmodi ſymptomatibus obnoxiæ, an vero dæmoniis obſeſſæ. Ibi cum pro artis opportunitate illas examinandi occaſionem rite habere non potuiſſet, ac diabolicis iſtis conjurationibus non omnes intereſſe voluiſſent nihil præſtiterunt. Unde monachi illi non monachi eos, qui tenebras magis quam lucem diligunt, in inveteratis erroribus (quibus de potiſſimum in paroxyſmis miſeræ illæ interrogabantur, utputa de invocatione Sanctorum, adoratione panis Euchariſtici, de Pœnitentiæ modis, & merito noſtrorum operum) confirmare, ac falſis ſignis dementare ultra biennium etiam in aliis puellis apud *Hanſum Fuggerum* ad lubitum perrexerunt. Faſſi autem immundi illi ſpiritus (quorum plus minus XL. vel ſolam *Suſannam*, de qua ante quinquennium facta quoque eſt mentio, torquebant) ſibi nomina tali negocio plane convenientiſſima eſſe, quæ tamen non facile latinis verbis expreſſeris, videlicet *Hennenſligeli, Rappenfueſſi, Hundskopfii, Heydexi, Seelendiebi, Hellhundi, Pauli Kratzeri, Roſsdreckii*, & quod omnium, tanquam digniſſimum talium ceremoniarum epiphonema, turpiſſimum fuit *Zerrendreckii*. Quanquam aliquando Hebraica aut Græca, quæ tùm non bene didicerant, a præceptoribus, aut alioquin corrupte proferebant puellæ iſtæ, nomina utcunque ediderint etiam. Interea cum jam *Joan. Baptiſta Hainzelius, Xyſtus Eiſelinus* conſules, *Paulus Fœlinus* Senator, ac *Martinus Zobelius*, pio poſteritatis Zelo moti, circiter octo millia aureolorum, pro alendis ad ſtudia ſyncerioris Theologiæ adoleſcentibus, ſolicite admodum inter cives noſtrates privatim collegiſſent: commodum etiam præſente hoc anno, *Barbaria Vetteria Martini Weiſſii* vidua, XXIII. Junii in Domino obdormiens, præter alias in pauperes cives præſentesque concionatores Eleemoſynas, ad idem inſtitutum jam dicto *Hainzelio, Joanni Hartlibio, Chriſtophoro Thenno*; & *Melchiori Neymayro* ex teſtamento fidei commiſſo, tantundem fere pecuniæ apud *Joan. Jacobum Fuggerum* depoſitæ (a cujus hæredibus tamen non ſine ſumma difficultate poſt multos annos recuperari potuit) liberaliter quoque legaverit, tali conditione, ut de uſufructu illius, pro jam nominatorum teſtamentariorum delectu, tum pueri ingenioſi hic in triviali ſchola, tum juvenes melius literis & linguis imbuti alibi in Academiis, ad Theologiæ veræ *Auguſtanæ Confeſſionis* ſtudia perpetuo pro Eccleſiæ noſtræ uſu educarentur. Inde XXVI. Junii, miſſi ad Imperatorem in *Auſtriam* Senatus noſtri nomine ſunt, in cauſa qua *Fuggeri* fratrueles extreme diſſidebant, & *Joan. Jacobus* diſſidii autor hic judicio ſtare recuſabat, conſul *Hainzelius*, *Chriſtophorus Illſyngus* & urbanus protoſcriba Legum Doctor *Adamus Zechus Franco*. Curavit præterea idem Senatus noſter, ergaſtula quædam pro diſcola juventute, prodigis ac decoctoribus civibus, ex quorum numero, quod patrimonia ſua uxorumque dotes non exiles abliguriverint, *Marcus Herwarthus*, *Joachimus Langenmantellus* junior, & *Kuntzlinus Rhelingerus* patritii, poſt vincula privatis curatoribus ſubjecti jam erant, ac poſtea *David Welſerus*, & *Victor Fœlinus* ſimiliter patritii, præter captivitates bonis interdicti publiceque amicorum conſenſu proclamati fuerunt) ad veteres carceres in turribus portarum *Marianæ*, *Crucianæ*, *Geggingenſis*, & *Nudipedum* de novo firma conſtrui æſtate iſta. Tandem habito III. die Auguſti menſis more Senatus ac prætorii judicii per Duumviros luſtro, translatus in locum demortui *Georgii Pfiſteri* ad ſilentiarios eſt *Joan Baptiſta Hainzelius*, ejusque vices in conſulatu e veſtigio *Paulus* ſtater ſubiit: ac reliquis primariis officiis non mutatis, *Chriſtophorus Geringus*, quod triduo ante ſeptem plus minus millia ſexcentosque aureos, eo chartarum ludo, quem *Hiſpanico* idiomate *Primeram* appellant, in Herorum ſtuba paucis horis in promptu perdidiſſet, Senatu motus eſt. Poſthæc III. Octobr. die proclamatum ſolenni ritu ex Curiæ podio Senatusconſultum per præconem eſt, contra futiles & infrugi cives, ne ſcilicet illi ſpe publici Eleemoſynarum loculi, rem familiarem manuariaque ipſorum artificia incurioſius adminiſtrarent, aut alioquin otio diffluerent. Quo menſe donavit *Hieronymus Fuggerus* (cui parum honeſta actio intra ſublequens triennium, etiam Papa excommunicationem irrogante, jure terminata fuit) LXXX. aureolos ſclopetariis apud nos, ut ad miros perplexarum imaginum ſcopos in *Roſarum* inſulæ conſueto loco, glandes jacularentur: ex qua ſumma aliquot bravia fuere conſtituta, pro quibus CCLXXIII. bombardarii ad fortunæ caſum quadriduo certarunt, potiſſimumque inter ea, nempe XL. aureolos, *Chriſtophorus Böckius* faber lignarius civis lucratus eſt. Dein XII. Decembris captus juſſu Senatus per venationibus deditos cives, ferus aper in querceto illo eſt, de cujus jurisdictione perpetua quaſi lis cum epiſcopis noſtris durat. Ac ne factum illud clam haberetur, invitato poſtero die *Mariani* aliquot primarii Canonici ad feræ ejus ſolennem commeſſationem in Herorum ſtubam ſunt. Quia vero a XV. Decembr. die (quo forte denuo *Albrechtus Bojariæ* dux una cum intimis ſuis præcipuisque ex magiſtratu urbis noſtræ in ædibus *Fuggerorum* ad forum vinarium pranſus fuit) in multos ſequentes, & plurima nix & acerrimum invaleſceret frigus: veniit apud nos fiſſorum ex fagis lignorum orgya XXXVII. baciis. Decimo nono

Ergaſtula conſtruuntur.

Magiſtratus electio.

SCtum contra decoctores.

Arcubalistarum ludi.

Venandi jus adverſus Epiſcopum vindicatur.

Lignorum caritas.

Legata ad pios uſus.

Legati ad Imp. de Fuggeris.

Posilli aufindatur.

nono dein ejusdem mensis die promissi publica præconis voce præter indemnitatem D. aureoli sunt, quicunque secretiori Senatui calumniatorem illum proderet, qui paulo pridem famosis libellis nomina & existimationem unius ex consulibus, & alterius cujusdam ex concionatoribus nostris, publico scommate læserat.

A. 1569. *Partus deformis.*

Secunda nocte anni Domini MDLXIX. enixa *Augstburgi* nostro tempore debito & modo est *Anna Gebleria*, *Casparis Clausenburgeri* tectoriorum artificis uxor, vivum infantem, a vertice ad umbilici regionem integre formatum, nisi quod dextra manus pollice caruerit, subtus vero umbilicum cui magna carnosa & venulis plena excrescentia quædam annata fuerat, omnia absque natibus & anu in unum crus degenerarunt, cui poples & tibia recte adhæserunt quoque, sed pes a malleolis in duos tarsos continuos desinens, octo pedicas cum unguibus, & circa dextrum malleolum caruncularn longæ & pensilis verrucæ instar habuit, quæ quia neque in nativo loco esset, neque item articulos aut unguiculum haberet, non debuit nonus digitus dici: prope femur autem, ab anteriore dextri lateris parte, parvum foramen umbilico non absimile erat, quod muliere membrum non exquisite referebat: In postica parte versus lævum latus, item caruncula longiuscula propendebat, quæ cum testiculis, præputio & glande careret, itidem virile membrum esse non potuit: vixitque & vagiit, ab obstetrice baptizatus, sesqui circiter horas.

Boji & Augstburgenses inter se epulantur.

Quarto die Januarii advexerunt patritii & aliquot alii civium nostrorum nepotuli, ne dicam ardeliones, ex *Fridberga* huc, majorum indultu, *Bojaricum Luthringiacumque* gynecæa, eaque recreationis causa pictis vehiculis per totam nostram urbem horis multis circumduxerunt: eademque inde ad vesperam, unde asportarant, decenter reduxerunt. Quam ob rem *Christierna* senior *Lutheringica* principissa, cunctos hos vectores altero die in dicto oppidulo (ubi ipsa haud sine civium nostrorum detrimento, diu valetudinaria domicilium habebat) lautissimo excepit convivio. Ac post triduum prandsus vicissim hic gener ipsius *Wilhelmus Bojariæ* dux apud *Fuggeros* cum aulicis quibusdam suis est. Post ista venti

Atrox frigus.

ingentes apud nos aliquandiu sævierunt, frigusque tam dirum & atrox a medio Januario, in multos usque Februarii Martiique sequentium mensium dies, in his terris extitit, quale per plurimos retroactos annos vix quisquam hominum recordaretur.

Augstburgenses Fridbergæ convivantur.

Februarii dein XX. die, vocati iterum *Fridbergam* Curatores, consules & Senatus major pars Reipubl. *Augstburgensis*, una cum solitis parasitis, a Duce *Bojariæ*, ac ducissa *Lutheringa*, amicitiæ gratia opipare & prandio & cœna tractati fuere. Interea tempo-

Oenopolæ puniuntur.

ris, quando ænopolæ, caupones & cuncti publici hospites apud nos, permultos jam annos vinarium vectigal vilius indixissent exolvissentque, quam vina ipsa vendidissent, a Senatu ex gratia, pro lapso quolibet anno II. aureis nummis, vel singulorum aureorum vice biduano carcere mulctati fuerunt, non absque vehementi illorum fremitu. Mox Martio mense habitus *Sueviæ* nationis conventus frequentiss. iterum *Ulmæ* est: ut scilicet in nuper demortui *Christophori*, primi nati *Wirtembergensis* ducis locum, capitaneus substitueretur: ad quem Reipubl. *Augstburgensis* delegati fuere *Adamus Remus* Senator, & *Tradelus* Syndicus.

Sueviæ conventus Ulmæ.

Guetlebia a diabolo obsessa creditur.

Cum autem pro plene restaurando Papatu, Satan perpetuo in angelum lucis se transformare, hominibusque illudere, illusisque efficaciter per signa mendacia, colludere solitus ab initio sit: en & hocce anno per *Catharinam Guetlebiam Johannis Fuggeri* conjugis pedissequam, mira denuo hic operari cœpit. Nam ea Enthusiasmo sæpius correpta, multa de Cœlo, Inferno, geniisque illic existentibus, & præsertim de Beata virgine (sub ejus ceruleo pallio se contegi narrabat) post paroxismos (quos Herus ad lubitum illi inducere, primum versiculum LXVII. Psalmi, in susurrando cum stupiditate totius corporis poterat) familiæ plusquam fanatice recitare consueverat, donec tandem nimiis domesticorum interrogationibus fatigata, plura fingere vel non posset, vel edocta non esset. Quare confessarii ipsius astute curarunt, ut misera ea puella XXI. die Martii tertium per Doctorem *Scheibenhardum* conjurata, a quinque immundis spiritibus liberata fuisse putetur. Porro renovata denuo *Landsbergensis* fœderis pacta mense Junio (qui totus frigidus & pluviosus erat) tabulis *Monachii* sunt, *Hosense* seniore, *Remo* ac Doctore *Rhelingero*, antiquis Senatus nostri illuc legatis. Hi vero potissimi ligæ ejus proceres sociique tunc temporis fuere, *Ferdinandus* archidux *Austriæ*, *Albrechtus* dux *Bojariæ*, Archiepiscopus *Saltzburgensis*, Episcopus *Augustanus* & nonnulli alii, una cum *Augstburgense* & *Noribergense* civitatibus.

Landsbergensis fœderis pacta renovata.

Andreæ formulam concordiæ componit.

Quia vero ab obitu viri Dei *Martini Lutheri* in hæcusque tempora *Synergistarum*, *Adiaphoristarum* & *Majoristarum* (taceo nunc *Sacramentarios Anabaptistasque*) sophismata tam apud nos hic, quam per totam quasi Germaniam veræ *Confessionis Augustanæ* puritatem magis ac magis corrumperent, Theologique *Wittebergenses* ac *Jenenses* acre colloquium ejus rei causa *Aldembiirgi* frustra tentassent: conatus est præpositus & Cancellarius *Tubingensis*, Doctor *Jacobus Andreæ*, *Schmidlinus* nuncupatus, schismati illi per ἐπιείκειαν seu potius per ἀμνηστίαν quandam consulere, articulos quosdam, qui præcipue inter *Wittebergenses* & *Illyricum* controversi erant, tam generali *Concordiæ formula* conscribendo, ut penitus existimaverit, neminem non illis illico subscripturum: re tamen altius perpensa,

brevi *concordiæ formula* ea a prudentioribus verbi miniſtris tanquam cothurnus repudiata evanuit: niſi quod huc miſſa, ab utroque Eccleſiarum noſtrarum Superintendente, *Eckardo* & *Ruilichio*, cum ipſorum proſopoliptis acceptata, ac in acta ipſorum relata ſuerit, ſolo *M. Chriſtophoro Jacobello* hoſpitalis civici parocho refragante, quam ob παῤῥησίαν officio ferme dejectus fuiſſet. Poſt iſta III. die menſis Auguſti, facto pro conſuetudine a Duumviris luſtro, nihil in publicis magiſtratibus muniisque A *Augſtburgi* mutatum hocce anno eſt. Quo tempore *Ferdinandus* Archidux Marchionatum ſuum *Burgavienſem*, animi recreandi venandique ſtudio primum inviſit: ad quem excipiendum inque urbem noſtram invitandum, miſſi a Senatu noſtro *Ginzburgum* VII. jam dicti menſis die ſunt *Leonhardus Chriſtophorus Rehlingerus* conſul & *Tradelus* ſyndicus: cum tum princeps is verpis aliquot domicilium *Pferſchæ* in totius viciniæ perniciem invito *Bartholomæo Sailero* cive ac loci Domino tunc primo concederet. Circiter quam tempeſtatem B coëmpti a Republ. noſtra omnes, qui a *noctlurna* ad *Klenkerium* portulam extra foſſas urbis ſiti erant horti, eoque precio a poſſeſſoribus redempti ſunt, quo hactenus in publico *Stuiræ* cenſu indicti fuerant, hisque eruncatis via regia ibidem amplior pulchre eſt reddita. Quo menſe item ædificari ex fundamentis, Senatus juſſu, *Antonio Chriſtophoro Rhelingero*, *Stephano Endorfero*, & *Joachimo Jeniſchio* ædilibus, cœpit novum & ſpatioſiſſimum horreum, juxta vetus granarium, inter *Marianam* portam, & *Stephaninam* gynecæum. Quod C vix demum tertio anno plene abſolutum fuit, in cujus cellario & fundamento effodiendo nonnulla ærea aureaque Romanorum numiſmata cum aliquot vetuſtis inſcriptionibus reperta fuere. Per initia vero Septembris menſis, veniit publico foro apud nos olyræ major modius XXXVII. ac exquiſiti *Neccarani* vini cadus XXXII. ſolidis. Cujus menſis XII. die ab urbano Senatu cunctis Oenopolis & cauponibus hoc inhibitum quoque fuit, ne cuiquam clericorum ultra duas vini menD ſuras credito darent, quod de debitis coram noſtro prætore conveniri non poſſent. Et confeſtim ſequente nocte exuſtæ ſunt prope Dominorum atrium vocatum, tres *Moritianorum* ſacrificulorum ædes: quas cum hi paulo poſt iterum reſtaurare occiperent, juſſus eſt propinquior armamentarii ibidem vicinus interjacens ſpacium ſive angiportum (quod quidam *Andronam*, vulgus noſtrum *Reyham* vocant) XI. pedum latitudine, eidem domui ſecuritatis majoris ergo vacuum relinquere. Cæterum *Urſula Liechtenſtainenſis*, *Georgii Fuggeri* nuper adeo demortui, vidua, inſtituit raro matronarum exemplo peregrinationem ad oſculandum Romani Pontificis pedes, viſitandaque apoſtolorum, nec non *Lauretanæ Mariæ* limina, iterque XVII. Septembris XII. onuſtis mulis ingreſſa, altero die Aprilis ſequentis anni rediit domum, non ſine multorum ludibrio adverſaque valetudine. Habebat autem comites præter *Suſannam* veterem ſuam obſeſſam alumnam, & alteram quandam ancillam, quam plures defunctorum hominum animas in ſe, ſpiritumque prophetiA cum continere credebat, nec non *Wendelinum Lojolanum*, ipſarum confeſſorem, *Joannem Fuggerum* affinem, & *Margaritam Peutingeram* cives. Decimo nono dein ejusdem Septembris ediderunt baliſtarium ludum *Mariani* Canonici in horto epiſcopalis palatii hic, in quo ſupremum bravium, nempe ſex cadi vini *Johanni Mennlero* Pfafforum tonſori arte obvenit, ſecundum vivum hircum & 500. gallinacea ova, *Ferdinandus Bojariæ* dux, (qui *Ungarica* triga parvoque comitatu pro ſua bonitate huc quoque venerat) arcu luciratus, B mox eodem veſpere ſecum *Fridbergam* avexit, reliqui qui aderant nobilibus tota ea nocte inſanis modis in præſulis palatio progræcantibus. Interea cum forte ſuperioribus diebus *Jacobus Halderus* publicus *Berlejæ* turris vigil æneatorque, priore conjuge defuncta, aliam nempe *Aſinetam Kynleriam Gengenſem* ejusdem ex ſorore neptem in uxorem duxiſſet, conſuetaque, ſolennitate apud nos nuptias celebraſſet: en XVII. die Septembris currentis, civilis Senatus mandato cum eadem ſua ſponſa urbe ejectus fuit; eo quod bonus ille vir juxta ſubſequens cathedralis conſiſtorii judicium, dictam ſuam conjugem poſt rite firmatum matrimonium, neque deſerere, neque rem illicitam ſe commiſiſſe agnoſcere voluerit. Quum autem Novembre menſe maxima annonæ difficultas in noſtro foro adeo ingraveſceret, ut plane dira fames plerisque timorem non parvum injecerit (plurimi enim tenuiorum civium in tantam penuriam redacti fuerunt, ut præter infinitam aliam per ſingulas plateas mendicantium turbam, ſoli Eleemoſynæ publicæ Diaconi, ad MDCC. egenorum civium nomina in ſuo rationario habuerint conſcripta, ex qua ſumma duæ tertiæ textores erant) quapropter providus Senatus, ne miſerabiliora aut etiam pejora acciderent, dirutis antiquis furnis duos capaciores extra domum in atrio Dominorum dicto, pro pinſendis panibus publice levi pretio civibus divendendis fieri fecit. Quinto dein Decembr. die miſſi *Monachium* hinc ad confœderatorum conventum ſunt, *Hieronymus Hofenſis* ſenior ex arcanis conſiliariis, *Adamus Remus*, ſenator, *Sebaſtianus Chriſtophorus Rhelingerus*, *Cunradusque Peutingerus* Syndici, ubi cum

& Mo-

Ferdinandus Burgavienſem, marchionatum viſitat.

Via regia ampliata.

Novum horreum extruitur.

Edictum de Oenopolis circa clerum.

Incendium

In Italiam profectorum reditus.

Baliſtarii ludi.

Halderus ob inceſtum punitur.

Senatus circa annonæ caritatem cura

Confœderatorum conventus Monachii.

& *Moguntini* & *Trevirensis* Archiepiscoporum una cum *Augusti Saxoniæ* ducis, principum Electorum legati quoque forent: de tranquillitate *Germaniæ* contra *Gallicos* furores, ne dicam contra *Albani* Ducis insidiosos apud *Belgium* tumultus, caute deliberatum fuit: ferebantque nonnulli duos prænominatos archipræsules confœderationi isti sua quoque nomina dedisse: *Augustus Saxo* certe ubi fœderis capitula trutinasset, *Bojo* mille equites in auxilium, si opus sit, propriis stipendiis missurum se ultro promisisse dicitur. Statim inde IX. præsentis mensis, denuo ablegati ad Imperatorem *Maximilianum* sunt *Pragam*; *Joannes Baptista Haintzelius*, silentiarius, *Matthæus Stamlerus* Senator, & prætorii tribunalis protoscriba *Hieronymus Tröschlinus*, J.U. Doctor, in causa, qua *Joan. Jacobus Fuggerus*, jam apud *Tunkyrcham Bojariæ* domicilium habens, negocium inter se & fratrueles, coram Senatu nostro (quem in universum cum omnibus ejus Syndicis & advocatis suspectum habebat) judicialiter expediri nolebat. Quibus X. Januarii insequentis anni domum redeuntibus, sæpe nominatus *Fuggerus* ad antevertendum Imperatorium rescriptum novam sese inter adversariorum partem transactionem, jam pro sua calliditate *Bruggæ* in propinquo *Bojariæ* oppidulo instituerat: qua mediantibus Doctore *Simone Eccio Bojarico* Cancellario, & *Christophoro Peutingero* Duumviro nostro, *Matthæo Laymanno* legulejo interprete, omne negocium, præsertim quod ad *Bibersburgensem Ungricam* ditionem attinet, complanatum iri sperabat.

Legati ad Imperatorem de Fuggero.

Fuggeri cum adversariis transactio.

A. 1570. *Frigus.*

A principio anni post natalem Christi MDLXX. incipientis, prævaluerunt *Augustburgi* & ingens frigus, & plurimæ nives, idque in XVIII. Januarii diem usque: cujus mensis X. die, prætore Broyo ægre admodum ob perpetuas ægritudines cedente, cœpit *Antonius Preussus Krainburgensis*, novus urbis nostræ prætor, pro tribunali primum in curia sedere, ac postea XXI. ejusdem mensis die primum capitale judicium, in *Staffelio Mayro* cive, ob furta puniendo, exercuit in Senatu: sicuti & XIII. die Februarii suarum dicarum primum diem, publico judicio in episcopali Palatio, prout juris veteris est, habuit quoque. Hic *Preussus Labacensis* natione *Carniolanus*, hactenus urbis nostræ stipendiarius miles, ac diu sub *Albani* Ducis truculentissimo imperio apud *Belgas* capitaneus peditum fuerat, atque tandem XXVIII. superioris Decembris die (frustra *Georgio Hertego Campidonense* Imperatorem supplicante) a Senatu subpræfectus civitatis nostræ tum ultro lectus, tum juxta privilegiorum tenorem, annuente *Joanne Rechbergio* provinciæ præfecto, confirmatus fuit. Sed ecce tibi, cum supra dicto Februarii XIII. die, idem subpræfectus noster *Gerstbofam* a prandio, cum *Joanne Kolbingero* Senatus amanuense, juxta consuetudinem proficisceretur, ac solitum jusjurandum ibidem a subditis accipere accingeretur: cathedralis collegii Senatus, misso *Reinhardo Hausensi* capitulari syndico, & *Joanne Ulryco Halbmayro* Doctore & Canonico, id pro ipsorum inveterata pleonexia satis seditiose, interpolita etiam scripta protestatione, usque in octavum diem impedivit. Tum enim idem subpræfectus majore manu equitum stipatus, pfafforum nunciis iterum reclamantibus, debitam tandem obedientiam mere obtinuit. Quo exemplo coloni *Lanckwaidenses* permoti, facile XXVII. ejusdem mensis die, idem parendi Sacramentum civitatis nostræ subpræfecto, invito pfafforum choro, de more exhibuerunt, inque legem pristinam jurarunt. Interea petierat ex voto veteres *Œnipontes*, ubi ab antiquo *Marianum* idolum pertinaciter colitur, *Marcus Fuggerus* (cujus fratri *Joanni Pius* V. pontifex Maximus hoc anno ex speciali gratia mirandas, imo ridendas multorum annorum & dierum indulgentias, super precatoriis quibusdam ex Hebeno ut creduntur tornatis corollis concessit etiam) cum *Sybilla* comitissa *Eberstainense* conjuge, oblatoque aureo calice, *Annam Bernhausensem Wirtembergensem* ipsorum pedissequam, a septimo & extremo dæmonio (nam domi jam preculis, jejuniis, multis verberibus & exorcismo sex ejectos plitabant) quo in octavum annum torta ferebatur, *Canisii Lojolanorum* provincialis gubernatoris imperio liberatam tandem esse jactant. Martius præsentis anni usque adeo hyemalem constitutionem habuit, ut quandiu duraverit, vix unum aut alterum biduum nive aut pruina caruerit. Curavit tamen ea tempestate consul *Paulus Haintzelius* in prædio suo *Göggingæ* pago vix uno lapide hinc versus occasum hyemalem sito, versatilem Astronomicum quadrantem, *Tychonis Brahe Dani* opera & consilio ex abiegnis trabibus sub dio erigi, quo hactenus majorem in tota *Germania* visum fuisse non constat. Semidiameter enim XXI. pedes geometricos continebat, ac in lymbo 90. pro artificio gradus, ad Solis, stellarum, & quorumcunque meteororum elevationes observandas aurichalco satis notabili quantitate insculptas habebat. Is quarto dein lapso anno ventorum vi eversus est. Porro cum M. *Matthias FLACIUS Illyricus*, mense Aprili suo more gravissimas causas germanico scripto invulgasset, Cur sc. omnibus Christianis ab Antichristo quam citissime discedendum sit, ac in præfatione ejus libelli incantamentorum illorum, quæ *Lojolani Augustburgi* nostro multo jam tempore malitiose exercuerant, mentionem etiam fecisset, forte quoque Evangelicos concionatores officii non abs re commonuit. Quam rem nostri injuriam interpretati tam ægerrime tulerunt, ut dato ad Ecclesiarum nostrarum præpositos, *Haintzelium* & *Eiselinum* scripto adversus eundem

Antonius Preussus Prætor.

Diabolus a puella expulsus.

Haintzelius Astronomicum quadrantem erigit.

Flacii cum Augustburgensium clero controversia.

dem virum acerbiſſimo, ſe ſatis ſuperque non mutos canes eſſe declararint: id ubi ad *Illyricum* fuit transmiſſum, ſatis argute is utut exul pro ſua eruditione confutavit. Quo in negocio cum *M. Chriſtophorus Jacobellus* iterum cæteris (quorum in univerſum XV. adhuc habebantur apud nos) ſubſcribere penitus noluerit, miniſterio illum præcipui ex illis amovendum curarunt: tam ſunt *Flaciomagiſtes* ubique unionis ſtudioſi. Inde a Majo menſe in autumnum usque venivit *Neccarenſis* vini cadus a XXXV. ad XLVI. ſolidos, olyræ item magnus modius XLIII. & amplius ſolidis, butyri eliquati libra VI. cruciferis. Tanta autem ubique frumenti caritas invaluerat, ut mercatores ex ipſa *Auſtria* huc & *Ulmam* pro coëmendis frumentis profecti ſint. Dicebant enim *Viennæ* ſuæ magnum olyræ modium XII. aureis venundari, cum tamen Evangelii prædicatio libere & pulchre invitis Pontificiis ibi tum procederet prout Imperator die XXVIII. Auguſti, anno ſalutis MDL XVIII. dynaſtis ac nobilitati clementiſſime conceſſerat. Per famelicam enim tempeſtatem diſtribuerant apud nos mechanicorum artificiorum collegia ſuis contribulibus ea pro more frumenta, quæ quotannis in uſus opportunos reponere ſolent. Similiter & pius Senatus ſuo ſumptu cibarios panes in Herorum atrio pinſi, pauperculisque nec tamen mendicantibus civibus, dimidio vilius quam apud publicos piſtores proſtabant, certo per capita dimenſu, menſibus ut minimum XXV. divendi curavit, ſingulis ſeptimanis ultra XXIII. millia panum, quorum quilibet quadrante minus quam 4. civiles libras ponderabat, unum pro 8. nummulis largiendo: ſicuti & butyri cocti ſingulis item ſeptimanis plus minus XXXVI. centenaria, duobus nummulis minus, quam propolæ vendere vulgo conſueſſent, in familias tenuiorum patrum familias apud S. *Martini* domum divendi per certos Diaconos ſategit. Ad hæc pinaſtri ligni, cujus plurimas ſtrues ad *Lechi* ripam repoſuerat, orgyam uno aureolo civibus divendi, idem noſter Senatus annonæ præfectos juſſit. Quin & laniis noſtris aliquot millia aureorum ad unius anni ſpacium citra uſuram acommodato dedit, quo non quod illi perpetuo urgebant, carnis pretium in macellis adaugerent. Ut interim omittam publicæ Eleemoſynæ beneficia, quibus ad quatuor egenorum millia communi vocato marſupio aluntur, & in ſolo S. *Spiritus* hoſpitali CCCC. ferme homines foventur: in *Gallicorum* item noſocomejo & exulum diverſorio, ſive, ut vulgo dicunt, *peregrinorum domo*, tribusque leproſorum hoſpitiis, quam plurimi miſeri ac ægroti tum alimenta tum hoſpitia gratis habent. Interea temporis cum *Daniel Kellerus* medicus Doctor & concivis, diu jam chemicæ inſudaſſet: tandem eo experientiarum ſe deveniſſe exiſtimavit, ut artem χρυσοποιην quater centenis aureorum millibus venditare; indicereque avaris auſus fuerit: inde poſt multam licitationem transactionemque, demum hoc Majo operam ſuam *Marco Fuggero*, quartarum uſuræ pro mercatu, præter omnium ſumptuum immunitates, tali addixit pacto, ut ex ejus cujuscunque fodinæ argenti metallis, ſemper triplo plus argenti & deſuper ex ſingulis, ſic facti argenti beſſibus etiam Unciam auri puri, multo levioribus, quam alias opus ſit, expenſis ſe extracturum & effectum daturum promittere data ſyngrapha non addubitarit. Et quamquam adhuc *Benedictum Fröſchlinum* orchetomum, & *Hanſum Tyrolum* haberet collaboratores, qui apud *Melchiorem Manlichium* ſeniorem, *Hanſumque Langnowerum* auri montes ſomniabant: theſaurus tamen juxta vetus proverbium carbones fuere. Sub finem Maji menſis miſit *Auguſtus Saxo* princeps Elector ad Senatum *Augſtburgenſem*, Academiarum ſuarum *Lipſienſis* & *Wittebergenſis* germanicum librum, quo illæ ſe nunquam ab *Auguſtana confeſſione* diſceſſiſſe, & in doctrina religionis veræ ſe nusquam erraſſe, non tam confidenter, quam calumnioſe affirmabant: ſimul ac eundem noſtrum Senatum, æque ut alias Imperii civitates, ipſumque adeo liberum *Argentoratum* ſatis imperioſe literis monet, ne *Flacium Illyricum* recipiat, aut ullum illi domicilium hic concedat, quod nimirum ſeditioſus erroneusque in fide exiſtat: quibus ut nunquam is apud nos hoſpitium quæſivit, ita Senatus facile principi obſecundatus eſt. Quia autem *Maximilianus* II. Imperator noſter comitia *Spiram* conſcripſiſſet, miſſi hinc Reipubl. nomine illuc XX. Junii die ſunt, *Joannes Matthæus Stamlerus* Senator, ac *Conradus Peutingerus* Syndicus, qui XXIII. demum Decembris redierunt domum. Sub his comitiis elocavit ſæpe dictus Imperator filias ſuas, *Annam*, *Philippo* regi *Hiſpaniarum* patrueli & affini, quam I. die Auguſti in *Belgium* dimiſit: *Iſabellam* vero *Carolo* IX. *Galliarum* regi, quem ipſe ex ſacro fonte levarat deſponſando, quam IIII. die Novembris *Metim* amandavit. Suntque in iis dein comitiis ipſi Imperatori ad quatuor immediate futuros annos, quinquies centena millia aureorum a *Germanici* regni ſtatibus, in auxilium adverſus *Turcas* ſimul condicta: ad quam contributionem e fiſco urbis noſtræ millia aureorum in promptu numerata feruntur. Sub iſtud tempus tranſiit per urbem noſtram *Carolus Calabriæ* & *Lutheringiæ* dux, turma C. armatorum equitum ſtipatus, quem *Wilhelmus Bojariæ* dux & affinis hinc *Fridbergam* ad matrem ipſius adduxit protinus. Inde cum IIII. die menſis Auguſti *Rhelingerus* atque *Peutingerus* Duumviri noſtri, Senatorium prætoriumque ordines pro conſuetudine examinaſſent

Annonæ caritas.

Senatus in his anguſtiis liberalitas.

Kellerum alchymiſtam ſpes fruſtratur.

Auguſtus Sax. librum & litteras de Flacio Augſtburgum mittit.

Comitia Spyræ.

Carolus Cal. & Lutb. dux Augſtburgum tranſit.

Magiſtratus electio.

naſſent, cæteris officiorum præfectis, ut antea in dignitatibus ſuis permanentibus, factus eſt *Bartholomæus Majus Bernenſis* natione *Ancianus* conſul in locum *Eiſelini* magiſtratum ob valetudinem adverſam deprecantis: Et quanquam dira univerſæ annonæ Caritas adeoque triſtis fames, paſſim apud nos invaleſcerent: proſtiterunt tamen VI. die Octob. CXXX. plauſtra vini in foro noſtro haud levi precio. Et ecce vicinus *Bojus*, qui ante paucos dies noſtros homines *Fridberga* pontificali prandio excepérat, nemine quicquam tale expectante, prohibuit ſuis, ut nullum frumentum extra provinciam ſuam acervatim aut magna copia alio aveherent. Unde contigit, XXVI. ejusdem Octob. die & ſequentibus aliquot, ut plane neque panes neque frumenta, etiam Canonicorum noſtrorum reditus, ex *Bojaria* in civitatem noſtram ad forum juxta receptum uſum, præfectorum culpa, magno plebis & inopum incommodo murmureque ſint delata. Quapropter ſtatim a Senatu miſſus eſt *Schönſteterus* Syndicus *Monachium*, qui principe melius informato, clementius reſcriptum retulit, ipſique agricolæ ac piſtores non cunctanter ſequente ſeptimana iterum forum noſtrum ut antea inviſere, & quæ ad cerealia dona attinent, libenter advehere perrexerunt. Licet interea circiter 3. diem Novemb. major modius tritici octo aureolis, olyræ VII. & ſemiſſe, avenæ II. cum quadrante hic divendi cœperunt. Ac a III. Decemb. die in veſperam ſequentis diei, tam ſubitis aquis *Werdacha* adaucta eſt, tantoque impetu alveum exundavit, ut ſciſſis aggeribus disjectisque riparum ſuſtentaculis pontem ad ſui nominis portam operarii noſtri maximo labore ſuo loco integrum conſervare potuerint. Inde adeo reliquis per *Algojam* & propinquam *Sueviam* fluminibus cataclyſmi inſtar excreſcentibus, cuncta quaſi itinera diu impedita, pontesque quam plurimi disrupti & abrepti procellis fuere. Quam calamitatem miſerandus terræ motus *Ferrariæ* & *Mutinæ* XIIII. dies quoque apud *Italos* præceſſerat: nec non *Belgiæ Germaniæque* inferioris & *Saxoniæ* Septentrionalia litora per menſem antea ad multa milliaria exitioſum diluvium quoque peſſunderat. Veniebat autem eodem Decembri apud nos Salis globus duobus aureolis, eo quod *Bojus* (ut ut clementiſſimus vicinus ac confœderatus noſter putabatur) duriter admodum ſalcuciarios noſtros certo quodam & eo perparvo emendi ſalem dimenſu in terra ſua premeret, adeoque mercatum globorum Salis apud urbem noſtram abolere velle videretur. Cæterum ninxerat lapſo præſentis anni Novembre apud nos ſedecies, ac ſubſequente Decembre ceciderunt hic undeviginti nives, nullis vel pluviis vel aliis aëris colliquationibus incidentibus.

A. 1571. Anno Meſchiæ nati MDLXXI. incidit ſtatim ab initio Januarii menſis acerbiſſimum frigus, id quod in multos ſequentes dies, non ſolum *Augſtburgi* noſtro, verum etiam per totam *Sueviam* duravit. Ninxerat etiam eo menſe apud nos interpolatis vicibus octies, nulla plane humidiore tempeſtate accedente, ſed cunctis undique acutiſſimo gelu rigentibus. Divenditus itaque XI. jam nominati menſis die, qui Jovi & frumentorum ſeptimanali foro dicatus erat, publice hic eſt major modius Tritici triente minus quam X. aureis, olyræ octo cum quadrante, hordei ſex, avenæ triente minus tribus aureis: ac craſtina luce, quæ Veneri & vini Mercatui ſacra habetur, proſtitit ſimiliter apud nos, melioris *Neccarenſis* vini cadus XLVII. ſolidis: quo tempore etiam cinamomi & gingiberis ſingulæ libræ duobus aureis, nec non ſingula recentia gallinarum ova tribus cruciferis veniverunt. Interea famoſus quispiam & imperatorius libellus, tam contra Magiſtratum civilem, quam ſacros concionatores XIX. præſentis Januarii luce, in *Berlejo* circo repertus, non exigua ſolicitudine Senatum affecit: cujus tamen autor ut explorari non potuit, ita minæ ejus effectu quoque caruere. Poſtea IIII. Februarii die deterioris monetæ, utpote *Belgicæ*, *Saxonicæ*, & *Helveticæ*, juxta *Spirenſium* comitiorum decreta, in Curiæ civium ambone, feria prohibitio facta denuo eſt. Similiter item graviter eodem loco vetitum, ne quis mercatorum ſignatum argentum per centenos extra *Germaniam* evehat. Dein XXII. die ejusdem menſis, valuit apud forum noſtrum major avenæ modius quatuor aureolos, quod nullo unquam antea ævo hic factum eſſe cuncti atteſtabantur. Allatæ dehinc XXIIII. Februarii die ad Senatum noſtrum literæ ſunt, quibus *Hainricus Lignizii* in *Sileſia* dux illum ad primogenitæ ipſius filiolæ baptiſmatis teſtimonium invitavit. Quare *Henningus* urbis ſyndicus Reipub. nomine miſſus *Lignitium* cum præclaro munere principis petitioni ad conſtitutum tempus ſatisfecit. Per eam tempeſtatem ablegavit providentiſſimus Senatus *Felicem Remum*, & *Georgium Reſchum* Senatores pro coëmenda annona primo ad *Rheni* partes, ubi *Mergetamiæ* a *Georgio Hundto Teutonicorum B. Virginis militum* majore præfecto, quatuor mille modios olyræ ſatis tolerabili pretio menſe Martio comparárunt. Deinde idem Senatus e *Friſia* ipſaque *Seelandia* multum quoque frumenti huc perferri curavit, quanquam id vix decimo menſe maximis ſumptibus efficere potuerit. Cæterum XV. die Martii, clam fuga elapſus *Vitus Mayrus* publicus Senatus miniſter, male ſibi de concrediti ab ædilibus auri peculatu conſcius, ac diu hinc inde usque in *Ungriam* oberrans, extremo urgentibus fatis, XVIII. Auguſti ex *Waſſerburgo* tantum non deſperabundus huc retractus, XIII. die Septembris in conſueto colle admodum crudeliter, carnifice ictu exorbitante, truncatus capite prætoris lata

Boj. dux mandatum de non exportando frumento reſcindit.

Inundationes.

Salis caritas.

Frigus atrox.

Annonæ caritas.

Famoſus libellus repertus.

Leges monetales.

Augſtburg. a Lignizii duce in baptismatis teſtimonium adhibetur.

Frumentum e longinquis oris arceſſunt Augſtburgenſes.

Matrus peculatus pœnas pendet.

Omnium rerum caritas.

ſententia eſt: Enimvero autem tam intolerabilis caritas tum omnium victualium, tum etiam aliarum rerum hic fuit, ut cadus *Neccarici* vini LII. ſolidis inaudito hactenus pretio XVI. die Martii in foro venierit, ac major modius Tritici XIII. & olyræ decem & ſemis aureolis Auguſto menſe emptus ſit, unde tam apud inſtitores pannicidas & ſutores, quam apud mechanicos artifices omnium venalium rerum precia ſupra modum adaucta ſint, nihilque tutum præ nihili & levi homuncionibus tota hac civitate eſſe potuerit. Quam ob rem Magiſtratus officio ſuo fungens, præter multos, quos virgis cæſos urbe ejecerat, tres robuſtos fures penultima Martii patibulo ſimul ſuſpendi fecit, haud aliter atque XVI. lapſi Decemb. luce, itidem tres fures in eandem furcam agi juſſerat, & brevi poſt illos unum atque alterum itidem ob furta ad ſcalmos in naves hinc deportari curaverat. Vide autem lector miros fortunæ, avariciæ, & invidiæ caſus noſtrorum civium. Detulit accuſatorio jure V. Maji apud Senatum noſtrum *Carolus Fuggerus* patris *Joan. Jacobi* loco, *Marcum, Joannem, Hieronymum*, & *Jacobum Fuggeros*, *Antonii* filios, ac viginti diſcretis & bene prolixis articulis petiit, ut illi propter irrogatas inque præſentibus accuſationibus recenſitas injurias, aliaque data damna, tredecies centena millia aureorum recompenſarentur. Ad quæ ſcripta nominati fratres, actorisque fratrueles XIIII. die Julii, valde nervoſam recuſationem oppoſuerunt. Unde actio ea ſatis acerba, & tantum non diffamatoria, exordium conteſtata lite ſumpſit, quæ tamen intra quadriennium, ſcilicet ad mortem usque ipſius *Joan. Jacobi* (qui præſes totius *Bavariæ* jam effectus, tantum non ducis nutu imperium mere gerebat) non plene ad exitum perducta eſt, cum totius familiæ ejus ſummo dedecore, etiam illuſtribus aliquot viris partes ſuas interponentibus, ac concordiam diligentiſſime tentantibus; præſertim vero ea tota cauſa intricatior eſt reddita, quod tunc etiam *Chriſtophorus Fuggerus*, frater actoris maximam quoque auri ſummam, a dictis *Antonianis* poſtularet. In vehementi vero aſperaque iſta controverſia, innotuit tandem *Antonium Fuggerum* dum moreretur, ſexagies ſeptiescentena millia aureorum rein ad hæredes ſuos transmiſiſſe; cum tam *Raymundus* frater ipſius & negociationum ſocius, actorum parens, ter centena aureorum millia tantummodo ſuis moriendo reliquerit. Quia autem tota civitas noſtra adventitiis mendicis ſcateret, præterque annonæ arduam difficultatem, etiam peſtilenti febre mortales cotidie hic corriperentur, & miſellorum aliquot jam in publicis plateis demortui eſſent, promulgatum VI. luce Maji Senatus decretum recepta ſolennitate ex Curiæ ambone, de non hoſpitandis erronibus peregrinis pauperibusque aliunde irrepentibus, ſeveriſſime eſt. Inde penultima Maji die, exuſta antelucano tempore malleatoria officina extra urbis mœnia prope *Stephaninam* portulam funditus eſt. Luce vero XI. menſis Junii ſublata ac recte compoſita, Conſule *Rhelingero*, *Joan. Matthæo Stammlero* Senatore, *Schönſtetero* & *Suytero* Syndicis noſtratibus, Imperatoris commiſſione arbitratoribus, actio ea tandem hic eſt, quam *David* Epiſcopus & præceſſores ipſius cum civitate *Regensburgenſe*, annis plus minus XL. de jurisdictionibus quibusdam ſatis moleſte jam habuerant: ſteteruntque tanquam advocati a parte Epiſcopi legati archiepiſcopi *Invanienſis*, Epiſcopi *Aureatenſis*, & Ducis ſenioris *Bojariæ*: a Reip. autem dictæ partibus adfuere *Noribergenſium*, *Ulmenſium*, & aliarum quarundam Imperii civitatum deputati. Quando vero hujus anni Julio menſe, ob publicam & generalem famem, ſolito precocior in noſtra vicinia fieret meſſis, non admodum ingrata ad civitatem noſtram fama perlatum eſt, ex XV. *mergetibus*, (quos ruſtici vulgo *Garbas* vocant) olyræ magnum modium triturando excuti paſſim. Hujus menſis XXI. die, capite apud nos ex gratia, extra mœnia plexus eſt, *Caſpar Hollius* civis, propter nonnulla furta, & cumprimis propter effractum armarium in templo *Johannino*, ex quo ſacratum calicem, altarisque pallam ſubripuerat. Altera dein Auguſti luce, recenſitus de novo Reip. magiſtratus univerſus hic eſt, & inter omnes ordines muniaque nihil plane mutatum fuit, niſi quod in locum *Joachimi Jeniſchii* ſenio ſeſe & adverſa valetudine excuſantis, *Leonhardus Weiſſius* inter ædiles lectus ſit: qua luce ſtatim etiam Senatus Oratores *Fridbergam* ad *Albrechtum Bojariæ* ducem, qui forte ad valedicendum *Luthringicæ* principi eo venerat, miſit pro mitigando mandato eo, quo paulo antea is iterum neque frumenta neque piſtos panes e provincia ſua evehi ſtricte imperarat. Inde IX. luce dicti Auguſti, divenditus hic publico foro major olyræ modius X. aureolis, & quod rariſſime uſu venit, tritici modius octo tantum aureolis fuit. Ingraveſcente tum magis atque magis annonæ caritate, mox ſequentibus menſibus olyræ præcium ad XIII. aureolorum ſummam usque aſcendit. Porro XVI. Auguſti die innodati conſules ordinarii, & prætoris civilis mandato ad hoſpitium *Bohemi* extra *Marianam* portam, hic ſunt, Epiſcopalis quæſtor, *Renzius Bobingenſis* præfectus, ſtateræ publicæ præpoſitus, ac nonnulli alii Cardinalis noſtri miniſtri, propterea, quod *Hieronymo Rhelingero* ſeniori patritio ac civi, *Inningæ* in proprio ſuo domicilio, ante triduum ſyngrapham, de ſolvenda ad illorum lubitum forniçationis mulcta, tantum non per conciſſionem & vinculorum minas extorſiſſent: cum tamen ob illud ipſum crimen, jam Senatui noſtro CC. in pœnam ſolviſſet. Quare multa hinc *Dillingam* ad Epiſcopum, & illinc ad Senatum noſtrum acta & tranſacta in

Supplicia in fures.

Actio inter Fuggeros.

Decretum de erronibus hoſpitio prohibendis.

Lites inter Epiſcopum & cives Regensb. componuntur.

Rumor de magno proventu.

Hollius capite plexus.

Magiſtratus electio.

Annonæ caritas.

Epiſcopi officiales capti ſolvuntur.

4. usque diem ſerio fuerunt, donec non ſolum *Rhelingero* obligatoria ſua chirographus reddita, verum etiam impediti officiales libertati reſtituti fuerint. Dein XXI. ejusdem menſis luce, ſub ipſum matutinum crepuſculum, conflagravit ſubito molendinum illud Reip. quo prope *Oblateriam* ad intra mœnia, aromata & ſimiles ſpecies contundi, aut in pulveres redigi ſolebant. Cæterum hoc ipſo menſe deduxit *Albrechtus* A *Bojariæ* dux *Mariam* filiam ſuam ſeptingentis equitibus *Viennam Pannoniæ*, *Carolo* Archiduci *Auſtriæ* conjugis ſuæ fratri ad nuptias: cui pompæ *Hieronymus* & *Philippus Eduardus Fuggeri* cives noſtrates, ſic ſatis ornate quoque invitati interfuerunt. Interea temporis cœpit ab urbanis ædilibus propugnaculum apud dudum demolitam provinciæ ſpeculam de novo quam robuſtiſsime maximisque ſumptibus una cum mœniis & foſſa a ſalvatoris cœmeterio usque ad *Stetſſingeriam* in portulam renovari: quod opus tertio demum anno integre absolutum eſt. Cæterum Septembri menſe B convenerunt non infrequenter ſuperioris *Germaniæ* urbes *Eſslingam*, propter rei pecuniariæ infinitos dolos, legatis Reip. noſtræ *Adamo Remo* Senatore, & *Tradelo* Syndico: habitisque arduis conſultationibus tandem decretum, Imperatore ratificante, unanimiter fecerunt, ut cunctis negociatoribus, dolia, vaſa, ciſtæ ſarcinæque per quascunque nundinas explorarentur, ac ſi quam prohibitam, aut alias viliorem monetam continere deprehenſæ fuerint, ea in totum confiſcarentur, ac ad exactam trutinam in novos nummos conflarentur, ita ut juſtum pretium ad Dominos æqua proportione C rediret: eſtque negocii hujus executio *Augſtburgenſium*, *Noribergenſium*, & *Ulmenſium* magiſtratui initio commiſſa. Unde quamprimum inquiſitio iſta tam publice quam in privatis ædibus, apud nos fieret, additum etiam edictum eſt, ut nemo mercatorum ullas merces aut res amplius, absque jurati inſpectoris a Senatu conſtituti præſentia, vel convaſarent, vel alio mittere præſumerent, id quod illis intolerabile videbatur. Itaque quo bona moneta hic tum retineretur tum excuderetur in poſterum, conduxit Senatus ſub finem Octobris *Hanſum Voglerum Alſtettenſem* in ſuum monetalem: qui alio modo quam hactenus uſus tenebat levioreque opera, nempe nova impreſſoria machina, non malleis, pecuniam propam & pulchram XXVIII. die ſequentis Januarii ſignare apud nos cœpit, ſicuti ſuperiori tempore *Mylæ* apud *Oempontem* jam fecerat. Porro conſuetum jam inde ab initio renati Evangelii in præſentem usque diem *Augſtburgi* noſtro fuerat, ut ſingulis profeſtis diebus per totum annum apud *Minoritas* ſub ipſam auroram, matutinæ preces cum ſuccincta exhortatione ad pietatem pro populo fierent: id dum novellis Diaconis, & ipſimet *M. Joan. Remo* (qui adhuc vino vetuloque *Leonhardo Rivulo* ſubſtitutus, ex *Georgiana* parochia ad dictos *Minoritas* translatus erat, nec diu ſupervixit) moleſtum foret, multumque ut labore illo ipſis intempeſtivo ſublevarentur, Eccleſiarum noſtrarum præpoſitis ſupplicaſſent, permiſſum tandem iis eſt, ut omiſſo cotidiano antelucanoque eo precationum more, deinceps qualibet ſeptimana tribus interpolatis diebus, nempe Martis, Jovis & Veneris, eâ hora in templo eodem concionarentur, qua ſingulis diebus ſermones ad *D. Annæ*, per horam ante Senatus ordinariam coitionem haberi ſolent. Cœpitque *M. Nicolaus Falco Salveldenſis Thuringus* Diaconus ibidem, ultima Julii, hora VI. antemeridiana juxta novam conſtitutionem hanc illic prædicare. Devicta autem VII. *Gratulationes de Turcis victis.* die Octob. communi expeditione per *Venetos*, *Hiſpanos*, & Papam, in faucibus ſinus *Corinthiaci* ad *Echinades* inſulas *Zelymi II. Turcarum* Imperatoris maxima claſſe, infinitæ paſſim congratulationes a Chriſtianis non immerito ſunt factæ: ac inter alios *Hieronymus Wolfius Albrechtusque Reiffenſtainius* apud nos hic, eruditis carminibus calculum ſuum ad triumphum eum quoque addiderunt. Non multo poſthæc, nempe menſe *Cantus Anti-papiſticus interdicitur.* Decembri, inhibitum a conſulibus noſtris eſt, ne ſcholares & alii pueri mendicantes, in publico amplius carmen, quod incipit *Erhalt uns HErr bey deinem Wort &c.* cantarent, quod ſcilicet Papiſtæ jam ipſo facto Pontifici Romano injuriam fieri demonſtrarent, dum in eo petitur, ut Papæ ac Turcæ latrocinia infringantur arceanturque. Cæterum hoc ipſo anno, venere recreandorum animorum gratia plus minus octies huc Duces *Bojariæ* pater & filii, ipſorumque Gynecæa, ſimul ac ſenior *Luthringica* principiſſa ægrota cum clauda filia ad convivia, quæ per vices jam apud *Marcum*, jam apud *Joannem*, jam apud *Philippum Eduardum Fuggeros*, jam apud militem *Schertlinum*, aut *Illſingum Sueviæ* provincialem præfectum, aut *Joan. Paulum Herwartum*, aut apud *Jacobum* & *Antonium Meitingos*, magnifice adhibitis etiam aliquando choreis, ſæpius ludo *Primeræ* peregerunt. Suntque vicißim jam nominati hoſpites illorum una cum Duumviris noſtris, ab iisdem principibus hinc *Fridbergam* bis ad prandia, quibus ſemper cœnæ connectebantur, evocati, tam familiares tamque boni vicini tum erant *Bojo* Reip. noſtræ. Porro ipſo hoc anno, curarunt *Marcus*, *Joannes*, *Hieronymus* & *Jacobus Fuggeri* fratres germani privatum hoſpitale ex *Antonii* patris diſpoſitione, pro pauperibus ſyphilide morbo laborantibus hic non procul ab *Oblateria* portula extrui.

Bojo & Augſtburgenſes crebro convivantur.

Fuggeri hoſpitale exſtruunt.

Anno Immanuelis noſtri MDLXXII. A. 1572. contigit bis non ſine omine, terræ motus urbem *Augſtburgenſem*, ea nocte, quæ quartum diem Januarii menſis ſecuta eſt, & primo, hora VII. poſt meridiem, & dein hora quarta poſt medium noctis. Poſten ſub

Terræ motus.

ipſam

Incendium.

Caroli cum Maria nuptiæ.

Propugnaculi reſectio.

Decretum de deteriori moneta in Eſslingenſi conventu.

Voglerus Auſtburgenſium monetarius.

Precibus matutinis abrogatis conciones ad populum habentur.

Ignota avis videtur Augſburgenſibus.

ipſam ſexti ejusdem menſis diei auroram, viſa eſt haud citra augurium ignota & ſatis magna avis, ſiniſtri *Mariani* campanalis ſummo apici inſidens, inque ſeram usque veſperam ibidem, omni fere populo accurrente & aſpectante, quaſi immobilis permanens, craſtina luce in dextræ turris faſtigio per multas horas etiam ſtetit, ac iterum dein ad priorem ſedem ſe recipiens, nullo campanarum pulſu territa, atque etiam ſclopetis petita, nequaquam illinc depelli potuit, donec ſequente nocte forſan fame cogente, avolarit ſponte, nec amplius apparuit, dubitantibus hodie adhuc noſtris, qualis ales fuerit. Inde XII. Jani die abiere Senatus noſtri nomine *Ulmam* ad circuli ſeu nationis *Suevicæ* conventum *Joannes Matthæus Stammlerus* Senator, ac *Tradelius* ſyndicus. Similiter & XIX. ejusdem menſis die miſſi *Monachium* hinc ſunt ad confœderatos *Landsbergenſes*, *Hieronymus Hofenſis* ſilentiarius, cum *Peutingero* Syndico: quo videlicet nulla ex parte Respub. *Augſtburgenſis* tanquam minus pacis ſtudioſa culpari queat. Poſtmodum additum primo eſt Senatus juſſu frumentario tabernaculo ex ferrea lamina vexillum, urbis pineam cum appropriatis coloribus illuſtratam præferens, quo emptoribus ſtatis diebus ſignificatur, qua hora mercari liceat, ne ſcilicet alter alterum præcipue piſtores, prævenirent amplius emendo, atque intempeſtivis licitationibus pretia frumentorum augerent. Cæterum a X. die Februarii in IIII. usque Martii, tam acerrimum frigus cum ſereno aëre hic fuit, præſertim XXV. die Februarii Euro flante, ut nihil ſupra. Pranſi autem interim XXIIII. & ſequente dicti Februarii diebus, Duumviri noſtri aliique patritii invitati, apud Ducem *Albrechtum Bojum Friedbergæ* ſunt, luſeruntque ibidem a meridie prioris diei quidam ex noſtratibus patritiis, *Marco Fuggero* ac *Hanſo Honoldo* patrimis ſeu protectoribus ipſorum, cum aulicis *Bojariis* equeſtre torneamentum, quod vocant, ac valde vapularunt. Licet autem peſtis per urbem noſtram plurimum ſæviret, adeo ut LXX. mortales majori ex parte epidemia apud nos ea ipſa ſeptimana mortem obierint: pranſus tamen apud *Martcum Fuggerum* XXVI. die Februarii ſupradictus *Albrechtus* dux cum tribus filiis hic eſt, quos Senatus ſolitis Xeniis excepi curavit. Quia vero annonæ difficultas adhuc per urbem noſtram graviſſime durabat, curavit providens Senatus perpetuo, ut pro alendis civibus undiquaque frumenta coëmerentur, atque ita tandem in ipſis jam *Turcæ* ſubditis infra *Budam* provinciis, ultra duo millia majorum modiorum olyræ comparaverat: quæ cum *Maximiliani* Imperat. indultu, *Budam* usque devecta fuiſſent, a levis armaturæ *Ungaris* equitibus (*Huſſernos* vocant) admodum perfidioſe noſtris hocce vere intercepta ſunt, quod ſcilicet diu jam ſtipendia nulla accepiſſent. Interea temporis ſub medium Martii menſis Quadrageſimæque dum Eccleſiaſtæ noſtri ſeptimanalem conventum poſt antemeridianam concionem die Mercurii apud *S. Annam* agitarent: accidit, ut inter alias diſſertationes inter *M. Jacobum Ruilichium Crucianum* parochum ſuperintendentem alterum, ac inter *M. Nicoldum Falconem Nudipedum* diaconum, orta ſit de conſenſu Chriſti Servatoris ad inferos diſſenſio, uno Chriſti hominis animam illic dolores inferni perpeſſam, altero ipſam tanquam Deitatis jam participem triumphum egiſſe aſſerente: quæ controverſia ne populo ſcandalum pareret, aut ne miniſtrorum verbi conſenſus rumperetur, actutum per ἀμνησίαν ſublata, altiſſimoque ſilentio pulchre ſopita eſt. Complures juvenes ac nebulones iſta tempeſtate præſertim a Majo menſe in hyemem usque propter furta ſimiliaque perpetrata flagitia, torquibus roſtratis & ferreis cum mola ſonante, colletenus implicati, ad publicam foſſarum apud provinciæ ſpeculam ſtructuram duris laboribus certoque alimentorum dimenſu, ex gratia a Senatu noſtro damnati extiterunt, ſicque pœnas luendo vitam redemerunt. Poſtmodum XX. die Maji placida tranſactio ſuper antiqua de Venationum terminis & ſemitarum ad evehenda e ſylvis ligna finibus lite, per provinciales *Illſingum Sueviæ*, *Welſerumque Burgaviæ* præfectos, & *Hanum Burgavienſem* quæſtorem, inter nobiles a *Staino* & torquatum equitem *Scherlinum*, apud nos Imperatoris commiſſione, utriusque partis non parvo aſſiſtentium patrocinio ſerio quidem & diu, ſed fruſtra attentata, occaſionem præſtitit, ut actio eadem de re in multos ſequentes annos valde captioſe ac vafre extracta ſit. Dein XVI. Junii venit huc *Friedberga*, ad *Raymundi Hofenſis* cum *Juliana Peutingera* nuptias, *Dorothea Lutheringa* innupta ducilla, quæ peractis Pontificiis in ſummo templo officiis prandioque conſueto ſumpto, ad publicum theatrum, carpento poſt ſponſam vecta, ut ut claudicans cum Comite *Eberſtainenſe* ſecundam choream duxit, præſaltantibus illi Duumviro *Peutingero* & *Marco Fuggero* ſilentiario. Intentata forte ſuperiore anno coram prætore hic propter depoſitam a *Chriſtophoro Hallero Nurmbergenſe* precioſiſſimam torquem, criminalis actio de ſtellionatu eſt, *Antonio Nuſsharto* civi, per *Hanſum Egenium Wormatienſem*, quæ tam intricate, tam dolose, ac tam proditoriis fraudibus in ſequentem usque annum agitata, utrunque tam reum quem actorem non ſolum in carcerem abegit, ſed & de vita honoreque dubios reddidit: donec ad extremum *Nuſshartus* jure viceric, atque ipſe *Egenius* ad perpetuos carceres adjudicatus, adverſarii tamen benignitate, quod nimiis ſumptibus aggravari amplius nollet, poſt longam captivitatem libere ſolita cautione dimiſſus ſit: ibi miſer ille novas ſtrophas & tantum non conculſiones foris meditans, in extremum

Suevicæ conventus Ulmæ.

Landsbergenſium confœderatorum conventus Monachii.

Vexillum emptionis temporis index.

Bejo & Augſtburgenſes rurſus epulantur.

Frumentum a Turcis arceſſunt Augſtburg.

Controverſia de Chriſti ad inferos deſcenſu componitur.

Fures ad opus damnati.

Scherlinum inter & Stainenſem lis compoſitio fruſtra tentata.

Hofenſes nuptiæ.

Actio ſtellionatus.

se periculum conjeciſſet, ni *Suiteri* Syndici noſtri prudentia, *Egenii* & complicis *Sebaſtiani Meitingi* malæ artes & *Spiræ* & *Wormatiæ* extinctæ fuiſſent, ac inſperata mors homuncionem ad plenum abſolviſſet. Interea dum ſub initio *Belgici* tumultus (quo non parum multi ex noſtratibus *Hiſpano* nomina dederunt) *Goëſi* ſive *Geiſi* (ſic *Caçolici* rebelles illic vocant) *Hiſpanienſium, Portugalenſiumque* navigia, & milites & pecuniam præter alias opes, mercesque advehentia prope *Ulyſſingam* audaciſſime intercepe-A runt, & tanquam opima ſpolia inter ſeſe diviſerunt: in qua direptione *Matthiæ Manlichii* civis noſtratis hæredum ſocietas, vel in ſolo pipere L. millium aureorum damnum accepit, unde tantum non de fide illorum dubitare multi cœperunt. Porro nova & felice accedente meſſe, divenditus in ipſo *Ulrichianis* nundinis major frumenti modius apud nos eſt ſex aureolis, ac intra ſemeſtre tempus tribus aureolis cum dimidio, qui ante annum XIII. & ante unum menſem VIII. aureolis veniverat, avena tamen & oly-B ra idem pretium obtinentibus. Quando vero *Joannes Sylierus Mechlinienſis*, *Luthringicæ* aulæ præfectus, (qui jam *Liechtenbergenſem* arcem ad *Lyci* ripam, paulo ſupra civitatem noſtram in ſolo *Bojarico* ſumptuoſiſſime reſtaurare occeperat) in ipſo *Fridbergenſe* caſtro, nihil minus ſuſpicans tribus plumbeis glandibus ex uno ſclopeto trajectus & interemptus ultima Julii die eſſet, latroque e veſtigio per poſticam portulam elapſus, per ſubornatos equites impune abductus foret: facta poſtridie *Chriſtiernæ* principis petitione apud *Augſtburgum* noſtrum, per publicum æneatorem in omni-C bus compitis proclamatio eſt, trecentique coronati promiſſi, quicunque graſſatores illos vel in vincula redigeret, vel prorſum occideret: ibi mox *Georgius Bropſtus* Reip. noſtræ emiſſarius, cum uno atque altero ſocio iter ingreſſus, haud longa interjecta mora, illos *Mengæ* apud *Hegoviam* exploravit atque intercepit, & inde vi accepti mandati, illos *Fridbergam* vinctos ſimul adduxit: qui tandem *Ingolſtadii* per noſtratem carnificem capite plexi, rotis impoſiti fuerunt. Auguſti dein menſis IIII. die, recognoverunt hic pro more *Rhelingerus Peutingerusque* Dicta-D tores, tum Senatores tum Judices urbis, nihilque in toto eo ordine mutarunt, quam quod in locum ſubito demortui *Weiſſi, Georgium Sultzerum* ædilibus ſubſtitui curarunt. Poſt iſta ſic apud nos geſta, XXIIII. Auguſti intempeſta nocte, factum eſt in ipſis regalibus nuptiis, *Pariſiis* per *Guiſium*, fœdifrago *Gallorum* regis *Caroli* conſenſu, furioſum ac inauditum latrocinium: in quo *Caſpar Colinius*, magnus regni ejus Admiralius primum, & poſt ipſum innumeri alii reformatæ religionis confeſſores utriusque ſexus, præter datam fidem, intra paucas horas crudeliſſime, per cunctas ferme ædes jugulati fuerunt. Ex qua inhumaniſſima laniena (ne præter inſtitutam hiſtoriam odioſe iſta me annotaſſe quiſpiam exiſtimet) civium noſtrorum aliquot filii illic tunc literis mancipati, aliisque artibus ac negociis inſervientes, Dei protectione erepti, ægre domum & plane attoniti, repedare potuerunt: inter quos, ne nullos recitem, & *Antonius Fuggerus* juvenis illuſter, *Joannes Paulus Zangmaiſterus*, *Andreas Wildholzius*, & *Hieronymus Fiſcherus* medicinæ ſtudioſi, & *Matthæus Laubius* aurifaber cives extiterunt. Gliſcente autem tunc temporis apud nos peſte bubonia, Senatus urbani decretum penultima Auguſti menſis die factum eſt, de vitanda luis contagione, civitatisque vicuum, platearum, rivulorum, & in primis fori ſcrutinii mundicia: quæ conſtitutio dein proximo ſequente Dominico die, e podio Curiæ, æneatoribus claſſicum canentibus, omni populo promulgata fuit. Quia vero autumno iſto varia toti *Germaniæ* incumbebant negocia, habiti ſunt hinc inde principum & civitatum non infrequentes conventus: ad quorum eum, qui *Spiræ* XVI. Septemb. die ab Imperialibus civitatibus inſtitutus erat, *Joannes Matthæus Stamlerus* Senator, cum *Tradelo* Syndico Reip. noſtræ nomine miſſi ſunt, ſicuti & ad *Landtsbergenſis* fœderis congregationem, ſubſequente menſe hinc *Regensburgum*, *Hieronymus Höfenſis* ſilentiarius, una cum *Davide Lynſio* ſecretario legati etiam noſtri fuerunt. Octob. XVII. die conflagravit non ſine vicinorum periculo, incerto tamen autore, ſub ipſum cœnæ tempus, integra *Moritiani* cujusdam ſacrificuli domus, a latere *Fuggeranorum* ædium. Biduo poſt incendium hoc affixit Senatus permiſſione omnibus eccleſiarum valvis apud nos niger quidam *Italus*, *Lucas Turcus* dictus, impreſſas cartas, quibus ſe & graſſantis peſtis, & aliorum deſperatorum morborum probatiſſimum medicum fore promittebat: ac brevi jactantiæ ſpecimen edens, ocyus peſte ipſe ſublatus fuit. Cæterum cum non modica nihili hominum inopumque Civium pars tum præ intolerabili annonæ caritate ſolum verterent, tum ob publicam peſtem quoque indies hic mortem obirent, ac plurimam pupillorum turbam poſt ſe relinquerent, ut neque privatis neque publicis Eleemoſynis ea vel recte ali, vel in tam variis locis diſperſa curari orba poſſet: cœpit *Hanſus Stöcklinus* diaconorum urbanorum major, qui ſcilicet *loculos* jam plus minus XXII. annos ſumma accuratione habebat, (*capſariium* mercatores nominant,) Senatum de tanta miſeria, edocere, deque proprio pro orphanis illis adornando hoſpitio ſedulo interpellare. Licet autem ſatis difficiles ſe patres conſcripti initio præberent, verentes nimios ſumptus: indeſinentibus tamen ſolicitationibus, pientiſſimi viri victi, tandem menſe Octobris iſto, *Bartholomæi Scheirlini* cauponam quatuor millibus aureorum in piſtorum vico de ſuo comparari curarunt, atque ad talium

Naves Augſtburgenſibus intercipiuntur.

Annonæ caritas decreſcit.

Latro commiſſæ cædis pœnas dat.

Magiſtratus electio.

Pariſienſes nuptiæ ſanguinea.

Augſtburgum a ſordibus purgatur.

Imper. civitatum conventus Spyræ.

Landtsbergenſium confœderatorum conventus.

Incendium.

Turcus peſtis medicum ſe crepat.

Orphanotrophium conditur.

puerorum orphanotrophium liberaliter præparari fecerunt, conferentibus ad illud pro lectisterniis, cubilibus & similibus utensilibus, tum devotis apud nos matronis, tum piis aliis civibus, non modica subsidia. Atque hoc modo hospitale illud *Augstburgi* initium laudabile sumpsit. Novembris sexta nocte vel circiter, apparuit primum hic nova insolita ac splendidissima stella, multo altius in æthere, quam ullus cometa aut quælecunque meteororum consueverit observari, in ipso *Cassiopejæ* asterismo. Ea stella in uno & eodem loco, nempe *Tauri* VII. quasi gradu fixa permanens, cotidie motu primi mobilis suas revolutiones perfecit, & magnitudine claritateque Veneris illustre sydus longe superavit, nec extincta est usque in sequentis anni Decembrem. Visi item XVII. præsentis Novembris luce, per integram horam, videlicet circiter nonam antemeridianam, tres soles apud nos lucido cœlo sunt. Interea dum Novembre hocce novum pro horis signandis tintinnabulum loco veteris & insonori *Crucianæ* portæ una cum stannato tecto & globo imponeretur: ecce penultima ejusdem mensis die *Avenarii* famulus *Jacobus Lasserus Riedlingensis* horam II. pomeridianam malleo in eo tintinnabulo (quod sub aperto Dio pendebat) significare tentans, subito ex summo turris illius cacumine, in *Caroli Neithardi* vicinum pomerium, ad minus XC. pedum altitudine decidit, ac quod mirum incredibileque videtur, nullum exterius membrum articulumque vel fregit, vel laxavit, & post aliquot septimanas pristinæ sanitati medicorum ope restitutus fuit. Ipsus vero jam nominatus *Neithardus* VII. die Decemb. iterum in publicam custodiam ad Curiam civium ductus est, propter Beginarum eam domunculam, quæ ab *Herwartis* in vico pfafforum quondam fundata a tergo *Moritiani* templi fuerat: simul ac propter minus probe factam divisionem paternæ hæreditatis, cum *Pauli* fratris liberis, nec non *Wolfii Langenmantelli* uxore sorore sua. Unde *Quirinus Rhelingerus* jam nominati *Langenmantelli* gener, propriorum liberorum causa ipsum in jus rapuit & tandem vicit. Nonadein mensis Decembris die, transiit per civitatem XII. angariis *Caroli Galliæ* cruentissimi Regis, ad Cæsarem *Maximilianum* legatio, & confestim sequente luce pernoctavit hic, cum XXIIII. celeribus equis, Dominus *Cuno* Cæsaris ad eundem regem legatus, non absque variis plebis suspicionibus. Porro *Melchior Neümarus*, diu magnus negociator hic visus, contracta tandem CC. millium aureorum alieni æris summa, ex improviso fidem fefellit, urbeque turpiter *Fridbergam* hoc ipso finiente anno aufugit, ac in tertium usque annum illic in diem victitans, neque quibus conditionibus aliquid creditoribus reddere, neque quo pacto res suas, una cum fratribus *Noribergæ*, ob idem debitum jam quoque incarceratis, in tranquillum ponere velit, indicare unquam potuit adigi: ultimo ubi satis omnes ludificasset, e *Bojaria* in *Algæam* in monasterium *Isnense* cessit, illicque satis splendide aliquot annis in despectum omnium impune agit.

Nova stella in Cassiopejæ sidere apparet. *Parelii.* *Lasserus sine insigni damno turre decidit.* *Neithardus ad carcerem raptus.* *Gallici legati Augstburgum transeunt.* *Neimarus deceptor.*

Januarii incuntis MDLXXIII. anno, tertio die, venit *Fridberga* huc cum *Marco Fuggero* pransum, *Dorothea Luthringica* Ducissa, ac post epulas, vehiculis civico more cum gynecæo suo, aliquoties per civitatem circumvecta, eodem vespere iterum domum se recepit. Quando autem post superioris anni crebriores nives geluque intensissimum VI. Januarii die subito frigora remitterent; atque sequentibus diebus inexpectatæ pluviæ, spississimæque nebulæ æthera obtenebrarent: amnes circa totam urbem *Augstburgensem* usque adeo exundarunt, ut *Jacobini* suburbii incolæ levi quodam diluvio semel atque iterum laborarint: quin & per totum agrum rustici cum pecoribus suis præ restagnantibus undis in tantis periculis extiterunt, ut vicinos per campanarum classicum evocare. opus habuerint. Postea a XXVIII. præsentis Januarii ultra V. Februarii diem, de novo rigidissimum frigus apud nos, non sine pauperculorum maxima molestia duravit: Sub initia mensis Martii, quibus rigida admodum quoque auræ constitutio erat, oppignorata est ab *Albrechto Bojo* duce tota *Meringensis* arx ditioque cum omnibus juribus ac reditibus *Marco* & *Johanni Fuggeris* fratribus, pro sexaginta quatuor aureorum millibus. Quin iidem *Fuggeri* desuper quinquaginta aureorum millia eidem duci pro privata hypotheca eodem tempore etiam mutuum dederunt. Cæterum concidentibus sive frigore, sive quia sola arena congesta fuerint, quæ juxta primam aquariam turrim a tergo hospitalis majoris erant vallis, reædificata ea civilium ædilium procuratione, ab Aprili mense in multam æstatem usque non parvis expensis laboribusque fuerunt. Septembris dein XIIII. die rediit huc e balneis *Göppingensibus*, ubi quatuor ferme mensium spacio acidulis aquis laverat, *Christierna Dana Luthringica* Ducissa vidua, cum *Dorothea* filia, ac *Albrechtum* sæpe nominatum *Bojum* ducem (qui itidem acidulo fonte apud *Uberkingam* ad minus sesqui mensem paulo antea balnearat) obviam habens, in *Fuggerorum* ad forum Vinarium ædibus hospitium sumpsit. Communi autem trium superiorum *Germaniæ* cyclorum, *Suevici* nempe, *Franconici* & *Bojarici* decreto, carnium esus, Veneris & Sabbatinis diebus, nec non tota quadragesima XII. die Maji per civitatis nostræ compita, inhibitus est. Dein cum Calendis Junii, per jam nominatorum trium *Germaniæ* circulorum deputatos, *Augstburgi* nostro res pecuniaria, ipsæque adeo singulæ monetæ sub justum examen & sub probationem, quam vocant, venisset: facile liquideque deprehensum fuit, *Augstburgensem* omnis generis monetam optimam probatissimam-

Inundationes. *Atrox frigus.* *Albrechtus Boj. es alienum apud Fuggeros contrahit.* *Valli refectio.* *Principes e thermis reduces.* *Carnium esus inhibitus.* *Augstburgensium moneta omnium optima.*

que esse. Quæ causa est, ut ea quam primum in lucem prodeat, brevi dispareat, aliis eam confestim haud circa stellionatum conflantibus, iterumque in viliorem convertentibus. Junii mensis VII. die, quæ admodum serena erat, nocte visus hic est post unam horam ab occasu Solis, igneus globus justæ magnitudinis ab Orientali in Occidentalem mundi plagam, illustri jubare ferri. Vicesima octava ejusdem Junii die, quæ Solis A erat, cum a prandio horrendum diu tonitruasset, bruto tandem fulmine tacta extra civitatem domus ea est, quæ peste infectos manet. Cæterum cum jam mense Julio messis ad *Danubii* non procul hinc fluenta, satis feliciter cepta foret: divendita tamen XVI. ejus die publico & eo frequentissimo foro avarorum culpa, major secalis veteris modius hic VI. aureis & quadrante, nobilioris frumenti eadem mensura XI. aureis fuerunt; sed & post XIIII. dies, novum secale itidem VI, vetus VII. frumenti veteris XIII. ac novi IX. aureolis, modius apud nos irato numine venierunt. Interea temporis B licet sub *Fronsbergio* barone aliisque capitaneis quam plurimi ex nostris civibus *Albano* (qui XV. Julii contra promissam gratiam tantam dedentium se *Harlemii* gladio, laqueo, & aqua cedem perpetravit, ut merito nullus hominum *Hispanico* tyranno quicquam posthac fidere debeat) apud *Belgiam* militarent: ipsus tamen *Carolus Fuggerus*, inexpertus sane tyro, hoc ipso mense propriam legionem militum, ad eundem *Albanum*, etiam non valde armis instructam, ductitare ausus fuit. Postquam vero *Bavarus* diu jam neque Salis globos, neque frumenta in Urbem nostram e suo ducatu advehi passus esset: undecimo tandem Septemb. nescio qua Rhetorica persuasus, denuo annonæ aliquot plaustra nobis concedere quasi cœpit. Valuit autem apud nos, per Octobris initia, insolito horreo, salis globus unus XXXII. baciis; ac in reliquis foris major secalis modius VI. aureolis, ac *Neccarei* vini metreta VIII. aureolis & ultra. Novembris quarta nocte dum novus Epi- C scopus *Augustanus*, cum cathedrali ipsius collegio, in crastinam lucem extincto præcessori parentare hic instituisset: en malum omen rusticus quidam *Oberhausæ* in Pfafforum vinculis captivatus, a cacodæmone sub forma nigri Catti, subito ablatus D esse, nec unquam amplius visus fertur. Ecce vero quam habendi studium nihil penitus, quod ad rem faciendam spectat, nostro *Augustburgo* intentatum relinquat. Occepit *Conradus Rhodius* patritius & Senator, hoc ipso autumnali tempore, constructis æris lebetibus, palis furcisque ferreis, & integra coquinaria officina, in viculo noctuarum extra *Marianam* portam, Zaccharum seu mel arundineum coquere, advectis ex *Hispaniis* huc illarum cannarum medullis, aliisque rebus ad artificium id necessariis. Quo cum primo auspicio sat lucri fecisset, sequente anno iterum *Hispanias* pro coemendis materialibus similibus petiit, nec tamen toto biennio propter adversos ventos redire potuit: quo tempore interim idem *Rotus* super maximo pondere piperum ex *India* advehendorum, cum *Sebastiano Portugalliæ* rege, ad summam ter decies centum millium scutorum contractum feciisse fertur. Accedente Novembre mense, valuit apud nos optimi frumenti magnus modius VII. aureos, vini item exquisitissimi metreta LVIII. solidos, ac faginei ligni plaustrum orgyam continens XLII. bacios. Qua tempestate cum *Albrechtus Bojus* dux a malevolis persuasus esset, fœneratores quosdam *Augustburgi*, omnes annonæ species non parvo numero, tum hic in foro nostro, tum in ipsius provincia adeo impudenter coëmere, ut ni in tempore præcaveat, ingentem caritatem per terras ipsius indubitanter subsecuturam brevi esse periculum sit: quapropter is ex templo serio per totum suum ducatum iterum inhibuit, ne quisquam vel panes vel cujuscunque speciei fruges ad forum nostrum de cætero importaret. Unde Senatus nostri prudentia per legatos *Antonium* sc. *Christophorum Rhelingerum* ædilem, & *Schönsteterum* syndicum, Decembri mense principem eum melius informando, difficulter sane nec ἀδώρως impetravit, ut vicinioribus colonis pistoribusque suis, diebus Jovis & Veneris, forum nostrum denuo cerealibus muneribus accedere potestatem concesserit.

Igneus globus visus.

Fulmen.

Annonæ caritatis continuatio.

Augustburgenses sub Albano stipendia merentur.

Rusticus a Diabolo abreptus.

Retus primus Augustburg. Zaccheri coctor.

Lites cum Bojo de commeatu componuntur.

Hoc ipso MDLXXIII. Christi anno electus XVIII. Maji die in cathedralis templi selecto loco hic, sexagesimus primus *Augustensis* Episcopus est *Joannes Eglolphus a Knöringa*, Canonicus antea custos. Id quod plurimis conditionibus promissisque, quorum tamen minimam partem præstitit, factum esse vulgo dictitabant. Sub quo confestim Canonicorum suorum collegium, civibus negocia in reditibus, apud illorum villas ac districtum facessere contra antiquas emptionum tabulas occepit. Estque *Christophorus a Freiberga* magnus *Mariani* chori Decurio, in locum *Ottonis* Cardinalis, præpositus *Ellwangiæ* electus, protinusque hinc cedens, successorem in officio apud nos, *Wolfgangum Andream Remum* seniorem inter *Marianos* mystas, atque præpositum *Moritianum* habuit. Sed & *Beginæ* ad *Stellæ* claustrum, sequente anno novum lararium cum turricula apud se, non parvo sumptu, prædicatorum monachorum priore, quod jam antea satis templorum hic foret, improbante, extrui sibi curarunt. Ad electum hunc præsulem nuncius apostolicus *Bartholomæus de Portia* Episcopus N. venit, & ultra annum hic, in horto *Joannis Fuggeri* apud *Fulloniam* portulam hospitium habens, hæsit, plurimaque & hic propter *Lojolanorum* admissionem & *Dillingæ* pro Pontifice Maximo, cum ipso deliberavit, quarum tamen rerum potissima pars eventu ex Christi

A. 1573. *Johannes Eglolphus Episcop. LXI.*

Christoph. a Freiberga & Wolfg. Andr. Remus Templ. — Cathed. Decani.

munere caruit. Tandem homo bilioſiſſimus altero Pontificatus ſui anno, nunquam conſecratus IIII. die Junii *Dillingæ* tantum non turba utriusque medicorum ſectæ periit.

A. 1574. *Bojus & Augſtburgenſes convivantur.*

Tertio die Januarii incipientis Dominici MDLXXIIII. anni, invitavit *Albrechtus Bojariæ* Dux Duumviros Senatores ac patritios *Augſtburgenſes* aliquot cum *Fuggeris*, ad prandium *Fridbergam*. Ac vicisſim VI. ejusdem menſis die hic apud *Marcum Fuggerum* cænavit, ac craſtina a Senatu noſtro ad patritiorum tabernam vocatus, omninoque pontificaliter tractatus, etiam ſequentem diem apud nos manſit. Quo die *Wilhelmus* & *Ferdinandus* filii ipſius, cum aulicis, ſuis inſperſa vinario foro ex ſerranorum molendinis convecta ſcobe, pila magna ſeu ventoſa admodum agiliter publice luſerunt. Vigeſimo ſecundo dein dicti Januarii, manente frumenti pretio, vulgaris & veteris vini metreta LXII. ſolidis hic venivit.

Marchio de Boë Augſtburgum tranſit.

Poſtea XV. die Aprilis comitatus *Monachio* huc eſt junior Dux *Bojariæ*, marchionem de *Boë* gallum *Guiſiorum* agnatum, qui a coronatione *Hainrici Poloniæ* regis domum redibat, curavitque inſuper, ut illi cuncta armamentaria & tota Reip. noſtræ panoplia demonſtrata ſint. Subſequente ſtatim die vendita publico foro horni *Neccarani* auſteri admodum vini metreta XXXV. ſolidis, parum autem mitioris & veteris eadem menſura LXVI. ac major ſecalis modius XXXVIII. & dimidio ſolidis fuit. Cumque XIX. ejusdem Aprilis *Bartholomæus* comes de *Portia* nuncius apoſtolicus (de, cujus practica ſupra in epiſcopo novo quædam habentur) huc appuliſſet, a Senatu noſtro vini & piſcium muneribus, ut principes ſolent, exceptus eſt. Et dum eadem luce fraternitatis ſacri montis conſortes hinc cum labaro in *Bojariam* devotionis ergo proce-

Xenium Portienſi miſſum.

dunt, junior dux *Bojus* cum juniore *Luthringa* Ducisſa, e converſo huc, ad lararium ædibus *Lojodanorum* junctum, celeribus trigis ejusdem rei cauſa adoratum venit. Totus Majus apud nos valde ſerenus quidem fuit, verum ſpirante ſubinde Euroaquilone, juſto frigidior, multas pruinas, non ſine floreſcentium arborum detrimento etiam habuit. Quo menſe *Hannibal* comes ab *alta Empſa* in *Belgium* denuo bellatum proficiſcens, prope tabernas *Elſatiæ* a *Guaſconibus* in fugam verſus, & plauſtris plus minus XLVI. (quæ ex urbe noſtra XXIII. Aprilis onuſta omnis generis ferreorum armorum, utpote galeis, brachialiis, humeralibus, thoracibus, tibialiis & loricis fuerant avecta) ſpoliatus fuit, ſimiliterque & alii nonnulli capitanei & duces, prope *Maſtrichtam* a *Gallicis* latrunculis quoque pulſati ferunt. Quia autem & *Caſimirus Rheni* Palatinus, in favorem principis *Auraici* multa per *Germaniam* machinaretur: exiit decretum ab

Hannibal ab alta Empſa fugatus.

Imperator ſuos ad bellum ſe accingere jubet.

Imperatore *Maximiliano*, quo totius *Germanici* regni circulorum ducibus tribunisque ſerio mandavit, ut in omnem eventum milite ac armis parati ſint, ſcilicet ne quid damni patria in talibus tumultibus, acciperet. Quare ſub initia Junii menſis *Ludovicus* Dux *Wirtembergenſis Suevici* Cycli anteſignanus, in eandem ſententiam ſerio literas ad *Augſtburgenſem* Senatum dedit, ut nimirum pro primi & ſecundi clasſici expeditionibus, omnia in promptu ſimul habeant. Cæterum poſtquam *Melchior Manlichius* homo privatus & civis multis jam annis per totam ferme *Europam* & ipſam quoque *Affricam Ægyptumque*, conſtructa propria prætoria nave, in omnibus emporiis metallicisque fodinis negociatus ſedulo fuiſſet, deprehendit tandem ſingulis ad bilancem computatis, ſe novies centena millia rem habere, ex qua ſumma tamen ſepties centena millia aureorum alieni æris eſſent. (*) Quæ cum in promptu non haberet, mercesque ac bona ipſius hinc inde diſperſa jacerent, conſcientia mordicante XX. Junii, haud aliter atque alii fidem rumpentes, clam hinc in prædium ſuum a *Vento* nominatum, ultra *Licum* diſceſſit, diuque ſub principis *Boji* tutela illic manens, tandem ad *Noricam* terram in aſylum confugit, ibique mortuus eſt: ſociis ſuis homonymo videlicet filio *Maſſiliam*, ac *Carolo Neithardo* genero *Lugdunum* initio dilapſis, poſtea vero non procul hinc latitantibus, nullique creditorum quicquam ſoluentibus. Vigeſima prima Junii nocte intercepit ſubpræfectus noſter *Gerſthoviæ* duos fures, hucque pertractos cum plurima ſe tum hic tum alibi furto ſubtraxiſſe faſſi eſſent, poſt duas ſeptimanas ex gratia in tumulo capitali extra urbem, lata Senatus ſententia decollari curavit. Vigeſimo ſexto ejusdem menſis liberatus poſt ſeptimum tandem menſes, *Joannes Fortenbachus Norinbergenſis* permagna cautione ex Senatus noſtri cuſtodia, in quam illum *Ferdinandus Auſtriæ* archidux ex improviſo hic conjici fecerat, propter minas *Judæis* per *Burgavienſem* Marchiam interminatas, aliaque, quæ vi armata contra Truchſeſſum *Donhauſæ* protervius geſſerat. Vigeſimo ſexto Julii die cœperunt lanii primo libram bovinæ carnis VIII. nummis Senatus indultu apud nos publice vendere. Recenſitis dein tertia Auguſti a *Rhelingero* & *Peutingero* Duumviris pro more Senatorum & Judicum apud nos ordinibus, nihil inter primores mutatum eſt, aliquot tamen novi Senatores in loca defunctorum & ultro cedentium lecti fuerunt, inter quos *Antonius Chriſtophorus Rhelingerus* junior, publicorum hoſpitalium curator eſt factus, & craſtina luce, quando alia urbis munia quoque renovarentur, reſignante ob diuturnas paſſiones *Chriſtophoro Rhelingero*, *Adam Remus* primarius judex pro tribunali a Senatu eſt datus. Cum

Manlichius fidem fallit.

Supplicia a furibus ſumta.

Fortenbachus ex carcere liberatus.

Magiſtratus electi.

(*) Huic §. appoſita ſunt hæc verba in margine: *Ve mihi cum fratribus.*

vero

Burgavienſis præfectus papiſticum ſacrificulum obtrudereſtudet.

vero præfectus *Burgavienſis* parochiæ *Lizelburgenſis* pagi (cujus jus patronatus ad *S. Spiritus* hoſpitale hic pertinet, & in quo jam ultra triginta annos paſtor *Auguſtanæ confeſſionis Georgius Mayr*, plebem quiete docuerat) moleſtus mandato archiducis *Ferdinandi* eſſet: plus ſatis negotiorum Senatui noſtro & noſtrarum Eccleſiarum præpoſitis facitavit, ut Papiſticum ſacrificulum illis obtruderet. Tota æſtas illa non ſolum apud nos, ſed per univerſam & jam *Germaniam* ſuperiorem diris tempeſtatibus & calamitoſis grandinibus, omnis generis frumento & arborum fructibus damnoſa extitit, unde & annonæ pretium iterum quoque ingraveſcere cœpit. Antepenultima die menſis Auguſti demiſit ſe miris rationibus, geſticulationibus, & ſuſpenſionibus, funambulus quidam *Smalkaldia* natus ex protenſo a peribolo *Berlejæ* turris usque ad plateam e regione domus *Joannis Renzii*, innumera plebe ſpectante & mirante. Decimo die Septemb. veniit *Augſtburgi* magnus modius olyræ octo aureis, & veteris *Neccarani* vini cadus novem aureis. Viceſima vero ejusdem menſis nocte, viſi circiter nonam horam ſunt bolides, nonnullique ignes in cœlo, & circum horizontem Septentrionalem. Viceſimo quarto ejusdem menſis die, miſſi Senatus noſtri nomine *Neoburgum* ad *Philippi Ludovici* Palatini cum *Anna Cliveníe* ducisſa nuptias, *Joannes Baptiſta Haintzelius* VII. vir, & *Felix Remus* Senator, ferentes dona ſcyphum argenteum & deauratum valoris CCXX. aureorum. Non procul iſta tempeſtate turpiſſime hinc partim *Fridbergam*, partim alio ob debita fugerunt, *Jeremias Schorerus* cum fratre, *Hanſus Langnaverus*, & duo *Haugi* fratres, qui quanquam mercatores integri ac opulenti habebantur, non parvo tamen & ſuorum & aliorum civium detrimento, fidem creditoribus ſubito fefellerunt: ita *Augſtburgenſium* aurum in præcipitio poſitum eſt. Undecimo Octobris venit *Albrechtius Bojus* dux, cum duobus filiis, & parte conſiliariorum ſuorum huc, advehens ſimul omnis generis muſicorum, cantorumque ſuorum turmam, compoſiturus litem, quæ forte inter *Bombergenſem* & *Wirzburgenſem* epiſcopos, de finium jurisdictionumque quarundam dubiis orta fuerat, & manſit apud nos in ſextum usque diem, cœnans, & ludens interim pro more, etiam apud *Fuggeros* & *Meitingum*: ac ne ingratus videretur, XVII. ejusdem hujus menſis die, hoſpites ſuos, & ex Senatu quosdam ad convivium regale *Fridbergam* invitavit. Vigeſimo ſexto autem Octobris, tres mulierculæ ac ſeptem juvenes, ob furta ac ſcortationes virgis *Augſtburgi* publice cæſi, civitateque ejecti ſunt. Demum V. Novembris interdictum hic per ſubpræfectum, voce præconis, aureis coronatis illis novis, qui circumciſi aut ſesqui aureum *Rhenenſem* non ponderabant, omnino eſt, idque juxta decretum trium illorum cyclorum, qui in probando monetarum valore, Imperii juſſu, proximo Septembri menſe apud nos convenerant. Novembris item XIX. die, proſtiterunt inter alia multa vini plauſtra, vaſa aliquot novi *Pfedershaimenſis* muſti, quod licet generoſiſſimum eſſet, ac *Leitachenſi* (*) ſapore haud cederet, quia tamen LXXII. ſolidis cadus indiceretur, non potuit apud nos divendi, eſtque ad *Bojarios* avectum, ubi vilius diſtractum merito fuit. Eodem menſe ejecti *Oberhauſæ* ab Epiſcopo novo Verpi ſunt, propter incendiorum pericula, quæ nobiles quidam toti pago, ni id fieret, minati fuerant.

Tempeſtas.

Funambulus.

Bolides.

Phil. Ludovico munera nuptialia mittuntur.

Obærati aufugiunt.

Boj. inter Bomberg. & Wirzb. epiſcopos arbiter.

Fures virgis cæſi.

Deteriori-bus aureis interdictum.

Judei Oberhauſa expulſi.

Anno gratiæ MDLXXV. ſtatim a Kalendis Januarii, ingens frigus *Augſtburgi* cœpit, ac citra multam nivem ſudo cœlo rigidiſſime duravit, usque in XVIII. ejusdem menſis diem, quo remiſſior aura cum multis nebulis diu ſubſecuta eſt. Cumque interea temporis IX. videlicet Januarii luce, miniſter ille, cui altilium in foſſa civitatis cervorum cura, intra *Göggingenſem* & *Rubram* portas commiſſa erat, rivulum illic nimio gelu adeo glacie induratum, ut adaquationes beſtiarum illarum penitus impedierit, ſecuri adperire ſecurus ſatageret, a majore illorum cornibus a tergo impetitus, & omnino interfectus eſt. Vide autem quam inveterata ſuperſtitio homines dementet. Profecti pedes hinc, XVII. Jani die *Romam* ad Jubilæum ſunt, *Lazarus Klaindienſtius*, viduæ *Georgii Fuggeri* œconomus uxoratus, cum *Sybilla Herwarthia* virgine patritia, comitantibus illos nonnullis *Lojolanis*, ac inviſis exoſculatisque locis ſacris, ſequente Majo menſe multis indulgentiis onuſti redierunt. Quando autem ſuperioris *Germaniæ* imperiales civitates *Ulmam* propter *Gmündenſes*, qui Lutheranos cives oppido ſuo ejecerant, conſcriptæ eſſent: neminem illuc Senatus *Augſtburgenſis* miſit, quod neque debito modo, neque a magiſtratu ordinario vocatus foret. Acre ac Boreale gelu cum nivibus per ſex priores Martii menſis dies, anſam avaris ruricolis præbuit, ut de novo frumenta carius quam hactenus conſueverant, in foro publice vendere hic auſi fuerint. Cæterum nota Lector Senatus noſtri animoſitatem, miſit is XV. Martii die ad cathedralium Canonicorum collegium, ambos urbis noſtræ curatores, Conſulem *Balerum* & *Laugingerum*, qui proloquente *Laymanno* Syndico cum illo expoſtularunt ſuper decreto eo, quod proxime præcedente Dominica in publica ſummæ ædis concione *Gregorius Wolffchedelius Lojolanus*, Epiſcopi *Eglolphi* autoritate promulgaverat, nempe, neminem Euchariſtia communicandum, aut in piaculari confeſſione abſolvendum fore, qui æs alienum apud trapezitas, vel mercatorum ſocietates, quantocunque cenſu aut fœnore depoſitum haberet: quod

Cervus hominem interficit.

A. 1575. *Ingens frigus.*

Quidam Augſtb. Romam ad jubileum proficiſcuntur.

Annonæ Carior.

Diſſidium cum clero de decreto contra fœneratores.

(*) In margine leguntur ſequentia: *qui moſtum hunc non guſtavit, de aliis vinorum generibus in Germania creſcentibus judicium nullo modo habere poteſt. So gern hab ich in trunckhen.*

commercium per totam hanc civitatem tam usitatissimum est, ut vix alia res esse possit. Ad quam exprobrationem Decanus *Remus* clare respondit, ipsorum neque consilio neque consensu constitutionem eam esse vel factam vel indictam, illaque adeo se & collegas suos non leviter esse offensos: daturos autem operam, ut omnino abrogetur, aut multo mitius fidelibus proponatur. Estque ejusdem negocii causa postero die ad ipsummet Episcopum a Senatu nostro missus *Matthæus Welserus*, unus ex secretioribus consiliariis *Dillingam*. Quemadmodum autem uno impertinente, ut in scholis loquuntur, dato plura sequuntur: ita *Manlichii* aliorumque, ut ipsos monarchas præteream, fraudulenta fallimenta, quæ vocant, plurimorum aliorum negociatorum apud nos fidem dubiam reddiderunt. Qua de causa *Joan. Paulus Herwarthus* patritius & secretioris consilii apud nos assessor, cum fratribus, affinibus, & aliis suis creditoribus de depositæ pecuniæ qualicunque persolutione *convenire* (*accordare* suo stilo ipsi dicunt) adactus fuit. Unde divenditis tribus contiguis in foro vinario ædibus & *Hainhofa* arce civitatem sequente anno abdicavit: *Hieronymo Höfense* seniore itidem silentiario hic sub tutelam principum *Bojariæ Landsbergam* se etiam subtrahente, forumque nostrum in causa non magna adversus homonimum cognatum contumaciter declinante. Aprilis XIX. die venit *Fridbergæ* huc *Christierna Luthringiæ* ducissa, ac in horto *Marci Fuggeri* diversata, per integram septimanam apud nos mansit, & II. die Maji apud S. *Catharinæ* claustrum exequias nurui suæ peregit. Quo mense *Joan. Matthæus Stamlerus* Senator ac *Tradelus* Syndicus *Noribergæ* in conventu illo, Senatus nostri nomine legati fuerunt, quem *Bojus*, *Francus* & *Suevicus* Cycli propter pecuniæ rationes quotannis inter sese habent. Quia autem XVI. Junii apud nos magnus modius tritici supra decem aureos, secalis novem, avenæ 51. bacios valerent: Senatus civibus municipibus e suis granariis frumenta populariter duobus aureis vilius divendi, quam in foro prostarent. Kalendis Augusti incidit apud nos, post diutinam serenitatem, sævissima tempestas cum largissima pluvia sub vesperam, estque civitas tribus in locis bruto fulmine icta, ex quibus unum ædes *Caroli Wolfgangi Rhelingeri* in foro vinario tetigit. Cætetum III. die Augusti cum magistratus ordines renovandi essent, ac ante sesquimensem *Hainricus Rhelingerus* XXVI. administratæ a se Reipubl. anno, apud acidum fontem *Uberkingæ* obiisset: additus Senatus utriusque electione *Christophoro Peutingero* in Duumviratu *Antonius Christophorus Rhelingerus* vir integer est. Cui in ædilitatis officio *Matthæus Rhelingerus* statim electione successit, sicut & prioribus quinque ordinariis Consulibus, *Krono* jam cæco facto, *Ulrychius Fuggerus* pellio eadem electione junctus fuit: reliquis civitatis muniis sequente luce pro more itidem rite constitutis. Eodem hoc mense, Augusti cœperunt *Christophorus* & *Leonhardus Stamleri* fratres ac patritii *Augustburgenses*, ad instar *Hollandorum* paludinosæ terræ, quæ est inter *Stetzlingam* & *Milhausam* propinquos *Bojariæ* pagos cespites torrere & ad Solem arefacere, ut illis postmodum homines ad faciendos ignes atque ad focos lignorum vice uterentur. Glebæ ejusmodi pedali quantitatæ formatæ vulgariter *Dorfæ* vocantur, & horrendum fætent, cineremque nullius usus reddunt combustæ. Septembris inde XVIII. die pransi cum *Albrechto Bojorum* duce, curatores civitatis nostræ ac nonnulli alii cives sunt *Fridbergæ*, apud *Lutheringiæ* principissam, jam tandem abitum ad proprios lares parantem. Ea triduo post filiæ suæ *Dorotheæ* sponsalia cum *Erico Brunsuicense* Duce, *Bobingæ* in arce Episcopi, non parva nostrorum admiratione celebravit. Cæterum XXVI. ejusdem mensis die, liber e carcere hic & capitali actione dimissus est arcularius quispiam, homo peregrinus, quem *Lateranus* quidam *Fridbergensis* ob filii cædem diu jam in communibus vinculis secum apud nos detinuerat, capitisque damnandum convenerat. Biduo post in claro, stellato & illuni cœlo, ab VIII. noctis in XII. fere usque horam, mirum chasma visum est, quo primitus a Septentrione ex atra nebula ceu ex fumo, albi & longi trabes eruperunt, & inter sese concurrerunt, dein ad medium cœli simul pervenientes magnum splendidissimumque globum effecerunt, ex quo postremo rubræ & albæ hastæ procedentes, spectantibus dirum ostentum exhibuerunt. Cæterum quiritantibus inter sese *Polonis* ac *Lithuanis* proceribus, ob regiam electionem, *Tartarisque Russiam regalem*, illis interim depopulantibus: electus in Cæsarem *Romanum* & imperii successorem, præsente parente, *Maximiliano*, *Regensburgi* Kalendis Novembr. est, RUDOLPHUS *Austrius* II. *Bohemiæ* & *Ungariæ* designatus rex, & postea - - - ejusdem mensis die in templo summo ibidem rite quoque a tribus Archiepiscopis Electoribus, consecratus & coronatus sacro *Caroli* I. diademate cum debitis solennitatibus est. Inde VIII. die Decembr. venit sub vesperum serum honesto equitatu huc *Wilhelmus Bojariæ* dux, ac crastina luce iterum hinc solvens, *Nancejum Luthringiæ* metropolim, filiam Imperatoris *Maximiliani* e *Gallia* domum reducturus abiit, abducens secum pro valetudine curanda *Christophorum Heibergerum* medicum civem. Reversus autem XX. Januarii posterioris anni, viduam eam reginam sic satis honorifice huc, & inde *Lyncæam*, ubi domicilium habitura esse ferebatur, deduxit: cui a Senatu nostro Xenium consuetum quam reverenter oblatum fuit. Per totam hanc hyemem & autumni magnam partem pestis nonnihil apud urbem nostram sæviit.

Hoc ipso salutis MDLXXV. anno electus XXVI. die Julii *Augustæ* in LXII. Episcopum

Okarati.

Dorfæ apud Augstb. origo.

Augstburgenses apud Boj. epulantur.

Arcularius carcere missus.

Chasma apparet.

Rudolphus Cæsar salutatus.

III. ciclorum conventus Noribergæ.

Tempestas.

Wilhelmus Boj. dux Augstburgum transit.

Magistratus electio.

A. 1575. *Marquardus Episc. LXII.*

pum est *Marquardus* a *Berga* nobilis *Suevigena*, jam ante in chori ejusdem simul ac *Bambergensis* Ecclesiæ præpositus major. Qui XV. Nov. sequentis cum toto Canonicorum suorum Capitulo præcessori suo in summa æde parentavit demum: Kalendisque Januarii proxime subsequentis novi anni primitias sacerdotales, præsente *Albrechto Bojaro* duce apud nos primum celebravit. Cui postea XXVIII. Februarii Canonicorum electione apud nos in præpositura successit *Gebhardus* Dapifer baro a *Waldburgo*. Estque dein XV. die mensis Jani a tribus mitratis patribus, *Jacobo Naturensi* videlicet Episcopo, *Bambergæ* suffraganeo, *Melchiore Adelmitano* Episcopo, *Augustensi* suffraganeo, & *Wolfgango Philadelphiensi* Episcopo, *Aichstettensi* suffraganeo, *Dillingæ* suæ in arcis sacello infula redimitus, & prorsus in Episcopum consecratus, anno Domini MDLXXVI. A. 1576.

Anno salutis MDLXXVI. Augusti mensis A. 1576. II. die, renovatis Senatus, judicii & reliquis Reip. *Augustburgensis* officiis: additus *Ant. Christoph. Rhelingero* in Duumviratu socius, loco *Christoph. Peutingeri*, XI. April. die subito demortui, generosus Baro *Marcus Fuggerus* est: suntque tres novi silentiarii tunc quoque lecti, *Christoph. Baumgartnerus*, *Casp. Remboldus*, & *Conr. Rhodius*, unusque consul in locum mortui May, *Joh. Bechlerus*. *Magistratus electio.* A CHRISTUS OPT. MAX. totum magistratum semper & ubique clementissime gubernet, nosque simul omnes in pace custodiat.

AMEN.

APPENDIX
ad *A. P. Gussari* Annales Augustanos.

Comperimus, jam pene absoluto typis hoc opere, exemplum ejus genuinum & procul dubio autographum exstare apud Ill. Lib. Bar. de Rehlingen *in prædio Ainhoffen, duobus ab Augusta milliaribus, atque in eo post titulum, nostro fere similem, & distichon in Præf. a nobis memoratum sequi dedicationem ad Magistratum, quæ cum omnino ad integritatem libri pertineat, in nostro vero codice fuerit omissa, lubet eam hoc loco adscribere.* B

Magnificis ac nobilitate generis, Virtute Honestate Sapientiaque præstantissimis, Curatoribus, Consulibus, ac toti Patrum conscriptorum Reipublicæ Augstburgensis ordini, Dominis & Patronis suis observandissimis A. P. G. L. Medicus S. P. D.

Cum professionis negotiorumque meorum actiones, Viri amplissimi & colendissimi, Vobis notæ sint, statui etiam hac epistola otii mei aliquam rationem loco præfationis reddere: Quod ne gravatim audire velitis plurimum rogo. Anni jam triginta sunt elapsi, quo civis Vester honesto connubio effectus sum: Ac statim tunc eruditissimus Vir *Sebastianus Münsterus*, Basileja huc quoque veniens, pro adornanda Cosmographia sua opem & operam apud vos quæsivit. Verum quam præter civitatis ichnographiam, Senatus impensis adeptam, neminem alium ad institutum suum, vel faciliorem vel commodiorem, hic reperiret, pro inita inter nos amicitia, protinus mihi injunxit, ut quemadmodum jam antea sibi in delineandis describendisque patria mea Lindoa, Feldkirchio, & Curia Rhetiæ, adjacentibusque territoriis, operam præstitissem, idem nunc quoque in præclarissima hac urbe facere non gravarer aut cunctarer. Ad quam petitionem, ut animo quidem paratus eram, ita sentiebam onus id humeris meis paulo gravius futurum: tumque elegantia stili (quæ cum primis ad tale opus requiritur) mihi deesset, tumque historiæ Augstburgensis nulla ferme certa cognitio, præter unum aut alterum germanice impressos, & eos non valde authenticos libellos, mihi adesset. Vicit tamen novi domicilii amor, Illique gratificandi studium me eo pertraxit, ut tanto labori, qualicunque præsidio hilariter me accinxerim. Et quia clarissimus Jureconsultus, vetus meus commilito atque amicus, Doctor *Claudius Pius Peutingerus* annotatiunculas nonnullas ad propositum meum servientes communicando, stimulum etiam cutrenti adderet: cœpi succisivis horis paucula ea de Augsburgense civitate colligere, ac literis committere, quæ haud multo post tempore, ipse *Munsterus* in Cosmographiam suam collocare & invulgare non dubitavit. Ea quia manca & admodum jejuna pro tanta urbe sunt & quasi nil nisi ecclesiastica continent, coactus pudore, atque amicorum hortatu sum, eadem subinde sub incudem revocare, & licet laboriosum fuerit, nequaquam molestum ducere, donec libet plurimum augeretur, & in immensum, ita tamen ut quo plura scriberem & quæ dispersa erant sub unum aspectum ponere sat agerem, semper tamen plurima desiderare opus id animadverterem. Ibi neminem non auxilium & consilium rogare me puduit, quo tandem inceptos Annales (nam de integra historia texenda, jam hastam abjeceram) pro mea Musa plenius absolvere possem. Quo in labore *Clemens Venatorius*, publicus senatus minister, me non parum, præserem in Præfectorum & Consulum catalogo, juvit. Quin item postea nobilis prudentissimusque Vir *Johannes Baptista Hainzelius*, collega nunc vester non postremus, ad opus illud perficiendum me non solum verbis incitavit, sed etiam innumeros de hominum vestrorum rebus gestis libros, nec non quorumcunque civium privata & domestica Chronica, vetustasque tabulas undique eruendo, de facto adegit, opusque illud candide promovit. At quia majores nostri, æque ac omnes alii germani, ad fortia exercenda facta magis strenui, quam ad condendas pro posteris historias diligentes, aut etiam apti extiterunt, rarissime vel certos Magistratus vel temporum momenta nullis fere in rebus adnotarunt. Unde in parandis hisce Annalibus, iterum non parva mihi difficultas incubuit: vix enim ad CCCC. retroactos annos civilia gesta aliasque politicas res suo ordine habere potui. Assidua tamen cura, nec exiguo labore, confusum antiquissimorum manuscriptorum, & tantum non linteorum librorum de nostris civibus Chaos, partim ex aliorum historiographorum Chronologorumque additis lucubrationibus, qui nonnunquam paucula de civitate vestra recitant, partim ex Episcoporum, reliquorumque Ecclesiasticorum, qui paulo attentius sua annotarunt, Fastis per diu evolutis, Augstburgensis reipublicæ Annales hos, juxta seriem annorum a nativitate Domini nostri & Servatoris Christi, ad Romanorum Imperatorum Francicorumque Regum, (qui certe merum & mixtum imperium hisce in regionibus tenuerunt) tempora atque ætates, in tam accuratissimum (absit invidia dicto) ordinem in nostrum usque ævum digessi, qualem vix alium hactenus edidisse, aptioreque continuatione consignasse video. Eum itaque commentarium, nisi Rhapsodiam aut Centonem adpellare malueritis; in eum usque annum absolutum, quo novum Cæsarem, novum Episcopum, ac novum civitatis curatorem, adde & novum Consulem hic, bonis quod dicitur avibus, accepimus: Vobis, viri illustres ac Patres prudentissimi, summa observantia jam dedicare & qua possim reverentia offerre volui, quo meam erga vos, totamque Rempublicam, gratitudinem

nem animique benevolam promptitudinem & ſtudium teſtarer, notamque magis facerem. Complexus vero vaſto hocce codice ſum, diligentiſſime pariter ac ſimplici orationis genere (id quod veritas unice requirit) primo probatiores de loci & habitationis hujus origine, de nominis diverſitate vetuſtateque aſſignationes quasdam: In quibus ſuum cuique judicium liberum relinquo. Deinde ſcripſi ſitus urbis amœnitatem, ædificiorum publicorum amplitudinem, templorum ac privatarum ædium ſplendorem, aliorumque non ignobilium quasdam (nam univerſas non potui) ſtructuras. Adhæc de indigenarum, Advenarum, atque Civium, per omnes fortunæ caſus, rebus geſtis, dictis, & factis, negotiationum per totum terrarum ambitum magnitudine, nec non de Religionum mutationibus, plurima præclara ſcituque digniſſima, pleraque item non inutilia, aut etiam injucunda, ſed & levicula quoque ac ridicula (quæ quum majores diſerte adnotaſſe non piguerit, neque me eadem transſumere puduit) dilucide quoad ejus tanto temporis intervallo ceterisque animæ accidentibus, ex diverſis idiotiſmis, obſcurisque ſubinde inſerendis cartulis fieri potuit ad nullius ignominiam, ſuccincto deſcripſi calamo: vel potius ab aliis magna ex parte jam olim conſcripta denuo in præſens volumen aggregata collegi. Poſtremo cum ad noſtræ memoriæ annos perventum eſt, certe operam maximam adhibui, ne, quod hiſtoriæ lex unice præcipit, quid veri omitterem, aut falſi adderem, quin cuncta fideliter & absque fuco tali ratione complecterer, ut poſteris clare conſtaret, quam mille artifex Sathanas, coluber ille antiquus ac humanæ ſalutis irreconciliabilis verſutiſſimusque hoſtis; ſemper tam bello quam pace, calcaneo filii Dei inſidiari, omniaque recta & tranquilla perturbare conſueverit. Id quod non moroſo lectori perlegendo evidenter patebit. Quia vero errare humanum eſt; egoque nihil humani a me alienum puto, facile fieri in tanta rerum varietate occupationibusque ſolet, ut interdum me hallucinatum eſſe peritiores comperiant. Veruntamen, cum id non de induſtria, & præter animi voluntatem acciderit, ſi modo accidit, Vos Viros magnificos, pro veſtra facilitate & integritate, majorem in modum oro atque rogo: ut illud quicquid fuerit, certius & cum judicio exactiore emendare, atque in dubiis me plenius inſtruere, omnia denique placide & amice interpretari velitis. Probus namque vir mendacium dicere poteſt, at mentiri nequaquam debet. Ceterum perfacile auguror, qui hodie ſunt hominum mores, me dum benigniorum aures demulcere geſtrio, tetricis bilem in nares loquendi libertate citurum eſſe: & enim veritas nusquam non odium parit. Sed quid facerem? dum maxima, mediocria, & minima, ſacra item & profana, prout perpetrata ſunt, libere & citra maledicendi libidinem, recenſere pergo, non potui non aliquos offendere, quis enim ſine crimine vivit? Ante omnia autem illis qui me majorum aut etiam Pontificum famam arroſiſſe culpant, reſpondeo, me non Panegyricos, ſed Annales ſcripſiſſe, de quibus rectiſſime Claudianus Poeta cecinit: Annales veterum delicta loquuntur. Quod licet me non raro feciſſe in hoc opere non negem, Parentheſi tamen id ita incluſi, ut molliculus teneriorque lector, ſi libuerit, levi ſaltu tranſilire queat: Quicquid itaque talium odioſarum rerum incidit, venia dignum exiſtimo, cum nihil ex memet finxerim, authoresque omnium habeam. Veruntamen ut res ſe habeant, æquum lectorem hortor atque rogo, ut dum vel hancce farraginem meam, vel aliorum hiſtorias evolvit, ſemper Polybii graviſſimi hiſtorici ſententiam ob oculos ponat, qua is præcipuam Annalium utilitatem eſſe judicat, ut boni, ſuiſimilium laudibus ad virtutem inflammentur, ſceleratiſ vituperatione & infamia terreantur. Jam quod ad elocutionem & dicendi genus, atque ad germanicas nomenclaturas, quibus libenter ac ſtudioſe utor, attinet, non dubito, naſutulos quosdam me quoque reprehenſuros, & ſi admitterem, exagitaturos, aut ſi queant, omnino exſibilaturos, vel eo nomine eſſe, quod Eruditi nihil magis inſipidum nuda hiſtoria cenſeant, hanc ipſam cenſuram, exiſtimo mihi magis quam iſtis patrocinari, meque abunde excuſare, ubi meas exclamationes meaque nonnunquam interpoſita judicia, quis accuſare aut in crimen vocare auſus fuerit, talium itaque Vitilitigatorum judicia tanquam bellum grammaticale pro Achilleo ingenio, non modo parvi, ſed plane flocci facio. Sufficit namque mihi, ſi paucis bonis ac honeſtis placuero, & pro viribus reipublicæ hujus laudem honoremque etiam Craſſa Minerva ebuccinavero. Quod ut bene cedat ſaxit. Optimus maximus Deus, in cujus gratiam Vos, veſtramque civitatem commendo. Bene valete Viri auguſtiſſimi meque veteranum militem in favore veſtro porro, uti hactenus, benigne complecti ne dedignabimini. In urbe veſtra Menſe Majo, Anno Salutis MDLXXVI.

Cum etiam ad nos pervenerit Epiſtola Mæcenatis eximii, Jo. Bapt. Hainzelii, *modo in Dedicatione illa memorati, qua Gaſſaro noſtro pro donato codice Annalium ſuorum gratias habet; eam hic pariter ſubjungi operæ pretium putavimus.*

Clariſſime vir, amice colende: Præclarum munus, hiſtoriæ tuæ Auguſtanæ, longo tempore, magnis laboribus, multis vigiliis, elucubratum, mihi gratiſſimum, & jucundiſſimum accidit. Unum illud moleſtum eſt, quod parem referendæ gratiæ facultatem, mihi negatam eſſe video. Tanti enim operis remuneratio, non privatos loculos, ſed publicum ærarium requirit. Ac æquum ſane eſſet, quam civitatem, ſingulari induſtria, ornaſti, & cujus res geſtas, ab ultimis iniciis repetitas, ab interitu vindicaſti: ab ea civitate gratiam, quam ampliſſimam, tibi & haberi, & referri. Idcirco, omnino ſuadeo, & hortor, ut hunc tuum partum, ampliſſimo noſtro Senatui dedices, nec te, vel temporum noſtrorum perturbationem, nec opinionum diſſidia, quibus, multæ æquiſſimæ & utiliſſimæ rationes ſæpe impediuntur, deterrere ſinas. Quantum in me erit, omnibus viribus enitar, ut patria, cujus gratia, tantos labores ſuſcepiſti, ſe gratum erga te exhibeat, tuque tuarum lucubrationum fructum aliquem, (ut decet) percipias. Si etiam grave non erit, te porro, obnixe rogatum velim, ut ea, quæ ab anno 61. usque ad hunc, reſtant, per ocium adjicias, ne in caſus (quod ajunt) defeciſſe videaris. Neque enim dubitare debes, quin Auguſtana hæc tua hiſtoria, ſi non te vivo, at defuncto, publici juris ſit futura, & in plurimorum verſatura manibus, qui inter cætera tua egregia ſcripta, hoc etiam maximi facient. Ego vero, etſi (ut dixi) referendæ gratiæ, facultatem nullam habeo: tamen, ut me, tuo egregio, & amplo munere delectari, & quod debeam tibi, agnoſcere videas: mitto, calicem iſtum, neque mole, neque pretio magnum; ſed ſi voluntatem potius meam, quam rem ipſam ſpectaris; ejusmodi, ut eum te æqui, bonique facturum eſſe, confidam. Bene, & feliciter vale, meque quod hactenus feciſti, amare pergito. Ex Muſæo noſtro, Auguſtano; III. Cal. Febr. anno ultimi ſeculi, 1572. cujus numerus, his verbis comprehenditur, AUXILIUM a DEO.

T. ex animo

Johannes Baptiſta Haintzel.

XVIII.

COSMÆ PRAGENSIS ECCLESIÆ DECANI CHRONICÆ BOHEMORVM LIB. III.

IN QVIBVS GENTIS ORIGO, ET PRISCI DVCES, VSQVE AD WRATISLAVM PRIMVM REGEM CREATVM SVB HENRICO III. IMP. ET ANNVM CHRISTI MCXXVI.

OPVS, AD EXEMPLAR FREHERIANVM, QVOD HANOVIÆ TYPIS WECHELIANIS ANNO MDCXVII. PRODIIT, RECVSVM, ET NVNC A VIRO DOCTISSIMO NOVIS NOTIS ILLVSTRATVM

PRAEFIXA DVCVM REGVMQ. BOHEMIAE ELOGIA VERSIBVS DECANTATA

A

MARTINO CVTHENO ET CASPARE CROPACIO, POETIS BOHEMIS.

Illustrissimo Principi, Dn. PETRO WOK VRSINO, Domino a ROSENBERG, inclytæ ac antiquissimæ domus ROSENBERGICÆ seniori & ultimo, primarioque Bohemorum Dynastæ, &c.

HUnc quoque fructum Bohemici & Polonici itineris, lustro superiore Principis mei missu suscepti, tulisse gaudeo, quod dum in regia urbe PRAGA diversor, memorabile istud monumentum indigenæ vetustatis in manus meas bona fortuna detulit: idque integrum, cujus antea particulam cum Bohemicis meis vulgari in laude ponebam; utinam æque mendis nævisque liberum. Quamvis autem unico exemplari nitendum esset, eoque non felicissima manu e veteribus membranis descripto: dedi tamen diligenti relectione operam, ut detersis maculis, quantum hoc quidem tempore licebat, æqui lectoris oculos quam minimum offendere posset: daturus etiam porro magis, si quis ine publicæ utilitatis studiosus (quod spero) aliis exemplaribus juvare voluerit. Neque enim dissimulabo, plura insuper ad historiam nobilissimæ gentis illustrandam pertinentia nobis suppetere, & peculiari novæque collectioni suam editionem destinari. Huic interea cum patronum de more circumspicerem, & in copia plurium animi fere anceps fluctuarem, ecce commodum a Tua Celsitud. ad Sereniss. Principem Electorem Palatinum missa acceptissima legatio, nobiliss. V. Theobaldo Hock a Zweybrucken obita; quæ me omni hæsitatione penitus absolvit. Quid enim sive rem spectem, convenientius, quam Bohemicæ gentis vetustissimum super omnes scriptorem, antiquissimæ in ea prosapiæ proceri recta offerri? sive animi sententiam sequar, expeditius, quam amicissimum meo Principem cimelio ejus generis, quod omnino principibus viris proprio & præcipuo quodam jure debetur, honoris ergo munerari? Id ergo ut pro heroica humanitate, cui minime extraneum hospitem, comiter accipias habeasque, more magis ita recepto, quam quod de eo quidquam laborandum putem, reverenter rogo, Princeps illustrissime, Teque gentis familiæque tuæ bono diu vivere & florere divinitus opto. Dat. Myrtilleti Kalend. Septemb. MDCVII.

CELSIT. T.

addictissimus

MARQVARDVS FREHERVS.

MARTINI CVTHENI BOHEMI, (1)

DUCVM REGVMQVE BOHEMIÆ GESTA

SINGULIS DISTICHIS COMPREHENSA.

AD

MAXIMILIANVM ET FERDINANDUM

ARCHIDVCES AVSTRIÆ, FERDINANDI BOHEMIÆ REGIS FF.

CECHIVS DVX BOHEMIÆ I.

Illyrico profugus primum dat iura Bohæmis A
Cechius: hinc nomen gens trahit illa suum.

CROCCVS BOH. DVX II.

Morte Ducis patriam varii excepere tumultus,
Quos auferi genio Crocce benigne tuo.

LYBVSSA PRINCEPS.

Filia dein regimen populi capit acta fauore,
Qua duce Praga recens condita nomen habet.

PRIMISLAVS DVX BOH. III.

Mox rude femineas vulgus dum temnit habenas
Agricolæ subdit colla superba viro.

TYRANNIS WLASTÆ PVELLÆ.

Arripit imperium junctis sibi Vlasta puellis,
Victa sed arte sua, qua prius usa, cadit.

NEZAMYSL DVX BOH. IV. B

Pax fit, Primislaus moritur, natumque reliquit
Cui sua cognomen gesta dedere rudis.

MNATA DVX BOH. V.

Qui longa ignavus dum pace senescit, obitque,
Accedunt Mnatæ sceptra paterna pio.

VOGENIVS DVX BOH. VI.

Vogenius cura gravior jam factus & ævo,
Imperium natis dividit ille suis.

VINSLAVS DVX BOH. VII.

Inclita Praga datur Vinslao gensque Bohæma,
Vratislaus Vandaliam sorte cruentus habet.

VRATISLAVS FRATER VINSL. C

Hic fratre extincto natum petit illius, ulro
Seque suasque simul perdit avarus opes.

GREZOMIL QVI ET NEK. DVX. BOH. VIII.

Inde metum Neklan timidus deponit inanem
Egregia victor militis arte sui.

HOSTVITVS BOH. DVX IX.

Hostuitus patrio juvenis defunctus honore
Quod reliquum est parta pace quietus agit.

BORZIVOVS I. BOH. DVX X.

Pelluitur primus sacra Borzivous unda
Gensque sui factum tota secuta Ducis.

SPITINEVS XI. ET VRATIS. XII. D BOH. D.

Spitineus tenera moritur sine prole juventa,
Vratislaus defuncti munia fratris obit.

S. VENCESLAVS B. D. XIII.

Venceslaus vita castusque piusque sub aram
Fratorna cecidit victima sancta manu.

BOLESLAVS I. FATRICI BOH. DVX XIV.

Occupat imperium sublato fratre Boleslaus
Matre quidem sæva sævior ipse sua.

BOLESLAVS II. B. D. XV.

Filius ingenium patrui moresque secutus
Nil patrium præter nomen & ora tulit.

BOLESLAVS III. B. D. XVI.

Tertius hostili captus miser arte Boleslaus
Orbus agit reliquos lumine utroque dies.

IAROMIRVS D. B. XVII.

Sortem a fratre suo patitur Iaromirus eandem,
Quam fuit invisо passus ab hoste Pater.

VLRICHVS B. D. XVIII.

Præripit Vlrichus rerum moderamina Fratri
Sarmaticum patria dum fugat urbe ducem.

BRETISLAVS I. B. D. XIX.

Cæsareo Bretslaus rapuit de sanguine natam,
Pannonas inde suo perdomat ense feros.

SPITINEVS II. B. D. XX.

Theutonicæ Gentis proceres, ipsamque perosus
Spitineus matrem pellit in exilium.

VRATISLAVS D. XXI. B. REX I.

Regia tum primum Vratislaus insignia fertur
Præmia virtutis digna tulisse suæ.

CONRADVS B. D. XXII.

Cum septem menses Fraternam rexerat aulam,
Conradus subita morte peremptus obit.

BRETISLAVS II. B. D. XXIII.

Defuncto patruo repetunt sua jura nepotes,
Bretslaus infida concidit ante manu.

BORZIVOVS II. B. D. XXIV.

Infestum patria fugiens BORZIVOVS *hostem*
Forte prius moritur quam revocatus adest.

SVATOPLVC. QVI ET COCLES B. D. XXV.

Dictus ab eventu non vero nomine Cocles
Insidiis procerum casus & ipse jacet.

VLADISLAVS I. B. D. XXVI.

Vladislaus ter quinque pius dominatus ad annos,
Extremum digno clausit honore diem.

SOBISLAVS I. B. D. XXVII.

Fortis in externum Sobislaus dum ruit hostem,
Cernere victorem fata maligna vetant.

VLADISLAVS II. B. D. XXVIII. REX II.

Perpetuam experta meruit virtute coronam
Vladislaus domito Cæsaris hoste sui.

SOBISLAVS II. B. D. XXIX.

Acer Sobislaus Alemanni nominis osor,
Vincla parans fratri turpiter exul obit.

FRIDERICVS B. D. XXX.

Imperat hinc pulsis Fridericus ab urbe Moravis,
Vt clarus bello, sic fuit arte toga.

VENCESLAVS II. B. DVX XXXI.

Actus in exilium patrui livore superbi
Venceslaus tetro carcere clausus obit.

HENRICVS QVI ET BRETISLA. B. D. XXXII.

Principis officio simul atque antistitis usus
Henricus patriæ præfuit inde suæ.

VLADISLAVS III. BOH. DVX XXXIII.

Vladislaus Fratri victus concedit honorem
Privatus patriam vertere jussus humum.

PRIMIS-

(1) Hæc *Martini Cutheni* Distichа iam ante prodierant, in 4. impressa, A. 1540, teste Gesnero, in *Bibliotheca*.

PRIMISLAVS BOH. REX III.

Primislaus regale ferens Diadema severus,
Ingenuæ moritur non sine prole senex.

VENCESLAVS I. B. REX IV.

Marte ferox Scythicum Venceslaus dejicit hostem,
Saucius hinc oculum perdit, obitque diem.

PRIMISLAVS II. QVI ET OTOCAR. R. B. V.

Totius imperium Primislaus despicit orbis,
Ancipiti tandem fortis agone cadit.

VENCESLAVS II. B. REX VI.

Venceslaus Regum nulli pietate secundus
Cepit defuncti sceptra relicta Patris.

VENCESLAVS III. B. R. VII.

Filius at luxu vitam cum ducit inertem,
Confossus periit militis ense sui.

RVDOLFVS B. R. VIII.

Henricus rigido cedit sua jura Rudolfo,
Sed rapit hunc nimium mors inopina Ducem.

HENRICVS ELECT. R. B. IX.

Cæsareis iterum Henricus depellitur armis,
Hicque domum patriam non rediturus abit.

IOANNES R. B. X.

Lumine Ioannes post facta ingentia cassus
Fortiter occubuit Gallica castra sequens.

CAROLVS CÆSAR B. R. XI.

Carolus hic merito patriæ pater esset habendus
Vnius nati si pater ille foret.

VENCESLAVS IV. R. B. XII.

Venceslaus multum rex vita inglorius acta
Bis captus populi seditione sui.

SIGISMVNDVS CÆSAR BOH. REX XIII.

Arma Sigismundus postquam civilia tentat,
Quo fuerat victor milite victus abit.

ALBERTVS CÆS. R. B. XIV.

Albertus regimen socero moriente recepit,
Sed mox ventre nimis profluitante perit.

LADISLAVS B. R. XV.

Posthumus imperium Ladislaus æquaret avitum,
Si vitæ implesset tempora justa suæ.

GEORGIVS B. R. XVI.

Fortis & invictus, nullique Georgius asper,
Prælia multa ciens commoda multa tulit.

VLADISLAVS II. R. B. XVII.

Hunc sequitur longa Vladislaus pace secundus,
Qui fera bella adimens, aurea sæcla dedit.

LVDOVICVS B. R. XVIII.

Ante diem, Ludovice, capis Diadema paternum,
Victus ab hoste Geta concidis ante diem.

FERDINAND. CÆSAR. AVGVST. B. R. XIX.

Arma para, compesce Getas Ferdinande superbos,
Te Duce fata canunt aurea sæcla fore.

Illustrissimis Principibus MAXIMILIANO & FERDINANDO Augustiss. Cæsaris Ferdinandi liberis

IOANNES ROSINVS.

A *MAXIMILIANE tuis olim virtutibus ornes*
Augustus solium ut, quod teque tuosq; manebit:
Xerxis, Alexandri, Iulique potentibus armis
Imperium tenero partum versabis ab ungue,
Magna peragrato quos gloria sustulit orbe,
Invidia & longo majores intulit ævo.
Longa horum nimium si sunt exempla, tueris
Invicti libeat proavi immortalia gesta;
A quo nomen habes, animum duxisse decebit:
Non alius bello major, nec amantior æqui:
Versatum multis vitæ quem fama periclis
Sublimem heroas inter divosque sacravit.

* * *

FERDINANDO inclyto Principi.

B *FERDINANDE tibi Charites & blanda Dione*
Eximium decus indidit oris, amabile cunctis,
Raram virtutis speciem, sic nominis hæres
Dignus eris, sancti fuerit si cura parentis
Iustitiam moresque sequi. Nam gloria major
Noni ulli speranda venit. Diis proximus ille
Arduus infestos fortunæ sustinet ictus,
Nec lætis illi desit clementia rebus.
Divinos aris sancte largitur honores,
Vnica Germano cum Cæsare religionis
Spes sacræ, & rebus jam lapsis mite levamen.

* * *

CASPARI CROPACII Pelsinensis Bohemi P. L. (2)

Duces & Reges Bohemiæ.

RVDOLPHO II.

C Rom. Imperatori, Hungariæ & Bohemiæ Regi.

INtegra quæ poterat vivis monumenta Ducumq;
Et Regum numeris condere Cropacius.
Interrupta Leo, defuncti morte, Bohemus
Luget, & amissum Pelsina prisca decus.
Hinc partim superant; partim bis mortua, Cæsar,
Pectora Letheos heu subiere lacus.
Vixeris insignis multo celeberque triumpho,
Patribus & virtus haud sit avisque minor:
Ni tamen historiis nomen mandetur honorum;
Quid laudis tacito postumæ fama feret?
Hæc demum vita est, in Principe dum sibi vates,
Inque suo Princeps vate superstes agit.

MELISSVS.

D * * *

CZECHIVS PRIMVS DVX BOHEMIÆ.

FActa cæde domi, metuens causæque sibique
Zechius Illyrico transfuga cedit agro;
Et procul a patria peregrinis quærit in oris,
Cum sociis, sedes spe meliore novas.
Longum iter emensus, tandem quibus undique cincta es,
Hercinios saltus, terra Bohema, subit.

(2) *Cropacius* hic, non anno 1680, uti in *Koenigii Bibliotheca* per sphalma typographicum expressum est, sed it. 1580, d. 13. Jan. obiit. Præter hos *Duces & Reges Boheemiæ*, ille etiam edidit *Encomium Viennæ Austriæ*; *duos libros Lunarum Christi*, & alia carmina, quæ collegit, & Noribergæ A. 1581 edenda curavit Paulus Melissus.

Fructiferos inibi, colles, & amœna vireta
Cernens non uno, pascua læta, loco:
Tum vitreos fontes, & plenos piscibus amnes,
Arvaque cultura fertiliora nova:
Hunc sibi præ reliquis habitandum deligit orbem,
Indigenas poscens in sua vota Deos;
Dent aditus lætos, regnique exordia firment:
Hinc Ducis illius gens ea nomen habet.

CROCVS II. DVX.

FAtidico populus defert insignia Crocco,
Quod celebris morum dexteritate foret.
Principis ille boni sapienter munere functus,
Virtutum specimen, criminis ultor erat.
Difficiles æquo flexit moderamine causas,
Judicio præstans liberiore fidem.
Tardus ad obsequium, nisi res manifesta vocaret:
Si quis forte tulit munera, mancus erat.
Tres thalami fructum præstantes indole natas
Liquit præcanus post sua fata senex.

LYBVSSA.

FIlia defuncto dat jura Lybussa parente,
Et populum placida pace quieta regit.
Primaque turritæ ponit fundamina Pragæ,
Vultava qua resonis corniger errat aquis.
Sed quia femineas gens detrectaret habenas,
Vincla subire tori virgo coacta fuit.
Præscia venturi thalamos exquirit agrestes,
Tradens ruricolæ sceptra paterna viro.

PRIMISLAVS DVX III.

ILle salutatus, dum scindit vomere terram,
Princeps, imperium conjuge dante capit.
Ex qua tres natos suscepit pignora lecti,
Feminea regimen sed retinente manu.
Conjuge defuncta, fatorum arcana secutus
Aspera demissa plurima mente tulit,
Virginibus, septem late grassantibus annos,
Dantibus armata multaque damna manu.
Tandem fraude dolos superat, vim vique repellit,
Agmina dum regno pernicioſa necat.

WLASTA.

BLasta puellares ducens in prœlia turmas,
Infert incautis arma cruenta viris;
Horribilique refert crebros e strage triumphos,
Dum præter sexum bella nefanda movet.
Septenne imperium plenis sibi vindicat armis,
Ferro subjiciens obvia quæque suo.
Jamque potestatis, populantibus arva puellis,
Spes quæ restaret parva virilis erat;
Vsa dolis quando perit astu victa dolisque
Consilio prudens PRIMISILAE tuo.

NEZAMISLIVS DVX IV.

FRatribus exstinctis in primo flore juventæ,
Hæres morte patris fert diadema sui.
Expers consilii, tractandis rebus ineptus,
Tardus, hebes vita deside, mollis, iners,
Quodque suos rexit, alieno munere rexit:
Quam regere, insipiens maluit ille regi.
Defensus populi virtute, furentibus armis,
Quod reliquum vitæ; desidiosus agit.

MNATA DVX V.

MNatha nihil clarum, nec dignum laude peregit,
Otia dum sequitur, factaque clara fugit:
Abditus in siluis, studiumque secutus inane,
Gessit cum rigidis non nisi bella feris.
Figere doctus apros, sed apros nil figere præter
Utilis; haud regno vixit, at ille sibi.
Publica quo coleret majora negotia cura,
Admonitus populi seditione fuit.
Pace salutari sed mox cessante tumultu,
A Ad veteres mores ingeniumque redit.
Vogenio tandem satis hærede relicto,
Pestifera oppressus concidit ille lue.

VOGENIVS DVX VI.

VOgenius viridi rebus poscentibus ævo,
Et votis procerum, sceptra relicta capit.
Acer & assumtis Princeps animosus in armis,
Asseruit regni jura potente manu.
Arva molestantes Mysios, prædasque trahentes
Depulit a ripis spumifer Albi tuis.
Parte alia Moravos violentis contudit armis.
Effera vis patrios ne popularet agros.
Insignis bello, pacis quoque clarus honore,
Civibus acceptus militibusque fuit.
Distribuens natis sacra regni sceptra duobus,
Parte sua placide jussit utrumque frui.

VENCESLAVS DVX VII.

B

VEncesilae tibi fasces cessere paterni,
Pars potior terræ nobiliorque tibi.
Zatecii tractus fratri, septemque triones
Quæ spectat regio, jure regenda datur.
O decus, o rarum fraterni pectoris æstum!
Quam nunc diverso pectus ab igne calet.
Invidet alterius parto non alter honori,
Unanimique gerunt pectora nexa fide.
Nunc diris odiis, regnique cupidine ferunt,
Quos decuit pariter consuluisse sibi.

NECLAM DVX VIII. VENCESLAI FILIVS.

C

DEses & infami sternens torpedine Neclam,
Dedecorem vitam turpiter egit iners.
Impatiens duri Martis, fugiensque laborum,
Exutus regno pæne bonisque fuit.
Marte lacessitus patrui, non cingitur armis,
Sed bellum alterius munere tutus obit:
Qui facie referens Neclami Principis ora,
Strenuus audaci pectore miles erat.
Irruit adversos pugnans pro Principe in hostes,
Lætaque devictis Marte trophæa refert.

HOSTVITVS DVX IX.

SUccedit solio, populo plaudente, paterno
Hostuitus, sortem fratre dolente suam;
Quod regni tum non consors adscitus habenis;
D Præteritusque omni conditione foret.
Carpitur hinc odio fratris, cæcusque furore
Hostili invadit rura paterna manu.
Mox tamen absistit, procerum de pace receptis
Legibus Hostuitus cætera lætus obit.

BORZIVOIVS DVX X.

PRimus hic e Ducibus linquens idola Boheмis,
Amplexus Chriſti ſacra fideinque fuit;
Rore ſalutiferi conſperſus rite lavacri,
Conjuge cum ſocii pignoribusque tori.
Quæ pietas regno exutum privavit avito,
Gentiles cultus plebs ubi tota probat.
Exul apud Moravos, privati nomine vixit,
Et placide ſortem fortis utramque tulit.
Non ſibi præreptum jus ſumtis aſſerit armis:
Quam ferus, in patriam maluit eſſe pius;
Cujus ad excuſſas tandem revocatus habenas,
Sopita populi ſeditione fuit.
Fertur ab hoc ingens exſtructum Principe tem-
Qua patet antiquo Praga vetuſta foro: (plum,
Curia ſub titulo Mariæ quod Læta vocatur,
Addictum ſacris nobile rebus opus.
Pertæſus tandem regni, gravioribus annis,
Aſſignat nato ſceptra relicta ſuo.
Qui poſtquam fato cecidit properante, ſubivit
Frater onus, vivo ſic ſtatuente patre.

WRATISLAVS DVX XII.

Deſiderantur reliqui Duces, itemque Reges interjecti.

CAROLVS.

VENCESLAVS.

VT Pater inſignis præſtansque virilibus auſis,
Eximia virtute animi, multoque decore
Romanos faſces & ſceptra Bohemica geſſit:
Sic eadem luxu, nimio torpensque veterno
Filius, heu nimium neglexit deſide vita.
Degener a patriis ætatem moribus omnem,
Implicitus Venerique gulæque tyrannide mixta
Exegit. Non hunc monitis a tramite lævo
Imperii proceres, non regni cura retraxit.
Forſitan a primo labem contraxerat ortu,
Culturæ impatiens, mores mutare ferinos
Indocilis, vitium natura pronus ad omne.
Namque ubi ſacrato Baptiſmi fonte lavatur,
Dicitur infauſto luſtrales omine lymphas
Fœdaſſe; & ſacras, novus ut Rex unguitur, aras.
Hæc præſaga mali jam tunc quoque ſigna futuri,
Non ſine ſucceſſu nimis infelice, fuere.
Imperio tandem, frugis cum nullius eſſet,
Deturbatur iners, melior nec poſtmodo factus,
Noctes atque dies Bromio Venerique vacabat;
Crudelis, pravique tenax, oſorque honorum.
Inviſus poſthac patribus populoque Bohemo
Ventris ob ingluviem fœdam, moresq; malignos,
Admoto vinctus Pragæ cuſtode tenetur.
Pertulit ipſe ſui captus quoque vincula fratris;
Fraude ſed evaſit de carcere ſalvus utroque,
Et regno & ſceptris Regali in ſede potitus.
Mox ubi commota plebs ſeditione laborat;
Expers conſilii, ſubitoque exterritus amens
Concidit. Hunc talem meruit vita impia finem.

SIGISMVNDVS.

EXcellens acie mentis, ſtudiisque Minervæ
Clarus; at aſſumtis infelix Marte ſub armis,
Nec tamen adverſis fortunæ flatibus unquam
Devius a recto aut pavida formidine fractus,
Digna Sigismundus meruit præconia Cæſar.
Quicquid enim debet Princeps laudatus habere
Virtutis, quicquid veri belloque togaque
Conſilii; decus id forti ſub pectore clauſum
Poſſedit, nec dote fuit fraudatus ab ulla.
Munificum Clariis ſeſe facilemque Deabus
Exhibuit, doctoſque viros reverenter habebat.
Felix ſi fatis non colluctatus, in omnem
Eventum intrepidus, dubio quoque Marte fuiſſet:
Sæpe manu valida Geticos invaſit in hoſtes;
Sæpe Bohemorum tentavit milite robur
Indomitum, pugnans fortuna ſemper iniqua.
Multa tamen geſſit triplici diademate digna,
Digna ſalutari turbatis Principe rebus.
Auſonias luſtrans oras, & ſchiſmata purgans,
Queis tunc Romulidûm fervebat factio patrum.
Rege ſub hoc Synodus, variis ex partibus orbis,
Pontificumque Ducumque ingens celebrisque
coacta eſt;
Quâ jacet urbs clarum jactans Conſtantia nomen,
Dives opum, frugumq; ferax, contermina Rheno.
Heic ubi conductu ſalvo poſt terga relicto
Inſontes

ALBERTVS.

EXſtincto fatis ſocero, rectore Quiritum,
Mox gener Albertus regnis ipſoque potitur
Imperio. Parent Hunni, pariterque Bohemi,
Obſequiumque palam faciunt, Regemque ſalutant
Et quæ longa prius peperit faſtidia vulgi,
Diverſa unanimi ceſſavit opinio voto.
Jam nihil externis metuunt confidere, poſtquam
Judicii gravitas rerumque innotuit uſus
Cæſaris Alberti; poſtquam devota voluntas
In populum manifeſta fuit: ſe protinus illi
Subjiciunt, pendentque omnes mandantis ab ore.
Ille velut falſo nauclerus in æquore fluctus
Et ſuperare graves, interdum carbaſa ventis
Subtrahere & moto novit decedere ponto:
Sic etiam faſces diſcrimine cautus in omni
Geſſit, perque vices fortunam flexit vtramque,
Excultus longo rerum prudenter ab vſu.
Conſilio nam cuncta prius, ſtudioque ſagaci
Tentabat, dubiis quam ſe committeret armis.
Sic tempeſtivos aditus, momentaque norat
Temporis, inſtanti nonnunquam ceſſit & hoſti.
Atque utinam vitæ producere longius annos
Et cita paulliſper licuiſſet fata morari;
Mentis erat, valido Scythicas penetrare cohortes
Milite, Chriſtiadumque gregem virtute potente
Eripere hærentem rabioſi faucibus hoſtis.

Sed letale malum conatus fecit inanes;
Dum cupiens sedare sitim, correptus ab æstu
Arderet nimio, & peponum nimis esibus usus
Profluvio ventris præventus morte periret.
Ante tamen conjux prægnans de semine facta
Illius, hæredem tumida gestabat in alvo.

LADISLAVS.

CÆsaris Alberti de sanguine postumus infans
Quatuor ætatis menses Laslaus agebat,
Hungariæ quando procerum viduæque parentis
Consilio atq; opera, regni est diademate cinctus;
Quocum tutelæ patrui, Romana gerenti
Sceptra, datur, donec justis adolescèret annis
Hic etiam tandem toto poscente senatu
Bojemæ gentis, patrio succedit honori,
Regali frontem redimitus rite corona,
Egregius forma juvenis, celebrisque futurus
Bellator, si non crudelia fata vetarent.
Jamque tori sociam clara de stirpe petebat
Gallorum Regis; vitreis ubi labitur undis
Sequana, Parrisiam mediusqve intersecat urbem.
Jam coiere animis ambo de tempore Reges
Conjugii, jam munera dant capiuntque vicissim;
Quum mors atra caput trisli circumvolat umbra,
Qualis ubi sese flos effert aureus ortu
Mane novo, & late suaves exhalat odores;
Mox Sole infuso terris, a falce resectus
Concidit, adflatus ventis & marcidus aura:
Talis hic ante diem, primo vernante vigore
Dum famam ingentem de se promittit in horas,
Purpuream exspirans animam, Rex funere mersus
Atroci, pulchros artus in morte reliquit.
O spes fallaces hominum, sortisque malignæ
Ludibria! o rerumque vices, incertaque fata!
Pro thalamo tumulus Regi, pro conjuge bustum
Exstruitur, subitus turbat nova gaudia luctus.

GEORGIUS.

STrenuus audaci casus vir pectore in omnes,
Bojema cretus de gente, Georgius heros
In Regem, populi eximio patrumque fauore
Eligitur; regnum quum tandem hærede careret
Legitimo. multum ille odiis vexatus in . . .
P . . . . veri studio, fideique receptæ
Pertulit affectu; multum furialibus armis
Hospitis ingrati, quem vinctum carcere duro
Eduxit; regnique Hunni, natæque Hymenæi
Participem faciens, multo cumulavit honore.
Pressa . .
Flictibus,
Ass.
Non Er.

Ille instar palmæ, quæ quantum pondere ad ima
Truditur, arctaturque gravi velut obruta mole,
In tantum tendit vegetas erecta sub auras:
Sic animo forti eventum perstabat in omnem.
Nec fuit ille domi patrio sub sidere solum
Marte potens, patriis non solum industrius oris;
Sed peregrina etiam victrici castra secutus
Milite, quæ fuerant præsentia damna fugabat.
Illius auxilio dura obsidione levatus
Cum consorte tori, thalami cum pignore Cæsar
Ipse sui fratris vires, astumque suorum
Vindibonæ elusit cincta Fridericus in arce.
Et dubitamus adhuc, virtuti insistere avitæ?
Et juvat externo nequicquam sidere Marti?
O pia gens oblita tui; num fortia frustra
Pectora, pugnacesque animos, roburque virile
Inseruit Natura potens? quid mollia captas
Otia? quid confert peregrinis moribus omnem
A Transigere ætatem? quid ludo perdere tempus?
Semina Naturæ, vestigia sacra tuorum
Præstat rite sequi, & duro invigilare labori.
Fide Deo; virtute animum pietateque firma,
Subsidia æternis nunquam mortalia præfer;
Pendeat a solo solum fiducia Christo.
Sic tibi constabit tua gloria salua, nec ullæ
Quantumcunq; feræ poterunt te evertere gentes.

WLADISLAVS.

FAto completis urgente Georgius annis,
Rebus ab humanis vitæ satur atque dierum
Postquam decessit, natis post fata relictis:
Solliciti incumbunt proceres de Rege creando,
Antiquo pro more patrum, regnique salute.
Pars animis propensa cupit de sanguine Regis
B Defuncti prolem; pars prolem e gente Polona
Rex Casimire tuam. tandem sententia constans
Bladislaë tibi subscribit. cessat utrinque
Lis odiosa. capit sceptrum regale Polonus
Insignis studio pacis, virtutibus ingens.
Multa tulit, patiensque tulit, vicitque ferendo
Plurima, frugiferæ devictus amore quietis.
Corpore præstabat juvenilibus integer annis,
Invalidum senior quod morbis æger habebat.
Et licet æternum coleret studiosus amorem
Pacis, vesanique togam discrimine Martis
Plus faceret; tamen assumtis metuendus in armis
C Et fuit, & nulli cessit de jure priorum.
Hungariæ Regem sibi conditionibus æquis
Junxit amicitia, post quam contendere contra
Destitit; inque locum defuncti lectus, utrumque
Pacatis populum sapiens direxit habenis.
Maximus imperium tunc Æmylianus habebat;
Permotusque animo tanti pietateque Regis
Cessit ab Hungaria, quam milite cinctus adibat,
Et spe concepta potiundæ ingente petebat:
Noluit at sese paribus committere in armis.
Cedite qui Regem falso culpatis inertem.
Quid, quod & optavit jungi hunc sibi fœdere Cæsar
Dans neptem nato Regis, natamque nepoti
Poscens, a facili per pacta jugalia Rege.
Confectis tandem feliciter ordine rebus
Occubuit, lenta nimium vexante podagra.

LVDOVICVS F. WLADISLAI.

D NOndum bella satis, Geticos nec noverat hostes,
Impare congressu quando Ludovicus ad arma
Hungariæ procerum stimulis protenditur, ingens
Gloria militiæ. sed proh quam præcoce fato
Insignem bello juvenem Mars Thracius hausit!
Digna hic sceptra puer cunis tractavit in ipsis
Hunnorum, tenerum cinctus diademate frontem.
Regali præcox infans perfunctus honore
Blaslai patris. mox Bœmica regna capessit
Quadrimus, populi tota plaudente corona.

Post

Post ubi succrevit paullo maturior ætas,
Cæsareæ neptis thalamos Maxæmyliani
Lætus adit, Mariamque tori sibi fœdere jungit.
Omnis in hoc spes Hungariæ, spes omnis in illo
Bojemæ gentis, quis enim vel alacrior alter,
Vel potior virtute fuit? quis promtior hasta
Sive manu? quis eo fuit observantior æqui?
O nimium consise tuis; o invida virtus!
Excelso præstans animo Rex inclite, quis te
Impulit in Scythicas non æquo Marte cohortes?
Necte moras, differre para, nec prodigus aude
Ante diem vitæ. Veniant prius auxiliares
Subsidio turmæ; veniant prius agmine longo
Finitimi populi, numero qui & fortibus armis
Sufficiant, bellique æstus hostemque potentem
Sustineant. Tunc tempus erit, tunc lata patescet
Area pugnandi; tunc tunc audentior ibis.
Sed quis fata Deum, quis non mutanda moretur
Consilia, aut leges præfixas ætheris alti?
Dum ruit adversos acer Ludovicus in hostes,
Arma arma ingeminans; dum plus juveniliter audet
Milite quam valeat, longe hosti viribus impar
Occidit innocuus belli certamine Princeps,
Cum ducibus populique manu; regnumque sorori
Post obitum casu miserando linquit utrumque.
Cæsaris hæc conjux Fernandi reddita, in ipsum
Amborum regimen regnorum transtulit hæres.

FERDINANDVS.

Hic vir hic est, quo non Regum sapientior alter,
Seu pax tuta domi, seu classica rauca vocabant;
Austriaci generis flos & præclara propago,
Fernandus dia notus super astra nepotum
Progenie; cui longa ævi, seclique futuri
Assurgit series, terris venerabile lumen.
Hic rem Bojemam fatali clade ruentem,
Heu misere magno sese miscente tumultu
Restituit, multaque malum pietate repressit,
Justitiæ rectique tenax, insignis amore
Virtutis. Non hunc a recto tramite vitæ
Ira ferox, non luxuries, non prava libido
Præcipitem dedit. Æquali moderamine flexit
Omnia, tranquillæ pacis studiosus in armis.
A Hoc Romana etiam Respublica Cæsare crevit,
Post varios belli motus, populique furores,
Aurea pax quando ferro successit & igni,
Imperium sub eo securis floruit annis,
Europæque sinus a bello & cæde quierunt.
Namque ubi conjunctis cum fratre in Saxonas armis
Felici sapiens pugnasset Marte, satisque
Quantum consilio valeat dextraque probasset;
Unanimi procerum voto, Caroloque volente
Totius imperii molem subit. Omnis in illo
Protinus & pendet cura, atque innititur uni
Quæque prius maduit fraterno sanguine tellus,
Dissidiisque fuit distractus & obrutus orbis,
B Consedit tandem, rigidisque recessit ab armis.
Tanta viri pietas, tanta oris gratia, tantus
Consilii splendor, mentisque exculta facultas.
Quodque solent alii vix dum Mavorte feroci,
Insidiis, sumtuque gravi, dextraque potente
Efficere; hoc placido, sine cæde & sanguine, vultu
Præstitit invictus quovis discrimine Cæsar.
Quin etiam sævo nequiit quod Marte domari
Commotum belli pelagus, quod & horruit Oenus;
Placavit sapiens, divina industrius arte,
Quando feros animos dictis mulcebat amicis;
Ergo quod excessit terris furialis Erinnys,
Quod procul ex animis est omnis pulsa simultas,
C Fœdera quod constant, nec pax firmata labascit;
Illius hoc munus, nobis hoc ille reliquit.
Insuper hic ab avo Romanus origine Cæsar
Descendens, fratris successor Cæsaris idem,
Cæsareos nato fasces designat; & ipsum
Imperii decus hoc producit ad usque nepotem.
Dii faciant, ut in hoc longum post fata superstes
Eniteat, semperque novo sese offerat ortu.

p. 1.

COSMÆ PRAGENSIS DECANI (3)

PROLOGVS IN CHRONICAM BOHEMORVM, AD SEVERVM PRÆPOSITVM.

DOMINO *Severo Melnicensis Ecclesiæ Præposito, tam litterali quam spirituali intelligentia prædito, Cosmas Pragensis Ecclesiæ solo nomine Decanus: post hujus vitæ stadium in cœlesti regno bravium. Quanta mentis meæ devotione ac dilectione vestræ paternitati substernor (Deum testor) eloqui nequeo: neque enim est magna dilectio, quam humana comprehendit ratio. Dilectio enim vera nihil proprium, nihil secretum aut occultum habere quit, quod non ei promat, quem sincero affectu diligit. Ea mihi nisi affuisset, nequaquam tantæ auctoritatis viro hæc mea senilia deliramenta offerre præsumpsissem. Quærens enim quæsivi, quid jocundum, quid otiosum vobis offerrem: sed nihil tam ridiculosum quam opusculum meum inveni. Si enim suaviter ridemus, cum aliquem offendi pede ad lapidem videmus: quot in hoc opere meas offensiones, quot grammaticæ artis synalœphas videbitis. De quibus si per singula ridere velitis, ultra modum potestis uti*

(3) Cum Dubravius, Hagecius, Pontanus, aliique, qui de Episcopis Pragensibus commentati sunt, *Cosmam, Episcopum Pragensem, & Cosmam, Decanum Pragensem*, unum eundemque fuisse tradiderint; luculenter demonstravit Balbinus in *Epitom. rerum Bohem. Libr. III. cap. 8, in notis*, hos distinctos fuisse viros. Qua de re & nos infra ad A. 1091. non nihil annotabimus.

propric-

proprietate hominis *. *Sed sive vobis solis hæ seniles nugæ placeant, sive displiceant, rogo ne tertius eas oculus videat.*

* i. risu.

ITEM AD GERVASIVM MAGISTRVM PRÆFATIO OPERIS SVBSEQVENTIS.

A LIBERALIVM *artium quibusque studiis pleniter imbuto, & omnimodæ scientiæ sapientia delibuto, Archigeronti Gervasio, Cosmas quod dicitur, haud dici dignus, Deo tamen & Sancto* WENCESLAO *famulantium famulus, debitæ orationis munus & mutuæ dilectionis pignus. Cum acceperis hanc scedulam, scito quod tibi transmiserim Boëmorum Chronicam, quam ego nullo grammaticæ artis lepore politam, sed simpliciter & vix Latialiter digestam tuæ prudentiæ singulari examinandam delibavi, quatenus tuo sagaci judicio aut omnino abjiciatur, ne a quoquam legatur: aut si legi adjudicatur, limæ tuæ examinationis ad unguem prius elimetur; aut potius (quod magis rogo) per te ex integro Latialiter enucleetur. Nam id solum operæ pretium duxi in meo opere, ut vel tu cui a Deo collata est sapientia, vel alii potiores scientia, sicut Virgilius habuit Trojæ excidia, &* i. Achilleida *Statius Æacida* *, *ita ipsi hoc meum opus habeant pro materia, quo & suam scientiam postea notificent, & nomen sibi memorabile in secula magnificent.*

p. 2. *Igitur hujus narrationis sumpsi exordium a primis incolis terræ Boëmorum, & perpauca quæ didici, senum fabulosa relatione, non humanæ laudis ambitione, sed ne omnino tradantur relata oblivioni, pro posse & nosse pando omnium bonorum dilectioni. Bonis enim & peritis semper placere gliscо, idiotis autem & discolis displicere non pertimesco. Scio enim nonnullos affore æmulos, & eos emori risu subsannationis, cum viderint scema hujus operationis, qui tantummodo docti sunt aliis derogare, & ipsi per se nihil boni sapiunt erogare. De talibus canit Propheta:* Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt. *Hi namque ea solummodo lynceis oculis inspiciunt, & in corde suo velut in adamante figunt memoriter, quæ sunt dicta improprie, aut ubi mens mea dormitans titubavit. Quid mirum?* Quandoque bonus dormitat Homerus. *Horum ego nec invidiosis derogationibus perterreor, nec ironicis adulationibus permulceor: qui volunt, legant; qui nolunt, abjiciant. Tu autem, frater carissime, si me tuum amicum diligis, si meis precibus tangeris, præcinge lumbos mentis, & accipe in manum rasorium, calcem & calamum, ut quod supersit radas, & quod non est desuper addas, improprie dicta proprietate muta; ut sic mea insciticæ tua sublevetur facetia. Non enim ab amico corrigi erubesco, qui etiam ab inimicis animo affectu emendari exposco. Continet autem hic liber primus Boëmorum gesta, prout mihi scire licuit, digesta usque ad tempora primi* BRATISLAVI *filii ducis Oalrici. Annos autem dominicæ Incarnationis idcirco a temporibus* BORIVOII *primi Ducis Catholici ordinare cœpi; quia initio hujus libri nec fingere volui, nec Chronicam reperire potui, ut quando vel quibus gesta sint temporibus scirem, quæ ad præsens recitabis in sequentibus. Vale, & tuo jussu aut me ad cætera evolvenda præcingam, aut ibi gradum sistam, & meis inceptis modum figam cœptis.* Vive, vale, mea ne renuas optata, sed imple. *Est autem hæc Chronica composita regnante quarto Henrico Romanorum Imperatore, & gubernante Sanctam Ecclesiam Dei Papa Kalisto, sub tempore ducis Boëmorum V.Vladizlai, simul & præsulis Pragensis ecclesiæ* HERMANNI, *ut in sequentibus datur omnibus scire volentibus, quibus sint acta annis Christi vel indictionibus.*

B INCIPIT LIBER PRIMVS CHRONICÆ BOEMORVM. p. 3.

POst diluvii effusionem, post virorum maligna mente turrim ædificantium confusioneni, humanum genus quod tum fere constabat in LXX. duobus viris, pro tam illicitis & temerariis ausis, cum divina ultione, quot capita virorum, tot in diversa linguarum genera dividerentur (sicut historica relatione didicimus) unusquisque eorum vagus & profugus longe lateque dispersi, per diversa spatia terrarum errabant, ac de die in diem corpore decrescentes in generationes & generationes multipliciter crescebant. Unde humanum genus Dei nutu omnia disponente in tantum diffusum est per orbem terræ, ut post multa secula tandem has etiam in partes deveniret Germaniæ. Cum enim omnis illa regio sub Arctoo axe Tanaitenus & usque ad occiduum sita, licet in ea singula propriis loca nominibus nuncupentur, generali tamen vocabulo Germania vocitatur. Ad hoc ista retulimus, ut nostræ intentionis melius exequi possimus propositum. Verumtamen interim priusquam ad exordium narrationis veniamus, situm terræ hujus Boëmiæ, & unde nomen sit sortita, breviter exponere tentabimus. In divisione orbis secundum Geometricos, Asia nomine sub suo dimidium mundi obtinuit, & dimidium Europa & Africa. In Europa sita est Germania, cujus in partibus versus Aquilonalem plagam est locus late nimis diffusus, cinctus undique montibus per gyrum, qui mirum in modum extenduntur totius terræ per circuitum, ut in aspectu oculorum quasi unus & continuus mons, totam illam terram circumeat & muniat. (4) Hujus terræ superficiem tunc

Germania latissime patens.

Bojobæmum. Tacit. & Paterculo.

(4) Regiones, quas Bohemiæ regnum tenet complectiturque finibus Germaniæ antiquæ (quippe quæ ad vistulam usque fluvium porrigebatur) fuisse comprehensus, testimonio Strabonis, *Liber VII*; Velleji Pater-

tunc temporis vastæ tenebant solitudines nemorum sine habitatore hominum; nimis tamen sonoræ erant examinibus apum, & diversarum modulationibus volucrum, feræ sylvarum innumeræ, ceu maris arenæ vel quot sunt stellæ in æthere. Nec ab ullo perterritæ errabant per devia terræ, & bestiarum gregibus vix sufficiebat tellus. Ad numerum locustarum æstate per arua saltantium, vix poterant æquiparari armenta juvenmentorum. * Aquæ illic nimis perspicuæ, & ad humanos usus sanæ. Similiter & pisces suaves, & ad comedendum salubres. Mira res; & unde perpendere potes, quam in alto aere hæc pendeat regio, cum nulla peregrina hanc influat aqua, sed quotquot amnes, parvi & imanes ex diversis montibus orti, a majori aqua quæ dicitur *Labe* * (5) recepti usque Aquilonale fluunt in mare. Et quia hæc regio tempore in illo intentata jacebat aratro, & homo, qui tentaret, adhuc eam non intrarat, de fertilitate sive sterilitate ejus magis placuit tacere, quam inexpertam rem dicere. Has solitudines, quisquis fuit hominum ille, incertum est, quot in animabus, postquam intravit, quærens loca humanis habitationibus oportuna, montes, valles, tesqua, tempe, visu sagaci perlustravit, & (ut reor) circa montem Rip inter duos fluvios, scilicet *Ocram* * & *Wultavam*, primas posuit sedes, primas fundavit & ædes, & ques in humeris secum apportarat, humi fisti penates gaudebat. Tunc senior, quem alii quasi dominum comitabantur, inter cætera suos sequaces sic affatur: *O socii non semel mecum graves labores per devia nemorum perpessi, sistite gradum, vestris penatibus litate libamen gratum, quorum opem per mirificam hanc vobis olim fato prædestinatam tandem venistis ad patriam. Hæc est illa, hæc est illa terra, quam sæpe me vobis promisisse memini: terra obnoxia nemini, feris & volatilibus referta, nectare mellis & lactis humida, & (ut ipsi perspicitis) ad habitandum aere jocunda. Aquæ ex omni parte copiosæ, & ultra modum piscosæ. Hic vobis nihil deerit, quia nullus vobis oberit. Sed cum hæc talis, tam pulchra ac tanta regio in manibus vestris sit, cogitate aptum terræ nomen quod sit.* Qui mox quasi ex divino commoniti oraculo: *Et unde*, inquiunt, *melius vel aptius nomen inveniemus, quam quia tu pater dicteris Boemus, dicatur & terra Boemia?* Tunc senior, motus sociorum augurio, cepit terram osculari præ gaudio, gaudens eam ex suo nomine nuncupari, & surgens ac utrasque palmas tendens ad sidera, sic orsus est loqui: *Salve, terra fatalis, mille votis quæsita nobis, olim diluvii tempore viduata homine, nunc quasi monimenta hominum nos conserva incolumes, & multiplices nostram sobolem a progenie in progenies.*

Quorum autem morum quam honestorum, vel quantæ simplicitatis & quam admirandæ probitatis tunc temporis fuerint homines, quamque inter se fideles, & in semetipsos misericordes, cujus etiam modestiæ, sobrietatis, continentiæ, si quis his modernis hominibus, valde contraria imitantibus, pleno ore narrare tentaverit, in magnum deveniret fastidium. Propterea hæc prætermittimus, & pauca ac quæ sunt vera, illius primæ ætatis de qualitate dicere cupimus. Felix nimium erat ætas illa, modico contenta sumptu, nec tumido inflata fastu. Cereris & Bacchi munera haud norant, quia neque erant. Sera prandia solvebant glande vel ferina carne. Incorrupti latices hausus dabant salubres. Ut solis splendor, vel aquæ humor; sic arva & nemora, quin & ipsa connubia, erant illis communia. Nam more pecudum singulas ad noctes novos promebant hymeneos, & surgente aurora trium gratiarum copulam & ferrea amoris rumpebant vincula, & ubi nox quenque occuparat, ibi susus per herbam frondosæ arboris sub umbra dulces carpebat somnos. Lanæ vel lini eis usus ac vestis ignotus, hyeme ferinis aut ovinis pellibus utebantur pro vestibus. Nec quisquam *meum* dicere norat, sed adinstar monasticæ vitæ, quicquid habebant, *nostrum*, ore, corde, & opere, sonabant. Ad stabula non erant repagula, nec portam inopi claudebant; quia neque fur, neque latro, neque inops, quisquam erat. Nullum scelus apud eos furto gravius & latrocinio; nullius generis arma videre, tantummodo sagittas, & has propter feriendas feras, habuere. Quid plura? proh dolor, prospera in contraria, communia in propria, cedunt, securam paupertatem olim amabilem, quasi cœnosam rotam, vitant & fugiunt, quia amor habendi sævior ignibus Ætnæ in omnibus ardet. His ac talibus malis emergentibus de die in diem pejus & pejus injuriam, quam nemo prius inferre norat, alter ab altero sibi illatam patienter sufferebat, & cui querimoniam suam apploraret, judicem nec principem habebat. Post hæc, quicunque in sua tribu vel generatione, persona, moribus potior & opibus honoratior habebatur, sine exactore, sine sigillo, spontanea voluntate ad illum confluebant, & de dubiis causis ac sibi illatis injuriis salva libertate disputabant. Inter quos vir quidam oriundus extitit nomine CROH, (6) ex cujus vocabulo castrum jam arboribus obsitum in sylva, quæ adjacet pago *Ztibene*, * situm esse dignoscitur. Vir fuit hic in suis generationibus ad unguem perfectus, re-

* al. juvencorum.

* i. Albis.

* al. Ogram.

Bohemus terræ inventor.

p. 4.

Croco.

* al. Habetto.

Paterculi, *Libr. II. cap.* 109; Taciti, *de situ, moribus & populis Germaniæ, cap.* 28. & 42. præter alios ostendit Hertius, in *Dissert. de renovato Rom. Germ. Imperii & Regni Bohemiæ nexu, Sect. I.* Bojemiam autem antiquissimis scriptoribus sub *Hercyniæ*, aut etiam *Orcyniæ* nomine, *Eratostheni* præsertim, ac Græcis ceteris notam fuisse, demonstrat Velserus, *Libr. II. rer. Boicar.*

(5) *Albis*, ceterorumque Bohemiæ fluviorum, origines & meatus, præter alios descripsit Paul. Stransky, in *Republ. Bojema, cap. I. Princeps*, inquit, *in his fluviis est, qui a nobis lingua vernacula* LABE, *a Latinis vero, per literarum metbatesin, quasi ab* allabendo ALBIS *vocatur* &c.

(6) *Croh*, etiam *Crocus* scribitur. Dicuntur autem Bohemi, a Lecho derelicti, CROCVM, Hledovii filium, A. C. 670, elegisse Ducem. Vid. Hagecius, *ad A.* 670. Boregk, in *Creco Duce, fol.* 4. Æneas Syl-

rum ſecularium opulentia præditus judiciorum in deliberatione diſcretus, ad quem, tam de propriis tribubus, quam ex totius provinciæ plebibus, velut apes ad alvearia, ita omnes ad dirimenda convolabant judicia. Hic tantus vir ac talis expers virilis fuit prolis: genuit tamen tres natas, quibus natura non minores, quam ſolet viris, ſapientiæ dedit divitias. Quarum *Kazi.* major natu nuncupata eſt KAZI, quæ Medeæ Colchicæ herbis & carmine, nec Pæonio magiſtro arte medicinali ceſſit: quia ſæpe Parcas ceſſare interminali ab opere, ipſaque fata ſequi feA cit ſua carmina juſſa. Unde & incolæ hujus terræ, quando aliquid eſt perditum, & quod ſe poſſe rehabere deſperant, tale proverbium de ea ferunt: *illud nec ipſa poteſt recuperare Kazi.* Ad Cereris natam hæc eſt ubi rapta tyrannam, ejus usque hodie cernitur tumulus ab incolis terræ ob memoriam ſuæ dominæ nimis alte congeſtus, **al. Alſe.* ſuper ripam fluminis Alſæ, * juxta viam, qua itur in partes provinciæ Bechin, per montem, qui dicitur Oſſeca. Laude fuit digna, ſed natu TETHKA ſecunda, expers & maris, emunctæ fœmina naris, quæ ex ſuo nomine *Techin* B caſtrum natura loci firmiſſimum, præruptæ rupis in culmine juxta fluvium Oſam ædificavit. Hæc ſtulto & inſipienti populo Oreadas, Dryadas, Hamadryadas, adorare & colere, & omnem ſuperſtitioſam ſectam, ac ſacrilegos ritus, inſtituit & docuit: ſicut hactenus multi villani velut pagani, hic latices, ſeu ignes, colit, iſte lucos & arbores, ſeu lapides, adorat; ille montibus ſive collibus litat; alius, quæ ipſe fecit idola ſurda & muta, rogat & orat, ut domum ſuam & ſeipſum regant. Tertia natu minor, ſed pru-

Luboſſa. cid. Dubravi. Lib. I.

dentia major, vocitata eſt LUBOSSA (7) quæ C etiam urbem tunc potentiſſimam juxta ſylvam, quæ tendit ad pagum Zubecnam, conſtruxit, & ex ſuo nomine eam *Luboſſam* vocitavit. Hæc fuit inter fœminas mira prorſus fœmina, in conſilio provida, in ſermone ſtrenua, corpore caſta, moribus proba, ad dirimenda populi judicia nulli ſecunda, omnibus affabilis, ſed plus amabilis, fœminei ſexus decus & gloria, dictans negotia providenter virilia. Sed quia nemo ex

p. 5.

omni parte beatus, talis ac tantæ laudis fœmina (heu dira conditio humana!) fuit Pythoniſſa. Et quia populo multa & certa prædixit futura, D omnis illa gens commune conſilium iniens, patris ejus poſt necem, hanc ſibi præfecit in judicem. Ea tempeſtate inter duos cives opibus & genere eminentiores, & qui videbantur populi eſſe rectores, orta eſt non modica litigio, agri contigui de termino. Qui in tantum prorupuerunt in mutuam rixam, ut alter alterius ſpiſſam unguibus volaret in barbam, & nudis conviciis ſemetipſos turpiter digito ſub naſum confundentes, intrant bacchantes curiam, ac non ſine magno ſtrepitu adeunt domnam, &, in ratione juſtitiæ dubiam inter eos dirimat cauſam, ſupplicIter rogant. Illa interim (ut eſt laſciva mollicies mulierum) quando non habet, quem timeat virum, cubito ſubnixa, ceu puerum enixa, alte in pictis ſtratis nimis molliter accubabat. Cumque per callem juſtitiæ incedens, perſonam hominum non reſpiciens, totius controverſiæ inter eos ortæ cauſam ad ſtatum rectitudinis perduceret, tuncis, cujus cauſa in judicio non obtinuit palmam, plus juſto indignatus, terque quaterque caput concuſſit, & more ſuo terram ter baculo percuſſit, ac barbam pleno ore ſaliva conſpergens exclamat: *O injuria viris haud toleranda! fœmina rimoſa, virilia judicia mente tractat doloſa. Scimus profecto, quia fœmina ſive ſtans, ſive in ſolio reſidens, parum ſapit: quanto minus cum in ſtratis accubat? Revera tunc magis eſt ad acceſſum mariti apta, quam dictare militibus jura. Certum eſt enim, longos eſſe crines omnibus, ſed breves ſenſus mulieribus. Satius eſt mori, quam viris talia pati. Nos ſolos opprobrium nationibus & gentibus deſtituit natura, quibus deeſt rector & virilis cenſura, & quos premunt fœmineæ jura.* Adhæc domna illatam ſibi contumeliam diſſimulans, & dolorem cordis fœmineo pudore celans, ſubriſit, &; *Ita eſt*, inquit, *ut ais; fœmina ſum, fœmina vivo; ſed ideo parum vobis ſapere videor, quia vos non in virga ferrea judico, & quoniam ſine timore vivitis, merito me deſpicitis. Nam ubi eſt timor, ibi eſt honor. Nunc autem neceſſe eſt valde, ut habeatis rectorem fœmina ferociorem. Sic & columbæ olim albiculum miluium, quem ſibi elegerunt in regem, ſpreverunt, ut vos me ſpernitis, & accipitrem multo ferociorem * ſibi ducem præfecerunt: qui fingens culpas, tam nocentes, quam innocentes, cæpit necare, & extunc usque hodie veſcitur columbis accipiter. Ite nunc domum, ut, quem vos cras eligatis in dominum, ego aſſumam mihi in maritum.* Interea prædictas advocat ſorores, quas non impares agitabant furores, quarum magica arte & propria ludificabat populum per omnia: ipſa enim *Luboſſa* fuit (ſicut prædiximus) Pythoniſſa, ut Cumæa Sibylla, altera veneſica ut Colchis Medea, tertia maleſica ut Æea Circe. Illa nocte quid conſilii inierint illæ tres Eumenides, aut quid ſecreti egerint, quamvis ignotum fuerit, tamen omnibus luce clarius mane patuit, cum ſoror earum *Luboſſa*, & locum, ubi Dux futurus latuit, & quis eſſet, nomine indicavit. Quis enim crederet, quod de aratro ſibi ducem præ-

** al. fortiſſ.*

---

vius, in *Hiſtor. Bohem.* Iodoc. Ludovic. Decius, *Libr. I. de vetuſta Polon.* At, quidam rerum Polonicarum ſcriptores tradunt, hunc Crocum non *Bohemum*, ſed *Polonum* fuiſſe, e Polonia ad Bohemiam regendam evocatum. Conf. *Goldaſtus de Regno Bohem. Libr. VI. cap. 3. §. 4.*

(7) *Luboſſa* vulgo etiam *Libuſſa* dicitur. Hanc Croco patri, ſine prole ſexus virilis defuncto, in principatu Bohemiæ ſucceſſiſſe, natu quidem minimam, ſed prudentia maximam, præter Coſmam Pragenſem, referunt, Æneas Sylvius, in *Hiſtor. Bohem. cap. 9.* Thomas Jordanus, in *notis ad Dubravii Hiſtor. Bohem. Libr. 2, ſub init.* Stransky, de *Republ. Bojema, cap. V, §. 4.* &c. Dicitur Libuſſa fuiſſe Pythoniſſa, forte more illius ævi, quo rudis inprimis Clerus omnes fere paullo prudentiores, vel callidiores, pro veneficis & magis habuerat. Nos in his priſci ævi fabulis explicandis operam perdere nolumus.

rogarent?

rogarent? aut quis sciret, ubi araret, qui rector populi fieret? Quid tamen Pythonicus furor nescit? aut quid est, quod magica ars non efficit? Potuit Sibylla Romano populo seriem fatorum fere usque in diem judicii prædicere, quæ etiam (si fas est credere) de Christo vaticinata est, sicut quidam Doctor in sermone suæ prædicationis versus Virgilii, ex persona Sibyllæ de adventu Domini compositos introducit. Potuit Medea herbis & carmine sæpe e cœlo Hyperionem & Berecynthiam deducere: potuit imbres, fulgura, & tonitrua elicere de nubibus: potuit regem Egacum de sene facere juvenem: carmine Circes socii Vlyxis conversi sunt in diversas ferarum formas, & rex Picus in volucrem, quæ nunc dicitur picus. Quid mirum? Quanta egerunt artibus suis magi in Ægypto? qui pene totidem mira carminibus suis fecerunt, quot Dei famulus Moyses ex virtute Dei exhibuisse perhibetur. Hactenus hæc. Postera die, ut jussum fuerat, sine mora convocat cœtum, congregat populum; conveniunt simul omnes in unum, fœmina residens in sublimi solio concionatur ad agrestes viros: O plebs miseranda nimis, quæ libera vivere nescit, *& quam nemo bonus nisi cum vita amittit; illam vos non inviti libertatem fugitis, & insuetæ servituti colla sponte submittitis. Heu tarde frustra vos pœnitebit, sicut ranas pœnituit, cum hydrus, quem sibi fecerant regem, eas necare cœpit. Aut si nescitis, quæ sint jura ducis*, tentabo vobis ea verbis dicere paucis. *Inprimis facile est ducem ponere; sed difficile est positum deponere. Nam qui modo est sub vestra potestate, utrum eum constituatis ducem, an non, postquam vero constitutus fuerit, vos & omnia vestra erunt in ejus potestate. Hujus in conspectu vestra febricitata labentur genua, & muta sicco palato adhærebit lingua. Ad cujus vocem præ nimio pavore vix respondebitis; Ita domine, ita domine: cum ipse solo suo nutu sine vestro præjudicio, hunc damnabit, & hunc obtruncabit, istum in carcerem mitti, illum præcipiet in patibulo suspendi. Vos ipsos, & ex vobis, quos sibi libet, alios servos, alios rusticos, alios tributarios, alios exactores, alios tortores, alios præcones, alios coquos seu pistores, alios molendinarios, faciet. Constituet etiam sibi tribunos, centuriones, villicos, cultores vinearum simul & agrorum, messores segetum, fabros armorum, sutores pellium diversarum & coriorum, filios vestros & filias in obsequiis suis ponet, de bubus etiam & equis sive equabus seu pecoribus vestris optima quæque ad suum placitum tollet. Omnia vestra quæ sunt potiora, in villis, in campis, in agris, in pratis, in vineis, auferet & in usus suos rediget. Quid multis moror? aut ad quid hæc, quasi vos ut terream loquor? Si persistitis in incepto, & non fallitis voto, jam vobis & nomen Ducis, & locum ubi est, indicabo.* Ad hæc vulgus ignobile confuso exultat clamore, omnes uno ore ducem sibi poscunt dari. Quibus illa: *En*, inquit, *en ultra illos montes* (& monstravit digito montes) *est fluvius non adeo magnus nomine Belena, cujus super ripam dignoscitur esse villa, nomine Ztadiczi.* * *Hujus in territorio est novale unum, in longitudine & in latitudine duodecim passuum, quod mirum in modum, cum sit inter tot agros in medio positum, ad nullum tamen pertinet agrum. Ibi Dux vester duobus variis bubus arat, unus bos præcinctus est albedine & albo capite, alter a fronte post tergum albus, & pedes posteriores habens albos. Nunc si vobis placet, meum accipite thalitarium,* * *& chlamydem, & mutatoria Duce digna, & pergite, ac mandata populi atque mea, referte viro, & adducite vobis Ducem, & mihi maritum. Viro nomen est* PRIMIZL, (8) *qui super colla & capita vestra jura excogitabit plura.* (Nam hoc nomen Latine sonat præmeditans vel super excogitans.) *Hujus proles postea hac in omni terra in æternum regnabit & ultra.*

Interea destinantur, qui jussa domnæ & plebis ad virum perferant nuncii, quos ut vidit domna quasi inscios de via cunctari; *Quid*, inquit, *cunctamini? ite securi, meum equum sequimini, ipse vos ducet recta via & reducet, quia ab illo non semel illa via est trita.* Vana volat fama, nec non & opinio falsa, quod ipsa domna equitatu phantasmatico semper in noctis conticinio solita sit ire illo, & redire præ gallicinio: quod Judæus credat apella. Quid tum? Procedunt nuncii sapienter indocti, vadunt scienter nescii, vestigia sequentes equi. Jamque montes transierant, jam jamque adpropinquabant villæ ad quam ibant, dum illis puer unus obviam currit, quem interrogantes agunt: *Heus bonæ indolis puer, estne villa ista nomine Ztadici:* ** *aut si est in illa vir nomine PRIMIZL? ipsa est*, inquit, *quam quæritis villa, & ecce vir PRIMIZL prope in agro boves stimulat, ut quod agit citius opus peragat.* Ad quem nuncii accedentes inquiunt: *Vir fortunate, Dux nobis Diis generate.* Et (sicut mos est rusticis) non sufficit semel dixisse, sed inflata bucca ingeminant:

Salve dux, salve, magna dignissime laude,
Solve boves, muta vestes, ascende caballum!

Et monstrant vestes, sternutantemque caballum. *Domina nostra Lubossa, & plebs universa mandant, ut cito venias, & tibi ac tuis nepotibus fatale regnum accipias. Omnia nostra & nos ipsi in tua manu sumus. Te ducem, te judicem, te rectorem, te protectorem, te solum nobis in domnum eligimus.* Ad quam vocem vir prudens, quasi futurorum insciis, subsilit, & stimulum, quem manu gestabat, in terram fixit, & solvens boves, *Ite illuc, unde venistis*, dixit, qui statim citius dicto ab oculis evanuerunt; & nus-

* al. Hradici.

* tolaterium

Primix.

** Hradici.

(8) Fertur Libussa & maritum & regni consortem sibi sociasse *Primislaum*, hominem agrestem, & ab aratro accitum; qui adeo jure uxorio principatum consecutus, eundem posteris suis hereditario jure reliquit per annos fere sexcentos propagatum. Cujus rei plurium scriptorum testimonia excitat Goldastus, *de regno Bohemiæ, Libr. VI, cap. 3, §. 6.*

quam amplius comparuerunt. Corylus autem, quam humi fixit, tres altas propagines, & quod est mirabilius, cum foliis & nucibus produxit. Viri autem illi videntes hæc talia ita fieri, stabant obstupefacti. Quos ille grata vice hospitium invitat ad prandium, & de pera subere contexta excutit mucidum panem & formatici *partem, & ipsam peram in cespite pro mensa, & super rude textum ponit, &c. Interea dum prandium sumunt, dum aquam de amphora bibunt, duæ propagines sive virgulta duo aruerunt & ceciderunt, sed tertia multo altius & latius accrescebat. Unde hospitibus major excrevit admiratio cum timore. Et ille: *Quid admiramini?* inquit, *Sciatis ex nostra progenie multos dominos nasci, sed unum semper dominari. Atqui si domna vestra non adeo de hac re festinaret, sed per modicum tempus currentia fata expectaret, ut pro me tam cito non mitteret; quot natos heriles natura proferret, tot dominos terra vestra haberet.* Posthæc indutus veste principali, & calciatus calciamento regali, acrem ascendit equum arator: tamen suæ sortis non immemor, tollit secum suos cothurnos ex omni parte subere consutos, quos fecit servari inposterum, & servantur WISEGRAD in camera Ducis usque hodie, & in sempiternum. (9) Factum est autem, dum per compendia viarum irent, nec tamen adhuc illi nuncii ceu ad novicium dominum familiares loqui auderent; sed sicut columbæ, si quando aliqua peregrina ad eas accedit, inprimis eam pavescunt, & mox in ipso volatu eam assuefaciunt, & eam quasi propriam faciunt & diligunt; sic illi cum fabularentur equitantes, & sermocinationibus iter abbreviarent, ac jocando per scurrilia verba laborem fallerent, unus, qui erat audacior & lingua promptior: *O Domine, dic,* inquit, *nobis ad quid hos cothurnos subere consutos, & ad nihilum, nisi ut proficiantur, aptos, nos servare fecisti: Non satis possumus admirari.* Quibus ille. *Ad hæc,* inquit, *eos feci, & faciam in ævum* *servari, ut nostri posteri sciant, unde sint orti, & ut semper vivant pavidi & suspecti; neu homines a DEO sibi commissos injuste opprimant per superbiam: quia facti sumus omnes æquales per naturam. Nunc autem & mihi liceat vos vicissim percontari: Utrum magis laudabile est, de paupertate ad dignitatem provehi, an de dignitate in paupertatem redigi? Nimirum respondebitis mihi, Melius esse provehi ad gloriam, quam redigi ad inopiam. Atqui sunt nonnulli parentela geniti ex nobili, sed post ad turpem inopiam redacti & miseri facti, cum suos parentes glorioses fuisse & potentes aliis prædicant, haud ignorant, quod semetipsos inde plus confundunt & deturpant, cum ipsi per suam hoc amiserunt ignaviam, quod illi habuerunt per industriam. Nam fortuna semper hanc ludit aleam sua rota, ut nunc hos erigat ad summa, nunc illos mergat in infima: unde fit, ut dignitas terrena, quæ erat aliquando ad gloriam, amissa sit ad ignominiam. At vero paupertas per virtutem victa, non se celat sub pelle lupina, sed victorem suum tollit ad sidera, quem olim secum traxerat ad infera.* Postea vero, quam iter emensi fuerant, & jam jamque prope ad urbem venerant, obviam eis domna stipata suis satellitibus accelerat, & inter se consertis dextris cum magna lætitia tecta subeunt, thoris discumbunt, Cererе & Baccho corpora reficiunt, cætera noctis spatia Veneri & hymenæo indulgent. Hic vir, qui vere ex virtutis merito dicendus est Vir, hanc efferam gentem legibus frenavit, & indomitum populum imperio domuit, & servituti, qua nunc premitur, subjugavit, atque omnia jura, quibus hæc terra utitur & regitur, solus cum sola Lubossa dictavit. Inter hæc primordia legum quadam die prædicta domna Pythone concitata, præsente viro suo PRIMIZL, & aliis senioribus populi adstantibus, sic est vaticinata:

-Urbem conspicio, fama quæ sidera tanget,
Est locus in sylva, villa qui distat ab ista
Terdenis stadiis, quem Wltava terminat undis.
Hunc ex parte aquilonari valde munit valle
profunda rivulus Bruznica: *at australi ex latere latus mons nimis petrosus, qui a petris dicitur Petrum,* *supereminet loca. Loci autem mons curvatur in modum Delphini, marini porci, tendens usque in prædictum amnem, ad quem cum perveneritis, invenietis hominem in medii sylva limen domus operantem. Et quia ad humile limen etiam magni domini se inclinant, ex eventu rei urbem, quam ædificabitis, vocabitis Pragam. Hac in urbe olim in futurum bine aureæ ascendent olivæ, quæ cacumine suo usque ad septimum penetrabunt coelum, & per totum mundum signis & miraculis coruscabunt. Has in hostiis & muneribus colent, & adorabunt omnes tribus terræ Boemiæ, & nationes reliquæ. Una ex his vocabitur Wechlava, latine Major gloria, altera Tressivoya, latine Exercitus consolatio.* Plura locutura erat *si non fuisset spiritus pestilens, sed prophetans a plasmate DEI. Continuo itur in antiquam sylvam, & reperto dato signo, in prædicto loco urbem totius Boemiæ domnam ædificavit Pragam. Et quia ea tempestate virgines hujus terræ sine jugo pubescentes, veluti Amazones, militaria arma affectantes & sibi ductrices facientes, pari modo uti tyrones militabant, venationibus per sylvas viriliter insistebant; Non eas viri, sed ipsæmet sibi viros, quos & quando voluerunt, accipiebant; Et, sicut gens Scythica, Plauci sive Picenatici, vir & fœmina in habitu nullum discrimen habebant. Unde in tantum fœminea excrevit audacia, ut in quadam rupe non longe a prædicta urbe, oppidum natura loci firmum sibi construerent, cui a virginali vocabulo inditum est nomen DIEWIN. (10) Quod videntes juvenes, contra eas nimio zelo indignantes, multo plures insimul conglobati, non longius quam

PRIMISLAUS Dux I. Dobrawi. lib.

* i. casei.

p. 7.

* Brzeta

al. Petrus.

Idem Sylvius cap. 6.

* al. mecum.

* al. si non fugisset spiritus pestilens & prophanus a plasmate Dei.

Praga condita.

Dievin.

(9) Rustici illi *perones* multis sæculis in coronatione Principum populo monstrare consueverunt; eosque in Ecclesia Wissehradensi diligentissime custoditos, Hagecius scribit, tandem in oppugnatione illius arcis periisse. Conf. *Balbinus, Libr. III. Decad. I. Miscell. Bob. cap. XVII, §. 2.*

(10) *Diewin*, vel *Diewczibrad* ad Pragam, qua in *Rzeporey* via ducit, arx deserta, hodieque monstratur. Balbinus in *Libr. III. Decad. I. Cap. VIII, §. 4.*

unius

unius buccinæ in altera rupe inter arbusta ædificant urbem, quam moderni nuncupat WISSEGRAD, tunc autem arbustis traxerat nomen NVRASTEN. Et quia sæpe virgines solertiores ad decipiendos juvenes fiebant, sæpe autem juvenes virginibus ferociores existebant, modo bellum, modo pax, inter eos agebatur. Et dum interposita pace potiuntur, placuit utrisque partibus, ut componeret cibis & potibus symbolum, & per tres dies sine armis solennem insimul agerent ludum in constituto loco. Quid plura? Non aliter juvenes cum puellis ineunt convivia, ac si lupi rapaces quærentes edulia ut intrarent ovilia. Primam diem epulis & nimiis potibus hilarem ducunt.

Wissegrad.

Dumque volunt sedare sitim, sitis altera crevit.
Lætitiamque suam juvenes vix noctu ad horam
differunt.
Nox erat & cœlo fulgebat luna sereno.
Inflans tunc lituum dedit unus eis ita signum,

p. 8. dicens: *Lusistis satis, edistisque, satisque bibistis; Surgite vos, rauco clamat Venus aurea sistro.* Moxque singuli singulas rapuere puellas. Mane autem facto, jam pacis inito pacto, sublatis Cerere & Baccho, ex earum oppido muros Lemniaco vacuos indulgent Vulcano. Ex illa tempestate post obitum principis Lubossæ sunt mulieres nostrates virorum sub potestate.

Et quoniam omnibus *ire quidem restat, Numa quo pervenit & Ancus*, PRIMIZL jam plenus dierum, postquam jura instituit legum, quem coluit vivus ut Deum, raptus est ad Cereris generum, cui NEZAMIZL successit in regnum. Hunc ubi mors rapuit, MNATA principales obtinuit fasces. Quo decedente ab hac vita, VOYN suscepit rerum gubernacula. Hujus post fatum VNIZLAV rexit ducatum. Cujus vitam dum rumpunt Parcæ, CREZOMIZL locatur sedis in arce. Hoc sublato e medio NECLAN ducatus potitur solio. Hic ubi vita discessit, GOSTIVIT throno successit. (11 a) Horum igitur Principum de vita & morte siletur, tum quia ventri & somno dediti, inculti & indocti assimilati sunt pecori, quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima fuit oneri; tum quia non erat illo in tempore, qui stylo eorum acta commendaret memoriæ. Sed sileamus, de quibus siletur; & redeamus, unde paulo deviavimus.

NEZAMIZL. vulg. Nemislaus.
MNATA VOYN. vulg. Negmus.
VNISLAV. vulg. Vinslaus.
CHREZOMIL. NECLAN. de eo Dubrav. lib. 5.

GOSTIVIT autem genuit BORIVOY, qui primus Dux baptizatus est a Venerabili Methodio, episcopo in Moravia, sub temporibus Arnolphi Imperatoris, & Zuatoplick ejusdem Moraviæ regis. Nec superfluum esse judicamus, quod referente fama audivimus, huic operi nostro hoc in loco summatim litterarum apicibus inserere bellum, quod olim antea retro dierum tempore ducis *Neclam*, in campo, qui dicitur *Iurzko*, consertum est inter Boemos & Lutzanos, qui nunc a modernis ab urbe *Satz* vocantur *Satzenses**. Unde autem antiquitus nuncupentur ea notio *Luzano*, nolumus præterire sub silentio. Quippe illa distinguitur provincia quinque regionibus locorum per compendia. Prima regio est sita circa rivum nomine *Guntna*. Secunda est ex utraque parte fluvii *Vltca*. Tertia extenditur per circuitum torrentis *Brocnica*. Quarta, quæ & *Sylvana* dicitur, sita est infra terminos fluminis *Msa*. Quinta, quæ in medio est, dicitur *Luka*: pulcherrima visu & utilissima usu, ac uberrima satis, nec non abundantissima pratis, unde & nomen ipsa regio traxit, quia *Luka* latine pratum dicitur. (11 b) Et quando hæc regio primum, longe antequam *Satz* urbs condita foret, est inhabitata hominibus; recte ejus incolæ sunt a regione *Luczane*, nuncupati. His præfuit Dux nomine WRATISLAV vir bellicosus in bellis, armis animosus, ac consiliis supra modum dolosus, satisque in præliis felix potuisset dici, si fors suprema non clausisset eum sine infelici. Nam contra Boemos frequenter susceperat bellum, & semper Marte secundo, atque Diis auspicibus prævaluerat, terramque eorum sæpe ingressus cædibus, incendiis ac rapinis crudeliter devastaverat, & ipsos populi primates in tantum præsidiis attenuarat, ut parvo clausi in oppido, quod dicitur *Levigradec*, hostium incursiones timerent oppido. Hic condidit urbem, quam appellavit nomine suo *Wlatzizlav*, inter duos montes *Meduez* & *Pripek*, scilicet in confinio duarum provinciarum *Belina* & *Lutomerici*, & posuit in ea viros iniquos, ob insidias utriusque populi, quia hi adjuvabant partes Boemorum. Et sicut in omni vicissitudine rerum prosperitas elevat, adversitas humiliat cor hominum; ex nimia, quam semper obtinuit in præliis, prosperitate exaltatum est cor Ducis & elevatum, ut mente feroci exardesceret omnem Boemiam ad obtinendum. Ah, mens hominum ignara futurorum sæpe fallitur suo augurio; sæpe fit, quod ante ruinam extollitur cor, sicut ante lætitiam sæpe humiliatur. Mox tumido inflatus fastu superbiæ, scire volens virtus sua quantæ sit potentiæ, mittit gladium per omnes fines totius provinciæ, hac conditione principalis sententiæ, ut qui corporis statura præcellens gladii mensuram, segnius jusso egrederetur ad pugnam proculdubio puniretur gladio. Quo citius dicto ut vidit in condicto coadunatos loco, stans in medio aggere corona vulgi septus, clypeoque subnixus, manuensem vibrans sic est exorsus: *O milites, quibus ultima in manibus est victoria, olim non semel vicistis, jam actum agitis. Quid*

Luca.

Vratislaw Dux.

Wlatislau urbs.

GOSTIVIT. vulg. Hostetius.
BORIVOYS Dubrav. lib. 4.

* *al. Zatenses*

(11 a) Non vocat, horum Ducum Bohemiæ successionem excutere. Bene monet Cl. Schminckius, ad Goldast. *L. VI. cap. III.* §. 6, tam intricatam, tam corruptam, tamque incertam esse chronologiam Ducum & Regum Bohemiæ istius ævi, ut nihil sani inde elici possit.

(11 b) Hæc explicat Stransky, de *Republica Bojema, cap. II.* §. 12: *Districtus Lucensis*, inquit, *a pratis vel Zatensis, a Zetecio urbe, cognominatur. Vernacula lingua dicitur LVCSKO, vel ZIATECSKO. Prisco ævo Ducatus audire voluit, & dividebatur in quinque territoria. Primum erat ad Ryvinum; secundum ad Vzeam; tertium ad Brusincam, rivos; quartum vocabatur a silvis Podlesina, ad Mizam; quintum Lausco, ad Lausceam.* conf. Balbinus *Miscell. Libr. III. cap. IV.* §. 2. p. 27.

opus est armis? Arma ad speciem militiæ portare faciatis. Quin potius falcones, nisos, herodios, & omne hujusmodi genus volatilium, quod magis aptum est ad iucunditatem & ludum, tollite vobiscum, quibus carnes inimicorum si forte sufficient dapibus ad vescendum. Teste Marte Deo & meu domna Bellona, quæ mihi fecit omnia bona, per capulum ensis mei iuro, quem manu teneo, quod pro infantibus eorum catulos canum ponam ad ubera matrum. Levate signa, tollite moras, semper nocuit differre paratis. Ite jam velociter, & vincite feliciter. Exoritur clamor ad æthera, utilis & inutilis, fortis & vilis, potens & impotens, perstrepunt; *Arma, Arma.* Saltat scabiosa equa, ut 9. acer equus in pugna. Interea quædam mulier, una de numero Eumenidum, vocans ad se privignum, qui jam iturus erat ad prælium: *Quamvis*, inquit, *non est naturale novercis, ut benefaciant suis privignis; tamen non immemor consortii tui patris*, cautum te faciam, quo posis vivere, si vis. *Scias Boemorum strigas sive lemures nostras prævaluisse votis Eumenides, unde nostris usque ad unum interfectis dabitur victoria Boemis.* Hanc tu quo tandem valeas evadere cladem, *quem in primo congressu interficies tibi adversantem, utramque sibi abscindens aurem mitte in tuam bursam, & inter utrosque pedes equi in modum crucis evaginato ense terram lineabis. Hoc enim faciens invisibiles ligaturas laxabis, quibus ira Deorum vestri equi obligati deficient & cadent, quasi ex longo itinere fatigati, moxque insiliens equum terga vertes: & si magnus post te timor vel fragor ingruerit, nunquam retro aspicies fugam sed acceleres, atque ita tu solus vix effugies. Nam Dii, qui nobiscum comitabantur in prælium, versi sunt in auxilium inimicis nostris.* At contra Boemis resistere non valentibus; hostibus quippe jam totiens triumphantibus, *una salus* erit *victis nullam sperare salutem.* Sed sicut C semper infideles homines, & eo ad malum proniores, ubi deficiunt vires & bonæ artes, illico ad deteriores pravitatis vertuntur partes: haud aliter gens ista vanis sacris dedita, plus mendaciis credula, jam desperantes viribus & armis militaribus, quandam adeunt sortilegam & consulunt eam, atque instant, vt edicat, quid opus sit facto in tali discrimine rerum, aut quos eventus futurum obtineat bellum? Illa, ut erat plena Pythone, ambigua non tenuit eos diu verborum ambage: *Si vultis*, inquit, *triumphum victoriæ consequi, oportet vos prius jussa Deorum exequi. Ergo litate Diis vestris asinum, ut sint & ipsi vobis in asylum. Hoc votum fieri summus Jupiter, & ipse Mars sororque ejus Bellona, atque genier Cereris jubet.* Quæritur interim miser asellus, & occiditur, &, ut jussum fuerat, in mille millies frustra conciditur, atque ab universo exercitu citius dicto consumitur. Quibus ita esu animatis asineo, res similis prodigio, cerneres, lætas phalanges & viros mori promptos, ut sylvaticos porcos; & sicut per aquosam nubem sit sol clarior & visu jucundior; ita post niniam inertiam exercitus ille fuit alacrior & ad pugnam audacior. Interea Dux eorum *Neclan* lepore pavidior, & pardo fuga velocior, pugnam imminentem pertimuit, & ficta infirmitate in castro supra dicto delituit. Quid facerent membra sine capite? aut milites in prælio sine duce? Erat ea tempestate quidam vir præcipuus honestate corporis, ætate, & nomine TYRO: & ipse *Tyro.* post Ducem secundus imperio, qui ad occursum mille oppugnantium in prælio nullum timere, nemini scivit cedere. Hunc Dux clam ad se vocat, & præcipit, ut arma sua induat, & paucis A clientibus id scientibus herilem equum jubet, ut ascendat, atque vice sui milites ad pugnam præcedat, quæ non longe ab urbe, sed quasi duobus stadiis distabant. Ventum erat ad campum ab utrisque exercitibus condictum, sed prius Boemii præoccupant collem in medio campo eminentem, unde & hostes prævideren adventantes, & his æstimabatur Dux stans in eminentiori loco, concionaretur ad milites Tyro: *Si fas*, inquit, *esset duci, verbis addere virtutem militibus, multiplicibus vos tenerem verborum ambagibus. Sed quia hostis ad oculum stat, & breve tempus exstat*, fas mihi sit vos vel paucis succendere dictis. *Omnibus in bello dimicandi par est devotio, sed impar vincendi* B *conditio vel ratio. Illi paucorum pugnant pro gloria; nos pro patria dimicamus, & populi atque nostra libertate, & salute ultima. Illi, ut rapiant aliena; nos, ut defendamus dulcia pignora & cara connubia. Confortamini, & estote viri! Nam Deos vestros, quos hactenus habuistis offensos, placastis votis, quibus placari voluerunt. Ergo timorem eorum ne timueritis: quia quibus in prælio timor officit animo, maximo versantur in periculo; audacia autem habetur pro muro, audacibus & ipsi Dii auxiliantur. Credite mihi ultra illa castra salus posita est & gloria. At si terga hostibus vertitis, mortem tamen non effugitis. Sed utinam mortem, verum pejus morte agetur, conjuges vestras in conspectu vestro violabunt, & in sinu earum infantes ferro trucidabunt, & ad lactandum eis catulos dabunt: quia victis una est virtus, victoribus nil denegare.* Interea Dux Lucensis ferocissimus mente cum superbissima gente; quibus & hodie a malo innatum est superbire veniens ex adverso, ut vidit hostes non cedere loco, jubet suos paulisper stare illico; & quasi condolens super fata inimicorum his dictis acuit animos eorum: *O miserabiles timidorum hominum manus! frustra prendunt colles, quibus desunt vires & bellicæ artes, nec juvat collis, si est virtus debilis. Cernitis, quia in planis non audent vobis occurrere campis, nimirum (si non* D *fallor) jam fugere parant. Sed vos, priusquam fugiant, irruite super eos impetu repentino, & sub pedibus vestris ceu frivola stipularum ut conterantur, facite more solito. Parcite, ne ignaviorum sanguine polluatis fortia tela, sed potius submittite, quæ portatis volatilia, ut perterrefaciatis falconibus pavidas acies ut columbas.* Quod ut factum est, tanta fuit densitas diversarum avium, ut sub pennis earum obscuraretur aër velut sub aquosa nube,

vel

vel nigræ tempestatis tempore. Hoc cernens intrepidus. Tyro, ceptum interrumpens colloquium ad suos dixit: *Si forte contigerit me mori in prælio, sepelite me in hoc colliculo, & construite mausoleum mihi in seculæ nominativum & memoriale, unde & hodie nominatur militis acerrimi Bustum Tyri.* Moxque prosiliens ceu maxima moles rupis, quæ flumine rupta de summitate alti montis fertur per abrupta loca, sternens omnia obstacula, haud aliter ruit fortissimus heros Tyro in confertissimos hostium cuneos. Ac veluti si quis in horto tenera papavera succideret ferro, ita obstantium metit ense capita hostium; donec plenus hastilibus quasi herinacius in media strage super magnam struem occisorum cecidit. Incertum est, quis a quo, vel quali vulnere, quisque ceciderit: nisi hoc solum scimus pro certo, quia Boemii potiti sunt triumpho, Lucensibus omnibus interfectis usque ad unum, præter illum videlicet, quem noverca olim præmonuerat euntem ad prælium. Isque dum jussa peregit novercæ, præpeti elapsus fuga, dumque concitus veniret ad domum, ecce uxor sua plangebatur defuncta. Quam ut videret vir suus, dum disco operuisset faciem ejus (res similis fictæ) visum est funus habere in fœmineo pectore vulnus, & abscissas aures. Tunc vir recolens, quod factum fuerat in prælio, protulit aures de bursa cruentis cum inauribus, atque recognovit, hanc fuisse in specie illius, quem adversantem occidit in bello. (12) Posthæc Boemi intrantes terram illam, & nullo resistente devastantes eam, civitates destruxerunt, villas combusserunt, spolia multa acceperunt. Inter quæ *filium herilem* (13) apud quandam vetulam mulierem inveniunt latitantem. Quem Dux ut vidit, quamvis paganus, tamen ut catholicus bonus, misericordia super eum motus, ætatulæ ejus & formæ pepercit, & novam urbem in plano loco construens nomine *Oragus* super ripam fluvii *Oggre*, (14) juxta pagum *Postolobritb*, ubi nunc cernitur sanctæ Mariæ cœnobium, tradidit & civitatem eam & puerum pædagogo, cui antea pater suus eum commiserat, nomine *Duringo*, qui fuit de Zribia genere, excedens hominem scelere, vir pessimo pejor, & omni belua crudelior. Quod utique factum est omnium consilio Comitum, ut populus, qui dispersus fuerat, ad filium herilem suum quippe principem, ceu apes ad suam materculam, confluerent; tum si quando resistere vellent in plano loco facile capi possent, tum quia cum viro alienigena non tam cito conspiraret plebs indigena. His ita dispositis, repedant ad propria cum magna lætitia, atque victrices aquilas in sua referunt spatia.

p. 10.

Interea scelestus Zribni ille deterior infidele, perpetrat scelus crudele. Nam quadam die piscatores nunciant stationem piscium non modicam in placida aqua sub glacie nova. Erat enim glacies perspicua, quam nec adhuc aura corruperat, nec pulvis commaculaverat. Tunc ille Judas secundus *Durincll* ratus esse congruum tempus ad exercendam suam nequitiam, quam dudum mala mente malo animo conceperat in domini sui vitam vel necem, ait ad puerum: *Eamus piscari*, quem fraude parabat necare. Quo cum perveniissent, inquit, *O mi dominelle, perspice natantes ecce sub glacie pisces, plusquam mille.* At ille (sicut erat puer) pueriliter genua flectens, dum inspicit sub glacie pisces, securus securim tenero collo excepit, & cui hostis pepercit, suus eum pædagogus interficit. Diffugiunt omnes a tali spectaculo. At ille plusquam parricida; quod non potuit uno ictu securis; peragit cultello, caput suo dominello, abscidens ut porcello: quod absconsens sub chlamyde, velut domini sui pro honore munda involvit syndone, ut ad Ducem qui sibi eum commiserat, infelix malo suo deferat. Fert sine mora funesta dona, sperans pro tali facto innumera consequi munera; & invenit Ducem in Pragensi palatio, cum omnibus residentem Comitibus in concilio, atque optimum ratus fore, ut in conspectu omnium facinus suum referat in medium, intrat & salutat Ducem & resalutatus stans expectat, & ut data est sibi copia fandi, dixit: *En ego, en ego solus mea effeci securi, ut vos omnes dormiatis in utramque aurem securi. Sæpe enim una & minima scintilla, quam incaute custos domus reliquit sub tenui favilla, excitat ignes magnos, & non solum domum, sed etiam involvit & comburit ipsos domus dominos. Hanc ego scintillam præcavens, & providens in futurum vobis nociturum, extinxi, & vos vestrosque posteros a ventura clade, quasi ex divino oraculo præmonitus, protexi. Vos autem qui estis capita terræ, huic facto nomen invenite. Si est meritum, facite ut omnes sciant, quantum merui; aut si dicitis scelus esse plus mihi debetis, quod vos ipsi non facitis scelus. An ideo debuistis infanti parcere, quia pater ejus vestros infantes interficere, & catulos voluit ponere ad sugendum vestras conjuges? Certe, nec carnes suaves rabidi, nec suave lupi jus. Ecce paterni sanguinis ultor, nobis quoque nocituris, jacet sine vestro sanguine victus. Quin ite potius, accipite regnum ocius, quod sine metu possidebitis in sempiternum felicius.* Et statim

Doringi scelus.

p. 11.

(12) Hanc historiam de bello inter *Neklanum*, Pragensium Ducem, & *Wlatislaum*, Ducem Lucensium, sive Zatecensium, gesto, alii paullo aliter narrant. Æneas Sylvius, *Histor. Bob. cap. X*, Ducem illum Lucensium vocat *Wratislaum*, & urbem ab eo conditam *VVratislaviam*; cum ceteri omnes cum Cosma nostro illum *VVlatislaum*; hanc *VVlatislaviam*, scribant; hincque pagus eo loco *VVlatislaw* appellatus nomen retinuisse dicatur. Præterea, quem Wlatislai ministrum bellique ducem Cosmas appellavit *Tyronem*; eum Æneas Sylvius *Sclericum*, nobilem Equitem; Dubravius, Siderium; Hagecius, *Equitem Strirum de Cheinowa*, appellant; idemque Hagecius novercæ illi nomen *Strabæ* imponit; ut alia discrimina nunc prætermittam. conf. Balbinus, *Libr. III. Decad. I, Miscell. Histor. Bob. cap. XVII, §. 4.*

(13) Filius ille Wladislai dicitur ab aliis *Zbislaus*, quem pædagogus, Thuringus natione, per summum scelus occidit.

(14) *Oggre*, vel *Obrze*, est fluvius *Egra*, quem super Litomericium recipit Albis. *Oragus* autem urbs in Chronico MSct. scribitur *Dragus*.

protulit

protulit caput in discо tenellum, in quo nihil adhuc vivi hominis fuit exterminatum, nisi tantum, quod erat voce privatum. Expavit Dux, corda tremuerunt Comitum, confusum inhorruit murmur. Tum Dux torsit caput a munere nefando, & solvit ora talia fando: Auser ab aspectu nostro tua dona, sceleste; *tua scelera excedunt modum & veniam, nec dignam inveniunt vindictam. Ad hoc flagitium nec potest dignum excogitari præjudicium, nec par supplicium. An putas, quod facere non potuissem, quod feci, si voluissem? Mihi autem fuit licitum occidere inimicum, sed non tibi dominum. Hoc quod peccasti, peccatum majus est, quam dici peccatum potest. Certe quicunque te occiderit, vel occidere te judicaverit, non solum peccatum, sed duplex peccatum incurrit; quia & peccatum quod occideris, & peccatum quod occidisti dominum, pro utroque peccato triplicatum portabit peccatum. Verum si pro hoc tam scelere immani aliquod a nobis donativum speraſti, scias tibi pro magno munere hoc dari, ut unam de tribus, quam velis, eligas mortem. Aut te præcipites ex alta rupe, aut te manibus tuis suspendas, in quavis arbore, aut scelerosam vitam tuo finias ense.* Ad hæc vir ingemiscens ait: *Hea quam male virum habet, cum præter spem sibi evenit.* Et statim abiens in alta alno suspendit se laqueo. Unde alnus illa quamdiu non cecidit, quia juxta viam erat, dicta est alnus Duringi. Et quoniam hæc antiquis referuntur evenisse temporibus, utrum sint facta an ficta, lectoris judicio relinquimus. Nunc ea, quæ vera fidelium relatio commendat, noster stylus, licet obtusus, tamen devotus, ad exarandum digna memoriæ se acuat.

Lucan.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCXCIIII. *Borivoy* baptizatus est primus Dux sanctæ fidei catholicus. (15 a) Eodem anno *Zuatopluck* rex Moraviæ (sicut vulgo dicitur) in medio exercitu suorum delituit & nusquam comparuit. Sed revera dum in se ipsum reversus, cum recognovisset, quod contra dominum suum Imperatorem & compatrem *Arnulphum* injuste & quasi immemor beneficii arma movisset, (15 b) qui sibi non solum Boëmiam, verum etiam alias regiones hinc usque ad fluvium Odram, & inde versus Ungariam usque ad flumen Gron subjugarat; pœnitentia ductus, mediæ noctis per opaca nemine sciente ascendit equum, & transiens sua castra fugit ad locum in latere montis *Zober* situm, ubi olim tres Heremitæ inter magnam & inaccessibilem hominibus sylvam ejus ope & auxilio ædificaverant ecclesiam. Quo ubi pervenit, ipsius sylvæ abdito in loco equum interficit, & gladium suum humi condidit, & ut lucescente die ad Heremitas accessit; quis sit, illis ignorantibus, est tonsuratus & heremitico habitu indutus, & quamdiu vixit omnibus incognitus mansit; nisi cum jam mori cognovisset, monachis semetipsum, quis sit, innotuit, & statim obiit. Cujus regnum filii ejus parvo tempore, sed minus feliciter tenuerunt, partim Ungaris illud diripientibus, partim Teutonicis Orientalibus, partim Polonienſibus solotenus hostiliter depopulantibus.

A. 1354.

**vulg. Sas. tocpta.

Arnulphus imp.

Borivoy (15 c) autem genuit duos filios *Zpitigneum*, & *Wratislaum*, ex ea, quæ fuit filia *Zla-*

(15 a) Eundem annum Christi 894, quo Borivoy baptizatus fuerit, designant etiam Hageccius, Weleslavinus, Pontanus a Braitenberg, & alii. Æneas Sylvius annum 995, & Volaterranus, A. 998, nominant. At Cochlæus Sylvii errorem librario tribuit, qui loco anni 895 exscripserit A. 995. Balbinus autem, in *Epitome rerum Bohem. Lib. I. cap. II. & III.* probare conatus est, Borzivojum, ubi Wehlehradum advenerit, in Archi-Episcopi Wehleradensis, Methodii, familiaritatem incidisse, ab eoque Christianis institutum mysteriis, una cum triginta Bohemiæ proceribus, in pervigilio S. Johannis Baptistæ, ante A. 856. sacro fonte ablutum ad Christum accessisse. Sed digna sunt, quæ de conversione *Borivoy* leguntur in *vita posteriori S. Cyrilli & Methodii* apud *Jo. Bollandum, ad diem IX Martii*, ut hùc transferantur. *Accidit*, inquit, ut *Szatopluck* (Moraviæ Rex) *in quodam convivio Ducem Bohemiæ, nomine Worsiwoi, sub mensa sua in detestationem suæ perfidiæ locaret, incongruum adserens debere esse Christicolis gentilem hominem edere. Quem sanctus Præsul Methudius convertit ad fidem catholicam, prædicens ei ore prophetico, si baptizaretur, quod ipse & ejus successores potentiores omnibus Principibus & Regibus fierent. Cujus verbis Dux Worsiwoi consentiens, se petiit cum triginta suis numero baptizari. Quo baptizato sacerdotibus secum receptis Bohemiam revertitur, & uxorem suam sanctam Ludmillam cum multitudine gentis Bohemiæ curavit baptizari: qui in Christi fide viventes post multa tempora animas Christo reddiderunt, sancta exempla post se relinquentes posteris usque in hodiernum diem, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.*

(15 b) Hujus rebellionis meminit & Regino, Abbas Prumensis, ad A. DCCCXC. ARNVLPHVS, *Rex*, inquit, *concessit* ZVNDEBOLCH (qui Cosmæ dicitur *Zuatopluck*) *Mahorensium Slavonum Regi, Ducatum Bohemensium, qui hactenus Principem suæ cognationis ac gentis super se habuerant, Francorumque Regibus fidelitatem promissam inviolato fœdere conservaverant. Quæ res non modicum discordiarum & defectionis præbuit incitamentum; nam & Bohemi a fidelitate diutius custodita recesserunt, & Zundebolch, ex adjectione alterius regni vires non parvas accessisse sibi sentiens, fastu superbiæ inflatus, contra Arnulphum rebellavit.* Conf. Sigebertus Gemblacensis, ad A. 893. Luidprandus, *Libr. I, cap. 2.* Auctor Annal. Fuldens. ad A. 892. Stranckius quidem, de *Republica Bojem. cap. III. §. 10*, hæc impugnat, negatque, unquam Bohemiam a Zundebolcho possessam fuisse; sed potior fides habenda Reginoni. Conf. Goldastus de *Regno Bohemiæ Libr. II, cap. 9.* Cæterum de *Zuatopluco* hæc annotavit Annalista Saxo, ad A. 893. *Zuendibolb Rex Marahensium Slavorum, vir inter suos prudentissimus, & ingenio callidissimus, diem clausit extremum. Non desunt scripta quædam, quæ de ipso testantur, quod rebellionis suæ pœnitentia ductus spreto sæculo patriam reliquerit, ac divinis obsequiis se subjiciens in cœtum Religiosorum vitæ reliquum egerit.* Quomodo etiam filii Zuatopluci post mortem patris inter se dissenserint, innuit auctor Annalium Fuldensium, ad A. DCCC XCVIII: *Inter duos fratres*, inquit, *gentis Marahensium, Moymirum videlicet ac Zentobulchum, eorumque populum, dissensio atque discordia gravissima exorta est; ita etiam, ut si uterque alterum suis viribus insequi atque comprehendere valeret, capitalem subiret sententiam* &c.

(15 c) Nomen *Borivoy* varie scribitur ab auctoribus. Dubravio & Boregkio dicitur *Borivorius*; Hageccio, *Borziwogius*; Æneæ Sylvio, *Borsivojus*; aliis *Borziwi, Borzivojus, Borivojus, Borzogius, Worsiwoi*, &c. In *Compilatione Chronologica*, apud Leibnitium,

berit

boris Comitis de Caſtello *Pſon*, (16) nomine *Ludmila*. Quo feliciter univerſæ carnis viam ingreſſo, ſucceſſit paternum in principatum *Zpitignen*,* poſt cujus obitum obtinuit *Wratislau* ducatum, qui accepit uxorem nomine *Dragomiri* (17) de duriſſima gente *Luticenſi*, & ipſam faxis duriorem ad credendum, ex provincia nomine *Stodor*. Hæc peperit binos natos, *Wenceslaum* DEO & hominibus acceptabilem, & *Boleslaum* fraterna cæde execrabilem. Qualiter autem gratia DEI ſemper præveniente & ſubſequente ubique, *Borivoy* adeptus ſit ſacramentum Baptismi, aut quomodo per ejus ſucceſſores his in partibus de die in diem ſancta proceſſerit religio Catholicæ fidei, vel qui dux, quas aut quot primitus Eccleſias credulus erexit ad laudem DEI, malumus prætermittere, quam faſtidium legentibus ingerere: quia jam ab aliis ſcripta legimus quædam in privilegio Moravienſis Eccleſiæ, quædam in epilogo ejusdem terræ atque Boëmiæ, quædam in *vita vel paſſione ſanctiſſimi noſtri patroni & martyris Wenceslai*. (18) Nam & eſcæ execrantur, quæ ſæpius ſumuntur. Inter hos autem annos, quos infra ſubnotavimus, facta ſunt hæc, quæ ſcripta prælibavimus: non tamen ſcire potuimus, quibus annis ſint geſta, ſive temporibus.

SPITIGNEVS.

S. Wenceslaus martyr. Pet. de Natal. lib. 8. cap. 127.

Anno Dominicæ Incarnat. DCCCXCV.
& ſeqq. usque ad
Annum Dom. Incar. DCCCCXXVII.

p. 12. Anno Dom. Incarnationis DCCCCXXIX. quarta Kal. Octobris Sanctus *Wenceslaus* Dux Boemorum fraterna fraude martyriſatus in urbem intrat perpetuam, cœli ſcilicet aulam. (19) Nam *Boleslaus*, haud dignus dici ſancti viri germanus quam fraudulenter fratrem ſuum invitaverit ad convivium, quem potius machinabatur ob regni retinendi gubernacula necandum, aut qualiter coram hominibus, ſed non apud DEUM, diſſimulaverit fratricidii reatum, ſufficienter dictum puto in paſſionis ejusdem ſancti viri tripudio. Cujus poſt vitæ bravium, alter Cayn *Boleslaus* heu male adoptatum obtinuit Ducatum. Hæc autem inter convivia (ut ſupra retulimus) fraterna cæde execrabilia, naſcitur proles eximia Ducis Boleslai ex conjuge egregia, cui ex eventu rerum nomen eſt inditum *Ztrabquaz*: (20) quod nomen ſonat *terribile convivium*. Quod tamen terribilius poteſt eſſe convivium, quam in quo perpetratur fratricidium. Ergo Dux Boleslaus conſcius ſceleris patrati, timens pœnas tartari, mente ſemper recolens ſagaci quoquo modo poſſet DEus ſuper hoc crimine placari, votum vovit Domino dicens: *Si iſte meus filius*, inquit, *ſuperſtes fuerit, ex toto corde meo DEO eum voveo, clericus ut ſit, ſerviat Chriſto omnibus diebus vitæ ſuæ, pro meo peccato & hujus terræ pro populo.*

BOLESLAVS Dux. Æn. Sylv. cap. 15. Dubravius lib. 5.

Poſt hæc genitor voti non immemor, cum eſſet jam puer docibilis, & multum parentibus amabilis, non ferens pater, ut ſuis diſcederet præ oculis, miſit eum Ratisbonam, tradens ſub regulares alas Abbati ſancti Emerammi martyris. Ibi Eccleſiaſticis & regularibus ſanctionibus eſt imbutus, ibi monachico habitu indutus, ibi usque ad virile robur eſt enutritus: de cætero vitæ ejus curſu in ſequentibus ſat manifeſtabitur. De actibus autem Ducis *Boleslai* nihil aliud dignum relatione percipere potui, niſi unum, quod vobis operæ precium pandere duxi. Nam ſervus DEI, *Wenceslaus*, Eccleſiam in metropoli Praga ſub honore ſancti Viti martyris conſtructam non tamen conſecratam morte præventus reliquit. Hanc ut conſecrare dignaretur, qui tunc præerat Ratisbonenſi Eccleſiæ præſul, nomine *Michaël*, Dux Boleslaus ſupplex, miſſis legatis cum magnis muneribus & majoribus promiſſionibus atque pollicitationibus, quo-

Michaël Episcopus Ratisbon.

T. II. rer. Brunſvic. p. 63, hujus Ducis his verbis ſit mentio ad A. 894: *Dux primus Bohemus, dictus Borziwi, cum uxore ſua, S. Ludmilla baptizatur. De his natus Wratislaus, pater Wentislai.*

(16) Pater Ludmillæ ab aliis dicitur *Slavibor, Comes de Mielnik, ſeu de Bſſow*. Conf. Chriſtanni *Vita S. Ludmillæ*. A Pulkava, *cap. 15.* idem Slavibor appellatur *Princeps de Besna*, citante Balbino.

(17) Wratiſlai uxor non ſolum Cosmæ noſtro, ſed & Chriſtanno, in *Vita S. Ludmillæ, p. 46*, vocatur *Dragomir* ex Provincia Slavorum paganorum, quæ *Zzolor* dicitur, pregnata; aut, ut ait Cosmas, ex gente *Luticenſi*, ubi Zluticium eſſe putatur. Alii *Drahomiram* appellant. Paprocius, in *Speculo Moraviæ*, Drahomiram Wlatiſlai Principis filiam facit; Wenceslaus Ripa, in *Zatecio*, neptem Wlatiſlai ex Brzoslao: quibus vero Hagecius & Weleslavinus adverſantur. Peperit autem hæc Drahomira Wratislao præter duos filios etiam filiam *Przibiſlaviam* dictam; de qua videatur Balbinus, *Libr. IV. Miſcell. §. V. p. 9.*

(18) Per vitam S. Wenceslai Balbinus, *Epit. rerum Bob. Libr. I. cap. 2.* intelligit *Chriſtanni Brevnovienſis*, Monachi veteris, libellum de *Actis S. Ludmillæ & S. Wenceslai*; quem libellum primus evulgavit Balbinus, primoque *Epitomes* ſuæ libro ſubjecit: quam vitam jam in lucem editam eſſe, neſcivit Antonius Pagius, in *Critic. Baron.*

(19) Cum Cosma alii quidem, videlicet Hagecius, Dubravius, Boregkius, tradunt, *S. Wenceslaum* Martyrem anno 929 a fratre Bolislao occiſum eſſe; ſed antiqui rerum Germanicarum ſcriptores, Hermannus Contractus, Sigebertus Gemblacenſis, & Conradus Urspergenſis; hoc parricidium ad Ottonis I. Imp. ætatem referunt. Verum, evidenter teſtatur Chriſtannus, Wenceslai ex fratre nepos, in *Vita S. Wenceslai*, apud Balbinum; hunc ipſum *S. Wenceslaum* anno 938, d. 4. Kal. Octobr. interfectum eſſe. Conf. Goldaſt. de *regno Bohem. Libr. II, cap. 3.* Ceterum, juvat huc ea transſcribere, quæ Annaliſta Saxo ad annum 928 annotavit, & quæ Cosmas noſter ex parte diſſimulaſſe videtur. *Rex* (Henricus Auceps) inquit, *Pragam Boemiorum cum exercitu adiit, urbem & Regem in deditionem accepit; Boemios tributarios faciens, reverſus eſt in Saxoniam. Regnabat autem in Praga Wenzlaus, DEO & hominibus acceptus, qui inter cetera, quæ de ipſo prædicantur, mirabilia, tormentorum genera & patibula ſuſpendiis hominum præparata, dirui fecit, ne immanitas judicum excreſceret, nec reparari ſuo tempore permiſit.* Debet hæc priora verba Annaliſta Witichindo Corbejenſi, *Libr I. Annal. p. 659.* Ad hæc ſimilia tradunt Sigebertus & Hermannus Contractus, ſed demum ad A. 930.

(20) *Itrabquaz* ille, filius Boleslai, in cujus infantis luſtrico convivio S. Wenceslaus occiſus erat, ab aliis varie ſcribitur; modo *Sutrachaques*, modo *Strachtiwaſus*, modo *Stratiquas*; modo *Strachyquas*, ſive *Strachikwas*, &c.

petitionem suam adimpleret, vix impetravit. Quod utiq; haud annuisset Præsul, nisi ob recordationem animæ & salutem Wenceslai amici sui jam interfecti id deliberasset fieri: quia vir DEI Wenceslaus, dum carne viguerat, nimio eum affectu coluerat, utpote patrem spiritualem & benignissimum præsulem. Nam & præsul Michaël similiter hunc sibi adoptaverat in filium dilectissimum, cum sæpe instruens timorem & amorem DEI, cum sæpe mittens ei sua donaria, quibus maxime illo in tempore indigebat nova Ecclesia Christi. Mox ubi dux est factus compos voti, plebs universa & proceres atque clerici obviam advenienti Episcopo ruunt devoti, & cum magno honore & lætitia recipiunt eum in Metropolis Pragæ ædificia. Quid multa? Decimo Kalendas Octobris dedicata S. Viti Ecclesia, lætus repedabat Præsul ad propria.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXX. *Otto*, filius Henrici Imperatoris, *Edgicl* * filiam Anglorum regis duxit uxorem. (21)

* al. Adelbaid.

HENRICVS I. Imp.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXI. Henricus Imperator Regem Abotridorum, & Regem Danorum, effecit Christianos. (22)

Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXII intra nonas Martii, translatum est corpus *S. Wenceslai Martyris* de Boleslau oppido in urbem Pragam, invidi fratris odio, siquidem frater eis Boleslaus de die in diem pejus faciens & pejus, nulla compunctus sui facinoris pœnitentia, mente intulit tumida, quod per martyris sui Wenceslai merita DEus declararet innumera ad ejus tumulum miracula, clam sibi fidis clientibus mandat, quo cum in urbem Pragam transferentes noctu in Ecclesia sancti Viti humi condant: quatenus si quæ DEus mira suis ostenderet ad gloriam sanctis, non ejus fratris, sed S. Viti martyris, adscriberetur meritis. Cætera ejus malefacta nec duxi relatione digna, nec pro certo habui comperta. Unum tamen ejus satis audax & memorabile facinus, quod retro dierum in juventute sua fecit, vestræ Caritati referre cupimus. Fuit tamen iste Dux *Boleslaus* (si dicendus est Dux, qui fuit impius atque Tyrannus) sævior Herode, truculentior Nerone, Decium superans scelerum immanitate, Diocletianum crudelitate: unde sibi agnomen ascivit, *Sævus Boleslaus*, ut diceretur. Tantæ tamen fuit severitatis, ut nihil consilio, nihil ratione regeret; sed omnia pro sua voluntate atque impetu animi ageret. Unde factum est, ut in mente conciperet, quo sibi urbem Romano opere conderet: moxque populi primates convocat in unum & usque ad unum; & deducens eos in locum juxta flumen *Labe*, * atque designans locum, aperit eis sui cordis secretum: *Hic*, inquiens, *volo & jubeo, ut mihi opere Romano ædificetis murum urbis nimis altum per gyrum.* Ad hæc illi, *nos qui sumus*, inquiunt, *populi fauces, & tenemus dignitatum fasces, nos tibi abrenuntiamus, quia neque scimus neque volumus facere quod præcipis; neque tamen patres nostri tale quid antea fecere. Ecce in tuis asperitibus assistimus, & potius tuo gladio, quam importabili servitutis jugo, nostra colla submittimus. Fac quid velis: non tamen tuis obtemperamus jussis.* Tunc Dux diram exarsit in iram, & prosiliens fletit in putrido trunco, qui forte tunc ibi jacuit in luto, & evaginato gladio dixit: *O ignavi & patrum ignavorum filii. Si non estis semiviri, aut cultores peripsimate piri, factis dicta comprobate, & utrum gladio an servitutis jugo sit levius colla submittere, tentate.* Erat res spectaculo digna, & audacis procacitate Ducis admiranda. Nam si mille dextras in uno corpore armatas haberet; non in tantum tanta turma hominum trepidaret. Quos ut vidit Dux buxo pallidiores præ timore, unum, qui fuit primus inter seniores, apprehendens per circinnos verticis, ut fortius valuit, percutiens amputavit ceu teneri papaveris caput, & inquit: *sic volo, sic faciam; sit pro ratione voluntas!* Cæteri hoc cernentes sero pœnitentia ducti ceciderunt ad genua Ducis veniam cum lacrymis postulantes. *Jam*, inquiunt, *Domine nostris parce culpis. Jam per omnia tuis obtemperabimus jussis. Jam ultro facimus, quæcunque velis: ne sis nobis ultra crudelis.* Et statim ad Ducis voluntatem ædificant civitatem spissio & alto muro, opere Romano, sicut hodie cernitur, quæ ex nomine sui conditoris *Boleslaum* dicitur. (23)

* i. Albiæ. p. 13.

* forsan.

Boleslau urbs condita.

An. Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXIII. Ungari Orientales Francos & Alamaniam

(21) Eadem ad A. 930. tradit *Reginonis Continuator.* At Chronographus Saxo, ad A. 929: *Otto Magnus*, inquit, EDITH *filiam* ERTHMVNDI, *Regis Anglorum, matrimonio sibi jungendam Saxoniæ advexit.* Imo, Sigebertus Gemblacensis, & Albericus, apud Leibnitium, *T. II. Accessi. Histor.* has nuptias referunt ad A. 934. Scilicet Otto Magnus, Imp. duas habuit uxores: prior fuit filia *Ethmundi*, sive ut aliis appellatur, *Edwardi* Regis Angliæ, & Soror *Ethelstani*, itidem Regis Angliæ. Ejus nomen varie scribitur: modo *Edgida*, in Diplomate, apud Lindenbrogium, inter *privilegia Eccles. Hamb. §. VII.* modo *Euditha*, in Panegyrico Hroswithæ, apud Meibom. *T. I. rer. Germ. p.* 712. modo, *Edith*, in Diplom. apud Leuckfeldum, in *Antiquit. Poeldens. p.* 274. modo, *Otgit*; apud Luitprandum, *Lib. 4. Hist. cap.* 7. Altera vero Ottonis M. uxor fuit *Adelheida*, filia Rudolphi, Regis Burgundiæ, & vidua Lotharii, Regis Italiæ, quam A. 951. in matrimonium recepit. Vid. Odilo, Abbas Cluniacensis, in *Vita S. Adelheidis, Imperatricis*; Reginonis Contin. ad A. 951; Luitprandus, *Libr. 4. cap. 6.* & alii. Conf. Dn. Gundlingius de *Henrico Aucupe*, §. *XXVI.*

(22) Eadem verba exhibet Reginonis Contin. ad A. 931. Eandem Henrici I. victoriam de Danorum & Abodritorum Regibus relatam, horumque ad religionem christianam conversionem, plures alii commemorant scriptores: v. g. Witichindus, *Libr. I. Annal. p.* 639, seq. Adamus Bremensis, *Libr. I. Hist. Eccles. cap.* 48. Item Sigebertus Gemblacensis, Marianus Scotus, Annales Hildesheimenses, Chronographus Saxo, ad A. 931. conf. Dn. Gundlingius in *Henrico Aucupe*, §. *XXVII*, ubi, sub nota (l) negare voluit, Regem Danorum tunc sacris christianis imbutum fuisse.

(23) *Boleslavia* urbs per bellum in acervum lapidum abiit; at ad urbis Regiæ dignitatem *Nova*, seu *Bolislavia Junior* postea ascendit. Balbinus, *Miscell. Libr. III. cap. IV, §. 6.*

atque

atque Galliam devaſtantes, per Italiam rediérunt. (24)

An. Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXIV. Heinricus Rex Ungaros multa cæde proſtravit, plerosque ex eis comprehendit. (25)

An. Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXV. Heinricus Rex paralyſi percutitur.

Otto I. Imp. An. Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXVI. obiit Heinricus Rex, cui ſucceſſit filius ejus Otto Imperator. (26) A

An. Dom. Incarn. DCCCCXXXVII. obiit Arnulfus Rex Bavariæ. (27)

An. Dom. Incarn. DCCCCXXXVIII. Ungari iterum a Saxonibus multa cæde devaſtantur, & filii, Ducis Arnulfi, Regi rebellant Ottoni. (28)

An. Dom. Incarn. DCCCCXXXIX. Ludovicus Rex *Gerpirga* viduam *Giſalbum* duxit uxorem. (29)

An. Dom. Incarn. DCCCCVL. Heinrico fratri Regis Lotarienſis ducatus committitur, & eodem anno inde expellitur. (30) B

An. Dom. Incarn. DCCCCXLI. Heinricus frater Regis cum quibusdam Saxonibus contra Regem conſpirat, ſed nil nocere potuit.

An. Dom. Incarn. DCCCCXLII. Sydus ſimile Cometæ per XIV. noctes viſum eſt, & immenſa mortalitas boum ſecuta eſt. (31)

An. Dom. Incarn. DCCCCXLIII. obiit Otto Dux; cui Conradus, filius Verneri, in ducatu ſucceſſit. (32)

An. Dom. Incarn. DCCCCXLIV. Ungari a Carinthiis multa cæde maſtantur.

An. Dom. Incarn. DCCCCXLV. Bertholdus Dux Bavariæ obiit, cui Heinricus frater Regis ſucceſſit. (33)

An. Dom. Incarn. DCCCCXLVI. Ludovicus Rex a ſuis regno expellitur.

An. Dom. Incarn. DCCCCXLVII. Edid Regina obiit. (34 a)

An. Dom. Incarn. DCCCCXLVIII. Synodus in Ingelenheim a XXX. numero Epiſcopis habita eſt. (34 b)

An. Dom. Incarn. DCCCCXLIX. Ludolfo filio Regis Mehtildis filia naſcitur. (35)

An. Dom. Incarn. DCCCCL. Dux Boemorum Boleslaus Regi rebellavit, quem Rex valida manu adiit, ſuæque per omnia ditioni ſubjugavit. (36)

---

(24) Vid. Frodoardus, apud Pithœum, *pag.* 132.

(25) Hæc ipſa tradit Reginonis Continuator, ad h. a. Conf. Luitprandus, *Libr.* 2. *Hiſt. cap.* 108. Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacenſis, Albertus Stadenſis, ad A. 934. Otto Friſing. *Libr. VI. Chron. cap.* 18. Dn. Gundlingius, l. c. §. XXXI.

(26) Omnes coævi ſcriptores hunc annum Henrici emortualem deſignant, exceptis Lamberto Schafnaburgenſi, Annalibus Hildesheimenſibus, & Alberto Stadenſi, qui fortaſſe ex alia computandi ratione, annum 935 ponunt; itemque Sigeberto Gemblacenſi, & Alberico, Monacho trium fontium, qui mortem Henrici ad A. 937, referunt; quos vero refutat Dn. Gundlingius, vir de omni genere elegantioris literaturæ immortaliter meritus, l. c. §. XXXV, demonſtratque fide Diplomatum ſcriptorumque veterum, Henricum Aucupem utique A. 936, VI quidem Nonas Julii, Mimlebii in Thuringia morti occubuiſſe.

(27) *Arnulphum*, ſive *Arnoldum*, Ducem Bavariæ, mortuum eſſe *A. 937, pridie Idus Julii*, conſtat etiam ex Wittechindo, *Libr. III. Annal. p.* 663; & Necrologio Fuldenſi, apud Leibnitium, *T. III. rer. Franſvic. p.* 763. & Reginonis *Contin. p.* 75.

(28) De iſta rebellione Eberhardi, Arnolphi, & Hermanni, filiorum Arnulphi, Ducis Bavariæ, memorant etiam Wittechindus, *Libr. III. Annal. p.* 644. Hermannus Contractus, ad *A.* 937. Ditmarus, *Libr. II, p.* 23.

(29) Hæc ita legimus in Reginonis *Continuat. ad A.* 939, *p.* 76: *Ludovicus Rex Gerbirgam, viduam Gisalberti duxit uxorem.* Nimirum *Gerbirga* illa fuit filia Henrici Aucupis ex Mathilda nata, quæ A. 929. nupſerat *Giſelberto*, Lotharingiorum Duci; &, hoc defuncto, A. 939, Ludovico, Regi Galliæ. Vid. Witichindus, *Libr. I. Annal. p.* 637. & *Libr. II, p.* 648. Frodoardus apud Pithœum *p.* 148. Auctor Geſtorum Imperatorum, apud Leibnitium, *T. I. rer. Brunſvic. p.* 707. Gisalberti nomen apud Cosmam mirifice ſcribitur *Gisalbum*; quamquam & alias modo *Giſilbertus*, modo *Kisalbertus*, modo *Giſilbrachtus*, modo *Giswertus*, modo *Gilbertus* dicatur.

(30) *Henricus* hic, *Rixoſus* cognominatus, fuit filius Giſilberti atque Gerbergæ. Vid. Auctor *Geſtorum Imperatorum*, apud Leibnitium, *T. I. rer. Brunſvic. p.* 708 Frodoardus *ad A.* 940, *p.* 150. Auctor *Fragmenti Hiſtor. Franciæ*, apud Du Chesne, *T. III, p.* 340. Reginonis *Continuat. p.* 76.

(31) Eadem leguntur in Reginonis *Contin.* ad h. a. *p.* 77.

(32) Hæc ad A. 944 refert Albericus, p. 281. *Otto*, inquit, *Dux Lotharienſium poſt annum obiit; Conradus* (Cono) *Wormacenſis, Gener Ottonis* (Imperatoris) *ei ſuccedit.* Item, Sigebertus Gemblacenſis, *p.* 581. At cum Cosma conſentiunt Hugo Flaviniacenſis, & Continuator Reginonis. In Wecheliana editione Cosmæ, numerus anni corrupte exſcriptus erat DCCCCLIII

(33) Tempus mortis *Bertholdi* varie deſignant ſcriptores; cum Cosma conſentiunt: Reginonis *Continuator, Chronographus Saxo*, & *Witichindus.*

(34. a) Uxor Ottonis M. *Edid*, quam Cosmas ſupra ad A. 930, ſcripſerat *Elgiel*, A. 947. d. 26. Januar. mortua eſt, teſte Witichindo, *Libr. II. Annal. p.* 650. De ejus anno emortuali diſquirit Dn. Gundlingius, in *Henrico Aucupe*, §. XXVI, (s)

(34 b) *Concilium Engilenheimenſe* celebratum eſt Indictione VI, ſeptimo Idus Junias, anno Chriſti DCCCC XLVIII. Quid ibi actum ſit commemorat Flodoardus, *Libr. IV. Hiſtor. Remenſis, cap. XXXI.* In compendio refert Annaliſta Saxo, ad A. 948. *Synodus* inquit, *Ingelheim a XXXIV Epiſcopis habetur, cui præſidente Marino, Epiſcopo, Romanæ Eccleſiæ legato, inclyti Reges, Ludwicus, & Otto, aſſuerunt, in qua multis Eccleſiaſticæ utilitatis rebus diſcuſſis, cauſſa quoque Hugonis filii, Heriberti, qui Artaldum Archiepiſcopum expellens, ſedem Eccleſiæ Remenſis invaſerat, ventilatur, & omnium, qui aſſuerant, Epiſcoporum judicio condemnatur.* Plura de hoc Synodo legere licet *Tom. VI, P. I. Concil. p.* 603, ex editione Hardvini.

(35) *Ludolphus* hic fuit filius Ottonis M. & Edgidæ; qui ex conjuge ſua, *Ida*, Hermanni, Alemanniæ Ducis, filia, procreavit *Mechtildem*; cujus meminit & Quedlinburgenſe Chronicon, p. 279.

(36) Idem tradit Albericus p. 287. & Reginonis *Contin.* ad h. a. Conradus Urſperg. in *Vita Ottonis I, p.* 155. Item Ditmarus, ſub initium *Libr. II. Bohemorum Ducem*, inquit, *Wenceslaum, Boleſlaus nefandus, fratrem Domino ac Regi* (Ottoni Magno) *perimens fidelem, reſtitit multo tempore audacter, & poſtea devictus a Rege viriliter, fratri ſuimet Henrico, Bavariorum duci, ad ſervandum traditus eſt.* Conf. *Annaliſta Saxo*, ad A. 950.

An. Dom. Incarn. DCCCCLI. Rex Otto in Italiam perrexit. (37)

BOLESLAUS II. Dux Syl. c. 16. Dubra lib. 6.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXVII. Idibus Julii, Dux, cui agnomen *Sævus Boleslaus* male meritum fraterno sanguine ducatum cum vita amisit: cui filius ejus æquivocus in principatum successit, multum dissimilis patri, moribus bonis & conversatione spirituali. O mira Dei clementia! o quam incomprehensibilia ejus sunt judicia! ecce de rubo uva, de spinis rosa, de tribulis ficus gignitur generosa; videlicet de fratricida prodit Christicola, de lupo agnus, de Tyranno modestus, de impio Boleslao pius nascitur *secundus Boleslaus dux*, nulli probitate secundus. (38) Neque eum contaminat iniqui patris æquivocatio, in quo verus Christi feruebat amor, & pura dilectio; Sicut multi nomina sanctorum sortiuntur, nec tamen sanctitatem assequuntur: quoniam neque sanctitas neque iniquitas ex nomine, sed pro merito hæc utraque dignoscuntur in homine.

p. 14.

Erat autem iste Princeps secundus *Boleslaus* vir Christianissimus, fide catholicus, pater orphanorum, defensor viduarum gementium, consolator clericorum, & peregrinorum pius susceptor, Ecclesiarum Dei præcipuus fundator. Nam ut in privilegio ecclesiæ sancti Georgii legimus, XX. ecclesias Christianæ religioni credulus erexit, & eas omnibus utilitatibus, quæ pertinent ad ecclesiasticos usus, sufficienter ampliavit. Hujus fuit germana soror nomine *Mlada*, * virgo Deo devota, sacris literis erudita, Christianæ religioni dedita, humilitate prædita, alloquio blanda, pauperibus & orphanis fautrix larga, ac omni morum honestate decorata. Quæ dum causa orationis Romam veniret, benigne ab Apostolico suscipitur: ubi tempore aliquanto degens, monasticis sat disciplinis imbuitur. Et ad ultimum domnus Papa suorum Cardinalium consilio nimio volens novæ Ecclesiæ benigniss. subvenire suffragio, consecrat eam Abbatissam, mutato nomine *Maria*, dans ei sancti Benedicti regulam & Abbatialem virgam. Post hæc nova Abbatissa novam & sanctam illatura Bœmiæ terræ monachicam regulam, accepta licentia & benedictione Apostolica, equitat in dulcem patriam cum suo comitatu valde lætificato. Ventum erat ad regiam urbem Pragam, & Dux Boleslaus diu desideratam honorifice recepit sororem amantissimam, & inter se manibus consertis subeunt regalia tecta: ubi simul residentes, diu mutuis alternatim sermonibus dum fruuntur, dum multa, quæ vidit Romæ, sive audivit, relatione digna & admiratione, fratri suo refert, insuper literas ex parte Apostolici sibi directas obtulit, quarum formula hujusmodi fuit: IOHANNES, (39) *servus servorum Dei, Boleslao, catholicæ fidei alumno, Apostolicam benedictionem. Iustum est, benevolas aures justis accommodare petitionibus: quia Deus est justitia, & qui diligunt Deum, justificabuntur, & omnia diligentibus Dei justitiam cooperantur in bonum. Filia nostra, tua relativa, * nomine Mlada, quæ & Maria, inter cæteras haud abnegandas petitiones cordi nostro dulces intulit ex parte tui preces, scilicet ut nostro assensu in tuo principatu, ad laudem & gloriam Dei, ecclesiæ liceret fieri episcopatum. Quod nos utique læto animo suscipientes, Deo grates retulimus, qui suam Ecclesiam semper & ubique dilatat & magnificat in omnibus rationibus. Unde, Apostolica autoritate & sancti Petri Principis Apostolorum potestate, cujus licet indigni tamen sumus vicarii, annuimus & collaudamus atque incanonizamus, quo ad ecclesiam sanctorum Viti & Wenceslai martyrum fiat sedes Episcopalis, ad ecclesiam vero sancti Georgii martyres sub regula sancti Benedicti, & obedientia filiæ nostræ Abbatissæ Mariæ constituatur congregatio sanctimonialium. Verumtamen non secundum ritus aut sectam Bulgariæ gentis, vel Russiæ, aut Sclavonicæ linguæ;* (40) *sed magis sequens instituta & decreta Apostolica, unum potiorem totius ecclesiæ ad placitum eligas in hoc opus clericum, Latinis apprime literis eruditum, qui verbi vomere novalia cordis gentilium scindere, & triticum bonæ operationis serere, atque manipulos frugum nostræ fidei Christo reportare sufficiat. Vale.* Et statim, ut jussum fuerat, consilio ducis & Abbatissæ ecclesia sancti Viti decernitur futuro Episcopo: ecclesia vero sancti Georgii Martyris ad præsens datur Abbatissæ, Ducis sorori, Mariæ. Igitur quidam de Saxonia vir miræ eloquentiæ & literalis scientiæ, nomine *Diethmarus*, presbyter promotione, Monachus professione, (41) olim in antea diebus causa orationis venerat Pragam: qui dum ducis secundi Boleslai veniret ad notitiam, in brevi tempore magnam ejus gratiam adeptus fuerat & amicitiam. Et quoniam Sclavonicam perfecte linguam sciebat, hunc per suos legatos dux advocat, clerum, primates terræ & populum convocat atque suis precibus & monitis efficit, ut eum sibi in episcopum omnes communi assensu eligant. Postera autem die, ut Duci placuit, favorali acclamatione ab omnibus in Episcopum *Diethmarus* eligitur, & ad Imperatorem Christianissimum, Ottonem, filium Henrici Imperatoris, ex parte Ducis & totius cleri atque plebis cum his transmittitur

*vil. Milada.

*l. forte.

Diethmarus Episc. Pr. gens.

A B C D

(37) Hæc copiosius enarrant: Leo Ostiensis, *Libr. I. Chron. cap. ult.* Frodoardus, *ad A. 951. p. 183.* Reginonis *Continuator ad h. a.* Hroswitha, apud Meibom. *T. I. rer. Ger. p. 719. seqq.* Otto Friling. *Libr. VI. Chron. cap. 19. &c.*

(38) In Boleslao II laudando præter Cosmam, seduli fuere; Æn. Sylvius, in *Boleslao Pio*; Dubravius, *libr. VI*; Hagecius, *ad A. 969*; Balbinus, *Epit. rer. Bohem. libr. II. cap. 9. &c.*

(39) Johannes XIII. eo tempore sedit Romæ. At apud Goldastum, de *regno Bohem. libr.* V. *cap.* 4. vitiose hic Papa scribitur *Johannes* IX. Hujus Papæ literas refert etiam Annalista Saxo, *ad A. 967.*

(40) Censente Balbino, *Epit. rer. Bohem. libr. II. cap. 9.* Johannes XIII, P. R. ea de causa cavit, ne *Bulgarorum*, aut *Russorum*, sed *Ecclesiæ Romanæ cærimoniis*, futurus præsul uteretur in sacris, quod a SS. Cyrillo & Methodio accepta religione, Bohemi Sacerdotes Slavicam linguam in templis adhuc adhiberent; quem morem abrogare, eique latinam supponere, Pontifex cupierit.

(41) Magdeburgo ex cœnobio, quod S. Petri, Mauricii, & Innocentis honori, Otto I, Imp. fundarat, hic *Ditmarus*, Saxo non Canonicus Regularis, sed S. Benedicti Monachus Pragam venerat, annotante Balbino, l. c. Conf. Pontanus in *Bohemia Pia, fol. 35.*

Imp. instituitur. titur literis: *O glorioſiſſime Imperator, & Chriſtianæ religionis maxime cultor, ſuſcipe noſtras clemens & totius cleri atque populi preces, & hunc virum per omnia probatum nomine Diethmarum, quem nobis in paſtorem eligimus, veſtra ſanctiſſima collaudatione ac juſſione, ut ordinetur in epiſcopum, ſuppliciter exoramus.* Tunc Imperator, ſicut erat divinæ legis amator, conſilio Ducum & Principum, ſed præcipue Præſulum, conſulens ſaluti & novitati Chriſtianæ plebis, juſſit Moguntinum Archiepiſcopum (42) (qui tunc præerat Curti) * ut eum ordinaret in Epiſcopum. Tunc præſul mitra reditimus, novus novam redit lætus totius Boemiæ in Parochiam; atque ut ventum eſt Metropolim Pragam, juxta altare ſancti Viti inthronizatus ab omnibus, clero modulante *Te Deum laudamus.* Dux autem & primates reſonabant, *Chriſte Keynado*, * & cætera, ſimpliciores autem & idiotæ clamabant *Kyrieeleyſon*: & ſic ſecundum morem ſuum totam illam diem hilarem ſumunt.

Curiæ Cancellarius.

p. 15.

Kyrieeleyſon.

Et anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVIII. obiit *Wolkomes.*

Poſt hæc Præſul *Diethmarus* eccleſias a fidelibus in multis locis ad Dei laudem conſtructas conſecrat, & populum gentilem baptizans quam plurimum facit Chriſto fidelem: nec poſt multos dies,

Anno ſcilicet Dominicæ Incarnationis DCCCCLXIX, IV. Nonas Ianuarii vinculis carnis abſolutus, talentum ſibi creditum Chriſto reportavit centuplicatum. Interea rediens Philoſophiæ de caſtris, ubi decem aut plus militaverat annis, ſecum haud modicam librorum copiam referens aderat ſpectabilis heros, nomine *Woytech*, adhuc ordine ſubdiaconus; qui velut tener agnus, inter oves ſui paſtoris ſuper morte mœrentes, ſedulus exhibebat exequias funebres, orationibus diurnis inſtans ſimul ac nocturnis, animam patris univerſalis eleemoſynis commendabat Deo largis, & precibus ſacris. Quem Dux Boleslaus & ejus optimates virum bono opere devotum cernentes, & in futurum devotiorem fore ſperantes, gratia ſpiritus ſancti inſpirante, juvenem nimis reverenter rapiunt, & adducunt in medium, atque inquiunt: *Nolis, velis, noſter Epiſcopus eris, & Pragenſis vel invitus Epiſcopus vocaberis. Tua nobilitas, tui mores & actus optime concordant cum honore Pontificatus;* tu nobis talos a vertice notus ad imos. *Tu bene ſcis nobis pandere viam, qua itur ad cæleſtem patriam. Juſſa tua nobis quam poſſe ſequi tam velle neceſſe eſt. Te dignum omnis clerus, te univerſus idoneum epiſcopatu acclamat populus.* Facta eſt autem hæc electio non longe ab urbe Praga Leuigradec in oppido XI. Kal. Martii, eodem, quo obiit Diethmarus, tempore & anno. (43 a)

Adalbertus Epiſc. Prag. cujus vita apud Bed. & Adon. Sat. To. 2.

Ea tempeſtate rediens de Saraceno bello adiit Veronam urbem præcellentiſſimus Imperator *Otto ſecundus*, pacis amator, juſtitiæ cultor, glorioſiſſimo patre primo Ottone glorioſior, qui in omnibus præliis extitit victorioſiſſimus victor. Ad quem Sclavonica manus Boemiæ cum electo pergit Epiſcopo, ferens ex parte Ducis legationem, & totius cleri atque populi petitionem, quo imperiali nutu eorum communem confirmat electionem. Igitur ſereniſſimus Imperator condeſcendens eorum dignæ petitioni, III. Non. Junii dat ei annulum & paſtoralem virgam: & cujus ſuffraganeus erat *Willigiſus*, Moguntinus Archipræſul, qui ibi forte aderat, juſſu Imperatoris conſecrat eum in Epiſcopum, nomine *Adalbertum.* (43 b) Nam Archipræſul *Adalbertus* Magdeburgenſis Eccleſiæ olim confirmans chriſmate, hoc proprio ſuo vocitarat eum nomine. Conſecratus autem III. Idus Junii cum ſuis ſequentibus equitat in ſuam dulcem patriam, & ut pervenit ad civitatem Pragam, nudo pede & humili corde, clero & omni plebe præ lætitia modulante, epiſcopalem obſedit Cathedram. Hujus tam præclari paſtoris *Adalberti* conſilio, & prædictæ atque dilectæ ſuæ ſororis Abbatiſſæ *Mariæ* interventu, (44) Dux *Boleslaus*, quicquid præſul Pragenſis usque hodie in ſuo poſſidet vel obtinet epiſcopio, vel quicquid Abbatiſſa optavit dari & fieri utilitatis in ſuo cœnobio, gratuita utriusque conceſſit pietate, & canonum ſacra confirmavit auctoritate.

Otto Imp.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXX.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXI.

(42) Moguntinus ille Archiepiſcopus a Weleslavino *in Calend. Hiſtor. 2 Januar.* appellatur *Hatto*; a Fabricio, *libr.* II. *Saxon. Robertus.* Serrarius, *libr.* IV. *rer. Mogunt.* & Pagius, ad Baronium. A. 968, eum nominant *Wilhelmum*, qui, probante Serrario, ab A. 954 ad A. 968 numeri iſti præfuit. At Hatto II, referente Sigeberto, & auctore *Annal. Hildesheimenſ. p.* 719, obierat A. 969: aut, ſecundum Marianum, & Necrologium Fuldenſe, A. 970; poſtquam ab A. 668 Archiepiſcopatui præfuerat. Contra *Robertus*, ſive *Rupertus*, qui Hattoni II. ſucceſſerat, vita functus eſt A. 975; quod comprobat Dn. Johannis, in *notis ad Serarium*, *T. I. rer. Mogunt. p.* 447. Si ergo Ditmarus mortuus ſit A. 969; (niſi forte numeri annorum turbati ſint in Cosma;) facile patet, Ditmarum potius conſecratum fuiſſe ab Hattone II. Balbinus hic nihil definit.

(43 a) Hunc locum Cosmæ ſic corrigit Annaliſta Saxo, ad A. 982: *Sciendum, quod Coſmas, Pragenſis Eccleſiæ Decanus, hanc electionem & conſecrationem Adelberti anno Dom. incarn. 969. aſcribit, cum commentus ille poſt bellum Saracenorum Veronæ ab Ottone II. habitus, cujus ipſe in eodem loco meminit, Dominicæ incarnationis Anno 983 acciderit.*

(43 b) Balbinus, *Epitom. rer. Bohem. Libr. II, cap. XI*, multis probare nititur, *S. Adelbertum*, non A. 969, ut Hagecius, & qui eum ſequuntur; ſed annis X aut XI poſt, anno ſcilicet 979, Epiſcopum electum, & anno ſequenti, ut Baronius ſcripſerit, in urbe Veronenſi, virga paſtorali tradita; non ab Ottone I. Imperatore, ſed ab ejus filio, Ottone II, poſſeſſionem accepiſſe; adeoque errorem in vetuſtos Cosmæ noſtri Codices irrepſiſſe, ex imperitia librariorum, qui ex anno DCCCCLXXIX, una litera X omiſſa, annum fecerint DCCCCLXIX. Sic & auctor vitæ S. Adalberti apud Surium, *T. II. Menſe Aprili*, refert, iſtum Epiſcopum Pragenſem anno demum 978 a Willegiſo, Archiep. Mogunt. inauguralem fuiſſe. Reſpice notam noſtram proxime præcedentem.

(44) *Mariæ* hæc, Boleslai Ducis filia, antea *Mlada*, vel *Milada*, dicta, fertur A. 994, d. 8. Februarii, obiiſſe, & Beatæ titulum promeruiſſe. Balbinus, *Libr. IV. Miſcell. §. XIII. p.* 24.

Anno Dom. Incarn. DCCCCLXXII. sanctus *Oalricus* (45) migravit a sæculo.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXIII.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXIV.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXV.

Dubrauka ducissa. Anno Dominicæ Incarn. DCCCCLXXVI. obiit *Dubrauka*. (46) quæ quia nimis improba fuit, jam mulier provectæ ætatis cum nupsisset A Polonienſi Duci, peplum capitis sui deposuit, & puellarem coronam sibi imposuit: quod erat magna dementia mulieris.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXVIII.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXIX.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXX.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXXI. obiit *Zlaunik*, pater sancti *Adalberti*: cujus de moribus & vita licet plurima eniteant memoriæ digna, ex B quibus tamen ut referamus pauca, cœpta intermittimus nostra. Erat enim vir lætissimus ad omnes facie, in consiliis serenissimus, vitæ alloquiis blandissimus, locuples divitiis quam sæcularibus tam spiritualibus. In domo illius honestas fulgebat, & sincera dilectio, judiciorum p. 16. rectitudo, & procerum multitudo. In operibus ejus erat legum cognitio, pauperum refectio, mœrentium consolatio, peregrinorum receptio, C viduarum & orphanorum defensio. Hujus tam insignis Ducis Metropolis fuit *Lubic*, sita loco, ubi amnis *Cidlina* nomen perdit suum, intrans liberioris aquæ in fluvium *Labæ*. Habuit autem sui Principatus hos terminos: Ad occidentalem * *al. Surina.* plagam contra Boemiam rivulum * *Surma*, & castrum quod est situm in monte Osseka juxta flumen *Msam.* (**) Similiter plagam ad Austra- ** *al. fl. Ni-* lem contra Theutonicos orientales has urbes ha- *sam.* buit terminales, *Hinou*, *Dudlebi*, *Netholici*, usque ad mediam sylvam. Item solis ad ortum contra Moraviæ regnum castrum sub sylva situm Lutomis, vel usque ad rivulum Suttava, qui est in media sylva. Item ad Aquilonalem plagam contra Poloniam castellum Kladsco, situm juxta flumen nomine Nizzam. Hic Dux *Zlaunik*, quam diu vixit, feliciter vixit.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXXII. (48 a)

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXXIII.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXXIV. (48 b) obiit Romæ Cæsar *Otto secundus*. Huic Imperatori Adalbertus Præsul Pragensis adeo fuit familiaris & carus obsequiis, ut in Pascha, quod tum celebravit Rex Aquisgrani, in palatio coram omnibus Episcopis *hac cum officii celsitudine sublimaret*; quo sibi coronam imponeret, & majorem missam celebraret, quod solum fas erat, ut Archiepiscopus faceret. Post festum vero, cum jam accepisset a Cæsare licentiam redeundi ad patriam, sevocat eum Cæsar in secretarium: & faciens suorum confessionem peccatorum, commendat se piis recordationibus ejus orationum. Insuper dat ei paramenta, in quibus missam celebraret in Pascha, scilicet albam Dalmaticam, Casulam, cappam, & facitergium, quo ea habeat sui ob memoriam. Quæ usque hodie in Pragensi Ecclesia honorifice habentur, & dicuntur *paramenta sancti Adalberti*.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXXV. (48 c)

---

(45) Per *Oalricum* hunc sine dubio significatur *Udalricus*, sive S. *Ulricus*, Augustanæ Ecclesiæ Episcopus; qui vero in *Vita*, quam ex antiquo Codice edidit Welserus, non Anno 972; sed A. C. 973, *ætatis* 83, *ordinationis* 50, *quarto die Julii*, *die Veneris*, obiisse dicitur. Conf. Ditmarus *reslit. Libr. III. p.* 343. In editione Wecheliana Cosmæ, numerus huius anni plane corrupte legebatur DCCCCII.

(46) Hæc *Dubrauka* Ditmaro, *Libr. IV. Hist.* apud Leibnitium, p. 359, dicitur *Dobrauva*; alias etiam scribitur *Daubrawka*, vel *Dambrozka*. Fuit Filia *Boleslai* Sævi Ducis Bohemiæ; quæ nupserat *Meseconi*, sive *Meczislao*, Duci Poloniæ, eique pepererat *Boleslaum*, *Chrobry* cognomine, Regem Poloniæ. Eam ab insimulata superbia & improbitate adversus Cosmam defendendam suscepit Balbinus, *Libr. II. Epitom. rer. Boh. cap. VII*; propterea, quod connubio suo universam Poloniam adduxerit ad Christum. Eidem & Ditmarus l. c. egregium tribuit elogium. Ceterum ad hunc annum 976, Annalista Saxo ea refert, quæ Ditmarus, apud Leibnitium *p.* 342, de Henrico Duce Bavariæ, commemorat, quem ait in Bohemiam ad Boleslaum confugisse, & ab Imperatore armis petitum fuisse.

(47) *Zlaunik*, sive *Slaunicus*, sive, ut a Dubravio nominatur, *Slavonicus*, Comes Libicensis fuit; quem Nepotem Henrici I, ex Sorore genitum, vetustissima *S. Adalberti Vita* appellat. Quomodo is tot tantasque Bohemiæ terras, quot enumerat Cosmas, tenuisse dici potuerit; disquirit Balbinus, *Epitom. rer. Bohem. Libr. II, cap. XII.* Ab Annalista Saxone, ad A. 981, idem dicitur *Dux Slaswic.*

(48 a) Non hic omittenda sunt, quæ prætermisit Cosmas; sed ad A. 982, Chronographus Saxo; ad annum autem 983, Annalista Saxo, annotarunt. Hic vero: *Temporibus his*, inquit, *Cicensis Ecclesia a Boemiorum exercitu, Duce Dedone, filio Theoderici, qui postea comitatum, qui inter Wipperam & Salam & Saltam & Wellerlike fluvios, jacet, obtinuit, quique Thietburgam, Theoderici Ducis, etiam Marchionis, filiam duxit, capta est & deprædata, Hugone primo tunc Episcopo hinc effugato. Qui Dedo natus ex Theodorico, egregiæ libertatis viro, fratrem habebat Fridericum, virum valde prudentem. Dedo quidem serviebat Riddago Marchioni, etiam in hac deprædatione Circensis Ecclesiæ matrem suam hostis, non filius, cum cætera captivam turba, abduxit. Postmodum reconciliatus, tertii Ottonis Imperatoris homo effectus est, & in tempore parvo gratiam, etiam familiaritatem ejus, promeruit; cujus etiam posteri inter Principes Saxoniæ nobilissime floruerunt.* Conf. Ditmarus Merseburgensis, apud Leibnitium, *pag.* 345.

(48 b) Eundem annum 984 obitus Ottonis II, Imp. annotavit etiam Otto Frisingensis, *Libr. VI. Chron. cap.* 25; idem & Auctor *Chronici Sclavici*, *cap. X. apud Lindenbrogium*, *p.* 192. Ditmarus autem, *Libr. III. in fine p.* 54, Annum 983, d. 7. Decembris designat; quem & alii sequuntur. Ceterum ad hunc annum 984 Annalista Saxo ea refert, quæ Ditmarus Merseb. *libr. IV*, *p.* 348, de *Boleslao*, & fatis urbis *Missenæ* commemorat.

(48 c) Ad hunc annum 985, ista legimus in Annalista Saxone: *Celebrata est Paschalis solennitas in Quidelingeburg a Rege. — — Illuc etiam Bolizlavus & Miseco cum suis convenerunt. — — Ekkihardus, Guntharii filius, factus Marchio, Misnam civitatem a Bolizlao Duce recepit.* Conf. Ditmarus apud Leibnitium, p. 249.

Anno Dom. Incarn. DCCCCLXXXVI.

Ann. Dom. Incarn. DCCCCLXXXVII. obiit *Zrzezislava*, (49 a) sancti Adalberti mater, venerabilis & Deo acceptabilis matrona, tantæ etiam sanctæ sobolis dici mater & esse digna.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXXVIII.

An. Dom. Incarn. DCCCCLXXXIX.

An. Dom. Incarn. DCCCCXC. *S. Adalbertus* Romæ ad sanctum Alexium, inscio Abbate, quis esset, factus est Monachus.

An. Dom. Incarn. DCCCCXCI.

An. Dom. Incarn. DCCCCXCII.

An. Dom. Incarn. DCCCCXCIII.

An. Dom. Incarn. DCCCCXCIV. (49 b)

Nec transiliendum censeo, quod ab aliis prætermissum video. Nam præsul *Adalbertus* videns, quod grex sibi commissus semper in præcipitium iret, nec eum ad rectam viam convertere quiret, timens, ne & ipse cum pereunte plebe periret, non ausus est cum eis amplius stare, nec passus est suam ulterius incassum prædicandi operam dare. Sed cum jam Romam iter arripere vellet, forte fortuna tempore in ipso *Ztrabquas* (de quo supra retulimus) sui Abbatis cum licentia venerat de Ratisbona, post multos annos visere patriam dulcem, & cognatos, atque fratrem suum Boemiæ Ducem. Cum quo vir Dei, præsul Adalbertus, secretum petiit, & colloquium tenuit, multa conquestus de infidelitate & nequitia populi, de incesta copula & super illicita dissidia inconstantis conjugii, de inobedientia & negligentia cleri, de arrogantia & intolerabili potentia comitum. Ad ultimum omnem intentionem sui cordis sibi aperuit, quod vellet Romam Apostolicum consultum ire, & ad gentem apostaticam nunquam redire. Inter hæc & ad hæc hæc addidit: *Et bene est*, inquit, *quod tu frater noscaris esse ducis, & hujus terræ ex dominis originem ducis. Te plebs ista mavult dominari, & tibi magis obedire, quam mihi. In consilio & auxilio tui fratris superbos comprimere, negligentes arguere, inobedientes corrigere, infideles increpare poteris. Tua dignitas & scientia, tui habitus sanctimonia, multum concordant ad pontificalia regimina. Quod ut fiat, ego tibi Dei voluntate & mea potestate concedo, & ut liceat, me vivente istic episcopus ut sis, apud Apostolicum omnibus votis intendam.* Et quem forte manu tenebat episcopalem baculum, ponit sibi in sinum. Quem ille quasi furibundus in terram projecit, & hæc verba insuper adjecit: *Nolo aliquam dignitatem in mundo, honores fugio, pompas sæculi despicio: indignum me judico episcopali fastigio, nec tantum pondus pastoralis curæ ferre sufficio. Monachus sum, mortuus sum: mortuus sepelire non possum.* Ad hæc præsul respondit: *Scias frater, scias, quod modo non facis cum bono, facies autem postea, sed cum tuo maximo malo.* Et post hæc Præsul, ut proposuerat, Romam iter arripuit, & gentem suis præceptis inobedientem reliquit. Et quia tunc temporis Dux non erat suæ potestatis, sed Comitum; Comites versi in Dei odium, patrum iniquorum pessimi filii, valde malum operabantur facinus & iniquum. Nam sub quadam festiva die furtim irrumpunt urbem *Lubic*, in qua fratres sancti Adalberti, & milites urbis universi, velut oves innocentes assistebant sacris missarum solemniis festa celebrantes. At illi ceu lupi immanes urbis mœnia irrumpentes, masculum & fœminam usque ad unum interficientes, universis fratribus sancti Adalberti cum omni prole ante ipsum altare decollatis, urbem comburunt, plateas sanguine perfundunt, & cruentis spoliis ac crudeli præda onerati hilares ad proprios redeunt lares. Interfecti sunt autem in urbe Lubic quinque fratres sancti Adalberti.

Ztrabquas.

Anno Dom. Incarn. DCCCCXCV. quorum nomina sunt hæc: *Sobebor, Sprumur, Drobozlau, Poreji, Cazlau.* (50)

His ita peractis, Dux *Boleslaus*, inito consilio cum clericis, Moguntinum Præsulem his sollicitat verbis: *Aut nostrum pastorem Adalbertum ad nos revoces, quod magis volumus; aut alium nobis in loco sui ordines, quod inviti poscimus. Nam Christi ovilia adhuc in hac gente fidei novicia, nisi eis adsit vigilans pastoris custodia, cruentis lupis optima recta sient edulia.* Tunc Metropolita Moguntinus sollicitus, ne populus nuper a Christo adquisitus relapsus in antiquos pereat sacrilegos ritus, mittens Legatos ad Apostolicum clamat, ut aut viduatæ Pragensi Ecclesiæ maritum remittat, aut alium in loco sui ordinari permittat. Et quoniam servus dei, *Adalbertus*, jussu Apostolici factus liber a custodia gregis dominici in Cœnobio sancti Alexii cum senatoribus cœli infra amœnam curiam terreni conversabatur Elysii; hunc dominus Papa, suus & pius insimul Abba *talibus alloquiis mœstum solantur amicis: O fili dulcissime, & frater amantissime, per caritatem dei te deprecamur, & per amorem proximi obtestamur, vel ad tuam parochiam dignanter redeas, regimenque tuarum ovium diligenter recipias. Si te audierint, deo gratias: si te non audierint, fugientes te fugias, ne cum pereuntibus pereas, & ad nationes exteras prædicandi licentiam habeas.* Hac præsul valde exhilaratus sententia, quod sibi data sit docendi exteras gentes

p. 17.

(49 a) *Strzezislava*, scribitur etiam *Stieslava*, teste Christanno, ex Ducibus Bohemiæ orta, fuit Boleslai I filia.

(49 b) Ad hunc annum & illa pertinent, quæ memorat Annalista Saxo. *Rex*, inquit, *cum exercitu terras Slavorum invadens, Abodritos vastavit, urbes & oppida destruxit, licet motum illorum nullo modo compresserit; occurritque ei in auxilium Bolizlai filius, Misaco, cum magno exercitu; nec non Boemi, cum filio alterius Bolizlai, venerunt, recepitque se Rex in Saxoniam cum exercitu incolumi.* Sed & ea faciunt ad res Bohemicas illius temporis illustrandas, quæ refert Ditmarus, *libr. V. p. 366.* apud Leibnitium, quamquam anno rei gestæ non annotato: *Ekkibardus*, inquit, *Marchio, Bojemorum Ducem, Bolizlaum, qui cognominatur Rufus, ad militem sibi, aliumque ad amicum familiarem, blanditiis ac minis adipiscitur.*

(50) Ista nomina quinque fratrum uterinorum S. Adalberti, sic, citante Balbino, recenset Pulkawa, in *Hist. Bob. cap. 23*: *Sseborum, Spitimirum, Bohuslaum, Borzitam*, & *Czaslaum.* Paullo aliter Dubravius, *libr. VI. Hist. Bob.*

licentia

licentia, non sine magna mœstitia fratrum dulcia linquit consortia. Et cum viro summæ discretionis præsule; nomine *Nothario*, adiens Archiepiscopum Moguntinæ urbis in palatio rogat, quò per ejus missos scire posset, si se suus grex recipere vellet. Quo facto, quid sibi suus grex responderit, aut quam ob causam eum non receperit, vel ad quas gentes inde transierit, quantæ etiam frugalitatis omnibus diebus sui episcopii fuerit, quanta morum honestate enituerit; scire poterit, qui vitam ejus seu passionem legerit. Nam mihi jam dicta bis dicere non placet ista.

Tunc *Ztrahquaz*, frater Ducis (de quo supra meminimus) videns Episcopum, quasi jure & regulariter a sua plebe repudiatum, tumido fastu exarsit in episcopatum. Et quia facile est volentem cogere, protinus hunc idiotam & sycophantam populus nequam in episcopalem locat cathedram. Sic enim Deus, sic sæpe permittit per sui providentiam pravorum hominum invalescere potentiam, sicut in hac irregulari electione *f. judicia.* ludicitus * prævaluere Cereris generi. Nam fuit hic *Ztrahquas* veste compositus, mente tumidus, actibus dissipatus, oculis vagus, verbis vanus, moribus hypocrita, & totius erroris mandrita, atque in omnibus operibus malis iniquorum archigeronta. *Plura referre pudet Ztrahquaz de Præsule pseudo.* Sufficiant pro multis pauca. Ventum erat Moguntinæ sedis ad episcopum: (51) ubi peractis omnibus, quæ agenda erant per ordinem, sicut fieri solet, post examinationem episcopalem, choro lætamina modulante, dum procumbit super tapetia Archipræsul infulatus ante altare, & post eum inter duos suffraganeos, qui ordinandus erat, *Ztrahquaz*, dum prosternitur in medio (heu dira conditio) arripitur atroci dæmonio: & quod servus Dei olim sibi prædixerat clanculo, palam fit coram clero & omni populo. Hactenus hæc inseruisse sufficiant.

Anno Dom. Incarn. DCCCCXCVI. postquam insignis signifer Christi Præsul *Adalbertus* retibus fidei cepit Pannoniam simul & Poloniam, ad ultimum, dum in Brussia seminat verbum Dei, hanc præsentem vitam pro Christo feliciter terminavit martyrio IX. Kalend. Maji feria VI. Eo anno fuit Pascha VI. Kalendas Maji.

Adalberti obitus Conf. *Ditmar. restit. libr. IV, p. 353.*

Anno Dom. Incarn. DCCCCXCVII. sæpe memoratus Dux *Boleslaus* videns Pragensem *Ecclesiam suo pastore viduatam*, dirigit legatos suos ad Imperatorem, *tertium Ottonem*, ut Boemensi Ecclesiæ sponsum meritis dignum daret, (52) ne grex Christo noviter mancipatus redeat ad pristinos vanitatis ritus, & ad iniquos actus. Quippe profitetur non haberi in tota Boemia tunc temporis clericum episcopatu dignum. Mox Cæsar Augustus, *Otto*, sicut erat in divinis humanisque rebus prudentissimus, annuens petitioni eorum, cœpit curiosius cogitare, quem de suis potissimum in hoc tam arduum opus dirigeret clericum. Forte aderat in regali curia Capellanus, nomine *Thegdagus*, (53) actibus ac probis moribus decoratus, liberalibus studiis apprime eruditus, genere de Saxonia, lingua proferre imbutus Sclavonica. Hunc quia sors obtulerat, omnis Regiæ aulæ senatus & ipse Cæsar valde lætificatus, in Pontificem Pragensis Ecclesiæ eligit & collaudat, & mittens ad Moguntinum Archipræsulem, quo eum celeriter in Episcopum consecret, mandat.

OTTHO III. *Imp.* p. 18.

Anno Dom. Incarn. DCCCCXCVIII. Nonis Julii consecratus est *Thegdagus* honeste a Clero & populo Pragensis Ecclesiæ recipitur, atque cum magno gaudio ad cornu altaris sancti Viti inthronizatur. Dux valde congratulatur, quia pastor bonus suo gregi arridet, & grex lætus pastori novo alludit.

Thegdagus Ep. Prag.

Rexit autem iste excellentissimus Princeps, *Boleslaus*, post patris obitum triginta duobus annis ducatum? quia quæ justitiæ, quæ Catholicæ fidei, quæ Christianæ religionis sunt, erat ardentissimus executor, apud quem nullus ecclesiasticam, nullus mundanam dignitatem obtinuit pro pecunia. Fuit & (ut res probat) in præliis victoriosissimus victor, sed victis clementissimus indultor, atque præcipuus pacis amator. Cui erant maximæ opes, bellica instrumenta, & dulcia armorum studia. Nam plus diligebat ferri rigorem, quam auri fulgorem; in cujus oculis nemo utilis displicuit, nunquam inutilis placuit; suis mitis, hostibus terribilis fuit. Habuit autem hic gloriosissimus Dux *Hemniam* (54) sibi in matrimonio junctam: quæ genere fuit cæteris nobilior, sed (quod magis laudandum est) nobilitate morum multo præstantior. Ex qua duos filios suscepit

Boleslai Ducis laudes.

Hemnia ducissa.

(51) Archiepiscopus illius temporis fuit *Willegisus*, a quo posteri Rotam carpentariam in clypeum recepere. Serrarius *libr. V. rer. Mogunt. p.* 455. hanc rem gestam annotavit ad A. 994. Pluribus eandem rem commemorant: Dubravius, *libr. VI. Hist. Bob. p.* 46. *Boregk*, in *Chron. Bob. p.* 58; Æneas Sylvius, *cap.* 16. Pontanus, in *Bohemia pia, libr. II, f.* 15. At ipsi Balbino, *Epit. rer. Bob. libr. II, cap.* 6. utique suscepta est de *Strachiquate* a Dæmone abrepto historia.

(52) Hinc Goldastus, de *regno Bob. libr. V. cap.* 3. argumentum capit, aliisque exemplis comprobat, *Episcopos Pragenses ab Imperatoribus Germ. fuisse confirmatos & investitos; & tum demum a Moguntino Archiepiscopo ordinatos & consecratos.*

(53) In *Chronico Corbejensi*, apud Meibomium hæc legimus: *Ludolphus Abbas Corbejæ* XII *fuit. Sub hoc vixit in nova Corbeja* THIADAGVS *Monachus, artis Medicæ peritus, quem Boleslaus senior, Dux Bohemiæ, paralysi laborans, ex monasterio Pragam evocavit, ejusque opera feliciter usus est; cujus Ducis opera adeptus est Pragensem Episcopatum, ut Ditmarus scribit.* Item, in *Annalibus Corbejensibus*, T. II. *script. rer. Brunsvic.* Leibnit. *p.* 302. A. DCCCCXCVIII. *Thiddagus, commonachus noster, ob felicem praxin medicam, in Bolidao, Bohemiæ Duce, ostensum, fit Episcopus in Praga.* Hic *Thegdagus* ab aliis etiam appellatur *Theodatus*; a Ditmaro, *libr.* VII. *p.* 414. dicitur *Thiedegus.*

(54) Hæc Boleslai II uxor infrà ad A. 1006 appellatur *Hemma.* Fabricius, *libr.* III. *Orig. Saxon.* putavit, hanc *Hemmam*, sive *Hemmildem*, fuisse filiam *Ridaggi, Comitis Merseburgensis* & Marchionis Misniæ, illiusque filiam cognominem venisse in manus *Hermanni*, Marchionis Misniæ: at Fabricius sine auctoritate veterum ista affirmat, & partim ea, quæ Ditmarus, *libr. IV, p.* 360, de Boleslao Polono habet, falso tribuit Boleslao Bohemico.

elegan-

elegantissimæ indolis, scilicet *Wenzeslaum* & *Boleslaum*; sed *Wenzeslaus* ab incunte ætate fragilem vitam mutavit æternitate: *Boleslaus* autem post discessum patris, sedis susceptit gubernacula principalis, ut insequentibus declarabitur.

Factum est autem, cum appropinquaret dies supra memorati *Boleslai*, quo jam æternam commutaret morte vitam, vocat æquivocum suum & superstitem natum, & astante conjuge *Hemnia*, & multa procerum turma, jam interrumpente singultu verba, prout potuit, his dulcem affatur filium dictis: *Si fas esset matri sui uteri infanti, ut lactis ubera, sic sapientiæ dare munera; non natura, sed homo creatus dominaretur in creatura. Attamen nonnulla Deus sua concessit hominibus dona, sicut Noe, Isaac, Tobiæ, atque Mathatiæ, ita dumtaxat ut quos illi benedixerit, benedixit illis deus, & quos præordinaverit ad bonæ conversationis vitam, contulit & illis deus perseverantiam. Sic & hodie, fili mi, si non adsit spiritus sancti clementia, parum prodest verborum meorum jactantia. Ducem te, inquit deus, constitui: noli extolli, sed esto quasi unus ex illis. Id est, si te cæteris sublimiorem sentias, mortalem te esse cognoscas: ne dignitatis gloriam, qua in sæculo sublimaris, aspicias; sed opus, quod tecum ad inferos deportes, intendas. Hæc præcepta dei in corde tuo scribe, & hæc mandata patris tui non omitte: Ecclesiæ limina frequenter visita, Deum adora, sacerdotes ejus honora, ne sis sapiens apud temetipsum, sed consule plures, si sapiant in idipsum. Pluribus ut placeas, sed qualibus stude. Omnia cum amicis, sed prius de ipsis, tracta. Juste judica, sed non sine misericordia. Viduam & advenam ne despice, ad tuam stantes januam. Dilige denarium, sed parce; dilige famam. Res enim publica licet sit nimis adaucta per formam numismatis falsam, cito erit ad nihilum redacta. Est aliquid, fili mi, quod Carolus Rex sapientissimus, & manu potentissimus, haud æquiparandus nobis hominibus valde humilibus, cum filium suum Pipinum post se in solio sublimandum disponeret, cum terribili cum sacramento constringeret, ne in regno suo subdola & prava taxatio ponderis aut monetæ fieret. Certe nulla clades, nulla pestilentia, nec mortalitas, nec non hostes totam terram rapinis & incendiis devastantes, magis populo Dei nocerent, quam frequens mutatio & fraudulenta pejoratio nummi. Quæ pestis, aut quæ infernalis Erynnis inclementius spoliat, perdit, attenuat Christicolas, quam fraus in nummo berilis? Atqui post hæc senescente Justitia & invalescente nequitia surgent non duces, sed fures; non rectores populi dei, sed nequam exactores, avarissimi sine misericordia homines, deum omnia cernentem non metuentes, qui ter vel quater in anno monetam mutando ruunt in laqueum diaboli ad perditionem populi Dei. Talibus tamen nequam artibus & per legum insolentiam coangustabunt hujus regni terminos, quos ego dilatavi usque ad montes, qui sunt ultra Krakou nomine triti, per dei gratiam & populi opulentiam. Nam divitiæ plebis sunt laus & gloria Regis, nec sibi sed domino gravis est, quem gravat egestas.* Plura locuturus erat: sed extrema hora dirigerat principis ora, & citius dicto obdormivit in domino, atque magnus super eum factus est planctus. Dies autem sui obitus est VII. Idus Februarii, Anno Dom. Incarn. DCCCCXCIX. p. 19.

Eodem anno *Gaudentius*, qui & *Radim*, frater sancti Adalberti, (55) ordinatus est Episcopus ad titulum Gnezdensis Ecclesiæ. Hic gloriosissimus Dux, *secundus Boleslaus*, vere & hodie haud plangendus satis, cujus memoria in benedictione est, in quantum ampliando dilataverit ferro sui terminos ducatus, Apostolica testatur auctoritas, in privilegio ejusdem Pragensis Episcopatus. Post cujus obitum filius ejus *tertius Boleslaus* (ut supra relatum est) successit in ducatum, sed non eisdem rerum successibus, nec paternis auspiciis terminos adquisitos obtinuit. Nam Dux Polonienſis, *Mesko*, (56) quo non fuit alter dolosior homo, mox urbem *Krakou* abstulit dolo, omnibus, quos ibi invenit, extinctis gladio. Fuerunt autem duci *Boleslao* ex conjuge nobili (57)

Gaudentius Epiſc. Gneſn.

BOLESLAUS III. Dux Sylv. c. 17.

Meſko Dux Poion. Gracou.

(55) Goldastus *libr. V. cap.* 4. Gaudentium putavit tantum spiritualem fratrem S. Adalberti fuisse; cum frater ejus fuerit uterinus. Id quod docuit Balbinus *libr.* III. *Miscell. cap.* 22. §. 4. Hinc & in *Vita S. Adalberti* hic Gaudentius dicitur, *carne & spiritu duplex germanus Adalberti.* A Ditmaro *libr. IV.* apud Leibnitium *p.* 357. Sclavive vocatur *Kadimo*, vel forte *Radino.* Error autem est in *Annalibus Hildesheimensibus*, quem & *Aventinus*, *Annal. Bojor. libr. V. p.* 401. secutus est, ubi Gaudentius, *Bojemorum Archi-Episcopus* dicitur; cum ab Ottone III Imper. in *Archiepiscopatu Gnesnensi* fuerit confirmatus, *investiturque.* Vid. Hagecius in *Chron. Bob.* ad A. 999. Boregk, in *Chron. Bob. p.* 60. Goldastus de *regno Bohem. libr. V. cap.* 4. & ibi Schminckius item Pagius in *Critic. Baron.* ad A. 999. §. 5.

(56) Hic *Mesko* in Wittekindi Annalibus vocatur *Misca*, & *Misica*; alibi *Meisco*, & *Mesico*; item *Mezislaus.* De ejus morte & successore hæc tradit Ditmarus *restit. libr.* IV. *p.* 360; *Anno Dominicæ incarnationis* DCCCCXCII, *regni autem tertii Ottonis octavo; hic præfatus Dux* (*Mesko*) *jam senex & febricitans, ab exilio ad patriam cœlestem transit, relinquens regnum suimet plurimis dividendum; quod postea Bolislaus, noverca & fratribus expulsis, excæcatisque familiaribus suis, Odilieno atque Pribuvio, vulpina calliditate traxit in unum.* Plura de *Meficone*, primo christiano Duce Polonorum, rerum Polonicarum scriptores tuggerunt.

(57) Cum Balbinus in Fabricii III. *Orig. Sax* legisset, Ditmarum commemorasse, *Bolislaum* tres habuisse uxores: primam, *Rigdagi* Marchionis filiam; & hac dimissa, alteram, Ungaram, ex qua procreaverit filium, *Bespreri* nomine; & denique tertiam, *Comildin*, Dobromiri filiam, quæ pepererit duos filios, *Misseconem* & alium; & filias tres: idem Balbinus, *in Epitom. rer. Bohem. libr.* II. *cap.* 14. *p.* 157. errore inductus, hæc retulit ad *Bolislaum* III. Ducem Bohemiæ; sed nescit, quomodo ea res intricatissima a se solvi posset. Verum, si Ditmarum, *Libr. IV.* apud Leibnitium, p. 360, accurate inspiciamus, deprehendimus, eum ibi non de *Bolislao* III, *Duce Bohemiæ*; sed de *Bolislao*, filio Misseconis & Odæ, *Duce Poloniæ*, qui *Rufus* vel *Chrobry*, cognominatus est, locutum. Sic vero & alibi a quibusdam historicis res Boleslai Bohemi & Poloni aliquando confunduntur. Cæterum, & ipse Cosmas noster, & qui eum sequuntur, Hagecius, Dubravius, atque alii, in eo errare videntur, quod *Boleslao* III, Duci Bohemiæ, tanquam filios tribuunt, *Oalricum*, sive *Uldaricum*, & *Jaromirum*;

duæ fœcundæ matris gloria nati, scilicet *Oalricus & Jaromir. Sed Iaromir juvenis patris est nutritus in aula. Oalricus* autem a pueritia traditus erat Imperatoris Henrici in Curiam, quo addisceret morem & eorum astutiam, ac Theutonicam linguam. Posthæc transacto non longo tempore supradictus uterque Dux *Mesko* & *Boleslaus* in condicto loco conveniunt ad colloquium, & data fide ac juramento firmata inter se pace, Dux *Mesko* invitat *Boleslaum*, (58) quo dignaretur venire ad suum convivium. At ille, sicut erat vir columbinus & sine felle, suorum consilio familiarium dixit, *Se omnia facturum velle.* Sed, quæ pestis nocentior, quam familiares inimici? Quorum quia non potuit contraire dolosis consiliis, immo jam suis fatis, ah mens præfaga Ducis, vocat ad se nobiliores, & quos relicturus erat in regno, qui videbantur sibi fideliores, & his eos affatur dictis: *Si quid forte mihi (quod absit) aliter & præter fidem atque spem in Polonia evenerit, hunc meum natum Jaromir vestræ fidei committo, & mei in loco Ducem vobis relinquo.* Sicque dispositis regni negociis it caritarus lumine, & intrat urbem *Krakou* sinistro omine, perfidi Ducis *Meskonis* ad convivium. Nam mox inter prandendum pax, fides, jus hospitale rumpitur. Dux *Boleslaus* capitur, atque oculis privatur suosque omnes alios trucidant, alios obtruncant, alios carceri tradunt. Interea ducis *Boleslai* domestici & familiares inimici, gens invisa, generatio mala, *Verſovici* operabantur abominabile malum, & antea retro sæculis inauditum. Quorum primus & quasi caput totius iniquitatis erat *Cohan*, vir sceleratissimus & omnium malorum hominum pessimus. Hic & sui propinqui, homines iniqui, ducis cum filio *Jaromir* venientes venationis ad locum, qui dicitur *Weliz*, postquam referente fama perceperat, quæ facta sunt de duce in Polonia: *Quis iste est*, inquiunt, *homuncio alga vilior, qui super nos debet esse major, & Dominus vocari? An non invenitur inter nos melior, qui & dignior sit dominari?* Ah mala mens, malus animus, quod ruminant sobrii, palam faciunt ebrii. Nam iniquitas eorum ut incaluit, & assumpsit cornua mero, capiunt dominum suum, & crudeliter ligant, atque nudum & resupinum per brachia & pedes ligneis clavis affigunt humi, & saltant, saltu ludentes militari, saltantes in equis trans corpus sui heri. Quod videns unus de conservis suis, nomine *Dovora*, velociter currens in Pragam, quod factum fuerat Ducis nunciat amicis: & eadem hora deducit eos ad turpe bravium sine mora. Quos ubi viderunt iniquitatis operarii armatos super se repente irruere, diffugiunt ut vespertiliones per silvarum latebras. At illi ut invenerunt Ducem male muscis laceratum seminecem (nam ut examen apum, sic ascendebat agmen muscarum super corpus nudum) solventes eum, & vehiculo ponentes, deferunt Wissegrad in urbem. Servo autem *Dovoræ* omni laude digno ducis amico, talis gratia redditur pro merito. Nam voce præconia indicitur ubique per fora, ut quam ipse Dovora, tam ejus proles postera, sit inter nobiles & ingenuos in æternum & ultra. Insuper dant ei & dignitatem venatoriam, quæ pertinet ad *Curtem Sthecnam:* quam ex tunc & usque modo per generationes ejus possident nepotes. *Dovora.*

Dum hæc geruntur in Boemia, dux *Mesko* veniens cum valida manu Polonica invasit urbem *Pragam*, & per duo spatia annorum scilicet Anno Dom. Incarn. Millesimo.

Anno Dom. Incarn. Millesimo primo, obti-

---

cum hi potius ejusdem *Bolislai* III fuerint fratres. Sic enim diserte loquitur Ditmarus, scriptor coævus, *Libr. V. apud Leibnitium, p.* 370: *Interim Bohæmiorum Dux*, BOLISLAUS, *quia potestas consortis & successoris semper est pavida*, JAREMIRUM FRATREM *eunuchizans, junioremque* OTELRICUM *internus* (lege: *in thermis,*) *suffocare cupiens, una cum matre, eosdem patria expulit* &c. Atque adeo *Jaromirum & Uldaricum*, pro fratribus, neque pro filiis Boleslai III, habuit, sicque nominavit S. Adelboldus, Episcopus Trajectensis, qui rebus his gestis interfuit, & in cujus custodia Jaromirus aliquandiu detentus fuit. Etenim in *Vita S. Henrici, Imperatoris, quæ extat in Divis Bambergensibus a Gretsero editis*; item apud Leibnitium, *T. I. rer. Brunsvic. p.* 440; *Mortuo*, inquit, *Bulizlao seniore, Boemensi scilicet Duce, & istius Bulizlai* (Poloniæ Ducis) *avunculo*, TRES FILII *ei superstites manserunt*; *quorum* PRIMOGENITUS, BULIZLAUS *nomine*, (III) *adepto post patrem Ducatu, crudelius cœpit vivere.* —. *Nam* FRATRUM suorum *unum* (Jaromirum) *eunuchizavit*; *alterum* (Udalricum) *in thermis suffocare tentavit* &c. Id quod etiam jam animadvertit Goldastus de *regno Bohem. Libr. VI. cap. IV. §.* 7. Non reticendum hoc loco illud est, quod & Ditmarus, *Libr. V. p.* 370. & Adelboldus, in *Vita Henrici S. p.* 440. commemorant; nempe, cum Bohemi tyrannidem Boleslai ferre non possent, *Woleda-wejo*, ex Polonia evocato, dignitatem Ducis Bohemici fuisse traditam. Sic enim breviter Adelboldus: *Rex Henricus* (II) inquit, *hac impietate* (Boleslai in fratres suos) *commotus*, BLADEMARIO *Ducatum Boemiensem dedit. Illo mortuo, Bulizlavus, Bulizlavi filius, Bulizlavo Mesconis filio in societatem conspirationis adscito, Ducatum contra Regis voluntatem tenere tentabat. Inter illos ergo duos Bulizlavos sit amicitia ficta, sit societas subdola &c.*

(58) Si, quod supra, sub nota (56) ex Ditmaro, scriptore coævo, probavimus, *Mesko*, sive *Miseco*, Dux Polonorum, jam A. 992 mortuus erat; idem non demum A. 999, ut Cosmas noster, & Æneas Sylvius, aliique tradunt, *Bolislaum* III, Ducem Bohemorum, fraudulenter ad convivium invitare, crudeliterque excæcare, potuit. Igitur hoc crudele facinus potius tribuendum est *Bolislao* Rufo, Miseconis filio, Duci Polonorum. Atque huic id facinus tribuit, etiam Ditmarus, *Libr. V.* apud Leibnitium, *pag.* 371: Nisi quis putet, Boleslaum Polonum fuisse binominem, Patrisque sui Miseconis nomen simul gessisse. Sed ille ipse Miseconis filius, Adelboldo & Ditmaro *Bolislaus* dictus, excæcato Bolislao Bohemo, Pragam occuparat, totamque Bohemiam sibi vindicare annisus erat. Adelboldus enim ad A. 1004: *Hoc ergo Duce Bohemiæ excæcato*, inquit, *Bulizlavus, Mesconis filius, per fraudes flexuosas, per versutias sibi semper carissimas, per promissiones infinitas, Pragam & totam Bohemiam invadit.*

nuit

Wissegrad. nuit eam. Sed *Wissegrad* urbs Duci suo fideliter manſit imperterrita & inexpugnabilis. Hisdem vero diebus idem Dux *Mesko* mittit legatos ad Imperatorem, dans ei & promittens infinitam pecuniam, quo filium ducis Boleslai nomine *Oalricum*, querat ejus in obsequio, catenatum mitteret in custodiam. O invictissima fames auri, ubi est potentissimum jus Rom. Imperii? Ecce possessor auri, pressus ponderibus auri, ducis obtemperat jussis, & fit tortor ac carceris mancipator auro corruptus Imperator. Nec mirum si ille paruit Duci: cum nostris temporibus *Vecek* sub mola rusticana natus *III. Henricum Regem* potentissimum (o indignum facinus) catena aurea ut Molossum traxit in Boemiam; & quod jubet famulorum famulus, paret dominorum dominus, atque *Borivoy* Ducem justi tenacem, virum veracem, usque ad genua compeditum Rex mittit in custodiam, ceu iniquum hominem & mendacem. Sed hæc in suo loco plenius exarabuntur stylo. (59) Actum est autem

p. 20.

Anno Domin. Incarn. MII. jam Christo Boe-

OALRICVS dux. Syl. c. 18. Dubrav. lib. 7.

mos respiciente, & sancto Wenceslao suis auxiliante, incertum est nobis utrum clam fuga elapsus, an jussu Imperatoris dimissus, Dux *Oalricus* rediens (60) in patriam intrat invictissimum castrum nomine Drevis; unde militem mittit sibi fidelem, & admonet, quo intrans urbem Pragam per noctem clangore buccinæ perterrefaciat incautum hostem. Mox fidelis cliens jussa facit, & ascendens noctu in media urbe eminentiorem locum, qui dicitur Zizi, tuba intonat & clara voce clamans ingeminat: *Fugiunt, fugiunt Poloni confusi turpiter, irruite, irruite armati Boemi acriter.* Ad quam vocem irruit super eos formido & pavor, quod erat mira Dei permissio, & sancti Wenceslai intercessio. Diffugiunt omnes, alius oblitus sui & armorum nudus, nudum insilit equum, & fugit, alius ut dormivit & sine braccis accelerat fugam. Fugientesque nonnulli præcipitantur de ponte, quia pons erat interruptus ad insidias hostibus: aliis fugientibus per præruptam viam, (quod vulgo dicitur per caudam urbis) in area posterula præ angustia exitus ibi innumeris oppressis, vix ipse dux Mesko cum paucis evasit. Sicque fuit, ut solet fieri, quando homines præ timore fugiunt, etiam ad motum auræ pavent, & ipse pavor timorem sibi auget. Ita hos nemine prosequente, videbantur eis saxa & parietes post se clamare, & fugientes persequi. Postera luce Dux *Oalricus* intrat urbem Pragam, & hisdem familiaribus inimicis, de quibus supra retulimus, fraudulenter suggerentibus fratrem suum *Jaromir* tertia die privat lumine. (61) Huic ex legitimo matrimonio non est nata soboles, propter infœcunditatem conjugis: sed ex quadam fœmina nomine *Bozena*, (62) quæ fuit Krezmæ, filium præstantissimæ formæ suscepit, quem *Brecislaum* appellari fecit. Nam quadam die cum de venatu rediret per villam rusticanam, hanc quam prædiximus fœminam ad puteum lavantem pannos vidit, & intuitus eam a vertice usque ad talos, hausit pectore ignes amoris non modicos. Erat enim corporis ejus habitudo insignis, nive candidior, mollior cygno, nitidior ebore, antiquo pulchrior Saphyro. Hanc continuo mittens dux tulit in sua, nec tamen antiqua solvit connubia. Quia tunc temporis prout cuique placuit, binas vel ternas conjuges habere licuit: nec nefas fuit viro rapere alterius uxorem, & uxori alterius nubere marito. Et quæ nunc asscribitur pudori, hoc tunc fuit magno dedecori, si vir una conjuge aut conjunx uno viro contenti viverent. Vivebant enim quasi bruta animalia, connubia habentes communia.

Bozena al. Beatrix.

Eodem anno *Cæsar ab hoc mundo migravit tertius Otto; Vivat ut in cœlis, ubi vivit quisque fidelis.* (63) Huic succeſſit filius ejus, *Henricus Imperator*, qui inter cætera, quæ fecit in vita sua pro Christi nomine magnalia, construxit castrum in quodam monte non modico sumptu empto a possessore loci nomine *Pabo*, unde traxit nomen *Pabenbergk*, quod est Pabonis mons. Ibi etiam constituit Episcopatum, quem in tantum ampliavit facultatibus & dignitatibus pontificalibus, ut in tota Orientali Francia non ultimum, sed secundum post primum habeatur Episcopium. (64) Ædificavit etiam ibi & templum miræ magnitudinis in honorem sanctæ Mariæ virginis, & sancti Georgii Martyris

HENRICVS II. Imp.

Pabenberg.

(59) Vide infra Cosmam ad A. MCVII.

(60) *Udalricus* non semel ex patria ejectus, & in eandem revocatus fuit. Aliquando post mortem *Wlodoweji*, teste Ditmaro, *Libr. V. p.* 371. apud Leibnit. *Mortuo interea Duce Wlodowejo, fratres prædicti* (Jaromirus & Udalricus) *una cum matre expulsi, à Bobæmensibus pœnitentia ductis revocantur.* Deinde alio tempore, teste eodem Ditmaro, *Libr. VI. p.* 393. *Jarimirus Dux quoque adfuit, quem frater suimet* OTHELRICUS, *& satelles, totius debiti immemor, in sacro Sabbatho dominicæ resurrectionis proximæ a regno Bohemorum expulit, & Bolizlaum -- in persecutione fuga petere cogit.* Refert vero Ditmarus hæc ad tempus defuncti *Walterdi*, Archiepiscopi Magdeburgensis, qui, secundum Chronicon Magdeburgense, apud Meibomium, A. 1012 obiisse dicitur. Sed piget, alias istius ævi vicissitudines rerum Bohemicarum ex Ditmaro hic repetere.

(61) Jaromirum ab Udalrico fratre per fraudem captum, Ducatuque pariter & oculis fuisse privatum, præter Cosmam, Sylvius, Dubravius, Hagecius, Boegkius, & alii, tradidere: sed Ditmarus excæcationis haud meminit; cum *Libr. VI. p.* 399. hæc saltem narret: *Otbelricus, Bohemorum Dux, Germanum, quem merito præ his diligere debuit, verebatur, & ne unquam ad se veniat, diligenter custodire conatur.* Jarimirum autem a fratre suo, Boleslao III, castratum fuisse, sub nota (57) ex Ditmaro & Adelboldo, ostendimus.

(62) Hæc *Bozena* concubina *Udalrici*, etiam *Beatrix* ab Æn. Sylvio appellatur, *Domarodique* agricolæ filia fuisse traditur. Balbinus, *Epit. rer. Boh. libr. III. cap. I.*

(63) Eundem annum MII. emortualem Ottonis III. & alii scriptores coævi annotarunt, v. g. *Adelboldus Trajectensis*, in *vita Henrici S. Imp.* apud Gretserum, p. 432; & apud Leibnitium. p. 431. Auctor *vitæ S. Meinwerci Paderbornensis*, apud Leibnit. p. 520; Tangmarus, in *Vita S. Bernwardi Hildesheimensis*, apud Leibnit. p. 457. Lambertus Schafnaburgensis ad h. a. & alii.

(64) Henricum II. Bambergensem Episcopatum A. 1005. fundasse, præter alios multos scriptores, testatur Ditmarus, apud Leibnitium, p. 383. item Marianus Scotus, ad A. 1005.

Christi, quod similiter in tantum adauxit dotalibus ecclesiæ, & ornatibus auri & argenti, & cæteris regaliter apparatibus, ut mihi videatur de his tacere melius, quam dicere minus quam habeatur in re. *Utile de multis factum referam tamen unum.* Haud longe ab urbe prædicta quidam erat anachorita, sanctarum virtutum archimandrita, ad quem Imperator sæpe fingens, quasi ad venationem iter faciens, aliquam occasionem clam cum solo cliente veniebat, & se ejus orationibus commendabat. Hunc cum intellexisset Cæsar, quia causa orationis Hierosolymam ire vellet, committit ei dominici corporis & sanguinis calicem aureum, qui pro sui magnitudine ut facile posset a quoquam levari, duas ex utroque latere habuit ansas, quod nos vulgo dicimus *aures*, quem ut intingat sub terna mersione in Jordane, ubi Christus baptizatus est a Joanne, præcipit Imperator & rogat, dans ei pecuniam quantum sufficeret ad viam. Quid multa? homo dei vadit Hierosolymam, jussa facit, ter mergens calicem Jordanis in unda. Post rediens per Constantinopolim transibat per Bulgariam. Ibi quidam erat Eremita sanctam degens vitam, ad quem ille veniens Hierosolymita, post multa & dulcia atque sancta colloquia, suppliciter rogabat eum, ut pro incolumitate Imperatoris Henrici oraret Deum. Ad quem ille: *Non est* inquit, *pro incolumitate ejus orandum, quia ex hac convalle lachrymarum translatus est jam in requiem beatorum.* At ille instat & rogat, ut sibi dicat, unde hoc sciat. Et ille: *Hac*, inquit, *proxima nocte dum nec adeo vigilarem, nec omnino dormirem, sustulit me alta visio ad magnum campum valde planum & nimis latum atque jucundum; & vidi ibi malignos spiritus teterrimos, quorum ex ore & naribus exibat sulfurea flamma, qui Imperatorem Henricum per barbam invitum & quasi ad judicium habebant, alii collum ejus furcis ferreis impingentes læti clamabant, noster est, noster est. Quos a longe sequebatur sancta Maria & sanctus Georgius, quasi tristes & quasi eripere eum volentes, & cum eis litigantes: donec suspensa est in medio campo trutina, cujus capacitas latior fuit quam duo milliaria. Ad sinistram maligna pars magna & immensa pondera & innumerabilia quæ sunt mala opera imponebant. At contra sanctum Georgium vidi Monasterium magnum cum toto claustro imponere, vidi aureas cruces preciosis lapidibus graves, vidi tot plenaria gemmis & auro grandia, vidi candelabra argentea, & thuribula, atque pallia innumera, & quicquid boni Rex in vita fecerat. Sed adhuc maligna pars præponderabat, & clamabat, noster est, noster. Tunc S. Maria accepit aureum calicem magnum de manu sancti Georgii, & concutiens ter caput inquit; certe non vester sed noster est. Et cum magna indignatione projecit calicem ad parietem Ecclesiæ, ubi fracta est una ansa calicis. Ad cujus tremitum mox evanuit agmen ignitum, & accepit sancta Maria per manum dexteram & sanctus Georgius per sinistram Imperatorem, & duxerunt secum (ut credo) in cælestem habitationem.* At ille Hierosolymita corde revolvens ea quæ dicta sunt; descendit ad sarcinas, & invenit fractam calicis ansam, sicut prædixerat Eremita. Qui usque hodie magni miraculi pro testimonio habetur Pabenbergk sancti Georgii in Monasterio.

p. 21.

Anno Dom. Incarn. M. III. Hic interfecti sunt Versovici. * (65)

Anno Dom. Incarn. M. IV. quinque fratres martyrizati sunt.* (66)

Temporibus Henrici Imperatoris, qui post Ottonem tertium rexit Romanum Imperium, in partibus Poloniæ quinque fuere Monachi & Eremitæ viri Israëlitæ, *Benedictus, Matthæus, Joannes, Isaac, Crispinus, & Sextus Barnabas:* quorum non est inventus in ore dolus, nec in manibus pravum opus. Horum de vita patrum scripturus multa, malui paucа, quia semper dulcius sumitur quæ parcius apponitur esca. Erat tamen eorum conversatio laudabilis, Deo acceptabilis, hominibus admirabilis, & eam sectari volentibus imitabilis, hactenus hæc. Passi sunt autem hi fratres quinque. *Monachi E*

Anno Dominicæ Incarn. M. IV. II. Idus Novembris.

Anno Dom. Incarn. M. V.

Anno Dom. Incarn. M. VI. Princeps *Hemma*, (67 a) fœminei sexus gemma, febre correpta a vinculis carnis est erepta. Cujus epitaphium his versiculis aut vidi, aut vidisse me memini.

Quæ fuit ut gemma, vilis jacet en cinis Hemma.
Dic precor huic animæ, da veniam domine.

Anno Dom. Incarn. M. VII. (67 b)

Anno Dom. Incarn. M. XVII. III. Idus Junii obiit *Tegdagus*, tertius episcopus Pragensis Ecclesiæ. (68) Fuit autem hic Tegdagus sancti Præsulis Adalberti successor idoneus, corpore virgineus; moribus aureus, actibus purpureus, sui antecessoris sequens vestigia, commissæ plebis persequens flagitia, & si non corpore, mente tamen tulit Martyrium: nec obiit more hominum, sed secutus dominum in pace in id ipsum dormit & requiescit, cui

Anno Dom. Incarn. M. XVIII. successit *Ekardus* Præsul. (69)

(65) Scribuntur a Bohemicis scriptoribus etiam *Wrssovecii*, qui ex Czechi & Lechi fratrum stirpe prodiisse dicuntur, perpetui fere Ducum Bohemiæ adversarii.

(66) Dicuntur S. Adalberti fratres quinque, non sanguinis, sed ordinis, ex iis, quos ille in Cænobio Brevnovensi ad Pragam olim reliquerat, quippe abeuntem in Poloniam sunt secuti, & a latronibus ibidem interemti. Conf. Dubravius, *Libr. VI.* Hagecius, *A.* 1004 Balbinus, *Epit. rer. Bohem. Libr. II. cap.* 14. *p.* 155.

(67 a) Conferatur Cosmas ipse, supra ad *A.* 998.

(67 b) Operæ pretium est, hic ea conferre, quæ de rebus Bohemicis ad Annum MVII, & sequentes ex vetustioribus scriptoribus annotavit Annalista Saxo.

(68) Conferantur *notæ* nostræ, supra sub *num.* (53)

(69) Hic Episcopus Pragensis etiam *Helicbardus* scribitur; regalia ab Henrico II. consecrationem a Moguntino Archi-Episcopo, Erckenboldo, suscepit. Conf. Hagecius, ad *A.* 1018, *p.* 134; Pontanus, in *Bohemia pia*, *Libr. III. p.* 37. Boregk, in *Udalrico Duce*,

Anno

Anno Dom. Incarn. M. XIX.

Anno Dom. Incarn. M. XX. &c.

Brecislai raptus.

Interea natus Ducis *Brecislaus* de pueritia transcendens in juventutem ibat de virtute in virtutem: cui præ cæteris prosperitas opis, proceritas corporis, & formæ pulchritudo, ac virium sapientiæque magnitudo, in adversis fortitudo, in prosperis temperata inerat mansuetudo. His temporibus Theutonicis in partibus fuit quidam Comes valde potens, cognomine *Albertus Otto*, sanguine de regio prodiens stemmate patrio. Unica huic erat gnata nomine *Juditha*, (70) pulchritudine *sub Phœbo cunctis quæ sunt prælata puellis:* quam bonus pater & ejus optima mater, quo addisceret Psalterium, tradiderant in cœnobium, quod dicitur *Zumbrod*, loci situ & mœnibus munitissimum. Sed turres quamvis altissimæ, aut quæ mœnia firmissima amori resistere & amantem possunt excludere? *Omnia vincit Amor: Rex & Dux cedit amori.*

cf. Jutha, Ottonis III. Rassi Imp. F.

Igitur *Brecislaus* juvenum pulcherrimus, heros acerrimus, multis referentibus audiens de nimia pulchritudine, & morum probitate, ac generositate parentelæ supra dictæ puellæ, ultra non habebat spiritum, & intra semetipsum cœpit cogitare, utrum eam vi rapere tentet, an dotalibus connubia paret. Sed maluit viriliter agere, quam supplicando colla submittere. Perpendit tamen innatam Theutonicis superbiam, & quod semper tumido fastu habeant despectui Sclavos, & eorum linguam. Sed quanto sit semper difficilis aditus ad amorem, tanto amanti filius Veneris ignem incutit validiorem, fluctuat mens juvenis igne succensa Veneris, *velut ignibus æstuat Ætbna.* Et hanc Apostrapham euphonizat secum? *Aut ego conjugio fungar egregio, aut ego ludibrio mergar perpetuo, fieri non potuit, ut mea non fuerit Juditha nobilibus edita natalibus, virgo spectabilis, multum amabilis, solis vice clarior, vita mihi carior. Vivat ut superstes, laus Deo sit perpes.* Et statim quos inter suos novit manu promptiores, & sibi fideliores, jubet probatos & laboris patientiores aptari equos, & fingit se ad Imperatorem cito iturum, & citius rediturum. Jussa viri faciunt, sed quid dominus suus moliatur nesciunt. Mirantur inter se, quod tam celeriter vadunt, & quasi septem dierum iter agentes, vice hospitii intrant prædicti cœnobii atrium. Interdixerat tamen suis omnibus Ducis natus, ne alicui eum, quis vel unde esset, innotescerent; sed quasi unum ex ipsis & ipsum haberent. Cedat Ithacus callido ingenio investigasse natum Cheridis, ne se jactet Iliacus pastor Tyndaridem rapuisse Amyclis; quia hic juvenis Brecislaus ambos præit animositate & audacis facti immanitate. Nam postquam data est eis ibi pernoctandi licentia, sicut lupus quando obambulat ovilia, quærens qua parte irrumpat, ut nitidam rapiat agnam; sic & heros Brecislaus visu sagaci & animo illustri lustrans clausuram, vult vi irrumpere sed non audet, quia secum tantam copiam militum non habet. Forte fortuna adfuit dies festa & ecce mille votis optata cum suis coævulis de Claustro exit virgo Juditha, sicut puellæ solebant tenellæ ad vesperas pulsare campanas in medio Ecclesiæ. Quam ut vidit audacissimus raptor, sui præ gaudio factus immemor, ceu lupus qui ex occulto irruit & rapit agnam, & conscius facti fugit submittens caudam, petens ulteriorem latebram, sic & ille rapta virgine fugit: & ut venit ad portam, invenit eam molendinari fune præstrictam, & viam exeundi præclusam. Mox exempto gladio ut festucam præcidit acuto: quæ usque hodie cernitur sectio fortissimi ictus pro testimonio. Cæteris autem sociis id minime scientibus, & adhuc in papilionibus manentibus, ab irruentibus inimicis comprehensis, aliorum erutis oculis & naribus abscissis, aliorum manibus & pedibus truncatis, Dux cum paucis & virgine raptæ per noctis vix evasit opaca. Rapta est autem Virgo Juditha.

p. 22.

Anno Dom. Incarn. M. XXI. Et ne daretur Theutonicis justa occasio calumniandi Boemos, quasi pro illata injuria, illico heros Brecislaus cum nova nupta, patre salutato Duce Oalrico, recta via proficiscitur in Moraviam. Nam antea pater sibi totam illam terram tradiderat in potestatem, fugatis cunctis de civitatibus Polonis, ex quibus multos comprehensos, centenos & centenos ordinatim cathenatos vendi jusserat in Ungariam & ultra; quia revera post obitum secundi Boleslai sicut urbem Pragam, ita

p. 71. De ejus inauguratione hæc tradit Ditmarus, *Libr. VII. apud Leibnit. p. 416: Imperator Cal. Octobr.* (A. 1018) *Merseburg venit, ibique Ekkibardum, novæ civitatis* (Numburgi) *Abbatem, & huic XXIII annos & V. menses præsidentem, Pragensi præfecit Ecclesiæ, eundem V. Non. Novembr. ab Erckenbaldo Archi-Præsule consensu meo consecrari præcipiens.* Vide infra Cosmam ad A. 1023.

(70) Cujus filia fuerit hæc *Jutha*, vel *Juditha*, dubium est? Monachus Hamersiebiensis, de *gestis Imperatorum, apud Leibnitium, p. 709.* tradit, hanc fuisse filiam Ottonis II. Imp. *Otto II*, inquit, *dictus Rubicundus, vel Rufus, anno Domini 975 regnare cœpit. — Obiit Romæ, a. 983. VI Id. Decembr. ibique sepelitur; & filium habet unicum, Ottonem III, & filias III, Sophiam Abbatissam in Gandersheim; Adelheydim in Quedlinburch;* JUTTAM, *quam abduxit Dux* BOHEMIÆ *in uxorem de monasterio Reginberch.* Paria tradunt: Æneas Sylvius, Dubravius, Cranzius, Bonfinius, Wigul. Hundius, & Goldastus. Sed si, quod hi scriptores plerumque narrant, ipse Pater Judithæ raptum filiæ vindicatum ivit, exercitu in Bohemiam ducto; repugnat tempus, quo minus Otto II. Imper. Pater Judithæ intelligi possit; cum Otto ille II jam 983 obiisset, & contra raptus Judithæ A. 1020 patratus narretur. Qua de caussa nec tempus convenit, quamvis Boregk, *in Chron. Bohem. P. I. p. 73.* & quidam alii, Juditham hanc Ottoni III Imp. A. 1002 defuncto assignent. Neque idoneis argumentis instructi nonnulli eandem pro filia Conradi Salici habuerunt. Sine dubio, huic narrationi quædam a nonnullis sunt afficta, sed ea tam in tempore, quam in ipsis personis ita dissidentia, ut fabulæ res videatur esse propior, quam rei vere sic gestæ. Nonnulli Judithæ Patrem non nisi generatim habent pro Comite quodam Teutoniæ, quem Hagecius ad A. 1026 vocat *Ottonem Albani*, sive *Candidum*, cognominatum, Comitem Bavariæ. Nos de hac Juditha infra, *sub nota* [96] *&* [108] paulo plura trademus.

totam Moraviam, vi obtinuerant Poloni.

An. Dom. Incarn. M. XXII. in Polonia facta est persecutio Christianorum.

Ann. Dom. Incarn. M XXIII. VI. Idus Augusti *Ekardus*, IV. Episcopus Pragensis Ecclesiæ, (71 a) transivit ab hac luce victurus perpetem vitam. Fuit autem hic Præsul contra potentes erectus, erga humiles & mansuetos pius, modestus, facundissimus prædicator, largus eleemosynarum dator, dominicæ familiæ in mensura tritici fidelis dispensator. Hic constituit, ut pro decimatione unusquisque sive potens, sive dives, sive pauper, tantum qui de suo feudo vel allodio araturam haberet, duos modios V. palmarum & duorum digitorum, unum tritici & alterum avenæ, Episcopo solveret. Nam antea sicut primo Episcopo Diethmaro constitutum erat, pro decimatione duos messis acervos dabant. *Dicimus tamen acervum vel manipulos habentem.* (71 b.)

Izzo Episc. Prag. al. Iso. Hujus post obitum *Izzo* (72) obtinuit episcopatum, qui ordinatus est eodem anno IV. Cal. Jan. ab Archiepiscopo Moguntino.

Anno Dom. Incarn. M XXIV. IV. Idus Julii obiit Heinricus Rex. (73)

Anno Dom. Incarn. M XXV. XV. Calend Julii obiit Boleslaus Rex. (74)

Anno Dom. Incarn. M XXVI.

Anno Dom. Incarn. M XXVII.

Anno Dom. Incarn. M XXVIII.

Anno Dom. Incarn. M XXIX.

Anno Dom. Incarn. M XXX.

BRECISLAUS Dux. p. 23. Hoc anno Dux *Brecislaus* magna cæde prostravit Ungaros, & terram eorum usque ad urbem Strigoniam devastavit.

Eodem Anno III. Calend. Februarii, *Izzo*, v. Episcopus Pragensis ecclesiæ *transit ab hoc mundo, bravio fruiturque jucundo.* Hic fuit nobilis genere, sed nobilior opere. Qui prior fecit, quæ facienda præcipit. Nam nulli magis est nota propria sedes, quam sibi carcer & infirmorum erant ædes. Nec eum latuit, quot hominum capita vitæ sint reddita, *vel quot mors animas ad furnas mitteret umbras.* Præterea solitus erat quotidie quaterdenos pauperes pascere, quibus abunde procurans cibum & potum ipse benedixit, & ipse hilariter distribuit. Erat tamen & corporis ejus pulchritudo insignis, caput capillo albius cygno: unde cognomen obtinuit, ut diceretur *Albus atque blandus Episcopus Izzo.*

Post hunc *Severus* (75) præsul succesit in ordine sextus, qui tempore juventutis miræ enituit decore agilitatis; quia quotquot erant in curia ducis, omnes suis præcellens obsequiis, sedulum suo domino & magis gratum, quia fidele exhibebat servitium. Primus tamen fuit officiis clericorum, nec minus deditus studiis laicorum, semper aderat comes individuus Duci in venationibus; primus enim affuit in occisione sylvatici apri, & abscindens ejus caudam, purgat & parat, ut ducem velle norat, paratamque venienti Domino ad vescendum donat. Unde Dux *Oalricus* sæpe sibi fertur dixisse: *O Severe, dico tibi vere, pro hoc tam dulci edulio dignus es episcopio.* His atque hujusmodi studiis habuit gratiam Ducis, & placuit universis. *Severus episc. Prag. VI.*

Anno Dom. Incarn. M XXXI. sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in natalitio ordinatus est *Severus* episcopus a Moguntino Archiepiscopo. Eodem anno natus est *Zpragnen*, filius Brecislai ducis. (76. a)

Ann. Dom. Incarn. M XXXII. (76 b)

Ann. Dom. Incarn. M XXXIII.

Ann. Dom. Incarn. M XXXIV.

Ann, Dom. Incarn. M XXXV.

Ann. Dom. Incarn. M XXXVI.

Anno Domini Incarn. M XXXVII. obiit Dux *Boleslaus*, (77 a) quem Mesko lumine privarat.

Eodem anno v. Idus Novembris Dux OALRICUS *linquens terrena captat cælestia regna.* Tunc *Jaromir* (de quo supra meminimus) lumine orbus, cui Dux *Oalricus* destinaverat, ut degeret Lizza in vinculo, audiens quod frater suus ab hoc migrasset seculo, surgit diluculo, & imperat, ut se deducant ad urbem Pragam velicülo. Quo cum pervenit, jam fratrem sumn dela- *Jaromir cæcus.*

(71 a) Respice supra *totam* [69]

(71 b) Hæc verba in editione Freheriana, corrupta, rectius sic refert Annalista Saxo, ad A. 1023: *Acervum autem dicunt quinquaginta manipulos habentem.*

(72) Dicitur & *Hizo, Hyza*, & *Iso*, cognomento *Neczech.* Vid. Hagecius, in *Chron. Bohem. ad a.* 1024. Boregk, in *Udalrico Duce, p.* 75. Pontanus, in *Bohemia pia, libr.* III. *p.* 37. Confer paulo post Cosmam, ad A. 1030.

(73) Eundem annum 1024 mortis Henrici II. Imp. annotarunt: Auctor *vitæ Meinwerci, cap.* 89. apud Leibnitium, *p.* 556. Chronographus Saxo, *p.* 238. Hermannus Contractus, *p.* 320. Marianus Scotus, *p.* 449; Annales Hildesheimenses, *apud Leibnitium, p.* 725. Sed hi tres posteriores scriptores non cum Cosma nostro *IV. Idus Julii*, sed *III Idus Julii*, tanquam diem emortualem, designant. Præterimus alios, qui in anno describendo dissentiunt.

(74) Intelligitur Boleslaus, Dux, & tandem Rex Polonorum; de quo Chronographus Saxo ad h. a. p. 239: *Bolizlavo*, inquit, *Duci Poloniæ, obitu Henrici Imperatoris comperto, elatus animo, superbiæ veneno perfunditur, adeo, ut uncto imponi sibi coronam temere sit usurpatus.* Clarius Wippo, in *Vita Conradi Salici, p.* 431: *A.* 1025 *Bolislaus Sclavigena, Dux Bolanorum, insignia regalia, & regium nomen, in injuriam Regis Chuonradi, sibi aptavit, cujus temeritatem cito mors exinanivit.* Conf. Otto Frisingensis, *Libr.* VI, *Chron. cap.* 28. *p.* 132. & Albericus, Monachus trium fontium, *p.* 58. & Annalista Saxo, *ad A.* 1025. *pag* 457.

(75) *Severus*, Episcopus Pragensis, a Bohemicis scriptoribus etiam scribitur *Ssebyrius*, f. *Ssebirzius*, quem ex familia equestri *Berzkowskiana* fuisse ortum, docet Paprocius, in *Famil. Baron. Bohem. L.* 2. *c.* 22. Ordinatus autem Severus est a *Bardone*, Archiepiscopo Moguntino, Annal. Saxo, ad A. 1031.

(76 a) Hic fuit primogenitus Brecislai Ducis; illiusque nomen varie scribitur. v.g. hoc loco *Zpragnen*; infra, sub initium Libri II, *Spingnen*; ad A. 1055, *Zpingnen*; apud Dubravium *Spigneus*; alibi *Spitibnæus*, f. *Zpitinevus.* De cujus rebus gestis agit Cosmas Libr. II.

(76 b) Ad hunc A. 1032, in Annalista Saxone hæc leguntur: *Odalricus, Boemiæ Dux, regali jussione (Conradi Imp.) invitatus, venire contemsit; quem Imperator postea Wirbeni, ubi contra Luticios pacificandi regni gratia consedit, ad se venientem & ratione convictum, de insidiis etiam, quas ante biennium ipsi Imperatori fecerat confessum, in exilium transmisit.* Conf. Chronograph. Saxo, ad eundem annum.

(77 a) Respice supra *notam* (57)

tum

tum in ecclesiam sancti Georgii invenit, ad cujus funus stans juxta feretrum, omnium circa astantium movit & convertit corda hujusmodi elogii lamento: *Heu mihi quid dicam, nisi sæpius Heu mihi dicam, Heri mihi germane, heu dira conditio mortis amaræ. Mortuus ecce jaces, nec ego, nec tu modo gaudes hujus terreni fugitivo culmine regni. Nudius tertius Dux nobilis, hodie truncus immobilis, cras vermibus esca, post tenuis favilla & inanis eris fabella. Lumine privasti me, nec frater ut fratrem amasti, non feciſſe modo quod feciſti mihi, malles. Nunc scio, si posses, mihi lumina reddere velles, cum tua sunt nuda & aperta, seu bene seu male facta. Sed nunc ex toto tibi frater corde remitto, ut pietate sua Deus omnipotens tibi parcat, spiritus atque tuus post hac in pace quiescat.* Post expletis rite funebribus exequiis, accipit *Brecislaum* fratruelem, & ducit eum ad sedem Principalem: Et sicut semper in electione Ducis faciunt, per superioris aulæ cancellos decem millia nummorum aut plus per populum spargunt, ne Ducem in solio comprimant, sed potius sparsos nummos rapiant. Mox Duce locato in solio, & facto silentio, tenens dextram sui fratruelis Jaromir dixit ad populum: *Ecce Dux vester!* At isti succlamant ter *Kirieeleison*, quod est *Kyrieeleison*. Et iterum Jaromir ad populum: *Accedant*, inquit, *de gente Muncia, accedant de gente Irnea*, * & vocat eos nominatim, quos norat armis potentiores, fide meliores, militia fortiores, & divitiis eminentiores. Quos ut sensit adesse dixit: *Quoniam me mea fata non sinunt ut sim vester Dux, hunc assignamus vobis Judicem, & collaudamus, quo ei obediatis, ut dignum est duci, & debitam fidelitatem exhibeatis, ut par est suo Principi. Te autem fili moneo, & repetens iterum iterumque monebo, istos colas ut patres, hos diligas ut fratres, & in omnibus negotiis tibi consiliarios habeas: His urbes & populum ad regendum committas: per hos enim Boemiæ regnum stat, & stetit, atque stabit in sempiternum. Ast illos qui sunt Versovici, iniquorum patrum nequam filii, nostri generis hostes domestici, familiares inimici, ut cœnosam rotam devites, & consortia eorum declines, quia nobis nunquam fuere fideles. Ecce me innocentem & suum principem inprimis ligaverunt, & diversis affecerunt ludibriis, post sibi innatis versutiis & fraudulentis consiliis id egerunt, ut frater fratrem me hisce privaret oculis. Habeas, fili mi, semper in memoria sancti Adalberti præconia, qui eorum ob facta crudelia ter, ut fiant super eos excidia, sancto ore confirmavit, & excommunicavit eos in Ecclesia. Quæ nutu dei jam bis sunt facta, tertio ut fiant, adhuc sunt sollicita fata.* At illi hæc audientes dissecabantur cordibus, & fremebant dentibus in eum ut leones: nec post multos dies Cohan, de quo supra retulimus, misso lictore suo, dum ille cæcus purgat ventrem in necessario, noctis in hora acutissima sica perforat eum in posteriora usque ad ventris interiora. Sicque justus vir velut Dei martyr Dux Jaromir obiit.

BRECISLAVS Dux. Sylv. cap. 15.

** Annalista Saxo legit: de gente Tepca.*

Anno Dominicæ Incarn. M. XXXVIII. nonas Novembr. Hactenus acta antiquitus liber continet primus. Sed quia (sicut ait Beatus Hieronymus) aliter visa, aliter audita, aliter narrantur ficta; quæ melius scimus, melius & proferimus: nunc auxiliante Deo & sancto Adalberto ea fert animus dicere, quæ ipsimet vidimus, vel quia ab his referentibus, qui viderunt, veraciter audivimus.

Explicit liber primus de Chronicis Boemorum.

PROOEMIVM, AD CLEMENTEM ABBATEM BREVNENSIS ECCLESIÆ.

A SPIRITVALI *Breunensis Cœnobii Patri Clementi, sic ex re nomen habenti, semper Theoriæ inhærenti, Cosmas haud dignus dici Decanus, Angelica consortia Senatus.* Cum multa mecum revolvens supersederem, quid potissimum caritatis viro tantæ sanctitatis transmitterem, quippe cui pondera auri & argenti sordent, solaque quæ sunt Spiritualia placent, optimum fore duxi tuæ tantummodo B voluntati obsequi. Intellexi enim per tuum clericum nomine Deocarum, qui mihi olim innotuit familiariter, quod meas nænias, quas olim Gervasio scripseram, velles videre libenter. Hac oblata occasione roboratus, imo cari amici persuasione compulsus, non solum quod optasti, verum etiam secundum ejusdem narrationis (ut ita dicam) libellum, quem similiter prout scire licuit a tempore Brecislai filii ducis Oalrici usque ad ejus æquivocum filium Regis Wratislai digestum, tuæ paternitati pandere præsumo. C Licet enim pater o venerande, divinas non cessas epotare scripturas, & profundos Philosophiæ semper exhaurias fontes; tamen hoc tam tenui liquore non dedigneris tua sacra proluere labra. Sæpe enim fit, ut post fortia vina & soporifera pocula, naturalis quandoque homini incidit sitis, sitque haustus puri laticis suavior dulcibus poculis. Sæpe sit ut Martis miles qui sudat in armis, gaudet virgineis se commiscere choreis, aut juvat in circo puerili ludere trocho. Sic tu, o sanctissime pater, jam grandia & syllogistica volumina linguæ, & hæc mea opuscula sensu puerilia, stylo rusticalia, perlege: ubi nonnulla subsannatione & derisione digna invenies, quæ utique idcirco memoriæ commendes, ut ea tibi a Deo collata sapientia quandoque ad unguem emendes. Quod autem in quibusdam locis quasi metricos versus invenis, scias me scienter nescium feciſſe, dum non feci versus. Vale. p. 25.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

IGITVR Dux BRECISLAVS jam in paterna sede vigoratus, quam Deo tam hominibus beneplacitis actibus calcans vestigium

p. 24.

gium patrum, & eos præcellens contigua arte virtutum, ſicut ſol in virtute ſua ſiderum lumen & Lunæ nimio ſplendore occulit & hebetat, ſic novus Achilles, *Brecislaus*, novis triumphis fortia acta & victorioſiſſimas atavorum palmas attenuat & obſcurat. Nam Deus talem ſibi gratiam contulit, ut quas ſingulis hominibus particulariter, has quoque huic indeficientes virtutes largitus eſt generaliter. Quippe hanc virtutum obtinuit accumulationem, ut in rebus bellicis ſtrenuitate præcelleret Gedeonem, corporis viribus exuperaret Samſonem, quadam ſpeciali prærogativa ſapientiæ præiret Salomonem. Unde factum eſt, ut in omnibus præliis victor exiſteret ceu Joſua, auro & argento locupletior eſſet Regibus Arabiæ, & undique inexhauſtis affluens divitiis, atque in largiendis muneribus non deficiens *aſſimiletur aquæ, quæ nunquam deſicit amne.* Huic conjunx *Juditha* nobiliſſima genere, fœcundiſſima prolis germine, genuit quinque juvenes corpore inſignes & ſupereminentes, ceu Hæmatiæ montes, ſapientia ſingulares, probitate nulli comparabiles, univerſa virtutum honeſtate laudabiles. Fuit autem primogenitus nomine *Spingnen*; ſecundus natu *Wratiſlaus*; tertius ſtemmate *Conradus*; quartus genitura *Jaromir*; quintus & ultimus *Otto* pulcherrimus. Horum de vita, & gloria, prout affluet verborum copia, ſufficienter in ſuis locis explicabitur. Quos adhuc poſitos in puerilibus, ſed ſtudiis pollere virilibus, pater valde miratur, *cernens egregium decus & par nobile fratrum. Nec minus angebant matrem ſua gaudia lætam* de tanto provectu filiorum; & magnificæ gloriæ ſtatu.

Brecislai expeditio Polonica.

Ea tempeſtate *Kazimir*, Polonienſi nobiliſſimo Duce, (77b) ab hac ſubtracto luce, filiis ejus *Boleslao* & *Vladislao* adhuc in infantia poſitis ad ubera lactis, una ſpes erat ſalutis in miſera fuga, fugientibus per diverſa loca Polonienſibus. Quod animadvertens Dux *Brecislaus*, quarto anno ſui ducatus optimum fore ratus, ne differret oblatam occaſionem calumniandi ſuis inimicis, imo ulciſcendi de illatis injuriis, quas olim Dux *Mesko* intulerat Boemis, (77c) quantocius potuit, inito conſilio cum ſuis eos invadere ſtatuit, ſtatimque terribilem dictat ſententiam, totius Boemiæ per provinciam mittens in ſignum ſuæ juſſionis torquem de ſubere tortum, ut quicunque exierit in caſtra ſegnius dato ſignaculo, ſciret procul dubio, tali torque ſe ſuſpendendum in patibulo. Quibus in momento in ictu oculi congregatis in unum & usque ad unum, intrat terram Poloniæ ſuo viduatam Principe, & eam hoſtiliter invaſit, & velut ingens tempeſtas furit, ſævit, ſternit omnia; ſic villas cædibus, rapinis, incendiis devaſtavit; in munitiones irrupit. *Krakou* autem eorum metropolim ingreſſus a culmine ſubvertit, & ſpolia ejus obtinuit: inſuper & veteres theſauros ab antiquis Ducibus in ærario abſconditos evolvit, ſcil. aurum & argentum infinitum nimis. Similiter & cæteras urbes igne ſuccendit, & usque ad ſolum deſtruxit. Cumque perveniſſent ad caſtrum *Gdec*, (77d) caſtellani & ſimul qui illuc confugerant villani, non valentes ferre impetum Ducis, exeunt ei obvium, auream geſtantes virgam, (quod erat ſignum deditionis) & ut eos pacifice cum ſuis pecoribus & cæteris rerum appendiciis transferat in Boemiam, ſuppliciter rogant. Quorum Dux petitionibus adquieſcens, poſtquam perduxit eos in Boemiam, dat eis partem ſylvæ, quæ vocatur *Cirnin*, non modicam, conſtituens eis unum ex ipſis præfectum & judicem; & decernit, ut ſub lege, quam in Polonia habuerant, tam ipſi, quam eorum poſteri, in ſempiternum vivant; atque nomine ab urbe derivato usque hodie nuncupantur *Gedecane*. *Gedecani.* Nec longe a prædicta urbe ventum erat ad Metropolim *Gnezden*, natura loci & ante murali firmam, ſed facilem capi ab hoſtibus, raris eam inhabitantibus civibus. Ubi tunc temporis in baſilica S. Dei genitricis Mariæ perpetuæ Virginis, precioſiſſimus quieſcebat theſaurus, ſcil. beatiſſimi *Adalberti* Martyris corpus. Qua mox Boemi ſine Marte potiuntur urbe, & cum magna lætitia intrant S. Eccleſiæ limina, atque omni præda poſthabita ſolam ſibi poſcunt dari pro Chriſto paſſam ſacri corporis precioſam maſſam. Quorum præſul *Severus* ut vidit temeritatem, & pronam in omne fasque nefasque ſenſit voluntatem, talibus alloquiis tentat eos revocare ab illicitis auſis: *Fratres mei, & filii Eccleſiæ dei, non jam ex facili conſtat, ſicut vos æſtimatis, ut ſacram corporis glebam dei virtutibus plenam quis mortalium tam temere præſumat tangere. Timeo enim valde, ne* p. 26. *percellamur aut mentis oblivione, aut cæcitate, aut aliqua membrorum debilitate, ſi id temere præſumpſerimus agere. Quapropter prius triduo jejunate, de peccatis veſtris pœnitentiam agite, & ab omnibus abominationibus, quas*

(77b) *Caſimirus* hic fuit filius *Miſeconis*, ſive *Micislai*, Ducis Polonorum, ex conjuge *Richſa*, vel *Rikeſa*, *Ottonis* III. *Imp.* nepte, procreatus. Cum hæc *Richſa* ob pellicem a marito diverterat, filium infantem *Caſimirum*, ſecum abſtulerat. Quem poſtea Poloni, lacerato diſcordiis regno, jam Monachum apud Cluniacenſes, & ad *Diaconatus gradum* promotum, legatione miſſa, repetierunt. Vid. *Monachi Brumvillerenſis narratio de Comitibus Palatinis Rheni* &c. apud Leibnitium, *p.* 320; & Leibnitii *Præfat. T. I. Script. rerum Brunsvic. præmiſſa, d.* 2. Caſimiri hujus Patrem & Avum (ut Polonos ſcriptores nunc taceamus,) indicat etiam Wippo, de *vita Chunradi Salici*, *p.* 438. *ad A.* 1032: *Bolislaus*, inquit, *Dux Bolanorum mortuus, reliquit duos filios, Miſiconem & Ottonem. — Defuncto Miſicone, Caſimirus, filius ejus, fideliter ſervie-bat hucusque Imperatoribus noſtris.* Conf. Chronographus Saxo, *p.* 244. *ad A* 1034: *Hujus* (Miſeconis, Ducis Polonorum) *filius, Kaſimer, cum matre ſua a Polonis de provincia expulſus diu in Saxonia exulavit. Nam mater ipſius ſoror fuerat Colonienſis Archiepiſcopi. Interim Polonia a vicinis nationibus & maxime a Boemis multum devaſtata eſt, & reliquiæ S. Adelberti Sanctorumque Benedicti & Johannis cum cæteris de eadem provincia translatæ ſunt.*

(77c) Qui hanc cauſſam aut neſcierunt, aut minime perpenderunt, Brecislao latrocinium impingunt, cenſente Balbino, *Epitom. rer. Bohem. Libr.* II. *cap.* XIV. *p.* 153. & *Libr.* III. *cap.* II. *p.* 164.

(77d) Dicitur & Sideeca, arx munita.

ipſe

ipse abominatus est in nobis, abrenunciate, & ex toto corde, quod eas ultra non faciatis, promittite. Spero enim in misericordia Dei, & nostri patroni Sancti Adalberti, quod non privabimur spe petitionis nostræ, si persistimus fidei in devotione & precum assidua oratione. At illis visa sunt Præsulis verba quasi deliramenta, & continuo aures suas continentes fecerunt impetum, ut raperent sacrum corpus, & quia post altare juxta parietem conditum fuerat, & aliter evelli non poterat, nisi altare destrueret manus improba cum mente ferina, operantur profana, sed non defuit ultio divina. Nam in ipso opere suæ temeritatis steterunt sensibus obstupefactis, nec erat vox, nec sensus, nec visus, per trium fere horarum spatia, donec iterum propiciante gratia Dei rehabuere pristina officia. Moxque licet sero pœnitentia ducti, faciunt jussa Episcopi; & quanto erant divino nutu evidentius castigati, tanto devotius perstabant precibus infatigati, triduo jejunantes, & veniam postulantes. Tertia nocte *Severo* Episcopo post matutinalem synaxim quiescenti Sanctus Præsul in visione apparens Adalbertus: *dic*, ait, *ista Duci & ejus Comitibus. Pater de cœlis dabit, quod petitis, si non repetitis mala, quibus abrenunciastis in fonte baptismatis.* Hoc mane cum Præsul innotesceret Duci & ejus Comitibus, mox exhilarati intrantes Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & ante sepulcrum Sancti Adalberti humi prostrati diu, fusa communi oratione, surgit Dux, & stans in umbone hac rupit silentia voce: *Vultis prævaricationes vestras emendare, & a pravis operibus respiscere?* At illi obortis clamant cum lacrymis: *Emendare parati sumus, quicquid in sanctum Dei patres nostri vel nos prævaricati sumus, & a pravo opere omnino cessare.* Tunc Dux extendens manum suam super sacram tumbam, sic orsus est ad populi turbam: *Extendite fratres simul vestras ad Dominum dextras, & ad meos attendite sermones, quos volo & vestræ fidei sacramento confirmetis. Ergo hoc meum maximum & primum sit decretum, ut vestra connubia, quæ hactenus habuistis ut lupanaria, & cum brutis animalibus communia, a modo juxta canonum scita sint legitima, sint privata, sint insolubilia, ita duntaxat, ut vir una conjuge, & conjunx uno viro contenti vivant. Si autem conjunx virum, aut vir conjugem spreverit, & rixa inter eos usque ad discidium efferbuerit, qui ex eis in priorem copulam legitime celebratam redire noluerit, nolo, ut secundum ritum nostræ terræ hujus rei violator in servitutem redigatur, sed potius nostri immutabilis decreti per Ungariam, qualiscunque sit persona, redigatur in Ungariam, & nequaquam liceat, ut pretio se redimat, aut in hanc terram redeat, ne unius contagio ovicula totum Christi serpat per ovile.* Severus Episcopus dixit: *Quicunque aliter fecerit, anathema sit. Eadem sententia sint plectendæ virgines & viduæ adulteræ, quæ nomen bonum amisisse, & pudorem corrupisse, ac per sortum concepisse dignoscuntur. Nam cum liberum nubendi habeant arbitrium, cur committunt adulterium, & conceptus suos avorcivant, quod est pessimum scelus scelerum.* Tunc Dux subjungens inquit: *& vero mulier proclamaverit pari vice non amari, sed inclementer a viro affligi & prosligari, detur inter eos judicium Dei: & qui inventus fuerit reus, solvat pœnas rei. Similiter & de his, qui homicidiis infamantur, Archipresbyter Comiti illius civitatis nomina eorum asscribat, & Comes eos conveniat; & si sunt rebelles, in carcerem redigat, donec aut pœnitentiam dignam agant; aut si negant, ignito ferro, sive adjurata aqua, utrum culpabiles sint, examinentur. Fratricidas autem & parricidas, sive sacerdotum interfectores, & hujusmodi capitalibus criminibus irretitos, Archipresbyter assignet eos Comiti vel Duci, qui per manus & ventrem ferratos de regno ejiciat, ut ad instar canum * vagi & profugi circumeant terram.* Severus Episcopus dixit: *Ista Ducis deliberatio justa sit anathemate firma. Nam ad hoc vobis Ducibus mucro pendet in femore, ut manus vestras sæpius lavetis peccatoris in sanguine.* Iterum Dux: * *Tabernam*, inquit, *quæ est radix omnium malorum, unde prodeunt furta, homicidia, adulteria, & cætera mala, & qui parat, & qui paratam comparat.* Severus Episcopus dixit: *Anathema sit.* Et Dux; *Qui*, inquit, *comprehensus fuerit hujus violator decreti, tabernarius in medio foro ad palum suspensus, & usque ad fastidium præconis cæsus depiletur: res tamen ejus non infiscentur, sed potius tantum in terram projiciantur, ne quis execrabili hausto polluatur. Potatores autem, si deprehensi fuerint, non prius de carcere exeant, quam in fiscum Ducis unusquisque CCC. nummos componat.* Severus Episcopus dixit: *Quæ Dux judicat, nostra authoritas firmat.* Adhuc Dux prosequitur dicens: *Fora autem dominicis diebus omnino ne fiant, interdicimus: quæ ideo maxime in his celebrant regionibus, ut cæteris diebus suis vacent operibus. Si quis autem quam dominicis tam festis diebus, publice ad Ecclesiam feriari indictis, in aliquo servili opere inventus fuerit, ipsum opus & quod in opere ejus inventum, Archipresbyter tollat jumentum, & CCC. Ducis in fiscum solvat nummos. Similiter & qui in agris, sive in sylvis, suos sepelliunt mortuos, hujus rei præsumptores Archidiacono bovem & CCC. in fiscum ducis solvant nummos: mortuum tamen in polyandro fidelium humi condant denuo. Hæc sunt quæ odit Deus, hæc sanctus Adalbertus pertæsus nos suas deseruit oves, & ad exteras maluit ire docturus gentes. Hæc ut ultra non faciamus, nostræ simul & vestræ fidei sacramento confirmamus.* Sic ait Dux, & Præsul, sanctæ Trinitatis nomine invocato, & malleo assumpto, cæteris clericis septem Psalmos & alias huic operi competentes orationes hymnizantibus, cœpit molliter destruere summa sepulchri, destruens eum usque ad ima thesauri sacri; & cum aperuissent sarcofagum, omnes, qui in Ecclesia aderant, tanta fragrantia suavissimi odoris sunt referti, ut per tres dies quasi opimis ferculis re-

A B C D

* *Annalista Saxo legit. Cain.*

* *Oenopolium.*

Brecislai Ducis leges.

p. 27.

fecti obliviscerentur cibo resici: quin etiam & infirmi sanati sunt eodem die quamplurimi.

S. Adalberti reliquiæ translatæ.

Tunc dux & Episcopus & pauci Comitum inspicientes, ut viderunt sanctum dei ita vultu & habitu clarum, & sic corpore integrum per omnia, ac si eadem die sacra missarum celebrasset solemnia; Clerici *Te Deum laudamus*, Laici *Kyrieeleyson* modulantur, & resonant voces eorum usque ad æthera. His ita peractis, Dux præ gaudio faciem perfusus lacrymis sic orat: *O Christi martyr, beate Adalberte, nostri semper & ubique miserere: nunc solita nos respice pietate, nobis peccatoribus propitiare, atque tuam sedem Pragensis Ecclesiæ per nos quamvis peccatores referri non dedignare.* Mira res & valde stupenda, cujus tumbam nudius tertius contingere non poterant, continuo dux & Episcopus sine impedimento corpus ejus sarcofago levant, & serico cooperientes in superiori altari locant, ut plebs sua vota solvat, quæ deo & ejus sancto voverat: atque eadem compositæ sunt CC. marcæ altaris in arce. *O Deus omnipotens mundum per sæcla revolvens. Qui semper regnas, solus qui cuncta gubernas. Nil fit nec fuit in mundo nec erit bone Christe tuo sine nutu.* Quisnam mortalis hæc unquam credere posset, ut ad gentes apostatrices jam in cælesti regno laureatus corpus suum referri sineret, quarum aspernatus facinora aufugit consortia, cum adhuc viveret. Sed si majora Dei & antiqua miracula perpendimus, quomodo populus Israeliticus sicco vestigio transivit mare, qualiter de sicca rupe fluxerunt aquæ, vel qualiter factor orbis apparuit in orbe natus de Maria Virgine; non admirari, sed potius Deo, qui fecit & facere potest, quæ vult, nos decet humiliari, & ejus gratiæ totum assignare, cujus gratia inspirante ascendit in cor Ducis, ut similiter transferat corpus Archipræsulis ejusdem civitatis nomine *Gaudentii*, qui in eadem Ecclesia forte quiescebat. Hic (uti superius retulimus) non solum carnali, verum & spirituali conjunctione frater sancti Adalberti, & comes individuus in omni labore & ærumna fuit, & si cum eo non corpore martyrium, mentis tamen compassione tulit. Nec enim fieri poterat, ut gladius animam ejus non pertransiret, cum germanum suum romphæis paganorum in frusta concidi videret, & ipse pariter occidi valde optaret. Item visum est Duci & Episcopo, ut *quinque fratrum* reliquias sancto corpori adjunctas, quorum de vita ac passione Deo donante relaturi sumus, qui in eadem Civitate, sed in alia Ecclesia quiescebant, pariter cum summa diligentia transferant. Quid multa? Ventum erat cum omni sacra sarcina in prosperitate & lætitia Boemiam, & in Vigilia sancti Bartholomæi Apostoli prope metropolim *Pragam* castra metati sunt circa rivulum *Rokitrucam*, ubi

A

B

C

D

lucescente die clerus & universa plebs cum processione occurrit, cujus longam seriem latus vix explicuit campus. Talis enim processio fuit: Dux ipse & Episcopus humeris subnixi dulce pondus portant Martyris Christi *Adalberti*. Post simul Abbates ferebant reliquias *quinque fratrum*. Deinde Archipresbyteri gaudent onere *Gaudentii* Archiepiscopi: Quos electi XII. presbyteri, vix sustentantes pondus aurei crucifixi, sequuntur. Nam Dux *Mesko* ter semetipsum hoc apponderarat auro. Quinto loco ferunt tabulas tres graves auro, quæ circa altare, ubi sanctum corpus quievit, positæ fuerant. Erat tamen major tabula quinque ulnarum in longitudine, & decem palmarum in latitudine, valde adornata lapidibus preciosis & crystallinis sachis, cui inscriptus fuit hic in margine versus: *Ter centum libras apponderat hoc opus auri.* Postremo plus quam centum plaustris ducunt immensas campanas, & omnes Poloniæ gazas. Quas sequitur innumera nobilium virorum turma, astricti manicis ferreis, & contriti colla bagis, * inter quos heu male captus adductus est *consors in Clero presbyter officio.* O dies illa dies Boemis honoranda, & per secula memoriæ commendanda, sacris misteriis frequentanda, dignis præconiis celebranda, laudibus devotissime veneranda, divitibus lætabunda, debilibus exoptanda, pauperibus jucunda, datione eleemosynarum decoranda, & omnibus studiis excolenda, in qua festis festa refulgent accumulata. O nimium felix Metropolis Praga, olim sacro duce sublimata, nunc beato Præsule decorata, a Domino Deo tibi collata excipis gaudia geminata, & per eas binas misericordiæ olivas *fama volas ultra Sauromatas atque Jazygas.* Facta est autem hæc translatio beatissimi Christi martyris Adalberti. (78)

f. hujus.

p. 28.

An. Dom. In. M.XXXIX. Kal. Sept. Sed his prosperis a Deo concessis improbus delator non desistit, qui Apostolico, uti gesta hæc erant, divinas sanctiones & sanctorum patrum traditiones violasse Ducem Boemiæ & Episc. promulgavit; & si hoc inultum domnus Papa prætermitteret, jura Apostolicæ sedis per totum mundum observanda imminueret. Continuo sacer conventus celebratur, Canones recitantur, sacræ scripturæ scrutantur, Dux & Episcopus quamvis absens de præsumtione arguitur: alii Ducem omni dignitate privatum per tres annos in exilium decernunt; Alii Episcopum ab omni Pontificali officio suspensum quoad usq; vivat, in claustro Monachorum degere judicant: alii ambos gladio anathematis feriendos clamant. Interea legati Ducis & Episc. Boemorum ex parte totius populi & ipsorum Romam adveniunt, ferentes mandata magis muneribus oblita, quam facundia verborum polita. Quibus ubi data est copia fandi, in conspectu Apostolici (79) & sacri Concilii tali sermone cau-

(78) De elevatione S. Adalberti, ejusque in Bohemiam translatione, multa collegerunt: Pontanus, in *Bohemia pia, libr.* II; & Weleslavinus, in *Calendar. histor. ad 23 Augusti*; Baronius, in *Annal. Eccles. ad A.* 1039. Sigillatim autem Balbinus, *libr.* III. *Epit. rer. Bohem. cap.* IV. copiose disquirit, verumne *Adalberti* corpus habeat Bohemia; an aliud, ut Poloni quidam scriptores tradunt, suppositum, & fraude subditum, idque a ministris Pragam ex Gnesnensi Ecclesia deportatum?

(79) Tunc Pontifex Romanus fuit *Benedictus* IX.

sam

Legatio Romam.

sam suæ legationis sunt persecuti: *O fidei Catholicæ & sedis Apostolicæ sanctissime Rector, & o patres in libro vitæ conscripti, quibus a Deo collata est potestas judicandi simul & miserendi: nisi veremini peccasse consitentibus, parcite pœnitentibus, simul & veniam postulantibus. Fatemur enim quod illicita & contra statuta Canonum egimus, quia de tam longinquis partibus ob tam breve temporis spatium ad tam sanctum negotium vestrum nequivimus habere nuntium. Sed quicquid est illud, quod fecimus, sciatis, o patres conscripti, nos non ex temeritate, sed pro magna utilitate Christianæ religionis atq; bona intentione id fecisse. At si unquam bona intentio cadit in vitium, o sanctissimi patres, secundum vestrum judicium parati sumus emendare nostrum flagitium.* Ad hæc Apostolicus paucis: *Si pœnitet,* inquit, *haud nocet error.* Mox legati summoti

Pontificis venia.

a Concilio potiuntur hospitio; sequenti die reddituri rationem in judicio. Illa autem nocte Ducis missi & Episc. circumeuntes corruperunt pecunia Cardinalium astutiam, auro supplantant justitiam, mercantur precio clementiam, muneribus leniunt judicialem sententiam. Posiera autem die iterum legatis sacri Concilii in Capitolio præsentatis, domnus Apostolicus os aperuit sacrum, ponderosis verbis & auctoritate plenum: *Sicut,* inquit, *pertinacibus in impietatis culpa est sævior exerenda vindicta; ita reatum suum recognoscentibus & pœnitentiam desiderantibus facilem præbemus assensum, & ab hoste & inflictis vulneribus misericordiæ adhibemus antidotum. Magnum enim peccatum est aliena rapere: Sed majus Christianos non solum spoliare, verum & captivare, & captivatos ceu bruta animalia vendere, nimis est abominabile; quod vos perpetrasse in Polonia, nobis relatum est per veridica nuncia. Quod autem nulli liceat sine nostra permissione de loco ad locum sacrum transferre corpus, testantur Canones, prohibent Patrum decreta, & præsumptores hujusmodi rei divina jubent eloquia gladio anathematis ut feriantur. Sed quia vos sive per ignorantiam, sive bonæ intentionis ob gratiam, hanc rem fecistis; præcipimus, ut pro hac tam temera præsumptione Dux vester & Episc. cœnobium omnibus ecclesiasticis usibus & honoribus sufficienter amplificatum in competenti loco construant, probatasque personas ac officia servientium clericorum ex more constituant, ubi DEO sedulum servitium tam pro vivis fidelibus, quam pro defunctis, in sempiternum exhibeatur, ut saltem vel sic in conspectu DEI reatus vestri transgressio deleatur.* Mox legati valde exhilarati proficiscuntur, & referunt Duci jussa Apostolici. Quibus Dux velut divinis jussis obtemperans, sub honore sancti Wenceslai Martyris in urbe *Boleslai* juxtà flumen Labe, ubi idem sanctus olim feliciter consummavit martyrium, venustissimum fabricavit cœnobium, (80) in quo (sicut & hodie cernitur) DEO servit caterva fratrum numerosa, & habetur præpositura & basilica valde religiosa.

An. Dom. Inc. M. XL. Fama, qua nullum pejus malum viget in mundo, & quæ mendaciis pingescit, & miscens plura paucis, falsa veris, volando crescit, perfert ad aures Imp. Henrici II. centies plus quam verum fuit, pondus auri & argenti Boemos de Polonia asportasse. Tunc Imper. cœpit quærere occasiones adversus eos, quomodo ab eis, quodquod sibi dictum fuerat, eriperet aurum. Et mandans per quæstionarios, ut argentum, quod in Polonia rapuerant, nisi infra statutum terminum vsque ad unum obolum sibi minant, minatur bellum. (81) Ad hæc Sclavi inquiunt: *Semper salvo tenore vestræ legis fuimus & hodie sumus sub Imperio Caroli R. & ejus successoribus nostra gens nunquam extitit rebellis, & tibi in omnibus bellis manstt, & semper manebit fidelis, si justitiam tantum nobis facere velis. Talem enim nobis legem instituit Pipinus Magni Caroli R. filius, ut annuatim Imperatorum successoribus CXX. boves electos & D. Marcas solvamus. Marcam nostræ monetæ CC.*

Bohemiæ tributum. Syl. a. 13.

(80) Videtur hic Cosmas ex usu illorum temporum *Collegium Canonicorum Boleslaviense* vocare *Cœnobium*; cujus etiam meminit infra ad A. 1046. 1070. 1091. 1094. & 1096. Exemplar literarum Ducis Brzecislai, quibus *Collegiatam* istam *Ecclesiam* Boleslaviæ fundavit, exhibet Balbinus, *libr.* III. *cap.* VI. *Epitom. rer. Bohem.* de quibus vero quæ dubia nobis occurrant, jam non vacat exponere.

(81) Hanc Henrici III expeditionem in Bohemiam, A. 1040, sed parum feliciter factam, aliquot scriptores veteres commemorant. v. g. Hermannus Contractus, ad A. 1040. p. 137: *Henricus Rex,* inquit, *Boemiæ Ducem bello petit; sed multis proceribus & militibus in præstructione sive citra & ultra cæsis, vel captis, nihil dignum efficere potuit.* Lambertus Schafnaburgensis, p. 159. Eadem leguntur in Mariani Scoti *Chronico*, p. 450; item in *Annalibus Hildesheimensibus*, apud Leibnitium, p. 730; sed utrobiq; ad A. 1041; ibiq; *Bratislaus* scribitur *Fratislaus.* Sigbertus Gemblacensis, ad A. 1040, p. 396: *Henricus Imperator,* inquit, *vadit ad debellandum Odeiricum, Boemanorum Ducem, sed Boemanis viriliter resistentibus inefficax redit.* Ubi *Brecislaus* per errorem nominatur *Odeiricus*, sive *Udalricus*, qui fuit pater *Brecislai.* Plura, quæ ad hunc Cosmæ locum illustrandum faciunt, affert Chronographus Saxo, *ad A.* 1040, *p.* 247. *Rex,* (Henricus III) inquit, *adscensionem Domini Niumago; Pentecosten vero Leodio, celebravit; debinc expeditionem in Boemiorum regionem ceadunato exercitu destinavit. Inde comitatu in eadem regione digrediente, & Ottone Marchione* [de Suinvorde] *cum Bavariis explorandi causa per saltuosa & invia irrumpente, quidam ex latere Regis emisso, sperantes, se fortiter facturos, obstructionem quandam in saltu expugnaturi inconsulte processerunt, ibique præsentis insidiis a sagittariis circumventi. Wernherus Comes, primicerius & signifer Regis, cum aliquot sateEitibus, & Reinhardus Comes cum electissimis ex familia S. Bonifacii cruenta, proh dolor, cæde procubuere. Posteriori vero die ex legione Ottonis, quæ prætergressa est, eandem obstructionem ex alia parte aggressi cum Bavaricis pluribus militibus perempti sunt. Saxones autem cum Metropolitano Mogontiaco, Bardone, & EKKEHARDO, Marchione* (Donin) *convenerunt, & eandem regionem, divina eos, ut clarnit, protectione comitante, cum parva admodum manu, die Dominica IX Kal. Sept. violenter introierunt, & per IX dies potestative peragrantes, cæde, præda, incendioque, vastaverunt, donec venerabili viro, Guntario Monachо, cum legatione Regis adveniente, pace data & accepta, victores redierunt.* Conf. Annalista Saxo, *ad A.* 1040, apud Dn. Eccardum *T. I. Corp. Histor. p.* 475; qui *Annalista* isti narrationi adhuc hæc verba addit: *Tres tantum ibi illustres de nostratibus, Geroldus, Radulfus, & Buco, II Kal. Sept. procubuerunt.*

nummos dicimus. Hoc teſtatur noſtratum ætas in ætate, hoc omni anno ſine refragatione tibi ſolvimus, & tuis ſucceſſoribus ſolvere volumus. At ſi aliquo præter ſolitum legis jugo nos aggravare volueris, mori potius prompti ſumus, quam inſuetum ferre onus. Ad hæc Imp. reſpondit: *Regibus hic mos eſt ſemper, aliquid novi legi addere anteriori. Neque enim omnis lex eſt conſtituta tempore in uno, ſed per ſucceſſores Regum crevit ſeries legum. Nam qui regunt leges, non reguntur legibus: quia LEX (ut aiunt vulgo) CEREVM HABET NASVM, & Rex ferream manum & longam, ut eam flectere queat, quo ſibi placeat. Pipinus Rex fecit, quod voluit: vos autem, niſi, quod volo, faciatis, oſtendam vobis, quod pictos habeam clypeos, aut quid bello valeam.* Et ſtatim mittens literas per totum regnum valde fortem colligit exercitum. Altera via, qua itur per *Zrbiam*, (82) & eſt exitus de ſilva in iſtam terram per Caſtrum *Hlumer*, juſſit Saxones intrare Boemiam. Quorum tunc temporis Dux erat *Okardus*, (83) cui omnis Saxonia tanquam Regi paruit per omnia. Fuit enim vir magni conſilii, & in ordinandis regni negotiis ſingulari ſolertia præditus, & rebus bellicis a pueritia deditus: Sed nunquam belli obtinuit felices ſucceſſus. Ipſe autem Cæſar caſtra metatus eſt ex utraque parte fluminis *Rezne*. Poſtera autem die pertranſiens Caſtrum *Kamb*, cum admoveret aquilas ſylvæ, quæ dirimit Bavariam atque Boemiam, ut cognovit, quod obſtruerent Boemi vias per ſylvam, indignatus parum tacuit, concutiensque caput ter concipit iras Cæſare dignas, atque in hæc verba ſolvit ora: *Licet exſtruant muros ſilvis altiores, licet elevent turres ſublimes usque ad nubes, uti fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum, ſic nihil valent contra Theutonicos oppugnacula Boemorum. Aut ſi aſcendent ſuper nubila, aut ſi includant ſe inter ſydera, perditam & miſeram gentem nihil iſta juvabunt. Sic ait, & juſſit cunctos irrumpere ſylvam*, & ipſe eos præcedens aſcendit montem altum in media ſilva ſitum, ſedensque in tripode dixit ad aſtantes totius Regni Principes: *Hac in valle cohors ignava latet Boemorum, quaſi mus agreſtis in ſuis receptaculis antrorum.* Sed fefellit Cæſarem ſua opinio: nam ultra alterum montem fuit illorum munitio. Tunc unumquemque Cæſar appellans nomine, prius Marchiones, dehinc quosque nobiliores armatos præmittens, jubet pedeſtres ire in pugnam, his verbis pollicitans eis victoriam: *Non eſt*, inquit, *vobis opus laborioſo certamine: tantum deſcendite, certe ipſi fugient prætimore: nequeunt enim veſtrum impetum ferre. Ite mei, ite falcones, pavidas capite palumbes, & ut feroces leones, more luporum, qui, dum irrumpunt ovilia ovium, non curant de numero, & non niſi toto grege mactato potiuntur edulio.* Mox ſecundum juſſum Regis ruunt loricata agmina; de primo loco pugnæ certant proceres, conſpicuæ nitent acies, ut lucida glacies; & ut ſol refulſit eorum in arma, reſplendent frondes ſylvarum ab eis & cacumina montium. Deſcendentes autem in vallem, neminem inveniunt: quia hinc & illinc ſpiſſa ſylva & inpenetrabilia ſunt loca. Et ſicut ſolet in omni certamine fieri, ſubſequentes etiam invitos impellunt ad pugnam præcedentes, ſic jam fatigati proceres iterum coguntur a ſubſequentibus transcendere alterum montem. Sed jam & ſiti ſicco lingua adhæret palato, vires deficiunt, dexteræ langueſcunt, anhelitus ægros de pectore trahunt: nec tamen ſiſtere gradum. Alii ſuper ſcuta ſuas loricas dejiciunt, alii ſtant appodiati *arboribus, frustra inanem auram captantes; alii jacuere ut trunci, homines craſſi & inſueti itinere certamine pedeſtri: & cum applicuiſſent munitioni, exoritur undique clamor, aſcendit ut nebula ſuper ſylvam fatigato de corpore vapor. Quod videntes Boemi, ad breve tempus hæſitaverunt, moxque ut intellexerunt viribus eos defeciſſe, audacter proſiliunt de munitione. Audaciam dabat eis invicta ſoror Fortunæ Bellona. O Fors Fortuna, nunquam es perpetuo bona, *inſtabilique rotâ magnates mergis in ima.* Fortunatorum en ora verenda virorum ungula ferrata ſaltantium fœdat equorum, & ventres in delitiis ac lumbos balteis bis cocco tinctis præcinctos runcinus* pede rumpit, & diſtrahit inteſtina & exta ceu faſciam aut ligamina cruris. *Plura referre pudet de tantæ nobilitatis Morte repentina nec ſcriptis promere digna.* Tanta tamen nobilium facta eſt ſtrages virorum, quanta nec in campis Æmathiæ, nec in tempore Syllæ, nec aliqua mortalium peſte, nec hoſtili unquam fertur ſimul Theutonicorum interiſſe nobilitas. Interea Cæſar ſedens montis in ſupercilio, ſuæ mentis fallitur augurio. Nam dum ſuos vinci non æſtimat ab hoſte, victores, ut vidit, adeſſe cruentos, inſiliens tergo ſemipedis incumbit jubis, & admovet lumbis calcar quadrupedis Cæſar. Quem niſi habuiſſet promptum, eadem

p.29. *Okardus Dux Saxoniæ.* *Chamb.* *i. inclinati.* *Strages Germanorum.* *i. equus.*

(82) *Zrbia*, ſcribitur alias *Sirbiâ*, *Svirbia*, *Sorbia*, *Sorabia*; quo nomine Cosmas noſter ſigillatim videtur deſignare *Misniam*; uti & auctor *Vitæ Viperti Groicenſis*, *Cap.* XII. §. 1. *Sirbiam* a *Luſitz*, ſive *Luſatia* diſtinguit; cum alias *Sirbiæ*, vel *Sorabiæ* nomine, Luſatia ſuperior, Miſnia & pars Saxoniæ ſuperioris ad Hercyniam comprehendantur. Vid. Sagittarius, in *Hiſtoria Luſatica*, §. XIII, *ſeqq.*

(83) *Okardus* hic a Fabricio & Dreſſero, dicitur *Eccardus* II. filius Eccardi I. qui poſt fratrem *Herimannum* fuit *Marchio Miſniæ*. Cujus nomen quam varie ſcriptum reperiatur, & quas idem res geſſerit, ſingulari Diſſertatione de *Hiſtoria Eccardi* II. *Marchionis Miſniæ*, A. 1680 Jenæ habita, expoſuit Caſpar Sagittarius. Mortuus hic Marchio eſt A. 1046. teſte Hermanno Contracto: *Eggehardus*, inquit, *Marchio ditiſſimus, ſubito moriens, prædiorum ſuorum hæredem reliquit Regem.* Cur autem hic Eccardus *Marchio* a Cosma dicatur *Dux*; ratio reddi poteſt ex iis, quæ Dn. ab Eckard, in *Præf. Hiſtoriæ Geneal. Principum Saxon. Super.* §. *V. p.* 8. annotavit. *Notandum eſt*, inquit, *Marchiones & Comites aliquando Duces a ſcriptoribus medii ævi vocari; non tamen promiſcue, ſed cum iidem exercitum, a Ducis exercitu ſeparatum, in hoſtem duxiſſent. Marchiones præcipue copias in aggreſſores patriæ ire paratas ſemper ad manus habebant; unde & Ducibus pene pares erant.* Interim tamen & illud notandum eſt, quod Dubravius, cum hæc narrat, *Bernhardum* nominet, proprie dictum illius temporis *Ducem Saxoniæ*. Conf. Æneas Sylvius, *cap. XIX Hiſt. Boh.*

horæ

hora descendisset in Orcum sine mora Romanus Imperator. Dum hæc ibi geruntur, Saxones cum Duce *Okardo*; (de quo supra dixi) Boemiam ingrediuntur, & unam parvam regionem, quæ est circa fluvium *Belinam*, hostiliter demoliuntur. Interea Dux eorum famam, ut percepit sinistram; Sclavos de Cæsare habuisse victoriam, fixit gradum ad pontem *Gneum*, juxta fluvium *Belinum*, valde sollicitus, utrum bello fortunam tentaret, an cum tanto dedecore repatriaret? Maluit tamen prius experiri animum Ducis, & per nuncios tentans eum verbis suadet amicis: *Qui e modo pugnando vicisse gaudes, si supplicando vicisses, melior multo victor fuisses. Propterea noli temetipsum super te inaniter exaltare, quin durum tibi est contra stimulum calcitrare. Nam qui modo quasi parcendo vobis & miserando vestram terram cum pacis intrabat; ejus interim gratiam nisi inveneritis, cito cum tanta multitudine exercituum superveniet, quibus nec fontes vestri sufficient, & quos vestra terrula vix capiet; tunc erunt noviſſima pejora prioribus. Unde iterum admoneo te, & consilium do, ne totum, quod possidere videris, amittas. Regina pecunia, quæ omnia superat, iratos placat, inimicos reconciliat, per tibi fideles amicos non modicam Cæsari mittas, quatenus pro te ipsa intercedat, & ejus tibi gratiam acquirat.* Ad hæc Dux Brecislaus ira commotus, salubres sprevit monitus, p. 30. & innixus manum capulo sic ait: *Dicite vestro Okardo, consilii satis est mihi, neve monendo profeciſſe putes. Audiant te Saxones* saccis (84) *rigidiores, & si qui sunt inconsulti homines, qui te sapere aliquid putant. Ego autem, nisi his in tribus diebus hac de mea provincia sine omni violentia exeas, hoc ense caput tuum abscindam, & tua ora ponam tibi ad posteriora. Cæsaris in curte quid agatur, non mihi curæ est: quamdiu in femore Brecislai pendet ensis, non lac, sed similis fluet sanguis ex latere Cæsaris.* Quæ tum duci relata fuissent, quamvis nimis ægre id tulisset, tamen invitus ceu lupus, qui cum amittit prædam, & investigantibus canibus submittens caudam repetit sylvam; sic Dux *Okardus* cum magno dedecore repedat in Saxoniam. Item relatum est Duci Brecislao de *Picos* *Comite, * al. Procopio. Syl.* (85) qui præfuit *Bolin* in urbe, quod corruptus Saxonum pecunia non stetisset ex adverso munitionis in custodia; Sed ubi sunt nemora hostibus pervia, ibi posuisset præsidia. Hunc tamen dux præfecerat toti cohorti, quæ fuit de Moravia, & tribus legionibus, quæ fuerant missæ in auxilium de Ungaria. Quem statim Dux iratus erutis oculis, manibus & pedibus abscissis, jussit præcipitare in abyssum fluminis. * *Bicolinz. Syl.*

Anno Dom. Incarn. M. XLI.

An. Dom. Inc. M. XLII. *Henricus*, Imperator, semper magnificus triumphator, volens ulcisci suorum ruinam inclytorum, intrat tribus itineribus terram Boemorum, & eam fere totam hostiliter devastat, ac multas civitates, quas illi defendere non valentes deseruerant, igne succendit. (86) Et ut pervenit ad urbem Pragam, ante ipsam ex adverso fixit Aquilas *Sibenica* in monticulo. Ibi nihil actum dignum relatu comperi, nisi quod Præsul *Severus* Cæsaris ad castra clam noctu fugit ab urbe; timens (ut æstimo) ne quasi Domino suo rebellis privaretur sedis honore Pontificalis. Quod videns Dux *Brecislaus, Nescit quid faciat: mentem dolor undique turbat.* Jam pœnitet eum olim pugnasse contra Cæsarem; jam pœnitet eum sprevisse monita Ducis *Okardi*; jam mavult precibus pugnare, & cum precibus superare, quem olim pugnando superarat, atque his verbis tentat diram deflectere Cæsaris iram: *Bella geris Cæsar nullos* *Henrici II. Imp. secunda expeditio in Bohemos.* *Severus episc. interedit.*

(84) Lege: *Saxis.*

(85) Eadem verba etiam exscripsit *Annalista Saxo*, ad A. 1040, apud Dn. Eccardum, *p.* 475; attamen *Picos Comes* ibi dicitur *Pricos*; & *Bolin* urbs, *Beline*. Ab Ænea Sylvio dicitur *Procopius, Comes Bilinensis*. In Christophori Hofmanni *Chronico Bohemiæ*, *cap.* XXXIII, inter Pezii *Scriptores rer. Austr. p.* 1074. appellatur Perkoß von Beby.

(86) Hanc alteram Henrici III Imp. in Bohemiam expeditionem, qua is superioris anni cladem graviter ultus est, Hermannus Contractus, scriptor coævus, apud Pistorium, p. 137, refert ad A. 1041. *Henricus Rex*, inquit, *Boemiam cum exercitu ingressus, igne prædaque cuncta devastat, & rebellem Ducem obsides dare, & ipsum post se Ratisponam ad deditionem humiliter venire, sibique jurejurando fidelitatem servitiumque confirmare coarctat.* Paria ad A. 1041 tradit Lambertus Schafnaburgensis: *Henricus Rex*, inquit, *secundo Boemiam ingressus, Ducem ejus in deditionem accepit*, PRENTZLAO *nomine, terramque ejus tributariam fecit.* Ad eundem annum etiam Sigebertus Gemblacensis, Conradus Urspergensis, Albertus Stadensis, & Annales Hildesheimenses, hanc expeditionem commemorarunt. At illam ipsam cum Cosma A. 1042 assignarunt: Marianus Scotus, Chronographus Saxo, & Annalista Saxo; qui apud Dn. Eccardum, *T. I. p.* 476. hanc rem gestam paullo copiosius describit: *Henricus Rex*, inquit, *ulcisci volens suorum ruinam inclitorum, in Assumptione S. Mariæ parte Bavariorum cum magno exercitu Boemiam intravit. Petrus quoque Ungariorum Rex eidem Duci contra Henricum Regem misit auxilia. Eodem ferme tempore Ekkibardus, Marchio cum Moguntino Archiepiscopo, aliisque Episcopis & Primatibus, altera ex parte expeditionem Saxonum invexit, illamque regionem incendiis aliisque populationibus admodum vastantes in Nativitate S. Mariæ non longe a Praga civitate in subteriore ejusdem urbis parte castra metati sunt: ex uno latere fluminis Multe* (Muldæ) *exercitus Regis, & ex alio Ekkibardo Marchione cum Saxonibus. Ibi commorantes aliquod tempus tractaverunt, quid sibi esset agendum. Interim Severus, Pragensis Episcopus, comperit, Bardonem, Moguntinum Metropolitanum, synodali jure eum velle inquietare, eo, quod destructor esset Ecclesiarum Poloniæ, & reliquias S. Adelberti & aliorum Sanctorum ibi quiescentium raptu transtulisset in Boemiam, pallium autem apud Apostolicum contra jus & fas sibi usurpare vellet. Idcirco, Duce ignorante, clam ad Regem venit, ac se de his omnibus plene ac fideliter excusavit, & ulterius Duci non confidens mansit apud Regem. Rex vero & Marchio, inde moventes castra, ex utraque parte fluminis Multe longe lateque vastaverunt Boemiam, donec in festivitate S. Michaëlis in superiori parte Pragæ, Deo donante, victores honorifice convenerunt, ibique data pace & accepta reverse sunt Imbripolim. Dux namque Boemicus quantocius se fidei Marchionis Ekkibardi committens, humillima satisfactione venit ad Regem, offerens censum Boemicæ terræ cum maxima honorificentia Regalium donorum, deinde pro fidelitate ac servitute facto juramento datisque obsidibus reversus est in patriam.*

habitura triumphos. Nam terra tuæ est Camera. Nosque tui sumus, & esse tui cupimus. Nam qui in suos subjectos sævit, hoste crudeli crudelior noscitur esse; si spectas ad robur tui exercitus, nos tibi nec momenta rerum sumus. Cur ostendis potentiam tuam quasi contra solium, quod a vento rapitur. Nam ventus deficit, ubi nihil sibi officit. Quod vis, ut sis, jam victor es, jam tua jam cinge victrici tempora lauro. Insuper ei promittit mille & quingentas marcas denariorum, quod erat tributum trium annorum præteritorum. *Mox velut insignis cum flammis æstuat ignis*, si quis nimiam desuper fundit aquam, paulatim ejus impetum confundit, & prævalentibus undis deficit ignis; haud secus *extinxit regina pecunia Cæsaris iram.* Nam qui olim hanc terram intraverat immitis, accepta pecunia, revertitur mitis, pace interposita.

An. Dom. Incar. M. XLIII. tanta fames fuit in Boemia, ut tertia pars populi interiret fame.

An. Dom. Incarn. M. XLIV.

An. Dom. Incarn. M. XLV. VII. Idus Octobris obiit. * (87)

An. Dom. Incar. M. XLVI. dedicatum est Monasterium in urbe Boleslai IV. Calend. Januarii, a Severo Pragensis Ecclesiæ sexto Episcopo.

An. Dom. Incarn. M. XLVII.

An. Dom. In. M. XLVIII.

An. Dom. Incar. M. XLIX.

An. Dom. Incar. M. L.

An. Dom. In. M. LI.

An. Dom. Incar. M. LII. obiit *Bozena*, conjunx Oalrici ducis, mater Brecislai. (88)

An. Dom. Incar. M. LIII.

An. Dom. Incar. M. LIIII. urbs Wratislai *(89) & aliæ Civitates a Duce Brecislao redditæ sunt Polonis, ea conditione, ut quam sibi tam suis successoribus quingentas marcas argenti & XXX. auri annuatim solverent. (90)

* *Silesiæ, ait Syl. d. c. 19.*

An. Dom. Incar. M. LV. *Dux* BRECISLAVS *virtutum culmine clarus* gemina Boemorum patrum lux clara suorum, cum adjuvante Deo totam sibi subjugasset Poloniam, nec non bis victor jam tertia vice proposuerat invadere Pannoniam, dumque præcedens suum expectat exercitum; *Hrudin* in urbe acri pulsatur ægritudine; quam ut sensit magis magisque ingravescere, & sui corporis vires evanescere, convocat eos, qui forte aderant, terræ primates: quibus astantibus verbis fatur talibus: *Quia me mea fata vocant, & atra mers jam præ oculis volat, volo vobis assignare & vestræ fidei commendare, qui post me debeat Rempublicam gubernare. Vos scitis, quæ nostra principalis genealogia partim sterilitate, partim pereuntibus immatura ætate, me usque ad unum fuit redacta. Nunc autem (ut ipsi cernitis) sunt mihi a Deo dati quinque nati, inter quos dividere regnum Bohemiæ non videtur mihi esse utile, quia omne regnum in se ipsum divisum desolabitur. Quia vero ab origine mundi, & ab initio Romani Imperii, & usque ad hæc tempora fuerit fratrum gratia rara, testantur nobis exempla rata. Nam Cayn & Abel, Romulus & Remus, & mei atavi Boleslaus & sanctus Wenceslaus, si spectes quid fuerint fratres bini, quid facturi sunt quinterni? Hos ego quanto potiores ac potentiores intueor, tanto mente præsaga pejora auguror. Heu mens semper pavida genitorum de incertis fatis natorum. Unde prævidendum est, ne post mea fata aliqua inter eos oriatur discordia propter obtinenda regni gubernacula. Qua de re rogo vos per Deum, & obtestor fidei vestræ per sacramentum, quatenus inter meos natos, sive nepotes, semper minor natu summum jus & solium obtineat in principatu, omnesque fratres sui, sive qui sunt orti herili de tribu, sint sub ejus dominatu. Credite mihi si Monarcha hunc regat ducatum, vobis principibus ad jugulum, populo ad magnum deveniet damnum.* Dixerat, & inter astantium manus *corporeos artus linquens petit æthera flatus* ejus, III. Idus Januarii: (91) ac magnus planctus est desuper illico factus. Quantæ autem dux iste *Bre-*

p. 31.

---

* h. e. *provincia nostra pertinet ad Imperii fiscum*, edisserente Aventino, *Libr. V. Annal. cap. VI. §. 20.*

(87) Hinc sine dubio excidit nomen *Guntharii Eremitæ*: De quo ad eundem annum 1045. Hermannus Contractus, apud Pistorium, *p.* 139. hæc annotavit: *Autumnali tempore* GVNTHARIUS *Eremita ad Christum migravit, & in Praga Boemiæ urbe sepultus.* Qui & *Guntherus* scribebatur. *Vita Sancti Guntheri, Thuringi, Sancti Stephani, Regis Ungarorum cognati, Monachi Altahensis, demum Eremitæ in Silva Bohemica in Rinchnach, ubi 37 annis exactis mortuus est, præsente Brecislao, Duce Poloniæ* (Bohemiæ) *quem S. Guntherus e fonte Baptismi susceperat; auctore Anonymo, qui S. Gunthero perquam familiariter notus fuit*, extat *T. II. Antiquæ Lectionis Henr. Canisii, p.* 565; ubi circa finem hæc legimus: *Obiit Christi famulus Heremita* GUNTHERUS, *anno incarnationis Domini* MXLV, *septimo Idus Octobris, sepultusque est in Monasterio Brunovicnsi, quod a civitate Pragensi distat XX stadiis.* Ejusdem *Guntheri* vitam etiam exhibet Surius, in *Vitis Sanctorum*, & Raderus, in *Bavaria Sancta.* Annalista Saxo ejusdem mentionem facit ad *A.* 1006. *Gunterus*, inquit, *vir nobilis ac potens de Thuringia consilio Godehardi Abbatis renuntians omnibus, quæ possedit in Alatha*, (Altach) *monachus est factus.* Conf. idem ad A. 1008; item, Auctor *S. Godehardi Episcopi Hildensbemensis*, apud Leibnitium, *T. I. p.* 487.

(88) Conferatur superior *nota* (62)

(89) *Wratislavia*, urbs Silesiæ, inquit Balbinus, in *Epit. rer. Bob. p.* 202. & *p.* 209. *si ex ipsius Henelii, primæ notæ apud Silesios scriptoris, sententia, demum circa A.* 1039 *a Wratislao, Bohemiæ Rege, instaurata atque denominata est, hoc loco per prolepsin historicam appellata videtur; nisi cum Weleslavino & Cuthenо dicere cuipiam placeat, a Wratislao, Lucensi Principe, eam urbem jam circa A.* 660 *conditam denominatamque esse.*

(90) Bonfinius, in *Hist. Vngar. Dec. 2. l. 2.* pro *quingentis marcis*; tantum *quinquaginta* ponit. Tributum unquam a Polonis solutum fuisse Boemis, negare quidem conati sunt quidam rerum Polonicarum scriptores, v. g. Cromerus; *libr.* III. & IV. *Histor. Polon.* & Decius, *libr. I. de vetustate Poloniæ*; attamen Cosmæ nostro suffragantur multi rerum Germanicarum Bohemicarumque scriptores, cum veteris, tum recentioris ævi.

(91) Hæc breviter repetit *Annalista Saxo*, ad A. 1055, *p.* 486: *Bracislaus*, inquit, *Dux Boemiæ, postquam Poloniam subjugaverat; proposuerat invadere Pannoniam; in quo itinere pulsatus ægritudine, defunctus est* IV *Idus Januarii.* Urbs *Hrudin*, in qua Dux obiit, est *Chrudimium*, quæ Bohemiæ Urbs est. Conf. Weleslavinus, in *Calend. Histor. ad X Jan.*

cislaus frugalitatis, vel quantæ discretionis in divinis legibus & humanis judiciis, aut quam largus eleemosynarum dator, & quam pius fautor Ecclesiarum, sive viduarum fuerit; facundia Tullii prius defecisset, quam singula quæque ejus merita explicuisset. Post cujus obitum filium ejus primogenitum, nomine *Zpingnen*, omnes Boemicæ gentis magni & parui, communi consilio & voluntate pari eligunt sibi in Ducem, (92 a) cantantes *Kyrieeleison* cantilenam dulcem. Erat enim vir valde speciosus, cæsarie pice nigrior atra, barba prolixa, facie læta, genæ ejus candidiores nive, & parum rubentes per medium. Quid plura? *vir bonus, & talos a vertice pulcher ad imos* erat. Prima die qua inthronizatus est, hic magnum & mirabile ac omnibus seclis memorabile fecit hoc sibi memoriale. Nam quotquot inventi sunt de *gente Theutonica*, sive dives, sive pauper, sive peregrinus; omnes simul in tribus diebus jussit eliminari de terra Boemia. Quin etiam & genitricem non tulit remanere suam: de qua supra meminimus, *Ottonis* natam, nomine *Juditham*. Similiter & Abbatissam sancti Georgii, *Brunonis filiam*, (92 b) eliminat, quia hæc olim antea eum verbis offenderat acerbis. Nam dum pater ejus *Brecislaus* reædificaret mœnia totius urbis Pragæ per gyrum, & hic supra dictus heros a patre sibi concessam *Satec* haberet provinciam, forte exiit, ut cum suis circa sancti Georgii claustrum componeret murum. Et cum nullo modo recte poni posset murus, nisi destrueretur fornax Abbatissæ, quæ ibi forte stabat jactata fune in media, tunc aliis hoc facere cunctantibus accessit natus herilis, & quasi risum sibi faciens cum magno cachinno jussit eam dejicere subito in torrentem *Brucitucam*, dicens: *Hodie domina Abbatissa calidas non gustabit placentas.* Quod agnoscens Abbatissa, exiit irata de claustro, & valde molestе ejus dicta ferens, sic eum ironicis aggreditur & confundit dictis:

Nobilis insignis, vir fortis, & inclytus armis:
Quam magnas turres nunc expugnavit & urbes.
Et si famosum fert de fornace triumphum;
Tempora jam Lauro victricia cingat & auro.
Clerus multimodas campanis personat odas;
Dux quia dejecit fornacem, miraque fecit.
At pudet effari, quæ non pudet hunc operari.
Corpore diriguit vir, vox & faucibus hæsit,
Indignamque suam gemitu compescuit iram.

Hæc quum Abbatissæ dicta Dux alta in mente reposita reservarat, postquam est inthronizatus, priusquam sancti Georgii Ecclesiam intrarat, Abbatissæ mandat talia: *Nunc potius convenit clerum resonare Odas, & pulsare campanas, cum Abbatissa foras & de terra hac ejicitur, quam cum fornax ejus dejicitur. Ecce vir fortis & inclytus armis, non turres non urbes expugnando, sed te Abbatissa illius fornacis dominam hodie ejiciendo, fert famosum triumphum, & cingit tempora lauro.* Et ut jussum fuerat, super bigam imposita fertur velociter Abbatissa, & citius dicto ejicitur hujus terræ de confinio.

His ita peractis, vadit novus Dux novum disponere Moraviæ regnum, quod olim pater ejus inter filios suos dividens partem dimidiam *Wratislao*, partem alteram *Conrado*, & *Ottoni* dederat. *Jaromir* autem adhuc deditus studiis, inter scholares versabatur alas. Præmisit autem Dux *Zpingnen* illius terræ ad primates literas, in quibus nominatim vocat CCC. viros, quos ipse novit meliores & nobiliores ex omnibus civitatibus, & ut sibi ad urbem *Hrudim* occurrant, per salutem capitis sui mandat. Jussa viri faciunt, & jam ultra portam custodiæ in agris *Chruton* Duci obviam veniunt. Quos statim Dux iratus, quia non ad conductum locum occurrerant, jussit comprehendere, & catenatos misit ad custodiendum, dividens eos per singulas civitates Boemiæ. Equos autem & arma eorum inter suos distribuit, & tenuit viam in Moraviam. Quod audiens frater ejus *Wratislaus* valde eum timuit, & secessit in partes Pannoniæ, relicta conjuge (93) Olomuc in urbe. Quem Rex *Andreas* gratanter suscepit, & quamdiu secum fuit, honorifice eum habuit. Ergo Dux *Spingnen* postquam ad suum placitum omnia ordinavit in *Moravia*, fratres suos accepit, ut essent secum in curia, *Conradum* præliciens venatoribus, *Ottonem* vero posuit super pistores atque cocos magistrum. Nurum autem suam comprehensam misit in quoddam Castrum munitissimum *Lescen*, committens eam ad custodiendum Comiti nomine *Mztis*: quam ille non, ut decuit talem dominam, custodivit. Nam omni nocte ejus pedem suo cum pede munivit compede. Quod vir ejus audiens ægre tulit, & quid mercedis Comiti pro tam temere facto postea reddiderit, in sequentibus patebit. Post unum vero mensem evolutum, interventu Severi Episcopi & Comitum, nurum suam, dans ei conductum, fecit eam redire ad suum maritum. Quæ, quoniam vicina partui erat, dum properat, matricon viciat, & infra spatium trium dierum spiritum exalat pulcherrima mulierum, quia non poterat uteri exponere pondus immaturum. Cujus de morte Rex Andreas cum videret suum hospitem usque adeo mœrentem, his juvenem dictis mœstum solatur amicis: *O mi care hospes, Deus faciat, ut sis sospes de cætero. Facta*

SPIGNEUS Rex Boemiæ Sylv. 20. Dubra. lib. 8.

Abbatissa S. Georgii.

Andreas R. Ungar.

P. 32.

(92 a) Sic breviter Neplacho, in *Chronico Bohem. ad h. a.* apud Pezium *T. II. Script. rer. Austr. p.* 1092: *Mortuo Brecislao*, inquit, *Dux XII. Spitigneus, dilector Ecclesiæ Pragensis, successit.* Item, *Annalista Saxo*, ad A. 1055: *Brecizlaus*, inquit, *reliquit V filios; SPITIGNEUM, Wratizlaum, Conradum, Jaromirum, qui & Gevehardus, & Ottonem. Ducatum autem Bohemiæ Spitigneus primogenitus obtinuit, qui omnes Teutonicos de Boemica eliminari jussit &c.*

(92 b) Hanc Abbatissam, Bucellinus, *T. II. Germ. f.* 402. Miscell. & Balbinus, *P. II. Libr. IV. p.* 9. putant fuisse *Elisabetham*, natam ex *Comitibus de Querfurt*, sororem S. Brunonis, Episcopi & Martyris in Prussia cæsi, filiam Brunonis II, Comitis Querfurtensis.

(93) Hæc prima *Wratislai* Conjux ab Hagecio, ad A. 1056, P. I. p. 159. vocatur *Arabona*: Er liess die Frau Arabonam, Wratislai, seines Bruders, Gemahl fur sich beruffen. Dieselbe kam, und thæt ihm gebührliche Reverenz; Er aber liess sie fahen, und befohl dem Mstislao, des Herrn *Berscben von Bilin* Bruder, dass er sie alsobald auf sein Schloss *Lescbten*, sonst *Ossegk*, führen und wohl verwahren sollte &c.

super

ſuper Deum curam tuam, & ſpera in eum: & ipſe faciet, ut hic mœror tuus vertatur in gaudium. Sæpe enim fit, ut unde homo minus profectus ſperat, inde plus commodi ferat. De obitu autem tuæ corſortis eſto vir fortis, nec dolendo excedas modum, quaſi tibi ſoli contigerit aliquid novum: cum omnibus hominibus conſtet notum, omne redire ſuum humanum corpus ad ortum: Dixerat, & triſtem ſecum duxerat ad menſam hoſpitem, ubi opimis ferculis reficiuntur atque mero leni efficiuntur læti. Forte fuit huic Regi unica gnata, nomine *Adleyta*, (94) jam thoro maritali tempeſtiva, valde formoſa, & multis procis nimium ſpes invidioſa. Hanc hoſpes ut vidit, miſere adamavit: quod Rex bonus non recuſavit, atque poſt dies aliquot matrimonio ſibi eam copulavit. Quod cum audiſſet Dux *Spingnen*, ſagaci ingenio præcavens, ne forte invaderet frater ſuus totam cum Ungaris Moraviam, mittens nuncios revocat eum de Ungaria, & reddidit ſibi civitates, quas ei antea pater ſuus dederat in Moravia. Erat enim *Spingnens* vir prudens rerum in diſcrimine, ſciens arcum ſuum tendere & laxare in opportuno tempore. Cujus inter cæteras virtutes hoc præcipuum ſtudium memoria dignum, poſteris vero imitabile exemplum proferemus in medium. Talis enim mos ſuus erat, ſemper Quadrageſimali tempore aut monachorum aut Canonicorum degens in Clauſtro eleemoſynis vacabat, divinis officiis inſtabat, vigiliis & orationibus inhærebat, ſic tamen, ut ante matutinalem melodiam, aut cum extenſione manuum, aut cum genu flexionibus, totam ruminaret Pſalmodiam; Poſt completorium vero adinſtar Monachorum ſervabat ſilentium usque ad primæ ſtatium; Et quamdiu jejunus fuit, Eccleſiaſtica diſponebat negotia, poſt prandium autem ſæcularia tractabat judicia. Pelliceam autem Epiſcopalem, & tunicam clericalem, quam deſuper indutus in capite jejunii per totam Quadrageſimam geſtabat, in cœna Domino ſuo capellano cubiculario eam dabat, bene & religioſe reputans, ut, qui tempore pœnitentiæ particeps laboris fieret, in die magnæ feſtivitatis non immunis abiret.

Adelheida Regis F.

A

B

C

An. Dom. In. M. LVI. (95)

An. Dom. Incarn. M.LVII.

An. Dom. Incarn. M. LVIII. IV Non. Auguſti obiit *Juditha*, conjux Brecislai, Ductrix Boemorum. (96) Quam quia filius ſuus *Spingnen* ejecerat de Regno ſuo, cum non poſſet aliter ulciſci injuriam ſuam in filio, ad contumeliam ejus & omnium Boemorum nupſerat Petro Regi Ungarorum. Hæc poſtea a filio ſuo *Wratislao* Duce inde translata & ſepulta eſt Pragæ juxta virum ſuum *Brecislaum*, ſanctorum Martyrum Viti, Wenceslai, atque Adalberti in Eccleſia.

An. Dom. Incarn. M. LIX.

An. Dom. Incarn. M. LX. Cum ad feſtum ſancti Wenceslai dux *Spingnens* veniſſet Pra-

(94) Altera *Wratislai* uxor dicitur Hagecio *ſoror Andreæ*, Regis Pannoniæ. Ab *Annaliſta Saxone* appellatur *Adlecta*, forte ex mendo librarii *pro Adelheida*. Is enim, ad A. 1055: *VVratislaus*, inquit, *poſt mortem primæ conjugis, Adlectam, filiam Andreæ Regis adamavit; quod ille non recuſans, poſt dies matrimonio ſibi eam copulavit.*

(95) Mirum eſt, Cosmam ad hunc annum non annotaſſe obitum *Henrici* III, *Imp.* De quo Continuator Hermanni Contracti *ad h. a. p.* 337. hæc tradit: *Henricus Imperator, Domino Apoſtolico ad ſe tempore autumnali invitato, cum in Saxonia, in Bothfeldino commoraretur, morbo ingraveſcente, infirmatus obiit, anno ætatis ſuæ 39, regni vero 18, imperii 15; Indictione decima. Qui inde aſportatus, Nemetumque translatus, in Eccleſia S. Mariæ, quam ipſe conſtruxerat, adhuc imperfecta, juxta Patrem Matremque ſepultus eſt.* Omiſſis vero aliorum teſtimoniis, ejus duntaxat Epitaphium, quod legitur apud Conradum Urspergenſem, *p.* 207. his ſubjicimus: HENRICVS TERTIVS, QVI DICTVS EST NIGER, ROMANORVM IMPERATOR, ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS clo LVI. NON. OCTOBR. OBIIT.

(96) De hujus *Judithæ* Patre & genere jam ſupra *ſub nota* (70) diſquirere conati ſumus. Succurrit interea locus ex *Annaliſta Saxone*, ubi illa vocatur ſoror *Ottonis de Suinvorde* Sic enim ille ad A. 1021: *Bracislaus*, inquit, *Boemiæ Ducis Odolrici filius, Judithan, ſororem Ottonis de Suinvorde, filiam ſæpe dicti Marchionis Henrici, de monaſterio, ubi erudiebatur, rapuit* &c. Atque idem ad A. 1055. p. 486. ſcribit: *Spitigneus -- omnes Teutonicos de Boemia eliminari juſſit; inter quos & matrem ſuam, Judithan, ſororem Ottonis de Suinvorde; Abbatiſſam quoque S. Georgii, expulit.* Et rurſus ad A. 1058: *Juditha*, inquit, *ſoror Ottonis, Ducis de Suinworde, uxor Bracilai, Ductrix Boemiorum, obiit IV Nonas Auguſti.* De qua Juditha hæc commentatur Dn. Eccardus, in *Præf. Hiſtor. Genealog. Principum Saxon. ſuper.* §. XXVI: *Bohemici Scriptores recentiores, ex quibus Balbinus omnia corraſit, referunt, Juditham in monaſterio Suinibrodano* (Sweinfurt intellige) *apud Ratisbonam educatam; inde vero a Bratislao raptam, & anno 1026 ductam. Juditha itaque, mortuo Bracislao Bohemo, ſecunda vice nupſit Petro, Vngariæ Regi. Brecislaus, ſecundum Cosmam Pragenſem, & Annaliſtam Saxonem, obiit A.* 1055. *Vnde patet, Petrum A.* 1046, *vel* 1047. *ſecundum Hermannum Contractum, & alios, depoſitum quidem & excæcatum, attamen non mortuum fuiſſe, ut vulgo tradunt; ſed privatum vixiſſe, & mortua priore uxore, cujus Hermannus Contractus ad A.* 1046 *meminit, circa annum* 1056 *Juditham duxiſſe. Bohemi Regi exauctorato nupſiſſe Juditham, contumelioſum eſſe exiſtimabant. Ex Petro ipſam Adelheidis matrem fuiſſe, quæ nupſerit Alberto Marchioni, tradunt recentiores. Sed veteres nullius ex Petro ſuſceptæ prolis meminerunt, quibus aſſentior libenter.* Quod ſi ergo *Juditha* fuerit ſoror *Ottonis Suinvortenſis*; ſequeretur, ejus Patrem fuiſſe, *Henricum*, Marchionem Franconiæ adverſus Bohemos, ac poſtea Ducem Sueviæ, filium *Bertholdi*, nepotem *Adalberti de Marthala*; & Matrem *Gerbergam*. Sic enim de *Ottone* hoc ſcribit Annaliſta Saxo, ad A. 1035: *Otto de Suinvorde; filius* HENRICI, *Marchionis de Gerberga, matre genitus, Machtildem, filiam Boleslavonis, Polianorum Ducis, ſibi deſponſavit.* Et idem ad A. 1047: *Eodem anno Otto, Dux Suevorum obiit. In cujus locum* OTTO, *Marchio de Suinvorde, Marchionis* HENRICI & GERBERGÆ, *Marchioniſſæ, filius ſurrexit.* Hæc vero quomodo cum Cosmæ narratione ſuperiore commode conciliari poſſint, non video; niſi putem, Juditham aut non filiam a Coſma; aut non ſororem, ſed filiam OTTONIS illius, ab Annaliſta Saxone dici debuiſſe. Interim potius crediderim, eam fuiſſe filiam *Ottonis Marchionis de Italia*; cujus meminit Annaliſta Saxo, ad A. 1036. Sed conf. infra *notam* (108)

gam.

gam, videns Ecclesiam sancti Viti non adeo magnam, nec capessentem populum concurrentem ad festivitatem sanctam, quam videlicet ipse sanctus Wenceslaus construxerat ad similitudinem Romanæ Ecclesiæ rotundam, in qua etiam corpus ejusdem sancti Wenceslai quiescebat; similiter & aliam Ecclesiam, quæ fuit contigua & quasi in porticu sita ejusdem Ecclesiæ, cujus in medio nimis in arcto loco erat Mausoleum Beati Adalberti; optimum ratus fore, ut ambas destrueret, & unam utrisque patronis magnam construeret Ecclesiam: continuo per
p. 33. longum gyrum designat Ecclesiæ locum, jacit fundamenta, fervet opus, surgit murus: sed ejus felicia cœpta in subsequenti mox anno intercipit mors inepta.

Ejusdem anni tempore, quo legiones procedunt ad bella, cum jam levatis signis militiæ Dux quasi unius diei iter ageret, obviam habuit viduam, quæ flens & ejulans, ac pedes ejus deosculans, currens post eum clamabat dicens: *Domine, vindica me de adversario meo.* Et ille: *faciam*, inquit, *cum de expeditione redeam.* Et illa: *Quid si*, ait, *non redibis? Cui me vindicandam dimittis? Aut cur tuam mercedem a Deo accepturus omittis?* Qui statim unius viduæ ad petitionem intermittit expeditionem, eamque justo judicio vindicavit de adversario. Quid ad hæc vos, o moderni Principes, dicitis, qui tot viduarum, tot pupillorum ad clamores non respicitis? sed eos tumido fastu superbiendo despicitis? Talibus (ut supra diximus) misericordiæ visceribus Dux *Spingnen* hoc agnomen sibi ascivit, ut ab omnibus diceretur *Pater clericorum*, *defensor viduarum.* Sed quia sæpius videmus occulto Dei judicio malos relinqui, bonos subtrahi de medio, hic vir tantæ probitatis ab hac luce subtractus V. Calend. Februarii, Anno sui ducatus VI. Anno Dom. Incar. M.LXI.

WRATISLAUS Dux Bohem. Æn. Syl. cap. 21. Post cujus obitum frater ejus *Wratislaus* omnibus Boemis faventibus sublimatur in solium: (97) qui confestim Moraviæ regnum inter fratres suos dividit per medium, dans *Ottoni*, orientalem plagam, quam ipse prius obtinuerat, quæ fuit aptior venationibus & abundantior piscibus: Occidentalem vero, quæ est versus Theutonicos, dat *Conrado*, qui & ipse sciebat Theutonicam linguam. Regio autem illa est planior, & campestris, atque fertilior frugibus. Interea sole morante in prima parte Piscium, bonæ indolis juvenis *Jaromir*, audita nece fratris sui *Spingnen*, quem non minus, quam ut patrem, timore & amore coluit, jam deposito puerili metu rediit de studio, sperans, se aliquam portionem habiturum hæreditatis in patrio regno. Quem dux Wratislaus frater suus, ut sensit magis affectare laicalem, quam sacræ doctrinæ militiam, his verbis castigat ejus pertinaciam: *Noli*, inquit, *frater, noli a capite, cujus effectus es membrum, per apostasiam abscindi, & projici in infernum. Olim Divina gratia per sui providentiam elegit te in sacerdotii gradum: propterea & genitor noster tradidit te ad literarum exercitium, ut successor idoneus Severi Episcopi habearis, tantummodo Deo favente si superstes fueris.* Moxque intrante Martio Mense prima Sabbathi die, quando celebrantur Sacri ordines, quamvis invitum & coactum atque nimis renitentem, totondit eum, & in præsentia ipsius Ducis ordinatus est ad diaconatus officium, legitque publice Evangelium, & Pontifici missam celebranti juxta morem ministravit. Post hæc novuus Diaconus, imo antiquus dicendus apostata Julianus, per arma sacræ militiæ non bene abjecta, & gratiam, quam per impositionem manus acceperat, neglectam, sumpsit militare cingulum, & aufugit cum suis sequacibus ad Ducem Polonicum, mansitque secum usque Severi Episcopi ad obitum *Jaromir Diaconus.*

Ea tempestate *Mztis*, Comes Urbis Belinæ, filius *Boris*, vir magnæ audaciæ, majoris eloquentiæ, nec minoris prudentiæ, quamvis non immemor quod suspectum ducem habuerit, quia ejus conjugem sibi quandoque a Domino suo commissam in custodia tenuerit; audacter palatium Ducis ingressus, rogaturus eum his verbis suppliciter est aggressus. *Fratris tui*, inquit, *per gratiam in honorem Sancti Petri Apostoli ædificavi Ecclesiam: cujus ad dedicationis solemnitatem quo dignemini adventare, simul & urbem adventu tuo lætificare supplices meas ne despice preces.* Ille quamvis non immemor acceptæ injuriæ, quam olim sibi fecerat in conjuge, tamen propter novitatem suam dissimulans in corde quam habuit iram dixit: *Ego veniam, Civitatem lætificabo meam, & quod res & Justitia postulat, faciam.* Hoc verbum quod locutus est Princeps, non intellexit Comes, & magnas Duci agens grates lætus abiit, & parat quæ sunt necessaria, ad magna convivia venerat Dux, & Episcopus, & Ecclesia quæ est sita in suburbio, mox dedicata ascendit Dux in urbem ad prandium. Episcopus vero & Comes in sua curte quæ fuit ante Ecclesiam, similiter positis mensis epulis discumbunt. Et inter prandendum venit nuncius qui diceret in aurem Comiti: *Ablata est tibi urbis præfectura, & data est Koyatæ, filio Usceboris*, qui tunc temporis primus in Palatio Ducis erat. Ad hæc Comes respondit: *dux est, & Dominus de civitate sua, faciat quid sibi placet. Quod autem mea Ecclesia hodie habet, auferendi Dux potestatem non habet.* Qui nisi illa nocte consilio Præsulis & auxilio aufugisset, procul dubio amisisset oculos, *& pedem suum*, quem olim compedivit cum pede conjugis Ducis. *Mztis Comes Belin.*

An. Dom. Incarn. M.LXII. VI. Cal. Februar. obiit *Adleyta* ductrix, mater *Juditha* & *Ludmilæ*, similiter & *Brecislai* junioris, & *Wratislai*, qui in primo flore juventutis cecidit. XIII. (98) Cal. Dec. Evoluto autem fere unius anni spacio, post

(97) Sic & Neplacho, in *Chron. Bob.* scribit: *Anno Domini MLXI; mortuo Spitigneo, Dux XIII, & primus Rex Wratislaus successit.* Æn. Sylvius, *Cap. XXI. Hist. Bob.* & ceteri. Est hic *Wratislaus II.*

(98) Ex his quatuor liberis Wratislai, ejusque alterius Uxoris, Adelheidis, *Juditha* convenit in manus *Wladislai*, Ducis Polonorum, peperitque *Boleslaum*, uti ipse Cosmas noster infra refert ad A. 1058. & 1102. — *Ludmilla* videtur sacro ordini fuisse adscripta, cum infra, ad A. 1100. a Cosma vocetur *DEO de-*

obitum ductricis *Adleytæ*, Wratislaus dux accepit uxorem nomine *Zuatavam*, *Kazimir*, Poloniorum Ducis natam, *Boleslai* vero & *Wladislai* germanam; ex qua habuit quatuor liberos bonæ indolis viros, *Boleslaum*, *Borivoy*, *Wladislaum*, *Soberslaum*. (99) De quibus in suis locis, uti Deus dabit, satis copiose tractabitur.

Suatava Casimiri filia.

p. 34. An. Dom. In. M. LXIII.
An. Dom. Incarn. M. LXIV.
An. Dom. Incarn. M. LXV.
An. Dom. In. M. LXVI.

Ann. Dom. Incarn. M LXVII. v. Idus decembris *Severus* sextus Pragensis Ecclesiæ Episcopus *migrat ab hoc mundo bravio fruiturque jucundo.* Hic utramque fortunam, prosperam & adversam, satis expertus est. Nam aliquando a Duce *Brecislao* captus, catenatus, carceri mancipatus, utrumque simul in occulto & in aperto martyrium tulit. Hic fere omni tempore sui præsulatus sine aliqua refragatione & sine omni contradictione Boemiæ & Moraviæ quasi unum & individuum episcopium rexit, & rexisset, si non post obitum *Spingnei*, nimia devictus effilagitatione Wratislai ducis, consensisset promoveri *Joannem*, Episcopum in Moravia. (100) Prius tamen multorum sub testimonio hujusmodi deliberato feudo & allodio, sive concambino, scilicet ut Pragensis Præsul duodecim villas, quæ sunt in omni Boemia potiores, pro isto Episcopio eligat, insuper & C. marcas argenti annuatim de Camera Ducis accipiat: Curtem autem, quæ est in Moravia ad *Sekir* costel, cum suis appendiciis, ut antea sic & in posterum possideat, similiter & villam *Slinnicam* cum foro, atque Castrum ibidem situm in media aqua, nomine *Zuracka Podium* dictum a conditore suo, *Podvia* Judæo, sed postea Catholico. Fertur autem, quod fuisset in Moravia ante tempora Severi quidam Episcopus (ut reor) nomine *Wracen* (101). De qua Parochia quantum conflictum cum prædicto Præsule *Joanne* successor Severi *Jaromir* habuerit, in loco suo declarabitur.

A

B

C

Tunc *Conradus* & *Otto* audientes, Pragensem Episcopum migrasse ad Christum, mittunt & revocant fratrem suum *Jaromir* de Polonia, & discingunt eum zona militari, & iterum recipit habitum & tonsuram clericalem. Interea Dux *Wratislaus* præcavens sibi in futurum, & timens, ne germanus suus cum Præsul factus foret, cum prædictis fratribus contra se conspiraret, cœpit tacitus secum tractare, quomodo posset eum Episcopio defraudare. Erat autem tunc temporis in Curia Ducis quidam *Lanczo* capellanus, de Saxonia nobili prosapia natus, vir personatus, & admodum literatus, ac præpositura Lucomiricensis Ecclesiæ sublimatus, moribus & vita non contradicens honori Pontificatus. Et quia Duci semper fidelis mansit omnibus modis, Dux elaborabat is Pragensis Præsul ut sit: Interim *Conradus* & *Otto* veniunt de Moravia fratrem suum *Jaromir* secum afferentes, & subnixe Ducem pro eo postulantes, quo sit memor germanitatis, memor paternæ institutionis, memor Sacramentorum, quibus pater suus obligarat fidem Comitum, quod post Severi Præsulis obitum *Jaromir* sibi eligerent in Episcopum. At ille, sicut erat in simulandis & dissimulandis rerum causis vir ingeniosus atque dolosus, ut vulpecula, quæ non illuc fugit, quo suam jactavit caudam, ita Dux aliud clausum retinens in pectore, aliud promit suis fratribus ore. *Non est*, inquit, *unius hominis, hoc tractare negotium, quod postulat communis ratio omnium. Sed quoniam nunc interim jam pars major populi, & procerum militiæ processit in castra, nusquam melius (ut reor) hac tractabitur de causa, quam istius terræ ad custodiæ claustra: ibi omnes majores natu hujus gentis, ibi proceres & Comites, ibi qui sunt clero meliores, aderunt: quorum arbitrio stat Episcopalis electio.* Hoc ideo Dux fecit, ut ibi inter suos milites septus armis, munitus præsidiis, posse contraire suorum voluntati fratrum, & hunc, quem volebat, *Lanczonem* sublimaret in Episcopum. Sed frustratur sinistra intentio Ducis, quia omnis potestas a DEO est, & esse Præsul non potest, cui a DEO prædestinatum aut permissum non est. Quid multa? Ventum erat ad custodiæ portam, qua itur in Poloniam: & in loco, qui dicitur *Dobenina*, Dux convocat proceres & populum in cœtum, & fratribus suis a dextris & a sinistris assistentibus, Clericis vero & Comitibus per longum gyrum considentibus, & post eos cunctis militibus astantibus vocat *Lanczonem*, & stan-

D

Jaromir fit Episcop. Pragens.

---

vota famula; haud secus, ac ibidem Windelmuthis, *Abbatissa*, eodem titulo insignitur. *Breceslaus* autem Junior *Ducatum Bohemiæ* adeptus est, *Conradoque* patruo successit, A. 1092. d. 8. Kal. Octobr. solenniter inauguratus, docente ipso Cosma nostro.

(99) Horum quatuor filiorum *Wratislai*, & tertiæ ejus Uxoris, *Zuatavæ*, fata & res gestas infra exponit Cosmas; hoc loco autem prætermisit commemorare filiam, *Juditham*, ex eodem matrimonio procreatam; quæ nupta fuit *Viperto II.* Comiti Groizensi, qui postea Marchio Misniæ & Lusatiæ fuit; prout in *Annotationibus ad Petri Albini Genealogiam Comitum Leisnicensium* uberius demonstrabimus. Cum vero *Juditha* hæc, una cum marito suo, Viperto II. condidisset celebrem *Abbatiam Pegavienſem*; Parentum etiam, & fratrum Judithæ anniversaria ibi celebrata sunt. Sic enim in *Calendario Pegavienſi*, *Tom. II.* hujus operis, *fol.* 119. legimus: *XVIIII. Kal. Febr. Fratislaus*, (Wratislaus) *Rex, Pater fundatricis, mille talenta.* Et *fol.* 142: *Kalendis Septembribus*, Zwatislava, *Regina, mater fundatricis nostræ.* Quando autem in eodem Calendario, *fol.* 117. hæc legimus: *Nonis Januarii, Vlricus, Dux, frater fundatricis nostræ*: putamus, a Monachis Pegavienſibus erratum admissum esse; quia *Vlricus* hic non fuit *Wratislai* filius, adeoque nec frater *Judithæ*; sed hujus tantum patruus, filius *Conradi*, Ducis Bohemiæ, qui Wratislai frater; quod evidenter ex Cosma constat, inprimis ex iis, quæ idem ad A. 1101. narravit.

(100) Quomodo *Wratislaus* Rex, & *Severus*, Episcopus, Moravius proprium Episcopum Olmucensem concesserint, annuente quidem *Alexandro II. Papa*, exponit etiam Æn. Sylvius, *Histor. Bob. cap.* 2. Dubravius, *Libr. VIII. Histor. Bohem.* & Baronius, in *Annal. Eccles. ad h. a.* Dubravius vero in eo errat, quod id jam sub *Spitbinæo* actum esse tradit.

(101) Imo jam A. 825. dicitur *Methodius* in Moravia ulteriore Episcopus fuisse. Vid. Augustinus, Præpositus Brunnensis, in *Catalogo Episcoporum Olomucensium*; & Miræus, de *rebus Bohemicis cap.* 8.

tem

tem in medio laudat, & commendat eum populo, sic ei clara voce dicens: *Egregia tua fides mihi spectata quotidie exigit hoc, & cogit me, ut faciam, quod facturus sum hodie, & ut per hoc discant posteri, quantum dominis suis debeant fideles fieri. Accipe, en, annulum & baculum; esto sponsus Pragensis Ecclesiæ, & pastor sanctarum ovium.* Fit murmur in populis, nec resonat vox congratulationis, sicut semper solet in tempore Episcopalis electionis. Tunc *Koyta*, filius *Vsebor*, Palatinus Comes, hoc nimis impatienter ferens, sicut erat veraxin sermone, & simplex in verbo, stans a dextris *Ottonis*, fratris Ducis, fortiter impingit latus ejus dicens: *Quid stas? Cur non adjuvas fratrem tuum? An non vides, quia frater tuus filius Ducis repudiatur, & proselytus atque advena, qui in hanc terram sine femoralibus venit, in solium sublimatur? Atqui si Dux violat patris sui* p. 35. *Sacramentum, absit a nobis, ut manus nostrorum parentum apud DEum pro hoc Sacramento reddant rationem, aut supplicium luant. Scimus enim, & ad hoc nitimur, ut possimus, quod genitor vester Brecislaus nos & patres nostros sub fidei Sacramento constrinxit, quod post obitum Severi Episcopi frater vester Iaromir Præsul sit. Aut si tibi displicet frater tuus, cur sordet nostratum clerus non modicus, scientia æque præditus, ut iste Theutonicus? O si tot habeas Episcopatus, quot cernis Capellanos in hac terra progenitos, Episcopio dignos. An putas, quod alienigena plus nos diligat, & melius huic terræ cupiat, quam indigena? Humana quippe sic est natura, ut unusquisque quacumque sit terrarum, plus suam, quam alienam, non solum diligat gentem, verum etiam si quiret peregrina flumina in patriam verteret. Malumus ergo; malumus caninam caudam, aut asini merdam, quam Lanczonem locarier super sacram Cathedram. Frater tuus beatæ memoriæ Spingnen aliquid sapuit, qui una die omnes Theutonicos hac de terra extrusit. Vivit adhuc Romanus Imperator Henricus, & vivat. Quem tumetipsum facis, cum ejus potestatem usurpans das baculum & annulum Episcopalem famelico cani? Certe non impune tu & tuus episcopus feret, si Koyta filius Vsebor vivet.* Tunc *Zmil*, filius, *Bozen*, qui fuit præfectus in urbe *Satec*, simul & *Koyata*, accipientes per dextras *Conradum*, & *Ottonem*, & *Iaromir*: *Eamus*, inquit, *& videamus, utrum unius versutia & simulata æquitas prævaleat, an justitia & mira æquitas præcellat trium fratrum, quos par ætas, una voluntas, eadem potestas sociat, & major militum copiositas juvat.* Fit per castra commotio non modica populi. *Arma, arma*, clamant singuli; omnibus est odio illa inconsulta Episcopalis electio. Ideoque major pars exercitus cessit ad illos tres dominos, metatique sunt castra circa oppidum Opocen & infra. Et quia jam altera pars militum præcesserat in sylvam, videns Dux quasi se destitutum, nec satis fratrum ab impetu fore tutum, fugit quam celerius potuit, timens, ne ipsi præoccuparent *Pragam* aut *Wissegrad* urbem. Mittit tamen de via ad fratres nuncium, dicens: *Non propter Koytæ filii Vsebor magniloquam linguam, aut Zmil filium Bozen, cujus est in ore mel & in corde fel, quorum pravis atque dolosis consiliis factum est seceram, quos ego si vixero, sed reprimam me: verum nunc magis paternæ traditionis memor, Sacramentorum ejus, quod Justitia, quod fraterna dilectio poscit, faciam. Tantummodo sequimini me ad urbem Pragam.* Qui advenientes castra fixerunt in pratis juxta villam *Goslivar*, & mittunt ad Ducem, si factis dicta comprobare velit. Quos ille pacifice suscipiens, fratrem suum *Iaromir* eligit in Episcopum. Conradum vero & Ottonem, datis & acceptis inter se sacramentis, dimittit cum pace in Moraviam. At vero *Zmil* & *Koyata*, quamvis inter Principes concionati sint vera & justa, tamen nisi noctu elapsi fuga delituissent, sine omni audientia Dux eos ut hostes Reipublicæ punisset.

Facta est autem electio hæc.

An. Dom. Incar. M. LXVIII. Sole intrante XXV, partem Geminorum: Nec mora Dux *Wratislaus* mittit Comites, Severum, Alexium, Marquardum Theutonicum, cum fratre suo *Jaromir* jam electo ad Imperatorem *Henricum* secundum: qui venientes in vigilia sancti Joannis Baptistæ adeunt *Cæsarem* in urbe Moguntina, tractantem cum Episcopis & Principibus imperialia negotia, & offerentes electum suum, rogant ex parte Ducis & totius populi, quo sua authoritate dignetur eorum electionem confirmare. Quorum petitioni Cæsar annuens, tertia die, id est, VI. Calend. Julii, feria secunda, dat ei annulum & pastoralem virgam, & in proximo die Dominico VI. Nonas Julii a Præsule Moguntino *Jaromir*, mutato nomine, *Gebehardus* ordinatus est in Episcopum. (102 a) Eodem die transfretantes Rhenum, cum post prandium quidam suus miles *Willehalmus* super ripam sederet demissis pedibus in alueum, accessit retro clam novus Episcopus, & nesciens, quod ibi lateret profunda aqua, dejecit eum in Rheni fluenta, dicens: *Denuo te baptizo, Willehalme.* Qui diu submersus, tandem emersus, caput rotando & undas captando dixit: *Si sic baptizas, valde deliras.* Hic nisi bene natare scisset, una die & sumpsisset Episcopium & amisisset Præsul Gebehardus. Qui cum perveniisset Pragam eo die quo juxta morem obsedit Episcopalem Cathedram, dat *Marco* Capellano suo (102 b) ejusdem Ecclesiæ Præpo-

Gebehardus Episc. Prag.

Marcus Præpositus Prag.

(102 a) Refertur hoc exemplum merito ad illa, quibus Goldastus, de *regno Bohem. Libr. V. cap. 4.* probavit, Episcopos Pragenses ab Imperatoribus esse confirmatos & *investitos*; & tum demum a Moguntino Archipræsule ordinatos & consecratos. Conf. Æn. Sylvius, *cap.* 21; & Dubravius, *Libr. VIII. Histor. Bohem.* Boregk, in *Chron Bohem. pag.* 953; Pontanus, in *Bohemia pia, Libr. III. pag.* 37. *Annalista Saxo* ad A. 1068. Archiepiscopum Moguntinum, a quo *Jaromir* consecratus fuit, nominat *Sigefridum*: qui primus hujus nominis Ecclesiæ isti ab A. 1060, ad A. 1082, præfuit.

(102 b) Cum Cosmas diserte tradat, hunc Marcum ab A. 1063. ad A. 1096. Cathedralis Ecclesiæ Pragensis Præpositum, prognatum fuisse ex gente Teutonica; ejus tamen ortum Bohemiæ vindicat, ipsum-

situram: qui secundum hominis genituram nobili ortus erat atavorum prosapia, ducens originem de gente Theutonica, pollens sapientia præcunctis, quos tunc habuit terra Boemica. Nam in omnibus liberalibus artibus valde bonus fuit scholasticus, qui potuit dici & esse multorum magistrorum didascalus. In divina vero pagina interpres mirificus, in fide Catholica & in lege Ecclesiastica doctor magnificus. Quicquid tamen religionis, quicquid regularis institutionis, quicquid honoris hac est in Ecclesia, hic sua erudivit & ordinavit sapientia. Prius enim erant irregulares, & nomine tantum Canonici, inculti, indocti, & in habitu laicali in choro servientes, velut acephali aut bestiales Centauri viventes. Quos vir prudens Marcus suis verbis & exemplis instruens, & e multis meliores quasi de prato excerpens flores, ope divina cooperante XXV. fratres ordinavit, dans eis religionis habitum & secundum regulam æqualem cibi & potus mensuram. Sed cum sæpe aut negligentia ministrorum, aut occasione aliqua magistrorum, intermitteretur fratrum præbenda, & inde sæpe eum fratres affligerent sua querimonia, volens placere eis per omnia decimationis illorum quartam partem sibi ascribens tres inter fratres dividit, ita ut unusquisque frater annuatim XXX. modios tritici, & todidem avenæ, insuper & IIII. denarios ad septimanam pro carne sine intermissione haberet. De cujus DEO placitis actibus plura poteram relatu digna: sed melius est, ut de his sileam, quam videar e multis dixisse pauca. Hic beatæ memoriæ Præpositus post XXX. annos, quibus hujus Ecclesiæ rexit Præposituram, jam cælesti regno beatam commissi talenti recepturus usuram XVIII. Kalend. Decemb. *migrat ab his tenebris ad lucis amœna perennis.*

p. 36.

Anno Dominicæ incarnationis MLXX. Dux *Wratislaus* in moribus DEO carus & hominibus, nec non in rebus bellicis miles præclarus, inspiratione divina commonitus monasterium in metropoli Boemiæ urbe WISSEGRAD vocata, quæ omnium terræ illius civitatum quasi mater & domina est, DEO juvante construendum pia mente proposuit. (103) Ad cujus propositi efficientiam non mediocri animo consilia pertractans, dignum duxit quatenus monasterium, quod gratia DEI cooperante conficiendum devote promiserat, Sanctæ Romanæ ecclesiæ Pontifici regendum, omnique ab adversitate diligenter protegendum, simul cum Canonicis ejusdem ecclesiæ commendaret. Igitur Petrus ecclesiæ Sancti Georgii præpositus Romam missus devota nuncia sui ducis domino Apostolico fideliter insinuavit. Quo audito, venerabilis Papa ALEXANDER II. DEo gratias pro tam felici præfati principis desiderio retulit; moxque Synodum convocavit, in qua LXXII. Episcopi fuerunt. Quibus postquam omnia prædicti Ducis verba recitavit, cuncti unanimi corde & voce glorificantes DEum, qui Sanctam suam Ecclesiam in toto orbe terrarum dilatare non cessat, responderunt, *Amen.* Dominus ergo Papa Petrum præpositum domino suo cum privilegio in hæc verba remisit: ALEXANDER, *servus servorum DEI, urbis Romæ Episcopis & papis suis successoribus, nec non catholicis episcopis Sanctæque Romanæ ecclesiæ subjectis cunctis, utriusque vitæ prosperitatem & apostolicam benedictionem a summo DEO cum omnibus sanctis. Ea, quæ Dominus DEus suam per clementiam ad augmentum Apostolicæ sedis condonare dignatus est, ad agnitionem omnigenarum linguarum hoc sub chirographo propagari volumus, primum quidem misericordiam Dei super nos diffusam liquide annunciamus. Boemorum Dux Wratizlaus, vir Christianus, fidei integerrimus amator, rebus in bellicis magnificus triumphator, quod serenissime ubique terrarum claruit, limina Apostolorum Petri & Pauli honestos per nuncios quotidie visitans, nos cæterosque in DEI servitio devotissimos omni beneficio non minime præteriens piæ mentis devotione innotuit. Multa ante tempora votum DEO vovi, quod adhuc nequaquam implevi. Ecclesiam in honorem Salvatoris nostri, cujus ubique protectione munitus, vestræ pietatis auxilio ædificare cupio. Dictis talibus auditis, pontificalis apex ut adcresceret, sanctorum patrum numero septuaginta duorum communi consilio penitus collaudavimus. Igitur ad hæc perficienda Iohannem, Episcopum Tusculanensem, fundamentum dare misimus, cujus in præsentia ipse præfatus Dux cophinos terra onustatos duodecim propriis humeris portasse videbatur. Locus ergo, in quo est erecta, Wissegrada cognominatur, quod sonat litteraliter Altior civitatibus. Quam Sacrosanctam ecclesiam totius provinciæ caput dici, venerari sanximus, prædiis, mancipiis; auro, argento, cæterisque ornamentis decenter ditatam comperimus. Episcopi ejus sub Dominio suis de decimis, trecentos homines ad eandem ecclesiam segregaverunt; Præsul Pragensis ducentos, Olomucensis centum, fratrum suorum Conradi, Ottonis, consensu. Hoc itidem asylum tutamini beati Petri principis Apostolorum cunctisque in ejus sede sessuris firmiter commendavit. Marcas XII. de eadem ecclesia ad pedes universalis Papæ, quicunque erit, omni anno offerendas sub Christi testimonio destinavit. Hujus vero conditionis gratia cunctis celsior in eadem regione ut videretur*

que ex *Comitibus Mielnicensibus* natum fuisse, ait Balbinus, *P. II. Libr. IV. Miscell. Bohemiæ Sanctæ pag* 14. At Hagecius narrat, eundem prodiisse ex gente *Comitum Essoviorum*, qui olim cum Czecho ex Croatia in Bohemiam advenerint, ac postea *Hrozmatæ*; & tandem a nova arce, *Comites de Guttenstein* sint appellati. Sed vide, quam hæc incerta sint!

(103) Existimatur *Wratislaus* ex odio adversus fratrem, *Jaromirum*, ut ei æmulum excitaret, *Ecclesiam Wissebradensem*, seu *Vicegradensem* condidisse, condi-

tamque soli Papæ subjeciisse, ac *Præpositum* ingenuæ hujus Ecclesiæ, *Principem & Cancellarium Bohemiæ*, in perpetuum esse jussisse. Vid. Æneas Sylvius, in *Hist. Bob. cap.* 22. Dubravius, in *Hist. Bob. Libr.* 10. Hagecius, in *Chron. Bob. P. I. ad A.* 1088. Dignitatem, opes, jura & immunitates ejusdem Ecclesiæ, describit non solum Alexandri II. Papæ, diploma, quod exhibet Cosmas; sed & adhuc magis diploma Caroli IV. Imp. A. 1359. 3. Id. Majas datum; quod a Balbino assertur.

rum formam: quibus recitatis, nec admissa, nec repulsa, nec discussa eorum causa, jussi sunt ire ad hospitia sua, quoadusque revocarentur ad generalem Synodum die constituta.

Mathilda Bonifacii F. Hisdem' diebus venerat Romam *Mahtildis*, (107) potentissima domina, quæ post obitum patris sui Bonifacii, totius Longobardiæ simul & Burgundiæ suscepit regni gubernacula, habens potestatem eligendi & inthronizandi sive eliminandi CXX. super Episcopos. Hujus quasi propriæ dominæ ad nutum omnis senatorius ordo parebat, & ipse *Gregorius* Papa per eam divina & humana negotia disponebat: quia erat sapientissima consiliatrix, & in omnibus adversitatibus sive necessitatibus Romanæ Ecclesiæ maxima fautrix. Cujus de genealogia materno sanguine Præsul *Jaromir* descendens duxit affinitatem. (108) Quo ipse de se referente, ut recognovit prædicta do- p. 39.

(107) Luculentum hoc est de potentia *Mathildis* testimonium. Fuit hæc filia prepotentis in Liguria Tusciaque Ducis & Marchionis, *Bonifacii*, ex altera uxore, Beatrice, Lotharinga, A. 1046. nata, teste Donnizone, in *vita Mathildis*, *Libr. I. cap.* 10; & Anonymo, in *ejusdem vita*, *cap.* 5. apud Leibnitium, *T. I. rer. Brunsvic. p.* 693. Conf. præter tot alios, Dn. Prof. Kœlerus, in Schediasmate de *Donatione Mathildina*, *Pontifici R. facta*. Item, b. Fellerus, *Trimestri II. p.* 71. *sqq.* ubi sigillatim scriptores recenset, qui de *Mathilde* illa ex instituto commentati sunt.

(108) Quæ sit illa affinitas & cognatio *Jaromiri*, Præsulis Pragensis cum Mathilde, Bonifacii, Ducis Liguriæ, & Tusciæ, uxore, in obscuro latet, & nescio, an quisquam adhuc eam explicare tentarit. Si dictum *Annalistæ Saxonis* sequamur, & ea teneamus, quæ partim jam supra *sub not.* (70) & (96) attulimus; hoc Schema *Genealogiæ* Jaromiri dare possumus, quamvis nunc prætermissis probandi rationibus, ut chartæ parcamus.

Adelbertus, *Comes de Martela, sive Amerdalen.* † 954.

Batholdus, *Marchio Franconiæ adversus Boemor.* † 980.
Vxor, Eila, *filia Lotharii, Comitis Walbeccensis.* † 1015.

Henricus, *Marchio de Suinfort.* † 1017. *Vxor*, Gerberga.	Burcardus, *Præfectus Ratisbonensis.*	Otto, *Comes* 1003.	Filia, *nupta filio Arnoldi, Comitis de Vobburg.*

OTTO, *Marchio de Suinfurth, & deinde Dux Sueviæ.* † 1058.
Vxor I. Mathildis, *filia Bolislai, Regis Polonorum.*
II. IRMINGARDIS, *filia* MAGINFREDI, *Marchionis Seguſienſis, &* BERTHÆ; *quæ* Irmingardis *postea nupsit* Ecberto I, *Principi Brunsvicensi & Marchioni Misn.*

IVDITHA, † 1058.
Vxor I. Bratislai, *Ducis Bohemiæ, qui eam* rapuerat ex cœnobio.
II. Petri, *Regis Hungariæ.*

Spithinæus, Wratislaus, Conradus, *Duces Bohemiæ.*

IAROMIR, Otto. *Episcopus Pragensis.*

Subjiciemus etiam Schema Genealogiæ MATHILDIS:

Sigefridus I, *Comes Lucensis.*

Sigefridus II, *Parmæ sedens, ex quo progenies Baratina.*	Atto, *Comes Canusinus.* *Vxor*, Hildegardis.	Gerhardus, *ex quo progenies Gibertina.*

Rodulphus, *obiit in pueritia.*	Godefredus, *Præsul Brixiensis.*	Thedaldus, *Comes Canusinus,* *Vxor*, Guillia, *Ductatrix.*

Thedaldus, *Præsul Aretinus.*	Conradus, † 1030. *improlis.*	BONIFACIVS, *Dux Spoleti, & Marchio Tusciæ.* † 1052. Vxor 1. Richildis, *filia* Gisilberti *Principis.* 2. BEATRIX, *filia* Friderici, *Ducis Lotharingiæ,* & Mathildis *Sueviæ*; ex qua Beatrix.

Federicus, † 1055.	Beatrix.	MATHILDIS, *præpotens Comitissa Tusciæ* &c. † 1115. *nupta*, 1) Gotofredo Gibboso, *Duci Lotharingiæ.* 2) Welpho, *Duci Bavariæ.*

Si jam hæc Schemata inter se conferamus, non facile apparet, quæ cognationis ratio *Machtildem* inter & *Jaromirum* intercesserit. Equidem Botho, in *Chronico picturato*, ad A. 1046. tribuit *Ecberto I.* Marchio-

mina

mina quod suus esset consanguineus, cœpit eum valde honorare, & Domino Apostolico commendare, ac quasi fratrem suum prout potuit honorifice tractare. Et certe Præsul *Jaromir* A nomen bonum & honorem cum gradu amisisset, si hæc Romæ non assuisset, qua interveniente, & multis Apostolicum precibus fatigante, facta est pax inter prædictos Episcopos ea ratione, ut in pace quieti & propriis Episcopatibus contenti vivant. Sin autem, post X. annos iterum ad Apostolicam sedem hac eadem de causa judicium accepturi redeant. Et ita per Gregorium Papam, agente Mahtilda, restitutus est præsul Jaromir in pristinum gradum & honorem. (109)

ni Misniæ, inter alios liberos METTAM, sive MATHILDEM, quæ nupserit Regi Longobardiæ; cujus etiam ad A. 1084. meminit Cranzius, *Saxon. Lib. V. c. 13. & Libr. VII. c. 33. Metrop. Libr. VII. c. 38*; eamque tradit fuisse *Marchionis Bonifacii Itali* uxorem, celebrem illam *Mathildem*, Italiæ Ducem. Quæ si vera essent, facilius cognosceretur affinitas illa; propterea quod *Ecbertus* ille, Marchio, secundis nuptiis domum duxerat *Irmengardem*, viduam *Ottonis* Suinfurtensis, cujus soror erat *Juditha*, Dux Bohemiæ, mater *Jaromiri*. Sed illam narrationem de *Mathilde*, tanquam filia Ecberti I. dudum refutavit Meibomius, in *Apologia Ottonis IV. Imp. p. 136.* Conf. Dn. ab Eccard, in *Hist. Genealog. Marchionum Misnensium, cap. V. p. 285.* Nihilominus existimamus, ab *Irmingarde*, altera uxore *Ottonis*, Marchionis Suinfurtensis, deduci posse cognationem illam Mathildis & Jaromiri, de qua loquitur Cosmas. Fuit scilicet illa *Irmingardis* filia Comitis Montis Bardonis, *Maginfredi*, nempe Marchionis Segusiensis, ex Bertha nata; ut Blondellus, in *Præf. Apologetica, Assertionis Genealogiæ Francicæ LXXII.* *4. ostendit. Hujus *Irmengardis* aliquoties meminit *Annalista Saxo*; v. g. p. 464. ad Ann. 1036: OTTO de SVINVORDE, *cogente Synodo, Machtildem sibi desponsatam juramento a se abalienavit. Post hanc accepit uxorem, quæ Emilias, vel Immula, seu* IRMINGARDIS *dicta fuit, sororque illius,* ADELIS *dicta, nupserat* OTTONI MARCHIONI de ITALIA. Idem, *p. 496. ad A. 1067: Henricus* (IV) *Rex, Bertam, filiam Ottonis, Marchionis de Italia, & Adelheidis, quæ soror erat Comitis, qui agnominatus est de Monte Bardonis in Italia, & Immulæ, seu* IRMINGARDIS, *quam post mortem* OTTONIS, *Ducis de Suinvorde, Ecbertus Marchio senior de Brunesvic uxorem tunc habebat, nuptias Triburi celebravit.* Etiam Hermannus IV, Dux Sueviæ, frater Henrici III. Imp. habuit in matrimonio sororem *Irmingardis Adelheidam*; de qua Hermannus Contractus, ad A. 1036: *Heremannus, Dux Alemanniæ, Marcham Soceri sui,* MEGINFREDI *in Italia, ab Imperatore accepit.* De eodem Meginfredo videdetur Fellero loqui Glaber Rudolphus, *Libr. 4. cap. 2. Mainfredus, Marchionum prudentissimus, & ejus frater, Alricus, Astensis urbis Præsul.* Nihil ergo verisimilius est, quam *Irmingardis* gentem in Italia cum gente *Bonifacii*, mariti *Mechtildis*, præpotentis *Marchionissæ Italiæ*, fuisse sanguine conjunctam; quam cognationem respexit Cosmas, nobis autem plenius exequere jam non vacat. Hæc vero ita se habent, si sequamur *Annalistam Saxonem*, tradentem, *Juditham* Matrem Jaromiri, fuisse sororem *Ottonis Suinfurtensis*: quanquam & illud adhuc expendendum est, quod Henningesius, *Parte I. secundi & tertii Regni in Quarta Monarchia p. 257.* tradit, *Ottonem* illum *Suinfurtensem* natum esse ex sorore *Ottonis III.* Imp. forte *Adelheide, Alrani*, Montis-Ferrarienssium Marchionis, Conjuge. Quod si vero audiamus ipsum Cosmam nostrum, illius Judithæ Pater dictus est ALBERTUS OTTO. Atque tunc, ne quid dissimulem, mihi in mentem venit, an non intelligi debeat ALBERTUS ATTO, sive AZZO II. Comes & Marchio Estensis; *Atto* autem, vel *Azo*, erat cognomen illius *Alberti*, facileque a scriptore Bohemico in nomen *Ottonis* mutari potuit. Sic enim ipse loquitur in Diplomate apud Muratorium, de *Antiquit. Estens. p. 81: Nos* ALBERTVS *Marchio, qui* AZZO *Marchio dicor.* De hujusmodi igitur *Alberto Ottone* idem Muratorius *delle Antichità Estensi p. 138.* ex quodam Chronico antiquo hanc narrationem affert: OTTONEM *Imper.* ALBERTVS AZZO, *Estiensis Marchio, in Saxoniam comitatur; quo licet nobilissimi plures alii convenissent, nullus tamen Imperatori adeo gratus & carus fuit, uti* ALBERTVS AZZO. *Nam, præter Germanicam linguam, quam Austriæ natus acquisierat, quoscunque alios quocunque etiam virtutum & laudum genere longe excellebat, & in hastiludiis, Trojanisque certaminibus imperialis aulæ commilitones reliquas facillime superabat. Quibus omnibus cum Imperator ipse maxime delectaretur, tantum amoris & gratiæ Italo nostro habuit, ut Aldam naturalem ei filiam, sacratissimo illi connubio jungeret, comitatumque omnem Fausburg in Saxonia largiretur, etsi oppidum aliud prius etiam condonasset.* Quæ si admitterentur; longe apertius cognatio Mathildis & Jaromiri cognosceretur. Sed, en! etiam particulam *Stemmatis Estensis* ex Muratorio.

Obertus, s. *Albertus*,
Marchio Italiæ, qui floruit A. 994.

Albertus Atto, Marchio Italiæ. Vxor, *Adelheidis.*	sive	*Azzo I.*, A. 1014.	*Hugo*, Marchio & Comes.	*Adelbertus*, Marchio.

ALBERTVS ATTO, s. AZZO II. Marchio Italiæ, Comes Estensis, natus A. 996. † 1097, centenario major. Vxor 1. *Cuniza*, filia *VVelfonis*, Com. Altorfensis. 2. *Gersendis*, Comitissa Cenomannorum.

1) *Guelfus IV.*, Dux Bavariæ. † 1101	2) *Hugo II.*	3) *Folco*, propagator Stirpis Estensis.	Huc, secundum Cosmam referenda videtur IVDITHA, Vxor *Bracislai*, Regis Bohemiæ, & mater *Iaromiri*, Episcopi Pragensis.

Guelfus V., Dux Bavariæ, † 1119. maritus ab A. 1089. MATHILDIS, Marchionissæ Tusciæ &c. filiæ *Bonifacii.*	*Henricus III.*, Dux Bavariæ. † 1127.

Dignum argumentum, quod ex instituto discutiatur; sed hæc jam nimia sunt ad Cosmam illustrandum.

(109) Epistolas *Gregorii VII. Papæ* in caussa *Jaromiri*, Episcopi Pragensis, & *Johannis*, Episcopi Moravien.

Anno

Anno Dom. Incarn. M. LXXIV. Sole intrante XV. partem Virginis. Adhuc etiam & hac efficiente *Mahtilda*, dominus Papa legatis Boemorum tradidit apices literarum, in quibus mandat & præcipit Duci, ut fratrem suum honorifice suscipiat, & ei quasi patri suo & pastori per omnia obediat, atque in pace cum Dei benedictione vivant.

Sed quoniam incidit nobis mentio de *Mahtilda*, unum quod fecit fœmina viriliter, breviter referam, ne lectori fastidium inferam. Igitur cum prædicta puella semper existens victrix inter multa bella, patris sui post mortem vitam ducens cœlibem, nimis amplum Longobardiæ regeret regnum, visum est Principibus terræ & Comitibus atque Episcopis ut eam persuaderent, quo sibi acciperet virum, ne sine hærede regalis celsitudo simul cum prole deficeret. Quæ acquiescens eorum consiliis, misit ad Ducem Sueviæ, nomine *Welphum* literas multa paucis continentes verbis: *Non ego fœmineæ levitate aut temeritate, sed totius regni mei pro commoditate, dirigo tibi has literas, quas cum acceperis, me accipe & totius regnum Longobardiæ. Dabo tibi tot civitates, tot castella, tot palatia inclyta, aurum & argentum nimis infinitum: super omnia hæc habebis nomen præclarum, si te facies mihi carum. Nec tamen me notes audacitatis elogio, quod nunc aggredior te prior eloquio. Licet enim tam virili quam fœmineo sexui legitimum appetere conjugium. Nec differt, utrum vir an fœmina primam amoris lineam tangat: tantummodo indissolubile contingat connubium. Quod aliter non fit, nisi utrorumque per consensum. Vale.* Quid autem ad hæc Dux Welpho responderit, aut qua ratione ei consenserit, aut quot millia armata domina Mahtildis ad suscipiendum ducem in fines Longobardiæ præmiserit, aut quam honorifice ipsa eum susceperit, vel quanto apparatu convivium fecerit, si quis scire vellet, prius lux diurna deficeret quam hæc omnia perlegeret. Cedat Rex Assuerus cum suis apparatibus, qui suis militibus fecit magnificum per CXX. dies convivium. Cesset Regina Saba admirari mensam & cibos regios Salomonis. Nam quod illic totum, centesima pars major fuit toto. Quid multa? Nox aderat, cubiculum intrant, super alta strata gemini se locant. Dux Welpho sine Venere cum Mahtildæ Virgine. Ubi inter alia, & post talia, inter tales qualia fiunt, Dux Welpho ait: *O domina, quid tibi voluisti, quare me vocasti, ut risum de me faceres, & me in sibilum populis & in commotionem capitis poneres? Plus te confundis, tu me confundere si vis. Certe aut tuo jussu, aut per tuas pedissequas aliquod maleficium vel in tuis vestimentis, vel in lectisterniis latet. Credo mihi, si frigidæ naturæ fuissem, ad tuam voluntatem nunquam veniissem.* Hæc cum prima & & secunda nocte Dux objiceret dominæ, tertia die sola solum ducit in cubiculum, ponit in medio tripodas, & desuper mensalem locat tabulam, & exhibuit se sicut ab utero matris nudam & inquit: *En quæcunque latent, vel omnia patent: nec est ibi aliquod maleficium lateat.* At ille stabat auribus omissis ut iniquæ mentis Asellus, aut carnifex qui longam acuens machæram stat in macello super pinguem vaccam excoriatam, cupiens exenterare eam. Postquam vero diu sedit mulier super tabulam, & velut anser cum facit sibi nidum huc & illuc vertens caudam frustra, tandem indignata surgit fœmina nuda, & apprehendit manu sinistra anticiput semiviri, atque in dexteram palmam dat sibi magnam alapam, & extrusit eum foras dicens; *I procul hinc monstrum, regnum ne pollue nostrum. Vilior es galba, projecta vilior alga. Si mihi visus eris eras, morte malæ morieris.* Taliter confusus Dux Welpho fugit, & reportat omnibus suis confusionem in sempiternum. Hæc sufficit breviter dixisse, quæ utinam non dixissem. (110)

Welpho Dux Sueviæ.

Factum est autem postquam præsul, *Gebehardus*, reverteretur ab urbe Roma, proceres quotquot erant sui clientes, de reditu ejus valde gratulantes occurrunt ei obviam sub ipso exitu silvæ. Quibus in jucunditate dum refert, quæ gesta fuerant Romæ, & qualiter sit fretus ope Mahtildæ

p. 40. *Gebhardus Roma reversus.*

sis, scriptas, exhibet Harduinus, *T. VI. Conciliorum*; Goldastus, in *Appendice Documentorum de regno Bohemiæ*; & Balbinus, in *Miscellan. Histor. Bohem.*

(110) *Mathildem* hanc duos habuisse maritos alii jam abunde comprobarunt. Prior fuit *Godefridus* Gibbosus, Dux Lotharingiæ; occisus, A. 1076. teste Arnulpho, *Histor. Mediolan. Libr. VI. cap. 4*: *Post dies hos ad secessum residens Dux* HREFREDVS, *Gothefredi filius, gladio confossus interiit, conjuge relicta* MATHILDA, *Bonifacii ac Beatricis admodum clarissima filia.* Conf. Felleri *Trimestr. II. Monumentorum inceditor. p. 94. seq.* Alter ejus maritus fuit hic *Welfo*, sive *Guelfo*, Dux *Bavariæ*, non *Sueviæ*, ut scribit Cosmas. De quo matrimonio A. 1089. inito, Monachus Weingartensis, *p. 789*: *Accepit autem*, inquit, WELFO V. MATHILDAM, *nobilissimi ac ditissimi Italici Marchionis, Bonifacii, filiam, in uxorem, feminam virilis animi, quæ ad instar fortissimi Principis totam terram illam Domino suo subjugavit; quam tamen postea, nescio quo interveniente divortio, repudiavit.* Conf. Bertoldus Constantiensis, in *Appendice ad Hermannum Contractum, p. 362.* & Chronographus Saxo, ad A. 1089. Narrationem Cosmæ Pragensis de divortio *Welfonis & Mathildis* Brunnerus, in *Annalibus Boicis*, ad A. 1094. vocat hircosam, putidioremque omnibus cloacis fabulam, quæ nec fidem, nec stationem mereatur in casto libro. At enimvero, quamvis in eo erret Cosmas, quod istud divortium intra paucos initi matrimonii dies factum commemoret; cum Welfo Mathildi demum A. 1095. repudium miserit: attamen illa ipsa narratio non prorsus de nihilo esse videtur; cum *Welfo* hic & aliis scriptoribus impotentiæ suspicionem dederit. Pertinent huc potissimum ea, quæ Bertholdus Constantiensis ad A. 1095. hac de re literis prodidit. *Welfo*, inquit, *filius Welfonis, Ducis Bojoariæ, a Conjugio Dominæ Mathildis se penitus sequestravit, asserens, illam a se omnino immunem permansisse; quod ipsa in perpetuum reticuisset, si non ipse prior illud satis inconsiderate publicasset. Unde Pater ipsius in Longobardiam nimis irato animo pervenit, & frustra diu multumque pro hujusmodi reconciliatione laboravit, ipsum etiam Henricum* (IV. Imper.), *sibi in adjutorium adscivit contra Dominam Macbeildem, ut ipsam bona sua filio ejus dare compelleret, quamvis nondum illam in meritali opere cognosceret; unde diu frustra laboratum.* In causas hujus divortii inquisivit Muratorius, *Antichità Estensi, p. 18. seq.*

Dominæ, uni eorum, quem præ cæteris diligebat, nomine *Belec*, alludens ait: *Vide, qualem barbam reporto.* Et permulcens eam manu: *Certe,* dixit, *est Cæsare digna.* At ille: *Placet,* inquit, *omen, quod laudas Domine; sed plus laudarem, si animum mutatum, cum barba reportares. Quem o si mutasses, posthac in pace fuisses.*

Nec tacere cupio, quod eodem anno nobis adhuc positis in Scholis contigit audire & videre. Quadam ergo die dum Psalmiculos ruminarem, stans in crypta Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani, venit quidam vir portans cereum & filum argenteum, quo secundum jussum visionis metitus erat sui corporis artus; & accedens ad S. me: *Heus,* inquit, *indica mihi, bone puer, ubi jacet Sanctus Radim, Sancti Adalberti frater.* Ad quem ego dixi: *Quem tu dicis Sanctum, adhuc non est per Apostolicam incanonizatus missam ejus ut pro defunctis celebramus.* Et ille; *Talia ego,* inquit, *nescio: sed unum scio, quia cum essem Krakoū in urbe per tres annos, positus in subterraneo carcere, in quo una feneſtrula desuper erat, qua mihi panem raro & aquam porrigebant, hac in angustia dum vita mea versabatur, quadam die astitit vir coram me, cujus vestes erant sicut nix alba, & facies ejus ut sol fulgebat (tantum memini) & statim sui in exthasi, & quasi de somno gravi evigilans ante urbem stare me sensi. Et qui mihi in carcere apparuit, stans juxta me dixit: Perge Pragam, ne timeas quenquam, & intrans Sancti Viti Ecclesiam in crypta Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani, offer munus tuum ad meam tumbam. Ego sum Radim, Sancti Adalberti frater. Hæc mihi dixit, & statim ab oculis meis evanuit. Ecce isti crines & vultus mei macies testantur, quia vera sunt, quæ tibi referuntur.* Præterea sæpe in eadem crypta vident visiones custodes Ecclesiæ, dum visitant candelam, quæ ibi accenditur nocte. (111a)

S. Radim Adalberti frater.

Nec prætereundum censeo, quod Dux *Wratislaus*, & sui fratres, *Conradus* atque *Otto*, contra Orientalem Marchionem, *Ludolphum*, filium *Lucz*, commiserunt bellum. (111b) Sed prius videndum est, unde ortæ sint tantæ inimicitiæ inter *Ludolphum* & *Conradum*, Diar-

* *Leopoldus Marchio Austriæ. Syl. c. 22.*

(111a) Hic non reticere debuisset Cosmas alias res iis annis a Bohemis publice gestas. Ita nempe Bohemi aderant Henrico IV. Imp. A. 1075. VI. Id. Junii, ad Unstrutum fluv. cum Saxonibus confligenti, commemorante Brunone in *Historia Belli Saxonici p.* 112. seqq. Eadem tradit Chronographus Saxo, *p.* 261. *ad A.* 1075. Conf. Auctor *carminis de bello Saxonico, Libr. III.* apud Reuberum, *recent. edit. p.* 298. Otto Frisingensis, *Libro I. de Gestis Friderici I. cap. 6. p.* 411. & alii. Apud Lambertum Schafnaburgensem *p.* 246. *ad A* 1077. queruntur Principes Germaniæ, quod Dux Boemicus regnum Teutonicum jam tertio igne & ferro populabundus peragrasset. Conf. Bertoldus Constantiensis, *ad A.* 1077. *p.* 360. Magis eluxit virtus Bohemorum in tertio bello Saxonico, A. 1079; de quo Conradus Urspergensis, *p.* 172: *Iterum,* inquit, *bellum sit inter Henricum & Rudolphum, in loco, qui dicitur Fladebebeim.... Ibi Dux Bohemiæ, Fratizlaus, Regalem lanceam Rudolphi adeptus est; quæ exinde, permissione Regis Henrici, semper quemvis illius gentis Ducatu insignem, in omni festiva processione, præcedit.* Eadem tradit & auctor *vitæ Viperti Groicensis, cap. V.* §. 1. qui addit, huic bello affuisse & WIGBERTVM, *bellicis eventibus semper insignem.* Conf. Chronographus Saxo, *ad A.* 1079. *pag.* 263. Levoldus de Northof, in *Chron. Comitum de Marca, apud Meibomium, T. I. rer. Germ. p.* 382. Bertoldus Constantiensis, apud *Urstisium, p.* 347. & 349. Et, ne plura scriptorum testimonia cumulem, ad supplendam historiam Bohemicam istius ævi, ex citato scriptore *vitæ Viperti, cap. V.* §. 2. 3. 4. 5. sequentia adhuc annotabo: *Anno Dom.* 1080. *Rex Bohemiæ Vratislaus, Saxones disponens invadere, Wigberto præduce per pagum Nisen transiens, a Worzin usque Libiz, subita irruptione sæva, cuncta depopulatus est, apud Wossin ejus præstolaretur adventum. -- tam Bojemus pene primam aciem amiserat. Sed Wigberto superveniente, Saxones in fugam convertuntur, plurimis eorum occisis, sicque remeandi facultas Bojemis ferro patuit. Interea Imperator ab Italia rediens, curiam suam Bojemo apud Ratisbonam indixit. Ibi coadunato exercitu, Bavari cum Bojemis, ceterisque ex Germania gentibus, per territorium urbis Widæ transeuntes, usque ad munitionem, nomine Mulsen, juxta Elstram fluvium pervenerunt. Bello commisso, nec diu protracto, Imperatoris exercitus fugam iniit, & a Mulsen usque ad villam Widechorwe passim prostratus cecidit. Quos Saxonibus acriter insequentibus, Rex Rudolphus* (15. Octobr.) *in dextro brachio graviter vulneratus, & in Merspurg delatus, post triduum cum magna pœnitentia tantæ seditionis ac cædis prospere factæ moritur, ibidem honorifice sepelitur, Imperatoris exercitus undique dispersus, ad sua, Rege relicto, quisque revertitur, Imperatorem Vratislaus & Wigbertus, quod eidem bello aderant per Bojemiam cum paucis deduxerant, nondum Rudolphi Regis interitu comperto.*

(111b) Hic potius dictus est *Leopoldus*, fuitque Marchio Austriæ, qui ab A. 1075 usque ad annum 1096. istam Marchiam rexit, quartus istius nominis, & *Pulcher* cognominatus. Neque ejus Pater fuit *Adelbertus*, Marchio Austriæ, *Victoriosus* appellatus, ut falso tradit Dubravius, *Libr. VIII. Histor. Bohem.* sed *Ernestus.* Etenim *Adelbertus* ille, *Leopoldi III.* avus, secundum *Chronicon Millicense*, apud Pezium; & *Annales Hildesheimenses*, apud Leibnitium, *Henrico*, Marchioni Austriæ, Patri suo, A. 1018. successerat in *Marchionatu*, eundemque usque ad A. 1036. tenuerat. Hinc idem *Chronicon Mellicense*, & *Clausironeoburgense*, ad A. 1036: *Adelbertus, Marchio Austriæ, obiit; filius ejus* ERNVST *successit. Hujus Ernesti & Sivenbildis filius fuit* LEOPOLDVS III. Sic enim, præter multa alia testimonia, diserte legimus in vetusto Diplomate, quod edidit v. CL. Hieron. Pez, *Dissert. II. Tomo I. rer. Austriac. præmissa, §. XXII: Notum sit omnibus in Christo renatis, -- -- qualiter ego* ERNVSTO, AVSTRIÆ MARCHIO, *cum dilectissima thori nostri socia, Domina* SWÆNEHILDI *Marchionissa, & filio nostro* LIVPOLDO, *pro remedio nostrarum animarum*, &c. Nescio igitur, cur Cosmas *Leopoldum* appellet *Ludolphum*, ejusque Patrem, *Lucz*; nisi forte *Lucz*, Bohemice *Ernestum*, vel *Strenuum* notet. Quanquam idem Marchio etiam *Ludolfus* appelletur a Bertoldo Constantiensi. Etenim ad A. 1095. pag. 375. hæc scribit: *Ludolfus, Marchio de Orientali regno, in causa S. Petri fidelissimus contra Scbismaticos, diem clausit extremum.* Certe, cum satis constet, & laudatus Pezius, l. c. abunde comprobaverit, per *Marchiones Orientales* eo ævo designari & *Marchiones Austriæ*; nullus alius Marchio Austriæ, qui intra A. 1075. & 1082. vixerit, (utpote ad quæ tempora hanc narrationem retulit Cosmas) reperiri potest, quam ille *Leopoldus III.* cui *Pulchri* cognomen fuit, & ab A. 1075. ad A. 1096. *Marchiæ Austriacæ* præfuit. Testantur id auctores Chronici Mellicensis & Salisburgensis, apud Pezium, ad A. 1075: ERNVST, *Marchio Austriæ, occisus est in Saxonia, juxta fluvium*

cham

cham Moraviæ: nam antea semper fuerant amici ad invicem. Cum enim utrarumque provinciarum terminos non silva, non montes, non aliqua obstacula, dirimant, sed rivulus nomine Dyia, fluens per plana loca, vix eas disterminat; semper noctibus mali homines alternatim latrocinantes, pecora diripientes, villas vastantes, ex utroque populo prædam sibi faciebant. Et sicut sæpe parvula scintilla magnum excitat ignem, ita isti, de quibus diximus, Domini, quia noluerunt nocivum extinguere fomitem, ex his minimis rebus ad magnam suorum deveniunt perniciem. Nam cum frequenter *Conradus* ad Marchionem hujusmodi de compescenda mitteret seditione, & ille tumido fastu despiceret ejus verba, supplex adiit fratrem suum *Wratislaum*, Ducem Boemorum, rogans eum sibi in auxilium contra superbiam Theutonicorum. Qui suis quamvis non diffidens viribus, tamen Ratisbonensis Episcopi unam Scaram * ex electis militibus pretio conduxit sibi in auxilium. Nec celat Marchionem Dux adventum suum, sed mittens unum de Satrapis, quasi per antiphrasin loquens ei mandat, ut sibi paret grande convivium, seque ipsum pollicetur aleam Martis cito venire lusum. Ad hæc Marchio efficitur lætus, & subulco usque ad bubulcum armatos omnigena specie ferri, a subula usque ad stimulum, omnes jubet paratos esse ad bellum. Venerat Dux *Wratislaus* cum Boemis simul & Theutonicis, qui erant præsulis Ratisbonensis. Ast alia de parte *Otto* & *Conradus* adjungunt se cum suis omnibus, qui sunt in tota Moravia, militibus. Quos ut vidit Marchio longe in plano occurrere campo, præordinat suos lignei in modum cunei, & corroborat animos eorum hujusmodi monitis alloquii: *O milites, quorum vires per multas satis expertus sum fortunæ pugnas, ne timeatis illas fugitivas umbras, de quibus valde doleo, quod eis patet campus in fugam. Scio enim, quia non audent vobiscum committere pugnam. An non videtis, quoniam illos arguit inertia virium, quos timor compulit in unum globum? Nulla species ibi apparet armorum, oves sunt (ut reor) & esca luporum. Quid statis, o lupi rapaces, & catuli leonum feroces? irruite in greges ovium, & diripite corpora, quæ stant sine sanguine, prius casura, quam bellum visura, atque cito milvos vestros & vultures pascitura. O inferne, quantas tibi hodie dabimus victimas: Relaxa tuas officinas ad suscipiendas Boemorum animas. Scio enim, quod Deo & Sanctis ejus sunt odibiles, sine misericordia homines, qui adhuc hanc terram intrant, ut non solum nostra bona, sed & uxores nostras & earum soboles, diripiant: Quod Deus procul avertat! Atqui si alicui vestrum contigerit mori, una mors est hæc beatior omni morte, dulci pro patria mori.* Pluralocuturus erat, sed ejus verba impetus Boemorum abbreviat. Nam Dux *Wratislaus*, ut vidit hostes non cedere loco, jussit Theutonicos dextrum irrumpere cornu. Fratres vero suos, *Conradum* & *Ottonem*, ordinat pugnare in sinistra ala. Ipse autem, ubi erat confertissima hostium acies, in ipsa fronte Martis jubet exercitum suum descendere, & pedestri congressione cum adversariis decertarier. Qui citius dicto ab equis dissilientes, &, clamore exhortationis dato, sicut ignis in siccam stipulam immissus furit, & momento cuncta comburit, ita vires adversariorum ferro conterunt, terræque eos prosternunt; & de tanta multitudine vix residuus fuit, qui cum ipso Marchione aufugit. Sicque greges ovium lactaverunt catulos leonum, & paucis ex suis amissis, Boemi de plaga Orientali famosum referunt triumphum. Hac in cæde occisi sunt *Ztan* cum fratre *Radim*, & *Grdon*, filius *Janek*, & *Dobrogest*, filius *Hones*, & alii non adeo multi.

p. 45.

An. Dom. Incar. MLXXXII.

An. Dom. Incar. MLXXXIII.

An. Dom. Incar. MLXXXIV.

An. Dom. Incar. MLXXXV. VIII. Calend. Junii obiit *Iuditha*, conjux *Wladislai*, Ducis Poloniorum, quæ fuit filia *Wratislai*, Ducis Boemorum. (112) Hæc cum esset sterilis, semetipsam semper mactabat offerens vivam hostiam Deo cum lacrymis, vacans Eleemosynis, viduis subveniebat & orphanis, aurum & argentum nimis large dispertiens per monasteria, commendabat se orationibus Sacerdotum, ut per suffragia Sanctorum, quam natura negaverat, ex divina gratia prolem obtineat. Præterea mittit capellanum suum, nomine Petrum, qui & ejus vota Sancti Egidii ad sepulchrum & alia munuscula Abbati & fratribus suis deferat: quatenus per eorum intercessionem Deus exaudiat ejus petitionem. Qui mox ut Dominæ suæ implevit jussa, cum jam repatriare vellet, sic ei Abbas quasi prophetico ore fertur dixisse: *Vade cum Dei benedictione, & dic*

Judithæ F.

Instruth, V. Id. Jun. quod fuit primum bellum Henrici Regis. LIVPOLDVS III. *filius ejus successit.* Et ad A. 1096: LIVPOLDVS (III) *Marchio obiit; filius ejus Liupoldus IV.* (*Largus* cognominatus) *successit* Sed & belli inter hunc Leopoldum & Bohemos gesti, alii etiam scriptores meminere. *Chronicon Wirzburgense*, apud Baluzium, *T. I. Miscell.* ad A. 1081. hæc refert: *Bellum inter* LVIPOLDVM *Marchionem, &* CONRADVM, *fratrem Ducis Bohemiæ, IV. Id. Maji.* Quæ verba & Chronographus Saxo ad eundem annum, p. 264. exhibet. Similia commemorantur in *Chronico Claustro-Neoburgensi*, apud Pezium, ad A. 1082: *Hoc anno, IV. Id. Maji, feria VI,* CHVNRADVS, *Dux Boemorum, auxilio Bavarorum, cum Marchione Austriæ,* LVIPOLDO; *ad Mauriberch,* (hodie Meilberg, arcem Austriæ Transdanubianæ) *bellum iniit, & cum maxima Orientalium hominum* (Austriacorum) *cæde terminavit, & Marchionem ad fugam compulit.* Paulo pluribus istud bellum describit *Anonymus S. Altmanni Biographus*, apud Pezium, *pag.* 126. Duo distincta prælia Bohemorum cum *Leupoldo* habita commemorat auctor *Chron. Austral.* apud Freherum, *T. I. rer. Germ.* Prius, ad A. 1081: *Bavari & Bohemi, cum Marchione* LEVPOLDO *ad Mauripergum dimicaverunt & vicerunt* &c. Alterum ad A. 1083: *Dux Bohemiæ, Radislaus,* (Wratislaus) *dimicavit Maurenberg, cum Marchione Leupoldo.* Conf. Pezius, in *Dissert. VI. T. I. rer. Austr. præfixa, §. XIX.*

(112) *Juditha* hæc Wratislao procreata erat ex *Adleta*, sive *Adelheide, Andreæ*, Ungariæ Regis filia. Ejus laudes describunt rerum Polonicarum scriptores, inprimis *Kochowsky*, in *Hypomnematibus Reginarum Poloniæ.* Respice supra *notam* (98)

tiæ dominæ: spera in Deum, & nihil in fide hæsites, quia concipies & paries filium. Nullus est enim, qui non obtinuit, quod Sanctum Ægidium fideliter petivit. Sed timeo, ne forte Deum offendamus, cum contra fata precibus eum fatigamus, licet ipse per merita hujus nostri Patroni nonnunquam petentibus annuat, quod natura vetat. Qui cum Dominæ suæ hæc retulisset, tempore suo concepit, & postquam peperit filium, tertia die obiit in primo galli cantu supra notatæ diei. Filius autem ejus post in baptismate nomine sui *Boleslaus* est vocitatus.

Concilium Moguntinum.

Anno Dom. Inc. MLXXXVI. Jubente & peragente Romanorum Imperatore, Tertio Heinrico Augusto, celebrata est synodus magna in urbe Moguntia. Ubi IV. Archiepiscopi & XII. præsules, quorum nomina post docebimus, simul cum Abbatibus Monasteriorum & cæteris fidelibus residentes, plurima decreta super statu Sanctæ Ecclesiæ scriptis roboraverunt. In quo conventu idem Cæsar omnibus sui regni optimatibus, Ducibus, Marchionibus, Satrapis, Episcopis assentientibus & collaudantibus Ducem Boemorum, *Wratislaum*, tam Boemiæ, quam Poloniæ, præfecit, & imponens capiti ejus manu sua regalem circulum, jussit Archiepiscopum Treverensem nomine Egilbertum, ut eum in sede sua Metropoli Praga in Regem ungat, & diadema capiti ejus imponat. (113)

Wratislaus Rex Bohem. & Polonor. Dubr. lib. 9.

In eodem Concilio Pragensis Præsul *Jaromir* scripta suæ antiquæ querimoniæ repræsentat de Moravienſe Episcopo, *Joanne* supra memorato. Qui quamvis eodem anno jam ab hoc sæculo migrarat, tamen valde præcavens in futurum prædictus Præsul, & agens per amicos pulsat aures Cæsaris, ne iterum in eodem loco alius subrogetur Episcopus. Replicat coram omnibus privilegium olim a Sancto Adalberto episcopo suo antecessore, confirmatum tam a Papa *Benedicto*, quam a primo *Ottone*, Imperatore. Ad cujus justam querimoniam Imperator, motus precibus Ducis *Wratislai*, fratris ejusdem Episcopi, Jaromir, & consilio Archiepiscopi Moguntini, *Wezelonis*, & aliorum bonorum, quæ justitiæ favebant, novum antiquo fere ejusdem tenoris addit privilegium, & signo Imperiali confirmat, ut in sequentibus patebit. Cujus privilegii formam si huic operi nostro inseramus, non superfluum fore æstimamus, continet enim hunc aut hujusmodi textum: (114) *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Heinricus tertius, divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Regio nomini & Imperatoriæ dignitati congruere novimus, ut Ecclesiarum Dei utilitatibus ubique opitulantes, damna & injurias earum, quacunque necesse fuerit, propulsemus. Quapropter universis Dei nostrique regni fidelibus, tam futuris, quam præsentibus, notum esse volumus, qualiter fidelis noster Pragensis Episcopus* p. 42. Gebhardus* *sæpe confratribus suis & coëpiscopis* *Gebhardus *cæterisque principibus nostris, ac novissime nobis* f. *Jaromir. conquestus est, quod Pragensis Episcopatus, qui*

(113) Scriptores, qui præter Cosmam commemorant *Vratislaum II.* Ducem Bohemiæ, fuisse ab *Henrico IV.* Imperatore, in comitiis Moguntinis, A. 1086. Regem creatum, antiquo Moravorum regno in Bohemiam translato, itemque Poloniæ regno adjecto, larga manu recensetur a Goldasto, *de regno Bohemiæ, Libr. III. cap. X. §. 8.* & in *notis* adjectis. Addo nunc Monachum Pegavienſem, in *vita Viperti, Comitis Groicensis*, qui *cap. II & III.* refert, Vratislaum, potissimum instigante & conciliante hoc Viperto, regiam dignitatem retulisse. Idem nec dissimulat, quanti constiterit hæc dignitas Vratislao. *Cap.* enim *III. §. 5.* ita disserit: *Deinde Vipertus ad Vratislaum in Bojemiam reversus, quæ pro recuperatione dignitatum & nominis ejus peregerit, intimavit, utque 4000 marcarum argenti transmitteret Imperatori, & 30 libras Imperatrici; insuper & filium suum, Borwi, cum 300 militibus in Italiam destinaret, luculenta ratione persuasit.* Postea, de ipsa regia inauguratione Vratislai hæc subjicit: *Ventum est igitur ad curiam Herbipolin, vel Wirziburg; ad quam cum Principes undique solenniter convenissent, exceptis Saxonibus, Duxbojemiæ, Wigberto cum indicta thesauri quantitate præeunte, proceribus, quos electissimos habuit, stipatus advenit. Imperatore ergo jubente, per Moguntinum Archiepiscopum, & Constantiensem Præsulem, & Wirzeburgensem, Vratislaus regali benedictione sublimatur.* Quæ narratio Monachi Pegavienſis & Cosmæ nostri in eo dissentit, quod uterque alia comitia, aliosque Episcopos inaugurando Vratislao adhibitos, nominat. Sed fortasse istos scriptores ita conciliare licet, si dicamus, Monachum Pegavienſem de prima transactione, quæ Wirzburgi contigerit, locutum esse; cum, teste Bertholdo Constantiensi, pag. 358 utique eo ipso anno 1086. etiam Wirzburgi comitia fuerint celebrata; contra Cosmam narrasse, quomodo ista evectio & inauguratio Vratislai quasi confirmata fuerit in Comitiis Moguntinis mox subsecutis. Quamquam concilium Moguntinum, de quo loquitur Cosmas, Collectores Conciliorum potius referunt ad A. 1085; v. g. Labbe *T. X.* Harduinus, *T. VI. P. I.* Idem vero Monachus Pegavienſis l. c. tradit, jam ante tempora Vratislai, quendam Antecessorem ejus, *Bongerem*, dominium nomenque regium adeptum fuisse; quod fortasse corruptum nomen est *Boleslavi*, Ducis Bohemiæ, *Sævi* cognominati; qui a Wittekindo, *Libr. III. Annal. p. 652*, & a Frodoardo, itemque a Conrado Urspergensi, ad A. 950. REX BOHEMIÆ nominatur. Auctor *Chronici Vetero-Cellensis minoris, T. II Menck. Script. rer. Germ. p. 437.* hanc inaugurationem regiam *Vratislai* ad A. 1085. refert, ejusque ritum pluribus verbis describit. Conf. Procopius Lupacius, in *Ephemerid. Bohem. ad d. V. Junii.* Schurzfleischius in dubium vocat hanc inaugurationem regiam Vratislai, in *Dissert. de March. Misnens. §. 3.* at deinde alibi sententiam hanc recte mutavit. Dn. Ludewigius, in *Dissert. de jure Reges appellandi, §. VII.* bene animadvertit, Duces Bohemiæ ex eo tempore per integrum seculum regales titulos intermisisse, sive regiorum sumptuum ergo; sive reipublicæ voluntate, pristinum titulum præoptantis; sive eo, quod servitutem sub honoris specie ab Imperatoribus sibi imponi crediderint; sive quod titulus non regno, sed Regis personæ esset collatus; sive alia causa quacunque; de qua re & copiose disserit Goldastus, de *regno Bohemiæ Libr. III. cap. X §. 12.*

(114) Hoc Diploma etiam exhibet Goldastus, in *Appendice Documentorum ad Lib. de regno Bohemiæ n. IX.* & Balbinus, *Miscell. Dec. I Libr. VI. P. I. p. 11. seq.* Nos paucas hinc lectiones variantes annotabimus: a) pro *Jugast*, leg. *Luigast.* b) pro *Chub*, Balbinus legit *Cheb*, & de *Egra* olim sic dicta interpretatur. c) Goldastus & Balbinus, hæc nomina sic distincta exhibent: *Chrowati, & altera Chrowati Ziasane, Treuvobane, Baborane, Dedosese.* d) pro *Bug*, leg. *Buo.* e) pro *Indict. IX.* leg. *Indictione VIII.* Quodsi vero *Indictio IX.* retineatur, *annus Domini* 1085. foret reponendus.

abini-

*ab initio per totum Boemiæ ac Moraviæ Ducatum unus & integer constitutus, & tam a Papa Benedicto, quam a primo Ottone Imperatore, sic confirmatus est, postea antecessorum suorum consensu, sola dominantium potestate subinthronizato intra terminos ejus novo Episcopo divisus esset & imminutus. Qui cum Maguntiæ coram Legatis Apostolicæ sedis, præsentibus nobis ac plerisque Regni nostri optimatibus, eandem querimoniam intulisset, ab Archiepiscopis Wezlone Maguntino, Sigevino Colonienſi, Egilberto Treverenſi, A Liemaro Bremenſi, ab Episcopis quoque Liederico Virdunenſi, Conrado Trajectenſi, Udalrico Eistetenſi, Ottone Ratisbonenſi, cum assensu laicorum, Ducis Boemorum Wratislai, & fratris ejus Conradi, Ducis Friderici, Ducis Lutoldi, Palatini Comitis Rapotæ, * & omnium qui ibidem convenerant, primitiva illa Parochiæ cum omni terminorum suorum ambitu Pragenſi sedi est adjudicata. Termini autem ejus Occidentem versus hi sunt. Jugast (a. quæ tendit ad medium flumi-*

*al. Rapotonis.

*al. Zelza.

*nis Chub (b. Zedleæ, * & Liusena, & Dasena, Liutomerici, Lemuzi, usque ad mediam silvam, quæ B Boemia limitatur. Deinde ad Aquilonem hi sunt termini: Psovane, Chonvati, (c. & altera Hrovatizlasane, Trebovane, Poborane, Dedossene, usque ad mediam silvam, qua Milcianorum occurrunt termini. Inde ad Orientem hos fluvios habet terminos; Bug (d. scilicet, & Ztir, cum Cracova civitate, provinciaque, cui Wag nomen est, cum omnibus regionibus ad prædictam urbem pertinentibus, quæ Krakova est. Inde Ungarorum limitibus additis usque ad montes, quibus*

*al. Tritri.

*nomen est Jeitri, * dilatata procedit. Deinde in C ea parte, quæ Meridiem respicit, addita regione Moravia usque ad fluvium, cui nomen est Wag, & ad mediam silvam, cui nomen est Mure, & eiusdem montis eadem parochia tendit, qua Bavaria limitatur. Mediantibus itaque nobis, & communi Principum aspirante suffragio, pactum est, ut Dux Boemiæ, Wratislaus, & frater ejus Conradus, supradicto Pragenſi Episcopo fratri suo parochiam judiciario ordine requisitam ex integro reprositerentur & redderent. Proinde nos rogatu ejusdem Episcopi rationabiliter inducti, D Pragenſis Episcopatus redintegrationem nostræ Imperialis autoritatis edicto illi & successoribus ejus confirmamus & stabilimus: inviolabiliter decernentes, ne ulla posthac cujuslibet conditionis persona, vel ulla societas hominum, Pragenſi Ecclesiæ quicquam sui juris in prænotatis terminis alienare præsumat. Cujus redintegrationis & confirmationis auctoritas ut omni ævo stabilis & inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscribi, quam (sicut infra apparet) manu propria laborantes impressione signi nostri jussimus insigniri. Data III. Calend Maji An. Dom. Incarnat. MLXXXVI. Indictione IX. (e. Anno autem domini Heinrici, Regni quidem XXXII, Imperii vero III.*

Signum domini Heinrici tertii Romanorum Imperatoris Augusti, quod ego vidi ipsum Cæsarem suis manibus annotantem in privilegio Pragensis episcopatus:



Similiter eodem anno, *Heinrico* Imperatore demandante, & Maguntino Archiepiscopo *Wezolone* interveniente, per legatos Apostolici, qui eidem interfuerunt concilio, dominus *Clemens* Papa (115) secundum prædictos terminos suo privilegio corroborat Pragensem episcopatum, id efflagitante & suggerente *Gebehardo* Episcopo per suum capellanum *M. Albinum*, quem cum legatis Apostolici ex Magontia hac de eadem causa miserat Romam.

Eodem anno, v. Idus Junii, obiit *Otto*, Dux Moraviæ frater *Wratislai*, Ducis Boemiæ. (116) Interea *Egilbertus*, * Treverensis Archiepiscopus, (117) justis obtemperans Imperatoris adveniens Metropolim Pragam XVII. Cal. Julii, inter sacra missarum solemnia regalibus fascibus indutum unxit in Regem *Wratislaum*, & imposuit diadema super caput tam ipsius, quam ejus conjugis, *Zuatavæ*, cyclade regia amictæ, clericis & universis Satrapis ter acclamantibus: *Wratislao Regi quam Boemico tam Polonico, magnifico & pacifico, a Deo coronato, vita, salus, & victoria!* Posthæc tertia die Archi-præsul secundum regiam magnificentiam immenso pondere auri & argenti ditatus, & cæteris xeniis ac muneribus donatus, magno cum honore ad propria remeat.

*al. Gilbertus.

Wratislai coronatio in Regem.

Anno Dom. Incarn. MLXXXVII, Rex *Wratislaus*, collecto exercitu, intrat *Zrbiam*, quam olim Imperator *Heinricus* in perpetuum sibi habendam tradiderat. (118) Et dum quoddam ca-

p. 43.

(115) Fuit hic Papa *Guibertus*, sive *Wibertus*, Gregorii VII. Antipapa, qui se *Clementem II.* dixit.

(116) Eo scilicet tempore fratres juniores Regis, vel Ducis Bohemiæ, quasi jure *Apennagii* tenebant Moraviam. Vid. Goldastus, de *Regno Bob. Libr. VI. cap. X.* Hinc Dubravius, *Libr. VIII*: *Vratislaus*, inquit, *post Spitigneum natu maximus Bojemiæ Princeps declaratur; & ab eodem Moravia sic inter duos fratres dividitur, ut Olomucum* OTHONI; *Brunna pariter & Znoyma Austriæ proximæ* CONRADO *deferatur.* Fuit ergo hic Otto Marchio Moraviæ Olomucensis, de cujus filiis, *Zuatopluk & Ortik*, Cosmas paullo post ad A. 1090. agit.

(117) Ita, tunc Sigfrido, Archiepiscopo Moguntino, Imperatoris partibus adversante, Archiepiscopus Trevirensis ex speciali mandato & commissione Imperatoris Regem Bohemiæ inunxit atque coronavit; cum alias consecratio Regum propriæ pertineret ad Archi-Episcopum Moguntinum, cui eadem re etiam postea peculiari privilegio, A. 1228. cautum est, teste Trithemio, in *Chron. Spanheimens. ad. A.* 1228; & Serario, *Libr. V. rer. Mogunt.* &c.

(118) Cosmam per *Zrbiam* intelligere *Misniam*, supra indicavimus. Quando autem & qua de causa Imperator detulerit *Marchiam Misnensem* Duci Bohemiæ, Co-

sirum nomine *Gnozdec* prope urbem Missen (119) reædificat, aliis insistentibus operi mittit duas scaras ex electis militibus cum filio suo *Brecislao* ultum ire olim sibi illatæ injuriæ. Nam quodam retro dierum tempore dum redit Imperatoris de Curte, casu contigit in quadam villa nomine *Kyleb* valde magna eum pernoctare, ubi noctu orta seditione inter suos & cives occisi sunt a villanis duo fratres primi inter primates, hujus patriæ inmunanes columnæ, virtutum clari nomine, *Nacarat* & *Bznata*, filii *Jaz*, Comitis. Mox secundum Regis jussum, qui missi fuerant festinantes die & noctu, tertia luce summo diluculo invadunt cum magno impetu prædictam villam, & diripiunt omnia bona illorum, ipsos quoque & uxores eorum usque ad corrigiam calciamenti spoliant, & funditus ædificia subvertunt, igne comburentes, atque equis & pecoribus simul abductis, illæ si viam tenuerunt. Facta autem meridie, dum transirent quoddam flumen, filius herilis nactus amœna loca fluminis, jussit cum præda scrutarios præcedere: viros autem bello fortiores secum invitat ibi prandium sumere. Et quia magnus æstus erat, filius Ducis nimio calore exæstuans, dum post prandium in aqua pauliſper refrigeraretur natans, mittit ad eum *Alexius* Comes ita mandans: *Non hic*, ait, *in Wltava aut Ogratua natas? tolle moras, fortium portas virorum gazas.* Ad hæc juvenis: *Naturale est*, inquit, *senibus ad auræ motum semper trepidare, & quamvis sibi jam imminentia, plus tamen quam juvenis, timere fata.* Quod cum relatum esset Alexio, *Deus*, inquit, *faciat sed eventu prospero, ut talis adsit nunc & inevitabilis fortunæ occasio, ubi juvenes videant, utrum senes an ipsi magis fata timeant.* Dum hæc loquitur prædictus Comes, ecce plusquam XX. apparent equites missi a Saxonibus, ut eos provocarent cum dolo, sicut mustela hostem suum aspidem strangulare volens provocat umbra caudæ suæ de antro. Quos ut viderunt nostrates, inconsulti homines, plus audaces, quam perspicaces, *Alexio* nimium refutante & prohibente eos ac revocante, ruunt in sua fata persequentes inimicos. Nam statim ferrea legio Saxonum prosilit ex insidiis, & nec unus, qui persecuti sunt hostes, evasit ex nostris. Cumque hi, qui remanserant in castris, viderent in cœlum ascendere quasi per turbinem globum pulveris, & licet repentini & subitanei casus etiam fortissimos viros in bello conturbare soleant, tamen arma quam citius corripiunt, hostes viriliter excipiunt: pugna summa vi conseritur, fragor armorum & clamor virorum usque ad nubes exoritur, hastilia in primo congressu franguntur, res gladiis agitur: donec Deo opem ferente Saxones versi sunt in fugam, nostrates habuere victoriam, sed nimis cruentam. Quia vero secundi ordinis milites cum præda jam præcesserunt, in hac pugna soli tantum nobiles interierunt. *Alexius*, *Ratibor* gener suus, *Bratus*, cum fratre *Zlava*, & alii quam plurimi: *Preda* Comes amisso pede mortem vix evasit. Filius vero Ducis vulneratus est sub dextro pollice, & nisi capulus ensis, quem manu tenuit, ictui obstitisset, ex toto manum amisisset. Acta est autem hæc strages VI. Nonas Julii.

Kyleb villa direpta.

Alexius Comes.

---

simas supra commemorare negligenter prætermisit. Factum autem id fuerat A. 1076. cum *Henricus IV.* Imperator, *Ecberto juniori*, Principi Brunsvicensi, qui tunc *Marchiam Misnensem* in sua habebat potestate, eam ipsam Marchiam ademerat, propterea, quod *Ecbertus* fuerat inter conjuratos adversus Imperatorem, eandemque in exactæ militiæ præstitæque fidei præmium Imperator detulerat ad *Vratislaum*, Ducem Bohemiæ; sed parum prospero successu: uno enim eodemque anno, quo occupaverat tunc Marchiam Misnensem Bohemus, etiam perdiderat, expulsus ab *Ecberto*. Cujus rei gestæ memoriam nobis servavit Lambertus Schafnaburgensis, *ad A. 1076. pag. 241*: *Imperator*, inquit, *in Bohemiam se recepit, maturatoque per Bajoariam reditu, mœstus ac pœnitens, quod tantos labores in vacuum expendisset, Wormatiam repedavit; & quoniam digredienti Duci Boemico Marchiam Misenensem, tam spectatæ in arduis rebus fidei præmium, dederat*, ECBERTVS *Marchio*, CVIVS EADEM MARCHIA ERAT, *filius Pasruelis Regis, puer longe adhuc infra militares annos, ubi primum, decrescentibus aquis, fluvius factus est transmeabilis, adjunctis sibi Saxonibus*, MISSENEN *perrexit, omniaque castella, quibus Dux Bohemicus præsidium imposuerat, admota militari manu, recepit, suosque milites, qui deinceps contra omnem hostium irruptionem indefessi excubarent, imposuit.* Imo, in Brunonis *Historia de Bello Saxonico*, *apud Freherum, p. 112.* legimus, *Henricum* Imperatorem jam A. 1047. *Duci Bohemorum, Wratizlao, Misnam civitatem, cum omnibus ad eam pertinentibus, promisisse, & sic eum, ut suis partibus adjutor esset, adscivisse.* Quid? quod tunc etiam, post mortem *Dedonis I.* Marchionis, ejus filio, *Henrico* Ileburgensi, ob rebellionem Patris, Marchiam Lusatiæ ademerat idem Imperator, eandemque detulerat Vratislao, Duci Bohemiæ. Id quod idem docet Lambertus Schafnaburgensis, *ad A. 1075. pag. 225*: *Cum sub idem fere tempus*, inquit, DEDI *Marchio, longa ægritudine absumtus decessisset, Marchiam ejus Bohemico Duci, in præmium exactæ militiæ, dedit; tametsi uxor Marchionis, Adela, filium suum*, (Henricum) *cui hæreditaria successione Marchia debebatur, ei paullo ante pro se obsidem misisset, & ipse Marchio, post recuperatam pacem in Gerslingen, intemeratam semper erga Regem & Rempublicam fidem servasset.* Eadem tradit Monachus Herveldensis, apud Schardium, *T. I. rerum Germ. p. 422. & 433.* Cum igitur Vratislaus, a possessione Marchiæ Misnicæ per Ecbertum dejectus, iure suo prorsus cedere noluisset, eandem terram postea A. 1087. & 1088. referente Cosma nostro, sibi denuo vindicare conatus est.

(119) De ortu & situ urbis *Misenæ* hæc tradit Ditmarus *restit. pag. 327*: *Montem unum, juxta Albim positum, & arborum densitate tunc occupatum, excoluit* (Henricus Auceps,) *ibi urbem faciens, cui, de rivo quodam, qui in septentrionali parte ejusdem fluit, nomen* MISNI *imposuit, quam, ut hodie in usu habetur, præsidiis & impositionibus ceteris munivit. Ex ea* MILZENOS, *sua subactos ditioni, censum persolvere coegit.* Hanc urbem jam A. 978. per insidias captam, omnemque illam regionem, usque ad *Elstram* fluvium, Boleslaus Dux in Bohemorum redegerat potestatem; quam vero non diu tenuerat. Vid. Ditmarus, *Libr. V. p. 366. 369.* Quoties aliis temporibus urbs *Misena* a Bohemis fuerit occupata, in compendio recensent Fabricius, in *Annalibus Misn. Libr. I. seq.* De villa *Kyleb*, & castro *Guozdec*, f. *Hwozdeco* tacent scriptores Geographiæ medii ævi; & Ge. Fabricius, *Libr. I. rer. Misn. ad A. 1088.* itemque Balbinus, *Decad. I. Libr. II. Miscell. p. 67.* fatentur, locum, ubi fuerit id castrum, hodieque nesciri.

Anno Dom. Inc. MLXXXVIII. his temporibus, hæc acta quibus referuntur, quidam miles erat, qui *Beneda* nomen habebat, (120) magnanimus juvenis, præstanti corpore talis, Hectŏr qualis pulcher vel Turnus in armis, ex *Jurata* natus, cui primus *Iaz* fuit avus. Nescio, qua de re tunc offenso quoque Rege *Wlatislao* fugiens in Poloniam, factus est miles Dominæ *Iudithæ*, conjugis Ducis *Wiadislai*. Jamque duobus annis evolutis, remeans de Polonia, adiit *Wigbertum*, generum Regis, (121 a) ut per ejus suffragia prisĭnam Domini sui possit redire in gratiam. Sed, quia hic *Wigbertus* vir erat in rebus valde discretus, nolens, ut in aliquo socerum suum offenderet, dat ei consilium, monens, ut interim apud Misnensem Episcopum, nomine *Bennonem*, tutius maneret, & eum sibi similiter intercessorem pararet. Interea contigit, ut iterum Rex *Wratislaus Zrbiam* cum suo exercitu intraret, quod prædictum Castrum *Guozdec* in alium firmiorem locum transferret. Et ut cognovit Rex, quod *Beneda* in urbe *Missen* esset, mittit pro eo, quo veniat ad eum sub fidei pacto. Quem statim Rex venientem ut vidit, qualiter eum dolo caperet, cogitare cepit. Ubi post multa verba promiscue dicta, & quædam convenienter ficta, accepit eum fraudulenter Rex manu dextra, & ducit seorsum extra castra, quasi ibi secreta locuturus. Tunc videns capulum & caput ensis aureum, quo erat miles præcinctus, inter talia quærit ab eo; *Quanti valeat gladius suus.* Et ille; *Molam*, inquit, *si ponas super galeam, utrumque simul & caput atque corpus usque ad femur uno ictu hoc ense dimidiabo.* Miratur Rex dolo, & laudat ensem, atque rogat, vt eum sibi ostendat. At ille nihil mali suspicans, dat Regis in manum exemptum de vagina gladium. Quem Rex arripiens, & manu vibrans: *Quid*, inquit *ais nunc, o fili mulieris ultro virum appetentis?* Et astanti Camerario, qui solus erat cum eo homo pejor pessimo, Vito Usebrio, ait: *Rape hunc, rape sublimem, & liga quadrupedem.* Sed quia semper in audaces audacia non est tuta, audax miles mox arripiens de femore Camerarii per capulum ensem, præcidit lumbos ejus per medium, qui calcitrans humum jacuit semivivus. Nec fugit miles acer, quamvis aufugere poterat: Sed velut Hercules circa Lerneam Hydram assiliens & resiliens, *ter vili Regem paulisper vulnerat ense: ipse tamen nullum dextra ducis excipit ictum*, donec ad clamorem de castris ruunt. *Cucata sed primus præ cunctis advolat unus*, & ceu silvaticum porcum super se irruentem lato excipit venabulo militem. Tunc Rex quasi in mortuo posset ulcisci, jussit eum equi ad caudam per pedes ligari, & sic huc & illuc per tribulos trahi.

Beneda miles.

p. 44.

An. Dom. Inc. M LXXXIX.

An. Dom. Incarn. M. XC. Antiquus ille chelydrus humani generis inimicus, qui nunquam dormitat, sed semper quietos inquietat, non tulit ulterius pacatos vivere fratres, scilicet *Wratislaum* & præsulem *Jaromir*. Hunc vexat vana gloria & ambitione, illum exagitat arrogantia & tumido fastu superbiæ: ita tamen, ut nec ille huic cederet, nec hic illum exsuperare quiret. Iste non vult fratrem sibi habere parem; ille non vult minor fratre haberi; Iste vult præesse, ille non vult subesse. Iste vult quasi Rex dominari & præcellere; ille non vult jussis suis obtemperare, sed soli Imperatori profitetur suum servitium, a quo acceperat Episcopium. Qui in tantum virili animositate inter se aliquando dissidebant, ut sæpe festis diebus Rex Episcopum non haberet, qui sibi coronam imponeret. Hac necessitate simul & ambitione Rex compulsus, non ratione, sed sola dominatione iterum subinthronizat capellanum suum *VVeclonem* in territorio Moraviensi Episcopum. Quo in pacto palam fecit notabile, non solum se spreviſſe, quod ipse coram Imperatore & ejus Episcopis collaudaverat, ut unus foret uterque Episcopatus; verum etiam Papæ *Clementis* violasse privilegium, quo ejusdem terminos Episcopii corroboraverat. Hanc ut apploraret Apostolico illatam Ecclesiæ injustitiam, Præsul *Jaromir* iturus erat Romam, sed consilio cum suis familiaribus inito, prius adit antiquum amicum, *Wladislaum*, Regem Pannonicum, & patefaciens ei suæ Ecclesiæ damnum, postulat ab eo ad Romanum iter auxilium. *Inscius heu fatum sibi jam supereſſe propinquum.* Nam prima die, qua Regem adiit, nimiam corporis incidit molestiam. Et quia prope urbem erat Strigoniam, illuc mit-

Fratrum discordia.

Gebhardi Episc. obitus.

(120) Balbinus, *Libr. III. cap. VIII. Epitom. rer. Bohem. p.* 213: *Ab illo* BENEDA, inquit, *descendentes Equites* BENEDÆ *sagittam in clypeis militaribus ferunt, & de* NECTIN *bodieque appellantur, id est, inhonorati; quod scilicet virtus Equitis a Rege, ut merebatur, honorata non fuerit, sed indignis modis tractata. Corpus* BENEDÆ *tumulatum est ante Januam Templi Misnensis.* Conf. Ge. Fabricius, *Libr. I. rer. Misn. ad A.* 1098.

(121 a) Hic fuit *Vipertus II.* Comes Groicensis, & postea Marchio Misniæ & Lusatiæ, inclytus sui ævi Heros; cujus res gestas descriptas legimus in *Vita Viperti*, inter Hofmanni *Scriptores rerum Lusatiæ*, & in *Chronico Bigaugiensi*; cujusque Genealogiam in peculiari libello de *Comitibus Leisnicensibus* exposuit Petrus Albinus. Magna est negligentia Cosmæ, qui non commemoravit, quo tempore, & qua occasione, hic Vipertus pervenerit in Bohemiam, & quam Vratislai filiam idem habuerit in matrimonio. Occasionem quodammodo indicat scriptor *vitæ Viperti, cap. II. §. 5. & 6. Hinobiles*, inquit, (in Osterlandia) *unanimiter conglobati, quia semper omnis potestas impatiens consortis erat*, WIGBERTVM, *tanquam suæ vitæ seu regionis invasorem, ocius removere sunt conati. Quibus ille non sufficiens contraire, conjiciensque, qualiter sua non usquequaque perderet, tanquam id potissimum ratus est consilium, si ipse e regione ad tempus secedens livori eorum cederet. Et — centum assumtis militibus ad* DVCEM BOHEMIÆ, VRATISLAVM *nomine, se contulit. A quo honorifice susceptus, & ob totius probitatis & industriæ nitorem cunctis acceptus, facilem familiaritatis aditum tam penes ipsum Ducem, quam apud omnes illius optimates, emeruit.* Tandem Vipertus, quod jam ad alium locum annotavimus, uxorem duxit *Juditham*, filiam *Wratislai* illius, Ducis Bohemiæ, ex *Suatava* conjuge procreatam. At suspicor, jam ante illud matrimonium quandam affinitatem *Vratislaum* inter & *Vipertum* intercessisse.

tit

tit eum Rex navigio, committens curam ejus illius urbis Episcopo. *Pertulit heu quales sex lucibus ipse dolores, impedior lacrymis, nec possum promere verbis.* Septima die jam advesperascente, *Sol Julii senas qua tangit Luce Calendas, gemma sacerdotum cunctorum, lux Boemorum, Dogmate præclarus, pius Antistes Gebehardus, vivat ut in Christo, mundo migravit ab isto. Moribus & vita de cujus dicere multa fert animus mihi, sed desunt in pectore sensus; Pauca tamen fari libet hæc, quæ vidimus ipsi.* Tempore quadragesimali talis mos erat suus: semper cilicium habens subtus, desuper veste Episcopali indutus, diebus pascit humanos obtutus, noctibus vero sacco vestitus latenter, Ecclesiam ingressus & super pavimentum humi prostratus, tam diu perseverat in precibus, quoadusque largo imbre lacrymarum madida fuit, cui incubuit, humus. Inde consurgens ad agapem faciendum, & priusquam ruminet Psalmos, quotquot ante Ecclesiam invenit miseros, boni operis per copiam supplet eorum inopiam: finito Psalterio, idem facit. Post matutinas autem XL. panis quadrantes, & totidem allecia, sive alicujus edulii partes, dividit inter pauperes. Quarta autem vice jam appropinquante luce, ad numerum Apostolorum lavans pedes XII. peregrinorum, dividit his formas bis senas denariorum. Quibus ad horam prandii in abdita stuba vel casa positis, abunde ipse necessaria apponit, & dextera sua cibum & potum eis benedicit. Deinde ad publicam mensam vadit, & secum XL. egenos pavit. Similiter ad sedem suam Pragæ constituit quotidie XL. pauperes pascendos, & bis in anno vestiendos a corrigia calcei usque ad mastigiam pilei. Item nonnullos adventantes hospites & pauperes clericos nimiis dationibus obligat, ut per totam Quadragesimam secum manentes tam pro vivis quam defunctis Psalteria legant. Ad singula quæque missarum solemnia, quotquot in capella quaque die fuerint celebrata, trina dari fecit nummismata denariorum. Omnibus autem diebus Dominicis XII. nummos, festis vero Apostolicis & in aliis majoribus solemnitatibus ducentos offert super pixidem sanctarum reliquiarum argenteos. Quamque fuerit largus, si te delectat o prudens scire, lector, pelliciam Episcopalem nunquam integrum per annum portabat, sed unam hyemalem in Pascha, alteram æstivalem in festo sancti Wenceslai suis capellanis donat. Sic & in cæteris donativis largum fuisse scias.

Post cujus obitum Anno Dom. Incarn. MXCI, IV. nonas Martii *Cosmas* (121 b) electus est in Episcopum, tam a Rege Wratislao, quam omni clero ac populo Boemorum, tertio *Heinrico* Imperante Augusto, sed in Longobardia hisdem temporibus imperialia tractante negotia. p. 45. *Cosmas E. pisc. Prag.*

Eodem anno XV. Calend. Maji, IV feria in secunda hebdomada Paschæ combustum est Monasterium SS. Martyrum, Viti, Wenceslai, atque Adalberti, in urbe Praga.

Eodem anno Rex *Wratislaus* valde iratus est contra fratrem suum *Conradum*, quia non immemor mutuæ dilectionis favebat parti filiorum fratris sui *Ottonis*, (122) *Zuatopluk* videlicet & *Ortik*, quibus expulsis de paterna hæreditate, filio suo *Boleslao* Rex urbem Olomuc & alias civitates tradiderat. Ubi non longo post tempore in prædicta urbe immatura præventus est morte, III. Idus Augusti. Et quoniam illi tres fratres, scilicet *Jaromir*, *Otto*, *Conradus*, quamdiu fuerunt vitales, ita erant unanimes, ut per nullas Rex posset divellere artes. Et sicut fertur leo pertimuisse tres juvencos inter se collatis cornibus stantes, ita nunquam ausus est Rex invadere suos fratres. Postquam vero vidit solum *Conradum* post obitum fratrum ex omni parte fraterno adminiculo privatum, ingressus est cum exercitu Moraviam, ut eum similiter expelleret de provincia, quæ sibi sorte ac funiculo hæreditatis & per concessionem jure acciderat paternam. Ventum erat ad urbem, cui nomen *Bruen*, ubi Rex circumastantibus terræ primatibus disponens obsidionem per gyrum, dum designat loca, ubi quisquis Comes tentoria figat, *Zderad** villicus (sicut erat homo versipellis) ex obliquo innuens Regi oculis, juvenem *Brecislaum* inter Satrapas coram patre suo stantem denotat elogio confusionis: *Quoniam quidem*, inquiens, *tuus, o domine Rex, natus libenter æstate ludit in flumine & natat, si placet tuæ Majestati, juxta fluvium hac ex parte urbis cum suis papiliones ponat.* Hæc ideo dixit, quod olim in partibus Saxoniæ, dum meridie natat prædictus juvenis in flumine, hostes ex adverso irruunt, & eos invadunt, ut supra retulimus. Hoc verbum nimis alte in corde juvenis sedit, & non minus doluit, quam si toxicata sagitta cor ejus vulnerasset. Tristis abiit in Castra, & non sumpsit cibum usque noctis ad astra. Nocte autem sub opaca turma suorum advocata, *Conradus Regis frater.* *Dubravit dicitur. Desiderius.*

(121 b) *Hic Cosmas*, Episcopus Pragensis, utique distinguendus est a *Cosma* nostro, *Decano Ecclesiæ Pragensis*, & auctore hujus Chronici, uti jam supra monuimus, & pluribus comprobavit Balbinus, in *Epitom. rer. Bohem. Cap. VIII. Libr. III. p.* 211. Cosmas Episcopus decessit A. 1098. X. Decembr. Cosmas Decanus autem infra narrat, se A. 1099. primum sacerdotio fuisse initiatum, seque hanc historiam inchoasse sub Hermanno Episcopo Pragensi, qui Cosmæ Episcopo successit, obiitque A. 1122. Cæterum, eo tempore Henricum IV. Imperatorem, in Longobardia hæsisse, aliunde etiam constat; & sufficit, nunc excitasse testimonium Bertoldi Constantiensis, qui ad A. 1092. *pag.* 366. hæc scribit: *Henricus quoque Imperator in Longobardia jam biennio morabatur, ibique circumquaque terram Welphonis, Italici Ducis, præda, ferro, & incendio, devastare non cessavit &c.*

(122) Hic *Otto*, Princeps Olomucensis, cujus mortem Cosmas supra ad A. 1086. annotavit, non solum filios habuit *Ortikum*, quem & alii *Ottonem II.* vocant, cognomine *Nigrum*, qui A. 1126. occisus est; & *Swatoplucum*, cui vita adempta est A. 1109: sed & *Henricum I.* Episcopum Olomucensem. De *Brecislao* seniore, anno 1148. defuncto, quidam non immerito dubitant, an & is *Ottonis* hujus fuerit filius?

pandit

pandit cordis sui vulnera, consulens, qualiter in villico ulciſci possit iniquo. Eadem etiam nocte clam mittit ad patruum suum *Conradum*, dedecus sibi & a quo sit illatum exponens: quid opus sit facto, quærit ab eo consilium. At ille: *Si te*, inquit, *quis sis, cognoscis, ignem me non minus quam te urentem extinguere noli timere, negligere laudabile non est.* Non enim latuerat *Conradum*, quod Rex hæc omnia ageret *Zderad* per consilium; cumque nuncius dicta patrui *Brecislao* retulisset, favent omnes & assentiunt, & quasi a Deo sibi datam laudant Ducis sententiam, quoniam & ipsi prius identidem consuluerant. Quid multa? Tota nocte illa agitur, quod mane peragitur. Nam lucescente die *Brecislaus* mittit ad prædictum villicum, demandans ei, ut, ubi sibi placeret, secretum consilium simul ineant. Qui nihil mali suspicans, accepto Comite *Drsimir*, tantummodo soli duo procedunt. Quos ut vidit a longe juvenis, tantum a suis prosilit obviam eis, quantum jactus est lapidis. Dederat tamen suis militibus signum, ut, quando suam chirothecam illius projiceret in sinum, facerent, quod facere spoponderant. Ubi pauca exprobrans illi, quibus sæpe offenderat eum: *Quam*, inquit, *pollicitus sum, en abrenuntio tibi fidem meam:* & avertens equum, projecit in faciem ejus chirothecam. Non aliter, quam cum iratus Leo erexit jubas, & submittens caudam, nodo qui est in extremitate caudæ percutiens frontem suam, & stimulo, qui est sub cauda sua, pungens posteriora, fertur in omne, quod obstat: ita prosiliunt illico ex agmine ardentes & armati juvenes, *Nozislaus*, & frater ejus *Drisikray*, filii *Lubomir*, & tertius *Borsa*, filius *Olen*, atque frustra fugiente *Zderad* ternis hastilibus alte in aera sustollunt, & ut manipulum in terram dejiciunt, & calcant equorum pedibus, & iterum atque iterum vulnerant & affligunt corpus humi telis. Tali morte suæ de summitate rotæ fallax fortuna dejecit amicum suum *Zderad*, quinto Idus Julii. Comes autem *Drsimir* pallidus advolat in Castra, & nunciat Regi, quæ fuerant facta. Solus Rex mœret, & plorat: omnes juvenem laudant, quamvis aperte laudare non audeant. *Brecislaus* autem non longe ultra unum monticulum separatim transfert sua Castra: quem major pars exercitus & fortior est secuta. Interea conjunx *Conradi*, nomine *Wirbirk*,* una mulierum de numero prudentium, insscio marito suo venit in castra Regis. Quæ cum nunciata esset Regi, convocat Rex proceres in cœtum, & jussa venire stetit coram Rege, large profusa faciem lacrymis, & singultibus verba interrumpentibus, tandem eluctata in vocem sic est locuta: *Haud ego jam digna dici tua, Rex pie, nurus supplex ad genua nunc non temere tua veni.* Et cecidit in faciem, & adoravit Regem. Quæ jussa surgere, stetit & ait: *Nullam, domine mi Rex, his in partibus belli invenis materiam, nullam de prælio hinc deportas victoriam: bellum plusquam civile geris. At si nos & nostra bona tuis militibus prædam esse decernis, in te tua vertis tela: cum fratrem tuum, cui debebas esse tutela, spolias rapina cruenta. In Deum vadit, qui suos invadit.*

Zderad villicus.

Drsimir Comes, s. Derfimirus.

* *al. Walpurg. Dubra.* p. 46.

Nam quæcunque hic longe in tuis finibus spolia, quæris habenda, ostendam tibi potiora in medio tui Regni posita. Nusquam tamen melius ditaberis, nec amplius magnificaberis, quam in suburbio Pragensi & vico Wissegradensi. Ibi Judæi auro & argento plenissimi, ibi ex omni gente negociatores ditissimi, ibi monetarii opulentissimi, ibi forum, in quo præda abundans superabundat tuis militibus. Aut si te delectat, qualiter Troja arserit videre, nusquam magis Vulcanum videbis furentem, quam utramque urbem prædictam videas ardentem. Atqui illa mea sunt, dices. Ista autem, quæ hostiliter devastas, cujus esse putas? nonne nos & nostra tua sunt? Sin autem solummodo tua fulmina acuis in jugulum tui fratris, absit ut alter Cain habearis. Salva tui gratia fratri tuo patet Græcia, patet Dalmatia; ipse mavult peregrinari, quam te fratricidio criminari. Quin potius accipe, quæ tibi mittit jam, non frater, sed quasi tuus servus, & protulit de sinu forcipes & fascem ex virgultis. *Etiamsi quid*, inquit, *frater in fratrem peccavit, emenda: terram autem, quæ tua est, cui mavis, commenda.* Dixerat, & ita cor retigit Regis, & movit corda Principum, ut nullus se continere posset a lacrymis. Quam Rex ad latus suum jubet, ut sedeat; sed priusquam sederet: *Quandoquidem*, inquit, *inveni gratiam in oculis tuis, adhuc unam petitionem posco: ne confundas faciem meam, quæso. Pro magno peccato filii paululum supplicii satis est patri.* Tunc Rex, *Scio*, ait, *quo pergis. Sed perge potius, & adduc ocyus fratrem meum, & filium, in osculo Sancto & in vincula pacis.* Et osculatus est eam. Timuerat tamen Rex valde, ne frater suus & filius conspirarent contra eum. Qui cum venissent per conductum Dominæ *Wirbik* ad Regem, dans eis osculum pacis, Rex ait ad filium suum: *Fili mi, si bene egisti, nulli melius erit, quam tibi: Sin autem male, peccatum tuum in foribus aderit.* Post hæc *Brecislaus*, intelligens, suum patrem non ex corde, sed pro necessitate fecisse pacem, cum omnibus, qui suam transierant in aciem, secessit in partes urbis *Gradec*, & ibi morabatur, frustra expectans incertam fortunæ vicissitudinem. Quotquot enim secuti eum fuerant, nullus ausus est proprios revisere lares, quia Regem, quem offenderant, valde metuebant, ne captos in vincula mitteret, aut capitali sententia damnaret. Videns autem Rex, quod non posset, uti volebat, iram suam ulciſci in filio, nec in ejus sequacibus, advocat fratrem suum, *Conradum*, & congregat terræ majores natu, atque corroborat omnium Sacramento Comitum, quod post suum obitum frater ejus, *Conradus* obtineat solium ac Boemiæ ducatum. Tunc Rex roboratus fratris sui consilio simul & auxilio, cœpit aperte machinari, qualiter ulciſcatur in filio. Nec hoc latuit *Brecislaum*, filium ejus, & sine mora congregati sunt ad eum plusquam tria millia fortium virorum, & accelerantes metati sunt castra circa *Rokitincam* rivulum, in crastinum parati contra Regem committere prælium. Præmiserat enim ad patrem suum nuncium dicens: *En ego, en adsum longe quem præsitu-*

quæsiturus eras, quod facturus es posthac, hodie fac. Nec prætereundum est sub silentio, quod ejusdem noctis in conticinio divina operari dignata est revelatio. Nam si acta hominum nostræ scientiæ pro modulo pandimus, indignum est, ut ea, quæ ipsi vidimus, magnalia Dei taceamus. Igitur nocte præfata, dum inter Principes ea, quæ prædiximus, geruntur, nostri patroni, videlicet Sanctus Wenceslaus & Sanctus Adalbertus, visitant in carcere positos, & eos nimia afflictione contritos sua sanctissima dignatione taliter liberant. Postibus inprimis anterioribus simul cum janua erutis, mox ipsius carceris velut ferream posterulam cum suis vectibus frangunt; nec non & cippum, in quo damnatorum pedes crudeliter constringuntur, fractum forinsecus projiciunt, statimque damnatorum auribus vox pia insonuit dicens: *Hactenus vobis & huic patriæ nostra suffragia defuere, quia gratia Dei indigni extitistis: ex quo bellum hoc plusquam civile inter Boemiam & Moraviam principes isti habuere. Sed quoniam gratia Dei & misericordia & respectus est in Sanctos & electos illius, nosque eo dirigimur quo ipsa respexerit, pro certo nusquam nostri præsentia suffragando adesse poterit, ubi illa prius miserando non affuerit. Quare jam certi de misericordia Dei exsurgite, ad Ecclesiam properate, nosque nominatim Sanctum Wenceslaum & Sanctum Adalbertum vos absolvisse & pacem apportasse omnibus nunciante.* Qui mox quasi
p. 47. de gravi somno excitati, etiam vinculis absoluti, adhuc auctoribus dormientibus liberi exeunt, jussaque perficiunt. Hac etiam ipsa die aliud item miraculum enituit, quia ut supra Sanctorum Martyrum revelatio retulit, *Conradus*, frater Regis, pacem inter ipsum Regem & filium ejus composuit. Nam antea in tantum discordabantur, ut uterque ab utroque suspecti, iste ne solio privaretur, ille a patre caperetur, valde invicem timerent. Sed illum par ætas juvenum, & major pars Procerum, manu quidem promptiores & bello fortiores comitabantur: Istum vero Episcopus *Cosmas*, & præpositi Ecclesiarum, omnesque terræ magnates, ætateque provectiores & consilio utiliores, cum omni militia plebis faciebant, & nimio affectu venerabantur. Et profecto illa tempestate post conditam urbem Pragam pessimum facinus patratum fuisset, si non Regis ad votum omnem principum & populi motum Sancta dignatio Beatissimi Wenceslai, & magna miseratio omnipotentis Dei composuisset. Quod videntes, qui in castris remanserant Comites, mittunt ad *Brecislaum*, dicentes: *Si sic credulus patri tuo pristinam cum eo redis in gratiam, nos nequaquam credimus ei, quia callidam ejus satis novimus astutiam. Plus enim ejus amicitias timemus, quam inimicitias. Nam veluti ursus nec minimum ictum patitur inultum, ita ille nunquam cessabit a vindicta, donec omnia, quibus eum offendimus, usque ad unum jota non dimittet inulta. Qua de re aut nos quovis terrarum abire dimittas, cum tui gratia, aut nobiscum ubicunque terrarum altiora quæras palatia. Nulli enim magis, quam tibi, nostro parati sumus servire domino.* Videns autem *Brecislaus*, quia sicut miles sine armis suo officio caret, sic dux sine militibus nec nomen Ducis habet, maluit cum eis extraneum quærere panem, quam solus sine militibus cum patre domesticam habere pacem. Nec mora, congregatis omnibus tam pecoribus, quam mancipiis, plusquam duo millia militum cum *Brecislao* duce proficiscuntur ad Regem Pannonicum. Quem Rex *Wratislaus* (123) recognoscens cognatum suum, benigne suscepit, & concessit militibus ejus inhabitare locum, qui dicitur *Banon*, juxta castrum nomine *Orenem*: locus in mediis silvis atque in montibus consitus, at nimirum aptus atque opimus venationibus. Victualia autem & cætera naturæ adminicula per præceptum Regis ab adjacentibus subministrabantur eis regionibus. Ipsum autem *Brecislaum* cum paucis secum Rex habuit in deliciis Aulæ regalis.

Anno eodem, Rege *Wratislao* disponente, *Cosmas* electus est ad Pragens. Ecclesiam, & *Andreas* (124) similiter ad Olomucensem, scilicet per conductum Palatini Comitis Rapotæ veniunt Mantovam, & præsentantur Imper. III. Heinrico Augusto. inchoante. *Episcoporum confirmatio per Imp.*

An. Dom. Inc. MXCII. III. Calend. Januarii. Secundo autem nonas ejusdem mensis, mediante prædicto Comite *Rapota*, sedens in palatio Mantuano, Episcoporum atque Comitum ordine non modice ex utroque latere collocato, & electis jam prædictis Episcopis positis in medio, diu tacita pulcher Cæsar pulchra aperuit labra dicens: *Hos fratres ad nos misit noster fidelis amicus Wratislaus Rex Boemicus, ut secundum canonicam & Apostolicam institutionem nostra auctoritate eorum confirmemus electionem, quam sine vestro consensu noluimus facere diffinitionem.* Et Præsul Monasterienſis, (125) qui hisdem temporibus venerat de Hierosolymis, surgit & appodians** mensæ, in qua baculi, annuli Episcopales, at- *i. recli.* *nans.*

(123) Potius Rex Pannoniæ illius temporis a scriptoribus rerum Polonicarum appellatur *Ladislaus*, vel *Wladislaus I.* qui ab A. 1078. usque ad A. 1095. Pannoniam rexit. Filius fuit *Belæ I.* Regis Pannonum; cujus frater erat *Andreas*, itidem Rex Pannonum. Cum vero *Wratislaus II.* Dux & Rex Bohemiæ, genuisset *Brecislaum* ex *Adleta*, sive *Adelheida*, filia *Andreæ*, Regis Pannoniæ; facile patet, qua ratione *Ladislaus*, Rex Pannoniæ, & *Brecislaus*, Princeps Bohemiæ, inter se fuerint cognati. Præter alios, conf. Bonfinius, *rer. Hungar. Dec. 2. libr. 3. & 4.*

(124) Hunc *Andream*, ait Dubravius *Libr. IX. Histor. Bohem.* fuisse ex nobili familia *Dubraviciorum* ortum. Quomodo autem Episcopatus Pragensis, & Episcopatus Olomucensis in Moravia, modo uniti, modo distracti fuerint, enarrat Goldastus, *de regno Bohemiæ Libr. V. cap. 5.*

(125) Dispiciendum, annon, quod voluit Goldastus, hic legi debeat: *Præsul Moguntinus*? cum hic potissimum tanquam metropolitanus, jura Episcopatus Pragensis tueri debuerit? Sed & *Annalista Saxo*, cum Cosmæ verba ad A. 1091. excerpta referret, itidem nomen *Præsulis Monasterienſis* retinuit.

que

que reliquiæ sanctorum erant positæ, ait. *Periculosum est valde a paucis destrui, quod multorum Sanctione confirmatum est. Multi enim interfuimus Episcopi, multi & Principes Imperii Romani atque Apostolicæ sedis interfuere Legati, quando vestro privilegio confirmastis, ut uterque Episcopatus Pragensis simul & Moraviensis, sicut fuit ab initio, ita unus & integer permaneat.* Ad hæc Cæsar ait: *Sine modo, ut, quod me meus amicus rogat, faciam: de his autem postea tempore in suo discutiam.* Et statim desponsat eos annulis ad singulas Ecclesias, dans eis pastorales virgas. His ita peractis, jussi sunt ambo Episcopi redire Veronam, (126) & expectare ibi, donec patratis regalibus negotiis Palatinus Comes *Rapota* iterum reduceret eos secum ad patriam.

Interea sinister rumor nostras diverberat aures, Regem *Wratislaum*, XIX Calend. Februarii migrasse ad Christum, (127) & ejus fratrem CONRADUM successisse in Principatum. Qui statim cursorem mittit ad Imperatorem, & promittens ei pecuniam rogat cassari electionem Episcoporum, quorum supra fecimus mentionem. Sed Cæsar magis consulens Justitiæ quam iniquitatis consentiens pecuniæ. *Quod feci*, inquit, *feci, nec possum meum mutare factum.* Tristis abiit Legatus, nomine *Wiclin*, quia non obtinuit, quod petiit ex parte Ducis. Episcopi vero secundum jussa Cæsaris morati sunt Veronæ usque ad initium Quadragesimæ, expectantes reditum & conductum prædicti Comitis *Rapotæ*. Posthæc advenientes Pragam, in ipsa die Palmarum, susceptí a clero & populo honorifice, & adeunt ducem *Conradum* in urbe Boleslai tertia feria ejusdem hebdomadæ. Quos Dux jam mutato animo benigne suscepit, & celebravit cum eis Pascha in urbe *Wissegrad:* & in ipsa Paschæ hebdomada circa Calend. Aprilis descendit maxima nix, & tantum inhorruit frigus mixtum cum glacie, quantum raro in media contigit hyeme. Gesta autem Ducis non habemus plurima ad scribendum, quia post VII. menses & dies XVII. eodem anno, quo suscepit ducatum, VIII. Idus Septembris cum vita amisit. (128) Cui successit junior *Brecislaus*, quem advenientem in urbem Pragam lætis choris per diversa compita dispositis, tam puellarum quam juvenum, modulantium in tybiis & tympanis, & per Ecclesias pulsantibus campanis, plebs lætabunda suscepit. Ipse autem *Cosmas* Episcopus cum clero & magnifica processione, suscipiens eum in porta Civitatis ante templum Sanctæ Mariæ, deducit ad solium, & secundum ritum hujus terræ ab universis Comitibus & Satrapis est inthronizatus Dux junior BRECISLAUS, XVIII Calend. Octobris.

Conradus Dux Bohem. Syl. c. 23.

p. 48.

BRECISLAUS, Dux Bohem. Syl. ibid.

Eodem anno facta est Eccliplis solis XII. Cal. Octobris VI. feria post meridiem. Ejus tertiis Calend. Octobris quidam pseudoepiscopus nomine *Rutpertus*, veniens in hanc terram, referebat in *Vaskonia* provincia Cavellonam multis annis resisse Ecclesiam; Et quoniam recognovit eum frater noster *Ozzel*, qui & *Asmus*, & eum olim episcopizasse prohibuit, quando de Ungaria secum iter ageret Hierosolymam, Dux *Brecislaus* & *Cosmas* electus gratanter eum recipiunt, & divinum officium sive cursum episcopaliter agere permittunt. Quid multa? multas Ecclesias consecrat, multos mense Martio clericos ordinat, & in cœna Domini Sacrosanctum Chrisma exorcizat. Ad quem quidam in Pascha venit clericus, nimirum sui erroris conscius, & nescio quid sibi clam innotuit. Mira res: nec Dux, nec electus impetrare potuit, ut saltem parvo tempore ibi staret, quin in ipsa hebdomada Paschæ cum festinatione tenuisset viam versus Saxoniam. Postea vero cum innotuisset, quod pseudoepiscopus fuisset; mittunt unum ex Latinis, nomine Constantium, in Vasconiam, per quem Cavellonæ Ecclesiæ nomine *Desiderius* Præsul demandat literis, quod illa Ecclesia nunquam habuisset Episcopum nomine *Rupertum*. Miserunt etiam ad Papam *Clementem*, ejus consulentes auctoritatem, quid sit opus factu rerum in discrimine tanto? Quibus ille remandans jussit Ecclesias ex integro reconsecrare, baptizatos Chrismate pseudoepiscopi non rebaptizare, sed tantum confirmare, similiter ordinatos non reordinari, sed solummodo inter ordinandos stare ad ordinationem, & per solam manus impositionem recipere benedictionem. Sicque inflicta ab hoste vulnera matri Ecclesiæ curata sunt antidoto justitiæ, statum fidei Catholicæ regente Papa Tertio *Clemente*. Jesu

Rutpertus Pseudoepiscopus Cavellonam.

(126) Conventus hujus Veronensis meminit auctor *Chron. Augustensis*, apud Freherum, *T. I. rer. Germ. pag.* 355: *Anno* 1091. *Imperator apud Veronam colloquium cum regni optimatibus, pro pacis habuit conditione &c.*

(127) In designando anno emortuali Wratislai scriptores variant. Neplacho, in *Chronico Bohemico*, apud Pezium, hæc scripsit ad A. 1091. *Eodem anno, mortuo primo Rege Wratislao, successit XIV. Dux, (sed non Rex) Conradus.* Annales Hildesheimenses hæc referunt ad *A.* 1093. *Indict. XV. Fratislaus, Dux Boemiæ, in venatu de equo cadens, subitanea morte decessit.* Quæ verba ad eundem annum exhibet etiam Chronographus Saxo, *pag.* 272. item Dodechinus, p. 461. Sic & Scriptor *Vitæ Viperti Groicensis, cap. VII. §. VI.* mortem Vratislai ad annum 1093. refert, egregiumque huic Regi & Duci Bohemiæ elogium tribuit: *Eodem anno*, inquit, *idem Wratislaus in venatu ex equo lapsus, subitanea morte obiit, vir utique in suo principatu omnibus antecessoribus suis honoris ac potentiæ seu divitiarum dignitate incomparabilis, etiam Imperatori cunctisque Principibus Teutonicis formidabilis, regni tamen cooperator fidelissimus, in multis necessitatibus a Rege Henrico regnante frequenter comprobatus, & ideo non immerito regii nominis excellentia, ab eodem Imp. sublimatus, regali quoque circulo & lancea primum in ea gente insignitus.* Hos scriptores sequitur & Stransky, *Cap. 8. Reipubl. Bojem.* At Balbinus, *Miscell. Histor. Bohem. Decad. I. Libr. VII. cap. 22. p. 81.* dum corrigere voluit alios, reposuit A. 1095; nescio, an per errorem typographicum? Dubito, an recedendum sit a Cosma, scriptore coævo? In die autem mortis designando, nempe XIX. Kalend. Febr. sive 14. Januarii, convenit cum Cosma *Calendarium Pegaviense*, inter Menckenianos scriptores *T. II. p. 119: XVIII. Kal. Febr.* FRATISLAVS *Rex, pater fundatricis, mille talenta.*

(128) De hoc Duce ita scribit Balbinus, *Miscell. Hist. Boh. Libr. VII. cap. 28. p. 103: Conradus nihil memorabile gessit, præterquam quod Ecclesiam Collegiatam S. Petri Brunæ in monte fundarit magnifice &c.*

Christo domino nostro cum Patre & Spiritu Sancto regnante per omnia secula seculorum. *Siste gradum Musa Chronicis es jam satis usa.*

Explicit liber secundus de Chronicis Boemorum.

APOLOGIA AD LECTOREM.

IAM pietate DEI promissa favente peregi, Me quæcunque reor fore pollicitum tibi Lector. Iam de retro actis causis sive transcursis temporibus pauca ex multis commemorans, historiam meæ narrationis usque ad tempora Ducis BRECISLAI junioris produxi. Quare autem operæ pretium duxi jam ab instanti opere cessare, non est ab re. Nam de modernis hominibus sive temporibus utilius est, ut omnino taceamus, quam loquendo veritatem (quia Veritas semper parit odium) alicujus rei incurramus stipendium. Si autem a veritate deviantes aliter, quam se res habeant, scripserimus, cum pene omnibus notæ sint causæ, nihilominus adulationis & mendacii notam incidimus. Siquidem hujus temporis homines virtutibus nudi solis laudibus gestiunt vestiri: quorum ea est maxima dementia, favoribus velle decorari; & quæ sunt favore digna minime operari. Atqui non ita erat apud veteres: qui quamvis dignissimi laude fuissent, tamen fugiebant, quas moderni appetunt, laudes: & quod illis extitit pudori, hoc istis habetur honori. Horum nos si aliquando stilo exsequamur acta, quia quædam non sunt cum DEO facta, procul dubio offensam non effugiemus quorundam, qui adhuc superstites sunt, homines neophytici atque itaci (129) *qui ad vocem Ducis nihil aliud tam promptum in ore habent, quam Ita domine, alius Ita est domine, tertius Ita fac domine. At non ita olim fuit. Illum enim Dux maxime coluit, qui ratione Justitiæ ex adverso clypeum iniquitati opposuit, & qui malos consiliarios & a tramite deviantes æquitatis uno compescuit verbo veritatis. Tales aut nulli aut pauci sunt: & si sunt, dum tacent, quasi non sunt. Par namque est vitium aut judicium, seu tacuisse veritatem, seu concessisse falsitatem. Unde videtur nobis multo tutius narrare somnium, cui nemo perhibet testimonium, quam præsentium gesta scribere hominum. Quapropter posteris latius explananda eorum relinquimus facta: sed tamen ne ab aliquo culpemur præteriisse intacta, summatim annotare curabimus pauca.*

p. 49.

* locus mendosus.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

ERgo novus Dux, BRECISLAUS junior, sed maturus ætate, sensu maturior, postquam hujus terræ secundum ritum debitis obsequiis digne sancti Wenceslai sui patroni in urbe Praga celebravit natalitium, & omnibus Satrapis atque Comitibus magnificum per tres dies exhibuit convivium, ubi pro nativitate sui, quantum valuit, quædam ad utilitatem Ecclesiæ decernens, quædam ob commoditatem hujus terræ instituens, sicut olim ab ipso suæ ætatis tyrocinio, omnem spem habuit in solo Dei patrocinio; ita modo principatus sui in exordio Christianæ religionis zelo succensus nimio, omnes Magos & ariolos & sacrilegos extrusit regni sui e medio; similiter & lucos, sive arbores, quas in multis locis colebat vulgus ignobile extirpavit & igne cremavit. Item & superstitiosas institutiones, quas villani adhuc semipagani in Pentecosten tertia sive quarta feria observabant, offerentes libamina super fontes, mactabant victimas & dæmonibus immolabant, item sepulturas, quæ fiebant in silvis, & in campis, atque scenas ex gentili ritu faciebant in biviis & in triviis, quasi ob animarum pausationem, item & jocos profanos, quos super mortuos suos inanescentes manes ac induti faciem larvis bacchando exercebant, has abominationes & alias sacrilegas adinventiones Dux bonus, ne ultra fierent in populo Dei, exterminavit. Et quia semper solum Deum & verum puro corde coluit, & ejus zelum habuit, universis Dei amatoribus placuit.

BRECISLAI Ducis auspicia.

Erat enim Princeps spectabilis, dux in castris acceptabilis, miles in armis inexpugnabilis. Hic quotiescunque Poloniam invasit, semper cum magno triumpho remeavit. Quam utique Anno Dom. Incarn. M XCIII. sui vero ducatus primo, ita crebris incursionibus demolitus est, ut ex ista parte fluminis Odræ a Castro *Recen* usque ad urbem *Glogou*, præter solum *Nemei* oppidum, nullus habitaret hominum: nec tamen cessavit ab ejus vastatione, donec Princeps Poloniæ, *Wladislaus*, cum magna supplicatione præteriti & præsentis anni tributum usque ad unum solveret obulum. Cujus census hæc summa fuit, mille Marcæ argenti, & LX. auri. Qui etiam Dux in circo civitates, quæ pertinent ad provinciam *Kladzko* nomine dictam, tradens filio suo *Boleslao*, committit eum per manus traditionem & fidei sponsionem Duci *Brecislao*, quatenus obsequendo suo avunculo (130) a patre sibi creditam cum pace possideret provinciam. Ipse autem Dux *Wla-*

(129) Mihi locus ille minus mendosus videtur; finxit enim Cosmas vocabulum *Itaci*, quo denotaret adulatores, qui omnia aliorum facta & dicta comprobant, atque adeo suum illud *ita, ita*, i. e. *euge, bene, recte*, promptum in ore habent, etiam ubi Principibus & Dominis suis recte consulere deberent. Eodem fere modo nobis Germanis dicuntur die Ja-Herren.

(130) Scilicet *Juditha*, Wratislai, Regis Bohemiæ filia ex *Adleta*, fuit soror *Brecislai II.* Ducis Bohemiæ, & conjux *Wladislai*, Poloniæ Ducis, atque huic genuit *Boleslaum, Distortum* cognominatum. Miechov. *Libr. III. Histor. Polon. cap. I.* Conf. supra *not.* (112) Sed hæc & talia repetenda sunt ex scriptoribus rerum Polonicarum.

dislaus

dislaus dat sacramentum, quod tributum olim
p. 50. duce *Brecislao* constitutum, *D. Marcas argenti & XXX. auri*, annuatim sibi pro concessa pace solveret determinato tempore.

Anno Dom. Incarn. M XCIV. adhuc Imperatore tertio *Henrico* ultra montes in Longobardia tractante nuptialia negotia, (131) indicta est generalis Synodus ab universis Episcopis & Principibus Romani Imperii infra mediam Quadragesimam in urbe Moguntina. Ad quam Dux *Brecislaus* transmittit electos, *Cosmam* & *Andream*, Episcopos, committens eos & tradens per manus Palatino Comiti jam sæpe dicto *Rapotæ*, rogans, ut eos offerat *Moguntino Episcopo* ordinandos: quo pro eis interveniente, & coram Archiepiscopo & universali Synodo testimonium perhibente, quod olim per Imperatorem in urbe Mantova corroborata sit eorum electio, omnibus suffraganeis collaudantibus ordinati sunt *Cosmas* & *Andreas*, Episcopi, IV. Idus Martii. ab Archiepiscopo Moguntino nomine *Ruthardo*. (132)

Pestilentia magna.

Eodem anno fuit mortalitas hominum, sed maxima in Theutonicis partibus. Nam redeuntibus prædictis Episcopis de Moguntia, dum transirent per quandam villam nomine *Aimbek*, parochiam Ecclesiam quamvis satis amplam, quæ est sita extra villam, non potuerunt intrare, ut audirent Missam, quia totum ejus pavimentum usque ad unum punctum erat cadavere plenum. Similiter in urbe *Kaker* non fuit domus, ubi non essent tria aut quatuor cadavera hominum, quam prætereuntes non longe ab urbe in medio pernoctavimus campo.

Eodem anno Dux *Brecislaus* in mense Septembri quandam matronam de Bavaria, nomine *Lukardam*, *Alberti* Comitis, (133) duxit in uxorem. Item eodem annō & eodem duce jubente, *Cosmas*, Episcopus, V. Calend. Octobris consecravit altare sancti Viti Martyris; quia *Monasterium* adhuc non erat perductum ad ultimam manum.

An. Dom. In. M XCV. Aquilonalis plaga per multas noctes in cœlo apparuit rubicunda. (134)

Anno Dom. Incarn. M XCVI. Calendis Maji, A jubente glorioſissimo duce Boemorum, *Brecislao*, a venerabili Episcopo *Cosma* consecratum est. Monasterium sanctorum martyrum Viti, Wenceslai, atque Adalberti. Eodem anno tanta fuit commotio, imo divina compunctio, in populo Hierosolymam proficiscendi, (135) ut perpauci in Theutonicis partibus, & maxime in orientali Francia, per urbes & villas permanerent coloni. Qui quoniam propter multitudinem exercitus una via simul ire non poterant, quidam ex eis B per hanc terram nostram dum transirent, permittente Deo, irruerunt super Judæos, & eos invitos baptizabant. Videns autem *Cosmas* Episcopus contra statuta canonum hoc ita fieri, zelo Justitiæ ductus frustra tentavit prohibere, ne eos invitos baptizarent: quia non habuit, qui eum adjuvarent. Nam dux *Brecislaus* eo tempore cum omni exercitu suo in Polonia super ripam fluminis nomine *Nizzam*, castro eorum destructo nomine *Byrdo*, longe inferius ejusdem C fluvii similiter ædificabat firmissimum Castrum super altum scopulum, unde nomen traxit *Camener*. (136) Quod autem Judæi non post multos dies rejecerunt a se jugum Christi, & spreverunt gratiam baptismi atque salutem fidei Catholicæ, & iterum submiserunt colla jugo Legis Mosaycæ, Episcopi & prælatorum Ecclesiæ poterat hoc ascribi negligentiæ. Jamque condito prædicto Castro *Camener* priusquam

Judæorum direptio.

(131) *Henricum IV.* Imperatorem, eo tempore in *Longobardia* hæsisse, ex omnibus fere scriptoribus rerum Germanicarum constat; at quæ *negotia nuptialia* idem tunc tractarit, minus liquet; nisi forte divortium ejus uxoris, *Adelheidis*, quæ & *Praxides*, item *Eupraxia*, appellatur, respiciatur; de quo præter alios, auctor *Chron. Augustensis*, apud Freherum, ad A. 1094. scribit: *Imperii miseranda facies. Imperator criminibus diversis diffamatur; Imperatrix maritum deserens ad hostes secessit.* Item *Annalista Saxo*, ad eundem Annum 1094: *Discessio facta est inter Imperatorem Henricum, & uxorem ejus Adelheidam.*

(132) Conf. Dubravius, *Histor. Bohem. Libr. VII.* Hagecius, *Chron. Bohem. A.* 1094. Pontanus in *Bohemia pia, Libr. III. pag.* 57; Boregk, in *Duce Bretislao*; Goldastus, *de regno Bohem. Libr. V. cap.* 4.

(133) Dubravius, *Libr. IX. Hist. Boh.* hanc Brecislai uxorem vocat *Lucretiam, Principis Rhenani filiam*, nomine Patris non indicato. Balbinus, *Miscell. Hist. Bohem. Libr. VII. Sect. I. cap.* 23. ait: *Brecislaus Lucretiam, Palatini Rheni filiam, quam viduam acceperat, viduam reliquit, defunctam postea A.* 1141. Manlius, in *Tabulis Genealogicis Ducum & Regum Bohemiæ*, quas *Libro III. comment. rerum Lusaticarum* adjecit, eandem vocat *Lucretiam, Principis Rhenani filiam, sororem Alberti Comitis de Bavaria.* Nos nihil certi hic definire possumus.

(134) Fortasse hæc fuit *aurora Borealis.* Hoc phænomen, ni fallor, refert Botho, in *Chronico Brunsvic. picturato*, ad A. 1094: *In dissem jare wart geseyn fur an der Lucht, dat sloch als ein blas aen dem Westen int Osten, und was ein eclipsis der Sunnen. Unde so sloch ein drake in der Lucht, unde so was ock ein grot Starven.* Item *Chronicon Stederburgense*, ad A. 1094: *Eclipsis Solis. Eodem anno mirabilis pertransivit in universum mundum ignis.* Similia memorare videtur Annalista Saxo, ad A. 1096: ubi ait: *mediis fere noctibus a Septentrione igneos exurgere splendores, plerumque etiam faculas per aerem volitantes vidisse nos testibus comprobamus.* Albertus Stadensis, ad eundem A. 1096: *Eodem anno, die quadam advesperascente, nulla in aere apparente nubecula, diversis in locis globi ignei emicuerunt, vangantesque rursum in alia cæli parte se condiderunt.*

(135) Nemo est fere scriptorum rerum Grmanicarum, qui non hanc memorabilem, eamque primam, expeditionem sacram, annotarit: Ea tamen copiosius descripta legitur in *Gestis DEI per Francos.*

(136) Hæc ita edisserit Dubravius, *Libr. IX. Hist. Bohem. Bretislaus intimum rursus Silesiam percursat, similemque priori calamitatem incolis eis ultraque* NYSAM *fluvium incolentibus affert. Ac mox arcem* BRIGAM, *ripæ Oderæ impositam, vi accipit, militique illam diripiendam demoliendamque tradit. Ipse haud procul inde novam sibi construit arcem, indito illi nomine* CAMENCE &c. Ergo hic intelligendus est fluvius *Nissa*, qui *Nisse*, Episcopali Silesiæ urbi, nomen fecit; & distinctus est a *Nisso*, fluvio Lusatiæ; quamquam utrumque tandem Odera recipiat. Ad illum fluvium Silesiæ, *Nissam*, seu *Neussam*, non procul a *Comitatu Glacensi*, conditum olium fuit castellum *Camencium*, de quo loquitur Cosmas; hodie autem Cœnobium Ordinis Cisterciensium ibi visitur. Aliud *Camencium*, oppidum Lusatiæ

inde abiret, dux *Brecislaus Mutinam*, filium *Boſa*, ſuum collateralem & Secretarium, apprehendens ſeorſum, & multa exprobans ſibi, quibus ſæpe eum offenderat, dixit: *Ego ſi non Deum offendere metuerem, uti meritus es, profecto oculos tibi eruerem. Sed nolo, quia grande nefas eſt corrumpere, quod dei digitus operatus eſt in homine.* Et permittens ſecum duos milites tantum, ab aſpectu ſuo & latere amovit eum, & mittens in Boemiam, omnem ejus juſſit inſiſcari ſubſtantiam. Nec mora, dum rediret, miſit dux manus, ut apprehenderet *Boſcy* filium *Cac*, cognatum *Mutinæ*. Semper tamen illam nationem *Verſoviæ* habuit exoſam, (137) quia ſciebat eam ſuperbam eſſe valde & doloſam. Quem cum apprehendiſſet, ſtatim ut juſſum fuerat, impoſitus puppi cum uxore & duobus filiis relegatus eſt in *Zbriam*, & exinde perrexit in Poloniam, & ibi invenit fratrem ſuum *Mutinam:* quos dux Poloniæ ſatis recepit benigne.

Anno Dominicæ Incarn. M XCVII. Dux *Brecislaus* vocans ad ſe *Oalricum*, filium Conradi, juſſit eum capere, & miſit in Caſtrum *Kladsko* (138) ad cuſtodiendum.

Anno Dominicæ Incarn. M XCVIII. Delatum eſt Duci *Brecislao*, quod quidam ex Judæis lapſi fuga, nonnulli furtim divitias ſuas ſubtraherent partim in Poloniam, partim in Pannoniam. Unde dux valde iratus miſit Camerarium ſuum cum aliquibus militibus, ut eos a vertice usque ad talos expoliarent. Qui
p. 51. veniens convocat ad ſe majores natu Judæos, & ſic orſus eſt ad eos: *O gens progenita Manſoribus-Iſmahelita, ut ſibi dicatis dux mandat, cur fugiatis: Et partis gratis cur gazas attenuatis: Interea quæcunque mea ſunt, ſunt mea cuncta. Nullas de Solymis res divitiaſve tuliſtis. Uno pro minimo ter deni Weſpaſiano Cæſare proſcripti, ſparſi ſic eſtis in orbe. Macri veniſtis, macri quoque vultis eatis. Quod baptizati ſitis, Deus eſt mihi teſtis, non me ſed domino ſunt iſta jubente patrata. Quod autem iterum relapſi eſtis in Judaiſmum, Coſmas Epiſcopus videat, quid inde agere debeat.* Dixerat hæc ex parte Ducis, & ſtatim irrumpentes everterunt domos, acceperunt theſauros, & quicquid ſuppellectilis optimum invenerunt. Nihil quod ſolum pertinet ad victum, granum frumenti eis reliquerunt. O quantum pecuniæ miſeris Judæis eſt illa die ſublatum: nec ex ſuccenſa Troja tantum divitiarum in Euboico littore fuit collatum.

Eodem anno IV. Idus Decembris *Coſmas* Epiſcopus migravit ad Chriſtum. Fuit autem ille *Coſmæ obi-tus.* præſul humilis, ſimplex, patiens, & multum miſericors: & illatas a quovis homine injurias æquanimiter ſuſtinens, recognoſcentibus ſuas culpas pius indultor, viduarum non ſurdus auditor, infirmantium ſedulus viſitator, ultimæ ſordis non immemor, exequiarum promptus extitit executor. Poſt cujus obitum Dux *Brecislaus* habens curam animarum, & perpendens collatam ſibi a DEO poteſtatem eligendi Eccleſiæ ſponſum, cœpit ſollicitus & pervigil ſecum tacita mente ſuorum inſpicere mores clericorum, & vitam & converſationem diſcutere ſingulorum, quem ex eis potiſſimum proveheret ad ſummum Sacerdotii gradum. Et quamvis ipſe noſſet inter ſuos, quid eſſet in quoquam clerico, tamen recolens illud Salomonis dictum: *Omnia fac cum conſilio*, advocat *Wigbertum*, *Wigbertus* ſuum per ſororem generum, virum ſapientem, *ſororius Ducis.* & in talibus negotiis eruditum valde & perſpicacem, cui & ait: *Tu tempore patris mei Regis Wratislai ſemper in curia primus inter amicos fuiſti. Tu mores & vitam Boemorum perſpexiſti, tu non ſolum laicos, verum etiam clericos omnes intus & in cute noſti: tuo conſilio nunc Epiſcopum eligere volo.* Ad hæc heros in propria verba non improprie reſpondit: *Olim*, inquiens, *dum Rex pater tuus viguit, meum conſilium valuit; nunc horum vivunt hominum mores, qui ſemetipſos putant aliquid eſſe, cum nihil ſint, & quibus nullius, niſi quod ipſi ſapiunt, placet conſilium. Sed vos melius ſcitis, quod vitam ſancto negotio, qui conſulunt ſanctæ Eccleſiæ utilitati, vacuos decet eſſe ab ira & odio, a miſericordia & amicitia. Nam ubi iſta officiunt animo, humana fallitur opinio. Me autem nec alicujus amicitia obligat, nec miſericordia ſupplantat, nec odium exagitat, nec ira inflammat, quo minus coram vobis eloquar, juſtitiæ quod poſtulat ordo. Eſt patris tui & nunc tuus capel-*

ſuperioris, ad Elyſtrum Nigrum extat; quod tribus milliaribus ab urbe Budiſſina diſtat. Taceo nunc *Caminecium* Polonorum, urbem Podoliæ. De fluvio *Niſſa* plura tradit Nicolaus Henelius, *Sileſiograph. renovat. Cap. V. p. 597. ſeqq.* *Sileſiam* autem apud Coſmam, aliosque veteres ſcriptores, non raro *Poloniæ* nomine deſignari, monuit Goldaſtus, de *Regno Bohem. Libr. I. cap.* 14.

(137) Quanto tandem exitio Brecislao illa ſeveritas fuerit, Coſmas ad A. 1100. enarrat. *Quid autem cauſſæ ſit, ſi quis ſcire cupiat*, (inquit Balbinus, in *Epitom. rer. Bohem. Libr. III. cap. 9. p. 214.*) *cur Wrſſovecii* (Verſovicenſis) *Ducibus & Regibus Przemislæis ſemper adverſati ſint, ſemel dicam, cum iſtud ab omnibus Scriptoribus noſtris prætermiſſum intelligam; quia videlicet Wrſſovicii ex Czechi & Lechi fratrum parentela deſcendebant,* (*nam ſex fratres ſecum in Bohemiam adduxiſſe Czechum, Pulkava, & vetus Boleslavienſe Chronicon, ex quibus iſti legitime proceſſerant, tradunt*) *cum igitur Wrſſovicenſes viderent Libuſſam Croci, vel Craci filiam, univerſa familia ſua præterita, quanquam ejus connubium decenter affectaſſent, Aratorem Przemyslum prætuliſſe, & conjugem accepiſſe, immortali odio concepto, quod toti poſteritati velut cum ſanguine inurebatur, vetera ſua in Bohemiæ populos jura, ex Czecho & Lecho, jactare & defendere cœperunt; hinc omnibus populi urbis præbuere ſe duces, Polonos, Germanos, adverſus Duces Bohemiæ conſiliis omnibus evocabant, & cœlum terræ miſcebant &c.* Dubravius, *Libr. X. Hiſt. Bohem. p.* 264. de horum nomine ita diſſerit: *Non ab urſo, ut quidam opinantur, ſed a naſſa piſcatoria, quam Bohemi Wrſſe nominant, (quippe hanc pro inſigni nobilitatis ſuæ oſtentabant) fuerunt Verſovicenſes cognominati.*

(138) *Arx Glacenſis* vocatur Dubravio, *Libr. IX. Hiſtor. Boh.* Tradente Goldaſto, Poloni *Cloſcum*; Bohemi *Gloczium*, ſeu *Kladsko* vocant. At *Cozlium*, ſeu Kozla, arx munita, procul *Glacio*, in Oppolienſi Sileſiæ principatu cenſetur. Vid. Balbinus, *Libr. III. De rad. I. Miſcell. Boh. pag.* 277.

Ianus

lanus, quem vos melius nostis, nomine Hermannus. *Hic semper fuit Regis in servitio constans, in commisso fidelis, in legationibus agendis fidus executor, castus, sobrius, humilis & modestus; non violentus, non ambitiosus, non elatus, & quæ prima est in clerico virtus, apprime literatus, & quantum spectat ad humanam opinionem, cernitur esse vir bonus & perfectus ad unguem; si solum non obsit, quod hospes sit.* Tunc Dux admirans suam & ejus unanimem voluntatem, ait: *Haud aliter cor tuum atque meum sapit. Et quia hospes est, plus Ecclesiæ prodesi: non eum parentela exhauriet, non liberorum cura aggravabit, non cognatorum turma despoliet; quicquid sibi undecunque veniet, totum sponsa ejus & mater Ecclesiæ habebit. Hic ergo, faciam, Pragensis Episcopus ut sit.* Nec mora, convocatis primatibus terræ, simul & præpositis Ecclesiæ; Boleslai in urbe ad placitum ducis; collaudante clero cuncto populoque favente, *Hermannus*, (139) promotione Diaconus præpositura Boleslavensi sublimatus, sublimiorem invitus rogatur ad Episcopatus honorem. Facta est autem hæc Electio.

Hermannus Episc. Prag.

Anno Dom. Incarn. M. XCVIIII. II. Kalend. Martii.

Et quia eodem anno Imperator tertius *Henricus* celebravit Pascha Ratisbonæ, (140) jussus est Dux *Brecislaus* cum electo suo illuc venire. Qui celebrato Pascha in urbe Wisslegrad, tertia die post octavam Paschæ venit Ratisbonam. Qui quia ante festum caritativa præmiserat donaria, tam Cæsari, quam ejus Satrapis, quotquot erant de ejus amicis in curia, obviam ei veniunt ad tria fere milliaria, & ita deducunt eum in civitatem cum magna honorificentia. Cujus ad primam petitionem Cæsar confirmat Boemorum electionem, dans *Hermanno* annulum & virgam episcopalem. Item & hoc obtinuit precibus apud Cæsarem, ut ejus fratri *Borivoy* vexillum daret, & eum Boemis omnibus, qui cum eo venerant, assignaret, quo, post obitum suum, fratrem ejus, *Borivoy*, sublevarent in solium.

Eodem annō ibidem Dux *Brecislaus* veniens cum exercitu in Moraviam, reædificat Castrum *Podivin*, & redit id, sicut antea fuerat, in potestatem *Hermanni*, Episcopi, atque ibidem in villa *Zluinica* Pentecosten celebravit. Deinde occurrens Pannonico Regi *Colomanno*, in campo, qui dicitur *Luczko*, multa sunt invicem concionati, placitantes ad placitum utrarumque partium: ac inter se mutuatim datis muneribus renovant antiqua amicitiæ & pacis fœdera, & ea Sacramentis confirmant. Ibi Dux *Brecislaus* suum electum *Hermannum*, diaconum committit *Seraphim* Archi-Episcopo ordinandum. Qui veniens ad sedem suam urbis *Strigoniæ* tempore, quo sacri ordines celebrantur, III. Idus Junii, ordinat eum Presbyterum, & me, quamvis indignum, ad eundem similiter promovit gradum. Dux autem post habitum concilium rediens, castra metatus est juxta urbem *Bruen*. Erat enim valde iratus filiis patrui sui Conradi, *Oalrico* & *Luitoldo*. Qui fugientes a facie ejus, oppilaverunt se munitis oppidis: & mittentes tradunt ei cæteras Civitates, timentes, ne hostiliter devastaret terram. Interea Dux *Brecislaus*, dispositis præsidiis per civitates, quas sibi tradiderant, & eas fratri suo *Borivoy* committens, reversus est in Boemiam. *Ottonis* autem filii *Zuatopluk* & *Ottek*, cum matre sua *Eufemia*, (141) multum obedientes Duci erant & fideles.

Cosmas Presbyter, auctor.

Item eodem anno Dux *Brecislaus* in Nativitate domini *Boleslaum*, per sororem, sibi propinquum, invitat ad convivium; quod erat in urbe *Satec* dispositum. Ubi in ipso festo consentientibus omnibus Comitibus Boemiæ factus est *Boletlaus* ensifer avunculi sui. Quem post festum Dux remittens ad propria, dona dat ei & constituit, quatenus ensiferæ dignitatis pro ministerio ex tributo, quod pater suus *Wladislaus* solvebat annuatim, C. marcas argenti & X. auri talenta habeat.

Anno Dom. Incarnationis M. C. Dux *Brecislaus* quibusdam referentibus habens compertum pro certo, quod Imperator in urbe Moguntina Pascha celebrare vellet, optimum ratus fore, ut illuc suum electum *Hermannum* mitteret, qui & munera sua Cæsari deferret, & quam expectabat a Magistro suo benedictionem acciperet, & committens eum *Wigberto*, qui similiter debuit interesse Cæsaris palatio, rogat, ut in omni suo faveret negotio tempore opportuno. Sed quoniam Archipræsul *Ruthardus* Symoniaca hæresi infamatur, relicta Moguntia hisdem diebus morabatur in Saxonia, jubente Imperatore, & collaudantibus omnibus suffraganeis Moguntinæ Ecclesiæ, a Cardinali *Ruperto*, Clementis Papæ apocrisiario, qui forte ibi aderat, ordinatus est *Hermannus* Episcopus, in octavis Paschæ VI. Idus Aprilis.

p. 52.

Eodem anno admirabile & sæclis commemorabile, quod divina gratia per merita sanctissimæ matris *Liudmilæ* (142) dignata est relevare miraculum, uti ipsi vidimus, vestræ caritati pandi-

(139) De *Hermanno*, conferas infra ipsum Cosmam, ad A. 1122.

(140) Henricum IV. Imp. A. 1099. Pascha celebrasse Ratisbonæ, etiam annotavit Dodechinus, in *Append. ad Marianum Scotum*, p. 463. Male hoc Thomas Jordanus, in *notis ad Dubravium*, p. 245. interpretatur de *Lothario*, qui eo tempore nondum ad imperii fastigium evectus erat. Quanta vero tunc fuerit potestas Imperatoris, cum in constituendis vel *investiendis* Regibus Ducibusque Bohemiæ, tum in confirmandis Episcopis Pragensibus, inter alia, hoc etiam exemplo *Borivorii*, Ducis designati, & *Hermanni*, Episcopi Pragensis, ab Imperatore confirmati, recte comprobat Goldastus, de *Regno Bohemiæ*, *Libr. III. cap. V. & Libr. V. cap. III. & IV.* Conf. Dn. Ludewig, in *Germania Principe*, *Cap. II.* §. 14.

(141) *Ottonis I.* Principis primum Znoimensis, deinde Olomucensis, uxor fuit *Euphemia*, filia *Beli I.* Regis Ungariæ. Vid. Balbinus, *Miscell. Sect. I. cap. 25. p. 103.*

(142) *Ludmilla* ista, cujus jam supra facta est mentio, fuit *Slavibori Comitis de Mielnik*, tum adhuc pagani, & *Lidoslavæ* filia, Mielnicii nota; *Borzivojo*, Bohemorum Principi, nupta; *S. Methodium* magistrum fidei Christianæ nacta est. Martyrium subiisse dicitur A. 927. d. 16. Kal. Octobr. Ejus vitam, ex antiquis descripsit *Christianus*, a Balbino, in *Epitom. rer. Bohem. Libr. I.* editus; Ex recentioribus, Georgius Ferus, S. I. Vid. Balbinus, *Miscell. Hist. Boh. Decad. I. Libr. IV. p. 12.*

mus.

Windelmut Abbatissa. mus. Nam domina Abbatissa *Windelmuth*, famula DEO devota, Ecclesiam sancti Petri Apostoli sitam in territorio ejusdem Monasterii, cui præerat, ex vetustate a fundamento dirutam usque ad perfectionem deducens reædificavit. Quam ut consecraret Præsul, cum impetrasset Abbatissa, dum ex more reliquias sanctorum collocat in pyxide, inter alia obtulit domina Præsuli pannum unius palmæ latum, quem acceperat de peplo sanctæ *Ludmillæ*, rogans, ut similiter inter reliquias sanctas ponat eum in pyxide. Tunc Præsul, quasi indignans, ait: *Tace domina de ejus sanctitate: dimitte avum aviam quiescere in pace.* Ad hæc Abbatissa: *Noli*, inquit, *Domine, noli talia dicere. Multa enim Deus per ejus merita quotidie operatur magnalia.* Mox jussu Præsulis sartago adfertur magna prunis ardentibus plena, ubi invocato sanctæ Trinitatis nomine Præsul injecit pannum super flammivomos carbones. Mira res, fumiculus & flammicula circa pannum emicuit, sed minime nocuit. Et hoc etiam magni fuit in augmentum miraculi, quod propter nimium ardorem diu non potuit pannus de flammis eripi, & tandem ereptus sic visus est integer & firmus, ac si eadem die foret textus. Quo tam evidenti Præsul & omnes nos perculsi miraculo, lacrymas fudimus præ gaudio, & gratias retulimus Christo. Dedicata est autem Ecclesia in honorem sancti Petri Apostoli VI. Non. Octobris.

Item ejusdem anni XV. Calend. Novembris, p. 53. *Borivoy* frater Ducis Brecislai in urbe *Znoyem* faciens permagnificum convivium, luxit uxorem nomine *Helluck*, Orientalis Marchionis *Lupoldi* * sororem. (143) Et quia hisdem diebus filius Conradi, *Lutoldus*, per concessum *Godfridi*, * (144) admissus in castrum *Rakouz*, multas *Borivoy* inferebat injurias, singulis noctibus devastans ejus villas, & refugium habens in prædictum Castrum: Unde Dux *Brecislaus* valde iratus, iterum coadunato exercitu movit castra in Moraviam, volens ulcisci fratris injuriam. Sed prius mittit ad *Godfridum*, obtestans eum per antiquæ amicitiæ fœdera, quod sibi *Lutoldum* aut vinctum mittat sine mora, aut de castello suo eum expellat eadem hora. Quod cum non lateret *Lutoldum*, castellanis per fraudem foras exclusis, ipse cum suis militibus vi obtinuit Castrum. Et *Godfridus* cum Legatis, qui ad eum missi fuerant, occurrit Duci juxta oppidum *VVranou*, & coram omnibus clamat; *Lutoldum perfidum esse & Reipublicæ inimicum.* Castrum vero sub fide amicabiliter præstitum, jam hostiliter ad expugnandum postulat Ducis auxilium. Cujus petitioni Dux non abnuens, admovit exercitum urbis per circuitum. Ubi per sex hebdomadas in summa nocte & die conseritur pugna, donec fames, quæ firmas expugnat urbes, prævaluit in Castro. Ea victus *Lutoldus*, & bello fractus, noctu clam elapsus vix solus aufugit, amissis ibi suis militibus. Qui facto mane semetipsos & Castrum tradunt in manum Ducis. Interea dum hæc pugna geritur, *Paulik*, filius Marquardi, pædagogus *VVladislai*, sagittatus moritur. Item *Doles*, filius *Istimir*, dum per vicem suam servat vigilias noctis, occiditur. His duobus amissis, & reddita urbe *Godfrido*, Dux victor cum suis remeat in Boemiam.

Jamque Christi Nativitate appropinquante, & propter venationem in villa *Sebcena* Duce morante, quadam die inter prandendum fertur dixisse Dux ad quendam venatorem, qui non longe ab eo ad quartam sedebat mensam: *Heus Cucata, putas me nescire, quis sit inter vos, qui me quærit interficere?* Et ille (sicut erat homo vebemens in verbis) clamat: *Procul Deus hoc avertat, nec tuus oculus parcat, quin ipse citius occidatur, qui talia machinatur.* Ad hæc Dux: *Ah bone vir*, ait, *nulli fas est evitare inevitabile fatum.* Postera autem die, quia Sancti Thomæ Apostoli erat vigilia, mane audita missa it venatum: & cum in nocte jam rediret, occurrunt ei ante villam apparitores cum laternis & facibus. Moxque *Lork*, impius latro, missus a Diabolo, prosilit ex latibulo præcinctus gladio, & ut fortius valuit, inter ipsa illa Ducem percussit venabulo. Non aliter Dux cadit in medio luco, ac si clarus lucifer cœlo cecidisset ab alto. *Advolat extemplo lugubris turma sucrum*, & extracta hasta feminecem levant Ducem. Ille autem minister Sathanæ, dum accelerat fugam, per noctem opacam præcipitatur cum equo in cisternam, quam præceps torrens decurrens fecerat imbre. Incertum est, utrum ipse manu sua, an gladius lapsus de

Brecislai Ducis cædes.

* *al. Leopoldi.*
* *Austriæ Principis.*
Dubra.

(143) *Helluk* dicitur etiam *Helbirga*, item *Herburgis; Hildeburgis, Heilburgis, & Holpurgis*: fuit filia *Leopoldi Pulchri*, & soror *Leopoldi Pii*, Marchionum Austriæ. Testatur id *Chronicon Claustro-Neoburgense*, apud Pezium, *pag.* 443: *Habuit idem Liupoldus Pius tres sorores: quarum unam accepit Otakorus, Marchio Styriæ; secundam, Comes Liutoldus de Znoym; tertiam*, DVX BOHEMLÆ, *Bozivajus* (Borivorius) *nomine &c.* Item Thomas Ebendorfer de Haselbach, in *Chronico Austriaco*, apud Pezium, p. 706: *Habuit idem Pius Princeps* (Leopoldus) *tres sorores: quarum unam Elisabeth, accepit in thori consortem Ottocarus Senior, Marchio Styriæ, & sepeliuntur in Monasterio Gersten, eorum fundatione; secundam, quæ genuit filium, Conradum, Ducem Bohemiæ, & Marchionem Moraviæ, duxit Comes Leotoldus de Znonyma; tertiam*, HILDEPVRGEM, *sive Holpurgem, Dux Bohemiæ, Berspihojus* (Berivorius,) *nomine.* Ad hæc, Sundheimius, in *Tabulis Claustro-Neoburgensibus*, apud eundem Pezium, *p.* 1033. Helpirg, ain züchtige wolgestalte Fürstin, ain Tochter Herren Lewpolds des Schœnen, Marggrafen in Oesterreich, und Frau Itha, ain Swester Sant Lewpolds. Die ward vermahlet Herren Borsinoy, Herzog zu Behem, Künig Wratislaen von Behem Sun. Der bemelt Herzog Borsinoy het mit der benanten Fraw Helpirgen ain Fürstlich Hochzeit in der Stadt Naem, in Gegenwürd vil Mechtiger Herren, Ritter und Knechten &c.

(144) Hic *Godfridus*, ni fallor, fuit filius *Arnoldi*, præpotentis in Austria superiore, quæ tum Bajoaria Orientalis dicebatur, Dynastæ Lambacensis, & *Regilæ*, Ostro-Francæ, Matronæ nobilissimæ, filius, atque *Adelberonis*, Episcopi Herbipolensis, A. 1090. defuncti, frater: De quo in vita *Adelberonis*, apud Pezium, *T. II. Script. rer. Austr. pag.* 7. hæc legere licet: *Comes Arnoldus nomine, qui castrum opinatissimum in Lambacensi loco, juxta fluvium Truna inhabitabat; --- habebat filium, nomine* GOTFRIDVM, *dignitate Marchionem, virum strenuum & fortem, virum rebus bellicis aptissimum, crebris præliorum successibus fortunatum; cujus ditioni cum reditibus circumjacentibus serviebat Patina, urbs inclyta & famosa*; &c.

vagina,

vagina, ita eum præcidit per mediam alvum, ut omnia ſibi effluerent exta. Fit tumultus per villam: alii inſiliunt equos, alii cum armis huc & illuc diſcurrunt, inveſtigantes tanti mali machinatorem. Mox quidam invenit eum ſemivivum: & quamvis ſatis ad mortem habuit vulnus, tamen amputat enſe caput ejus, dicens: *Inferni furvas non inſons ibis ad umbras, Et Cereris genero mea facta referre memento.* Dux autem, licet in tanto dolore ſit poſitus & mœrore, illa nocte & inſequenti die non relaxabat ſpiritum & ora a laude Dei: nunc lacrymoſam pœnitentiam offerendo, nunc ſua peccata confitendo, tam epiſcopo Hermanno, quam aliis ſacerdotibus Dei. Tributum autem, quod fuit eo tempore de Polonia allatum, & quicquid in ſua invenit Camera, per manus Epiſcopi fecit dare per Monaſteria. Et cum diſpoſuiſſet omnia, quæ erant disponenda pro anima: *Date*, inquit, *filiolo meo lituum meum & jaculum; cætera non eſt meum ſibi dare, quæ Deus poſuit in ſua poteſtate.* Et ſic in ſequenti nocte poſt gallicinium, inter manus Sacerdotum, XI. Kalend. Januarii velut bonus Dei Athleta, utramque hominis ſubſtantiam in ſua diviſit exordia: quem procul dubio credimus aut accepiſſe, aut jam accepturum cæleſtia conſortia. Cujus feretrum unus ex clero ſequens usque ad ſepulchrum hujusmodi planctu iterabat dicens: *Anima Brecislai, Sabaoth Adonay, vivat expers thanaton, Brecislaus yskyros.* Mira res, ſic fletu ſuo clerum & populum ciebat ad fletum, ut dum fleres, magis flere velles. Sepultus eſt autem cum maximo planctu ſuorum in polyandrio Sancti Wenceslai Eccleſiæ forinſecus ante portam a ſiniſtris, uti ipſe diſpoſuerat. Ubi ſoror ejus *Ludmilla*, Deo devota famula, ſupra teſtudines conſtruxit arcuatam in honorem Sancti Thomæ Apoſtoli Capellam, & conſtituit, ut quotidie ibi celebraretur miſſa pro defunctis. Et quoniam p. 54. ſtatim percrebuit fama in populo, Ducem eſſe interfectum, *Boſey* & *Mutinæ* conſilio, quos antea expulerat de regno ſuo, dubitari a quibusdam ſolet, utrum fontior ſit, qui conſilium dat, an qui conſentit, ut faciat; ſed revera uterque reus: Veruntamen fontior is eſt, qui homicidium conſiliatur, qui & ſe ipſum & alium criminatur. Ergo vos Brecislaum occidiſtis, qui ut occideretur conſilium dediſtis. Mittunt illico Præſul & Comites cum feſtinatione in Moraviam ad *Borivoy* legatum, quo acceleret olim ſibi a Cæſare datum totius Boemiæ accipere ducatum. Qui feſtinus veniens in ipſa die Nativitatis Chriſti omnibus inſimul faventibus inthronizatur. Tunc Cyllenia (*) delet omnino ſua veſtigia, quæ vix impreſſa reliquerat in Boemia, cum exoſa terras peteret cæleſtia. Juſtitia enim erat Boemorum, ut ſemper inter Principes eorum major natu ſolio potiretur in Principatu.

(*) *Aſtræa. BORIVOIUS Dux Bohem. Dubr. lib. 10.*

An. Dom. Incar. M. CI. *Oalricus* & *Lutoldus*, filii *Conradi*, expulſis præſidiis de Moravia, quæ ibi *Borivoy* abiens reliquerat ob cuſtodiam, rehabuerunt Civitates ſuas. Similiter *Boſey* & *Mutina* redeunt de Polonia, quibus Duce *Borivoy* non ex corde, ſed pro neceſſitate temporis concedente gratiam ſuam, recipiunt Civitates ſuas, quas antea habuerant, *Boſey*, Satec; & *Mutinæ*, Lutomiricz.

Eodem anno adit *Oalricus* Imperatorem in urbe Ratisbona, & eum per amicos ſollicitat precibus, & fatigat immenſis promiſſionibus, quo ſibi reſtituat injuſte præreptum a fratre ſuo juniore *Borivoy* Boemiæ ducatum. A quo Cæſar accepta pecunia dat ſibi ducatus inſignia & vexillum: ſed in Ducem eligendi obtentum ponit in arbitrio Boemorum. Tunc *Oalricus* mittens Legatum, valde diſertum virum, *Neuſſe* nomine, filium *Dobremil*, arguit fratrem ſuum *Borivoy*, increpat Comites, & minatur eis, jactat ſe eſſe majorem ætate, & ſecundum patriæ morem debitum ſibi, injuſte ſublatum per fratrem juniorem, poſcit principalis ſedis honorem. Qui quamvis juſtam cauſam habeas, tamen fruſtra caudam captas, cum cornu amittas. Sic *Oalricus* fratrem ſuum *Borivoy* confirmatum in ſolio, tarde nititur pellere de regno. Poſtquam vero ſuo referente Legato animadvertit *Oalricus*, nec fratrem ſuum cedere ſolio, nec Comites acquiescere ſuo conſilio, hoc ſolum obtinuit precibus, ut Cæſaris per licentiam liceat ſibi debitam vi invadere provinciam: Cujus mox aſſociantur in contubernium viri in rebus bellicis ſtrenui, *Sigardus* Comes de oppido Sala, (145. a) & ejus frater, Friſenſis Epiſcopus, & *Oalricus*

Oalricus ambit Ducatum.

(145. a) Hæc verba paullo aliter diſtincta leguntur in *Annaliſta Saxone*, ad A. 1102. *Odalricus (dux Bohemiæ) tandem impetravit, ut liceret ſibi debitam armis invadere provinciam; cui ſociantur Odalricus, Friſienſis Epiſcopus, & Frater ejus, Comes Sigehardus, atque ſuus per ſororem gener, Fridericus, & alii Teutonici.* Eadem Dubravius, *Libr. X. Hiſt. Bohem. p. 252.* hunc in modum refert: *Uldaricus, Freyſingenſis Præſul, & Fridericus, ſororis ejusdem Præſulis maritus, ac Sigardus a Sala Comes, per ſe quisque ſui agminis Ducem profitentur.* Hosque idem ait fuiſſe propinquæ neceſſitudine ex materno genere *Wirzpurgis* cum Udalrico, Principe Bohemiæ, conjunctos. Hagecius ad A. 1101. iſtum Friſingenſem Epiſcopum vocat *Fridericum.* Veriſimile autem eſt, per *Sigehardum* intelligi illum, de cujus cæde hæc refert Otto Friſingenſis, *Libr. VII. Chron. cap. 8. Anno 1104. Henricus Imperator natale Domini Ratisponæ agens, orta ſeditione, SIGEHARDUS Comes a familia Principum, qui miniſteriales dicuntur* (miniſteriales hi a Chronographo Saxone *milites Regis*, & in Annal. Hildesheim. ad h. a. *clientes* ſunt dicti) *eo, quod juſtitiam eorum infringere diceretur, occiſus eſt.* Adlzreiter, *Annal. Boic. P. I. Libr. 19. p. 503.* eum vocat *dynaſtam Burghuſinum*, & a dotali comitatu, *Salenſem*, vel *Schalenſem toparchan.* Certe ſic legimus apud Pezium, in *Chronicis, Clauſtro-Neoburgenſi, Mellicenſi, & Salisburgenſi*, ad A. 1104. *Sighardus, Comes de Purchuſen, Ratisbonæ occiditur.* Et Vitus Arenpeckius, in *Chron. Auſtriaco*, p. 1186. annotarit, Leopoldum Pulchrum, Marchionem Auſtriæ,

atque suus per sororem gener, & *Fridericus*. Quorum succenderat animum ad belli studium, promittens eis aureos montes, & pollicitans suos esse fautores omnes Boemiæ natu majores. Præterea undecunque potuit, non paucos sibi in auxilium acquirit Theutonicos, qui pro sui stultitia æstimabant in Boemia auri & argenti pondera fore in plateis sparsa & expolita. Quibus insimul coadunatis, *Oalricus* cum fratre *Lutoldo*, Augusto mense intrant partes Boemiæ, sed sinistro omine. Nam *Borivoy* collecto exercitu occurrens eis, castra metatus est supra duos colles juxta oppidum Malin, paratus in crastinum cum eis committere bellum. Theutonici vero non longe ex altera parte rivuli *Wzalsa* applicuerunt Castra, ita, ut uterque ab utrisque possit videri exercitus. Qui postquam animadverterunt, unanimem esse cum duce *Borivoy* constantiam Boemorum, inquiunt Oalrico: *Ubi sunt illi Boemiæ natu majores, quos dicebas tuos esse fautores? Recte mentitus es in caput tuum, & nos decepisti, atque in magnum deduxisti periculum.* Reverti volunt, sed nequeunt; quia eadem via post illos *Zuatopluck* cum fratre suo *Ottone* ducens secum duas scaras veniebat duci *Borivoy* in auxilium. Quid facerent? magna unde coarctati angustia, per angustam viam & nimis arctam semitam, qua itur trans silvam ad *Gabr*, * turpem noctu maturaverunt fugam. Ibi Episcopus Frisensis amisit Capellam suam. (145.b.) Ibi propter difficilem viam omnis exercitus cum rebus usualibus projecit sarcinam. Mane autem facto advenientes Boemi, hoste carentia diripiunt spolia. Erant autem illo tempore *Borivoy* & *Zuatopluck* concordes, & ad invicem unanimes; sed unde orta sit inter eos discordia, parum superiora repetens exordia referam pauca.

(*Haber*)

An. Dom. Incar. M. CII. *Wladislaus*, Dux Poloniæ habens duos filios, unum de concubina progenitum nomine *Zbingnen*, alterum ex *Judytha*, Wratislai Regis filia editum, nomine *Boleslaum*: hos inter suum Regnum dividit per medium. Sed quoniam juxta vocem Dominicam, *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet*, & sicut vulgo dicitur, *duo catti uno sacco capri insimul esse non possunt.* *Wladislaus Dux Polon.* p. 55.

An. Dom. Incar. M. CIII. *Zbignien* post obitum patris mox contra fratrem suum sumit arma, & promittens pecuniam associat ducem *Borivoy* sibi in auxilium. Qui statim misit post *Zuatopluck* in Moraviam, & convenientes simul castra metati sunt juxta oppidum *Recen*. Quod audiens *Boleslaus* mittit Pædagogum suum *Zkarbimir*, & rogat Ducem *Borivoy*, ut sit memor affinitatis, se sibi per *Judytham*, ejus sororem, dicit propinquiorem: *& insuper offert ei ad manum decem marsupia mille Marcis plena. O pecunia totius mundi Regina, fraudis amica, fidei hostis & inimica: tu Justitiam comprimis, rectis & inimica: tu justitiam comprimis, recta judicia subvertis. Te corrupti Grabissa & Protiven*, Ducis Borivoy consiliarii, compellunt ipsum ducem fidem *Zbignen* promissam abnuere. Qui statim accepta pecunia, reversus est ad propria: & quia nec unum obulum dedit *Zuatopluck*, indignatus valde & succensus ira, discedens fertur dixisse: *Incendium meum ruina extinguam.*

An. Dom. Incar. M CIIII. *Joannes* electus est in Episcopum Moraviæ. Eodem anno *Zuatopluck* mittit in Boemiam indagatores ne- *Zuatopluc Dux.*

---

nuptum dedisse filiam *Sighardo Comiti*, dicto Sparsach, eique tradidisse *comitatum Schald.* Illius *Sighardi*, Comitis, Ratisbonæ occisi, genus indicat Conradus Urspergensis, ad A. 1104. *Hi duo fratres*, inquit, *Erbo scilicet*, (Princeps Carinthiæ & quondam Palatinus Comes in Bavaria, A. 1102. defunctus) *& Boto, paterno de sanguine, Noricæ gentis antiquissimum nobilitatem trahebant; illius nimirum famosi Erbonis posteri, - - Hartwigi, Palatini Comitis, filii, qui germanus fuit illius Sigeberdi, qui* SIGEHARDUM *genuerat Ratisponæ peremptum. Matertera vero illis erat Gemma de Saxonia Inundingorum tribus egregia, quæ & Ottonum inclytæ stirpi traditur vicinagia, quæ & Ottonum inclytæ stirpi traditur vicinagia.* Sed sic non liquet, quomodo hic *Sigehardus* fuerit frater *Episcopi Frisensis*; per quem Dubravius, atque alii, intelligunt *Episcopum Frisingensem.* Jam autem ex indice *Episcoporum Frisingensium*, quem Hundius & Meichelbeckius dederunt, constat, eo tempore, nempe ab anno 1098. ad annum 1137. Ecclesiæ Frisingensi præfuisse *Henricum I. Comitem de Ebersdorff*; cujus frater, *Fridericus*, commemoratur, *in* antiquo Diplomate, quod ex *Codice traditionum Neocellensium* affert Meichelbeckius, *T. I. p. 2. Histor. Frising. num. 1282. Sciant omnes Christi fideles, qualiter convenit inter Henricum, Frisingensis Ecclesiæ venerabilem Episcopum, & fratrem ejus* FRIDERICUM, *Comitem de Pilstein, quandam commutationem facere. - - Testes: Leopaldus Marchio, Otacher Marchio, Henrich & Gebehard, Comites de Burchusen; Cunrad, Comes de Pilstein, Ekkeberth Comes de Putene.* &c. Credibile est, hos omnes testes fuisse Henrico Episcopo vel sanguine, vel affinitate, conjunctos, adeoque & Henricum ac Gebhardum, Comites de Burchusen, fortasse *Sigebardi* supra dicti filios superstites. Nullus vero illius ævi Episcopus Frisingensis, *Udalricus* dictus adhuc reperitur; adeoque, si *Annalistæ Saxonis* & Dubravii auctoritati aliquis locus in hac re sit concedendus; statuendum videtur, in locum Henrici Episcopi, qui adhæsit partibus Henrici IV. Imp. ab hujus adversario Pontifice aliquandiu quendam *Udalricum* fuisse surrogatum, eumque deinde in Indicibus *Episcoporum Frisingensium* esse omissum. Alioquin eo ævo floruit *Udalricus*, Episcopus Passaviensis; docente Hundio, in *Metrop. Salisb. P. I. p. 307. isque Comes a Heeffr*, ex Tyrolensi provincia, aut Meraniæ potius Ducatu natus; quem Cuspinianus in Austria sua vocat Comitem Ciliæ & Tyrolis. Item, iisdem temporibus, nempe ab A. 1086. ad A. 1119. floruit alius *Udalricus* Patriarcha Aquilejensis, Marquardi Carinthiæ Ducis filius, Henrici IV. Cæsaris agnatus, qui opibus affluens continua gesit bella, in favorem Henrici, contra Episcopum Constantiensem, & ejus fratrem, Zaringiæ Ducem; & cujus Ecclesiæ Aquilejensi Henricus IV. Marchiam Carniolam A. 1093. restituit, testibus antiquis documentis apud Ughellum, *Italiæ Sacræ T. V. pag. 58. seqq.* Dispiciant ergo alii, an huic loco plus lucis afferre possint.

(145.b.) *Capella* hoc loco notat vasa & ornamenta sacra, quibus sacerdotes ad sacra peragenda utuntur; itemque *capsulam*, qua reliquiæ sanctorum asservantur. Vid. Du Fresne sub hac voce.

quitiæ,

quitiæ, delatores justitiæ, seminatores discordiæ, & omnium malarum artium inventores, quique *possent unanimes armare in prælia fratres.* Hi fere universas Boëmiæ Civitates circumeuntes, alios pecunia corrumpunt, alios muneribus, alios promissionibus obligant, & quos sciebant novarum rerum avidos, aut dignitatibus privatos, aut versatiles & animo inconstantes, omnes suis versutiis adsciscunt in partes *Zuatopluck* Ducis.

His ita patratis, An. Dom. Incar. M. CV. Sole morante in decima parte libræ, intrat *Zuatopluck* cum suo Comitatu Boemiam, & occurrunt sibi perfidorum agmina: quidam vero ex eis expectant, ut cum aperta janua urbis Pragæ recipiant infra mœnia. Sed prius eadem die Dux *Borivoy* valde diluculo veniens præoccupat urbem, & ponit in ea fortia præsidia: atque Episcopo Hermanno ea committens, se cum suis ad Wissegrad contulit. Et ecce *Zuatopluck* ordinatim pulchre instructis cum sex legionibus apparet in campo: & quia nullus obviam sibi venit ab urbe, incertus & dubius parum substitit, & mox transuadentes fluvium Wltavam infra villam, quæ dicitur *Bubin*, appliquerunt urbi: Sed inveniunt clausas portas, & super muros fortiter resistentes milites. Ibi a quadam ancilla super muros astanti turpiter confusi, eadem via repedantes figunt tentoria inter utrasque urbes, in loco ubi Sabbato fiunt mercimonia, æstimantes, quod ex utraque urbe sui conjuratores illa nocte confluerent ad eos: Quod cum minime fecissent, mane facto cœtu convocato *Zuatopluck* sic orsus est ad eos: *Quamvis non vacet modo, ut prolixo utar alloquio, pro re tamen pauca loquar, ne mortis occasionem timere alicui videar. Timidis enim & ignavis, quibus misera vita habetur suavis, aptissima mors est: forti autem viro mortem subire in prælio, dulcius est nectare liquido. Nam ego olim mecum deliberavi, aut potiri pace & honore potiori, aut pugnando honestæ succumbere morti. Sed vobis sola nunc est mors ista cavenda, ne quis vestrum captus, & manibus post terga ligatus, aut spectaculum hostibus factus, veluti bos ad victimam ductus, cadat securi peremptus. Victis enim una est victoria & digna laude memoria, ne incruenta hostibus contingat victoria:* Dixerat, & continuo cum suo comitatu vertens iter Moraviam, sic fatur *Vecek* ad Comitem. *O miserabilis fortunæ conditio, qua nunc coger humi residere, ut noctua, qui visus eram veluti agilis aquila ascendisse fere usque ad nubila.* Cui Vecek: *Non te,* inquit, *domine mi frangat ista adversitas, quam citius sequetur felicior prosperitas; quia & solis post aquosam nubem magis nitet claritas. Talis enim vicissitudo omnium rerum est in mundo.* Quos abeuntes Dux *Borivoy* cum suis prosequitur, & quamvis septies plus de militibus habeat, tamen non audet cum eis committere prælium: quia timuit perfidiam, ne sua Castra deserentes ad hostium se transferant militiam. Prosecutus est autem eos a longe usque ad introitum silvæ.

Anno Dom. Incarnationis M. CVI. inventore discordiarum Diabolo seminante discordias per orbem terrarum, quidam sui cooperatores extiterunt ex Theutonicis proceres, qui seducentes filium Imperatoris, Regem videlicet *Heinricum quartum* persuaserunt, ut contra genitorem suum arma sumeret. Qui filii sui a facie fugiens in urbe Ratisbona cum paucis munivit se armis, & mittit pro Duce *Borivoy*, ut sibi in auxilium cum exercitu veniat. (146.) Nec mora, venientes Boemi non longe a Ratisbona metati sunt Castra juxta fluvium *Reznam*: ex altera autem parte ejusdem fluminis erant castra filii Imperatoris. Et qui videbantur esse fautores Cæsaris, primus *Lupoldus*, Marchio Orientalis, lapsus fuga noctu repatriat cum suis. *Dipoldus* autem, & *Regnerus*, Marchiones, transferunt se ad Castra Regis Henrici junioris. (147.) Videntes autem Boemi, se esse undique destitutos, nihilomi-

Heinricus IIII. Rex Rom.

p. 56.

(146.) Eandem rem narrat auctor *Annalium Hildesheimensium*, ad A. 1105. *Pater* (Henricus) IV. inquit, *ad Ratisbonam ire contendit, ubi filium esse cognovit. Ut autem filius audivit patrem ex improviso urbi appropinquare, vix abscesit, & fluvium, qui dicitur Regen, cum suis transvadavit. Cum vero uterque eorum paullatim suos congregaret, & Dux Boemiæ patri in auxilium adveniret, nuntii inter eos diriguntur, si quo modo possent ad pacem reduci. Sed, cum nulla spes recuperandæ pacis vel concordiæ foret, & pars suæ multitudinis pugnare non auderet, & filio nullo modo posset resistere; nocte cum paucis fidelissimis elabitur, & per Boemiam Saxoniamque, cum magna difficultate saltuum & fluminum transcurrens, revertitur Moguntiam.* &c. conf. Conradus Urspergensis, ad A. 1106. p. 244. seqq.

(147.) Hi numerantur inter præcipuos auctores, quorum consilio Henricus V. adversus Patrem arma sumere ausus est. Sic Conradus Urspergensis, ad A. 1106. *Henricus filius, nominis illius quintus Rex dictus, rebellationem adversus patrem in Bajoaria parat, niti-chimantibus scilicet Dieboldo Marchione Berengero Comite, & Ottone, quodam nobili viro, sibique materna Stirpe cognato; quorum consilio & adjutorio ante paucos dies a patris latere discesserat.* Consentit Otto Frisingensis, *Libr. VII. Chron. cap. 8. Anno nos. Henricus V. rebellionem contra Patrem, in Noricis partibus, consilio Theobaldi Marchionis, eo, quod pater ejus a Romanis Pontificibus excommunicatus esset, molitur.* &c. Et cap. 9. *In ripa Reginiflu minis uterque, scilicet Pater & Filius, concedit.* - - - *Henricus junior, omnes vires Patris in Duce Boemiæ Beroe (Borivorio) ac Marchione Leopaldo, cujus sororem præfatus Dux habuit, fore considerans, ipsos multis modis promissa sorore sua (Agnete) quæ tunc nuper, a Friderico, Suevorum duce, viduata fuerat, in uxorem Marchioni, inductos, ambobus, ut Patrem relinquerent, persuasit. Quibus recedentibus, Imperator cedere compellitur, & exhinc vires ejus imminui, juniorisque crescere cœperunt.* Conf. *Chronicon Monasterii Mellicensis, ad A. 1106. T. I. Scriptor. rerum Austriæ. p. 227.* Per *Diepoldum*, vel *Theopaldum*, in-

nus celerius ut potuerunt, simul noctu maturaverunt fugam. Quod videns Imperator, deserit Ratisbonam, & transiens per Australem plagam, via qua itur ad *Necbolic*, intrat Boemiam. Quem Dux *Borivoy* honorifice suscipiens, sicuti ipse Cæsar disponebat versus Saxoniam, dat sibi conductum per terram suam Cæsare dignum, deducens eum usque ad generum suum, *Wigbertum*. (148.) Inde per Saxoniam transiens, & Rhenum, perrexit Leodium, ubi non post multos dies cum vita amisit Imperium, VII. Idus Augusti. (149.)

Eodem anno *Zuatopluck* convocans eos, qui secuti eum fuerant de Boemia, quid opus sit facto, jam in incepto negotio quærit consilia. Tunc *Borivoy*, filius *Hren*, (150) cæteris ætate senior linguaque disertior, in adversis & prosperis vir æquanimus, & in talibus negotiis ab ineunte ætate vir eruditus, ac plenus versutiis, his usus est alloquiis: *Varius est eventus in prælio; & nunc hi, nunc illi, prævaluere bello. Nos autem, fratres, nondum usque ad sanguinem pugnavimus: Nondum fecimus capitibus nostris pontem, quo itur ad solum: quem utique & facturi sumus, si sors facere compulerit. Sed quoniam non semper armis, sed sæpius dolis ad ardua honoris venitur fastigia; nunc positis armis utamur dolis. Talibus est artibus Troja ab Argis in decimo anno capta*, & Prudentius refert in Psychomachia, dicens: *Nil differt, armis contingat palma dolisve*. Nec mora, mittitur alter (ut ita dixerim) versipellis Synon in Boemiam, multimodis instructus dolis, nepos *Sapacæ*: qui paratus in utramque fortunam casus non timuit mortis, cui apte sonat nomen virilis, quia viriliter egit. Nam sicut olim Synon Argivos armatos equo inclusos per sua mendacia traxit Trojæ in mœnia, ita per istius falsidica commenta Duci Zuatopluc victa patuit Boemia. Hic ut pervenit ad Ducem Borivoy, genibus provolutus, fictis lacrymis rigat pedes Ducis, & tandem surgere jussus talia fatur: *O me miserum, vix delituisse fuga, & vix evasisse scelestas manus impii Zuatopluc. Qui si me cepisset, procul dubio hosce oculos mihi eruisset. In quo quoniam me aliter ulcisci nequeo, o Deus omnipotens, fas mihi sit ejus secreta detegere; fas mihi sit, omnes, qui sunt in hac terra ejus familiares, prodere*. Sicque miscens vera falsis, multis criminatur Zuatopluc flagitiis; & ut sibi magis credatur, dicta sua confirmat sacramentis. Talibus artibus atque insidiis vir bonus & simplex Boriuoy deceptus, & multum mendaciis credulus, ramos robustos, quibus & ipse innixus sedit, & honor suus pependit, incaute præcidit, & ab alto culmine cecidit. Nam amicos suos fideles, *Bosey* & *Mutinam*, sæpe capere, & ut hostes Reipublicæ punire, voluit. Sed, quia consiliarios suos, *Grabissam* & *Protucen*, plenos rimarum habuit, velle suum prædictos Comites non latuit. Qui statim transferunt se ad fratrem ejus *Wladislaum*, & jam frementi & sitienti addunt stimulos, ut magis sæviat contra germanum suum *Borivoy*, cui jam abrenunciaverat fidelitatem & fraternitatem suam & amicitiam, & palam miserat post *Zuatopluck* in Moraviam, *Willebalmi* fratrem, nomine *Pulonem*. Quem adventem *Wladislaus* & cæteri Comites (heu insensati, & quasi suimet hostes, & patriæ inimici) ad suam perniciem trahunt rabidum lupum in ovile ovium, qui non solum oves, verum etiam ipsos dilaniaret opiliones. Ergo *Borivoy* mitis ut agnus, regno privatur: & *Zuatopluck* sævior tygride, ferocior leone, inthronizatur.

Ao. Domin. Incarnationis M. CVII. II. Idus Maji hoc novum nec prius in Boemia factum, ita adjacentes mirantur gentes, & pejora in futurum Boemis vanæ mentis per præsagia augurantur. Hinc filii Pannoniæ Cassandri lætantur, inde Poloniæ nequam *trapi* incircumcisis labiis gratulantur; quia, dum isti Principes semetipsos inquietant, illi quiete potiuntur. Multi autem ex Comitibus, quos ipse Borivoy de proselytis fecerat Comi-

---

telligitur Marchio Vohburgensis, &, interprete Annalista Saxone, ad An. 1104. nepos *Sigehardi*, de quo supra *sub nota* (145.) diximus. *Berengerus* autem, quem Cosmas *Regierum* appellat eodem Annalista Saxone, ad A. 1105. indicante, dicitur fuisse *Comes de Sulzbach*, cujus filius fuit *Gebhardus*.

(148.) Sic scribit & Conradus Urspergensis, ad A. 1105. p. 245. *Audiens Rex* (Henricus V.) *patrem suum apud* WIGBERTUM, *quendam illustrissimum & prudentissimum virum, qui partibus in illis, quas Sorabi inhabitabant, principabatur, esse repertum, usque ad Rhenum illi ducatum, hoc enim per legatos ipse supplicabat, administrari permisit, ne tamen aliquo illius inibi infestaretur molimine, mature Wirciburg digressus, non longe a Spira præscriptum flumen non sine periculo transfretavit* &c. Hic est *Vipertus* ille *Groizensis*, cujus principatus erat in Osterlandia, cujusque mentio aliquoties in hoc opere occurrit.

(149.) Hic verus annus & dies est mortis *Henrici IV. Imperatoris*; quem etiam designant: Ordericus Vitalis *Libr. X. & XI. Histor. Eccles. p. 762. & 819.* Chronicon zwetlense antiquius, *T. I. Script. rerum Austriæ. p. 521.* Et præcipue Conradus Urspergensis, *ad A. 1106. p. 251. Si quis tam zelotes est*, inquit, *cui quasi diem interitus Aman, etiam Henrici obitum, & ecclesiæ posteritatem ignorare non libeat, septimo idus Augusti, hanc esse sciat, quo scilicet die primo matrem suam ecclesiam apud Unstrot invadens, innumeras animas ad inferos præmisit; eademque die Martis, qua etiam cuncta sua prælia paganico nimirum auspicio perpetrare consuevit.* Ut hæc Urspergensis verba luculentius intelligantur, conferenda sunt ea, quæ de Henrici IV. prælio ad Unstrutum commisso refert Bruno, *in Historia Belli Saxonici, p. 138. Factum est hoc prælium secundum anno Domini MLXXVIII. VII. Mensis Augusti, feria III.* i. e. die Martis. Deserendi ergo sunt alii quidam scriptores rerum Germanicarum, qui alium annum diemve annotarunt.

(150.) Hic Dubravio, *Libr. X.* dicitur *Budivojus, Hirvini filius*. Hagecio Budiwog, des Hroni Sohn:

tes,

tes, comitantur eum, & secum in Poloniam proficiscuntur. Videns autem, quæ fiebant, *Zobeslaus*, tertius natu post *Borivoy*, jam bonæ indolis juvenis, secutus est fratrem in Poloniam.

Hisdem temporibus Rex Henricus quartus forte aderat in Saxonia. Ad quem *Borivoy* accelerat, & illatam sibi injuriam apporat, & ut ei injuste sublatum restituat Boemiæ Ducatum, immensa auri & argenti pondera promittit se daturum. (151.) Protinus Rex mittens unum de Satrapis, sic mandat *Zuatopluck* paucis: *Per coronam capitis mei mando tibi, ut sine dilatione ad me venias,* p. 57. *aut si venire tardaveris, procul dubio in justitia te & tuam Pragam visitabo.* Qui mox coadunato exercitu veniens, sub ipso introitu silvæ juxta oppidum *Hlumec* convocat proceres & Satrapas, & proponit eis fratrem suum, *Ottonem* dicens: *Ego solus ibo, & capitis mei periculo scrutabor ancipites amicos Regis. Vos hic expectate dubios casus incerti eventus. De cætero Deus omnipotens vestros præveniat & subsequatur actus.* Et assumptis secum paucis, it temere apertum ruiturus laqueum. O stulta sapientia viri, immo audax audacia Ducis! vadit haud ignarus, quid sibi facturus Rex auro corruptus, & avarus ut infernus. Quem advenientem sine omni audientia Rex jussit retrudi in custodiam, & convocans eos, qui secum venerant, tradit eis *Borivoy* Ducem, ut reducentes eum in urbem Pragam iterum relevent in principalem Cathedram. Qui remeantes cum eo, tertia die metati sunt castra juxta Castellum nomine Donin. Audiens hæc *Otto*, ait ad suos: *Quid expectamus hic? jam, quod timebamus evenit; &, quod verebamur, accidit. Eamus, & videamus novum ducem, si Regis dextra eum nostra defendat ab ista.* Et ordinatis ex electis militibus sex legionibus, noctu transcendens montes, mane diluculo irruit in Castra *Borivoy*. Sed ille præscius, jam lapsus fuga delituerat: quia quidam profugus ex Castris *Ottonis*, causam sibi clam innotuerat.

Suatopluc captus.

Præsul autem *Hermannus*, vir prudens & justus, inter varios casus utriusque ducis quasi inter Scyllam & Charybdim positus, ne videretur utramvis partem eorum incertam secutus, secessit ad amicum suum *Ottonem*, Bambergensis Ecclesiæ episcopum. *Borivoy* autem licet, quod petierat, non obtinuit; tamen, quam promiserat Regi, pecuniam persolvit. Quia verò omnes homines, uti res se habent, ita magni atque parvi sumus: ecce, Dux magni nominis (*Zuatopluck*) positus in custodia cujuslibet parvissimi hominis obtemperat jussis, & a minus dignis laceratur opprobriis. Ah, secum quantas curas in pectore versat! quoties per primos palatii Regis iram flectere tentat! Sed, quoniam manu vacua frustra pulsatur Regum janua, manus verò uncta frangit adamanta, promittit Regi decies mille marcas argenti. Ah, quid non dabit homo, imminente cervicibus gladio? Quis in angustia constitutus non libenter daret quicquid haberet? *Et multo ære redemtus.*

Atque si Rex ab eo centies mille talenta exigeret, nihilo stultius esset, si pro vita sua etiam montes aureos non promitteret? Hujus gratia rei, acceptis ab eo Rex Sacramentis fidei, dimittit eum, & mittit secum ex clientibus unum, qui acciperet censum denominatum. Qui cum venisset Pragam, continuo sacra spoliat delubra, ornamenta contrahit muliebria, & quidquid micabat auri & argenti in Boemia, corrasit, & vix collegit VII. marcarum millia. De cætero fratrem suum *Ottonem* dat Regi obsidem. Similiter & Præsul *Hermannus* adveniens, de dote sanctæ Ecclesiæ præstitit Duci LXX. marcas obryzi auri. Item ejusdem Ecclesiæ V. pallia cum limbis Ratisbonæ ad Judæos sunt posita in vadimonio, pro quingentis marcis argenti. Certe, non Abbas, non Præpositus, non clericus, non Judæus, non mercator, non trapezita, non cythariста fuit, qui non conferret invitus aliquid Duci de sua apotheca. Post paucos verò dies *Otto* elapsus fuga reversus est ad fratrem suum de curte regia; quod valde Regi displicuit.

Anno Dom. Incarn. M. CVIII. sicut sæpe fit, ubi mas & fœmina uno lecto cubant duo, gignitur extemplo tertius ut sit homo: ita *conjux nobilis* (152) *Zuatopluc* Ducis *edidit, & teneram suspendit ad ubera natum.* Pro quo Rex *Henricus* post quinque menses misit, & de sacro fonte baptismatis eum levat, atque nomine suo *Henricum* vocat. Quem remittens ad patrem, omne debitum, scilicet tria millia talentorum, compatri suo

Henricus Zuatopluci Filius.

(151.) Hæc confirmat testimonium *Annalium Hildesheimensium, ad A. 1107.* apud Leibnitium, p. 337. *Rex,* (Henricus V.) *Metris in Pentecoste fuit. Inde Saxoniam veniens, invenit ibi Ducem Boemiæ, patria pulsum, quem reduci jussit in Ducatum per Comitem* (Groizensem WICBERTUM. Quam inconstans autem Henricus V. Imp. fuerit in tuendo *Borivorio*, indicat auctor de *fundatione Cœnobii Bigaugiensis, ad A. IIII. pag. 122. edit. Hofm. Henricus junior, Cæsar, filium Fratislai, Boswi* (Borivorium) *nomine, regno privavit, & quendam Swetpoldum instituit. De quo Wicpertus dolens, Regem rogavit pro restituendo Boswi, nec obtinere potuit.* Conf. *Vita Viperti Groicensis, cap. X. §. 1.*

(152.) Conjux hæc Zuatopulci appellatur *Hidda*, vel *Itha*; sic enim scribit *Annalista Saxo*, ad A. 1108. *Eo tempore* ITA, *conjux Ducis Suatopluk, peperit filium; pro quo Rex Henricus* (V) *misit, & de sacro fonte baptismatis eum levans, suo nomine* HENRICUM *appellat. &c.* Hujus ITHÆ genus nobis nondum certo exploratum est. Equidem Balbinus, *Miscell. histor. Bob. Decad. I. Libr. VII. pag. 105.* tradit, hanc *Hiddam* fuisse *Thiederici II.* Marchionis Misniæ filiam, ut habeat Fabricius, ex *Mechtilde*, Eccardi Marchionis Misniæ, Thuringiæ & Saxoniæ, filia. Et certe hæc legimus in *Appendice Chronici Montis Sereni, pag. 307. seq. edit. Menckenianæ: Accepit Tidericus Comes,* (Dedonis II. filius) *uxorem filiam Ekkehardi Marchionis, qui in regia Curte,*

Zuatopluc dimisit, & præcepit, ut paratus sit secum in expeditionem contra sævitiam Ungarorum: quia rogatu quorundam Theutonicorum illuc proposuerat ultum ire necem Hierosolymitarum, quos illa gens ob crudelitatem suam alios gladio interemit, alios in servitutem redegit. (153) Jamque mense Septembri dum moratur *Zuatopluc* Dux cum Rege in Pannonia juxta Civitatem *Possen*, *Borivoy* cum Polonis hostiliter intrat Boemiam, Veckone & Mutina in fugam versis cum suis præsidiis de munitione, quæ fuit firmiter posita versus terminos Poloniæ: Nam Dux *Zuatopluc* abiens his duobus omnem curam suam commiserat, & ut essent in tutelam Boemiæ, cunctis eos præfecerat. P. 58. Cumque Vecek socium suum Mutinam vidisset non acriter pugnare, nec viriliter hostibus resistere super munitionem, ex hac occasione ratus, quod consilio ejus *Borivoy* Boemiam intraret, mox unum ex militibus Veclam misit, qui hæc omnia Duci *Zuatopluc* intimaret. Similiter alium militem instruxit dolis, & misit in Castra *Borivoy* Ducis. Qui paratus in utrumque, *& versare dolos simul aut succumbere morti*, veniens ad prædictum Ducem *Borivoy*, finxit, se fugisse de castris *Zuatopluc* Ducis, & nunciat, jam eum de Ungaria rediisse, atque in castrum cum eis pugnaturum confirmat per suæ fidei Sacramentum. His mendaciis illi perterriti, eadem nocte in Poloniam sunt reversi.

Quibus auditis Rex Henricus fertur dixisse compatri Zuatopluc: *Nisi tuas injurias in Polonis ulciscar, projecta alga vilior semper habear.* Interea *Zuatopluc* inflammatus ira, absens in absentem Mutinam, dentibus stridet, oculis scintillat, & alte suspirat. Vix diem expectat, quo in illum suam effundat iram: pro nihilo reputat, si unum Mutinam puniat: jam diris promissis cum juramento se obligat, quod illam totam generationem, ut lucernam, gladio extinguat. Et quia quosdam ex illis in obsequio sibi præ oculis habet, corde dolet, vultu autem ad omnes se hilarem exhibet. Cui post advenienti sub ipso exitu silvæ juxta oppidum Luconis Vecek cum Mutina occurrunt. Nunciatumque est illa die ter ab amicis suis Mutinæ, quod nisi aufugeret, procul dubio aut vitam aut oculos amitteret. Sed, quia jam eum premebant sua fata, visa sunt sibi verba suorum

quæ Police dicitur, interfectus est, Machtildem nomine. - - - Genuit itaque Tidericus Comes hos filios: Fridericum, Dedonem, Thiemonem, Geronem, Conradum, Riddagum, & filiam HIDDAM. - - HIDDA *nupsit Duci Bohemico, & genuit Guntherum, Patriarcham, & matrem Wichmanni de Cella.* Hæc secutus Dn. ab Eccard, in *Originib. Domus Saxonicæ, p. 69.* suspicatur, Suatoplucum, ex Principe Olomucensi Ducem Bohemiæ, ex alia uxore alios liberos genuisse; post cujus mortem, ducta ista HIDDA, patrem esse potuisse *Guntheri, Patriarchæ Aquilejensis*, & matris *Wichmanni de Cella.* Sed a nobis impetrare non possumus, ut his assentiamur; propterea, quod tempus huic opinioni plane repugnat. *Thidericus* enim ille, *Comes Orientalium*, maritus Machtildis, & gener Eccardi Marchionis, testibus *Annalibus Hildesheimensibus*, occisus est Anno 1034. Jam, si ponamus, *Irham* illam, de qua nunc loquimur, eo ipso anno, quo Pater ipsius interfectus erat, demum natam esse; sequeretur tamen, eam ipsam, cum A. 1108. Zuatapulco filium Henricum peperierit, jam septuaginta quatuor annos ætatis habuisse. Tacco, nullum *Guntherum* etiam inter *Patriarchas Aquilejenses* reperiri; cum, docente Ughello, *Tomo V. Ital. Sacræ*, iis circiter temporibus, quo Guntherus iste ejusmodi muneri præesse potuerit, *patriarchatum Aquilejensem*, ab A. 1119. ad A. 1130, gesserit *Richardus de Primerio*, qui & dicitur *Gerardus de Primeriaco*, in villula Primeriaca, civitati Austriæ proxima, natus; ab A. autem 1130. ad 1162. *Peregrinus*; & ab A. 1162. usque ad 1182. *Ulricus.* Ergo probabilege est, auctorem *Appendicis Chron. Montis Sereni*, vel in hac re errasse, vel de alio Principe Bohemiæ, cui illa *Bidda* nupta fuerit, locutum esse. Ilum autem filium Zuentopluco A. 1108. natum, & a Patre lustrico *Henricum* dictum, Balbinus, l. c. tradit, Bohemis etiam audiisse *Wenceslaum*, & A. 1130. ex vita excesisse.

(153.) Hujus belli cum Pannonibus gesti alii etiam scriptores meminere; Albertus Stadensis, ad A. 1108. pag. 259. *Henricus Rex Pannoniam cum exercitu aggreditur, ubi ob infidelitatem quorundam Principum nihil dignum memoria ab eo agitur.* Auctor incertus *Chronici Claustro-Neoburgensis*, ad A. 1108. p. 446. *T. I. Script. rerum Austr. Henricus Rex obsedit castrum Presburch.* Conf. Dodechinus, ad *Chron. Mariani Scoti, p. 466.* Sed alii aliam causam hujus belli, quam Cosmas, attulerunt. Auctor *Annalium Hildesheimensium* ad A. 1108. p. 737: *Rex de Ungaria contra Regem* (Henricum V.) *conspirare cœpit. Quod cum audisset Rex collecto exercitu circa festivitatem S. Michaëlis bello eum petit.* Alii dicunt, Cæsarem *Almum* Duci adversus fratrem Colomannum suppetias tulisse. Sic Otto Frisingensis, *Libr VII. Chron. cap. XIII: Eo tempore Colomannus, Ungarorum Rex, fratrem suum Almum de consortio regni suspectum habens, persequitur. Qui profugus ad Regem Henricum veniens, injuriamque suam deplorans, auxilium ejus impetrat. Itaque conducta, Rex expeditione Ungaros bello petit; sed castro, quod Posonium dicitur, inconsulte occupans, parum proficere potuit, sicque, infecto negotio, ad propria rediit.* Eadem repetit Albericus, *Monach: Trium Fontium*, sed ad A. 1109. pag. 208. Duas hujus belli causas conjungit Conradus Urspergensis, ad A. 1108. pag. 253: *Eo tempore*, inquit, *orta simultate inter Colomannum, Regem Pannoniæ, germanumque ejus, vocabulo Almum, eo quod uterque sibi potius regiam competere dignitatem jure gentis illius contenderet. - - - Almus Regem Henricum adiit, & in auribus totius Senatus - - miserias suas deplorans, Romani imperii magnificentiam in compassionem & defensionem sui flectere curavit. His querelis motus Rex Henricus; insuper etiam, quod idem Colomannus fines regni nostri, scilicet in locis maritimis, invaserit, Ungariam exercitu petit; sed præparatis multiformiter adversariis, maximeque per obstructa fluminis undiquæ vada, post morosam & cassam obsidionem castri Bresburg, pene inacte redit.* Quæ loca maritima sex ante annos invaserit Colomannus, indicat Thomas, Archidiaconus Spalatensis, in *Historia Salonitanorum Pontificum atque Spalatensium*, cap. XVII. p. 325: *Uladislavo Rege* (Pannoniæ) *migrante ad Dominum, Colomannus sibi in regno successit. Hic cum esset vir ferocis animi, proposuit totam terram usque ad mare Dalmaticum suo dominio subjugare. Venit ergo cum multo armorum apparatu, & obtinuit ceteram partem Slavoniæ, quæ ab Uladislavo erat prætermissa. Itaque ad mare usque pervenit, ut civitates maritimas occuparet.*

amicorum quasi liramenta: *Neque est*, inquit, *vir fortis, fatum qui timet mortis.* Ut autem intraverunt Castrum Wratislai, postera luce summo mane convocat omnes proceres in cœtum: quibus congregatis in unum, sicut leo de sua emissus cavea in theatrum stat rugiens, & erectis jubis expectat edulium; sic *Zuatopluc* intrans stubam, sedit in medio super truncum fornacis, plus succensus ira, quam fornax quæ septies succenditur flamma: & circumspectis omnibus, intuens torvis oculis *Mutinam*, taliter indignantia solvit ora: *O gens invisa, propagoque Diis odiosa! O nequam filii Wersovici, nostri generis familiares inimici! An unquam mihi excidet de memoria, quod super atavum meum Jaromir in monte Weliz nobis quidem ludicra, vobis autem fecistis sempiterna ludibria? An immemor ero, quod fratrem Brecislaum quasi eximium sidus in toto orbe ducum, tu & frater tuus Bosey fraude maligna necastis. Quid autem meruit frater meus Borivoy, qui sub vestra potestate regnabat, & per omnia vobis ut proprius emptitius parebat? Atqui per innatam vobis superbiam ducis non sustinuistis modestiam, & me quantum solitis versutiis inquietastis, donec vestris pravis adquiescens consiliis, peccans in fratrem meum Borivoy, valde peccavi; quia solio eum privavi, & hoc est unum, mihi quod dolet, atque dolebit in ævum. Adhuc etiam atque etiam audite, o mei Proceres, quid filius iniquitatis, & caput totius impietatis, fecerit ille Mutina, quem ego nuper, cum vobiscum veni in expeditionem, post me secundum reliqui hujus terræ præsidem & præceptorem. Ille autem bonus vir fingens ire venatum, non pertimuit noctu ire in Poloniam Zuini ad oppidum, ut cum suo patruo Nemoy ageret consilio, quo me pelleret de solio.* Fit murmur confusum, & ardentem ira Ducis animum magis magisque ut ardeat, per suum succendunt assensum. Tunc Dux astanti & conscio sui conatus lictori ex obliquo innuens, exit foras. Qui statim super *Mutinam* nihil tale metuentem irruit.

O mira patientia Comitis! ad duos ictus sedit immobilis; ad tertium vero cum fugere conatur, capite plectitur. Eadem hora & in eadem stuba capti sunt *Unislau*, *Damassa*, & duo filii *Mutinæ*. Unus autem *Neusse*, qui erat ex altera natione, valde tamen familiaris Mutinæ, videns, quæ fiebant, fugit: & aufugerat jam extra urbem, fugiens per arbusta, si non eum notabilem redderet rubra tunica. Qui illico captus, oculis & mentula est privatus. Et sicut sæpe fit, cum irrumpit cruentus lupus in ovile ovium, sævit, mactat, nec prius rabiem suam placat, aut a cæde cessat, quam omnibus mactatis ovibus; ita *Zuatopluc*, oblitus unius cæde hominis, exarsit in iram, & jussit, ut omnis illa natio, sine ætatis discretione, & sine temporis dilatione, plecteretur capite; & astante Comitum agmine dixit: *Qui non abhorret mea implere jussa, dabitur ei crassa auri massa. Qui autem Bosey & ejus filium interficiet, centuplum accipiet, & hæreditatem illorum possidebit.* Non ocyus evolant venti, quando Rex eorum Æolus perforat cuspide latera montis, sub quo tenentur, quam proceres *Wacula*, *Hermannus*, *Kyrassa*, & alii quam plurimi, insiliunt equos, & volant perpeti cursu in fata *Bosey*, & filii ejus; cæteri per terram discurrunt, & investigant, ut totam illam gentem de medio tollant. p. 59.

Interea *Bosey* in villa *Lubic*, heu ignarus fatorum, cum se locat cum filio & uxore ad prandium, astitit puer qui diceret: *Ecce, domine, multi accurrunt sine ordine per campum festinando.* Ad ille: *Veniunt*, inquit, *de expeditione, veniant ad nos cum Dei benedictione.* Dum hæc loquitur; Ecce, trucu- *Boleji cædes, & familia.*
lentus *Kyrassa* aperit ostia, & fulgurans evaginato gladio clamat: *Exi, scelestе; exi, mole conciliate, qui meum cognatum Thomam occidisti sine causa in tempore Quadragesimæ.* Et surgens filius ejus Boruch: *Quid*, inquit, *fratres agitis? Si jussi sumus, ut capiamur, sine armis & tumultu capi possumus;* & excipit incantus gladium capulotenus per mediam alvum. Nec mora, & adhuc nati sanguine madentem jugulo pater excipit ensem. At illi invasores, velut urbium expugnatores, immensas diripiunt gazas, & sicut ait Cato: *Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.* Jamque de tantis divitiis nec unus superfuit pannus, quo eorum tegeretur corpus: sed sine sarcofago & obsequio funebri *Bosey*, & ejus filius, *Borucb*, velut jumenta sunt nudi in fossam præcipitati, VI. Calend. Novemb. Scire mihi non licuit, quot capita ex illa gente leto sunt dedita: quia nec in uno die, nec uno in loco sunt perempti. Alii namque in forum ducti, ceu bruta animalia, sunt mactati; alii in monte Petrin decollati, multi in tectis sive in plateis sunt trucidati. (154)

Mutinæ cædes.

Quid autem referam de morte natorum *Mutinæ*, quorum mors visa est omni crudelior morte? Erant enim bonæ indolis pueruli, vultu spectabiles, visu amabiles, quales nec sagax artifex in albo ebore, nec pictor in pariete, valet exprimere. Vidimus enim eos miserabiliter in forum trahi, & sæpius clamantes, *mater mi, mater mi*, cum cruentus carnifex ambos ceu porcellos sub ascella

(154) Chronographus Saxo, ad A. 1109: *Eodem anno Boemiorum fere ad tria millia a proprio Duce sunt necati.* Auctor vitæ Viperti, Com. Groicensis, cap. X. s. a. *Rex* (Henricus V.) *Znetipolco consuluit, ut omnes primates, qui Worswite dicebantur, decollaret; illeque paruit.* Conf. Albertus Stadensis, *ad A.* 1108. pag. 259.

inter-

interficeret cultello, diffugiunt omnes, sua pectora percutientes, ne videant carnificem tam crudele facinus operantem. Cæteri verò, qui superstites fuerunt ex gente illa, delituerunt fuga, alii in Poloniam, alii fugientes in Pannoniam, de quorum excidio simul & discidio licet amplam habeamus ad scribendum materiam, sed ne videamur velut hircino cantu explicuisse tragœdiam, redeamus, unde paulo digressi sumus, ad Chronicam.

Factum est autem, postquam Rex *Henricus* reverteretur soluta obsidione a Civitate *Colomanus Rex Ungariæ.* *Possen*, *Cholomannus* Rex Ungariæ, non longo post tempore volens sibi illatas a *Zuatopluc* Duce ulcisci injurias, intrat *Moraviam*, & eam hostiliter devastare cepit. Nam cum Rex *Heinricus* intentus bellicis armis ex omni parte cingeret obsidione urbem *Possen*, Dux prædictus cum suis Boemis, quidquid erat ex hac parte Wag fluminis *Atrencmopolim* (*) quoadusque prædictus amnis influit Danubium, nihil reliquerat incombustum. Sæpe etiam exploratores sive speculatores a rege Pannonico missos idem Dux comprehensos naso privaverat & visu. Quadam similiter die plus quam mille viros ex electis militibus a prædicto Rege ad hoc directos, quatenus per insidias aut pabulantes scrutarios caperent, aut super incautos Theutonicos noctu irruerent, Dux *Zuatopluc* præagnoscens, ubi inter paludes latitabant, repente irruens omnes usque ad unum velut pisces missa sagena captos, alios interfici jussit, alios in ceculeo suspensos, paucis vero, accepta magna pecunia, vitam concesserat. Talia ob facta & alia hujuscemodi, quibus Ungaros afflixerat Dux *Zuatopluc*, ut audivit Regem videlicet *Cholomannum* invasisse Moraviam, confestim coadunat utrumque exercitum, Boemiæ atque Moraviæ, cumque festinasset in opaca nocte per silvam, ardens latenter subire inimicum, & cum eo in crastinum committere pugnam inter tot millia militum secum festinantium; (mira res) ipsius ducis in pupilla oculi prominens male præcisus ramus tam fortiter est fixus, ut surculo vix eruto simul & oculo seminecem tollentes Ducem, reversus est exercitus ad propria mœstus pridie Idus Novembris.

(*) *f. Adrianopolin.*

Anno Dom. In M. CIX. X. Luna Mensis Februarii, quia grande inhorruerat frigus, & omnes aquæ erant congelatæ valde, Dux *Zuatopluc* jam eruti sanato vulnere oculi, continuo iterum coadunato exercitu, tribus diebus & tribus noctibus continuo festinans, intrat Ungariam, & nemine eorum præsciente ex improviso applicuit cum exercitu ad urbem *Nitram:* & irruisset in eam, si non vigiles, qui semper sunt ibi costodientes, clausissent portam. Depopulato igitur & succenso ejus suburbio, redeuntibus, occurrunt eis agmina multorum in curribus & in equis fugientium ad prædictam urbem. Quibus insimul quasi manipulis in agro collectis, villis eorum combustis, omni illa regione devastata, maxima onustati jumentorum & cæterarum rerum copia, hilares ad proprios reversi sunt Lares.

Henricii V. Imp. expeditio Polonica. Eodem anno Rex excellentissimus memor iræ suæ & indignationis contra Ducem Poloniæ nomine *Boleslaum*, memor pollicitationis qua pollicitus erat compatri suo Zuatopluc juxta urbem *Bossen*, (uti supra retulimus) iter agens per Saxoniam, duxit secum Bavarios simul & Alamannos, atque Francos orientales, & eos qui sunt circa Rhenum infra Agrippinam Coloniam, usque ad occidentales sui Imperii terminos. Nec defuerunt Saxones saxis rigidiores cum longis hastis, quibus & Boemis adjunctis mense Septembri intrat Poloniam, (155.) circa primum ejus oppidum *Glogou* dispolita obsidione, devastat eam ex utraque parte fluminis Odræ, a prædicto oppido usque ad Castrum Recen, & iterum cum magna præda reversus est ad Castra. Ibi cum jam disposuisset, uti in crastinum Ducem Zuatopluc & ejus dimitteret exercitum, totam in regalibus negociis usque ad noctem duxerunt diem. Affuit interim in Castris quidam miles audacissimis audacior, & (ut post a referentibus audivimus) missus a *Joanne*, filio *Csta*, de gente *Warsovici*, (156.) qui in utrumque paratus, aut partam magnis ausibus ac quirere famam, aut cum morte Ducis simul hanc amittere vitam, stetit sub patula fago, juxta viam, qua itur ad regalem Curiam, observans reditum Ducis, dum rediret de Curte Regis. Quem ut vidit primo

(155.) Annales Hildesheimenses, ad A. 1109. *Henricus Rex Natalem Domini Mogontiæ celebravit, & post Pentecosten Regem de Bolena* (Polonia) *bello petiit, eumque nimis contrivit.* Albertus Stadensis, ad A. 1109. *Henricus Rex Poloniam cum exercitu ingreditur, eaque vastata, revertitur. In ea expeditione Dux Boemiæ a suis furtive occiditur.* Conf. Chronographus Saxo, ad A. 1110.

(156.) Hic *Johannes*, filius *Csta*, Dubravio, *Libr. X. p. 233.* dicitur *Gesco*, filius *Tistæ Versovicensis.* Istam vero rem gestam aliter enarrat, &, quod mirum, caussam cædis Zuatopulci in *Vipertum*, fundatorem Cœnobii sui, rejicit monachus Pegavicnsis, in *vita Viperti, cap. X. §. 2. Cum ergo Vipertus*, inquit, *propter Borivi*, (Borivorium,) *Regem* (Henricum V.) *haberet infensum; Zuetipolcus cum Rege plurima de Wigberto clam tractabat consilia; quod illius non diu latuit industriam. Sæpius vero Zuetipolco mediæ noctis tempore ab hujusmodi consiliis ante Wigberti tentoria ad sua redeunte, tandem cum suo egit milite quodam, ut transeuntem sicut heri & nudius tertius, improvisum clam perimeret. Cujus transitum idem diligenter explorans, cuspide in eum vibrata interscapulas Ducem transfixit; illoque ruente, ad castra Wigberti miles aufugit. Exorto deinde clamore Bojemorum, ubi eis interitus Ducis innotuit, nil morati, præcipites aufugiunt, & Regem positum in grandi anxietate, relinquunt.* Conf. auctor *Lib. de fundatione cœnobii Bigaugiensis, ad A. clo cxi. pag. 122.*

jam

jam noctis in crepuſculo ſtipatum ingente caterva militum obſequentium, inſiluit equum, & paulisper ſe immiſcuit agmen in medium, & toto anniſu virium inter ſcapulas Ducis vibrans jaculum, *intima fatifero rupit præcordia ferro.*

Zuatopluci tedes.

Qui citius quam tangeret humum, exhalavit ſpiritum, *Scilicet undenis Octobri menſe Kalendis.* Corpus exanime ſua non ſine turma mœrore ſublevat, & plorat flens ad ſua Caſtra reportat. In caſtris multus per noctem ſitque tumultus. Nam huc & illuc palantes diffugiebant, & iterum redibant, donec a Rege miſſus *Purchardus*, incertos motus plebis vix compeſcuit. Mane autem facto venit Rex, ut lugeret ſuper compatre ſuo, & aſtantibus immenſis Boemis conceſſit, ut quemcunque voluiſſent ſuorum ex filiis Principum, ſibi in Ducem eligerent. Tum *Wecceck* (ſicut erat lugubris) rogat obortis lacrymis, ut fratrem interfecti Principis, *Ottonem*, decernat eis ducem. Quem illico Rex collaudat, & populus inſipiens per caſtra ter *Kyrie eleyſon* clamat. Nec mora, paucis ſcientibus, *Buſſæ* filius, nomine *Detriſſik*, currit curriculo, atque quarta die ſummo diluculo adducit Pragam *Ottonem*: quem *Wecceck* & univerſi, qui erant de Moravia, ſatagebant Principalis ſedis provehere ad faſtigia. Quod quia ſine conſenſu Boemorum & Epiſcopi efficere conabantur, fruſtratur eorum temeritas, & ſacramenta olim exhibita in medio concilio recitantur. Nam cum *Zuatoplue* Ducem inthronizarent, cuncti Boemi ſacramentis confirmaverant, ut poſt obitum ejus *Wladislaus*, ſi ſuperſtes eſſet, proveheretur ad ſolium. Hos inter tantos populi motus, *Hermannus* Præſul, & *Fabianus* Comes, qui habuit in Urbe *Wiſſegrad* Præfecturam, hi quia cæteros ſicut dignitate ita & ſapientia præminebant, conſilio prævaluerunt, & toto anniſu effecerunt, ut & ſacramenta eſſent inviolata, & *Wladislaus* jura Principatus jure adoptata omnibus aſſentientibus obtineret. Elevatus eſt autem in ſolium, ſole morante in nona parte Libræ. Cujus de virtutibus & gloria mihi videtur, ut interim ſileatur, dum in hac vita converſatur: ne aut adulationis notam incurramus, aut dum minus de laudibus ejus ſcribamus, derogationis offenſam incidamus. Unde quidam admonet dicens: *Lauda virtutem Ducis, ſed poſt hujus bravium lucis.* Ut autem audivit *Borivoy*, quod frater ejus junior *Wladislaus* poſt obitum *Zuatoplue* regni potiretur ſolio, continuo deſcendens a Polonia perrexit in *Zrbiam*, ad *Wigbertum*, ſuum per ſororem generum. Cujus conſilio fretus & auxilio, nec non & quorundam perfidorum ex noſtris promiſſo confiſus adminiculo, in Vigilia Nativitatis Domini mane diluculo, nemine reſiſtente, urbem ingreſſus eſt Pragam,

Otto Zuatopluci frater.

Wladislaus Dux Bohemiæ Syl. c. 27.

Borivoy regnum petit.

heu ad pernitiem & exhauriendam multorum crumenam.

Hoc inopino rerum eventu urbani valde turbati, trepidant incerti, quas partes inter repentinos fortunæ caſus ſequi debeant. Multi, quorum ſors fortunatior erat, *rebus in urbe ſuis cara cum prole relictis, Aufugiunt, nec ſcire queunt, quæ caſtra ſequantur.* Multi, novarum rerum cupidi gaudent & exultant, fugientibusque inſultant; quia bona eorum, Duce *Borivoy* permittente, diripiebant. Præſul autem *Hermannus* in ſuo palatio deprehenſus, quaſi hoſtibus ſeptus, ita a ſuis pacificis ſervabatur occluſus. Sciebant enim, quod libenter aufugeret, ſi aufugere quiret. Hos inter ancipites populi metus *Fabianus*, urbis Wiſſegrad Præfectus, quo ſe vertat incertus, maluit audire, quam præſto nefanda videre: & ſibi commiſſa diſcedens urbe relicta, de re comuni curæ ſibi quæ fuit uni, plurima conqueſtus ſtans, fatur talia mœſtus: *Væ tibi Boemia, quæ non adeo nimis ampla cum ſis, communis dominis ſubjectaque multis, Herili de ſtirpe ſati ſexuque virili. Jam ſunt bis deni (niſi fallor ego)* p. 61. *domineli. Unde poeta catus fertur dixiſſe Lucanus. Non ſibi ſed populo gravis eſt nimis aucta poteſtas. Nam quidcunque duces delirant, plectitur hoc plebs.* Dixerat, & (ut ſupra dictum eſt) relicta. Wiſſegrad civitate, morabatur per villas in ejus vicinitate fortunæ ſuſpenſos ambiguitate. *Ocyor interea ventis & fulmine fama Diverſis omnes implet rumoribus urbes. In populo multus per teram ſitque tumultus.* Multi enim, quibus bonæ deſunt artes, rerum novitate gaudentes, huc & illuc per villas palantes, & eas devaſtantes, expectabant ambiguos fortunæ caſus. Aſt alii, quibus mens erat altior & fides purior, tendunt ad principalem ſedem in urbem Pragam. Quid facerent? Haud inſcii in apertam ruunt foveam, & nolentes volentesque accedunt Ducis Borivoy ad fatorum aleam. Quos ille benigne ſuſcipiens, obligat ſacramentis & promiſſionibus multis: & committens eos Grabiſſæ Comiti, eadem die transfert ſe cum aliis ad tutiora urbis Wiſſegrad mœnia. Inde mane ad horam primam in ipſo feſto die regreditur Pragam, & cum magna Cleri proceſſione ſuſcipitur, atque ibi audita miſſa iterum reverſus eſt ad prædictam urbem.

Eadem nocte *Otto*, frater *Zuatopluc*, & *Wecceck* Comes, venientes de Caſtro Gradeck, cum tribus ſcaris militum, caſtra metati ſunt circa Bruznicam rivulum. Mane autem facto Wiſſegrad oppido applicuerunt, & omnes vias circumquaque cuſtodibus oppilaverunt, (*) ita, ut nec egredi nec ingredi poſſet quisque in auxilium *Borivoy*. Diſpoſuerat enim antea Dux *Wladislaus*, quod in prædicta urbe Gradec ipſe Natale Domini celebraret,

(*) (*f. opplevérunt.*

braret. Sed, quia interim Regis *Heinrici* (157a) vocatione debuit in octavis Domini interesse regali synodo Ratisbonæ; (157b) præceperat *Wececk* Comiti, ut, quam studiosius posset, *Ottoni*, quem invitaverat ad festum, administraret convivium. Ipse autem propter jussum Regis accelerans, in civitate Pilzen cum cæteris Comitibus festis diebus mansit duobus. Tertia autem die, ut cognovit ea, quæ gerebantur in urbe Praga, distulit & A postposuit Regis jussa: & in festo sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ, cum his, qui secum fuerant in curte, ad mœnia prædictæ urbis advolat: sed clausas invenit portas: Vidit & armatos secum pugnare paratos. Ad quos excelsa per propugnacula stantes sic orsus est, dicens: *Pacificus ad vos venio; recognoscite me, & aperite vestro januas domino!* Ad hæc verba Ducis cum nullus respondisset, valde iratus & multum eis minatus, flectit iter trans torrentem Bruznicam. Et ut ascendit supercilium montis, vidit in campo longam seriem armorum, in quibus *Waceslaus*, filius *Wigberti*, (158) veniebat in auxilium *Borivoy*. Et mittens unum de Satrapis explorat, utrum ex adverso, an pacifici, veniant? Ut autem per internuncium utrique recognoverunt se adinvicem, prædictus juvenis expavit, & non aliter retorsit C gradum, ac si durum in vepribus latentem calcaret hydrum; & convocans suos in unum manipulum, dixit: *Nullus nobis patet locus fugæ, nec latet, nos invitos subire aleam pugnæ. Hoc solum facite, ne hanc pugnam illi impune ferant.* Dixit, & expendunt vexillum, atque nimis clamant sanctam Mariam sibi in auxilium. Dux autem per innatam sibi probitatem semper exosus civilia bella, clamorem eorum, & ipsos parvipendens, D nolebat præterire eos.

(*) *Detrich. Stroffius. Dubrav.*

Tunc *Detrissek*, (*) filius *Bussæ*, fomes mali, inventor sceleris: *Site*, inquit, *non mordet, nec tangit tua injuria, a minus dignis tibi illata; saltem nobis ignoscas, ut cognoscas, utram viva, an mortua caro, simus.* Ad hæc *Wladislaus* Dux: *Si*, inquit, *non gratiæ, sed ignaviæ, hoc ascribitur, hac hora videbis illic, quot vicibus meus hic iterabitur ensis.* Et citius dicto arrepto clypeo, primus longe prosilit ex agmine, primus in adversa fulminat acie; & veluti setiger sus turba canum septus, ita Dux inimicis circumventus, hos proterit, hos prosternit, donec humano perfusus sanguine totus, uno amisso Comite *Wecena*, victor venit in sua castra jam ad radicem urbis Wissegrad posita. Fit ingens clamor in Castris præ gaudio, quia salvum Ducem receperunt de prælio. Filius autem *Wigberti*, velut agnus, quem pastor sua peda medium fregit, ille attolliens caput amissa cauda vix serpit, ita prædictus puer quibusdam amissis, quibusdam vero graviter vulneratis, corde mœrens valde subit ardua mœnia Pragæ. Res similis prodigio, quotquot vulnerati fuerunt, omnes interierunt.

Quid admiramur, si propter unum scelus filiorum Pelonis sol suos occuluit & obumbravit radios super civitatem Argos? cum inter has contiguas urbes tot pejora sunt patrata scelera?

Crudelius enim civili geritur bello, ubi filius patrem bello, & pater filium provocat duello, alius cit suum germanum ad monomachiam: Alius fratrem ceu hostem captum p. 62. ligat & expoliat, alius cognatum suum obtruncat, alius amicum quasi inimicum trucidat. Ubique fœda res agitur, abominabile scelus patratur. O JEsu bone domine, quæ pateris in homine? quam patienter expectas, quo minus habeas, quos pro merito punire debeas? Interea Dux *Wladislaus* jam dudum præmiserat Hermannum & Zezemam Comites ad Regem Heinricum, qui forte in urbe Bamberck proximum celebrarat Natale Domini, & promittens ei quingentas marcas argenti, rogat supplex, quo dignaretur, aut per se, aut per suos nuncios, a fratre *Borivoy*, instinctu *Wigberti*, sublatum sibi restituere ducatum. Rex autem licet eo tempore valde iratus esset *Wigberto*, magis tamen succensus amore denominati census, continuo exercitu concitato inchoante.

Anno Domin. Incarn. M.CX.III. Kalend.

(157.a) Et hæc paullo aliter exponit scriptor *Vitæ Viperti, Cap. X. §. 3. Post cædem Zuetipolci*, inquit, *vocatus debinc a Rege* (Henrico V.) *Wigbertus affuit. Quem Rex, ut se cum suis, a Polonis deduceret, obnixe petiit. Quod se facturum, gratanter pollicetur, si Borwi per eum in paternum principatum restitueretur. Cujus petitioni refragari tandem nan valens, utpote necessitate ductus, annuit, &, ut illum in paternam sedem reduceret, impetravit. Rex itaque festinus, Wigberto præduce, Polonia decessit.*

(157.b) Hæc fortasse illa sunt *comitia Ratisponensia*, quorum mentionem fecit Conradus Urspergensis, ad A. 1110. pag. 253. *In Epiphania Domini*, inquit, *Ratisponæ Henricus colloquium cum Principibus faciens, animi sui propositum eis aperuit, scilicet, quod Transalpinis partibus se exhibere vellet, quatenus & benedictionem Imperialem a summo Pontifice, Romana, quæ caput mundi est, in urbe perciperet, & latas Italiæ provincias in societatem Regni Germanici, fraterna pace, & justitiis ac legibus antiquis, commoveret.*

(158.) A monachis Pegavienſibus non nisi duo filii Viperti, Comitis Groicensis, commemorantur; alter *Vipertus* junior, alter *Henricus*, appellatus. Neque plures Viperti filii in *Calendario Pegavienſi*, quod *T. II. hujus Operis, pag. 118.* extat, annotantur. Alterius anniversarium sacrum annotatum est ad *VI. Kal. Febr. WICPERTUS, Comes, filius fundatoris nostri, vigilias cum tribus candelis.* Alterius Henrici anniversarium *pridie Kalendas Januarias* celebratum est; qui fuit post mortem Patris Præfectus, sive Burggravius Magdeburgensis, & demum Marchio Lusatiæ, A. 1135. defunctus. Cum vero Cosmas de *Waceslao*, filio Vi-

Janua-

Henricii V. Imp. contentionem decidit.

Januarii, ingressus est Boemiam.(159) Et præmittens duos Marchiones, *Dipoldum* & *Berengerum*, mandat, ut interposita pace, *Borivoy*, & frater ejus *Wladislaus*, simul *Hermannus* Præsul, atque filius *Wigberti*, cæterique Boemiæ majores natu occurrant sibi ad curtem Episcopi in villa *Rokizan*. Quo cum secundum Regis jussum advenissent, sine omni audientia *Borivoy*, & filius *Wigberti* capitur; Præsulis autem causa probatur esse justa manu Regis auro uncta. Post hæc omnes fautores *Borivoy*, jubente Duce *Wladislao*, alii visu privantur & censu, alii tantum rebus substantialibus expoliantur; cæteri qui hanc cladem evadere valuerunt, ad *Sobeslaum*, filium Regis, in Poloniam fugierunt. Inter quos *Joannes*, filius *Csta*, de gente *Warsovici* captus (de quo supra retulimus) jubente *Vceeck* visu privatus est & naso. *Priviton* quoque similiter in eadem comprehensus seditione, qui videbatur senior esse in urbe Praga: cujus *super humeros alligato maximo cane scabioso* & hesterno jure crapulato, raptus per barbam ter circa forum ductus est, cane reboante & suum demerdante bajulum, & præcone acclamante: *Talem honorem portat, qui Duci Wladislao promissam fidem derogat.* Atque omni foro spectante præcisa super tabulam ejus barba, relegatus est versus Poloniam in exilium.

Canis gestatio.

Nec tamen idcirco defuerunt infideles & discordiæ seminatores, qui inter unanimes fratres, *Wladislaum* (160) scilicet & *Ottonem*, tantas seminaverunt discordias, ut ad invicem mutuas pertimescerent insidias. Unde *Otto* invitatus a fratre pertimuit venire ad festum Paschæ. Post Pascha vero III. Kal. Maji ad tertiam vocationem *Ottò* suorum militum munitus præsidiis, venit ad fratrem suum *Wladislaum* in conductam villam, quæ dicitur *Tinec* super monticulos. Ibi tota die de diversis causis concionati, datis & acceptis inter se sacramentis, uti visum est, sunt reconciliati. Sed quoniam idem *Otto* nobis interdixerat forum in villa *Sekyr costel*, quod pater suus & mater pro remedio animarum suarum Deo & sancto Wenceslao nobis famulantibus perpetuo habendum tradiderant; ego missus ex parte fratrum, coram Duce & ejus Comitibus conquestus sum super *Ottone*, quod lucernam parentum suorum, quam debuerat accendere, extinguebat. At ille: *Ego*, inquit, *lucernam genitorum meorum non extinguo, sed volo, ut in potestate Episcopi sit, quod nobis specialiter datum esse scio. Et nunc non episcopo, non alicui personæ, sed Deo & sancto Wenceslao vobis famulantibus prædictum forum restituo.* Et ita coram Duce & ejus Comitibus restituto nobis foro, post diem alteram Otto reversus est in Moraviam.

Item ejusdem anni III. Idus Julii, indicta est generalis synodus cunctis Principibus terræ Boemorum ad curtem Sacskam, quæ sita est in medio pratorum. Ad quam similiter *Otto* vocatus, venit incaute cum paucis, confisus valde de nuper datis inter se & acceptis sacramentis. Ubi tertia die jam definitis omnibus negotiis, mane surgens *Otto* in castris præcipit questionariis, ut sint parati cum suis necessariis, ad repetendam viam: ipse vero ascendit in Curiam, accepturus a fratre suo licentiam. Quid multis moror? Cur non citius, quod sine mora factum est, eloquor? Ilico, ceu ferocissimus leo, capitur *Otto*, velut a mitissimo agno Duce *Wladislao*. Cui cum sui consiliarii instarent, ut eum lumine privaret: *Nequaquam*, inquit, *assimulabor Duci Polonienſi Boleslao; qui fratrem suum Sbignen sub fidei Sacramentis advocavit dolis, & cum tertia die privavit oculis. Ego autem nolo cum fratre meo perpetuas inire discordias, sed vòlo castigare eum, ut castigatus resipiscat & cognoscat, atque sui posteri discant, quod terra Moravia & ejus dominatores semper Boemorum Principis sint sub potestate, sicut avus noster piæ memoriæ Brecislaus ordinavit, qui eam primus dominio suo subjugavit. Sed quid fortius forti viro?*

Otto a Wladislao capitur.

Ecce vir fortis inter armatas manus *Otto* tripudiat, & vinculis mancipatus & a facie & jucundo vultu quasi ad epulas invitatus ibat, usque dum retruditur urbis Wissegrad p. 63.

---

perti senioris, eadem referat, quæ Monachi Pegavienses tribuunt *Viperto juniori*; hinc probabile est, hunc fuisse binominem, & a Bohemis *Waceslaum*; a Misnicis, *Vipertum juniorem* dictum esse. Quod etiam fere in mentem venit Petro Albino, in *Viperto*, sive *Originibus Ramovianis*, ubi de Viperti II. liberis agit. Sic vero de ista expeditione relatum legimus, in *Vita Viperti, cap. X. §. 3. Sed* WIGBERTUS *juvenis, filius* Wigberti, *patre jubente*, BORWIN *in principatus sedem Pragam reduxit.* Conf. *Chron. Bigaugiense*, p. 122. *edit. Hofmann.* Dubravius, *Libr. X. p. 171.* hunc Vipertum III. vocat *Wacezlaum Lusatium*; cum tamen ejus Pater eo tempore nondum *Marchiam Lusatiæ* tenuisse intelligatur.

(159.) De hac expeditione sic scribit auctor *Vitæ Viperti, cap. X. §. 4. & 5. Rege* (Henrico V.) *in partes Teutoniæ in Nuenburg veniente, compertoque, quod* WIGBERTUS *junior* BORWI *reduxisset, & adhuc in Bojemia moraretur;* LADISLAO *magis favens, fratri scilicet Zuetipolci, quem, Wigberto inscio, pro fratre dolose in principatum subvexerat, eodem instigante, seu cooperante, Bojemiam ingreditur, Wigbertum juniorem & Borwi, dolis inscios, insequitur. Cujus adventu & dolo quasi præfati comperto, ad præsidium confugiunt; & Rex* WIGBERTUM *in Praga,* BORWI *in Wissegrad, obsedit, eosque per septem dies fortissime reluctantes tandem obtinuit, & captivos secum abduxit, eosque in Hammerstein custodiæ mancipavit.* Conf. *Chronicon Bigaugiense, ad A. nu. p. 122. edit. Hofmann.* In quibus Monachi Pegavienses verbis *Ladislaus*, sive *Wladislaus*, impropric vocatur frater *Zuetopulci*; cum hi duo non essent, nisi duorum fratrum filii; Wladislaus ex Wratislao, & Zuatopluc ex Ottone natus; uterque autem *Brecislaum*, Ducem Bohemiæ, Avum reveritus.

(160.) Hucusque nobis ex Cosma duntaxat de uno *Wladislao* seniore constat, nempe de filio *Wratislai*,

in custodiam; ibi fertur dixisse ad eos, qui erant cum observantes per vigilias milites: *Assimilantur api linguæ mendacis amici, Cujus ab ore fluit mel, cauda sed ultima pungit. Me fore per talem deceptum credite fraudem. Sed casus variæ fortunæ ferre necesse est. Nec facit illa meus frater mihi, sed vir iniquus. Sic voluit Vecek, agitur sic judice Roscicy. Quos ego si vivam, me modo sed reprimam.* Post hæc tempore non longo reædificato firmissimo castro *Krivoplat*, (161) in sylva juxta fluvium *Msam*, traditus est ibi *Otto* armatis militibus ad custodiendum annis fere tribus.

Eodem anno duce *Wladislao*, & universa plebe Boemorum, cum jucunditate & lætitia sui patroni sancti Wenceslai celebrantibus natalitia, nuncius affuit duci, qui talia retulit: *Vobis hic in tranquillitate & securitate convivantibus, sed fratre tuo Zobeslao, & duce Poloniorum Boleslao, terram hanc depopulantibus, & populum quasi viles messis acervos diripientibus, ego vix solus aufugi, ut hæc nunciarem tibi. Accelerate viam jam, claudite vestra promptuaria, linquite convivia, Mars vocat vos ad prælia, cras aderunt hostium armata mille millia.* Qui continuo surgentes de convivio, &, celeriter exercitu collecto, occurrunt eis, ex ista parte amnis *Cydlina*, juxta pagum, qui dicitur *Lucica*: Ast alia de parte ejusdem amnis sine rapinis & sine incendiis ibant incedentes Poloniorum Phalanges, quoadusque pervenientes juxta oppidum *Oldris*, applicuerunt ad undam *Labæ* fluminis, inde mittunt ad Ducem *Wladislaum* dolo dicentes: *Non nos hostilia portamus hastilia, nec venimus pugnare, sed te fratre cum tuo pacificare. Sin autem nostris monitis acquiescere non vis, cras transibimus flumen, & cætera post hæc, Amen.*

Poloni invadunt Bohemiam.

Ad hæc dux *Wladislaus* paucis respondit; *Non erit hoc anno pax sine sanguine magno. Ad fœdus pacis quia nemo venit in armis Transibis flumen: post cætera non erit Amen. Flumen transibis, sed non impune redibis. Cætera quæ dicis, faciam; fac cætera quævis.* Et statim male credulus verbis hostium dolosis, cum suis nocte illa transuadentes fluvium ante ortum solis ex adverso applicuerunt ripis ejusdem fluminis. Poloni autem, ut viderunt dolos suos profeciisse, fecerunt impetum super terram, & eam devastantes incendiis & rapinis, universa præda onerati juxta pontes *Crivici* sunt castra metati. Nostrates autem, quia illa nocte nimis fatigati fuerant, nec tam cito transitadere poterant, stabant stupefacti.

Ut autem *Wladislaus* se dolo deceptum intellexit, & suorum quorundam desides animos ad pugnandum sensit, ira & indignatio & conscia virtus in duce exarsit, & quasi tuba vehemens, quæ ad bella milites concitat, ita ejus oratio torpentes suorum mentes excitat: *O Boemi*, inquit, *olim fama terra marique inclyti, virtutibus egregii, triumphis eximii. Nunc vestri tributarii, quibus semper fuistis timori, vobis adhuc spirantibus insultant, & terram vestram devastant. An vobis tilienses pendent in femore enses? An soli Polonienses habent ferreos enses? Quo nobis adhuc vivere? O sempiternum nobis & nostris posteris dedecus. Ecce, Ceres vestra favillat; lares vestri usque ad nubila fumigant; Vulcanus tota terræ in superficie furit: & tamen adhuc corda vestra gelidiora glacie non urit? Aut si cor vestrum tabescit, saltem stomachus, qui jam fame languescit, cur Zelo justitiæ non exardescit? An non movet vos fœmineus planctus, & ululatus*, Qui raucis clamoribus ardua sydera tangit? *Quis lactentium singultus, aut prægnantium gemitus, sive uxoris raptæ a paganis non amaro corde percipit? Quis temperet se a lacrymis, cum infantes suos, ceu agnellos, vagientes interfici, aut matris ab ubere viderit abjici. Aut qui minus dolendum esset, sinon a minus dignis illatus dolor iste fuisset. Certe, si tria tantummodo scuta habeam, non intermittam hodie ancipitem fortunam belli intentatam.* Moxque ipse Dux, & totus simul exercitus, sicut unusquisque stabat in ripa, jam non quærunt vada, sed sine ordine prosiliunt, & transnatant aquam: optant mori pro patria; vires dabat eis dolor & illata injuria: festinant, quoquo modo possent, & jam vitæ suæ per dispendium, inimicorum lætum disturbare triumphum. Sed Dux sæpe dictus Poloniæ postera die transiens rivulum *Trutinam*, quia is non est ubique pervius, jussit cum præda suos & quosque debiles præcedere. Ipse vero in loco ad pugnam sibi apto cum expeditis equitibus pro defensione

---

Regis Bohemiæ, & *Zuatavæ*, quæ fuit filia *Casimiri*, Regis Poloniæ. Qui *Wladislaus* habuit fratres germanos, *Boleslaum*, A. 1091. mortuum; *Borivoium*, † 1124. *Sobeslaum*, † 1140. & sororem, *Judithan*, uxorem Viperti Groicensis, A. 1110. mortuam; præterea, ex alia matre, fratres habuit *Brecislaum II.* & *Wratislaum*, in teneris annis defunctum; sororesque, *Ludmillam*, & *Judithan*, uxorem Wladislai, ducis Poloniæ. Alius *Wladislaus* ex *Brecislao II.* & Lucarde A. 1095. natus commemoratur; cujus & infra ad A. 1112. mentionem facit Cosmas; itemque filius cognominis istius *Wladislai*, de quo diximus. Jam autem, cum *Otto*, Niger dictus, fuerit frater *Zuatopluci*, & filius *Ottonis I.* Ducis Moraviæ; obscurum est, quo modo Cosmas hoc loco *Wladislaum* & *Ottonem*, fratres appellet, qui patrueles, sive fratrum fuerunt filii; nisi cum iterum improprie locutum esse, putes. At scrupulum movet, quod in *Calendario Pegaviensi*, *T. II. Script. Menecken. pag. 331. ad Idus Maj. Wladislaus Dux*, dicatur *patruus Judithæ*, *fundatricis Cœnobii Pegaviensis*. Qua in re si non erraverunt Monachi Pegavienses, utique alius *Wladislaus*, *Wladislao*, fratre Judithæ, senior, inter Duces Bohemiæ admittendus foret, isque forte frater *Zuatopulci* & *Ottonis*, proprie dictus; quem vero in Tabulis Genealogicis Ducum Bohemicorum nobis cognitis annotatum non animadvertimus.

(161.) de hac arce Balbinus, *Libr. III. decad I. Miscell. histor Boh. pag. 29. Est in districtu Rukovni-*

suorum

ſuorum ſtetit repugnare paratus. Hæc ita fieri cernens *Detriſſeck*, filius Buſſe (cujus ſupra ſæpius mentionem fecimus) ſecedens in unum locum cum his, qui ſuo lateri adhærebant, militibus, dixit ad eos: *Fratres mei & commilitones, quicunque pavidam aut mori timidam habet aliquam in ſuo caruncula corpore, neceſſe eſt, ut eam prius aut abſcidat, aut nunc ab agmine noſtro abſcedat.* p. 64. *Nam vilior eſt alga maris, qui neſcit, quam pulchrum ſit, mori in armis.* Quorum vidit animos ad pugnam alacres (erant tamen fere centum milites) velut lupus, qui quærit clam ex latibulo irrumpere gregem, ita ille ex improviſo, impetu cum magno, ex nudo latere irruit in hoſtes. Ubi fere mille proſtratis adverſariis, fertur ut rabida tigris prædictus miles in confertiſſimos hoſtium cuneos, & eos a dextris & a ſiniſtris obſtantes quaſi ſpicas teneræ ſegetis acuto metit gladio: donec nimia vi telorum obrutus cecidit ſuper ingentem occiſorum ſtruem. Boemi vero, qui in adverſa fronte Martis pugnaverunt, heu inſueta lapſi fuga terga dederunt. Sobeslaus cum Polonis inſauſta, quia plus quam civili, potitus eſt victoria.

Bohemorum ſtrages.

Facta eſt autem hæc ſtrages VIII. Idus Octobris, in qua *Nozislau*, *Driſikroy*, fratres filii *Labomir*, & alii quamplurimi, ceciderunt.

Ao. Dom. Incarn. M. CXI. Regina *Zuatava* ter natos ſuos, ſatagente & Epiſcopo *Hermanno*, mediante atque *Vecek*, Palatino Comite, licet contra ſalutem ſuam id faciente, Dux *Wladislaus* fratrem ſuum, *Sobeslaum*, revocavit de Polonia, & dedit ei civitatem *Satec* cum omni ad eam pertinente provincia.

Anno Domini Incarn. M. CXII. Regum antiquorum juxta ſtatutum, Regis *Heinrici* quarti ad nutum, Dux *Wladislaus* nepotem ſuum, *Brecislai* filium, & æquivocum, cum armata CCC. clypeis legione miſit Romam. Sed quoniam jam Rex longe antea præceſſerat, prædictus puer cum ſuis tranſiens Bavariæ alpes, invenit Regem in urbe Verona; ibique cum eo celebravit Pentecoſten. In Auguſto autem menſe intravit Rex Romam,

Henrici V. coronatio Romæ.

(162.) in ingenti multitudine diverſarum nationum atque linguarum, accepturus Imperiales faſces, juxta morem Regum. Et quia idem Rex olim ſurrexerat in ſuum patrem, idcirco Papa judicans eum infamem, nolebat ejus implere voluntatem. Quem Rex illico juſſit capi, & adacto enſe jugulo cepit mortem minari. At ille timens mori, conſenſit ejus voluntati, atque tertia die ad invicem pacificati, totius Romani populi & cleri favorabili acclamatione Imperator & Auguſtus vocatur & ordinatur. Altera autem die novus Imperator tanta mittit Apoſtolico donaria, ut pro ſui magnitudine humanæ crederentur ſufficere cupiditati. His ita peractis, reverſus eſt imperator in Bavariam, & noſtrates ad ſuam incolumes redière patriam.

Anno Domini Incarn. M. CXIII. quibusdam hominibus, qui vana & incerta libentius referunt, relatum eſt *Sobeslao*, quod frater ſuus Dux *Wladislaus* vellet eum capere, id ſuggerente & conſiliante contra eum *Vecek* Comite. Quibus ille reſpondit: *Aut ego moriar, aut, quia talia molitur, prius morietur, quam ego capiar.* Etunde rem relatam magis opinaretur veram eſſe, eadem hora venit nuncius, vocans eum fratris ad Curiam. Qui accipiens fere CCC. milites, adit fratris curtem cum paucis; cæteros non longius quam unius ſtadii ſpatio fecit ſtare cum armis. Ubi, fratre ſalutato, & prandio ſumpto, Dux præceſſit, præcipiens fratri ſuo, ut eum ſequeretur ad civitatem Wiſſegrad. Non enim longe, ſed quaſi X. ſtadiis diſtabant ab urbe. Tunc *Sobeslaus* mittens, rogat *Vecek* Comitem, quo per viam ſimul gradientes ſermocinarentur adinvicem. Quo facto, parum per viam ſermone communicato, ex utroque latere atque poſt tergum *Vecek* Comiti incauto & innocenti *Rumpunt fatifero præcordia vulnere ferro, Menſe quaterdenas quintili intrante Calendas.* Statimque *Sobeslaus* reverſus ad ſuos, tenuit viam volens per *Zrbiam* tranſire in *Poloniam*. Valde enim timuit fratris ſui præſentiam. Cumque tranſiſſet ſylvam, occurrit ei *Erkember-*

Vecek Comes cæſus.

cenſi, amplum patrimonium Regis, ad Arcem regiam Krzivoklad (ſeu *Burgelis*, Germanice Pürgliz) *quam Wladislaus I. Bohemiæ Princeps, conſtruxit, pertinens. In hac arce gaza omnis regia quondam ſervabatur, ac viri magni, ſi quid peccaſſent, hoc velut carcere claudebantur* &c.

(162) Ea, quæ de hac Henrici V. expeditione & coronatione Romana commemorat Cosmas, confirmant, uberiusque exponunt, perquam multi ſcriptores rerum Germanicarum; at in deſignando tempore a Cosma recedunt. Conradus Urſpergenſis, auctoritate veteris ſcriptoris, qui iſtis rebus geſtis interfuit, nixus, *pag.* 254. refert, jam A. 1110. circa Auguſtum, exercitum Henrici V. undique ex Germania in Italiam moveri cœpiſſe: poſtea, per Longobardiam & Tuſciam progreſſum Regem Dominicæ Nativitatis gaudia Florentiæ celebraſſe, & deinde, (ſecundum Annales Hildeshemenſes, *II. Idus Februarii*, A. clocxi.) Urbem Romam ingreſſum eſſe; in Dominica Quadrageſimæ Papam Paſchalem captum cuſtodiæ tradidiſſe; inſtans Paſcha non longe ab Urbe in caſtris celebraſſe: ubique, ſedatis inter regnum & ſacerdotium diſſenſionibus, *poſt octavas Paſchæ*, ab eodem Papa ſacratum coronatumque, Auguſti nomen ſuſcepiſſe; atque adeo eo ipſo anno in Germaniam reverſum, jam menſe Auguſto, conventum Principum & Epiſcoporum Spiram evocaſſe. Atque, ut nunc tot alios Scriptores ſileam, in tempore hoc annotando cum Urſpergenſi etiam conſentit Don-

tus, præfectus de caſtro *Donin*, (163.) pellacis *Zrbiæ* plenus verſutiis, fingens multa amicabiliter pollicetur ei, quod Cæſaris per gratiam omnem ſuam obtineret Juſtitiam, ſi ad ejus perveniret præſentiam, atque ſupplex invitat eum dolis, quatenus cum paucis ſecum conveſcendum aſcenderet in oppidum. Erat enim ea tempeſtate prædictum *Donin caſtrum.* Caſtrum Cæſaris ſub poteſtate. Mox inter A prandendum armata manu adhibita ſuper hoſpitem clauſit oſtium, & poſt paucos dies vinculatum mittit verſus Saxoniam, in quoddam firmiſſimum Caſtrum, tradens eum ſuo Clerico, nomine *Oalrico* ad cuſtodiendum. Videntes autem militiæ contuberna'es, dominum ſuum fraude captum, diffugiunt alii in Poloniam, alii reverſi ſunt in Boemiam.

Poſt unum menſem, ſed Chriſti per pietatem, *Sobeslaus* ab eodem clerico noctu ſic abſolvitur. Superioris domus inter cancellos ad columnam func ligatam dimiſſus eſt per murum in ſporta, atque per eundem funem prædictus clericus ſimiliter dilapſus, cum quodam milite, *Conrado*, filio *Rivin*, qui etiam & ipſe conſcius facti eadem nocte C p.65. ſub murum adhibuerat equos; &, ſicut avicula emiſſa de cavea fugit & repetit ſylvam, ita illi lapſi celeri fuga tendunt in Poloniam.

Eodem anno menſe Decembri Dux *Wladislaus* fratrem ſuum *Ottonem* ſolvit a vinculis, & quam olim poſt obitum fratris ſui *Zuatopluc* habuerat, reddidit ei dimidiam D totius Moraviæ, cum ſuis civitatibus provinciam.

Anno Domini Incarn. M. CXIIII. menſe Majo, jubente domino *Ottone*, *Roſtey* & ejus gener, qui cognominabatur *lenis Vecek* (de quibus ſupra diximus) ambo privati ſunt lumine. Eodem anno *Sobeslaus* quibusdam Polonis ſecum aſſumptis veniens ad caſtrum *Kladsko* tentat precibus & promiſſionibus multis, quo ſibi cives aperirent portas urbis. Quibus non conſentientibus, ſed viriliter reſiſtentibus, juvenis prædictus ira inflammatus ſuccendit palatium, quod *Kladsko exuſta.* prope murum ſitum erat. Vento autem incumbente ex adverſo inflammata ſunt propugnacula in ſummitate turris, quæ forte in antemurali ſtabant propinqua muris. Unde urbani valde turbati jam deſperantes ſaluti, rogant pacificam dari dextram pro vita tantummodo incolumi & ſingulari. Quibus conceſſa pace vix periculum mortis evadentibus, combuſta eſt & funditus everſa civitas tota.

B Anno Domin. Incarn. M. CXV. menſe Januario, Dux Poloniorum, *Poleslaus*, avunculo ſuo *Wladislao*, (164) precarias mittit literas, ſcriptas in hæc verba: *Si valuerint penes te preces meæ, & obtinuerint fratri tuo germano* Sobeslao, *locum indulgentiæ, credo, quod firmum ſit & ſtabile noſtræ pacis vinculum & amicitiæ. Nam ſi pro inimicis te exorarem, certe deberes facere; quanto magis nunc liceat mihi intercedere, ut ſitis concordes, quos mater ſub uno corde portavit ventre? Equidem ſancto Petro ſciſcitante, utrum fratri dimittat ſepties in die peccanti, dictum eſt a Domino, non usque ſepties, ſed usque ſeptuagies ſepties. Ergo hoc exemplo imbuimur, ut fratribus noſtris toties indulgeamus, quot illi in nos non poſſunt peccare vicibus.* His exemplis & precibus dux *Wladislaus* compulſus, imo innata ſibi ſuper fratre commotus pietate, menſe Martio iterum priſtinam revocat eum in gratiam, &

---

nizo, in *vita Mathildis*, *Libr. II. cap. 18. pag. 650.* De Henrici V. enim itinere in Italiam ſuscepto canit.

Mille, decem, centum, Chriſti dum tempora creſcunt,
Pontifices magnos comites (Henricus) *direxit & altos,*
Magnificam Romam, pro regni quippe corona. &c.

De ejusdem adventu in Italiam, ibidem:

Ipſe (Rex) *manu fortem coadunans mox in eodem*
Anno (cIocx.) *cum multis galeatus in ortu*
Autumni venit, Longobardosque peremit. &c.

De ejus adventu Romam:

Idus in quarto Februi Romæ fuit (Henricus) *almo*
Paſchali Papæ mandans. &c.

De captivitate Papæ ſcribit Johannes Tuſculanus, in *Epiſtola ad Richardum Albanum Epiſcopum*, citante Baronio, *T. XII. Annalium Eccleſiaſt. ad A. cIocxi. pag. 80. Rex, poſtpoſitis ſacramentis, & dimiſſis obſidibus, Papam in ipſa Eccleſia cum Epiſcopis & Cardinalibus & multis Romanis, violenter cepit. - - - Hoc autem factum eſt anno Domini milleſimo centeſimo undecimo, indictione IV. pridie Idus Februarii, in Baſilica S. Petri, Apoſtolorum Principis, die Dominica ante caput jejunii.* Denique Simeo Dunelmenſis, *de geſtis Regum Anglorum*, ad A. cIocxi. ſcribit, Imperatorem Henricum ex caſtris Romam rediiſſe *Idibus Aprilis*, & a Papa in Eccleſia S. Petri miſſam celebrante, Imperatorem conſecratum fuiſſe: Et ſic Sigeb. Gemblacenſis, in *Chronographia*, ad A. cIocxi. tradit, pacem tunc inter Henricum V. & Papam confirmatam fuiſſe *Idibus Aprilis*, *indictione quarta.* Interim Chronographus Saxo iſtas res geſtas æque, ac Cosmas, ad A. 1112. retulit.

(163.) *Echenbergum* vocat Cromerus, *rerum Polon. Libr. V. p. 81.* Ab hac arce *Donin*, vel *Dona*, non procul ab urbe *Pirna* in Misnia ſita, at hodie funditus everſa, nomen ſortiti ſunt inclyti *Burggravii a Dohna.* Quavis autem occaſione illis *Sorabiæ* incolis verſutiam & blanditias exprobrat Cosmas. Ceterum ad hunc annum 1113. pertinent etiam ea, quæ ſcriptor *vitæ Viperti Groicenſis*, *Cap. XI. §. 1. & 2.* annotavit: *Anno Domini cIocxiii.* inquit, *Rex* (Henricus V.) *manifeſto jam odio Wigbertum ſeniorem infectatus, Ladislao* (Wladislao) *ſibi auxilium ferente, Groiſcam* (in Misnia) *delibcravit invadere. - - - Cumque exercitu Regis eo ventum eſſet, Ladislaus cum ſuis ſubita aggreſſione niſus eſt urbem expugnare; ſed ultru 300. ſuorum amiſit* &c. Conf. Annales Hildeshemenſes, ad A. 1113.

(164.) Recte Cosmas *Wladislaum* ſeniorem, Ducem Bohemiæ, filium *Wratislai*, Regis Bohemiæ, vocat *avunculum Boleslai, Ducis* Poloniæ; quia, quod jam ſupra annotatum eſt, *Juditha*, ſoror *Wladislai* Bohemici, genuerat iſtum *Poleslaum* Polonum, ex *Wladislao*, Duce Poloniæ.

dat

dat ei civitatem *Gradec*, (165) & totam circa adjacentem cum quatuor castellis provinciam. Ejusdem anni mense Julio, dux *Wladislaus*, & fratres ejus, *Otto* & *Sobeslaus*, juxta fluenta amnis *Nizzam*, cum Duce Poloniorum *Boleslao*, indictum conveniunt ad placitum, atque inter se datis & acceptis sacramentis confirmant fœdera pacis. Altera autem die immensis muneribus mutuatim adinvicem oblatis, hilares ad proprios remeant lares. Interea *Oalrico*, (166) ducis *Conradi* filio, inevitabili fato e medio sublato, fratre vero ejus juniore *Lutoldo*, olim antea similiter ab hac luce subtracto, filiis autem illorum adhuc ætate parvulis, Dux *Wladislaus* germano suo *Sobeslao* dat totam illam cum suis civitatibus provinciam, quam quondam pater prædictorum fratrum, *Conradus*, habuerat.

Fœdus Bohemorum & Polon.

Anno Domini Incarn. M. CXVI. Ungara gens viribus ingens, opibus pollens, armis bellicis præpotens, & cum quovis Rege terrarum pugnare sufficiens, Regis sui *Cholomanni* post obitum, principes ejus intrant ad ducem *Wladislaum*, quatenus cum Rege novello scilicet *Stephano* renovaret & corroboraret antiquam pacem & amicitiam. Quorum Dux voluntati acquiescens, ea, quæ pacis sunt, se facturum spopondit. Ventum erat *Olzavam* ad rivulum, qui tam Pannoniæ, quam Moraviæ, dirimit regnum: Et jam Ungara gens innumerabilis velut arena maris aut pluviæ in campo, *Luczko* totam superficiem terræ cooperuerant, sicut locustæ. Dux autem alia ex parte prædicti amnis metatus est castra. (167.a) Sed sicut ait scriptura: *Væ terræ, cujus est puer Rex.* Principes ejus, per innatam sibi superbiam aberrantes, ad pacifica Ducis verba remittunt responsa magis rixam provocantia, quam pacis osculum ferentia. Unde Dux illa die ad placitum distulit ire. Illi autem hoc indigne ferentes, & aliter fieri suspicantes, tres armatas (quas vocant) hospitum legiones jubent extra castra ire, & pro defensione sua stare ex adversa parte amnis. Dux autem æstimans, eos ad pugnam prorumpere, jussit suos arma capere; & citius dicto contra eos terminalem transiliunt amnem. Mox inopina & inprosperata, nec præcogitata atrox & cruenta conseritur pugna: in qua filius *Scan* (cujus supra meminimus) nomine *Turick*, præfectus urbis *Satec*, miles acerrimus, cum aliis ejusdem civitatis proceribus acriter pugnando occubuit III. Idus mense Junio. Ast aliis terga vertentibus etiam ipse Dux est in fugam compulsus. *Otto* autem & *Sobeslaus* habentes robustas quatuor phalanges, & totidem de Boemis fortes accipientes cohortes, circumierunt monticulum, qui eos forte dirimebat; & repente irruerunt magno impetu super Ungarorum castra. Ubi Rex & sui Proceres cum episcopis nihil scientes de pugna, quæ facta fuerat, sedebant, & bibebant, & epulabantur splendide? Quid multa?

Stephanus Rex Ungariæ.

Nisi Archiepiscopus *Laurentius* (167.b) cum Rege citius aufugisset, nec ipse periculum mortis evasisset. Certe tot nobiles & ignobiles interierunt Pannones, quot nec tempore sancti *Oalrici* * juxta fluvium *Leb* interisse referuntur. (168) Illæ autem (quas prædiximus) hospitæ legiones, qui etiam contra nostrum Ducem bello prævaluerant, revertentes a cæde, ut viderunt suos profugatos, alios coacervatim prostratos, & hostes in castris tripudiantes, turpem inierunt fugam. Quos ut a longe aspexêre in Castris Regis (jam enim ultra pontem Bebin posita erant castra in campis) æstimantes hostiles acies adhuc se insequi, multo plures submersi sunt in flumine Wag, præ timore fugientes. Nostrates autem potiti victoria, in castris eorum nocte illa figunt tentoria, diripiunt milites Ungaricas gazas,

p. 66.

* *S. Ulrici Episc. Aug.*

(165.) In Hagecii Germanica versione, p. 215. *Gradec* dicitur die Stadt Graitz an der Elbe.

(166.) Hujus *Oalrici*, sive *Ulrici*, anniversarium in *Calendario Pegaviensi, pag. 117.* sic annotatur, *Nonis Januariis: Ulricus, Dux. frater fundatricis nostræ*, (scilicet *Juditbæ*, uxoris *Viperti* Groicensis.) Ita vero *Ulricus* itidem improprie vocatur frater *Juditbæ*; cum utrique essent liberi duorum fratrum; *Juditha* filia Wratislai, Regis Bohemiæ, & *Ulricus*, filius Conradi, Principis Znoymensis, & postea Ducis Bohemiæ. Balbinus, *Libro VII. Decad. I. Miscell. histor. Boh. pag. 104.* ait, *Lutoldum* mortuum esse A. 1115. d. 26. Septembris & *Ulricum* A. 1112. d. 15. Martii obiisse: sed sic fere contradicit Cosmæ, ad A. 1115. scribenti, *Lutoldum* olim antea obiisse. Idem Balbinus, sed nescio, quibus testimoniis fretus, l. c. *Ulrico* tribuit duos liberos: *Wratislaum* † A. 1156. & *Spizhimæum*, † A. 1151. *Lutoldo* autem, *Conradum II.* † 1150. (quem etiam Cosmas infra ad A. 1123. indicat) & *Ottonem*, Principem Olomucensem.

(167.a.) Plures hujus rei gestæ *circumstantias* commemorat Dubravius, *Libr. XI. Histor. Boh. pag. 280.* sqq. item Hagecius, *ad A. 1116. P. I. p. 115.* seqq.

(167.b.) *Laurentius* hic fuit *Archiepiscopus Strigoniensis.*

(168.) Credo, hic eam victoriam indicari, quam Ottonis Magni auspiciis A. 955. de Ungaris relatam copiose describam licet apud Ditmarum *restit. Libr. II. p. 332.* itemque apud *Chronographum* & *Annalistam, Saxones*, ad eundem annum 955. Cui prælio in confiniis urbis Augustæ commisso, etiam interfuerunt Bohemi. *In octava* enim *legione erant Bohemii electi milites mille armis plus instructi, quam fortuna. - - - Ungarii nihil cunctantes LECH fluvium transierunt, circuentes exercitum legionemque sagittis lacessere cœperunt - - - Rex post Missæ celebrationem, sacramque Communionem ab egregio præsule* ODELRICO (Episcopo Augustano) *Confessore suo, processit adversus hostes. - - - Tres Duces gentis Ungariæ capti, Ducique Henrico præsentati, mala morte, ut digni erant, perierunt; suspendio namque crepuerunt. Triumpho celebri Rex gloriosus factus ab exercitu Pater Patriæ Imperatorque appellatus est: neque enim tanta victoria quisquam Regum ante eum intra ducentos annos lætatus est.* Cæterum, supra sub *nota* (45.) jam monuimus, *S. Ulricum*, Episcopum Augustanum, A. 973. ætatis 83. obiisse,

sci-

scilicet ambitiosam in vasis aureis & argenteis abundantiam: *Inque suos vulgus bona cætera distrahit usus.*

Terræmotus. Anno Domini Incarn. M. CXVII, III. Nonas Januarii, quinta existente feria, hora jam vespertinali, terræ motus factus est magnus: sed multo major in partibus Longobardiæ. Nam (uti fama referente percepimus) multa ibi ædificia ceciderunt, multa Castella sunt diruta, multa monasteria sive A delubra corruerunt, & multos homines oppresserunt.

Eodem anno *Rerum cunctarum Comes indimota mearum Bis februi quinis obiit* BOSETEHA *Kalendis.* (169)

Similiter eodem anno, & semper regnante domino nostro JEsu Christo, cujus in manu corda sunt Regum, quo etiam clementer inspirante Dux *Wladislaus* recordatus est fratris sui *Borivoy*, cujus humilitatem jam B Deus prospectans arcis de throno ætheriæ miseretur homo, non potest non misereri statim prædictus dux jam nutu instinctus divino, & Hermanni episcopi faciens omnia consilio, mittit & revocat mense Decembri fratrem suum *Borivoy* de exilio, & satisfaciens sibi, ac semetipsum submittens ejus dominio, iterum collocat eum in Principali solio. O mira Ducis benignitas, sed magis admiranda æquanimitas, quem nec sæ- C cularis delectat dignitas, nec contristat posita honoris sublimitas. *Juvit sumpta Ducem, juvit dimissa potestas. Talia quis unquam audivit? dic rogo facta.* Utinam hoc audiret *Cholomannus*, Rex Pannonicus, si viveret: qui metuens, ne germanus suus *Almus* post eum regnaret, ipsum, & filium ejus, mentula privavit & lumine. (170) *Borivoy* autem non immemor accepti beneficii, dat fratri suo dimidiam sui ducatus par- D tem, quæ sita ultra fluvium Labæ tendit ad Aquilonem: eratque fratri suo licet juniori in omnibus obediens, & semper eum præveniens nihil sine consilio gessit.

Borivoy restituitur.

Exundatio Wltavæ. Anno Domini Incarn. M. CXVIII. mense Septembri, tanta fuit inundatio aquarum, quantam non reor fuisse post diluvium in orbe terrarum. Nam noster iste fluvius Wltava repente præceps erumpens de alveo, ah quot villas, quot in hoc suburbio domos, casas & ecclesias suo impetu rapuit. Aliis namque temporibus tametsi hoc raro evenit, ut unda alluens vix tabulata pontis tangeret, hæc autem inundatio altius, quam X. ulnis, super pontem excrevit.

Anno Dom. Incarn. M. CXIX. III. Kalend. A Augusti feria vero quarta, cum esset jam inclinata dies, ventus vehemens, imo ipse Sathan in turbine ab Australi Plaga repente irruens super solarium Ducis in urbe Wissegrad, antiquum murum & eo firmissimum funditus subvertit. Et inde magis est admirandum, ex utraque parte anteriori & posteriori integra manente & inconcussa, medietas palatii solotenus est eruta & citius, quam tu festucam frangeres, trabes inferiores & superiores cum ipsa domo impetus B venti fregit in frusta, & dispersit. Fuit autem hæc tempestas adeo valida, ut quacunque parte incubuit, hujus terræ sylvas & arbores plantatas & cætera sibi obstantia impetu prostrarit.

Anno Dom. Incarn. M. CXX. *Nunc, mea Musa, tuum digito compesce labellum. Si bene docta sapis, caveas, ne vera loquaris. Ut mecum sapias, breviter solummodo dicas:* C *Est* BORIVOY *rursus regni de culmine pulsus; Augusti quarto post Idus sunt ea facta.*

Anno Dom. Incarn. M. CXXI. Nimio attenuatæ sunt segetes propter nimiam siccitatem, quæ fuit per tres continuos menses, Martium scilicet, & Aprilem, atque Majum.

Eodem anno Dux *Wladislaus* reædificavit oppidum *Dovin*, (171) similiter & *Podivin* Castrum, quod est in Moravia situm infra fluvium *Zuracka.*

Eodem anno quidam ex Theutonicis in- D fra terminos Boemorum, in sylva, ad quam p. 67. itur per villam Bela, interrupta rupe ædificavit Castrum. Quod audiens Dux *Wladislaus*, acceptis tribus scaris ex electis militibus, repente ex improviso irruens obtinuit Castrum. Ubi in primo accessu missis de muro sagittis vulnerati sunt, non tamen ad mor-

(169.) His verbis videtur indicari mors Uxoris, vel concubinæ Cosmæ. Sic & idem infra, ad A. 1123. *Henrici, filii sui*, mentionem facit. Balbinus, *Epitom. rerum Bob. Libr. III. cap. 8. pag. 212.* putat, Cosmam habuisse, antequam sacerdotio initiaretur, conjugem, cujus nomen *Bozenka* exscripsit Cosmas; neque tamen negat, sibi satis nota esse, quæ de innuptis Clericorum nuptiis, eo sæculo frequentatis, Baronius, aliique novi & vetusti scriptores, tradiderint. Cosmas autem hic supra ad A. 1099. innuit, se jam illo anno, cum Hermannus in Pannonia Episcopus a Seraphino Strigoniensi inungeretur, sacerdotio fuisse initiatum; nec minus tamen adhuc A. 1117. *Bosetehan*, sive *Bozenkam*, vocat suarum rerum Comitem *indimotam*, i. e. indivulsam.

(170.) Hæc explicant rerum Polonicarum scriptores. Nunc liceat, vel ex unico auctore *Vitæ Ottonis, Pomeranorum Apostoli; Libr. III. n. 42.* (in Canisii *Antiqu. Lect. T. II. pag. 468. edit. Ingolstad*) testimonium afferre: *Otto Episcopus*, inquit, *Oeconomum mittit ad Regem* HUNNORUM, *illum beatæ memoriæ* BELAM; *qui a patruo suo*, COLOMANNO, *Rege, cum patre suo* ALMO, *Duce, in diebus adolescentiæ luminibus privatus, postea in regnum sublimatus est, oculisque fidei ac sapientiæ mentis præditus rempublicam* UNGARORUM *per annos plures graviter administravit. - - - Hujus* BELAE *filia* SOPHIA *petita est Henrico, puero* CONRADI, *Regis Teutonicorum primogenito*, (sed postea Virginibus Cœnobii Admontensis adscripta est.) BELAE *successit in regno filius ejus*, GISO.

(171.) Hageccius legit hic *Donin*, & interpretatur de castro *Donina*, quasi jam tum a Cæsare ad Ducem Bohemiæ fuerit translatum. Hujus arcis possessionem Fridericus Imperator Ottocaro Regi Bohemiæ, A. 1212. detulit, vel confirmavit, docente Hageccio ad A. 1212. Vide supra *notam* (165.) & Balbinum, *Epitom. rer. Boh. Libr. III. cap. 18. pag. 344.*

tem,

tem, duo milites Ducis *Oalrici*, filius *Vecenul*, & *Olen*, filius *Borsa*. Illos autem Theutonicos, qui erant in castro capti, nisi Comes *Albertus* superveniens multis precibus & innata sibi sagacitate liberasset, procul dubio jam Dux in eadem sylva omnes suspendi jusserat. Ejusdem anni fuit hyems nimis ventosa, & calida: & aquarum inundatio magna.

Anno Domin. Incarn. M. CXXII, IX. Aprilis, fuit eclipsis Lunæ media nocte, qua Judaicum erat Phasc. Eodem anno *vir sacer Hermannus doctrinæ lumine clarus, Ter subiit quinis Octobris fata Calendis.* Dominica jam illucescente die, in festo facti Lamberti Episcopi & Martyris, cujus, dum vixit, festum devotissime coluit, quia Trajectensi vico & ex eadem Lothrinia ortus fuit prosapia. Hic novam vicem sedis Pontificalis gerens, rexit hanc Ecclesiam annis XXII. mensibus sex, diebus VII. Erat enim spectabilis, incognitis formidabilis, domesticis affabilis, morum qualitate incomparabilis, lucerna lucens in mundo & ardens, nec sub modio, sed super candelabrum posita, illuminabat corda credentium verbo doctrinæ & exemplo: de cujus & aliis probis actibus licet plura relatu digna eniteant, tamen ea intacta relinquimus, propter instantis temporis homines, qui nihil boni ipsi operantes aliorum benefacta credere audita renuunt. Veruntamen, non videatur esse absurdum, si præposteto ordine referamus, quæ antea referre debuimus. Nam prædictus Præsul, cum suam ægritudinem invalescere sentiret, & paucos familiares circa lectum astare videret, ingemuit & ait: *secretum meum mihi, secretum meum mihi!* & obticuit. Illi autem stabant obstupefacti, & intuebantur vultus suos ad invicem taciti. Et paulo post Præsul iterum aperuit os suum, & inquit: *Olim debueram, cum sanus fueram, hæc fari stando in ambone, quæ nunc compellor fateri jam spiritus mei in agone. Fateor tamen, quia ego peccator compeccantes de peccato suo non redargui, & potentes inique agentes & delinquentes, non solum honoravi, verum etiam amavi, quos increpare, & si non obedirent, excommunicare debui. Postquam enim occubuit Brecislaus junior (quo nec fuit, nec erit Dux melior) hac in terra floruit iniquitas, germinavit superbia, pullulavit fraus, dolus, & injustitia: & ego semper dolens dolui, quod mihi cum bono Duce non licuit mori. Væ mihi, quia silui, quia apostatricem gentem non revocavi, nec in gladio anathematis pro Christo dimicavi: sed me ipsum & populum Christianum passus sum per tactum manus cum gente non sancta pollui, sicut scriptum est: Qui tangit immundum immundus erit; & qui tetigerit picem, inquinatur ab ea: aut quæ conventio Christi ad Belial? Apostatricem gentem dico Judæos, qui per nostram negligentiam post baptismum relapsi sunt in Judaismum. Unde valde timeo, ne Christus mihi hoc objiciat, & inferiorem me projiciat in Orcum. Nam hujus intempesta noctis vox mihi audita est, dicens: Tu non ascendisti ex adverso, nec opposuisti murum pro domo Israel, ut stares in prælio, in die Domini: Et gregem Dominicum non auro, non argento, verum Christi sanguine redemptum, per unam morbidam oviculam passus es contaminari, & a cælesti regno exterminari. Hei mihi misero, qualem me esse vellem, quam diversum ab illo, qualis olim eram; & nunc ipsemet mihi displiceo, quia parum boni me feciss video!* Dixerat, & statim (ut supra retulimus) *spiritus in vacuas fugiens evanuit auras. Post hunc* MEINARDUS (172) *sit Præsul in ordine denus.*

Hermanni Episcopi obitus.

Eodem anno mense Martio Comes *Bznata* de Hierosolymis simul & de Galicia rediit, & ejusdem anni XVII. Calend. Novembris obiit. Item in eodem anno mel & vindemia pleno cornu abundavit, & segetes satis creverant; sed in aristis granum non redundavit. Hunc annum secuta est hyems calida, unde in sequenti æstate caruimus custodita glacie.

Anno Dom. Incarn. M. CXXIII. Mense Martio Comes *Dlugomil*, & *Gumpreth*, & *Gilbertus*, & *Henricus*, qui & *Sdik*, (173) & cum eis alii Hierosolymam perrexerunt. Ex quibus quidam mense Novembri redierunt, quidam ibi interierunt. Nam Comes *Dlugomil* jam in revertendo VIII. Idus Julii obiit, similiter & Bertholdus, cliens Henrici, filii mei, VIII. Idus Aug. obiit. *Impedior lacrymis, nec possum promere scriptis, Quis furor unanimes aut quæ discordia fratres, Ceu geminos tauros, in diram compulit iram.* Nam Dux *Wladislaus* immani motus ira contra fratrem suum *Sobeslaum*, mense Martio, movit arma, & cum suis omnibus expulit de Moravia, & reddidit *Conrado*, filio *Lutoldi*, hæreditatem suam. Partem autem quartam illius regni, quam habuit tetrarcha *Oalricus*, frater supradicti *Lutoldi*, addidit *Ottoni*, Zuatopluc ducis fratri. *Sobeslaus* autem fugiens a facie sui germani

Sobeslaus expellitur.

(172.) *Meinhardus* hic, Episcopus Pragensis, Balbino Miscell. *Histor. Bob. decad. I. Libr. VI. Part. 2. pag.* 38. dicitur Bambergæ in Franconia natus. Unde fortasse ex amore erga Patriam, & Ottonem, Episcopum Bambergensem, quo familiariter usus erat, multis magnisque muneribus Cœnobium Bambergense, prosecutus est, ac ditionem *Kunigsfeld* emtam de suo, Cœnobio illi addixit, obiit A. 1134. 3. Julii. Plura de eo tradit Balbinus, l. c. item, *Miscell. Decad. I. Libr. IV. P. II. pag. 16. seqq.* Pontanus a Breitenberg, in *Bohemia Pia, Libr. III. pag. 38.*

(173.) De his crucigeris nihil certi habeo, quod dicam; at puto, *Henricum, Sdik* cognominatum, fuisse illum, qui postea ad Episcopi Olomucensis dignitatem pervenit, ex regio in Bohemia sanguine natus: qui bis in terram Sanctam abiisse dicitur, Vid. Balbinus, *Miscell. Decad. I. Libr. IV. pag. 46.*

adiit Imperatorem in Moguntia, ſed parum ſua profecerunt negotia.

p. 68. Quia ſine pecunia apud omnes Reges vanæ ſunt cujuspiam preces, & legum obmuteſcit Juſtitia. Tunc veluti lupus, qui inhians invadit gregem, & fruſtra captans, cum nihil prendit, ſubmittens caudam repetit ſylvam: ſic *Sobeslaus* apud Cæſarem infecta cauſa tendit ad *Wigbertum*, & apud eum per ſeptem menſes converſatus eſt. Deinde menſe Novembri tranſit in Poloniam, quem Dux *Boleslaus* honeſte in ſua recepit. Conjugem autem ejus, *Ahmuſe*, (174) Ducis gnatam, *Stephanus*, Rex Pannonicus gratanter recepit, recognoſcens cognatam ſuam.

Item in quadrageſima fere per univerſum orbem aeriæ poteſtates quaſi plurimæ ſtellæ, etſi non ceciderunt, viſæ ſunt tamen recidiſſe in terram. Huic ſimile Dominus dicit in Evangelio: *Videbam Sathanam quaſi fulgur de cælo cadentem.*

Eodem anno maxima fuit ubertas tam A Autumno quam Vere ſeminatis in frugibus, niſi quod grando locis nocuit in pluribus. Mel autem in campeſtribus fuit abunde, in ſylveſtribus locis minime. Hyems aſpera fuit nimis & nivoſa. Jamque eodem urgente anno, Marchionis DEDA extrema ſtirpe fato extirpata, (175) Imperator, *quartus* B *Heinricus*, prædicti *Deda Marchionatum* putans hærede deſolatum, dederat *Wigberti* ſub potentiam. Sed erat in Saxonia quidam nomine *Conradus*, ex tribu ejusdem *Deda* natus, ad cujus manus jure pertinebat ille *Marchionatus*. Unde Dux *Ludera* & alii Sa-

Marchionatus Deda.

Luderus Dux Sax.

(174.) *Ahmuſe*, item *Almus*, & *Almon*, dictus fuit, filius *Geiſæ magni*, & frater *Colomanni*, ab hoc ipſo *Colomanno* excæcatus, & a regno Pannoniæ dejectus, uti jam ſupra *not.* (170.) oſtendimus. *Colomanno* in regno ſucceſſerat ejus filius, *Stephanus*, cujus hic ſit mentio; *Stephano* ſurrogatus eſt *Bela II.* filius *Almi*. Almi ergo filiam, Belæ II. ſororem, *Adelheidem* dictam, in matrimonio habuit *Sobislaus*. Vid. Bonfinius *Hiſtor. Ungar. Decad. II. Lib. VI.*

(175.) Illuſtris hic locus non parum lucis affert hiſtoriæ rerum Misnenſium; opus tamen habet, ut cum aliorum ſcriptorum locis conferatur, atque aliunde ſimul ipſe majorem lucem capiat. Illud ſaltem hoc loco notamus, quod jam Dn. Hofmanus, ad Chriſtophori Manlii *Commentarios rerum Luſaticarum, Libr. III. cap. I. §. 2. pag. 192.* annotavit hæc verba, quæ Manlius ex Cosma nondum tunc typis evulgato excerpſerat, in exemplo, quod continetur in principio *Scriptorum rerum Bohemicarum*, ex Bibliotheca Marquardi Freheri publicatorum, non occurrere. Interim rei geſtæ illius temporis bene congruunt. DEDA vero ille, ſive DEDO, de quo loquitur Cosmas, fuit *Comes Orientalium*, illius nominis III. filius *Thiederici* Comitis, e *tribu Buzici*, ortus. Ut vero nunc anteriores *Dedonis* hujus majores prætermittam, de ejus Parente ſaltem teſtes excito Annales Hildesheimenſes, ad A. 1034. *Thiedericus, Comes orientalium, a militibus Eggihardi Marchionis in proprio cubiculo ficta ſalutatione circumventus in dolo XIII. Kal. Decembr. occiditur. Cujus dignitatem honoris DÆDI (III.) filius ejus, obtinuit; qui poſtea Odam, Willihelmi, Turingorum Prætoris, viduam, in conjugium adſcivit.* Dedonis hujus genus & progeniem pluribus deſcribit auctor Appendicis ad *Chronicon Montis Sereni*, ubi inter alia hæc legimus: *Genuit* TIDERICUS *Comes hos filios, Fridericum*, DEDONEM (III.) *Thiemonem, Geronem, Conradum, Riddagum, & filiam Hiddam. - - - Secundus filius*, DEDO (III.) *Marchiam* (Luſatiæ) *Hodonis obtinuit, qui heredem non habuit, & duxit uxorem Odam, matrem Ottonis Marchionis de Orlamunde*, (viduam *Wilhelmi*, Comitis Winarienſis) *genuitque ex ea* DEDONEM *juniorem* (IV.) *qui in pueritia per poſteriora confoſſus interiit; & duas filias. - - - Defuncto vero Ottone Marchione* (de Orlamunde) *& matre ipſius, oda, prædictus* DEDO (III.) *Marchio viduam ejus* ADELAM *duxit uxorem. Hæc fuit nata de Brabantia ex caſtello, quod dicitur Levene. - - - Genuit autem ex ea* DEDONEM (V.) HENRICUM, *Marchionem de Hileburg, & Conradum Comitem, qui a paganis occiſus eſt.* DEDO ille III. Lamberto Schafnaburgenſi, ad A. 1075. dicitur *DEDI, Marchio Saxonicus.* Ipſe autem *Marchiam Luſatiæ*, adeptus erat; quam ante eum, ut modo intelleximus, *Hodo*, vel *Odo*; ante *Odonem, Ditmarus*, & ante *Ditmarum, Gero*, poſſederant, docente eodem *Chronico Montis Sereni.* DITMARUS *Marchio duxit filiam* HERMANNI, *Ducis a Luneburg*, SUANHILDAM *nomine; ex qua genuit* GERONEM *Marchionem.* GERO *genuit* DITMARUM DITMARUS ODONEM, *qui ſine liberis obiit, & in eo poſteritatis propagatio ceſſavit. Hi omnes provinciæ* LUSIZENSIS MARCHIONES *fuerunt, quæ nunc Orientalis Marchia dicitur.* Hanc Marchiam Dedonis III. ſuperſtes filius, *Henricus*, ſenior, Ileburgenſis dictus & opibus conjugis ſuæ, *Gertrudis*, principis Brunſuicenſis, nixus, ſibi vindicavit; quamquam Imperator A. 1075. eam ipſam Marchiam in Ducem Bohemicum transferre anniſus erat. Imo, idem Henricus præterea etiam poſſedit *Marchiam Miſenenſem*, fortaſſe poſt mortem *Ecberti Junioris*, fratris Conjugis ſuæ, ad ſe delatam. Hinc ille *Marchio Miſenenſis* vocatur, in *vita Viperti, cap. IV. §. 30.* & in *Chron. Bigavienſi, pag. 120.* Unde *Henricus* hic a Conrado Urspergenſi & Annaliſta Saxone, ad A. 1103. *vir ſui temporis præpotentiſſimus* appellatur. Hoc mortuo, utraq; Marchia jure hereditario devolvebatur ad ejus filium poſtumum, ex *Gertrude*, Principe Brunſvicenſi, natum, *Henricum Juniorem* dictum; quamquam ejus jura in diſceptationem vocaret *Conradus Wettinenſis*, & alii. Hic *Henricus junior* eo ipſo anno 1123. de quo ſcribit Coſmas, fato defunctus erat, nulla quidem prole relicta; quamvis in matrimonio habuiſſet filiam *Udonis*, Marchionis Stadenſis. Cujus mortem annotavit ad A. 1123. auctor *Vitæ Viperti, cap. XI. §. 29*; & Annaliſta Saxo, ad A. 1123. *Henricus quoque Marchio de Ilburch veneficio interiit.* Conf. & Chronographus Saxo ad eundem annum. Auctor autem *Chronici Montis Sereni* in deſignando anno mortis Henrici hujus omnino erravit; majorque auctoritas concedenda eſt Cosmæ noſtro, ſcriptori coævo, teſtanti, anno 1123. *Dedonis* ſtirpem extremam fato extirpatam eſſe. Cum enim *Henricus* ille *junior*, Marchio Miſenenſis & nepos *Dedonis III.* Comitis Wettinenſis, A. 1123. ſine prole diem ſupremum obiiſſet; utique ultima propago *Dedonis* illius, in *linea recta*, tunc extincta eſt: & quoniam Imperator, Henricus V. putaverat, nullum alium ſupereſſe heredem; Marchiam Miſenenſem, morte Henrici Ileburgenſis vacuefactam, Viperto, Comiti Groicenſi, conferre voluerat. At enimvero, cum eo ævo ex *linea laterali* adhuc ſupereſſet *Conradus III. Comes Wettinenſis*, filius *Thimonis*; qui *Thimo* frater germanus fuerat illius *Dedonis*, (III.) de, quo Cosmas loquitur; cumque iſtis temporibus jus hereditarium, in *Ducatibus Marchionatibus, & Comitatibus* magis, quam antehac, invaluerat; hinc Principes Saxoniæ ægre ferebant, jus illud hereditarium ab Imperato-

xones, valde indignantes contra Imperatorem, susceperunt bellum adversus *Wigbertum.* (176)

Hisdem diebus Dux *Wladislaus* & *Otto*, sicut præceperat eis Imperator, tam Boemiæ quam Moraviæ coadunato exercitu, transeuntes sylvam, metati sunt Castra ultra oppidum *Guozdec*, ex adverso prædicti ducis. *Præsul* autem *Moguntinus** & Comes, *Vigbertus*, circa fluvium Multava stabant gravi multitudine armata. Saxones autem positi Castra in medio dirimebant eos, nec sinebant insimul coire adversarios suos. Tunc Dux Boemiæ & *Otto* miserunt ad Saxones dicentes: *Non nos per superbiam contra vos sumpsimus arma, sed jussu Imperatoris venimus in auxilium Moguntino Archi-Præsuli*, & Vigberto *Comiti. Sed quoniam hi non adsunt, qui adesse & primam committere pugnam debuerant, vos tantummodo cedite nobis loco, ut habeamus occasionem referendi videlicet & vos cessisse, & nos stetisse, & exspectasse eos in condicto loco.* Ad hæc Ludera Dux respondit dicens: *Miror, vos prudentes viros apertos non deprehendere animo dolos, quibus inducti frustra contra nos movistis arma innocuos. An ulla putatis carere dolis consilia Moguntini Archi-præsulis Adalberti? An nondum ejus Atticam prudentiam satis experti estis? Si sic notus est vobis* Vigbertus, *alter* Ulixes, *qui circa ejusdem præsulis callipodium informatus est, cur ipsi non veniunt nos ut salutent, qui libenter eos resalutant? sed tutius est a longe expectare, quam manu committere bellum, & alterius incommodo suum comparare commodum. Certe qui leppis potest prospicere oculis, quid ipsi machinantur suis dolis.*

* *Albertus.*

re inverti tollique; adeoque Imperatori adversantes, *Conrado* Wettinensi, qui postea *Magnus* est cognominatus, Marchiam Misenensem præ Viperto sibi vindicanti, suppetias tulerunt. Ut vero illa cognatio inter *Henricum Ileburgensem*, & *Conradum* Wettinensem, horumque cum *Dedone* conjunctio, eo facilius intelligatur; particulam Stemmatis illius ex Dn. ab Eccard *Originibus Saxonicis*, paucis quidem mutatis, illisque, quæ proprie huc non pertinent, nunc omissis, hic exhibere visum est:

Theodoricus, Comes Orientalium, † 1034.

DEDO III. Marchio Lusatiæ, † 1075. Uxor I. *Oda*, mater Ottonis de Orlemunde.

Thiemo, Comes Wettinensis. Uxor, *Ida*, filia Ottonis Northemii, Ducis Bavariæ.

II. *Adela*, vidua ejusdem Ottonis.

I. *Dedo IV.* in pueritia confossus.

Adelheidis, Ux. Ernesti, Marchionis de Bavaria.

Dedo V. forte in infantia mortuus.

Henricus I. de Ileburg. Marchio Lusatiæ & Misniæ, † 1103. Uxor, *Gertrudis*, Princeps Brunsuicensis. † 1117.

Conradus II. a paganis occisus.

HENRICUS II. de Ileburg. March. Misniæ & Lusatiæ. Uxor, filia *Udonis*, Marchionis de Stade. Alb. Stad. p. 272.

CONRADUS III. Comes Wettin. postea Marchio Misniæ & Lusatiæ, † 1156. uxor *Lucarda*, filia Com. Suevorum.

Dedo VI. † 1124. Uxor, *Bertha*, filia Marchionis Lusatiæ, & Comit. Groitzensis.

Mathildis nupta 1. *Geroni*, Comiti de Bavaria. 2. *Ludovico*, Comiti de Bavar.

(176.) Idem referunt Monachi Pegavienses. Auctor *Vitæ Viperti, cap. XI. §. 29.* ad Annum 1123. HENRICUS *Marchio junior obiit; pro quo Imperator, Henricus, binos Marchiones constituit*, WIGBERTUM (quendam) *prædivitem, & Comitem Hermannum de* Winceburg. *Adelbertus* (Ursus) & CONRADUS (Wettinensis) *Comites de Saxonia, Ducis* LOTHARII, *ceterorumque Saxonum, freti auxilio, depulsis illis, loca eorum pariter atque dignitates invadunt.* Eadem excerpta annotavit auctor *Chronici Bigaugiensis*, inter res gestas A. 1122. & 1124. *p. 124.* Sed & illa, quæ *Annalista Saxo* ad A. 1123. commentatus, locum Cosmæ nostri, unde ille sua fortasse hausit, magis illustrant HENRICUS *quoque*, inquit, MARCHIO *de Ileburch* (Nepos Dedonis) *veneficio interiit.* Et, paucis verbis interjectis: *Imperator* MARCHIAM IN MISNE, (quam rexerat Henricus ille Ileburgensis) WICBERTO *tradit. Dux* LIUDERUS (Lotharius, paullo post ad Imperatoris fastigium evectus) *cum aliis Principibus super hoc indignantibus, suscipit bellum, & in eandem Marchiam* CONRADUM DE WETIN *ducit & collocat. Quo facto, cum* ADELBERTO, *filio Ottonis de Ballenstide, usque Ilburch procedit, eorumque consensu, qui in utrisque Marchiis singulas regendas suscipiunt.*

Sciunt enim & bene ſapiunt, quaſi vos vincitis, quod non ſine magno veſtri damno dabitur vincere Saxones. Sin autem nos potenter prævalere poterimus, Boemiam ſuis defenſoribus viduatam facilius invadere quibunt. Hoc vult Imperator. Hoc præſul Moguntinus conſiliatur. Sic ſemper veſter gener VIGBERTUS *Boemus amicatur. Nam germanus ſuus* Sobeslaus, *quem nuper* Vigbertus *ob voluntatem ſuam dolo abegit in Poloniam, niſi cito ad eundem* Vigbertum *revertatur, amplius mihi non credatur. Nos autem ſciatis magis paratos congredi prælio, quam vobis cedere loco.* His auditis, male creduli verbis dolo compoſitis Boemi, depopulata regione, quæ eſt circa urbem *Miſſen*, reverſi ſunt ad propria, ſole moran-

* i.e. 25. Novembris. te in XV. ſagittarii parte.*

Anno Domini Incarn. M. CXXIIII. II. Idus Februarii, *Hermannus*, frater *Wilhelmi*, (177) & *Lutober*, filius Martini, perrexerunt Hieroſolymam. Eodem anno *Dux* BORIVOY *nonis bis binis menſe Platonis Exſul in Ungaria carnis compage ſoluta. Ad Chriſtum migrat, pura quem mente colebat... Cum quo nunc ampla cæli lætatur in aula. Hujus poſt omnes vitæ mundique labores, Exſul ter quinis quos degens pertulit annis. E quibus eſt paſſus ſex annos carcere clauſus. Bis ſublimatus ſolio, cur bis reprobatur. Non mihi ſecutari fas eſt, vel talia fari. Scit, qui cuncta creat. Deus, atque creata gubernat. Qui legit hæc dicat:* BORIVOY *dux nunc requieſcat, Eſt ubi ſanctarum pars & requies animarum!* (178) Sepultus eſt autem in Praga metropoli, anno tunc labenti bis Sextili pridie Idus Martii, ad principalem Eccleſiam ſanctorum Martyrum Viti, Wenceslai Adalberti, in crypta ſancti Martini epiſcopi & confeſſoris. Item ejusdem anni in Quadrageſima IX. Kalend. Aprilis *Meinardus* caſu reperiens in ſacrario oſſa *Pediven*, (179) condit humi in Capella, quæ eſt ſub turre, inter altare ſancti Nicolai epiſcopi & Confeſſoris & tumulum *Gebehardi*, epiſcopi. Hic fuit cliens & individuus comes in labore & ærumna ſancti *Wenceslai* martyris, de cujus actibus in vita ipſius ſatis declaratur ſcire volentibus. Tempore tamen ſuo Seve- p. 69.
rus VI. hujus ſedis epiſcopus ampliorem dilatans capellam, circa ſacram prædicti patroni tumbam oſſa prædicti clientis effodiens, (quia aliter non poterat fundari murus) & collocans ea in ſarcofago poſuerat in Camera, ubi eccleſiaſtica ſervabantur Xenia. Item VIII. Idus Aprilis, in die Paſchæ, Cæſar, *Heinricus quartus*, mittens epiſtolas ad omnes Regni ſui principes & Epiſcopos, præcepit, quatenus omni occaſione poſtpoſita, IIII. Non. Maji in urbe *Bamberck* ad ſuam coadunarentur curiam. (180)

Borivoy obitus.

Interea *Sobeslaus*, noſtri Ducis frater, linquens Poloniam, tenuit cum ſuis omnibus viam ad Ducem Saxoniæ, *Luderam*, ſperans tanti viri conſilio ſimul & auxilio potiri. A *Comitia Bambergæ.* quo honorifice ſuſcipitur hoſpitio, & optato ſuæ ſpei potitur ſolatio. Nam prædictus Dux, ut cognovit Principem Boemiæ regali intereſſe Curiæ, miſit legatum cum hoſpite ſuo ad Cæſarem dicens: *Regiæ poteſtati & imperatoriæ dignitati congruit, patientibus injuriam clementer ſubvenire, & eam facientibus Juſtitiæ rigore regaliter obviare. Cujus gratiæ experimentum & Principalis cenſuræ nobis & cunctis gentib. dabitis documentum, ſi huic innocenti viro & injuriam patienti Sobeslao juſtitiam faciens, fratri ſuo eum reconcilies.* Unde Cæſar valde indignatus, reſpiciens ad omnem ſuum cœtum dixit.

(177.) Hi ſunt fortaſſe illi fratres, de quibus Dubravius, *Libr. XI. pag. 285.* ſcribit: *Principum exempla,* WILHELMUS & HERMANNUS, *natu fratres, dignitate Comites a* SULCEBACHO *imitati, & ipſi in eadem Bohemia cœnobium amplum & lautum indito illi Wilhelmi cognomine, erexerunt.* Eadem tradit Hagecius, ad A. 1119. Im ſelben Jahr iſt das Cloſter zu Wylemow, auff Befehl Herzog Uladislai, zu bauen angefangen worden: welches zween vornehme Herren im Lande, mit Nahmen Willhelm und Hermann, die auch Grafen von *Sulzbach* geweſen, mit Bitt ausgebracht, und auff ihre Unkoſten vollendet, als ſie groſſe Einkommen darzu geordnet, und ſind endlich allda begraben worden.

(178.) De obitu *Borivoii II.* ducis Bohemiæ, hæc annotat Balbinus, *Epit. rerum Boh. Libr. III. cap. 9. pag. 218. Obiit Borivoius Anno 1124. in Ungaria, 2. Februarii; 11. Martii Pragam advectus, & in S. Viti Eccleſia tumulatus. Tumulo inſcriptum legimus in ſacrario S. Martini: Worivorius Dux, tertius Filius Wratislai I. Regis Bohemiæ, fautor hujus Eccleſiæ, mortuus eſt apud Stephanum Regem in Ungaria; Anno Chriſti 1124. huc translatus.* Hujus Ducis anniverſarium Monachi Pegavienſes, in *Calendario Pegavienſi, pag. 120.* ſic annotarunt: *IIII. Nonas Februarias,* BORTOW, *Dux, frater Fundatricis noſtre.*

(179.) De *Podevino* plura tradit *Chriſtannus, de paſſione S. Wenceslai*, apud Balbinum, *Epitom. rerum Bohem. Libr. I. cap. X. pag. 61.* & ipſe Balbinus, in *Bohemia Sancta*, ſive *Miscell. Boh. Dacad. I. Libr. IV. pag. 17. ſeqq.*

(180.) Horum comitiorum, quæ Henricus V. (ſive inter Imperatores IV.) Bambergæ celebravit, meminit Conradus Urſpergenſis, *ad A. 1123 pag. 269. Circa mediam quadrageſimam*, inquit, *colloquium Wormaciæ cum quibusdam optimatibus habebat; ceteris vero, qui aderant, id eſt, Saxonibus, Bajoariis, atque Boemis, ad curiam venire Babenberg Nonis Maji indicebant, maxime propter Lotharii Ducis inſolentiam, quæ nova quædam moliri notabatur contra Rempublicam, ob ſororis ſuæ præſcriptæ illatam ab Imperatore injuriam. Factus eſt itaque conventus idem non modicus; nam ſingularum provinciarum duces aderant, præter prædictum Lotharium, paucosque ſibi conſentientes de Saxonia principes. - - - Poſtquam autem ſuper confirmatione pacis, diverſis juſtitiis regnique negotiis, ſatis tractatum eſt, indignatus Imperator his, qui præſentem curiam adire contemſerant, inſtituit expeditionem ſequente Auguſto generaliter fieri, ſpecie quidem contra Saxoniam, re autem vera contra Galliam &c.*

Satis

Satis pro imperio iſte locutus eſt MARCHIO. (181) *Ipſe nobis facit injuriam, & ulciſci poſcit injuriam. Nam ſi mihi congruit (ut ipſe fatetur) alienas ulciſci injurias, cur non prius ulciſcar meas? Aut quænam major poteſt eſſe injuria, quam quod ipſe vocatus non venit ad noſtra concilia? Ergo quemcunque zelus Juſtitiæ & hæc mordet injuria, ſpondeat nunc fidem ſuper ſacra plenaria, quod ſua tollat arma, & ſequatur me poſt feſtum ſancti Jacobi Apoſtoli in Saxoniam.* Aſſentiunt omnes, & collaudant Principes, atque conjurant bellum adverſus Saxones, ſecundum edictum Cæſaris.

Hisdem diebus moritur gener Wratislai Regis, WIGBERTUS, de quo ſupra ſatis memini. (182) Videns autem *Sobeslaus*, quia fortuna & Regis cenſura magis juvat fratrem ſuum majorem natu, vertit iter ad *Wigberti* natum, (183) quo conſolaretur de obitu patris ſui ſuum per ſororem cognatum. Et exinde miſit ad Poloniæ Principem Stephanum Comitem: per hunc enim ſua omnia diſponebat conſilia. Qui cum tranſiret ſylvam, quæ eſt inter Saxoniam & Poloniam, incidit in armatas latronum manus. Quia a longe ſtantes, inquiunt ad eos: *Parcimus, & miſereſcimus vobis, atque concedimus vitam; Ite veſtram cum pace viam. Equos autem & omnia, quæ portatis, linquite nobis: Neque enim pauci multis reſiſtere aut fugere quitis.* Quibus Stephanus imperterritus: *Parcum*, inquit, *date ſpatium inire conſilium:* Illis autem concedentibus, dixit Comes: *O fratres, o ſocii, ultimæ jam ſortis ne timeatis caſum fortunæ mortis. Quisnam nobis ſuum franget panem, inverſis in fugam turpem? Aut poſt continuatam turpiter vitam, quis nobis tribuet neceſſaria vitæ? Et utrum hanc Barbari nobis concedant, ignoramus. Heu fruſtra ſero pœnitebit nos, non occubuiſſe viriliter, cum diverſis pœnis affectos, hunc naribus truncatum, alterum oculis privatum, dabunt nos in parabolam & fabulam cunctis gentibus.* At illi unanimiter inquiunt: *Moriamur, Moriamur: ſed videamus, ne inulti moriamur.* Quos ut viderunt pagani magis ad pugnam, quam in fugam, aptare arma, repente irruunt ſuper eos. Fit monſtruoſa pugna inter quinque ancilia, & inter quinquaginta fortium ſcuta. Presbyter autem ex eis, cui animas ſuas commendaverant, habens arcum & pharetram fugit. Quem unus ex latronibus videns virum inermem, inſequitur fugientem. At ille non valens evadere, miſit retro ſagittam, & percuſſit equum in mediam frontem, cecidit-que equus & aſcenſor ejus retro. Sicque ſolus Presbyter evaſit, & nunciavit in urbe *Glogau*, quæ facta fuerant. Præfectus autem illius urbis, nomine *Voyzlau*, cum multis accelerans illuc armatis, invenit Stephanum ſemivivum in media aqua *Boler* * *l. Bober.* ſuper frutices hærentem. Nam barbari, ut viderunt multos de ſuis interfectos, & alios vulneratos, irati valde præcipitaverunt eum in prædictum fluvium. Quem præfatus Præfectus ſuſcipiens, & ejus ſocios adhuc ſemivivos, tulit in Caſtrum ſuum: ibique Stephanus III. Kalend. Junii Dominica die moritur. *Sobeslaus* autem hisdem temporibus apud *Wigberti* filium morabatur: quia poſt obitum patris ſui prædictus puer atrociter ab inimicis undique coarctabatur. (184)

Latrocinium.

(181.) Cum Dubravius, *Hiſtor. Bohem. Libr. XI. pag. 284.* hæc paullo aliter enarrarit; Manlius, *Commentar. de Luſatia, Libr. III. cap. 25. ſ. 8.* eum his verbis recte notat: *Olomucenſis non Lotharium, ſed Vigbertum, Marchionem, affini Sobeslao ad Lotharium jam Cæſarem commendatitias literas dediſſe ait. Sed id temporis & aliæ circumſtantiæ ſatis refutant. Vivebat enim tunc & imperabat adhuc Henricus quintus. Et quidem inter eum & Vigbertum jam ſarta erat gratia. Lapſus autem videtur Olomucenſis, aut is, quem ſecutus eſt, in appellatione* MARCHIONIS, *qua in hac narratione non Vigbertum, ſed Lotharium, licet minus proprie, denotat Cosmas.*

(182.) Docet & auctor *vitæ Viperti, cap. XII. ſ. 7.* ad A. 1124. hunc ipſum Vipertum, eodem anno, *XI. Kal. Junii*, ex hac vita deceſſiſſe. Et in *Chronico Bigaugienſi, pag. 124*, hæc ſcripta leguntur: *Wicpertus Marchio, fundator Bigaugienſis, anno Domini* MCXXIV. *obiit XI. Kal. Junii. Hic invaluerat prædiis & beneficiis in provincia noſtra, quæ* SWORBIA *dicitur. Monarchiam* (Marchiam) *quoque in Luzin* (Luſatia) *ac præfecturam in Magdeborch principalem obtinuerat. - - - Inter uxorem* (Juditham, Wratislai, Regis Bohemiæ, filiam) *& filium* (Vipertum juniorem) *in medio Eccleſiæ Pegaw ſepelitur.* In additionibus ad Lambertum Schafnaburgenſem, *pag. 254. A. 1124. Wigbertus Marchio, qui & Monachus,* (nempe ultimo vitæ ſuæ anno † Cœnobio Pegavienſi a ſecundo adſcriptus,) *obiit.* Sic & in *Kalendario Pegavienſi*, aliquoties a nobis citato, *pag. 132.* anniverſarium ſacrum ejus annotatum eſt; *XI. Kal. Jun.* WICPERTUS, *Marchio, & mo. n. c.* (i. e. Monachus noſter converſus) *anno Dom. M. C. XXIIII.* Errat ergo Ge. Fabricius, qui mortem funusque hujus Viperti, in *Annalibus Urbis Miſnæ, p. 94.* ad A. clocxx. refert. Errat & Heineccius, *Antiquit. Goslar. Libr. I. pag. 113.* ubi tradit, Wigbertum jam A. 1113. occiſum eſſe.

(183.) Hic fuit alter Viperti filius, *Henricus* dictus; cum *Vipertus junior*, quem Cosmas ſupra dixerat *Weceslaum*, paullo ante Patrem obierit, teſtantibus Monachis Pegavienſibus, Vipertum Patrem, inter uxorem & filium, fuiſſe ſepultum.

(184.) Cosmas ſuperſtitem Viperti filium vocat *puerum* propter juventutem; quamquam hic *Henricus*, una cum fratre *Viperto juniore*, jam A. 1096. interfuiſſet ſolenni dedicationi cœnobii Pegavienſis, quod pater ipſorum, Vipertus Senior, condiderat, commemorante auctore *Vitæ Viperti, cap. VII. ſ. 9.* cumque, eodem teſte, *cap. XI. ſ. 5. & 6.* idem *Henricus*, & frater ejus, *Vipertus* junior, A. 1114. & 1115. cum Saxonibus ſe conjunxerint, prælioque Welfesholzenſi interfuerint. Patre mortuo, utique *Henricum* filium magnopere afflixerunt adverſarii, ejusque hereditatem paternam invaſerunt; niſi quod *præfecturam Magdeburgenſem*, parente Archiepiſcopo cognato, *Rotgero*, retinuerit; & tandem *Marchiam Luſatiæ*, interea ab Alberto Urſo occupatam; beneficio Lotharii Imperatoris, recuperarit. Qua de re ita ſcribit au-

Eodem Anno menſe Julio, Dux *Wladislaus* natam ſuam primogenitam, nomine *Zuatavam*, cum magno muliebri cultu & nimio cenſus apparatu, dat nuptum cuidam inter Bavarios primates famoſiſſimo viro, nomine *Friderico*. (185)

Eodem Anno Chriſtus Dei virtus & ſapientia, cuncta ſuo nutu gubernans ſubſiſtentia, hanc terrulam dignatus eſt ſua eruere clementia a laqueo Sathanæ & ejus filii, *Jacobi Apellæ*. Cujus pice a dextra quæcunque tetigerit, inquinat, & oris anhelitus ceu Baſiliſci fœtidus, quos afflaverat, de quo etiam plurimi teſtantur veridici homines, quod ſæpe viſus ſit Sathan in humana effigie ejus lateri adhærere, atque ſua obſequia exhibere. Unde eum in tantam ſuis artibus extulit audaciam, imo dementiam, ut excedens ſuum modum tam ſceleratiſſimus homo poſt Ducem vice deûm fungeretur officio: quod erat magnum chaos Chriſtiano populo. Hic idem poſt Baptiſma factus apoſtata, altare, quod erat ædificatum & conſecratum in Synagoga eorum, in nocte deſtruxit, & ſumens ſacras reliquias non eſt veritus eas in ſuam mittere cloacam. Hunc talem ſacrilegum atque maleficum Dux Deo plenus, *Wladislaus*, zelum Chriſti zelans, XI. Kalend. Auguſti tenuit, atque ſub arcta juſſit conſtringi cuſtodia. Ah, quantum de Mammona iniqitatis ex domo ejusdem ſupplantatoris ſublatum eſt, & in fiſcum Ducis redactum. Præterea ſui compares in ſcelere Judæi, ne prædictus Manzer capite plecteretur, tria millia argenti, & C. auri libras compoſuerunt Duci. Quo autem Dux gratia Dei inſtinctus Chriſtiana mancipia ab omnibus Judæis redemit, & ut nullus vitra Chriſtianus ſerviret eis interdixit (Amen, Amen, inquam) quicquid unquam deliquit, totum in hoc laudabili facto delevit, & nomen ſibi æternum aſcivit. O Chriſti famula pia Magdalena Maria, ſemper devota tibi promit plebs ſua vota, quoniam in tuo feſto eruta eſt ab hoſte infeſto!

Jacobus Apella.

p. 70.

Item eodem Anno III. Idus Auguſti, XI. hora diei, ſolis eclypſis fuit, & ſecuta eſt maxima peſtilentia boum, ovium, atque ſuum, apes multæ interierunt, penuria mellis fuit nimia. Segetes autumnales defuerunt, ſimul & vernales, præter ſolum milium & piſam.

Eodem anno Dux, *Wladislaus*, Dux præclarus & venerandus, Natale Domini & Epiphaniam in villa *Stbecna* celebravit. Deinde, qui infirmabatur, transfert ſe in urbem *Wiſegrad*; ibique ad ſuum obitum manſit. Ejusdem hyemis intrante vere vehementiſſimi incubuerunt venti, per totam Lucionem menſis Martii.

Anno Domini Incarnationis M. CXXV. *Sobeslaus*, audiens, fratrem ſuum graviter infirmari, inito conſilio amicorum ſalubri, imo ſic jam diſponente Dei nutu, cum omni ſuo Comitatu de Saxonia rediit, & IV. Nonas Februarii prope urbem Pragram in ſylva, quæ eſt circa Cœnobium *Breunou*, noctu applicuerat. Latet cauſa, quid ipſe hac in re faciendum diſpoſuerat. Neque tamen tantæ indolis heros tam temere hanc terram intraſſet, ſi non aliqui ex Comitibus extitiſſent, quorum conſilio id (ut reor) egerat. Namque eadem nocte retro pedem torquens huc & illuc, nunc per ſylvas, modo per villas, latenter circuibat terram,

Braunau.

---

ctor *vitæ Viperti, cap. XII. ſ. 7. Cui* (Viperto defuncto) *ſuccedente filio* HENRICO, *duo Comites. Adelbertus & Conradus, Marchiam ejus invadunt; quam etiam aliquandiu idem Adelbertus obtinuit. Sed, Lothario regnante, Henricus in ejus gratiam rediens, eam recepit.* Eadem repetit auctor *Chronici Pigaugienſis ad A. 1124. pag. 124.* Appendix *Chronici Montis Sereni, pag. 106.* WIPERTUS *Marchio, Pigavienſis eccleſiæ fundator, cujus filiam* (Bertham) *Dedo Comes duxerat, anno 1124. XI. Kal. Junii, moritur, relinquens heredem* HENRICUM *Marchionem.* Chronographus Saxo, ad A. 1131. HENRICUS, *Magdeburgenſis Præfectus, filius* WIPERTI *Marchionis, Marchiam, quam patre ſuo defuncto Comes Adelbertus a Rege acquiſierat, legati* (*legali*, legit Annalista Saxo) *jure recepit.* De hujus morte idem Chronographus Saxo ad A. 1136. hæc tradit: HENRICUS, *Marchio, & Magdeburgenſis Comes, tunc ad curiam pergens Mogontinam, obiit; cui in comitatu Magdeburgenſi Burchardus, frater Archi-Epiſcopi, ſucceſſit; Marchia vero* (Luſatiæ) *conceſſa eſt Conrado, Marchioni* (Misniæ. Verum tempus mortis deſignat *Kalendarium Pegavienſe, pag. 156. Pridie Kal. Jan.* HENRICUS *Marchio, anno Dom. M. C. XXXV.*

(185.) De hoc *Friderico* diſſentiunt inter ſe ipſi ſcriptores Bohemici. Dubravius, preſſius ſequitur Cosmam, neque niſi generatim, *Libr. XI. p. 287.* ſcribit, *Uladislaum filiam ſuam Friderico, Bavariæ principi,* deſpondiſſe. Hageeius, *P. I. fol. 220.* ad A. 1124. hujus natales ad Bohemicas Gentes refert, tradens, fuiſſe *Fridericum de Chauſtnik, Comitis Bohemici,* ex familia *Storohuv,* quæ cum Czecho in Bohemiam venerit: Deſſelben Jahrs, war noch ein Böhmiſcher Herr, welcher unter den andern Herren und Grafen ſehr berühmt und altes Herkommens, noch von *Hinchwogio* her geweſen, welcher *Hinchwog*, bey Primislai zeiten, ein ſehr anſehnlicher Mann, und des *Storoh*, eines Crabatiſchen Grafens Enenckel geweſen. Und der *Storoh* war erſtlich mit dem Crabatiſchen Fürſten, dem *Czech* und *Lech* in dieſes Land gekommen. Dieſer gedachte Herr hieſs *Friederich Chauſtniczky.* In ſequentibus narrat Hagecius, quemadmodum huic ipſi Friderico nuptum data fuerit Uladeslai filia, *Svataua*, i. e. interprete Dubravio, *Beata.* Weleslavinus, citante Balbino, ait, hanc *Suatavam* fuiſſe uxorem *Friderici, Ducis Bavariæ.* Quas duas ſententias ipſe Balbinus, *Dec. I. Libr. VII. Miſcell. Sect. 1. pag. 106.* ita conciliandas putat, ut exiſtimet, *Suatavam* illam prius fuiſſe uxorem *Friderici*, Comitis Bohemici; deinde in manus veniſſe *Friderici, Ducis Bavariæ.* Sed vereor, ne hæc gratis affirmentur. Haud enim veterum ſcriptorum teſtimonio iſtud matrimonium confirmatur. Neque illius temporis Dux Bavariæ, Fridericus cognitus eſt. Equidem tunc fuerunt quidam Comites in Bavaria, *Friderici* dicti; ſed incertum eſt, cui nupta fuerit *Suatava* filia Wladislai, Ducis Bohemiæ. Nolo enim in hac re ſolis indulgere conjecturis. Interim Conf. Hundius, in *Metropoli Salisburgenſi*, & *Stemmatographia Bavariæ.*

nemi-

nemini vim inferens aliquam, sed semper fratris sui quæritans gratiam. Omnes quidem Boemi primi & secundi ordinis eum diligebant, ejus parti favebant: sola autem *Ductrix*, & pauci cum ea, adjuvabant *Ortonem*. Qui quoniam sororem ejus sibi copularat, (186) omnibus modis nitebatur, A quo post virum suum *Otto* potiretur solio. Ducis autem magis magisque invalescens morbus, nimis ejus exhauriebat corpus. Inter hæc primates terræ conturbati, ceu pisces in turbida aqua incerti, dum mente titubarunt consternati, regina *Zuatava*, mater Ducis, præmonita & instructa *Soberlai* ab amicis venit, ut visitaret filium suum, & sic locuta est ad eum: *Mater ego tua cum sim & Regina, supplex & timida ad tua venio genua; & quibus te teneram excepi, pro fratre tuo coram te jam tremulis procumbo genibus. Nec enim ea, quæ jure* B *possint negari peto; sed quæ sunt & Deo placita, & hominibus accepta. Placet enim Deo, sicut ipse dixit: Honora patrem tuum & matrem, ut meas aniles placide suscipias preces, & hanc rugosam lacrymisque obortam, precor, ne confundas faciem. Liceat mihi vetulæ matri apud filium, si non impetrare, quod rogat & postulat prostratus la-*

(f. λαὸς, or * *universus Boemiæ; Liceat mihi decre-*

i. e. populus.) *pitæ, vos videre pacatos, quos pari conditione ex meo utero generatos video (gratia Dei) bene educatos. Contingat mihi, ani-* C *culæ cito morituræ, non prius mori, quam huic incomparabili meo Deus conferat solamen mœrori. Merito quidem mœreo, quia fera Erynnis hac in terra regnat, & vos fratres olim unanimes nunc in prælia armat. Quis tamen ignorat, quod camisia propior sit corpori, quam tunica. Natura quippe, quæ fecit propinquiorem genitura, facit, ut sit suis propicior, in omni rerum procurata,* * *Ille autem, ille, quem tibi fratrem facis, &* D *cui modo tuæ sobolis & caræ conjugis curam injungis, & in tutelam committis, crede mihi matri, ipse primus erit eis in laqueum, & in foveam, & in scandalum. Iste autem, quem a te elongas, & quasi alienum reputas, cum sit tuus germanus, multo clementior in tuos erit, quam tui patrui natus, cui post te decernis paterni solium ducatus.* Dixerat, & flebat, natumque suum angebat ploratu. Quem ut vidit simul collacrymantem, hæc adjecit dicens: *Non tua, fili mi, inevitanda homini deploro fata: verum fratris tui miserabiliorem morte vitam desleo, qui profugus, vagus & exul, nunc molit feliciter mori, quam infeliciter vivere.* Cui natus perfusus faciem lacrymis: *Faciam*, inquit, *mater mea, faciam, quod hortaris, nec sum adamante vel Charybdi genitus, ut non reminiscar uterini fratris.* Interea rediens Præsul Bambergensis Ecclesiæ, *Otto*, (187) miles Christi inclytus, victis & destructis Pomoranorum ido-

(f. procuratia, pro procuratione.)

p. 71. *Otto Episc. Bamberg. Pomeranorum Apostolus.*

(186.) Etiam hæ uxores, *Wladislai*, Ducis Bohemiæ, & *Ottonis*, Principis Moraviæ, sunt incertæ originis, quamvis eas sorores fuisse, tradat Cosmas. Balbinus, *Miscell. Decad. I. Libr. VII. pag. 104. Wlatislai* uxorem vocat *Amabiliam, Ducissam Vohburgensem*; fortasse *Marchionissam* dicere voluit; *Marchia* enim *Franconiæ versus Bohemiam* tunc *Vohburgensis* dicta est, itemque *Marchia de Bavaria*; eoque tempore sigillatim floruit *Theopaldus, Marchio de Bavaria*, Vohburgensis alias dictus; a castro Bavarico, *Vohenburg*, ad Danubium medio fere itinere inter Ingolstadium & Ratisbonam sito. Porro vero idem Balbinus, l. c. hæc scribit: *Pessima docet, uxorem Wladislai fuisse Belæ I. Regis Ungariæ filiam; sed in Sviehovirorum antiquis memoriis mihi ab illustrissimo Domino Jaroslao Sviehovsky communicatis diserte legitur: Anno Jaroslao Sviehovsky communicatis diserte legitur: Agnabilia, Vochburgensis Ducissa. Crugerius nullam nominat; sed ait, fuisse Henrici IV. Cæsaris filiam, Henrici V. sororem.* Hæc Balbinus. Pessima videtur Sorici V. sororem. Hæc Balbinus. Pessima videtur Sorici V. sororem. Hæc Balbinus. Pessima videtur Sorici V. sororem.

lis, vilitat Ducem jam viribus præ infirmitate deficientem. Cui Dux cum seſe & animam ſuam per ſanctam confeſſionem commiſiſſet, non poſſe prius dari aut conſequi indulgentiam, Præſul ſpopondit, quam fratri ſuo pacem veram, & firmam promiſiſſet gratiam. Moxque Præſul prædictus curam animæ ejus & cauſam perficiendæ pacis, *Meinardo* injungens epiſcopo, juxta principalem munificentiam valde donis onuſtatus tenuit viam, feſtinabat enim, ut ante cœnam Domini perveniret ad ſedem ſuam. Mittitur illico pro *Sobeslao;* jamque palam in populo agitatur, quod olim clanculo machinabatur.

Talia ut ſenſit Princeps Moraviæ, *Otto*, fieri, qui ſemper adhærebat Ducis lateri, timens, ne forſan caperetur, triſtis revertitur in Moraviam. Pacificatus eſt autem *Wladislaus* cum fratre quarta feria majoris Hebdomadæ. Poſt octavas autem Paſchæ, II. Idus Aprilis, Dominica die, quæ tunc fuit *miſericordia Domini*, pius & miſericors Dux, *Wladislaus*, non ſine magno ſuorum planctu migravit ad Chriſtum, & quam ſemper pro nomine Chriſti in pauperes exhibuit, nimirum ab ipſo miſericordi Domino conſecutus eſt miſericordiam. Sepultus eſt autem in eccleſia Sanctæ Mariæ virginis, quam ipſe ædificans Chriſto & ejus matri, omnibus Eccleſiaſticis Xeniis ſufficienter auxit, & ſatis honorificam Monachorum ibi conſtituit Abbatiam, loci nomen *Kladoruby*.(188) *Dux fuit hic quintus, rexit dum ſpiritus artus. Ex ejus geſtis ſcriptus jam ſcire poteſtis, Qua dignus laude ſit quove colendus honore. Sit libri finis, noſtri Ducis eſt ubi finis.*

Wladislai obitus.

Quoniam quidem in exordio libri memini, me dixiſſe, hanc Chronicam ſub temporibus *Wladislai* Ducis & *Hermanni* Præſulis, editam eſſe: quibus jam ex hac convalle lacrymoſa fato transvectis ad loca forſan delitioſa, ſed adhuc geſtarum rerum exuberante materia, utrum ibi littori figam anchoram, an etiam nunc furentibus Euris in altum carbaſa tendam? *Conſule, formoſæ mea doctrix nunc mihi Muſa.* Tu enim, quæ nunquam ſeneſcis, me ſenem ad juvenilia ſtudia inquietare non quieſcis: haud ignoras, quod in viro quocunque ſene (ſicut in me) puerilis eſt ſenſus, & debilis animus. O ſi mihi octogenario præteritos Deus referat annos, quibus olim Leodii ſub Francone Magiſtro, tum Grammaticæ tum Dialecticæ artis, in viretis pratis mecum luſiſti ſatis. O nimium amabilis juvenibus, & ſuavis, ſemper pudica, ſed nunquam vetula, cur me repetis ſenem? cur hebetem incitas mentem? Jam mihi annoſa ætas dorſum incurvat; jam rugoſæ cutis faciem deturpat, jam pectus velut ſonipes feſſus anhelat. Jam nox rauca ceu anſer ſibilat, & morbida ſenectus meos enervat ſenſus. Certe plus me delectat mollis panis, & toſta buccella, quam tua ſophismata, quæ quondam ſub veſtra molliter cubantes aſcella, ſuaviter e tua tenera ſuximus papilla. O Sophiſtica cornupeta, ultro viris ſyllogiſticis appetenda, nobis autem jam ſatis experta, ſine ſenes, pete juvenes tui ſimiles, ingenio acutos, & in artium artibus argutos, qui nuper ad magnam menſam dominæ Philoſophiæ delitioſis paſti epulis, & exhauſtis totius Franciæ theſauris, novi Philoſophi redeunt. Tales oratores inclyta virtus Ducis *Sobeslai* expectat, qui ejus mirifica geſta ſtilo aureo mirifice deaurare queant. Quibus & ego ſenex, quidquid inepte deliro, usque ad unguem eliminandum ſupplex committo. Horum & omnium iſta legentium cum licentia, liceat mihi præfati Ducis pluribus ex geſtis aliquid contingere ſcriptis. Et qui me ſenem vituperas, ipſe cum ſis ſapiens, theſaurum tuæ ſcientiæ in lucem proferas, & hunc rudem textum pro materia habeas.

Regnant Domino noſtro Jeſu Chriſto trino & unico omnipotente Deo (uti ſupra retulimus) Duce *Wladislao* ex hac luce ſubtracto, frater ejus *Sobeslaus* ætate quidem junior, ſed maturis ſapientia maturior, manu largus, civibus acceptus, plebi utriusque ſexus & ætatis gratus, omnibus Boemis inſimul faventibus, XVI. Kalend. Maji, *jure hæreditario* in principatus ſolio elevatus eſt avito. *O qui perpetua mundum ratione gubernas, Quisnam ſperaret, vel quisnam credere poſſet, Quod pax hoc anno fieret ſine ſanguine magno!* Præſertim cum dominus *Otto* quorundam inſtructus conſilio, tali ſe obligaverat ſacramento, quod non prius ab urbe Wiſſegrad cederet, quam aut victus plecteretur capite, aut victor potiretur principalis ſedis culmine. Sed dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui diſſipat & reprobat conſilia Principum, ſanctiſſimi Martyris Wenceslai per meritum, ita miſericorditer diſpoſuit, uti me ſupra referente ſatis caritas veſtra novit. Quapropter jam bonus Dux deſinat ſuper fratre ſuo ſi-

SOBESLAUS dux Bohem. Syl. cas.

(188.) de hujus cœnobii fundatione hæc annotat Balbinus, *Epit. rer. Bohem. Libr. III. cap. 9, p. 216. Anno mſ. Wladislaus, Bohemiæ Dux, Cœnobium Cladrubienſe, Ordinis S. Benedicti, quod non ita pridem Suatoplucus inchoarat, ædificando abſolvit, literis etiam datis, quibus dos & tota opulentiſſima Cœnobii fundatio continetur.* Si igitur hoc illud ipſum eſt cœnobium *Cladrna*, quod Andreas Ratisbonenſis, ad A. 1118. ſcripſit, conſtructum fuiſſe a *Domina Reina, Ducisſa Bohemiæ, Theobaldi, Marchionis Vohburgenſis, filia;* eo magis hinc nomen & natales Uxoris Wladislai, Ducis Bohemiæ, agnoſcimus. Uxor vero Maritum ad hoc cœnobium condendum inſtigare, & adjuvare potuit.

mul

mul & *Ottone* iraſci & indignari; credat, omnia ratione Dei gubernari, & nihil ſine
p. 72. ipſo poſſe fieri. Sed quoniam Salomone teſtante, *ira in ſinu ſtulti quieſcit*, abſit hoc a Reverendiſſimo Duce, ut per iram & indignationem ſuas virtutes eximias commaculet, aut per patientiam probabiles ſuos contaminet actus. Quos revera ſi quis ob laudem ſui ſingulatim exprimere ſatageret, prius diurna lux & pagina deficeret, quam inceptum opus perficeret. Veruntamen, nos unum & præcipuum ejus memoriale veſtræ Caritati pandimus, in quo nimirum omnib. pene præferendus eſt actu, quod tantæ poteſtatis Dux nunquam *mentis prædone proluit ſua labra medone.** Certe non modica eſt virtus cuipiam potenti viro, os ſuum refrenare, & naturalis potus non amurcam, ſed ejus illecebras, ſpernere.

*i.e. mulſo hydromele.

Eodem anno VI. Cal. Junii, quarta exiſtente feria, in hebdomada ſacroſancta Pentecoſtes, magna nix in quibusdam ſylveſtribus locis deſcendit, & ſequentibus diebus grande frigus inhorruit, atque omnigenis & maxime in autumno ſeminatis frugibus, ſimul & vineis, nec non arboribus multum nocuit, ita, ut in multis locis arbuſta radicitus exaruiſſent, & minores gelu rigeſcerent amnes.

Ejusdem hebdomadæ in Sabbatho III. Calendas Junii, Imperator, *Heinricus quartus*, (189) obiit, ibique ejusdem Imperialis genealogia deſiit, partim ſterilitate fœminei ſexus, partim ab ineunte ætate omni virili ſtirpe regali fato concluſa exitiali. Interea per Dei gratiam inclyto Duce *Sobeslao*, in toto ſuo compoſita pace regno, heroicis ceſſamus a Chronicis. (190)

(189.) Ad res Germanorum illuſtrandas raro Cosmas excitari ſolet; cujus tamen teſtimonium non prorſus negligendum videtur. Ita, cum in deſignando anno mortis *Henrici*, qui inter Imperatores hujus nominis *Quartus*; inter Reges Germaniæ, *Quintus*, numerari ſolet, non parum inter ſe diſſentiant ſcriptores: Cosmas noſter ſuffragatur meliori & majori parti eorum, qui etiam hunc ipſum Annum 1125. indicant. Sed & in die mortis notando variant. Conradus Urſpergenſis, *pag. 271.* Chronicon Halberſtadienſe, apud Leibnitium, *T. II. rer. Brunſuic. pag. 134.* Chronicon Mellicenſe, apud *Pezium, T. I. rer. Auſtr. pag. 229.* Albertus Stadenſis *pag. 264.* Chronicon Montis Sereni, *pag. 167. T. II. hujus operis*; Annaliſta Saxo, *pag. 657.* & alii, nominant X. KALENDAS JUNII, i. e. *d. XXIII. Maji.* Generatim loquuntur; Ordericus Vitalis, *Libr. XII. Hiſtor. Eccleſ. p. 882. Eodem anno 1125. in hebdomada Pentecoſtes - Henricus V. Imp. mortuus eſt*, & Annales Hildesheimenſes, *p. 740. ad A. 1125. Imperator Trajecti infra hebdomadam Pentecoſten obiit.* Præterea, Robertus de Monte, ad A. 1126. 1125. *Henricus*, inquit, *Aquis contendens, morbo dragunculi, qui ſibi erat nativus, moleſtari cœpit; propter quod & ibi aliquot dies remoratus eſt. Deinde pentecoſten celebraturus Ultrajectum venit, & tandem* FERIA QUINTA *in Pentecoſte vitam cum regno amiſit.* Noſter Cosmas mortem hujus Imperatoris refert ad *III. Kal. Junii*, h. e. ad *d. XXX. Maji, in hebdomada ſacroſancta Pentecoſtes.* Jam autem, cum Chriſtiani, (innuente ipſo Cosma, ubi paullo ante de morte Wladislai, ducis Bohemiæ, egit,) anno 1125. Paſcha *d. 29. Martii*, adeoque Pentecoſten, *17. Maji*, celebrarint; neſcio, quomodo Cosmas dicere potuerit, Imperatorem hunc mortuum eſſe in *Sabbatho ſacroſanctæ hebdomadæ Pentecoſtes*; cum *Octava, ſive hebdomada Pentecoſtalis*, jam d. 24 Maji finita fuiſſet. Contra vero *decimus Kalendas Junii*, ſive *23. Maji*, quem diem Urſpergenſis, & plures alii, deſignant, utique incidit in feriam ſeptimam, ſive *Sabbathum hebdomadæ Pentecoſtes.* Quibus proxime accedunt Monachi Pegavienſes, qui in *Kalendario Pegavienſi, pag. 132.* Anniverſarium *Henrici Imperatoris XI. Kalendas Junii*, h. e. *22. Maji*, annotarunt, & tanquam ſolenne cum anniverſario Viperti Groizenſis, fundatoris ſui, conjunxerunt. Robertus de monte, quod jam ſupra diximus, retulit ad *feriam quintam Pentecoſtes*, h. e. ad *diem 21. Maji.* Adeo dies mortis hujus Imperatoris adhuc in incerto eſt. Malim tamen interim Urſpergenſem ceterorumque ſimilem ſententiam ſequi; utpote quæ ſaltem *indirecte* teſtimonio Cosmæ noſtri adjuvatur. Imo, ſi omittas in Cosma hæc verba; (*III. Kal. Jun.*) credasque, ea poſtliminio ab aliena manu eſſe intruſa; Cosmas cum Conrado Urſpergenſi, ejusque ſequacibus planiſſime conſentit, dum ſcripſit, Henricum V. Imp. in *Sabbatho hebdomadæ Pentecoſtes* obiiſſe; quod idem eſt ac ſi cum Urſpergenſi *decimum Kal. Junii, anno 1125.* deſignaſſet. Quando autem idem Conradus Urſpergenſis, l. c. tradit, in *Epitaphio Henrici V. Imp.* poni *X. Kal. Auguſti*; jam Pagius, alii que recte monuerunt, tunc non mortis, ſed ſepulturæ, tempus indicari.

(190.) Balbinus, *Epit. rer. Bohem. Libro III. cap 9. pag. 219.* teſtatur, in vetuſtiſſimo Codice manu ſcripto Pragenſis Eccleſiæ, hæc verba ad libri finem ab antiqua manu adſcripta eſſe: *Noverint omnes in Chriſto fideles, hujus Chronicæ compoſitorem, ſcilicet Cosmam, Reverentiſſimum Pragenſis Eccleſiæ Decanum, XII. Kalend. Novembr. obiiſſe, A. 1125. eodem ſcilicet anno, quo Ducem Sobeslaum conſtat in thronizatum fuiſſe.*

FINIS
CHRONICÆ BOHEMORUM COSMÆ PRAGENSIS.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

ERRATA ET ADDENDA
ad Tom. I.

Pag. 381. ad Prosperum de S. Cruce addenda sunt in fine sequentia: Insigne: *Porte d'or & de guente mipartie à la Croix devesant.* Vid. Tab. II. Fig. 2. *pag. 375. lin. ult. pro* Fig. 28. *lege* Fig. 3. *pag. 866. lin. 16.* NUPER CL. INTER *dele in medio* CL.